
CASAUBONI
EPISTOLAE
















ISAACUS CASAUBONUS.

Vitales vita causi recounta in auras
Tonay fuerat ista Casauboni.
Quod mortale fuit, pictoris dextera pinxit,
Quod nequiit libris exprimit ipse suis.
Hunc specta, hunc credas oculis hunc cernere, illum
Mentis et ingenii lumine cerne tui.

P. FRANCIUS.

P. v. d. Werff pinx. P. van Gunst Sculps.

ISAACI CASAUBONI
EPISTOLÆ,
inſertis ad eaſdem
RESPONSIONIBUS,

quotquot hactenus reperiri potuerunt, ſecundum ſeriem temporis accuratè digeſtæ.

ACCEDUNT HUIC TERTIÆ EDITIONI,

PRÆTER TRECENTAS INEDITAS EPISTOLAS, ISAACI CASAUBONI VITA; EJUSDEM DEDICATIONES, PRÆFATIONES, PROLEGOMENA, POEMATA, FRAGMENTUM DE LIBERTATE ECCLESIASTICA.



ITEM,

MERICI CASAUBONI, I. F.
EPISTOLÆ,

DEDICATIONES, PRÆFATIONES, PROLEGOMENA, ET TRACTATUS QUIDAM RARIORES.

Curante

THEODORO JANSON. AB ALMELOVEEN.





ROTERODAMI,
TYPIS CASPARIS FRITSCH ET MICHAELIS BÖHM,
MDCCIX.



Cerne Casaubonus similes in imagine vultus,
Semideum formam cernere signis amas
Non oculos pingue quidam de plebe moratur,
Sed doctus clari Mericus Isaaci
Ars repraesentat post mortem [illegible] natum,
Imbuit exemplis quem pater ipse suis
Quae [illegible] [illegible] [illegible] sub penetralibus alta,
Illius liber major imago docent
Est aliquid potuisse a teneris [illegible] laudis
Et summos titulis amplissimos animi
Nimirum [illegible] quae [illegible] sit tota magnus
Ab ipsis [illegible] progenitoribus urget.

FRANC. HESSELIUS.

P. v. d. Werff pinx. *P. van Gunst sculp.*

VIRO PERILLUSTRI
ET EXCELLENTISSIMO,

JOANNI,

BARONI

AB

ARNHEM,

TOPARCHÆ IN ROSENDAEL, AC HARSLO,
SUPREMÆ CURIÆ DUCATUS GELRIÆ ET COMITATUS
ZUTPHANIÆ SENATORI EXTRAORDINARIO,
TETRARCHIÆ VELAVICIÆ SATRAPÆ,
NECNON ILLUSTRIUM DELEGATORUM PRÆSIDI.



S. P. D.

THEODORUS JANSONIUS
AB ALMELOVEEN.

EXhibeo tibi, Vir perillustris & excellentissime, dudum ab omnibus viris, qui famâ eruditionis commendati sunt, exspectatum opus, CASAUBONORUM EPISTOLAS, *cum meo*

de illorum VITIS *Commentario qualicumque adauctas, curioſioribus oculis Veſtris digniſſimas. Commendarunt hæc monumenta jam dudum duo doctorum hominum, Gronovii & Grævii, comparata paria, quæ diſtinctis temporibus in lucem ea expoſuerunt, & ad pedes illuſtriſſimorum virorum, Adriani Ploſii ab Amſtel & Thomæ Reineſii, detulerunt. Quorum alter præclariſſimis noſtræ Reipublicæ dignitatibus auctus, alter quoque in Aula Saxonici Electoris Medici nobiliſſimi ac Conſiliarii curâ functus eſt, utrique literarum ſtudiis præclari, ut pro Reineſio ſatis abundè apertèque loquuntur, quæ in eruditorum manibus verſantur exquiſitæ eruditionis ſcripta. Duo, inquam, illi à Gronovio & Grævio delecti ſunt, ut eſſent Caſaubonianæ laudis fideles teſtes, & contra mordacia malevolorum convitia perpetui vindices. Tu nunc,* VIR PERILLUSTRIS, *quem Deus ad hæc difficillima tempora ſervarit, mihi princeps videris inter patriæ noſtræ Patres, non ſolùm ætate, ſed experientiâ inſignis, cujus probitas & doctrina, quæ ſimul rarò apud Nobiles*

biles

biles conjuncta reperiuntur, in patrocinio insontium, & in omni cursu vestri regiminis certissimis adeò documentis probata fuit, ut vix habeas quibus animi vestri eximiæ dotes enotuerunt, qui non illas cum summa admiratione suspiciant. Mihi profectò, ubi id meæ res exegerint, tutissimum fuisti aliquando asylum, quod iterum nunc esse debes meo Casaubono tibi cum omnibus litterarum cultoribus notissimo. Parcam istius viri hîc præconio; loquatur ipse in hoc vasto Epistolarum volumine pro se, & satis habebit, quibus vestra sitis restinguatur. Neque puto Te id posse à Te ipsò impetrare, ut ab illo oculos avertas, qui non solùm pius ad pios vestros amplexus accedit, sed pluribus Regibus & mundi Principibus acceptus adeò vixerit, ut præterquam in Gallia & apud Genevenses, in quibus ipsi natale solum esse contigerit, etiam in Anglia videatur patriam suam invenisse, & ad vestrum nunc supplex gremium festinans etiam post pios hominis manes speraturus honestum locum se inventurum. Quem si pro miti & facili vestro in-


genio concedas, habebit quo ipſe Caſaubonus ſibi inter manus veſtras verſanti gratuletur: ego verò hanc ex nobili veſtro favore pro meis laboribus reportans mercedem, omnem cumulum honorum lætus à facie veſtra diſcedens videbor mihi comparaſſe. Dabam Harderovici, ipſis Kalend. Jun. CIↃ DCCIX.

LECTORI BENIVOLO

S. P. D.

THEODORUS JANSONIUS AB ALMELOVEEN.





TEnacissimos non solùm, sed & observantissimos sæpenumerò nos esse eorum, quæ primis studiorum annis iterum atque iterum majore studio cùm à parentibus, tum à præceptoribus, virisve doctissimis commendantur, nemo hominum negarit. Docet hoc, alios ut silentio transeam, illustri suo exemplo, cujus VITAM atque EPISTOLAS nunc damus, præconio nostro longè major, Vir maximus, ISAACUS CASAUBONUS, qui à patre oblato ei Diogene Laërtio, tamquam eruditionis atque progressûs sui in humanioribus literis specimine singulari, responsum tulit, se vel unam in Sacris Literis observationem pluris facere, quàm, utut accuratas & ingeniosas in Auctores profanos innumeras: quo ita fuit inflammatus, ut ab eo tempore numquam non de Sacris Literis cogitarit sedulò, aut in iis quicquam sit molitus. Ut autem tuâ pace, Lector benivole, parva cum magnis sine arrogantia comparem, sic memini me puerum deinde provectiorem domi audire parentem sanctissimum, præceptores in humanioribus optimos, ac permultos viros doctissimos commendare de meliore nota, præter alia summi viri scripta eruditissima, maximo in pretio futura,

Εἰς τ' ἂν ὕδωρ τε νάῃ καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ *,

Isaaci Casauboni Epistolas, quas vel inde, ut nihil de eruditione in quovis genere literarum dicam iis contenta maxima, lectu dignissimas judicabant, quod maximi in hoc genere literarum viri, alter Academiæ Lugduno-Batavæ, Joannes Fridericus Gronovius; alter Trajectinæ, Joannes Georgius Grævius, (at quanta nomina!) lumen egregium, eas ubivis terrarum singulari industriâ investigare, publico exponere, omnibusque Musarum cultoribus non sine invidendo laudis utilitatisque elogio commendare non sunt veriti, existimantes, credo, has esse ex posterioris ævi numero, quæ ante alias mereantur legi. Fuit idem judicium Andreæ Riveto, qui anno CIϽ IϽ CXXVII. primus jam eas undique conquirere, & publico parare inchoavit. Fuit & viro magno, Hugoni Grotio (*a*), Mericum Casaubonum flagitanti, ut, si quas præter jam editas haberet, aut aliorum doctorum ad ipsum argumento luculentiores, eas publico donet, multos se iis demeriturum, in primis verò Grotium, ejus, quæ in ipso eluxit, pietatis simul atque eruditionis admiratorem maximum. His imbutus monitis, atque impulsus maximorum virorum exemplis, jam inde cœpi virum propter dona verè divina amare, desiderarique paulò diligentius, qualis fuerit, indagare. Et quî non? cùm ipse illustris Grotius, qui an eum magis amaverit, an sit admiratus, constituere non potuerit (*b*), scribat: *Ego verò eorum, quæ in hac vita mihi felicia contigerunt, inter prima numero, viro illi non minus pietate, probitate, ac candore, quàm in immensum patente eruditione conspicuo, carum me fuisse. Deinde in difficillimis temporibus me ipsius potissimum, & eorum, quos probabat, usum consiliis.* Verùm plurima erant cur ex voto consilia perficere non liceret; inprimis difficilioris indagationis materia. Hinc subinde notavi, quæ aliquando huic scopo essent inservitura, nequaquam despe-

rans,

* Sext. Empir. adv. Mathem. pag. 6.

(a) Epist. 1243.

(b) Epist. 197. Append.

rans, licet nullus de ſtemmate Caſauboniano quicquam reliquerit Scriptor, cum tempore aliquid notatu dignum me detecturum. Huic intentus, cùm deprehenderem Caſaubonum fuiſſe generum viri celeberrimi, Henrici Stephani, longè major inveſtigandi generis originem evadit amor ac voluptas. Sic ut in Diſſertatione *de Vitis Stephanorum*, occaſione uxoris, FLORENTIÆ STEPHANÆ, Henrici filiæ, ἐν παρόδῳ ejus vitam olim fuimus complexi.

Quum autem quotidie ſtudioſius in Stephanos inquirerem, non poteram non eâdem quaſi operâ, eâdem diligentiâ proſequi Caſauboniana, omnemque apud amicos, ſive privato ſermone, ſive per literas apud Gallos, Angloſque, quorum in terris vixit cognitiſſimus, movere lapidem, ut, ſi quid haberent Epiſtolarum, Commentariorumque Caſaubonianorum luce dignum, vellent mecum benigniſſimè communicare, grato animo ſemper agnituro confeſſuroque per quos profecerim. Pauculis itaque allatis ineditarum exemplis, increſcebat opus, eoque non parum edendi ſuſtentabatur ſpes ac deſiderium. Unde Reſponſoriarum detegendarum gratiâ æqualium ipſius evolvere jam editas Epiſtolas putavi fore neceſſarium. Quæ aliquoties repetita lectio tantoperè mihi placebat, ut ſi vera velim dicere, ſæpe ſæpius admiratione fuerim abreptus, in primis cùm viderem viros doctos haud raro non tantùm breviter ac ſtrictim proavum vitas, mores, conditiones, ſtudia ac genealogiam denique in iis deſcribere, veluti noſter ſuam (*a*), G. J. Voſſius ſuam (*b*); verùm frequentius ingenuè in amicorum ſinus apertè de viris doctis ſua effundere ac tutò deponere judicia. Nam, inquit Boineburgius (*c*), *judicia de viris doctis ſi non in Epiſtolis reperiuntur frequentia & bene ordinata, omni deſtituuntur nitore. In Epiſtolis ad amicos familiaribus de morte eruditorum, de eorum operibus editis & ineditis, de litigiis, de omni re eruditorum ſpiſſus eſt ſermo faciendus, alias eas ne titivilitio quidem exiſtimem.* Hinc non ſine ratione graviſſima dixit Bataviæ lumen primum, Deſiderius Eraſmus (*d*), Epiſtolas ſervari inſtar cimæliorum, ut familiaritates cum viris doctis, & exiſtimationes cognoſcantur. Imò noſter (*e*), vel eo nomine publici non eſſe juris, ſed privati, privatæque poſſeſſionis. Porro haud leviter animum addebat ſpes melioris ſucceſſus quàm prima habuerat editio. Illa quippe per longè nimium tempus, id eſt, ab anno 1627. (*f*) ad 1638. fuit tracta, refrigerato Elzeviriorum, qui operam addixerant, primum fervore, ac diſſidentibus, qui curam ſuſciperent, viris doctiſſimis, Daniele Heinſio atque Andreâ Riveto, qui primus fertur egregium hoc opus inchoaſſe, ſed cùm preſſus negotiis majoris momenti huic rei vacare non poſſet, curam demandavit viro clariſſimo, Joan. Friderico Gronovio (*g*), cui exinde haud exigua debetur laus atque gratia (*h*). *Nam non fuiſſet cujuſvis eam editionem dare, adeò in apographis negligentiâ deſcriptorum multa corrupta, præcipuè in Græcis, & inſtar foliorum Sibyllæ erant.* Animum dico erigebat ſpes melioris fati, quod ſcirem mortuum jam diu virum clariſſimum, Paulum Colomeſium, qui ſe Iſaaci Caſauboni Epiſtolas atque Poëmata olim promiſerat editurum (*i*). Fortè etiam præmiſſa Vitâ, quam breviter in *Italia* ſua *Orientali* deſcripſiſſe uſpiam confitetur. Quod Colomeſii Opuſculum ſi Savoretus, Bibliopola Rupellenſis, Amſtelædamum ob infeſtam omnino in Galliis emendatioris Religionis perſecutionem profugus, excudiſſet, haud exiguam argumento lucem & auxilium attuliſſet. Quid! omni labore atque difficultate ſuperſedere potuiſſemus, ſi vel ipſe Iſaaci filius Mericus, quemadmodum Hugoni Grotio videtur ſignificaſſe (*k*), patris Epiſtolas edidiſſet. Verùm ex quo propoſitum meum olim aperuiſſem viro præclariſſimo, *Eduardo*

(a) *Epiſt.* 686.
(b) *G. J. Voſſius Epiſt.* 276.
(c) *Epiſt.* 68. *p.* 276. *Adde quæ ſcribit Morhofius Polybiſt. Literar. lib.* I. *cap.* 23. §. 3.
(d) *Lib.* I. *Epiſt.* 9.
(e) *Caſaub. Epiſt.* 828.
(f) *Grot. Epiſt. Append.* 152. *G. J. Voſſ. Epiſt.* 109.
(g) *Salmaſ. Epiſt.* 86. *pag.* 192. *Grot. Epiſt.* 1243.
(h) *J. Fr. Gronov. ad H. Grotium, Epiſt.* 50. *ed. Joannis Brantii.*
(i) *Gall. Oriental. pag.* 123.
(k) *Grotii Epiſt. Append.* 372.

Eduardo Bernardo, novo quasi nutrimento exarsit agitatus jam dudum ardor. Is namque domum redux confestim, quod spontè in se susceperat, uti erat humanissimus, Oxonio transmittit haud contemnenda multarum Epistolarum ineditarum apographa, usus in iis describendis operâ viri clarissimi, *Richardi Parkeri*, cui plurimùm debere mecum facilè fatebuntur qui Casaubonianis Epistolis delectantur. Egregiam prætereà symbolam quoque contulit vir clarissimus, meique amantissimus, *Thomas Smithus*, Ecclesiæ Anglicanæ Presbyter, cujus in nonnullis detegendis venandisque operam, consiliumque si non agnoscam publicè, bipedum meritò audirem ingratissimus. Omnium verò maximum augmentum mihi è scrinio suo suppeditavit vir singularis pietatis, atque comitatis mirificæ, *Joannes Batelius*, apud Cantuarienses Archidiaconus dignissimus; cujus facillimum atque paratissimum in communicandis iis, quæ possidebat, Casaubonianis animum prædicando fateor me imparem. Ille enim supra centum & quinquaginta ineditas Epistolas, nonnullas editarum multò auctiores, plurimas lacunis suppletis longè integriores à N. Spinkes descriptas, ex ipso autographo propriâ manu transcriptum benignè suppeditavit Isaaci Casauboni DIARIUM, quod ab anno ætatis trigesimo octavo satis diligenter confecit, iis dumtaxat recisis, quæ ad historiam nostram non pertinere judicavit. Ex quo quantum luminis in conficienda Casauboni Vita hauserim, ipse facilè perspicies, benivole Lector, si quando Vitam evolvere non fueris dedignatus. Ipsum verò autographum propriis tractassem olim manibus, si viro integerrimo vitam longiorem, quâ profectò erat ob singulares virtutes dignissimus, Deus Opt. Max. largitus fuisset. Promiserat namque commodâ occasione fido cuipiam amico ad nos invisenti traditurum. Verùm hæc spes prorsus concidit, nisi fortè amici Angli hanc nobis præstare velint queantque gratiam, reperturi fortè quæ legi aliquando merebuntur. Multas suppeditavit Vir clarissimus, *Joannes Hudsonius*; uti nonnullas Vir celeberrimus, *Petrus Burmannus*: ut Erpenianas, Galliæ decus, *Joannes Harduinus*: sic alii viri doctissimi, quas possidebant, singulares. His instructus copiis ipsum opus, quod Romæ ob pietatem, quæ in eo elucet maximè, ut liber hæreticus, Vulcano traditum dicitur (a), aggressus, hocce ordine atque modo digessi, sperans, benivole Lector, hoc nostrum consilium, impensamque operam non reprobaturum. Primùm, si quidem Epistolæ Historiam quodammodo vitæ Scriptoris, istiusque, quo scribuntur, temporis imitentur ac velut comprehendant, ordinem, (quem Historico vehementer commendat Diodorus (b) Siculus) quàm sollicitè potui, observavi temporum, licet deprehenderim vitio librariorum, qui autographa primi descripserunt, frequentissimè peccatum, unde falsus ipsemet unam atque alteram loco non collocavi, quemadmodum posteà deprehendi, justo ac legitimo. Hinc planè mutata maximè mea numerorum à Græviana editione discrepat Epistolarum series. Ut autem commodior legenti foret usus, margini, quo scriptæ sunt, apposui annum. Deinde quum Vir clarissimus, Andreas Bosius (c), me docuisset viros doctissimos vehementer dolere, Scaligeri Casauboníque Epistolis non additas Responsorias, quòd sine iis satis intelligi nequeant; Epistolarum principiis in ora adscripsi numerum Epistolarum Scaligeri, Baudii, Lipsii aliorumve, ad quas respondet Casaubonus; in calce verò, quo loco ad Casaubonianas illorum virorum Responsoriæ reperiantur; insertis tamen iis Epistolis, quæ hactenus lucem non viderunt. Cæterùm cùm plurimæ occurrant lacunæ, (quæ uti rectè in Lingelshemianis observat clarissimus Vir, Petrus Bælius (d), impediunt quo minus personæ, res, negotiaque scitu necessaria intelligantur) multaque loca perobscura, & quasi ænigmatica (est enim ea ferè natura (e) Epistolarum, ut Lectorem non-

(a) Richter. Epist. select. pag. 140.

(b) Lib. 1. mox ab initio.

(c) Præfat. præm. Daumii & Reinesii Epistol. Vide Morhof. Polyhistor. Liter. lib. 1. cap. 23. §. 5.

(d) Dans son Dictionnaire Critiq. Voce Bongars, lettr. H.

(e) Baud. Cent. 1. Epist. 6.

numquam faciant halucinari) subjeci ad faciliorem intellectum, exigente id etiam Vigneul-Marvillio (*a*), Clavem Pauli Colomesii, quam in locis innumeris ampliavi, & plus quàm altero tanto reddidi locupletiorem; quoniam, uti scitè observavit Morhofius (*b*), non omnia notavit. Voluissem quidem omnes tollere difficultates, obscuris dare lucem, ni tempus aut occasio impedimento fuissent. Nam & auxilio doctorum virorum, qui, quod in Gallia, Germania, Anglia, vel in aliis terris de Casaubono reperiri fortè potuisset, subministrassent, plurimùm fui destitutus. Fortassis tamen plura conjecturâ assequuturus, si primi descriptores locum, quò fuere missæ, adjecissent; quod factum laudo in Lipsianis, Rycquianis, Wouwerianis, Baudianis, Gudianis aliisque; imò suadeo faciendum, si quando novæ edantur virorum doctorum Epistolæ. Dedi verò omnes integras, etiamsi deprehenderim aliquando acriores in Genevenses, quas jam suo tempore verebatur Hugo Grotius, Vir clarissimus (*c*), quòd quidam essent subducturi, quoniam ad stomachum Genevalem non erant scriptæ. De stylo, masculo tamen & dilucido, non est quod sumus solliciti, utpote conscii de eo varia pro captu censorum exstare judicia. Ita enim de iis Samuel Sorbierius ait (*d*): *Historiam viri optimi & doctissimi in illis contineri, & præter sermonis puritatem & animi candidi signa nihil eximium habere. Veruntamen à bonis omnibus non posse non excipi benignè quæcunque prodibunt tanti viri monumenta.* Æquiore Jove de iis opinatur ac judicat Vigneul Marvillius (*e*), inquiens: *Elles sont toutes parfaitement belles, & je ne crains pas de les mettre au rang de celles de Grotius & de Scaliger pour l'érudition, & même un peu au dessus pour la facilité & la netteté du stile, qui est tout-à-fait epistolaire, & nullement guindé. Il y a cent remarques à faire dans ces Lettres de* CASAUBON. Fatemur ingenuè nos facere cum Rolando Maresio (*f*), censente Casaubonum nimis frequenter Græca immiscere Latinis, quo multum elegantiæ decedit styli nitori; unde & raro id fecit, in Epistolis saltem gravioribus, Cicero, Plinius, & ii ferè omnes, qui nobis posteris elegantiores relinquere voluerunt Epistolas. Verùm is mos fuit non unius alteriusve hominis, sed seculi. Fecerunt id namque Desiderius Erasmus, Guilielmus Budæus, Josephus Scaliger, Adolphus Occo (*g*), Justus Lipsius, J. Rycquius, (rarius tamen Hugo Grotius) Dominicus Baudius, &, qui post ea tempora vixerunt, Thomas Reinesius, Casparus Hofmannus, & pauci admodum alii. Culpat præterea, scio, in Epistolis Casaubonianis Franciscus Vavassor (*h*) frequentes Gallicismos, Gaspar Scioppius in limatissimo de stylo judicio, alia vitia plura. Verùm hisce exceptis, evitari nesciis aut incuriâ fusis, maculis, dignum censuit clarissimus Vir, Christophorus Adamus Rupertus, quem in Mercurio Epistolari ferè continuò in varii argumenti generibus imitandum proponeret, licet cogar fateri cum Plinio Juniore (*i*), *Stultissimum esse ad imitandum non optima quæque proponere.* Sed responderit quis hisce Ciceronianis (*k*), *prima sequentem honestum esse in secundis tertiisque consistere.* Ego quamquam nemini imitandas suadeam aut proponam Casaubonianas; quandoquidem illæ non ad unguem sunt limatæ aut politiore curâ conscriptæ, sed subitò, & tempore, quod ipsi occupatissimum aliis curis eripere debebat (*l*), effusæ; exoptem tamen omnes, quas umquam quà privatim, quà publicè scripsit, posse congerere Epistolas, tum ut iis eruditio Casauboni summa, tum temporis Historia orbi literato foret longè notior. Novi enim permultas aut partium invidiâ supprimi, (quod Tilenus metuebat, intercedente Riveto in gratiam Molinæi (*m*), in quem Casaubonus paulò vehementius erat invectus) aut tabellariorum incuria in viis, aut quorundam negligentiâ periisse. Sic Hugonem Grotium binas ad Fabrottum, corpori

(a) *Melanges d'Histoire & de Literature, Tom. II. pag. 364.*

(b) *Polyhist. Liter. lib. I. cap. 23. §. 7. 69.*

(c) *Epist. Appendic. num. 372.*

(d) *Sorberiana, pag. 50.*

(e) *Dans ses Melanges d'Histoire & de Literature, Tom. II. pag. 364.*

(f) *Lib. II. Epist. 8. pag. 233.*

(g) *Gassend. de Vita Peiresk. lib. I. pag. 25. ed. Hagan.*

(h) *De Epigrammate, cap. 22. pag. 301.*

(i) *Lib. I. Epist. 5.*

(k) *In Orator. ad M. Brutum, cap. I.*

(l) *Epist. 444. & 818.*

(m) *Grot. Append. Epist. 152.*

pori inserendas, Guilielmo Grotio, fratri misisse didici (*a*); quæ tamen numquam apparuerunt; quod fatum innumeris evenit aliis, uti abundè possim ex ipsis Epistolis docere. Has autem, aliasque, si quis offenderit, eum vehementer rogo mecum communicare non dedignetur, ut recudendis matura, ubi ad manus nostras pervenerint, potestas dari & occasio possit.

(a) *Grotii Appendic. Epist.* 156

EPISTOLIS subjicienda necessariò putavi ea, quæ rarissimè occurrebant PROLEGOMENA, DEDICATIONES, PRÆFATIONES, & partim edita numquam, partim verò hîc illîc dispersa GRÆCA LATINAVE CARMINA, ut & egregium suppressi libri DE LIBERTATE ECCLESIASTICA fragmentum, quem ex voto perficere si licuisset, singulare profectò fuisset documentum, quantos eo in genere literarum fecerat progressus.

Tandem, secundo, ut ita dicam, volumine occurrunt EPISTOLÆ Viri clarissimi, MERICI CASAUBONI, Isaaci filii, quarum illas ad parentem suum, virum maximum, Joannem Fridericum Gronovium, mecum lubens communicavit vir clarissimus, *Jacobus Gronovius*. Plures hactenus vel ex ipsa Anglia evocare literis non potui, quamvis fatear, cum paternis vix posse comparari. Mericus enim quòd fuerit vitæ genere infelici patre longè infelicior, non ita multa, si Theologica, quæ vernaculo scripsit sermone, excipias, majoris moliminis in philologicis condidit, neque tantum tamque frequens cum viris doctrinarum gloriâ florentissimis per universam Europam exercuit literarum commercium, unde minori nominis famâ claruit, nec ea huc usque vitæ ipsius cursus dedit monumenta, ut distincto volumine, quæ ad illustrandum illum pertinerent, quisquam à nobis jure exigeret. In eo namque, postquam Merici filius, JOANNES, à paternis avitisque virtutibus & vestigiis planè desciverat, stemma illud Casaubonianum prorsus est exstinctum. Etiamsi Morerius in Lexico suo Historico-Critico scribat, in Galliis superesse istius generis sobolem; quod mihi omnino videtur à veritate remotum, cùm Joannes Casaubonus, Isaaci filius, Merici frater, Pontificius factus in Galliis, quod equidem sciam, solus supervixerit, in hunc usque diem, neque munere aliquo aut literarum honore insignis. Ego verò cœlibem discessisse ferè conjecerim.

Merici OPUSCULA minus obvia, in primis quæ ad paterni nominis defensionem pertinent, Epistolis adjecimus, rati ea ad Vitæ Historiam haud parum lucis conferre. Quod ut in bonam accipias partem, benivole Lector, majorem in modum rogo, mihique si ex tuo, quemadmodum etiam meo voto non omnia accuratè satis exposuerim, ignoscas, emendaturo lubens, si meliora pluraque tempus atque amici suggesserint. Vale, & fave nostris conatibus.

JOH. FRID. GRONOVII

NOBILISSIMO ET ILLUSTRI VIRO,


ADRIANO PLOSIO

AB

AEMSTEL,

Ordinis S. Michaëlis Equiti, Domino supremæ Jurisdictionis de Geyn, Jutphaes, *&c.* Domino de Oudegeyn & Lievendael, Toparchæ de Tienhoven dominiique de Uithoren, in Consessu Potentissimorum Ordinum Generalium nomine Provinciæ Ultrajectinæ Deputato ordinario.

VIR NOBILISSIME,



A fuit ISAACI CASAUBONI *etiam tum superstitis gloria, ut ob doctrinam stupendam, pietatem, inque omni vitæ colore sanctimoniam, merita in divinas humanasque literas, non doctis solum, qui magnitudinem hominis poterant interpretari, sed & indoctis, quos modò nomen ejus & odos afflaverat, grande seculi sui lumen, aliquis eruditionis parens haberetur. Ita quidem nobiscum comparatum est; quæ sibi facilia quisque factu putat, æquo animo accipimus; supra veluti ficta pro falsis ducimus; prorsus ut admirabile videatur tantam vim famæ ejus fuisse, ut & rem compertam illi libenter crederent, & hi judicum captu ipsorum majus, velut præsumptâ & contradictionem vincente veritate, extorqueri sibi paterentur. Regum denique, quô nullum augustius magisque verendum inter mortales vocabulum est, cura esse cœperat ostentare Casaubonum; nec immeritò qui hunc odissent, in suspicionem venerunt, quasi parum essent Majestatum observantes. Nec tamen ullos acquisivisset hostes, quando virtute provocatam invidiam modestia componebat, nisi maturi ævi studia ad Antiquitatem Ecclesiasticam illustrandam & summorum Principum jura asserenda applicuisset. Eo namque per corruptionem temporum deventum, uti quorum docendorum omnibus, qui justam sui fiduciam haberent, copia facienda foret, quæque præstari, non permitti, deberent, de his mutire nefas: si hiscas, probra & maledicta in promptu; ea nescire aut dissimulare, ingens apud plerosque peritia censeatur. Hi tamen dum odia sunt professi, & quâ parte tenerrimo sensu læderentur, palàm fecerunt, efficere nequiverunt, ut in optimis quibusque etiam illarum partium, etsi fortassis non omnes opiniones nostri figi & inolescere sinerent, unam opinionem indubitatam* καὶ ἐρριζωμένην *de perfecta ejus* πολυμαθείᾳ *& singulari honestate labefactarent. Cùm igitur tantus Vir ad beatos transiisset, mirum non est, quoscunque commune publicum tangit, velut indicto literarum funere, luctum induisse; æstimantes quot egregiarum lucubrationum, ultimam Autoris manum flagitantium, àque solo ipso petendarum, jacturam fecissent. Dolere alii abruptas Exercitationes Ecclesiasticas; poscere nonnulli Polybianum Commentarium, aliaque majoris momenti; plurimi, (& harum desiderium acrius quia spe majori) Epistolas; quibus semper eum, qui magnam ocii etiam sui operam reddidisset, aliquid ad temporum notitiam, lucem historiæ, doctrinæ & officii regulam immiscere solitum nemo ignorabat. Quæ res viro reverendo summo-*

rum-

rumque in Ecclesiam Dei meritorum, Andreæ Riveto, potissimùm incitamento fuit, ut vota publica non frustranda ratus longius de editione illarum seriò cogitaret, ac conquisitas undique, sive quos commercium hoc exercuisse cum Casaubono, sive ad alios scriptas asservare cognoverat, describi & ad operarum commoditatem parari curaret. Accidit percommodè, ut eopse ferè tempore ego tum celebritate loci illectus, tum aliis caussis, quas hîc nulla percensere opportunitas, in hanc civitatem migrarem. Conquestus igitur mecum vir venerandus, occupationum gravissimarum multitudine institutum suum impediri, si id muneris injungi mihi non gravarer, libenter id delegaturum affirmabat. Etsi non falleret me, quot horarum pretio ea se mihi provincia liceret, tamen cùm paucas schedas evolvissem, velut œstro instinctus ac thesaurum talem latere ultra indignatus, omnem molestiam devorare constitui. Et ne asymbolus ad has epulas accederem, statim ad amicos, ubi plures exstare Epistolas addidiceram, de consilio meo scripsi; quorum comitate factum, ut non pœnitendâ accessione hunc apparatum auxerim. Quantò id fuit melius quàm si difficiles nugas nostras vulgare pergerem? ut maximè acu rem tetigissem, tamen & modestè de iis loquendum foret ut meis, & paucorum admodum, qui talibus capiuntur, studia colligerem. In hoc verò munere licet mihi sine derisu & invidia gloriari, tanquam alieno, fructusque ad omne genus Lectorum perveniet. Sive quis erudiri velit, admirandæ & secretæ doctrinæ multa vestigia, de diversis Scriptoribus veteris & recentis ævi judicia, consilia de studiis consultissima reperiet: sive quis delectationem quærat, innoxiæ voluptatis variis illicibus delinietur. Qui variarum Ecclesiarum statum, eruditorum historiam cognoscere havebit; qui dictionem puram volet, elegantem, sine fuco ac cerussa, sine affectatione sensuum & argutiarum, quibus genuinam indolem Romani sermonis plerique nunc frangunt & vitiant; qui selectissimos Græcorum flosculos & vermiculata emblemata conspicere gestiet; qui denique, quod maximum est, contemplari amabit animum viri rarissimi ac penitus τῦ χρυσῦ αἰῶνος, *sæpe cum fortuna luctantem & saluberrimis se monitis erigentem, nunc hilarem & pudenti sale jucundum, modò pro caussæ personæque assumptæ dignitate irritatum, ac mox iterum compositum; quisque pro gustu suo deliciis inescabitur. Si verò sint, qui hac editione offensos se arbitrentur, [& credo fore aliquos] ii primùm conscientiam suam interrogent, quid ipsi de Casaubono & superstite & defuncto commeruerint: deinde nobis certè imputare nihil possunt, qui in alieno opere, quod interpolare, inque eo Curionem agere non erat pudoris nostri, auspiciis alienis ductuque nihil nisi ministri fuimus, & paullò plus quàm manuariam operam præstitimus. Nam qui querentur, nullam selectionem in tam amplo volumine adhibitam; potuisse complures rerum alicujus ponderis inanes luce prohiberi: accipiant, quæso, justissimam defensionem. Neque enim inficias ibo, ad eundem impegisse me olim lapidem, & ut in hoc genus scriptorum incideram, identidem superfluæ diligentiæ, ut credebam, vestigia annotasse. At postquam ipse in hujusmodi muneris portionem veni, vela dedi retrorsum & deprehendi religione quâdam judicium inhiberi, ne tot monumenta venerandæ nec ultra scripturæ manus distinguas magis quàm ames. Non secus ac qui post longi temporis peregrinationem ex improviso caris suis supervenientes hæsitant, quem primò invadere velint amplexu; deinde in obvios proximosque intempestivâ deliberatione neglecta irruunt. Cùmque vivant adhuc multi, aut certè necessarii illorum, qui ad suum suorumque honorem pertinere putant, si tam insigni amicitiâ fama eorum renovetur, ac in hoc clarorum virorum theatro*

 sedem

sedem impleat; ingratum fore fatebitur quivis sapiens, in communi exspectatione plures per censuram nostram spe suâ fraudari; lubricum verò & anxium nobis, dispicere qui omitti possint, qui dilegi. Denique in tanta judiciorum varietate, ubi contingit, ut quod huic admodum arrideat, id elevet alter, quod ille laudet, id insipidum videatur isti; colligantur, age, suffragia, & detur nonnihil sententiæ singulorum; nonne idem eventurum credibile est, quod seni in fabulis, qui à puella vetulaque adamatus, hac nigros, illâ albicantes capillos vellente, subitò calvus apparuit? Optima ergo ratio est, ut ea sectetur quisque, quæ maximè ad palatum facient suum, reliqua aliis relinquat; nec sibi soli, sed universis consuli debuisse existimet. Atque hoc edecumatum opus nostraque in eo cura cùm patrocinio municnda essent, te, Vir illustris, compellare ausi sumus. Ego ex quo fama tua desiderium mihi, humanitas potestatem innotescendi tibi fecit, sæpenumerò mecum in consilium ivi, si ulla esset via, quâ hoc gaudium mihi ex tanti voti felicitate erumpere liceret. Etiam pridem multa argumenta collegeram, quibus ad dignam venerationem tui meipsum stimularem. Obversabatur ingens virtus tua & mores nihil non civile promittentes; quibus cùm ad spem æternorum commodorum Reipublicæ ostensus fueris, nihil in illis immutavit præsentis fortunæ magnitudo & copia, quin civem patremque gereres, inque amplissimis honoribus labores potius tuos & sollicitudinem quàm gloriam putares. Obversabatur eminens tua dignitas, quam infinitis erga patriam meritis tot per annos sic continuasti, ut quantò decessores superasti tuos, tantum exemplum onusque relinquas [ô serò, & cum posteritate!] secuturis. Docent nos prisci Sapientes, grande & onerosum depositum esse creditam commissamque Rempublicam; ingentes oportere esse animas, & ad hanc rem à natura comparatas, quæ hujus molis fœcunditatisque, ut ita dicam, negotiorum & curarum tam in prospera quàm adversa fortuna sint capaces; à magistratu virum ostendi. Nempe hunc sanguinem, hos spiritus hausisti ex generosa Amsteliorum tuorum gente, per atrocitatem temporum latente aliquandiu & oppressa, ut per te honestaretur præstantissimis rebus gestis, nec ab alio profecturis, nisi pro quo laudatissimi majores spopondissent, & in quem omnia ornamenta sua transscripsissent. Quid dicam de singulari tuo erga omnes elegantis eruditionis cultores studio, qui ceu Prytaneum ædes tuas celebrant, & liberali sermone, præcipuo tuo post gravissimas curas avocamento, quicquid est doctæ oblectationis & dant pariter & accipiunt. Unde laudabile & præclaris viris ambiendum certamen, quis majore cum honore nominis tui scripta sua in famam mittat. Quæ aliaque plurima reputans, eam mihi speciem tui formaveram, uti quod offerretur à me tibi observantiæ pignus, in privatis opibus nihil dignum reperirem. Bonum factum verò, quòd æstum hunc cogitationum mearum sublevarunt ISAACI CASAUBONI EPISTOLÆ: *quas cùm publicè videndi cupiditate accensum te dudum animadvertissem, nec me leviter in adornandis augendisque iis juvisses, non alii quàm tibi ipsæ commendari voluerunt. Accipe igitur, nobilissime virorum, hoc nobile munus, ejusque patronatum profitere; qui & patrem illius* τὸν μακάριστον μακαρίτην *facis maximi, & me, cujus obstetricatu id luce donatum est, adscivisti inter eos, qui propiores decora tua contemplantur. Scripsi* Hagæ, a. d. IX. Kalend. Octob. anno Christi CIƆ IƆ CXXXVIII.

Illustri Dignitati Tuæ

devotus

JOH. FRIDERICUS GRONOVIUS.

VIRO

JOH. GEORG. GRÆVII DEDICATIO.

VIRO AMPLISSIMO ET SUMMO,

THOMÆ REINESIO,

Principis Altenburgensis Archiatro, ejusdemque civitatis Consuli.

EPISTOLAS ISAACI CASAUBONI, *ingeniorum Principis, novâ non levis incrementi accessione auctiores tibi offero, amplissime Reinesi. Caussæ cur tuo potissimùm nomine proscripserim, plurimæ mihi æquissimæque fuerunt. Quum publicas in consilium adhiberem, nemo hîc tibi præferendus fuit. Sive enim gravem Epistolarum festivitatem respiciamus, ecquis melius de illa existimare potest? Sive ad Auctoris dignitatem convertemur, nonne tu vindictam ejus, si qui insulsi aut malevoli detrectatores oppugnare audeant, meritissimò suscipere & potes & debes? Ego equidem persuasissimum habeo, sanctissimos maximi viri manes, si quis manium sensus est, sibi maximoperè gratulari, hanc provinciam tibi præcipuè mandatam esse, in quo quasi imaginem sui superstitem contemplantur. Nam tu non tam vestigia tanti viri premis, quod imputare possunt, quibus hoc Deorum munere licet, quam invidiosâ ingenii ubertate ad eandem eruditionis summam enituisti, ut, si à paucissimis discesserimus, quorum nomina in uno annulo (quod olim non nemo de bonis Principibus dixit) inscribi possunt, tu unus hac tempestate literarum illarum, quibus* ὁ δεῖνα *cultum & præsidium præstitit, fata moreris, earumque gloriam augeas ac tuearis. Nullam ego hîc adulationis notam metuo. Satis me ab hac suspicione absolvunt tot præstantissima ingenii tui monumenta, quibus seculum tibi devinxisti, ac juxta advertisti. Loquitur pro me lingua Punica, quam à multis annis primus à tenebris & ignorantia hominum asseruisti. Loquuntur variarum Lectionum libri tantis eruditissimorum hominum studiis excepti, ut omnium ora manusque occuparent, ac nemo eos detrectaret, nisi cui inscitia & livor oculos præstrinxerat. Et sanè absque iis si essemus, quantum abstrusissimarum rerum nesciremus; quot præclaros Auctores æterna nox premeret; quot insignia loca in squalore & mendis cubarent; quot omnium sæculorum Antiquitatis sacræ & profanæ mysteria laterent; quot quantique errores sub auctoritate magnorum nominum ac splendidis verborum titulis quantò tutiores, tantò & nocentiores & deprehensu difficiliores nobis imponerent? Quæ uti jam omnes, qui doctrinâ & candore censeri volunt, in admirationem rapuerunt, ita magnam exspectationem illorum, quorum spem fecisti, excitarunt; adeò ut nonnulli impatientius ferant, tantâ advocatione ardentissima desideria sua suspendi. Non quòd vereantur, ne splendidis promissis sollemni huic sæculo more hiantes deludantur; sed, dum incerta & lubrica rerum humanarum secum reputant, ne tantâ spe excidant, tantoque thesauro Respublica literaria casu & vi quâdam ex transverso irrumpente, (despuo omen) fraudetur. At ego, qui tam varias, quibus distraheris, occupationes propius novi, non tam miror hæc nondum repræsentata, [quanquam reliquos Animadversionum tomos, Inscriptiones antiquas, easque plurimùm ineditas commentario te digno instructas, aliasque in omni studiorum genere lucubrationes tuas non tam conceptas, quàm editioni adornatas, apud te pridem videre memini] quàm illa tantâ morositate exacta opera, quibus jam fruimur, inter tot molestias expediri*

pediri

pediri potuisse. Et quis non miretur, qui nôrit & summæ Reipublicæ, & tot illustrium capitum curam salutemque apud te excubare; omnem diem rerum actus, litium æstimationes, pecuniarum descriptiones occupare; omnes qui capite aut fortunis oppugnantur; calumniam aut jurant, aut metuunt, te adhibere, te causas docere, ad te tanquam unicam æquitatis artem ac miserorum portum confugere; qui cum deposita ac conclamata valetudine conflictantur, se tibi inspiciendos præbere; à tua auctoritate pendere; apud te remedia quærere; &, nisi inevitabilis hora instet, invenire: omnes denique tam Principes ac Potentes, quàm capite censos te adspicere, te obsidere, in te omnes spes opesque suas collocare, te tamen inter densissima ista negotia ea moliri & eruere, quæ nec ii potuerunt, qui non solidos dies, sed omnem vitam interioribus litteris impenderunt? Possem hîc longè plura & his potiora recensere, nisi me laudum tuarum jam totum cultiorem orbem pervagata opinio, pariterque modestia tua cohiberet. Et hisce tamen facile omnibus probarem optimè mihi rationes constare, quod sub auspicio nominis tui istam Epistolarum editionem publicaverim. Verùm tot aliæ eæque prægnantes ac domesticæ causæ ad id me perpulerunt, ut, si factum mutassem, ingrati immemorisque animi invidiam nullo pacto effugere, aut unquam abolere potuissem. Nihil jam dicam de incredibili illa humanitate, quâ me ignotum & in prætextata ætate constitutum, ingenti tamen confidentiâ ad favorem tuum adspirantem admisisti: nihil de affectu, quo me posteà constanter complexus es; nihil de indulgentia, quâ me, quum frivolis nugis te maximis impeditum curis obtunderem, non modò non gravatus es; sed & provocasti, & ut laudabilis hujus inverecundiæ perseverantiâ diligentiæ meæ operam tibi redderem, animasti: nihil de hospitali officio, totque aliis beneficiis, quibus fecisti, ut totus beneficii tui sim. Mihi autem ab illo tempore nihil antiquius fuit, quàm ut officiorum assiduitate, obsequio, præsentique pietate te venerarer, ac occasionem circumspicerem, quâ meus animus tantis nominibus tibi obnoxius illustrior fieret. At quum curtam meam suppellectilem recognoscerem, nihilque reperirem, quod ære tuo me liberaret, ab alio potius solvendum duxi, donec arca meæ conficere potero; quàm conturbare, ac debitum, cui solvendo non sum, abjurare. Præsertim quum id ipsum, quod nunc apparet, fiduciariâ operâ obtineam, ac omne beneficæ tuæ erga me voluntati debeam. Nam quum in illam tot illustrium animarum palæstram Bataviam ad capessendum ingenii cultum contenderem, tu mihi ad Gronovium, virum ingenio, doctrinâ, dignatione, maximis in rem literariam meritis nulli hujus ætatis secundum primos aditus muniisti, ac tesseram præbuisti admissionalem. Quam ut agnovit, non modò perquàm humanè & comiter me excepit, omnium horarum ignoto adventori, quâ est inusitatâ morum facilitate, jus fecit, studiorum meorum dux & auspex fuit, magnis illis hujus ævi Heroïbus, Vossio, Heinsio, Gevartio, Rubenio, aliisque viris doctis insinuavit, ac verè mihi, quod Solon olim Anacharsi præstitit; sed & hanc secundam Casaubonianarum Literarum *editionem ipse æternis operibus suis intentus mihi delegavit. Quæ utriusque summa beneficia uti nunquam non agnoscam & profitebor, ita nihil mihi contentionis reliquum faciam, ut intelligatis, non malè vos illa locasse. Vale, sæculi decus.* Amsterodami, pridie Kalend. Septemb. CIↃ IↃ CLV.


Devotissimus tui Cultor,

JOHANNES GEORGIUS GRÆVIUS.

ISAACI

ISAACI CASAUBONI
VITA.



SAACUS CASAUBONUS, Vir omni vitâ pariter Principibus ac doctis carus, anno partæ salutis CIↃ IↃ LIX. a.d. XII. Kal. Mart. (*a*) nascitur (*A*) Genevæ (*b*), (ubi etiam è fonte sacro fuit susceptus à D. Francisco Mazieres., baptizatus à Magistro (*c*) Raymondo; *patre* ARNALDO CASAUBONO, viro literis non tantùm probè docto, (juvenis enim Burdigalæ Præceptoribus erat feliciter usus Gelidâ, Goveano, Mureto, summis eorum temporum (*d*) viris) sed vitæ morumque integritate maximè insigni: *matre* verò JOANNA ROSSEAU, singularis exempli feminâ, qui parentes sæviente tyrannide, cujus frequentissimè in Epistolis suis mentionem facit vir celeberrimus Franciscus Hotomanus, metu compulsi justissimo, ne propter purioris Religionis professionem vivi comburerentur (*e*), *Burdigalâ*, oppidulo Galliæ in Delphinatu ad Robionem amnem inter decliva montium septem leucis à Valentia versus Austrum, & quinque à Dia posito (*f*), Genevam, cujus Ecclesiam Martyrum Matrem quidam dixêre (*g*), licet Justus Rycquius injustè Genevam vocet *nidum ἀπῳδίας* (*h*); tamquam tutissimum in asylum confugerant, nisi potius dicamus *Chrestâ* eos abiisse. Ejus oppidi meminit in Diario (*i*): *Chrestam*, inquit, *venimus, oppidum λόγου οὐκ ἀνάξιον. Ea est urbs ubi ab optimo parente sumus educati, & primis literarum rudimentis initiati. Pater enim ad τὴν τοῦ θείου λόγου ἱερουργίαν eò fuerat Genevâ ascitus. Atque ille constantissimo animo, in ea urbe, certè in eadem λειτουργίᾳ perseveravit per varia discrimina & multiplices casus ad extremum vitæ diem usque.* Sic & alio loco (*k*): *Chrestam venimus, ubi veterum optimi parentis amicorum copia nobis reperta est: suave eorum alloquium nobis, & locorum, ubi fuimus pueri olim educati, aspectus. Chrestâ Burdigalam ad matrem optimam pervenimus, quam pro ætate valentem, & fratrem charissimum, atque familiam totam invenimus.* Ex quibus apertè colligere est, eos sedatâ ac lenitâ paululum tempestate discordiarum turbulentissima (*l*) ad veteres lares ac focos reversos, ad ultimum vitæ diem religiosè coluisse. Nam ipse Casaubonus ait (*m*) patrem suum *Diæ*, vel ut Veteres nominabant, *Deæ Vocontiorum* in Delphinatu placidè in Domino mortuum, ibidemque sepultum. Cujus vitam atque mortem, quam turpem atque ignominiosam fuisse Isaaco filio exprobraverat Græculus Cretensis Andreas Eudæmono-Johannes, ipsius Isaaci Casauboni verbis descriptam hoc loco inseram, cùm ut sanctissimi (*B*) parentis (cui similem se, suosque liberos esse optabat, ea enim fuit illius virtus, sapientia, (*n*) eruditio) innotescat pietas, tùm ut liberi, quos haud magno numero reliquit, cognoscantur.

„ (*o*) Græculus Cretensis, Andreas Eudæmono-Johannes, animosissimus ille parrici-
„ darum patronus, lanienæ Parisiensis cupidissimus laudator, prodigium è mendaciis
„ &

(a) *Epist.* 162. 931.
(b) *Epist.* 232. 293. 453. 879.
(c) *Diar. Biograph.*
(d) *Epist.* 838.
(e) *Epist.* 453. 879.
(f) *Baudrand. Lexic. Geogr.*
(g) *Franc. Hotoman. Epist.* 2.
(h) *Cent.* 40.
(i) *Anno* 1599. *a. d.* 4. *Non. Mait.*
(k) *A. d.* 11. *Kalend. Jun.* 1603.
(l) *Post biennium nempe: vide Epist.* 879. *pag.* 527. *b.*
(m) *Ad Baronii Apparat. Exercit.* 1. *pag.* 37.
(n) *Epist.* 499.
(o) *Isaac. Casaubon. Exercit.* 1. *ad Apparat. Annal. Baronii pag.* 36. *edit.* 1655.

(*A*) *Nascitur Genevæ.*] Quum ipse Isaacus Casaubonus, quo non incorruptior aut integrior alter testis, Epistol. 232. 293. 453. apertissimis verbis indicet se Genevæ esse natum; & Epist. 111. 112. 136. Genevam vocet *patriam dulcissimam*, imò Epist. 149. scribat se desiderare literas à Rege, quibus *Jure Civitatis Gallicæ donetur*, nullus possum satis mirari quòd adeò audacter in Lexico suo Historico clarissimus Morerius asserat; Isaacum Casaubonum Burdigalæ in Delphinatu natum. *Isaac Casaubon*, ait, *étoit François né en* 1559. *à Bourdeaux, petite village dans le Diois, & non pas à Geneve, comme divers Auteurs l'ont écrit. Sa famille subsiste encore sous le nom de Casaubonne.* Verùm uti priora, sic hæc posteriora verba putem involvere errorem, quando quidem stemma suum describens ipse Casaubonus, numquam patrui, numquam fratris, ne dum fratrum; verùm binarum sororum, SARÆ scilicet, natu majoris, & ANNÆ faciat mentionem, quarum *Sara* nupta Petro Chabanæo, obiit 23. Octob. 1601 *. Hæc cum duobus filiis, Petro (mortuo Lutetiæ Parisiorum, a. d. 17. Kalend. Maj. 1602.) & Isaaco, adstitit morienti patri *Arnaldo Casaubono*. *Anna* primâ vice, uti conjicio, nubit Joanni Rigoto †; secundâ vice Petro Perillæo, quem affinem, a. d. 15. Kalend. Maj. 1600. post XVI. annos amore fraterno Isaacus noster est complexus ‡. Hanc tamen videt bis ǂ viduam. Sed quid, quæso, apertius, cùm adjiciat? *Ego solus liberorum, quæ mea fuit infelicitas, aberam.*

(*B*) *Sanctissimi parentis, &c.*] Τὸ κατ᾽ ἄνθρωπον λέγω de me ipse conjecturam facio, qui à virtute & singulari pietate patris mei, viri sanctissimi, sentio me longè abesse; & ne mei longius etiam abeant, metuo. Quod ne eveniat, ego & uxor dies noctesque operam damus, & assiduis precibus à Deo contendimus, per meritum τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ, τοῦ Σωτῆρος τοῦ κόσμου. *Epist.* 846. *pag.* 510.

* *Diar.*
† *Epist.* 131.
‡ *Exercit. Baron. pag.* 37. *& Diar. Biogr.*
ǂ *Epist.* 113.

,, & ignorantia conflatum, non solùm Christianus audit; sed est etiam Jesuïta, & Mis-
,, sas Romæ quotidie, uti fama est, celebrat. Hic est parricidiorum in Reges & Prin-
,, cipes unicus magister, qui ad cætera sua scelera, nuper adjecit immanitatis plusquam
,, Turcicæ facinus execrandum. Nam qui objectis à me criminibus veri respondere
,, nihil posset; non solùm in me convicia falsa, absurda, ridicula, & furentis Cretis
,, rabiem dumtaxat prodentia, effudit: sed etiam *Arnaldi Casauboni*, venerandi paren-
,, tis mei, ante tot annos fato functi, pretiosam apud omnes bonos, qui nôrant, me-
,, moriam, contra jus Gentium: spreto anathemate, quod veteres Hebræorum Sapien-
,, tes in malè de mortuo loquentem pronunciarunt: denique contra ipsorum etiam Paga-
,, norum instituta ac leges, impiè sollicitavit, ac diabolico mendacio ivit infamatum.
,, Fingit scelestus Cretensis, & audet affirmare, quâ impudentiâ est, patrem meum,
,, rei capitalis damnatum, laqueo vitam finiisse (*a*). O furiam! ô immanitatem plus
,, quàm Turcicam! nam etiamsi ita esset, (est autem falsissimum, ut demonstrabimus)
,, quæ hæc est barbaries, in cineres jam pridem conditos furorem exercere suum? filio
,, casum patris, licet fabula non esset, exprobrare? Nescit scelestus, nescit, quid sit
,, discriminis inter ἀτύχημα, & ἀδίκημα. Sed vide mihi Cretici hujus prodigii θυήλατον
,, amentiam! Quum enim ter figmentum hoc suum repetat, ut paucos ante dies narrabat
,, mihi Oxonii Joannes Prideaux, Vir doctissimus, & pietatis eximiæ; ego sanctè
,, juro, me paucis paginis inspectis, putida & aperta mendacia floccifecisse, & nun-
,, quam legisse: crimen tamen quod patri impingeret, ne fingere quidem ullum potuit.
,, Elogium puniendi non recitat: non locum, non tempus indicat: crudum menda-
,, cium, ut fuerat sibi à Satana inspiratum, contentus evomere. En quales exquisitio-
,, ris pietatis Magistros patria Jovis edat; urbs septicollis in sinu suo excipiat, educet,
,, foveat. En qualia mendacia, auctoritate Censuræ suæ Princeps Aquaviva soleat compro-
,, bare. Pater meus, vir pietate, probitate, & prudentiâ inter paucos insignis, anno
,, superioris seculi, LXXXVI. Diæ, vel ut Veteres nominabant, Deæ Vocontiorum,
,, in Delphinatu, ipsis anni novi Kalendis morbum (*A*) contraxit (*b*); invasitque eum
,, febricula, lenta quidem, verùm continua. Quum Medici, atque imprimis Laurentius
,, Videlius, Avenionensis, (sed qui Religionis variè corruptæ Reformationem ante mul-
,, tos annos erat amplexus) in ea arte eximius, & veteri amicitiâ patri meo conjunctissi-
,, mus, nihil periculi, & omnia signa ad salutem esse confirmarent; ipse tamen, ex
,, quo primùm decubuit, instare sibi fatalem horam intellexit: & qui de exitu mor-
,, bi non dubitaret, uxorem suam, matrem meam, piis alloquiis sæpe est consolatus.
,, Kalend. Februar. pater testamentum condidit; quod excepit Notarius, uti vocant,
,, Apostolicus, cui nomen Cheysieu. Scribendo testamento adfuerunt A. Pedianus,
,, (*du Pui*) Prætor urbis; qui paullò pòst peste extinctus, ingens sui desiderium civibus
,, suis reliquit; L. Videlius, R. Bruierius, J. Draco, alii viri primarii, amici patris,
,, quorum nomina in tabulis testamenti leguntur. Kalend. Februar. Dei nomen invo-
,, cans, & delictorum veniam petens, sine ullo cruciatu placidè in Domino obdormivit;
,, nactus, si quis mortalium, quam frustra sibi optabat Christum ignorans Augustus,
,, εὐθανασίαν. Adfuit ægrotanti, & beatam animam (sic opto, & spero) Creatori suo
,, reddenti, pia mater, singularis exempli fœmina, *Johanna Rosseau*; quæ annos ferè
,, triginta, sine ulla, vel levissima, querela, vixit cum ipso conjunctissimè: adfuerunt
,, & filiæ duæ, *Sara* & *Anna*, sorores meæ; gener etiam, *Petrus Chabanæus*, cum
,, duobus ex ipso nepotibus, *Petro* & *Isaaco*. Ego solus liberorum, quæ mea fuit infe-
,, licitas, aberam; quòd quadriennio antè, Francisco Porto, & Græco & Cretensi, sed
,, quem sincera pietas, virtus excellens, & singularis doctrina bonis omnibus venera-
,, bilem reddebant, in Græcarum literarum professione Genevæ adolescens successeram.
,, Adfuerunt prætereà ægrotanti frequentes cives, cùm Dienses, tum Chrestenses; qui
,, belli causâ Chrestâ, sive Cristâ, (id oppidum est vicinum in Episcopatu Valentinen-
,, si, cujus olim Dia caput erat, nunc membrum) Diam concesserant; item è Nobilitate
Refor-

(*a*) *Hanc fabulam excogitavit Carolus Bonarscius, teste Francisco Sweertio Epist. 891.*

(b) *Epist.* 891. & 893.

(*A*) *Morbum contraxit.*] Pater meus ante annos viginti septem, & quod excurrit, Diæ Vocontiorum in Delphinatu ipsis Kalendis Januariis in morbum incidit. Habuerat eâ die concionem ad Nobilitatem ea in urbe comitia agentem, in qua vir pius & sanctus αὐτὸς αὐτοῦ κρείττων γενόμενος, zeli incomparabilis specimen ediderat. Itaque totus sudore madens è suggestu descendit: mox illum febris occupat, quæ lenta erat, nec vehemens, sed continua. Mensem integrum ægrotavit. Kalendis Februariis animam Deo Creatori placidè reddidit. Elatus est humeris honestissimorum civium. Deduxerunt funus cives omnes, & Gallicæ Nobilitatis ejus Provinciæ pars maxima. Ingemuit morti illius tota Provincia, neque hoc nesciunt Jesuitæ, qui Turnoni habitant, aut in aliis vicinis oppidis. *Epist.* 893.

„ Reformata Provinciæ illius quàm plurimi ; quum fortè eo tempore frequentissimus „ Protestantium conventus Diæ ageretur. Elatus est a. d. IV. Non. Februar. succollantibus civibus honestissimis. Deduxerunt funus omnes civitatis Ordines, & Nobilium „ ac cæterorum, qui ad publica negotia convenerant, pars maxima. Luxerunt patrem, & „ diu desiderarunt omnes pii, probi & prudentes viri. In his fortissimus Heros, & glo„ riâ rerum gestarum toto orbe notissimus, Lesdiguerius, & universa Nobilitas, in qua „ præcipuos amicos habuit, Cugium, Gauvernetium, Bellofortium, Porticum, Duma„ sium, Consium, Chailarium; qui omnes, aut liberi eorum etiam nunc sunt in vivis. Chai„ larius tunc admodum juvenis, ad Pontificios posteà transiit. Idem tamen *Arnaldi Ca*„ *sauboni* nomen sine honore usurpare, ne nunc quidem solet; memor arctissimæ amici„ tiæ, quæ olim patri meo cum ipsius parente, viro magno, & cum Pedegrotio ejus„ dem patruo, intercessit. Obiit ὁ μακαρίτης anno climacterico ætatis suæ sexagesimo „ tertio. Ego literis Videlii, a. d. XV. Kalend. Mart. scriptis, quas à Theodoro Beza „ mihi traditas servo, de obitu optimi parentis factus certior; dolorem meum paucis „ verbis ἁπλάστως testatus sum in Commentariis ad Strabonem, quos tum scribebam, li„ bro 5. pag. 84. Qui si Cretensis hujus impostoris impudentiam, furorem & scelus „ prævidere potuissem, vitam patris mei literis mandassem, & ingentia Dei Opt. Max. „ erga ipsum beneficia enarrans, omnibus Cretensibus, omnibus Jesuitis os obturassem; „ & de universo nomine Casaubonio bene essem meritus. Neglexi hactenus hoc offi„ cium, conscius modestiæ & verecundiæ patris mei, quæ fuerunt in illo admirandæ. „ Nunc quia pietas id jubet, ne de veritate impunè inimici Dei triumphent; faciam „ tandem, volente Domino, quod ante multos annos factum oportuit; & importunam „ ac truculentam hanc feram, veræ narrationis telis undique confodiam. At tu, Christiane „ Lector, criminatione ab una cognosce omnes. Nam quid de toto libello Cretensis „ Jesuitæ judicandum sit, vel ex hoc uno potes statuere. Potes, dico; imò, si quid „ in te candoris, si quid veræ pietatis, omnino debes. Gemina quippe huic sunt om„ nia pari scelere ficta, pariter falsa. Neque verò expectet hic aliquis, ut ad frigida „ illa convitia respondeam; *Quòd sim Hæreticus Calvinianus;* quasi sit rabulæ hujus & „ Hæretici Bellarminiani, de verè antiqua fide judicare; quam aut nunquam didicit, aut „ unà cum lingua Græca Græculus Apostata oblivioni tradidit. *Quòd sim Græcarum li*„ *terarum & omnis eruditionis imperitus.* Sed quis feret cæcum de coloribus? *Quòd Latinis* „ *Græca immisceam.* Novum crimen, Caie Cæsar. Hoc tamen malo, quam si diceret, „ me defendendo parricidas, ad nova parricidia Castellis, Catisbeiis & Ravaillacis, „ Deus omen avertat! iter munire. Nolo eruditorum nostri seculi, Turneborum, Li„ psiorum, Scaligerorum exemplo factum tueri. Nolo Panigarolæ conciones in me„ dium afferre. Taceo morem multis aliis Concionatoribus partium Romanarum hodie „ usurpatum, qui apud indoctam plebeculam Latina, Græca, aliquando & Hebraica „ recitant, sæpe, (Latina præsertim) sine interpretatione. Certè olim Cicero ad Pom„ ponium Atticum Græcè doctum ita scripsit, ut ego ad Frontonem Ducæum Græci ser„ monis intelligentem. *Quòd parum in Logicis exercitatus sim.* Melius istud novit Julius „ Pacius, Vir clarissimus, Jurisconsultus & Philosophus insignis; qui me adolescentem „ in studiis Juris civilis & Philosophiæ Aristotelicæ, non solùm publicis recitationibus, „ sed etiam privato labore instituit; qui multis annis prius quàm suum in Organum ede„ ret doctissimum Commentarium, mihi & Petro Perillæo affini meo, & P. Pineto, „ eruditissimis olim adolescentibus, quorum prior etiam nunc vivit, verbis ferè totidem „ illum dictaverat. *Quod inter operas typographicas domûs Stephanicæ creverim.* Egò verò „ si ita esset, laudi id mihi vertendum contenderem. Nam ex illa domo, ceu ex equo „ Trojano, multos prodiisse excellente doctrinâ viros, facilè possem probare. Sed men„ titur Cretensis; nam ego juventutem meam non corrigendis chartis typographicis „ exegi; sed bonis artibus discendis, & omnis generis Auctoribus diurnâ nocturnâque „ manu pervolutandis. Verùm hæc & similia his missa faciens, illa potius hoc loco „ breviter attingam, quæ ut majoris momenti sunt, ita calumniatoris impudentiam & „ immanitatem melius produnt. Ait igitur Alastor pag. 168. patris mei memoriam me „ infensum Magistratibus reddere. Sed quid ergo fecerim, quod meum erga Magistratus „ animum infensum prodat; quam doctrinam defenderim Regibus & Principibus exitiabi„ lem; hoc verò non docet Cretensis. Cur tacuit? cur mihi pepercit? Enimverò con„ currant in unum omnes Cretenses; capita conferant omnes Loiolæ discipuli; ipsum, si „ voluerint, Diabolum (rem futuram non novam) in consilium adhibeant; nunquam ta„ men in actionibus aut scriptis meis aliquid invenient, quod hujus criminis ullo pacto

„ affinem me queat reddere. De patre verò meo quàm impudenter mentiatur Cres impudentissimus, quid attinet dicere? satis hoc ex antedictis liquet. „

Puer, (cujus jam prima ætas majora quàm vulgò promittens, quid de ingenii dotibus cum progressu sperandum foret satis augurabatur) sic ille de meliore luto confictus cùm esset indolis egregiæ, singularis judicii & memoriæ tenacissimæ, ab optimo parente, homine Græcis Latinisque literis erudito, sed negotiis Ecclesiasticis prorsus distracto, domi literis imbuitur: eoque felici discentis successu, ut vix prætextatus nonum agens annum non modò expeditè posset Latinè loqui, sed etiam emendatè scribere (*a*). Verùm cùm pater ipsius diutius quàm ætas & studiorum cura ferebant, domo abesset; (abesse enim cogebatur ut muneris sui partibus satisfaceret; quâ causâ quidem Dei Ecclesiæ in Delphinatu plurima & laudatissima officia præstabat, (*b*) familiæ tamen suæ non exiguo damno, & vitæ, ni Deus cavisset, præsentissimo periculo, quo sibi quasi relictus) evenit, ut ita eorum omnium fuerit oblitus, ut undecimo literas ignoraret; imò, quod ipse dicere solebat, *duodecimum agens annum vix proprium suum nomen sciret declinare* (*c*). Ast parente, quo solo videtur usus Præceptore (*d*), post triennium reverso, ab ipsis incunabulis, tantâ sedulitate ac diligentiâ, quæ hactenus fuerant neglecta atque intermissa, studia redintegravit, ut vehementem ardorem ac constantem in studia impetum, ne vitæ discrimen incurreret, pater fuerit coactus quàm sæpissimè, tamquam injectis frænis, reprimere, & ne calamitates quidem publicæ, bella civilia, (*e*) temporum infelicitates, non afflicta aut adversa fortuna, vel etiam quicumque possunt cogitari molestissimi casus, quibus plurimum inhibetur studiorum cursus, illud incendium amoris, quo erga bonas literas agitabatur, potuere extinguere. Anno enim Christi CIↃ IↃ LXXII. ætatis XIV. tempore detestandæ omnibus bonis in æternum lanienæ Parisinæ, (*excidat illa dies!*) unà cum parente ad montium ac sylvarum secreta & profunda latibula profugus (*f*) sceleratissimas sicariorum manus timidus fugiens, in eremo ac solitudine planè avia, fortè in antris atque casis, cùm vitâ miser, animo tamen alacri latitaret, primùm à patre Græcarum literarum accepit elementa (*A*) ac fontes. Quarum captus dulcedine tantos suo marte (nam pater publicis coactus vacare negotiis, filii optimi studiis amplius præesse, eaque juvare ac promovere non poterat, licet ei (*B*) uni quantulumcunque in ipso esset eruditionis, (*g*) debere ingenuè fateatur) fecit progressus, usus Caninii Grammaticâ, quam olim ejus notis adscriptis servabat olim Mericus filius, uti post quinquennium, anno Christi CIↃ IↃ LXXVIII. Genevam studiorum absolvendorum causâ mitteretur. Ita enim ipse de se (*h*): *Anno ætatis decimo nono Genevam sum missus studiorum causâ. Hic ego, quantum poteram, dies noctesque vires contendens sitim meam conatus sum explere. Itaque Dei bonitas vigiliis nostris ita benedixit, ut anno ætatis vigesimo quarto* (*i*) *Francisco Porto Cretensi, Græcorum omnium nostri temporis longè doctissimo, viro admirandæ probitatis, & pietatis singularis in professione literarum Græcarum successerim. Vixi annos quatuordecim Genevæ Professor primò Græcarum literarum, deinde etiam Latinarum, aliquando etiam Hebraicarum.* Hunc autem Franciscum Portum Cretensem, Theophili Porti Cretensis filium, quondam Ferrariæ, posteà Genevæ, linguæ Græcæ Professorem, anno Christi CIↃ IↃ LXXX. ita Græcè compellarat:

(a) *Epist.* 686.
(b) *Epist.* 455.
(c) *Meric. Casaubon. Piet. pag.* 72. *Vide Epistolam* 879.
(d) *Epist.* 17.
(e) *Epist.* 197.
(f) *Epist.* 74. 879.
(g) *Epist.* 908.
(h) *Epist.* 455. 879.
(i) *Epist.* 877. *ait annos natus* XXIII.

Φραγκίσκῳ τῷ Πόρτῳ, τῷ καὶ γένος Ἕλληνι, καὶ τῇ τῆς Ἑλληνικῆς παιδείας ἐμπειρίᾳ μακρῷ πάντας τοὺς καθ' αὐτὸν Ἕλληνας παραλλάξαντι, Ἰσαὰκ ὁ Κασαύβων.

Ἑλλάδα μὲν ποθέω, καὶ ἐμὸς πλόος οὗτος ἐπ' αὐτήν,
Τοῦ δὲ κυβερνήτου μ' ἀσπάνις ἶσχε πάρος.
Ἄττα γέρον, σὺ δὲ νῦν τόδε μοι κρήηνον ἐέλδωρ,
Νῆα μοι ἴθυνε αἶψα μάλ' εἰς ΛΙΜΕ΄ΝΑ.

Τῷ αὐτῷ.

Δεῦρ' ἴτε πάντες ὅσους σοφίης καλὸς ἵμερος εἷλε,
Δεῦρ' ἴτε πρὸς Πόρτον πρὸς σοφίας ΛΙΜΕ΄ΝΑ.

Εἶτ'

(*A*) *Elementa ac fontes.*] Magni enim interest, *inquit Cicero in Bruto cap.* 58. quos quisque audiat quotidie domi, quibuscum loquatur à puero, quemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquantur. Atque ita Læliam, Caii filiam, *inquit iterum*, patris elegantiâ tinctam vidimus.

(*B*) *Ei uni quantulumque in ipso esset eruditionis, debere.*] Ingratus sim erga Deum, nisi illi gratias agam, eo patre esse me natum, cujus vita speculum est probitatis & omnium virtutum. Illi ego debeo quicquid in literis didici. Sed tu, Vir optime & doctissime, si parentis mei vita tibi esset nota, negares profectò dignum me, qui tantæ prudentiæ & sapientiæ viri filius audiam. *Epist.* 908.

Εἴτ' ἂν καλὰ καλῶν συνιεῖν ποιήματ' Ὁμήρου
  Ἀμφότερ' · τῶδ' ἄλλων ὅσσοι ἀοιδοπόλοι.
Εἴτε λόγους ἐθέλοιτε μαθεῖν δεινούς τε καλούς τε
  Ῥητήρων τῆς ῥητορικῆς δεκάδος.
Εἴτε παλαιγενέων ὅσσοις ἐγράφησαν ἄεθλοι
  Ἀνδρῶν, καὶ πόλεων ἢ φθοραὶ ἢ κτίσιες.
Πέῤῥος πάντα μαθεῖν· καὶ Πέῤῥος πάντα διδάσκειν
  Χρηστὸς ἐὼν ἐθέλει, πάντροφος ὢν δύναται.

Respondit Portus hoc epigrammate :

Εἰς Ἰσαάκιον Κασαύβωνα, ὑπὲρ ἐπαινέσαντα Φραγκίσκον τὸν Πόῤῥον.

Καίκε τὸ βουλοίμην Ἰσάακ φίλε, καίκε τὸ κέρδος
  Ἦν ἂν τοῖς Μουσέων ἔργα μετερχομένοις·
Ὅρμον ἐμὶν γ' ἀνέμων σκέπεα ἴσχειν, ἐσθλὸν ὄνειαρ
  Εὐρυχανεῖ σοφίης πλαζομένοις πελάγει·
Ἀλλὰ σὺ Πηγασίδος κρήνης πλέος, εὔθεος ἤδη,
  Χειράδας ἐξαίρεις ἄντυγ' εἰ οὐρανίην·
Χαῖρ' οὖν ὅτι τόσον τοὺς μηδένα οἶδας ἀέξειν,
  Θελξινόοισι τεῶν, ἀγλαΐαις ἐπέων.

Quibus profectò & peritiæ & amoris speciminibus usque adeò sibi devinxerit Franciscum Portum, ut successorem suum in professione Græcarum literarum voluerit, quæ tamen provincia admodum adolescenti Isaaco Casaubono prope invito est demandata (a). (a) Epist. 77.
Suscepto itaque recens gravissimo planè muneri parem atque idoneum se ut ostenderet, statim in *Diogenem Laertium* de Vitis Philosophorum, utilissimè propter Græci sermonis præstantiam, & antiquissimorum temporum Historias, in vitis illorum sapientissimorum hominum jucundè relucescentes, primas curas, quas horis subcisivis, cum adhuc juvenis esset, (nam & *pueriles* (b) eas vocat) in graviora studia incumbens conscripserat, tamquam majoris operis ac plenioris, seu prope jam affecti Commentarii specimen edidit (c). Verùm uti dolendum, sic mirandum maximopere est, cùm tot annos supervixerit, eum Commentarium illum ad umbilicum perductum, atque ex sententia elaboratum, aut saltem prout jam affectum habebat, posteà numquam edidisse. Præcipuè verò cùm permiserit Henrico Stephano, tunc temporis jam socero, notas illas multò auctiores atque emendatiores recudere; imò ad Rittershusium scribat (d), *Se Scriptorem illum amare vel eo nomine, quia per eum aditus ei ad amicitiam doctorum virorum fuit.* Quo autem anno, quo loco, quâ formâ, apud quem Typographum primâ vice prodierint, frustra in accuratissimo Indiculo editionum Laërtianarum, Wetstenianæ præmisso, quum quæsivissem, nuper me docuit Placcius in Pseudonymis, anno 1708. recusis, id factum Moguntiæ 1583. in 8. pag. 368. *Has (e) cum Arnaldo patri offerret, & de suis inceptis ad rem literariam promovendam multa juvenili more narraret: respondit ille, Laudare se quidem propositum ejus,* καὶ τὴν πρὸς τὰ μαθήματα ὁρμήν· *cæterùm pluris se vel unicam observationem facturum ad Libros Sacros pertinentem, quàm illa omnia, quorum spem fecerat. Hæsit animo penitus infixa viri optimi vox illa, semperque ex illo tempore* τὰ θεῖα μελετᾶν *est conatus. Hæc ipsum narrantem sæpe audivi, & posteà in literis ipsius ad amicos reperi (f).* Unde posteà animum ad sacra magis applicuit, conscribens *Sacrarum Observationum libros* (g), quorum gustum præbent *Notæ* in Novi Testamenti partem priorem, etiamsi numero paucæ, valde tamen accuratæ & viris sanctissimis prorsus probatæ, quas etiam invito ei extorsit, uti videtur, Eustathius Vignon. Ita enim de iis (h): *De notis in Novum Fædus, multum te amo:* (illas enim eo inscio atque reluctante volebat recudere (i) *Raphelengius*) *tua enim diligentia molestissimum mihi scrupulum exemit. Ante multos annos invito & reluctanti,* θεὸς δ' ἐπιμάρτυρος ἔστω, *Typographus, qui Strabonem erat editurus, hanc opellam nobis extorsit. Quod si Deo ita fuerit visum, Observationes nostras in Libros Sacros aliquando sumus edituri.*

(b) Epist. 4.

(c) Præf. in Diogen. Laert.

(d) Epist. 499.

(e) Meric. Casaub. Piet. pag. 98.

(f) Vide Epistol. 465. & 950. nostr. edit.

(g) Epist. 433.

(h) Epist. 204.

(i) Epist. 218. Scaliger. Epist. 55.

Verùm proximo à suscepta professione anno studiis, ut puto, philosophicis (admodum enim delectabatur lectione Platonis, Aristotelis, eorumque optimorum Interpretum) nimium intentus ac irretitus, ne videretur humaniores literas negligere, anno CIϽ IϽ LXXXIV. sub nomine *Isaaci (A) Hortiboni* (nomen enim illud eo tempore amabat,

(A) *Isaaci Hortiboni.*] Hortiboni nomine continuo, uti ex Epistolis, quarum bina ad Josiam Mercerum possideo αὐτόγραφα, patet, utebatur noster Isaacus, eximius messor. In bono omnigenæ erudi-

bat, ut, quæ à primis vitæ annis ex Gallico idiomate gesserat, in Latinum transferret, & cum Latinarum literarum studiis ita transpositum commodissimè posset conjungere) Eustathio Vignon excudendam commisit *Theocriticarum Lectionum libellum*, Henrico Stephano, Typographo Genevensi, viro Græcis & Latinis literis eruditissimo, consecratum; id quod fortè ansam peperit tanto viro coram frequentius utendi, ejusque domum paulò familiarius deinceps frequentandi; qui congressus quotidiani posteà Casaubonum Stephano arctissimo affinitatis vinculo reddiderunt conjunctissimum. Multus inde atque turpis invidorum hominum, qui famæ Casauboniani nominis pessimè voluerunt, natus error & falsissima calumnia, quibus ex illa Dedicatione turpissimam fabulam contexere libuit, tamquam Typographeio Stephaniano emendandis Typothetarum erroribus præfuisset. Hanc ipsi calumniam ab Eudæmone Joanne exprobratam, postmodum à Joanne la Caille (*a*), qui tamen affinem Paulum, non Henricum vocat, propagatam ipse deluit Casaubonus in Apologia pro *Arnaldo Casaubono*, Exercitationi Baronianæ primæ inserta. Ipsas autem Animadversiones, seu potius Casaubonum hoc encomio prosequutus est summus Criticus, harumque litterarum vindex acerrimus, Petrus Scriverius, cùm albo calculo suo clarissimi Meursii Spicilegium Theocriti probaret:

(a) *Histoire de l'Imprimerie*, pag. 136. *B. G. Struvius*, *Introduct. ad Notitiam Rei Litterar. cap.* 5. §. 36. *Teisser. Nouvelles Addit. aux Eloges des Hommes sçavans*, pag. 420.

Hoc quippe ex SICULO *festivi vatis* AGELLO
Falce suâ pingues glomeravit ad horrea messes,
Eximius messor CASAUBONUS, *ille beatus,*
Et nimium felix, unus qui possidet omnes
Priscorum genios, quem nec sua GALLIA *tantùm,*
Verùm omnes celebri ellogio, versuque frequentant
Sub gemina Hesperia, quîs curæ est scandere montes
Aonios, frontemque sacris aspergier undis.

Quum itaque, contractâ jam arctiore amicitiâ cum Henrico Stephano, frequentius adiret sive Typographeion, sive domum Stephaneam, cùm litterarum, tum pietatis maximè gloriâ celebrem; (quis enim qui vel famâ dumtaxat inaudivit de celebribus eruditione Typographis, primisque veræ reformatæ Religionis testibus ac vindicibus, quorum vitas describit Theodorus Beza, ignorat *Robertum Stephanum*, Francisci I. Galliarum Regis, optimum integerrimumque Typographum anno CIↃ IↃ L. iniquissimis atque falsissimis criminationibus, ineptissimis absque ulla veritatis specie argutationibus insimulatum, ac si Lutetiâ Parisiorum fuisset pulsus atque indignè ejectus, quemadmodum in ejus vita olim apertè demonstravimus, Genevam lares, totamque familiam, exceptis quibusdam liberis, qui ad Pontificiam transierunt Religionem, transtulisse, ibidemque novum exstruxisse focum, quem *Henricus* filius, ejusque domus posteà diligenter foverunt) cùm igitur Stephaneam domum pietate claram frequentaret quotidie ac coleret, animum ad virginem honestissimam atque modestissimam, FLORENTIAM STEPHANAM, applicuit; illectus, credo, suadelâ omnium præclarissimarum virtutum, quæ quidem in lectissimæ virginis avitis iisque mitissimis moribus, singularis formæ dote; præsertim tamen in egregia indole, animi clementia, perspicaci prudentia, sincera probitate, omnibus fortunæ bonis anteponenda elucebant. Quapropter ad amicos scribens, non præposterè sibi agere videbatur præstantissima illa dilectissimæ atque suavissimæ conjugis dona tantoperè laudare (*b*), tum quòd sibi fortè persuaderet vivo socero se multum posse proficere in studiis, & Regum atque Principum, quos plurimos numerabat sui amantissimos, singularem sibi favorem posse conciliare; mortuo verò unà cum reliquis, qui ex ea familia superessent, ex parte hæredem futurum, non tam facultatum, quarum non nisi modica portio in ipsius potestate fuisse videtur, propter vitæ modum,

(b) *Vide Epist.* 850. 853. 1047.

eruditionis horto, cujus fructus per omnia secula nullo putredinis sensu perdurabunt. Nominis originem si quis velit ex proavorum vivendi ratione, tamquam colendis hortis fuerint assidui, petere, non minus illud obesse Casaubono putandum est, quàm quondam apud Romanos Hortensio, Fabio, Scipioni, vel qui casu aliquo in tenui conditione aliquid arripuere, quo se à paribus distinguerent; qui tamen principes istius familiæ, (*à quibus vera gloria radices agit atque* * *propagatur*) nobilissimos quandoque dedere nepotes. Neque hîc Cretensis ille audiendus est, qui, ut ex Merici Pietate constat, impudenti mendacio effinxit, „ *usque* „ *adeò puduisse Casaubonum ejus infortunii, ut in iis li-* „ *bris, quos recente etiam tum facti memoriâ sumsit,* „ *pro* CASAUBONO *se* HORTI-BONUM *ap-* „ *pellaret.* Nam sanè libri, quos pater emisit post „ avi mortem, *Casauboni* nomen præscriptum omnes „ habent; quum illi, quos junior edidit, *Horti-* „ *boni* nomine sint inscripti: ut si quid ex hac re „ concludendum esset, nihil aliud tamen effici po- „ tuisset, quàm etiam crevisse illi desiderium post „ sui parentis obitum, ut omnes eum scirent *Ar-* „ *naldi Casauboni* filium. „ *Mer. Piet. pag.* 79.

* *Cic. de Offic. II. c.* 12.

modum, qui non uni loco affixus, ipsum ferè continuò oberrare & per multas ambages sedem mutare jusserit, quàm quidem manu exaratorum codicum ac laborum antiquis utriusque linguæ Scriptoribus diligenter impensorum. Annum, atque diem ipse hisce indicat: *Anno Domini* CIↃ IↃ LXXXVI. *April. 28. die exeunte, stylo vetere, ego & Florentia Stephana, Henrici filia, matrimonio juncti sumus in Ecclesia Dei, Genevæ in templo D. Petri (a).* (a) Dict.

Rumor erat, fortè à Dionysio Godofredo, Juris Antecessore, familiari ejus profectus, hoc tempore eum præ manibus habere editionem binorum principum Satyricorum, Juvenalis nempe & Persii, quos ut pro virili maturaret, auctor ei erat Josias Mercerus, cui mox respondet (*b*). Id numquam habuisse in animo, licet diligenter satis & accuratè eos Auctores legisset, sed unicè urgere se Strabonem, quem tamen, ductus & captus amore ac studio linguarum Orientalium pro tempore sepofuerat. Quibus haud leviter, quamquam non satis ex voto, imbutus, redit ad Strabonem, varias ob causas ei semper maximis in deliciis habitum, quarum haud ultima erat, quòd elegantem illum & gravissimum Scriptorem apud omnes doctos, qui litteras amant, tot elogiis exornatum, & qui in cognitione Philologiæ proficere velit, maximè necessarium, videret usque adeò neglectum etiam ab omnibus ferè viris, qui in literarum studiis non parum erant eruditi, atque præstantis ingenii famam meruisse vulgò videbantur, qui illo tempore haud exiguo vivebant numero. Quanto autem Strabonem edendi flagrarit studio, Epistola, quam ad virum clarissimum, primæ admissionis amicum, Theodorum Canterum dedit, satis superque demonstrat: *Habeo*, inquit, (*c*) *& in Stephanum paratas Notas, quæ miserum illum Scriptorem ab infinitis mendis aliquando, si Deo visum fuerit, vindicabunt. Habeo in alios Scriptores Græcos, præsertim Tragicos, parata non pauca: sed ante omnia Strabonem edere gestio, in quo quid præstiterimus, doctorum hominum, ac tuum maximè, doctissime Cantere, esto judicium. Equidem hoc non dubitabo affirmare, ita eum hactenus esse lectum, ut à paucis videatur potuisse intelligi. Ita præstantissimus Scriptor jacuit hactenus mendis obsitus; quas miror nemini in tanta doctorum hominum, quos hæc ætas tulit, frequentia curæ fuisse eluere: &, tamen, nisi me decipit amor in illum meus, is est Scriptor Strabo, quem magni intererat Reipublicæ literarum legi quàm emendatissimum* (*A*). Sic ferè in Epistola, quâ Strabonem consecrat Jacobo Lectio, viro patricio & clarissimo, doctissimoque Jurisconsulto. Huic autem Geographo cùm diligenter admodum invigilaret, atque unicè ferè inhæreret, nomen hocce Auctore parere sibi studens, (dicit enim, *quæ hactenus in Laërtium & Theocritum à me profecta exierunt, ejusmodi sunt ut vix* (*d*) *agnoscam*) annitensque erudito orbi ostendere quid posset ab eo exspectari; quæ studia, quæ facultates in eo erant sitæ non exiguæ, uti ex Commentariis in Strabonis librum primum colligere est. Cùm, dico, ita sollicitè singula quæque sedulò executeret examine, ecce inopinus dilectissimi parentis, *Arnaldi Casauboni*, mortis, quæ ipsum pridie Kalend. Februar. anno CIↃ IↃ LXXXVI. è terris ac viventium numero eripuit, ei adfertur nuntius tristis, eoque sanè longè tristior graviorque, quòd lege naturæ, si Deus ipsi longiores dies voluisset prospicere, diutius inter vivos superesse potuisset, si quidem anni sexagesimi tertii metam attigerat, climactericum vel decretorium annum Medici vocant, quod fortè singulares motus in humano corpore efficiat, & multos præclaros viros hoc ipso anno fato concessisse constet; quamvis illud mortis discrimen nullo idoneo argumento ex vitæ humanæ periculo demonstrari queat, sed falsò & erroneè Ægyptiorum & Chaldæorum commentis adscribendum. Quo ita fuit Isaacus

Margin notes: (b) Epist. 1. (c) Epist. 4. (d) Epist. 4.

(*A*) *Strabo, quem magni interérat Reipublicæ literarum legi quàm emendatissimum.*] Mirari verò subit in tanto doctissimorum virorum numero, quos nostra hæc & parentum ætas tulit, quùm nullus jam relictus sit vetus Scriptor, quem non certatim emendare, illustrare, & interpretari, multi contenderint; vix tamen unum aut alterum adhùc extitisse, qui de Strabone nostro cogitarit. Atqui rei literariæ intererat, hunc potiùs Scriptorem legi quàm emendatissimum, quàm vel Apuleium, vel Martialem, vel Petronium, vel alium quempiam etiam meliorem his Scriptorem: neque hoc dico quòd doctorum virorum, qui in illis Scriptoribus laborarunt, consilium reprehendam: hoc tantùm volo, rem videri indignam, nondum fuisse repertum aliquem, qui ex tam excellentis operis emendatione laudem sibi & nomen parere studuerit. Non enim dici hoc potest, ita fuisse ab Interpretibus hoc negotium confectum, ut docti abstinere ab eo posteà debuerint. Imò ita infeliciter & negligenter in hoc opere versati sunt Interpretes, ut nondum constituerim, fueritne illis honestius, negotium non suscipere, quàm susceptum ita negligenter exequi. Nos verò, quùm jam ab illo tempore, quo vix ex ephebis excesseramus, Strabonem unicè amare & admirari, partim sponte nostrâ, partim optimi parentis hortatu cœpissemus, nihil magis in votis unquam habuimus, quàm ut susceptam hanc provinciam ab aliquo docto viro audiremus. *Epistol. Dedicat. ad vir. clariss. Jac. Lectium, pag. 4. & 5. edit. nostræ.*

Isaacus noster perturbatus & afflictus, ut non potuerit sese continere quin gravissimum dolorem, haud exiguam moram, seu potius studiorum mutationem inferentem, publicè hisce verbis testaretur: *Habent etiam difficultatis non parum, quæ de meridiano ei planitiei latere dixit,* (Strabo) *quæ omnia iis relinquo excutienda, quibus plus est ad hanc rem otii. Mihi nec vacat, nec lubet, hoc præsertim tempore, quo allatus mihi tristissimus de obitu, hei mihi! optimi, optimèque de me meriti parentis mei nuntius, ita me perculit affecitque, ut prorsus ab istis mansuetioribus Musis abhorrens animus meus, alias literas requirat, in quibus acquiescat, ac tanti vulneris medicinam reperiat. Quæ profectò non aliæ sunt, quàm eæ, in quibus annos fermè triginta idem ille μακαρίτης pater meus se non sine fructu (Deo gloria sit & laus) exercuit; quasque voluit ille semper suis liberis versari ante oculos (a).*

Hisce laboribus, quibus & alios adjunxerat haud minus graves, (*Philosophicis* enim & *Jurisprudentiæ* (*b*) studiis, ratus sine iis studia literaria non posse probè absolvi, aut ullo modo excellere, à longo tempore, sub viro clarissimo, Julio Pacio, Jurisconsulto & Philosopho (*c*) egregio, per tres annos (*d*) plurimum impenderat operæ) fractus, ita graviter decubuit, ut non modò viri docti, sed etiam amici omnes de ejus immaturo abitu non temerè fuerint solliciti; quin imò ipse eò mortalitatis ita admonitus, ut ab eo tempore, quasi studiis literariis renuntians, sacra in posterum tractare proposuerit (*e*), quod etiam, quantum siverint tempora difficillima & res domesticæ, intermisit nunquam. Verùm quò magis mente perciperet reconditos Sacrarum Literarum thesauros, & ad abscondita illarum penetralia accederet, diligentem operam impendit studio Rabbinico, usus Præceptore doctissimo, Petro Cevallerio Genevensi (*f*), in cujus morte quantam jacturam fecerint sua studia, ipse plenius exposuisset, nisi animus memoriam tristissimi casus refugisset.

Restitutus sanitati, absolutoque Commentario Straboniano, mox rogatu, fortè soceri Henrici Stephani, Eustathiique Vignon, colligit *Animadversiones in Dionysium Halicarnassensem*, quem tamen ad amussim, quod quidem gravissimus ille Auctor exigebat, recensere non potuit: quandoquidem eo tempore præ manibus habebat *Polyænum* Macedonem *de Stratagematibus*, Scriptorem antiquum, eruditione & acuto ingenio clarum; quem Vossius de Histor. Græcis, II. 14. elegantem & argutum vocat, apud Imperat. Antoninum & Verum Oratorem ac Causarum Patronum, in eum usque diem Græcè non excusum, quemque in privatos usus magno ære sibi comparatum, in lucem exire æquo animo est passus, ut de Republica literaria bene merendi arriperet occasionem. Quæ summâ laude dignissima virtus atque facilitas si omnes exornaret nostri temporis eruditos viros, aliosque manu exaratorum codicum possessores invidos, haberet sine controversia Respublica literaria, quibus gloriari posset atque superbire.

Annum agens trigesimum primum, *Aristoteli*, Philosophorum Principi, expoliendo perdiligentem impendit operam, licet nomen fronti non præfixerit. Docet hoc satis superque eruditissima ad candidum & antiquæ Philosophiæ studiosum Lectorem prolixior Epistola; & quæ ad Vir. clariss. *Theodorum Canterum* exstat ordine quinta; quæ una tradit ipsum absoluto atque edito Philosopho Francofurtenses Nundinas adiisse, cupidum isthìc videndi Philippum Canajum à Fraxinis, & Jacobum Lectium, viros singulari amicitiâ, familiaritate etiam jucundissimâ & summâ sibi junctos; in primis verò conveniendi virum clarissimum, Justum Lipsium, qui & ipse Cujacium & Scaligerum conjunctim salutare pluris æstimabat, quàm Romanum Consulem videre triumphantem (*g*). Verùm hæc spes omnis fuit inanis atque irrita. Nihil tamen vehementius ipsum afflixit ac depressit quàm quòd pro summo suo amico, nobili quodam Anglo, Henrico Wottono, non suâ, uti saltem videtur, culpâ; sed mercatorum perfidiâ (*h*) in maximas molestias conjecto, vas sponsorque factus, cùm ipse fortunæ bonis non multum abundaret, haud exiguam coactus fuit persolvere nummorum summam, quæ ad ducentos & triginta aureos & amplius excrevit, cùm præter hæc deberet illi aureos tres & triginta; quò ita res ejus affligebatur (*i*), ut de tristissimo illo casu per bene longum tempus non solùm gravissimè apud familiarissimos amicos (*k*) suos sit conquestus, verùm opem, operam, & consilium implorarit. Quapropter obnixè inter eos rogatus, maximè Scaliger (*l*) amicè hortatur eruditissimum juvenem, Richardum Thomsonem, Casauboni studiosissimum, moneat identidem acrius Wottonum, ut hac sollicitudine, onere atque calamitate quàm citissimè liberet Casaubonum, qui hoc in negotio plurium, (qui ipsum ex hoc casu, *nullâ suâ incommoditate, nedum jacturâ aut dispendio* liberare potuissent) expertus est amicorum perfidiam (*m*). Nulli tamen fideliores in hoc negotio

(a) *Ad Strabon. lib.* v. *pag.* 211. *edit. Paris.*
(b) *Epist.* 98. 689.
(c) *Joan. Prideaux, Castigat. pag.* 230.
(d) *Epist.* 879.
(e) *Ibid.*
(f) *Epist.* 12. & 389.
(g) *Lips. Quæst. Epistolic. lib.* III. *Epist.* 15.
(h) *Epist.* 17.
(i) *Epist.* 18.
(k) *Epist.* 24.
(l) *Scaliger. Epist.* 39.
(m) *Epist.* 18.

negotio se præstiterunt Buzenvallio, (*a*) Bullonio, & Thomsone (*b*); ante omnes Josepho Scaligero, quo annitente (*c*) post annum expensos nummos recepit (*d*).

Curis autem ac molestiis illis solutus, huc usque indicatis Scriptoribus accuratam operam navasse, non sufficere ratus, animum ad altissima ac maxima quæque summâ ope nitentem, ad alios Auctores, Græcos verò ante omnes, omni diligentiâ ac vigore applicuit, ut ea præcipuè studia, quæ tunc videbantur ferè in æternis tenebris sepulta, atque perpetuæ oblivioni tradita (in proverbium enim abierat regula Bartolica, *Græcum est, non legitur*) ex altioribus ruderetis effoderet, atque eruta in lucem protraheret. Itaque *Athenæum* πολυμαθέστατον, quem Eustathius ad Iliad. ψ vocat (quoniam quæ ad Physicam pertinent, Grammaticè ferè quos tractat) Κανονίζω, veterum Poëtarum, Historicorum, Philosophorum, Medicorum, quos nobis temporum injuria invidit, seu potius, eripuit; quasi compendiosam, sed instructissimam tamen omnis generis eruditionis Bibliothecam, sedulò arreptam ita evolvere ac restituere allaboravit, ut nihil supra, testibus vel ipsius Ephemeridibus, quæ quid singulis ferè in eo Scriptore præstiterit diebus, accuratè referunt. Sed & qualem fructum hujus laboris ceperit eruditus (*A*) orbis, evincunt clarissimi Lipsii, in Epistola (*e*) ad Isaacum Casaubonum, verba: *Animadversiones in Athenæum tuas nuper vidi, nunc legi. Quid sentio? tuas esse, & vel ad invidiam laboriosas & eruditas.* Sic ipse Athenæus ad Lipsium missus (*f*) vocatur *gratum donum*, & *Animadversiones ipso Casaubono dignæ; quale nec aliquis conetur, nisi interiore quâdam & variâ doctrinâ.* Verùm licet in hoc amœnissimo Auctore per longum tempus fuerit penè totus, tamen ex voto expolire atque illustrare nullus potuit. Hinc (quia animus in una eademque re non semper esse potest fixus ac continuus) quasi animum subinde laxaturus, ut per omnes Philosophiæ partes eundo, & Auctores cujusque doctrinæ tractando sua tempora distingueret, alio prorsus studiorum genere, suscipit *Theophrasti Caracteres ethicos*, sive notationes morum ad Polycletem, (quos primus è MSS. codicibus restituerat Henricus Stephanus, & de quibus ipse Casaubonus ad Janum Rutgersium a. d. 3. Non. Januar. 1610. ita scribit (*g*): *Characteres Lugduni, brevi, ut spero, edentur, non negligenter recogniti. Nam Furlanus, homo Græcus, atque is doctissimus, qui in eandem arenam post nos descendit, stomachum mihi movit, qui mihi fermè persuasit, etiam Græcos homines in sua lingua posse aliquid à nobis discere,* φθόνος δ' ἀπέστω τοῦ λόγου καὶ νέμεσις. *sed ejus versionem & notas si vidisti & expendisti aliquando, non aliud, nisi fallor, senties*) libro commentario interpretandos, quod adeò feliciter ei successit, ut egregiis illis animadversionibus haud exiguum famæ suæ attulerit honoris cumulum. Quin imò eorum dedicationibus seu consecrationibus sibi primorum quæsierit acquisiveritque, uti interiorem, sic sinceriorem amicitiam atque amorem, teste viro summo, Josepho Scaligero (*h*); uti enim studiorum primitias patri, *Arnaldo Casaubono*, ac, liceat mihi ita loqui, secundarias socero, Henrico Stephano; sic proximas, Strabonem scilicet, Jacobo Lectio, viro patricio, Jurisconsulto doctissimo, posteà Senatori Genevensi sapientissimo; Polyænum Philippo Mornaio, Plessiaci Domino; Theophrasti Characteres, viro præstantissimo, Nicolao Brulardo à Sileri, Henrici IV. Franc. Reg. apud Helvetios Rhætosque Legato dignissimo consecravit, etiamsi non ignoraret eum totum ac intimum fuisse semper Pontificium (*i*), & anno CIↃ IↃ LXXXV. in patris sui Petri Brulartii, summæ integritatis viri locum, Inquisitoriarum Classium Præsidem creatum (*k*).

Hoc tempore literarum summo honore jam apud suos non tantùm, sed & exteros florens, quo se insinuaret in amicitiam aliorum eruditione ac literis præstantium virorum, omni modo mereri atque captare studet favorem tunc temporis eruditorum facilè principis Josephi Scaligeri, uti & Jacobi Augusti Thuani, proxeneta viro omnibus virtutibus ornato,

(a) *Epist.* 14.
(b) *Epist.* 18. 29.
(c) *Scaliger. Epist.* 35.
(d) *Epist.* 42.
(e) *Epist.* 74. *ad Germanos & Gallos.*
(f) *Epist.* 69. *ad Germanos & Gallos.*
(g) *Epist.* 654.
(h) *Epist.* 35.
(i) *Bongars. & Lingelsheim. Epist. pag.* 86.
(k) *Thuan. lib.* 81. *Histor.*

(*A*) *Eruditus orbis, &c.*] Scaliger Epist. 58. *Tuæ divinæ in Athenæum Castigationes adeò me rapiunt, ut cùm in illas incidi, ægrè me ab illis revocari patiar. Quis illam provinciam tam dignè administrare, præter te, potuisset? Deum immortalem, quantum bonarum rerum nos doces! Ego non erubesco tibi μαθητεύειν· nunquam sine fructu oculos in illud præstantissimum opus tuum conjicio.* Nam satis me anxium res tuæ habuerunt; quarum statui cur consultum velim, primum amor in te meus; deinde publica utilitas facit; quæ non nisi rebus tuis salvis constare potest; quum à te nihil prodierit, quod non eximium, præstantissimum, & Reipublicæ literariæ fructuosissimum sit. Multos habes discipulos, id est, totidem lectores operum tuorum, in quibus eorum, qui multum te magistro se profecisse dicant, ego aut non deterrimus, aut rectè inter præcipuos sum. Hanc confessionem, hoc testimonium à me exprimit tuus Athenæus, à cujus lectione longè doctior & melior prodii. Sed hæc privatim. Et alia longè luculentiora de te judicia mea vel iste nobilissimus vir, vel alii amici nostri, tibi referent. *Idem Epist.* 61.

ornato, & de studiis ejus optimè merito, Philippo Canajo à Fraxinis: quod quantâ prudentiâ, quantâ modestiâ, quæ virtutes in eo excellebant, quàm diuturnâ deliberatione, quàm pudendo fecerit timore, vel ipsæ indicant Epistolæ VIII. IX. XI.

A principibus hisce viris, plurimos enim alios silentio ex industriâ prætereo, adeò benignè ac humaniter in amicitiam admissus, atque ambabus ulnis in gremium receptus, nihil prorsus prætermisit, quo literato orbi probaret, se tantorum Heroum premere, quamvis passibus iniquis, vestigia, ac inprimis dignissimum, qui postquam sibi tot viros, officiorum multitudine devinxisset, vicissim quoque eorum gratiam mereri. Itaque præter Athenæum, ab aliquot annis intra manus hærentem, ac cum pluribus manuscriptis Codicibus quotidie non sine felici successu comparantem, præter Diatribas *de Venatione Amphitheatrali* (*a*), (qua de Commentarios scribere Lipsius exorsus, cùm ad librum secundum pervenisset, abjecit (*b*); licet tamen posteà perfecisse agnoscat (*c*) *de Circensibus* (*d*), *Lectis* (*e*), *Stragulis* (*f*), ut & *de Vestitu* (*g*); etiam alias habebat quasdam penè confectas, quasdam absolutas, ut *Apulei Medaurensis Apologiam*, quam Theodori Canteri filiorum, juvenum eruditissimorum, suasu (*h*) Commentariis illustrare est aggressus, & Josepho Scaligero dedicare ausus (*i*), quo facto ita arctè putem sibi devinxisse Scaligerum, ut is Illustrissimis Ordinibus Hollandiæ fuerit auctor de Casaubono Lugdunum vocando, uti apertè colligere est ex hisce Pithœi Epistolis ad Scaligerum mense Octobri CIↃ IↃ XCIV. datis (*k*): *On nous a dit icy que vous moyennez de faire appeller Monsieur* CASAUBON *où vous estes, ce qui nous fait esperer qu'avec plus grande commodité il fera encor d'avantage, & que le public vous en ferà aussi redevable* (*l*). Et aliâ Epistolâ: *Je vous ay ci-devant escrit de* CASAUBON: *vous y devez penser. Je ne vois personne que vous puissiez succenturier dignement que celui-là. Vous le jugez aussi.* Apertissimè verò hàc (*m*): *Monsieur, je desire sçavoir de vous, si Messieurs les Etats ont point donné ordre pour faire venir le Seigneur* CASAUBON; *il est digne d'eux, & eux seuls dignes de l'avoir.* Quod si voluissent fata, qualis non fuisset cùm ipsi Casaubono, tum Reipublicæ literariæ, tum Ecclesiæ Reformatæ felicitas? Præter Athenæum, longiora tempora exigentem, etiam avidè arripit C. Suetonium Tranquillum, Scriptorem magnum, & ut alio loco loquitur, *bone Deus! doctum & accuratum* (*n*); Auctorem juxta Vopisci sententiam *emendatissimum, & cui familiare sit, amare brevitatem; quem molli nimis brachio videntur tractasse, quicumque ejus emendationem atque interpretationem sunt professi* (*o*). In eum breves notas scribere cùm decrevisset, præter opinionem in magnam molem Commentarius ille excrevit. Nec mirum. Cùm enim eo in libro videret omnem suam existimationem periclitari in eo studiorum genere, sedulitate haud exiguâ congessit illa omnia, quæ vel ad parandam, vel tuendam partam famam putabat pertinere; unde gloriabatur audacter, si Deus dedisset absolvere, *nihil ad sua, quæ edidissent priores Interpretes;* quod & eventus comprobavit. Tanto enim cum applausu doctorum, Galliæ præsertim, fuit excepta illa prior editio, ut anno insequenti CIↃ IↃ XCVI. propè editio secunda in manibus Typographo esset (*p*).

Græcis verò (quod literarum genus maximè sequebatur atque excolebat, unde in varios Auctores Græcos, ut pote *Synesium*, quem plus suis oculis amabat (*q*); *Stephanum* de Urbibus, *Hesychium*, imò plerosque *Tragicos* (*r*) conscripserat Animadversiones,) plurimum operæ videtur impendisse, non captus, sed quasi raptus summi Philosophi aureo libello (*s*), *Arriani* scilicet *in Epictetum* Dissertationibus, quas Genevæ publicè quàm diligentissimis interpretationibus exposuit, quo quantum βάθος esset in illius Philosophia didicit (*t*), quòd observaret, neque Jacobum Schegkium, neque Hieronymum Wolfium (*v*) in hoc ingenio excellenti digno campo se probè exercuisse. Quare in partes vocat eruditissimum juvenem, Richardum Thomsonem, seu potius ei hanc exornandam demandat provinciam, omnia, quæ ad illustrandum principem illum Philosophum congesserat, lubentissimè se collaturum. Promittens (*w*) quòd desperaret rebus suis, quà publicis, quà privatis (non enim ei cum socero, Henrico Stephano, morosioris ingenii homine, ac continuò ferè domo aberrante, magna familiaritas, aut cum aliis multus usus, aut ullum ferè otium fuit) Genevæ minus commodè fluentibus, quapropter totiens summo suspirio exoptabat in Germaniam vel aliorsum vocari, se cum auctorem ex voto atque meritis posse condignè illustrare.

Circa hoc tempus Monspelienses, qui & anno superiore id jam modò tentaverant (*x*), Casaubonum ad linguarum & humaniorum litterarum professionem (*y*) in ipsorum urbe obeundam omni modo ad se pertrahere sunt conati conditionibus haud ita luculentis (*z*), circa quas animo hærebat, & non ita facilis eas accipiendi tamen in illa mentis dubitatione

- (a) *Ad Sueton. Jul. Cæs. cap.* 39. *Epist.* 9. 40. *Hunc Commentarium habebat confectum & profligatum.* Epist. 1011.
- (b) *Miscel. Cent. I. Epist.* 20.
- (c) *Ibid. Epist.* 28.
- (d) *Ad Sueton. Jul. Cæs. cap.* 39. *Epist.* 9. 40.
- (e) *Ad Suet. Aug. cap.* 73.
- (f) *Epist.* 311.
- (g) *Ad Suet. Aug. cap.* 64. *Epist.* 40.
- (h) *Ac precibus victus paucis horis diebus canicularibus scriptis.* Epist. 979.
- (i) *Epist.* 16. & 19.
- (k) *Epitr. François. à Monsr. de la Scala, pag.* 150.
- (l) *Ibid. pag.* 184.
- (m) *Ibid. pag.* 328.
- (n) *Epist.* 20.
- (o) *Epist.* 11.
- (p) *Epist.* 91.
- (q) *Epist.* 9.
- (r) *Epist.* 5.
- (s) *Epist.* 9.
- (t) *Epist.* 25.
- (v) *Epist.* 12.
- (w) *Ibid.* 12.
- (x) *Epist.* 14.
- (y) *Epist.* 117. b. *Meric. Casaubon. Piet. pag.* 72. 75.
- (z) *Epist.* 45. & 54.

tione

tione conſuluit, præ reliquis primæ admiſſionis amicis, quorum conſiliis familiariſſimè uti ſolebat, Saracenum (*a*) & Jacobum Bongarſium (*b*) qui auctores ipſi fuiſſe videntur diſſuaſione abitus, ne oblatas conditiones acciperet. Contrà tamen Philippus Canajus à Fraxinis, à cujus mente & conſiliis totus pendebat, uſque adeò ſuaſit, ut qui renitentem animum ei probaret noſter Caſaubonus valde fuerit ſollicitus (*c*). Nam is, quoniam ſummus atque intimus eſſet Caſauboni amicus, non deſiſtebat eam conditionem pluribus rationibus extollere, (*d*) ac Caſaubonum etiam atque etiam amicè ac vehementer hortari, imò urgere acciperet eam, ac relictâ Genevâ, ubi ob cognitam unicuique, non *paupertatem*, ſed *egeſtatem* rerum lætiorum, omnis ſpes erat præciſa, veniret ad ſe, id eſt, Montempeſſulanum, brevi copiâ amicorum, qui ejus ſtudiis favebant, ipſumque amabant ad altiora tranſiturus (*e*). Intereà dubius adhuc & animi planè ſuſpenſus ſuſcipit iter non modò ad conficienda negotia domeſtica, ſed optimam quoque viſendam matrem, quam à ſeptem annis non viderat (*f*), in Delphinatu non procul à Valentia degentem (*g*), animo uſque in intimam Occitaniam ad ampliſſimum virum Canajum à Fraxinis, Fraxineti & Monticuli Dominum, ſanctioris Conſiſtorii Regii Conſiliarium, Germaniæ Exlegatum, & in ſupremo Occitaniæ Senatu Præſidem, Caſſerone (*h*) habitantem, quò juſſu Regis, Præſidis munere functurus anno 1594. conceſſerat (*i*), amicum familiariſſimum proficiſcendi, quò commodius ac prolixius cum eo ageret, atque amplius deliberaret de conditionibus Montiſpeſſulanis. Verùm propoſitum non perfecit (*k*), quod vehementer dolebat, iter, intra menſem cum præſentiſſimis vitæ periculis, bruma namque erat, Deo propitio ad ſuos reverſus (*l*).

Reducem, varias adhuc ob cauſas graviſſimas (quas inter ab eo enumerantur cùm uxoris (*m*), tum ſuus morbus (*n*), ineffabilis perpetuus ex dilectiſſimæ filiæ *Abigail* morte mœror (*o*); præcipuè verò, amicorum haud poſtremorum vaticinia, indicantia, Monſpelienſium impetum fore ὀλιγοχρόνιον, (*p*) minus lautæ conditiones, muneris difficultas, & ante omnes alias Religionis diverſitas) renuentem atque hæſitantem continuis precibus, imò exhortationibus, ne dicam convitiis expugnare ſunt annisi amici plurimi, præcipuè verò Guilielmus Ranchinus, (*q*) Montiſpelii Profeſſor Juris celeberrimus, & hujuſce conſilii inceptique primus ſuaſor atque auctor Philippus Canajus à Fraxinis (*r*), qui vel ejus gratiâ volebat Montempeſſulum excurrere (*ſ*). Nec deſtiterunt ipſe Senatus, Populuſque Montiſpeſſulanus, qui iterato (*t*) ad ipſum ſcripſerant, Legatos (*v*) ſuos partim ad ipſum privatum, partim ad Senatum Genevenſem & Miniſtros Eccleſiæ mittebant, qui ipſum reluctantem omnibus modis perducerent ad accipiendam honeſtam illam oblatam conditionem. Quum itaque continuò undique impelleretur fortiter, neque Genevenſes, quibus jam ſatis temporis conceſſerat deliberandi, ipſique, quod unicè ſperabat optabatque (*w*), lautius ac honeſtius ſtipendium, quo ad tuendam rem familiarem indigebat, offerendi, ejus ullam haberent rationem, ſatiſque diu, uti putabat, negotium hoc traxiſſet, (ultra biennium enim longè (*x*) protraxit) tandem, ut ut amore patriæ civitatis Genevæ, (in qua unicè ſperarat (*y*) ἐγγηράσκειν ϗ ἐναποθνήσκειν,) ait familiares ſuos nôſſe, & apud Deum conſcientiam (*z*) ſuam teſtem eſſe, licet, ne chariſſimæ & longè ſuaviſſimæ patriæ videretur ſuccenſere, nollet dicere quàm tenuiter ac jejunè ſtudia ſua foverit Senatus, (quatuordecim enim annos ſteriles illic coluit Camœnas) (*aa*) cùm, dico, fruſtra diu eſſet reluctatus, paſſus fuit ſuam conſtantiam atque conſilium, amicorum precibus, Monſpelienſium magnâ benevolentiâ, quam erga ipſum duabus legationibus oſtenderunt, frangi. Ne autem hoc properè aut temerè, aut inconſultò (*bb*) feciſſe diceretur, poſt longam moleſtamque aliquot annorum deliberationem (*cc*) denuò, priuſquam inciperet, invocato ſubmiſſis ſuſpiriis divino Numine cum jucundiſſima conjugii ſocia ex inſtituto rurſus de ipſa re deliberat, (*dd*) &, quam anteà dubiâ reſponſione dederat, ſine ambagibus implet Monſpelienſium ſpem, iiſque circa Octobrem menſem apertè ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ (*ee*) addicit operam, quamvis jam antè Senatori Jacobo Lectio promiſerat (*ff*) ſe, ſi conditionem accepiſſet, Genevæ permanſurum uſque dum promiſſam (*gg*) atque ſuſceptam (*hh*) modò abſolveret Athenæi editionem, quem difficilem (*ii*) ac depravatiſſimum in multis locis Auctorem à longo tempore reſtituere erat aggreſſus. Verùm lento adeò gradu illa procedebat editio (*kk*), ut quæ diu cum retinuerat, (*ll*) eam imperfectam relinquere fuerit coactus (*mm*). Ardentiſſimo namque Monſpelienſium reſiſtere non valens deſiderio, aſt magno Scholæ Genevenſis detrimento (*nn*), eoque majore quòd ſenio confectus præſtantiſſimus Beza neque legere amplius poſſet, neque apud concionem verba facere, mediâ hyeme Genevâ abit, ſummo Athenæi damno; ita enim Simon Goulartius: *Nôtre Eſcole eſt maigre, ſur tout*

(a) *Epiſt.* 22.
(b) *Epiſt.* 34. & 45.
(c) *Epiſt.* 34.
(d) *Epiſt.* 1.
(e) *Epiſt.* 45.
(f) *Epiſt.* 31.
(g) *Epiſt.* 43. 54.
(h) *Epiſt.* 117.
(i) *Epiſt.* 989.
(k) *Epiſt.* 54.
(l) *Epiſt.* 51.
(m) *Epiſt.* 50.
(n) *Epiſt.* 64. 65.
(o) *Epiſt.* 67. 70. 85.
(p) *Epiſt.* 149.
(q) *Epiſt.* 98. 99.
(r) *Epiſt.* 99.
(ſ) *Epiſt.* 60.
(t) *Epiſt.* 111.
(v) *Stephan. Tremuleus Epiſt.* 8., *ad Iſaac. Caſaubon.*
(w) *Epiſt.* 115.
(x) *Epiſt.* 111. & 115.
(y) *Epiſt.* 46.
(z) *Epiſt.* 111.
(aa) *Epiſt.* 117. 169.
(bb) *Epiſt.* 115. 117.
(cc) *Epiſt.* 99.
(dd) *Epiſt.* 111.
(ee) *Epiſt.* 50.
(ff) *Epiſt.* 60. 61.
(gg) *Epiſt.* 65. 66.
(hh) *Epiſt.* 154.
(ii) *Epiſt.* 80.
(kk) *Epiſt.* 84.
(ll) *Epiſt.* 91.
(mm) *Ep.* 98. 106. 124.
(nn) *Epitr. Franç. à Mr. de la Scala, pag.* 265.

depuis

depuis le depart de Monsieur Casaubon fort respecté en Languedocq (*a*). Mompelium appulsus, prorsus præter spem atque opinionem suam, quam Senatus Populusque longè superarunt (*b*), tanto amicorum applausu, tantâ gratulatione, tamque mirificâ & singulari publicæ lætitiæ significatione excipitur, ut non modò amici virique docti, id est, Academiæ Professores, quos inter primus Guilielmus Ranchinus (*c*); verùm ipsi Consules ad miliare ferè integrum ei processerint obviam (*d*).

Sub idem tempus Nemausensis quoque civitas Isaaci Casauboni operam in instauranda sua Academia honestis conditionibus per literas implorarat, quibus pro oblato munere quàm humanissimas egit gratias (*e*). Videntur & eodem tempore Franequerani ejus rationem habuisse, quamquam id non ita apertè constet (*f*).

Monspelii vixdum sedens, primo quoque tempore, mediâ anni hyeme, id est, mense Januario per obscœnissimas tempestates semi-æger iter ingreditur Caseronem, urbem Galliæ Narbonensis ad fluvium Atacem, ad amplissimum Præsidem Canajum à Fraxinis (*g*) non solùm gratum testaturus pro collatis beneficiis animum, verùm etiam (quod non temerè licet conjicere) quâ ratione in hoc munere recens suscepto, bono publico rem sapienter atque auspicato esset gesturus. Nam præter Professionem, ejus curæ atque fidei commissa fuit illius urbis studiosa juventus; ejusque humeris impositum molestissimum Rectoris munus, quo ut probè fungeretur, statim de fidelissimis vocandis cogitavit Præceptoribus (*h*), quos inter locum addicebat Leoni ab Airsema, viro meliore fortunâ longè dignissimo.

Insequenti proximè mense Februario Professionem auspicatur, non infelicibus sanè avibus, vel ipsomet in Epistola ad venerandum senem Theodorum Bezam teste (*i*): *Nos*, ait, *hic professionem nostram hac ipsâ hebdomade auspicati sumus. Si cætera respondeant, est cur speremus non fore in his locis inutilem operam nostram. Suscepimus tractandum Antiquitatis Romanæ locum, de Magistratibus ejus Reipublicæ; opus profectò arduum, & virium prorsus non istarum.* Et quidem maximè leges, quas Cicero lib. III. de Legibus conscripsit (*k*). Quibus descriptio continetur omnium Populi Romani Magistratuum. Quod argumentum tantâ pertractabat curâ ac diligentiâ, ut, si Deus sivisset ipsum totum id argumentum persequi, speraret suas ἀκροάσεις bono publico lucem posse videre. Nam quì eum locum perpolierit, vel exstitit adhuc nemo, vel mihi, ait (*l*), certè visus non est. Quicquid sit, saltem illis principibus in Academia Monspeliensi viris Philologiam suam probasse ingenuè confitetur Canaio à Fraxinis (*m*). Veruntamen, uti nec ipse Jupiter, sive pluat, sive serenet, omnibus potest placere, atque invidia comitetur virtutem, statim sensit sibi adversantem quendam Zoïlum Philippum, terræ filium, Philosophi nomen ementientem, cujus inhumani & peregrini hominis lites, apud Monspelienses cives, tunc temporis divulgatæ, fidem fecerunt; malevolum fuisse Casauboniarum virtutum διώκτην, quem nec ipse Casaubonus, quamvis lacerationes istius satis virulentæ fuere, quas tamen infra ejus iram putabat, latius describere dignabatur. Cæterùm omnia ei isthìc fuere læta & prospera (*n*), quoniam hominum suorum animos mansuetiorum Musarum desiderio ac studio inflammarat, quo studia ei indies ita dulcia & jucunda evadebant, (*o*) ut istâ sede prorsus se contentum hisce scribat Joanni Pinaldo (*p*): *Verbo tantùm dicam. Postquam Genevâ discedere Deus me voluit, non videri posse fieri, ut magis ex animi sententia usquam collocarer. Floret hic, si usquam in Galliis, Ecclesia Dei; zelus & pietas, etsi longè infra præscriptum* ὅρον, *sic tamen vigent, ut nondum planè conclamatam esse religionem, vel unius Ecclesiæ argumento queat intelligi. Jam erga nos tanta comitas, humanitas & benevolentia, quantum ne speraveramus quidem.* Et Epistolâ (*q*) ad Dionysium Gothofredum: *Habeo quod gaudeam in eam venisse me urbem, ubi & pietas viget, si usquam in Galliis, & ubi, quantum humanis rationibus provideri potest, habitatio securissima; ubi denique honestissimorum, & literarum amantissimorum virorum magna copia est.* Verùm, uti dixi, breve admodum fuit hoc gaudium, & ostentata effusè lætitia exiguò pòst exstincta & planè in odium ac invidiam quasi conversa est, contra quam catastrophen se Stoicum fore ait. Nam (præterquàm quod literas, quibus Jure Civitatis Gallicæ donaretur (*r*), & operibus suis edendis Codicillos à Rege, ac privilegium regium Parisiis frustra (*s*) peteret) Consules Monspelienses, ærarii publici hirudines, conditionibus non steterunt. Quum enim, absente Guilielmo Ranchino, qui vel ipso fatente (*t*), admodum familiariter usus est Casaubono, *cum* Consulibus ageret *de stipendio bimestri, omnes mutire, hærere, verba* denique *dare, & nihil aliud* cœperunt (*v*). Unde vehementer Ranchinum, Parisiis degentem isto tempore, velit reditum *accelerare, ne, si diutius absit, aliquid planè contra animi ejus sententiam accidat.* Malè enim

(a) *Epistr. Franç. à Mr. de la Scala*, *pag.* 265.
(b) *Epist.* 113.
(c) *Epist.* 124.
(d) *Epist.* 112. *Meric. Casaub. Piet. pag.* 72. 73.
(e) *Epist.* 74.
(f) *Epist.* 75.
(g) *Epist.* 117.
(h) *Epist.* 113. b
(i) *Epist.* 115. b. 116. b
(k) *Epist.* 117. b 119.
(l) *Epist.* 124.
(m) *Epist.* 117. b
(n) *Epist.* 121.
(o) *Epist.* 130.
(p) *Epist.* 134.
(q) *Num.* 142.
(r) *Epist.* 149.
(s) *Epist.* 132. 137.
(t) *Variar. Lect. lib.* 1. *cap.* 9.
(v) *Epist.* 145.

enim dudum noster Casaubonus ex atra imminente nocte (*a*); maximè verò ex istis principiis non vanè quid ominabatur. Verùm satius erit ipsius querelam vi doloris expressam, in Præsidis Canaii à Fraxinis sinu depositam audire (*b*): *Scito igitur, Consules de novis ita malè meritos, ut certum consilium sit nisi tu impedias, in veterem patriam pedem quàm primum referre. Istas enim procrastinationes vanas, & pollicitationes, imò illusiones ferre non queo. Ut paucis omnia tibi aperiam, omnium eorum, quæ per literas absenti fuerant promissa, præsenti nihil bonâ fide præstitum est. Domum erant daturi; eam impetrare nunquam potui, nisi venirem in partem pensionis. Ita hyems tota miserrimè transacta in angustissimis cubiculis duobus, ut filiolum, quem habeo unicum,* (Joannem) *extrudere magnis impensis fuerim coactus. Tandem Vauchantianæ ædes datæ; sed eâ lege, ut decem ipse annuos aureos darem, atque ii statim exacti: suppellectilis nomine promissi aurei centum & quinquaginta; detracto triente, redacta summa est ad centum. Ligni spes facta: vix adhuc quasi convitio extorquere decimam partem quitus sum. In antecessum semestre stipendium erant repræsentaturi; hoc nec factum in priore semestri, quod per minutas partes acceptum; & in isto nuper inchoato planè ostensum mihi, quid in posterum sperandum haberem: nummus enim exprimi adhuc ab illis non potuit. Non illi auctoritatem tuam reveriti sunt; non datæ fidei rationem ullam habuerunt; amicorum denique omnium meorum incassum vigilavit industria. Scio non defore quod causentur. Sed istæ* προφάσεις *maturè prævidendæ erant: nunc illis nullus locus. Quid enim ad me, si sint occupati? si Rector Provinciæ in urbe est? si rerum novarum occasionem quærentes nonnulli salis commercia rupere? Quid ergo nobis fiet, si non belli metus sit, sed certum bellum? Invitus hæc ad te scribo, Præses amplissime: sed coactus vi doloris, ne aliud dicam. Expertus enim sum, genus istud hominum esse* ἀνθίκαστον, *si quod est aliud. Paucos excipio veros amicos, Ranchinum, Serranum, & ipsum primum Consulem; quorum tamen nemo aut gratiâ, aut ullâ aliâ re caussam nostram multum potest adjuvare. Ranchinus abest; Serranus apud istos, qui pecunias tractant, parum potest; suos ipse nobis loculos aperuit. Consul quoque partim morbo, partim senectute, quæ est & ipsa morbus,* κλινήρης *diu jacet. Cæteris vel juvandi facultas nulla, vel voluntas.*

Justissimis itaque de causis respondet Consulibus si ita pergant secum agere, nec promissa impleant, ipsos sui curâ liberaturum, ac seriò de abitu cogitaturum, vel Basileam (*c*), vel Genevam (*d*). Putare enim repertum iri vacuam aliquam professionem, ut inde sit, quo sibi & suis consulat. Sed hoc ipsis haud levem inusturum ignominiæ notam, qui *Goulardum*, aut *Lectium*, aut *Pacium*, cui dudum stationem obtulerant (*e*), aut Dionysium Gothofredum ad Juris professionem vocare constituerant (*f*). Verùm intercedente, procul dubio primo suasore, Canaio à Fraxinis mitigati; prorsus clementius Casaubonum tractarunt, sic ut ejus exemplum sequutus Julius Pacius ad Monspelienses etiam transierit, cujus discessu Geneva, patria ipsi suavissima, haud levem fecit jacturam, maximè silente Lectio (*g*).

Præter hæc, annus hicce ei fuit valde acerbus, eò quòd ferè continuò adversâ conflictabatur valetudine, nata ex molestissima & contumacissima destillatione (*h*) acrium humorum, cui suprà carissimæ uxoris gravem quoque morbum accedebat summus mœror, quem capiebat ex filiolæ desideratissimæ, quæ haud exiguum tot animi & corporis doloribus laborantis fuisset solamen, morte (*i*); ut sileam ægritudinem acerbam, quòd Monspelii careret Typographo, qui Græca posset excudere. Hinc sub initium proximè insequentis anni CIↃ IↃ XCVIII. Animadversiones in Athenæum, opus arduum sanè & præmolestum, & longi tædii plenissimum (*k*) editurus, (*l*) relictâ Mompelii familiâ concessit Lugdunum ad virum amplissimum, cujus merita ipsum omni laude majorem reddebant amicum suum, Emericum Vicquium, qui impulsu (*m*) Gilloti & Canaii, ut isthic Athenæum ederet, plurimis rogatum & invitatum literis (*n*), mirâ comitate eum amplectitur; apud quem tam diu debuit commorari (*o*), donec editionem, quæ votorum suorum ferè summa erat, ad umbilicum perduxisset, licet multò mallet Parisiis sua ab eruditissimo Morello, vel Mamerto Patissonio typis exscribi (*p*). Lugduni otium nactus liberalius, quòd à libris & consueto, id est, quotidiano docendi munere abesset, legit accuratius allatum recens librum Josephi Scaligeri *de Emendatione Temporum*, eâque occasione comparat cum Baronii Annalibus Ecclesiasticis (*q*).

Recenset præterea *Theophrasti Characteres*, seu notationes morum jam antè editos; quos aliquot capitibus auctiores eodem tempore Lugduni prælo subjicit, cùm Parisios ad Gillotum, ut ibi excuderentur, mittere anteà constituisset (*r*). Quibus quamquam detineretur satis arctè, tamen familiæ ercisc undæ causâ cogitabat Genevam, quò jam uxorem præmiserat, quæ ipsius adventum præstolabatur. Verùm Casauboni studiosissimus, si

(a) Epist. 132. & 137.
(b) Epist. 148.
(c) Epist. 148.
(d) Epist. 148. 149.
(e) Epist. 138. 146.
(f) Epist. 149.
(g) Epist. 146. 151.
(h) Epist. 153.
(i) Epist. 154. 156.
(k) Epist. 163. 168.
(l) Epist. 151. 152. 155. & 156.
(m) Epist. 169.
(n) Epist. 172.
(o) Epist. 165. Epitr. Franc. à Monsr. de la Scala, pag. 58.
(p) Epist. 169.
(q) Epist. 175.
(r) Epist. 169. 173.

si quis alius, Vicquius, cùm intellexisset Genevenses pestilentiâ affligi (*a*), noluit eum dimittere: quin potius datam jam antè spem (*b*), quod Lutetiam à Rege vocaretur, (quod votum & consilium fuerat magnorum (*c*) virorum) latius aperit atque implet. Nam Vicquius Regis literis subitò Parisios revocatus, Casaubonum comitem secum abducit (*d*). Illic cùm pervenisset mense Septembri statim non tantùm benignè & humaniter ab omnibus amicis, qui ejus adventum vehementissimè jam diu exoptarant (*e*), excipitur, sed ante omnes ab utroque Præside Harlæo & Thuano, Principis Condæi educationi Præfectis (*f*), & Nicolao Fabro, ejusdem Principis Præceptore, qui Casaubonum primo quoque die ad hunc Principem, ad eum pagum, ubi educabatur, perduxit. Neque hos sensit solos erga se benevolos, sed & ipsum adeò faventem ac benignum Galliarum Regem, Henricum Quartum, ut (*g*) extemplò jusserit relictis Volcis Arecomicis cum Lutetiam migrare. Quod an idem vellent, qui circa Regem erant, anceps pendebat animi (*h*). Confirmat hoc, quocum communicavit idem Bongarsius in Epistola ad Joachimum Camerarium data (*i*): *Casaubonus in Aula nostra fuit à Rege exceptus, & Lutetiam invitatus benignissimè. Ipse quò inclinet, non planè constat; scribit enim dubius.* Et scribens Caspari Scioppio (*k*): *Casaubonus cùm Lutetiæ fuit, & in Aula Regia à Rege exceptus & habitus benigne, & Lutetiam ad professionem invitatus, conditionem an acciperet, nondum ipse apud se constituerat cùm literas ad me daret sub hujus mensis initium.* Dubius itaque redit ad suos mense Octobri, tradens se totum intermissæ & dilatæ (*l*) lectioni librorum Theophrasti *de Causis Plantarum*, in quibus, prout erat sagaci planè ingenio, sibi visus est felicissimè restituisse plurima, à Julio Cæsare Scaligero, (propterea quod ei fecerant negotium) omissa, quæ, si sciret filium Josephum non ægrè laturum, aut malè interpretaturum, summoperè desiderabat publico exponere. Ita enim ipse de hisce Commentariis (*m*): *Theophrasti subtilissimum opus de Causis Plantarum perlegimus: si dabit Deus otium ad ea concoquenda, quæ in eum Scriptorem meditati sumus, non luserimus, credo, operam.*

Novembri mense per sexdecim dies abit Caseronem ad maximum virum Præsidem Philippum Canaium à Fraxinis, à quo non sine magnis molestiis periculisque redux, ne otiosus esset in urbe Monspeliensi, dum exspectet literas, quibus Lutetiam Parisiorum vocetur, publicè docere ac interpretari aggressus est Pindari Oden primam, nec non Ciceronis Epistolas ad Atticum, in quas, modò spes non decollarat, quæ ei facta erat Codicis cujusdam notæ non pessimæ, conscriptas divinationes suas publicasset. Quarum ex parte solummodò exiguâ, nempe in libri primi Epistolas XVII. priores, à filio Merico acceptâ vir celeberrimus J. G. Grævius ea elegit, & anno CIↃ IↃ LXXXVI. edidit, quæ cæterorum Interpretum fugerant solertiam. Ut autem de iis, deque ipso Isaaco Casaubono quid sentiat summus ille Censor, cognoscamus, verba ipsa Græviana apponere lubet: *In libri primi prioribus septemdecim Epistolis videbis non paucas annotationes magni Isaaci Casaubni, numquam antehàc in publico visas. Mompelii cùm literas politiores promitteret, publicè interpretatus est Epistolas ad Atticum. Acroases has in paucas illas, quas dixi, meæ fidei per cl. virum Jacobum Gronovium commisit non multis ante beatum suum decessum mensibus, filius patre tanto dignissimus, meique, cùm superesset, studiosissimus, Mericus Casaubonus. Ex iis delibavi, quæ cæterorum Interpretum studium & sollertiam fugerant. Quod si in alios libros incomparabilis viri notas nobis non invidisset fortuna, magna lux, magnum ornamentum accessisset huic editioni. Nam quæ fuerit capitalis illius ingenii excellentia, quæ doctrinæ latissimè diffusæ varietas & copia, nemo ignorat, nisi hospes in literis; nemo negat, nisi livore perditus: quod verò fuerit ejus in his Epistolis evolvendis studium, mihi fidem fecit editio Bosiana, quam detriverat, & cujus marginem implerat rerum, quas in iis scitu dignas observarat, annotatione.* Verùm illas jam antè, anno nempe CIↃ IↃ XCI. auctore magno Bezâ & reliquis sui muneris Sociis instituerat in Schola Genevensi interpretari (*n*); quandoquidem sperabat suâ diligentiâ suoque labore parem fore isti oneri ferendo; quòd putaret se aliquid in Commentatorum expositionibus inventurum quo posset juvari. Ast planè alio longè modò rem se habere comperit. Nihil tamen magis ipsum torsit quàm loca Græca ex composito quasi penè corrupta & malè habita ab ipso Bosio, qui numquam minus est Bosius quàm ubi Græca corrigere conatur. Hinc omnem spem ponebat in Francisco Junio (*o*), cujus notæ ferebantur proditura; quas admodum desiderabat Casaubonus, uti & hodie nos; non enim memini me legere eas umquam lucem vidisse.

Tandem verò, postquam a. d. IV. Eid. Decembr. ab Emerico Vicquio literas, quarum summâ majores anxietates animo, & molestissimarum curarum cumuli, quam levantes

(a) *Epist.* 174. 175.
(b) *Epist.* 164.
(c) *Epist.* 170.
(d) *Epist.* 175. *Epitr. Franç. à Monsr. de la Scala, pag.* 337.
(e) *Epist.* 176.
(f) *Bongars. & Lingelsb. Epist. pag.* 2.
(g) *Cum eo de Academia Parisiensi restituenda per tres horas sit locutus, teste Francisco Pithæo.* Epist. à Burmanno edit. pag. 253.
(h) *Epist.* 176.
(i) *Bongars. & Lingelsb. Epist. pag.* 46.
(k) *Iidem Epist. pag.* 58.
(l) *Epist.* 158.
(m) *Ita in Diario, & Epist.* 184.
(n) *Epist.* 968.
(o) *Epist.* 973.

vantes relaxationes acceſſere, accepiſſet, invito Rectoris munere ad aliquot hebdomadas fungenti ei a. d. IX. Kalend. Februar. à cœna redduntur Henrici Magni, Franciæ & Navarræ Regis Chriſtianiſſimi, literæ, a. d. III. Nonar. Januar. CIↃ IↃ XCIX. datæ, quibus Lutetiam Pariſiorum ad profitendas ea in Academia Regia Humaniores Literas evocatur (*a*).

MONSIEUR DE CASAUBON,

Ayant deliberé de remettre ſus l'Univerſité de Paris, & d'y attirer pour ceſt effect le plus de ſavans perſonnages qu'il me ſera poſſibile; ſachant le bruit que vous avez d'eſtre aujourd'huy des premiers de ce nombre; je me ſuis reſolu de me ſervir de vous pour la profeſſion des bonnes Lettres en ladıtte Univerſité, & vous ay à ceſte fin ordonné tel appointement, que je m'aſſure que vous vous en contenterez. Partant vous ne faudrez incontinent la preſente receue, de vous preparer à vous acheminer par deçà, pour vous y rendre le pluſtoſt que le pourrez commodement faire. Et à fin que l'obligation que vous avez d'enſeigner en ma ville de Montpellier, ne vous puiſſe retenir ou retarder, j'eſcris preſentement aux Conſuls d'icelle, qu'ils ayent à vous en tenir quitte & deſchargé, & à vous aſſiſter de ce qu'ils pourront en voſtre voyage: pour les fraix duquel j'ay donné l'ordre, que vous entendrez par les lettres du Sieur de Calignon, Conſeiller en mon Conſeil d'Eſtat: ſur lequel me remettant je ne vous en diray icy d'avantage. Sur ce, je prie Dieu, Monſieur de Caſaubon, qu'il vous ayt en ſa ſaincte garde. Eſcrit à Paris, ce III. jour de Janvier, CIↃ IↃ XCIX.

(a) *Chriſtophorus Colerus ſcribit Joanni Kirchmanno eodem tempore vocatum Scaligerum. Ita enim ipſe:* Vocavit Rex CASAUBONUM Lutetiam & SCALIGERUM. Scaligero ſuâ manu ſcripſit. *Epiſt. à P. Burmann. edit. pag.* 253.

Quibus prorſus refectus, curis ſolutus, ſibique quaſi redditus, è veſtigio iter Pariſienſe intendere enititur. Itaque, cùm Scholarum præfecturâ impeditus continuò abire non poſſet, uxorem unà cum chariſſimis pignoribus *Philippa*, *Joanne*, & *Gentili* ſeu *Joantilla* Burdigalam ad matrem atque ſororem a. d. XV. Kalend. Mart. præmittit. Ipſe verò a. d. IV. Kalend. Mart. ſummo mane Volcis Arecomicis longum valere dicit; Mompeliumque, unde quidem bonam famam, prætereà verò nihil reportabat, reliquit, & in ea urbe, quantum conjecturâ colligere potuerim, binas filiolas, alteram *Eliſabetham* iſthic ſepultam, alteram *Joannam* apud piam verè nutricem, uxorem unà cum liberis reliquis Burdigalâ Lugdunum, indeque Lutetiam perducturus. Ipſis verò Nonis Martiis relictâ in matris ſororiſque manibus filiolâ *Gentile* ſeu *Joantillâ*, Lugdunum ſalvus cum uxore & duobus liberis *Philippa* & *Joanne* pervenit, plenus ſpei ſe brevi inde Pariſios cum familia perrecturum. Verùm multò aliter rem evenire videt. Primò enim ejus amantiſſimus Mericus Vicquius, quem urbe egreſſum in ipſius occurſum ante omnes amplectitur, incredibili, quâ cæteros ſuperabat, comitate, bonitate, liberalitate, & erga literas literatoſque amore Caſaubonum, & quos ſecum adduxerat uxorem, natoſque domum ſuam adducit, hoſpitio excipit, & eo uti jubet, iter Pariſienſe ei diſſuadens, ſaltem uſque dum Regem, qui Lugduni exſpectabatur brevi, conveniſſet. Accedebat Athenæi Deipnoſophiſtῶν lentiſſima futura editio. In primis verò morari cogebant literæ altero ab adventu die Genevâ allatæ, nuntiantes uxori atque liberis à Senatu Genevenſi ſummam factam injuriam, (fortè in diviſione hereditatis ſoceri Henrici Stephani, cujus, *quia inteſtatus obiit, quadrans omnium* τῶν ἐκ μεγάλης πτ πμιωσίας ἐπι ἀπολιπόντων *ad uxorem pertinuit*) quapropter prid. Eid. April. ipſa FLORENTIA magnis de cauſis ſecum abducens *Philippam* natu maximam filiolam, Genevam proficiſcitur, quam minus ex voto iſthîc fluentibus rebus VI. Kalend. April. ſequi coactus, propridie Kalend. April. Genevam venit (*b*), ubi, licet præclaras in Bibliotheca Stephanica invenerit reliquias, tot offendit moleſtias, adeò afflictam fortunam, ut verbis exprimere nullus potuerit. Cum Prætore namque de eligendo ſororculæ *Andreæ Stephani* (quæ tamen circa menſis Septembris initium moriebatur) tutore, qui Boræus conſtituebatur, coactus fuit agere, quo nihil ipſi durius, quippe qui relictâ Genevæ uxore Lugdunum revertitur, unicè Athenæi editioni, aliiſque, quæ intra manus habebat, operibus incubiturus.

(b) *Epiſt.* 186. & *Diar.*

Lugduni, ubi vehementer frigebant literæ (*c*), (non niſi rituales libros vendentibus (*d*) Bibliopolis) apud ampliſſimum Vicquium hærens, cum duobus Capucinis, viris modeſtiſſimis & pacati planè ingenii, de religione nonnulla diligentius excutere cœpit, non quòd ipſe hoc deſideraret, ſed quòd Vicquius religioni Romanæ addictiſſimus hoc modo, uti perſuadebat ſibi, ſervare amicum ſuum ſit anniſus. Verùm cùm fruſtra diu exſpectaſſet Regem, eodem Vicquio auctore iter Pariſienſe ſuſcipere ſtatuit, quamquam præviderer ipſe, ante quod jam Scaliger atque Vicquius, itineris primus ſuaſor, monuerant, Lutetiæ non tam commodè ſe victurum quàm quidem ſibi propoſuerat, quoniam

(c) *Epiſt.* 192.
(d) *Epiſt.* 194.

niam mirum in modum deteſtabatur intolerabilem faſtum ac ſuperbiam quorundam Pariſienſium Pædagogorum, & inter eos præ primis Theodori Marcilii, Eloquentiæ Profeſ-
(a) Epiſt. 189. ſoris Regii, eorum Apollinis (*a*); à quo quàm indignè anteà, cùm primâ vice Lutetiæ commoraretur, fuit exceptus, & quæ ſit Pædagogorum indoles, prolixè ſingulari ferè Epiſtolâ Joſepho Scaligero enarrat. Cæterùm propoſitum hoc, (quamvis amici, ſcilicet,
(b) Epiſt. 196. Harlæus, Thuanus (*b*), Gillottus, moram increpantes conviciis eum Lutetiam (*c*) vocabant) evertunt uxori illatæ continuæ moleſtiæ, rixæ, lites, ac calamitates Genevenſes,
(c) Epiſt. 191. 197. quæ alterâ jam vice eum evocant Genevam, ubi cùm jacet, ecce uxor a. d. XIX. Kalend. Septemb. enititur filium, qui VII. Nonar. Septemb. ſacro fonte Eccleſiæ initiandus à parentibus, fortè *in animi grati teſtimonium* ac memoriæ ſervandæ gratiâ optimi hoſpitis Merici de Vicq, nomine appellatur *Mericus*, adeò ut infectis negotiis, ſine uxore, Athenæum, Perſium, Suetonium abſolvere coactus, Lugdunum diſceſſerit. Sed hæc negotia brevi poſt abſolvit ac perfecit prudentiſſimus Senator Genevenſis, Jacobus Lectius, quo, uti & prioribus beneficiis ita ſe ipſi agnoſcit devinctum, ut nihil magis ex intimo
(d) Epiſt. 191. optaret pectore quàm cum Lectio in eadem urbe conſeneſcere (*d*), quod tamen maximè mirandum cum plurimis, iiſque ſummis injuriis fuerat affectus. Verùm eas ſuperavit, ſeu potius abolevit ineffabilis atque extingui neſcius erga amicos, dulciſſimamque patriam amor, ac maximum quietæ & pacatiſſimæ vitæ, quam unicè ſtudiis melioribus conſecrarat deſiderium. Quæ conjuncta cum ſuprà memoratis imminentibus moleſtiis prope
(e) Epiſt. 197. eo Caſaubonum perduxerunt, ut ſi honeſtè ac ſalvâ famâ & honore potuiſſet (*e*), Lutetiam fuiſſet profectus, oblatæ ſuperiore anno, utut blandienti, conditioni renuntiaturus. Idque eò lubentius, quòd Vicquius Pariſiis ei ſcripſerat magno hiatu promiſſa evaneſce-
(f) Epiſt. 206. re; atque illos, qui ipſum ardenter amabant deſiderabantque amicos parum poſſe (*f*). Diplomate tamen Regio ac literis vocatus, omnibus poſthabitis negotiis, relictis rebus, etiam imperfecto Athenæo, quin imò ipſâ uxore liberiſque, viſurus quorſum illa evade-
(g) Epiſt. 207. rent (*g*), remis veliſque properat, eâ quidem celeritate, ut intra quinque dies Lugduno Lutetiam appulerit. Ubi ſtatim præter omnem opinionem cùm ſuam, tùm amicorum,
(h) Epiſt. 207. & Diar. optimi Principis, Henrici IV. ſenſit cum ſingulari humanitate conjunctam voluntatem (*h*), qui unicè optabat Iſaaci Caſauboni operâ ac diligentiâ inſtaurare Scholam. Flexus & expugnatus regio favore Caſaubonus, ſuſcepto munere, quorundam Profeſſorum faſtum, quem palam ac clarè deteſtabatur ac reſpuebat, declinaturus in remotiſſimam ur-
(i) Epiſt. 208. bis partem (*i*), ex ampliſſimi putem Vicquii ædibus, quibus hactenus erat uſus, in affinis ſui Henrici Stephani, cujus probitas, ſumma humanitas, & benignitas eum illicuerat, quique ut ejus hoſpitio vellet uti precibus contenderat, conceſſit, menſem ſaltem unum, &, ſi Deus vellet, aliquid amplius manſurus, quo tempore tria hæc ſibi ſtatuebat agenda. I. Finem imponere ferè ad metam anhelanti Athenæo; reſtabat enim præter Prolegomena ſolus liber XV. II. Exſpectare quò evaderent; quorum magna facta ſpes, vota Gillotiana, ſine quibus uxorem, liberos, totamque familiam Lutetiam ducere nec volebat, nec poterat. III. Exſpectare, cujus, ut diximus, ferè ſolo ex conſilio pendebat, Canaii à Fraxinis in urbem adventum, ut cum eo de ſumma ſuarum rerum deliberaret. Intereà præter amicos viroſque doctiſſimos, qui quà in Aula, quà in Senatu Pariſienſi λάμποντες ἀστέρες, purioris litteraturæ (fortè & religionis) amantiſſi-
(k) Epiſt. 209. mi numero erant haud pauci (*k*), inviſit etiam Bibliothecam Regiam, ex qua tamen nihil ob agreſte & moroſum Bibliothecarii, qui erat Joannes Goſſelinus (*l*), ingenium,
(l) Epiſt. 256. & Diar. profecit. Conficitur tamen negotium, & Penates primo quoque tempore Lutetiam deferre ſtatuit.

Quum autem hoc tempore, (Romano Pontifice Clemente VIII. exigente reſtitutio-
(m) La Vie de Mr. du Pleſſis pag. 260. nem, ac Concilii Tridentini (*m*) confirmationem) exardere inciperet diſſidium inter Pontificios atque purioris religionis aſſertores, quos *Proteſtantes* ſeu *Reformatos* vocant, quàm acerrimè contra adverſarios aſſerere ac defendere, etiam maxima cum fortunarum everſione conabatur Philippus Mornæus, Dominus de Pleſſis, doctiſſimo atque elaboratiſſimo opere de vera Euchariſtia contra *Miſſam* Papiſticam edito, Proteſtantium partes uti ſolebat, ſequi ac tueri ſe profeſſus Caſaubonus, qui propterea eum librum diligenter evolvit, maximè verò Patres antiquos, quorum dogmata orthodoxa, & ſimpliciſſimos ritus, cultumque divinum ſincerum unicè probabat,) nonnumquam à Rege ſuper
(n) Epiſt. 209. hoc negotio fuit conſultus, quod apertiſſimè colligas ex Epiſtola (*n*) ad Davidem Hœſchelium, ubi inquit: *Et ex eo tempore moleſtiſſima negotia, in queis operâ noſtrâ Rex uſus eſt, otium omne ad ſtudia amœniora nobis eripuerunt.* Et mox: *Sed crede mihi ſerio affirmanti, nihil occupatius, nihil à ſtudiis alienius eâ vitâ, quam in hac aula viximus.* Eaque ſingu-

singulis diebus fiebat acerbior. Nam cùm Religionis dissidia quotidie magis ac magis haud exigua incrementa capere viderent, qui antea Regis Edicto Lutetiâ erant expulsi, nunc verò recens auxiliante gratiam Petro Cottone, Societatis membro, in urbem revocati, Jesuitæ, odio sanè quàm impulsi ac vindictâ vehementer ea fovebant, freti auctoritate, ac in primis usi operâ suorum restitutoris Cottonis (a). Erat autem is homo perfrictissimæ frontis, supra omnes alios audax, verbosus declamator, ad assentationem summè eruditus artifex (*A*), qui non solum ipsum Regem, sed totam penè occuparat Aulam (*B*), omnibus se negotiis tam sacris quàm profanis immiscens; quod in Jesuitis, licet aliàs ejus Ordinis præclarus fautor atque patronus, ceteroquin vir optimus lectissimusque (b) Senator Parisiensis Jacobus Gillotus culpat gravissimè, quum scribat ad Scaligerum (c): „ *Nihil sanctum hic, nihil sacrum, nisi quod illorum dextera sacraverit.* Et n'y a affaire „ en France, soyent procés civils & criminels, soyent querelles de femmes, soyent di- „ verses, soyent mauvais mesnages entre peres & fils, dont ils ne se meslent. Et sur „ tous l'unique Pere Cotton, qui va par tout, *est instar omnium*, qui ne desdeigne pas „ de se mesler *etiam* des affaires de … Je vous puis assûrer, qu'il est grand personage à „ flatter, & accommoder toutes choses. *Vis magna in illis verbis*, que je n'esclairciray „ pas davantage. „ Et alio loco, pag. 416. „ Le Pere Gossyp (id est, Cotton) est la plus „ grande & élevée personne qui fust jamais. *Nil sanctum, nil sacrum nisi quod sua dextra* „ *sacrarit.* „

(a) *Epist. Franç. à Mr. de la Scala*, pag. 449.

(b) *Scaliger. Epist.* 45. Senator inter primos & Decanus cujusdam Ecclesiæ. *Casaubon. Epist.* 1050.

(c) *Epist.* 56. *lib. I. pag.* 108. *Epitr. Franç. à Mr. de la Scala.*

Quonam verò modo res illa sese in hoc celebri Concilio habuerit, quîque in hoc difficili negotio se gesserit, Papismi posteà exinde multis malevolis suspectus, Casaubonus, variè à variis, modò strictius, modò verbosius, modò cautius, modò apertius, quòd multum luminis Historiæ adferre possit, cùm enarretur, consultum duxi rem omnem Jacobi Augusti Thuani, qui si quis alius, adeò sinceræ litavit veritati, ut ingrata judicia & plausus vili mercede redemtos non fuerit moratus, Historici; tum Rodolphi Boterei, in Magno Franciæ Consilio Advocati, (cujus utinam cum Thuani leniori animo fuisset comparandus, nec mordax adeò in Reformatos, quos ipse pro more seculi *Novatores* vocat, ac lividâ invidiâ invectus, quod patet in describendo viro sanctissimo, Theodoro Beza) quandoquidem rarior est ille liber, verbis describere; iisque subjicere narrationem ipsius Isaaci Casauboni, depromptam ex ejus vitæ Diario, cujus exemplum ex ipso autographo descriptum pro mirifico in politiora studia amore benignissimè mecum communicavit vir pietate singulari, literis Græcis Latinisque haud leviter imbutus, Joannes Battelius, Archidiaconus Cantuariensis dignissimus, quem honoris & amoris gratiâ nomino, quoniam ille ante omnes alios me in Historia hac Casauboniana adornanda haud parum consilio & exhortatione inflammavit, atque operâ juvit.

„ Post Sabaudi, *inquit Thuanus* (d), discessum Rex Fontembellaqueum petit, ubi „ collatio inter Jacobum Davidem Perronium, Episcopum Ebroicensem, & Philippum „ Mornæum Plessium, qui primarium olim familiaritatis locum in Regis Aula & belli „ & pacis artibus clarus tenuerat. Controversiæ origo inde fuit. Plessius librum de S. „ Eucharistia & in vetere Ecclesia sacrificio Gallicè ediderat, isque propter styli elegan- „ tiam passim per omnium manus volitabat, avidéque legebatur, eòque magis, quòd „ Patrum tàm Græcorum quàm Latinorum, nec non etiam aliquot Scholasticorum au- „ ctoritate ac testimoniis suam sententiam in eo tueretur. Itaque periculum veriti Theo- „ logi nostri passim in concionibus libri Auctorem tamquam falsarium exagitant, ut ab „ ejus lectione incautos deterrent. Quidam etiam repertorium locorum non bonâ fide ci- „ tatorum confecere: nonnulli & libris editis eum confutare sunt aggressi: dum Burdi- „ galæ,

(d) *Histor. lib.* 123. *pag.* 894. *edit. Francof.* 1658.

(*A*) *Ad assentationem summè eruditus artifex.*] Nous avons ici un qui fait merveilles de prescher, appellé le Pere Cotton, qui suit le Roy. Je ne l'ay pas veu, mais on m'a dit qu'il pippe en flatterie. *Jaq. Gillot, Epitr. Franc. à Monsr. de la Scala, pag.* 99. *Idem ibid. pag.* 426. Nous avons un Pere Cotton, admirabile Courtisan, & qui apprend à ceux qui pensoyent y sçavoir quelque chose: au moins les Courtisans & bons le nous disent ainsi. Adulateur *supra quam credibile, & eo nomine* il plaist fort. Je l'ay ouy une fois. Il parle bien, & sans affection de paroles recherchées & phalerées; l'action bonne & agreable, *& demulcet aures.* Il plaist & est propre pour la Cour. De tesmoignage de grand sçavoir & érudition il n'en donne pas. *Idem pag.* 435. Il y en a ici un à la suite de la Cour, appellé Pere Cotton, qui fait fort parler de luy. Il est ingenieux, & flatteur oultre mesure, & sa grande perfection est en cela. Car de doctrine je croy qu'il en a, mais non pas admirable, ni peut-estre, grande. Il a presché & presche ici: le Roy va à ses sermons. Il parle bien; mais d'instruction peu, ou point.

(*B*) *Qui . . . totam penè occuparat Aulam.*] François Castria à Monsr. de la Scala, pag. 223. Epitr. Franc. *Je croy que par-ci-devant, vous avez sceu du Pere Cotton Jesuite, qui a tellement possedé nostre Roy & toute ceste Cour, qu'il a gaigné ce point que de vouloir faire abatre la Pyramide*, &c.

„ galæ, ubi Jesuitarum Schola celebris erat, nec non Lutetiæ inter Concionatores ne-
„ gotium caleret, Ebroicensis Episcopus itidem se demonstraturum recepit quingentos &
„ amplius locos ex Patribus antiquis ac Scholasticis in eo libro falsò citatos esse: quod
„ cùm ad Plessium relatum esset, ille scripto Lutetiæ publicato petit, ut tàm Episco-
„ pus, quàm alii, qui ipsius librum falsi insimularent, libello supplici, quem Regi
„ porrecturus esset, subscriberent. Eo petebat, ut probitatis & doctrinæ perspectæ De-
„ legati à Rege nominarentur, qui librum diligenter examinent, & verène an calum-
„ niosè hæc ab adversariis objiciantur, dijudicent. Id actum a. d. XIII. Kalend. April.
„ Perronus, qui Condati erat primaria Ebroicensis Diocesis arce, scripto contrario re-
„ spondet quinto pòst die, & conditionem accipit, amboque à Rege petunt ut Dele-
„ gati nominentur, qui coram ipso, si interesse non gravabitur, & per occupationes
„ liceat, de re cognoscant. Intercessit initio Orator Pontificius, qui Religionis con-
„ troversias per disputationes in dubium revocari periculosum esse, idque sine Pon-
„ tificis auctoritate licere minimè putabat. Verùm cùm Rex & ipse Perronus hanc con-
„ certationem nihil ad ratas Ecclesiæ de fide decisiones spectare ostendissent, tantumque
„ de Plessii libro agi, verène an falsò loci in eo ex Antiquis adducti referantur; & siqui-
„ dem probetur, locos illos falsò citatos esse, fidem non solùm libro derogari, sed mul-
„ tos ex Protestantibus, qui nimium quàm illi tribuunt, ab errore suo discessuros; facilè
„ apud eum pervicerunt, ut silentio rem transigeret. Igitur Delegati nominati pro Ca-
„ tholicorum parte Jacobus Augustus Thuanus, Senatûs Parisiensis Præses, qui se ab
„ initio excusavit; Franciscus Pithœus, Nicolaus Faber; pro Protestantibus Sofredus
„ Caligno, Navarræ Cancellarius, in cujus locum, quòd morbo præpeditus venire
„ non potuerat, Philippus Canaius, Septimaniæ Curiæ Præses, successit; Isaacus Ca-
„ saubonus. Sed cùm Nicolaus Faber interesse non posset, Joannes Martinus, profes-
„ sione Medicus, à Rege evocatus est. De forma collationis primò altercatum, pa-
„ rumque abfuit, Plessio Regem à se alienatum caussante, quin omnino colloquium
„ abrumperetur. Tandem post crebras contentiones, Plessio locos, qui falsi argueban-
„ tur, designari simul universos petente, & Perrono LX. tantùm initio proponente,
„ a. d. IV. Nonas Majas in rem ventum est: & cùm Pomponius Bellevreus, Cancella-
„ rius, qui actioni coram Rege præerat, præfatus esset; nihil hic agi, quod auctori-
„ tati Ecclesiæ & doctrinæ in ea inter Catholicos receptæ, aut Edictis in Protestantium
„ gratiam factis præjudicium ullum afferre posset, ad moderationem utrimque servan-
„ dam partes hortatus est. Sic enim Regem velle ac jubere. Tum prolixiore oratione
„ Perronus eundem sermonem persequitur, & modestiam Regis laudat, qui non ut Ju-
„ dæorum ille Rex, qui thuribulum quòd sumpsisset, leprâ percussus est, hoc est,
„ auctoritatem sacerdotalem, & in res sacras potestatem ullam sibi arrogavit; sed po-
„ tius Constantini, Valentiniani, Theodosii I. & II. exemplum secutus, inte-
„ grum ac liberum de fidei controversiis ac rebus Ecclesiasticis judicium Pastori-
„ bus à Deo ordinatis reliquit. Pauca item pro se prolocuto Plessio, non ad ambitio-
„ nem aut vanitatem librum à se factum, aut disputationem hanc institutam; sed ut
„ ex ea aliquis ad Dei gloriam & Ecclesiæ emendationem tam diu speratam Regis opti-
„ mi auspiciis fructus rediret. Promuntur libri. Cancellarius & Delegati ad dextram
„ sedebant, Rex in medio, & post eum Archiepiscopus Lugdunensis, Nivernensis,
„ Castrensis, & Bellovacensis Episcopus; & rursus post eos quatuor viri à secretis Epi-
„ stolis. Ad lævam Valdemontanus, Nemorosius Mercurianus, Meduanius, Niver-
„ nius, Ellebovius, Aquillonius Duces; Jonvillæ Princeps, aliique Proceres mensæ,
„ ad quam hinc inde Perronus & Plessius stabant, circumfusi passim à tergo turba.
„ Excussi primò Joannis Scoti & Durandi de præsentia & transubstantiatione corporis
„ Christi in S. Cœna loci, & rogatis Delegatorum sententiis pronuntiatum, Plessium
„ ratione inter Scholasticos usitatâ deceptum, objecta pro decisionibus in utroque sum-
„ psisse. Tum S. Chrysostomi unum & alterum, nec non & B. Hieronymi de invoca-
„ tione Sanctorum locos non integros, quod fieri debuit, citatos esse. B. Cyrilli locum
„ de S. Crucis adoratione productum, nusquam apud eum reperiri. Constitutionem
„ verò Theodosii & Valentiniani aliquot verbis truncatam. Nec ex Petro Crinito, ho-
„ mine Auctore recenti, nec magni nominis produci debuisse, à Cancellario itidem pro-
„ nuntiatum. Dein confusa duo ex S. Bernardo loca de B. Virgine, quasi non media-
„ trix pro hominibus apud Deum intercedat, à Plessio citata arguit Perronus; & se-
„ cundum ejus censuram à Cancellario ex Delegatorum sententia pronuntiatum fuit.
„ Ultimus locus ex B. Theodoreto discussus est ex Commentario in Psalmum CXIII.
„ de

„ de imaginibus; & *idola*, non *imagines* verti debuisse contendebat Perronus. Tandem „ post longam de imaginum usu concertationem pronuntiatum à Cancellario, locum de „ simulachris Gentilium, non de imaginibus Christianorum intelligendum esse: & ita „ cùm jam advesperasceret, solutus eo die Conventus; quem ut postridie continuare- „ tur, cùm urgeret Perronius, morbo ex vigilia præcedentis diei contracto Plessius „ adesse non potuit; tandemque aliis atque aliis subortis difficultatibus, Delegati dilapsi; „ & Plessius ut valetudinem curaret, Lutetiam venit a. d. VIII. Eid. Majas, ac postri- „ die Cancellarius cum Perrono, triduoque pòst Rex ipse cum omni aulico comitatu. „ Tandem interjectis aliquot diebus insalutato Rege Plessius Salmuriam discessit. „

Hactenus Thuanus. Accipe nunc verba R. Boterei: (*a*) In Regia Fontisbellei dum Rex quietè inquietam vitam in venatu agit, Theologicæ Dissertationis occasio subnascitur, & cùm à multis annis non spectatior neque dignior referri extiterit, operæ precium fuerit, si aliquot paginas vera prorsus, nec ad gratiam & odium occupet rei gestæ narratio. (a) *Pag.* 521. *ed.* 8. *pag.* 229. *ed.* 4.

Superiore anno Philippus Mornæus, Plessæi Dominus, vir utrâque linguâ facundus, in Aula tamen & castris summisque Præfecturis utriusque Regni, quàm in Scholis & in Elæis, quàm in Peripateticis spaciis exercitatior, opus Eucharisticum ediderat, Belluam multorum capitum, quod penè omnium Prædicantium notis, animadversionibus, lituris, laciniis, centonibus compactum erat, solius dictionis flore & phaleris à Philippo concinnatum & perpolitum, ut profectò omnium, quos nostra fert ætas, Plessæus fandi peritissimus est, atque utinam vernaculæ facundiæ promeritam gloriam aluisset, provexissetque! at ille farragine congestâ Prædicantium (quibus doleo nimis fuisse credulum Philippum) Missam antiquis Patribus non solùm improbatam, sed & ritus illius & conceptas sacrificii precumque formulas ab eis profligatas & explosas probare contendebat. Quasi mediâ Lutetiâ natum foret ostentum, devotionibus publicis Concionantium, vulgi clamoribus, plaustrisque dirarum obruitur, tantæ esse impuritatis, ut solo rogo expiari possit, quotque intercipi potuere iracundo igne cinefacti, eâ acerbitate, ut si in efferatæ plebis manus Scriptor incidisset, resque sui fuisset arbitrii, similes pœnas dedisset. At cùm pravè sensa vel nequiter scripta animi sint intemperiæ & recti judicii aversio, non pauci fuere, qui Plessæi opere discusso, plura nedum incuriosè, sed fallaciter, mendaciter conscripta dicerent. Bulengerius Juliodunensis, primus glaciem secuit, suoque classico mille scriptorum centurias ad publicum certamen fidei propugnandæ concitavit. Puteanus Vazatensis, atque ipse Fronto, Ignatiani sodalitii veteranus, Plessæum sine fronte facit, publicatis falsitatum apicibus (parcite si barbara vox mihi excidit, res signandæ suis verbis) censuram suam inventarium nominavit; cùmque exuberarent, suoque ordine notaret, à suis Plessæus urgetur, ne Orthodoxorum probra & publicas devotiones præteritas & inultas sinat, illum falsi reum traduci, id Religionis non nisi summo dedecore in aula Regis & Regia urbe palam publicari. Hoc percitus œstro ab ignavis crabronibus, qui umbrâ & latibulis se tuentur, Plessæus ut certè est cordatior, dat se in arenam, classicum pugnæ canit, stadium aperit, atque ille monentibus nimis credulus transit Rubiconem; per insignem Neustricum, Nobilem Sanctæ Mariæ du Mont, libellum mittit, spargitque in eos, qui sibi operique suo detraherent, eoque potissimùm Ebroicensem Episcopum appetit, quòd ille in suis antiquorum Patrum citationibus Plessæum falsi argueret, eo libello supplex Regem officiosissimè rogat, ut veri investigandi falsique damnandi arbitros deligeret. Ebroicensis, auditâ provocatione incruentæ pugnæ, vadimonium accipit, publicato programmate profitetur, Rege & quibus velit inspectoribus arbitrisque, in Plessæi opere quingentas falsas citationes, ex pluribus sigillatim & in numerum redactas, ne quis eum hyperbolicè jactare putet, enumeraturum & probaturum. Ebroicensis Regem deprecatur, ut Constantini Magni æmulus, pace Regno partâ, Ecclesiis adversus bella & procellas hæreseωn pacem procuret, ex ea Dissertatione Religionis dissidia, vel finem habitura, vel certè apud quos veritas & fides prisca sit & fuerit constiturum. Plessæus suâ Epistolâ ad Regem morem gerit, arbitros & censores deligi petit. Utrique commilitoni diem Rex dicit in Regia Bellæifontis: hac novâ palestrâ de fide inquirenda commotus Nuncius Apostolicus, Regem adit & commonefacit, controversiis de rebus fidei jus dandi arbitros, duntaxat esse penes summum Pontificem: Rex contrà, Oratorem Pontificium de re tota securum esse non solùm jubet, sed exinde summam lætitiam expectare; de fidei articulis nullam moveri controversiam; hoc unum agi & discuti, num Plessæus Sacræ Paginæ dogmata, Patrum testimonia, verè, integrè, castigatè, non mendosè, hiulcè, & intercisè citaverit, ad

Elogium Plessæi Mornæi ob singularem eloquentiam.

Propositum operis Plessæi.

Devotio libri ad publicum rogum.

Illa ex Epistola Ebroicensis.

Regis ad Nuncium verba.

fidem codicum exemplaribus duntaxat opus esse; Dissertationem hunc habere limitem, non Theologicis Professoribus arbitrium committendum, cùm de enucleandis sacris rebus non sit quæstio, sed eruditis, scientissimisque linguarum, qui collatis Plessæi citationibus, cum germanis & incorruptis codicibus, hoc unum explorent, num illas verè aut mendosè ediderit. Ergo hujus disquisitionis arbitri deliguntur, pro Orthodoxis Antistes Curiæ purpuratus, Augustus Thuanus, Plessæo veteri amicitiâ & cognatione conjunctus; Pithœus, veteranus Curiæ Patronus, & Faber ille, cui ob singularem eruditionem & pietatem Principem Condæum tenellum in disciplinam datum suprà diximus; Plessæi à partibus stabant Calignonius, Regni Asturum Cancellarius; Canaius, in Edictali Occitaniæ Camera Præses, & Isaacus Casaubonus, omnes insigniter & ad nostri sæculi miraculum eruditi. Desideratis Fabro & Calignonio, in vicem absentium suffectis pro Catholicis Martinus, Medicus regius, & Canaius, maturè adfuit Ebroicensis in Consessu Cancellarii, qui summus moderator & Palæmon disputationis erat.

Paulò serius advenit Plessæus, caussatus extra urbem per saltus loco avio vix opportunè disceptationem fieri, utpote cui copia librorum non suppeteret. Diffugii primus hic colos, cui responsum, quòcumque Rex iret, ibi non desiderari librorum officinam, potissimùm eo loci, cùm in ipsa Fontisbellæi Regia, Rex Franciscus I. luculentam Bibliothecam collocaverit, quæ Philadelphi, Vaticani, Veterumque omnes superaret. Plessæus citationes omnes continuâ serie operis sui non cursim & dissolutè, ad amussim censuræ expungi voluit, utque Ebroicensis, quas jactaverat quingentas falsitates (parcite Latini censores; verbum ad rem usurpo) syngraphâ & sigillo prænotaret; ille contra aliud esse Plessæi diverticulum Regem admonet, ante diem leges disputationis præscriptas; hoc examen totius operis inane & ridiculum, eo exemplo, quo si quis de lituris aut additis in contractu accusatus, se excusatum esse velit, quòd demptis aliquot, cætera omnia verè & germanè scripta sint, jure civili receptum eum, qui in verbo, in clausula, quæ pactum afficiat, reus sit, non omnium reum fieri. Omitto argutationes nimias, ad detrectandam pugnam verius innexas, quàm ad veri & propositi investigationem, quibus tota Gallia perstrepit, ita ut non aliis clamoribus prætereuntes obtundamur, viâ Palatinâ circunforaneis librariis totâ die Plessæum devoventibus. Ut se circo conclusum vidit, iterum supplici libello quærit effugium, iniquas conditiones conqueritur; cui à Rósnio, Casaubono, suarum partium viris clarissimis acclamatur, cùm qui diem dixit, provocavit, stadium aperuit, inglorium esse loco & pugnæ defore. Ut verò publicam expectationem his artibus Rex ludificari agnovit, per Cancellarium Plessæo mandat, si arenâ cesserit, ejus librum censuræ publicæ permissurum, & si falsò perperam intercisè, neque ex fide bona rem sacram & augustam, ut est Eucharistia, scripsisse deprehendatur, falsi citatoris probro & pœnæ obnoxium fore: neque vox illa Regis licet minax, homini metum ademit aut spiritus addidit, iterum nectit moras & venturi præscius, campum fugere quâ potest arte, meditatur. Sed historica brevitas non patitur referri istas ludificationes, sed etiam nolentem campo includamus: præmonitus uterque non rixari, non acerbè, ut solet inter bellicos hostes, sed benevolè & Christianè, ut decet incruentos pugiles, qui de veri perverstigatione gloriosum certamen habent. In Triclinio post meridiem primâ Rex assidet; collaterales habet utrinque Dissertatores; stant in extremo Amanuenses delecti, qui fideliter & properè acta controversiæ excipiant; Antistites & Principes, Regni Proceres promiscui cultus, Nobiles & Aulici circumstant; in proximo æstuario omnium Codicum ad fidem citationum; parata erat supellex. Indicto silentio sic profatur Ebroicensis: Adsum (Rex invictissime) vadimonio, quod mihi Dominus Plessæus libello provocatorio dixit, vel scripto professus sum (& opere præstabo) me quingentos locos falsò, mendosè & intercisè ab illo citatos, opere suo in Lithurgiam; idque nunc & liquidò probaturum. Regia tua Majestas quâ summâ est prudentiâ, hac Dissertatione nihil fidei detractum iri, (ut quæ tota sit ad disquisitionem veri & falsi) in Plessæi scriptis sedulò prævidit, ut quæ ad id unicè instituta sit, num ille veterum Patrum dogmata & sensa, sincerè & ex bona fide ediderit, aris adytisque ac mysticis apicibus, tua Majestas more majorum piorumque Cæsarum temperat. Novit ex Bibliorum sacro Codice, elephantiasi fœdè percussum Regem, quòd temerè offerre incensum Domino, hoc est, politiæ res sacras admiscere tentaverit; multò sapientius, Constantini, Valentiniani & Theodosii pietatem æmularis, qui ad Clerum Pontificesque, Ecclesiasticas controversias ut rem merè sacram & mysticam ablegarunt. Hac ego fiduciâ, sed potissimùm fidei orthodoxæ clypeo, quam in hoc Consessu

Ad disputationem Ebroicensis præfatio.

fessu tuendam aggredior: jam ordior ipse, palam & publicè obtestans, me nullâ simultate, irâ, odio, aliove nequiore affectu impulsum in D. Plessæum, quem ego plurimum ob egregias animi dotes colo & observo, nec eum falsi accuso; sed eos, quorum susurris, tabulis, & commentariis nimis credulus, fidem adhibuit: atque ex comitate & modestiâ, hanc obtestationem veram nunc, quamdiu mihi cum illo res erit, apud auditores spectatoresque efficiam. Plessæus adversâ oratione sic profatur: Jussu regio illuc evocatum, ut libri assertor esset, non ambitu aut famæ gloria, sed sincerioris doctrinæ zelo, ad castigatiorem Ecclesiæ statum, quem tot viri probi à multis annis desiderant, si opus suum ad hoc conducere possit, summo bono sibi deputare: sin minùs, vel propriâ manu ambustum cupere. Spem tamen sibi esse apud candidos censores, eum non incuriosè neque protervè in eo opere insudasse; nec mirum videri, si in sylva tanta citationum, mens, oculus, vel manus aberraverint; quasi Horatiano versu se excusatum vellet: Adversaria oratio Plessæi.

Verum opere in longo fas est obrepere somnum.

Etiam in Romanæ Ecclesiæ Doctoribus, qui non ab uno sæculo scripserint, hanc ferendam incuriam, qui si ad hanc trutinam ponderentur, raros invenias, qui huic noxæ non sint obnoxii, contraria obtestatione profiteri. Singulare hoc certamen, si minus prosperè cesserit, nihil Reformatæ Doctrinæ detracturum, utpote cujus non sit arbiter, quæ ab eo non pendeat, & quæ ut eum antecessit, sic post eum perduratura sit. Dissertationis exordium fuit à Joannis Scoti citatione, quem sic docentem Plessæus scripsit: *Joannes Duns, cognomento Scotus, post Lateranense Concilium, penè exactis centum annis dubium facit, num corpus Christi verè & realiter panis & vini specie contineatur; atque ille contendit non contineri. Dubitandi & negandi rationes sunt, mensura, locus, aliæque functiones, quæ essentialiter veris corporibus hærent & insitæ sunt, id non ferant quale oportet esse verum corpus Christi.* Ebroicensis, Scoticè, & obscurè Scotum Plessæum interpretari respondet, pro ejus sententia adversariorum argumenta & disputationes sumpsisse, atque propugnatori corporalis existentiæ in Eucharistia, Sacramentariorum, quos impugnabat errores imputare, in explicandis Authoribus audax facinus, eorum sensa distorquere, & probatum acceptumque illis referre, quod maximè improbaverint. In hac prima velitatione turbati animi speciem tulit Plessæus, nec seriatim in orbita & defixa quæstione morabatur, sed extra semitam devius, oberrabat nunc istam, nunc aliam delibans; in hoc potissimùm desudans, ut probaret Scotum in existentia corporali nutantem fuisse. Visum Consessui Plessæum pro sententia Scoti, argutationes Sacramentariorum, quas refellendas proposuerat, usurpasse. Secundæ Dissertationi locum fecit Durandi citatio, quem sic loquentem inducit Plessæus: *Durandus, quem Schola Sorbonæ Magistrum per antonomasiam, Doctoremque summum nominat, lib. 4. sententiarum, distinct.* 11. *ipsissima verba scripsit: Hoc posito* (inquit Durandus) *ut panis & vini utraque substantia existat, una hinc duntaxat emergit non utique nodosa & indissolubilis quæstio; (videlicet duo corpora simul existentia) contrarium verò si asseratur, plures difficultates suboriuntur, videlicet ratio disquirendi probandique, quo modo accidentia mutant naturam, ut ex his aliquid gigni possit, cùm omnia ex subjecta materia ortum habeant.* Ebroicensis novum errorem Plessæi priori simillimum, adversarias Sacramentariorum dubitationes pro Durandi sententia habuisse, quinimò Durandum ipsum, more Scholastico discussis & profligatis Hæreticorum hujusmodi deliriis & præstigiis, disputationem clausisse hac verissimâ & inconcussâ assertione: *Panis vinique substantiam in Christi corporis veram substantiam efficaciâ verborum commutari.* Durandi Codice exhibito perlectoque, & discusso articulo, pronuntiavit Cancellarius: Plessæum pro assertione Durandi, adversariorum contrarias objectiones sumpsisse. Tertia Dissertatio versabatur circa Divi Joannis Chrysostomi propositum, quo Plessæus Doctori oris aurei & doctrinæ incorruptæ, plumbei ingenii minusque sani judicii probrum imponebat, quòd ille scripsisset, divalibus precibus & suffragiis non esse fidendum: Ebroicensis Chrysostomum non ex fide citatum, Plessæum succidisse, quod erat præcipuum, videlicet Chrysostomum scripsisse non absolutè in Divorum intercessionibus salutem constituendam; quam sententiam mendosè Plessæus his verbis reddiderat: *Nullo modo innitendum precibus Sanctorum.* Adjiciebat expunxisse quæ eo loco suadet Chrysostomus, nempe ut nos mortales Cœlitum suffragia & precationes non despiciamus; sed deprecemur, ut pro nobis apud Deum sint deprecatores. Prolatis Codicibus operum Chrysostomi, ex assidentium sententia pronunciavit Cancellarius, *Præterita à Plessæo, quæ integrè neque intercisè scribi oportuit.* Quæsiit Rex à Casaubono, cur ista expunxisset Plessæus? *Respondit ea ab illo præterita, quòd ejus menti & proposito adversarentur.*

Protestatio & præcautio præsagi Plessæi de minus prospero eventu.

Exordium disquisitionis.

I. Decretum in Plessæum.

Sententia Durandi de existentia vera corporis Christi.

II. Decretum in Plessæum.

III. Decretum.

Casauboni ad Regem

ingenua responsio & verum judicium de Plessæo.

sarentur. Quarta dispunctio prioris est appendix ex eodem Chrysostomo, quem hoc sensu protulit Plessæus, *Saluti nostræ tutius per nos consulitur, quàm alienâ ope & suffragiis, nec tam alienis precibus Deus veniam noxarum & fœlicitatem æternam condonat, quàm propriis votis & intercessionibus.* Exemplo sunt mulieres duæ Euangelicæ, Chananæa una, adultera altera, quarum nullo alio deprecante misertus est; & similiter latroni, cui paradisum nullo alio intercessore condonavit. Ebroicensis respondet, à Plessæo quæ proximè cohærent succidisse, *hæc à nobis scripta sunt, ne Divos ipsos non precemur, sed ne in propria salute, fiduciâ alienæ opis segnes & oscitantes simus.* Pudoris quærit effugium Plessæus, hac rimâ & diverticulo, ut testimonium Chrysostomi non protulerit adversus preces, quæ Divis fato functis fiunt, sed in eos duntaxat qui alienæ fiduciæ nimium incumbunt: cui Rex argutè & theologicè infit, *verbo alterius ut quæ vox universalis sit, defunctos æquè ac superstites intelligi, & perperam à Plessæo additum, hæc Chrysostomum ad tollendum abusum tradidisse, cùm pro vivis rogare, vivis de more sit, etiam in Religione, cujus est assertor Plessæus.* Gregarius quidam ex Prædicantibus susurro, Græculæ vocis nonnihil perstrepere ausus est, de quo cùm Rex interrogasset M. de Vitry, *hominem*, ait, *catapultarii prodromi instar esse, qui emissâ glande pugnæ cedit*, aut verius *Parthus ut emissâ fugiens post terga sagittâ.* Pronunciavit Cancellarius, *succidisse Plessæum, quæ integra & compacta citari oportuit.* Quinta disquisitio ad divalem intercessionem æquè pertinet: D. Hieronymus, (inquit Plessæus) in Commentariis in Ezechielem, sedatè & sine stomacho scribit, in solo Deo fiduciam collocandam; infelix enim quisquis homini fidit; quantumvis inculpatæ vitæ, vel quidem Prophetæ. Non Ecclesiarum Antistitibus confitendum; quantumvis enim justi sint, seipsos duntaxat, non alios salvos, nedum proprios filios efficient. Ebroicensis, Plessæum prætermisisse respondet nervum & compagem totius orationis; hæc verba videlicet, *si negligentes fuerint, similiter pronunciatum locum hiulcum, & omissa fuisse, quæ scribi oportuit.* Sexta incidit in Divum Cyrillum, quem Plessæus scripsisse asserebat, à priscis Christianis nec adoratum nec cultum fuisse crucis simulacrum: id à Cyrillo unquam exaratum, nedum cogitatum, Ebroicensis negat: contrà Plessæus, id ipsum Christianis Julianum Apostatam exprobrasse, nec à Cyrillo responsum quidquam, de adoratione & cultu crucis; quod silentio neutiquam præteriisset Cyrillus, si adorandi hic ritus invaluisset. Ebroicensis contrà hunc ritum confirmat, ex eo potissimum, quòd Cæsar ille desertor, sacris Christianorum non leviter tinctus, non exprobrasset venerationem crucis, si vera non fuisset; nec Cyrillus Christianos falsi & insoliti ritus probro aspergi tacitus tulisset: *Pronuntiatum commenta à Plessæo apud Cyrillum non extare.* Septima disquisitio etiam ad crucis mysterium pertinet. Plessæus contendebat, Imperatores Theodosium & Valentinianum Edicto vetuisse, ne Christiani icones & simulacra crucis pingerent vel sculperent, unde conjici necesse sit, crucem à Christianis non fuisse cultam. Ebroicensis ter falsum commisisse probat, primò qui legem Cæsarum contra titulum & indicem citaverit; secundò quòd voculam humi, quæ legis sensum & mentem explicat, sciens omiserit; tertiò, quòd Petrus Crinitus, quo se tuebatur, falsi reus sit, qui pro Valentiniano Valentem scripserit. Plessæus adjicit, Crinitum testem citasse, qui sic legem protulerit, *Pronunciatum illum quidem Crinitum citasse, sed mendum esse in Crinito.* Octava disquisitio ex Divo Bernardo deprompta fuit, referente Plessæo eum sic loquutum de Virgine Christipara Epist. 174. *Eam ad fastigium summæ gloriæ evectam inanibus hominum præconiis titulisque non indigere: ejus honori verò, & immortali mortalium elogiis detrahi, Conceptionis diem festum, nec ritè, nec decenter excogitatum.* Ebroicensis contendit Plessæum laciniam & centonem ex intercisis discriminatisque contextibus texuisse, ut hæc verba cohærentia eraderet, *magnificæ gratiæ inventricem, salutis mediatricem, sæculorum reparatricem.* Plessæus nihil insolens fecisse respondet, cùm etiam Apostoli in Prophetarum citandis oraculis, unâ serie, & glutino orationis etiam hiulca & intercisa loca cumulaverint, cùm ad idem propositum facerent. Pronunciavit Cancellarius, *convenientius fuisse, si sigillatim & discriminatim, non permistis contextibus D. Bernardum citasset.* Vespere jam inclinante finem fecit Dissertationi Theodoreti locus editus hac formulâ, *Deus quæcunque vult perficit, at imagines ad nutum artificum effinguntur; receptacula sensuum habent, sed sensu carent*, vel insectis contemptiores, quòd illa animata sint; quique hæc simulachra venerantur, in rationis & sensus inopiam justo judicio prolabi. Ebroicensis Plessæo objicit, pro voce iconis vel imaginis, quæ speciali notâ antinomiam tollebat, idoli vocem suffecisse; & quòd falsi caput sit, prætermisisse idola ab Ethnicis loco Numinis habita. Plessæus vocem imaginis & idoli adæquari, Graio prototypo & Patrum Scholiis probaturum contendit:

Sire, c'est un Carrabin qui a tiré son coup; il n'avoit que cela de poudre.

IV. Decretum.

V. Decretum.

VI. Decretum.

VII. Decretum.

VIII. Decretum in Plessæum.

tendit : contrà Ebroicensis significatu suo, editione Græcâ & Atticis Scholiis vocem imaginis, & idoli nusquam confundi, sed utramque propriè & determinatè sumi. Collectis circumstantium suffragiis, pronunciavit Cancellarius : *Visum Consessui, Græcis exemplaribus imaginis & idoli voces perpetuò distinctas esse, nec uno intellectu confundi.* A prima pomeridiana ad septimam protractâ citationum dispunctione, Rex ad cœnam & quietem receptum indixit, dilato vadimonio in diem crastinum de controversis qui supererant articulis. Sed dum tota aula longioris luculentiorisque certaminis spe ducitur (hesternum enim, præludium fuerat) ecce Riverius Archiater Plessæum gravi morbo correptum denunciat ; ab eo certamen diuturnius non esse expectandum. Hinc Rex missos facit sacrorum Codicum inspectores citationumque censores : eo ipso die Epistolio ad Ducem Espernonium rescribit, *Ebroicensem Diocesim Salmuratensem superasse.* Ludus est, & argutia in voce vernacula, cujus venustas Latino sermone satis aptè referri non possit. Canaius Præses hac primâ velitatione deterritum, nullâ tubâ ad stadium revocare potuit. Plessæus, Rege & Cancellario insalutatis, aulâ se subducit, & ad suum Salmureum propugnaculum abit, si possit ægritudinem curaturus. Ille tamen, qui victum se negat, de iniquis conditionibus, assidentium præjudiciis, multa conqueritur, & ut quod verissimum fateantur omnes, vernaculè insigniter facundus, opusculo sibi canit triumphum, & luculentis verbis deterrimè facta excusat : Ebroicensis adversario opere rei gestæ tabulam eo penicillo delineat, ut aliter deformari non possit : Regem, Principes, Proceres, Amanuenses, quatuor primicerios testes citat, relata in tabulas recenset, & quanta voce vulnera intulerat, tanta calami mucrone infligit, ac in ipsum Plessæum sua dicteria falsè & festivè regerit. Ille enim sibi blandiens scripserat, *Muscam Ebroicensis pro Elephante habitam ; Ebroicensis contra unius diei præludium, & delibationem in Plessæi falsis citationibus, muscæ instar fuisse : quòd si arenæ non se subduxisset, pro Elephante, quæ omnium maxima sit bellua, habitum iri.* Paulò pòst Fresneius Canaius, qui ob singularem eruditionem inter arbitros Plessæi delectus fuerat, ut Religioni repudium mittit, & cum orthodoxa in gratiam redit. Novatores in Canaium insurgunt ; eum devovent ut transfugam & desertorem, sæculi præstigiis & ambitu aulico excæcatum damnant ; sed has intemperias Catholicorum gratulatio, laudum ampliori fœnore, & cumulo compensat. Transitione Canaii ad Orthodoxos, Novatores non minus concussi, quàm ingens fabrica subductis tignis & fulcris, vel castra amisso Duce : vix enim unquam habuere, vel in posterum habituri sunt, qui cum Fresneo eruditione, candore morum se comparet. Non solùm sapientiæ civilis rerumque forensium (quæ sua Sparta fuit) peritissimus est ; sed Aristotelem integrum, non Interpretum organo, sed nativo suo idiomate callet, quo prævio seu luce in tenebris, sophismata & tendiculas Ministrorum detexit, & nunc discussis jubar veræ fidei agnovit.

IX. Decretum.

Plessæi morbus disquisitioni finem fecit.

Epistola Regis ad Espernonium.

Plessæus de disputationis iniquitate libello conqueritur.

Ebroicensis scripto respondet.

Dicterium Plessæi.

Canaius ad Orthodoxos transit.

Elogium Canaii Fraxinei à summa eruditione.

Ex Diario ISAACI CASAUBONI.

„ III. *Kalend. Maj.* Ecce literas à Rege, quibus jubemur Fontesbellaquæ statim „ venire, & ei Collationi interesse, quæ habetur ob contentionem inter (*Philippum Mor-* „ *næum*) Plessiaci Dominum, & (*Jacobum Davidem Perronium*) Episcopum Ebroicen- „ sem : intrepidè ibimus, & freti auxilio divino omnia insuper habebimus, modò in- „ servire gloriæ Dei aliquid possimus. In hoc itinere duo mihi proposita, ut quicquid „ in me fuerit situm, conferam, si dabitur occasio, propagandæ Dei veritati ; & ut „ privatim rebus domesticis consulam. Erit, spero, occasio per D. Ronium, cui uni „ nostra negotia hactenus credidimus. Hîc nobis tria agenda. I. Ut Diploma Regium „ consequamur declarandæ Regis voluntati circa nos & promissam nobis pensionem. „ II. De viatico ad uxorem & liberos. III. De Triente anni hujus, cujus cessit dies. „ His confectis facilè erit de summa rerum nostrarum constituere ; ante hæc confecta „ frustra hîc aliquid sperem.

„ *Pridie Kalend. Maj.* Regis jussu Fontes venimus ; usi dispositis equis, ad D. de „ Villeroi primò accessimus. Deinde ad Regem sumus deducti, qui magnæ benevolen- „ tiæ signa nobis exhibuit. De re, cujus gratiâ huc vocati sumus, pauca adhuc Rex „ nobis ; plura alii : de modo progrediendi in hac Collatione adhuc contenditur.

„ *Kalend. Maj.* A prandio acciti à Rege ad ipsum venimus, & per horas ferè tres de „ negotio Plessiaco nobiscum est locutus. Si nos respicimus, nihil gratius, nihil honestius „ nobis eo colloquio. Si causam, de qua agitur, specto, nihil tristius, nihil magis „ contra spem & opinionem nostram.

„ VI. *Non.*

„ VI. *Non. Maj.* Hæc ſcribebamus cùm advenerunt ampliſſimus Thuanus, & cla-
„ riſſimus Pithœus: à prandio illi ad Regem; nos ad amicos.

„ V. *Non. Maj.* Summo mane à Rege vocati ſumus in Regis Conſilium; ubi Rex
„ libellum ſupplicem D. Pleſſiaci oſtendit; qui fuit ultimus ab eo oblatus in hac cauſa.
„ Rex vocato Epiſcopo Ebroicenſi, cujus præcipuæ erant in hoc negotio partes, con-
„ ſtituit Pleſſiaco ſignificandum eſſe, ſe non poſſe, quod rogabat, ipſi concedere.
„ Deinde vocatur Pleſſiacus, & id ipſi à Cancellario renuntiatur. Negat ille ſe condi-
„ tiones accepturum, quas iniquas adeò judicaret. Rex audito quod ille reſponderat,
„ qui affuturum ſe negaverat, pergere nihilo ſecius ſtatuit. Jubemur itaque horâ tertiâ
„ adeſſe omnes, qui eapropter huc vocati ſumus. Ego nominatim. Paulò pòſt reji-
„ cimur in craſtinum mane. Quid? Ego ſedebo inter eos, qui librum damnare parant,
„ quo pia & ſancta doctrina continеatur? Adde quòd Pariſienſis Eccleſia Molinæum ad
„ me ad id unum miſit, ut ne vellem eò venire, ſed quoſvis cruciatus potius paterer.
„ Amici ferè omnes vetant huic interdicto parere: meam verò cauſam præcipuam eſſe:
„ qui miniſtri Regis, in eam rem acciti, ut illi non parere juſſi, non poſſimus, quin
„ juſtam ejus indignationem referamus.

„ IV. *Nonar. Maj.* Summo mane in hortum conceſſimus, & ibi Deum Opt. Max.
„ ſupplici prece venerati ſumus, ut priuſquam aliquid prudentes aut imprudentes facia-
„ mus contra pii viri officium, de numero viventium nos tollat, & cœlo accipiat.
„ Quod ut facias, Opt. Max. Deus, iterum, iterumque ſupplex te oro atque obſecro.
„ A te habemus hoc qualecunque nomen: tibi uni me & ſtudia mea conſecrari debere
„ agnoſcimus. In hoc conſiliorum bivio deprehenſi hæremus. Aperi nobis, ò Deus!
„ quid eſt opus facto. Da conſtantiam, ut, quod piè fuerit decretum, ſanctè & con-
„ ſtanter exequamur, &c. Hæc ubi ſcripſimus, vocamur à Rege. Venimus, & to-
„ tum mane cum ipſo tranſegimus in ambulacro quodam tecto. Aderant Cancellarius (*a*),
„ Præſes Thuanus, Pithœus, & è Conſiſtorianis aliquot alii. Mox etiam aderat Præ-
„ ſes Canaius à Fraxinis. Ibi narrat Rex, quomodo Pleſſiacus mutatâ ſententiâ, pro-
„ diturum ſe in certamen cum Ebroicenſi Epiſcopo promiſiſſet. Acciderat pridie ſub
„ veſperam, ut conſilio quorundam uſus mutaret ſententiam hac conditione, ut Ebroi-
„ cenſis Epiſcopus ſibi locos controverſos è quingentis, quos jactabat ſibi eſſe ad manum,
„ ſtatim communicaret, & libros ſimul utendos concederet, quos ex urbe advehendos cu-
„ raverat. Epiſcopus ſub noctis meridiem (*b*) mittit ad Pleſſiacum annotatos in ſcheda
„ locos, ſexaginta & duos, de quibus eſſet tractaturus, & cum ipſo diſceptaturus: ſimul li-
„ bros mittit, quos tamen poſt quatuor, & ad ſummum quinque horas repetiit. Hora Col-
„ lationis inchoandæ fuerat dicta octava matutina: quæ jam fuit, cùm Rex nos vocaret.
„ Dum hæc nobis exponuntur à Rege; dum adhuc audiuntur Pleſſiacus & Ebroicenſis;
„ dum deliberatur de loco & modo futuræ Collationis, hora adeſt decima; quæ Regem
„ admonet, ut in pomeridianum tempus deferatur hoc negotium. Ita ille abiit ad Miſ-
„ ſarum ſolennia: Cancellarius cum cæteris de loco adhuc deliberat; & cùm placitum
„ eſſet, ut in Aula, quæ dicitur Concilii, conventus haberetur, ipſe pro ſua prudentia
„ & ſedulitate parari Aulam jubet, & omnia quàm commodiſſimè componi. Locus eſt
„ non nimis amplus, ut vix ducentos capere queat. Tres ibi menſæ collocatæ: mediâ
„ ferè aulâ pro foco prima eſt poſita, ad quam Rex ſederet in ſummo: ad latera Epiſ-
„ copus & Pleſſiacus Dominus: ille ad ignem, quæ pars honeſtior cenſetur; hic ab al-
„ tero latere. Supra hanc menſam ſecunda fuit ad parietem, ad quam ſederent, quibus
„ judicium hujus controverſiæ Rex permiſerat. Cancellarius, Præſes Thuanus, Præ-
„ ſes Canaius à Fraxinis, Pithœus, Martinus Medicus, & nos cum his. Tertia ſu-
„ pra hanc menſa Scribis parata. Ad Regis dextram in cathedris ſedebant Principes,
„ opinor, octo, qui tum fortè in Aula reperti: [*horum nomina in chartula huic paginæ af-
„ fixa hæc erant*] 1. Monſr. de Vendôme, Valdemontis Comes. 2. Emanuel Philip-
„ pus, Lotharingus, Dux Mercurii. 3. Le Prince Tonvillæ. 4. Carolus, Lotharin-
„ gus, Meduanæ Dux. 5. Le Duc d'Eſguillon. 6. Carolus Elboric, Dux --- d'El-
„ beuf. 7. C. Sabaudus, Nemeroſi Dux. 8. Gonzaga, Dux Nivernenſium, qui & Ne-
„ modium, Actuorum. [*Nomina hæc peſſimè ſcripta fortè aſſecutus non ſum.*] Horum ſe-
„ dilia ordine poſita ſunt circa menſam pone Pleſſiaci Dominum. Primus ſedebat Dux
„ de Maiene, deinde alii Lotharingiæ Domûs Proceres: pone iſtos erant Regis Conſi-
„ liarii, & qui vocantur *Officiers de la Couronne*. Ronius in his, Meſſæus, Secretarii
„ Regii duo, Villeroi, & de Freſne; Præſes Janninus, alii multi. Pone Regem ſede-
„ bant Archiepiſcopus Lugdunenſis, Epiſcopus Nivernenſis, Epiſcopus Bellovacenſis,
„ Epiſco-

(*a*) *Mr. de Bellievre, reconnu du tout affecté au Pape.* La Vie de Mr. Du Pleſſis, pag. 263. 264.

(*b*) *Voyez la Vie de Mr. Du Pleſſis liv. 2. pag. 268.*

„ Episcopus de Castris, & Abbates à tergo horum; itemque alii ἀπὸ τοῦ κλήρου non pau-„ ci. Omitto alios.

„ Ubi convenêre omnes, ante omnes Rex loquitur, de suo in hac re consilio pauca „ præfatus; cætera Cancellarium suum jubet proloqui (*a*). [*Deinde disputatum est utrim-„ que; sed relatio Casauboni hic deficit, licet multa referenda haberet, ut apparet ex una vel „ altera pagella hic vacua.*]

(a) *Voyez la Vie de Mr. Du Plessis, liv. II. pag. 269.*

„ III. *Non. Maj.* Eramus inibi ut ad inchoatam Collationem veniremus imminente „ horâ octavâ. Ecce ad nos Sadeelem & Mercerum, qui Plessiaci Dominum gravi mor-„ bo (*b*) laborare narrant. Adimus ad Regem nihilominus. Princeps cùm de morbo „ Plessiaci factus esset certior, expectare nos jussit, si fortè post prandium melius se ha-„ beret Mornaius, & certamen instaurare posset. Expectamus igitur jussi frustra. In-„ valuit enim illius valetudo, nedum minuit. Sub vesperam iterum Regem veniam re-„ deundi postulantes, negare ille se prius abeundi potestatem facturum, quàm consta-„ ret planius propter Mornaii morbum interrumpendam esse pridie institutam Collatio-„ nem. Expectaremus igitur, & sequenti die ad se rediremus bene mane.

(b) *Dolore stomachi & continuo vomitu.* La Vie de Mr. Du Plessis, liv. II. pag. 272. 273.

„ *Pridie Non. Maj.* Ad Regem omnes summò mane adiimus. Ille ad Mornaium mise-„ rat jam qui certa omnia de valetudine ipsius referrent. Relatum est nihilò melius eum „ valere. Quo audito redire in urbem permisit Rex omnibus: rediimus igitur. Deo Opt. „ Max. gratias agentes, quòd fecisset nos reverti ex illo loco sanos ac salvos, quòdque „ dedisset nobis gratiam apud Regem invenire, qui de sua erga nos benevolentia jussit „ nos esse securos. Sed mœsti nihilominus atque ex animo dolentes, quòd tam infelici-„ ter hoc negotium amico viro & pio cessisset. Planius verò sese explicat in Epistola ad „ Vir clariss. Danielem Heinsium (*c*), inquiens: *Certò crede, mi Heinsi,* τὸν πάνυ Πλ. „ (Plessæum) *in eo quidem incepto, nihil se dignum fecisse. Negotium temerè susceptum, te-„ merè administratum, pudendo fine conclusum, utinam aliter accidisset! Cæterùm fingere „* τὰ μὴ ὄντα καὶ τῇ ἀληθείᾳ ὁμόσε χωρεῖν, *meum non est. Videbunt posteri quæ solito can-„ dore scripsit ea de re præstantissimus Thuanus, cui soli fides habenda, nemo rei veritatem „ melius novit quàm nos.* „

(c) *Epist.* 809.

Reversus Fontebellaquæ Lutetiam (infecto enim negotio ob summam Philippi Mornæi valetudinem dimissi erant à Rege Judices) statim cum Rosnio, Quæstore, aut Quæstorum Præfecto, recens inter Aulicos recepto (*d*), agit de pensionis triente ipsi debita, atque unà de nummis, qui forent itineris sumptus & impendia, cùm uxori, tum liberis, Bibliothecæ denique ac familiæ ejus adducendæ à Rege concessis. Verùm Rosnius, id est, Maximilianus Betunius Marchio de Rosny, Henrico IV. à thesauris, homo iniquior Casaubono, in aliquot dies traxit hoc negotium, usque dum Regis mandato trecentos aureos solvere fuerit coactus (*e*). Intereà sæpenumerò cum Episcopo Eboracensi, Præside Thuano, aliisque amicis ac viris doctis graves habuit de Religione sermones, imò acerrimas subiit nonnumquam altercationes usque eum in diem, quo Lugdunum repeteret. Inter eos amicos præcipuus erat etiam Philippus Canaius à Fraxinis, qui, quamvis Regi jam spem fecerat haud exiguam se ad Pontificios transiturum (*f*), non verebatur, argutè se adhucdum Protestantem primarium simulans, cum Casaubono adire Hablonem, (erat autem Hablo suburbanum mancipium agri Lutetiani, ubi Protestantes, *Novatores* iterum vocat Botereius (*g*), sua sacra peragunt) Sacram Cœnam celebraturus.

(d) *La Vie de Mornay Du Plessis, pag. 274.*

(e) *Diar. Biograph.*

(f) *La Vie de Mr. Du Plessis, pag. 264.*

(g) *Commentar. lib. XII. pag. 416. ed. in 4.*

Haud multis deinde pòst diebus valere jussis cujuscunque ordinis & admissionis amicis, Diplomate Regio de quadringentis aureis in reliquum annum procurato, ac Henrici Stephani, Arcæ Quæstori Operum Dominicorum, uxoris patrueli, (cui posteà Diatribam in Dionis Chrysostomi Orationes anno CIↃ IↃ CIV. dedicavit) fidei commissis CCXXXV. aureis, a. d. III. Kalend. Jun. Parisiis discedit.

Lugduni Vicquianam domum, hospitium antiquissimum, vix primùm pedem inferenti, ecce traduntur ei molestissimæ à Joanne Pinaldo, sanctissimâ ipsi amicitiâ juncto (*h*), Ecclesiæ Genevensis Pastore, literæ, queis ille tàm de ipsius *Casauboni* quàm ejus uxore in vera Religione constantia dubitare se scribit, & palam de injuria facta Plessiaci Domino graviter conqueritur, cujus *optimi, sed temerarii viri* literis mox respondet, duo ingentia crimina ipsi impacta paucis, ast solidis verbis diluens. Nec solus hoc crimen Casaubono exprobrabat Pinaldus, verùm præter malevolos multos, calumniantes ejus liberum de Plessiaci libro judicium, etiam tres alii acerbis iniquisque literis in ipsum insurgunt amici Gigordus, Verbi Divini Minister Monspeliensis (*i*), qui cum Petro Cottone, Jesuita disertissimo, disputavit Fontebellaquæ (*k*); Chalassus & Chamiel.

(h) *Epist.* 123. 134. 139.

(i) *Epist.* 120.

(k) *La Vie du Pere Cotton, pag.* 121.

Verùm enimverò quum animo intrepido atque incontaminato non solum cum falsissimis hisce rumoribus, Athenæi prætereà in finem vergentis laboribus, plurimisque ineffabilibus aliis molestiis Lugduni Convenarum continuò luctatur strenuè, ecce novum ærumnarum ingenti cumulo accedit, illudque non exiguum, malum. Mericus, scilicet de Vicq, quem huc usque sanctissimè coluerat, & carissimi parentis habuerat loco, (nam in ipsius domo cum uxore atque liberis tóto illo tempore fuerat commoratus) à Rege ad Helvetios designatus Legatus, Casaubonum vocat in partes, conaturque omnibus modis persuadere, cum eo ut tendat in Helvetiam. Quod uti mirum, ita inexspectatum propositum, quâ prudentiâ in utramque partem expenderit, præstare atque non injucundum fore puto, ex ipsius Diario accurate descriptum exhibere.

„ *A. d.* VI. *Kalend. Jul.* Magna deliberatio hodie nobis proposita super Helvetica „ legatione. A Domino de Vicq vocamur in partes; & est non nemo, cujus consiliis si „ utimur, virum de nobis adeò bene meritum sequemur eò, & fortunas nostras cum „ fortunis ipsius conjungemus. Difficilis deliberatio: possent in utramque partem multa „ afferri. Suadent hæ rationes. Amor insignis, & Domini de Vicq, & lectissimæ con- „ jugis. Non dubium optare nobis summum virum & læta omnia, & incrementum rei „ familiaris. Summa hujus fides & benevolentia erga nos: quid in posterum ab eo spe- „ randum habeamus, faciunt palam omnibus: neque dubium est fore illi multas commo- „ ditates adjuvandi rem nostram familiarem, si hoc sibi vir magnus proposuerit. Adde „ quòd Lutetiæ quid sumus acturi necdum scimus. A professione arcemur ob Religionem. „ A cura Bibliothecæ multa, præsertim quòd vir optimus, qui tot annos eo functus est „ munere, tam fideliter tamque laboriosè sine scelere amoveri vivens non potest. Super- „ est vita privata exposita mille incommodis, mille difficultatibus, mille periculis. Nam, „ quod omnium est maximum, odio sumus ob Religionem factiosis omnibus & hostibus „ purioris Religionis; ut metuendum sit, ne irruatur in nos, si quid turbatum fuerit. Ab „ hac parte sunt hæc & similia his. Suadent contrarium hæ rationes. Prima est om- „ nium respectus pietatis. Quid? semper liberâ Religionis, quam profitemur, exerci- „ tatione, erit mihi carendum. Octodecim jam prope menses sunt, cùm ego, uxor, „ liberi Mompelio sumus profecti; quoties ex eo tempore gemuimus ob amissam facul- „ tatem Cœtus Christianos frequentandi. Deinde videndum nobis quid de hoc nostro „ consilio Rex, quid Ecclesiæ Galliarum, quid amici Parisienses sunt dicturi. Rex da- „ tam dicet à se pecuniam, ut familiam Parisios deducerem. Cur aliò abis? Ecclesiæ „ nostræ, quæ sinistram de nobis opinionem tam facilè concepisse videntur, longiorem „ cum hominibus diversæ Religionis moram quomodo interpretabuntur? Quid amici „ Parisienses, quos certum est clamaturos facinus esse indignum, omisso studiorum in- „ commodo, ob causas multa liberorum inopiam, doctorum penuriam, qui Soliduri „ nulli sunt: alia quæ σιγᾶν præstat ἢ ἐκφέρειν. Sunto igitur, ut reverà sunt, potiores „ hæ rationes. Θεὸς διὰ πάντα κυβερνᾶν θέλει.

„ *A. d.* V. *Kalend. Jul.* Adhuc hærebat animo illa quæstio & σκέψις, ac rebus omnibus „ expensis constituimus, Θεοῦ διδόντος, manere ἐν πόλει, & properare. Multa movent. „ In his non postremum, cura Bibliothecæ, quæ nobis imminet, siquid humanitùs ei „ eveniat, qui illi nunc præfectus. Est verò in extrema ætatis tegula. Atqui si abieri- „ mus, eo abeunte, nihil facilius, quàm ut ad alium ea cura transferatur. „

Constitutis itaque cùm suo Parisios, tum Vicquii in Helvetiam itineribus, exit, (quis dixerit quàm tristi ac perturbato animo!) cum tota familia, quæ per tot menses haud aliter ac suâ erat usus Domo Vicquiana, rem suam propriis sumptibus curaturus. Hoc an ægrè tulerit Vicquius, non satis mihi constat. Saltem Lugduno profectum Vicquium inscio atque insalutato Casaubono, qui providè satis infausti hoc ominis non sine justissima causa indicium atque multum refrigerati animi decrescentem amorem esse interpretabatur. Ex ipsius Diario colligo; ubi ita: *Quomodo accipiam, quòd Dominus de Vicq abiit in Helvetiam Legatus nobis insciis? Mitto cætera, ex quibus mihi constat satis superque de immutata* τοῦ *B.* (suppleo βασιλέως) *& aliorum Procerum voluntate* διὰ τὴν τῆς ἡμετέρας πίστεως βεβαιότητα. Quibus subjicit se suamque uxorem terreri publicâ populi Lugdunensis in suos insaniâ, eamque monere ut sibi caveant; multa enim moliri mala (*a*). Discussis omnibus hisce calamitatibus respondit, remis velisque Lutetiam se contendere, jubenti, ac novis literis exigenti Regi ac tutori summo (*b*). Iter autem hoc suscipit III. Kalend. Septembr. cujus mensis ipsis Idibus pervenit Lutetiam, ubi incredibili humanitate cum omnibus suis cum amplectitur & recipit vir optimus, Henricus Stephanus, ac per binos menses apud se detinet, omniumque rerum necessariarum cumulo fovet

(a) Epist. 211. Vide & Diarium.

(b) Epist. 208.

vet & adauget, donec in conductas commodè transiret ædes. Reducem eum, uti antè, ipse Rex omnesque Proceres palam magno prosequuntur (*a*) favore, qui in Primoribus, uti quidem in Rege utinam fuisset constans, & sincerus. At infelix noster Isaacus haud longum tempus commoratur, quin apertè satis superque perspicit non tam Regis, (ejus enim favor perpetuus atque immutabilis continuò mansit) sed Aulicorum animos admodum alienatos; seque malè ac imprudenter fecisse, quòd Scaligeri (*b*) aliorumque amicorum consiliis non paruisset. Sic enim ipse (*c*): *Quotidie magis agnosco quàm egregiè simplicitati nostræ impositum sit à magnis. Illæ bellæ literæ quid pepererunt? Nihil utique nisi risum. Promissa omnia φροῦδα. Cæteros mitto. Etiamne G. . . . . in his censeri?* Utinam expressisset nomen G. . . . . ut posteris innotuisset tantæ perfidiæ exemplum!

In sinceri tamen amoris atque amicitiæ fide nihilominus manserunt præter Nicolaum Fabrum, de quo vide Epistolam 846. & 847. Præses primarius, Achilles Harlæus, qui continuò ei dari curat ducentas libras, ac postea etiam domum, teste Jacobo Gilloto, qui hæc ad Scaligerum (*d*): *Je vous diray de meilleures nouvelles que tout cela. C'est qu'à ce coup Monsieur Casaubon tout est à nous, & fort resolu de vivre & mourir à Paris. Monsieur le premier President qui l'ayme, comme la vertu le merite, l'a logé bravement & assez près de nous.* Nicolaus verò Rapinus ipsum Bonellam ad D. Bullionem, Senatorem Parisiensem; deinde ad Præsidem Thuanum in arcem *Angervillianam* deduxit. In primis verò Henricus Stephanus affinis, Regi à thesauris, benignum animum testaturus, uxorem ejus deducit *Nauterum* (*e*); inde S. Germanum, ubi cùm ad eos accessisset Casaubonus, qui ab amicis illis invisendis redux, frustra Lutetiæ conjugem quæsiverat; „ ad vesperam usque diligenter regia Palatia Vetus & Novum spectant, inque eo mirabiles Cryptas „ duas. Postridie veniunt Possiacum, ubi moniales Virgines invisunt. Mirus loci, mi„ rus personarum ibi ornatus, & propè dixerim, τρυφή. Aulam illam (sunt verba Ca„ sauboni) eo loci spectavimus lubentissimè, ubi ante annos multos coram Rege Carolo & „ Regina matre, aliisque principibus viris de Reformatione Ecclesiarum disputatum est „ cum Doctoribus Catholicis, à Vireto, Martyre & Beza, qui etiam librum de eo „ Colloquio (nam ita vocatum est) edidit. Nauterio (sic pergit ipse) Lutetiam redituri „ venimus ad pagum, cui nomen S. CLOU, funestum Henrico III. qui ibi à Monacho „ occisus est in ædibus Gocindiacis. Extat monumentum ejus cædis in Sacra Æde pri„ vatâ pecuniâ dedicatum à privato viro. „

Postquam verò ex hoc jucundo itinere, quo animum plurimis gravissimis ærumnis pressum, & adhuc inter spem metumque fluctuantem parumper levare atque reficere contenderat, Lutetiam rediissent, ab amico suo, Sofrido Calignone, accipit literas jucundissimas, quibus significat se ejus librum, id est, Athenæum Christianissimo Regi, cui erat consecratus, non tantùm obtulisse, verùm ejus Majestati fuisse admodum gratum & acceptum. Erat autem hic Suffridus Caligno Navarræ Cancellarius, æquissimus ingeniorum æstimator (*f*), ob ingenii summi dexteritatem, acutissimi judicii ἀκρίβειαν, rerum maximarum profundissimam cognitionem, tam flagranti apud Galliarum Regem Henricum IV. in gratia, ut non solùm publicis pariter ac privatis consiliis domi interesset, verùm difficillimis negotiis rebusque gravissimis eo ferè solo uteretur, quin imò, si voluisset Pontificiam amplecti Religionem, totius Galliæ creasset Cancellarium. Qui etiamsi Religioni Reformatæ addictissimus, suâ solâ intercessione effecit, ut Protestantibus, quum anteà pagum Blond, quatuor à Lutetia leucis distantem adire cogerentur, Charentoni liberè suis moribus Deum colere, ac sacra celebrare fuerit concessum. Hujus in vera Religione constantiam probatam, morum probitatem, & cætera ingenii sublimia dona merito suspiciens Casaubonus nemo mirari debet, eum à Casaubono posteà electum, qui filium suum lavacro salutis impertiendum susciperet. Digna, imò dignissima censeo, quæ adscribantur, ex Diario (*g*) ipsissima Casauboni verba:

Ad Sacrosanctam Cœnam & φρικτὸν illud μυστήριον admissi sumus. Vehebamur curru magni Thuani. Ego, Philippa (filia Casauboni natu maxima) *& infans baptizandus cum reliqua familia, in queis ὁ ἀδελφιδοῦς Petrus Chabanæus. Hoc etiam die nuper natus infans lavacro salutis impertitus, &* PAULUS *à susceptore est nominatus. Is fuit* SUFFRIDUS CALIGNONIUS, *vir maximus pietate, eruditione & dignitate, quippe Navarræ Cancellarius. Susceptrix fuit nobilissima fœmina, D. de Chaulnau, τῆς μακαρίτιδος uxoris magni Thuani soror.* Hic itaque Caligno, qui multis magnisque meritis apud Regem valebat, gratum videns Regi oblatum amici sui munusculum, procul dubio commodâ hac occasione illud justis laudibus ac dignis præconiis exornando, ipsum auctorem atque intimum amicum ita præclarè ac studiosè commendavit Regi, ut senserit commendationem illam

(a) Epist. 208.
(b) Epist. 213. 214. Vide Epist. Scaligeri 53. 54.
(c) In Diario anno 1600. a. d. v. Kalend. Octob.
(d) Epist. Franç. à Mr. de la Scala, pag 145.
(e) Ex Diario, anno 1600.
(f) Epist. 375.
(g) A. d. VII. Eid. Januar. 1601.

multum ponderis habuisse. Nam haud longè pòst ad Regem, nihil mediocre de ejus studiis omni genere doctrinæ instructissimis sibi pollicentem (*a*), accersitus, tam benignè ac clementer excipiebatur, ut in Diario reliquerit, *non levia benevolentiæ signa ipsi à Rege esse exhibita*. Quid, prolixam voluntatem sapientissimus Rex abundè probavit, cum Casauboni operâ in molestissimis negotiis uteretur (*b*), ac frequentissimè cum eo de pietate, religione, aliisque rebus sacris animo serio ageret privatim, quibus captus delectatusque benignissimus ille Rex ei Bibliothecæ Regiæ curam committere voluit (*c*). Hoc cùm intellexissent qui circum Regem erant nonnulli, persuadebant sibi hac viâ eum commodissimè posse trahi ad Romanensium partes, quippe qui non auderet resistere vehementius urgentibus, & acerbius instantibus Aulicis, aut negligere ostensum tam singularem Regis favorem, increscentemque prope continuò benevolentiam. Hinc vetus amicus, Philippus Canaius à Fraxinis, vir quamvis optimus, (qui Religionem mutaturus id unum agebat, ut jure & justis de causis eo compulsus fuisse (*d*) videretur) Casaubonum ferè singulis diebus unà cum Episcopis, Sacerdotibus ingenio callidissimis, non tam prandii causâ, quàm ut de Religione disputaret, ad cœnam vocat. Cùm his in multam noctem de rebus sacris, de veteri Ecclesia, de Religione disserit ac velitatur; verùm frustra. Apertè enim suam & sermonibus publico cultu profitebatur religionem ac fidem, adiens cum uxore liberisque Hablonem, sacram synaxim & exercitia publica celebratum; imò in media Lutetia ipsam regiam arcem auditum Figerellum, sororis Regis Ministrum (*e*). Quo haud leve quorundam concitatum erga se odium usque adeò inflammavit, ut falsis promissis aliisque inhonestis viis ipsum prodere non sunt veriti. Eos inter erat G...., de quo sic ipse in Diario: *Hodie expertus sum vanitatem vanissimi hominis G.... qui montes aureos pollicitus tot literis & quidem ultrò rogatus de re nihili, ingenii vitium prodidit, & quidem turpissimè*. Quibus subjicit: *Prodimur à Rosnio; deserimur ab aliis. Thuanus, & si qui alii nobis seriò cupiunt apud illum barbarum παρ' ἐδὲν ὤσι. Itaque* (en quò tandem hominem miserum perduxerunt!) *abitum jam paramus; eâ fine libris nostris renunciamus.* Quid usque eo videtur provecta contentio, ut notet in Diario: *Poterit hujus diei experientia omnem nobis ex animo spem aulicam ejicere.* Sic ut Genevam vel Sedanum cogitarit (*f*). Hisce itaque, indicatis jam antè, ferè quotidianis, sive cum Duce Bullionæo, sive cum aliis amicis, maximè Aulicis, colloquiis, seu in domo Canaii à Fraxinis ingratissimis eo nomine conviviis, quæ invitus cogebatur adire, certus illa institui non prandii, sed ipsius fidem tentandi, atque ad Religionem Pontificiam convertendi gratiâ, hominum oculos in se, suspectum jam mutatæ Religionis convertit. Nam infestissimi prævaricatores quotidianas salutationes (*g*), quibus officii gratiâ solebat maximum Thuanum, (*h*) virum divinitùs isti seculo in exemplum probitatis, pietatis, integritatis datum, invisere, sinistrè interpretabantur; idque eò magis quòd ipse Thuanus suspectus esset Jesuitis, ac si purus & sincerus non foret Catholicus Romanus. Ejus enim (*A*) Historia, utut conscripta non infucatâ absque partium studio, fide, tantas excitavit turbas (*i*), ut nisi moderatioris animi quidam intercessissent, quos amicos habebat, Cardinales Perronius, Seraphin, & Sforce, Romæ fuisset censoriis virgulis notata, imò posterior pars, si non aliorum fuisset in manibus, à liberorum Tutoribus ac testamenti Curatoribus suppressa, teste Peirescio (*k*). Nec aliam Baptista de Machant

(a) *Epist.* 208.
(b) *Epist.* 209.
(c) *Epist.* 216.
(d) *Ex Diario.*
(e) *Ex eodem.*
(f) *Epist.* 219.
(g) *In Diar.*
(h) *Epist.* 209.
(i) *Epist.* 194.
(k) *Epist.* 246. *Eundem, pag.* 31..

(*A*) *Ejus enim Historia*, &c.] Pierre du Puy à Monsr. de la Scala, pag. 163. *L'Histoire de Monsieur de Thou ne sera pas si tost achevée. Le volume qu'il nous donne de nouveau, va jusques au temps de la St. Barthelemy exclus. Il a retranché tout le Concile de Trente, qui est fort grand dommage: il pourroit bien faire seul un juste volume. Il dit là les veritez qui ne se peuvent endurer maintenant, principalement à Rome, où son livre a failly d'estre censuré, n'eust esté quelques amis Cardinaux qu'y a eu. Mon frere, qui est sur le lieu, luy a fort servy en cette affaire, & luy escrit fort souvent. Le Cardinal Seraphin François a rompu le coup deux ou trois fois. Je ne sçay si ce dernier volume fera tant parler que le premier qui luy a donné beaucoup de peine.* Le même, pag. 309. *La premiere partie de l'Histoire de Monsieur de Thou a eu mille traverses à Rome de s'eschapper de la Censure: mon frere* (Christophle du Puy) *y a servy Monsieur de Thou, comme son devoir l'y obligeoit. Monsieur le Cardinal du Perron, avec lequel il est maintenant, a monstré combien il estoit amy de Monsieur de Thou, & qu'il affectionnoit grandement, ayant commandé à ce* Schioppius *de se taire, voulant au livre qu'il a fait contre vous, escrire contre le dict Seigneur President sur ce qu'il loue en son Histoire plusieurs grands personnages, comme Philippe Melanchton, Monsieur Casaubon, & autres; mesmes y mettre l'Epigramme que vous luy aviez dressé, vous excusant de ne vouloir donner au public vos Notes* in Novum Testamentum. *Les Cardinaux Sforce & Seraphin ont aussi fort defendu ce livre. Ceste seconde partie renouvellera la querelle.* Nec aliter Jacobus Gillotus ad eundem Scaligerum in Epistolis Gallicis, pag. 420. *Monsieur le President de Thou a eu de grands assauts pour son livre. Tantost l'on le vouloit defendre tout à faict, tantost censurer, tantost reformer. Les grands sont offensez de la liberté, & peut-estre de la verité. Le Roy a voulu que l'on luy en aye tourné la Preface ou l'Epistre, qui s'addresse à luy.* Tandem quiescit.

chant habuit causam, quòd sub ficto nomine Joannis Baptistæ Galli famosum contra Thuanum scripserit librum (a). Non aliam habuit, puto, quare similem ederet Gretserus (b). Addo eandem ob causam, ne suspicio adaugeretur, nec Thuanum ipsum, nec alios viros eruditos publicâ vece, id est, Epigrammatibus Josephum Scaligerum, fato functum, deflere ausus (c). Quæ invidia ac odium ad mortis usque diem prope est comitata. Nam anno CIↃ IↃ CXI. cùm egregium vacaret munus aliquod publicum, quo dignissimus erat, ejus nulla habita fuit ratio; quo non solùm amici, verùm ipse adeò fuit offensus, ut relictâ urbe, rejectis patriæ curis, procul à negotiis remotus in privatis prædiis constituerit vitam degere. Quod cùm ad aures maximi Regis Jacobi VI. pervenisset, confestim jussit Casaubonum suo nomine hortari, ne Rempublicam, ne patriam in tanta virorum doctorum penuria desereret: difficillimis enim temporibus eam derelinquere idem ferè esse quod prodere (d). Hoc optandum foret indicasse Casaubonum aliosve. Verùm si hisce in tenebris micare mihi liceat, conjecerim fuisse, quòd ærarii cura, uni adempta, Thuano juxta cum Castronovano & Jannino *Triumviris* demandata, Triumviratu non benè comparato, soli ac uni Jannino sit commissa (e). Ex iis, familiaribus uti videbantur, colloquiis rumor exortus est, falsâ & temerariâ famâ, si non potius ab invidis adversariis sparsus in vulgus, quo odium magis ac magis incenderent, Casaubonum unà simul cum amico conjunctissimo, Philippo Canaio à Fraxinis, ad Pontificios transiisse; quod & ipsum gaudio exultantes Jesuitæ Burdigalenses publico libello, qui in manus incidit Casauboni (f), audacter confirmant. Serpit hic vulgatus per urbem rumor, crebrescit, & paucissimis diebus quaquaversum, quasi famæ velocissimis vectus alis per totum orbem dispergitur. Nam vel Româ id jam scripserat impurus ille Apostata Scioppius. Hinc Ecclesia Parisina, inde Genevensis, aliæque ad unum usque ferè omnes, quin imò singuli quoque boni in Casaubonum velut pari furore acti, ejus inconstantiam modò mirantes, modò tamquam malum auspicium detestantes, unanimes consurgunt, culpant, & criminantur, &, quod pace quorundam irâ præcoce abreptorum dixerim, vix justæ defensioni locum relinquentes inaudito contra omne fas reum pronuntiant. Hic nullius criminis, aut culpæ sibi conscius ab utroque latere falsissimis calumniis ita obrutus, ut vix sese posset extricare, gravissimè conqueritur ab una parte Pontificios magnificentius quàm verius jactare, eum Romanam Religionem amplexum; illos mendaciis non onerare, sed inquinare ejus famam. Ab altera parte Protestantes è contrario temerè nimium istis fallacibus ac iniquis rumoribus fidem adhibuisse, iisque impulsos ipsum haud aliter ac transfugam, aut bonæ causæ proditorem quàm vehementissimè clam palamque oppugnasse. Qualia iniqua de sese judicia vix potuit, nisi cum morte extinguere. Æmulorum postremus non erat in Ecclesia Parisina tum temporis auctoritate plurimùm pollens, Pontificiorum capitalis adversarius, Petrus Molinæus, Verbi Divini Minister Charentonensis, quocum, propterea quòd ejus inclementiora verba, quâ erat Casaubonus animi lenitate ac clementiâ, meliorem in partem acciperet, vixit non planè discors. Qui munere suo gravissimo lætus atque inflatus Molinæus, ubi sese offerret, domi forisque diligenter arripiebat occasionem carpendi; quin & sibi gloriam vendicabat, quòd impediverit ne Casaubonus à vera desciverit Religione. Verùm quid opus est nos eum defendere, cùm defensoribus istis non egeat sui suæque causæ optimus patronus Casaubonus, amici sui Canaii insignem abjurationem, quæ ærumnas prope intolerabiles ei attulit (g), hisce detestans: (h) *Quid dicam* (A) *de Pylade meo? Philippum dico Canaium à Fraxineto, qui cognitæ veritati, quam tot annos est professus*,

(a) *Alegambe Biblioth. Jesuit. pag.* 224.
(b) *Camden. Epist.* 105. 120.
(c) *Casaubon. Epist.* 643.
(d) *Epist.* 726.
(e) *Grammondi Histor. Galliæ, lib. I.*
(f) *Ex Diario*
(g) *Epist.* 1070.
(h) *Ex Diario*

(A) *Quid dicam de Pylade meo?*] Notatu sanè dignum est vel maximè, quòd isthoc tempore plurimi viri ingenio, doctrinâ, pietate ac rerum Ecclesiasticarum cognitione præstantes, (an vanâ mundi gloriâ turgidi, an lucro majore abrepti; sunt enim quidam eorum haud exigua munera Ecclesiastica consecuti, an egestate coacti, an Religionis veritate ac puritate convicti; an verò aliis rationibus justis persuasi & inducti, haud facilè quis dixerit; an bene an malè, judicarit Deus) Pontificiam Religionem sint amplexi, quos, de J. Pricæi Angli, ac Nicolai Stenonis Dani ad Papismum transitu agens, velut in parenthesi, hoc ordine recenset Colomesius in Bibliotheca Selecta, pag. 142. *A propos du changement de Messieurs Priceus & Stenon, je remarquerai qu'il y a eu de tems en tems de doctes Protestans qui se sont faits Catholiques. Tels ont esté, au siecle passé, Pierre Pithou, qui changea après la S. Barthelemy; F. Pithou, Sieur de Bierne, son frere; Florent Chretien, Precepteur de Henry le Grand; & Juste Lipse: & dans ce siecle, le President de Fresne Canaye, qui changea après la Conference du Cardinal du Perron & de Du Plessis; Nicolas Vignier, Medecin & Historiographe; Jerôme Vignier, son petit-fils, qui est mort Pere de l'Oratoire; Jean Vassan, neveu de Pierre Pithou, qui est mort Fueillant; Jean Plantavy de la Pause, qui de Ministre devint Evesque de Lodéve; Jean Morin, qui est mort Pere de l'Oratoire;* Lu-

professus, nuper renunciavit; ad vomitum ὁ τλήμων reversus. Scis tu, Deus καρδιογνῶστα, quàm me ea res prope afflixerit, & quia Majestatem tui Numinis violatam ab eo viro censemus, & quia propter notam publicè amicitiam nostram multis persuasum est, perfidiæ in Deum editum ab illo exemplum brevi à nobis esse æmulandum. Mihi verò μυριάκις si potest χάνοι εὐρεῖα χθών, priusquam de cognita veritate vel ἰῶτα ἓν demutemus. Itaque simul ac de Canaio actum esse animadvertimus, veterem cum ipso amicitiam non dissolvimus, sed abrumpimus; & jam mensis est ferè cùm illum non vidimus, nec posteà videre laboramus.

Calumniam verò hanc, licet plurimis Epistolis ad amicos datis, in primis obterere
(a) Epist. 232. ac contundere allaboravit egregiâ illâ Epistolâ ad Synodum Gergoviensem (*a*), & ad Gasparum Laurentium (*b*), quam ex animo doleo non exstare integram, procul dubio
(b) Epist. 1070. tradituram, quæ haud parum luminis illustrandæ huic Historiæ conferrent; maximè ta-
(c) Epist. 1043. men anno 1610. mense Majo, si calculus benè sit positus, Danieli Tileno (*c*) scripta; cui anteà aliâ Epistolâ amicum suum Canaium nativis coloribus depinxerat (*d*), per
(d) Epist. 299. Mazerium quendam, oblitum amicitiæ, ad Scioppium, uti conjicio, missâ (*e*), quâ
(e) Epist. 549. tantopere inflammatus fuit Canaius, ut, si non rabie, saltem furore quasi agitatus (*f*), omnes suos adversus Casaubonum acerbissimis literis incitarit, adjecto missoque per om-
(f) Ex Diario: Epist. 331. nes oras, quò magis veteri amico noceret, ac illatam quasi injuriam ulcisceretur, Epistolæ Casaubonianæ ad Tilenum exemplo: quod nec sufficere quidem ratus, rem hanc ad ipsum detulit Regem, qui placidè tamen, uti fatetur, nostrum increpavit: *Re-*
(g) Ex Diario. *gem* (*g*), ait, *hodie convenimus, & literas Bezæ, venerandi senis, ei tradidimus. Sumus ab eo moniti sanè quàm benevolè de literis ad Tilenum à nobis scriptis. Nam ad ejus aures pervenit res improbitate Fraxinei. Respondemus quod erat; aliud nihil.*

Præter ægritudines, quæ ex causa Religionis profluebant prope innumeræ, haud parum ipsum affligebat nuntius tristissimus, quem ex Præside Thuano intellexerat, de moribus filii majoris natu Joannis. Quos licet pater silentio voluerit tegere, putem tamen non obscura specimina dedisse propensi in Papismum animi; quem & posteà inscio & invito patre amplexum fuisse infrà sumus demonstraturi. Illis insuper accedebat vix ferenda, quòd numerosam haberet familiam, tarda nimium promissi stipendii solutio, quam ut maturaret, cogebatur implorare opem eorum, quibuscum ei etiam non magna
(h) Epist. 245. erat familiaritas. Etenim cujus amicitiæ nuntium misisse videbatur, obnixè rogat (*h*) Canaium à Fraxinis, velit apud Episcopum Eboracensem, posteà Cardinalem Perronium, ita suam agere causam, ut debitum ei persolvatur stipendium. Quod uti & aliæ plurimæ causæ, quas tacitè continuò amicis significat atque innuit, ipsum cogebant spe destitutum aliam circumspicere terram & remotiorem sedem, adeòquê à Rege petere viam ac facultatem urbe discedendi. Hoc cùm primùm per Rosnium, ac deinde per
(i) Epist. 235. Colladonium, virum integerrimum, frustra tentasset (*i*), *tandem*, inquit, *ausus sum & ipse animi mei sensum* (Regi) *indicare; orareque obnixè, daret facultatem ab ea urbe excedendi, ubi me cùm ipsi, tum in universum omnibus libera purioris Religionis professio reddebat inutilem, & tantùm non ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης. Adjiciebam multa in eam sententiam, quæ, ut opinio mea est, Principem aliarum rerum quàm literarum amantiorem de facili flexura fuissent, nisi esset incautius à non nemine injecta mentio. Tum verò Rex commoveri, & seriò negare missionem me unquam impetraturum: velle se operâ meâ in Bibliotheca sua ornanda uti: postremò non obscurè significare, facturum rem ingratissimam, qui posthàc de ea re verbum mutiret ullum: non animus nobis, non voluntas defuit experiundi aliâ viâ, si quid porro profici posset. Sed hoc mihi consilium κατὰ θυμὸν ὁρμαίνοντι visum satius rem in aliud differre tempus. Persuasissimum quippe habemus, ut sunt hujus benevolentiæ Regis erga nos parum firmæ, ita & ipsam infirmam futuram atque ὀλιγοχρόνιον. Id si eveniat, confide fore brevi, ut ego & tu communis voti damnemur, si modò cæptis faverit ὁ ὑπὲρ ἡμᾶς ὑπερέχων Θεός. Atque hæc ad illustrissimum Principem ante paucos dies scripta, ut rursus ex te cognoscat, & de nostri animi constantia ne dubitet, per ego te amicitiam nostram oro atque obtestor.*
(k) Meric. Casaubon. Piet. pag. 73. nost. edit. Quibus adumbrare eum reor Professionem, quam Sedani Casaubono conferre nitebatur Dux Bullionius (*k*), quo jam sororis Saræ filium, Isaacum Chabanæum, miserat, non sine spe successûs; quem tamen posteà, lenitâ quodammodo imminente tempestate, li-
(l) Ex Diario. teris revocavit (*l*). Nec semel tantùm hoc rogavit Regem (*m*), *sed adeundus ille*, ait, *nobis sæpius fuit, ut ex ejus voluntate de futuro statu nostro aliquid tandem constitueremus.*
(m) Epist. 238. Ita ut seriò rem hanc eum persequutum fuisse videamus. Quid quo subductus eorum

Luc Holstenius, qui est mort Bibliothequaire du Pape; & Pierre Lambec, son neveu, Bibliothecaire de l'Empereur. Quibus ex Vita Petri Cottonis Jesuitæ * addas *Messieurs Beringhen, & de Castelnau, de Mainville, de Saint Chaumond, & de Fonslebon, Gouverneur de Laon, & de Lomenie, Secretaire d'Etat.* Pag. 97.

* Pag. 131.

rum oculis inimicorum animis citius requiescendi, ac subsidendi tempus aliquod atque occasionem concederet, per magnum Thuanum apud Regem egit, ut per aliquot menses ipsi liceret Hollandiam petere, atque Lugduni Batavorum summum illud literarum lumen, Josephum Scaligerum, invisere (*a*): verùm nec vel hoc potuit tanto intercessore obtinere à clementissimo aliàs Principe; qui fortè, ut erat ingenio sagaci, prævidit, si hoc concessisset Casaubono, eum numquam reversurum; utpote certus quem invitum ac aliam sedem omnibus mediis ac modis quærentem, solâ suâ voluntate ac favore retineret. Omnia autem frustra expertus (*b*), cùm videret ab optimo Rege μηδεμιᾷ μηχανῇ missionem posse impetrare, cedit tanto Principi, scribitque Justo Lipsio (*c*): *Sed rationibus meis omnibus clementissimi Principum voluntas præponderat; cui parere, & dicto esse obedientem, pars pietatis. Quamobrem id nunc agimus, ut stabilitis hac in urbe fortunis, nostris prioribus studiis nos dedamus, & illustrandis Veterum scriptis otium nostrum impendamus.* Itaque in hac temporum infelicitate ac malorum turbine, quæ aliis animi fervorem extinguerent, & jucunda studia solent amara efficere, haud segnius quàm diligentissimus quisque studiosus incubuit non tantùm quotidianis laboribus, & communibus disciplinis, ac linguis eruditis familiaribus, Latinæ, Græcæ, Hebrææ, Syriacæ (*d*); sed, quò ulterius proveheret eruditionis gloriam, ac perduceret ad altius fastigium (*e*), linguam Arabicam incredibili cum voluptate addiscere studens (*f*), sæpissimè media sedit noctis ab hora,

> (*g*) *Quâ nemo faber, quâ nemo sedebat,*
> *Qui docet obliquo lanam deducere ferro,*

usus, cùm propriæ vires ac facultates deficerent, variis amicis potius quàm magistris. Præter virum summum, ejusque amantissimum, Josephum Scaligerum, ac Stephanum Hubertum, Arabicarum linguarum Professorem Regium Parisiensem dignissimum (*h*), (Scholæ & urbi, quòd ne nummum quidem Quæstoribus extorquere posset, valere dicere coactum (*i*), cujus discessus conatus suos prope (*k*) abrupit,) quos per literas continuò consulebat, viro nobilissimo ac solidè docto, N. Floro (*l*), Curiæ Parisiensis Senatore amplissimo; nemine verò familiarius usus est Hadriano Guilielmo Flessingensi (*m*), à Scaligero ipsi primùm quàm diligentissimè commendato (*n*), juvene adeò probè Arabicæ linguæ docto peritoque, quòd etiam ipse Scaliger eo Magistro uti voluerit (*o*). Quibus, quamvis jam multos annos ei curæ impendisset (*p*), nec otio destitutus multum profecisset (*q*), fidissimis Præceptoribus, maximè verò Hadriano Guilielmo Flessingensi, brevi temporis spatio tantum profecit, ut non modò Alcoranum, Euangelia (*r*), Proverbiaque Arabica commodè cum fructu legeret, verùm ad viros præstantissimos Arabicas scribere Epistolas (*ſ*), ac Geographiam Romæ editam, (fortè & (*t*) Avicennam) in quo jam aliquid opellæ posuerat (*v*), in Latinam linguam transfundere (*w*), imò vel Lexicon Arabicon conficere fuerit ausus (*x*), quòd observasset eo in genere nullam rem æquè desiderari ac Lexici alicujus auxilium, desperaretque Josephi Scaligeri Thesaurum umquam proditurum (*y*). Adde quòd, tanto hujusce linguæ captus studio, omnes, quos Arabicæ linguæ peritos cognôrat, Scaligerum, Florum, Erpenium, Guionium, aliosque opem discendique viam ac methodum rogarit non modò, sed à Claudio Puteano, Petri fratre, Româ (*A*) libros Arabicos sibi comparari mittique petierit (*z*). Hoc ductus Scaligero suasit Thesaurum linguæ Arabicæ edere (*aa*); Thomam Erpenium incendit, quòd Proverbia Arabica, ab illustri Scaligero Notis illustrata, anno 1614. ediderit, quique ei, utpote primo suasori atque exhortatori, gratum animum testaturus, illa quoque dedicavit, uti secundâ editione ejus filio Merico.

Perseveravit quidem hoc in studio usque ad ipsam mortem (*bb*), licet sublato inopinâ immaturâque morte Adriano (*cc*) plurimùm de eo remiserit; quippe qui tanti amici discessu tristissimo, usque adeò fuit afflictus, uti etiam multis post obitum Adriani annis, non sine piis lacrymis potuerit ejus meminisse. Hunc, quòd adeò ardenter dilexisset (*dd*), voluit propterea ab amicis Belgis, Scaligero, Heinsio, Meursio (*ee*) defleri & Epitaphio ornari. Præstitit autem hoc vir clarissimus, Foppius ab Aitsema, *cujus* (*ff*) *utinam exstaret Epigramma!* Præstitit hoc vir maximus, Daniel Heinsius, ejus quoque amantissimus (*gg*), rogatu Casauboni, quod subjiciendum autumavi:

In

(a) *Epist.* 225.
(b) *Epist.* 230.
(c) *Ep.* 256.
(d) *Ep.* 256.
(e) *Expertus non semel, quantum eâ conatus ejus in literis possent juvari.* Epist. 362.
(f) *Ep.* 256.
(g) *Juven. Sat.* VII.
(h) *Colomes. Gall. Oriental. Scalig. Epist.* 66.
(i) *Epist.* 256. *Huet. de claris Interpretibus, pag.* 132. 155.
(k) *Ep.* 275.
(l) *Ep.* 253.
(m) *Epist.* 346. 305. *Huet. de clar. Interpretibus, pag.* 155.
(n) *Epist.* 290. 309. 319.
(o) *Scalig. Epist.* 87.
(p) *Ep.* 365.
(q) *Ep.* 511.
(r) *Ep.* 440.
(ſ) *Meric. Piet. pag.* 101. *nost. edit.*
(t) *Ep.* 548.
(v) *Epist.* 346. 362.
(w) *Epist.* 475. 438. 452.
(x) *Epist.* 511. 548.
(y) *Ep.* 458.
(z) *Epitr. François. à Monsr. de la Scala, pag.* 162. 166. 483.
(aa) *Præf. Antholog. Martial.*
(bb) *Epist.* 808.
(cc) *In quo capite quantam jacturam fecerint literæ Arabicæ, nemo facile dixerit.* Epist. 412.
(dd) *Epist.* 365. 412. 548.
(ee) *Epist.* 426.
(ff) *Epist.* 429.
(gg) *Epist.* 405.

(*A*) *Libros Arabicos sibi comparari mittique petierit.*] Sic ex Bibliotheca Palatina Heidelbergensi Lexicon Medicum Arabicum Georgii Michaelis Lingelshemii operâ per aliquot tempus mutuum accepit. *Is. Casaub. ad Pers. Sat.* IV. *vers.* 21.

In obitum Hadriani Guilielmi, Zelandi (a), *juvenis Medicarum rerum, & linguarum Orientalium peritissimi, qui in* ISAACI CASAUBONI *manibus exspiravit.*

(a) *Daniel. Heins. Poemat. pag.* 67. *ed.* 1640.

Τὸν μέγαν ἠβητῆρα, τὸν ἀνδράσι πᾶσι θαητὸν·
Ἡλικίης πρώτης μέτρα παρερχόμενον,
Τὸν σοφὸν Ἀδριανὸν, Νηρηΐδος ἀστὸν ἀρούρης,
Τὸν γλυκερῆς ταμίην ἐσθλὸν ἀκεστορίης,
Γλώσσαις δ' αὖ πάσαισιν ὅσαις κλυτὸς εὔχεται Ἠὼς,
Ἀνδρομέης σοφίης ἐς πλέον ἱκόμενον,
Ἴστε τὰ ἢ προλιπόντα τὸ πατρίδος ἱερὸν οὖδας,
Καὶ φιλίην, πολλῆς εἵνεκεν ἱστορίης,
Χερσὶν ἐνὶ γλυκερῇσι Κασαυβονίοιο θανόντα,
Λευκετίῃ γαίῃ κεύθει ἐν ἀλλοδαπῇ·
Ζεῦ πάτερ, ὥς τις ἵκοιτο καὶ ἐς Στύγα, φερτάτου ἀνδρῶν
Μέχρι καὶ εἰς Ἀΐδεω χερσὶ κομιζόμενος.

Si quis autem cognitionis ejus seu peritiæ in Lingua Hebræa, Chaldaica, sive Arabica, studiive Rabbinici desideret specimina, is consulere poterit Epistolam 247. 275. 439. 452. 1078. Notas ad Lampridii Heliogabalum, cap. 21. & 22. Alexandrum Severum, cap. 1. ad Capitolini Gordianos tres, cap. 3. & 31. Trebellii Pollionis Claudium, cap. 17. (b) plurimaque ad alios Scriptores ab ipso illustratos adducta loca, passimque in Exercitationibus Baronianis occurrentia, quibus abundè confirmatur quod verissimè dixerit, se Rabbinorum scriptis admodum delectari (c); imò, si socium haberet, velle se in Rabbinorum libros immergere (d). Wilhelmus tamen Schickardus (e) scribit, *infinitæ lectionis hunc hominem, cujus judicium & dexteritatem in allegationibus Græcis Latinisque veneratur, quando ad Hebræa ventum est, sæpenumerò dormitare;* quam tamen opinionem in notis ad hunc locum elaboratissimis refellit Joannes Benedictus Carpzovius, profundæ in Hebraicis doctrinæ vir. Inter hæc, inquit (f), *ecce novas occupationes: quod enim in mentem venerat numquam, ad Regem Scotorum* (Jacobum VI.) *nobis dandæ sunt literæ;* cujus causam atque occasionem, quod dolendum, non aperit. Has essetne scripturus, an verò modestè declinaturus, cùm per integrum ferè mensem seriò deliberasset, gravissimis expugnatus rationibus, tandem inchoat atque absolvit; idque, quòd quasi de longinquo prævideret hoc oleum additurum camino, quoniam Rex ille Protestantes, cum quibus eandem Religionem Casaubonus profitebatur, amabat ac tuebatur, invitus, vel ipso teste (g): a. d. XII. Kalend. Octob. CIↃ IↃ CI. *Hodie in libris nihil, non propter valetudinis curam, quàm ob Epistolam ad Regem Scotiæ scriptam. Nuper eam inchoavimus. Hodie & absolvi & descripsi. Juvat eâ curâ esse defunctum, quam sanè inviti susceperamus.* Epistolam verò ipsam, & ad eam responsoriam Regis, quòd in corpore non exstent, subjicimus.

(b) *Commentarium ad Polybium*, pag. 33. 34. ed. Amstel.
(c) *Epist.* 820.
(d) *Epist.* 823.
(e) *De Jure Regio Hebræorum, cap.* 1. *Theorem.* 7.
(f) *Ex Diario.*
(g) *Ibid.*

SERENISSIMO, POTENTISSIMO PRINCIPI,

JACOBO VI.

Scotorum (*posteà Magnæ Britanniæ, Hiberniæ*, &c.) Regi.

„ QUod minimè omnium Majestatem Tuam latet, Rex serenissime, idemque sapien-
„ tissime, adfectus ingentis hæc interdum vis est, ut mutis atque elinguibus vo-
„ cem exprimat. Lydi quondam Regis filio id evenisse, testis Historia antiqua. Ade-
„ merat infelici puero vocis usum naturalis quædam linguæ impotentia: pietas vinculum
„ solvit, & opportuno tempore loquelâ donavit. Simillimum est, quod nunc & mihi
„ Tua Majestas usu videt venisse. Personant aures nostræ quotidianis multorum sermo-
„ nibus τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ commemorantium, quæ ille fecit in ordinanda, imò cumu-
„ landa Tua Majestate generis omnis dotibus, quarum vel singulas in Principe tanto jure
„ aliquis

,, aliquis non adulandi ſtudio miretur. Eſt qui benignitatem naturæ tuæ, pari comitate
,, junctam, miris laudibus tollat in cœlum. Eſt qui de æquitate juſtiſſima, & æquiſſi-
,, ma juſtitia, de prudentia, de judicio, quæ in omnibus dictis, factis tuis cernuntur,
,, eximia prædicet ac rara. Alius mihi fortitudinem tuam, cujus grande nuper docu-
,, mentum Majeſtas Tua dedit, meritiſſimò dilaudat. Verſatur jam & in ore omnium
,, amor Muſarum tuus, & illa inſignis, quæ in te eſt, peritia literarum, quæ judicio ſa-
,, pientiſſimi Imperatoris, fundamenta ſunt cunctarum virtutum. Super hæc omnia ful-
,, get longè latèque pietas tua, Rex ſereniſſime, & purioris Religionis amor, atque in
,, ejuſdem profeſſione & propagandi ſtudio firma conſtantia. Harum igitur tot tanta-
,, rumque virtutum frequens ac ſeria contemplatio, cùm impuliſſet me dudum, ut tacitâ
,, cogitatione atque intimis ſenſibus ſublime hoc tantæ præſtantiæ tuæ faſtigium venera-
,, rer: tandem etiam vocem rumpere, & te, magne Rex, affari compulit; cùm præſer-
,, tim ab humaniſſimo & eruditiſſimo Joanne Spotiſvodo, quem in comitatu illuſtriſſimi
,, tui Legati hic vidimus, intellexiſſemus Tuam Majeſtatem non ſolùm de noſtro nomi-
,, ne & ſtudiis inaudiſſe aliquid; ſed & exiſtimationi favere non obſcurè. Nempe, hæc
,, eſt magnarum & verè διογενῶν animarum natura, hæc indoles, ut eorum etiam, qui
,, poſſunt minimùm, conatus honeſtos benignè interpretentur; & non minus voluntatis
,, quàm facultatis in pendendis cujuſque meritis habeant rationem. Certè Suffenus ipſe
,, mihi non ſum, nec unquam fui; qui ingenii mei brevem nimis modum probè novi.
,, Et tamen diffiteri nequeo, ad nuntium hunc incredibili quodam gaudio eſſe me perfu-
,, ſum. Nihil enim ad commendationem lucubratiuncularum noſtrarum aut ſperare, aut
,, omnino concipere animo majus poteramus, quàm ut per illas ei Principi vel leviter in-
,, noteſceremus, qui cæterarum tanto Regi convenientium virtutum gloriam, laude in-
,, ſuper eruditionis ivit cumulatum. O ſalve, & felix vive diu, immortale ſeculi de-
,, cus. Abſque te eſſet, haut ſatis ſcio an habitura eſſet noſtra ætas, quod Vetuſtati,
,, Pios ſuos & Philoſophos Imperatores in Chriſtiani nominis contumeliam jactanti, poſ-
,, ſet opponere. Unus tu, Rex ſapientiſſime, amore ac ſtudio cùm aliarum diſciplina-
,, rum, tùm imprimis pietatis, quæ vera Philoſophia eſt, Veteres illos tam longo ſu-
,, peraſti intervallo, quanto divina diſtant humanis, & ut cum Poëta dicam, ὅσον οὐρανὸς
,, ἐς' ἀπὸ γαίης. Sed longè animi judicio meo falletur, quiſquis novum hoc veluti ſidus
,, ferreo iſto potiſſimùm ſeculo caſu aut forteforunâ putabit illuxiſſe. Solet ſummus
,, ille rerum Arbiter, quos ad magnas, & ut ita dicam, extraordinarias rerum conver-
,, ſiones elegit, eoſdem raris quoque & extraordinariis virtutibus inſignire. Regna à
,, majoribus fundata, & quaſi per manus inter cætera patrimonii ſibi tradita, quietis re-
,, bus benè ac prudenter adminiſtrare, etſi laus eſt non mediocris; ejuſdem tamen, ſi
,, verum fateri licet, cui etiam mediocria interdum ingenia uſu ipſo paria ſe videantur
,, præbuiſſe. Major animi vis, mens acrior, altior prudentia in eo Principe deſidera-
,, tur, quem Macedoniæ ſuæ non capi finibus, etiam hoſtes ipſi (ut eſt potens veritas
,, vel à conjuratis oſoribus ſuis verum extorquere) ſunt faſſuri. Eſtne aliquis Europâ
,, totâ, ac propè dixerim, toto jam terrarum orbe, quin ſciat Magnum Henricum no-
,, ſtrum, Regem Chriſtianiſſimum, qui rebus geſtis etiam feliciſſima Scriptorum ingenia
,, longè à tergo reliquit, ad debitum ſibi jure ſanguinis Regnum admirabili quodam ani-
,, mi robore, & illis, quas heroicas dixere, virtutibus, magnâ mole Gigantum fratercu-
,, lis contrà nitentibus fruſtra multis, viam ſibi feciſſe? Te quoque, Princeps inclyte,

,, *Majoribus ire per altum,*
,, *Auſpiciis manifeſta fides.*

,, Neque dubitamus, magnum aliquid, quod loquantur poſteri, ſuo tempore editum
,, iri ab excellentibus adeò & præſtantibus virtutibus tuis. In quibus commemorandis,
,, ac pro virili parte ornandis, facerem libenter, qui meus eſt in te adfectus, aut potius
,, pietas, ut mediocris ingenii vires exſererem; niſi viderem graviſſimis occupationibus
,, tuis bono publico eſſe parcendum. Contraham igitur orationis vela, & cujus potiſſi-
,, mùm gratiâ inſtituta hæc ſcriptio eſt, non tam meo privatim nomine, quàm publico
,, bonorum omnium, quibus hic pietas & virtus cordi, quòd ex immani illa conjura-
,, tione, quæ Majeſtatem Tuam anno oppreſſerat, memorabili in omne deinceps ævum
,, exemplo, maximè quidem manu cœleſti, ſed & virtutem ac fortitudinem tuam ſe-
,, cundante ſis liberatus; cuncti & tibi & univerſis gentibus, quibus aut jam imperas,
,, aut quandoque imperaturus es, ex animo gratulamur. Macte felicitate tuâ, Rex ſe-

„ renissime, atque illud seriò gaude, seriò triumpha, tam inlustri argumento superos „ palam fecisse, teque & salutem tuam sibi esse curæ. Quis igitur adversus te, si Deus „ à te?

„ Δυσμενέων παῖδες τῷ σῷ μένει ἀντιάσειαν.

„ Quod superest, Rex θεοφιλέστατε, Deum Opt. Max. assiduis precibus oramus, ut „ domi forisque omnia tibi tuta ac læta præstet; consiliis atque inceptis tuis adsit, præ- „ sitque semper benignus; faxit denique ut Tua Majestas, populos à Providentia divi- „ na & submissos sibi, & commissos, quàm optimè, quàm felicissimè, quàm diutissi- „ mè regens,

„ *Imperium Oceano, famamque ut terminet astris.*

„ *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XII. *Kalend. Octob. anno* ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας CIↃ „ IↃ CI.

TUÆ MAJESTATIS

devotissimus Cliens,

ISAACUS CASAUBONUS.

SERENISSIMI
JACOBI VI.
Scotorum (*posteà Magnæ Britanniæ, Hiberniæ,* &c.) Regis,
EPISTOLA
ad
ISAACUM CASAUBONUM.

INnotuit nobis antehàc insignis tua prudentia & eruditio: nunc adfectûs tui erga nos, & cultûs non levem fecisti significationem. Uterque gratus, etiam literæ tuæ, quæ effusæ in nostras laudes. Quanquam illud Tragici hactenus perplacuit, animo magis quàm voce laudari velle; tamen non diffitemur nos plurimùm lætatos laudatione tuâ. Pulchrum, *ait ille,* laudari à viro laudato; *amnon à te? cujus nomen jampridem perclaruit in nostro orbe. Perge, per nos licet, laudare, colere, venerari, aut si quid aliquid aliud ducis magè nobis dignum, id face; nihil à te quod non gratissimum. Amamus enim eruditionem tuam, pietatem, prudentiam, acre judicium, & insignem animi temperiem, quorum nomine [& hæc non ultima laus, non minima,] vales gratiâ apud Regem fortissimum & potentissimum. Gratulamur ex animo utrique vestrûm; tibi quòd honos sit habitus virtuti tuæ; illi quòd ad cæteras virtutes hanc adjecerit verè regiam, cultum hominum literatorum. O felicem Galliam, si tanto Principe, si tam præclaris ingeniis diu fruatur! Ruebat Regnum per motus bellorum civilium: ille retinuit; ille effecit ne jam animam agens exspiraret Respublica. Silebant artes, & tantùm non peribant bonæ disciplinæ; vos restituistis. Quid est quod non hinc speremus, dummodò pax constet & libertas liberæ genti? Sed Deus videbit. Litigia in Religione, ut intelleximus, inter vos satis fervent, nec remittunt adversarii quicquam de veteri pertinacia. Mirum quòd in tanta luce non pudeat errorum; mirum quòd non tædeat viros puerilium nugarum. Romanos porro certum est omnia miscere in gratiam sui Pontificis; serunt odia inter Principes; adimplent omnia suspicionibus; pacem Christianæ Reipublicæ sibi noxiam arbitrantur: etiam involant in Jura nostra, & Regna divino humanoque jure nobis debita aliorsum transferre conantur. Hæc persentiscimus, & quàm humanitùs fieri potest, cavemus, securi de eventu. Deus enim hucusque à nobis, & in posterum, ut speramus. Tu verò, Casaubone, quicquid nostra scire interest, per literas, dum occasio erit, significabis. Scis quid momenti habeant opportuna nuntia, præsertim in Rebuspublicis. Pietas tua & affectus, de quo multa*

multa apud nos Spotisvodus noster, hæc suadent : dein tu sub Principe, quocum nobis conjunctissima est amicitia ; in illa Ecclesia, cujus status nos habet valde sollicitos. Optamus certè prospera omnia ; nos interim prospicimus Ecclesiis nostris, certi unà cum imperio propagare certam in Deum fidem. Exteris, si dederit Dominus, opitulabimur : nunc & sicut hactenus firmum nobis est, studia bonarum artium, sed & earum fautores fovere : namque hæc ornamenta Regnorum ducimus & firmamenta. Rectissimè Seneca & ad nos : Etsi nostra magis refert fortiores fieri quàm doctiores, tamen alterum sine altero non fit : non enim aliundè venit animo robur quàm à bonis artibus, & à contemplatione naturæ. *Ignoscimus Philosopho, quòd non adjecerit studia pietatis, quæ nos tamen ante omnia semper poscimus & meritissimè:* Μία φυλακὴ εὐσέβεια· εὐσεβοῦς γὰρ ἀνθρώπου, οὔτε δαίμων κακὸς οὔτε εἱμαρμένη κρατεῖ· Θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ. *Quod superest, impeditum in Scotiam iter tuum superiori legatione molestè tulimus ; nobis multò potius coram tecum sermocinari quàm per literas ; & dabit illud Deus aliquando, confidimus, fortasse in locis non ita dissitis. Tu perge intereà, dum hoc fiat quàm iniimus amicitiam crebrioribus literarum alloquiis fovere, ita feceris nobis longè gratissimum. Nunc quoniam itur ad occupationes publicas, te, charissime Casaubone, salvere jubeo & valere.* Edimburgi, in palatio nostro suburbano, Kalend. Februar. anno salutis CIↃ IↃ CII. (*a*).

(a) *Has literas Georg. Mich. Lingelshemius præclarissimas vocat Epistol. ad Jacob. Bongarsium, num. 44.*

Ad quam iterum ita respondet Casaubonus.

SERENISSIMO, POTENTISSIMO PRINCIPI,

J A C O B O VI.

Scotorum (*posteà Magnæ Britanniæ, Hiberniæ, &c.*) Regi.

,, TAntine Tuam Majestatem, JACOBE, Rex serenissime, leviculum illud nostrum
,, scriptionis officium fecisse, debitum pridem heroicis virtutibus tuis, ut literis
,, meis statim, non multò secus atque in privati hominis modum, responderes? ut in
,, tanta negotiorum mole hanc curam susciperes, & aliis & multis πρεσβευτήροις anteverte-
,, res? Adeòne Te fastigii tui aut meæ humilitatis rationem habuisse nullam? Nempe il-
,, lud supererat, Rex maxime, ut etiam mihi privatim, civilitatis tuæ, & illarum tot
,, tamque illustrium virtutum specimen præberes, quas longè latèque radiantes dudum
,, in Te cum omnibus bonis, qui ubique gentium degunt, tacitus sum demiratus. Equi-
,, dem ut vidi, ut legi quas ad me Tua Majestas dignata est scribere, gaudione majore
,, fuerim affectus, an admiratione obstupefactus, non dixerim facilè. Nam quæ hæc
,, est tam ingens, tam inusitata comitas? quæ tam obvia benignitas? Deum immorta-
,, lem! quàm hodiè, non dicam, ordinis tui Regum & Principum; sed omninò Pro-
,, cerum pauci vitam ad hoc exemplum instituunt? Inter illos paucos Tuam Majesta-
,, tem, JACOBE, Regum decus, non dicam censeri debere; verùm de loco principe
,, cum uno fortasse aut altero, ὅσοι νῦν βροτοί εἰσι, contendere, ambigit hodie mortalium
,, nemo. Olim de magno quodam populi Romani Senatore vir disertus dixit: *Nihil*
,, *aliud eum esse quàm ex omni bonarum artium congerie collectam perfectionem.* Absit invi-
,, dia verbo; sed profectò meliore nunc jure de Tua Majestate communis gentium con-
,, sensus vulgò idem prædicat. Ut jam quacunque in orbis parte positus aliquis tuum,
,, Rex sapientissime, nomen audierit, perfecta magni Principis imago simul illi in men-
,, tem veniat. O illum beatum populum, cui talis tantusque Rector θείᾳ μοίρᾳ obtigit!
,, Beatiores tamen illos, qui excellentissimas Tuæ Majestatis dotes familiarius nôrunt,
,, propiusque mirantur. Super omnes beatum Te, imò beatissimum, qui tam insignem
,, hanc gloriam, & omnia, quæ Dei Opt. Max. liberalis manus in Te non effudit, sed
,, profudit, bona atque ornamenta, auctori, unde habes, fers accepta. Persta, magne
,, Rex, in ista ratione propositi; atque illud firmiter crede, virtutum cæterarum, om-
,, nisque adeò felicitatis genitricem, conservatricem, amplificatricem, Pietatem esse, &
,, in ea fide, quam à puero imbibisti ἀμετακίνητον constantiam. Oro supplex venerorque

„ τὴν παναγίαν ἐν τριάδι μονάδα, ut promovendæ gloriæ ſuæ, & imperii tui propagandi „ faciles certaſque Majeſtati Tuæ rationes ſuggerere; Teque novâ ſemper laude florentem, nepotibus ac pronepotibus noſtris ſervare; perfectâ denique beatitudine, καὶ ἐν „ τῷ παρόντι καὶ ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι, velit cumulare. In hoc voto finem faciam, ne publica „ Regni tui negotia intempeſtivo ocio meo interturbem. Si hoc unum Tuæ Majeſtati „ oravero obteſtatuſque fuero, ſic de nobis ſibi perſuadeat; tuum unius nomen in terris „ eſſe, quod ſecundum clementiſſimum Herum noſtrum, Henricum Magnum, Regem „ Chriſtianiſſimum, omni cultu, obſervantiâ, veneratione, devotâ mente colamus, & „ æternùm ſimus culturi. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d. XI. Kalend. Maj.* CIϽ IϽ CII.

Ættereà inſudabat diligenter variis Auctoribus Græcis Latiniſque. In Græcis excutiebat Cleanthis ad lucernam juxta cum Polybio libros Græcos τακτικοὺς ex Bibliotheca Regia, quâ mirum in modum, licet pro lubitu, aut quando otium eſſet liberalius, moroſioris naturæ hominis, Goſſelini, Regis Bibliothecarii, non poſſet ingredi, capiebatur depromtos. Ex Latinis Cæſareæ Hiſtoriæ Scriptores, caſu quodam intermiſſos (*a*), quos pridem elimare ac edere ſeriò conſtituerat, diligenter recenſebat, bene de illis, bene de Hiſtoriæ Romanæ ſtudioſis, ſic ſaltem ſperabat (*b*), meriturus. Verùm, quæ deſiderabat unicè neceſſaria, deerant ipſi adjumenta, Codices nempe manu exarati, (quamvis nonnullis Regiis ſit uſus) quos ipſos, aut quorum collationes undique ſtudebat conquirere, unde ad nullum fermè ſcribebat virum doctum, cujus non imploraret in iis ſedulam operam. Hinc tot tantaque in eos congeſſit Auctores, ut ipſe miratus Animadverſionum copiam atque amplitudinem ſcripſerit Scaligero (*c*): *Inſtitueramus criticas fermè Notas: exibit*, Θεῷ εἰπεῖν, *prope legitimus Commentarius liber*. Verùm has non antè edere conſtituerat, quàm Scaligeri opus (Euſebium intelligit) vidiſſet; ſed invitum compulerunt amici (*d*). Paraverat intereà quoque *Commentarium de Critica*, quem prope affectum & ad umbilicum perductum abſolvere intra manus hærentes alii labores non permittebant (*e*). In eo enim omnem Hebræorum κριτικὴν explicare erat animus (*f*). Expolire etiam hoc tempore inſtituerat *Commentariolum de Lectis ac Stragulis Veterum* (*g*); opuſculum, uti opinabatur, duorum menſium; quod tamen nunquam perfecit, ſaltem non edidit. Lectiones publicas, à quibus valde abhorrebat, an habuerit umquam Lutetiæ, non audacter aſſeruerim. In privatis verò ædibus, magnâ clariſſimorum virorum coronâ ſtipatus, amicorum rogatu interpretatus eſt Herodotum (*h*), Ariſtophanem, nec non alios Scriptores Græcos. Cæterùm cauſas, propter quas publicè docere detrectarit, cenſuerim fuiſſe, I. quòd facilè perſpiceret reliquis Profeſſoribus ſua non fore jucunda. II. Malevolos, quos inter poſtremus non erat Theodorus Marcilius, Eloquentiæ Profeſſor Regius, interpretationes ſuas in malam accepturos partem. III. Quòd certus eſſet, utut ipſi (*A*) faventem Regem, tamen Pontificis Romani veneratione non niſi ſub conditione quadam concedere hoc auſum. Nam quòd oſores atque invidi prætextus Religionis vel ipſum Regem accuſarent, ideò planè ejus libero arbitrio conceſſit, velletne publicè docere? (*i*) *Sed*, addit, *cauſas graves habui, cur valetudini meæ conſulerem & abſtinerem.*

(a) *Epiſt.* 315. *ed. Grev.*
(b) *Epiſt.* 202.
(c) *Epiſt.* 215.
(d) *Epiſt.* 256.
(e) *Epiſt.* 215. 311.
(f) *Epiſt.* 247.
(g) *Epiſt.* 29. & *Diar.*
(h) *Epiſt.* 294.
(i) *Epiſt.* 294.

Intereà Rex clementiſſimus, apud quem ſummo erat in honore ac ſingulari caritate, volens ſe Caſauboni rebus dubiis quaſi lumen ac præſidium præſtare, inquietumque ſedare animum, dictis facta amiciora adjiciendo, ducenis aureis ſtipendio aucto (*k*) (quod Villaregius inſcio prorſus Caſaubono, tantum abeſt ejus rogatu (*l*) procuravit) haud gravatè ſæpenumerò ad ſecretius colloquium admiſſum Bibliothecæ ſuæ creat Præfectum, eòque lubentius, quòd ſciret Joannem Goſſelinum, virum Matheſeως ſcientiſſimum, cujus curæ ea Bibliotheca erat commiſſa, ſenem ætatis admodum decrepitæ non ita diu fore ſuperſtitem. Modum verò ſanè quàm jucundum atque jocoſum, quo uſus fuit clementiſſimus Rex, Jacobi Gilloti, Senatoris Pariſini, Caſauboni cùm admiratoris, tùm cultoris ſummi, verbis adſcribam (*m*): *Le Roy avant-hier luy* (Caſaubon) *fit grande chere, luy reprochant qu'il avoit eu volonté de le laiſſer; mais qu'il ne trouveroit jamais un ſi bon maître, & qui l'aimaſt comme lui. Qu'il vouloit qu'il fuſt en ſa Librairie; que celuy, qu'il avoit, ne pouvoit plus vivre qu'un an. Qu'il verrât ſes beaux livres, & lui diroit ce qui eſtoit dedans, où il n'entendoit rien. Bref, il lui fit bien de la faveur & de l'honneur.* Quinimò extemplò jam facti fuiſſent codicilli, ni inexpiabile prope odium Religionis rem illam in plurimos menſes traxiſſet. Poſteà verò ne poſcenti quidem aut cogitanti

(k) *Epiſt.* 256.
(l) *Epiſt.* 376.
(m) *Epiſt. Gallic. ad Scaliger. pag.* 105.

(*A*) *Ipſi faventem Regem, tamen Pontificis Romani veneratione*, &c.] Epiſtol. 256. *Quod ſi non obſtaret Pontificis Romani reſpectus, pridem factum eſſet, ut Regis juſſu publicè doceremus*, &c.

cogitanti traduntur hi codicilli ea sub conditione, ob quam eos non magni fecit, ne morosus ille à thesauris regiis loco moveretur (a).

Mortuo tandem tristissimo certè casu; relictus enim à famulo decrepitus senex ante focum, semiustulatus & vitæ expers postridie est inventus (b), sub finem anni CIↃ IↃ CIII: Gosselino, quietè atque ex animi sententia jam munere, ante triennium à Rege ultrò demandato, nunc novis codicillis per Regis Secretarium Perrottum allatis (c) confirmato, sub Thuano (d) functuro Casaubono infensus adversantur jurati hostes Jesuitæ. „ Hi frementes boni Patres atque clamantes indignum fore, si tantus thesaurus obstinatissimo Hæreticorum, [sic enim vocitant] permitteretur (e) „ omnem lapidem noctè diuque apud Regem movent, ut remoto Casaubono planè alius, sine controversia, ab iis commendatus Gosselino daretur successor (f). Quod videns Casaubonus, securus in Musæo exspectat quid jussurus esset, cujus erat imperium. Nam ut de ea re vel verbum ullum faceret cuiquam, nemo potuit ab ipso impetrare. Hic fidei tenacissimus Princeps etiam erga humillimos, licet eorum vocibus precibusque importunis aliquantulum concussus, periculosi rem exempli fore ratus, si Religionis caussâ delata semel provincia abrogaretur, rem tenet in suspenso. „ Intereà exstitere homines ingeniosissimi, qui inventiunculâ novâ malo mederentur. Fuere enim auctores, ut ad cernendam hanc hereditatem Hugo Grotius usque inde Hagâ vocaretur, ut intelligerent omnes non Religionis, quam profiteor, (sunt verba Casauboni) sed mei privato odio hoc fieri (g). „ Quòd si profectò è re illius, Grotii scilicet, fuisset futurum, optâsset fuisse factum (h). Quid? constat Regem, eodem tempore, quando, Jesuitis locum Collegio eorum redditurus, cum Jacobo Augusto Thuano ageret de Bibliotheca Fontembellaquæum transferendum, etiam voluisse vocare custodem Bibliothecæ suæ, Justum Lipsium. At hoc Regi omnino dissuasit Thiron des Portes, tamquam longè Lipsio præstantiores Regi commendans tum Josephum Scaligerum, tum Isaacum Casaubonum. Accipe rem ipsam, benevole Lector, verbis viri amplissimi, Jacobi Gillotti, qui ita ad Scaligerum (i): „ J'oublioy de vous dire, que le Roy ayant parlé à Monsieur le President de Thou, pour changer sa Librairie du lieu où elle est, qui est le College des Jesuites, que je croy il leur veut rendre, il luy dict, qu'il la vouloit faire transporter à Fontainebleau. Deux ou trois jours après, Monsieur de Thiron des Portes l'estant allé voir, il luy dict qu'il avoit volunté de retirer *Lipse* pour en estre garde; que l'on luy en avoit faict fort grand cas; que quelques-uns luy avoyent dict, qu'il estoit fort sçavant, voire le plus de ce siecle. Le Sieur de Thiron luy respondit, Que vous estiez bien toute autre chose, & que vous aviez plus de cognoissance de toutes les sciences & les langues, qu'il n'avoit d'une; qu'il y avoit bien à dire. A quoy le Roy respondit, que l'on ne luy avoit point dict cela. Et qu'après vous Monsieur Casaubon se pouvoit mettre au nombre bien petit de gens de sçavoir. Et luy dict-il, ils sont tous deux François. Il trouva cela fort bon, & qu'il falloit y adviser, & que sa Librairie devoit & meritoit estre mise entre mains de telles gens. „ Fortè hoc medio, hacque occasione apud Regem uti voluit Petrus Cottonius, revocandi non solùm, sed & convertendi Scaligerum, quemadmodum magnificentius, saltem insolentius quàm veriùs jactabatur, teste Vertuniano, qui sic ad Scaligerum (k): *J'ay veu là Messieurs Du Plessis Marnay, de la Nouë, de Sainct Germain, Deputé de nos Eglises près de Sa Majesté, & d'Aubigny: qui tous m'ont prié vous advertir que Pere Cotton se vante que par promesses & menees il vous arrachera du lieu où vous estes honoré, & où on vous tient promesse, pour vous amener là, où vous ne recevrez ny honneur, ny le vray, de ce qu'on vous promettera.* Et aliâ Epistolâ (l): MONSIEUR, *ce mot ne sera que pour vous reiterer la jactance que faict le Pere Cotton de vous gagner par vaines promesses, & attirer à Paris, pour vous faire revolter, &c.* Quod etiam testatur Casaubonus (m), apud quem idem erat gloriatus. Verùm confirmatus jam satis Casaubonus hoc solum sibi credidit negotii datum, ut accuratius Bibliothecam percurreret, examinaretque Indices, quos mendosissimè & negligentissimè factos conqueritur. Quapropter opem ejus ex hisce implorantibus amicis, quam quidem optabat maximam, adferre nullus potuit. Minimè tamen dubitarim quin, sinon in publicum, saltem in proprium usum aliquos emendavit, vel confecit novas. Hunc autem dignissimum cùm Professorem, tum Bibliothecarium Regium, quibus jucundissimis Epigrammatibus sit prosequutus vir doctissimus, Samuel Næranus, cui formandum etiam dedit filium suum Mericum, ea, siquidem rarius occurrant, ac locum hunc videantur mereri, lubens adscribam.

(a) *Epist.* 256.
(b) *Epist.* 428.
(c) *Epist.* 376.
(d) *Gassend. Vita Peirescii, pag.* 47. *ed. Hagan.*
(e) *Epist.* 376. *adde* 428.
(f) *Epist.* 371.
(g) *Epist.* 376.
(h) *Epist.* 375.
(i) *Epist. Gallic. ad Scaliger. pag.* 456. 457.
(k) *Epist. Gallic. ad Scaliger. pag.* 350.
(l) *Ibid. pag.* 352. & 518.
(m) *Epist.* 453.

In incomparabilem Virum,

ISAACUM CASAUBONUM.

Quid Romam Romæ, quid Athenas quæris Athenis?
Nomen iis tantùm restat inane sui.
Parisios hæ migrarunt, migravit & illa;
Nam Casaubo *sinu claudit utramque suo.*

Miraris quòd Parisii Casaubo *Lycæi*
Personat eloquio pulpita nulla suo?
Qui totum flammis implet radiantibus orbem,
Includi spatio sol breviore negat.

Franciscus *Rex, Musarum quòd amavit alumnos,*
Implevit famâ solis utramque domum.
Illius est hæres Henricus *amoris; amorem*
Cur parilem parilis non concomitatur honos?
Dissimiles hac parte quidem, quòd foverit ille
Innumeros, unum quòd fovet hujus amor.
Sed cùm, quæ innumeri callebant singula, cuncta
Calleat hic unus, quis neget esse pares?

Quæ modò Turnebi *nituit, quæ luce* Budæi,
Nunc, Casaubo, *tuâ, Gallia, luce nitet.*
Sidera cesserunt soli, qui prisca requirit,
Sideribus solis posthabet ille jubar.

Eidem Bibliothecæ regiæ Præfecto.

Græcia quos jactat, Phœbi quos jactat alumnos
Roma, tuâ cunctos sub ditione tenes.
Eloquii suadelâ, & mentis acumine cunctis
Cùm præeas, cunctis jure, Casaubo, *præs.*

Instituit hoc anno CIↃ IↃ CIII. diu meditatum iter ad matrem honestè, sed parcè, si non duriter; nam ei ducentos aureos non sanè ἐκ τῆς περιουσίας, sed tenui censu nostro, inquit, misimus, vitam Chrestæ in Delphinatu trahentem, indeque ad amicos Genevenses: quod ipse in Ephemeridibus ita describit.

„ VIII. *Eid. Maj.* Hodie ego uxorque domo proficiscimur ad matrem, quæ in Del-„ phinatu, & liberos, qui Genevæ; reliquos hìc reliquimus cum tota familia.

„ XI. *Kalend. Jun.* Chrestam venimus, ubi veterum optimi parentis amicorum co-„ pia nobis reperta est. Suave eorum alloquium nobis, & locorum, ubi fuimus pueri „ olim educati, aspectus. Chrestâ Burdigalam ad matrem optimam pervenimus, quam „ pro ætate valentem, & fratrem charissimum atque familiam totam invenimus.

„ VIII. *Kalend. Jun.* Ponetum hodie ivi, ut sacræ Domini Cœnæ fierem particeps.

„ VII. *Kalend. Jun.* Mompeliam hodie misimus, qui Johannam filiam huc adfer-„ rent.

„ V. *Kalend. Jun.* Lugdunum appulimus.

„ IV. *Kalend. Jun.* Hodie inspiciebamus reliquias naufragii, quod reculæ patriæ „ sunt passæ. Parens meus, vir sapientissimus, sic satis mediocres, cùm moreretur, „ facultates matri meæ & nobis liberis reliquerat. Sed variis casibus attritum patrimo-„ nium est, ac prope jam exhaustum est totum; in quo hanc capimus consolationem „ ego & pia mater, quòd neque meâ, qui manus semper abstinui, neque illius, quæ „ sanctissima fœmina est, culpâ quicquam detritum est. Quare æquo animo jacturam, „ quamvis maximam, feremus; quod supererat spectabamus, & rationem inibamus om-„ nium summularum: constat facultates matris in nominibus omnes ferè, quæ universa sum-

„ summam efficiunt aureorum quadringentorum quadraginta novem. Hanc efficiunt obligationum inscriptiones, quas infrà descripsi.

„ *Pridie Kalend. Jun.* Lecti Psalmi Hebræi, cujus libri divinitatem quis potest aut lingua eloqui, aut animo concipere?

„ IV. *Non. Jun.* Quod Deus Opt. Max. bene vertat, hodie matri meæ optimæ & lectissimæ fœminæ, deque liberis suis optimè meritæ; de me autem eximiè, domunculam emi angustam illam quidem, sed amplam tamen satis pro loco, & cæteris hujus oppiduli domibus. Quin etiam hortus ei annexus est.

„ III. *Non. Jun.* Filiam, quam exspectabamus, hodie vidimus.

„ *Pridie Nonas.* Cùm de negotiis nostris ageremus cum Consulibus hujus loci, invenimus ita malè affectos civium animos, ut nihil aliud plerique eorum optarent, quàm ut æs alienum dissolverent publicæ fidei naufragio. Itaque conati institutam litem redimere jacturà summæ non mediocris, tam malè consulti fuere isti, ut omnia experiri priusquam æquo jure uti malint. Quod igitur Deus bene vertat: inviti Gratianopolim ad supremos Provinciæ Judices iter instituere cogimur.

„ *Non. Jun.* Burdigalà Chrestam, veterem patris mei sedem, venimus; inde Valentiam.

„ *Pridie Idus.* Genevam pervenimus, ab aliis viris probis accepti, maximè à sene reverendo, D. Beza, cujus vegeta senectus incredibili gaudio me meamque uxorem affecit. O Deus æterne, & illum virum optimum & omnes, qui hìc vivunt pietatis veræ veri φωστῆρες, atque inter alios affinem Stephanum, sororem Rigotiam, serva, &c.

„ XVI. *Kalend. Jul.* Concionantem Goulardum audivimus: dein convivio excepti sumus publico, quod exhibebat Schola sive Pastorum Cœtus venerandus.

„ XIV. *Kalend. Jul.* Legebam διαγωγῆς χάριν potius quàm seriò Henrici Cornelii Agrippæ opus *de Incertitudine & Vanitate Scientiarum, declamatio invectiva.* Miratus sum viro docto tantum abs re sua fuisse otii, ut iis scribendis vacaret. Non aliter ipsum sensisse, & scientiarum peritissimum ad scientias oppugnandas accessisse, nemini potest esse dubium. Qui igitur non habent pro ludicro id scriptum, sed pro serio, falluntur seriò, &c. Hodie cum Theodoro Beza egimus. Miratus sum in viro sancto cùm multa alia, tùm circa ejus memoriam rem sanè ἀξιομνημόνευτον. Nam cùm senectus ei omnem ferè rerum humanarum usum ademerit; tamen de sacris rebus & Theologicis, cùm loquitur, non senem ἐσχατόγηρων, verùm ætate cùm maximè florentem dixeris (*a*). (a) Vide Epist. 297.

„ X. *Kalend. Jul.* O lætum diem: mane summo Perotum audivimus; dein Faium; & sacræ Domini Cœnæ participes sumus facti, præeunte in ordine reverendo sene, D. Bezà.

„ IX. *Kalend. Jul.* Inspiciebam reliquias supellectilis librariæ Henrici Stephani.

„ VIII. *Kalend. Jul.* Cum leviro hodie de nostris negotiis cœpi agere seriò.

„ VII. *Kalend. Jul.* Et hodie cum leviro etiam præsente Lectio multùm egimus. Sed non multa, imò nihil planè. Sororis etiam negotia diligentius inspeximus. Et ô iniquos Judices! ô sedem rapacium Genevam! Misella pro fratribus mariti sui debita multa solvit; & eorum nomine ab illis exigere aliquid non potest. Etsi favet hac quidem in parte Senatus, sed hactenus ut decernatur, non ut decreta executioni mandentur: οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Adde schedulas, ut vocant, prælatas legitimis obligationibus: nos quidem ita scribimus ex ipsis monumentis, quæ hodie inspeximus.

„ IV. *Kalend. Jul.* Illud permolestum quòd Francisco le Preux centum libras coacti sumus solvere planè indebitas, & quæ magno constant nobis: poteramus jus nostrum apud ..... defendere: sed ille schedam & χειρόγραφον nostrum urgebat: maluimus itaque solvere quàm litigare.

„ III. *Kalend. Jul.* Hodie Genevam reliquimus.

„ *Prid. Kalend. Jul.* Rollam venimus, ibique pransi levirum, Paulum Stephanum, qui eousque nos prosecutus fuerat, dimisimus, confectis cum eo negotiis planè ex ipsius sententia, magis quàm ex mea aut meorum utilitate: sed si quid benefecimus, bene facti non pœnitet.

„ IV. *Eid. Jul.* Domum salvi pervenimus. Ita confectum est iter diu optatum.„

Reversum amici, atque inter eos maximè Fridericus Morellus, vir clarissimus (*b*), absolutà jam editione Oratoris disertissimi, Dionis Chrysostomi, continuò adeunt, flagitant, (b) Epist. 387. 393.

tant, impellunt, velit iis haud gravatè suppeditare si quid fortè eo in Scriptore elegantissimo observasset. Flexus autem eorum precibus, cùm ejus mite & facile ingenium nihil eorum, quæ in ipsius erant potestate, amicis negare, vel subtrahere sciebat (*a*), breves pollicetur notulas, quas dum, semel tantùm evoluto Auctore, describit, usque adeò adauget, latèque extendit, ut quindecim folia impleant (*b*), licet verè repentinas pronuntiarit (*c*), quoniam paucissimos dies se ei Diatribæ componendæ impendisse dicat (*d*).

Post hæc, quæ fuit ipsius infelicitas, videt se coactum ad aliorum potius quàm suam voluntatem studia disponere (*e*), operamque, quam in aliis lubentius poneret, addicere ingratis prorsus laboribus. Etenim lacessitus ultrò capitaliter, Rege equidem hoc improbante, à Theodoro Marcilio in suis ad Suetonii Titum, modestius in Horatium notis (*f*), non solùm in eum invehitur acrius (*g*), vocans *Asinum Marrucinum, Scholæ cujusdam Parisinæ Ludimagistrum*, indignum, cui cathedra, ex qua Turnebus & Mercerus oracula olim tradiderant, committeretur (*h*); verùm hominis stupendam *asinitatem* (*i*) & imperitiam ostensurus, in A. Persium, præclarum quidem, sed tenebricosum Poëtam, seu Philosophum (*k*), Lectiones, quas olim in frequenti Auditorio Genevæ satis accuratè habuerat (*l*), edit. Non ut iis famam venaretur aliquam, sed pueris eum redderet clarum, quibus solis (*m*) scripta erant hæcce Commentaria. Unde & ipse ita humiliter de iis sentit, quamquam multò maxima pars eruditorum vel hoc ipso tempore Casaubonum istius Poëtæ Interpretum principem haud immeritò arbitretur. Quid? supprimere eas, tamquam sibi scriptas volentem, revocarunt amici, persuaseruntque eas ut relegeret atque publicaret (*n*). Fecit hoc cùm ob ingravescentem Parisiis pestilentiam (*o*), ac in primis verò uxoris carissimæ languidam & trahentem valetudinem (*p*), Medicis auctoribus, volente Rege (*q*) Madridum, Regis suburbanum prætorium, seu arcem, recessisset, ubi per tres integros hæsit menses (*r*). Quæ fortè causa fuit, quòd Regem, eundem ob morbum Fontembellaqueum qui aufugerat, intra octo menses non convenerit (*ſ*). Quum autem subinde urbem adiret, posteàque cum familia Lutetiam revertisset, passim ab amicis, ipsisque etiam Jesuitis, quibus uti antè exosus, ita tunc charus, ut nihil suprà, ante omnes alios à Frontone Ducæo, viro longè profectò meliore quàm ut posset pro germano Loiolita haberi (*t*), jussu Regis (*v*) de novo tentatur, idque tanto astu, ut Casauboni facilitate ac modestiâ in detrimentum veritatis sint abusi (*w*). Vocabant namque, creduli quòd vanis rationum coloribus ac magnis pollicitationibus facilè posset dimoveri (*x*), cùm prope quotidie ad cœnam, quò commodius dissertationes de rebus Religionem spectantibus instituerent. Quas ut primùm è re natas & nullo consilio institutas crederet, sic posteà ex compacto Regisque jussu prolatas ipso exitu didicit. Accidit enim quòd, quum ad prandium Cardinalis Perronius, qui à quatuor aut quinque mensibus nullum verbum ei de Religione fecerat, eum vocasset, interque epulas de Religione velitationem instituisset, ut tanta ac tam vehemens exorta fuerit inter eos contentio, ut corrogatorum convivarum causâ puderet, suique pœniteret: quandoquidem, quod jam prævideret, per totam urbem fama ab amicis Cardinalis Perronii divulgata decantaverat omnia esse profligata, expugnatum Casaubonum, saltem manum dedisse se statim alium futurum (*y*). Quam novam, eamque falsissimam de promissa Apostasia calumniam coërciturus, tertio à prandio die, invitus, gravissimis tamen de causis Pastorum Ecclesiæ Parisinæ consilio impulsus (*z*), ad ipsum Cardinalem Perronium hac super re scribit Epistolam (*aa*) singularem. Quâ cùm minimè viderent obstructum obturatumque spermologis istis os, Pastores è re sua crediderunt, eam, quod tamen noster ægrè tulit, nihil luce dignum ea contineri certus, publicè edendi (*bb*). Hisce aliisque gravissimis enatis causis (*cc*); ut sileam quòd observasset frigere Parisiis literas, ac paucissimos de iis rectè judicare (*dd*); præcipuè verò Regis morbum periculosum (*ee*), sensit apertè suspectam molestamque Parisiis diuturniorem moram, quapropter afflictis prope suis fortunis consulturus, apud ὁμοδόξους aliquem quærere cogebatur locum (*ff*), quem planè invenisset commodum. Si quidem harum molestiarum fortè conscii Nemausenses Consules eum honestissimis conditionibus, id est, in stipendium annuis sexcentis aureis ac pensione ædium vocarunt (*gg*). Verùm oblatam hanc blandam occasionem arripere non est ausus, cùm propter loci distantiam, tum quòd certò sciret Mecœnati suo maximo, id est, Regi, cui unicâ re exceptâ, Religione nempe, erat gratissimus, fore injucundum. Nam id ex ipso Thuano satis apertè intellexerat: qui propterea Scaligerum obnixè rogat, velit ejus agitatum

ac

(a) Epist. 393.
(b) Epist. 389.
(c) Epist. 376.
(d) Epist. 392.
(e) Epist. 370.
(f) Epist. 391.
(g) In notis ad Flavii Vopisci Carinum, cap. 16. & variis Epistolis. Vid. Epist. clar. Vir. à Burmanno edit. pag. 247.
(h) Epist. 388.
(i) Epist. 370.
(k) Epist. 381. 399.
(l) Epist. 437. 440. 441. 443.
(m) Epist. 376. 428.
(n) Epist. 381.
(o) Epist. 399. 413.
(p) Epist. 395.
(q) Epist. 398. 402.
(r) Epist. 410. 413.
(ſ) Epist. 424.
(t) Epist. 552.
(v) Epist. 416.
(w) Epist. 418.
(x) Epist. 420.
(y) Ibid.
(z) Epist. 440.
(aa) Exstat num. 417.
(bb) Epist. 440.
(cc) Epist. 428.
(dd) Epist. 461.
(ee) Epist. 562.
(ff) Epist. 427.
(gg) Epist. 456.

ac fluctuantem animum sedare, consolari atque exhortari, ut æquo animo ferat injurias, maneatque ubi jam est, ne ejus abitu ineffabile patiantur (*A*) literæ, quas solus sustinebat, damnum (*a*): *Cela fasche nostre bon amy* (Casaubon) *qui en vostre absence seul icy maintient la reputation des lettres. Je vous supplie le vouloir consoler par la premiere que luy escrirez, & l'exhorter à porter patiemment au lieu, ou il est, le vice du siecle; car il y en a qui luy veulent persuader qu'il seroit mieux ailleurs. Une lettre de vous l'affermira, & le resoudra tout ensemble.* Idem Scaligerum flagitare videtur Jacobus Gillottus (*b*): *Nous sommes un peu en alarme d'une solicitation que nous avons decouvert que l'on faict, pour nous distraire Mr. Casaubon, lequel ils apprehendent, comme l'on dict que le serpent faict le chant du cocq. S'il nous laissoit, indubitablement nous sommes en proye à la barbarie. Sa personne seule les retient d'entreprendre sur les livres, lesquels enfin tomberoyent entre les mains de leurs ennemis. S'il vous en escript, persuadez le de ne nous deshonnorer pas tant.* Quid autem Scaliger, qui putabat eum conditionem accepturum (*c*), ei & quàm prudenter suaserit, Epistola C X I. testatur.

Præter Persium paraverat librum, cum hac ἐπιγραφῇ, *de Satyrica Græcorum Poësi, & Romanorum Satyra* (*d*), de quibus quid docti essent judicaturi, cùm foret scriptio jejuna & scholastica, dubius exspectat, quamquam ipse sibi satisfecerat, quòd intelligeret Scaligerum in ea deprehendisse, quæ placerent (*e*). In hoc argumento indulsit sibi, minimè prolixitatis crimen reformidans (*f*). Erat enim necessarium, quoniam eo in Commentario Satyricæ & Satyræ rationem ac differentias uberius explicuit, quàm ante eum nemo (*g*). Suscepto tamen hoc argumento proposuerat ita compendiosè ac breviter id tractare, ut Prolegomenωr loco A. Persio præmitteret. Verùm tantopere sub manu crevit hæc materia, ut justum deinde fecerit de eo Commentarium (*h*). Quem viri docti gratum utilemque si testarentur, posset, inquit, de facili plures ejusmodi locos ex Antiquitate ex adversariis depromere, quoniam sexcenta talia testatur se habere ferè confecta argumenta (*i*).

Accidit porrò, quò abeundi studium augebatur justissimè, anno C I Ɔ I Ɔ C V. mense Augusto vel Septembri, quòd terror omnibus Orthodoxis injiceretur panicus, eò quòd absentiâ Regis (*k*) nonnulli confidentiores redditi, ausi sint novam minari piorum lanienam, & quasi diei Bartholomæi immanitatem (*l*) affixo palam, U. D. P. L. P. (*m*) typis edito programmate, quo studiosi ad cædem redeuntium Hablone, è quibus unus licet ab aliis est occisus, cæteris noctes aliquot insomnes degentibus (*n*), convocabantur. Auctorem programmatis fugâ sibi consulentem dimissi sunt, qui diligenter inquirerent, atque in urbem reducerent, quem si cepissent, spes erat à prima stirpe horum motuum auctorem exquisitum iri, quoniam, quod bonos maximè consolabatur, habebant Regem, Senatum, Magistratum bonarum partium defensores acerrimos (*o*). Intereà inimici prout inquieta eos solet incitare malorum conscientia, donec pios everterint, nocte diuque laborant magno conamine Regis animum à Casaubono avertere; minimùm ita revocare, ut clementissimi Regis beneficio diutius uti non posset. Quod si essent consecuti, statuerat patente modo viâ in Germaniam, (licet id credere non potuit (*p*) Guillimannus) se recipere, saltem ut Polybii editionem ibi curaret, tantisper donec Deus Opt. Max. certam aliquam sedem ei, ejusque familiæ ostenderet (*q*). Quibus suprà jam enarratis demigrationis causis adjectis, facile credimus ipsum prævidisse tempora, de quibus sine horrore ne cogitare quidem posset (*r*). Nam, (en quò invidia odiumque perduxit ejus inimicos!) eò fuerunt abrepti, ut noluerint eum edere Patres, quorum dogmata ac doctrinam probabat atque sequebatur, ne dum iis addere Notas seu Animadversiones (*ſ*). Veriti, propterea quòd apud ipsos hæreseos crimine fuerat notatus, ut illa monumenta corrumperet, vel malâ interpretatione illis alium sensum affingeret, vel exinde apertius veræ Religionis causam vindicaret, atque ita imperitioribus viam ad eam facillimè calcandam pararet. Cæterùm quò majores ei insidiarum tricas per ambages struerent, longéque magis apud Regem atque stupidum studio in Papa populum redderent invidum, scelerati quidam, quibus est, ut Plautus ait, *malevolens genius*, falsas fingebant Epistolas, quas superscriptione ejus nomine insignitas publicas faciebant (*t*). Alii, quos inter ipse Papa, Cardinalesque Baronius atque Perronius, expensis nummis, (quod tamen negat (*v*) Abainius) subornant (*w*) bipedum nequissimum, protervum nebulonem, veræ

(a) *Epist. Gallic. ad Scaliger. pag.* 505.
(b) *Epist. Gallic. ad Scaliger. pag.* 263.
(c) *Scaliger. Epist.* 371.
(d) *Epist.* 442. 457. 459.
(e) *Epist.* 463.
(f) *Epist.* 465.
(g) *Epist.* 466.
(h) *Epist.* 469.
(i) *Epist.* 467.
(k) *Epist.* 472.
(l) *Epist.* 474.
(m) *Epist.* 471. Unde De Plano Legi Posser. *Cujac. Observ.* VIII. *cap.* 29. *Brisson. de Formulis, lib.* III. *pag.* 276.
(n) *Epist.* 472.
(o) *Epist.* 472. 474.
(p) *Epist. ad Goldast. pag.* 269.
(q) *Epist.* 495.
(r) *Epist.* 496.
(ſ) *Epist.* 509.
(t) *Epist.* 557. 560.
(v) *Epist. Gallic. ad Scaliger. pag.* 11.
(w) *Scaliger. Epist.* 122. *Casaubon. Epist.* 514.

(A) *Ne . . . patiantur literæ, quas solus sustinebat, damnum.*] Bongarsius Kirchmanno: *Literæ, ut aliis in locis animam agunt, unus eas Casaubonus sustinet apud nos; quas ubique Jesuitæ impugnant.* Epist. clar. vir. à P. Burmanno edit. pag. 146.

veræ Religionis, ut fastu honores veneraretur ac captaret, (a) desertorem, Gasparum Scioppium, qui nescio quàm futuli seu potius falsa ratione incensus irâ, in Præfatione in M. Varronem, quàm acerbissimè Scaligerum atque Casaubonum, licet dissuadentibus hoc ei maximè duobus Cardinalibus Seraphione & Abainio (b), corripuisse; non sufficere ratus, non modò Francofurti (c) ac Moguntiæ (d); sed posteà Romæ (e) calumniarum plenum adversus Casaubonum edit (f) librum, in quo præter alia bene multa vitia flagitiaque detestanda ei exprobrat Thrasonismum, Atheismum, & nescio quæ non horrenda facinora ac crimina falsissima, qualia ne in virum quidem honestum, nedum pium atque Christianum cadere posse quis credat. Quòd autem manibus pedibusque niteretur demonstrare Latinè Loqui nescire, neque in istis literis quicquam intelligere Casaubonum, noster omnino ridebat (g). Verùm enimverò quis ab ingratissimo, qualem se erga Præceptores suos, Giphanium atque Rittershusium, ostendit (h); quis ab impudentissimo emissario (i), jussoque (k), ut quoscumque demum, præcipuè verò omnes Germanos secum ad Papismum, ad quem ipse spe togæ purpureæ scelestus transierat, pertraheret. (Quod etiam studiosissimè contendit testibus fide dignissimis, Jacobo Bongarsio (l) & (m) Wasero) quid honesti probive exspectet? Ab eo, dico, (liceat mihi hoc tuâ veniâ addere, Lector benevole) qui in Panegyrica oratione, Ferrariæ typis vulgata, quam habuit in laudem Pontificis Maximi, non tantùm mirè adulari Pseudo-Petro, verùm ad sæviendum in bonos perfidè & crudeliter invitare non sit veritus (n). Quo fortasse meruit hic Papæ satelles (o), & fortis Papista (p), instructus artibus nocendi, à Pontifice Ratisbonam explorandi causâ mitti (q). Quod liquidò confirmare videtur vir clarissimus, Petrus Puteanus, quando Scaligero significet (r), fratrem suum Româ scripsisse: *Nisi Scioppius esset maledicus atque magnorum virorum obtrectator, in illa otiosorum matre*, (Roma) *ei nullum* fore gratiam, nullum locum. Verùm hæc nefanda mendacia refellere non operæ pretium existimans Casaubonus, edoctus à Tacito (s), *spreta exolescere, si irascare, agnita videri*, silere, id est, contemnere (t) constituit, aut si expugnatur patientia, quod & Romam scripsit, majoris dignationis delecturum Antagonistam, quocum se exerceat (v). Non enim major datur vindicta contemptu, sicut illud præclarissimorum virorum Thuani (w), Velseri (x), Baudii (y) vitarum exemplo, quæ iisdem ferè delationibus temerè fuerunt obnoxiæ, ostendunt. Itaque exprobrationibus satis responsum ratus amicis privatis literis scripsisse (z): *Enimverò si Athei essemus, Romæ essemus, quò magnis conditionibus ante hos septem annos ἀπὸ τ͂ κρατούντων fuimus invitati: demiror quibus machinis sit probaturus suspicionem ἀθεότητος in me competere.* Et alio loco (aa): *Si Thraso essem, aliter mea scripta loquerentur: si Atheus planè, Romæ essem, quò non semel invitatum me fuisse amici nôrunt, & habeo testes Baronii literas.* Hæc, dico, sufficere ratus, attamen ut ostenderet se istiusmodi calumniis non moveri, aut à probè percepta vera Religione depelli; sed magis magisque confirmari, constantis animi, solatiique ergo, amicorum hortatu (bb) Notis illustrat, atque in publicum edit purissimi Scriptoris, Gregorii Nyssenii, ineditam hactenus divinam Epistolam. Hæc quantò minus, fortè ob egregiam ei præfixam Epistolam dedicatoriam, placuere Pontificiis (cc), & in primis Marco Velsero (dd), Pontificiorum dogmatibus addictissimo; indeque, quo spectarent consilia τῶν ἐκ τῆς ἑπταλόφου parum attendenti (ee), & à Casaubono posteà alieniori (ff); tantò magis laudabantur Scaligero (gg), Lingelshemii Socero (hh) Caselio, aliis. Eas tamen biennio pòst evertere atque confutare studuit Jacobus Gretzerus Jesuita haud indoctus. Cujus notas postquàm vidit Casaubonus, ingemuit se non isthîc esse, ubi loci liberè posset respondere. Quapropter (ii) *maluit tacere quàm non vela pandere orationi.*

Sub idem tempus cùm inter Paulum V. Pontificem Romanum, & serenissimos Reipublicæ Venetæ Patres lis exorta (kk) esset summa ob leges quasdam ab illustrissimis Patribus renovatas, quibus cavebatur, ne absque Senatûs suffragio Templa aut Cœnobia nova conderentur, aut iis possessiones, prædia, fundi, aliaque soli bona addicerentur. Hique se viros præstare volentes, neque delibari vel minimum de libertate sua patientes (ll), sive per civem dignissimum, virum maximum, & in omni genere scientiarum paucis exceptis versatissimum, Paulum Servitam, cujus effigies, quòd Venetiis Papæ auctoritatem oppugnaret, Romæ combusta est (mm); sive per alios, non facilè dixerim, amicos saltem vocat (nn), importunis precibus impellunt, ut anonymum conscribat librum *de Libertate Ecclesiastica*, in quo Dei & Regum causam contra pestes illas defen-

(a) *Epist. à P. Burmanno edit. pag.* 253.
(b) *Epist. Gallic. ad Scaliger. pag.* 196.
(c) *Ibid.* 366.
(d) *Epist.* 555.
(e) *Epist.* 514. *Lingelshem. Epist. ad Bongars. pag.* 223.
(f) *Epist.* 514.
(g) *Epist.* 800.
(h) *Epist. à P. Burm. ed. pag.* 231. 232.
(i) *Epist.* 458.
(k) *Epist.* 514.
(l) *Epist. ad Lingelshem. pag.* 47.
(m) *Epist. ad Goldast. pag.* 82.
(n) *Epist. à Burmanno ed. pag.* 253.
(o) *Epist. ad Goldastum, pag.* 86.
(p) *Ibid. pag.* 43.
(q) *Ibid. pag.* 233.
(r) *Epist. Gallic. ad Scaliger. pag.* 308.
(s) *Annal.* IV. 34.
(t) *Epist.* 458. 548.
(v) *Epist.* 514.
(w) *Epist. Gallic. ad Scaliger. pag.* 332. 511. 512.
(x) *Operum pag.* 810.
(y) *Cent.* I. *Epist.* 9.
(z) *Epist.* 503.
(aa) *Epist.* 516. 518.
(bb) *Epist.* 517. 518. 521.
(cc) *Epist.* 521.
(dd) *Epist.* 515. 546.
(ee) *Epist.* 546.

(ff) *Epist.* 738. Aucta fuit illa invidia propter Epistolam ad Frontonem Ducæum, *Epist.* 861. (gg) *Scal. Epist.* 123. 124. (hh) *Lingelshem. Epist. ad Bongars. pag.* 223. (ii) *Epist.* 647. (kk) *Rudolph. Botereius Commentarior. lib.* XIII. prolixe eam enarrat Historiam; *Thuanus lib.* CXXXVII. *Eman. Van Meteren, Histor. lib.* 28. *fol.* 518. 519. a. MCCCCXXXVII. (ll) *Lingelshem. Epist. ad Bongars. pag.* 222. 223. (mm) *Ibid. pag.* 219. (nn) *Epist.* 550. 881.

defendere est conatus; idque tantâ moderatione, ut, quis esset Auctor non tam ex iis, quæ forent dicta, quàm quæ silentio præteriit dicenda, facilè potuerint intelligere (*a*); quamvis nomen non adjecisset. Verùm & hac nihil profecit. Jesuitæ quippe, quibus solis uti & Papæ asseclis Parisiis de rebus sacris licebat apertè colloqui (*b*), aliique multi, qui circa Regem erant, suis artibus atque blandimentis, si non potius minis Capitolinis, quas Rex timebat, (unde fortè offensior Casaubono, qui Villaregium orat velit causam suam agere apud (*c*) Regem) effecerunt, ut liber hic ita utilis (*A*) supprimeretur, quem omnes docti dolent eum posteà, cùm in Anglia degeret, non perfecisse. Scio Justellum, Virum clarissimum, spem fecisse olim viro docto ad se invisenti reliquam partem detegendi eique tradendi; hac conditione ut curaret in Batavia imprimi: verùm ego potius cum Bullialdo putarim, opus illud numquam ad umbilicum perductum. Ita enim ipse ad Scaligerum (*d*): „Libellus *de Libertate Ecclesiæ* neque absolutus, neque hic potest absolvi. „ Disertè enim τῦ τεγκαρίνυ vetuit is τῦ κράτȣ ἐπὶ μέγιστον. Accedit quòd tempus præte- „ riit, & Auctor ita festinatò partum illum vel potius ἔκτρωμα effuderat, ut vehemen- „ ter ipse gaudeat ejus deformitatem perpetuis tenebris esse damnatam. Qui si alibi esset, „ atque id seriò ageret, in eo argumento nonnihil posset. „ Verùm propterea quòd ad amicos folia continuò miserit (*e*), in totum supprimi non potuit. Idque fragmentum, quod bis terve dicitur editum, quia rarum, equidem à Melchiore Goldasto in Collectaneis de Monarchia S. Imperii sub literis I. C. G. id est, *Isaaci Casauboni Genevensis*, ut ego interpretor, non, ut alii, *Isaaci Casauboni Galli*, recusum est. De eo sic Lingelshemius ad Bongarsium (*f*): *De Libertate Ecclesiastica in admirationem rapit omnes qui viderunt. Jam scripsi antè quid sentirem, ô virum! Peccatur in publica commoda, nisi ipsi plena datur vacandi hujusmodi lucubrationibus.*

(a) Epist. 550.
(b) Epist. 565.
(c) Epist. 557.
(d) Epist. 599.
(e) Scaliger. Epist. 135.
(f) Pag. 233.

Omiseram prope significare ipsum eodem tempore brevibus quidem, attamen planè eruditis Notis explicuisse Inscriptionem Græcam, comprehendentem Dedicationem fundi ab Herode Magno factam. Erat autem illa deprompta ex arca quadam lapidea, plena aquæ medicatæ odore aromatico, reperta atque effossa in Via Appia, tertio milliari ab urbe Roma (*g*). Quam uno versu mancam ex Theologo Nuntii Romani Pontificis illustrissimi Cardinalis cùm intellexisset (*h*), statim investigandæ veritatis causâ scribit ad Marcum Velserum, qui de ea sic ad Davidem Hœschelium (*i*): *Vis verum ex me audire? hæc tanta digna sunt secundis Casauboni curis. Saltem ne Inscriptio uno versu manca ad posteros transeat. Præterquam quòd compertum habeo, si totum triduum iis impendere inducat animum, procusurum libellum, cujus elegantia omnium politiorum ingeniorum amorem mereatur.* E quibus, quantus vir fuerit Casaubonus, facilè colligas. Qui si se totum tradere potuisset literis, quod unicè optabat, quid? amabò, in studiis amœnioribus non præstitisset? Quid non ingenio, quod habebat perspicax, quid diligentiâ! quæ in eo ineffabilis; quid judicio! quo pollebat plurimùm, ex ipsis Cimmeriis tenebris non eruisset? Verùm continuò luctabatur non modò, cum adversariis, quà occultis quà apertis; sed etiam calamitatibus plurimis. Numquam verò magis quàm anno 1608. Primò enim periculosum Josephi Scaligeri morbum intelligit, eoque nuntio perturbatus tanto mœrore afficitur, ut sibi vix esset (*k*) cùm ad ipsum defertur. Erat enim parentis instar Scaliger Casaubono, eumque continuò *alterum parentem* (*l*), suumque *decus* (*m*) appellare solebat, quapropter nuntiatâ paucos post menses morte hisce dolorem suum exprimit (*n*): *Nos, qui vivum pari semper prosecuti veneratione sumus & pietatis affectu, atque optimum parentem nostrum, quique literas ἐκπαθῶς amamus; neque acerbissimi nobis casus recordari sine mœstissimo gemitu, sine ægerrimis suspiriis, sine profusissimis lacrymis possumus; neque porro avocare animum ab ejus memoria, & acerrimo doloris hujus sensu, valemus. Quod igitur unum superest, dolorem nostrum & luctum ἀφάτῳ recordatione virtutis & præstantiæ τῦ νῦν μακαρίτυ solamur. Atque in hac cogitatione quum essemus nuper toti, carmen repentè effudimus, quòd placuit infrà subjicere, æquis Lectoribus professione pietatis erga defuncti manes, ut spero, excusandum.* Quod hoc loco, quoniam in carminibus omissum est, inseram:

(g) Reines. ad C. Hofmann. Epist. 34. pag. 205. & Epist. 35. pag. 237.
(h) Epist. 609.
(i) Marc. Velser. Oper. pag. 839.
(k) Epist. 581.
(l) Epist. 622. 629. 630.
(m) Epist. 623. 624.
(n) In Notis in Æneam, pag. 1787. Polybii ed. Amsteled.

(*A*) *Effecerunt, ut liber... supprimeretur.*] Nam ad Historiam Augustam quam exornat, quàm proximè accedit Ecclesiastica, in qua non esset tyro, docuit anno Domini 1607. libro singulari *de Libertate Ecclesiastica*, cujus jam paginæ 264. typis erant editæ, cum Rex Henricus IV. augustæ memoriæ, compositis jam Venetorum cum Pontifice Romano controversiis, vetuit ultra progredi, & hoc ipsum, quod fuerat inchoatum, supprimi voluit, ut ejus pauca nunc extent exemplaria. (*Jacob. Cappell. in Dedic. lib. 1. Vindiciar. pro Casaubon.* Vide & Is. Casaubon. Epist. 593.

„ *Ipſ. Kalend. Jan.* CIↃ IↃ CVIII. Nos omnibus propemodum vitæ præſidiis ſumus deſtituti. Opes habemus nullas, neque præter liberos & libros quicquam ferè mihi ſupereſt. Accedit novum onus ſororis, filiæ, ejus affinium, quos penitus deſerere impium ſit. Stupet animus recordatione tot cladium, &c: Da, æterne Deus, vere βυλᾶις, rectam mentem ad proſpiciendum rei familiari melius quàm fecimus hactenus.

„ *Nonis Januar.* Certè de meis ſtudiis, de re familiari mea actum, niſi tu, Deus æterne, ſubvenias. Alii ſcelere immani me & meos ſpoliarunt fortunis noſtris. Alii laboribus fruuntur bipedum ingratiſſimi.

„ XII. *Kalend. Mart.* Omnium graviſſimum, quòd ſi me ſublevare nequeo hoc onere ſororis & ejus filiæ, Curiam ad Regis opem implorandam mihi veniendum neceſſariò: Hoc cùm fieri nequeat, ut non depingantur ſuis coloribus Genevenſes quid faciam? Egone ultrò ignominiæ notam ibo inuſtum Eccleſiæ, quam plerique hactenus putavimus eſſe omnium puriſſimam? In hoc negotio tu me rege, Deus æterne, & moderare meis affectibus. Nam negligere ſororem ad mendicitatem redactam & longè ulterius, per pietatem non licet. Non etiam poſſum non moveri tot malis & damnis, quæ tum univerſa domus Stephanica eſt paſſa, tum etiam chariſſima uxor.

Hæc utut verè graviſſima, cumulabantur tamen haud leviter triſtiſſimo nuntio (*a*) obitùs venerandæ matris, ob quam in Delphinatum uxor coacta fuit proficiſci (*b*), tum ſubitaneâ morte filiæ natu maximæ *Philippæ*, quæ inopino quaſi fulmine, fallaci nempe morbi genere fuit erepta IV. Kalend. Mart. utrique parentum, cùm aliis nominibus, tum maximè propter ſingularem pietatem, eximiam indolem, & adverſus illecebras τȣ̃ νῦν αἰῶνος firmam conſtantiam, non vulgarem in modum dilecta (*c*); cujus obitu ita fuit afflictus, ut in hæc verba eruperit (*d*): *Amiſſa ſuperioribus diebus filia natu maxima eo me luctu affecit, ut nunc demum quàm parum inſit mihi roboris adverſus id genus caſus, agnoſcam. Sed ignoſcent parentum lacrymis, qui probitatem, generoſam indolem & firmam in pietate vera conſtantiam τȣ̃ μακαρίτȣ habuerunt notam. Mihi certè ſecundum ejus matrem nihil fuit, nec eſſe potuit charius, qui tamen facilè conſolor ipſe me, quoties privatum aut publicum omnium bonorum in hoc Regno ſtatum intueor.* Huic tale poſuit Epitaphium:

(a) Epiſt. 591.
(b) Ephemerid.
(c) Epiſt. 586. 587. 593. 606.
(d) Epiſt. 591.

VIXIT MEA PHILIPPA, MATRIS SUÆ AMOR ET CURA, ANNOS XVIII. MENSES VI. DIES XXI. HORAS FERE IV.

Præter ea ſubiit hoc anno a. d. XII. Kalend. Auguſt. unà cum uxore, filio natu maximo, *Joanne*, & ætate illi proximo *Merico*, ut & ſorore ſummum vitæ diſcrimen. Charentonium namque ſcaphâ fluviatili profecti ſacram Synaxim celebraturi, appulſu imprudenti gravioris navis penè in flumine perierunt. Caſum verò ſingularem, quandoquidem ipſe dignum cenſuit prolixius deſcribere, hac occaſione referre non injucundum fore Lectori autumavimus: „ Scito, ait, (*e*) (ſcribit Scaligero) accidiſſe τῇ Κυριακῇ proximè elapſa (is erat dies hujus menſis (Julii 1608.) XX.) dum ad ſacram συνάξιν adverſo flumine deferimur, ego uxor, duo natu maximi filii (ſcilicet *Joannes* & *Mericus*) & ſoror cum parte familiæ, ut ſcaphâ fluviatili, quâ vehebamur, ictu repentino & inopinato magnæ navis percuſſa, & ſtatim ὑποβρύχιοι pene diem ultimum vitæ clauderemus. Longum faciam, ſi κατὰ λεπτὸν, quo modo res acciderit, exponere aggrediar. Maximum certè periculum omnes adiimus. Sed uxor longè præſentiſſimum; ego illi proximum. Nam cùm majoris navigii marginem jam prehendiſſem, viſo ejus periculo, mei immemor dum illam jacentem ſupinam attollo, & porrigentibus brachia admoveo, cum ſidente ſcapha pene eo ſum delapſus, unde vix potuiſſem ſervari. Omnino quòd ſervati ſumus, ego præſertim atque uxor, ſingularis benignitatis Dei Opt. Max. erga nos & noſtros eſt argumentum.

(e) Epiſt. 606.

Hiſce, quibus puſillanimes atque degeneres ſuccumberent, ferè obrutus; infracto tamen immotoque animo cùm ſtudiis, tum Religioni, cujus libera profeſſio ſibi ſuiſque denegata, plurimùm creabat moleſtiæ, adeò ut conditiones, quæ ſæpè verè, ſæpius falſò ipſi offerebantur, accipere numeroſâ onuſtus familiâ, ſeptem enim habebat liberos, animum induxerit, ſive Heidelbergenſium, ſive Nemauſenſium, quæ binæ eodem tempore oblatæ, ſingulæ tamen ſuas habebant illecebras, ſuas remoras (*f*). De Heidelbergenſi vocatione (*g*), quandoquidem inaudiverat ad aures ſereniſſimi Electoris Palatini, aliorumque Principum ſummorum rem perveniſſe, neque eos ab hoc conſilio abhorrere, (unde ei ſcribit Scaliger (*h*): *Nolo te neſcire, viros ampliſſimos, Electoris Palatini Conſiliarios,*

(f) Diar. VIII. Eid. Januar. 1608.
(g) Epiſt. 608.
(h) Scalig. Epiſt. 135.

liarios, hoc agere apud Principem suum, ut te illuc vocent) agit uberius cum viro insigni D. Buwinchausio, apud Regem in Gallia Legato, idque vice non una. Attamen, quo (a) Epist. 625. spes erat posse perduci, rem ne intra annum quidem perducere potuit (*a*), omnem operam suam diligentissimè conferente licet ejus amantissimo Georgio (*A*) Michaële Lingelshemio, quo nullum, certè non in Germania, fideliorem habuit amicum. Causam (b) Epist. 630. reddere videtur Scipioni Gentili cùm scribat: „ (*b*) Fateamur liberè, nostris Magnati„ bus non inest is ζῆλος, quo flagrant οἱ τῶν ἐξ Ἰταλίας. Itaque velimus nolimus ἐμφι„ λοχωρεῖν ἡμᾶς δεῖ, qui fortasse alibi poteramus, certè optabamus ἐπιθυμίᾳ τῇ μεγίστῃ Ec„ clesiæ Dei prodesse. „ Abeundi porro desiderium inflammabatur indies, quòd videret se destitui sacrâ Synaxi, quam tamen identidem in domo Legati Regis Angliæ unà cum uxore celebrabat vir pius, imò experiretur frigere magis magisque quotidie eorum ami(c) Diar. pag. 45. citiam, qui ipsum isthuc vocarant spe futuræ mutationis (*c*). Eos inter viri maximi per totam hyemem, quin potius integrum annum, CIↃ IↃ CIX. machinis multis usque adeò eum impugnant, ita dies noctesque tenaciter urgent gravissimum de Religione negotium, ut summis animi cruciatibus confectus, nullum diem quietum in Galliis egerit. Neque id suâ fecerunt sponte, verùm impulsi ab illis, qui ejus fortunas diverso genere injuriarum attriverant, viderantque ipsi ærumnas ac difficultates, quòd spe auxi(d) Epist. 625. 652. lii esset destitutus, hac dissensione recentes enasci (*d*). Et erant illi non solùm Romanenses, qui propter Religionis suæ negotia erga ipsum acerbè affecti minus culpandi; (e) Epist. 640. verùm etiam, res mira! ipsi illi (*e*), qui iisdem sacris cum ipso erant addicti, & ex æquo unanimes vixisse debuerant; qui tamen collatis signis uno impetu innocentem aggrediebantur. Quid! recens iterum & fortè acrior sustinendus fuit in sacris insultus. Perronius enim Cardinalis, auctoritate atque eloquentiâ plurimùm valens, jussu Regis eum vocat ad Colloquium. Sequitur, atque invitus adit. Per horas aliquot cum Cardinale ei gravissimus de Religione sermo est, è quo domum reversus Deum supplex (f) Diar. pag. m. 46. hisce precatur (*f*): *Te oro, Deus, infundas in animum meum veritatis studium & amorem, servesque ab omni in re Religionis errore.* Quum verò maximus Heros Bullioneus de hoc inaudivisset Colloquio, ad invisentem ipsum Casaubonum quid de isto congressu cum Cardinale Perronio foret, inquirit diligenter, unàque exhortatur & animat Casaubonum, velit bono publico sustinere in iis assensum, quæ pertineant ad D. Plessiacum, qui, etsi minus interdum fuerit oculatus, damnari tamen sine causa vera ac justa con(g) Diar. pag. mihi 29. demnationis haud potuit (*g*). Hæc plenius, & quis fuerit rerum suarum status, exposuerit procul dubio in Epistola isthoc tempore ad Frontonem, in Aula degentem, data; quæ ad manus nostras non pervenit. Cæteroquin quandoquidem omnia ei, qui primus inter amicos numerabatur, solebat quàm apertissimè exponere, accuratius ea cognosceremus. Verùm in hoc Colloquio, qui hactenus constanti atque immobili animo restiterat tot tantisque tentationibus, quibusdam visus est quodammodo cespitasse; saltem ad quædam capita non ex tempore potuisse satis dilucidè respondere: unde tempus ulteriori exquisitioni sibi dari justissimè postulavit. Otium adeptus se unicè tradit sedulæ lectioni Patrum, optimorumque Theologorum, ipsi in deliciis, quâ brevi ita instruitur, ut accuratius dubiis, atque objectis difficultatibus examinatis, superatis facilè atque ex animo ejectis, quos Cardinalis Perronius injecerat scrupulis, pristinæ fidei ac Religioni sese penitùs addixerit. At quis, amabò, hoc ipsi vitio verterit, cùm hoc genere literarum callentissimus, paratus semper & prævio consilio ad contentionem accesserit Perronius? Casaubonus è contrario non nisi coactus Theologus incertus fuerit continuò, quibus de Religionis capitibus adversarius esset acturus; adeòque haud ita, quàm quidem potuisset profectò aliàs, promtus. Sileo callidum Perronii ad inescandos homines ingenium. Nec est quod quis sibi imaginetur semel aut iterum hanc rem sacram agitasse eos sermonibus in conviviis, comessationibus, aut aliis occasionibus quæsitis. Verùm quoties Perronius Casaubonum nostrum deprehenderet in Bibliotheca Regia, cujus custodibus præerat. Sedulò repetebat argumen(h) Epist. 651. tum unde Casaubonus querens Perronii importunitatem, inquit (*h*), *cum hoc viro assiduè versans propter munus meum, assiduè dimico.*

Inter hæc adversa plurima, gemitus atque indignationes, quarum veretur ne altè im(i) Epist. 623. Præfat. in Polybium. pressa nimis multa in scriptis suis appareant vestigia (*i*), nihilominus Herculeo labore atque animo per longum tempus intra manus hærentem perficit atque absolvit Historiographo-

(*A*) *Omnem operam suam diligentissimè conferente... Georgio Michaële Lingelshemio.*] Ita Lingelshemius Epist. 81. ad Bongarsium: *In Casauboni magni illius viri causa nihil adhuc constitutum indignor, & lentorem istum nostrum abominor. Intereà & M. Præfectum & Cancellarium urgere non desino.*

graphorum Principem, Polybium. Hunc, Regum maximo Henrico IV. Patrono suo clementissimo consecratum, donat præter Proceres quosdam Cancellario, qui gratissimi animi indicium hoc munus benigno vultu in gremium receperunt; quò spe quasi divite erectus conjicit illos paraturos ei apud Regem viam liberalissimæ remunerationis. Itaque spei animique plenus a. d. XIII. Kalend. Novemb. Regem ad Fontem Eblodi adit, Polybiumque ejus Majestati offert. Verùm qui fuerit exceptus, disce ex ejus Diario: *Sum exceptus à maximo nunc Regum humanissimè, benignissimè. Sed meum opus ita est exceptum, ut par erat ab eo suscipi, qui literarum est πλέως rudis. Culpa erat & quidem insignis τοῦ τὴν σφραγγίδα κατέχοντος, qui egregium mihi fucum fecit. Nam qui receperat sexcenties se de ea re cum Rege verba facturum, ne γρῦ quidem illi dixerat. Quid multa? Vanitatem Aulæ & rerum humanarum vidi ac risi. Lætus interim quòd eodem planè tempore Rex Angliæ suam benevolentiam prolixè mihi significandam curarit.* Quæ verò causa frustrationis? Sola Religio, vel ipso teste Casaubono (*a*): „ Prolegomenōn prolixitatem noli accusare: nôram Mecœnatis mei benignitatem & erga me facilitatem ac benevolentiam; cujus grande monumentum essem consecutus oblato hoc munere, si per Religionem non stetisset. Nam si pati potes semel apud amicum *καυχώμενον ἐμὲ* Proceribus nostris ea pars, quà Regem laudavimus, ita probata est, ut ad suscipiendum ejusdem argumenti Panegyricum & Cancellarius noster, vir illustrissimus, & omnes certatim me hortentur. Qui debuerant potius Regi auctores esse ut jacturam rei familiaris, quam * (*supplendum puto* Genevæ) accepimus, iret sartum. Sed obstat id, quod dixi. Itaque illo nos solabimur, virtutem amplam sibi ipsam esse mercedem. „ Quid autem in hoc Scriptore præstiterit, abundè testatur in Polybio præmissâ Præfatione; nec non ejus filius Mericus Casaubonus in Epistola, quâ Lectori sua in Polybium commendat. Non est animus mihi illa repetere, aut colligere quid de ea editione senserint ad unum ferè omnes viri docti; sufficere rati subjunxisse quid (*A*) Joannes Caselius, cujus judicio plurimùm tribuebat celeberrimus Joannes Georgius Grævius, de Casauboniano labore reliquerit; quid judicarit (*B*) Rudolphus Botereius, vir doctissimus; sed in contexenda Historia eo minor summo Thuano, quòd partibus videatur nimium quantum addictus. Polybio adjecit (*b*) vetustissimum Scriptorem Græcum Æneam, cujus vel solâ publicatione non dubitabat, quin apud viros literatos gratiam initurus esset aliquam, ne dum jam Commentariis luculentis illustratum.

(a) Epist. 644.

(b) Epist. 633.

Intereà dum hæc agitaret, familiaritatem atque consuetudinem contrahit cum Legato Regis Angliæ, ac per literas cum viris doctis in Anglia degentibus, inductus solo argumento quòd audiret animadverteretque eo in Regno ab Elisabetha, piorum tutissimo refugio,

(*A*) *Quod Joannes Caselius.*] *Erico à Walthausen in Munzel.* CASAUBONUS autem, quem dixi, edidit Polybium, qui antè in multis minimè intelligebatur: ita ipsum Latinè reddidit, ut cum aliis omnibus, tum equestris ordinis juventuti, qui tantum Scriptorem prius adspicere non poterant, fit obvius & facilis. Facile enim & hoc, à quo potissima difficultas semota est, ut in iis locis lux, à quibus crassiores tenebræ depulsæ videantur. Neque enim nego nihilominus alicujus rem negotii futuram, etiamsi ille sentis veprisque exsecuerit. Quid in universum præstiterit, ex re ipsa videbis, & prius tamen cognosces, inquam, amplius, & quanta lux atque etiam dux vitæ sit Historia, & quomodo legenda, & quid quantumque conferat reductus in lucem, adeòque redivivus Polybius. Expeditiora tamen etiam erunt omnia legentibus simul ejusdem Commentarios, quorum editionem exspectamus indies, habuerimus. *Kalend. Feb.* 1610. *lib.* v. *Epist.* 28. *ad Principes, Nobiles, &c. pag.* 479. *Idem Julio Jageman.* Habemus enim nobilem Historiæ Scriptorem beneficio ISAACI CASAUBONI, quem legere magno nostro bono queamus, & juvenes nobiles debeatis. Hoc etiam avidius quòd ejusdem Commentarios propediem habebimus, qui cujusmodi sint, è Præfatione ad Regem facilè possumus statuere: imò exspectationem illi etiam nostram superabunt. Sunt autem ejusdem viri scripta cætera ejusmodi, quæ testantur ipsum vel solum esse, vel in primis, qui bene de re literaria mereri possit, & præclarè omnino mereatur. *Lib.* VII. *Epist.* 12. *pag.* 543.

(*B*) *Quid judicarit Rudolphus Botereius.*] *Rudolphus Botereius, Commentarior. Lib.* XVI. Ego obscurus Scriptor ex alieno igne fumo meo lucem dare laboro, ut hedera vappam commendat, bona merx malæ adjuncta venalem facit, sic ex aliorum operibus, mea minus despicabilia facio. ISAACUS CASAUBONUS, eruditorum ex tanta clade penè unus Reipublicæ literariæ Dictator, hoc anno Polybium, anteà fœde laniatum, purè & castigatè cùm vertisset, Historiæ militaris principem Scriptorem, *Henrico IV. militiæ Principi, quique scribendis Annalibus uberrimam segetem dietim præbet, dedicavit, obtulitque præmissâ operi Epistolâ aureâ & dignâ planè Regum auribus. Ille non modò vultu comi, affatu blando, offerentem prosequutus est, sed aureo muneri aurum addidit, quantum nescio; &, si fortè sciam, efferre nolim. Regia tamen liberalitas numquam illaudata, nec enim Musæ benefactorum memoriam interire patiuntur, viget adhuc post tot secula, fama illius Cæsaris, qui Græci Poëtæ de Venatione singulos versus nummo aureo donavit.

fugio, commutatis Romanorum sacris cum purissima Euangelii doctrina, & expulsis Pontificiorum Ministris, restitutisque veritatis Christi Defensoribus (*a*), studiosius & quidem ab ipso Rege coli veram Religionem, quam alii Reges Principesque occæcati studio quorundam nequaquam percipiebant; satius & honestius ducentes turpiter servire quàm piâ libertate frui (*b*). Itaque recens in Galliam allatum serenissimi sapientissimique Regis Angliæ numquam satis laudatum legit librum, cui titulus: *Triplici nodo, triplex cuneus;* posteà iterum beneficio Petri Junii Regi Angliæ à Bibliotheca, qui hoc munere Casaubonum donarit, fortè vel Regis nomine ei misso. Plurimi enim, uti ante dixi, Casaubonum faciebat Jacobus, Angliæ Rex serenissimus.

(a) *Epist. 34. post Clementis Epistol. à P. Colomesio edit. Adde Epist. 37. 38. ejusd. Syllog.*

(b) *Epist. 635.*

Sub initium verò anni CIↃ IↃ CX. cum viro celeberrimo, Joanne Uytenbogardo, qui illustrissimis ad Regem Galliæ Legatis Batavis fuit à sacris, de Religione satis apertos habuit sermones; quorum exemplum, quòd Historiam exornent, non possum non subjicere (*c*):

(c) *Epist. Ecclesiast. & Theolog. num. 145. pag. 250.*

„ CASAUBON. Je suis fils de Ministre. Les Ministres point à leur aise pour „ maintenant. UYTENBOGARD. Il cuidoit être brûlé à Bourdeaux. CASAUB. „ Dieu a voulu que je vinsse icy, depuis ceux de Geneve m'ont fait la plus grande ini-„ quité du monde. Les Papistes pensoyent à cette occasion se prevaloir de moy; me „ solliciterent fort, mesme le Roy. Je luy dis, que je le suppliois ne me faire rien faire „ contre ma conscience; qu'il en feroit un hypocrite. Il dit qu'il ne voulust pas, que „ je changeasse de Religion, mais que je conservasse. Depuis je suis esté fort attaqué, „ nommément de Monsieur du Perron, qui à la verité *est fulmen hominis:* car comme je „ suis Bibliothecaire du Roy, quand il vient en la Bibliotheque, les occasions ne luy „ manquent point. J'ay subsisté jusques ores, graces à Dieu; mais il faut que cepen-„ dant je vous confesse qu'il m'a donné beaucoup de scrupules, qui me restent, & aus-„ quels je ne sçay pas bien respondre: il me fasche de rougir. L'eschappade que je prens „ est, que je n'y puis respondre, mais que j'y penseray.

„ Je confesse que je ne puis approuver le Concile de Trente, en ce qu'il a decreté tou-„ chant les Livres Apocryphes: c'est chose abominable; car ce sont des fables: ni pour la „ translation Latine, c'est chose abominable. La tyrannie aussi du Pape est intolerable. „ Et pour le fait des Images, ainsi comme cela maintenant est en usage, c'est un abus „ trop manifeste, & tout plein d'autres choses. Mais il fault, Monsieur, que je vous „ confesse, qu'il y en a d'autres qui me mettent en peine, quand je considere cette ve-„ nerable Antiquité. 1. Pour nostre Police Ecclesiastique, elle ne me semble pas ac-„ corder avec l'Antiquité. UYTENB. Icy je consens. *Addit.* Que Monsieur de Beze „ luy avoit dit, que Mr. Calvin, voyant les abus de l'Eglise Romaine en cest endroit, „ avoit raclé cela; mais qu'en effet Mr. Calvin estoit Evêque de Geneve, & que peu „ devant son trespas il en avoit nommé de Beze, qui n'en voulut point. Un jour Mon-„ sieur de Beze avoit fait un prêche, où il avoit exhorté le Magistrat de son debvoir sur „ quelque procés, affin que Justice tint la balance droite. Monsieur de la Faye recitant „ ses propres mots, en avoit prêché contre. Moy m'addressant à Monsr. de Beze, qui „ en pleuroit de regret, (c'estoit une ame vrayement Chrestienne, qui me dit un jour, „ qu'il avoit occasion de demander pardon à Dieu de ses pechés, mais que jamais il „ n'en demanderoit de l'ambition; vice, auquel il estoit le moins addonné). Je luy „ dis, que s'il avoit la Police de l'Antiquité, cela n'adviendroit pas: ce que m'advoua. „ Je luy demandai, pourquoy donc il avoit tant resisté à l'Angleterre? Il ne respondit „ rien. 2. Nous n'avons plus de devotion: en l'acte mesme de faire la S. Cêne, com-„ me nous allasmes, quelque un me demanda, comment se porte le cocque de vos poul-„ les d'Indes: se dire des injures. 3. Pour les malades porter la Cêne: cela est dans „ l'Antiquité. 4. Pour le Baptesme, est advenu qu'en un temps extremement rude „ quelqu'un portoit son enfant pour estre baptisé à Charenton, l'enfant estant malade à „ la mort, on ne voulut pas le baptiser devant le prêche, l'enfant mourut, le pere se „ revolta. 5. Pour le Sacrement, mesmes il est certain, que l'Antiquité donne à enten-„ dre, qu'il y a bien quelque autre chose. Plessis beaucoup de faussetez. Moulin aussi, „ au 3. chap. de S. Denis: πρὸς φυραντὶν δῶρον: πρὸς φορὰν τῦ δώρυ. (*in mixtum donum; „ oblationem doni*) 6. Pour la Predestination, il est mal aisé de ne tirer la consequence, „ *Deus est author mali.* 7. Pour le liberal arbitre, Mr. Calvin fait dire à S. Augustin, „ ce qu'il ne dit pas. 8. Pour les bonnes œuvres, il y a quelque autre chose qu'on ne „ dit, pour le moins, il les faudroit plus prescher; Monsr. Perrot disoit une fois à Ge-„ neve, qu'on avoit trop prêché la justification par la seule foy; il est temps qu'on par-

„ le

„ le des œuvres. 9. Pour la descente aux enfers, Mr. Calvin parle trop cruëment. Je „ sçay que M. Calvin a esté grand personnage; mais ses disciples empirent les affai- „ res. Il y a un vray Pharisaïsme. Mr. Goulart un jour taschoit de faire jurer les „ Institutions de M. Calvin. Je suis en la plus grande peine du monde. D'un costé „ & d'autre je suis mal, nonobstant qu'il y a des gens doctes, graces à Dieu, qui m'ai- „ ment.

„ A tout cecy, *ego dixi, quòd cogitatu essent digna: me etiam desiderare multa; & in „ negotio Prædestinationis me non videre quomodo dicta Calvini quædam excusari queant à „ consequentia*, Deum esse authorem peccati: *sed tamen nihil esse innovandum, ne plus „ scindantur Ecclesiæ quàm anteà. Quæsivit de Arminio; anne & ille haberet aliquid, de „ quo conquereretur. Respondi, habere; sed præcipuum esse quod ageret, ut posset uniri Chri- „ stianismus: modum autem hunc esse, ut discrimen fieret inter fundamentalia & non funda- „ mentalia; ut de illis certi esse possemus, de his liberè prophetare. Ad hoc ille: O sanctas „ cogitationes! Addidi, voluisse sua Arminium proponere in Synodo; sed hoc nomine multa „ passum. Narravi de Synodo habenda. Sic discessum, interveniente Reygersbergio.* „ De hac autem Collatione ita Arnoldus Poelenburgius ad Christianum Hartsoekerum (*a*): (a) *Epist.* 144. *En tibi Rever. D. Uytenbogardi manu descriptum exemplar eorum sermonum, quos ipse, in Galliam unà cum DD. Ordinum Generalium Legatis profectus Anno Christi* CIↃ IↃ CX. *habuit cum illustri viro, Isaaco Casaubono. Hæc sanè Collatio nobis eo nomine magni facienda est, quia hinc constat, virum primarium, Casaubonum, inquam, nobis, & in veritatis defensione & mutuæ tolerantiæ studio addictum fuisse.*

Non illuxit, credo, toto vitæ cursu tristior ullus Isaaco Casaubono annus, quàm supra millesimum sexcentesimum decimus, in quo conjurasse videntur in ejus exitum fata quæque, ferè dixerim, pessima. Nam supra continuas, quas cum Jesuitis, eorumque omnis ordinis ac dignitatis asseclis ac fautoribus, de Religione disputationes quotidianas acerrimas, præter calamitates domesticas, præter garrientes temerè de eo multa amicos inimicosque homines imperitissimos (*b*), accedebant bina, vix superanda viro constan- (b) *Epist.* tissimo mala. Alterum quòd Mecœnas ejus summus, Henricus IV. Galliarum Rex, 673. pridie Idus Majas, dum regio vehitur curru, à deperdito nequam, Francisco Ravillac, pugione interficitur (*c*). Quocum, licet post mortem Regis tranquilla & pacata om- (c) *Vide* nia visa sunt (*d*), omnis melioris status ac quietæ magis vitæ spes planè concidit; uti id *Emanuel. Van Me-* apertè colligitur ex plurimis Epistolis (*e*), in quibus tanti Regis, cui laudando se im- *teren, lib.* parem fatebatur, mortem in amicorum sinubus deflet. Hinc plures causæ, quas ex XXXII. *Histor.* Gallia communicare cum amicis non audebat (*f*), cogebant ipsum malè metuere (*g*), & *Belg. fol.* præcipuè in incerto nutantes fortunæ, de iis stabiliendis seriò cogitare (*h*). Inter eas 611. *qui hec prolixè* haud exigua erat, quòd apertissimè sentiret in eum locum redactas res, ut viderentur *tradit.* brevi omnes Galli fore mancipia Loiolitarum (*i*): ut sileam nihil majore studio deside- (d) *Epist.* rasse ac eò pervenire, ubi libertate posset frui plenâ (*k*). Constituit itaque trajicere in 675. Angliam, invitatus frequentissimè ab ipso Rege plurimisque viris eruditis, præsens isthic (e) *Epist.* 675. 685. cum amicis illis deliberaturus quid hoc rerum statu ipsi foret potissimùm agendum (*l*). 687. 688. Quare ad hoc iter suscipiendum veniam à Rege adhuc vivo petierat. Sed, quem prævi- (f) *Epist.* derat, sequutus est vanus ejus voti exitus. Hinc mense Martio destinat Italiam adire, 683. (g) *Epist.* ingenti cupiditate ardens videre Venetias, illamque regionem; verùm ante omnia Pau- 676. lum illum περιβόητον, (Servitam, Venetum) virum maximum, Auctorem optimi istius (h) *Epist.* de Concilio Tridentino libri; qui ex Papatu dicitur nihil nisi vestem retinuisse; unàque 688. (i) *Epist.* pernoscere Ecclesiam Græcam, & fidem illius gentis atque Religionis consuetudines (*m*). 684. At multis causis gravissimis impellitur mutato hoc proposito; seriò cogitare de itinere in (k) *Epist.* Angliam, quod, quoniam metuebat offendere Regem Henricum, tempusque amittere, 681. (l) *Ibid.* uti & alia omnia, quæ eo spectabant, dirigit ac peragit per literas. Nactus occasionem (m) *Diar.* XII Kalend. Maj. ad ipsum scribit (*n*) Regem Jacobum, & nonnullos alios, in quibus *pag.* 31. haud ultimus erat Archiepiscopus Cantuariensis, Præsul illustrissimus & omni laudi ma- (n) *Epist.* jor, qui hac super re cum Casaubono diu ac prolixè egit (*o*) pluribus, quæ interie- 664. (o) *Epist.* runt, Epistolis. Convenit frequentius etiam Legatum Angliæ, Henricum Wottonum, 681. cujus domo videtur familiariter usus, arbitror, ut pro eo intercederet, mortuo seu sublato jam Rege, apud Reginam, recens creatum Regem, omnesque Aulicos, penes quos erat summum Regni imperium, ac reliquos Principes Senatoresque Isaaco Casaubono favere, saltem videri qui volebant.

Alterum verò, quia domesticum, longè gravius malum vehementissimè affligit Casaubonum, quòd ei nuntiatur, filium suum natu maximum, *Joannem*, quem Jesuitæ,

 Georgio

Georgio Strachano, nobili Anglo, in Mathematicis tradiderat erudiendum, agentem jam annum decimum nonum, à quibusdam pellectum, qui simul illi annuo ducentorum aureorum stipendio prospexerunt (*a*), patre inscio, (callidis enim consiliis secretò rem omnem confecerant) ad Pontificios transiisse. Quo turbatus nec opino nuntio pertristi, pariter ac perculsus dolore maximo, benè longum tempus inter gemitus & querelas unà simul cum uxore, quæ posteà de eo sine lacrymis nec loqui, nec cogitare potuit (*b*), ac suis moratus, in hæc verba erupit (*c*): *O vitam ærumnosam! O Satanæ insidias! Qui non potuere me impellere, ut imagines adorarem, ut doctrinam diabolorum amplecterer, ii filium natu maximum mihi corripuerunt, & corruperunt.* Γεννήματα ἐχιδνῶν, *quid vos movit, ut hanc fraudem adversus me excogitaretis? Adolescentem, imperitum rerum, imperitum disputationum Theologicarum, in retia vestra compulistis, me inscio, me invito. Dominus Jesus illius misereatur, & mei per illam infinitam suam misericordiam. Idem respiciat hanc domum; servet uxorem charissimam, & liberos in timore sui nominis. Amen.* Ex his meridianâ luce clarius constat falsum esse, quod gloriabatur Georgius Strachanus, se videlicet patris precibus ac consilio fecisse, quicquid fecerit, uti refert Jacobus Capellus (*d*): „ Casauboni filium à Georgio Strachano Mathematicis disciplinis Pontificiæ doctrinæ corruptelas admiscente in præceps datum, facilè crediderim. Sed quod Strachanus gloriatur, id se patris precibus ac consilio fecisse, quàm id sit falsum, scio, qui viderim „ quàm hujusmodi rumores iniquè ferret; quàm altis suspiriis filii casum lugeret etiam „ biennio pòst, cùm in ejus rei fortè mentionem Londini me præsente incidisset. „ Verùm hæc non *Joanni*, sed *Augustino Casaubono*, quem Car. Ogerius dicit fuisse Ordine Capucinum, Calesii unà cum undecim aliis nefario quorundam civium scelere medicato veneno interfectum (*e*), adscribit Naudæus. Heribertus Rosweydus fictitiam, (respondet enim Joannes fratri Merico, se nescire, unde & quænam sit illa Epistola, nec super re ea quicquam posse certi respondere, donec ipsam (*f*) viderit) ficti hujus Augustini Casauboni producit Epistolam, quâ vafer ille homo conatur luce meridianâ clarius demonstrare, Isaacum Casaubonum ad Papismum omnino inclinasse, imò non veretur scribere, teste sanctissimo Jacobo Capello (*g*): *Casaubonum convictum gravissimis Cardinalis Perronii disputationibus, fidem dedisse, fore, ut proximis feriis Pentecostes anno* CIↃ IↃ CX. *hæresin ejuraret, sed execrandum Regis Christianissimi parricidium consilia ejus intervertisse.* Sed subjiciamus quæ Jacobo Capello, Isaaci Casauboni optimo vindici, reposuit Heribertus Rosweydus.

„ (*h*) Tertiò malâ fide agit, cùm ea, quæ de Casauboni in Religionem Catholicam „ inclinatione scripsi, in dubium revocat; cùm Strachano crimen falsi impingit; cùm „ Casauboni filium vult parentis mentem non percepisse. Quæ omnia & singula, pluraque huc spectantia, nunc apertius in lucem producam testatissimis filii tabulis, qui per „ Rev. Patrem Cuissottum à me rogatus de quatuor his punctis: I. de Strachano; II. „ de Plessæi libro; III. de Molinæi scriptis; IV. de patris ad Catholicam fidem inclinatione; hæc ad eumdem perscripsit:

„ *Pour la premiere assertion, il est très-vray que j'ay dit à plusieurs, & comme je crois encor, au Reverend Pere Fronton, que feu mon pere avoit dit à Monsieur Strachan, qu'estant „ sur le point d'embrasser la Foy Catholique, il avoit une chose qui luy donnoit de l'ennuy; c'est „ à sçavoir la crainte qu'il avoit que ne voudrois pas suivre; sur quoy il pria le dict Sieur „ Strachan, avec lequel il me voyoit converser fort familierement, de tascher de me disposer à „ embrasser quand & luy la Foy Catholique. Je vous pourrois icy dire plusieurs choses de la „ disposition, en laquelle il estoit lors de se faire Catholique, & des ruses dont les Heretiques „ se servirent pour l'en destourner; mais je me contenteray pour le present de dire, que peu de „ temps après il alla à Grigny, où il avoit une maison, à dessein d'y coucher par escrit les causes, pour lesquelles il pretendoit quitter son heresie, & il estoit là lors que le Roy deffunct „ fut tué.*

„ *Pour la seconde assertion, je recognois qu'il est très-vray que j'ay dit au susdit Pere Fronton que mon pere m'a souvent retenu longue espace du temps en son estude à feuilleter les Peres, me faisant voir, comme leur doctrine estoit contraire à celle que luy-mesme m'avoit autresfois apprise. Il est aussi très-vray qu'il m'a fait voir plusieurs passages de Du Plessis „ Mornay faussement citez; & au contraire plusieurs dans un livre du Cardinal, lesquels tous „ se sont trouvez vrays.*

„ *Touchant la troisiesme assertion, qui est très-vraye, & dont je me souviens indubitablement avoir parlé au susdit Pere Fronton, Du Moulin mesmes, s'il veut, pourra servir de „ tesmoin à ceste verité, lequel a eu le livre près de huit jours entre ses mains: il ne peut ignorer*

qu'assez

(a) *Meric. Casaub. Piet. pag.* 86. 87. *nostr. edit.*
(b) *Epist.* 761.
(c) *Meric. Casaub. Piet. pag.* 87.
(d) *In Dedicat. lib.* 1. *Vindic.*
(e) *Naudæana, pag.* 11. 12. 145.
(f) *Meric. Casaub. Piet. pag.* 88.
(g) *Jacob. Capell. Vindic. Pref.*
(h) *Rosweydus, Syllab. Male Fidei Jacob. Capelli, pag.* 4. & *& seqq.*

„ *qu'assez souvent il y estoit taxé d'asnerie, de mensonge, & d'impudence; (ce sont des ter-*
„ *mes qui se trouvoient en ces marges) & en sa seconde impression il a corrigé quelque chose*
„ *suivant ces memoires; comme entre autres de ce qu'en la premiere il avoit malicieusement ap-*
„ *pellé le glorieux S. Cyprian, Anabaptiste. Je croy qu'il n'a pas si peu de front qu'il osast nier*
„ *qu'en un certain endroit de son livre, où il parle contre le tres-auguste Sacrement de l'Autel,*
„ *& veut persuader que les Peres anciens ont esté de son opinion touchant ce point, des-lors qu'il*
„ *commence de les faire entrer en lice, mon pere avoit mis à la marge en propres termes:* Omit-
„ tamus Patres: nam eorum auctoritate velle uti ad nostram sententiam confirmandam,
„ est exquisitissimo genere insaniæ insanire. *Recognoissez par cet eschantillon quelles estoient*
„ *ces notes marginaires.*

„ *Reste la quatriesme, & en voicy ce que je recognois avoir dit, & qui est très-veritable.*
„ *Un jour comme Du Moulin eust tardé avec feu mon Pere jusques à plus de dix heures du*
„ *soir, un mien cousin & moy l'accompagnasmes jusques en son logis, où par les chemins il me*
„ *dit que c'estoit faict de mon pere; que bientost nos adversaires triompheroient de luy, & en*
„ *un mot que bientost il seroit Papiste: c'est ainsi qu'il en parloit: & adjoûta après: De l'hu-*
„ *meur que je le cognois craintifve & pusillanime, il pourra encores trainer quelque temps; mais*
„ *pourtant nous l'avons perdu: & pour moy si je croyois ce qu'il croit, principalement de la*
„ *Messe, dès demain j'y voudrois aller.*

Quæ Latinè sic concipere possis:

„ Quod ad primam assertionem attinet, verissimum est, me pluribus, & quantum exis-
„ timo, etiam Rev. P. Frontoni indicasse, patrem quondam meum G. Strachano dixis-
„ se, se, cùm jam in proximo esset ut Religionem Catholicam amplecteretur, unâ maxi-
„ mè re cruciari, quòd videlicet vereretur, ne detrectarem ejus sequi vestigia. Quare
„ D. Strachanum, quicum familiariter versari me videbat, orabat, uti conaretur me ita
„ instruere, ut unà secum Fidem Catholicam amplecterer. Plura hic narrare possem de
„ patris proposito, quod animo versabat, uti Catholicæ sese insereret Ecclesiæ, & qui-
„ bus artibus Hæretici eum ab eo proposito avocare conabantur: quibus nunc supersede-
„ bo, hanc unam tantùm rem proferens, patrem videlicet meum pauco pòst tempore se
„ contulisse Grimacum, ubi domum habebat, eo animo, ut ibidem scripto consignaret
„ causas, ob quas nuntium hæresi statuerat remittere. Et quidem ibi tunc versabatur,
„ cùm Rex Henricus IV. occisus fuit.

„ Quod secundam assertionem spectat, certissimum esse recognosco, me P. Frontoni
„ dixisse, quomodo parens me sæpius longo temporis spatio in Museo suo detinuerit,
„ uti Patrum scripta percurreremus; mihi ob oculos ponens, quì horum doctrina con-
„ traria esset ei, quam ipse aliàs me docuerat.

„ Verissimum quoque est, varia mihi loca Mornæi Plessæi falsò citata monstrasse, &
„ è contrario plura in libro Cardinalis, quæ omnia verissima invenimus.

„ Quantum ad tertiam assertionem, ea verissima est, & de qua indubiè memini me
„ verba habuisse cum prædicto P. Frontone: quod & ipse Molinæus, si volet, testari
„ poterit, qui librum penè octo diebus in manibus habuit. Ignorare non potest ibi sæ-
„ pius se insimulatum, *asinitatis, mendacii, & impudentiæ*; (hi sunt termini, qui margi-
„ nibus adscripti erant) & in secunda editione correxit quædam his notis instructus; uti
„ inter cætera, quòd in prima editione malitiosè appellaverat gloriosum S. Cyprianum
„ Anabaptistam.

„ Credo autem non tam effrontem futurum, ut negare audeat, quodam libri ejus lo-
„ co, in quo contra augustissimum Altaris Sacramentum agit, & persuadere nititur, ve-
„ teres Patres (quod ad articulum hunc attinet) suæ opinionis fuisse, statim initio, ubi
„ eos in certaminis circum inducit, patrem meum disertissimis his terminis margini ad-
„ scripsisse: *Omittamus Patres: nam eorum auctoritate velle uti ad nostram sententiam con-*
„ *firmandam, est exquisitissimo genere insaniæ insanire.* Ex hac tessera præcidanea agnosce,
„ quales hæ notæ marginales fuerint.

„ Reliqua est quarta assertio, de qua memini me hoc dixisse, quod verissimum est.
„ Cùm die quodam Molinæus cum patre quondam meo occupatus fuisset usque ad deci-
„ mam horam vespertinam, ego cum quodam è cognatis meis domum deduxi. Quo ipso
„ tempore per viam mihi dixit, actum esse de patre meo; propediem adversarios de eo
„ triumphaturos; & uno verbo, eum in brevi Papistam futurum; eâ phrasi Molinæus
„ utebatur. Addebat: Quia patris tui complexionem novi, quàm timidus sit & pusilla-
„ nimis, posset aliquanto tempore moras nectere; intereà tamen eum perdidimus: &

„ quantum ad me attinet, si ego crederem quod ipse credit, maximè de Missa, cras eam „ adire & audire vellem.

Verùm ego, ut jam dictum est, fidem nullus habeo dictis ac prolatis à Rosweydo, quoniam neque in scriptis Isaaci, neque Merici Casaubonorum, eorumque amicorum Epistolis bene multis, ipsaque parentis Isaaci Ephemeridum epitome, utut diligenter quæsierim, de Augustino aut volam aut vestigium deprehenderim. Quin potius, si quid veri lateat sub illa Epistola, saltem illam Joanni adscribendam autumarim, quamvis Mericus in refutatione istius Epistolæ neque Joannem, neque Augustinum nominet. Quod certè oportuit, si fuissent diversi fratres. Atque ita non unus, sed duo ex Isaaci Casauboni filiis Romanam amplexi fuissent Religionem, quod me umquam legere non memini. Impetratâ (*a*) pridie Kalendarum Octob. à Regia Majestate, quæ eodem tempore Casaubonum ad meliorem spem erexit, in aliquot hebdomadas Angliam sequendi veniâ, neglectis Academiæ Parisinæ rebus, quas non magis attingebat, quàm qui aberat longissimus (*b*), festinantem moratur morbus, qui ipsum sollicitum habebat mirum in modum, uxoris. Hæc verò melius se habente, curis licet variis anxius, & aliquid mali de Anglicano itinere metuens, (scribit enim (*c*): *Video enim quò me dem præcipitem, & quæ me circumstent pericula. Si quod opto, quieti meæ & tranquillitati consulere voluero. Scis Tu, Domine Jesu, quæ & quàm justæ rationes impellunt, ut hoc iter suscipiam. Tibi exitum permitto.*) VIII. Eiduum Octobrium in comitatu viri illustrissimi, Henrici Wottoni (*d*), qui Legatus extra ordinem Parisios venerat, ac se suo ære ac sumptu promiserat Isaacum Casaubonum in Angliam deducturum, solus è familia sua discedit. VI. Eid. Octob. Samarobrigam Ambianorum veni (*e*), & XIV. Kalend. Novemb. Doroverniam appulit, per viginti & quatuor horas inter Caletum & Doroverniam ita jactatus tempestate horrendâ, ut, naufragium non sine justo timore metuens, æger decubuerit. Verùm omnes illas molestias facilè ei absterserunt comitas, benignitas, civilitas, & amor ergà ipsum tam illustrissimi Legati, quàm uxoris illius, Heroïnæ omni laude dignissimæ (*f*). Insequenti verò proximo die XIII. Kalend. Novemb. Cantuarium profectum, Benjaminus Carrierius, quocum in Gallia intimam contraxerat colueratque amicitiam, propriis ædibus perquam blandè benignèque excipit (*g*). Fama vixdum exierat per urbem advenisse Casaubonum, quin è vestigio accurrunt viri doctissimi atque pientissimi, Ecclesiæ, ut isthîc vocantur, Præbendarii, quos inter totum ferè transegit diem, haud mediocriter gavisus summis illis viris gratas esse suas de Religione, quas conceperat, cogitationes. Sibi redditus, nauseâ ac vomitu fractum tenue, quod gestabat, corpusculum cibo somnoque curans, ne quid temporis periret malè, legit aliquot tractatus Martini Becani, quos scripsit stylo facili & satis acri; est enim disputator non parum vehemens; ac post eos Hadriani Saraviæ, quem senem gravissimum postridie invisit, ac graviter & liberè de malis nostris disserentem audivit, librum contra Bezam de Episcopatu in Ecclesia: quod argumentum Beza planè novè tractaverat, ut novitatis auctor fuerit Scotis. Saravia autem eum acriter ac verè confutavit, probans etiam à Calvino suo Bezam dissentire, nedum ab omni vetustate, quam audacter spernit. VI. Kalend. April. præeunte viro doctissimo atque amico optimo, Benjamino Carrierio, structuram ædis Cantuariensis Ecclesiæ perlustravit, etiam ad summum ejus fastigium ascendens. Quo probè lustrato, ædis amplissimam magnificentiam atque elegantiam satis mirari non potuit. Regem verò videre ardenter cupiens, IV. Kalend. Novemb. unà cum optimè de se merito hospite Londinense ingressus iter, per amœnissimam regionem, contemplato in transitu Rossein, ubi navale erat regium, petit Gravesindam. Proximo verò ab hoc die tendunt Londinum, in æstuario parvulâ vecti cymbâ, quam ventus secundus, fluxus maris, & remiges ita fortiter impellebant, ut intra quinque horas iter confecerint; delectati haud parum inter navigandum conspectu navis bellicæ majoris, *Princeps Walliæ* vocatæ, tanto Principe, sive magnitudinem, sive ornamenta spectes, dignissimæ. Londinum ingressi amicissimus hospes Carrierius rectà ad domum viri optimi, Joannis Overalli, Decani Ædis Paulinæ, Casaubonum deducit, cujus comitatem erga se tantam expertus fuit, ut à nemine majore vix excipi posset. Verùm post breve colloquium statim adit ad Reverendum D. Archiepiscopum, cujus itidem viri benignitatem, quâ ipsum est amplexatus summâ, nullis verbis fatetur se posse exprimere; quod gaudium eo fuit longè lætius, quòd in ipso sermone, quem bene multum cum eo habuit, maximus Præsul ei aperiret Regis desiderium Casaubonum isthîc retinendi. Quum autem illo fortè tempore incidisset dies festus, commodam nactus occasionem dilucidè perspiciendi, quos dudum absens laudaverat, Ecclesiæ Anglicanæ ritus,

(a) Diar. pag. 32.
(b) Epist. 687.
(c) Diar.
(d) Meric. Casaub. Piet. pag. 87.
(e) Epist. 690. Diar. pag. 33.
(f) Epist. 691.
(g) Diar. pag. 33.

ritus, Templum ingreditur, & mores excutit, atque hoc calculo probat (*a*): „ *Prid. Kalend. Novemb.* diem facrum non malè pofui, Dei beneficio: fum enim invitatus hodie, ut intereffem facris, quæ facta funt ad confecrandos Epifcopos duos Scotos & „ Archiepifcopum Scotiæ. Vidi illos ritus, & impofitionem manuum, & preces in eam „ rem. O Deus, quanta fuit mea voluptas! Tu, Domine Jefu, ferva hanc Ecclefiam, & noftris Catharis, qui ifta vident, da bonam mentem. „ Cui fi addideris alium locum, ab eodem P. Colomefio expreffum, facilè patebit, quodnam habuerit de Ecclefiæ Anglicanæ Ritibus judicium. „ *Prid. Non. Januar.* 1611. Gratias Tibi, Domine, „ quòd hodie ad Sacram Menfam fum admiffus, & Chrifti corporis fanguinifque factus „ fum particeps in Ecclefia Anglicana, cujus formulam heri diligenter meditatus admodum probavi, & ordinem agendi mirè laudavi, præ recepta apud alios (fcilicet Gallos & Genevenfes) confuetudine. „

(a) *Ex Ephemeridib. If. Cafauboni; P. Colomef. post S. Clementis Epiftolas ad Corinthios, pag.* 369.

Intereà hic novus gratiffimus Anglis hofpes, ab omnibus ferè Gallis oppreffus, expulfus fuis bonis, fugiens Jefuitarum tela, continuò adeft viris fanctiffimis maximifque, integros cum iis confumens dies. Mox enim Epifcopus Vigornenfis, mox Londinenfis, mox Archiepifcopus, modò vir nobiliffimus amicus vetus, Arbertus, ftatim fapientiffimus & doctiffimus Epifcopus Elienfis Lancelottus Andreas, Legatus Regis Chriftianiffimi Bauderianus, aliique eum prandio & epulis literariis excipiunt lætiffimi, tanto amplectuntur benevolentiæ fingularis affectu, ut attonitus & ftupefactus præ honore, atque, quod alia omnia longè fuperat, fincero amore à tantis viris in ipfum cumulato domum quotidie rediret. Cæterum a. d. VIII. Eid. Novemb. acceffit ad eum bene mane Capellanus Comitis de Dunbar, Regis nomine miffus indicare Cafaubono, fe videndi ejus incredibili cupiditate flagrare, optareque uti infequenti proximo Lunæ die curru fereniffimi Comitis ad fe ita advehatur, ut cum Cafaubono antè poffet colloqui, quàm cogeretur rebus negotiifque urbanis vacare, iifque fe immifcere. Exultans hoc lætiffimo nuntio nofter Ifaacus, adit Archiepifcopum cum eo deliberaturus, quî hoc rerum ftatu, ut gratus ac ad morem Anglicum compofitus tam potenti foret Regi, fe gereret. Accipitur in prandio haud minore benignitate, nec paucioribus propenfi animi mirificis teftimoniis. Tertiâ enim, ex qua hoc fignificatum erat, die, matutino tempore juffu Regis accitus in Aulam, quoniam eo die ad Regiam domum fuam Theobaldi venturus erat Rex, perducitur: *Eo*, (utar, quò aperta magis & jucundior reddatur Hiftoria, verbis ipfis Cafaubonianis) *fum vectus curru Comitis de Dunbar. Quando venimus, Rex nondum advenerat; itaque inter exfpectandum, palatium & hortos, & topiarium opus, fpectavimus. Verfantibus in Aula προσμενόντως, uti vocant, repentè Rex advenit, quem more Anglico ubi falutaffem γονυπετήσας, benigniffimo vultu & verbis affectu plenis, ab ejus Majeftate fum exceptus. Quum inter cætera mihi diceret, Se poft longam exfpectationem libentiffimo animo me videre, & optare ut felix in fuum Regnum meus fit adventus. Atque utinam,* fubjiciebat Rex optimus, *poffem id affequi, ut patriæ oblivionem in animum tuum inducerem!* Quibus præmiffis, mox cœpit de literis agere, & Romanenfium in fe recentem injuriam commemorare. Fortè enim habebat in manibus librum Satanicum à Reboullo editum, qui furore tanto in Regem maximum eft graffatus, ut ipfæ furiarum pefte in illo confcribendo videantur operam dediffe. Sufpicabatur Rex, Perronii effe illum malè natum fœtum. Sed nos multis probavimus, effe opus Reboulli, hominis impii & fanatici. Quum ad mutandas veftes Rex feceffiffet, mox è cubiculo egreffus eft, & nos ejus juffu acciti, & illi adftitimus ad cœnam, & per univerfam cœnam totumque id tempus fermonibus de literis, præfertim facris, eft impenfum. In hoc colloquio didici & alia, tum hoc quoque, numquam planè intercidiffe Epifcopos in Scotia. Sed quando noftrorum vana fuperftitio fuftulit totam veterem ἱεραρχίαν, non poterant tamen efficere, ut non unus faltem aut alter remaneret. Proximo infequente die in Aulam manè rediimus, & Regem, ubi furrexit, falutavimus, ac de libro Reboulli quædam retulimus. Deinde quia dies erat Martis, privatâ folennitate à Rege coli folitus ob cafum fratrum de Gouri, concioni interfuimus, quæ habita eft coram Rege. Multis nobis pofteà fermo fuit cum Rege de multiplici genere literarum. Incidit fermo de Tacito, Plutarcho, Cominæo, aliis. Quum Rex dixiffet, errare eos qui Tacitum Magiftrum civilis prudentiæ unicum facerent; atque ego dixiffem, ante annum idem judicaffe me in Præfatione ad Polybium, non mediocriter fe gaudere Rex doctiffimus dixit, quòd ego idem fecum fentirem. In Plutarcho reprehendit iniquitatem erga Julium Cæfarem; in Cominæo levitatem judiciorum & malignum elogium Anglorum. Quid? tertio ab hoc die iterum à prandio ad Regem accitus adii, & plures horas cum eo fui. Mira Principis benigni-

tas, mira doctrina, mira pietas. Et ille quidem me sibi retinere vult. ἴδιον θεράπευθαι. Ego verò ut tanto honore me fateor indignum, ita eventum Tuæ, Deus, providentiæ permitto, & Te supplex oro, ut inter Reginam Galliarum, cui sum obstrictus, & hunc divinum Regem negotium meum componas. Hactenus ipse Casaubonus, qui usque adeò gratus acceptusque fuit Regi, ut non modò per quatuordecim dies comitante ipsum ferè continuò Capellano illustrissimi Comitis Dunbar, quotidie viderit Regem; sed cùm fortè incogitanti illi excidisset, velle Cantabrigiam Oxoniamque invisere, statim à Rege serenissimo, metuente Casaubono defore viaticum, acceperit mille libras Gallicas. Sileam Episcopum Bathoniensem, Jacobum Montacutium, Regis jussu scripsisse, Regem Jacobum testaturum suam erga ipsum benevolentiam singularem, ejusque consulturum rebus ei duas Præbendas assignasse, alteram Cantuariensem, alteram Westmonasteriensem, quæ fortassis ad duo millia librarum annui reditûs accedebant. Quibus

(a) *Diar. pag.* 37. *Clar. viror. Epist. à Burman. edit. num.* 176. *pag.* 250.

adjecit stipendium bis mille librarum (*a*). In ordinem verò Præbendariorum Ecclesiæ Cantuariensis receptus fuit pridie Non. Februar. anno CIↃ IↃ CXI. omissis neglectisque omnibus isto in negotio adhiberi solitis cæremoniis, jubente id Rege, quem obnixè rogarat, ne tales Gallicum circa hominem laicum, qualem se profitebatur, ritus solennes usurparentur. Et ecce testimonia summa & præstantissima, quæ nos judicare faciunt, quantus vir fuerit, & quo loco apud Jacobum Regem habitus. Iis, ut certiores fiant increduli, subjicio majora hæc, licet ipse inficias non eat; quosdam amicos falsos omni studio conatos ipsum sinistris sermonibus apud suum Mecœnatem Regem carpere, aut

(b) *Epist.* 693.

ejus famam inquinare apostasiâ filii Joannis, ad quem ita pater (*b*): *Ego apud Regem sum, qui me, si fas dicere, in deliciis habet; qui omnia prolixè pollicetur; qui primùm advenienti duplum stipendium obtulit ejus quod habeo Lutetiæ, cum certa spe, fore, ut liberalitatem ejus sæpè experiar. Non enim leviter ei cordi sumus, utut homines amici traducere me apud ejus Majestatem sint conati, longa historia, neque nunc narranda. Spero* ἐν Κυρίῳ *fore, ut omnes calumnias vincat integritas mea. Sed tu occasionem illis maximè dedisti. Scit Rex quod est à te factum; sciebat* ὁ μακαρίτης *Archiepiscopus*, (Cantuariensis, qui obiit pridie Eid. Novembris) *in cujus obitu parentem alterum amisi.* Hinc etiam ejus parentationi, licet sermone puro Anglico, quem non perfectè intelligebat, ex Apocalypf. XIV. vers. 13. dictæ, interfuit, gaudens se tanti viri summique amici elogio dignissimo utcumque consolatum. Intereà Rex ita captus Casauboni adventu ac commercio ferè quo-

(c) *Epist.* 703.

(d) *Epist.* 696. 703. *& Diar.*

tidiano literario, ut dimittere nollet (*c*); Reginam Galliarum per literas rogari jubet (*d*), diuturniorem in Anglia Casaubono elargiatur moram. Quam sibi concedi ex literis Viri amplissimi Villaregii, Reginæ mandato scriptis, ut intelligit Casaubonus, statim eo nuntio lætatus omnibus amicis suis ac in primis Cardinali Perronio nunciari jubet, curatque ei apud Regem pientissimum in Anglia esse quàm optimè. Verùm enimverò ea rerum mortalium est vicissitudo, ut rarò stabili loco absque casu volubili fortuna

(e) *Horat. lib.* II. *Od.* XI.

consistat. Et sicut non idem floribus est honos vernus (*e*), neque uno Luna rubens nitet vultu, ita in hac dierum albedine nubeculam sensit statim à morte Archiepiscopi Cantuariensis, videns quosdam à se haud parum alienatos; scilicet,

(f) *Phæd. lib.* III. *Fab.* 9.

(*f*) *Vulgare amici nomen, sed rara est fides.*

Amico tamen vetere, Thomsone, Andreâ Melvino, Episcopo Eliensi Lancelotto Andreâ, ex cujus pietate & doctrina magnum studiorum compendium paravit, aliisque quàm familiarissimè usus est viris doctissimis. Nullo equidem familiarius Lancelotto,

(g) *Epist.* 754.

vel ipso Casaubono teste (*g*): *Mihi*, ait, *cum illo Præsule quotidiana consuetudo intercedit; atque ille vir mihi in hoc loco magni Thuani desiderium cum oppidò paucis aliis lenit. Nam & profundâ hominis doctrinâ capior, & comitas incredibilis in summa dignitate mirificè illum mihi commendavit.* Attamen nihil arbitror æquè obfuisse Casaubono ac Petrum Molinæum, qui, ne tamen reliqua viri dona patiantur injuriam, hoc loco infidus Casauboni obtrectator audire meretur, officiosum, quamdiu Casaubonus Lutetiæ hæreret, se ostentantem amicum. Quem noster eò gravissimè videtur offendisse, quòd ipsum moneret periculi insanæ sententiæ, quâ Molinæus statuebat: *Omnia pervia esse; omnia cuivis aperta; omnibus petentibus aspirare Sanctum Spiritum. Sacram Scripturam nullâ cujusquam interpretatione opus habere; quod etiam obiter significat in libro* de Eucharistia (*h*).

(h) *Epist.* 743. *Vide Epist.* 744. *& 670.*

Hujus Epistolam, paucos post dies ab adventu in Angliam Casauboni missam, quâ ipsum, capto tempore & occasione ad Jacobum Montacutum, Bathoniensem Episcopum,

pum, criminatur Papismi, hoc loco, ut Molinæi, qui volebat Casaubonum totum ex ejus ore ac consiliis pendere, arrogantia unicuique innotescat, inseram (a).

„ Cunctantem me, Præsul amplissime, & metuentem gravissimas suas occupationes intempestivâ scriptione interrumpere, impulit tandem Ecclesiæ utilitas, suasitque ea tibi exponere, quæ mihi videntur ad Ecclesiæ vestræ & nostræ communem utilitatem pertinere: neque enim quisquam est, apud quem melius & tutius hæc deponam quàm apud te, quem scio Dei zelo tangi, & apud serenissimum Regem plurimùm posse gratiâ. Causa mihi scribendi Isaacus Casaubonus, cujus ad vos profectio mihi non parvam injicit sollicitudinem. Vir est sanè cordatus, pius & probus; sed quem metus & iracundia transversum egerunt. Abhinc triennium cœpit de Religione malè sentire, & inclinare in Papismum, paucis capitibus exceptis, quæ eum in Religione nutantem à manifesta defectione cohibuerunt, qualis fuit *Communio sub una specie; Tyrannis Pontificia; Liturgia linguâ ignotâ; imaginum cultus; opera supererogationis.* Hos errores ille nondum concoquit, & in iis adhuc nobiscum sentit. In cæteris capitibus controversiarum non obscurè præ se fert: ac palam profitetur odium nostræ Religionis, quam inter Pontificios traducit contumeliosè, & quasi novitiolum Calvini commentum odiosè exagitat. Me verò, quo semper usus amico & familiari, monentem amicè non tulit. Initium mali, odium in Genevenses, quos in lite pecuniaria, quam Genevæ moverat, expertus est sibi adversos, quibusque intercessoribus ait se excidisse causâ, & uxoris dote exutum fuisse. Ex eo cœpit Ministros omnes acerbè insectari, & in cujusvis obvii sinum virus hoc effundere. Hominem ita perturbatum & impotentis iracundiæ adortus Cardinalis Perronius, ingenium instabile loco facilè movit, & penè pessumdedit. Ibi tum Casaubonus Cardinale impulsore legere Patres, & clam cum Cardinale habere colloquia, quæcunque verò in Patribus inveniret in speciem nobis adversa mordicùs apprehendere. Vir sanè in Philologis & linguis doctissimus; sed circa rerum cognitionem non perinde diligens, & in quo acrimoniam judicii desideres: quippe qui plus memoriam quàm judicium exercuit, & insitâ facilitate sequacem quamcumque in partem impuleris. Tantum malum in viro tantæ doctrinæ, & quem colo & facio maximi, tuli sanè graviter, & quod potui, conatus sum ad pristinam mentem revocare; sed frustra fui, hactenus incalescente in dies ejus odio in Genevenses, & Cardinale altrinsecus instante, & suasiones pollicitationibus condiente. Inter hæc commodum accidit, ut Rex vester serenissimus, impulsore D. Archiepiscopo Cantuariensi, eum ad se vocaret. Ea res me recreavit aliquantulum, & in spem erexit fore, ut tuis colloquiis & suasionibus, aliorumque, quos habet Anglia, doctissimos, in rectam viam reducatur, ejusque iracundia detumescat, mollita locorum & temporis intervallo: quam ad rem ut quod potes industriæ conferas, Vir magne, etiam atque etiam rogo. Quòd si nullatenus potest à sententia dimoveri, commodissimum & tutissimum erit eum honestis præmiis obstructum occupari circa Historiam Ecclesiasticam, & refutationem Baronii; ad quod opus jam multa congessit. Est enim, ut dixi, Papæ Tyrannidi adversus: ac in hac parte nobiscum sentit. Quocirca quidquid in hoc argumento scripserit, cedet in Ecclesiæ ædificationem. Denique oro, obtestor, facite ut quocunque modo vester sit; nam si ad nos redierit, certa est defectio. Unde ingens Ecclesiæ scandalum & offensio infirmorum: vivimus enim inter adversarios, qui nostrorum lapsu incredibiliter triumphant, & cujusmodi Circenses pompas speciosè circumducunt. Ille quidem Reginæ nostræ valedicens promisit reditum: unde necesse habet datam fidem liberare: sed si apud vos meliorem conditionem invenerit, & otium cum honore, redibit procul dubio ad vos, postquam hìc convasaverit supellectilem, & Bibliothecam; quam habet amplissimam: nec mediocre erit Angliæ ornamentum homo rei literariæ facilè princeps, & nos liberaveritis magno metu, & animam jam pronam in ruinam servaveritis vestrâ industriâ. Avertat Deus hoc malum, & vos faciat tam boni operis instrumentum! Sed de his καταχόρως. „

(a) *Post Clementis Epist. ad Corinthios, à Colomesio edit. num. 28.*

Ex hoc fonte videtur sua hausisse injurius in Casaubonum, Auctor libelli, cui titulus, *l'Esprit d'Arnauld:*

(b) Casaubon, l'homme du monde le plus flottant, comme chacun sçait, qui a vescu & qui est mort sans faire choix de Religion; Casaubon, qui nous accuse d'avoir abandonné l'Antiquité, dans laquelle il n'étoit que mediocrement versé. C'est bien un homme comparable dans cette espece de litterature à un Martyr, à un Aubertin, à un Bochard, à un Daillé, à un Rivet: c'est un Grammairien, un demi-Theologien, & rien dans le fonds. Casaubon enfin, qui estoit Papiste, s'il estoit quelque chose. Fronton le Duc Jesuite, qui a passé pour honeste hom-

(b) *L'Esprit de Mr. Arnauld, Tom. II. pag. 306.*

homme en son tems, dans ses Notes sur St. Basile (a), *dit, que Casaubon* avoit donné parole au Cardinal Du Perron & à lui, de renoncer aux erreurs de Calvin les prochaines festes de la Pentecoste; qu'il croyoit de la Sainte Eucharistie ce que l'Eglise Romaine en croit. *En effet ce fut Monsieur Du Moulin qui l'arresta sur le bord du precipice, & qui l'empêcha de faire cette lâcheté. Les descendants de Monsieur Casaubon ne seront pas trop aises de tout ceci; mais ils s'en doivent prendre à Colomesius* (b).

Hinc nata, licet alto corde suppNimeret, ægritudo, plurimis deinde causis vehementer adaucta. Eas inter ultima non erat, cura filii Joannis jam ad Pontificios transgressi; absentia patriæ atque amicorum (c), quos, paucos licet, in Galliis reliquerat. In primis quoque quòd Medicina, cui facultati filium Mericum destinaverat, in Anglia jaceret, ac vetus & vera illa planè Jurisprudentia paucis de nomine esset nota, nec studium Antiquitatum diligenter excoleretur (d), sed solis literis Theologicis forent posita præmia, teste Hugone Grotio (e), scribente Joanni Meursio: *Venio ex Anglia; literarum ibi tenuis merces: Theologi regnant: Leguleï rem faciunt. Unus fermè Casaubonus habet fortunam satis faventem, sed ut ipse indicat, minus certam. Ne huic quidem locus in Anglia fuisset, ut literatori induere Theologum debuerit.* Iis accedebat, quòd uxori inclementior foret aër, linguæ imperitia, diversaque familiæ administrandæ ratio (f). Attamen hæc lenibat atque mitigabat, primò quòd conspectu scelestissimorum ἀλαστόρων, & parricidarum non cruciaretur, Regisque ac quorundam doctissimorum virorum experiretur benignitatem, deinde quòd eo Regno speciem agnosceret veteris Ecclesiæ, quam ex Patrum scriptis didicerat (g). Nihil verò ei gravius, in nihil molestius nihil durius acerbiusve quàm ita diu carere libris, atque ex iis collectis ad omne genus literarum accommodatis Adversariis. Nam ex Gallia excedens nihil omnino præter Psalterium Hebraicum ac duos tresve alios libros secum sumserat (h). Hinc tædii plenus, summo mœrore penitus conficiebatur (i), expendens atque dolens non tam nominis quàm tanti tamque pretiosi temporis, ingravescente jam senectute maximum dispendium (k), quòd destitueretur iis auxiliis, quæ ad conficienda ea, quæ ipsi Rex Jacobus imponebat, summoperè requirebantur. Bibliothecam itaque, quoniam uxor quinto demum mense maritum sequens, non apportarat, vel partem dumtaxat, si quidem pro ejus facultatibus erat satis instructa, consumtis penè in libris emendis omnibus ejus reculis (l), petituram post trimestrem in Anglia moram, in Gallias mittit suam uxorem, per literas orans, flagitans, obsecrans maximum Thuanum, apud quem in dolia conjectos libros deposuerat (m), velit, quâ erat erga ipsum benevolentiâ, uxori suis sapientissimis consiliis (n) adesse, (quod & lubentissimè ac diligentissimè (o) præstitit) ac apud serenissimam Galliarum Reginam intercedere, ut permittat uxori ejus, Bibliothecam ejusce partem in Angliam abducere. Verùm id nec prece nec pretio potuit primâ vice impetrare. Posteà verò, id est, post annum amplius integrum emollita longioris temporis intervallo, clementioribusque expugnata precibus, sivit partem modò aliquam, nempe tertiam ferè, eamque continentem libros minus necessarios (p), abduci, totam planè negavit (q), quandoquidem præ se ferebat Casaubonum aliquando in Galliam revocatum iri, quam spem ei sæpissimè Thuanus, uti & Villaregius faciebant non sine spe honesti otii (r). Verùm constanti animo respondet nolle se accipere conditionem nisi unà simul concederetur ipsi integra libertas modestâ scriptione errores Baronii detegendi (f). Prævidebat enim, saltem haud frustra metuebat saltem hoc esse strategema, quo malevolorum subjiceretur potestati (t), ipseque ita frustraretur scopo. Detenta verò Lutetiæ per aliquot menses morbo filiæ (*Annæ*) longiore ac difficili uxor, (v) aliisque causis gravioribus maritum suum Casaubonum absentiâ suâ usque adeò angebat, ut avocamenta à sensu doloris continuò quæsierit, quæ nisi in meditatione de voluntate divina ac precibus ad Deum inveniebat nulla (w). Unde facilè credo eum ad Eliam, suburbanum Episcopi Eliensis, magni Regis Eleemosynarii, Lancelotti Andreæ, viri admirandæ pietatis & doctrinæ divertisse, idque per quadraginta & octo dies, quoniam ipsum dimittere nolebat. Ibi detentus loco amœnissimo, quem integrâ Epistolâ describere constituit (x), temporis fallendi animique curis laxandi gratiâ legit vitam Melanchthonis à Camerario conscriptam. Quam eò maximè probabat, quòd ei plurima de viris doctis interspersa, animum oblectantia offenderet (y). Liberatus tertianâ, diutius ipsum vexante, finem imponit Epistolæ, *sapientissimæ* Viro clarissimo Gronovio dictæ (z), quam Regis mandato scripserat ad Frontonem Ducæum. Eamque accuratè nitidéque descriptam manu Sacellani Episcopi Eliensis serenissimo tradit Regi. Qui altero ferè mense pòst Salisbonâ per tabellarium quendam ei mittit Eliam usque, addito nuncio, se, mirificè probatam cùm suo, tùm Archiepiscopi Cantuariensis, nec non multorum doctissimorum

(a) In cap. 27. lib. Basil. de Spiritu Sancto.
(b) Epist. 28. edit. post Clement. Epist. anno 1687.
(c) Epist. 702. 703. 706.
(d) Camden. Epist. pag. 110.
(e) Appendic. Epist. 2. pag. 751. a
(f) Epist. 702.
(g) Epist. 703.
(h) Epist. 734.
(i) Ibid. & 738. 741.
(k) Epist. 736.
(l) Epist. 972.
(m) Epist. 782.
(n) Epist. 726. 750.
(o) Epist. 731.
(p) Epist. 756.
(q) Diar. pag. 39. Epist. 737. 738.
(r) Epist. 785.
(f) Epist. 800.
(t) Epist. 808. 809.
(v) Epist. 737.
(w) Epist. 741.
(x) Epist. 741. 760. 773.
(y) Epist. 740. 741.
(z) Ad Arrian. lib. VIII. cap. 3.

morum virorum judicio (*a*), velle quàm primùm edi (*b*). At noster multò maluisset ejus paucula tantùm manu exarata exemplaria (*c*) ad amicos Gallos mitti, cùm quòd minus commodè dicta possent facilius emendari aut mollioribus verbis leniri, tum quòd tantum per urbem excitaret rumorem. Quamvis ipsi Frontoni fateatur se illam simplici animo scripsisse remoto omni odio, aut obtrectandi cuiquam prurigine, à qua mala peste mores ejus quàm maximè abhorrebant. „ Equidem, namque subjicit, is non sum, „ qui si quid forrè incautius aut inconsultius Viro docto in scribendo exciderit, proti„ nus in deteriorem partem id velim interpretari, & in malæ mentis argumentum rapere. „ Bonum virum hæc κακοήθεια & malignitas non decet; Christianam verò charitatem mul„ tò minus (*d*). „ Quum autem cessare ac producere rem visus esset Regi, iterum atque iterum repetita jussio est, datumque negotium illustrissimo Præsuli, Archiepiscopo Cantuariensi, ut perficeret quod Rex avidè cupiebat (*e*). Typis verò exscriptæ gravatè quatuor exemplaria mittit Parisios, unum Jacobo Augusto Thuano, alterum Cancellario, tertium Villaregio, quartum denique ipsi Frontoni Ducæo, adjectis literis, quibus se prolixè excusat Frontoni (*f*), omnemque occasionem scriptionis & animum aperit. Verùm Puritani, & qui plures erant infestissimi hostes, hac Epistolâ exasperati tali modo clamoribus suis ipsum poscebant, ut ad aures Regis Jacobi fuerint delati (*g*). Quin imò significabant quidam ipsi Loiolitas, qui omnia isthîc posse dicebantur, Augustissimam Reginam & multò magis Christianissimum Regem ita ergà ipsum irritaturos, ut gratiâ utriusque Majestatis excideret, & spe omni beneficiorum ab illo fonte manantium (*h*); nam stipendium annuum adhuc ei persolvebatur. Alii, quod non difficile recipiebat, putabant exoriturum ex Societate ea quempiam Bonarscium aut Græculum ῥήτορα Joannem Eudæmonem, qui plaustra convitiorum in eum evomeret, atque ut infelicem Grammaticum exagitaret. Sed uti nullis conviciis umquam posset eo perduci ut totâ voluntate, tamquam addictissimus servus subditusque pro suavissimæ patriæ salute & servitio Regis ac Reginæ animam ponere non esset paratissimus, sic Deo propitio ipsis rebus, ac veris argumentis eorum maledicta refellere constituerat (*i*). Cæterùm in tantum illa ad Frontonem Epistola placuit Jacobo Regi, ut propterea Auctorem Casaubonum haud pœnitendo affecerit munere (*k*). Probavit eam vir clarissimus, Georgius Michaël Lingelshemius (*l*), permulti etiam Parisini; cur statim Lutetiæ Parisiorum fuerit recusa (*m*).

Agitabantur sub idem ferè tempus quæstiones Theologicæ variæ, super quibus continuò prolixèque Casaubonum conveniebat Rex literatissimus, qui hoc unico literarum genere sic capiebatur, ut suum & suorum ingenia in illo distenderet. Non enim temerè præteriebat dies, quo ad Majestatem illius non adferretur novus liber ab aliquo, ut plurimùm, Jesuita conscriptus, quem legendum examinandumque non dabat suis, quorum quoque diligenter de eo exigebat judicium (*n*). Erant in iis Conradi Vorstii *de Deo* liber, cujus opinionem, quoque reprobatam à Gerardo Vossio (*o*), omnino palam detestabatur. Hac de sententia an ipse Vorstius scripserit ad Regem, adhuc licet incompertum habeam, certè mihi tamen persuaserim, quoniam Regis nomine accuratius ad eam se Vorstio respondisse fateatur Casaubonus (*p*). Erat etiam Petri Bertii, ad Pontificios posteà transfugæ, *Apologia ad Fratres Belgas*, improbata & rejecta à Rege (*q*). Erant & alii non pauci numero, quos haud obscurè subinde innuit. Hæc Casaubonum sequi Regem; hæc alia meditari, quàm animo conceperat, diu multumque erat molitus, coëgerunt (*r*), adeò ut apud Virum clarissimum, Carolum Labbæum conqueratur priora sua studia funditùs interiisse (*ſ*). Post Epistolam ad Frontonem Ducæum, mandato Regis etiam aliam scripsit Epistolam (*t*) ad illustrissimum Cardinalem Perronium, non tam suis quàm quidem ipsissimis verbis Regis, cui fuerat à manibus (*v*). Hujus Epistolæ primò unum dumtaxat ad Cardinalem Perronium misisset exemplum, nisi Rex esset arbitratus sua interesse alterum mitti ad suum Legatum (*w*). Hinc libelli illius laudem non ad se redundare, verùm potius ad Regem pertinere & gravissimos Regni Episcopos, quorum ex mente scriptum esse apertè significat (*x*). Neque id ferebat ægrè, quandoquidem illa Epistola à multis non ita, quàm quidem sperarat credideratque, benignè fuit accepta, sive à Batavo, (fortè *Joanne Lydio*) sive Gallis maximè, qui super ea scribentes ad Episcopum Bathoniensem, gravissimè Casaubonum accusabant, tamquam Papistarum patronum; quorum tamen errores, si quis alius, detestabatur (*y*). Gaudebat tamen probari Heinsio, ac divini ingenii viro, Hugoni Grotio (*z*).

Tandem destitutus quamvis duabus partibus Bibliothecæ locupletioris, privatus refer-

(a) *Epist.* 744.
(b) *Epist.* 741.
(c) *Epist.* 746. 1091. 1092.
(d) *Epist.* 730.
(e) *Epist.* 746.
(f) *Epist.* 746. 765.
(g) *Diar. pag.* 39.
(h) *Epist.* 752.
(i) *Ibid.*
(k) *Epist.* 775.
(l) *Epist.* 782.
(m) *Epist.* 773.
(n) *Epist.* 753.
(o) *Voss. Epist.* 233.
(p) *Epist.* 754. 760. 775.
(q) *Epist.* 743.
(r) *Epist.* 756.
(ſ) *Epist.* 753.
(t) *Epist.* 754.
(v) *Epist.* 761.
(w) *Ibid.*
(x) *Epist.* 815.
(y) *Epist.* 742.
(z) *Epist.* 815.

tissimis Adversariis (*a*), incensus inflammatusque ab ipso Theologiæ amantissimo, concordiæ pacisque adeò studioso, ut à studio unitatis non recedat (*b*), Rege & Theologis, quibus Anglia abundat, (eò enim ferè studia (*c*) referunt) nonnullis aliis, Concilium seu Synodum Ecclesiarum Reformatarum unicè desiderantibus (*d*), componit se ad elaborandum illud egregium opus, quod ante aliquot annos in Galliis adumbraverat, cujusque speciem deformaverat. Exercitationes Baronianas (*e*) quia Papistis Annales isti sunt Canon Antiquitatis Ecclesiasticæ (*f*), atque ibi dum esset plurimi prope quotidiano convitio præsentem, præstantissimi verò in Anglia, Germania, Italia Theologi creberrimis ad ipsum datis literis impellere ut absolveret, sunt conati: sed incassum. Eo tamen se perduci est passus, ut de Historia Ecclesiastica illustranda dies noctesque cogitaret, manumque admoveret operi, quod metuens sibi haud exiguum à Pontificibus malum edere non fuit ausus (*g*). At rebus humanis exempto patrono suo singulari, Henrico Magno, in Angliam, quam elegisse dicitur, ut liberè adversus Baronium posset scribere (*h*), profectus, libertatemque consequutus majorem, serio longè magis animo de eo cogitare cœpit, indiesque colligere quæ tanto operi promtè ac solidè refutando forent. Non ductus, ut quidam sibi falsò imaginantur, studio partium aut privato odio erga illustrissimum Cardinalem, virum sui seculi primarium, cujus inexhaustam (*i*), verùm sine judicio atque delectu adhibitam, diligentiam; sed quòd non concoqueret hunc primum Conditorem Annalium Ecclesiasticorum usque adeò attolli atque laudari, ac si nulli in tam immenso opere, ac nobili reperirentur nævi, nullæque exstarent maculæ, aut nisi levissimos Auctor commisisset errores, quos tamen maximos admisit cùm Historicum exuat. Animum addiderunt, quæ ex animo aversatur, convitia gravissima atque acerbissima in Reformatos seu Protestantes à Baronio plurimis in locis effusa. Currenti calcar, præter viros utriusque partis etiam ipsa in patria (*k*), addit harum injuriarum impatiens Rex Jacobus (*l*). Quapropter licet non ita solidè quàm quidem tanti operis moles atque gravitas requirebat, instructus, unde sibi patere Bibliothecam Regiam, (quam ejus causâ parare instituit (*m*) Rex) ac necessarios libros suppeditari postulabat (*n*), Tomum Primum aggressus (*o*), in arenam cum luctatore descendit (*p*), cui, si non omnino conficit, tot ac tanta infligit adversa vulnera, tamque graves atque insanabiles imponit plagas, ut vel hoc tempore conspiciantur, mirificè percussa. Scio viros laudatissimos Historiarum Antiquitatumque tàm Ecclesiasticarum quàm Profanarum peritissimos in Casaubono reprehendere nimiam properantiam (*q*), indeque natos dicere nonnullos errores, quibus ea propter facilius ignosci debere ac posse putem. Non enim, quod pace eorum dixerim, oporteat illos ita graviter offensos quibusdam maculis, quas aut incuria fudit, aut humana natura parum cavit, si cæteroquin plura eo in opere, quod nullus negaverit, niteant, statim in eum invehi ac si foret imperitissimus, materiamque suscepisset tractandam (*r*) ipsi planè incognitam, ejusque viribus minus æquam, nec Horatio autore diu versasse quid ferre valerent humeri, quid recusarent. Longè aliter profectò de eo judicarunt viri istius seculi ac temporis præstantissimi, quos inter numerantur Georgius Michaël Lingelshemius, Fridericus Taubmannus, Hugo Grotius, Daniel Heinsius, aliaque permulta nomina præclarissima, quorum elogia congerere non est nostri instituti. Putem hoc unum sufficere, Pontificiorum Scriptorum plurimos, quando ab ejus recedunt opinione, eamque erroneam esse viribus contendant, modestiori modo, quin etiam honorificè de eo loqui, quemadmodum in præstantissimo opere, nuperrimè edito viri celeberrimi, Antonii Pagi, qui & ipsum innumeris in locis castigavit Baronium, apertè videre est. Refutarunt Casaubonum, (quis enim expers criminis aut in omnibus semper Oedipus haberi potest? Nam dormitantes quandoque culpæ veniam offendunt, ubi Ciceroni Demosthenem, Horatio ipsum etiam Homerum dormitasse (*s*) legerint) modestissimè Bourdelotius in Notis ad Petronium (*t*), Salmasius (*v*), Palmerius in Theocritum (*w*), cùm dicat: *Absit ut talem virum*, (Isaacum Casaubonum) *quo majorem in Græca literatura vix æqualem Europa non vidit, & quem maximè veneror, deprimere velim.* Ita Thomas Gatakerus (*x*), & ipsemet, quem satis laudare non possum, quòd adeò ingenuas partes Isaaco Casaubono tribuat in elaboratissimo Commentario de Interpretatione, illustrissimus Abrincensis Episcopus, Petrus Daniel Huetius (*y*). Ignosco lubens istius tempestatis viris vehementi nimis partium studio abreptis, maximè Pontificiis, quales erant Erycius Puteanus, Andreas Schottus, aliique plures, qui tam furiosè in eum sunt debacchati, ac si ex omnium scelerum colluvione foret natus sceleratissimus. Exemplo sint, ut alia, utputa Scioppiana, omittam, *Erycii Puteani Strictura*, eisque atrocissima præmissa Epistola Dedicatoria; Andreæ Eudæmon-Joannis Cydonii

(a) *Epist.* 781.
(b) *Epist.* 769.
(c) *Epist.* 762. 765.
(d) *Epist.* 772. 780.
(e) *Epist.* 872. 907.
(f) *Epist.* 798.
(g) *Burmann. Epist.* 272.
(h) *Clement. in Vita Salmas. pag.* 41.
(i) *Epist.* 868.
(k) *Epist.* 1059.
(l) *Epist.* 849. 854.
(m) *Epist.* 814.
(n) *Epist.* 1055.
(o) *Epist.* 848. 1059.
(p) *Epist.* 1055.
(q) *Maussac. ad Plutarch. de Fluviis, pag.* 215. *& seqq.*
(r) *Parrhasiana, pag.* 235.
(s) *Quintil. Instit. Orat.* x. *cap.* 1.
(t) *Pag.* 204.
(v) *Salmas. Epist.* 105.
(w) *Exercit. in Optim. Auct. Græc. pag.* 798.
(x) *Adversar. sacror. cap.* 9.
(y) *Demonstrat. Evangelic. Proposit.* III. §. 13. 22. VII. 32. IX. *cap.* 4. §. 3.


Cydonii defensio Annalium Ecclesiasticorum Cæsaris Baronii, S. R. E. Cardin. adversus Falsas Calumnias, errores ac mendacia Isaaci Casauboni, quas in Exercitationibus suis inferciit. Maximè verò Heriberti Rosweydi scripta acerbissima, absynthio ac bile passim conspersa. Verùm hæc, quo erat animo admodum constanti clementique, ferebat patientissimè. Mordebat tamen acrius animum, quòd Richardus Montacutius, Episcopus Bathoniensis & Wellensis, ipso multis annis junior (a), qui apud Regem pollebat gratiâ (b), ei palmam hanc præripere fuerit conatus, edendo idem planè sive argumentum, sive argumenti dispositionem, sive ad testimonium citatos Auctores (c), respiceres, adversus Baronii Annales opus; unde nescio quid suspicatus plagii scribit non modò perturbatus & indignabundus ad ipsum Montacutium singularem Epistolam, quam legas num. MLIX. sed adit illustrissimum Archiepiscopum, à quo mox impetrat, ut Montacutii opus supprimatur. Ipsius verò operis, in quo non Theologica, sed historica Baronii peccata demonstrare unicè intendit (d), ichnographiam rudem posuit v. Kalend. April. CIↃ IↃ CXII. (e). Labori se accinxit post longam deliberationem, meditationem ac præparationem v. Kalend. Maj. ejusdem anni (f). An verò distinxerit in XII. libros, (constituerat enim singulis tomis singulos libros (g) opponere) non addit. Exorsam telam quàm ocyssimè perficere cogebatur, eò quòd Rex, quotiescunque ei adesset, exigebat pensi rationem (h), & quò magis proficere, eò ardentius instare Princeps, moram ferre nescius, cœpit (i). Absolutam partem primam ostendit, examinandamque dedit Archiepiscopo, nec non aliis, quibus admodum placebat, Episcopis, unde & ipsum bene sperare jubent (k). Absolutum verò totum a. d. XII. Kalend. Februar. CIↃ IↃ CXIV. intraque octodecim menses perfectum, opus, quo accuratius foret emendatiusque, bis terque propriâ descripsit manu (l), ac, si supervixisset doctissimus D. Karrew, cum eo, uti & cum aliis etiam Parisinis amicis, communicasset (m). Prævidens autem hoc opus fore exosum (n), optabat edi posse sine nomine (o). Verùm, quòd ipsa res exigere videbatur, ipsi Regi tamquam Auctori primo, promotori defensorique ut summo, sic acerrimo, quam justissima ex causa inscripsit, diu multumque equidem antè animo versans; ac cum Archiepiscopo deliberans, quid in Dedicatione, quid in Præfatione profuturum Ecclesiæ Dei diceret potissimùm (p). Hæc erat viri sapientissimi prudentia & prudentissimi sapientia. Gratis jucundisque Regi prologis impressis a. d. IV. Eid. Mart. serenissimo potentissimoque Principi offert opus, quo tantoperè fuit delectatus Rex, ut non modò quædam recitare jusserit Casaubonum, verùm non sine insignibus exultantis animi indiciis plurima (A) legerit ipsus. Redux ex Aula paucis pòst diebus sentit corporis exhausti atque emaciati languorem summum, prout conjecturâ assequi poterat experientissimus Medicus, Theo-

(a) Epist. 848.
(b) Epist. 698.
(c) Epist. 848.
(d) Epist. 801.
(e) Diar. pag. 41.
(f) Ibid.
(g) Epist. 782. 785.
(h) Epist. 814.
(i) Epist. 858. 859.
(k) Epist. 863.
(l) Epist. 931.
(m) Epist. 847.
(n) Epist. 925.
(o) Epist. 814.
(p) Diar. pag. 45.

(A) *Plurima legerit ipsus.*] De Exercitationibus Casaubonianis hæc scitu non indigna collegit Paulus Colomesius: *Ces Excercitations ont esté si bien receuës des Protestans, qu'il s'en est fait plusieurs éditions. Outre celle de Londres, qui est la plus belle, il y en a une de Francfort* in quarto, *& deux de Geneve. Le Roy Jaques ayant vû les premieres feuilles de cet Ouvrage, l'approuva fort. Mais les Evesques auroyent souhaité que Casaubon eust traité Baronius un peu plus rudement qu'il ne faisoit: à quoi sa candeur & sa modestie ne purent jamais consentir. C'est ce que nous apprend Grotius retournant d'Angleterre, dans une lettre à Meursius. Ce Livre a esté refuté par le Pere Rosweidus, Jesuite, & defendu par Jaques Cappel de Sedan. Jules Cesar Boulenger, Théologien & Critique, l'a aussi examiné en plusieurs endroits dans ses Diatribes; qui ont esté refutées par Richard de Montaigu, Evesque de Norwic. Depuis Casaubon, un Ministre de Bearn, nommé Majendie, a écrit contre les Annales de Baronius. L'Ouvrage est imprimé à Amsterdam* in folio, *avec des Notes de Mr. Blondel sur ces mêmes Annales. S'il m'est permis de juger du travail de Mr. Majendie par l'échantillon que l'on m'en communiqua il y a quelques années, il n'y a rien dans ses observations qui soit comparable à celles de Casaubon. Il y a même quantité de fautes, que Mr. Majendie a faites pour avoir copié ceux de son ordre; comme il arrive ordinairement à ces Messieurs. Gerard Vossius semble avoir pensé à refuter Baronius; car voici de quelle façon lui parle Guillaume Laud, Evesque de Londres, & depuis Archevesque de Cantorbery, dans une Lettre manuscrite du 14. Juillet* 1628. De Baronio quod moliri instituis, imprimis laudo; præcipuè verò quòd fixum habeas minutias non consectari. Certè in Opere tam diffuso nimis longum iter esset per minutias, & quæ tædio afficerent & peritos viatores & festinantes. Caput rei est, illa, in quibus longius à primitiva Ecclesia, Romana recessit, brevibus ostendere, & argumentis insolubilibus demonstrare; quæ utraque tibi factu facilia semper æstimavi. *Parmi les Catholiques, Mr. Dartis, Professeur en Droit Canon, a refuté quelques endroits des Annales de Baronius. Un Moine de l'Ordre de S. Benoist pretendoit y avoir trouvé deux mille fautes, si nous en croyons Scioppius, dans une Lettre Italienne au Pere Fulgence, qui a paru depuis peu. Mr. Holstenius, au raport du Docteur Guy Patin dans une de ses Lettres, disoit un jour à Mr. Naudé, qu'il pouvoit montrer huit mille faussetez dans Baronius, par les Manuscrits de la Bibliotheque Vaticane qu'il avoit en garde. Et Mr. Petau, Conseiller au Parlement de Paris, menaça une fois ce Cardinal, de decouvrir beaucoup de ses suppositions & faussetez; car c'est ainsi qu'il s'en exprime écrivant à Scaliger.*

Après

Theodorus Mayerne, exortum, quamquam id pro certo affirmare nec posset, nec auderet. Ex eo quum sæpius antè, interpositis diuturnioris temporis remissionis intervallis, laborasset; nunc tandem ita corripitur vehementer, ut postremò morbi vehementiæ ac magnitudini debuerit laboribus & vigiliis continuis fractum succumbere corpusculum. Mortis viam causamque abditam demonstravit exanimati corporis apertio, quâ Medici plurimis experimentis sapientissimi didicerunt, quod ne ipse quidem Æsculapius suâ sagacitate esset assequutus, singulare atque incognitum hactenus, & fortè nemini mortalium umquam observatum vesicæ monstrum, cujus effigiem apponere, ut unicuique pateat, censui necessarium:



Accuratam postremæ valetudinis Historiam à viro clarissimo, D. Brovardo, posteris traditam; unà cum Raphaëlis Thorii, Medici præstantissimi, Epistolam subjicere gratum fore sum arbitratus.

HISTORIA
vesicæ monstrosæ
MAGNI CASAUBONI.

SUmmus, & clarissimus vir, ISAACUS CASAUBONUS, corpus gracile & siccum à naturâ sortitus erat, temperamento ex bilioso in melancholicum plurimum declinante. Ignei vigoris & cœlestis originis animam continebat fragile ergastulum, quod exili, nec importunâ mole haud grave, hospitem sui planè juris esse sivit. Hinc factum, ut literis deditissima mens parvam admodum habuerit sui domicilii rationem. Ita vir magnus non impalluit modò, sed penè inaruit chartis. Paucis, vel ferè nullis magnis morbis obnoxium, transegit illud, quod ipsi Deus indulsit, ætatis curriculum. Et castigata corporis exsucci conformatio, fecit ut ea non senserit, vel leviter expertus fuerit incommoda, quæ vitam sedentariam, ut plurimùm, consequuntur. Arenosam aliquando saburram deposuere renes, non sine aliquo urethræ inter mejendum ardore. Nihil tamen effatu dignum, vel quòd sedulam, aut iteratam Medici postularet opem. Cœlum, solumque mutavit sæpius, ab urbibus & principibus viris doctrinæ non vulgaris nomine humanissimè invitatus, & exceptus honorificentissimè, ut pateat ipsum non uni assuevisse victus legi. Tandem à Jacobo I. Britanniæ Rege, accersitus, in florentissimo illo Regno vixit per triennium. Pensum à maximo Rege accepit grave, at humeris, qui antiquorum nodis atque ænigmatis solvendis innutriti erant, non impar Theologicum aggressus opus, in Baronium ultra annum insudavit. Huic abstrusioris suæ eruditionis specimini edendo, animum in varia distrahi, & pungentibus agitati παθήμασι non novum, ubi de asserenda veritate, & pariter de famæ discrimine agitur, præsertim in polemico scribendi genere. Quot evolvit illo temporis spatio, Patrum antiquorum volumina? Quot horas in Museo epularum immemor, & veluti raptus in ἔκστασιν, trivit vir optimus, qui terram calcans pedibus, cœlo mente affixus erat? Quot insomnes transegit noctes, ut accuratissimum illud opus cuderet, & luci tandem daret, quod nunc in Antiquitatis depravatores, quantumvis purpuratos, prostat? Hîc paullatim

Après quoy il ajoûte aussi-tost ces belles paroles, comme par maniere de correctif. Mais c'est chose ce me semble si indigne de gens d'honneur, d'écrire ex professo *les uns contre les autres, que je n'y ose penser.* Colomesius, Bibliotheque Choisie, *pag.* 112.

tim vires imminui, corpus magis ac magis extenuari, dissipari spiritus, & debilitari calor nativus, functionum omnium opifex, quibus cessantibus, vel saltem facultatum læsione depravatis, excrementorum quotidianâ germinatione succrescentium proventu, partes obrui, & naturam tandem fatiscere necesse est.

Duodecimo circiter ante obitum mense, qui vel antè quieverant, vel fugaci præsentiâ obiter saltem molesti fuerant, inter mejendum punctorii dolores, & urinæ ardores redivivi, cœperunt virum fatigare, primùm longioribus intervallis, noctuque præsertim importuni, ita ut dulcem interrumperent somnum, & experrectum adigerent ad matulam. Rubrarum arenularum profusio, causa istius irritationis statuebatur, neque ullis poterat æger incommodis à studiis avelli. Urina tandem ardore difficultatem pariens, subinde sistebat gradum, & non effundebatur, nisi mediocri saltem nisu, idque incurvato corpore, & facie pronâ. Tanta aliquando expultricis irritatio, ut qui parcè olim, vel semel, totâ nocte soleret urinam emittere, intra paucos menses bis, ter, quater, quinquies, sexies, & tandem infinitis vicibus cogeretur in eum finem surgere. Pectinis dolor, grave ano incumbens pondus, inter mejendum alvi exonerandæ cupiditas. Exeuntem urinam comitabatur dolor, cùm per totum canalem urethræ, tum maximè in glande, cujus sensus erat quasi multorum acuminum simul pungentium. Ingens in dorso aliquando calor, ad quem levandum, vestem sæpissimè deponere cogebatur. Urinæ, ut plurimùm, pallidæ, cum mucoso sedimento; post equitationem, vel violentius exercitium ambulationis, cum arenosis granis crassioribus, vel tenuioribus lapillis rotundis, præduris plurimis, quorum nonnulli granum tritici, plerique milii magnitudine æquabant. Ista symptomatum syndrome, Medicis calculi in vesica latentis suspicionem injecit. Quem cùm cathetere explorare libuisset, nullus instrumento in vesicam aditus, sed ita præclusa via, ut non obscura apparerent ὑπερσαρκώσεως meatum obsidentis indicia. Inter numerosum istum symptomatum concursum, quæ vel athletico corpori pessumdando satis erant, sexto ante fatalem diem mense, in parte hypochondrii sinistra, inter albam lineam (seu vesicæ regionem supra pubem) & ilia, efflorescere cœpit tumor, instar juglandis primum, qui paullatim auctus ad pugni magnitudinem, vel potius latitudinem excrevit, desinens in obtusum acumen; mollis erat, & qui fluctuatione, quæ contrectationem sequebatur, aquam subesse certò indicabat. Siquti liber inter tussiendum, vel respirandum, musculorum abdominis motus, materiam sub iisdem contineri, tumoris circumscriptio, eandem non in ventris cavitate vagam, sed in quadam cysti concludi, arguebat. Si durius impressa manu tractaretur tumor, vesica in consensum tracta dolebat, & micturiebat æger. Id quod à partium vicinia, & vesicæ inter duas peritonæi tunicas sepultæ, cum tumore connexione fieri credebatur. Subsidebat nonnumquam, & paucis pòst diebus ad pristinam redibat dimensionem. In misero isto statu vitam languidam mensibus aliquot traxit; donec instante ultimâ & fatali horâ, sic acceleratus fuit viri piissimi interitus, ut sereno die, animi recreandi, & corporis exercendi gratiâ, rhedâ vectus, decem Anglica milliaria percurrerit. Reversus domum, noctu minxit frequentissimè, aucti dolores, aucta δυσουρία, cum στραγγουρίᾳ urinæ cruentæ cum sedimento mucoso, quod maximè tenacis & vitreæ pituitæ simile aliquid puris admixtum habebat. Invaluit inter mejendum desidendi cupiditas, exclusi calculi exiles quàm plurimi, aucta uno verbo omnia. Invasit febris, quæ anteà per intervalla inæqualia, licet levia, non tamen sine aliquo horrore, & inordinatis rigoribus occupaverat. Pugnatum iis, quæ acrimoniam lotii demulcere, mucum incidere, eique facilem, lenitione viarum, exitum procurare valebant, vano sanè labore. Siquidem urinæ tunc olidæ, turbidæ, instar lixivii, aut cerevisiæ profluxerunt, sine levamine; cùm mictionem novum exciperet illico mejendi desiderium. Ardorem internum sibi molestissimum dicebat æger, & calidissimæ reddebantur urinæ, etiam ad tangentis manum. Mucus erat dimidii lotii pars, aliquando etiam quicquid reddebatur, mucus erat, tam tenaci filo cohærens, ut vix divelli posset, & ex matula in pavimentum, lubrico & continuo contextu efflueret. Notatu autem dignum, quòd post redditam istius albugineæ pituitæ quantitatem, hoc symptoma per duos vel tres dies inducias dabat, novâ egestione factâ, denuò, ut antè, recurrens. Tam diris cruciatibus excarnificatum tenue corpusculum ad dies viginti duravit, continuâ febri tabefactum, perpetuâ effluentis lotii, fusæ alvi evacuatione, pumice siccius redditum, urinæ fœtore, quem ipse oris spiritus redolebat, infectum. Donec tandem felix animula, sui carceris impatiens, cui ab ipsis conformationis primordiis, iniquis conditionibus alligata fuerat, vocante supremo rerum Conditore, ad suam migrans originem, corpus humo, amicis lacrymas, literatis

raram eruditionem, omnibus probis eximiam pietatem imitandam reliquit die Veneris Kalend. Jul. CIϽ IϽ CXIV. ætatis anno LV.

Secto autem cadavere, post exquisitam singularum partium perscrutationem, sequentia fidelibus oculis objecta fuerunt.

Urethræ inditus catheter argenteus, nullâ arte, nullâ vi valuit in vesicam adigi, ita ut sectâ per perinei longitudinem urethrâ, manifestò apparuerit σαρκῶδες σῶμα, meatum occupans, foris intrò resistens, sed ab interna parte foras obsequentius, collo vesicæ apposito adstites, glandulæ prostratæ dictæ, quadruplo majores, quàm naturalis ferret conformatio. Vesicæ corpus contractum, crassum, & admodum spissum, internâ sui parte rugis quàm plurimis, & veluti cuniculis exsculptum, quorum cavernulæ lapillis infinitis rotundis scatebant: collum interius, quod declive, levi canaliculo sine ulla protuberantia naturaliter in urethram desinit, introrsum tumens, elatum instar podicis gallinæ, vel colli interioris uteri; ita ut in ambitu esset, veluti sulcus, seu cavitas, per quam circumduci poterat digitus, cujus magnitudinem facilè admittebat colli orificium, per urethræ retractionem sursum factam formatum, quæ virgo in arrigendo incurvationem invehebat. Ad sinistrum latus perforatum fuit vesicæ corpus, & pervium rotundo foramine, quatuor digitorum apice admittente, in saccum sive ἔκφυσιν vesicæ, vel addititiam vesicam, quæ urinâ turgens, capacitatis erat ad vesicam sextuplæ. Habuit saccus iste tunicas tres seu membranas, cum vesicæ membranis continuas, spissas admodum (ne quis ἀπονευρώσεις comminiscatur) cum insignibus nervis, venis, & arteriis. Situs talis, ut totam ὑπογαστρίου partem sinistram occuparet, usque ad ossa ilium, instar vesicæ, in ipsa peritonæi duplicatura latitans. Figura ejus inæqualis, ita ut infra foramen infima sacci pars propenderet plurimùm: sicuti superior peritonæo affixa firmiter, multum supereminebat: utraque vesica lotio turgens plenissimè. Ast in addititiæ fundo, infra foramen pensili, ingens saburra putris & olidi muci, sive phlegmatis vitrei, quod cum tanto nisu & dolore à misero ægro profundebatur. Vesica ipsa neque ulcerata, neque inflammationis præ se ferens vestigium. Addititiæ interna membrana erosa variis in locis, atque ob inflammationem rubra, livida, nigra, gangrænæ proxima, quæ mortis certissima, & inevitabilis causa fuisse videtur. Ureteres lati, urinâ turgidi: sinister inter sacci tunicas gliscebat profundius; uterque autem desinebat in vesicam veram, paullò supra collum. Ren dexter totus purulentus, sanus sinister. Partes cæteræ sanæ, exceptis pulmonibus, quos corruperat & denigraverat ferina & perennis fluxio à capite, in ipsorum bronchia & substantiam continuò stillans, quam prodebat ordinaria tussicula, & in ultimo hoc morbo, consueta raucedo ingeminata, etiam usque ad aliquam difficultatem vocis edendæ.

Vitiosæ istius conformationis in numero, situ, & meatu monstrum, quoniam doctorum animis exercendis satis est, atque amplum aperit campum disquisitioni medicæ, in hac lubet exspatiari planitie, cùm ut credant ἰητρῶν παῖδες quotidie nova occurrere, quæ sub Antiquorum specie nobis imponere possunt, & conjecturæ acumen fallere; tùm ut in observando seduli, in prædicendo & judicando cauti, in operando religiosi, atque à periculosa festinatione alienissimi esse discant. Fatendum ignotam fuisse tot malorum causam, & deceptos Medicos omnes, quorum alii calculum prægrandem adesse; alii ulcus in vesica, quidam tumorem aquosum, partim inter musculos, & peritonæum existentem, occupare autumabant. Rara non sunt artis, & in conjecturis, quantumvis artificialibus, parum est fiduciæ. Errorem suum confiteri ingenui est. In rebus inauditis, & nulli visis decipi non turpe. Observata (licet prognosi potius, quàm therapeiæ idonea) posteris pandere non inglorium.

Equidem ab ipsis conceptionis primordiis vim πλαστικὴν in hoc subjecto, insolenti utique & graviore errore lusisse arbitror, dum concurrente nimiâ ad vesicam fingendam à parentibus deciduâ materiâ, eam cum ἐκφύσει & cum foramine in hoc additamentum ducente, formavit. Eodem planè modo, quo lienes, & testiculos duos, & tres, sextum quoque digitum non semel vidimus. Ita seminum confusorum & sanguinis materni affluentis superflua quantitas, unà cum vegeto calore, formas è potestate oblatæ materiæ educente monstra gignit. Porro credibile est, istud additamentum, primis annis vel exile admodum fuisse, vel etiam ipsi vesicæ sic agglutinatum, ut vel nihil excipere, vel exceptum statim refundere in naturalem alveum valeret. Incrementi autem seu dilationis ipsius primordia tum cœpisse verisimile est, cùm vir pius penso gravissimo nimium intentus, dies noctesque libris assidens, permultos menses transegit, tum siquidem lotii reddendi immemorem quotidie, imò quâvis horâ reddebat animi à naturalibus

ad

ad ſublimia avocatio. Ita ut à corpore veluti abſtracta mens, nec incommoda ſentiret, neque muniis neceſſariis vacare, vel ad corporis vilia officia ſe demittere dignaretur. Si ii, quibus mens ægrotat, dolorem non ſentiunt, quid ni veſicæ pondus negligeretur? Quoties in ferventioribus ſtudiis calor & ſpiritus ad rationis arcem vi quâdam rapti, cerebrum totum ſibi vendicant, neglectis, niſi quantum ad vitam ſat eſt, ut ita dicam, ignobilioribus partibus. Id videre eſt non tantùm in melancholicorum, ſed in pia religioſorum, nec non in amantium ἐκστάσει. Jam verò motûs principium quantumvis debile, ſat eſt ad incrementum. Indies aucta fuit iſta dilatatio, vireſque acquiſivit eundo, & concavum iſtud corpus membranoſum ductile, & facilis extenſionis, repletione crevit, inter peritonæi tunicas deorſum verſus primò, ni fallor, ob contenti fœculenti pondus, deinde ſurſum ſuam nactum dimenſionem, ad lævam hypogaſtrii primò extuberavit levius, deinde inſigni erupit tumore, quod videlicet ad inferiora dilatatio obice oſſium ilium, & pubis impediretur, quæ ad laterum mollitudinem erat facillima. Neque verò impune tulit iſtam extenſionis libertatem ipſa naturalis veſica, cujus membranas cum additamenti tunicis continuas, his licentioſius expanſis in ſe retrahi, & tandem corrugari neceſſum fuit. Sed quod gravius eſt, cum fibrarum tranſverſarum & obliquarum beneficio, ſuccedat quantitate gravius lotii expulſio; partis autem organicæ perfectio in legitima conformatione conſiſtat, ſolutionem illam continui, actionum læſio, quæ inutilem veſicam reddit, conſequuta eſt. Itaque per ureteres à calidiſſimis renibus ex toto corpore emulctum ſerum deducebatur quidem in veſicam; ſed cùm ea, niſi inæqualiter, in ſe comprimi non poſſet, ad expulſionem partim naturalem, partim voluntariam, antequam mejendi inceſſerit voluntas, ſaccum ſeu ἔκφυσιν oportebat impleri, etiam uſque ad moleſtiæ importunum ſenſum, & conſequutione neceſſariâ, in dies paulatim magis ac magis dilatari. Hinc factum eſt, ut intra paucos menſes à dilatationis principio in magnam excreverit amplitudinem, quum excrementi quantitas, & facultatis imbecillitas æquali paſſu quotidie invaleſcant. Interioris membranæ veſicæ corrugatio urethram intrò traxit, & collum ipſum corrugatum in formam podicis gallinæ expulit, quæ cauſa una ex multis erat difficultatis in mejendo, unica autem, ni fallor, incurvationis virgæ in arrigendo, cum urethræ membrana nimis ſequax, cavernoſa corpora in arcum reflexa retineret. Idem ab inflammatione tumorem abbreviantem procurante in gonorrhœa contingere ſolet. Calculos in veſicæ rugoſis cuniculis infinitos creavit urinæ tartareum ſedimentum. Ea ſiquidem & naturaliter in hoc ſubjecto, plurimo turgebat ſale, & iſtius terreæ portionis ſeparatio, ſive tartari coagulatio, promovebatur, imò perficiebatur mora, quam excrementum præ languore; imò impotentia expultricis ob organi vitium, in cavitate facere cogebatur, proinde ac ſui ipſius inſpiſſationem, & homogeneorum ab heterogeneis ſeparationem, vi caloris, numquam feriantis experiri.

Cur in imo ſacci fundo nullus calculus, etiam prægrandis, cùm ei generando plurima materia ſuppeteret, coagulationi etiam proxima? Nempe quòd in iſto euripo intus lævi, non cuniculoſo, perpetuus quaſi eſſet urinæ meantis & remeantis æſtus, cujus fluctibus pars eluebatur. At ut generetur per additionem partium calculus, quiete opus eſt. Adde quòd defuit iſti concretioni tempus; ei ſi quidem mors exiſtentiam præripuit. Ulcus veſicæ qui ſtatuerunt, decepti fuerunt excreto purulento, confiſi quod à rene dextro putri inflammato, & calorem intolerandum lumborum excitante, profluebat. Ulceratus ſanè erat ſaccus, ſalſuginoſi tartari & lotii putris & ſtatione fœtidi, amurcæ acumine. Quæ materia cùm in hujus additamenti declivi, atque infra foramen multum propendente & demiſſo fundo diutius ſtagnans hæreret, eroſionem pariebat, à qua immunis erat veſica, per quam momentaneus ſaltem dabatur, ob ejus anguſtiam, tranſitus. Mucum autem, ſive mucilaginoſum phlegma, ſeu fœcem tartaream plurimam continebat ἐκφύσεως, veluti iners actioniſque omnis expers quoddam additamentum. Quod præter eam ſeparationem, quæ ab ipſa urinæ ſubſtantia fiebat etiam conditione ſuæ ſubſtantiæ membranoſæ, fundebat viſcidum excrementum, non minus quàm ipſa veſica vel calculo irritata, vel urinæ mordaci ſale corroſa, eodem planè modo, quo puncti limaces, ſalivam ex proprio corpore in ſe contracto, expreſſione rejiciunt, viſcida eſſe ſolent ſpermaticarum partium, in primis verò membranarum, excrementa. His poſitis, & diligenter perpenſis haud obſcurum eſt, quænam fuerint ſymptomatum cauſæ, quibus vir tantus ad acerbam & crudelem necem excarnificatus fuit. Sed cur inter mejendum oleti faciendi cupiditas, quæ ut plurimùm, grandioris calculi veſicam occupantis eſt ſignum παθογνωμονικὸν; cur ano incumbens pondus, quod fallaci conjecturâ vel oculatiſſimis Medicis impoſuit? Nempe ab ingenti προστατῶν tumore, quarum corpus inter mejen-

mejendum intestinum rectum premebat, & gravitate molestum naturam ad exonerandam alvum sollicitabat, idque eò violentius, quòd pari nisu per musculorum abdominis introrsum factam contractionem comprimendo, urina & crassiores fœces exprimantur. Tumor autem istarum glandularum, an fuit naturalis in homine, cui vasa spermatica ampla, & qui plurimos suscepit liberos? An verò eum fecit urethræ contractio, colli vesicæ violenta sursum attractio, quæ latitudini addidit, quod debuit longitudini? An dolor, calorve, quorum proprium est, ad partem affectam trahere, multò magis ad glandulas, quæ laxæ, molles, spongiosæ, ad recipiendum pronæ, expellendum sunt ineptissimæ? Tot tantorum malorum hydram non potuit non consequi mors, quæ multorum accidentium populosâ catervâ stipata, lento pede, virum felicius extingui dignissimum tandem jugulavit. Hæc habe, clarissime Vir, à tuo Brovardo.

RAPHAELIS THORII
EPISTOLA
DE
ISAACI CASAUBONI
MORBI MORTISQUE CAUSA.

VIr amplissime, nescio quo pacto sensim delabor in pigritiam, nec forsan adhuc arripuissem calamum, nisi dolor adegisset acerbissimus ab extincto magno literarum lumine, CASAUBONO, quem tabido morbo liquefactum rapuit prima dies Julii. Dysuria diuturna confecit florem Doctorum, ex causa abdita, vix anteà visa, vel audita. Signa omnia calculum in vesica attestabantur & mentiebantur. Nam aperto abdomine pro calculo inventa est vesica monstrosæ conformationis ab utero matris. In sinistro latere vesicæ prominebat ἔκφυσις vastæ capacitatis, sese attollens usque ad sinistrum os ilii, ejusdem substantiæ continuæ cum ipsa vesica, ut videri posset altera vesica naturali adjuncta. In eodem sinistro vesicæ latere foramen erat ejus magnitudinis, ut facilè admitteret quatuor digitorum apices, pervium à vera vesica in adnatum saccum, quo refluebat lotium; ubi diutius retentum, putredinem, inflammationem, tabem & interitum tandem attulit. Accessit & renis dextri purulentia; unde aucta pernicies restagnante illis in locis fœdissima illuvie. Hinc orificium vesicæ interius tumefactum ex assiduo conatu; hinc viæ angustiores; hinc refluxus totidem ferè in venas; hinc spirituum infectio, & postremò animæ purissimæ ab importunis fœtoribus profligatæ exitus placidissimus. Quæres, & bene, quî potuit vivere ad eam ætatem cum organo necessario tam malè conformato? Accipe responsum. Illa ἔκφυσις in primo ortu toto ambitu contingebat vesicam proximè, & foramen illud pervium occludebat, ut loco naturali moram faceret urina ad debitam emictionem. Progressu verò temporis continuo urinæ appulsu, & fortè longiore retentione, (ut attentis ad seria quandoque contingit) membrana illa adnata abscessit paulatim ab illo ostio, inque diem magis ac magis in ventrem accrevit, (ut videmus superfluas partes incrementum facilè suscipere) donec sex vel septem postremis vitæ annis esset saccus ille pro urinæ alveo secundario; unde pars tantum urinæ aliqua regurgitabat in vesicam, & inde in ureterem, residuo semper aliquo fluctuante in illo marsupio: nam ab illo tempore conatu fuit opus ad exprimendum lotium. Ejus rei magnum argumentum est, quòd veræ vesicæ corpus contractum erat densius quàm pro naturæ modo, profundis rugis inæquale ex desuetudine dilatationis. Ex ea partium ad excrementorum expulsionem perturbatione, omnis corporis œconomia collapsa est, & vir magnus inter leti cruciatus extinctus per dolores ad astra penetravit, eâ constantiâ & alacritate, ut spectantibus omnem mortis metum expectoraret. Dabam *Londini*, *anno* CIↃ IↃ CXIV. *Idibus Julii.*

EJUS-

EJUSDEM
DE MORBO ET MORTE
ISAACI CASAUBONI
NARRATIO.

QUàm ardua sit Artis Medicæ cognitio, vel ex eo constat, quòd negotium ei est non modò cum naturæ sapientia, sed etiam cum delirio. De monstris loquor, naturæ sive errore, sive ludo editis, quorum ea est varietas, ut nullâ lege, ea multitudo, ut nullo possint numero comprehendi. Illa si in abditas humani corporis partes incidunt, quarum usu vita nequit carere, affectus generant incognitos, enormes, quorum nec causa inveniri, nec remedium potest excogitari; artificem, dum latent, labore immenso & inani vexatum accusant imperitiæ, donec in lucem data eum absolvant. Ejus rei exemplum singulare dedit nobis homo singularis exempli, ISAACUS CASAUBONUS, longiore vitâ & fato molliore, si Deo visum fuisset, dignissimus, cui cùm proprias homini partes excellenter natura fabricasset, ingenium, judicium, memoriam; in nonnullis, quæ nobis cum brutis sunt communes, ipsa hallucinari visa est, studio an casu incertum: certè in ipso delicto magna providentia eluxit, quæ vitio formationis, non sine aliquo commodo abusa, hominem cum miraculo in satis grandem ætatem servavit, at tandem exitio invita tradidit. ISAACUS CASAUBONUS, vir ad doctrinam formatus, corpusculum nactus erat tanto ingenio impar, non tamen ad obeunda animi imperia ineptum: color citrinus, macies, niger pilus, oculus cavus, sed vividus; omnia calidi, sicci temperamenti indicia; vigil, sermonis promptissimi, irasci facilis, in agendo vehemens, bilis notæ haud dubiæ, quæ omnia intenderat labor nunquam intermissus, somni parsimonia, animi perpetua contentio, magna voluptatum abstinentia, corporis neglectus, in potu & cibo ἀδιαφορία. In tali apparatu vix esse poterat valetudinis constantia, nec erat sanè: nam ex spirituum squallore & impetu febri opportunus cùm esset, actionum offensam incurrebat frequenter, quam nec si cuperet, dissimulare poterat. Sed homini sui negligenti, in studiis attento ne conquerendi quidem otium erat, nec animus, adeò ut non nisi increpantibus amicis, & viribus deficientibus ægrotare se crederet. Ita comparatus dum urget propositum, vitæ curriculum ad metam accelerat; & non longum ævum sibi auguratus, tantò acrius stimulos inculcat, exemplo viatorum, qui declinante die & procul adhuc hospitio celeritate compensant residuæ lucis brevitatem: hoc consecutus tanto ardore, ut & vitæ actum ultimum citius pertransiret, & immortalitatem effrenis animus maturius attingeret; nam infirmum corpus heri imperiosi mandatis inquietum, paulatim concussum, subitò tandem concidit, suâque ruinâ æternum memoriæ monumentum exstruxit. Verùm quoniam non longa ejus mihi fuit notitia, attingere libet ultimi tantum quadriennii historiam, quo novus Britanniæ hospes sanitatis suæ curam mihi credidit. Primo aspectu obstupui in tam humili hospitio tam excelsam sapientiam habitare; sed ex vultu de sanitatis incommodis ominatus, dolui tam brevem ejus boni usuram portendi; veritus ne, ut accidit, odio quietis, laboris dulcedine, in novo studiorum campo, in tanti Regis oculis, homo impiger exsangue corpusculum cursu concitato ad æternam quietem præcipitaret. Præter occulta mala, duo illum incommoda apertè exercebant, tussis ex catharro salso ferè continua, febris intermissa, erronea, ἑκτικώδης. Utriusque materia erat spirituum & succorum acrimonia, occasio vigiliæ & motus animi vehementes, qui tanquam flabella internum incendium augebant; utque ex spontanea insomnia tussis & febris, sic invicem ex istis agrypnia necessaria, squallente nimirum cerebro, & interpellato per sonos & motus pectoris violentos somno, quem alioqui à natura habebat levissimum; edebat tamen, bibebat satis liberaliter, &, ut reliqua, cum impetu. Verùm quemadmodum victimæ aluntur non ut vivant, sed ut festo die moriantur; sic ille pascebatur in candidam illam lucem, quâ innocens anima carcerem egressa in patriam remigraret, non auctis à cibo carnibus, sed suffecto tantisper ad vitæ lychnum oleo, donec præfixa venisset hora, quæ cœlo mentem succi plenam, corpus tabe absumptum terræ traderet. In illo itaque declinationis statu prope quadriennium vixit, si vivere est, in sinu gestare apertæ mortis instrumenta; vixit, inquam, & verius,

quàm qui plenâ sanitate felices præter vultus nitorem & abdominis amplitudinem nihil vitale præ se ferunt; tametsi ille nigris circumquaque oculorum antris, prominentibus genis, colore lurido, nutante pectore, toto denique vultu & gestu mortis faciem adumbraret. Nemo enim, absit verbo invidia, ætatis in flore & valetudinis fastigio præstitit, quantum athleta noster inter lentos ignes, suspiria, stillicidia, aliaque mortis satellitia, solo animi ardore & constantiâ incredibili fretus elaboravit. Non putabat scilicet decorum veri decoris æstimator stationem deserere, nisi ultimam auram exspiranti: & velut invictus miles succisis poplitibus de genu pugnat irâ valentior quàm viribus, sic ille longo cum laboribus & morbis conflictu fractus non animo, sed membris; non mentis acie, sed organis, ad ultimum usque spiritum in munere sibi persistendum affirmabat. *Quid enim vultis?* (dicebat amicis quietem suadentibus) *aliam ut naturam hoc ævo induam? Parebo si jubetis; sed ambos pœnitebit; vos consilii, me obsequii. Mihi antehàc imperatum otium, à me quæsitum, sed conatu irrito, imò pernicioso; non enim morbo, sed morte gravior est desidia; nec unquam infelicius valeo, quàm ubi iners retracto corporis mala, & ex iis studiorum naufragium præsentio.* Nec verba erant; violentiam quandoque indoli fecit, in gratiam amicorum bello libris indicto, sed tanto cum naturæ fastidio & indignatione, ut rursus laxare frenum ingenio cogeretur; non enim magis poterat à studiis quàm ab aëris haustu prohiberi. Permissus igitur arbitrio suo, eodem pede vitam & incepta ad finem promovebat per ægritudines intestinas quotidie invalescentes constanti semper habitu, quasi animus nihil egens corporis ministerio ei vilitatem exprobraret, deque naturæ ipsius infirmitate triumphans sceleton suum non amplius ut organum, sed ut feretrum circumferret. Magnum opus & longioris animæ aggressus in vitæ crepusculo & deliquio valetudinis, Ecclesiasticæ Historiæ vindicias, quo veram Ecclesiæ faciem per singulas ætates describebat, detersis fucis, quos vel ignorantia, vel superstitio, vel partium studium induxerat; arduum quidem opus & prope immensum, sed ad cujus consummationem nihil præter tempus defuit; supellex enim tot vigiliis & Scriptorum thesauris parta abundè suppetebat ad componendum industria, ad disponendum judicium nusquam majora; alacritas, assiduus labor, ne juveni quidem imitanda. Illud unum invidit sæculo tam illustre ædificium, quod ut Crassus per jocum Dejotaro objiciebat ipse joco dignus, δωδεκάτης ὥρας οἰκοδομεῖν ἤρχετο. Sed homo ad æternitatem compositus, & mentis actionibus omnis & semper intentus, nec annorum numerum recolebat, nec corporis damna pensitabat, nec denique adventum senectæ aut sanitatis detrimentum sentiebat: more militum, qui in calore pugnæ nec vulneribus acceptis dolent, nec brachium aut crus abscissum sentiunt, nisi cùm aut feriendi, aut incedendi vim ablatam sibi vident. Postquam igitur hibernis vigiliis absolutum majoris pensi specimen primum dedisset, quale nullus Apelles possit ad umbilicum unquam perducere, remisso tantisper studiorum impetu occœpit corpus suum intueri, admonitus importunis dysuriæ aculeis, & lento incendio aquam expetente, & pristinos somniculos profligante; tum exesis carnibus ossium compagem figuramque contemplatus & reliquis partibus flaccescentibus ventrem miratus in utrem augeri, agnovit conditionem vitæ brevis & molestæ. Tum auditus est deplorare non morbi tædium, non sævitiam doloris, non mortis viciniam; sed studiorum interitum, sed operis perficiendi spem mortuam. Crescebant in dies vesicæ tormenta, jam parietes ventrem faciebant, & aliæ ex aliis rimæ lapsum minabantur. Spectabant Medici amantes singularis ornamenti triste præsagium, omni diligentiâ, quâ dabatur copia, ruinam sustentantes; sed inani operâ. Malum enim inusitatum quale nulla ætas aspexit, nulla veterum aut recentium Scriptorum diligentia nominavit, illudebat eorum consiliis: pugna erat cum monstro, & latente, quod hinc magni lapidis faciem omnibus notis ostendebat, cùm ne scrupus quidem esset; illinc aquam sacco inclusam præter naturam ad sinistram ilium regionem mentiebatur, cùm illud, quicquid esset, à natura ipsa esset. Verùm etsi in assignanda morbi materia & modo ex naturæ ipsius impostura esset aberratum, in prædicendo exitu vates fuerunt nimium veri; sive enim lapis foret in vesica, qui sectionem necessariò posceret, spes salutis nulla; talem enim tali tempore secare, non erat vesicam, sed jugulum petere; seu quidvis aliud inexploratæ caussæ nocumentum in eo virium omnium collapsu lateret, nullus patebat ad incolumitatem exitus. Quod ergo unicum restabat, Deo permissus & naturæ exspectabat intrepidè animæ exitum inter suas voluptates, hoc est, libros & studia, quum ecce derepentè scena intervenit, quæ ultimum tragœdiæ actum clausit. Invitante cœlo & amicis, feriatum iverat circa Id. Junii ad Aulam regiam quatuor à Londino millibus, vectus rhedâ per duras pavimenti Londinensis salebras, quâ civitas longissimè protenditur,

non

non insitato quidem & hactenus innoxio ausu; sed tum demum imminente fato nihil non erat ferale. Mensæ ergo admotus ad primas epulas simul cum ipsis lætitiæ verbis ex jucundo congressu amicorum fluentibus auditus est voce querula dolorem solito acerbius accusare, & vultu licet ad tranquillitatem coacto adstantibus magni mali opinionem injecit, tumque tentatis venis febris comparuit, in eo casu lævi semper ominis nuncia. Verùm ut erat moribus commodus, & amicorum observator, conversis ad hilariora sermonibus, prandium sine querela, at non sine convivarum metu absolvit. Inde ad ambulationem in amœnum viridarium sponte suâ deductus, inter colloquia erudita & lectionem jucundam cum familiaribus diem ad vesperam protraxit, composito semper ad hilaritatem gestu, quantum licebat per sævitiam morbi. Hinc domum petiit ejusdem viæ & vehiculi incommoditate, concussus illis in partibus, ubi morbus & mors consistebant. Lecto datus egit noctem immitem in ea tortura, quâ magnus ille cruciandi magister Tiberius scientiæ specimen amicis dare solitus erat, restrictis lotii meatibus, & retrò pulso ad caput suum fœdo flumine. Tum demum accepto vadimonio intellexit transferendum aliò mortale tugurium, & de stabili domicilio cogitandum. Inest enim eo tempore præsagus quidam vitæ desinentis sensus etiam plebeiis animis, ità scilicet dispensante Deo, ne tanquam mali familiæ patres longum iter rebus inordinatis capessamus, aut vitiis sordidi sine advocati præsidio illotis vestibus ad rerum capitalium Judicem accedamus. Mane converso ad Medicum sermone: *En,* inquit, *nostræ festivitatis epilogum? Theophrastus* [addit] *in assidua studiorum contentione centesimum annum egressus erat, invitus ad nepotis ex fratre nuptias, unum & alterum diem seorsim à libris inter ludicra perdiderat, qui fuit ei studiorum ultimus; nam in morbum prolapsus citò exspiravit. De me quid futurum sit, constituit Dei providentia; sed sive mihi sit moriendum, sive in his doloribus perdurandum, studiorum excidium prævideo: quicquid autem illud erit, lætus & libens tibi parebo, Domine.* Ita loquutum magnâ alacritate, quæ illum ne in ipso quidem agone deseruit, bene sperare jussit Medicus, & refutato Theophrasteo omine, de vita & valetudine, ut cogitaret, oravit, fore ut dolorum acerbitas apto remedio demulceretur; simulque balneolum suasit; sed prius ad febrem & vesicæ ardorem detracto sanguine. Inde aliquantum remisso cruciatu in ipso labro sedens, gratias agebat Deo tam effusâ animi lætitiâ, ut videretur oblitus laborum, & securus futuri, magno certè veræ fortitudinis & humilitatis Christianæ documento. Quippe qui exquisita tormenta velut silentio admorsis tantum labris perferret; ad brevem dolorum remissionem exultabat, & in Dei laudes pro eo beneficio totus effundebatur. Intelligebat enim vir humanarum & divinarum rerum scientissimus, adversa nobis ex merito, secunda ex Dei gratia obvenire; in illis Dei justitiam, in his benignitatem elucere, contra quam solent molles & φίλαυτοι, quorum frequens est cum Deo de pœnis vel levibus expostulatio, beneficiorum autem ingentium alta & pudenda oblivio. Alternis igitur ἀναπαύσεως καὶ παροξυσμοῦ momentis suspensus in dies ad summam diem procedebat, ut nimium certis indiciis constabat; qualia erant fœtor, & pus in lotio multum, febris incrementum, sitis ἄσβεστος, odor ex ore malus, vultus hominis jam mortui, sudor toto corpore abundans, frigidus, pinguis, lentus, quo se videbat lychni instar sensim absumi, sine ullo tamen perturbationis vestigio; tantum ad dysuriæ exacerbationem gemebat interdum, verùm continuato molestiæ & obdurato sensu omisit etiam gemitus, ut crederetur ab hospitibus expers doloris, nec nisi rogatus de malo suo verbum faceret. Sed & alta rerum cœlestium meditatio totum hominem tenebat, ut non vacaret aut dolere, aut queri. Laus, me judice, conferenda cum veterum Martyrum gloria; neque enim equulei tortura, nec stylorum aut ungularum lancini, aliaque crudelitatis instrumenta atrocius discruciant, quàm nervorum in corporis centro incendium, aut salis, quidquid attingit erodentis, lixivium, partes exquisiti sensûs assiduis puncturis vellicans; utque strenui illi veræ pietatis satellites pro Dei gloria contra fictæ Religionis imposturas constanter animam per tormenta effundebant; sic ille pro tuenda Christianæ fortitudinis dignitate adversus ingenii humani mollitiem, sæculi delicias, mali dæmonis susurros obfirmato animo victor ad ultimum usque spiritum inter acutissimos cruciatus depugnavit. Post velitationes ventum erat ad pugnam statariam cum hoste omnium maximè terribili, & vox militem nostrum ardore, siti, conatu raucum reliquerat; non sermo, qui exilis aure propiore audiebatur, & quia laboriosus, ideòque seriis rebus destinatus, nihil terrenum sonabat, sed perpetua de Deo & cum Deo colloquia, quæ animi summam tranquillitatem indicabant, nullo rerum mortalium desiderio affectam, nisi quòd subinde leviter deplorabat Historiæ Ecclesiasticæ opus ad Dei gloriam & Christianam concordiam inchoatum, non absolutum relinqui. Sed statim increpabat

verborum insolentiam, ne quid præter Dei arbitrium optasse videretur, quasi veritus esset penuriam hominum, qui simili studio Dei regnum procurarent. Itaque ordinatâ familiâ, vale amicis dicto, consecratis manu extremâ uxore & liberis, in lætitiæ signum laudabili exemplo clausit vitæ historiam solenni illo epulo, quo Servator mundi vitam positurus testatam voluit & suam cum suis & suorum inter se unionem. Si enim mos est amicis paulò longius aut diutius peregrinaturis in discessu cum familiaribus ad benevolentiæ vinculum lautius convivari; non putabat intempestivum vir ad pacem natus, in magno illo ad cœlum itinere divino prandio suam cum universo Christianorum cœtu conspirationem in fide publicare. Sic mensâ remotâ, actis gratiis, conceptâ precatione per amicum præsentem, mortuæ dexteræ ministerio nudato capite, ne unquam deessent membra ad Dei cultum, errantem summis labris animam in manus sui Creatoris feliciter vir maximus exhalavit; qui cùm in omni vitæ labore supra fidem prodigioso virtuti & sapientiæ strenuam dedisset operam, omnium bonorum applausu celebratam; supremo tamen facinore mortis tam bene obitæ memoriam anteactæ vitæ velut eminenti fastigio coronavit, dignus Heros, quem præsens ætas, quem postera admiretur, colat, imitetur.

RAPHAEL THORIUS.

Ex ejus itaque prorsus incognito, nec ferrò, nec medicaminibus curabili multorum mensium morbo post varios cruciatus ineffabiles, mortuus ipsis Kalend. Jul. CIↃ IↃ CXIV. in Westmonasteriensi Templo conditur, hoc Epitaphio dignissimo donatus:

EPITAPHIUM.

ISAACUS CASAUBONUS,

*(O DOCTIORUM QUICQUID EST, ASSURGITE
HUIC TAM COLENDO NOMINI)*

QUEM GALLIA REIP. LITERARIÆ BONO PEPERIT.
HENRICUS IV. FRANCORUM REX INVICTISSIMUS
LUTETIAM LITERIS SUIS EVOCATUM BIBLIOTHECÆ
SUÆ PRÆFECIT. CHARUMQUE DEINCEPS DUM
VIXIT HABUIT. EOQUE TERRIS EREPTO JACOBUS
MAG. BRIT. MONARCHA, REGUM DOCTISSIMUS,
DOCTIS INDULGENTISS. IN ANGLIAM ACCIVIT.
MUNIFICE FOVIT. POSTERITASQUE OB DOCTRINAM
ÆTERNUM MIRABITUR.
H. S. E. INVIDIA MAJOR.
OBIIT ÆTERNAM IN CHRISTO VITAM ANHELANS
KAL. JUL. CIↃ IↃ CXIV. ÆTAT. LV.

VIRO OPT. IMMORTALITATE DIGNISS.
THOM. MORTONUS EP. DUNELMENS.
JUCUNDISSIMÆ QUOAD FRUI
LICUIT CONSUETUDINIS
MEMOR PR. S. P. CV.
CIↃ IↃ CXXXI.

QUI NOSSE VULT CASAUBONUM,
NON SAXA, SED CHARTAS LEGAT,
SUPERFUTURAS MARMORI
ET PROFUTURAS POSTERIS.

ALIUD,

A L I U D,

Sive verum, ſive fictitium, dignum tamen quòd adſcribatur, ſuppeditat FRANCISCUS SWEERTIUS, Antverpianus, in Epitaphiis joco-ſeriis, quæ collegit, *pag.* 86.

HOSPES. SI. PROFANUS. ES. CAVE.
LAPIS. QUEM. CALCAS. UNIO. EST.
PRETIOSUS. INQUAM. LAPIS.
SURDUS. ES?
JASPIS PRÆ ILLO LUTUM EST.
TOPASIUS. VITRUM.
ADAMAS. VERRUCA:
SMARAGDUS. CARBUNCULUS. PYROPUS.
NUGÆ. QUISQUILIÆ. FESTUCÆ.
NIHILI.
HIC. ENIM. ISAACI. CASAUBONI.
RELIQUIAS.
INCLUSAS. TENET.
TOTUM. DIXI. ABEI.

Mores, indolem, genium, ſtudia tanti viri juſtis coloribus depingendo lubens fateor me imparem. Paucis tamen dicam ipſum nihil æquè in votis habuiſſe, ac primò ſe ſuaque ſtudia probare principibus in Republica literaria maximè viris, etiam de facie ne quidem notis, quòd ab ineunte ætate optimus parens eum docuerat (*a*), imò ſi fieri poſſet, ab omnibus amari, nemini eſſe odio (*b*), deinde literas ipſas ac eorum cultores ex animi interiore ſenſu colere (*c*). Ex iis verò paucos, at doctos atque pios (*d*) tantum ſibi familiares reddere omni laborabat modo. Quos elegerat omni officiorum genere diligenter obſervare (*e*), monentibus meliora, quod ut facerent ipſe rogabat (*f*), facilè obſequi (*g*). Inter amicos, (quorum alii ipſum ſollicitaverant, ipſe aliorum petierat amicitiam) habebat in Gallia, quæ noverca ſemper fuit ingeniorum pacis & quietis amantium (*h*), trigam (*A*) doctorum, Achillem Harlæum, Petavium, Jac. Aug. Thuanum, Philippum Canaium à Fraxinis, Jacobum (*B*) Gillotum, Curiæ Senatorem: Joſephum Scaligerum, Danielem Heinſium, Hugonem (*C*) Grotium in Batavia; Jacobum Bongarſium, Mich. Georg. Lingelshemium, Marcum Velſerum in Germania; ut ſileam multos alios, etiam Pontificiæ Religioni addictos, vel in ipſis Cœnobiis Pariſinis nonnullis, exceptis tamen Auguſtanis Sodalibus, quibuſcum nulla ei umquam fuit conſuetudo, vel uſus (*i*). Amicos autem tam religioſe colebat, ut, ſi quando in eorum

(a) *Epiſt.* 4. 27. 640.
(b) *Epiſt.* 4. 68.
(c) *Epiſt.* 432.
(d) *Epiſt.* 756.
(e) *Epiſt.* 209. 645.
(f) *Epiſt.* 225. 644.
(g) *Epiſt.* 42.
(h) *Scaliger. Epiſt.* 58.
(i) *Epiſt.* 627.

(*A*) *Trigam doctorum.*] Trigam, opinor, verorum amicorum hìc habemus, Harlæum τὸν μέγαν, Thuanum & Petavium. Cæteri omnes ἐξ ὀνόματος φίλοι, linguâ factioſi. *Iſ. Caſaub. Epiſt.* 225.

(*B*) *Jacobum Gillotum, Curiæ Senatorem.*] Qui hiſce de Caſaubono ad Joſeph. Scaligerum *: *Monſieur* CASAUBON *ſoupa hier avec moy, qui l'ay fort conformé, & ſommes encores icy aſſez de gens admirateurs de luy, & honorans ſa vertu. Pour l'aſſûrer qu'il ne manquera de rien, je ſuis certain, qu'il ſe contentera de nous. Il m'a prié de vous faire ſes excuſes pour ce voyage; il eſt empeſché à demenager, pour aller en ce nouveau logis. Quoy que nous puiſſions faire, nous ne le meritons pas, ny ne le meriterons jamais, & je ne ſçay, ſi la France eſt digne d'un tel homme, ſoit que l'on regarde ſa doctrine, ſoit ſes mœurs. J'auray l'honneur & le bien de le voir ſouvent, & profiteray en ſa compagnie. Jamais je ne me ſepare d'avec luy, que je n'en vaille mieux.* * Epitre Franç. à Mr. de la Scala, pag. 105.

(C) *Hugonem Grotium.*] Caſauboni gaudeo à te mentionem fieri, cujus ingenium verè apertum ac probum non minus ego ſemper veneratus ſum quàm raram eruditionem. Quàm mihi amicus fuerit, ſatis teſtari poterunt literæ, quas nuper in Batavos miſi, cùm editio ejus Epiſtolarum adornari diceretur. Dixit mihi ipſe cùm Londini quotidie ſimul eſſemus anno hujus ſæculi XIII. ſe poſt migrationem è Gallia omnes illas militares literas ex animo abjeciſſe, quarum incitamentum illi fuerat Regum idem ac militum maximus; tranſlatum verò in Britanniam ſtudia quoque ſe eo tranſtuliſſe, quò vergeret animus Regis, cui non tam arma quàm pax & Religio cordi. Deinde is erat Caſaubonus, qui nihil parati penes ſe haberet, niſi in memoria, & ſi fortè in oris librorum aut brevibus ſchedis Sibyllæ foliis. Itaque in Polybium Notas nullas habemus, niſi in librum primum, & has quoque non perfectas, quæ poſt editum ab ipſo in anguſta forma Polybium, cum minoris figuræ edito prodierunt. Nec in Ælianum quicquam ipſius eſt. Porphyrogeneti liber prorupit: ſed non ipſius munere. *Grotius Appendic. Epiſt.* 184. *ad Joachim. Camerarium.*

eorum scriptis peccata deprehendisset, semper dissimulaverit (*a*), tantum abest, qui mes Loiolitis, illorum manes sollicitaverit (*b*). A jactatione atque ambitione planè alienus, admodum humiliter de suis sentiebat studiis (*c*). Litium, injuriarum, calumniarumque quòd fuerit fugitans, pacisque è contrario amantissimus (*d*), evidentissimè patet ex eo, quòd semper stylum ita temperavit, uti si bonorum studia mereri non potuerit, odium certè non sit meritus (*e*). Dicta confirmat vir clarissimus, David Paræus, cùm Jano Grutero, viro celebri, calumniandi pruritum exprobrans, hæc de eo narret (*f*): Memini ante hos præter propter annos duos & viginti coram mihi narrare, *Virum omni æternitate dignissimum*, ISAACUM CASAUBONUM τὸν μακαρίτην, *cùm mentio fortean injecta pestilentis* κριτικομανίας, *quâ hoc sæculum proprie laborare videbatur*, *&* ANIMADVERSIONUM *quoque sermo fieret Adversarii mei, quas scripsit in M. Annæum Senecam, seriò affirmare, nullo alio argumento se absterritum ab earum lectione, quàm quòd tibi inciviles nimis* λοιδορίαι *in gravissimum Jurisconsultum, virum ceteroquin innocentissimum, deque Republica literaria benè merentissimum, singulis prostarent pagellis.* Quàm longè quoque à nefando vitio, sordida avaritia, quam ei impurus Græculus Cretensis, & Andreas Schottus (*g*), vir licet honestissimus, exprobrabant summam, significat ipse Josepho Scaligero (*h*): „ Sum, *inquit*, otii amantissimus, neque aliud à Deo Opt. Max. exo„ pto, quàm ut in alta & profunda quiete, quod superest vitæ exigere possim, & simul „ charissimis pignoribus meis consulere; non ut divitias illis congeram: abest à me „ ὡς πορρωτάτω illa cura; sed ut olim post funus nostrum sit unde honestè & liberaliter „ educari possint. „ Quin imò diligentius removet hanc calumniam scribendo (*i*), „ Clamant, perditissimis moribus esse me, pecuniæ ἐξωλέστατον mancipium; neque vi„ dent, si venalem conscientiam habuissem, & Lutetiæ & Romæ emtorem potuisse me „ reperire. „ Et (*k*): „ Ego si aurum pluris quàm pietatem fecissem, hodie in Anglia „ non essem. „ Nam anno CIϽ IϽ XCIX. Romam non semel magnis optimisque conditionibus fuit invitatus, testibus, quas diligenter custodiebat, Cardinalis Baronii literis (*l*). Ast ipsi à puero fuerat persuasum, eam (*Romam*) esse sedem τοῦ μυστηρίου τῆς ἀδικίας. Itaque bonis & suæ salutis amantibus nihil posse aut debere esse commune cum illa ἑπταλόφῳ λυκίδων matre (*m*). Nec mirum quòd abhorruerit ab istis conditionibus, cùm omnes vigilias suas amori veritatis in quocumque genere literarum semper impenderit, non λογομαχίαις πρὸς ἐπίδειξιν comparatis (*n*), ac unicè investigarit primævam Ecclesiam, cujus consensum faciebat magni (*o*). Liberos si quis alius adeò singulari amore complectebatur, ut si unus ex iis decederet, dolorem ex morte susceptum continuò in amicorum sinus deposuerit (*p*). In iracundiam agnoscit ipse se fuisse pronum (*q*), sed omni conatu laborasse ut hunc supprimeret affectum. In tuenda fide fuit diligentissimus. Novatores, & qui nimiâ prophetandi libertate utebantur, quique Sacram Scripturam ex libidine sua interpretabantur, &, quidquid suis interpretationibus non conveniret, falsum atque impium putabant (*r*), summo in odio habebat.

Religionis, cui erat innutritus, veræ erat tenacissimus, neque vi vel maximâ à veteri Ecclesia sinebat se abduci, cujus simplicitatem, veritatem ac consensum, laudabat, colebat, tuebatur (*ſ*), nullam privatam fovens opinionem. Pontificiorum ante alios exsecrabatur errores (*t*), quemadmodum & vanam sui seculi gloriam. Quando enim Oxoniensis Academiæ Doctores, quo Bibliothecæ Bodleianæ visendæ, nec non cum clarissimo viro, Joanne Prideaux, Regis jussu, qui Casauboni defensionem contra Joannem Eudæmonem Cretensem susceperat, colloquendi gratiâ excurrisset, Casaubonum vellent magnificis titulis ornare, eas constanter repudiavit omnes, contentus tantorum virorum benevolentiâ (*v*), quemadmodum, quod suprà monuimus, etiam Præbendiarius factus (*w*), Regem petiit, ut omnibus resectis cæremoniis, tacitus ac quasi privatus in illorum ordinem reciperetur.

Studia à primis ætatis annis coluit diligentissimè. Firmiore quamvis præditus memoriâ, quæ ipsa in senectute suppeditabat ante triginti annos lecta (*x*), plures tamen confecit Adversariorum (*A*) libros, in quæ digna animadversione ex libris, quos novos statim

(a) *Epist.* 521.
(b) *Epist.* 551.
(c) *Epist.* 173. 570. 608.
(d) *Epist.* 747.
(e) *Epist.* 548.
(f) *Præf. ad Christoph. Pflugium præmiss. Tom. VII. Fac. Critic.*
(g) *Epist.* 875.
(h) *Epist.* 54.
(i) *Epist.* 873. 880.
(k) *Epist.* 876.
(l) *Epist.* 503. 520.
(m) *Epist.* 516.
(n) *Epist.* 417.
(o) *Epist.* 743.
(p) *Epist.* 586. 587. 588. 589. 829.
(q) *Diar. pag.* 25.
(r) *Epist.* 788. 789. 813.
(ſ) *Epist.* 843. 921.
(t) *Epist.* 925.
(v) *Epist.* 885. 893. 899.
(w) *Diar. pag.* 37.
(x) *Epist.* 931.

(*A*) *Adversariorum libros.*] De iis ista Mericus filius; quæ mihi suppeditavit vir clarissimus, Richardus Parkerus: Beatæ memoriæ parens, Isaacus Casaubonus, præter Curas (ingens opus, de quo nos alibi *in Pietate*, pag. 110.) Polybianas, & institutam *de Re Vestiaria* Commentationem; item Observationum Sacrarum & Ecclesiasticarum volumen unum, & alia nonnulla; reliquit *Adversariorum* (ut divisit & indigitavit ipse) *Tomos sex*: omnes propriâ manu, sed non eâdem librorum formâ scriptos. *Primus* & *secundus* Tomus uno (ut vulgò loquimur) *in* 4. libro continentur; *tertius* Tomus, satis

statim devorabat (a), extemplò consueverat referre (b), quò posset plenius, quæ alta cogitabat, ardua ac magna (c) perficere. Verùm voti compos, uti ipse ait, numquam

(a) Epist. 800.
(b) Epist. 931.
(c) Epist. 66.

tis alioqui spissus, *in 16.* descriptus est: *quartus* in 8. *quintus* in 4. *sextus* denique *in folio* sine ullo tegumento. Quid præcipuè singuli & quo ordine contineant, sequens eorum recensio indicabit.

MERICUS CASAUBONUS.

ISAACI CASAUBONI
Adversaria Manuscripta.

K. * In 4. incipit, *Index quorundam in duobus Adversariorum libris*, &c. Sunt autem Miscellaneæ, & ex omni Scriptorum genere sub certis titulis congestæ Observationes.
Item Excerpta (cum propriis passim censuris & observationibus) ex
Libris quibusdam Judaicis, Ritualibus & aliis.
Cassiani Collat.
Epiphan. de Prophetis.
Palladii Hist. Laus. & Theodor. Θεοφιλ.
Item Plin. Epist. Mamert.
Tacito de Vita Agricolæ.
Augustino de Civitate Dei.
Quintil. Declamation.

A. † *In 16.* incipit, *Libri quærendi*, &c.
Continet
De Academia & eò pertinentibus.
Item de Critica.
Item Excerpta (pleraque cum censuris &c. ut suprà)
E Codice Theodosii.
Liturgiâ Æthiopicâ.
Miscellanea eorum, quæ ad res vel personas Ecclesiasticas pertinent, è Patribus & aliis Scriptoribus.
Ἀπαξ ῥηθὲν καὶ ἄδηλα vocabula, vel aliàs rara.
Chrysostomi peculiares voces.
Ex Eustathii Ἐρωτ. & Pall. Ἰνδ.
Item Manuscriptis Græcis; item Palæphato.
Astrampsychi Geomantia & aliis Divin.
Hebr. & Arabica quædam.
Nummi Turcici.
Columna Trajani.
Notæ in Epistolas ad Atticum.

Ex Gregorio Nazianzeno.
Περὶ μυστηρίων.

Ex Artemidoro.
Hebraica Inscriptio Theveti Cosmographi.
Ex Dionysio Halicarnass.
Hippocrate.
Marino de Procli Vita.
Jul. Solino.
De miraculis ἀπίστα.
Ex Eusebii Historia Ecclesiastica.
Item Socrate & Theodoreto.
Gilda Sapiente.
Jul. Toletani προγνώσ.
Idiotæ Contempl.
Bibliotheca Patrum.
Gregor. Nazianz.
Aristæa.
Ephrem Syro.
Libanio.

* Advers. τὸ α & β. † Advers. Tom. γ'. sive tertius.

Χαρακτῆρες λόγου fusè è
Dion. Halicarn.
Cicerone.
Longino.
Postello.
Procopio.
Paulo Diacono.
Photii Biblioth.
Actuario, ubi de Notis βραχυγρ. Gr.
Suida.
Chrysostomo.
Ignatii Epistol.
Conciliis Græcis.
Firmico.
Clemente de Vita Petri.
Item Homil. quib. Græc.
Zachariæ Gr. de Gradibus Cognationum.

V. ‡ In 8. *incipit*, *σὺν Θεῷ Rom. Ecclesf.* &c. De Surio & Lipom.
De Gratiano.
Excerpta è Paulo Veneto.
Amplificatio potest. Pontif. per certa capita.
Index Auctorum è Baronio.
Excerpta è Baronio per singulos Tomos cum propriis passim Observationibus.
Ὅτι Episcopi omnes Oecumenici quodammodo, accuratè per certa capita.
Excerpta ex Pachym. de Vita Chrysost.
E Nupo Script. Græc. de Ritibus Græc. circa εὐχάς.
De Purgatorio quædam.

Excerpta ex
Nathan. Chomno.
Concilio Ticinensi.
Froissardo.
Manuscripto Reg. Bibl. viz.
Joh. Papæ Epistol. ad Photium.
Cyrilli ad Acacium περὶ τοῦ ἀποπομπ.
Τὰ ad accuratum Tractatum de Eucharistia cum proprio Indice.
Inter alia, ex Dionys. Areopag. & de ipso fusè.

‡ Advers. Tom. V. sive quartus.

N. ⸸ In 4. *incipit prid. Non. Decemb. stylo Julian.*
Continet
Observationes ad Psal. 119.

Excerpta ex
Chrysostomo de Articulis Fidei.
Actis Concilii Chalcedon.
De Christi Geneal. apud Matth. & Luc.
Rainoldo de Idolol. Rom. Eccles.
Libro Hispanico de secunda Monarch.
MS. Græc. Oxon. ubi Choniatis Thes. Fid. &c.
Τριῳδίῳ, Rituali Græco.
MS. Comm. Basil. in Esaiam.
Espencæo in Timoth.
De Fero.
Fides Orthod. Patr. de εὐχαῖς.
Alio Rituali Græco.
Osiandri Harm. Evang.
Warfledi Oxon. de Incorr. Hebr. Cod.
Laur. Systegæ Chronol.
Ephrem Syro.
Suiseth Calculatore: sunt Physica quædam de Elem. &c.

⸸ Advers. Tom. ί, sive quintus.

De

quam fuit factus, quoniam animo ac voluntati enitenti defuerunt præsidia, otium, ingenium (a). In primis verò continuis migrationibus ex urbe in urbem, inque iis de domo in domum (nam septies minori quàm septem annorum spatio supellex libraria circumlata est (b), haud exiguum studia passa sunt detrimentum. Humaniores literas licet præcipuè tractaret, Historiæ amans veteris (c), tamen quæ ad sacra spectabant, haud minore excoluit diligentiâ (d), quandoquidem fructum suorum laborum putabat in omnibus veritatem investigare (e), studiosis literarum prodesse (f), & gloriæ Dei inservire (g). Quamquam autem quod & clarissimus Vir, Dominicus Baudius de se testatur (h), majore cupiditate raperetur legendi quàm scribendi (i), nihilominus amici ipsum indesinenter impulerunt, ut quæ in optimos utriusque linguæ Scriptores collegerat doctissima, cum orbe literato communicaret, quod quàm facilè, quàmque frequenter fecerit, indicant ea, quæ suprà enumeravimus, quando quid singulis ferè annis ediderit, quæque pollicitus sit adhuc suppressa inchoatave Commentaria recenseremus, à Merico filio paucis indicata. Eo autem ex ordine excidisse observavi *Commentarium* in venustissimum Poëtam *Musæum*, cujus meminit Daniel Paræus in Notis ad

(a) *Epist.* 37.
(b) *Epist.* 741.
(c) *Epist.* 105.
(d) *Epist.* 913.
(e) *Epist.* 468.
(f) *Epist.* 482.
(g) *Epist.* 426.
(h) *Cent.* I. *Epist.* 13.
(i) *Epist.* 457. 467.

De Tostato. Item Serrano & Masio.
Ad Bellarm. quædam obiter Observata.
Epistola ad * Collinum contra Eudæm.
Quædam ex pugillaribus transcripta.
Series Regum Assyr. & Med. è MS. Gr.
Excerpta è 3. Concion. panegyr. in Loyolam.
Thom. Bosio. de signis Ecclesi.
Augusti. sentent. de libero Arb.
Heidelberg. Theolog. sent. de Vorstii libro de Natura Dei.
Excerpt. ex Ambrosii Apol. S. Davidis, & aliis ejusdem libris.
Item alia σποράδην.
Voces & Phrases quædam peculiares, quæ in primo tomo Chrysostomi occurrunt.

* *Exstat num.* 763.

B. † *In fol.* incipit, *Et hinc illud facilè decidi potest*, &c.

Continet

De potestate temporali Pontif. Roman. Baron. Annal. cum propriis observationibus & censuris.

Excerpta ex

Eusebio.
Cypriano.
Bernardo.
De posterioribus Papis ex Matth. Paris. &c.
Quædam Chronologica per Consules à partu Christi ad ejusdem ann. 100.
Item de Præsid. Syriæ.
De Sixto Senensi.
Incuria Patrum circa τὰ ἱστορικὰ καὶ φιλοσοφικὰ, nonnunquam & sacra.

† *Advers. Tom.* 6. *sive sextus.*

APPENDIX ADVERSARIORUM.

T. 2. lib. incipit, *Observationum & Emendat.* ὕλη *indigesta.*

Continet

Notas in diversa Sacræ Scripturæ loca.
Item Excerpta ex
Chrysostomo.
Athanasio.
Cyrillo Alexandrino, & deinceps ex diversis varia σποράδην.
Ex Ambrosio, quæ in Chartis insertis in 4.
Anastasio Sinaita.
Theodori Quæst.
Constitut. Apostolorum.
Balsamone in Canones.
August. de Unitat. & ejus Retract.
Ignatii Epistolis.

Z. *In* 4. & H. 3. & I. 3.

Continet

CURAS POLYBIANAS,

sub his titulis.

Τακτικῆς ὀνομασίαι. (sive propria rei militaris vocabula) Græcè, cum propriis Latinis sæpè: cum observationibus & explicationibus ad obscuriora quæque, ex Æliano, & Historicis utriusque linguæ per seriem Alphab.
Observatiunculæ quædam generales Rei Civilis, aut Militaris, per certa capita & numeros digestæ: numero 483. in H. 3. continuantur hæ Observat. ad numerum 528. ubi habes & illarum omnium indicem.
Miscellæ Observationes πολεμικαὶ apud Homerum.
Index locorum propriorum quorundam, & hominum in Polybio, & Livio, & aliis Historicis.
Quædam ὀνομ. πολεμικαὶ, ex Hesychio.
Ex Cæsare miscellæ Observationes.
Excerpta ex Constantini libro ad Fil.
Hebraicæ Observatiunculæ.
Rerum militarium miscellæ Observationes.
Vocum καὶ Φρασ. Gr. cum propriis Latinis ex antiquis Scriptoribus συλλογή. Vocum compositarum, Polybianarum præsertim, vis & significatio. Item quarundam particularium vis & usus.
Locorum descriptiones aut appellationes.
Observ. quarundam vocum, quæ suis locis digerendæ.
Index vocum καὶ Φρασ. Latin. rariorum, aut aliàs observand.
Ex Herodoto πολεμικά.
Index vocum καὶ Φρασ. Polyb. accuratus.
Excerpta è Froiss. Histor. fusè.
Ὕλη ad vitam Polyb. ubi & de Tacito multa.
Ὕλη ad Tract. de ratione vertendi ex una lingua in aliam; & variis translationibus.
POLYBIUS Græcè editus Basileæ in fol. perpetuis ad margines Notis illustratus.

Y. *In folio.*
De Re Vestiaria, de Coloribus & Calceis Veterum.
De Lectis, & Veste stragula, Mappa, &c.
Cum tribus indicibus:
Græco rerum ad vestes pertinentium.
Mixto Colorum.
Latino rerum ad vestes pertinentium.
Item è Sacra Scriptura Observat. rerum, quæ ad hoc argumentum pertinent, accuratè.

ad eundem (*A*) Vatem (*a*). Circumferuntur tamen summâ injuriâ ac quàm falsissimè Isaaco Casaubono, tamquam Auctori vero attributi libri duo; quorum alter inscribitur, *de Origine Idololatriæ*, quem ex professo refutat Mericus filius, cujus *Vindicationem pro Parente*, &c. multis incognitam viris doctis, recudi curavimus. Hunc ineptum libellum diu ante natum Casaubonum Gallico idiomate editum docet Cave. Alteri titulus est, *Isaaci Casauboni Corona Regia, id est, Panegyrici cujusdam vere aurei, quem Jacobo I. Magnæ Britamiæ, &c. Regi, Fidei Defensori, delinearat, Fragmenta, ab Euphormione inter schedas τῦ μακαρίτε inventa, collecta, & in lucem edita.* Quo cùm nihil sit flagitiosius, si quidem sub specie laudis optimi & pientissimi Principis, Regis vita, mores, scripta atrocissimis calumniis proscindantur, quod à gratissimo erga Principem viro Casaubono cùm fuerit quàm remotissimum, diu de vero istius libelli Auctore fuit disputatum. Erycius Puteanus (*b*), qui acerrimas *Stricturas* in Casaubonum edidit, fuit habitus Auctor; quod planè negavit, & editâ Apologiâ, cui epigraphe, *Ruffi & Gibbosi Crimen*, diluit; usque dum Casparum Scioppium istius nefandæ prolis esse verum parentem, posterior aperuit dies (*c*). Hanc nuper edidit Christianus Thomasius in *Historia sapientiæ & stultitiæ*.

Amorem in studia mirificum, innumeris omnis ævi viri clarissimi experimentis exemplisque comprobarunt, quæ etsi sciam varia ab Auctoribus tradita, attamen simile nostro Casauboniano me legere non memini. Ferunt Thomam Aquinatem infantem adhuc in cunis immodicè vagientem, exhibito ei libello confestim se continuisse (*d*); Joannem Franciscum Gropalum Genuensem ab ineunte ætate ita studiis deditum, ut omnem ei à parentibus lusui datam pecuniam libris impendisse (*e*); Antonium Caracciolum, puerum mensæ accumbentem, libellum è crumena protulisse, minimè parentis objurgationes verentem (*f*). Tradunt Antonium Possevinum adeò diligentem ac laboriosum fuisse, ut pedem noctu campanulæ adligaverit, quo mox atque obdormisset, à somno excitaretur (*g*). Sic Claudium Salmasium in Bibliotheca Heidelbergensi versantem tertiâ demum nocte solummodò obdormivisse (*h*). Quinimò Alphonsum, Ferdinandi filium, Regem Arragoniæ, morbo correptum, solâ Quinti Curtii lectione recreatum à morbo convaluisse (*i*). Verùm quis, quæso, tale excogitavit remedium? Ajunt Casaubonum, ne concubiâ nocte somno corriperetur, oculis infudisse (*B*) acetum (*k*). Hisce fortassis pertinacissimis laboribus, vitâque sedentariâ, ad exemplum Joannis Hentenii (*l*), Reinerii Gemmæ Frisii (*m*), Joannis Hesselii (*n*), Robberti Abbatis (*o*), quos ex nimiis laboribus in calculos incidisse scribunt, si quidem noster Casaubonus tenue admodum habebat corpusculum, etiam eundem in morbum incidit, quo ingravescente sævissimis cruciatibus emaciatus tandem miserè succubuit. Ingenii sagacitatem promptitudinemque colligere vel hisce ex speciminibus licet. Primâ vice necdum instauratum ingressus Collegium Sorbonicum, jactanti cuidam, *Voilà une sale, où il y a quatre cens ans qu'on dispute*, acutè respondit interrogando, *Qu'a-t-on decidé* (*p*)? Sic eodem ex Collegio, ubi audierat quendam linguâ tam barbarâ theses defendentem, ut nullum assequutus esset verbum Latinum, egrediens aliquando dixit (*q*): *Je n'ay jamais ouy tant de Latin sans l'entendre.* Idem ferè eodem loco simili in casu de utraque lingua Græca ac Latina respondit, *malè καὶ κακῶς*.

Uxorem, quam duxerat, *Florentiam*, Henrici Stephani filiam, tam ardenter constanterque amavit, ejus virtutes singulares ita laudavit, ut iis secundum Deum adscribendum judicarit, quicquid illi literæ debent, aut sunt debituræ (*r*). Expertum enim se scribit quantum adjumentum sit studiorum grata & θυμήρης uxor (*s*). Eâ enim absente omnis rei familiaris cura ad ipsum redundabat, unde haud exiguum studiis detrimentum.

(a) Pag. 37. ed. 1627.
(b) G. Richter. Vita, pag. 20.
(c) Placcius de Pseudonymis, num. 571. pag. 165. ed. 1708.
(d) Pontan. Attic. Bellar. tom. 1. pag. 23.
(e) Oldoin. Athen. Ligust. pag. 347.
(f) Franc. Bolvit. Pref. Caracciol. de Sacr. Eccles. Neapol. prem.
(g) Joh. Bosius, Notit. Script. Eccles. cap. 2.
(h) Clement. in Vita Salmas.
(i) Morhof. Polyhist. Liter. lib. III. cap. 3.
(k) A. Miræus, Elog. Belg. pag. 31.
(l) Idem ibid. pag. 96.
(m) Idem Ibid. pag. 30.
(n) Wood. Histor. & Antiq. Oxoniens. pag. 79.
(o) Menagian. tom. 1. pag. 174.
(p) Ibid. tom. II. pag. 16.
(q) Ibid. Tom. I. pag. 378.
(r) Epist. 431.
(s) Epist. 850. 853.

(*A*) *Vatem.*] Frontispicium τηλαυγὲς hujus Carminis à Nonno Panopolitano est, qui universum hocce venustissimum Poëmation penè fecit; uti jam olim facilè observavit magnus ille ISAACUS CASAUBONUS, φίλος καὶ ἵδρυμα politioris literaturæ, cujus acerrimo judicio elucubrata, & quasi Museo melle tincta dulcissima scripta,

Alterius famæ monumentis insita florent.

At verò nimis ἔγωγε ἀμηχανῶ οὐκ ἔχω μαθεῖν, quâ temporum injuriâ factum, ut aureum ejus Commentarium in hunc nostrum suavidicum MUSÆUM malè obscuraverit λάθρας ἀτέκμαρτον νέφος· quem tamen πότνιος καὶ φάος γλυκερώτερος meus parens in Gallia suismet oculis manibusque, cùm ad illum virum discendi gratiâ frequentiusculè inviseret, usurpavit.

(*B*) *Infudisse acetum.*] Moïse Amyraut dans la suite de la derniere Partie de la Morale Chretienne, pag. 161. *Car celuy qui pour imiter Casaubon, qui estudioit la plus grande partie de la nuit, se mettoit du vinaigre dans les yeux pour en chasser le sommeil, monstroit bien qu'il avoit de la generosité, & une grande affection pour les lettres.*

tum (*a*). Inprimis verò quia numerosam habebat familiam. *Florentia* enim illa egregiis florens virtutibus, omnium mariti ærumnarum fidissima consors (*b*), forti animo omnes omnium conatus malevolorum contemnens semper & ex animo exsecrans (*c*), (ipsi enim cordi erat quicquid sciebat marito cordi (*d*) esse) videtur Casaubono animum passim addidisse. Certè ter quaterve cùm in Delphinatum ad socrum, tum Parisios, petitum mariti dilectissimi Bibliothecam, vel mediâ hyemis anni tempestate non sine vitæ discrimine, non sine plurimis itineris aërisque incommodis profectam ipse auctor est. Hisce accedit singulare, quod narrat, exemplum, illam a. d. XII. Kalendas Martias natali mariti die XLIV. (anno CIↃ IↃ CIII.) venisse ad ipsum, ac muneri loco obtulisse aureorum centum & amplius, quos prudentiâ suâ sumtibus seu impensis domesticis quotidianis resecarat (*e*). Hoc præstitisse feminam hanc summoperè mirandum est, cùm ex Epistolis constet non tantùm sæpenumero decubuisse graviter, sed singulis annis maritum incremento prolis fecisse lætum parentem.

(a) Epist. 911.
(b) Epist. 750.
(c) Epist. 880.
(d) Epist. 903.
(e) Diar.

Liberos quot Casaubono peperit fœcunda Florentia, exactè non expresserim. Saltem vicies fœtum fudisse, ex Epistolis facilè demonstratu est. Pignorum nomina, quæ secundum nativitatis ordinem collegi, hæc sunt: *Philippa*, nata V. August. CIↃ IↃ LXXXIX. *Joannes*, natus . . . . CIↃ IↃ XC. *Gentilis* seu *Joantilla*, nata. . . . CIↃ IↃ XCVI. *Abigail* . . . . *Elisabetha*, nata CIↃ IↃ XCVII. *Joanna*, nata . . . . CIↃ IↃ XCVIII. *Mericus*, natus Genevæ XIX. Kalend. Septembr. CIↃ IↃ XCIX. *Anna*, nata IV. *Nonar. Novembr.* CIↃ IↃ C. *Paulus*, natus a. d. VI. Kal. Januar. CIↃ IↃ CII. *Carolus*, natus IV. Kalend. Octob. CIↃ IↃ CVII. *Maria*, nata IV. Non. Octob. CIↃ IↃ CVIII. & Regis Angliæ nomine insignitus (*f*) *Jacobus*, natus XIV. Kal. Novembr. CIↃ IↃ CXII. Horum omnium Mericus paterna premens vestigia nomen solus & stemmatis Casauboniani gloriam propagavit & sustinuit. Puer usus est præceptore Samuele Næranno (*g*), Gymnasiarchâ Sedanensi; deinde Scholâ ac Magistris Anglis. Adolescentem parens cùm vellet mittere Lugdunum Batavorum ad Joannem Polyandrum (*h*), Theologiæ Professorem, formandum verò solidâ institutione Danieli Heinsio (*i*), jussu Regis Oxoniam legavit (*k*). Ædis Christi alumnus evasit anno . . . . Studiis verò ita diligentem impendit operam; ut anno ætatis vigesimo primo magistralem promeruerit gradum; quo exornatus, inque Clerum deinde receptus, Ecclesiæ Cantuariensis Præbendam, nec non Rectoriam *Jackhamensem*, inde ad lapidem quartum acceperit. Ætatis anno trigesimo sexto unà cum multis aliis Sacræ Theologiæ creatur Professor. Verùm addictus Aulæ ac Regiæ familiæ belli civilis tempore utroque munere exuitur. Quæ tamen restituto in statum pristinum serenissimo Rege Carolo II. munera recepit. Studiis suis plurimùm obfuisse querebatur, quòd patris Bibliothecæ pars haud contemnenda manserit in Galliis apud amplissimum Jacobum Augustum Thuanum, pars cesserit Bibliothecæ Regis Angliæ, adeò ut justissimè doleat persæpè se numquam illam integram vidisse; imò addat suam quoque vigentibus intestinis motibus divenditam. Artes attamen liberales diligenter excoluit, imprimis literas Græcas; quare amico ad ipsum invisenti dixerit, se plurima Thomæ Stanleio in Æschylum suppeditasse, multumque in exponendo Marmore Arundelliano, quòd Græca non intelligeret probè, juvisse Seldenum. Peritiam in Græcis, quâ patrem, quod præfiscinè dixerim, æquare visus non est, ostendunt Notæ in Auctores varios. *Epicteti Enchiridion*, *Hieroclem de Providentia & Fato*, *Diogenem Laërtium*, *Polybium*, atque *Antoninum* de se ipso ad se ipsum, quem à se in Anglicum sermonem transfusum & Notis illustratum dedit, in quas acriter invectus est Thomas Gatakerus, cui prolixè respondet Epistolâ VIII. quam inspicere est operæ pretium. Ex Latinis Scriptoribus illustravit *Optatum Milevitanum*, *P. Terentii Comœdias* binas posteriores. *Auli Persii Satyras* è Codice parentis dedit auctiores, quibus tamen nihil putem de suo adjecisse. Præter hæc scripsit *Pietatem contra Maledicos*, in qua acriter defendit patris famam, atque à falsissimis malevolorum criminationibus liberat doctrinam ac vitam integram. Post eam edidit *Vindicationem adversus Malevolos*, qui sub parentis Isaaci Casauboni nomine ediderant librum *de Idololatria*. Præter hos dedit *Commentationis de IV. Linguis* partem priorem, nempe de Lingua Hebræa, & Saxonica; *Diatribam de Verborum Usu*, nec non *Epistolam de editione Hackiana* Homeri, quos Commentarios quòd nisi rarissimè inveniantur, dignos judicavimus EPISTOLIS & PRÆFATIONIBUS adjungi. Sequentes Anglico idiomate conscriptos prostant auctore Viro clarissimo, Antonio Wood (*l*).

Tractatus de Usu & Consuetudine, Lond. 1638.

Malorum temporalium causa primaria, Lond. 1645.

(f) Epist. 1057.
(g) Epist. 602. 614. & 648.
(h) Epist. 962.
(i) Epist. 928. 936.
(k) Epist. 955.
(l) Histor. & Antiq. Oxoniens. pag. 282.

Tracta-

Tractatus de Enthusiasmo, Lond. 1655. qui in Latinum sermonem conversus prodiit Lipsiæ anno 1709.

Lucii Julii Flori Historia cum Notis, Lond. 1659.

Responsio ad Labyrinthum Cantuariensem, quâ nempe defenditur *Laudi* Archiepiscopi cum Fishero Jesuita colloquium, *Lond.* 1665.

Epistola ad Doctorem Petrum Du Moulin, de Philosophia naturali & experimentali, deque ejus argumenti libris quibusdam nuper editis, Cantabr. 1669.

De Credulitate & Incredulitate circa res naturales & civiles, Lond. 1670. quo in libro Responsio adornatur ad librum *de Veneficis & Veneficio* per J. W. *Joannem* nempe *Wagstaffe*, quondam è Collegio *Orielensi* conscriptum, & *Londini* anno 1669. propalatum.

Tractatus, quo exemplis & indiciis abundè manifestis probatur, dari Spiritus, Veneficas & operationes supernaturales, Lond. 1672.

Responsio ad Auctorem libri, cui titulus, *Incessus stabilis, ubi de modo probandæ Infallibilitatis recens excogitatio.*

De Jure concionandi apud Antiquos.

Dissertatio de Christi Incarnatione & Exinanitione; deque Religionis Christianæ Principiis, Lond. 1646.

Concio in Hoseæ cap. III. *vers.* 4. 5.

Notarum in Marci Aurelii Antonini Meletemata de seipso, translatio, Londin. 1635. Edendas porro tertiâ vice curavit.

Proœmium ad librum Doctoris Joannis Dee, de commercio cum Spiritibus, Lond. 1659. *in fol.* in linguam denique vernaculam transtulit.

Antonini Meletemata de Hominis in statu naturali felicitate, Lond.

Inter promissa ac latentia volumina ipsemet enumerat *Observationes in Aulum Gellium* (*a*); *Auctiores* longè *Notas in hieroclem; Uberiorem Indicem Polybianum* (*b*), ut & *Græcum verborum omnium* (quo phrases & formulæ Philosophorum propriæ comprehenduntur) *philosophicorum*, qui apud Antoninum reperiuntur, cum Latinis propriis ex Seneca, Cicerone, aliisque Veteribus (*c*). Prætereà *Diatribam de Theosebio*, seu cultu Dei vero & falso; atque etiam *Tractatum de Ortu Sermonis* (*d*). Multa se habere in Livium, Servium, & multò plura in Philostratum, Antoninum, ac præcipuè Platonem, cujus se Lectorem tam diligentem fuisse amico cuidam ad ipsum invisenti gloriabatur, ut millena loca observarit à Serrano malè versa. Seque, si quid scribere vellet vel posset, calamum stricturum in Gassendum *de Vita Epicuri*, in quo libro scelestissimum fuisse Gassendum, suscipere se demonstraturum, si quidem Auctor ille loca ubique pro Epicuro corrumpit, quod nemo ante eum observavit.

Uxorem duxerat tantis opibus abundantem, ut numquam indiguerit nummis, præterquam cum exortis motibus intestinis quasi exularet. Quot ex ea susceperit liberos, me latet. Filium verò Joannem, cui puero, uti videbatur, bonæ spei inscribit suam *de Verborum Usu & accuratæ eorum cognitionis Utilitate Diatribam*, in literis decoxisse, ac Musis nuntium misisse, (qui Baccho deditus contra patris voluntatem Londini pauperem filiam in matrimonium duxit) tristis conqueritur; è contrario exultans se habere filiam modestissimam, sermonem Romanum intelligentem. Uxor, valetudine adversâ diu afflicta, unde Merico minor in studiis voluntas ac voluptas, moritur anno CIↃ IↃ CLI. Mœrore exinde summo languidus, remotissimus ab urbe atque libris in secessu, in prædiis puto amœnissimis viri nobilissimi, & ingenii dotibus, multiplici doctrinâ excultis, ornatissimi, *Joannis Cottonis, Thomæ* filii, *Roberti* (celeberrimæ illius, quæ *Cottoniana* vulgò audit, Bibliothecæ fundatoris) nepotis (*e*), ubi Diogenem Laërtium, quem paterno excitatus exemplo juvenis diligenter legerat (*f*), recensuit, vixit quietior; obnoxius attamen sæpe doloribus nephriticis, usque adeò vehementer virum affligentibus, ut ferè per integrum annum mentis non fuerit compos. Posteà videtur Cantuariæ moratus. Ibi in meditatione mortis continuò versabatur. Ætate, ægritudine, infirmâque valetudine fractus rarò ante horam decimam è lecto exsurgebat; eundem ante solis occasum repetens, quapropter à multis annis ignorabat, quid in Republica literaria ageretur. Amicis ad ipsum invisentibus, ubi de studiis incidisset sermo, apertè dicebat in Anglia exstinctas ferè literas ob serpentem Cartesii nuperam doctrinam, literas delentem. Academiæ Oxoniensi multos donavit manu exaratos Codices. Promiseratque omnem se daturum operam, ut patris scripta eò deferrentur. Cum viris doctissimis commercium literarum habuisse quotidianum non constat, quemadmodum nec amicorum numerum ali-

(a) *Pref. in Polyb.*

(b) *In Notis ad Hieroclem, pag.* 179. 180.

(c) *Epist.* 7.

(d) *Pref. de* IV. *Linguis.*

(e) *Casaub. de edition. Hackian. Homer. pag.* 161. *Pref. in Diogenem Laert. pag.* 51. *Richter. Epist. Select. pag.* 48.

(f) *Not. in Diogen. Laert.*

aliquem. Paucissimos enim ipse indicat, in quibus invenio viros clarissimos, H. Grotium, G. J. Vossium, J. Fr. Gronovium, J. G. Grævium, omnes Batavos; ex Anglis Joan. Seldenum, cui *Antoninum* nuncupavit, & Ja. Wyndet, Medicum præstantissimum. Veræ pietati unicè devotus liberali manu pauperibus succurrebat, existens erga togatos civilis, clemens atque humanus. Ultra quadraginta & quinque annos Ecclesiæ Cantuariensis Præbendarius fato functus XIV. mensis Julii CIↃ IↃ CLXXI. in porticu quadam australi Ecclesiæ *Cantuariensis* Cathedralis (Ecclesia *Christi* nuncupatur) parti adjacente sepultus fuit. Tumulum verò ejusmodi Epitaphio insignitum reperies (*a*):

(a) *Anton. Wood, Histor. & Antiq. Oxoniens. lib.* II. *pag.* 282.

Sta & venerare, Viator,
Hic mortales immortalis spiritus exuvias deposuit:
MERICUS CASAUBONUS,
Magni Nominis / *Eruditique Generis* } *par hæres.*
Quippe qui { *Patrem Isaacum Casaubonum* / *Avum Henricum Stephanum* / *Proavum Robertum Stephanum* } *habuit.*
Hui, quos Viros! Quæ literarum lumina!
Quæ ævi sui decora!
Ipse eruditionem per tot erudita capita excepit,
Excoluit, & ad pietatis (quæ in ejus pectore Regina sedebat)
Ornamentum & incrementum feliciter consecravit:
Rempublicamque literariam multiplici rerum & linguarum
Supellectile locupletavit.
Vir, incertum, doctior an melior, in pauperes liberalitate,
In amicos utilitate, in omnes humanitate, in acutissimis
Longissimi morbi tormentis Christianâ pietate insignissimus.
Gaudeat primaria hæc Ecclesia Primariis Canonicis
Casaubonis ambobus.
Qui eundem in Eruditorum, quâ ipsa in Ecclesiarum
serie ordinem obtinent.
Obiit noster pridie Idus Julii, A°. 1671. *ætatis suæ* 75.
Canonicatûs 46.

Hic etiam jacet *Johannes*, Merici filius; & *Mericus*, Johannis filius.
Illius ætatis 56. (92.) hujus. 6. (79.)

ISAACI

ISAACI CASAUBONI
PRÆFATIO
Præfixa
PUBLII SYRI MIMI SENTENTIIS,
ex nova Versione Græca
JOSEPHI SCALIGERI.

CANDIDO LECTORI.

Hæ duæ Præfationes serius accessere.

M*Onendus es, Lector, illustrissimum virum,* JOSEPHUM SCALIGERUM, *olim in Publianis Græcè vertendis unicâ editione Pithœanâ usum fuisse, neque ab ea discessisse, ut plus aut minus quàm in ea conceptum est, sibi permitteret. Ea prodiit anno* MD LXXVII. *typis Patissonii. Titulus ejus hic fuit,* D. LABERII, P. SYRI, *&* aliorum Veterum Sententiæ, *&c. Tam editio, quàm titulus ipsum Scaligerum à calumnia illius, qui Ingolstadiensem editionem publicavit, vindicare poterit, qui non veritus est dicere,* Josephum Scaligerum *pro arbitrio mimos aliquot (ita vocat singulos versus, ne fortè quis novam Latinitatem miretur) mutasse, alios omisisse. Utinam & quos omissos, & quos mutatos putat, ostendisset! Nam octoginta ferè annis post Erasmianam editionem, quæ omnium prima fuit, Pithœana prodiit, quæ nihil non habet, quod in illa Erasmiana erat, & longè plures ac emendatiores versus, quàm illa. Par civilitas, & tali censore digna, quòd illam sententiam,*

Necesse multos timeat, quem multi timent,

ait ineptè à Scaligero pro Publiana venditari, quum sit Laberii. Magnum profectò crimen, si ille versus quosdam, qui Publii non sunt, & tamen in illa editione extant, verterit, quum titulus à Pithœo positus non tantùm Publianas, sed & Laberianas quoque Sententias in unum conjectas fuisse testetur. Quin & versus alii sunt partim ex Tragœdiis Senecæ, partim ex ejusdem Philosophicis scriptis, & quod magis mireris, ex Apuleio, & aliis Scriptoribus excerpti, & in legem jamborum ab Eclogariis coacti. Hoc est, quod in Schola illius Magistri ineptum vocatur. Vellem verò nos docuisset, quid vocet, venditare. Ubi nos docuerit, tunc an illius sit alienas Sententias venditari, qui ne suorum quidem poëmatiorum rationem habet, ostendemus. Sanè ipse vertit Græcè, non in compitis, neque per præconem venditavit. Sed, si nobis tantum otii, quantum illi superesset, ut eam editionem Ingolstadiensem discutere vellemus, non pauca ostenderemus, in quibus illi parum doctrinæ, præter ea, in quibus parum candoris profitetur, ut ea, quæ Scaliger primus notavit, & absque eo esset, nemo adhuc sciret, ipse tanquam aut à se inventa, aut vulgò nota producit, de inserta ex Tertulliano, & Sententias Græcas, & alia id genus. Sed hæc missa facimus, quia Scaligeri non est morari hæc, qui ne poëmatia quidem sua curat, quæ si nullum alium nanciscerentur, qui ea tolleret, quàm eum, qui ea exposuit, actum esset de illis; quod & huic novæ Græcæ conversioni contigisset, quam tibi damus, benigne Lector, ex editione expressam, quam summus vir, & optimè de Scriptoribus Latinis meritus, Janus Gruterus, *anno superiore publicavit. Eam illi* κατὰ πόδα, *ut Justinianus noster loquitur, sequutus, versum versu reddidit, ut etiam in summis angustiis incolumem* τοῦ ἑλληνισμοῦ *nitorem retinuerit. Quod si in quibusdam aut coactior aut paulò inconcinnior videtur, id, Lector, facilè excu-*

ſaveris, ſi tu ipſe Latina cum Græcis contenderis. Tantum enim abeſt ut reprehendas, ut miraturus ſis, id verſu Græco, in quo nulla libertas eſt, potuiſſe reddi quod in Latino ſieri laxitas permittit, in quo nulla pedum ratio, præterquam in ultima ſede habetur. Quum igitur hanc novam interpretationem Græcam nacti eſſemus, ne illi idem quod aliis illius viri Poëmatiis accideret, eam à negligentia vindicare, & unâ operâ de ſtudioſis bene mereri maluimus, quàm committere, ut noſtrapte culpâ adoleſcentes ſtudioſi, qui has Sententias de manibus nunquam deponere debent, illis diutius carerent. Vale, Lector, & illis fruere. Lutetiæ Pariſiorum.

PRÆFATIO

præmiſſa NOTIS in NOVI TESTAMENTI quoſdam Libros.

ETſi non improbo Librorum Sacrorum receptam hodie diviſionem; tamen non dubito quin longè commodior eſſet futura Veterum diſtinctio, ſi quis magnus Theologus ei reſtituendæ operam impendiſſet. Veteres enim ſingulos libros in τίτλυς, *ſingulos* τίτλυς *in ſua* κεφάλαια *ita dividebant, ut Lectorem ea diviſio multùm poſſet adjuvare. Non enim, opinor, ut hodie factum videmus, plurimis in locis ea dividebant; quæ ſi quis diligentius animum advertat, conjunctim potius legi deberent: ſed diverſas potius quæſtiones, & ejuſdem quæſtionis partes diverſas ita diſtinguebant. Quod quantoperè ſit exoptandum, nemo, qui artificioſiſſimas Pauli Epiſtolas legerit diligenter aliquando, poteſt ignorare. Vocabant autem majores partes* τίτλυς; *minores,* κέφαλαια, *contrà quàm hodie nos facimus. Quare etiam in numero* κεφαλαίων *magna diverſitas. Nos hodie Matthæi Evangelium dividimus in capita* XXVIII. *illi in* κεφάλαια CCCLV. τίτλυς *autem* LXVIII. *Unde apparet, id ferè* κεφάλαιον *fuiſſe illis, quod nobis hodie verſiculus. Numerum autem* τῶν τίτλων ϗ κεφαλαίων *in ſingulis Evangeliſtis obſervatum, ex his Suidæ verbis eſt intelligere:* ὁ μὲν Ματθαῖος ἔχει τίτλυς ξη, κεφάλαια τνε. ὁ δὲ Μάρκος τίτλυς μή, κεφάλαια λϛ; (*ſed hic numerus eſt mendoſus*) ὁ δὲ Λυκᾶς τίτλυς πγ, κεφάλαια τμη. ὁ δὲ Ἰωάννης τίτλυς ιη, κεφάλαια σλβ.

EPISTOLA MCXI.
JUSTO LIPSIO.

Hæc Epiſtola ſerius acceſſit.

DIu ſilui apud te, Vir præſtantiſſime, non voluntate meâ, ſed exemplo tuo. Nam qui ad binas mearum nullum à te, h... comitate viro, reſponſum tulerim; facilè conjicio gravem eſſe cauſſam, cur ego jucundiſſimo & exoptatiſſimo hoc amicitiæ noſtræ fructu integrum jam annum caream. Atqui non deerant, de quibus tecum agere, hoc eſt, de quibus in conſilium ad te ire optabam. Adhuc enim tenent nos Cæſareæ Hiſtoriæ Scriptores iſti, quorum recenſionem pridem inſtitutam, ſed poſteà caſu quodam intermiſſam, feriò demum ante menſem aggreſſi ſumus. Atque utinam tempore non deficeremur! Sperarem aſſecuturum me, σύνγε τῷ Θεῷ εἰπεῖν, ut ab æquis & mei amantibus viris, qualis tu, clariſſime Lipſi, & magnus Scaliger, diligentiæ ἐ τῆς τυχέσης laudem ferrem. Nunc conatibus noſtris μυρία ἐπὶ μυρίοις adverſantur. Accedit quòd dulcedine aliorum ſtudiorum capti, ægrè ac prope repugnantes ab illis abſtrahi nos ſinimus. Enimverò ſera jam pœnitentia eſt: nam omnino ἐγκαρτερεῖν cogimur, & hoc cuicuimodi eſt ἐπίπαστον κακὸν διαβαστάζειν. Senecam verò tuum quando exſpectabimus? Sed non dubitamus futurum hujus moræ grande pretium: nam illum ſapientiſſimum Scriptorem aut illuſtrabis tu nobis, aut τῶν νῦν σοφῶν, opinor, nemo. Vale. *Lutetiæ Pariſiorum.*

ISAACI CASAUBONI
DEDICATIONES
ET
PRÆFATIONES,

QUIBUS
LIBRI AD ILLUSTRES VIROS,
AUT AD AMICOS MISSI,
COMMENDANTUR.

ISAACI CASAUBONI DEDICATIONES ET PRÆFATIONES.

ARNOLDO CASAUBONO, Parenti plurimùm obſervando, ISAACUS CASAUBONUS S. P. D.

(*Præfixa Notis in Diogenem Laërtium.*)



Agna me ſpes tenet, Pater Venerande, fore, ut hoc munuſculum, 1583. quod tibi à me nunc offertur, gratum tibi acceptumque ſit. Nam etſi eſt id quidem, ſi ipſum ſpectes, exiguum ac levidenſe: tamen quia à me, hoc eſt, ab eo, quem tu unicè amas, quemque tu his literis ſummo ſtudio ac labore imbuiſti, proficiſcitur; non dubito, quin has ſtudiorum meorum primitias ſis amaturus, & alacri libentique animo accepturus. Quemadmodum enim bono colono nihil gratius poteſt uſuvenire, quam ut fructus ex iis percipiat arboribus, quas ſuis ipſe manibus ſeverit: ſic ego exiſtimo tibi volupe futurum, fructus iſtos qualeſcunque ex eo horto decerptos videre, quem tu, Pater dulciſſime, in graviſſimis occupationibus tuis, tantâ curâ tantoque ſtudio ſolus ſolùm coluiſti. Vellem quidem, obſervande Parens, aliquid ejuſmodi poſſem tibi offerre, quod magnitudini tuorum in me beneficiorum ſaltem aliquâ reſponderet ex parte: verùm quia id ego non poſſum, in eo ſaltem quod potui, deeſſe mihi nolui, quin aliquod tibi grati animi teſtimonium exhiberem. Atque hoc ſanè conſilio Notas has tibi, mi Pater, do, dico, nominique tuo conſecro: quas horis, ut ſcis, ſucciſivis in Diogenis Laërtii libros ſcripſi. Erat quidem animus, ipſum Diogenem, noſtro ſtudio & operâ emendatiorem factum, quàm fuerit hactenùs, edere: ſed quùm non paucæ poſteà rationes ab eâ me ſententiâ deduxiſſent, intereà viſum eſt, Notas has publicare, quas doctis hominibus eò acceptiores fore ſperamus, quòd arduum nobis fuit, hâc præſertim ætate, gravioraque in ſtudia incumbentibus, eum Auctorem emendare, quem doctiſſimi viri cum ſummâ laude, propè, ut videbatur, in priſtinum ſplendorem reſtituiſſent. Verùm nos quidem quid præſtiterimus, docti homines, tuque imprimis, σεβασμιωτάτη κεφαλὴ, æſtimabis: cui ſi non diſplicuerit hoc noſtrorum ſtudiorum qualecunque ſpecimen, abundè ſatis operæ meæ conſecutus mihi pretium videbor; eritque cur non omninò eam me putem, cùm hæc ſcripſi, luſiſſe. Vale, Parens etiam atque etiam obſervande, meque filium tuum, tibi perpetuò obſequentiſſimum amare, ut facis, perge. Iterùm vale. *Ex Muſæo noſtro a. d.* x. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ LXXXIII.

DE
DIOGENE LAERTIO.

Diogenis Laërtii paucissimi sunt è veteribus qui meminerint: iique non alii quàm Grammatici, quorum omnium antiquissimus est Stephanus, qui τὰ ἐθνικὰ conscripsit. De tempore autem quo floruerit, haud ita facile est conjicere: faciliùs enim dixeris, quibus temporibus non vixerit, quàm quibus vixerit. Nam quia Plutarchum non semel laudat, meminitque Sexti Empirici nepotis ejus, & Epicteti, quem perhibent auctores rerum veterum, vitam produxisse ad Marci Antonini imperium usque, facilè intelligimus non vixisse Diogenem ante Annum à Christo ducentesimum. Rursus quia ita ejus meminit Stephanus, quasi auctoris satis antiqui, multò antè annum à Christo quingentesimum vixisse eum dici potest: id quod ex eo etiam licet intelligere, quòd de Polemone loquens, ait eum fuisse πρὸ ὀλίγου. Fuisse autem hunc ait Suidas ante & post Augustum. Nec certius quicquam adhuc de hac re potui comperire. Porrò, ubi, quomodo, & quamdiu vixerit, dicam quum invenero qui me doceat: nam nunc quidem parum, aut omninò potiùs non liquet. Cilicem eum fuisse, & à Laërta Ciliciæ oppido Laërtium appellatum docti viri εἰκοτολογοῦσιν: à quibus cur dissentiam, caussam non habeo. At fuisse auctorem hunc Epicuri philosophiæ deditum, eamque sectam secutum, non pauci horum librorum loci indicio esse potuerunt. An alia scripserit, præter hoc opus, de vitis & placitis philosophorum (quod ad mulierem nescio quam fuisse missum, ex unico qui est in Platone loco intelligimus) & τὴν Πάμμετρον, cujus in his libris toties meminit: ne hoc quidem compertum habeo. Qui putant autem eo potissimùm nomine institutum hoc opus à Diogene fuisse, ut sua poëmata nobis hac ratione obtruderet: næ illi haud animadvertunt, per esse verisimile τὴν Πάμμετρον multo ante conscriptum hoc opus in manus hominum pervenisse. Nam sanè Diogenes, quoties fere aliquod suum epigramma ascribit, indicat id se describere ex eo opere: & in Empedocle, ejus verba sunt hæc, φέρεται δὲ καὶ ἡμῶν εἰς αὐτὸν ἐν τῇ Παμμέτρῳ, σκωπτικὸν μὲν, τοῦτον δ' ἔχον τὸν τρόπον. Ecce, ait φέρεται: quomodo φέρεται, si is liber nondum fuerat vulgatus? videtur autem tulisse annos ἡ Πάμμετρος. Nam quod Joannes Tzetzes, scriptor vanior stolidiorque (nemo qui legerit dicet secus) quàm antiquior, Diogenem Ἐπιγραμματοποιὸν appellat, crediderim visam ab eo τὴν Πάμμετρον: quæ nihil aliud fuit, quàm volumen poëmatum & epigrammatum in viros illustres, omni carminum genere factorum. Divisum id opus fuisse in varios libros testatur ipse: ut in Thalete. Cæterùm, quàm sæpè in hoc opere scribendo vacillans memoria Laërtio fuerit fraudi, aut otium judiciumve ad ea digerenda defuerit, quæ satis confusè congesserat, poteris, benevole Lector, ex his nostris Notis cognoscere: pleniùs multò cogniturus, si dederit Deus Opt. Max. ut institutum & propè jam affectum Commentarium, quem in hunc auctorem paramus, absolvere liceat.

ISAACUS

ISAACUS CASAUBONUS HENRICO STEPHANO.

(*Præfixa Lectionum Theocriticarum libello.*)

MItto ad te, Vir eruditissime, quæ superioribus hisce diebus, Eustathii 1584.
Vignonis, dignissimi typographi, mihique amicissimi, rogatu, in quosdam Theocriti locos scripsi. Is enim cùm in animo haberet hunc poëtam denuò edere, non antè conquievit, quàm impetravit à me, ut eum perlegerem, & si quid haberem, quo posset ornari ejus editio, secum id, atque adeò cum omnibus ejus poëtæ studiosis, communicarem: quód quàm ægrè ei receperim me facturum, vel ex eo intelligas, quòd sæpè posteà mutare mihi contigit sententiam. Meritò: videbam siquidem haud ita esse facilè, in tantis præsertim temporis angustiis, spicilegium post tuam messem in eo poëta colligere, quem tu olim, doctissime Stephane, bis summo studio & diligentiâ emendaras. Veruntamen diù reluctatus, quùm viderem hoc, quod mihi ipse intriveram, esse mihi exedendum; cœpi, dùm ad finem perducitur hæc editio, schedas meas colligere, in queis memineram me nescio quid in hunc poëtam, ut & in alios utriusque Linguæ Auctores non paucos, aliquandò annotasse: non quidem, ita me Deus amet, in eam spem, ut illa unquàm ederentur, sed in privatum usum meum. Iis igitur adjutus, atque etiam scriptis duobus exemplaribus, altero Theocriti, altero Scholiastæ, quæ in manus meas opportunè ante aliquot dies venerant, mox pauca hæc, partim in Theocritum, partim etiam in alios nonnullos Auctores, exaravi. Ea qualiacunque sint, volui esse amicitiæ nostræ testimonium. Vale. *Ex Musæo nostro*, VI. *Idus Augusti*, CIƆ IƆ LXXXIV.

JACOBO LECTIO,

Viro Patricio & clarissimo, doctissimoque Jurisconsulto,

ISAACUS CASAUBONUS S. D.

(*Straboni præmissa, edito anno 1587.*)

SI verum est, Vir clarissime, quod omnes semper existimavere docti & sani 1587.
judicii homines, nihil esse quod hominem ingenuum ac liberaliter educatum, maximéque eum qui ad Rempublicam cogitet accedere, vel erudire, vel ornare magis possit, quàm historiarum cognitionem: dignissima profectò sunt studio & operâ nostrâ ea omnia, quæ ad historiæ cognitionem præsidium aliquod & adjumentum adferre possunt. Quæ quùm varia sint, nec unius generis, mihi tamen primum inter illa locum meritò sibi videtur vindicare ea, quæ à Græcis Sapientibus, quòd orbis descriptionem polliceretur, Geographia est

1587. eſt appellata. Neque hæc ſententia noſtra magis eſt, quàm veterum omnium doctorum hominum, qui ad ſcribendam hiſtoriam animum appulerunt: quorum nullus eſt (eorum quidem certè qui hodiè exſtant) qui non plurimis locis Geographi partes in ſuis ſcriptis ſuſcipiat. Putarunt enim doctiſſimi viri, non poſſe hiſtorias, quas narrarent, rectè priùs intelligi, quàm fuiſſet lectorum animus rudi ſaltem eorum locorum, ubi res geſtæ fuiſſent, cognitione informatus. Et meritò quidem ita illis viſum. Nam ſicut Imperatori, locorum, in quibus verſatur, imperito, difficile fuerit præclarum quicquam & memorabile præſtare: ita iis, qui res ab aliis geſtas legunt, difficile eſt de iis ſincerè judicare, & rectè ſtatuere, abſque aliquâ eorum locorum, ubi res geſtæ fuerint, notitiâ. Ac quamquam alias quoque plurimas, eaſque maximas, ſecum Geographiæ cognitio utilitates adfert: tamen hæc mihi præcipua fuiſſe cauſa videtur, cur clariſſimi quique veteres Philoſophi hoc argumentum ſtudioſiſſimè perſecuti ſint. In hâc ſiquidem ſe exercuêre palæſtrâ antiquiſſimi illi Philoſophi Anaximander Mileſius, Hecatæus, Democritus, Dicæarchus, & qui hos ſequuti ſunt, Eratoſthenes, Hipparchus, Poſidonius, aliique multi, quorum hoc loco nomina recenſere longum ſit. Ipſe quoque Marcus Tullius, opus Geographicum ſe aliquandò meditatum eſſe, in iis quas ad Pomponium Atticum ſcripſit epiſtolis, teſtatur. Qui ſi opus inſtitutum, rei, ut ipſe fatetur, difficultate permotus, non deſeruiſſet, fortaſsè minùs eſſet cur hodiè Græcorum Geographorum ſcripta, quæ omnium edax & conſumptrix vetuſtas abolevit, deſideraremus. Accidit enim magno noſtro damno, & inſigni eorum hominum, qui ſuperioribus ſeculis vixere, negligentiâ, ut ex omnibus antiquis, qui in hoc argumento ante Ciceronis tempora verſati erant, nemo interitum effugerit, ne unus quidem: quæ jactura tanta ſanè eſt, ut haud ſciam an majorem aliam res literaria ſenſerit. Ac niſi divinâ quâdam providentiâ iiſdem ferè temporibus, fruſtrà tentatum à Cicerone opus, ab alio fuiſſet perfectum, næ nos hodiè in ſummâ Geographiæ, hoc eſt, rerum pulcherrimarum & utiliſſimarum ignoratione verſaremur. Nunc, poſtquàm Deo Optimo Maximo aliter viſum eſt, unus extitit Strabo Philoſophus, αἱρέσει quidem Stoicus, cæterùm doctus, Deus bone, & laborioſus, prorſuſque ad unguem factus homo: qui omni doctrinâ eruditus, iiſque omnibus præſidiis abundè inſtructus, quæ ad hanc rem deſiderari poſſunt, rem & magno animo ſuſcepit, & tantâ felicitate confecit, ut perſuaſum habeam, ſi quis diligenter hujus ſcripta verſare voluerit, eum antiquiorum Geographorum jacturam patienter ferre. Opus namque relictum nobis eſt à ſummo ſcriptore, quod præter accuratiſſimam totius orbis tunc cogniti deſcriptionem, tantâ doctrinâ, tamque variâ omnium rerum ſcientiâ refertum eſt, eâ denique arte contextum, ut ſi unius aut alterius è veteribus ſcripta excipias, nihil planè in omni vetuſtate reperiam, cum hoc opere comparandum. Quò magis dolendum, neque integrum id ad nos perveniſſe, & quæ pervenere, ita fuiſſe ab imperitis hominibus accepta, ut vix alius ſcriptor vel plura, vel graviora vulnera acceperit: prorſus ut jure queas illud tragici Poëtæ uſurpare, πέπονθε δεινὰ πλέω λέγειν: adeo nihil reliqui fecere imperiti quidam & barbari homines, quin hunc autorem omnibus modis malè acciperent, & quantum in ipſis eſſet, mancum & contaminatum nobis traderent. Neque verò χθὲς καὶ πρώην factum eſt, cùm cœpit præſtantiſſimus hic ſcriptor ab impuris illis harpiis inquinari. Anni ſunt quingenti, & fortaſſean amplius, cùm cœpêre Strabonis codices ita corrupti circumferri, ut ſæpè viris doctis, qui imprudentiùs eos ſequerentur, impoſuerint. Mirari verò ſubit in tanto doctiſſimorum virorum numero, quos noſtra hæc & parentum ætas tulit, quùm nullus jam relictus ſit vetus ſcriptor, quem non certatim emendare, illuſtrare,

&

& interpretari, multi contenderint: vix tamen unum aut alterum adhùc extitisse, qui de Strabone nostro cogitarit. Atqui rei literariæ intererat, hunc potiùs scriptorem legi quàm emendatissimum, quàm vel Apuleium, vel Martialem, vel Petronium, vel alium quempiam etiam meliorem his scriptorem: neque hoc dico quòd doctorum virorum, qui in illis scriptoribus laborarunt, consilium reprehendam: hoc tantùm volo, rem videri indignam, nondum fuisse repertum aliquem, qui ex tam excellentis operis emendatione laudem sibi & nomen parere studuerit. Non enim dici hoc potest, ita fuisse ab interpretibus hoc negotium confectum, ut docti abstinere ab eo posteà debuerint. Imò ita infeliciter & negligenter in hoc opere versati sunt interpretes, ut nondùm constituerim, fueritne illis honestius, negotium non suscipere, quàm susceptum ita negligenter exequi. Nos verò, quùm jam ab illo tempore, quo vix ex ephebis excesseramus, Strabonem unicè amare & admirari, partim sponte nostrâ, partim optimi parentis hortatu cœpissemus, nihil magis in votis unquam habuimus, quàm ut susceptam hanc provinciam ab aliquo docto viro audiremus. Itaque quùm aliquandò intellexissemus, summum virum Josephum Scaligerum, principem hujus memoriæ Criticorum, emendationem hujus autoris esse aggressum, dici nequit, quàm grata ea res ad nostras aures acciderit. Verùm postquàm comperimus præstantissimum virum aliis studiis intentum, vix hac de re quicquam cogitare, quùm indiès cresceret in nobis Strabonis amor, decrevimus tandem faciendum non esse, ut diutiùs ab omni ope destitutus optimus & nobilissimus scriptor relinqueretur. Etsi autem eramus ipsi nobis nostræ tenuitatis optimè conscii, tamen non dubitavimus arduum opus aggredi: partim, æquitate doctorum hominum freti, quibus nostrum saltem consilium probatum iri sperabamus: partim, ut vel cum existimationis nostræ periculo, doctiorum studia excitaremus. Quod nisi multa nobis post susceptum hoc negotium contigissent, quæ alacritatem & impetum nostrum penè frangerent, magnâ in spe eramus, posse nos studio & diligentiâ nostrâ, ita de hoc autore mereri, ut etiam docti viri, qui his studiis delectantur, aliquid se nobis hoc nomine debere essent agnituri. Nunc coacti sumus opus affectum potius, quàm effectum (præsertim quod ad posteriores septem libros attinet) in vulgus emittere. Quod si alia fuissent tempora adhùc promere decreveramus. Et tamen, ne sic quidem diffidimus doctos viros conatus nostros æqui bonique esse consulturos: præsertim si hæc à nobis eo tempore scripta meminerint, quo præter publicam calamitatem in hoc concussi orbis motu omnibus bonis communem, multa nobis privatim contigère, quæ animum à studiis persæpè avocarent. Quorum omnium, cùm tu mihi testis sis locupletissimus, Lecti clarissime, elegi te unum ex omni amicorum meorum numero, inter quos tu familiam ducis, cui hoc opus, qualecunque tandem id esset, donarem ac dedicarem. Nam sive id ejusmodi est, ut excusatione egeat, non possum meliorem testem mearum occupationum, & eorum omnium, quæ mihi dùm id molior, non semel contra animi sententiam contigerunt, exhibere: sive contrà, ejusmodi hæc sunt, ut laude aliquâ possint digna videri, neminem habeo, cui potiùs ista, quàm tibi oblata velim; imò debeam: debeam, inquam, tùm publico nomine, tùm etiam privato. Publico, quia nemo est bonus, qui te non plurimùm colat & observet: ut qui jam locum eum in tuâ civitate obtineas, quem haud scio an eâ ætate, quâ tu es, ullus alius nemo ante te sit consecutus: nec mirum; nam quùm eo parente nasci, cujus sola memoria aditum tibi ad quosvis honores patefaceret, divino munere tibi contigisset; tu tamen ab ineunte ætate non destitisti sedulò operam dare, non ut honores adipisceteris: sed ut iis quàm dignissimus piorum & bonorum 1587.

1587. omnium judicio posses videri. Quod etiam cumulatissimè tibi Deus Opt. Max. solus ἑάων δωτὴρ, ut poëtæ aiunt, concessit. Nam & sapientia, & cum aliarum artium bonarum, tùm Juris Romani scientia ita te instruxit, ut unus omnium repertus sis, qui eodem tempore & Reipublicæ, consiliis prudentissimis prodesses, & juris studiosos doctissimis lectionibus juvares. Privato autem, quia, quum tot argumentis fuerit mihi perspectus & exploratus, singularis quidam amor, quo me jampridem constantissimè prosequeris: graviter peccare mihi viderer, si occasionem hanc testandi amoris erga te mei prætermitterem. Habe igitur, Lecti clarissime, amoris & observantiæ meæ pignus fidissimum: &, siquidem gratum id tibi futurum est, eripe gravissimis tuis occupationibus aliquot horas, quibus hoc opus, quod tibi parum politum trado, recognoscas, atque pro acerrimo judicio tuo corrigas. Hoc mihi gratius contingere nihil potest. Vale. *Datum è Museo nostro, pridie Kalendas Septemb. Anno ultimi temporis* CIƆ IƆ LXXXVII.

DE
STRABONE,
ET EJUS SCRIPTIS.

STRABO, genere Cappadox, (ut eum Josephus nominat) natus est in urbe clarissima, Amasia, sicut ipse libro XIV. *testatur: quo loco Amasiam eo studio & curâ depingit, ut quanta fuerit ipsius erga patriam charitas testatum satis superque fecerit. Neque dubium est, patrem ei fuisse unum aliquem è principibus ejus urbis viris: quanquam ipse paternum suum genus reticet. Nullus est enim in his quidem libris locus, ubi ejus facta reperiatur mentio. Nam quòd in editione Xylandri lib.* XI. *legitur, Moaphernem fuisse patris Strabonis patruum; nos eum locum esse corruptum ex veteribus libris docuimus: in quibus legitur,* ὁ τῆς μητρὸς ἡμῶν θεῖος. *non* τοῦ πατρὸς, *ut primus Xylander edidit: qui non meminerat iterum lib.* XII. *sic scriptum esse,* ὀψὲ δὲ Μοαφέρνης ὁ θεῖος τῆς μητρὸς ἡμῶν. *Itaque de paterno ejus genere quod dicamus amplius nihil habemus. Maternum, ut ipse non uno loco docet, traxit à Dorylao Tactico, viro forti, & claro, qui fuit unus è Mithridatis Euergetæ amicis ac ducibus. Hujus Dorylai stirpem ex variis Strabonis locis infrà descripsimus.*

DORYLAUS ὁ τακτικὸς, *Mithridatis Euergetæ amicus: Hic in urbe Cretæ Cnosso è Macedonissa muliere Sterope sustulit filios duos*

- *Lagetan, cui fuit*
  - *Filia, quæ nupsit fratri Moaphernis. Ex hoc conjugio nata est*
    - *Filia, cui filius* STRABO.
- *Stratarchan. Hic in extrema senectute Straboni visus.*

Philetærus Dorylai Tactici frater. Huic filius fuit

- *Dorylaus, unus è Mithridatis Eupatoris ducibus, regi charissimus.*

Atque hæc de Strabonis parentibus, qui quidem vel eo nomine laude dignissimi sunt, quod filium suum tanto studio instituendum & erudiendum curarint. Vix enim ullus fuit illis temporibus in ulla Asiæ schola clarus doctri-

nā

nâ & literarum nomine vir; cujus STRABO γνώριμ☉ *& auditor non fuerit: idque à teneris annis, ut ipse testatur. Nam admodum juvenis cùm esset, Nysam (quæ fuit minoris Asiæ urbs,) studiorum causâ profectus, Aristodemo, Aristarchi filio, magna cum laude tunc duas scholas obtinenti, (quum quidem manè Rhetoricam, vesperi Grammaticam profiteretur) operam navavit: posteà etiam Tyrannionem, celebrem & ipsum Grammaticum, audivit. Atque ita in Rhetoricis & Grammaticis horum operâ eruditus, ad studia Philosophiæ se contulit. Atque ut variæ tunc fuere Philosophorum sectæ, ita variorum operâ in Philosophiæ studiis usus est. Ipse aliquot ex suis præceptoribus commemorat: ut libro* XIV. *Xenarchum Seleucensem Peripateticum; & lib.* XVI. *scribit, se* τὰ Ἀριστοτέλεια συμφιλοσοφῆσαι, *hoc est, exercuisse se in Philosophia Aristotelis cum Boethio Sidonio. Unde adductus est Xylander, ut putaret Peripateticæ sectæ fuisse addictum Strabonem: idque (inquit) ex sparsis hoc opere disputationibus variis licet intelligere. Sanè si doctè & subtiliter scribere ac disputare, solis Peripateticis convenire & proprium esse concedimus: concedam ego quoque libens Peripateticum Strabonem fuisse, & quidem* ἐν τοῖς μάλιστα. *Sed profectò non ita est: neque verè hoc à Xylandro est annotatum. Ipse Strabo multis locis Stoicum se fuisse satis apertè, nisi* ἐθελοκωφῶμεν, *indicat: & veteres ferè Strabonem quum laudant, Stoicum semper nominant. Et verò id ut non esset, disputationes quas Xylander ait, ipsum jugulant: in quibus nihil non* στωϊκώτατον, *& ex penitissimis Stoicæ disciplinæ fontibus haustum reperies: quod quia suis locis à nobis est annotatum, non refellemus hoc loco pluribus insignem hunc Xylandri errorem. Porrò quo vitæ genere usus sit, & ubi potissimùm vixerit, itemque ejus mortem, quum nemo veterum ea de re scriptum quicquam reliquerit, nos hodie ignorare necesse est: nisi quod ipse de se, & suis peregrinationibus (quæ maximæ fuere, in Italiam, in Ægyptum, in Æthiopiam, & alias longinquas regiones) multa, prout dabatur occasio, literis mandavit: quæ cùm omnibus obvia sint hos libros volventibus, non teram frustra tempus pluribus hoc loco ea commemorans. Scripsit præter Geographicum hoc opus, etiam historicos Commentarios: quod opus, si Suidæ credimus, in libros* XLIII. *fuit distinctum: videtur autem mihi ejus pars proprium nomen habuisse* τὰ μετὰ Πολύβιον. *Sic enim puto accipienda ejus verba lib.* XI. *quibus ait de Parthis plura se scripsisse* ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἱστορικῶν ὑπομνημάτων βίβλῳ, δευτέρᾳ δὲ τῶν μετὰ Πολύβιον *ut idem liber intelligatur, qui fuerit sextus totius operis, secundus autem* τῶν μετὰ Πολύβιον. *Meminere autem Strabonis aliqui è veteribus: sed admodum pauci, &, ut opinor, præter Plutarchum, Josephum & Tertullianum, nemo. Nam Julianum quidem Architectum, Suidam, Eustathium, Jornandem, & reliquos id genus prætermitto. Jam quod scribit Strabo libro secundo se* ὑπομνηματίσασθαι τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις, *nescio an ita debeamus accipere, ut fuisse ab eo historiam Alexandri conscriptam intelligamus: non enim alibi factam reperio ejus operis mentionem: & videntur posse illa accipi de iis quæ cùm alibi multis locis, tùm maximè libris tribus postremis, de rebus gestis Alexandri scribit. Illud constat, post conscriptos historicos Commentarios tum demum appulisse Strabonem animum ad scriptionem hujus operis, cùm jam ætatem eam esset assecutus, quæ scientiam & experientiam rerum quàm plurimarum afferre (studiosis quidem certè hominibus) potest, soletque. Id enim ipse testatur libro primo. Quanquam quum attentiùs hos libros lego, venio in hanc sententiam, ut putem multis antè annis de hoc opere eum cogitasse, primaque ejus lineamenta duxisse, semperque in eo exornando perseverasse, donec ad extremam*

 senectutem

1587. *senectutem pervenit: quo quidem tempore opus ita limatum & perpolitum in vulgus edidisse videtur. Id ex eo maximè intelligimus, quòd multa narret Strabo, ut recèns facta, vel quæ adhuc gerantur, quæ tamen historiæ eorum temporum testantur non mediocri temporum intervallo fuisse disjuncta: unde constat, non uno aut altero mense conscriptum hoc opus fuisse: sed longo annorum spatio magnâ curâ & diligentiâ elaboratum: ut jam mirum non sit, tantam ejus esse præstantiam, quantam docti viri & sani judicii, uno ore agnoscunt omnes & profitentur. Restabat ut de Strabonis ætate aliquid diceremus: quæ quidem quæstio, & per se satis est difficilis (maximè ob locum Athenæi) & quorundam tenebrionum culpâ ita nonnullis obscura fuit, ut non defuerint qui negarint Strabonem esse qui hodie in studiosorum manibus versatur: sed alium nescio quem, quem ipsi Stratonem indigitant. Primus hujus sententiæ autor, Franciscus Patricius, homo Italus: qui in suis Peripateticis discussionibus longâ digressione hoc paradoxum probare conatus est; & si stamus quorundam sententiæ, abundè probavit. Deinde secuti sunt alii, qui ut omnia sibi esse lecta ostenderent, hunc præstantissimum autorem non Strabonem, ut reliqui mortales, veteres, recentiores, omnes: sed Stratonem appellare cœperunt. Ac quanquam non ita diffidimus doctorum hominum judiciis, ut longâ oratione ad horum sententiam refellendam opus esse putemus: diceremus tamen ea de re quid nobis videatur, & Achillea illa Patricii argumenta dilueremus: nisi, & temporis premeremur angustiis; & factum id à nobis esset, in eo scripto quod adversus Patricii librum paramus: quodque brevi, faciente Deo Opt. Max. edemus. Intereà testatum hoc volumus, non recusare nos ut inepti, nullius judicii, ac planè stulti habeamur; si vel unicum verbum in hanc sententiam ab illo magno Critico, aut magno potiùs errorum hamaxario, prolatum sit, quod falsum non sit, ineptum, & prorsus eo homine dignum, qui nullo judicio in bonis scriptoribus versatur: idque ita esse, suo loco, ut jam diximus, manifestissimè probabimus. Sed & ad librum* XII. *notare nos meminimus, videri Strabonem diem suum obiisse (aut desiisse certè scribere, ac paullò pòst obiisse) ante annum A. U. C.* DCCLXXVIII. *qui fuit annus Tiberii* XI. *vel* XII. *quo anno Cyzicenis ademptam fuisse libertatem Tacitus autor est, quem ipse disertis verbis eis tribuit. Atque hoc ante me observasse scripsisseque eruditissimum Taciti interpretem video.*

PRÆFATIO

præfixa Animadversionibus in DIONYSIUM HALICARNASSEUM, editum anno 1588. in folio, apud Henricum Stephanum & Eustathium Vignonem.

1588. *NUnquam existimaram fore, Lector candide, ut in Dionysium Halicarnasseum quicquam ederem. Etsi enim, quum ante decem plus minus annos admodum adolescentes eum legeremus, eâque editione, quæ sola tunc exstabat, uteremur, quædam videbamur nobis haud penitus* λόγου ἀνάξια *observasse: tamen quia non ignoraremus, jam tum provinciam hanc emendandi ac denuò vertendi Dionysii ab aliis, qui magnam de se spem facerent,*

rent, fuisse susceptam: adeò nihil in eum moliri voluimus, ut verè possimus 1588.
affirmare, nunquam nos ab illo tempore de Dionysio quicquam cogitasse: ac ne in manus quidem sumpsisse unquam, nisi rarissimè, & quoties usus esset. Quod nunc sententiam mutaverimus, casu id factum, potius quàm voluntate nostrâ: qui profectò maluissemus, quæ hîc annotavimus, maximè ea, de quibus nobis cum novissimis interpretibus non convenit, iis ipsis communicare, & hoc scribendi labore supersedere. Non enim tantum ab re nostra otii nobis est, ut in repellendis ejusmodi scriptis haud sanè admodum δυσξι-λέγκτοις, *ullam temporis, quod vacuum nobis superest, partem, melioribus studiis nostris relictis, libenter collocemus. Verum, quia experti sumus non probari ipsis nostrum id consilium, visum est faciendum, ut quæ pridem ad oram libri mei (ut fit) annotaveram, relegerem, colligerem, & cum præstantissimi hujus Autoris studiosis communicarem. Relegi igitur, collegique: ac licèt arrepto semel calamo multò plura quàm initio constitueram, annotaverim, brevissimo tamen tempore descripsi: omnia, Lector, in tuam gratiam. Tu, dum majora à nobis expectas, utere, fruere, & nos ama. Vale.* Nonis Augusti, CIↃ IↃ LXXXVIII.

Nobilissimo, generosissimoque Viro,

PHILIPPO MORNAIO,

PLESSIACI DOMINO, &c.

ISAACUS CASAUBONUS

S. D.

(*Polyæno præmissa, edito anno* 1588.)

INtereà dum horribilis illa tempestas sævit, Vir Nobilissime, quæ miseram 1588.
nostram Galliam tot jam annos concutit: nos, quibus οὐ δέδοται πολεμήϊα ἔργα, quod unum possumus, precibus ad Deum Opt. Max. pro Reipublicæ, & bonorum omnium salute, dies noctesque excubamus: doloremque nostrum, quem ex hac tanta rerum omnium perturbatione summum, pro eo ac debemus, percipimus, quibuscunque rationibus possumus, lenire ac minuere conamur. Quam ad rem quantum litterarum studia valeant, ii demum mihi videntur posse ignorare, qui aut earum suavitatem nunquam degustarunt: aut rei adversæ periculum nullum unquam fecerunt. Itaque, qui à natura ita comparati essemus, ut sine litteris vitam nullam vitalem putaremus, ac ne optaremus quidem: nunc multò etiam magis in litteras nos abdimus, iis vacamus, iis nos totos dedimus. Hâc ratione quantum alii proficiant, nescio: nos quidem, si nihil aliud, hoc certè consequimur, ut animus intereà noster à cogitatione tantorum malorum avocatus, & litterarum dulcedine recreatus, laxamenti aliquid capiat, & novas vires colligat, quibus par esse tantis ærumnis, atque adeò eas vincere & superare ferendo possit. Quum autem amplissimus sit litterarum campus, visum est nuper, gravioribus studiis intermissis, eorum librorum lectione animum recreare, qui convenientissimum his temporibus argumentum complecti videbantur: eos potissimùm intelligo, qui de re militari Græcè ab eruditissimis olim viris conscripti fuerunt: quorum pars alia, eaque maxima, pridem est quum fuit: pars adhuc in privatorum bibliothecis, aut

 omnino,

1588. omnino, aut ex meliore sui parte delitescit. Nos verò, qui eorum aliquot, dum præ desiderio bene de litteris & litteratis hominibus merendi, omnia satagimus, tandem adepti sumus, quorum alii nunquam usque adhuc editi fuere, alii verò non nisi Latinè: quum ex eorum lectione voluptatem haud parvam cepissemus, faciendum putavimus, ut optimi auctores, & doctorum hominum votis sæpenumero expetiti, nostrâ operâ in publicum tandem prodirent. Eorum è numero est, is, qui tibi nunc à nobis, Vir Nobilissime, offertur, POLYÆNUS: scriptor antiquus, elegans, acutus, eruditus, &, quod ad rem facit, haudquaquam ἀπειροπτόλεμος: sed qui utramque militiam, (sagatam, inquam, & togatam,) secutus est. Is præclara Imperatorum ac Ducum facta, Græcorum, Romanorum, Barbarorum, non quidem omnia: sed ea tantùm, quæ proprio nomine stratagemata nuncupantur, octo libris est persecutus. Quod argumentum quum apud Latinos quoque Frontinus auctor non ignobilis tractare instituerit, si quis hos duos scriptores inter se comparet, facile intelliget, quàm sint Græci, quicquid susceperint, in eo tractando & uberiores & diligentiores Romanis. Accedit huc sermonis elegantia, quam Græcus noster longè majorem habet: non linguæ tantùm bono & prærogativâ quâdam, sed studio etiam & industriâ partam. Fuit enim Polyænus orator & patronus causarum apud Impp. Antoninum & Verum: quas partes qui obiret, eum oportuit non leviter litteris tinctum fuisse, & in oratoria facultate haud mediocriter exercitatum. Hunc igitur scriptorem, Græcè nunc primùm à nobis editum, ac locis pæne infinitis emendatum, ausi sumus sub tutela nominis tui evulgare, & de tuo splendore lucem illi, parum adhuc in vulgus noto, parare. Non enim dubitamus, quin, si probari is tibi potuerit, etiam reliquis omnibus, in quorum ille cumque manus veniet, gratus sit futurus. Nam quem alium quisquam potius quàm te harum rerum æstimatorem ac judicem desideret? aut cujus ego patrocinium Polyæno meo potius quàm tuum conciliem? Si enim rei militaris scientia quæritur, ecquis est, non dicam in nostra Gallia, sed apud exteras nationes, qui ignoret, quâ prudentiâ tu bellicas res administrare, quantâque alacritate animi præliorum adire pericula soleas? quàm fortiter in iis te geras? Si litterarum, & ejus linguæ cognitio, quâ Polyænus loquitur: tu verò unicus pæne es ex omni nobilitate Gallica, qui studia Musarum cum Marte seriò conjunxisti: quique studia tua non ad oblectationem animi tantùm, quod pleraque hodie nobilitas facere amat: sed ad gravissimarum rerum scientiam, & ad scrutanda religionis mysteria retulisti. Cujus quidem elegantissima, & gravissima scripta eruditissimi quique studiosè, nec sine admiratione reconditæ cujusdam doctrinæ, legunt. Taceo singularem prudentiam tuam, quæ pari cum charitate patriæ conjuncta, in omnibus tuis sapientissimis consiliis elucescit. Taceo reliquas virtutes tuas, quibus ita te præstantem natura finxit, ut omnium, etiam invidorum, judicio, paucos nostra hæc ætas ferat, qui tecum comparari possint: neminem qui tibi jure queat in contentione virtutis anteponi. Macte animi, Vir Maxime: hæc vera, hæc germana est nobilitas, quâ mortales in his terris ad cælestium naturam quàm proximè accedunt: hæc vera via, quâ in cælum & ad astra post hanc vitam itur. Quod superest, peto à te etiam atque etiam, ut munusculum hoc, dignitati quidem tuæ longè impar, sed ab eo profectum, qui tuas virtutes eximias omnium maximè admiretur, hilari vultu pro tua humanitate accipias. Hoc si me à te impetrare siveris, cùm mei me voti compotem reddideris, tum etiam effeceris, ut ego tuâ auctoritate confirmatus, nullius obtrectatoris calumniam posthâc extimescam. Vale. *Ex Museo nostro, Kalend. Decemb.* CIƆ IƆ LXXXVIII.

PRÆFATIO

PRÆFATIO

praefixa

POLYÆNO.

LECTORI CANDIDO.

POlyænum *Macedonem, scriptorem antiquum & elegantem, nostro tandem* 1588.
beneficio, benevole Lector, habes: beneficio, inquam, nostro: qui etsi in privatos usus magno ære eum nobis comparaveramus, tamen quum haud æquo animo pateremur, tam eleganti scriptore tamdiu te carere, libenter fecimus ut occasionem hanc bene de tuis studiis merendi arriperemus, & præclarum scriptorem primi omnium in vulgus edere occuparemus. Ecce igitur eum tibi, non nostrâ tantùm liberalitate è tenebris erutum: sed nostrâ etiam industriâ haud mediocriter adjutum. Nam qui nobis ita ἕλκεσι βρύων *fuisset traditus, ut nec pes in eo, nec caput, nec ulla totius corporis pars sana superesset: eum nos tibi exhibemus vulneribus pæne infinitis aut sanatis, aut certè obligatis, pulchriorem multò, & longè suaviorem quàm nos simus eum experti. In quo recensendo non dicam quantum nobis fuerit laboris sustinendum: hoc certè fuit nobis iste labor, etsi paucorum admodum dierum, molestior, quod ita primum ad eum accesseramus, quasi animum casu miserrimæ patriæ mæstum, & curis confectum, voluptate aliquâ recreaturi, non novâ ullâ curâ essemus cruciaturi. Semel tamen susceptum negotium, quâ potuimus industriâ, diligentiâ haud mediocri, fide verò maximâ, gessimus, curavimus, confecimus. Multa nos suo loco ab imperitis librariis mota in suas sedes revocavimus, multa confusa quæ erant distinximus, multa corrupta emendavimus: multa, dico: imò pæne omnia: nam quid noster Codex habuit aut non distortum, aut non luxatum, aut accepto vulnere aliquo non aspectu fœdum? adeò nihil Polyæno nostro adversus vim & injuriam librariorum sua stratagemata profuerant. Diceres ex Alliensi aut Variana clade eum effugisse. Porro quæ videbantur ancipitis esse emendationis, nec facile ex vestigiis litterarum posse emendari, aut omnino etiam sine meliori libro non posse, ea nos in Notarum libellum retulimus: ubi quid nobis de iis videretur, breviter, ut oportuit, & sine ulla ambitione exposuimus: aliis etiam scriptoribus non rarò lucem attulimus, prout eorum loci mendo aliquo in simili historia affecti, sponte suâ se nobis offerebant. Unum adhuc restabat: ut cujus nomine* λύτρα *pependissemus, cujus etiam vulnera maxima ex parte sanassemus, eidem in publicum prodituro, vestem quoque novam, hoc est, Latinam interpretationem daremus: quod etsi nobis haud ita difficile fuisset præstare, tamen qui & otio omnium minimè abundaremus, & sciremus* χρόνον *esse* ἀνάλωμα πολυτελέστατον, *Polyænum jussimus hâc nostrâ liberalitate esse contentum: ne nobis bonæ horæ, quas aliis studiis destinamus, in eo negotio perirent: & ne multis, quibus magnum hoc videbitur, occasionem præriperemus laudis parandæ ex nova ejus versione: aut, si malint, ex Vultejanæ interpretationis emendatione. Mihi nunquam hoc fuit propositum, ut ex librorum Græcorum, historicorum præsertim, versione in Latinum sermonem, multò minus ex earum versionum, quæ ab aliis essent profectæ, emendatione nomen mihi parerem: quod neque admodum arduum fuit nobis, quoties libuit experiri, neque palmarium*

 unquam

1588. *unquam judicavimus, aut dignam omnino rem, in qua, quod superest nobis ex gravissimis nostris occupationibus otii, collocaremus. Quare desinant, obsecro, doctissimi viri de nobis conqueri, quod superiore anno quum Strabonem nostrum ederemus, peccata interpretis non simus sigillatim omnia persecuti: qui si factum id ita interpretantur, quasi non essent illa à nobis animadversa, næ illi nos non nôrunt: qui profectò si id egissemus, & quæ illi notant, & alia quamplurima, quæ non omnes fortasse vident, notare nullo negotio potuissemus. Sed num, quæso, iniquè faciunt, qui plus à nobis exigunt, quàm nos polliceamur? Emendare enim & commentari Strabonem fuit nobis propositum: non interpretis peccata notare: quod si quando à nobis factum (& factum sanè, cum antè in Strabone, tùm in Polyæno nunc,) alia causa fuit: nempe si quid ea res faceret ad lectionis veritatem. Jam quod alio loco iidem summi viri annotationem quandam nostram ad quartum Strabonis tot machinis labefactare conantur: nisi tamen aliud proferant, nunquam consequentur, ut in ea vel unicum apicem censeam mutandum. Ipsi sanè si totam illam nostram annotatiunculam perlegissent, non commisissent, ut qui omnia in iis admirer, candorem tamen in hac ipsorum responsione desiderare possem. Sed hæc pluribus aliàs. At morosos istos (non jam te alloquor, magne Belga) & iniquos alienæ industriæ æstimatores, nunquam tanti faciam, ut responsione dignos putem. Scilicet urit eos, quod nos eâ ætate (vix dum enim vigesimum octavum ætatis annum eramus ingressi quum Strabonem edidimus) conati simus palmam illis præripere, ad quam ipsi per tot lustra ac decadas annorum contendebant. Atqui, quod eos magis etiam urat, si Deus, fautor unicus studiorum nostrorum, vitam & otium suppeditet, faciemus profectò, ut intelligant, nos ad poliendum & perficiendum opus, quod temporum iniquitas nobis invitis extorsit, eorum opem non admodum desiderare. Redeo ad Polyænum: in cujus versione si quid mutatum reperies, (reperies autem multa) id omne Joanni Tornæsio nostro acceptum feres: qui quicquid typis suis mandat, id ut quàm emendatissimum, &, quantum in ipso est, omnibus numeris absolutum exeat, eniti solet. Nobis satis fuit, ex cimeliis nostris depromptum auctorem, qui usque adhuc latuerat, candidè tecum communicare: & eum quidem, quoad ejus fieri potuit, quàm emendatissimum. Tu Lector, si æquus es, factum nostrum, (etiam si quid à nobis in hoc negotio admissum fuerit) bene interpretaberis, & muneris nostri editioni favebis: vel eo saltem nomine, ut ad reliqua evulganda, quæ penes nos sunt, reddas nos alacriores. Quod si aut ab ingenio, aut ab otio, aut à libris melius es instructus, age, curriculum ingredere: reperies ἀνταγωνιστὴν, qui superari in hoc certamine adeò non molestè ferat, ut etiam optet. Tu modò ne tibi, ne nobis desis: en lampada tibi trado. Vale.* Ex Museo nostro, Kalend. Decemb. CIƆ IƆ LXXXVIII.

PRÆFATIO

praefixa Operibus

ARISTOTELIS.

Ad candidum & antiquæ Philosophiæ studiosum Lectorem.

1590. SÆPENUMERO *intuenti mihi in viros maximos maximisque ingeniis præditos, qui post revocata in lucem, quæ perdiu sepulta fuerant, cùm lingua-*

linguarum, tùm omnium liberalissimarum artium ac disciplinarum studia, 1590.
effloruerunt; admiratione digna res visa est, quid causæ sit, cur in aliis quidem scientiis & disciplinis omnibus quàm plurimi qui excellerent, exstiterint: in studiis verò Philosophiæ, quibus humana omnis sapientia continetur, vel paucissimi. Nam quocunque te animo & cogitatione converteris, permultos admirabiles in quoque genere, non dicam mediocrium artium, sed etiam maximarum, & quarum cognitio difficilis meritò creditur, videbis. Ut enim de ea scientia primùm loquar, quæ scientiarum omnium fastigium est & consummatio, &, ut Plato loquitur, θριγκὸς μαθημάτων, *quis est quin fateatur sacrosanctæ Theologiæ exquisitam cognitionem, haud minoribus constare laboribus, quàm aliæ cujusvis scientiæ? Quis autem dubitet quin plurimos, eosque summos Theologos, & qui etiam cum veteribus Patribus certare possint, nostra hæc, & patrum nostrorum ætas viderit? Jam verò cùm latissimè pateat Juris Romani scientia, sitque cum summis difficultatibus conjuncta; nemo tamen inficias ire queat, vel unicam nostram Galliam, ut de aliis regionibus nihil dicam, summos tulisse viros qui cum antiquis Scævolis, Labeonibus, Africanis, & Papinianis jure merito contendi & comparari posse videantur: prorsus ut quod suâ ætate de Philosophia ajebat Aristoteles, meritò nunc de Jurisprudentia liceat augurari: quòd tanta paucis annis accessio facta sit, brevi tempore absolutam eam fore. Quid illa humani generis conservatrix, Medicina? nonne in ea quoque qui excellerent, & veterum Asclepiadarum gloriam æquarent, multos nostra hæc ætas vidit? In studiis verò linguarum, humanitatisque, ac totius antiquitatis, quæ studia etsi superioribus scientiis jure cedunt, ejusmodi sunt tamen, ut neque suis careant difficultatibus, nec sine industria saltem mediocri, diligentiâ verò & labore immenso, quisquam in iis possit excellere: in his igitur, quis ignorat, summos viros, ad miraculum usque doctos, omnique laude dignissimos & extitisse, & nunc quoque exstare? At verò in Philosophiæ studiis excellentes viros si requiras, cùm omnia diligenter lustraveris, haud tamen scio an non jure possis Satyrici Poëtæ illud* παρῳδεῖν,

Rari Philosophi: numeris vix est totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Imò res eò rediisse videtur, ut bene cum genere humano actum iri sit putandum, si singulis ætatibus singuli aut paulò plures excellentes Philosophi, & qui tanti nominis mensuram impleant, inveniantur. Non enim de vulgari aliquo Philosopho loquimur, qualium magna semper fuit copia, sed de eo qui neque illotis, ut aiunt, pedibus ad Philosophiam sese contulerit: verùm iis præsidiis probè instructus, quibus quisquis fuerit destitutus, nunquam futurus est graviorum scientiarum εἰκῆ ἀκροατής: *neque de eo qui aliquam Philosophiæ partem sibi selegerit, in qua se exerceat: sed qui omnibus ejus partibus, quæ mirificè inter se aptæ connexæque sunt, operam navaverit: qui denique non ex cœnoso aliquo aut lutulento rivo scientiam hauserit, sed ex limpidissimis illis purissimisque Philosophiæ fontibus, præstantissimis, inquam, & omni scientiarum genere refertissimis veterum sapientum monumentis. Tales igitur Philosophos omnibus fortasse sæculis raros, sicut etiam Imperator Severus in Rescripto quodam ait, hoc nostro autem rarissimos esse, fatendum sanè est. Majus enim profectò est Philosophia, quàm aut vulgus, aut multi etiam qui supra vulgus sapere deberent, opinentur: & quod M. Tullius de dicendi arte, longè minori jure dicebat, pluribus ex artibus studiisque collectum: cujus splendorem & divinitatem videntur ple-*

1590. *rique hodie, qui se ejus doctores profitentur, nunquam animo concepisse. Quorum quidem videas alios in Logices gyris & mæandris miserè consenescere, neglectâ interim earum rerum cognitione, absque quibus esset nullus Logices usus, nulla aut necessitas, aut utilitas foret. Quò enim Logica, nisi ut aditum nobis ad scientias, quarum jure veluti clavis & janua esse censetur, patefaciat? Alios cernas qui Naturæ arcana, quorum amœnissima est contemplatio, non tam viâ & ratione, quod eorum erat munus, possint suis vel lectoribus, vel auditoribus explicare, quàm frivolis & ineptis quæstiunculis sese aliosque implicare, diesque totos in eo consumere, ut de omnibus semper dubitent, nihil unquam sciant. Alii sunt, & ii quidem oppidò quàm multi, qui quòd linguarum aut nullam, aut admodum tenuem cognitionem habeant, etiam nunc, in tanta literarum luce,* βαλανεφαγοῦντες, *agrestem illam & degenerem atque ineptam Philosophiam colant: atque etiam (quæ est ejusmodi hominum scævitas) in eruditissimos viros, qui studia sapientiæ è situ & squalore priorum sæculorum liberare nituntur, insurgant, honestissimosque eorum conatus ultrò irrisum eant, nedum eâ laude quam merentur, afficiant. Enimverò tolerandum æquo animo fortasse istorum factum videatur, qui non tam animi malignitate, quàm ignoratione, & eorum culpâ à quibus fuerunt in Philosophiæ studiis eruditi, errant præ væsana Sophistarum quorundam amentia, perversè ingeniosorum hominum, qui veræ Philosophiæ simul & ejus auctoribus* βεβαιωταῖς *bellum ausi sunt, bellum nefarium nunc nuper indicere. Illos intelligo, qui cùm alios veteres plerosque omnes, tum Aristotelem maximè, summum, bone Deus, virum, & unicam Philosophiæ aquilam! omni calumniarum genere vexare, odiumque illi & invidiam apud minùs catos cautosque homines conflare conati sunt: atque utinam conati tantùm essent, non etiam nunc conarentur. Adhuc enim ardet flamma illa sive incendium, quod patrum memoriâ excitatum, paucis annis per plerasque omnes orbis Christiani Academias est grassatum. Adeò brevi tempore sese extulêre hujus infelicis arboris rami: adeòque Sophistis istis insanum hoc ausum cessit feliciter: si felicitas ea est appellanda. Sed nimirum, plerique hominum, quod Venusinus Poëta ait, cerei sumus in vitium flecti: facileque errores & falsas opiniones admittimus, atque altè in animos demittimus: veritati contrà aures foresque occludimus, &, sicut eleganti Græcorum proverbio dici solet,* προσαράττομεν εἰς τὸ μέτωπον τὴν θύραν. *Atque hæc ratio est, cur cùm pauci semper fuerint, qui veræ Philosophiæ studia amplecterentur, contrà nova ista, tam multos statim quàm nata est, sectatores invenerit, & eos quidem ita cupidos, & amore ipsius ardentes, ut nihil suprà. Dicas immensum aliquem boni thesaurum nactos esse, qui ei disciplinæ semel nomen manusque dederunt: ita se, miseri, beatos putant, atque adeò prædicant. Quod etsi mirum sanè est, & omnibus legitimæ Philosophiæ studiosis ex animo dolendum; est tamen quod eos meritò consoletur, ac meliora sperare jubeat: nam licet ingens est, quæ ingentem hunc errorem fovet, turba: tamen profectò est tantùm, &* ἀμούσων ἀνθρώπων, *qui nec Sophiæ nec Gratiis litarunt,* ὄχλος: *quos quidem vel melior institutio defecit, vel spes meliora consequendi. Ita enim fato nescio quo comparatum est, ut in studiis tantum quisque probet, quantum se posse assequi sperat. Denique, ut prudenter de aliis cum Thebano vate doctissimus Galenus ait,* καλός τις πίθων, παρὰ παισὶν ἀεὶ καλός. *Nam cordatis quidem viris, & liberaliter educatis, quosque vel ingenii abundantia, vel diligentiæ fiducia ad spem meliorum erexit, constanter videmus cùm universam istorum rationem improbari; tùm imprimis odio atque execrationi esse immanem illam, ut ipsi appellant, libertatem,*

bertatem, ut res clamat ipsa, licentiam ab animi impotentia summa pro- 1590.
fectam, quâ isti calumniatores Aristotelis passim usi sunt: quorum libri, si non famosi libelli potiùs sunt appellandi, vel eo nomine dignissimi me judice sunt qui fiant Ἡφαίστῳ βορά. *Nam quid, obsecro, aliud aut sentire aut dicere possis de iis, quos effrænata quædam maledicendi libido eò evexit, ut summo & facundissimo Philosopho, cujus oratio adeò pura, casta, elegans, ac sæpe etiam venustatum Atticarum plena est, ut facilè quemvis ex Græcis Oratoribus possit provocare; ignorationem Græcæ, hoc est, vernaculæ linguæ objicere sustinuerint? O insignem hominum prodigorum nominis sui, ut modestissimè dicam, confidentiam! Itane verò, in tam erudito sæculo talia monstra reperiri potuerunt? aut si reperta sunt, non statim tanquam interitum literarum brevi imminentem portendentia, in novas terras deportata sunt, & piacularibus sacris procurata? Pace vestrâ liceat dixisse, Viri Principes, qui Reipublicæ clavum tenetis: ipsi vestrâ indulgentiâ non Philosophiam tantùm, sed omnia omnium scientiarum studia itis perditum. Nam si hæc, quæ sub falso libertatis nomine toleratur, licentia latiùs serpere permittatur, certum est de studiis honestarum disciplinarum ac scientiarum etiam graviorum actum esse. Exiguum enim temporis medium, & statim, ut quisquam erit impudentissimus, & ad confingendas in veteres auctores calumnias ingenio paratissimo, ita plurimi à misera juventute, ut est illa ætas fraudibus Sophistarum obnoxia, fiet: is unus doctor præstantissimus habebitur: unus ceu munere divino terris concessus, coletur: denique unus ille erit qui deturbatis, tanquam senibus aliquibus depontanis, de gradu suo veteris sapientibus, quos tot anteactorum sæculorum auctoritas comprobavit, tot doctissimorum virorum judicium confirmavit, vacuam eorum possessionem occupet. Longè verò fallimur, si futurum putamus, ut hac fini istorum stet audacia: nam ut principia se dant, non est dubium quin quâ temeritate in Aristotelem, Platonem, Ciceronem, aliosque doctissimos viros sunt debacchati; eâdem, aut majore etiam, graviore certè cum periculo, eos quoque auctores aliquando invadant, quorum sacrosancta auctoritas esse debet, multaque in iis quæ fixa esse oportet atque* ἀκίνητα, *innovent: nolo enim dicere, multa jam eos innovasse, aut innovare certè voluisse. Quid enim est tam sanctum, quod audaculi isti contaminare non ausint? quos quidem palam & passim audire est gloriantes, quasi soli post homines natos reperti sint, qui scientias & disciplinas omnes viâ & ratione aliis possint tradere. Tanta est vanorum hominum vanitas &* κενοδοξία! *quâ quidem re meum semper judicium fuit, nullam esse pestem humano generi perniciosiorem. Quibus de causis clarissimos doctissimosque viros, qui ubique locorum sapientiæ puriorisque Philosophiæ simul & politioris literaturæ studiis delectantur, etiam atque etiam rogatos obtestatosque velim, ut quò pauciores sunt qui veram Philosophiæ viam, arduam illam quidem primo aditu & salebrosam, sentibus etiam ac vepribus obsitam, sed per quam ad suavissima loca & amœnissima Tempe mox pervenitur, insistunt, eò fortiùs ipsi & animosiùs in præclaro instituto suo persistere velint: & ut cùm exemplo suo adolescentibus honestissimis, quorum simplicitas Sophistis istis quæstui est, præeant, inque rectam viam eos reducant: tùm verò auctoritate etiam suâ insanos eorum conatus infringant, qui Philosophorum titulum & nomen sibi arrogantes, germanam Philosophiam funditus extirpare, & fidelissimos ejus doctores ex animis & manibus studiosorum hominum excutere atque extorquere omni opere adnituntur: suâ denique navitate, industriâ, & solertiâ, cùm Philosophiam ipsam augere & illustrare; tùm Principum Philosophorum, Platonis*

1590. *& Aristotelis, scripta pene divina, & adversus recentes istorum aliorumque his similium calumnias, defendere, & à priorum sæculorum barbarie magis magisque vindicare pergant. Sanè enim nulla ratio est, nulla, inquam, quâ omnes omnium Sophistarum conatus facilius retundi possint, quàm si viri summi, quales nunc quoque reperire liceat, suam industriam & ingenii aciem, ad veram Philosophiam illustrandam, & aurea veterum Philosophorum scripta suo nitori penitus restituenda, seriò & sedulò contulerint. Nam id quidem parum dignè adhuc à doctissimis viris, qui post veluti renatas literas vixerunt, præstitum esse, vel nova hæc Aristotelis, ut de Platone nihil nunc dicam, editio, planum testatumque faciet: quæ cùm eo consilio ab optimis viris & juvandæ rei literariæ cupidis esset suscepta, ut cum Græco contextu fideliorum ac politiorum interpretum versiones conjungerentur: ubi ad rem ventum est, piget dicere quàm pauci libri ita tractati à nostris hominibus & conversi reperti sint, ut non adhuc eruditi alicujus, & industrii, navique interpretis operam manumque desiderent. Ergo agite, doctissimi Viri, qui quantum adhuc in hoc philosophico agro operis faciundi supersit, probè cognitum habetis, tanto operi vos accingite, eique manum ipsi quoque admovete: aut si jam admovistis, quod spes est factum esse à quibusdam è vobis, qui nunquam nisi serò expectationi quam de se pridem concitarunt, satisfacient; nolite, obsecro, doctissimos vestros labores veræ Philosophiæ candidatis diutiùs invidere. Utinam verò, quod patrum nostrorum memoria fuit in Anglia, etsi irrito conatu, à tribus viris, Latomero, Grocinio, & magno illo Thoma Linacro institutum, ut ad illustrandam Aristotelis Philosophiam, & vertendos denuò ejus libros, societatem jucundissimi & fructuosissimi laboris inirent: id, inquam, ô utinam nostrâ hâc ætate vigiliis & industriâ doctorum qui nunc sunt virorum, & magni alicujus Principis liberalitate effectum liceat videre: Dux namque & auctor opus est: bonus nimirum aliquis & literarum ac boni publici amans Princeps, cujus auspiciis tam præclarum & verè regium opus institui ac perfici possit. Quod bonum immensum dum adhuc expectatur, fruantur intereà homines Aristotelis amantes hâc librorum ejus editione: ad cujus expolitionem cùm ab amicis viris qui eam curarunt, etiam atque etiam rogatus essem velut symbolam conferre: etsi etiam iis adminiculis parum suffultus, quæ ad tantum opus desiderantur, feci tamen non invitus, vel ut amicorum hominum voluntati, adeò præsertim honestæ, obsequerer, & quo possem modo de tanto scriptore ejusque studiosis bene mererer, ut operam aliquam in recensendis ipsius scriptis ponerem: & cùm variantis scripturæ diversitates, quas vel editionum collatio peperisset, vel aliquot veterum codicum, qui mihi ad manum erant, tùm meas etiam locorum aliquam multorum emendationes, ad oram libri annotarem. Quo in negotio (haud sanè ita facili ac nasutulis quibusdam scio videri, qui cùm sint ipsum ignavum fuci pecus, nihil aliud quàm alienæ industriæ monumenta dente Theonino rodere, & livoris atramento nôrunt perfundere) etsi non plus temporis est impensum, quàm quantum partim operæ vix aliquando interjungentes, partim aliæ occupationes nobis concedebant: spero tamen non defuturos gratos homines, qui nostro hoc labore se adjutum iri fateantur, ac proinde gratiam nobis aliquam habeant. Is enim auctor est Aristoteles, quem vel minimùm juvisse aliquam fortasse laudem mereatur: nedum tot locis emendasse, quot sunt à nobis partim librorum ac veterum interpretum ope, partim aliâ ratione correcti, & in integrum restituti, fœdè in omnibus editionibus, ne ea quidem excepta quæ nuper ab eruditissimis hominibus est profecta, depravati. Quamobrem*

rem unum illud certè assecutum me spero & confido, nemo ut inveniri queat, 1590.
cujus animus tantis invidiæ angustiis contineatur, quin nostrum hoc in Aristotelem studium, & qualemcunque ei navatam impensamque à nobis operam æqui bonique consulat, & benignè interpretetur. Et verò, quod præfiscinè dictum sit, non ita de nostris studiis desperamus, ut non majora his, & polliceri σὺν θεῷ, *& favente divinâ ejusdem clementiâ, suo etiam tempore reapse præstare, atque in communem severiorum Musarum sacris operatæ juventutis utilitatem, evulgare possimus. Vale, Lector.* Ex Museo nostro, Idibus Martiis, CIↃ IↃ XC.

Præstantissimo Viro,

NICOLAO BRULARDO A SILERI,

HENRICI IV. Francorum & Navarrorum Regis Christianissimi, in Sacro Consistorio Consiliario, & apud Helvetios Rhætosque Legato,

ISAACUS CASAUBONUS.

(*Præfixa Theophrasti Characteribus.*)

DOctrinam morum, quæ vel utilissima Philosophiæ pars est, Brularde præ- 1592.
stantissime, non unâ ratione veteres Sapientes tradiderunt. Fuere qui in rectè constituenda vitæ summa, & inveniendo bono ut putabant, summo, quærendisque, & explicandis mediis ad beatitatem ducentibus, suam omnem operam ponerent. Fuere qui ad singulas vitæ humanæ partes studium conferrent suum, & quid cuique personæ, cuique ætati conveniret, quæ officia singulorum, docere laborarent. Illam priorem Veteres δογματικὴν, hanc posteriorem παραινετικὴν Philosophiam nuncuparunt. Fuit verò & tertium quoddam tractandæ morum disciplinæ genus, è re χαρακτηριστικὸν ab iisdem illis nominatum. Pulcherrimam hanc philosophandi viam, primus, ut videtur, senex facundissimi oris, Theophrastus invenit: primus certè, quod ex antiquis monumentis constet nobis, in eo se & elegantissimum illud ingenium suum exercuit. Neque abest conjectura, summum virum cùm à Platone didicisset, virtutem, si oculis cerneretur, mirabiles sui amores excitaturam: rationem & vestigasse prudenter, & pervestigasse solerter, quâ cùm virtutis speciem pulcherrimam, tùm etiam vitiorum dedecus ac turpitudinem ipsis penè dixerim corporis oculis spectandam exhiberet. Magnum sanè ausum, & eo viro dignissimum, qui felici illo seculo viveret, quod tulit Socratem, Platonem vidit, Aristotelem generi humano dedit: tres viros constituendæ Philosophiæ sine dubio divinitùs excitatos. Quorum in sinu & gremio cùm fuerit hic, de quo loquimur, educatus, nec dubium, nec mirum est, eam ipsum scientiæ βαθύτητα esse consecutum, eam scribendi facultatem adeptum, ut nihil unquam sit ab eo profectum, quod non visum sit studiosis sapientiæ omnibus numeris perfectum. Testes sunt hujus tantæ illius præstantiæ, cùm alia hominis monumenta, quæ in studiosorum manibus, hodièque versantur; tùm hic quoque liber, aut libri potiùs ἀποσπασμάτιον, quod me auctore, atque interprete in tuam se clientelam, si pateris, Brularde clarissime, gestit tradere. Est autem

1592. hic ille Theophrastei ingenii fœtus, de quo paulò antè dicebam: liber, sine dolo dicam, aurum contrà non carus. Nam quòd ille integer ad nos non pervenerit, adeò non debet ea calamitas reliquarum istarum pretium apud nos imminuere: ut contrà potiùs eò majore curâ ac studio, ceu tabulæ aliquæ ex ingenti naufragio superstites, colligendæ nobis colligandæque videantur. Neque sanè vereri unquam subiit, ne, quas horas in emendando, vertendo, & explicando hoc fragmento ponebamus, eas docti viri malè nos collocasse judicarent. Et verò præter gravissimorum virorum adhortationes, quibus excitati primùm sumus ad hanc qualemcumque operam Theophrasto commodandam: exemplo etiam sumus confirmati doctissimorum hominum, quos ante nos in eandem descendisse arenam videbamus; qui tantum aut temporis aut diligentiæ huic negotio impendissent, quantum res postulabat: facilè mihi persuadeo, potuisse illos & mihi, & aliis omnibus occasionem præcipere falcem in ipsorum messem injiciendi. Verùm quid inter illorum editionem & nostram hanc intersit, doctis candidisque Lectoribus æstimandum & judicandum relinquimus. In primis autem te, Brularde sapientissime, arbitrum ferimus: cujus judicio si stabit & probabitur nostra hæc opella, næ caussa non erit, cur de cæterorum eruditorum calculis aut desperemus, aut multùm simus solliciti. Quod enim ille olim de Platone, id ego non minore jure nunc de te, *Unus tu mihi instar omnium.* Nam & is es tu, in quo uno cunctas habitare virtutes, quas in aliis mirari solemus singulas, uno omnes ore pridem fatentur. Te quondam in media patria, & in oculis tuorum civium Reipublicæ gubernacula, integritate, justitiâ, & moderatione summâ inter præcipuos tractantem, laudibus in cœlum omnes ferebant. Te nunc legationis hujus amplissimo munere difficillimis hisce & tantùm non desperatis temporibus, prudentissimè, fœlicissimèque fungentem, omnes mirantur. Te denique fortissima Helvetiorum gens tanquam unicum, & cœlo delapsum fidei, constantiæ, veritatis, gravitatis, & ut uno verbo dicam, veteris illius Franciæ generositatis, quæ pridem defecisse in nostra gente artibus corrupta exoticis, videbatur, exemplar intuetur, suspicitque. Quid ego nunc commemorem, non Juris civilis tantùm, sed plurimarum artium honestissimarum accuratam cognitionem? quid summum illum amorem, ardoremque in literas, & cùm plurima teneas, plura indies discendi desiderium? quod cùm à puero maximum tibi Naturæ auctor Deus inolevisset, ne nunc quidem inter tantas, tam molestas, tam difficiles curas & occupationes relanguit, nedum exaruerit. Accedit ad has tantas virtutes tuas, ceu inserta pulcherrima, singularis morum comitas: quæ te omnibus bonis non minùs reddit amabilem, quàm illa priora venerabilem. Et erit aliquis qui miretur tantum te gratiâ, tantum auctoritate apud omnes pollere? mirarer potiùs, si qui esset, qui cùm te vidisset, cùm loquentem audisset, non stuperet. Equidem ut primùm te vidi, & quæ antè famâ de te acceperam, præsens majora omnia in te agnovi: nunquam ab eo destiti silentio, atque εὐφημίᾳ animum istum tuum tam excelsum, & tot virtutibus exaggeratum venerari, cujus affectus, animique in te mei patere, obsecro te, Vir maxime, extare hoc cuicuimodi est, testimonium: meamque hanc sive temeritatem, sive audaciam æqui boni consule. Vale. *a. d.* IV. *Kalend. Febr.* CIƆ IƆ XCII.

Viro

Viro illuſtri,

JOSEPHO SCALIGERO,

JULII CÆSARIS FILIO,

ISAACUS CASAUBONUS

S. D.

(*Præfixa Apologiæ Apuleji, editæ anno* 1594. *in Quarto.*)

ERitne, Vir nobiliſſime, ut tu me putes otio meo abuſum, cùm hiſce die- 1594.
bus recenſendæ huic quam tibi mitto Orationi, temporis aliquantum poſui? ſcis enim pater illius quàm malè apud multos audiat: quàm graves de ejus Latinitate ſententiæ vulgò ferantur. Quod ſi tu idem cenſes, quid aliud de me, & ea quam hîc impendi opera pronunties, niſi bonas horas me malè collocaſſe? Ego verò cùm ab eo longè abſum, ut ita de hoc ſcripto (nam reliqua ejuſdem nihil moror) exiſtimantibus aſſentiar: tum ejuſdem te mihi judicii eſſe, nullus dubito. Niſi enim illorum opinioni accedimus, qui totius Latinitatis fines ſex, ſeptem auctorum ſcriptis contineri putant; quid eſt cur hic liber lectione ac ſtudio noſtro indignus eſſe videatur? Nam equidem ſic cenſeo, poſt tempora Antoninorum vix quidquam aliud extare hodie magis πεπονημένον, magis comtum, magis denique Latinum. Aut dicat mihi aliquis, ubi major quàm in hoc tantulo, & eo quidem forenſi ſcripto, eruditionis non protritæ copia. Quàm eleganter, quàm doctè loci hîc aliquot è Philoſophia tractantur? quantum in ſententiis acumen? quanta in dictione, ut iis temporibus & locis, caſtitas? Non hîc mihi quiſquam reperiat ullos τῶν νοημάτων ὄγκους & tumores vanos, aut argutiolas ineptas: non ullas verborum ſordes: quæ maxima orationis vitia pleriſque omnibus ejus ſæculi Autoribus, & qui deinceps inſecuti, fato quodam Eloquentiæ & Imperii Romani ſimul ruentium, adhæſere. At erunt fortaſsè qui non verborum, ſed rerum crimina objectent: quippe Apologiam hanc, à famoſo olim Mago pro defenſione Magiæ ſcriptam, ab oculis conſpectuque noſtro eſſe rejiciendam: more multorum videlicet facient, ut ea damnent quæ nunquam legerint, ſi qui ita ſibi perſuadebunt. Nos contrà, non defenſionem hanc eſſe Magiæ, ſed graviſſimam ejuſdem accuſationem, audenter affirmamus. Quid enim aliud hinc colligas, quàm fuiſſe omnibus ſemper ſani judicii hominibus curioſas artes improbatas, & legibus vetitas? Ni ita ſit, nunquam profectò, ut doctè ſanctiſſimus vir Auguſtinus diſputat, tantâ contentione, tantoque opere id crimen ceu omnium maximum à ſe Auctor diſertiſſimus amolitum îſſet. Quamobrem dabunt, ſpero, nobis optimi & graviſſimi viri voti noſtri veniam, quod tam eruditum antiquitatis monumentum non ita lacerum circumferri, neque ita ἀεικέσι πληγαῖς deformari, ſemper optaverimus. Quamquam votum hoc noſtrum nihil aliud niſi votum fuiſſe, noſque de hac editione nunquam ante hoc tempus quicquam cogitaſſe, & liquidò jurare ipſi poſſumus, & nôrunt illi optimè, quorum petitu ſuſcepta mihi & nata hæc ſcriptio eſt. Nuper adeò, cùm apud me eſſent amici quidam & familiares mei, adoleſcentes has

1594. literas apprimè docti, & super mensam orto de hujus libri mendis sermone, ostendissem iis quæ pridem inter legendum, ut fit, ad oram mei codicis adnotaveram: cœperunt vehementer à me contendere, vellem illa ipsa cum studiosis communicare. Quid multa? non antè finem orandi mei fecerunt, quàm exorarunt. Hæc ita accidisse, meque penè invitum, certè ἑκόντα ἀέκοντι θυμῷ horsùm fuisse impulsum, illi ipsi amici mei, quod gaudeo, testimonium mihi apud te perhibebunt. Commodum enim, ut spero & opto, eodem tempore & illi isthuc appellent, & hæc nostra in tuas manus venient. En igitur tibi, Josephe Scaliger, princeps eruditorum, paucorum dierum dicam, an horarum fœtum: quem, etsi ὑπηνέμιον, ausus sum muneri tibi mittere. Nam & gestiebat pridem animus, mei in te amoris atque observantiæ monumentum aliquod in vulgus edere: & me nunc illustris tui nominis patrocinio cùm maximè indigere probè intelligebam. Tu ne auctoritatem defugias, per ego te nostram amicitiam, etiam atque etiam rogo atque obtestor. Debes hoc mihi; Vir nobilissime, debes: qui tuis literis ita me nuper excitasti, ita ἐπτέρωσας, ut si quid in hoc negotio confidentius à me sit admissum: id ego non tam meum quàm tuum judicium sequutus, peccaverim. Quæ ergo ejus generis erunt, ea tu, pro divina illa tua æquanimitate, quæ me non ita pridem in ruborem dedit, excusabis: pro illa singulari eruditione, quâ omnes mortales in tui admirationem rapuisti, corriges: ac, pro tuo, tuique parentis, illius Sophi, more, quæ nobis aliisque sunt incomperta, nos docebis. Deus Optimus Maximus te servet, Μουσηγέτα. Vale: & proximâ fœturâ, si vitam idem Deus, si otium concesserit, Athenæum ac Suetonium à nobis exspecta.

Viro Clarissimo,

PHILIPPO CANAIO,

Fraxineti & Monticuli Domino, Sanctioris Consistorii Regii Consiliario, Germaniæ Exlegato, & in supremo Occitaniæ Senatu Præsidi,

ISAACUS CASAUBONUS

S. D.

(*Suetonio præmissa, edito anno* 1595.)

1595. TRiennium ferme est, Præses clarissime, cùm Suetonii Tranquilli librum secundum in hac schola publicè explicui, in quo negotio ut eâ fide versarer, quam & muneris mei ratio postulabat, & alacritas honestissimorum adolescentium, qui mihi assiduam operam navabant, occasionem nactus sum inquirendi in omnes Historiæ Romanæ partes, paullò quàm fecissem anteà, diligentius. Est enim liber ille, quod te minimè latet, Vir doctissime, ita scriptus, ut frustra sit aliquis speraturus, se eum vel explicare aliis, vel intelligere satis posse, quin omnia omnium Veterum scrinia excusserit, in quibus aliquid lateat, aut ad publicum ejus Reipublicæ statum, aut ad privatam singulorum vitam & mores pertinens. Quod cùm à nobis non segniter sit tentatum, ejus laboris hunc fructum referre visi sumus, ut plurima, quà in Tran-

Tranquillo, quà in aliis generis ejusdem scriptoribus, necdum cuiquam occupata, observaremus. Itaque non destiterunt ex eo agere mecum amici quidam, ut ea colligerem ac publicarem. Quibus tamen ut cederem, non antè inducere in animum potui, quàm exstitisti mihi etiam tu, quando in Germaniam tuo accitu veni, eorum edendi auctor & suasor. Expugnavit propositum meum auctoritas tua, Vir maxime: quæ merito suo tanta apud me est, quanta non temerè alius cujusquam. Cepi igitur ab eo tempore præstantissimi hujus Auctoris edendi consilium: quod sæpe tamen postea, destitutus antiquis exemplaribus, præsidio ad eam rem necessario, abjeci. Enimverò præter omnem spem experti sumus, quod ille ait, --- πείρᾳ θὴν πάντα τελεῖται. Nam unde nunquam existimaram, affulsit nostro huic incepto lux: de quo cùm clarissimum virum, Augustum Thuanum, super cætera decora nostrarum quoque literarum amore & cognitione juxta magnum, scripsissem, impetravit is mihi ab humanissimo doctissimoque Petro Pithœo auxilium libri manuscripti: qui nobis quanto usui fuerit, αὐτὸ δείξει. Adfuerunt mox & alia, tam expetita semper, quàm insperata diu adminicula: quorum suo loco facta à nobis singulatim mentio est. Omnium tamen maximum, ne quid dissimulem, fuit, quod ipsi nobis oleo & operâ nostrâ paravimus: dum enim singula Suetonii cum iis contendimus, quæ apud cæteros scripta leguntur, multis, nisi fallimur, locis lucem fecimus, quam priores Interpretes non fecerant. Quod non eo dico, ut doctissimorum hominum laudibus obtrectem: præstiterunt alii, quantum tempora permiserunt: alii, quantum per diversa studia & occupationes licuit: omnes, quantum potuerunt: quo majus aliquid velle exigere, pars injustitiæ: non vidisse eos omnia, haud ipsorum culpa, sed fatum & lex humanæ naturæ est. Quare neque illi suâ laude fraudandi, neque nobis, aut iis qui nos porro sequentur, aditus ad eandem palmam debuit esse præclusus. *Laus est publica*, inquit ille. Atqui fuerunt, qui rem me facturum dicerent Lævino Torrentio viro clarissimo parum gratam, quòd in ejus messem, ut ajebant, falcem injicerem. Ego verò falli eos persuasum habeo: & neque genium nostrorum scriptorum, neque mores tanti viri nosse: quem ex iis quæ adhuc edidit, novimus non minus candidi pectoris quàm doctum & eruditum. Equidem non tam hujus judicium reformido, quàm aliorum quorundam jejunas expecto querelas, quòd toties velut è via in diverticulum, ad opem ferendam aliis scriptoribus, Græcis maximè, excesserim. Quos tamen scire volumus, si studio factum hoc à nobis esset, potuisse nos facile vel alterum tantum observationum, aut eo amplius adjicere: atque adeò nihil propius factum, quàm ut adderentur & illa. Nam cur oblatam bene merendi de literis occasionem non ambabus arriperem? tempus tantum & otium defuerunt: pleraque enim horum, etsi adnotata pridem in liturariis meis, casu tamen quodam scripta raptim, brevissimo tempore, prælis urgentibus fuerunt. Sed nimirum animos tu faciebas nobis, Præses clarissime. Tuis auspiciis inchoatum, tuis consummatum hoc quicquid est, qualecunque. Ut militem animat in prælia Regis magni præsentia, redditque αὐτὸν αὑτοῦ κρείττω: ita me suavissima tui recordatio alacrem, & semper recentem. Sperabam quidem tuorum in me maximorum meritorum, & meæ summæ in te observantiæ Polybium potius fore apud omnes interpretem: sed cùm nimis spissè variis de caussis, quæ non erant τῶν ἐπ' ἐμοὶ, procederet id operis: memor esse ἄνθρωπον σκιᾶς ὄναρ, & bullam, non potui diutius debere tibi hanc grati animi mei testationem: quæ ut in plurimorum manus veniret, meæ intererat pietatis: id verò à scriptore Græco, in hoc studiorum tanto frigore & quasi senecta, expectare non poteram. Paucos enim habes, Vir doctissime, tui similes: qui Græcum ser- 1595.

1595. monem ita amas, ut nemo magis: ita calles, & quoties lubet usurpas, ut vix pauci. Dico audenter, neque vereor, ne ludibrium propterea cuiquam debiturus sim: habeo enim judicii hujus mei obsidem, volumen epistolarum tuarum, Deus bone, quâ elegantiâ scriptarum! quantâ eruditionis copiâ refertarum! Sanè qui disciplinam Juris, qui mysteria Philosophiæ Aristoteleæ mirabili solertiâ scrutetur, eum non linguæ tantùm, sed literarum quoque Græcarum omnium peritissimum esse, πᾶσα ἀνάγκη· tua quanta sit in utroque genere præstantia, & sciunt omnes eruditi, qui te norunt: & testantur doctissima scripta, quibus æternitati nomen tuum commendasti. Nolo verecundiam oris tui commemoratione cæterarum laudum tuarum onerare: de quibus si dicere aggrediar,

τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω;

Nam opes quidem avitas, & honores quos sub duobus maximis Regibus obiisti summos, facile prætermitto: tua enim propriè illa non sunt. Tuæ sunt illæ eximiæ animi dotes, quibus excellis: pietas, prudentia, fortitudo, cujus & in publicis sæpe, & in privatis periculis nonnunquam specimen dedisti, & illa animi altitudo, quæ in utraque fortuna te semper eundem præstitit. Ista sunt verè tua, verè bona, verè divina: sunt enim à Deo, qui hanc, ut dicam cum Alexandrino Clemente, ἐνέσταξέ σοι ἀπόῤῥοιαν θεϊκήν. His ut fruaris quàm diutissimè, utarisque ad publicam patriæ salutem, Musarum patrocinium, tuum tuorumque decus, supplex Deum Opt. Max. etiam & etiam veneror. Vale, Præses clarissime, & me usu & mancupio tuum ama,

O & præsidium, & dulce decus meum.

E Museo meo, *a. d.* VII. *Eid. Augusti*, CIↃ IↃ XCV.

Amplissimo Viro,

PHILIPPO CANAIO,

DOM. A' FRAXINIS, & MONTICULO, Sanctioris Consistorii Regii Consiliario, Germaniæ Exlegato, & in supremo Occitaniæ Senatu Præsidi,

ISAACUS CASAUBONUS

S. D.

(*Præfixa Appendiculæ Animadversionum in Suetonium, editæ anno* 1596.)

1596. LIbros Suetonii Tranquilli de XII. Cæsaribus, cursim relegi, Præses amplissime, per hos dies: simul spicas in iis pauculas legi anno invisas nobis, cum nova pumice expolitos ad te eos misimus. Quòd tunc ista nos fugerint, non mirabitur paullò quisquam judex æquior. Nemo enim homo natus, tam sollicitè diligens unquam fuit, qui in ubere messe nullum relinqueret spicilegium: nemo unquam ita Lynceus, qui, in hoc præsertim literarum genere, cuncta semel perlideret. Sed & posteriorem semper diem prioris esse magistrum, oraculum est, non dictum majorum: Naturæ ipsius, non

non hominum scitum. Taceo quòd superior illa editio properanda mihi necessariò potius, quàm maturanda fuit. At esse tam pauca etiam nunc adjecta nobis, miraberis fortasse tu, qui plura his & graviora potuisse addi, pro tua singulari eruditione intelligis. Sed nos cùm hæc scribebamus, ita habebat occupatos atque exercitos Athenæi recensio, quam virorum doctissimorum hortatu suscepimus, ut alio mihi apud te patrono hoc tempore, quàm Athenæo, non sit opus. Is mihi, scio, facile à te impetraverit, ut quo vultu priorem editionem suscepisti, eodem hanc quoque parvam tantisper digneris, dum augustior alia tibi à nobis paratur. Feres igitur animo non iniquo, Canai, decus nostrum, exstare in Monetæ Filiarum Sacrario hanc quoque, licet exiguam, & indicaturæ sanè quàm tenuis, inscriptam nomen tuum tabellam. Esto summæ illius admirationis, quam eximia illa tua atque excellens virtus pridem mihi expressit, etiam istud cuicuimodi apud posteros testimonium. Sic voveo; sic spero: sic meritum certè est tuum. Vale. *Aug. 1596.* 1596.

P R Æ F A T I O

præfixa Animadversionibus in

MONUMENTUM ANCYRANUM,

vulgò Suetonio adjectum.

Vivo Augusto aras & templa fuisse in provinciis posita, testantur & historici, & alia prisci ævi monumenta. Primus ipse hoc in honorem patris sui vel imperaverat, vel petentibus concesserat, ut est apud Dionem lib. LI. *Quod postquam semel institutum est, pleræque provinciæ exemplum secutæ, pro magno beneficio postularunt sibi jus dari aræ ponendæ, aut templi, in aliqua suarum urbium, ubi communi nomine populi totius provinciæ honoris ejus causâ, & sacra facerent & ludos ederent: talis in Gallia Lugdunensis ara, ad quam sexaginta populos convenire solitos refert Strabo: talis in altera Galliæ parte ara Narbonensis, & in aliis provinciis aliæ, tum Augusto, tum Julio Cæsari positæ: tanto quidem studio & adulatione, ut earum urbium incolæ, quæ hujusmodi templa apud se haberent, non alio magis nomine superbirent, quàm quòd essent istorum* νεοφύτων *numinum æditui: quemadmodum olim in Senatu Romano Lætorium esse locutum, refert Suetonius libro* II. *capite* V. *Sic interpretor veteres illos nummos in quibus extat vox* ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *cujusmodi sunt cùm alii, tùm isti:* ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ ΣΕΒΑΣΤΑ ΝΕΩΚΟΡ. ΙΟΥΛΙΟΣ ΘΕΟΣ & ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Antiquarii, quorum diligentiæ & industriæ plurimum debemus, falsò existimant, in hujusmodi nummis vocem* νεωκόρος *idem significare ac* νεόκτιστος: *quæ Græci sermonis imperitia pluribus arguenda non est. Sunt etiam nummi, in quibus adjecta particula* δὶς, *ut:* ΚΝΩΣΙΕΩΝ, ΔΙΣΝΕΩΚΟΡΩΝ, & ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ ΔΙΣΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Eâ voculâ putem (si ullus in re perobscura conjecturæ locus) geminum templum notari, alterum D. Julio, alterum D. Augusto sacrum. Porro inter alias urbes quæ maturè templum Augusto extruxerunt, urbs Ancyræ fuit. Nam ibi divinos honores Augusto vivo fuisse exhibitos, testis ipse in Edicto, quod refert Josephus, Originum lib.* XVI. *cap.* X. *Verba Edicti sunt:* τό τε ψήφισμα τὸ δοθέν μοι ὑπ' αὐτῶν ὑπὲρ τῆς ἐμῆς εὐσεβείας, ἧς ἔχω πρὸς πάντας ἀνθρώπους, καὶ ὑπὲρ Καΐου Μαρκίου Κηνσωρίνου, καὶ τοῦτο

τὸ διάταγμα κελεύω ἀνατεθῆναι ἐν ἐπισημοτάτῳ τόπῳ γενηθέντι μοι (*malim* ἀνατεθέντι μοι) ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῆς Ἀσίας ἐν Ἀγκύρῃ· ἐὰν δέ τις παραβῇ τι τῶν προειρημένων, δώσει δίκην οὐ μετρίαν· ἐστηλογραφήθη ἐν τῷ Καίσαρος ναῷ. *Vulgò legitur in Josephi codd.* ἐν ἀργύρῃ: *nullo sensu. Quare etiam Rufinus, Josephi vetus interpres, ea verba omisit. Sed docuit nos in magno opere De Emendatione Temporum Josephus Scaliger, unicum literarum decus, legendum esse,* Ἀγκύρῃ: *quâ conjecturâ meo judicio nihil certius. Etsi subit mirari, cur commune Asiæ ei potius civitati illum honorem habuerit, quàm Ephesο, quæ erat per illa tempora* πρόσχημα, *& velut metropolis Asiæ. At Ancyra non Asiæ, sed Galatiæ tantùm metropolis erat. Sed causa fortasse fuit, quòd Augustus peculiari curâ & amore hanc urbem prosequeretur. Reperio enim, etiam conditorem Ancyræ Augustum fuisse: cujus rei auctorem habeo Johannem Tzetzem, qui id narrat Chiliade primâ, capite de Mida. Olim non totius Galatiæ, sed partis tantùm Tectosagum metropolis ea urbs fuit: verùm postquam tota Galatia per Augustum in unam provinciam est redacta, totius Galatiæ caput esse cœpit: quod non ex Strabone discas, quem mirari satis non possum, tam levem harum rerum fecisse mentionem: sed ex ista veteri inscriptione, quam Romæ extare, testimonio doctorum virorum discimus.*

Λ. ΦΑΒΙΟΝ
ΚΕΙΛΩΝΑ
ΤΟΝ. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΕΠΑΡΧΟΝ ΡΩΜΗΣ.
ΥΠΑΤΟΝ. ΤΟ. Β.
Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ
ΤΗΣ. ΓΑΛΑΤΙΑΣ.
ΑΝΚΥΡΑ
ΤΟΝ ΕΑΥΤΗΣ
ΠΡΟΣΤΑΤΗΝ

Hinc est quod legimus apud Suidam, Ancyranos *dictos esse, qui olim appellabantur* Ἑλληνογαλάται. *Auctor Itinerarii antiquissimi, à Petro Pithœo editi, hanc urbem nunquam Ancyram, simpliciter; sed semper cum adjectione, Ancyram Galatiam, aut Galatiæ nominat. Similiter & Græci,* Ἄγκυραν τῆς Γαλατίας, *ut apud Epiphanium libro* III. *in Marcello Ancyrano: vel unâ voce,* Ἀγκυρογαλατίαν, *ut apud Athanasium in epistola quadam Patrum Sardicensium. Mortuo Augusto, quin multa ambitiosè decreta in ejus honorem fuerint & Ancyræ, & in aliis plerisque oppidis provinciarum, nemo dubitabit qui eorum temporum adulationes noverit. Tunc temporis videntur Ancyrani & petiisse & impetrasse à Senatu facultatem transferendi in templum Augusti, quod in ipsorum urbe erat, hunc rerum gestarum ejus indicem: quem manu Græcorum, linguæ Latinæ prorsus imperitorum, fuisse vel Romæ descriptum, vel posteà sculptum, res clamat ipsa: adeò multa sunt perperam & contra omnem Latinitatem expressa. Multa in hoc nobilissimo vetustatis monumento nuper eruditè animadversa sunt ab eruditissimo clarissimoque viro Justo Lipsio: conabimur & nos aliquam illi lucem ex historia adferre.*

HENRICO

HENRICO IV.

Christianissimo Galliarum Regi & Navarræ,

ISAACUS CASAUBONUS

S. D.



(Præfixa Animadversionibus in Athenæum, editis anno 1600. in Folio.)

ANIMADVERSIONES nostras in Athenæum, Græcorum ferè doctissimum scriptorem, ausus sum, Rex Christianissime, Majestati Tuæ consecrare. Ut auderem, multa me, præter eximiam lenitatem tuam omnibus cognitam, impulerunt. Opus est laboriosissimum: Tu non Principum modò, sed prope dixerim mortalium qui sunt, qui unquam fuerunt, laboris patientissimus, amantissimus. Ad lucem & rerum & morum antiquorum scriptum est: Tua Majestas quanti cognitionem antiquitatis penderet, cùm aliis claris testimoniis sæpè, tùm insigni nuper palàm fecit: cùm me viris amplissimis qui tuum consilium participant, de hoc studio notum, Lutetiam accivit, liberali stipendio donavit, marcentem ad spem meliorum erexit. Emendationem denique Opus nostrum profitetur auctoris magni, à vetustate miris modis deformati: Tua Majestas pace domi forisque partâ, virtute Dei, tuâ invictâ dexterâ, in eam nunc curam toto pectore incumbit, ut quicquid in Regno tuo superiorum temporum licentia depravavit, emendet, reformet, instauret. Hæ sunt cogitationes, quæ cœlestem animum tuum dies noctesque exercent. Et meritò, Rex maxime. Pater enim Patriæ & diceris, consentientibus omnibus omnium ordinum vocibus; & es revera. Nam quis ille paterfamilias, cui suorum liberorum fortunæ majori sint curæ, quàm tuorum tibi subditorum? Cui verò homini privato ita nota sunt domûs suæ negotia, ut tibi omneis Regni tui, maximæ, minimæ partes? Et jam tu quidem, magne Rex, in ordinatione Reipublicæ tantum paucis annis promovisti, quantum vix multis fortasse lustris alius: nondum tamen, licet tot fessus præliis, tot inclytus victoriis, ad otium & quietem, ut natura fert hominum, converteris. Quin difficiliora in dies, majora, & meliora, moliris, aggrederis, exequeris. Ibit igitur in annaleis, Rex potentissime, unum te à multis retrò seculis extitisse, cujus mens ignea pari curâ ac felicitate belli munia, & pacis artes atque ornamenta coleret. O laudem etiam melioribus seculis, nedum isto ferreo, & magnarum animarum sterilissimo, raram atque inusitatam! Nec mirum: diversissima enim est ad utramque sectam via: dissimilis natura mentium: discrepantes pacis bellique rationes. Non replicabo ambitiosè veterum aut recentium temporum monumenta, ut dicto faciam fidem. Sed profectò ita est: cùm omnia evolverimus, vix Principum millesimus quisque invenietur, domi militiæque juxta bonus. Enituit aliquis in bello? at obsolevit idem in pace. Alius in ista excelluit? at bellandi idem imperitus. Tua Majestas res olim dissociabiles, prudentiam civilem, & militaris rei scientiam miscuit, ac novo exemplo temperavit. Sed bellicas laudes tuas æternitate dignissimas, tacere malo quàm attaminare. Magnitudo quidem rerum à te gestarum ea est, ut celeberrimus quisque ingenio ad prodendam fortitudinis 1600.

1600. tuæ memoriam sine gratia aut ambitione, bonæ tantùm conscientiæ pretio, pelliciatur. Clementiam verò tuam, propriam & peculiarem tibi virtutem, silentio transire, nefas ingens ducimus. Nam cujus miraculi est, bellatorem tantum, armis & præliis innutritum, stillam cruoris humani nullam unquam nisi in acie fudisse? ibi quoque vel insensissimis hostium, herbam modò porrigerent, semper libentissimè pepercisse? vitam cùm multis hominum millibus dederis, nemini unquam exprobrasse? eâ denique moderatione constanter usum, facile ut omnibus appareat, oblivionem te belli civilis malle quàm gloriam? Quamobrem, magne Heros, tantæ virtutis hoc à Deo præmium tulisti, ut nutans, & prope jam collapsum tuum & majorum tuorum Regnum in suam sedem restitueres, stabilires, & altioribus in posterum radicibus, (quantum quidem humanis consiliis potest provideri) fundares. Quid dicam de fama nominis tui, quâ orbem terrarum universum dudum implêsti? Narrant rerum Romanarum auctores, Augustum, Principem divinitùs ad maxima electum, post Janum clausum, mirâ lenitate & æquitate imperantem, moderationis hujus famâ Parthos, veteres Romanorum hostes, ita cepisse, ut signa militaria, quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant, reposcenti redderent. Quid posteri de Tua Majestate, Rex augustissime, dicturi sunt? cujus fama tantum apud potentissimum Hispaniarum Regem, Philippum, illum tot regnorum eversorem, valuit, ut non signorum inutilium, sed urbium munitissimarum redditione tuam amicitiam sibi suisque judicaverit redimendam. Nam quod pro magno in iisdem legimus historiis, Nationes exteras amicitiam Augusti expetentes, Legatos undique Romam misisse? quis miretur adeò, qui sciat quâ magnificentiâ, quo comitatu magnus Allobrogum Dynasta, admiratione tuarum virtutum excitus, usque inde è finibus Italiæ & Alpium radicibus ad Regiam tuam nuper sit profectus? Dies me deficiat, imò & annus, si decora sigillatim tua recensere instituam. Sed enim, Rex maxime, tot palmis, tot lauris, tot coronis, unus adhuc ut accedat titulus, OBSERVATAS, ET PRISTINO SPLENDORI RESTITUTAS MUSAS, omnes qui literarum puritatem amamus, vota assiduè facimus, & ab indulgentia tua petimus, expetimus, ac (*si fas dicere: sed fas.*) exigimus. Misereare, ô Pacis & Innocentiæ magne Vindex, amicissimas pacis & innocentissimas Divas. Patieris, Princeps benignissime, jacere æternùm tuam illam Academiam, clarissimum quondam non solùm Galliarum, sed totius Europæ lumen? Patieris, doctissimos viros, qui se illi suamque operam addixerunt, opem tuam diutius desiderare? Patieris ut ventura secula, postquam ingentes illas substructionum moles, & nitentia marmore, auroque radiata palatia, quæque in Urbe, quæque alibi, tot simul locis regiis planè impensis à Majestate Tua excitantur, fuerint mirata, caussam spretæ à te Academiæ tuæ possint requirere? Ne hoc Deus immortalis sirit. Illum nos, Rex invictissime, ut quàm diutissimè Majestatem Tuam salvam atque incolumem præstet; utque tua omnia consilia fortunet, & ad gratum sibi, gloriosum tibi, utilem tuis finem dirigat, supplices, quantâ maximâ possumus pietate oramus, obsecramus, obtestamur. Exaudi, Deus Opt. Max. & sidus hoc, quod præcipitato in profundum, ac demerso in tenebras orbi Gallico refulsit, velis perlucere. Scripsi *Lugduni*, in ædibus viri Tuæ Majestati addictissimi, Merici de Vicque, veteris Musarum nostrarum hospitis, *a. d.* XVII. *Kalend. Augusti*, CIƆ IƆ C.

PRÆ-

PRÆFATIO

præfixa Animadversionibus in

ATHENÆUM.

AD LECTOREM.

VETUS est eruditorum querela, candide Lector, mendis deformibus Antiquorum scatere monumenta. 1600. Questi sunt & sæpe & graviter de hoc studiorum malo accuratiores omnium ætatum Philologi, Historici, Philosophi, Medici, Juris periti, & beati etiam Patres: atque uno verbo, sicut alibi clarè ostendimus, quicunque ferè apud Hebræos, Græcos & Latinos, ab annis retrò bis mille & amplius, cum judicio pariter & amore veritatis, in literarum studiis sunt versati. Nimirum ita res habet: hominis & omnium humanorum operum, quà corporis, quà ingenii, siremps lex est. Nascitur ille & denascitur: sexcentis intereà valetudinis adversæ incommodis, aliisque casibus obnoxius. Scias & in istis usu idem venire. Itaque cùm ex infinita prope veterum scriptorum copia oppidò pauci interitum effugêre: tum horum plerique sic laceri, sic corrupti, sic mendis deturpati, vix ut ipsi in suis scriptis, si virgulâ, ut ajunt, divinâ huic luci fuerint redditi, sese sint agnituri. Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas. Misera profectò res, & sapientiæ studiosis vel veris lacrymis deflenda. Unde enim nobis eruditio parabilis, unde cognitio disciplinarum, unde totius præteriti temporis notitia, nisi ex libris Antiquorum? Iis si utimur depravatis, quid superest aliud, nisi ut Ixioni similes, umbram pro re, errorem pro scientia, falsum pro vero amplectamur? Ut planè ridiculi sint, qui emendatone an inemendato libro utantur, sua nihil putant interesse. Isti sunt, partim Democriti populares, & Arcades βαλανηφάγοι; partim vitiligatores, literas perversè docti, divinæ Critices (legitimam intelligo, non istam volgivagam, & ut loquitur Tertullianus, passivam) hostes & contemtores: quorum fatuitatem aut κακοήθειαν tot locis magnus Galenus tam acriter est insectatus. Nos autem in eo libro, quem accuratissimâ diligentiâ de Critica fecimus, plurimos in vitam errores ab hoc fonte manasse, vero vicimus. Sed studii hujus necessitatem Hebræorum Doctores verbo indicant, qui Legis divinæ, (quanto igitur meliore jure humanorum scriptorum?) sepem esse Criticam, non minus verè quàm eleganter pronunciant. Enimverò, Lector, ex omnibus illis, quorum ad nos scripta pervenerunt, nullus est, quantum equidem memoriâ repeto, qui à vetustate pejùs aut crudeliùs fuerit acceptus, quàm Naucratita ATHENÆUS: scriptor verè πολυμαθέστατος, verè undecunque doctissimus; &, ut paucis multa complectamur, Græcorum Varro aut Plinius. Hujus igitur tam eruditi auctoris luculentissima scripta priorum seculorum barbaries ita vexavit, ut nondum statuerim, magis gaudendumne studiosis fuerit, non penitùs illa intercidisse; an dolendum, quòd sic affecta ad nos sint transmissa. Parum fuit caput misero præcidisse & pedes: priores videlicet libros duos, cum tertii principio, & maxima ultimi parte: adjecta est artuum aliquot laxatio: in ipsum denique truncum ita sævitum, ut soricinâ næniâ confessiorem eum nobis reliquerint. En temporum illorum immanitatem, quibus omnis humanitas, & meliores literæ ignorabantur: nedum ut Critices hominibus illis ullus superesset sensus. Posteà verò quàm singulari

1600. *Dei beneficio in Europam literæ sunt postliminio reductæ ; serius quidem, sed tamen extitêre tandem cordati viri, qui Athenæi alius editione, alius versione iter ad famam affectarent. Anno demùm M. D. XIV. Aldus ille, cui vitam multi scriptores Græci debent, è tenebris illum in lucem produxit, adjutus à Musuro Cretensi. Fatendum verò quod negari non potest, viros solertissimos & doctissimos neque in exemplaribus nanciscendis felices fuisse, neque in editionis suæ emendatione nimis accuratos. Et tamen Musuri diligentiam seriò commendat Aldus. Quales igitur fuisse dicemus eos codices, quibus ille est usus, cùm eorum comparatione Aldina editio emendatissima censeri mereretur? Secuta est post annos viginti Basiliensis editio. Hanc concinnarunt Jacobus Bedrotus & Christianus Herlinus ; ambo, opinor, juvenes Germani: qui etsi à librorum præsidio imparati, neque multò fortasse minus ab idonea eruditione, oneri subierunt viribus suis impari; vel solo tamen bene de literis merendi studio, qui posteritati ostendantur, non sunt indigni. Sed enim destitutum libris melioribus ad Aldini exemplaris emendationem accedere ; hoc verò erat, sine navigio mare magnum velle transmittere. Quemadmodum autem horum conatus manu exaratorum inopiâ in nervum erupit: sic illum Venetum, qui ante omneis alios, (nam de Sanga Romano vereor ut credendum sit Paulo Jovio,) Latinum fecit Athenæum, Criticæ imperitia toto opere plus quàm pueriliter coëgit ineptire. Quamobrem, etsi erat ille vir non indoctus, quod alia ipsius testantur scripta, versio tamen edita ab eo est, adeò nullius frugis, aut tam exiguæ, ut præter egregiæ voluntatis testimonium, nihil penitus inde laudis reportarit. Non multò pòst provinciam eandem celeberrimi nominis in hac frequentissima urbe Medicus, Jacobus Dalecampius suscepit, cui viro eruditissimo, si tantum otii ad hanc ornandam Spartam quotidiana ægrorum imperia concessissent, quantum fuit in ipso* φιλοπονίας *& amoris erga literas; non dubitamus, & meliorem & accuratiorem interpretationem potuisse ab eo sperari. Etsi memoriâ tenemus, dixisse illum aliquando nobis, huic potissimum curæ, per annos paulò minus triginta, omnia se temporum successiva donasse. Cæterùm quàm feliciter hoc negotium viro optimo successerit,* ANIMADVERSIONUM *nostrarum libri isti palàm facient. Quod tamen opus, candide Lector, scibis non eâ fine institutum à nobis, ut in versiones interpretum curiosè inquireremus. Neque enim ii nos sumus, qui alieni nominis obtrectatione famam aucupemur. Apage hanc ab iis protervitatem, qui Virtuti sacramento dixerunt, quique veræ laudi cupiunt litare. Equidem semper potius duxi mea peccata corrigere, quàm aliena indagare. Sed nec Commentarios in Athenæum scribere consilium nobis: vel quia propter abundantiam materiæ in immensum erat opus excreturum; vel quia minus id esse necessarium, nec nimis difficile in hac literarum luce, semper judicavimus. Nobis, mi Lector, cùm huic scriptioni manum admoliremur, hic præcipuus scopus ob oculos fuit, ut quæ erant in Athenæo obscuriora, necdum cuiquam illustrata, ipsi iremus illustratum: quæ vitio librariorum corrupta multa, quorum interpretibus ne subolevisse quidem videbamus, ipsi pro virili corrigeremus. Id verò inceptum quantis laboribus, quantis molestiis nobis constiterit, frustra tibi narrare instituam, nisi periculum ipse studii hujus fecisti. Porrò cùm emendandi veteres auctores duplex sit via; è libris, & ex ingenio: utramque nos viam in corrigendo Athenæo institimus. Priorem quidem ante annos quatuor, cum impulsu optimi atque amicissimi Hieronymi Commelini, eam editionem adornavimus, quæ paulò ante immaturum, & studiosis luctuosum illius viri obitum ex ipsius officina prodiit. Neque levis, neque parum huic auctori*

auctori utilis, opera illa nostra extitit. Collatâ enim editione Basiliensi cum 1600.
puca scriptorum codicum copia, quæ tum erat ad manum, multa primi publicavimus, antehàc Græcè edita nunquam: plurima item emendavimus, in prioribus editionibus corruptissima; partim librorum secuti auctoritatem, partim certas, & omnibus manifestas rationes. Fuit prætereà animus, editioni illi breves Notas adjicere: & hoc amplius, omnium auctorum, librorum, & dramatum ab Athenæo laudatorum, accuratam descriptionem: quam dudum ad lucem non Athenæi tantùm (nihil enim ubique titulis librorum & fabularum corruptius) paraveramus. Migratio nostra ex Allobrogum finibus in Galliam eodem tempore instituta, & ne illa tum à nobis adjicerentur impediit, & ut aliquantò inemendatior ea editio prodiret, fuit in caussa. Hæc igitur nos jam antè è libris. At longè operosior altera est ratio, quam sumus hîc secuti. Priore illâ operâ vulgatas editiones è veteribus libris auximus & emendavimus: posteriore hac & vulgatorum, & manu etiam scriptorum codicum lectionem ad rectæ rationis obrussam exegimus. Nam in scriptis exemplaribus vel antiquissimæ manus, πολλὰ μὲν ἐσθλά, πολλὰ δὲ λυγρά. *Itaque in illis tractandis judicio magno opus, magnâ eruditione, nec mediocri usu: quæ tria Criticum illum* γόνιμον *perficiunt, alibi nobis informandum. Qui autem codicum vetustatem, præsertim consentientium, recti argumentum & normam ubique certam esse arbitrantur; audiant illi Criticorum non minus quàm Medicorum principem Galenum, qui in tertio De Difficultate Respirationis, cùm de Hippocratei loci cujusdam vera lectione disputaret:* τις τῶν παλαιῶν, *ait,* βιβλιογράφων ἥμαρτεν· ἐπειδ' οὕτως ἔχον ἔφθασεν ἐκδοθῆναι τὸ βιβλίον ἐφυλάχθη τὸ εἰκότως μέχρι δεῦρο τοῦτο τὸ σφάλμα. Jam olim, *inquit*, librariorum aliquis locum corrupit: deinde edito libro cum illo errore, non mirum servatum esse mendum usque adhuc. *Caussas posteà servati erroris tamdiu affert istas:* τινῶν μὲν ὀλιγώρως ὁμιλούντων τοῖς τῶν παλαιῶν βιβλίοις, ὡς μήτ' εἰ λείπει τι, μήτ' εἰ δὲ ἐπὶ γράμματος εἴρηται γνωρίζειν, ἐνίων δὲ γνωριζόντων μὲν, ἀλλὰ προσθεῖναι τὸ λοιπὸν οὐ τολμώντων. *Et ita est: librariorum culpâ & doctorum incuriâ atque ignaviâ factum, ut semel commissa in antiquissimis codicibus peccata in omnia deinceps exemplaria propagarentur, ac per multa secula constanter servarentur. Plura alibi Galenus de genere isto mendarum; quas Philemon, Criticus vetustissimus, appellat* τὰς ἐν τοῖς ἀντιγράφοις ἐμμεμενηκυίας ἡμαρτημένας γραφάς. *Nihil ergo mirum, plenum esse hujus generis mendorum, quantum extat hodie Athenæi exemplarium. Quæ quidem è duobus inter se jam olim diversis omnia esse transfusa & descripta observavimus. Ab eorum altero manavit Aldinum illud, de quo diximus: cui per omnia ferè simile est Palatinum, quod in Heidelbergensi Bibliotheca Illustrissimi Principis asservatur: item aliud, cujus nobis vir amplissimus, Regi ab intimis Consiliis, Andreas Huraldus Messæus copiam fecit. At longè istis tribus, & aliis omnibus quæ ab eodem exemplo sunt orta, & emendatius & integrius illud est, quod in celebratissima Cardinalis Farnesii Bibliotheca habetur. Ei libro acceptum ferre debes quicquid in prioribus desideratum, exhibet nostra editio: multas autem voces, multas periodos integras, interdum etiam plures, singulis prope paginis adjecimus. Ut taceam de insigni fragmento libri ultimi, quod ante nos Gulielmus Canterus indidem nactus publicaverat. Parilem huic codicem etiam in Vaticana Romæ servari accepimus. Nostra editio Farnesianum ferè exhibet, repræsentatum nobis à clarissimo viro Henrico Stephano; qui ante annos fermè quinquaginta, cùm Romæ esset, accuratissimè omnes varietates scripturæ ad oram sui codicis adnotaverat. Idem fecerat paucis ante Stephanum annis & Benedictus Ægius Spoletinus, qui temporibus illis Romæ inter peritissimos*

ritissimos

1600. *ritissimos Græcarum literarum est habitus. Ejus etiam codicem vidimus nos inter alios neutiquam vulgares Petri Gelasii Hispani libros. Fecerunt idem posteà & alii item multi. Itaque Farnesianas illas Notas passim reperias in eruditorum bibliothecis, non solum Italorum, sed & Cisalpinorum. Habuit eas uterque interpres: habuit & vir eximius Conradus Gesnerus, cujus librum doctissimi Gasparis Wolfii operâ nacti sumus. Easdem & nobilissimus, studiorumque nostrorum studiosissimus, Marcus Velserus Augustâ Vindelicorum ad nos misit, ab Andrea Schotto, altæ eruditionis viro, secum communicatas. Hæc igitur omnia exemplaria, sicut modò dicebamus, mendis inquinata sunt: adeò vetustis, ut ante Eustathium & eo priorem Excerptorum auctorem, qui multas illarum retinent, sint natæ: adeò non facilibus ad emendandum, ut eruditus vir, qui ante multa secula Epitomen illam confecit, fateatur ingenuè, multa se, quòd essent corrupta, missa facere:* τοῦτο, *ait ille non semel,* ἐπεὶ ἔσφαλται οὐ μετέγραψα. *Non igitur hodie atque heri cœpti sunt Athenæi codices depravati circumferri; verùm ante annos quingentos, & amplius. Atqui non desunt, quibus tantam esse mendarum, quæ bonos auctores obsident, antiquitatem, ægrè persuaseris. Sicut anno accedit: orto enim super mensam apud amplissimum & præstantissimum virum Mericum de Vicq sermone de illa paginarum aliquot transpositione, quam in omnibus libris commissam, neque auctori Epitomes, neque interpretibus animadversam, libro quarto primi observavimus; mirari qui aderant viri doctrinâ judicioque præstantes, & multa de auctoritate manu exaratorum differere. Clara res tamen est, certisque argumentis à nobis probata. Inter antiquissimas veterum librorum corruptelas, trajectiones sunt hujuscemodi. Jam olim Critici antiquissimi, quorum extant in Homerum & Hippocratem observationes, corruptos hoc vitii genere locos multos adnotarunt. Sed & ætatis nostræ docti viri similia peccata in multis libris deprehenderunt. Vel unus ille Hercules Musarum, Josephus Scaliger, quàm multa apud Tibullum, Propertium, & Manilium mirè perturbata, nitori pristino hac ratione restituit? qui etiam superioribus mensibus de illa Athenæi luxatione per literas nos monuit. Ac licet multò antè idem nobis fuerat observatum, mirificè tamen vir incomparabilis hoc sui judicii indicio & delectavit nos, & in sententia confirmavit. Utinam & cæteris omnibus conjecturis nostris eadem ubique* ἐνεργεία. *Atenim, candide Lector, cùm in genere omni literarum, tùm in studio maximè critico verissimum Galeni dictum:* χαλεπὸν ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς· τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίναντα, τὰ δὲ ἀμελέστερον γράψαντα. *Nos verò & homines sumus, & occupati: adeò quidem, ut temporis totius, quod ab instituto opere est lapsum, partem multò maximam frequentes* ἀποδημίαι *nobis surripuerint. Ut alia sileam studiorum nostrorum gravissima damna. Sed non morabor te pluribus; neque committam, ut æquitati tuæ diffisus possim videri. Vale, candide Lector: & Prolegomena nostra, quibus de Athenæo, operisque hujus argumento prolixè actum est; necnon de convivatore Larensi, & omnibus convivis, quia casu quodam edi nunc non sunt quita, brevi, cum Deo. Iterum vale.* Lugduni Segusianorum.

PRO-

PROLEGOMENA

praefixa Notis ac Emendationibus in

HISTORIÆ AUGUSTÆ SCRIPTORES.

ILLUSTRIUM *virorum vitas literis mandare, & antiquissimum institutum est, & cùm ad instruendam præclaris exemplis vitam adprimè utile; tùm etiam ad Historiæ ipsius omnes numeros explendos, planè res necessaria. Est enim Historia nihil aliud, nisi Philosophia quædam exemplis utens, ut antiqui Sapientes pronuntiarunt. Illa autem non Respublicas tantùm instituit, legibusque ornat; verùm mores quoque singulorum suis præceptis separatim informat. Quemadmodum igitur Annales, & quæ de publicis rebus scriptæ sunt Historiæ* τῷ πολιτικῷ τῆς φιλοσοφίας μέρει *sunt* ἀντίστροφοι· *ita* τῷ ἠθικῷ *vitæ singulorum; utique privatorum, & eorum hominum, quos vel sapientia, vel literarum, aut scientiæ civilis, militarisve rei, aut cujuscunque alîus peritia insignis, aut casus denique aliquis, fecit illustres, & dignos qui posteris narrarentur. At qui virorum principum vitas composuerunt, necessariò duos quasi parietes de una fidelia dealbantes, mixtam scriptionem ediderunt, non* τῷ ἠθικῷ *solùm* τῆς φιλοσοφίας εἴδει, *sed etiam* τῷ πολιτικῷ ἀντιστρέφουσαν. *Neque enim Imperatoris alicujus aut Regis vitam ad plenum possis explicare, ut non de Republica simul agas, cujus ille velut anima est ac forma. Quamobrem omnium generis hujus scriptionum duæ sunt* ὁλοσχερεῖς *partes; publicè gesta, & privatim: sive, ut loquitur Suetonius, qualis quisque fuerit in imperio; & interior ac familiaris vita. In harum duarum partium temperamento vario positam ferè videas differentiam præcipuam, quæ inter Historiæ Augustæ veteres Scriptores potêst observari: quippe alii, quæ ad publicæ rei statum spectabant, susceperunt* περιγεγραμμένως *dicenda; quæ propriè ad Principem,* κατὰ δεύτερον καὶ προηγητικὸν λόγον, *ut dicerent Stoici: aliis contrà, præcipua cura & operis potior pars Princeps ipse, quæque ad illius originem, educationem, mores, gestas res, & mortem pertinent: Respublica,* κατ' ἐπακολούθημα *illis attingitur, & quasi per occasionem. Priorem viam ingressi sunt Cornelius Tacitus, Dio Cassius, (Xiphilinus enim Dionis umbram exhibet, non Dionem:) Herodianus, Ammianus Marcellinus, & similes: posteriorem, Suetonius Tranquillus, & alii olim quàm plurimi, qui è re libros suos* Vitas Cæsarum, *sive* de Cæsaribus *inscripserunt: nam illi priores monumenta sua* Historias *vel* Annales *jure dixerunt. Utriusque generis auctores non malè* Historiæ Augustæ Scriptores *appellaveris: quomodo Vopiscus Cornelium Tacitum nominat: nec multò aliter Herodianus opus suum,* ἱστορίαν βασιλείας Κομμόδου *vel* Σεβήρου. *Possis etiam,* Cæsareorum temporum Scriptores: *qui titulus apud eundem Vopiscum in Aureliano legitur: qui etiam in Probo cùm ita scribit, imitatum se Suetonium* in vita Principum & temporibus disserendis, *partem utramque hujusmodi Historiarum, de qua modò dicebamus, distinctè expressit. Ad posterius referri genus debent sex* βιογράφοι *Cæsarum hi, quos simul pridem jungi suetos, simul nunc edimus. Ante aliquot retrò secula factum, ut veteris Historiæ Romanorum Principum studiosus aliquis hoc corpus concinnaret, Suetoniano operi subnectendum: quod & exinde obtinuit. Antiquitatem ejus Critici ex eo conjicimus, quòd illius adhuc ætate integra horum omnium opera extarent: quorum hodie tantùm videmus superesse, quantum illi placitum. Periisse autem jam olim cætera scriptorum istorum omnia, argumento illud* 1603.

est,

1603. *est, quòd in tanta* χειρογράφων *copia, qui Ecclesiæ & Imperii tempora unâ operâ descripserunt, neminem adhuc invenimus, qui cujusquam istorum aliud quid præter contenta hoc volumine laudaret. Scripserant autem, (instituerant quidem certè) quatuor ex his,* Ælius Spartianus, Julius Capitolinus, Vulcatius Gallicanus, & Ælius Lampridius *integram* ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς *omnium Purpuratorum Historiam, orsi à Julio Cæsare. Extant Spartiani & Vulcatii de suo consilio luculenta testimonia: illius in principio & fine Ælii Veri Cæsaris; hujus in ea, quæ sola ex omnibus ipsius scriptis superest, Commodi vita. De Capitolino & Lampridio, etiamsi tacerent ipsi, certum sit tamen è Vopisci Probo. Sed quousque Historias suas omnes hi perduxerint, meritò dubites: nam cùm vixerint omnes sub Diocletiano & insecutis Principibus, quod in Notis probavimus, videtur horum nemo ad eum finem, quem sibi proposuerat, pervenisse: proximos enim ætati suæ Principes neminem eorum attigisse, manifestissimè evincunt quæ scribit Vopiscus initio Aureliani: negat ibi præcisè, expositam adhuc cuiquam Latinorum ejus Augusti vitam: cui querelæ nullus omnino fuisset locus, si, non dicam omnes quatuor, sed vel unus saltem eorum quod proposuerat implesset. Fuit autem Vopiscus omnium natu minimus: qui etiam præter Spartianum & Gallicanum reliquorum meminit omnium. Neque hic, neque Trebellius Pollio aliud quicquam in hoc genere, quàm quod hodie extat, videntur scripsisse. Quid fuerit consilii collectionis hujus auctori, quando in istam formam hoc corpus digessit, vatibus relinquimus divinandum. Suspicamur tamen, totius Historiæ principalis à Julio ad sua usque tempora tres illum partes distinctas, velut* ἐποχὰς *quasdam, animo concepisse: quarum primam vellet è Suetonii Cæsaribus cognosci: alteram ex his libris, hoc modo à se comparatis: tertiam, quæ ferè de Principibus Christianis erat, à scriptoribus Christianis, nisi fallimur conjecturæ, reliquit petendam. Cùm igitur ex illis tot Historicis, qui comprehensos hoc secundo volumine Principes in literas miserant, nullum inveniret, quem vel propter* ἀσυμμετρίαν, *aut nescio quam, malùm! aliam ob caussam, instituto suo accommodaret; ipse decerpens ex singulis quæ vellet, hoc audaci facinore voti sui compotem se fecit. Atque ego non dubito Tribonianum istum cùm hoc fecisset, visum sibi bellum hominem, qui erat saperda merus. Nam quare in alieno opere voluit esse ingeniosus? quare vetustam sapientissimi Pythagoræ legem migravit?* ὁ νόμος οὐκ ἐᾷ, *Synesii sunt verba,* τοῖς βιβλίοις ἐπιποιεῖν· ἀλλὰ βούλεται μένειν αὐτὰ ἐπὶ τῆς πρώτης χειρὸς ὅπως ποτὲ ἔσχε τύχης ἢ τέχνης. *O legem publicæ rei literariæ salutarem, & totâ cupiditate expetendam! Hanc qui ignorant aut contemnunt, pestes sunt & venena literarum. Sed de Pythagoreæ Legis vi & necessitate seriò disputamus alibi. Sciolus igitur iste operæ suæ egregium istud præmium tulit, ut sequens ætas, hoc Catone contenta, cæteros ejusdem Historiæ scriptores, aut horumdem etiam libros alios, non desideraret: quo facilius fuit, ut tot vigiliæ tot Historicorum, (nam quinquaginta minimùm possumus nominare) cum æterno superiorum seculorum dedecore, penitus interirent. Aperiret saltem nobis consilii sui rationem: diceret cur operis initio Nervam & Trajanum, duos bonitate insignes Principes, omitteret: nam de hiatu, qui est inter Gordianum III. & Valerianum, satis suo loco actum à nobis. Diceret quid fuerit caussæ, cur conjunctissimas vitas, puta Macrini patris & Macrini filii, è diversis auctoribus promeret. Postremò doceret nos, quî sit factum, ut in nonnullis vitis tam multa non suo loco posita, aut sine caussa repetita sæpiùs hodie inveniantur: cujus culpæ ut non absolvimus in totum ipsos auctores; ita non dubitamus maximam ejus partem, quà penes hunc alienæ*

mercis

mercis institorem, quà penes librarios, genus hominum perdendis literis natum, hærere. Planè libri heic nonnulli sunt, quos jure dicas, centonum instar, è diversi coloris pannis fuisse consutos. Nemo leget quæ notamus ad Marci vitam, quin nobis assentiatur. Possis & de aliquot aliis idem facere judicium. Sed de βιβλιοκαπήλου *istius flagitio satis. Quod autem modò dicebamus, auctores ipsos excusari penitus hac in parte non posse, ita prorsus est. Alibi judicium desideres limatius: alibi diligentiam exquisitiorem: in quinque præsertim primis, & omnium maximè in Capitolino: nam de scriptore oppidò erudito, & præ cæteris accurato, Flavio Vopisco, minùs licet queri. Quæ meo judicio dos Historiæ est primæ proxima, perspicua rerum explicatio, & quod Græci meliùs dicunt,* τὸ εὐπαρακολούθητον, *id nos in illis prioribus non invenimus. Ejus* οἰκονομίας *duæ sunt viæ, tritæ ambæ maximis scriptoribus: cùm res explicantur vel per tempora, vel per species, ut ait Suetonius in illa divina Augusti vita. Dionysius Halicarnasseus appellat* τὰς περιοχὰς τῶν πραγμάτων· *harum neutram cùm isti satis tenuerint, haut mirum si* τὸ εὐρόθμον ϗ ἀπερίσπαστον, *quibus tanto commendatur opere historica narratio, non sunt assecuti. Fatetur Capitolinus vitam se Marci scripsisse breviter & congeste: verè ille quidem; multa enim carptim congerit, non digerit: neque id in illo tantùm libro, qui miris modis est conturbatus; sed etiam in aliis. At non solus hic in eo luto hæret: habet culpæ socios & Spartianum, & Vulcatium, & Lampridium; nonnihil & Trebellium Pollionem. Dicam clariùs, & quod volo exponam sub exemplo. Poterat Spartianus in contexenda Hadriani vita, vel temporum servare seriem, vel per partes sic dicenda distinguere, ut de publicè gestis, de peregrinationibus, deque privata cætera illius vita separatim ageret: nunc cùm in principio visus esset temporum rationem servaturus, non longè post rationes conturbat. Vulcatii, qui solus superest, liber ita contextus est, ut videatur auctor quid diceret fortasse pensi habuisse: at quo modo, nè minimùm quidem. In Lampridii Alagabalo, & Alexandro etiam, vestigia sunt initæ tributionis in species, ut auctoris, quem amamus valde, vocem retineamus. Sed lucis scintillam eam esse, non plenam lucem, intelligent, qui cum illa Suetonii, quam diximus, vita contenderint. Jam quòd eadem reponantur sæpiùs, est ubi peccatum jure censeas alienum: est ubi indiligentiam auctorum agnoscas. Quoties Serviani cædem legas in Hadriano Spartiani? & tamen præstare ausim omnia* ἀκίβδηλα. *Adoptio Marci à Pio facta, & Ælii Veri à Marco, quàm sæpe, quàm variè cùm Spartiano, tùm Capitolino exponitur? iteratio ab incuria est: varietas narrationis ex eo, quòd modò hunc, modò illum sequerentur auctorem.* Maximum & Pupienum *non diversarum personarum, sed ejusdem hominis esse nomina, non semel & iterum, neque bis aut ter, verùm sæpiùs inculcat Capitolinus: ut qui vel optimo stomacho sint, ad hanc crambem non possint non nauseare. Idem cùm in extremo de Maximinis libro Aquileiensium pro Romanis eam fuisse devotionem scripsisset, ut etiam crines mulierum pro nervis ad sagittas emittendas tonderent; in eo, quem de Maximo & Balbino fecit, hoc ipsum bis posuit: credo, ut vetus dictum tolleret,* δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά. *Cùm autem tot imperitissimorum Grammatistarum versibus suas lucubrationes inquinarunt, quid aliud quàm per alienas ineptias sese ipsi traducere, &* ἐξ ἀλλοτρίων κακῶν, *ut ait Cous senex,* ἴδια καρποῦσθαι ἀνίας, *voluisse videantur? Nam & in hoc genere malus judex litem suam facit. Verùm enimverò hos velut in bona forma nævos, facile excusabunt, qui sic naturâ esse comparatum meminerint, nullum ut cujusquam mortalium sine venia placuerit unquam ingenium quamvis maximum. Lectione* 1603.

1603. *enim nostrâ & commendatione dignissimos esse hos sex Historicos, nemo tam vel imperitus, vel judicii nullius, qui negare ausit. Subjectum primò nobilissimum: universæ namque Augustorum Historiæ pars magna necessariò hinc petenda: nisi quis fortè tantâ* ἀκρισίᾳ *laboret, ut aliorum è Latinis compendiosa Breviaria cum horum luculentis narrationibus putet comparanda. Ne Græci quidem post decurtata* τοῦ κορυφαιοτάτου *Dionis monumenta, ullum è suis nominaverint, cum his nostris in eadem lance ponendum. Herodianum aliquis fortasse dicat excipiendum, politissimum & judicii non vulgaris rerum conditorem: sed ejus Historia, contentæ his libris pars solummodò est. Annos enim sexaginta ibi, heic paulominus centum & sexaginta invenies descriptos. Porrò autem ea conditio fuit temporum, de quibus libris istis agitur, ut in incerto sit, plusne Romanus populus cùm illa fierent, quæ tum acciderunt, ærumnarum sit expertus; an utilitatis & oblectationis qui hæc legent, sint percepturi. Nam ubi major rerum varietas; ubi illustriora ludentis in rebus humanis fortunæ exempla? quàm notabiles maximorum Principum exitus? Herodianus quidem ante omnia in opere suo* τὰς τῶν βασιλέων οὕτω ποικίλας διαδοχὰς *admonet observandas: verùm hæ tam variæ, tam frequentes Principum mutationes, in nostris, ut in longioris temporis spatio, apparent non paullò evidentius. Est invenire septuaginta, & eo plures in horum temporum serie, qui vel justè vel injustè aut Cæsarum aut Imperatorum nomen habuerint: adeò erant in illo principatu, quem omnes tamen mirantur, comitia imperii incerta. Tumultuario populi concursu, aut incondito militum strepitu, interdum & per jocum ad ludum, Imperatores creabantur: & Orbis terrarum dominatio in sceleris ac parricidii (Principem enim suum occidere, teterrimum parricidii genus est) præmium cedebat. Occidebant igitur & occidebantur, immanitate pari: cùm in armis esset jus omne regnandi. Inde hæc tam spissa principatuum mutatio: quâ re nulla alia miseris populis ne dici quidem aut fingi queat perniciosior. Ut quoties venit hujus in mentem nobis, Franciæ patriæ meæ felicitatem non possim non prædicare; quæ sub imperio Regum LXIII. non dicam CLX. annos, sed paullo minùs CIↃ & CC. (rem omnibus seculis inauditam!) & beata egit, & egisset beatior, si sua semper bona intellexisset. Tanti est, jura regiæ successionis trabali lege semel fixisse. Sed redeo ad nostros auctores: quorum lectio cùm omnibus & Historiæ & morum antiquorum studiosis necessaria, nedum utilis; tùm vel maximè iis, qui cognitione Juris civilis Romanorum delectantur. Quàm multa enim toto sparsim opere invenias, quæ ad Jurisprudentiæ studia propriè pertineant? quàm multis locis aut novum jus aliquod introductum, aut vetus antiquatum observatur? Ut taceam, quòd absque his Scriptoribus fuisset, plurimos prudentes, quorum extant in Pandectis & nomina & fragmenta, ignoraremus: taceam item dictionis genus, in multis commune cum antiquis Jurisconsultis. Quid? tot Principum pulcherrimas epistolas, tot gravissima Senatusconsulta, alia publica monumenta, è scriniis Augustorum, Actis Senatûs & Populi, aut nescio unde ex abdito eruta, quanti censemus facienda? aut quem mihi dabis ex omni veterum auctorum numero, cui propter similem vel fidem, vel diligentiam tantùm debeamus? Nec prætermiserim eruditas illas, neque longè petitas, sed è re natas digressiones, quibus hi libri, tanquam segmentis purpuræ veri luminis, variis locis sunt ornati. Hi igitur tam boni, tam utiles Scriptores, cùm à priorum seculorum barbarie pessimè fuerint accepti: mirati sæpe sumus, quid caussæ sit, cur post renatas literas nemo adhuc extiterit, qui seriò se illorum vindicem profiteretur: nam & Egnatii & Ursini,*

sini, eruditissimorum hominum, conatus, etsi suâ laude non carent; minoris tamen molitionis esse omnes intelligunt, quàm ut inter ferias ipsorum curas haberi mereantur. Invitaverat nos quidem ante hos sex septem annos aliorum cessatio, ut post navatam Suetonio operam, manum & his ejus comitibus admoveremus; sed qui animati meliùs quàm parati negotium suscepissemus; non multò pòst, gnari quid sit sine librorum veterum ductu & auxilio cum vulgatarum editionum monstris pugnare velle, γνωσιμαχήσαντες *consilium mutaveramus: quod posteà tamen iterum mutavimus: nacti enim manu exaratum codicem, quem ditissima Regis Christianissimi Bibliotheca nobis suggessit, ausi sumus repetere auspicia, moxque operi nos accinximus. Ei libro ferri acceptum volumus quidquid nostra hæc editio studiosis potest imputare: non quia tanta sit illius bonitas: verùm eo nomine, quòd ille primus scriptionis hujus occasionem nobis præbuit: nam ipse quidem nec vetustate præstat, nec fide: imò verò deformiter etiam ipse est depravatus. Quia tamen aliter ferè corruptus est quàm vulgata lectio, locis innumeris ipsa vitii diversitas viam nobis ad verum aperuit. Multa igitur in ipso textu ope regii codicis emendavimus; plura in* NOTARUM *libro, vel certâ ratione ducti, vel probabili saltem conjecturâ. Omnino autem veterum exemplarium horum Scriptorum non magna in Europa copia est: & illa ipsa quæ reperiuntur, scias indidem pleraque fuisse descripta, quia simillimè sunt depravata. Quare etsi mendis gravissimis nostrum scatet; nihilo tamen Italica sunt meliora, quorum superioris ævi Criticos mentionem video fecisse. Planè illud, quo usus olim Angelus Politianus in codice suo emendando, cujus fecit nobis copiam Richardus Thomson, amicissimus noster, regio fuit geminum: & quis scit an illud ipsum? nam hoc ex Italia maximus & sapientissimus Princeps, Ludovicus XII. (aliter scripsimus alibi: sed falsi sumus) captâ Mediolano, in suam librariam, multarum Italicarum spoliis superbam, intulit. Nihilo etiam melius est Augustanum illud, unde excerptas scripturæ varietates amplissimus Marcus Velserus, & doctissimus Hœschelius ad nos miserunt. Idem & de illo possumus pronuntiare, quod ante viginti tres annos penes Vincentium Pinellum, meritis in Rempublicam literariam insignem virum, scimus fuisse. Leviùs aliquanto quàm cæteri à mendis laborat, quod Romæ in Vaticana servatur. His duobus codicibus usus fuit in Italia Vir clarissimus, Claudius Puteanus, inter præcipua Galliæ ornamenta, dum viveret, merito suo semper habitus; qui etiam scripturæ discrepantias omnes curiosè in schedis adnotaverat: quo illius labore uti nobis contigit beneficio Christophori Puteani, Claudii filii, viri eruditissimi, & non minus propter virtutes suas, quàm propter patris memoriam nobis charissimi. Cùm autem diu ignorassemus, ex quibus Italiæ Bibliothecis eos codices* ὁ μακαρίτης *Puteanus esset consecutus; invenimus tandem manu ipsius adnotatum, altero se usum Venetiis, Pinelli munere; altero Romæ ex Vaticana, cùm anno* CIↃ IↃ LXX. *hyemem ibi ageret. Atque hoc eò libentius referimus, quia non semel mirati sumus, Fulvium Ursinum, cùm suas in hos Auctores Notas Romæ scriberet, Vaticano libro, omnium facile optimo, non esse usum. Quare hoc saltem nomine Ursinianis præstant, quas heic studiosis paravimus epulas, quòd ferculis Italicis, & quidem Romanis sunt instructæ, quæ civis Romanus vel ignoravit, vel sine caussa est aspernatus.* 1603.

i HENRICO

HENRICO STEPHANO,

Arcæ Quæstori Operum Dominorum,

ISAACUS CASAUBONUS

S. D.

(*Præfixa Notis in Dionis Chrysostomi Orationem, editis anno* 1604.)

1604. NIhil poterat opportunius, Henrice Stephane, Vir amicissime, quàm cùm superioribus diebus Dionem Chrysostomum pari fide & diligentiâ recens à se editum, Claudius Morellus mihi legendum obtulit. Eram tunc temporis τῆς ἀνίας ἕλκει, de morbo uxoris, patruelis sororis tuæ, longè periculosissimo, supra modum anxius; eoque nomine quotidianæ vitæ officia intermiseram: studia quoque literarum fastidiens; sine quibus tamen, ut vel paucos dies agam, *pretium ætas altera sordet*. Ubi verò allatas chartas semel in manus sumsi, partim gravitate captus dissertationum excellentissimi Philosophi; partim pulchritudine illectus novæ hujus editionis, sic animum obduravi, ut ægrè priusquam volumine integro pellecto destiterim. Hujus autem operæ, quam uni mihi necessario meo tempore impenderam, ut etiam in publicum fructus manaret, Fredericus Morellus, Academiæ hujus Professor clarissimus, bonum factum putavit, atque adeò impulsu hortatuque suo effecit. Quippe Vir eruditissimus, cùm Aldinum codicem, mendis quàm plurimis deformem, critico suo pumice magnâ curâ expolisset; memor Homerici præcepti σύν τε δύ' ἐρχομένω, egit mecum pro mutua inter nos amicitia, ut quæ mihi inter legendum adnotaram, in communem studiosorum utilitatem paterer publicari. Equidem facile conjiciebam, eâ felicitate istam provinciam ab illo fuisse administratam, ut quamcumque eodem symbolam conferrem, pannus purpuræ adtextus posset videri: me tamen ea cogitatio nihil deterruit, quominus amici viri æquissimæ petitioni adnuerem. Longè enim mores nostri à δοκησισόφων ἐπιδεικνύντων ambitione absunt; qui existimationi suæ tantum putant detrahi, quantum alienæ industriæ fuerit tributum. Fatale hoc levium & ventosorum ingeniorum est vitium; quæ ἐπηρμίας οἰήσεως plena, omnisque solidæ eruditionis inania, magnam ex febriculosis scriptis suis potius, quàm bonam famam captant. At viros graves, qui literas non vanitate, sed miraculo colunt, nihil minus deceat, quàm περπερεύεσθαι, aut in promovendis rei literariæ commodis lentos esse, & ἀκοινωνήτους. Statim igitur atrepto calamo, cùm præsertim Dei virtute molestissimâ curâ nonnihil levati essemus, αὐτοσχέδιον hanc in Dionis λόγους Diatribam effudimus, verius quàm scripsimus. Tibi verò, Henrice Stephane, Vir integerrime, ut hoc quicquid est ὑπογύου lucubratiunculæ inscriberem, graves multasque causas habui. Sive enim amicitiæ ratio fuit habenda; tu mihi amicissimus: nec magis propter arctissimam necessitudinem, quâ jungimur invicem, charus unicè; quàm propter singularem naturæ bonitatem, fidem, comitatem, & παιδείην ἀρετήν, quam boni omnes in te amant: nos qui propius novimus, etiam miramur. Sive aliquid etiam in hoc versatur officii; feci lubens, ut tua in me beneficia in prima animi mei parte esse posita, hoc cuicuimodi testimonio tibi probarem. Quod si patronus innocenti scripto, οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν, erat mihi

mihi quærendus; cui potius quàm tibi eas deferrem? qui etsi in eligendo vitæ 1604. genere majorum tuorum sectam non es secutus; in amore tamen literarum ita vestigia eorum pressisti, ut Stephanicæ genti, tot in Rempublicam literariam meritis nobilissimæ, non mediocre accessurum sit decus, si quæ adolescens ad Poëtarum Græcorum lucem orsus es, detexere in animum aliquando induxeris. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IV. *Eid. Martias,* CIↃ IↃ CIV.

Nobilissimo illustrissimoque Viro,

D. ACHILLI HARLÆO,

EQUITI, amplissimique Ordinis Principi,

ISAACUS CASAUBONUS

S. D.

(Præfixa Commentario in Persium, edito anno 1605. in Octavo.)

NICIAM, Pictorem quondam excellentissimum, dicere solitum legimus, 1605. Præses amplissime, artis pingendi non minimam partem in eo esse positam, ut argumentum eligatur pingi dignum, & quod spectantium oculos idoneum sit tenere. Hujus ego exemplum, quantò minus ingenio fidebam, tantò diligentius imitandum mihi esse duxi, cùm de elucubrando aliquid cœpi cogitare, quod in sacrario Musarum tuo, ceu tabulam χαριστήριον appenderem; tot tantorumque beneficiorum, quibus me tibi fecisti dudum obnoxium, testem; meæque adeò observantiæ erga te summæ, posteris, si fortè, monumentum aliquod; tibi certè pignus, uti spero, non ingratum futurum. Id igitur animo volvens, quum scrinia omnia mea excussissem, ex illo auctorum numero, quorum illustrationi vigilias meas impendi, Persium Flaccum certo judicio elegi, quem non vulgari curâ, nec studio mediocri à me recensitum, & novo Commentario enarratum, tibi offerrem, Vir amplissime, atque nomini tuo splendidissimo consecrarem. Ductus autem sum hac minimè fallaci conjecturâ, quòd scirem eam demum studiorum sectam tibi præ cæteris probari, quæ neque amœnitates solùm captet, sicut magna pars hodie facimus; neque rursus, mansuetioribus literis spretis, supercilium rigidè nimis contrahat; sed sapientiam cum eloquentia & eruditione justo quodam convenienteque temperamento misceat; &, ut Græcorum non ignobilis scriptor ait, τῇ ἀρετῇ τὸν λόγον κοσμῇ, τὴν ἀρετὴν ἢ τῷ λόγῳ. Quo in utroque genere si gravissimum hunc morum censorem, & virtutum præceptorem fidissimum contendam excellere; tam certus sum victoriæ sub te judice, quæ tua est eruditio, & in literis quoque rectum judicium; quàm illud non ignoro, ludibrium me sibi debere, sophos illos esse dicturos, quibus satis acceptum est, nullum Poëticæ aut Eloquentiæ cum gravioribus disciplinis commercium intercedere. Nam quid aliud ab illis exspectem, qui fatali quâdam ignaviâ, res naturâ suâ conjunctissimas, studia dico scientiarum & humanitatis artes, adeò separant, φύσεως ἐνδείᾳ, ut scribit Platonicorum mellitissimus, κατακερματίζοντες τὰ μὴ δυνάμενα χωρίζεσθαι: ut si quis illa curet jungere, hunc statim alienum esse omni Philosophiæ clamitent? Scilicet assensuri isti sunt veteribus Sapientibus, Poëticam

1605. τῆς σημειωτικῆς φιλοσοφίας εἶναι σύνταξιν, (ipſis enim verbis illorum utar:) quos videmus omni curâ morum poſthabitâ, quæ vera Philoſophia eſt, in neſcio quibus argumentatiunculis, in nugis ſophiſticis, in puerilibus argutiolis, λωβαῖς denique ῥηματίοις τῆς διαλεκτικῆς, quod ſuâ jam ætate Euphrades Themiſtius conquerebatur, ſummam ſapientiam ponere. Scilicet facundiæ Perſii virile robur, aut recondita illa eruditio eos capiet, quibus priſtinam barbariem mordicùs retinere, & in Antiquitatis totius ignoratione verſari, potius videtur eſſe ac melius, quàm poſſeſſionem literarum, olim ſimili ſocordiâ extinctarum, memoriâ verò Patrum, magno Dei immortalis beneficio, in lucem revocatarum ex alta hominum oblivione, ſibi vindicare, & pro ſua quemque virili poſteris aſſerere: quod qui non faciunt, cauſſam dicere nullam poſſunt, quominus pro tanti muneris bonitatis divinæ parum æquis æſtimatoribus, imò verò iniquis ingratiſque aſpernatoribus ſint habendi: adeò crimen ingens eſt, quod iſtis ne minimæ quidem culpæ affine judicatur. Equidem, Vir maxime, pro meo in literas amore ſincero, hoc genus hominum meminiſſe nunquam poſſum, quin ſtatim ejus mihi in mentem veniat, quod in Diſſertationum Arriani pulcherrimis libris aliquando legiſſe te, quem meliorum literarum nihil fugit, non dubito. Scribit verò Arrianus, ſapientiſſimum ſenem illum Epictetum impietatis in Deum eos inſimulaſſe, qui in Philoſophiæ ſtudiis τὴν ἀπαγγελτικὴν δύναμιν, ſive ſermonis curam tanquam rem levem aſpernarentur: quoniam quidem, ajebat vir divinus, ἀσεβοῦς ἐστιν ἀνθρώπου τὰς παρὰ τοῦ Θεοῦ χάριτας ἀτιμάζειν· en germanum Philoſophum: en vocem auream. Nec minus memorabile Syneſii, Philoſophi præſtantiſſimi, vaticinium triſti eventu confirmatum, quod multò antè ab ipſo eſt editum, cùm rationem ſtudiorum ſimiliter perverti ab æqualibus ſuis cerneret. Diſputans enim contra τοὺς ἀξιοῦντας δόγμασιν ἀποῤῥήτοις ἐπάλλεσθαι ἐν λέξεσι τριοδίτισιν: hoc eſt, adverſus eos, qui ad ſanctiſſimæ Theologiæ ſtudia infantiam & ſophiſticen pro ſolida eruditione afferrent, fatidicam hanc quaſi ſortem edidit: κίνδυνος, inquit, εἰς ἄβυσσόν τινα φλυαρίας ἐμπεσόντας τούτους διαφθαρῆναι. Utinam defuiſſet huic oraculo fides: ſed profectò, ſi verum amamus, depravationi illi & hujus ſcientiarum reginæ, & omnium aliarum, quæ poſteà accidit, occaſionem quidem Gotthorum & Alanorum invaſiones præbuerunt: at cauſſa illius propior ac vera eſt, ratio ſtudiorum perverſa, & in liberalibus diſciplinis prava inſtitutio, ac linguarum ſimul & univerſæ literaturæ melioris ignoratio. At enimverò quantum iſti à recta ſtudiorum ratione deflectunt, tantum alii diverſo erroris genere peccant, qui in lectione antiquorum Sapientum aſſidui ſunt, non ut animum, ſed ut ingenium excolant: non ut diſcant vivere, ſed ut loqui: neque ut meliores ab illis diſcedant, ſed ut doctiores tantùm: qui denique Grammaticorum ſolùm oculis ſcripta eorum legunt, qui de virtute præcipiunt. Atqui non in eum certè finem viri magni & præcepta & exempla virtutum memoriæ commendata ad poſteros tranſmiſerunt, ut ad inanem aurium oblectationem, vel jactationem vanam inutilis eruditionis ea cognoſceremus; verùm ut ſuis nos lucubrationibus excitarent ad effodienda, & in actum producenda recti honeſtique ſemina, quæ quum à natura accepiſſemus, vitiis tamen circunfuſa, & tantùm non obruta, ſic in noſtris animis, niſi cultura melior accedat, latent, quaſi in altum quendam ſcrobem penitùs defoſſa. Huc ſpectant, quod te minimè latet, Vir ſapientiſſime, tot illa volumina, quæ de morali diſciplina Philoſophi confecerunt. Tendit eodem & Græcorum Latinorumque Poëtarum pleraque manus: ſed itineribus diverſis. Quot ſunt enim Poëtarum genera, (ſunt autem quàm plurima,) tot ferè diverticula & viarum ambages eò ducentium. Brevis & directa via eſt, quam Perſius & reliqui Romanæ Satyræ

Poëtæ

Poëtæ instituerunt: omissis enim fabulis & omni Poëtarum aliorum τερατείᾳ, 1605.
rem ipsam dicunt, & cum vitiis γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, quod ajunt, ἐμέσι χερσίν, eaque ridenda omnibus propinant. Qui si eo animo hodie tractarentur, quo scripsisse ipsos, antè ostendimus; uberrimos, ita me Deus, operæ suæ fructus & interpretes eorum, & lectores reportarent: nam ut solæ θεόπνευσται Literæ animi morbos possunt curare, sic ejusmodi Poëtarum assidua lectio curationem adjuvare; & quum sanare nequeant, possunt tamen sanabiles reddere. Fit enim nescio quomodo propter humani ingenii cum numeris cognationem naturalem, ut virtutis præcepta carmine alligata, & memoriæ firmius hæreant, & in ima præcordia efficacius descendant. Hoc igitur animo quum ante multos annos Persii Satyras interpretati essemus, ut ipsi nos primùm ad amorem virtutis, odium vitiorum capessendum stimularemus: deinde ut studiosæ juventuti ad similem conatum duces nos præberemus, de quo priores interpretes parùm videbantur cogitasse: ausi sumus, Præses amplissime, de illustris tui nominis splendore stricturam aliquam luminis nostræ huic scriptioni ire mutuatum. Quod ut æqui boni consulas, tenueque hoc munusculum benignè ut accipias, per illam ipsam naturæ tuæ bonitatem te obtestor, quæ nullo meo merito tuam mihi tantam benevolentiam conciliavit, quantam vel optare sine audaci temeritate non poteram. Quum autem meritorum in me tuorum is sit cumulus, ut fides mea sine beneficio tabularum novarum liberari nequeat; æquitatis tuæ magnitudinisque animi fuerit, non quid adferam tibi, sed quo animo attendere. Neque enim id ago, ut nexu me exolvam operâ tam levi: sed ut ingenuâ bonæ copiæ ejuratione quantum tibi à me debeatur, palam omnibus faciam. Ut hoc non esset, merebatur tamen tua virtus, ne alium præter te patronum sibi Persius adscisceret: cui enim potius supplicet tam severus morum censor, quàm illi, cujus vita censura est? qui censorias illas virtutes, τὴν σεμνότητα, τὸ βάρος καὶ τὸ ἀπαραίτητον ἐν τῷ δικαίῳ, indeclinabilem, inquam, justitiam, vitæ sanctitatem, gravitatem & constantiam, quas tantopere in suo Catone Romani stupebant, longo adeò temporum intervallo præstas redivivas. Neque hoc dico, ut Catonem tibi comparem, nedum ut te Catoni: qui sciam tantò majorem te omnibus Catonibus, quantò vera in Deum pietas cæteris, quamvis maximis, præstat virtutibus. Itaque imago vetustatis, columen sapientiæ, exemplum severitatis sic haberis ab universis Franciæ populis; sed non solis, ut non tantùm adspectus, verùm etiam cogitatus emendes, ac censuram exerceas. Neque quisquam adhuc tam malevolus aut invidus est repertus, qui Curiam ingredientibus, cujus tot jam annos Princeps es, aliud optandum existimet, nisi ut ad tuum se ductum applicent, te mirentur præsentem, de te cogitent absente. Et tamen venerationis hujus, quam omnes Ordines debere se tibi & fatentur, & prolixè exhibent, nihil potest hæc canities, alioquin venerabilis, tibi imputare: quæ enim rarissima laus est, in ipso adolescentiæ flore pro canis tui mores tibi fuerunt. Jam tunc cùm vix ætatem ingressus virilem, Augustoriti Pictonum extraordinario cum imperio jus dicens, severitate animadversionum in potentissimos reos, & inexorabili, verèque Achilleo animi robore contra gratiam aut minas, omnium oculos in te convertisti. Quare cùm post aliquot annos Christophorus Thuanus, illustri laude vir conspicuus, orbam Curiam, & sui desiderio lugentem, diem supremum obiens reliquisset, non putavit Henricus III. esse quærendum sibi ecquem in illo sublimi dignitatis fastigio collocaret: unus enim tu occurrebas, dignus qui viro incomparabili absque te fuisset, succederes: qua in statione quæ & quanta sapientiæ, prudentiæ & fortitudinis, (nam

1605. & hac per conditionem superiorum temporum opus tibi fuit,) exempla edideris, unius epistolæ angustiis velle complecti, res longæ historiæ, hoc verò sit σχεδίῃ περάαν μέγα λαῖτμα θαλάσσης. Maneat Annalium conditores hæc cura: quorum ut quisque erit veritatis amantissimus, patriæ charitate ferventissimus; vel, ut aliis verbis idem dicam, Christianissimo Regi nostro devotissimus, in tuarum laudum commemoratione plurimus est futurus. Nos intereà, quod assiduè facimus, Deum Opt. Max. venerabimur, amplissimo Senatui, & universo Regno incolumem te quàm diutissimè præstet: nobilissimum filium tuum, per medias laudes in hac juventute sua quasi quadrigis vehentem, ex Anglica legatione sistat tibi reducem: utque tu illo, ille te longum fruamini. Vale, seculi decus immortale. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Eidus Februarii,* CIↃ IↃ CV.

PRÆFATIO

præfixa Commentario in

PERSIUM.

LECTORI CANDIDO.

1605. *VETERUM Criticorum notulas in A. Persium à Petro Pithœo, viro magno, & judicii castigatissimi, excerptas olim ac publicatas, editioni huic nostræ adjiciendas tuâ gratiâ, Lector candide, curavimus. Primum quia Persii vita illis præfixa est lectu dignissima: sive sit ejus auctor Valerius Probus, ut pleraque exemplaria antiqua testantur; sive alius. Deinde autem, quòd in his pauculis notis invenire est nonnulla exquisita, & quæ frustra alibi quæras: absque quibus tamen foret, loci aliquot Poëtæ hujus vel doctissimis futuri sunt obscuri: ut de antiquitate ejusmodi* σημειώσεων *nemo sit jure dubitaturus, qui ad multorum retrò sæculorum barbariem & antiquitatis totius imperitiam animum adverterit. Longè istis uberiora sunt Scholia illa, quæ sub Annæi Cornuti nomine ab Elia Vineto Santone aliisque sunt edita: quibus multa item alia poteramus adtexere ex antiquis Persii codicibus, quos reperire est passim in omnibus Bibliothecis & interlinearibus Glossematis bene farta, & marginalibus adnotationibus probè oppleta. Sed neque illa, quæ publicâ luce donata sunt ab aliis; neque illa, quæ in membranis nostris, aut clarissimi eruditissimique viri Jacobi Bongarsii, aliisve invenimus, tanti sunt visa, ut ab eorum lectione juventus studiosa paratior multò posset discedere ad intelligenda, si quæ sunt in Satyrographo nostro difficiliora: neque enim ejusmodi erant, quæ hactenus videre nobis contigit, ut meritò de illis dicas,* πολλὰ μὲν ἐσθλὰ, μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρὰ: *sed illud potius,* ἅπαν ῥύπος, ἔργον ἐπ' ἔργῳ, *paucissimis, si fortè, exceptis. Sibi igitur quisquilias ejusmodi habeant, qui libros non nôrunt nisi mole æstimare,* ἐπεὶ φθόνος οὐδεὶς, παρ' ἡμῶν γε.

PRO-

PROLEGOMENA IN PERSIUM,

Commentario præmiſſa.

SATYRAM *Romanam duo iſta præcipuè conſtituunt; doctrina moralis, urbanitas & ſales. Cætera communia ſunt ejus Poëtis, cum aliis multis; acumen diſſerendi, eloquendi facultas, numerorum concinnitas: anima verò, ut ſic dicam, &* ὅρος τῆς οὐσίας *ejus carminis eſt, vitiorum inſectatio, & ad virtutem cohortatio: ad quæ perficienda ſalibus & jocis tanquam telo utitur. Habet hoc Satyra Romana cum Ethico Philoſopho commune, quòd de moribus tractat: ſed tractationis proprius eſt modus: docet hic; illa plurimum caſtigat. Naturam & cauſſas virtutum ac vitiorum Ethicus inquirit: ſatyricus Poëta vitioſos ferè objurgat; bonos parcius laudat & rarius. Prætereà cenſuræ ſuæ ſcommata, riſum, atque interdum etiam comicam &* ἀγοραικὴν βωμολοχίαν *Satyricus admiſcet: quo nihil alienius à ſeveritate philoſophica: nam Cynicos & ſimilis petulantiæ magiſtros, præter habitum nihil quicquam Philoſophorum habuiſſe certum:* ἰδιαίτατον *verò Satyræ, metri lex. Minus rectè ſentire eos, qui Romanam Satyram cum Græcorum Satyrica Poëſi comparant, ut ab illa ortam, ſatis probavimus eo libro, quem de utraque illa Poëſi in gratiam nobiliſſimi doctiſſimique viri, Johannis de Rieu, Rutenorum Præſidis, à nobis ſcriptum, Perſio comitem adjecimus. Cùm autem trium Romanæ Satyræ Poëtarum, Horatii, Perſii, & Juvenalis, idem ſit propoſitum, idem ſcopus, quem antè diximus; magna tamen inter ipſos eſt differentia: quod breviter heic oſtendere conſtituimus; non eo quidem animo, ut alium alii ambitioſè anteponamus: ſic enim exiſtimamus, omnes eſſe eximios, omnes lectu digniſſimos, & qui diverſis virtutibus laudem prope parem ſint conſecuti: ſed quando neque hi, neque omnino quiſquam mortalium* πάντα κατορθοῦν πεφυκὼς ἐγένετο, *munire viam juventuti volumus, ad æſtimandas ipſorum virtutes judicio recto; &* ἀποτυχίας, *ſiquæ illæ ſunt, animadvertendas: qua in re, cùm vel ſuaviſſimus ſtudiorum poſitus ſit fructus, difficultas ſine controverſia verſatur maxima. Præclarè enim hoc Dionyſius Longinus, ut alia multa:* ἡ τῶν λόγων, *inquit,* κρίσις, πολλῆς ἐστι πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα: *nos verò ut huic oneri ſubiremus, non humerorum fiducia, ſed publicæ utilitatis ſtudium compulit. Accedit huc, quod conſentientibus Veterum ſuffragiis, qui Poëtam noſtrum mirati ſunt, auctoritatem judicii ſui recentiorum non nemo opponere non dubitavit: at qui vir? tanti judicii, tantæ eruditionis, tam portentoſi acuminis, ut & Perſius magnum ſolatium habeat, quod Æneæ magni dextra cadit: & nos vel bonam cauſſam prodere, diu conſtitutum ac certum habuerimus, potius quàm cum illo Hercule in certamen deſcendere. Verùm de cenſura divini illius viri poſteà: nunc quas diximus differentias proponamus. Prima, & omnium maxima eſt circa* τὸ φιλοσοφικὸν μέρος· *jam enim diximus, non levem eſſe huic Poëſi cum morali Philoſophia affinitatem: quid enim Philoſophiæ proximum & affine, ſi hoc non eſt, de virtutibus & vitiis diſputare? Heic verò magnum inter hos diſcrimen; ut enim quiſque fuerat educatus, ut erat doctus & moratus, ita*

1605.

1605. versatus est in hac parte. Horatius, libertinæ prosapiæ homo, & patre coactore natus, etsi magno parentis studio eductus, nihil spirat heic altum, sed ubique circa vulgatissima morum præcepta occupatur: quodque longè gravius est, & fatetur ipse de se, parum sibi constat, nec fidelem virtutis magistrum agit. Passim enim in aliena transit castra, non tanquam explorator, sed tanquam transfuga: sæpe Stoicum dicas, sæpe Epicureum, aut Aristippeum; sæpe verò de Anyti & Meliti aut Aristophanis gente prognatum: adeò frequenter & acerbè Stoïcos, penes quos solos illâ ætate sapientiæ magisterium fuit, suggillat, & irridet: neque dubitandum est, qualem videmus in ipsius scriptis, talem fuisse in vita quoque inconstantiam; scripsit enim sicuti vixit. Juvenalis mores ignoramus: in Satyris quidem suis τὰ φιλοσοφούμενα sic tangit, ut facilè appareat, diuturniorem ipsum Rhetori quàm Philosopho operam dedisse: è Rhetorum enim schola & declamationum exercitationibus ad Satyram scribendam haut dubiè se contulit: unde illa acuta dicta, & ut vocabant, sententiæ, quas in opere admirabili De Poëtica tantopere Julius Scaliger est admiratus. Persius verò qui ad Satyræ scriptionem, ut testatur ipse in quinta, ab eodem Cornuto fuerat institutus, à quo rerum Stoïcarum cognitionem acceperat, (magnis enim opibus innutritus, ac felicissimè fuit educatus) & utroque φιλοσοφικώτερος est: & eo nomine Horatio longè melior, quòd uni æquus virtuti, perpetuus ac constans vitiorum hostis, sui semper similis, instrumento graviorum artium Poëticam locupletat: Stoïcam denique professionem nunquam obliviscitur, adeò exactè & doctè aliquando στοιχίζων, ut ne Zeno quidem ipse aut Chrysippus, quod alibi dicebamus, porticum illam melius fuerit fulsurus. Itaque cùm universæ hujus Philosophiæ duæ sint partes à Sapientibus proditæ, Decreta & Præcepta, sive ἡ δογματικὴ καὶ ἡ παραινετική· omnis Horatii & Juvenalis de virtute oratio ad præceptivam partem spectat; decreta seriò attingunt nunquam. Persius verò assurgit altius, & Stoïcum de ultimo fine dogma ubique urget, ubique inculcat: gnarus præcipuum caput καὶ συνεκτικώτατον doctrinæ hujus eo contineri. Qui igitur non ignoraret, longum iter esse ad vitæ emendationem per præcepta; breve & efficax per dogmata; prudentissimo consilio utrumque instituit: quod nos suis locis diligenter observavimus. Scias verò cùm Persium legas, sentire illum quæ dicit, & quod Græci aiunt, πάνυ ἐκ ἀληθείας γράφειν, καὶ ἀπὸ τῶν δογμάτων οὐκ ἀπὸ τῶν χειλῶν. Didicerat nempe nobilissimus juvenis à Cornuto præceptore suo, viro juxta sapiente & docto, non magis de virtute loqui, quàm ex virtute vivere. Quòd enim probitatem, quam in aliis exigebat, ipse præstaret, testis est qui vitam ejus scripsit, auctor dubio procul antiquissimus; testis etiam est modestia illa divina, quam ubique præ se fert in hoc libro; testis & illa consuetudo arctissima cum Thrasea Pæto, viro ad exemplum virtutis nato; & Arria, Pæti conjuge, ipsius cognata, prioris illius Arriæ ἥπερ κλέος ἀοίδιμον ἔχει, filia, matri quàm simillima: testeis denique & alii, quorum amicitiâ usum legimus, viri omnes gravissimi, & magna sui sæculi ornamenta, Servilius Novianus, Lucanus, Seneca. Quamobrem omnium Persii laudum hanc primam, & velut fundamentum cæterarum ponimus, quòd ad præcipiendum de virtute, non ut aliquis è circo aretalogus, aut indoctus è trivio Cynicus prosiluit; sed scientiarum plenus, & disciplinis Philosophorum diu excultus, eò accessit; propter emendatos mores suscepto operi non minus aptus, quàm eloquendi facultate abundè instructus. Est & alia non contemnenda circa hanc partem inter hos Poëtas differentia: nam Horatius, quod aliis ipse sapienter præcepit illo versu,

Denique sit quod vis simplex duntaxat & unum,

nunquam ipse, aut rarissimè in Satyris suis servavit: quamcunque enim 1605.
materiam fuerit aggressus, eam mox deserit: nudas sæpe præceptiones congerens, non multò aliter ac vetustissimi illi, καὶ τοῦ ἐγκατασκεύου λόγου πάντη πάντως, ὡς εἰπεῖν, ἀμύητοι, *Theognis, Phocylides, & his similes. Itaque pars maxima Satyrarum Horatianarum meram lancis illius saturæ &* παγκάρπου *imaginem exhibent. Longè aliter Poëta noster; qui, more Philosophorum, à proposita initio thesi vix digreditur, abit certè nunquam: ut non aliud ferè scribere Satyram ei fuerit, quàm petitos è Philosophia locos carminis legibus includere. Lucilium sine dubio imitatus est Horatius: Persius verò, primus omnium Romanam Satyram hujus generis, (duplex enim fuit) hac observatione auxit, correxit, atque in melius mutavit. Etsi enim ad priorem imitationem, maximè autem unius Horatii, totum se comparaverat; judicio tamen ubique usus est suo: ut etiam inferius sumus observaturi. Probavit Persii consilium Juvenalis; qui non per saturam, quod ajunt, varia argumenta eodem carmine complectitur; sed Persiano more cuique Satyræ* ἓν καὶ ἁπλοῦν ὑποκείμενον θέμα, *ut plurimum, addicit. Huc etiam pertinet, quod in Persiana Horatii Imitatione observabamus, de gravitate in disputationibus nonnullis Stoïcorum explicandis, Persio servata, Horatio neglecta: cujus rei illustre est exemplum in Persii quinta, & Horatii Davo; ex quorum carminum comparatione ingenia utriusque Poëtæ diversa, & discrepantes ideæ, quas Rhetores dicunt, optimè queant dignosci. Differunt præterea hi Poëtæ in salibus & illa urbanitate, quam Satyræ Romanæ propriam diximus. Necessitatem hujus partis in hoc Poëseos genere docet Persius, cùm scribit de Horatio:*

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admissus circum præcordia ludit.

Etiam in quinta, cùm facit Cornutum hæc sibi dicere:

pallentes radere mores
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.

Quare non potest dubitari, ipsum in Satyris scribendis id habuisse propositum, ut tristitiam argumenti & reprehensionum atrocitatem jocorum festivitate exhilararet. Sed Persius jam tum in illa sua adolescentia gravis, totusque ad severitatem factus, Xenocrati quàm Menippo similior, Gratiis, meo judicio, rarò litavit: longè enim hac laude & ab Horatio superatur, & à Juvenale; quorum uterque felicissimè est assecutus, quod voluit noster, nec potuit. Excellunt igitur in eo Horatius & Juvenalis; etsi ratione diversâ: nam illius sales τὴν ὀχλικὴν ἀναγωγίαν, *& ut ita dicam, plebeium aliquid ferè sapiunt; hujus omnes joci, quibus abundat, sic sunt urbani & salsi, ut acumen sæpe atque eruditionem præ se ferant, & ingenium longo declamandi usu probè subactum. In nostro verò loca non pauca sunt, quæ palam ostendunt, non displicuisse illi jocos, sed non contigisse; quod de Demosthene Fabius scribit: velut in prima, ubi disertè ait, ridere se malos Poëtas: ille verò non* σκώπτει *solum, sed etiam* λοιδορεῖ. *Jocosa & non invenusta illa:*

nunc non cinis ille Poëtæ
Felix? - - -

& quæ sequuntur. Illud convitio propius:

Rancidulum quiddam balba de nare locutus:

item illa:

nugaris, cùm tibi, calve,
Pinguis aqualiculus protenso sesquipede extet.

Ista verò,

O Jane, à tergo quem n. - - -

l *indigna-*

1605. *indignationem illius magis arguunt, quàm aptitudinem ad movendum risum. Quin etiam, sicut in Demosthene observarunt veteres Critici, nunquam adeò à sese ipsum abire, quàm ubi facetus vult videri; ita nos de Persio pronuntiare non vereamur, si qua sunt in ejus libro frigidiuscula dicta, si qua ex periculo petita, in ea ipsum incidisse, dum quærit jocos & vult ridere, quod per naturæ suæ temperamentum illi nequaquam licebat. Frustra enim est cùm persuadere vult nobis, fuisse se petulanti splene cachinnonem. Ain' tu, Persi?* σὺ γ', ὦ ἀγαθὲ, ἵλεως εἴης, *& nobis ignosce, qui hoc tibi non credimus: quin potius existimamus in te expetiisse, quod apis Attica de Persa nescio quo dixit:* ὅτι ῥᾷον ἐστὶ πῦρ ἐκτρέψαι ἀπὸ σου ἢ γέλωτα. *Enimverò cùm sint loci plures, è quibus ridicula dicta ducantur, Horatius & Juvenalis eos jocos non rarò usurparunt, quibus aliquid inesset obscœni: quâ impuritate cùm ferè in totum Persius abstinuerit, non ambigent sani judices, quin etiam in eo dicendus sit vincere, in quo culpa ingenii vincitur: nimium enim risûs pretium est, si honestatis & probitatis impendio constat. Sed quæ ridere negavit Persio natura, ingenti dote defectum &* ὑστέρημα *istud pensavit, cùm illi vim dedit & acrimoniam, & illud, quod Magistri dicendi* τὸ ἐναγώνιον πνεῦμα *dicere consuêrunt: quam virtutem tanti facit Criticus Halicarnassensis, ut Isocratis orationem, quòd eâ careret, animâ carere dicat. In Persio verò, qui spiritus? qui ardor? qui stimuli? nam libertas quidem tanta, ut ne mortis quidem metu adduci potuerit, quò Neroni parceret: & tamen lenissimorum fuisse morum accepimus; sed acrem faciebat impressum ejus animo, altisque nixum radicibus vitiorum odium. Quod igitur desiderant Sapientes, contra vitia dici asperè, contra pericula animosè, contra fortunam superbè, contra ambitionem contumeliosè, ut ad Senecam suam scripsit olim Lucilius; id cùm noster efficiat, illud simul* ἐκ πολλοῦ τοῦ περιόντος *præstat, quod antè dicebamus; ut liqueat tibi, illum sensisse quæ scripsit. Atque hæ sunt differentiæ præcipuæ, quas in tribus hisce Poëtis circa illa deprehendimus, quæ Satyram Romanam propriè* χαρακτηρίζουσι. *Ad reliquas verò quod attinet virtutes* τοῦ τε πραγματικοῦ καὶ τοῦ λεκτικοῦ τόπου, *ne longum faciam, ita sentio: puritate sermonis, gratiâ narrationum &* ἀφελείᾳ, *atque inexplicabili quodam, etiam extra jocos, lepôre excellit Horatius: ubertate inventionis, copiâ exemplorum, tractandi dexteritate,* τῷ περὶ τὰς νοήσεις ἀδρεπηβόλῳ, *denique* τῇ πομπικῇ ἀξιωματικῇ λέξει *præstat Juvenalis. Persius inter hos duos interjectus, neque castitate sermonis Juvenali cedit; & illa, quam exposuimus, pugnacitate, celeritate, &* γοργότητι *Horatium superat. Character dicendi in Horatio humilior; in Persio grandior; in Juvenale, ut plurimum, sublimis. Figurarum, quæ sunt orationis lumina, beata apud Horatium & Juvenalem copia: noster illis potissimum, quæ rebus addere pondus sunt idoneæ, &* ἐμφατικὰ καὶ ἐνεργά *penè regnat. Vel illas mihi considera hominis sordidè parci descriptiones, quas in quarta, in quinta, & in sextæ duobus locis posuit: non poterant tenacium mores effingi majore cum evidentia. Taceo de verborum tropis, quorum crebritatem apud Persium sola excusaverit Satyræ licentia: densitate enim suâ orationi tenebras nonnunquam offundunt: de quo mox. Numerorum verò concinnitatem cùm apud Horatium nullam invenisset, nullum juncturæ studium; hanc securitatem Persius nequaquam probavit; sed numeris ita consuluit, ut istâ laude eum, quem sequebatur, longo intervallo pone se reliquerit. Quid enim hujus versibus numerosius? quid absque mollitie concinnius? Neque electione est opus: omnes apti; omnes sonori: quidam verò ita magnifici, ut ad majestatem Maroniani carminis videantur aspirare. Neque aliquis mihi illum objiciat,*

- - - euge euge, omneis bene miræ eritis res:

proba-

probavimus enim, ingeniosissimum Poëtam arte & judicio usum, viribus suis eo loci pepercisse. Exposuimus hactenus, ut erat noster captus, præcipua capita institutæ comparationis inter Romanæ Satyræ clarissimos Poëtas: ostendimus, quæ singulorum propria essent κατορθώματα, *quæ* ἐλαττώματα: *clarissimèque, nisi fallor, demonstravimus, ex illis esse neminem, qui virtute quâdam sibi peculiari reliquis non præstaret: neque rursus esse ullum, qui cæteris ratione aliquâ non esset inferior. Persium verò adeò non esse indignum, qui comparetur cum Horatio & Juvenale, ut vel de palma cum utrovis eorum jure suo possit contendere: etsi non sine aliqua ipsius injuria potest cum tantis ingeniis committi Persius; cui per brevitatem vitæ totum se palam facere, & ingenii sui dotes maximas publicare non licuit: ut ex uno libello, atque eo imperfecto, necdum perpolito, illum æstimare, hoc verò sit leonem ex ungue, & quod apud Homerum faciunt proci,* ἀπὸ τῆς ἐκ ῥακέων ἐπιγνωσθέντος τὸν ἄνδρα. *Quid igitur de gravissimi illius Censoris judicio dicemus, qui tantum virum suffragiis privatum in Cæritum tabulas retulit? & quidem non censoriâ notâ affectum, sed ignominiæ elogio miserè jugulatum: ineptum pronuntiat, indignum qui cum reliquis in comparationem veniat, ostentatorem eruditionis; obscurum denique, non secus atque alterum Heraclitum vel Cinnam. Pax! vir incomparabilis,* ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; *Persius ut sit ineptus? Si ineptum diceret, quem Græci* ἀπίθανον ἐν τῷ γελοίῳ, *concederem. Ne nos quidem enim imus inficias, facultatem hujus rei illi defuisse; sed ostentatorem eruditionis quod nominat, omnino haut persuadet. Fatemur eruditissimum Poëtam eruditionem ubique ostendere; usquam ostentare, negamus. Illud doctissimi quique solent: quis autem uberius quàm* σεβασμιώτατος *hic Censor? cujus scripta omnia* χρυσοῦ χρυσότερα, *si quis negat thyma Veterum undique redolere, haut mecum sentit. Hoc solet vanissimus quisque tantùm, insolentissimus* καὶ ὀψιμαθέστατος: *quorum nihil in splendidissimum hunc Romanum Equitem cadit; de cujus singulari modestia, & liberali educatione sub maximis Præceptoribus, non autem Cathedrariis Sophistis, & vitæ illius auctor meminit, & nos aliquid suprà attigimus. At obscurus est, & dignus cui nomen indatur Scotino. Mirari subiit non semel, de obscuritate Persii verba fecisse illum virum, cui nihil erat obscurum: certè aliud Quintilianus judicabat, cùm verâ laude dignum pronuntiaret: aliud Hieronymus, cùm disertissimum Satyricum vocaret. Mihi quoque non pauci hujus Poëtæ versus ita clari &* λευκοὶ *videntur, ut vel in cisio à mediocriter doctis legi possint. Quare non totus liber profectò est obscurus; sed loca tantùm nonnulla. Quid? solus hic obscurus? non etiam optimus quisque attentissimum &* πολυμαθέστατον *requirit lectorem? Non commemorabo Thucydidis* τὰς παρενθέσεις, τὰς ἐμπεριβολάς, τὰ γλωσσηματικὰ καὶ ξένα, τὰ ἀνακόλουθα, *& similia multa, quibus obducta caligo ingens illius Historiæ. Silebo Platonis* τὰς ἀκράτους καὶ ἀπηνεῖς μεταφοράς, *de quibus Longinus: hoc solum dicam, maximarum difficultatum ea potissimum scripta esse plena, quæ omnium seculorum docti homines maximè sunt admirati. Quis Pindarum intelligeret aut Aristophanem, absque eorum interpretibus? quis Græcis literis doctus choros Tragicorum inoffenso pede percurrit? Theocriti* τὰ σκληρὰ *notant veteres Critici, neque indignentur. Nos offendent Persianæ difficultates? & qui laboriosas illius opilionis ineptias non gravamur; tam severum hujus carmen ut intelligamus, operæ nos pœnitebit? Porrò obscuritatis hujus diversas afferre caussas possumus, easque certissimas: in auctore sunt aliquæ, aliæ extra illum, quædam in interpretibus. Non negabo, perobscura quædam esse in quarta; prima quoque: sed Poëtæ facile ignosco, cùm cogito, crudelissimi &* φονικωτάτου *tyranni, in quem illa* 1605.

1605. *erant, metu, de industria atramenti sepiarum aliquid esse affusum: neque dubito, sapientissimum Præceptorem Cornutum scribenti adfuisse, qui vetus verbum crebrò illi insurraret,* Σκόπει· *quod etsi disertè Probus, sive quicunque est vitæ scriptor, non dicit, ea tamen narrat, ex quibus hoc debeamus colligere. Jam cùm scribit idem* βιογράφος, *verecundiæ virginalis Partheniani nostrum fuisse, aliud agens caussam nos docet, cur ille locus tenebricosè fuerit tractatus, cui vix alius toto libro obscuritate par, obscænitate similis nullus:* περικοπὴν *illam dico è quarta,*

At si unctus cesses.

Etiam illud ultrò concedimus, nonnulla Persii loca tropis parum usitatis & audacioribus esse offuscata: hujus quoque non culpam, sed caussam, ita enim dicere æquius, ingenio Poëtæ assignamus: quod cùm esset magnum, magna sectabatur. Dictiones autem tropicas magnitudinem naturâ suâ habere, cùm alii docent τῶν περὶ τοὺς λόγους, *tùm affirmat hisce verbis* ὁ τῶν πάλαι κριτικῶν κριτικώτατος *Longinus:* μεγάλαι, *inquit,* φύσει εἰσὶν αἱ τροπικαὶ λέξεις, καὶ ὑψηλοποιὸν αἱ μεταφοραί· καὶ οἱ παθητικοὶ καὶ φραστικοὶ κατὰ τὸ πλεῖστον αὐταῖς χαίρουσι τόποι. *Hæ sunt illæ parum moderatæ & inclementes (id enim est* ἀπηνεῖς*) metaphoræ, quas ait idem in Platone, quo nemo unquam facundior, notari solitas à dicendi artificibus nonnullis. Etiam Demosthenî quæ objiciebantur ab Æschine, tanto cum hiatu, ut* θαύματα *diceret esse, non* ῥήματα; *quid aliud fuêre, nisi paullò duriores translationes? adeò magnis quibusque ingeniis familiares hujusmodi excessus, &* παρακεκινδυνευμέναι *dictiones. Dionysio quidem Halicarnasseo si credimus,* τὴν ἀσάφειαν πολλαχοῦ δεινότητα εἶναι, *non jam excusandus fuerit nobis Persius, verùm præconio* εὐμουσίας *clarandus. Fuit præterea Flaccus noster οὐ φιλόμυθός πως, sed amans brevitatis: quæ res obscuriorem est ubi illum reddit: non alia caussa fuit, ut unum saltem exemplum afferam, cur hactenus non intelligeretur ille versus:*

Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi:

quem primi nos, absit verbo invidia, ex Poëtæ mente sumus interpretati. Extra auctorem possunt multa afferri: ego pauca tantùm commemorabo. Quòd igitur multa obscura hodie videntur, quæ cùm scribebantur, pueris erant obvia; non penes auctorem culpa hæret, sed penes lectorem: quotus enim quisque Persium legentium saltem mediocrem morum veterum & Historiæ antiquæ cognitionem sudore partam habet? Adde quòd ipsa rerum natura progressu temporum ita novam rebus humanis faciem inducit, ut ad intelligendos veteres Scriptores, nihil persæpe hodiernæ vitæ comparatione nos juvante, velut in tenebris sit micandum, & fallacibus conjecturis ad veritatis indagationem insistendum: atque huic querelæ tum præsertim est locus, quando vel privati, vel publici mores perstringuntur; in quo solo & Comœdia, & Satyra Romana versantur. Non prætermittam genus ipsum Poëseos, naturâ suâ difficilioris: nam, ut alibi probamus, Satyra hæc & genus & nomen est non plebeji poëmatis, sed carminis eruditi: & propter affinitatem, quam habet cum Dramaticorum fabulis, ipsâ personarum mutatione perplexum. Interpretes verò diverso modo obscuritati, de qua dicimus, caussam præbuerunt: veteres, quia perierunt; quæ fuit seculi barbari flagitiosa negligentia: recentiores, quia alia οὐχ ἑρμηνεύσαντες, alia παρερμηνεύσαντες, lectores persæpe aut incertiores & indoctiores quàm dudum, aut malè doctos dimiserunt. Nemo in suam contumeliam dictum putet, quod de iis dicimus, qui hanc provinciam ante nos administrarunt: nam & nos, qui eorum diligentiæ

gentiæ succrevimus, tam meminimus homines esse, falli faciles, literis leviter tinctos, quam scimus, ipsos quæ nesciverunt aut male sciverunt, ignorasse vel probasse, quia homines erant: hoc ingenuè profitemur, nondum quenquam incidisse in manus nostras è tot Poëtæ hujus interpretibus, cujus rationem & interpretandi viam possemus probare. Unicum excipio Hadrianum Turnebum, virum in hoc genere literarum eminentissimum; qui si ex professo Persium suscepisset enarrandum, nullo, ut arbitror, spicilegio nobis relicto, aliud scilicet curassemus: nunc cùm obiter tantùm quædam tractaverit, exemplo illius ad hoc quicquid est operis concinnandum sumus excitati. Quoniam autem de libri hujus obscuritate multa docti indoctique passim loquuntur; ne quid omitteremus, quod ad lucem illius posset desiderari, postquam semel interpretem professi eramus, Græcorum illud verbum, χελώνης φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν, *censuimus nobis esse usurpandum: quò enim interpres, nisi ut obscura illustret, difficilia facilia reddat vel primas literas doctis? Quod quidem dum pro virili nostra conamur, eò prolixiores facti sumus, quò brevior Persius: nam illorum fastidia, quibus satis est magnos scriptores* ὁλοσχερῶς περινοεῖν, *sapientissimo Imperatorum Marco reprehendi memineramus. Simul juvabat ejus auctoris explicationi immorari, cujus singula prope verba aliquid* βιωφελὲς *continere animadvertebam. Multa nos in tam erudito Poëta observasse, de quibus ne cogitarant quidem alii, si dixerimus, fiducia veri sit, non inanis jactatio: quid autem præstiterimus, docti & candidi Lectoris facimus arbitrium: nam etsi mediocris saltem diligentiæ sumus nobis conscii, scimus tamen,* οὐ πάντως τῶν προσεχόντων εἶναι τὰ ἆθλα, *ut dicebat olim B. Chrysostomus:* ἀλλὰ δηλονότι τοῦ ἄνωθεν βραβευτοῦ. 1605.

PRÆFATIO

IN

PERSIANAM HORATII IMITATIONEM,

Commentario adjectam.

NEMO, *qui vel summatim humanitatis studia attigit, Persii Satyras legit, quin statim imitationis Horatianæ aliqua saltem vestigia deprehendat: tam multa enim illius tam paucis numero versibus expressit, ut fungum esse oporteat, cujus animum, simul ac in hunc librum oculos conjecit, ejus rei aliqua non percutiat suspicio. Et tamen eâ arte, eo judicio in hac parte usus est Poëta ingeniosissimus, ut qui adeò multa non sua usurpat, suus tamen ubique sit, nec alieni beneficii ferè quicquam, verùm propria omnia habere videatur:* κἂν γὰρ παρ' ἄλλου λάβῃ τι, ἰδίως αὐτῷ χρώμενος ἴδιον τὸ ληφθὲν ποιεῖ: *quod olim eruditissimi Critici de Thucydide, Homerum imitante, pronuntiarunt. Quare equidem facilè ignosco tot commentatoribus, quos palàm est ita negligenter in hoc negotio esse versatos, ut loca non pauca perperam acceperint; quædam, sed illustria, non animadverterint esse corrupta, unicam ob caussam hanc, quòd Persium cum Horatio diligenter contendere, suarum partium esse, animum nunquam induxerint. Nos verò quam illis tribuimus veniam, ne ab aliis petere ipsi opus haberemus, quæcunque in eo genere observatione digna deprehenderamus, omnia studiosè collegimus, at-* 1605.

1605. *quæ in unum veluti communem locum huc conjecimus. Speramus non ingratum fore tyronibus, quorum studiis prodesse optamus, nostrum istud consilium: cùm præsertim imitationis artem, sine qua penè infructuosa Veterum lectio fuerit, nullius Magistri præcepta æquè bene ipsos doctura sint, atque hoc pulcherrimum tanti viri exemplum. Si extarent Lucilii Satyræ, non dubito etiam in illis reperiri quædam posse, quibus noster sua fecerit auctiora & luculentiora: sed illa, opinor, forent non multa; quantum quidem ex reliquiis ejus Poëtæ licet conjicere: horridior enim & incultior Lucilius fuit, quàm ut aliquid facile ex ipsius lutulentis carminibus tolleret Persius, atque in rem suam verteret. Venusinum verò Flaccum sic in deliciis habuit, miratusque est hic Flaccus, ut totum memoriâ tenuisse existimem: quod quidem ita esse, neminem puto dubitaturum, qui observaverit quàm sæpè, quàm feliciter & sententias & dictiones ejus usurpet: apparet commentanti Persio verba versusque Horatianarum Satyrarum non anxiè, sed ultrò sub acumen stili venisse: ut videatur magis non repudiasse, quæ sibi comiter sua memoria suggerebat, quàm de industria quæsivisse. Neque enim debemus ejus infelicitatis tantum virum damnare, ut putemus aliquam ipsum ex affectata Horatii imitatione aucupatum esse gloriam: iniquum, ridiculum & stultum sit, tam ineptæ ambitionis nobilissimum juvenem ac sapientissimum velle insimulare; qui contrà summo judicio virtutes Horatii sic imitatus est, ut nævos & ἀποτυχίας ejusdem cautus vitarit sedulò: quod cùm alibi pluribus demonstratum sit à nobis, misso hoc sermone, quod instituimus jam aggrediemur.*

Nobilissimo Viro,

JOANNI DE RIEU,

RUTENORUM Præsidi,

ISAACUS CASAUBONUS

S. D.

(Præfixa Libris de Satyrica Græcorum Poësi, editis anno 1605.)

1605. OBstrictam tibi fidem ante aliquot annos, cùm unà Monspelii essemus, tuque domum ad me visendi & salutandi causâ venisses, quæ tua est humanitas, & in literas singularis amor, Præses dignissime; serius quidem, sed eò cumulatius jam tandem libero. Diatribam enim super Romanæ Satyræ natura atque appellatione, cùm inter colloquendum de literarum studiis, in eum fortè sermonem incidissimus, tibi pollicitus: ne tam benignus creditor sortem sine aliquo fœnere, longo adeò præsertim intervallo, reciperes; disputationem aliam adjeci, ut non planè ejusdem, ita nec usquequaque dissimilis argumenti. Nam qui sciremus, non mediocriter solùm eruditos cum vulgo credere; sed longè doctissimos etiam viros, & summæ in literis autoritatis, docere, genus illud Latinæ Poëseos à Græcorum Satyrica originem simul ac nomen traxisse; quum secus rem habere nobis persuasissemus, ne sine justa satis causâ à communi hac, & omnibus fermè recepta opinione videremur discedere;

dere; faciendum esse duximus, ut de utraque Poësi, quæ veniebant in mentem, unâ eâdemque operâ scriptis mandaremus. Accipe igitur, Præses clarissime, & quod Sapientes haut minoris fecerint, Vir doctissime, non ut spoponderam, paucarum horarum diatribam; sed aliquot saltem dierum lucubrationem, tuo nomini multò etiam prius quàm nasceretur, dicatam, meritissimèque consecratam. Etsi enim magno & locorum & temporum intervallo dividimur; hæret tamen animo nihilominus, semperque hærebit, mutui amoris nostri jocundissima memoria, & honoris ejus grata recordatio, quem studiis meis aliquando habuisti, cùm ut fructus illorum aliquis in vulgus manaret, vigiliæque nostræ publicarentur, quia Monspelii res erat propter loci conditionem difficilior, nullis parsurum te sumtibus, & verbis prolixè ostendisti, & re etiam ipsâ luculentè probasti. Equidem non sum adeò ignotus ipse mihi, ut quæ à me fuerint profecta, tanto hoc cujusquam, nedum tuo, viri eruditissimi, studio digna censeam: tu tamen, quum amore nostri aciem judicii tui præpediente, aliter sentires; præclarè hoc pacto, quantum humanitatis literis tribueres, palam fecisti. Simul amentiam illorum auctoritate sententiæ tuæ confutasti, quos nihil pudet, exquisitiorem Linguarum & Antiquitatis notitiam, ceu Reipublicæ inutilem, pietati verò etiam adversantem, differre convitiis, ac diffamare: qui error fanaticus cùm occulto quodam Dei judicio per multa secula hominum mentes occupasset; memoriâ demum avorum penè undique è Gallia nostra profligatus, certorum nunc hominum scelere immani in eandem & universam quoque Europam revocatur. Quid? nonne superioribus mensibus sacerrimus liber prodiit, quo impietatis omnes promiscuè arcessuntur, qui post literarum παλιγγενεσίαν cum aliqua laude in iis sunt versati? Aut quisquam dubitet, melioris literaturæ perniciem eos moliri, qui nefario ausu in doctissimum quemque nostræ ætatis, & de Republica literaria optimè meritum, tanta cum petulantia atque impudentia invehuntur? Saltem si maledicere volebant, portentis mendaciorum abstinerent: si scribere gestiebant, Latinè scriberent: nam quis barbarismos, solœcismos, stribligines eorum enumeret, aut patienter ferat? Non hortabor te, Præses integerrime, ut certo huic istorum malè conciliatorum furori te opponas, quod in te fuerit; ne prudentiæ & constantiæ tuæ in amore literarum videar diffidere. Gratulabor potius bonitati naturæ tuæ, quæ neque in ratione studiorum, neque in administratione Reipublicæ à recto tramite & via regia deflectere unquam te sivit. Quemadmodum, qui & bonas artes semper ornaris, & bonas partes fortissimè semper defenderis, magnumque ex ea re nomen tibi pepereris; pulcherrimam hanc laudem illibatam ad extremum te conservaturum, omnes speramus, qui excellentem virtutem tuam habemus notam: atque adeò ut ita facias, ex animo optamus. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IX. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CV. 1605.

 CLAUDIO

CLAUDIO CHRISTIANO,

FLORENTIS FILIO,

ISAACUS CASAUBONUS

S. D.

(Præfixa Cyclopi Euripidis, Latinitate donatæ à Septimo Florente Christiano; Diatribæ subjunctæ.)

1605. EURIPIDEAM CYCLOPEM, Latinè olim à clarissimo viro, parente tuo, versam, & nudius septimus mihi à te communicatam, eruditissime Christiane, magna cum voluptate, ut omnia illius, legi. Quæ præcipua laus in hoc genere scriptionis meritò censetur, ἰσχὺς καὶ πίνος τῆς ἀρχαιότητος, & Antiquorum sine affectatione aut damno sententiæ, æmulatio; eâ laude sic excellunt quæcunque vel de Latinis Græca, vel Latina de Græcis, ὁ μακαρίτης pater tuus fecit; ut præcelsumne, & Veteribus comparandum ejus ingenium, an absolutam utriusque linguæ notitiam prius admirer, haud facile statuam. Etsi autem non ignoro, factum iri injuriam pietati tuæ adversus optimum parentem, & amori erga Musas, quas studiosè colis; si quis te in publicandis illius scriptis fuisse hactenus cessatorem dicat; non tamen dubitabo, vel ἐκ περιουσίας te convenire, hortarique etiam & etiam, ut communi huic studiosorum voto, relictis rebus, quàm primùm satisfacias. Intereà verò fabulam hanc, quæ, ut liquidò probavimus, Satyrica est, cum iis, quæ de genere illo Græcæ Poëseos disputamus, in lucem simul edere, quoniam fidei nostræ eam permiseras, placuit: neque tui, opinor, consilium improbabis. Vale.

Vide Epistolas Gallicas ad Scaligerum, lib. II. Epist. XXXI.

Nobilissimo Viro,

D. BENJAMINO

à BUWINKHAUSEN & WALMEROD,

Equiti, Illustrissimo Duci Wirtembergico à Sanctioribus Consiliis, & apud Regem Christianissimum Oratori,

ISAACUS CASAUBONUS

S. D.

(Præmissa B. Gregorii Nysseni Epistolæ, excusæ Lutetiæ Parisiorum, anno 1606.)

1606. DIvinitùs olim Græcorum sapientissimus, animo meo, Socrates dicebat, Vir nobilissime, idem esse veritatem & virtutem. Etsi enim rerum naturam subtilius rimantibus tantum discrimen inter verum bonumque apparet, quantum hominis intellectus ab ejusdem differt voluntate; ea tamen inter utrumque

utrumque est conjunctio, ea cognatio, ea denique συμφυΐα καὶ ἀλληλουχία, ut ad alterum nisi per alterum non perveniatur; quum unica ad veritatem per virtutem pateat via. Non enim de qualibet veritate perpessus senex sentiebat; sed qui ad artem vitæ omnia referret, eam intelligebat, cujus notitia ad beatam vitam momentum facit. Hanc veritatem ipso naturæ instinctu, quæ desiderium felicitatis omnium mortalium mentibus infudit, & Socrates, & sapientissimi quique ab ævo homines studio summo, & acri contentione ingeniorum, etsi successu dispari, semper quæsiverunt. Quorum ut laude maximâ dignissimus est conatus, ita sors nostra Christianorum, si quidem bona nostra intelligimus, beatissima meritò prædicanda. Quippe illi suopte Marte, & solis ingenii naturæque viribus, atque ejus corruptæ & pravitate occœcatæ, ad tantæ rei indagationem nitebantur: nos Dei Opt. Max. beneficio immortali, illius ipsius ope atque auxilio fulcimur, velimus modò, penes quem unum totius bonitatis atque veritatis fons scaturit; quique adeò ipse est ipsa bonitas, ipsa veritas, Dominus noster Jesus Christus, ὁ ὢν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, τὸ ἐν τῇ σκοτίᾳ φαῖνον. Porro autem ad veritatis hujusce verè salutaris non alia munita est via, præter illam, quam diximus, per virtutem & honestas actiones: nam qui aliâ grassantur, ii profectò non eunt, sed errant. Marci Eremitæ vox est memorabilis, eum demum Dominum Salvatorem esse inventurum, qui ipsum in suis præceptis quæsiverit: ibi enim latere εἰς τὰς ἰδίας ἐντολὰς ἐγκεκρυμμένον, frustra alibi quærendum. Hoc videlicet voluit vir sanctissimus, quod aliis verbis suavissimus Philosophus, & piarum deliciæ Musarum, Synesius dicebat: bene sentiendi principium & fontem esse, bene vivere: τὸ βιοῦν ὀρθῶς, ait, προοίμιον τοῦ φρονεῖν. Major enimverò, divinior, & sanctior res est veritas hæc, quàm ut eam mens humana indipisci queat; nisi sordibus, ac vitiis omnibus, queis ceu atri veneni δυσεκπλύτῳ βαφῇ natura nostra est tincta, antè mundetur, & quoad ejus fieri potest, penitùs purgetur. Quod quum intelligerent & Græci ὀνομαστὶ θέτῃ, eam partem sapientiæ, quæ penitiorem rerum divinarum doctrinam continet, τελευτὴν, velut scientiarum omnium ultimum apicem, dixerunt. Sic enim judicabant homines sapientissimi, neminem hujus disciplinæ satis idoneum futurum auditorem, prius quàm doctrinâ morum, & emendatione vitæ, quod unicum est rei caput, sese præparasset. Neque verò alia sententia fuit tùm aliorum veteris Ecclesiæ Patrum, tùm Gregorii Nazianzeni, viri sine controversia maximi, & qui ob exquisitam rerum divinarum notitiam, pari facundiâ eruditioneque junctam, gloriosissimum Theologi cognomen tulit. Hic igitur vir tantus gravissimum, & verè gemmeum libellum, quo de studio divinæ scientiæ disputat, ita concludit, ut oportere dicat, διὰ καθάρσεως κτᾶσθαι τὸ καθαρόν. Deinde autem iter affectantibus ad Dei, divinarumque rerum notitiam, Doctor fidelissimus hanc compendiariam ostendit, ut per Domini mandata iter capessant; eâ, non aliâ quò tendunt, perventuri: actiones namque ex virtute velut alteram Jacob Scalam esse, & gradus, quibus ad cœlestem veritatem ascendatur. Βούλει, inquit, θεολόγος γενέσθαι, καὶ τῆς θεότητος ἄξιος, τὰς ἐντολὰς φύλασσε· διὰ τῶν προσταγμάτων ὅδευσον, πρᾶξις γὰρ ἐπίβασις θεωρίας. Sed in primis memorandum est, quod apud Beatum Patrem Joannem Chrysostomum legere in hanc rem memini: scribit enim disertè vir facundissimus, tanti à Deo virtutem fieri, ut eum, qui ἐνάρετον πολιτείαν agat, vix fugere ad extremum veritas queat: adfuturum enim omnino Deum, qui in viam veritatis errantem sistat. Κἂν πλανώμενος, inquit, τύχῃ, ταχέως αὐτὸν ὁ Θεὸς πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἐπισπάσεται. Quod si quæ virtus est ex universo illarum choro, quæ in veritatis hujusce candidato, multò autem utique magis in Doctore, necessariò desideretur; quis dubitabit sanus, eam esse 1606.

1606. Charitatem, & erga omnes homines pium Christianumque benevolentiæ affectum? Hæc enim est illa præcellens & admirabilis virtus, quæ mortalibus Cœlos aperit, Cœlos claudit: quatenus illam summus Imperator tanti facit, ut qui ἀγάπῃ ἀνυποκρίτῳ & dilectione sincerâ fuerit præditus, hunc Legem totam affirmet implesse.

Ἐν ᾗ φιλημοσυνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστιν.

Ita enim dicendum est, auctore Christo, qui verus est & legitimus virtutum æstimator; non quomodo Græci Sapientes fecerant. Quid quod si hæc virtus absit, ipsa etiam Dei cognitio non saluti, sed perniciei cedit? Neque sanè mirum: superbus enim, & opinione sui inflatus animus, quæ vitia scientiam fermè comitantur, hostis est Dei, sicut Literæ Sacræ loquuntur. Quid multa? metropolis quædam est omnium bonorum, & totius felicitatis ταμεῖον, Dilectio, concordiæ mater, ἡ πασῶν τῶν ἀρετῶν πρόξενος, omnium hæreseum interfectrix. Ita dico, hæreseum victrix atque interfectrix est Charitas: quæ & natas exstinguit; & ne nascantur, impedit. Nisi quis est, qui aureo latice manantem Joannem Chrysostomum falsi velit ire argutum: qui sæpe repetit, sæpe clamat, omnium malorum, quæ terras adhuc colentem Ecclesiam lacerant, vanèque agitant, caussam esse, quòd exulet mundo vera amicitia: quâ salvâ, inquit, nulla possit esse discordia, nulli errores, nulla hæresis. Quàm esset optandum, Vir nobilissime, omnes ut hodie, qui vel esse, vel audire saltem Christiani volunt, ejusdem cum hoc cæterisque venerandis Patribus sententiæ essent; eundem affectum & φιλικὴν διάθεσιν inducerent; eodem spiritu mansuetudinis ducerentur! Nunc quæ sit Ecclesiæ facies in Europa; quàm tristis, quàm fœda, quàm miserabilis, omnes vident: neque est quisquam paulò gloriæ Dei studiosior, ad quem ejus doloris sensus non perveniat. Nam ubi hodie inter Christianos amor ille pius, Christianæ mentis certus character, viget? ubi concordia? ubi illa charitas, Paulo Apostolo ædificans dicta? Magnus Basilius in illa stupenda ecphrasi Ecclesiæ, temporibus suis similem eam dicebat navi, salo agitatæ, in cujus perniciem venti, undæ, hostes, & quicquid maximè terribile maria sulcantibus solet occurrere, conspirarunt: cujus interim, ait, vectores & nautæ communis periculi obliti, mutuam sævitiam ferro, manu pro se quisque, furore immani, invicem exercent. En hodiernæ Christianitatis expressam imaginem! Exoluere dudum pacis & concordiæ studia; ubique contentio; ubique odia plusquam Vatiniana; &, quod Basilius alter dicebat: λείψανον εἰρήνης οὐδὲν παρ' οὐδενὶ καταλέλειπται· πόλεμος δὲ κατὰ πάντων πρὸς πάντας ἀνέκδοτος. Bene sanè scriptor elegantissimus discordia in negotio religionis bellum vocat: verumtamen bellum ex ea caussa ortum, ipse non vidit. At vidit nostra hæc βαρυκάρδιος ætas multa; & quidem asperrima, crudelissima, immanissima. Nunc etiam, quòd clementiâ superum & sanioribus Principum consiliis, maximè autem virtute & bonitate Christianissimi nostri Regis ab armis est, ubi cessatur; quid refert? calamis pugnamus: linguis pro lanceis utimur; graphiis pro gladiis: & quum veritatis cognitionem plenis buccis hinc & inde nobis vindicemus, certis rerum argumentis probamus omnes, (bonos & εἰρηνοποιοὺς semper excipio; quos ubique non dubito superesse; non multos illos quidem: sed tantò pretiosiorem deficientis aurei generis favillam:) probamus, inquam, omnes, veritatis viam adeò nos ignorare, ut ne cogitasse quidem de illa investiganda videamur: veritatis enim, ut antè dicebamus, & passim inculcant pii Patres, ὁδὸς ἡ ἀγάπη ἐστί· qua ex re factum, ut quum plures hodie quàm unquam rerum divinarum scientiâ abundent; veræ tamen pietatis exemplis, haut scio an ulla ætas, æquè ut hæc nostra, caruerit.

ruerit. Nam ubi ſemel prædicta divinitùs charitatis ψύξις, verum Dei hominumque amorem in animis multorum exſtinxit, ilicet; ruere omnia in pejus; pro ſimplicitate primævæ fidei ſuccedere prurigo diſputandi, & fatale hujus ævi malum αἱ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως ἀντιθέσεις, quas vocat Apoſtolus: poſtremò, pietatem verba putare, ut lucum ligna. Et hæc aliquis ſiccis oculis intuebitur, qui ſe Chriſtianum ſaltem meminerit? Equidem, præſtantiſſime Vir, tantam hanc ſeculi noſtri infelicitatem animadvertens, poſtquam eò rem intelligebam rediiſſe, ut velitandi, altercandi, contradicendi, & per eandem lineam ſerram reciprocandi finis nullus fieret; dicam quid ipſe fecerim, ut dolorem meum, ſi pote, lenirem, quem ex ea re, pro eo ac debui, vehementiſſimum capiebam. Nam quò poſſem oculos, cogitationem, omneſque meos ſenſus ab hodiernis Eccleſiæ malis avocare, conſtitui ad priſtinæ Eccleſiæ ſcriptores animi mentem ſeriò referre; omniaque ſuccisiva mea tempora (quando aliam, ut nôſti, Spartam nacti ſumus) illi curæ impendere, ut quæ fuerit primæva fides, quæ forma diſciplinæ Eccleſiaſticæ, qui ritus verè antiqui, diligentius cognoſcerem. Id enim optimum eſſe dubitavi nunquam, quod antiquiſſimum; id veriſſimum, quod à principio, ubique & ſemper in Eccleſia pro vero habitum. In hoc igitur pulcherrimo ſuaviſſimoque ſtudio verſanti mihi accidit ante menſes aliquot, ut Gregorii, Nyſſæ quondam Epiſcopi, quem inter præcipuos antiquæ fidei teſtes & Doctores Eccleſia veneratur, Libellum ſive Epiſtolam beneficio amicorum nanciſcerer, neque Græcè, neque Latinè, opinor, luce publicâ adhuc donatam. Quæ ſcriptio digniſſima mihi viſa eſt lectione omnium orthodoxæ fidei pariter, & virtutis ac publicæ concordiæ amantium. Etſi enim non defuturos facile conjicio, ut ſunt hodie ingenia hominum, nonnullorum præſertim αὐθημέρων σοφῶν, σπορτῶν θεολόγων ut Gregorii Nazianzeni & Syneſii verba uſurpem; qui hanc Epiſtolam, quoniam nihil admodum continet, quod polemicorum ſcriptores ſuis libellis inferciant, non magnopere ſint deſideraturi: mihi tamen longè aliter videtur; qui vel graviſſimè in eo peccari vulgò arbitror; quòd iis omiſſis, de quibus inter omnes convenit, ea duntaxat urgemus, inque iis ſolis pietatis ſummam ponimus, de quibus non æquè conſentitur. Quantò enim erat ſatius, propter multa, de queis idem ſentimus, Chriſtianam invicem colere charitatem; quàm propter illa, de quibus minus conſentimus, tantum odiorum animis concipere? Sed nimirum hodie ita facti ſumus; eundum eſt in præceps; & ut hoc Europæ incendium foveatur, oleum camino addendum: eo enim animo multi, quod res arguit, Patres lectitant; qui, niſi fallor, eâ potius fine erant diligenter legendi, ut ſalvâ fidei regulâ, quæ Sacroſanctis Scripturis continetur, remedia malis noſtris quæreremus, & pro viribus efficere conaremur, ne vetus Græcorum dictum in nos tandem expetat: *Si ſtrangulat aqua, quid ſupereſt bibendum?* Sed illuc redeo. Nos itaque graviſſimi Patris hanc Epiſtolam nacti, ut dicere cœperamus, quod primum otium à penſo quotidiano operis inſtituti, & moleſtiſſimis occupationibus per caſtum Magnæ Hebdomadis ante Paſcha conſecuti ſumus, in hac editione illius paranda collocavimus. Tenuis, fateor, opella; ſed non in tenui re; quin potius omnium graviſſima. De concordia enim Eccleſiæ, & duabus in Chriſto naturis, agit heic Gregorius: quo argumento nobilius excogitari nullum poteſt. Eò impenſius cavendum mihi fuit, ne quia hactenus doctis hominibus Nyſſeni liber hoc titulo nullus videtur fuiſſe notus, capitis controverſia huic, quam publicamus, Epiſtolæ poſſet moveri. Propterea ſtudioſè fecimus, ut ex aliis ejuſdem ſcriptoris opuſculis & ſtyli & doctrinæ ſimilitudinem, vel potius τὴν ταυτότητα pluribus probaremus: de quo ne-

1606.

1606. minem dubitaturum confidimus, qui Notas à nobis adjectas consulere fuit dignatus. Hoc autem, quicquid est, ut tibi dicarem, Vir excellentissime, recordatio jucundissima fecit eorum sermonum, quos unà nuper habuimus: in quibus quum præclara multa, eaque magnifica de potentissimo tuo Principe, Illustrissimo Duce Wittembergico, prædicares; nihil tamen æquè in fortissimo Heroë laudare te memini, atque ingens quoddam studium pacis, & tùm in Republica, tùm vel maximè in Ecclesia firmissimæ concordiæ. Huc referri plerasque sapientissimi Principis curas, horsum spectare cogitationes, ut in conciliandis conjungendisque invicem cæterorum per Germaniam vestram illustrissimorum Principum animis, & ad pulcherrimi incepti societatem ineundam hortandis impellendisque devotæ suæ mentis, & Deo & cunctis mortalibus testimonium præbeat: ô curas, omni curâ dignas! ô cogitationes, verè principali menti aptas! eò quidem magis, quò est notius omnibus, ita ferè, si quod res est, dicere licet, vivi hodie, ut qui Regibus ac Principibus exemplo suo præire ad id genus consilia debebant, ab illis potius sui officii & professionis admoneri, opus sæpe habeant. Quod sanè genus mali neque novum in orbe Christiano esse, neque insolens, omnis propè superiorum temporum memoria, simillimis exemplis quàm refertissima, manifestò arguit. Hæc igitur nuper quum de inclyto Principe tuo commemorares, simul tui quoque animi cupiditate immensâ eòdem tendentis, significationem eam dabas; ut qui jam antè ob singularem eruditionem tuam, & in nobilitate tam alta, fortuna tam celsa, humanitatem comitatemque tantam, plurimum te colebam, propter hunc pium adeò affectum suspicere & venerari inciperem. Omitto nunc dicere de cæteris ingenii tui præstantissimis dotibus; tot linguarum peritiâ, tot populorum notitiâ ἐξ αὐτοψίας, usu rerum, quem habes, & quibus præcipuè excellis, eximiâ fide ac prudentiâ: omnium instar unum hoc fuerit, quod nemo eorum nescit, qui te nôrunt, tantis hisce virtutibus consecutum esse te, ut quum Illustrissimo tuo Principi sis charissimus; Christianissimo quoque Regi, in cujus aula magno cum splendore & integritatis fama nunc vivis, sis acceptissimus; tantumque apud utrumque gratiâ polleas, quantus est, qui ipsos publico bono jungit, amor. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VIII. *Eid. Jun.* CIↃ IↃ CVI.

HENRICO IV.

Franciæ & Navarræ Regi Christianissimo,

ISAACUS CASAUBONUS

S. D.

(Præfixa Commentariis in Polybium, editis anno 1609.)

1609. SAPIENTES olim viri, Domine, quum uno omnes ore memoriam rerum gestarum laudibus in cœlum certatim ferrent; eò venêre demum, ut dicerent, conditores historicorum monumentorum divinæ providentiæ ministros in terris agere: porro autem Historiam, vim naturamque eam habere, ut homines anteà rudes atque idiotas, (ipso enim verbo hoc utuntur) ad capessendos honores, & res sive domi, sive militiæ gerendas, idoneos præstare valeat. Ita, si præstantissimorum Auctorum stamus sententiâ, unum hoc literarum

terarum est genus, cujus studio Sapientia simul parabilis, & Prudentia; duo 1609.
felicitatis, quæ summa potest homini nato privatim aut publicè contingere, sola, eaque certissima, instrumenta. Sapientia siquidem est, quæ Dei Opt. Max. numen docet agnoscere; opera contemplari; potentiam infinitam, pari justitiâ & bonitate junctam, mirari, venerari, revereri: quæ hominem sensu pietatis imbutum humo attollit, & supra cœlos evehit. Prudentia verò est, quæ inter bona malaque, utilia & noxia, salutaria & exitiosa, statuit discrimen; sine qua ne intelligi quidem ulla virtus potest: nihil enim adeò bonum, quod, ubi hæc abest, non vertat malè; nihil adeò malum, quod, si hæc adsit, non cedat bono: sola quippe in quolibet rerum habitu servata servat. Prudentia denique oculus est mentis, anima Politicæ, Reginæ illius omnium humanarum disciplinarum. Ad harum igitur utriusque adeptionem, Historiam sui studiosos mirum quantum adjuvare, excellentium judicio & rerum usu virorum constans semper fuit sententia. Rara omnino & planè magnifica laus hæc est: vera tamen, DOMINE, ac debita, & quæ nihil quicquam trahat ex vano. Nempe Historia, civitatum regnorumque ortus, incrementa, conversiones, atque interitus commemorat; populorum status, alibi pace florentes, alibi bello afflictos: ad hæc, Reges & Principes, modò purpurâ nitentes, in sellis aureis sublimes, majestatis suæ fulgore oculos palàm mirantium, clam invidentium præstinguentes, denique superis proximos; modò pullis miserè amictos, soliis deturbatos, dignitate omni nudatos, rerum etiam necessariarum egenos; postremò cuivis etiam privatorum miserandos. Est qui narret, alibi motu terræ hausta oppida; alibi aquarum repentinâ inundatione obruta, aut tellure dehiscente absorpta; sedisse immensos montes; visa in arduo, quæ plana fuerant. Est qui referat, superbas paullò antè incolarum frequentiâ provincias, nedum urbes, unius autumni intemperie, & paucorum dierum an mensium morbositate fuisse vacuefactas. Alibi subitâ invasione, alibi diutinâ obsidione, civitates pereunt. Heic flammâ, ibi ferro, homines, familiæ, nationes delentur atque exstinguuntur. Septentrio in Meridiem, Occidens in Orientem infunditur. Damascenus amnem Bætim, Lusitanus Gangem bibit; Hispanus alterum orbem aperit. Est ubi nova surgunt imperia; est ubi antiqua, aut in sese mole suâ corruunt, aut alienâ vi concidunt. Dies, hora, momentum, evertendis dominationibus sufficit, quæ adamantinis credebantur radicibus esse fundatæ. Quid multa? hujuscemodi Fortunæ varietates omnis omnium gentium, quà vetus, quà recens loquitur Historia; humanæ conditionis, hoc est, fragilitatis plus quàm vitreæ, testis fidelis; & vitæ hominum, tot casibus, quot erroribus obnoxiæ, imago vera. Non sunt ista Dei immortalis opera, quæ in gubernatione hujus Universitatis omnipotens ejus dextera à conditu rerum ad hanc diem indesinenter edere non cessat? Aut quisquam negabit, qui hæc narrare, & in unum collecta omnium oculis exponere ordine aggrediatur; eum timorem Numinis, veræ fundamentum Sapientiæ, attendentium animis ingenerare? Jam præmia bonorum, scelestorum pœnæ, quâ efficaciâ legentium animos, ut natura est hominum, soleant movere, ignorat nemo. Quo utroque genere exemplorum omnes Annalium paginæ quum sint refertissimæ, non temerè usque eò væcordem reperire sit, qui dum ea legit, oculos cœlum versus, non interdum attollat, ac velit nolit exclamet, Est profectò Deus, qui dicta factaque mortalium videt, observat; muneratur, ulciscitur. Verè igitur Sapientiæ mater, Historia: verè ministri divinæ providentiæ, Historici: operum quippe Scriptores, quorum Deus est factor: judiciorum Scribæ, ut sic dicam, & actuarii, quorum Deus est auctor. Enimverò Sapientiam quidem

1609. Historia inchoat, non tamen perficit; ducit enim ad Deum, sed non perducit: quæ quidem cœlestis Mentis & Naturæ opera non ex professo rimatur, neque explicat; sed tantùm, ubi in illa incidit, cupidè ac fide sincerâ profert in medium, & indicat; contenta velut aream ac solum stravisse, cui Philosophia & sacra Theologia, arcto illæ quidem sibi conjunctæ vinculo, sed diversæ tamen scientiæ, suarum deinceps demonstrationum substructiones arte subtiliore & otio majore immoliantur. Negotiosa namque & actuosa res est Historia, quæque disputantium subtilitates non capiat, non moretur. At Prudentiæ & civilis doctrinæ eadem & fundamenta ponit, & fastigium supremamque manum prope sola illis imponit. Hic utique est campus, in quo Historia decurrit; hic scopus, hic finis, ad quem se profitetur collimare. Planè, si definitionem admittimus ab antiquis Philosophis proditam, Prudentia nihil est aliud, nisi multarum rerum memoria, & usus complurium negotiorum: ex quo fit perspicuum, quàm sint, non dicam, affines; sed, penè idem, Prudentia atque Historia. Quid namque aliud legitimè scripta Historia agit, nisi ut res hominum, mores, instituta, gesta, memoriæ commendet? vitam exemplis instruat? caussas, eventus, & modum, quo res geri quæque, sive à togatis, sive à sagatis solent, aperiat, narret; & narrando, cùm præsentes, tùm pòst futuros, doceat? Unde sequitur necessariò, eum qui in memoria rerum seriam & diligentem operam posuerit, multiplicis experientiæ fructum, non multò aliter fore laturum, quàm si periculum ipsemet fecisset. Est quidem, fateor, illa, quæ actu & inter ipsa discrimina colligitur experientia, aliquantò efficacior: sed hæc dos quot aliis, quàm magnis, pensatur incommodis; brevitate vitæ etiam longissimæ; raritate occasionum; paucitate rerum, quas in ætate, quamvis longa, homini contingit experiri: ærumnis & periculis interim adeundis, è quibus emergunt oppidò pauci; ad extremum, frustratione finis. Quando enim istâ longo usu partâ & confirmatâ prudentiâ utemur? tùm, credo, cùm rugis aratam faciem frons asperat; corpus parum solidum & jam effœtum senecta dissolvit: quam ætatem vix dandis consiliis aptam, certè magnis facinoribus designandis patrandisque esse ineptam, etiam veteri Græcorum verbo monemur. Itaque Themistoclem, cùm annos natus centum & septem moreretur, cum Natura expostulasse accepimus, quòd tunc egrediendum esset è vita, quando usu longo sapere didicisset. Omnino tria sunt commoda, quæ experimenta Politicis afferunt, qui vel in administratione Reipublicæ, vel in re bellica (hæ sunt partes duæ Politici studii,) diu multumque fuerint versati. Primum, quòd rationes addiscunt eorum perficiendi, quæ in Conciliis publicis, aut Principum, agitari amant, & quæ usus belli postulat. Nam, verbi gratiâ, qui sit modus urbem coronâ cingendi, circumvallandi, munitiones exstruendi, stationes collocandi, machinas expediendi, quatiendi mœnia, cuniculos cavandi, fossas complendi, in insidias obsessos eliciendi, inani specie terrendi, postremò irrumpendi; illiterati ignorant, qui neque stipendia ulla fecerunt, neque obsidionibus unquam interfuerunt. Sic, metari castra quid sit; locum eligere sibi commodum, hosti inimicum; vigilias disponere, agmine quadrato procedere, aciem instruere, atque eundem exercitum modò latius pandere, modò in angustum coarctare; & aut in cornua, sinuatâ mediâ parte, curvare, aut rectâ fronte explicare, soli inter literarum rudes intelligunt, qui sub Jove frigido aliquando manserunt. Hoc primum est usûs beneficium; cui par alterum, scientia cavendi; nam difficultates, pericula, & casus rebus gerendis solitos intervenire, usus docet; meminit enim cui dolet. Alioquin sexcenta sunt in omni inceptione discrimina, à quibus cavere sibi non potest,

qui

qui fuerit eorum, ut Græci dicunt, ἀνεννόητος· inexpertis enim nihil ejuſmodi 1609.
in mentem venit. Inde illa vox aliena prudentiæ, & quàm turpis ſemper, tam calamitoſa perſæpe, Non putabam. Tertium eſt, agilitas quædam & dexteritas, munia pacis aut belli exſequendi, quæ agendo contrahitur. Horum igitur trium, ut poſtremum indocilem uſûs diſciplinam deſiderat, ad quod nulla Hiſtoriæ lectio, nulla meditatio, per ſe, niſi modica ſaltem accedat exercitatio, poteſt aſpirare; ita duo priora, cur æquè bene, atque haut ſcio an non etiam melius, diligente & attentâ præſtantium Hiſtoricorum tractatione poſſimus conſequi, cauſſam equidem nullus video. Certè, ſi multitudo negotiorum, ſi varietas caſuum, ſi multiplex eventuum diverſitas, ſi cognitio conſiliorum omnis generis, & ſollers talium obſervatio, elementa ſunt Prudentiæ; quin ſit prora & puppis doctrinæ politicæ, Hiſtoria, nemo poterit negare. Vult ſcire cauſſas aliquis, quæ homines in commune conſulere compellant; aut rurſus, quæ contractas ſocietates diſtrahant? quibus inſtitutis parva Reſpublica fieri magna queat? quibus moribus, quâ peſte Imperia labefactentur, decreſcant, intereant? Hiſtoria eſt, quæ melius iſta, quàm uſus, aut ullus Philoſophus demonſtret. Vult ſcire, quomodo cum Regibus ſit agendum; quomodo cum civibus, cum exteris, cum ſubditis? quâ arte populorum motus aut præcaveri, aut ſedari queant? Hiſtoria eſt, quæ ſexcentis hæc doceat exemplis. Vult ſcire, quanto judicio bella ſint ſuſcipienda, quo pacto gerenda, quomodo finienda, quæ ſint in eo jura ſervanda? Hiſtoria eſt, quam tutò licet conſulat. Vult ſcire, quâ ratione rectè legationem poterit obire, in colloquium cum hoſte impune deſcendere, fœderum & pacis negotium ſine fraude ſua tractare? Hiſtoria eſt, quæ omnes ritus, omnia conventionum ſolemnia, omnes paciſcentium callidas & veteratorias artes non ſinit ignorari. Vult ſcire, quæ hanc aut illam Rempublicam fata maneant? Hiſtoria eſt, quæ ad divinationem exercendam, & quidem innocentiſſimam, arte inſtruit non vanâ. Vult ſcire, quâ ratione oppugnatio urbis alicujus ſit tentanda, quâ item defenſio ſit inſtituenda: quâ formâ aciei, quo genere pugnæ, terrâne an mari, pedes an eques, planis & apertis, an editis & ſalebroſis locis melius hoſtem poſſit aggredi? Hiſtoria eſt, quam *Nocturnâ verſare manu, verſare diurnâ* debet: neque enim exempli documentum deerit, quod imitetur. Poſtremò quæcunque tandem σκέψις politica inciderit, quæcunque in armis molitio, audiat graviſſimi Senatoris vocem, & ſibi conſilium datum putet: *Unde facilius,* ajebat M. Tullius, *quàm ex Annalium monumentis, aut res bellica, aut omnis Reipublicæ diſciplina cognoſcetur?* Audiat & virum ſanctiſſimum, Lupum, Ferrarienſem Abbatem, magnum quondam Galliarum lumen. Hic perturbatis mirâ confuſione rebus in hoc regno, anxium curis, & conſilii inopem Regem Carolum Calvum literis ſolatur, & viam ad ſalutem iſtis verbis illi indicat: *Imperatorum geſta breviſſimè comprehenſa, Veſtræ Majeſtati offerenda curavi; ut facile in iis inſpiciatis, quæ vobis vel imitanda ſint, vel cavenda. Maximè autem Trajanum & Theodoſium ſuggero contemplandos; quia ex eorum actibus multa utiliſſimè poteritis ad imitandum aſſumere.* O divinum prorſus inventum! ô vitæ certam magiſtram! quæ juveni ſenectutis illud unicum bonum, prudentiam, confert; nec tamen è tam multis ætatis malæ incommodis ullum ſecum adfert: quæ peregrinationis commoda conciliat; mores gentium, regionum ſitus, opportunitates locorum docet; ærumnas tamen peregrinationis detrahit; periculorum & animi & corporis gratiam facit: quæ ſcientiâ militaris diſciplinæ non perfundit, ſed imbuit; militiæ tamen vacationem & honeſtam miſſionem indulget. Quid verbis opus? Hiſtoria, po-

 ſteaquam

1609. steaquam ut magna possimus conari, præstitit; præstat etiam, ut velimus. Nam quòd disertissimus ille Romuli nepotum, aliique Veterum, Historiam speculum actionum humanarum appellarunt; rectè illi quidem; est enim reverâ: sed vis naturæque illius, quod erat præcipuum, hoc simile dissimulat. Neque enim imaginem dumtaxat dictorum factorumque exprimit; verùm hoc amplius, arcanâ quadam Naturæ lege, spectatores, dictu mirabile! in actores transformat, & facta gemina iis, quæ admirabundi cognoverint, elicit. Est igitur Historia, speculum quidem, sed vivum atque ardens; cujus oppositu in animis generosorum, quod Q. Maximus, & P. Scipio de se soliti fateri, flamma æmulationis accenditur: ut plurimùm caussa vera, fons & origo facinorum omnium laude dignorum. Nam quum nullius non honestæ rei semina animi gerant, hoc quasi fomite efficaciter incitantur; non aliter quàm scintilla, flatu levi adjuta, ignem suum explicat. *Doctrina sic vim prorogat insitam, Rectique cultus pectora roborant.* Legimus in Annalibus, Gratianum Augustum, præclaræ indolis adolescentem & bellicosum, *ad æmulationem Lectorum progredientem Principum* decus sibi ac gloriam non mediocrem peperisse. At non solus hoc Gratianus fecit: fecerunt idem omnes magni Politici, & Senatores; magni item Duces, Imperatores ac Reges, quorum hodie facta cum stupore cognoscimus, nomina venerabundi ad aureis admittimus. Nihil dicam de Alexandro Magno, nihil de aliis civitatum Græciæ strenuissimis Ducibus; quos in rebus gerendis ab omni genere literarum præsidium petiisse, nemo nescit. Tacebo Achillem, qui à sapientissimo Poëtarum inducitur, per otium se oblectare meditans

Fortia majorum, præclaraque facta canendo.

Silebo Reges Syrorum, Persarum, Ægyptiorum, quos Historiæ admodum studiosos fuisse, & Literæ Sacræ, & alia monumenta testantur Antiquorum: Pœnos quoque, illam immitem gentem, Historias lectitasse; Hannibalem etiam scripsisse: ipsos quinetiam Turcorum Sultanos & legere, & inter armorum fragores consilia aliquando ab Historia opportunè petiisse, Annales ipsorum faciunt fidem. At Romanos, rerum dominos, qui virtute non minus quàm armis populos omnes superarunt, atque orbem terrarum sui juris fecerunt, sine piaculo prætermittere non queam; viros in exemplar omnium magnarum virtutum natos. Romanos igitur Proceres licet observare, DOMINE, quum per multa sæcula alias omnes literas ignorarent, Philosophiam verò etiam odissent, uni Historiæ mirandum in modum fuisse deditos; non quidem ut animi caussâ, aut tempori fallendo aliquam inde oblectationem sibi pararent; multò minus, ut inerti eruditioni ostentandæ, qui multorum hodie est morbus, aliquid in vino aut circulis blaterarent; sed ut omne genus exempla prudentiæ & utilium consiliorum adnotarent, in opera mox, magno Reipublicæ suæ bono, vertenda. Publium Scipionem Africanum priorem, omnis memoriæ clarissimum Ducem, literæ Latinæ quasi datum cœlitùs, neque humano satu procreatum deprædicant; qui in prima adolescentia majoremne laudem ob fortitudinem, per quam tot potentissimos hostes devicit; an ob temperantiam & moderationem, per quam cupiditates omnes suas semper domuit, mereretur, fecit incertum. Hic igitur vir tantus, tam admirabilis, si quo genere doctrinæ instructus, arcem veræ gloriæ occuparit, quæramus, reperiemus Historiam fuisse, quæ Scipionis *incoctum generoso pectus honesto*, cupiditate bonæ pariter magnæque famæ, & laudabili illâ excellentium virorum, de quibus legerat, æmulatione inflammavit; & velut è specula niteati in ardua, facem ostendendo præluxit. Narrant enim Auctores locupletes,

pletes, tanti illum Xenophontis Attici historicos libellos fecisse, tantopere 1609.
eorum lectione fuisse captum, ut eos de manibus nunquam poneret. De Africano sequente minus id mirum videatur; quem majorum suorum virtutibus simillimum, omnibus belli ac togæ dotibus ingeniique ac studiorum eminentissimum sæculi sui fuisse, produnt Scriptores. Extat apud gravissimum Historicum C. Marii oratio, quâ in nobilitatem Romanam durus Arpinas, & agrestis homo ingenii invehens, inter cætera dicit; illos quum Græcas literas didicissent, postquam Consules essent facti, ubi jam de Provincia & Imperio, more ejus Reipublicæ cogitare incipiebant, acta majorum impensiore curâ solitos lectitare. Absurdè quidem Marius, aut potius stultè; quod institutum cùm primis laudabile, maledicti loco putavit objectandum: multum tamen illi vel sic Historia debet, quòd disertis adeò verbis prudentissimorum Senatorum, qui rei Romanæ columina fuère, judicium consentiens super ipsius utilitate, imò verò necessitate, palàm fecerit: *Principibus placuisse viris, non ultima laus est.* Quid dicam tantopere placuisse? quid dicam talibus tantisque Principibus? prudentiâ enim & belli pacisque artibus, nihil toto Orbe Senatu Romano Sol hic majus unquam vidit. O decus Historiæ eximium! Quem porrò quantumque fructum sapientissimi Senatores ex hoc instituto suo perciperent, operæ pretium est, Tuam Nobilitatem, DOMINE, quæ generosâ indole ne illis quidem ipsis Romanis est inferior, scire, & hoc loco recognoscere. Fuit Romæ tum temporis inter alia ejus sæculi lumina, L. Lucullus; qui, quòd adolescentiam in forensi opera, reliquam ætatem universam in pace traduxerat, laudem imperatoriam nemo ab eo exspectabat. Idem tamen Consulatum nactus, ad Mithridaticum bellum missus est à Senatu. Igitur quum totum iter & navigationem consumpsisset partim in percontando à peritis, partim rebus gestis legendis, ait Eloquentiæ Romanæ Parens, in Asiam factus Imperator venit, qui erat Româ profectus rei militaris rudis. Et adjicit idem, tantum Imperatorem in omni genere belli Lucullum fuisse, præliis, oppugnationibus, navalibus pugnis, totiusque belli instrumentis, & apparatu, ut Rex Mithridates, post Alexandrum maximus, hunc à se majorem Ducem cognitum, quàm quenquam eorum quos legisset, fateretur. Hic enim ille est omnibus sæculis admirandus Imperator, qui, ut alia infinita adversus Mithridatem & Tigranem, totius Orientis duos Reges potentissimos, fortia facta prætermittam; cum exigua manu militum vix undecim millium, innumerabiles hostium copias adortus, peditum cæcidit ad centum millia; equitum ad quinquaginta; Regem Regum Tigranem, & quicquid gladiis jam retusis occidi non potuerat, in pedes se conjicere compulit. Et audebit quisquam negare, vim eam esse Historiæ, quod initio dicebamus, ut rudes rerum & idiotas rebus gerendis aptos, & maximis quibusque muneribus pares valeat reddere? Audebit quisquam studium & operam, quæ gestis majorum cognoscendis impenditur, parum utiliter collocatam dicere? At non ita judicabat Pompejus Magnus; quem in illa tam excelsa fortuna non piguit per literas à Dionysio Halicarnassensi, homine Græco, admodum erudito Critico, petere, ut suum de Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Philisto, & Theopompo, Græcorum celeberrimi nominis Historicis, judicium sibi exponeret. Non ita judicabat Augustus, felicissimus & maximus omnis memoriæ Imperator; qui & legere utriusque linguæ Historicos, & in legendo exempla publicè vel privatim utilia sectari solitus; eaque ad verbum excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercituum Provinciarumque Rectores, aut ad urbis Magistratus plerunque mittere, prout quique monitionis indigerent. Non ita judicabat ille Deo charus Imperator Theodosius Junior, quem Auctor non obscurus inter

p Eccle-

1609. Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores narrat; dum priorum omnium excellenti laude illustrium virorum luminibus, piâ & generosâ æmulatione conatur obstruere, magnam Imperio felicitatem conciliasse. Quâ, obsecro, secundum opem Dei, arte? καθότι, ait Historicus, ipsum Theodosium compellans, τῶν πάλαι κατωρθωμένων Ἕλλησί τε καὶ Ῥωμαίοις τὴν ἱστορίαν ἠκρίβωσας: *quoniam omnium, quæ sive Græci, sive Romani præclarè fecerunt, Historiam accuratè didicisti.* Et mira sunt, nec facile his moribus fidem inventura, quæ de contentione ejus Augusti in hac parte idem commemorat: tempus omne suum inter negocia & studia semper divisisse; diem illis, his noctem attribuisse. Non ita judicabat Imperator Julianus, maximis ille quidem præstans ingenii dotibus, & eâ statione dignissimus; verùm eò miser atque infelix, quòd in tantorum munerum largitorem Deum ingratus extitit, ac mox ab agnita Veritate scelestissimè defecit; quem miles ipsius refert, post ardua & seria terminata ad procudendum ingenium solitum verti, & ex Historia quasi pabula quædam animo ad sublimia scandenti, conquirere. Idem in expeditione Persica civitatem amplam & populosam Pyrisaboram, triplici coronâ cinctam quum teneret, omnes aleæ casus inter mutuas clades frustra expertus; facinus memorabile Scipionis Æmiliani, quod in Carthagine capienda ab eo editum legerat, imitari & referre constituit. Qui conatus, etsi exitum non habuit; quid enim misero illi bene verteret, qui à Deo sciens prudensque que sese averterat? illud tamen, quod probare intendimus, clarissimè confirmat. In eodem genere ponendum est, quod Marcus Brutus, ille Romanorum veteris Reipublicæ ultimus, etiam in castris, etiam inter belli sibi fatalis curas, nobilissimi Annalium conditoris Epitomen confecit. Cujus diligentiam tertio post sæculo imitans Regina Zenobia, illa quidem non Romana, sed Romanis Scriptoribus merito suo celebrata, æternitate nominis dignissima fœmina, Alexandrinam & Orientalem Historiam, cujus erat peritissima, in compendium redegit; atque eadem ne Latinam quidem ignorabat, quam Græcè legerat. Quid opus ire per singulos? Semel affirmare possumus, Romanos Duces atque Imperatores, quamdiu quidem illud Imperium suam gloriam obtinuit, adeò diligenter traditum sibi à majoribus Historiæ amorem & studium conservasse, ut plerique illorum non solùm facerent scribenda, verùm etiam scriberent legenda. Itaque de suis aut alienis rebus Commentarios composuerunt, Cornelius Sulla, Julius Cæsar, Augustus, Claudius, Trajanus, Hadrianus, & plures alii. Omnium verò sapientissimus atque doctissimus Marcus Antoninus, quem propter assiduam operam studiis navatam, vulgò Historici Philosophum cognominant; in libris aureis de vita sua, inter virtutes imperatorias hanc quoque ponit; facilitatem quandam & animi æquitatem in admittendis probandisque sententiis, quas homines Historiæ & priorum sæculorum gnari, edidissent. Quippe in summo Principe, consilium ab alio sollerter & ex usu excogitatum probasse, non minor laus censenda, quàm in privato excogitasse. Atque ut Principum Consiliarios in hoc studio exercitatissimos esse debere, ratio manifesta vincit; ita vicissim illos Principes plurimus semper est secutus honos, qui literas id genus doctos plurimi facerent, & in consiliis eorum plurimum acquiescerent. Testis esto Imperator optimus & laudatissimus Alexander Severus; cui fuit consuetudo, ut quoties de re militari in concilio suo tractaret, literatos Duces adhiberet; & maximè eos, ajunt Scriptores vitæ ipsius, qui Historiam nôrant; quum quidem subinde requireret, quid in talibus caussis, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores vel Romani, vel exterarum gentium, fecissent. Egregium planè institutum, & Rectore tantæ molis Imperii dignissimum. Non erat

illi

illi ſatis, quòd geſta Veterum didicerat, & domi quotidie lectitabat; quòd 1609.
viros omnis eruditionis principes in familiari convictu aſſiduè ſecum habebat; ſed etiam ab iis, qui ſuum participabant concilium, eandem peritiam exegit; etiam inter deliberandum de ſumma Republica facta Majorum præclara voluit audire & doceri. En adoleſcentem ſenilis prudentiæ! en illuſtre exemplum ab illuſtri Principe editum, omnibus quidem Principibus, ſed maximè juvenibus ob oculos aſſiduè ponendum! Non prætermiſit hanc partem Baſilius Imperator, quum præcepta bene imperandi Leoni filio traderet; quin potius Hiſtoriæ lectionem ſummo ſtudio commendans, etiam & etiam eum hortatur, ut aliorum labore fruatur ipſe ſine labore. Annalium enim libros fideles ſibi fore conſiliarios; quos non odium, non gratia, non metus, non privati commodi ſpes aut cupiditas corrumperet; eoſdem, vanitatis rerum humanarum teſtes eſſe locupletiſſimos. Poſſum inſuper commemorare multos Imperatores, qui aut libris editis, aut ratione aliâ ſtudium hiſtoricum excolendo nobilitarunt. Servatur in locupletiſſima illa Tua, DOMINE, & verè Regia Bibliotheca, Conſtantini Auguſti Porphyrogeniti liber, publicè adhuc ignotus, quem in filii Romani, jam conſortis Imperii, gratiam pius parens ſcripſit. Sciebat vetus regnandi Princeps, ad negotia gerenda, in quibus Reipublicæ ſalus continetur, illud adprime deſiderari, ut ingenia hominum probè nota ſint, quibuſcum agitur. Sive illi ſint ſubditi, ſive amici aut ſocii, ſive hoſtes; ſive in propinquo habitent, ſive ſummotos longius fines colant; multum omnino intereſt, aut potius, in eo totum, propo dixerim, eſt poſitum, ut naturam illorum, mores, inſtituta, religionis formam, animorum inclinationes, aut averſationes ne ignores. Iccircò Imperator ille, populorum omnium, quibus aliquid cum Imperio ſuo commercii intercedebat, origines, rationes vivendi, belli paciſque inſtituta, partim uſu, partim libris legendis quum accuratiſſimè didiciſſet; de eo argumento Commentarium ſanè quàm doctum & utilem confecit, & filio ſuo hoc paterni affectûs monumentum excellentiſſimum reliquit. Dignum opus, quod Majeſtatis Tuæ juſſu publicam aliquando lucem videat, vel eo nomine, quòd de inclytis Regibus Francorum, Majoribus Tuis, DOMINE, maximis Principibus, Princeps ipſe maximus tam honorificè & ſcripſerit, & ſenſerit. De communi enim jure cæterorum Europæ univerſæ Regum & Dynaſtarum domum Francicam ſemper excipit; & quum affinitatem Italorum, Germanorum, Hiſpanorum, atque aliorum diverſæ linguæ, & diverſi in re pietatis ſenſûs, filio Romano ac nepotibus diſſuadeat, & quodammodo interdicat; de Francorum nobiliſſimis & auguſtiſſimis Regibus longè aliud conſilium ſuggerit: namque horum & amicitiam, & affinitatem deceſſoribus ſuis Imperatoribus Orientis ſemper fuiſſe probatam; ſæpeque conditiones illos uſque inde è Francia petiiſſe, allatis è ſuperiore memoria exemplis, comprobat. Taceo Mauritium Imperatorem, Leonem VI. Porphyrogenitum, Baſilii filium, & alios ejus ordinis illuſtriſſimos Principes, qui Tacticos, ſive de re militari, libros condiderunt: quum ſit tota illa diſciplina, pars quaſi quædam Hiſtoriæ; certè ita illi conjuncta, ut neque hæc ſine illa poſſit rectè intelligi; neque illa ſine hac doceri ritè queat: cujus nos rei certam fidem faciemus, quando Ælianum, præſtantem ejus doctrinæ Auctorem, è vetuſtiſſimis membranis Tuæ Bibliothecæ, Tacticis Scriptoribus luculentè inſtructæ, emendatum, & obſervationibus noſtris ſeriò illuſtratum, Deo propitio, vulgabimus. Sed neque defuit ſtudio hiſtorico Imperator, qui illud ipſum in eo moliretur, quod in legitima ſcientia Juſtinianus Auguſtus cum Triboniano ſuo antè perfecerat. Nam ut hîc librorum de Jure ſcriptorum infinitâ copiâ offenſus, Corpus confieri juſſit, quod uni-

1609. versam Legum doctrinam, intra certos fines cohibitam, contineret; sic Constantinus Porphyrogenitus, memorati Leonis, uti reor, filius, quum animadverteret & historicorum scriptorum numerum innumerum circumferri, adeò ut multi suâ ætate voluntatem cognoscendi res gestas simul cum spe abjicerent, tot volumina unquam perlegendi; conquisitis undique maximâ curâ & diligentiâ omnibus ejus generis Auctoribus, qui poterant adhuc in Græciæ & Orientis Bibliothecis reperiri, Corpus historicum præcepit concinnari, in parte ceu communes quosdam locos LIII. tributum, quod politicis hominibus rerum ipsis cognitu necessariarum Thesaurum quendam inæstimabilem, & ut ille ait, pransum paratum, exhiberet. Nimirum ita judicabat sapiens Imperator; Senatoribus suis, pacis & militiæ negotia administrantibus, & de curis Imperii in sacro suo Consistorio unà secum deliberantibus, non minus necessariam esse veterum exemplorum, caussarum & eventuum notitiam, quàm sit Judicibus, lites inter Titium & Mævium disceptantibus, Juris ac Legum necessaria cognitio. Laudo propositum; judicium etiam admiror; neque formam operis, quantum licet ex unguibus leonem, improbo. At quàm bene, quàm verè Socrati olim, post veterem Poëtam, dictum est, Bonum & malum, quum prorsus contrariam habere naturam videantur; indissolubili tamen nexu sibi invicem cohærere: ὥσπερ ἐκ μιᾶς κορυφῆς, inquit, ἡμμένω δύ' ὄντε, quasi de eodem capite & nodo ambo dependerent. Sæpe igitur ex antecedente caussa mala ortum bonum; at malum multò crebrius è laudabili principio. Sic inter spinas rosa colligitur: sic mel generat fel: sic in medicinæ remediis malignitas quædam naturæ inimica, ut plurimum, latitat: & extrema gaudii luctus occupat. Denique lex æterna est, ubi uber, ibi tuber. *Tanta est rerum discordia in ævo: Et subtexta bonis mala sunt.* Liceat fortasse ad tempus naturam arte & industriâ sublevare, & ruentem in pejus sufflaminare; cæterum corrigere in totum, nulla vis humani ingenii queat. Inde est, quod quæcunque moliuntur mortales, vel cùm primis considerati & sapientes, ocyus tardius omnia mutant nomen. Non est petendum aliunde exemplum, quàm ex illo ipso Constantini Augusti incepto, quod modò laudabam; nec muto factum. Sed crederetne aliquis, ipsum illud consilium, quod à Principe esset profectum Historiæ amantissimo, inter præcipuas caussas Historiæ perdendæ fuisse? Atqui ita evenit tamen. Nam ubi semel Corpus illud historicum, in Politicorum usum ab eo concinnatum, versari in manibus hominum est cœptum; è vestigio nobilissimi quique Historiæ Scriptores antiquiores, (ex talibus utique flores illi fuerant decerpti) pristinam suam dignationem amiserunt; & monumenta æternitati consecrata, tot nobilium ingeniorum, ubi desita sunt legi, etiam describi, quod erat necesse, desierunt. Accessit & pestis alia, Compendiorum & Epitomarum confectio; quod genus scriptionis, ut ad privatum conficientium usum non parvas utilitates habet; ita publicè noxium, & magnis Scriptoribus semper fuit exitiosissimum. Fuit & tanti mali caussa, studiosorum partim incuria artium honestarum, partim judicium fatali quâdam cæcitate depravatum: quorum duorum vitiorum, utrum sit Reipublicæ literariæ perniciosius, haut dictu promptum. Sed enim ejus triumphi, quem de bonis Literis Barbaries jam antè aliquot sæcula egit, gloriam magna ex parte Avaritia suo sibi jure vindicat. Nam quia uberrimi proventus & amplæ fortunæ spes unica è caussidicina affulgebat; omnium fermè ingenia ad studia unius Jurisprudentiæ magno impetu sese contulerunt, & quum politicæ Philosophiæ pars sit, nobilis illa quidem, sed una tamen inter plures, scientia Legum; tantum lucelli amor valuit, & auri sacra fames, ut postquam in Scholis hæc regnare

cœpit,

cœpit, illicò & Politica, ejus mater, & cæteræ disciplinæ, ejusdem sorores, 1609.
quas inter omnes una excellit Historia, aut exulare inde cogerentur; aut, quod longè miserius, solis pueris & Sophistis, non ad usum aliquem, sed ad disputandum, vexandæ relinquerentur. Hoc pacto communis multorum sæculorum facta est querela, quam de suo Innocentium IV. ferunt habuisse; quum diceret, Liberales artes jam in mechanicas propter lucrum fuisse conversas: & ajunt, vehementer illi doluisse, quòd jam ferè omnes studiosi, intactis grammaticis rudimentis, Auctoribus & Philosophis, ad Leges properarent audiendas: quod studium, quum naturâ suâ sit augustum, quatenus tamen ad æs exit, inter liberales disciplinas vix censeri debere, fuerunt qui contenderent. Quum ergo ex hujusmodi caussis in Oriente quidem optimi quique Auctores de manibus vulgi tandem essent excussi, totiusque adeò Humanitatis studia refrixissent; in Occidente verò à multis jam annis meliorum literarum & linguarum, maximè autem Græcæ & Hebraicæ, nomen prope ipsum esset exstinctum; secuta mox est hujus calamitatis consummatio & integra pernicies in partibus Orientis; quando ab immanibus & barbaris Turcis capta est Constantinopolis, & totum illud Imperium à fundamentis penitùs est excisum. Tum verò grassari hostis ferus in omnium doctrinarum Scriptores; & excellentia monumenta literarum cujusvis generis, atque eruditionis instrumenta lacerare, discerpere, flammis addicere. Quo quidem tempore divinæ providentiæ in reliquiis disciplinarum conservandis certum & manifestum, ut si unquam aliàs in re ulla, argumentum est editum. Quum enim à pluribus retrò sæculis in Principum animis toto Occidente amor politioris literaturæ & Græci sermonis exolevisset; accidit, non sine Numine profectò, ut circa illa ipsa tempora Byzantinæ cladis, & paullò antè, summi in Europa viri, & Principes generosissimi, hunc veternum, ceu virgulâ divinâ tacti, opportunè excuterent, & ad bene merendum de studiis politioribus & de linguis, ardore incredibili accenderentur. Prima terrarum Italia ad hanc palmam occupandam, è diuturno torpore tunc demum expergefacta, sese concitavit, & nationibus aliis per Europam exemplum, quod imitarentur, præbuit. In ipsa verò Italia, ad certamen adeò gloriosum Nicolaus Quintus, Pontifex Maximus, in cujus extrema tempora Byzantini Imperii eversio incidit, princeps, quod equidem sciam, signum sustulit: nam & literarum dicitur fuisse intelligentissimus; &, quod res arguit, earum amore flagrantissimus. Primus hic illâ ætate libros antiquorum Scriptorum sedulò conquirere curæ habuit; magnamque earum copiam in Vaticanam intulit: primus cùm assiduis hortatibus, tùm ingentibus etiam propositis præmiis, ad meliorem literaturam è tenebris oblivionis in lucem revocandam homines Italos stimulavit: primus, Græcæ linguæ Auctores omnis sincerioris doctrinæ esse promos condos, qui non ignoraret, ut Latino sermone exprimerentur, vehementissimè optavit, & efficere contendit. Est ita naturâ comparatum, ut in magnorum operum inceptionibus, eorum antevertat cura, quæ esse provisa, ad summam totius propositi plurimùm intersit. Ecquodnam igitur literarum genus, renascentibus disciplinis, illius vindicis Musarum auspiciis, primo reduci in vitam cœpit? Historia; cujus fuisse hunc Pontificem peritissimum, æquales illorum temporum affirmant. Qui primi Auctores Græcorum Latinitate sunt donati? Historici: nam Herodotum & Thucydidem minister domesticus Nicolai, Laurentius Valla, rem sæculo majorem ausus, Romanè loqui docuit. An ergo dubitamus, quodnam tantus Pontifex de Historiæ præstantia judicium fecerit? Ego verò non solùm magni ipsum doctrinam historicam æstimasse, sed etiam de toto hoc genere Scriptorum rectè scisse judicare, non dubitanter inde colligo, quòd ex omnibus Græ-

1609. cis Historicis illum præ cæteris habuit in deliciis; qui ut eloquentiæ laude uni aut alteri priorum fortasse est inferior; ita prudentiâ & propriis aliis Historiæ omnibus numeris perfectæ dotibus sic excellit, ut pauci è cunctis, sive Græcis, sive Romanis, cum ipso mereantur componi; anteponi certè nullus. Scriptor ille, DOMINE, is ipse est, qui Majestati Tuæ nunc à me offertur, POLYBIUS; & à generis splendore, & ab instructu disciplinarum, & à rebus gestis, & ab ingenii monumentis, Vir & Philosophus nobilissimus: idem pacis, idem belli artibus, idem studiorum laude longè clarissimus; patriæ suæ, Reipublicæ Achæorum, quondam bonis institutis florentissimæ, cui hujus pater Lycortas diu Princeps præfuit, pars maxima. Qui Scipioni Africano, à quo deleta est Carthago, à consiliis amicus fuit, & in ea expeditione comes: qui in amicitiis Regum, Ducum, Procerum, Græcorum, Romanorum, Asiaticorum, Ægyptiorum, quoad vixit, primas tenuit: postremò postquam obiit, Politicis, bellicæ rei studiosis, veræ & legitimæ Historiæ amantibus, dum suus literis honos stabat, unicè dilectus & probatus. Hunc communi fato omnium excellentium Scriptorum, pessimè superioribus sæculis acceptum, & in nostra Europa vix de nomine paucis notum, Nicolaus Quintus, vindex ille literarum primus, fecit tanti, ut ejus restituti gloriam ad cæteros laudum suarum titulos voluerit accedere. Itaque partem illius librorum aliquam nactus, ejus in Latinum sermonem transferendæ, viro Græcæ & Romanæ linguæ, ut erat captus ejus ætatis, non ignaro munus delegavit. Magnificum est ad commendationem Historiæ, quòd ubi primùm literatura melior ex ipsis Orci faucibus incipiebat eripi; omnium prima novæ lucis beneficium experta, cæteras honestas disciplinas ad spem salutis erexit. Magnificum & gloriosum Polybio, quòd inter omnes sui generis Scriptores primus indulgentiam Principis, ad liberationem Musarum sese accingentis, promeruit. Sed nimirum rerum magnarum tardi sunt progressus; raròque tam bene cum humano genere agitur, ut incepta generosa ab iis, qui susceperunt, inoffenso pede statim ad finem perducantur. Quare etiam Nicolao, Polybii restitutionem molienti, multa sunt oblata impedimenta, quò minus quod optabat, posset perficere. Nam quum operis Polybiani, quod nostra exhibet editio, tres sint ratione certâ distinctæ partes; unam duntaxat harum Pontifex Nicolaus habuit; duas reliquas in rerum natura esse, ne scivit quidem. Jam ille eruditus Italus, quo ipse usus est Interprete, partim sæculi vitio, partim propriâ culpâ, provinciam sibi demandatam ita gessit malè; facile ut appareat, non ob singularem aliquam eruditionem, in Græcis præsertim literis, Polybium interpretari fuisse jussum; sed quia nemo erat qui amplius sciret, velut coclitem inter cæcos captum, qui in vacuam stationem pro tempore substitueretur. Et is erat tamen Polybius, qui propter genus dictionis ac doctrinæ hautquaquam translatitiæ; maximè autem propter summam rei castrensis peritiam, & imperatorium quendam stilum; attentum cum primis, & disciplinæ Tacticæ, totiusque militiæ Romanæ, Græcæ, Macedonicæ, aliorumque populorum peritum Interpretem desideraret. Quarum omnium rerum cognitio quàm tenuis ac penè nulla in ætatis illius hominibus fuerit; quantis doctissimorum hominum laboribus è profundo ignorantiæ puteo fuerit posteà educta, atque etiamnum educatur, nihil dicere attinet; rem nemini non notam. Quò magis equidem soleo demirari, à tam longo tempore, hoc est, ab annis ferè CLX. tam erudito sæculo insecuto, tanto doctorum totâ Europâ virorum numero, nondum aliquem extitisse, qui opus in ipso principio παλιγγενεσίας literarum inchoatum, curaret perficere; neminem esse repertum ad hanc diem, qui si adeò celebris famæ apud Veteres Auctorem seriò perpolire aggrederetur,

operæ

operæ pretium se facturum putaret. Quanquam non sanè defuerunt viri præstantes aliquot, Græci, Hispani, Itali, Belgæ, qui variis modis de Polybio mereri bene conarentur: alii, publicandis quæ prius visa non fuerant; alii, nonnulla explicando Latinè; quidam, selectâ operis totius parte, in qua illustranda vires ingenii experirentur. Quibus omnibus quum laus multò maxima debeatur; omnes tamen, si quod res est dicere volumus, sitim Lectorum exacuere, quàm sedare maluerunt. Non etiam defuere, qui in vulgares linguas tantum hujus verterent, quantum Latinè expositum inveniebant: si tamen vertere est, Romanæ interpretationis errores sexcentos aliis totidem cumulare; atque interim Græcæ linguæ peritiam in prima libri fronte mentiri. Unicam excipio Germanicam versionem, ab homine longè eruditissimo profectam: sed, quod res arguit, & alia ejusdem scripta testantur, variis semper curis occupato. At universum opus Latinum facere; laceri corporis membra, hactenus disjecta & dissipata, in unum colligere, atque invicem colligare; rerum aut verborum difficultates explanare; latentes in abdito opes reserare; &, quod maximè fuerat optandum, hujus Historiæ usum & præstantiam demonstrare, nemo dum eruditorum instituerat. Cedreni, Zonaræ, Simocati, Glycæ, Manassæ, & alii ejus farinæ, sive Græci, sive Latini quàm plurimi, legitimæ Historiæ, si verum amamus, dehonestamenta, suos assertores invenerunt; Polybius, situ & squallore obsitus, in tenebris jacet; Græcè nescientibus parte aliquâ tantùm sui notus, idque perperam; parte aliâ, ne sic quidem. Ille, inquam, Polybius, cujus in Philosophia doctrinam, in moribus probitatem, in Historia prudentiam, Cicero, Strabo, Josephus, Plutarchus, Deus bone, qui quantique viri! & optimus quisque Veterum, dilaudant: cujus fidem Titus Livius, ille Romanæ longè Princeps Historiæ, tantopere probavit, ut penè ad verbum libros illius integros verteret, atque iis pro suis uteretur. Quem Marcus Brutus, severus ille morum scriptorumque Censor, cui ne ipse quidem Marcus Tullius satisfacit, adeò est admiratus, ut ejus lectioni propemodum immoreretur; ultimis certè suis temporibus, iisque afflictissimis, ad solatium doloris pariter & magisterium vitæ, Historiam illius excerperet, atque in compendium redigeret. Quem denique Constantinus Imperator, Corporis historici, de quo anteà mentionem fecimus, Auctor, Senatoribus, Ducibus & Principibus tam utilem judicavit, ut qui è Diodoro Siculo, Dionysio Halicarnasseo, Josepho, Dione Coccejo, & aliis primæ notæ Historicis pauca admodum seligeret, quæ in suum Pandecten transferret; Polybium prope totum describeret, atque operi illi suo insereret. Utinam verò aut illi Augusto ejus incepti nunquam venisset in mentem; eâ quidem lege, ut integro hoc Scriptore frueremur: aut si hoc nobis carendum erat bono, Corpus saltem ab illo compositum hodie haberemus. Sciremus, quantus civilis prudentiæ, quantus disciplinæ militaris doctor habitus sit olim Polybius. Quarum rerum documenta conquirenti undique Constantino, plura multò unus hic suppeditavit, quàm cæteri omnes simul, è quorum libris Florilegium illud politicum fuit conflatum. Argumento sit, qui solus hodie superest ejus titulus, è tribus & quinquaginta, Legationum Excerpta continens: cui tertiam partem editionis nostræ debemus totam: facili conjecturâ, quid essemus debituri, si opus universum alicubi inveniretur, atque in publicum ederetur. Enimverò quum dos præcipua, quæ Polybium Antiquis commendabat, non in eloquentia nuda & verborum fucatorum lenocinio, sed in rerum politicarum & militarium exquisita explicatione sit posita; cujus gratiâ Viri principes & Politici omnes olim in pretio magno eum habebant; quia longè diversa hodie studiorum ratio obtinet, evenit, ut his præstantiam illius parum intelligentibus, ver-

1609. borum & linguæ dumtaxat studiosi, patienter eo carerent. Loqui enim, non vivere, plerique omnes hodie discimus: & Historiam, quæ *vitæ magistra* audit, non ad vitam formandam referimus; sed vel ad linguarum alicujus notitiam, dicendive facultatem augendam, vel ad rerum antiquarum cognitionem percipiendam. Atque ut Politicam & moralem Philosophiam,

In qua consilium vitæ regimenque locatum,

aut omnino non docemur, aut non nisi disputandi caussâ: sic & Historiam, quæ practica quædam Philosophia est, non ut utamur, discimus; verùm ut sciamus; planè iis non dissimiles, qui aurum, argentum & regias gazas parare nôrunt; artem utendi fruendi partis, neque sciunt, neque vel saltem de ea cogitant: similes item iis, qui Sacros, aut Mediocrum Libros multâ lectitant curâ, non ut animo corporive medicinam faciant; sed ut ingenito morbo curiositatis sciendi multa satisfaciant. Quod non invenustè Magistri Hebræorum de Lege Mosis dicunt, Cor & corticem illi inesse; non immeritò de Historia quoque usurpetur. Doctrina politica, & scientia militaris, aliaque egregia documenta, quæ legitima Historia sui cultoribus affatim subministrat, instar cordis sunt: atque huic parti qui attendunt, cordatos fieri necesse. Orationis elegantiam, & Antiquitatis notitiam, præ illis, quid aliud nisi corticem appellemus? Sunt sanè apud Thucydidem, Xenophontem, hunc nostrum Polybium, dictionis virtutes multæ, eæque eximiæ: sunt etiam multa in eorum operibus, cognoscendæ Antiquitatis cupidis scitu necessaria. Si quis tamen propter ista solummodò Historias illorum requirit, næ ille cor non habet, neque unquam per istud quidem studium habebit; sed merum tantùm corticem leget. Quid magis ridiculum, quàm Julii Cæsaris Commentarios, divinum opus, & maximarum atque utilissimarum rerum doctrinâ fœtum, eâ solùm fine lectitare, ut loqui Latinè discamus? aut ut Romanæ linguæ puritatem, & verborum proprietatem observemus? Mihi quidem simile facere videmur, ut si quis arboris alicujus præstantissimæ fructibus vesci aspernetur, florum amœnitate se oblectet. Et tamen, qui hodie veteres Historicos aut voce vivâ, aut scriptis suis interpretantur, quid nisi hoc unum curant? Quid illi, qui dies totos & tempus omne suum transeundis Historicorum voluminibus insumunt? quorum ut quisque plurima tenet, ac pectus suum locupletissimam Historiæ Bibliothecam fecit, ad vitæ officia muniaque obeunda plurimùm est ineptus. Desinamus igitur mirari, quid caussæ sit, cur hodie è lectione Historiarum nemo eum fructum ferat, quem tulit olim Lucullus: in promptu ratio est; nemo illam, ut Lucullus, legit; nemo, eâ fine. Itaque ergo eò studia videmus rediisse, ut qui strenuissimi rerum actores censeri volunt, hi adeò non sint veteris memoriæ studiosi; ut è contrario, etiam contemptum illius ultrò præ se ferant. Quid prius querar, nescio; Historiæne vicem, quæ olim in clara versans luce, Regum & Principum ac nobilium Procerum familiaritate intimâ frui solita; sapientiam & vitæ artem eos docere; dignitatem ab illis accipere; nunc velut naturæ prioris oblita, & ad vitæ actiones facta inutilis, hominibus privatis pulverem scholasticum terentibus, & in umbratico otio delitescentibus est derelicta: an potius nobilium adolescentium errorem doleam, qui falsâ persuasione ducti, unicum hoc sibi propriè convenientis disciplinæ genus, maximum rerum gerendarum instrumentum, habent contemptui. O quis ille erit, qui operâ eâdem pristinum Historiæ splendorem restituet; & nobilitatem Gallicam ex hoc errore in viam rectam sistet? Illa quidem literas non odit;

Non obtusa adeò gestamus pectora Galli:

sed

sed quarum literarum verus in utendo est fructus; quia nullum earum videt usum, penè dixerim, meritò contemnit. Nihil erravero, si dixero, interesse Majestatis Tuæ, DOMINE, ut generosi juvenes, quos majorum imagines, aut impetus animi, & vivida vis ingenii spondent ad Rempublicam ituros, errore tanto liberati, studii hujus beneficio utantur, quò ad jussa Tua capessenda paratiores, & omnibus rebus instructiores accedant. Liberabuntur autem, si persuaderi semel illis potuerit, ut magnum hunc Scriptorem in consilium adhibeant; ejus in summa doctrina parem prudentiam non degustare summatim, sed penitùs velint imbibere. Quo maximè opus habent, docebit eos Polybius; non solùm, quàm uberes fructus ad rationes vitæ gesta majorum sint ipsis allatura; verùm etiam, quo pacto percipere illos sint validituri. Est utique proprium hoc eximio huic Auctori, quòd duo simul pari ferè curâ agit; ut narret, ac moneat. Bene ac perspicuè narrandi laus cum cæteris præstantibus Historicis illi communis; fideliter monendi, cum paucis; aut, ut verius dicam, cum nemine. Nego enim ex universo numero Græcorum, aut Romanorum generis hujus Scriptorum, vel unicum posse reperiri, qui pari fide & curâ duo hæc conjunxerit. Quid miremur? personam Historici cùm assumpsit Polybius, non in totum exuit Philosophi. Philosophus enim erat; sed vitâ, non linguâ; operibus, non sermonibus; rebus ipsis, non professione & inani specie. Porrò ut Poëtæ fingendo, Historici narrando; sic Philosophi monendo & præcipiendo vitam hominum corrigere propositum habent. Jure igitur suo est usus, cùm diversa munera in unum conjungens, quà narrando, quà monendo simul humano generi prodesse est conatus. Narratio cognitione rerum variarum Lectorem instruit; monitio, prudentiâ, quæ observatione assiduâ colligitur caussarum, eventorum & omnium rerum in vita hominum evenire solitarum. Præclarè Peripaterici dicunt, generari prudentiam ἐξ ἐπιστάσεως, observando: & fore prudentem quisquis fuerit ἐπιστατικὸς, observandi studiosus: ac vice versâ, omnem prudentem esse ἐπιστατικόν. Plena est Polybii Historia talium animadversionum; quæ brevi compendio Lectorem ad prudentiam rectà ducunt, & illius Divæ sacris initiant. Mirum verò quo studio, quâ sollicitudine, quo affectu id genus monitiones, quoties datur occasio, inserat. Verè Philosophum, id est, parentem communem humani generis dicas, qui modò cunctis mortalibus in universum salutaria dictat præcepta; modò privatim hanc aut illam gentem familiarium sibi peccatorum admonet. Sic Mantinensibus, Cynæthensibus, Eleis, atque aliis Græciæ populis, pertinentia ad propriam cujusque illorum salutem, dat consilia. Sic Romanos, ut obstinatæ & præcipiti pervicaciæ, sæpe ipsis exitiabili, modum statuant, graviter commonet. Sic Græcos omnes non semel hortatur, ut Romanorum in fide maneant, statum præsentem ne sollicitent; otium, quo abundabant, curâ publicarum omnium rerum ad victorem populum translatâ, ceu opportunâ occasione utantur ad studia excolenda, non inertium literarum, sed βιωφελῶν, & ad vitæ actiones utilium. Quin etiam apparet, atque hoc ipse non semel testatur, caussam scribendi hujus ingentis quondam operis vel præcipuam eum habuisse, amorem patriæ; ut contumaces & ad rebellium pronos suorum animos parum adhuc servire assuetos, ad pacis, quâ fruebantur, etsi sub alieno imperio, firmâ & beatâ, amorem traduceret. Propterea in rebus gestis exponendis id unicè spectavit semper, ut Græcis fidem faceret, non Fortunæ munus esse Romanorum Imperium; sed verâ illos virtute id sibi peperisse: frustraque adversus illos arma cogitari, quos in illa statione ipsa suis, quasi manibus, Virtus collocasset. Et tamen idem hic patientiæ suasor, quandiu spes aliqua restabat, posse Ro-

1609. manis obsisti, multò antè patriæ casum prospiciens, nihil prætermiserat, quo posset progressus illorum impediendo, imminentem Reipublicæ Achæorum ruinam aut arcere, aut tardare. Verùm fatis omnia ad Romanos trahentibus, rectis suis consiliis Polybius non tantam gratiam à civibus iniit, quantam bello Persis offensam apud Romanos contraxit; quam mox Romam accitus, longi exilii tædio expiavit. Sed enim, *qui per virtutem peritat, non pol interit:* saluti fuit claritudo nominis bonis collecta artibus, & illa ipsa quæ adflixerat virtus. Igitur deprecatoribus apud Senatum usus Catone Censorio, Scipione Æmiliano, & aliis Romanis Proceribus, libertati restituitur Polybius; qui libertatis potitus, ubi semel apud se constituisset, nullam Achæis suis, nisi in amicitia populi Romani spem superesse, ad colendam bonâ fide majestatem illius populi conversus, pro sua sapientia suis ipse moribus sibi fortunam finxit. Nam patria quidem ipsius aliquantò pòst immani suâ culpâ exitium sibi concivit; bello Achaïco à Mummio deleta, & Achæorum soluto concilio; quum interim Polybius tranquillitate illâ frueretur, quam suâmet ipse prudentiâ & admirandâ sapientiâ sibi quæsiverat. Idem, quum in urbe dominatrice multos annos Scipioni, Lælio, & aliis ætatis illius viris primariis, privatim charus vixerit; Patribus quoque acceptus, & unicè probatus; gratiâ, quâ pollebat apud Principes Romani nominis, non ad opes sibi struendas, more multorum, est usus; verùm in occasionem vertit, partim res magnas gerendi; ut cùm Scipioni Carthaginis excidium in Africa molienti, comitem sese, & conciliorum laborumque omnium participem præbuit: quo etiam tempore, classe à Scipione acceptâ, mare Atlanticum scrutandi illius orbis caussâ, est circunvectus; partim bene de hominibus, præsertim Græcis suis, merendi. Testimonio sint statuæ cum amplissimis titulis per oppida Græciæ, quod scribit Pausanias, illi positæ. Dicat hoc ipsum & civitas Locrorum in Italia, quæ hujus ope immunitatem durissimorum onerum nacta, quorum præstationem ex legibus datæ pacis Romani exigebant, vitam & fortunas omnes suas uni Polybio ferens acceptas, in eo ornando nullum excellentis honoris genus prætermisit. Sed omnia beneficia, quæ à quoquam mortalium proficisci poterant, vicit scriptio hujus Historiæ; in eum præcipuè, ut modò dicebamus, scopum directæ, quò civibus civis prodesset, ac bonam illis mentem & prudentiam ingeneraret. Fuit omnino in hoc viro naturalis quædam bonitas, & efficax erga omnes homines humanitas: cujus celebratur vox divina, consilium dantis Scipioni suo; quoties foras prodisset, ne domum prius rediret, quàm aliquem sibi benefaciendo amicum adjunxisset. O hominem publico omnium hominum bono natum! ô dignum maximi cujusque Regis aut Imperatoris Consiliarium! Etenim quum plurimis amicitiis fortuna Principum indigeat, præcipuum est, judicio Sapientium, Principis opus, amicos parare. Ab hoc igitur fonte, & illud ingens manavit studium efficiendi, ut fructum ex Historia sua omnes qui legerent, quàm uberrimum perciperent. Inde illa tot documenta, tot monita, quibus hoc opus, ceu intertextis gemmis, nitet. Quis autem erroris dedignetur monitorem, quem Scipio Africanus, quem multi Reges non sunt dedignati consiliorum auctorem? Probitatem verò Polybii, recti honestique amorem, & vitii odium, nemo satis pro merito hominis laudaverit. Uni æquus virtuti, pari tenore opere toto, præclara facta ubique extollit; secius admissa, gravitate quâdam censoriâ, non argutâ declamatione ad ostentationem ingenii, carpit & detestatur. Fidem, candorem, integritatem in dictis factisque passim commendans, qui iis utantur, viros bonos pronuntiat; versutos, veteratores, vafros, & dolorum architectos nusquam non abominatur. Malitiam

litiam astutam, quæ ferè politicis hominibus Prudentia dicitur, tantâ severitate, tot locis, tam seriò insectatur, κακοπραγμοσύνην verâ appellatione indigetans, ut vel eo duntaxat nomine bonorum omnium amore, studio, ac lectione jugi, sit unus omnium Historicorum dignissimus. Neque tamen is est Polybius, qui supercilium quoddam Stoïcum, aut rusticam simplicitatem, ad judicandum de actionibus hominum politicorum afferat. Faciunt hoc umbratici quidam Sophi, rerum humanarum imperiti, ac propterea iniqui persæpe virorum magnorum censores, quorum rationes non capiunt. Sciebat homo negotiorum calentissimus, & tanto usu præditus, quid sit discriminis ponendum inter eam, quæ simpliciter dicitur Prudentia, & περιστατικὴν, cujus consilia, ut necessitate temporum expressa, & Sapientes excusant; prudentes verò etiam laudant: atque hæc est, quam solet ipse πολιτικὴν συνυπόκρισιν nominare; quoniam aliud simulatur, aliud agitur: res toto genere diversa ab illa veteratoria malitia, ut in nostris Commentariis diligenter exposuimus. Discant igitur ab hoc doctore juvenes studii politici candidati, veram prudentiam & ejus leges; non ab illo Etrusco, in opprobrium Religionis Christianæ nato; cui probitas, fides, integritas, atque adeò in Deum pietas; (ô seculi dedecus!) inania sunt sine re nomina; prudentia, ars fallendi; politica doctrina, instrumentum inhumanæ tyrannidis. Discant & qui ad scribendum res gestas animum applicant, præcipuum Annalium munus esse, uni favere virtuti, unum odisse vitium; illam esse legitimam, & æternitate dignam Historiam, cui unum bonum honestas; unum malum, turpitudo. Sed probitatem hujus viri illa eximia æquanimitas manifestissimè arguit, quam in reprehendendis Antiquioribus, qui ignoratione, non malitiâ lapsi fuerant, semper adhibet: sic enim errores tollit, ut eorum, qui errarint, famæ nihil propterea velit detractum: quin etiam gratias illis agere se, plurimùmque eos mirari profitetur, quòd etsi errassent, tentando tamen & conando viam posteris perveniendi ad verum indicaverint. Scias verâ virtute fuisse præditum, qui caussam scribendi solam habuerit, publicam utilitatem, & errores vitæ corrigendi desiderium. Porrò amori virtutis studium veritatis necessariò semper est conjunctum: neque enim virtus est, cujus non sit origo veritas; nec vitium, quod non à mendacio sumat initium. Veritas nullius non doctrinæ est fundamentum; veræ sapientiæ mater; legitimæ, nec præposteræ prudentiæ comes individua; fidei & societatis hominum ancora; omnis boni & honesti, ut ajebat Plato, ἡγεμονίς. Quod si rectè attendimus, scire hominum aliud nihil est, nisi posse veritatem rerum contemplari, sive quæ sunt, sive quæ fiunt; quâ mente Philosophi antiquissimi Sapientiam definiebant, ἐπιστήμην τῆς ἐν τοῖς οὖσιν ἀληθείας. Simillimè & Historiæ naturam illi demum capiunt, qui sciscunt esse veritatis illarum rerum notitiam, quas mortales gerunt. Græca eruditio τὰ γινόμενα vel τὰ πρακτὰ vocat. Regulam certè unicam, atque adeò animam Historiæ Veritatem esse, omnes, qui de ea sunt locuti, consentiunt. *Historia*, inquit Diodorus Siculus, προφῆτις ἐστὶ τῆς ἀληθείας, *Deæ Veritatis sacerdos est & propheta.* Dionysius Halicarnasseus idem: Ἱερὰ, ait, τῆς ἀληθείας ἡ ἱστορία· qui etiam alibi pronuntiat, veritatem historicam esse totius Prudentiæ & Sapientiæ principium: quod & ille magnus Auctor sensit, qui Historiam esse dixit *universæ Philosophiæ quasi metropolin.* Sed ut pulchra omnia, quod proverbio dici solet, difficilia sunt; ita veritas Historiæ, res omnium pulcherrima, eadem & inventu difficillima est; & postquam inventa, quominus proferatur in medium, maximas difficultates experitur. Quòd latet, partim malitiâ fit hominum, qui prava sua facta sileri, atque hoc pacto ignominiam lucrifacere volunt; partim incuriâ etiam eorum, qui res gerunt memoriâ & laudatione dignas. Jam quum propter has ipsas caussas

1609. geſtorum Scriptores nulli labori, nulli ærumnæ, addo & nulli impenſæ, quod de Thucydide & Theopompo legimus, parcere deberent, ut veritatem illarum rerum eruerent & aſſequerentur, ad quarum narrationem ſeſe parant; paucos tamen ab omni ævo ſit nominare, qui hujus diligentiæ gloriam ambiverint: plurimos contra omnibus ſæculis, qui res parum ſibi compertas poſteris tradere aggreſſi, falſa pro veris traderent; alii ignoratione & ſecuritate; alii vitio huic pari credulitate: plures & mentiendi libidine; quos aut turpis ſpes lucri, aut gratia, aut odium corruperat. Heic enimverò Scriptorem hunc præſtantiſſimum omnes æquos judices demirari convenit; qui ſtudio vera narrandi nullum laborem unquam refugit: nam & in remotiſſimas oras peregrinatione ob id ipſum ſuſceptâ, Aſiam, Africam, Europam luſtravit; Atlanticum quoque Oceanum navigavit: ut de Hannibalis itinere ſibi comperta narraret, Galliam & Alpes viſit: ut de Scipionis rebus in Hiſpania geſtis digna fide proderet, Carthaginem novam adiit, loca ſingula cum cura inſpexit; Hiſpaniæ pleraque oculis uſurpavit. Quin & linguam Romanam Polybius didicit; atque antiquiſſima monumenta, quæ vix pauci è Romanis civibus intelligebant, è Capitolina Æde ut promovere ſibi liceret impetrato, in ſermonem Græcum tranſtulit; ac Romanos ipſos Proceres ſuæ civitatis jura docuit, quæ ipſi ignorabant; & Fabius quoque Pictor, Senatorii vir ordinis, ignoraverat, qui de Punicis Bellis ſcripſerat. Ad hæc Polybius, ne nimis antiqua & parum explorata, atque, ut ipſe ait, ἀκοὴν ἐξ ἀκοῆς ſcribere cogeretur, Hiſtoriæ, quam ſuſcipiebat, terminos poſuit, ſuam aut patrum memoriam. Multa ergo illorum, quæ ſcribit, præſens ipſe vidit; certè nihil ſcripſit, de quo illos non poſſet conſulere, qui rebus gerendis interfuerant. Adeò qui nullam perfectæ Hiſtoriæ legem negligebat, illam omnium maximam, quæ vera ſcribere præcipit, eâ fide cuſtodiit, ut liquidò conſtet nobis, non ſolùm rationem ipſum habuiſſe veritatis, ſed etiam toto affectu illam amaſſe, & religione quâdam coluiſſe. Non eſt dubitationi relictus locus: ipſe ſuam mentem nobis aperuit; idque verbis graviſſimis, quæ meritò Brutus, ſive quis alius, digna ſuo calamo judicavit: nos quoque digna cenſemus, quæ heic deſcribantur: *Exiſtimo equidem*, ait, *Naturam humano generi* VERITATEM *conſtituiſſe numen maximum, maximamque illi vim attribuiſſe. Nam quum ab omnibus oppugnetur, atque adeò omnes nonnunquam veriſimiles conjecturæ à mendacio ſtent; ipſa per ſe neſcio quomodo in animos hominum ſeſe inſinuat, & modò repentè ſuam illam vim exerit: modò tenebris obtecta longo tempore, ad extremum ſuapte vi ipſa vincit, obtinetque, & de mendacio triumphat.* En animi veritatis amore ſtupentis teſtimonium luculentiſſimum. Huic autem dicto mirificè congruit tota ejus Hiſtoria; amorem enim veri, odium falſi ſexcentis locis conſtanter profitetur. Fuit Polybii ſententia, Scriptori Hiſtoriæ nihil veritate antiquius eſſe debere: non ad gratiam, aut odio cujuſquam; non reſpectu ullius, ſive privatæ, ſive publicæ amicitiæ; non denique ullâ charitate erga parentes aut patriam; cujus ſanctiſſimum in terris eſt nomen; veritatem profeſſum; &, ut ipſe loquitur, τὸ τῆς ἱστορίας ἦθος ἀναλαβόντα, debere adduci, ut vel latum, quod ajunt, unguem à vero recedat. In cætera quidem vita, ait ille, amicorum eſſe amantem ac patriæ, laudo; in ſcribenda verò Hiſtoria, etiam harum charitatum affectus exui volo: volo uni fidei conſuli, &, vel cum diſpendio exiſtimationis amici, parentis, patriæ, uni litari veritati. Duram legem, aliquis dicet. Sed eſt tanti Veritas; quam tollere, aut per ſpeciem cujuſdam ψευδωνύμου prudentiæ, vel mendacii officioſi, violare, tantò majus neſcio quid eſt, quàm ſolem de mundo tollere; quantò DEUS creator omnium, totius veritatis auctor, atque adeò ipſa Veritas, ſole major.

jor. Hanc legem quum principio operis ſibi pariter & omnibus Annalium 1609. conditoribus impoſuiſſet, per univerſam deinceps ſcriptionem exactiſſimè ſemper & religioſiſſimè eam ipſe ſervavit: neque fuit quiſquam adeò illi charus, cujus gratiâ libertatem ſuam & παῤῥησίαν obliviſceretur. Aratum Sicyonium, Reipublicæ Achæorum Principem, paullò ante hujus ætatem Græcia omnis erat mirata; virum integritate, induſtriâ, rectitudine conſiliorum, ac pleriſque aliis magni Politici Duciſque laudibus, præ cæteris æqualibus ſuis, ornatum. Achæi verò tot beneficiorum ab Arato in ſuam Rempublicam collatorum memores, fato functum ad ſempiternam memoriam conſecrarunt, & omnes Heroïbus deferri ſolitos honores ei decreverunt. Hunc talem virum Polybius præcipuè videtur ſuſpexiſſe; quod ex locis plurimis operis iſtius facile poteſt intelligi. At non eo ſecius tamen Arati peccata commemorat; tardum in conſiliis excogitandis vocans; ignavum in rerum inceptionibus; parum firmum ad micantium gladiorum conſpectum; ſalutis ſociorum negligentem; auctorem unicum cladis ad Caphyas acceptæ: neque parcit dicere, tropæis illum contra ſe poſitis totam Pelopis peninſulam implêſſe. Philippum, Demetrii filium, Regem Macedoniæ, modò laudat, modò vituperat; & utrumque facit exquiſitè. Judicii verò inconſtantiam non ſemel deprecatur; graviſſimaſque hujus varietatis cauſſas, & cùm de hoc, & cùm de Arato loquitur, profert in medium. Nulli videlicet mortalium ita ſuperos indulſiſſe, ut non interdum, ſi minus ſæpe, aliud agat, aut malè agat. Quin humani ingenii eam eſſe conditionem, ut non ſolùm in diverſis virtutibus idem homo appareat alius atque alius; ſed etiam in eadem ſæpe aliquis ſibi ſit diſſimilis. Idem fortis in defendendo; ignavus in aggrediendo: animoſus in ſingulari pugna; cunctator in publica: ad Martem apertum aptus; ad inſidias ineptus: audax in terra; trepidus in mari: conſtans adverſus irruentem hoſtem; pavidus in excipiendo cervo, aut apro. Mens prætereà unicuique talis, (divinitùs Homero dictum) quam in dies ſingulos Deus ſuggerit. Non igitur perſonas agentes ſpectare Hiſtoricum debere; ſed factis orationem ſuam adæquare. Ut enim Phidias materiam ad ſtatuas, aurum vel argentum ab Athenienſibus ſumere ſolitus, non ipſe domo ſuppeditare; & floridos colores dominus pingenti olim præſtabat; ſic Rerum geſtarum Scriptores non faciunt ipſi operis ſui materiem, Poëtarum more; ſed ab iis accipiunt, qui ſcribenda geſſerunt. Ergo etiam optimi quique viri interdum venient culpandi, peſſimi quique rarenter fortaſſe, at venient tamen nonnunquam laudandi. Eapropter reprehenſus à noſtro eſt Timæus, ille Hiſtoricorum maledicentiſſimus, quòd Agathoclis, Tyrannorum omnium, quos Sicilia tulit, immaniſſimi, dotes ingenii & facta laudabilia vel diſſimulaſſet; vel in contrarium detorſiſſet. An Polybius vir integerrimus tyrannidem Agathoclis probabat? Ille verò non magis hunc probabat, quàm Aratum oderat. Sed aliud eſt, tyrannidem commendare; aliud, egregiè factorum exempla, à quocunque tandem profecta, ſive amico, ſive hoſte, aut excellentem ingenii præſtantiam non ſinere indictam. Cauſſam affert Polybius; quia fallere non minus videtur, qui geſta præterit ſciens, quàm ille, qui nunquam facta fingit. Pari item ratione Sozomenus, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Auctor, orthodoxorum hominum contentiones, jurgia, perfidiam multorum, & alios defœdos nævos narraturus, ἐθελοκάκου προαιρέσεως opinionem deprecatur: non enim illa ſe ſcribere, quòd voluptatem ex talibus caperet; ſed volentem nolentem; quoniam infecta reddere, quæ facta eſſent, non poſſet: quæ geſta autem eſſent, ſilere; hoc verò eſſet veritatem prodere, & Hiſtoriæ legitimæ jura corrumpere: Μάλιστα, inquit Sozomenus, τῆς ἀληθείας ἐπιμελεῖσθαι χρεὼν, διὰ τὸ τῆς

ſ ἱστορίας

1609. ἱστορίας ἀκίβδηλον· & iterum, πάντα δεύτερα ποιεῖσθαι τῆς ἀληθείας τὸν συγγραφέα προσήκει. Juvat unum adhuc commemorare candoris Polybiani testimonium, sed insigne. Erat Reipublicæ Achæorum vetus cum Regibus Ægypti fœdus; quod cum singulis eorum, modò conditionibus iisdem, modò multum diversis, fuerat renovatum. Accidit Olympiade CXLVIII. ut Ptolemæus Epiphanes ea de re Legatum Demetrium ad Achæos mitteret. Scissa tum erat Respublica illa in factiones duas; quarum alterius Principes censebantur Philopœmenes; & Lycortas, nostri pater: alterius cùm alii, tùm Aristænus quidam. Quum parti Philopœmenis amicitia Ægyptii probaretur, fit decretum de renovando fœdere; eâque fine Lycortas ad Ptolemæum mittitur. It Lycortas; redit; legationem renuntiat. Aristænus, qui fœderis simpliciter fieri mentionem audiret, gnarus, plures ac diversas pro temporibus fuisse ejus formulas; petit in concilio à Lycorta, ecquodnam è multis fœdus esset instauratum? Ad hanc inimici vocem silere Lycortas, nec quod mutiret invenire. Evenerat enim stupendâ quâdam Philopœmenis atque ipsius negligentiâ, & Consiliariorum Ptolemæi parili stupore, aut, quod potius arbitrer, & verius est, astu, ut totum illud tanti momenti negotium, temerè, sine ulla distinctione transigeretur; quod gravissimum peccatum, in ejus loci præsertim & dignitatis viris, magna & justa utrumque ignominiæ macula aspersit. Hanc historiam Polybius ita narrat, quasi de hominibus loqueretur, nullâ notitiâ sibi conjunctis; qui tamen alterius erat filius; alterum parentis loco semper coluit. Sed memor vir summus legis à se rogatæ, maluit in Historia veritatis amicum se probare, quàm φιλόφιλον, aut φιλοπάτορα. Non vivebat, opinor, Lycortas, cùm illa filius scribebat: sed si vel maximè vixisset, non fuit Polybio verendum, ne hac ingenuâ libertate patrem offenderet. Levia ingenia quia nihil habent, nihil sibi detrahi patiuntur: magni viri, & fiduciam magnarum rerum habentes, adeò fidelium Historicorum veritate non offenduntur; ut contrà, suos ipsi errores & frustrationes generoso animo profiteantur. Hippocratem à suturis capitis fuisse deceptum nesciremus, nisi ipse memoriæ prodidisset. Cæsarem magnum ignominiam ingentem ad Dyrrachium accepisse, & magnis sæpe in Tua Gallia, DOMINE, detrimentis fuisse affectum; nisi ipse narrasset, vix hodie sciremus. Nam quæcumque Dio, aut alii Scriptores iis de cladibus scripserunt; præ iis, quæ ipse dicit, levia sunt. Quod si memorias veteres replicare voluerimus, solos inveniemus Tiberios, Caligulas, Nerones, Domitianos, Commodos, qui fidei præclaros scriptores, Cremutium Cordum, Livium, Suetonium, Arulenum, Senecionem & his similes, exosos habuerint. Illud verò in hoc Auctore eximio, quàm eximium & insigne; quòd miraculorum commenta & omnem παραδοξολογίαν acerrimè insequitur: caussas verò cunctorum gestorum diligentissimè scrutatur. Nimirum ex eo, quod posterius diximus, alterum illud prius nascebatur. Propterea enim osor extitit omnium præstigiarum, quas vulgus temporibus priscis mirabatur; quia rerum omnium & eventorum caussas vestigarat: quis autem nescit, antiqua Paganorum miracula meras, ut plurimum, fuisse dæmonum illusiones, & humanarum mentium ludibria? Scilicet pro vero credendum, quod toties in aliorum monumentis historicis legimus, sanguine aut lapidibus pluisse; saxum visum volitare; bovem esse locutum, & sexcenta istiusmodi portenta. Quid ista? Hannibali & Scipioni Africano præsentem deum affuisse: illi Alpes superare nitenti atque hærenti, viam præivisse; huic Carthaginem novam temerè invadenti, aquas maris subduxisse. Eleganter non minus quàm verè solet Polybius dicere, Scriptores Annalium, qui talia chartis suis illinunt, Tragœdias; non Historias componere. Nam ut Tragici Poëtæ

postquam

postquam turbata sunt omnia, & fabula est impedita, atque ea facta est, 1609.
quam Philosophus δέον τοῦ δράματος appellat; ut exitum inveniant, & spectatores absolvant, deo indigent & machinâ: sic imprudentes Historici, ubi summos Duces magna ausa concilio temerario, aut nullo, adoriri fecerunt; postquam ad rerum difficultates est ventum, ut sese expediant, tragico illo subsidio opus habent. Sed & vulgi imperiti caussasque rerum ignorantis opinio erat, hoc divini auxilii commento eorum virorum gloriam mirum in modum augeri, quos omni laude volebant honestare. Historicorum autem levissimus quisque aut superstitiosissimus, tenendo & oblectando Lectori, mirabilia quàm vera narrare præoptavit. Est namque humanæ naturæ vitium, rara, inaudita, indicta, &, ut ait Isocrates, τὰς περιττότητας καὶ θαυματοποιίας amare. At noster hic, solidissimi judicii vir, ut ista pro frivolis haberet, & contrariam narrandi viam ingrederetur; ille, quem exposuimus, veritatis amor, & notitia caussarum effecerunt. Qui igitur sciret falsò dici, primum Hannibalem cum exercitu Alpes trajecisse; quas multò antè non semel Galli, Italiam petentes, cum magnis copiis superaverant; sciret etiam, prudentissimum Pœnum, priusquam ex Hispania pedem moveret, missis ad Gallos, qui cis & trans Alpes habitabant, Legatis; rebus omnibus tanto incepto necessariis providisse; narrationem illius expeditionis, miraculorum quidem vacuam, sed summæ prudentiæ plenam instituit. Scipionem quoque, priusquam ab Urbe proficisceretur, omnes negotiorum difficultates probè meditatum; non miraculo, sed admirabili quâdam prudentiâ Hispanias domuisse ostendit: & eorum, quæ scribit, Lælium, Africani assiduum comitem, diligenter à se de singulis interrogatum, testem locupletissimum laudat. Innumera possent alia huc afferri, ex quibus de sincera fide & judicio exquisito hujus Scriptoris planissimè queat constare. Instar omnium hoc unum esto. Legionem Romanam è quatuor millibus Campanorum compositam, quæ Rhegium insignito perfidiæ exemplo, belli Tarentini tempore, diripuit & occupavit, totam posteà à Romanis securi fuisse percussam, scribunt Orosius, Julius Frontinus, ipse etiam Titus Livius, necnon alii: noster contrà, trecentos dumtaxat eo supplicio affectos narrat; atque ejus sententiam verissimam certissimamque esse, clarè demonstramus in nostris Commentariis. Quid igitur Latinos illos impulit, ut tam liberali mendacio veritatem interficerent, ut cum Tertulliano dicam? Granditati videlicet rerum, quas exponebant, non simplici fidei studuerunt. Ut dubitare nemo debeat, Polybione, an aliis, qui res easdem diversè prodiderunt, plus auctoritatis sit tribuendum. Rara, grandia & miraculosa plerisque illorum tradere posteris curæ fuit; nostro, vera, certa, & fructuosa: delectare illi Lectorem suum; noster, doctrinâ civili instruere, propositum habuit; qui etiam loco non uno profitetur, de voluptate quidem auditoribus paranda, quam scribentium plerique sectantur, non admodum sollicitum se esse; utilitatis verò ad vitam pertinentis, tantam rationem habere, ut ad eam cuncta referat. Omnes igitur amœnitates & reficiendo Lectori diverticula, in opere tam serio neglexisse; ut uni adhæreret rerum gestarum accuratæ explicationi, & observationibus, quæ eodem pertinebant. Propterea Historiam suam πραγματικὴν vocans, quòd esset tota de negotiis gestis aut bellis; necnon ἀποδεικτικὴν, propter certitudinem narrationum; id se agere ostendit, ac sæpius inculcat, ne velut artem quandam, &, ut ipse loquitur, μεθοδικὴν ἐμπειρίαν rerum gerendarum politicis hominibus concinnet. Quamobrem, sicut verum est dicere, Polybium Historiam sui temporis scripsisse; ita non minus verum est dicere, Polybium in Historia, quam scribebat, praxin politicæ doctrinæ & disciplinæ militaris exercuisse. Nihil ille, paullò præsertim majoris momenti narrat factum, cujus non afferat

1609. rat & antecedentes & cohærentes caussas, cur ita sit factum; aut cur eum habuerit res exitum. Simul autem & modum accuratè explicat, quo singula fuerint administrata. Hinc illæ non infrequentes digressiones, quibus aut naturam locorum declarat; quâ non prius probè cognitâ, præliorum descriptiones, & similes expositiones, cæcæ, (nam sic ipse appellat,) sint futuræ; aut aliquod theorema politicum ex professo persequitur. Sic libro II. caussæ quæruntur mirabilis incrementi Reipublicæ Achæorum. Sic libro IV. de miserorum Cynæthensium infelicitate, & ejus caussis, multis differitur. Sic libro IX. de institutione Imperatoris, & disciplinis, magno Duci necessariis, doctissimè disputatur. Sic libro X. ratio tota dandorum signorum per faces, quâ multum, idque mirabiliter, usi sunt Veteres, non solùm exponitur, sed & novis inventionibus ipsius auctoris perpolitur. Sic libro XVII. cur phalangem Macedonicam creditam prius esse invincibilem, & quæ reverà talis naturâ suâ erat, Romanæ legiones sæpe vicissent, pulcherrimè docetur, ejusque rei caussæ manifestissimæ certissimæque afferuntur. Sic multa passim de officio Historici, & legitimæ Historiæ natura inseruntur. Totus quoque liber sextus, digressio quædam est à proposita narratione: sed, Deum immortalem! quàm ex usu, quàm docta, quàm divina! cum qua si componantur omnes omnium Auctorum digressiones, nihil simile invenias, nihil ulla ex parte comparandum. Exposuerat prioribus libris Polybius, quomodo Hannibal Italiam ingressus, Populum Romanum tribus continuis cladibus ad Ticinum, ad Trebiam, ad Thrasymenum, iisque magnis, attriverat, & quartâ insuper Cannensi, omnium longè maximâ, penè deleverat; eò certè redegerat, ut emersurus ex illo miserrimo statu nunquam videretur. Emersit tamen, & cum adversa fortuna aliquandiu luctatus; mox & Hannibalem Italiâ expulit, & pace cum Pœnis in suas leges factâ, ad spem Imperii Orbis terrarum sese erexit. Rei igitur stupendæ, & omnibus sæculis inauditæ caussam eo libro aperit noster: caussa autem erat, ipsa Reipublicæ Romanæ forma & scientia bellandi; quæ duo capita sic à Polybio explicantur, ut vel solus ille liber, qui nullo satis æstimari pretio queat, doctrinam, judicium, peritiam pacis bellique artium, & summam Auctoris prudentiam arguat. Atque hoc in genere illud cum primis observatu dignum; quantâ curâ Polybius Lectorem suum ad contemplationem verarum caussarum subinde revocet, unde successus sive læti, sive illætabiles manant: quantâ item multorum Veterum (atque utinam horum tantùm) opinionem stultam, de Fortuna pendentium, reprehendat & confutet. Non enim pati poterat tantus Prudentiæ Magister, in res humanas induci cæcum illud cæcorum hominum πλάσμα καὶ εἴδωλον, ut Democritus vocabat, quod *Nullum Numen habet, si sit Prudentia.* Clamat igitur noster, τῶν συμβαινόντων τύχην αἰτιᾶσθαι, φαῦλον. Fortunam facere caussam eventorum, amentia est; quippe Sapientibus, & qui rectis consiliis utuntur, haut magni Fortunam momenti esse; aut potius Fortunam, quæ nihil sit, nullam intervenire: non enim casibus regi, sed regere magis prudentem casus: mentem, rationem, virtutem, pietatem dominari. Qui si aliquando parum sibi videtur constare, Fortunam ipse quoque nominans, & vim illius agnoscens; non tam sententiæ errorem eum esse; quàm loquendi consuetudinem quandam, abundè probatum est in nostris Commentariis. Ubi etiam illorum errorem supinum atque insanùm magnum validissimis rationibus confutavimus, qui malè de Diis & divina Providentia Polybium sensisse, ausi sunt scribere. Adeò homine imperito nihil quicquam injustius. Quid injustius, quàm ἀθεότητος à malè feriato Politico & Theologastro omnis humanitatis imperitissimo eum virum damnari, qui Arcadiæ patriæ suæ præcipuum decus ponat ἐν τῇ εἰς τὸ θεῖον εὐσεβείᾳ, in pietate erga

ga Deum? Qui Locis ſacris belli tempore non parcere, ultimam ſceleris atque immanitatis lineam putet! Qui pacis poſt diuturnum bellum inſecutæ, primum & omnium pulcherrimum fructum agnoſcat, Ædes ſacras dirutas aut collapſas inſtaurare; neglectas divini cultûs cerimonias in uſum revocare? Qui civitatis bene & legitimè ordinatæ primam omnium conditionem ponat, ut in ea religio vigeat? Qui magnitudinem Imperii Romani pietati illius populi ferat acceptam? quâ quidem uſque eò Romanos vult excelluiſſe, ut etiam ſuperſtitioſi, Sapientum judicio, videri poſſent: verùm, quàm ſuperſtitionem alii vocant, inquit, ea eſt apud Romanos ὑπερβολὴ pietatis. Qui toties bona bonis provenire, malos malè perire, bene conſulta parum bene interdum cedere παρὰ θεῶν καὶ τοῦ δαιμονίου, Dei nutu atque numine, pronuntiet? Qui denique omnia miraculorum commenta ex Hiſtoria, quam πραγματικὴν appellat, quum ſtudio magno eliminet; verbis tamen diſertis libro XVI. ea miracula, quæ ad firmandam opinionem de Deo ejuſque potentia pertineant, & admittat & commendet. Poterantne à miſero Ethnico illuſtriora inclinati ad pietatem animi proficiſci teſtimonia? Sed ut melius conſtet, qui fuerit Polybii ſenſus, quæ ſententia ſuper quæſtione tam gravi de rerum humanarum gubernatione; verba Suidæ, hominis Chriſtiani, qui diligentiſſimè illius ſcripta legerat, heic deſcribam: *Fortuna*, ait ille, *apud Græcos & Paganos, eſt gubernatio mundi ſine ulla Providentia; aut rerum curſus ab incertis ad incertum, & id quod caſu ſpontèque evenit. At nos Chriſtiani* DEUM *omnia adminiſtrare confitemur; idque etiam Polybius dicit.* Pudeat nunc eos, qui crimen adeò tetrum tam bono Scriptori auſi ſunt impingere. Pudeat illum Politicum, qui audire Chriſtianus quum vellet, de cauſſis converſionum, quæ Imperiis accidunt, tam infeliciter & abſurdè pronuntiavit, ad numeros Lectorem ſuum revocans: quàm doctè & graviter Polybius libro ſexto; cùm futuram olim mutationem in Romana Republica, cujus florentiſſimam tunc cùm maximè ætatem ipſe videbat, centum ferè annis prius quàm eveniret, veriſſimè prædixit. Poſt tot tantaſque, & eas adeò inſignes rerum virtutes, facultatem dicendi in Auctore tam nobili laudatum ire, pars fuerit injuriæ: in quo nulla quum eloquendi virtus rerum Scriptori neceſſaria deſideretur; hoc fundamentum ingentibus illis, quas oſtendimus, ſuperſtructum molibus ſic obruitur, vix ut appareat. Non deeſt, ſed non eminet in Polybio facundia: nihil verò eſt iniquius illis, qui nullam putant eſſe eloquentiam, niſi ubi nihil eſt præter eloquentiam. Semper mihi apprimè placuit Diodori Siculi ſententia, vehementius in Hiſtorico eloquentiæ ſtudium improbantis. Verborum enim curam nimiam rerum ferè par ſequitur incuria. Oratio vultus animi eſt: ut hic fuerit gravis aut ſolutus; ita etiam illa vel ſevera erit, vel mollis. Polybii ingenium verbo judicavit excellens Auctor Strabo, quum illum appellavit τὸν οὕτως ἐσπουδασμένον ἄνδρα, virum adeò ſerium, & rebus ſeriis deditum: nam hoc voluit Strabo. Non dubitabunt periti de rectitudine hujus judicii & elogii veritate, qui diligenter expenderint. Ineſt ſanè in hujus ſcriptis gratus quidam ſine ullo fuco veritatis color, & quod Græci Critici appellant τὸ ἔμπρακτον καὶ τὸ ἐναληθὲς τῶν ἐννοιῶν. Equidem rideam an indigner neſcio, quoties apud Dionem Pharſalicæ, vel Philippicæ, aut ſimilium pugnarum deſcriptiones lego; in quibus eloquentiæ plurimum, bellicæ verò artis & Tacticæ peritiam nullam penitus animadverto: ut de Hiſtoricis aliis nihil nunc dicam, ne Dioni quidem ullo pacto comparandis. Dares eadem prælia Polybio deſcribenda, in re eadem nihil idem diceret; omnia alia & diverſa: neque enim eo propoſito ad præliorum deſcriptiones accedit, ut in depingenda negotii facie rhetoricetur; verùm ut, ceu Xanthippus ali-

1609. quis Tacticus, usum ejus disciplinæ in ipsis rebus Lectorem doceat; caussas hinc victoriæ, illinc cladis ob oculos ponat. Quid in eligendo belli campo, quid in ordinanda acie, quid in subsidiis disponendis, quid in procurrendo concurrendove, aut excipiendo hoste bene, aut secius fuerit factum: quis levis, quis gravis armaturæ fuerit usus: equitesne an pedites ad summam operis plus momenti attulerint. Ad harum rerum expositionem si orationem noster adhibuit nullis calamistris inustam, nullis fractam cincinnis, ac ne diligentius quidem comptam, sed masculam & quodammodo militarem, opus, credo, censorium fecit. Ut poma quædam sunt suaviter aspera; & in vino nimis veteri ipsa nos amaritudo delectat; sic in seriis magnisque Scriptoribus minus interdum culta dictio, non sine austeritate quadam juvat. Et est sanè Polybiana dictio ejusmodi; in qua multa verba, multas observo locutiones in castris natas, & gloriosum illum Martis pulverem, potius quàm Rhetorum lecythos & pigmenta redolentes. Quidni autem? maluit Polybius exercere in agendis rebus quantum habuit eloquentiæ, quàm inerti otio sese dare, ut sequeretur, quantum ejus poterat per ingenium consequi. Nam quid aliud ab eo exigas, cui paullò pòst quàm ex ephebis excesserat, legis annariæ gratia facta est à Concilio Achæorum, ut negotiis se immisceret, ac Legatus in Ægyptum cum patre Lycorta, & Arato, Arati filio, proficisceretur? Factum est hoc decretum, circa principium Olympiadis CL. Unus, credo, fuit ex omnibus Antiquis Dionysius Halicarnasseus, qui propter dictionis incuriam & minus accuratam verborum comprehensionem, tantum virum impolitiæ notare sustineret: cujus Critici putidæ morositati sic alibi respondimus, ut æquis judicibus nostrum judicium probatum iri confidamus. Neque tamen nævos, si qui sunt in hoc pulcherrimo corpore, dissimulavimus: nam equidem sicut eos, qui malignè scripta aliena tractant, scelestos & publicâ omnium exsecratione dignissimos censeo; ita qui sine cura discriminis omnia pariter laudant, sine judicio in literis versari; & illa ipsa, quæ laudant, cur sint laudanda, non intelligere, persuasum habeo. Et fuit quidem felicitatis Populi Romani pars non pœnitenda, sempiternæ gloriæ per eum virum fuisse commendatum, qui ipse quoque in eo ornando propriam ingenii gloriam erat consecuturus: sed & Polybii magna prorsus extitit felicitas, in ea tempora incidisse, quæ materiam dignissimam facultate & copiâ suâ ipsi subministrabant. Scitum vetus est, Omnium Imperiorum, sicut cæterarum rerum humanarum, tria esse tempora; primordium, summam incrementi, inclinationem ad interitum. Græci melius, ἀρχὴν, ἀκμὴν, παρακμὴν aut φθοράν. Hæc quum naturâ sint diversa, etiam Scriptoribus admodum diversam ad scribendum materiam suppeditant. Principia incerta, fabulis involuta, tenuia: semper enim, modò primùmque nascentia sunt minuta: postrema tempora, ipsa quoque, sed ex alia caussa, attenuata, & vitiis deformia; utpote exitio propinqua. Solum est medium tempus, quod vigoris florem obtineat; sive ad experiundum, sive ad scribendum, aut cognoscendum, pulchrum & optabile. Respublica Romana, ut observat Polybius, si qua ulla unquam alia omnes temporum diversitates secundum naturæ communes leges est experta: quæ ab obscuris, fabularum plenis, & oppidò exilibus profecta principiis, per annos fermè quingentos cum populis Italiæ perpetuum quasi bellum variâ fortunâ gessit. Tantæ molis erat Orbi terrarum dare caput. Deinde ubi semel pedem extra Italiam extulit, dictu mirabile, quanta cum sua gloria, quanto cum stupore tunc viventium & videntium, Europam, Asiam, Africam, triumphis peragratas, dominationi suæ subjecerit. Hæc fuit & Reipublicæ & virtutis Romanorum ἀκμὴ, & præcipuus vigor; quod tempus vulgò

vulgò Hiſtorici ad ducenteſimum uſque annum extendunt. Sed ſpatii hujus 1609. ultima civitatem ſanguine civili fœdatam habuerunt, & luxu, poſtquam victores Aſia capta cepit, multiſque aliis vitiis corruptam. Eam partem Polybius non attigit, non vidit; qui ipſam dumtaxat ἀκμὴν τῆς ἀκμῆς, ut ſic dicam, & puriſſimam laudatiſſimamque partem florentis Reipublicæ Romanæ ad occupandum ingenium, ſingulari felicitate aurei illius temporis, materiam eſt nactus. Quare Hiſtoriæ hujus non poſtrema hæc laus eſt, quòd in parte verſetur rerum Romanarum longè nobiliſſima; ſive virorum virtutem ſpectes, ſive publica inſtituta, aut mores, ſive geſtorum magnitudinem. Quum autem inter excellentis Hiſtoriæ conditiones doctiſſimi Veterum hanc cum primis ponant, ut certi intervallo temporis circumſcribatur, & à notabili principio ad notabilem finem perducatur; hanc Hiſtoriæ legem, (ut quidem illis placet) à Polybio mirificè eſſe obſervatam, invenimus. Ille principio, cùm ad ſcribendum animum appulit, annorum quinquaginta & trium res geſtas ſuſcepit explicandas; ab anno primo Olympiadis CXL. & initio belli Punici ſecundi ad finem belli Perſici, & regni Macedonici ultimam everſionem; quo ſpatio affirmat Polybius, & incepiſſe & conſummata eſſe Imperii Romani incrementa. Rectè; ſi modò intelligatur, ut in noſtris Animadverſionibus eſt expoſitum. Geſtæ igitur ſunt eo temporis intervallo, tot tantæque res, quot & quantæ nullo unquam ſæculo pari numero annorum. Ante omnia bellum occurrit Punicum ſecundum; bellum, viribus partium, generoſitate Ducum, magnitudine cladium, varietate caſuum, eventorum conſequentiâ, omnium quæ ubivis terrarum geſta unquam ſunt, maximum. Finem hujus initium Macedonici cum Philippo excepit; ob veterum Macedoniæ Regum famam, & Magni Alexandri gloriam, bellum nobiliſſimum. Secuta ſunt, Antiochicum & Ætolicum; illud cum Rege Aſiæ opulentiſſimo, & terrâ marique vi copiarum ingente inſtructiſſimo; hoc cum populo omnium ferociſſimo, & qui bellandi decus ſibi uni vindicabat, ſéque eo nomine impotentiſſimè jactabat. His interjecta ſunt minora jam alia bella cum Inſubribus, Boiis, cæteriſque Gallis, trans Alpes Italiam incolentibus. Poſtremum fuit Macedonicum alterum cum Perſe, Philippi filio; in quo illa antiqua Macedonum regia, cui aliquando Ἦν Ἑλλὰς αὐτὴ σμικρὸν οἰκητήριον· imò verò, cui capiendæ Orbis terrarum olim parvus erat, exemplo penitus miſerando, eſt extincta. Tum primum omnes & Orientis & Occidentis nationes attonitæ, magnitudinis Romanæ ſtupore cœptæ ſunt defigi; ac vim ineluctabilem fatorum intelligere, quæ Populo Romano imperandi honorem deferebat; ſibi parendi neceſſitatem imponebat. Quæ admirabilis rerum univerſi mundi converſio, Polybium initia impulerat, ut hoc tam memorabili fine Hiſtoriam ſuam terminaret; paucis tantum annis inſecutæ pacis adjectis; ut quàm modis omnibus laudabilis eſſet forma regendi Imperii, quâ Populus Romanus utebatur, & cunctis quidem omnium ſæculorum gentibus, ſed præcipuè Græcis ſuis teſtatum faceret. Ac quoniam non unius tantùm populi hujus res peragere inſtituerat; ſed Romani quidem primario; deinde autem & cæterorum totius Orbis populorum omnium, paullò ſaltem nobiliorum; multa de Regum Syriæ, Ægypti, Ponti, Cappadociæ, Perſidis, aliarumque gentium rebus, ordinem ſecutus temporum, inſervit, propter quæ, opus ſuum καθολικὴν ἱστορίαν, quaſi, univerſalem Hiſtoriam dicas, jure nominat. Eſt hoc quoque Hiſtoriæ Polybianæ grande atque inſigne decus, quòd non de una tantùm, aut altera natione fuerit inſtituta; verùm de omnibus, quæ toto Orbe illis temporibus noſcebantur. Cujus generis Hiſtoria, quum reliquas ejus formas tantum dignitate ſuperet, quantum parte aliquâ ſui totum eſt præſtantius; iis cum difficultatibus eſt conjuncta, ut poſt

 homi-

1609. hominum memoriam perquam pauci fuerint reperti, qui oneri tanto ſubire auderent; quorum autem humeris onus illud bene ſederet, pauciſſimi. Planè inuſitatam animi magnitudinem, & parum vulgo conſuetum ingenii modum præ ſe fert, qui univerſalis Hiſtoriæ, qualem Alphonſus X. Caſtellæ Rex, ſolitus optare, ſcriptionem πραγματικὴν aggreditur. Proprias verò laudes ejuſmodi Hiſtoriæ, ſi commemorare velim, nimis longum faciam; & præclarè noſter hic ea ſuper re nonnulla operis ſui initio. Vel illud quantum eſt, quàm admirabile? Poſſe aliquem mortalium, illam Dei ter Maximi πολυποίκιλον & inenarrabilem ſapientiam, quæ non unam aliquam aut alteram regionem, ſed verò mundum univerſum regit ac temperat, quaſi veſtigiis perſequi, mente capere, & ſtylo enarrare? Quid de populis Orientis, quid tempore eodem de Occidentis divina ſtatuat Providentia; quid vel ſublevandis, vel premendis ad Aquilonem Auſtrumve gentibus, eadem decernat? Tot res, tam varias, vel animo poſſe capere, magnum ſit: quid componere inter ſe, in ordinem digerere, & in unius Hiſtoriæ faciem concinnare? Hoc demum illud verè eſt, quod initio dicebamus, miniſtrum Providentiæ divinæ in terris agere. Polybius igitur tantis de rebus tam exquiſitæ formæ Hiſtoriam, quam moliebatur, ultra illos quinquaginta & tres annos, & paucos alios pacis curam ſuam non extendebat; qui tamen eo labore perfunctus, novam Hiſtoriam annorum circiter octo, eorum bellorum, quibus ipſe ut plurimum interfuerat, priori ſubtexuit; à principio Celtiberici ad deletam à Mummio Corinthum, & in formulam Provinciæ redactam Achaïam; necnon ad Carthaginem, paullò antè à Scipione captam, & ſolo æquatam. Scripſerat & de Bello Numantino; ſed ſeparato à perpetua ſua Hiſtoria volumine, ut Auctor eſt Tullius. Porrò univerſum, quod modò expoſuimus, argumentum, libris quadraginta Polybius fuerat complexus, vel potius, duodequadraginta; primus ſiquidem & ſecundus, Apparatum ad Hiſtoriam primario ſuſceptam, non ipſam Hiſtoriam, continent. Nam quia Græcis hominibus illâ ætate res Romanæ, ſuâ memoriâ vetuſtiores, parum erant cognitæ, prudentiſſimus Scriptor ex uſu futurum putavit, ſi Reipublicæ illius tempora ſtrictim attingeret, à capta Roma per Gallos, Duce Brenno, ad primum extra Italiam cum claſſe tranſitum; & paullò uberius à prima trajectione in Siciliam, quando bellum Punicum primum eſt conflatum, ad Punici ſecundi annum primum: quas ille res cum Græcanicis, aliorumque populorum ratione temporum congruentibus, in illa duûm librorum Præparatione comparavit. At quàm dolendum, nec ſine indignatione ſumma memorandum, quòd Auctoris tanti tam excellens opus ſuperiorum ſæculorum barbara ignorantia magna ex parte nobis invidit? Quando id vulnus Reipublicæ literariæ fuerit impoſitum, difficile eſt pro certo affirmare. Conſtantinum Porphyrogenitum, Pandectarum Politicarum ex Hiſtoriis compoſitorem, integrum opus habuiſſe, nullus dubito. Suidæ quoque Grammatico, ſuum illum Centonem contexenti, reor equidem totum Polybium ad manum fuiſſe: idque ſatis manifeſtò è fragmentis poteſt cognoſci, quæ inde collegimus. Nunc, proh dolor! ſolos quinque primos libros, quales Auctor reliquerat, habemus; cætera variâ manu interpolata ad nos pervenerunt. Tres operis totius partes diſtinctas editio noſtra exhibet. Prima eſt eorum, quos modò dicebamus, quinque librorum. Sequitur altera, Excerpta continens à quinti fine ad principium decimi octavi: ipſam, niſi fallor, illam Epitomen, quam Marcus Brutus conficere orſus, non perfecit: qua de re plura nos alibi. Tertia quoque pars Excerpta complectitur, ſed diverſi generis: ſunt enim illa ipſa loca laudabilia, quæ viri eruditi, juſſu Imperatoris Conſtantini excerpſerunt, ut titulo operis novi vigeſimo octavo, exemplis Legationum deſtinato, intere-

inſererent. Quis ſatis pro rei magnitudine jacturam hanc queat deflere? Habent quod doleant qui literas Græcas amant, tam bonum ejus linguæ Auctorem tam malè fuiſſe acceptum. Habent Hiſtoriæ Romanæ amatores, tam accuratum illius Scriptorem tantum detrimenti eſſe paſſum. Habent qui res Syriacas & totius Orientis, Regum ſucceſſiones, defectiones Satraparum, bella ab Antiochis & Ptolemæis geſta, multorum item aliorum ſive Principum, ſive civitatum res, hodie ſciunt majore ex parte ignorari. Habent etiam illi, qui in Eccleſiaſtica Hiſtoria Maccabaïcorum temporum rectè capienda, quantum ſit hodie difficultatis ex inopia veterum Hiſtoricorum, non neſciunt: & quantum illi lucis Polybii Hiſtoria, ſi integra extaret, foret allatura, ex iis, quæ ſuperſunt, facere conjecturam ſciunt. Omnium verò maximè quod doleant habent, qui geſta Majorum eo animo legunt, ut ad vitæ uſum illa referant; quique doctrinæ civilis & bellicæ ſeriam cognitionem præſtantiſſimum Hiſtoriæ legendæ fructum putant: neque neſciunt, ſuis potiſſimum utilitatibus eximium hunc & πολιτικώτατον Scriptorem iviſſe conſultum. At enimverò cui bono amiſſa deflere, niſi eorum deſiderio excitentur generoſi adoleſcentes, ut tantò diligentius quæ reſtant, velint cognoſcere, & hoc Dei beneficio perfrui? Deſinant igitur inutilium querelarum veræ doctrinæ candidati; & Polybium, quem nunc Majeſtati Tuæ, DOMINE, offerimus; non illum quidem integrum, ſed qualem tamen nemo adhuc vidit, grati excipiant: quodque pars adeò luculenta excellentiſſimi hujus Auctoris naufragio ſit erepta, eo nomine gaudeant, & publicæ rei literariæ gratulentur. Nos quidem totam Polybii Hiſtoriam non damus; ſed vel in tota eminebant, ea ſine dubio damus. Et formam quidem univerſæ ſcriptionis, ipſumque adeò Auctoris genium, è prima noſtræ editionis parte, quæ integra & ſine imminutione ulla notabili ad nos pervenit, licet hodieque cognoſcere. Multa ſtudioſi in duobus Præparationis libris invenient, nuſquam alibi tam bene deſcripta; quædam omnino apud nullum alium, neque Græcum, neque Latinum, invenienda. Punici primi Hiſtoriam non plenè quidem ibi narrat Polybius; neque enim id agebat; ita tamen, ut hodie in tanta bonorum librorum paucitate, plura de eo bello unus hic quàm alii omnes nos doceat. Idem de bellis, quæ Romani cum Gallis in Italia degentibus geſſerunt, eſt cenſendum. Licybi verò Carthaginenſum, multis nominibus cum primis memorabilis, Hiſtoriam uni huic debemus. Reipublicæ Achæorum quondam illuſtriſſimæ primam inſtitutionem, augmenta, & formam, ex eodem Apparatu cognoſcimus. Tres, qui deinde ſequuntur, Hiſtoriæ legitimæ primi, propter ſubjecti magnitudinem, varietatem ingentem, accuratam ejus tractationem, doctrinæ, quà civilis, quà bellicæ uberrimam copiam, ut eos magni Duces & Politici diligentiſſimè ſæpiſſimèque verſent, merentur. Secundæ & tertiæ partis Excerpta, oſſa & nervi ſunt, carne & cute nudati: decus formæ abeſt, & illa vivi corporis venuſtas; unde tamen fructus feramus uberrimos, abunde adeſt. Mihi quidem videtur M. Brutus, ſive eſt alius, magno judicio uſus, in iis ſeligendis, quæ Politico informando erant accommodatiſſima. Iccircò librum ſextum totum paucis exceptis ſibi ac nobis deſcripſit; quod de illius præſtantia & utilitate rectè judicaret. Planè totus ille liber omnibus Principibus, Ducibus & Politicis non legendus, ſed ad verbum eſt ediſcendus. Legationum Excerpta quam potiſſimùm utilitatem ſpondeant, ipſo titulo profitentur: in eum namque finem fuere confecta, ut viri politici, quorum induſtriâ in ſimili miniſterio ſummi Principes utuntur, documenta inde ſumerent, ſibi uſui futura. Scire quæ ſint Legati partes, quis uſus datæ poteſtatis, quæ illum circunſtent pericula, doctrinæ po- 1609.

1609. liticæ pars minima non eſt. Expoſui cauſſas, DOMINE, cur Rempublicam cogitantibus, & cum utilitate omnium, ſuâque laude ſive domi, ſive militiæ eam adminiſtrare cupientibus, Hiſtoria quidem præ cæteris diſciplinis ſtudioſè ſit cognoſcenda; è cunctis verò illius Scriptoribus, qui vetuſtatem pertulerunt, Polybius præcipuè notus ac familiaris eſſe debeat. Non erat alienum huic loco, ut inter hunc, cæteroſque Hiſtoricos, tam Græcos quàm Latinos, quid quantumque interſit, (& intereſt ſanè haut parum;) quid inter hanc, & illorum Hiſtorias ſit diſcriminis, expenderemus. Facit enim ad rem, ſi quid aliud, cùm in omni ſtudio, tùm in iſto non minimè, de Auctoribus ſingulis, eorumque ſcriptis quid ſit ſentiendum, & veris principiis ſtatutum habere. Verùm quoniam longius jam neſcio quomodo oratio noſtra eſt provecta, ea autem quæſtio, non adeò facilis, ut paucis queat abſolvi; ne planè immemor videri queam, apud Majeſtatem Tuam ſermonem habere me pulcherrimi argumenti, & ad cognoſcendum utilioris, quàm ad explicandum facilioris, tractatione accuratâ in præſentia ſuperſedens; illud interim omni aſſeveratione confirmare, nequaquam verebor, non poſſe aliquem neque Græcum inveniri, neque Latinum ex illo meliore ſæculo, nedum è poſterioribus, quem non aliquâ legitimæ Hiſtoriæ laude, aut etiam pluribus, noſter hic antecedat. Magnus ſanè Scriptor Herodotus; & ſine controverſia, Hiſtoriæ Pater; ſed qui ad πολυμάθειαν & rerum antiquiſſimarum cognitionem plurimum; ad eam verò, quam quærimus, prudentiam, non multum ſit collaturus. Magnus & vir, & Scriptor Thucydides; qui à gerendis rebus ad eaſdem ſtilo perſequendas, quum ſeſe contuliſſet, Hiſtoriæ ad uſum politicorum ſcriptæ mortalium, credo, primus exemplum poſtfuturis mirandum potius quàm imitandum dedit. Sed vir maximus par ingenio argumentum non habuit: quâ quidem re tantò eſt Polybio inferior, quantò Græcia, hoc eſt, anguſtus terræ angulus, cæteris omnibus antiquæ οἰκουμένης partibus eſt minor: ut de obſcuritate dictionis Thucydideæ nihil dicam. Magnus Xenophon, & ejus oratio quovis melle dulcior: ſed is belli paciſque artes in ficta Hiſtoria ſeriò docens, in ſeria & vera de eo propoſito ne cogitaſſe quidem videtur. Thucydidem ille continuat; verùm ita, ut ſit illi diſſimillimus. Accuratior idem in Anabaſi; quæ tamen unius expeditionis narratio eſt, non alicujus Imperii aut potentis Reipublicæ legitima Hiſtoria. Magni ſunt Auctores Diodorus Siculus, Dionyſius Halicarnaſſeus, Joſephus. Sed primus ille in priore operis ſui parte fabularem Hiſtoriam quum perſequatur, ne in altera quidem parte, licet præſtantiſſima, eam rationem tenuit, quæ Politico informando erat accommodata: aliud enim, non hoc, ſpectabat: quippe in magna ingeniorum diverſitate aliud alii natura iter oſtendit. Dionyſius, Polybii æmulus, à primis Romanorum orſus temporibus, Hiſtoriam ſuam eò perduxerat, unde noſter, ſæculo uno antiquior, ſuæ principium duxerat. Hunc aliquis cum Polybio putet componendum? qui nullam unquam Reipublicæ partem attigit: qui exercitibus nullis unquam præfuit; ac ne interfuit quidem, opinor? qui rerum uſum experientiâ collectum nullum habuit: qui Hiſtoriæ Romanæ partem maximè exilem, maximè incertam & obſcuram (ejuſmodi ſemper eſſe primordia, anteà oſtendimus,) in qua ſe exerceret, delegit: qui denique omne ſuum ſtudium dicendi parandâ facultate poſuit. Joſephus, populi unius res geſtas & caſus memorabiles deſcribit; breviter quidem & ſtrictim in Originibus; uberius verò in altera Hiſtoria: qui vir eximius, ſi materiam ad agendum primò, deinde ad ſcribendum, quanta Polybio obtigit, foret nactus; de dignitate & præſtantia ſcriptionis merito ſuo dubiam atque ancipitem cum ipſo palmam potuit habere.

bere. Magnus, vel potius, maximus Plutarchus; sed qui Historiam πραγματικὴν ex professo nunquam scripserit, in hujus comparationem venire non est aptus. 1609.
Multò minus Appianus, qui neque propria multa habet, & rationem propositi toto genere diversam est secutus. Coccejum Dionem inter nobiles Græcæ linguæ Historicos possumus recensere; ita tamen, ut propter omnia alia potius videatur laudandus, quàm propter illa, quæ in Polybio admiramur. E veteribus Romanis, qui usque in Græcorum ingeniorum comparationem sunt evecti, magnus omnino Auctor est Crispus Sallustius; sed quem Polybius propter amplitudinem & varietatem subjecti, judicii rectitudinem, doctrinæ copiam, quà civilium rerum, quà bellicarum, postremò propter illam, quæ Græcis dicitur ἤθους διάθεσις, quæque in Historia vel maximè debet spectari, longè à tergo relinquit. Quod si veritatem & libertatem judicii hodierna ingenia ferre possunt; is profectò fuit Sallustius, & vitâ & scriptis, qui omnium libidinum servus, sic aliorum vitiis perpetuò irasceretur, quasi invideret. Inde est illud trux & violentum dicendi genus, quo Lectorem mirificè interdum afficit, trahit, rapit. Omitto dicere de ejus dictione, quam multi Veterum valde laudarunt; multi non adeò; quidam vehementer improbarunt. Magnus, Deus bone! Auctor Titus Livius; lacteâ quâdam ubertate dictionis divinitûs facundus; amans virtutum, osor vitiorum, rectus judicii, rerum togæ, rerum sagi, etsi non ex usu, neque experientiâ, egregiè tamen peritus; denique, si quid judico, hoc solum ingenium (de Historicis loquor) Populus Romanus par Imperio suo habuit. Cæterùm tantus & tam admirabilis Scriptor, ut eloquentiâ Polybium facilè vincit, quod ingenuè fateor; ita aliis dotibus à Polybio non obscurè vincitur; nam ut de libro sexto nihil dicam, & id genus aliis Polybii digressionibus; & Tacticæ imperitiam est ubi deprehendas; quod nostri Commentarii Polybiani dicent; & in caussis rerum assignandis, à sincero nostri judicio, præ nimia superstitione non rarò deflectens, aniles solidis rationibus, & certis illius demonstrationibus anteponit. Illa quoque tam frequens & tam accurata portentorum enumeratio, annon eundem hunc animi illius morbum palam facit? ut non abhorreat à veri fide, quod memoriæ proditum est à nonnullis, Gregorium Magnum, Pontificem Religionis Christianæ propagandæ studiosissimum, hac tanti Scriptoris ridiculâ superstitione offensum, ex omnibus Bibliothecis ejus Historias curasse tollendas. Julium Cæsarem, Historicorum omnium in suo genere primum & maximum, propter instituti diversitatem prætermitto. Unus adhuc restat Romanorum, Cornelius Tacitus, quem in hac contentione piaculum sit omisisse. Hic magni & acerrimi vir ingenii, novæ cujusdam, gravis, concisæ & sententiosæ eloquentiæ genere eximiè præditus; si à Fortuna non esset destitutus, quæ dignam ei tantâ facultate materiam negavit; quemvis è Principibus sive Romanorum, sive etiam Græcorum Historicorum videtur potuisse provocare. Nunc quum ejusmodi tempora constet ab eo, præsertim in Annalibus, esse descripta, quibus nulla unquam fuerunt turpissimis vitiis fœdiora, neque aut virtutum steriliora, aut virtutibus inimiciora; cum Polybii Historia Taciti libellos velle comparare, hoc verò fuerit, non Tacitum laudare, sed insignitam suam temeritatem propalam vulgare. Nam quid simile, quid ulla ex parte comparandum? non jam Scriptores ipsos inter se contendo; quorum alter Philosophus insignis fuit, rebus gestis vir clarissimus; alter, ut Romanus, ab omni Philosophia alienus, nullâ re publicè unquam gestâ admodum memorabilis: sed de materia amborum loquor; quam nemo sanæ mentis hîc præcipuè spectandam negaverit. Ut enim Thersites, quem Apelles aut Protogenes pinxerit, non eò minus est turpis, quia excellentis artificis penicillo est pictus; quin potius contrà, eò

1609. magis conſpicua eſt illius deformitas, quò præſtantior eſt, quæ effinxit, manus; ſic improborum ſceleſta facinora cum à diſertis viris ſunt deſcripta, non minus quidem ſunt deteſtanda, ſed velut in editiore & illuſtriore loco poſita, magis fiunt inſignia. Quid igitur ſimile? Florem ipſum Romanæ virtutis, &, ut dicebamus, ipſam ἀκμὴν τῆς ἀκμῆς ejus Reipublicæ deſcripſit nobis Polybius: Regulos, Scipiones cum ſuis Læliis, Fabios Maximos, Marcellos, Paulos Æmilios, Flaminios, Metellos, Mummios, & ſimiles his θεοεικέλους Heroas: res domi militiæque geſtas, omnium quæ ullâ unquam memoriâ hominum ſunt geſtæ, maximas; Provincias, Nationes, Regna, ad quæ vix Imperii Romani nomen pervenerat, ſtupendâ brevitate temporis Imperio adjecta: exempla fidei, fortitudinis, juſtitiæ, generoſæ & altæ mentis adeò inſignia, ut præ raritate apud poſteros fides factorum laboraverit. Cornelius Tacitus Tiberios, Caligulas, Claudios, Nerones, Vitellios, non homines, ſed humanæ naturæ prodigia, nobis narrat: populum multiplici patientiâ & fœditate obſequii turpiſſimum: Senatores, alios meditatis adulationibus gratiam Principis captantes; alios ſævitiæ dominantis vel turpiter inſervientes, vel ſceleſtè adrepentes; alios etiam infimas delationes exercentes, & optimo cuique exitium per calumniam ſtruentes: plures ſomno & libidinoſis vigiliis marcidos, ſegnitiâ ſeſe ab invidia & periculo redimentes: poſtremò, ad unam rem fortes, mortem ſibi conſciſcendam. Pleni ſunt Taciti Annales non facinorum bellicorum, quæ ita raròedebantur inſignia; quum non hoſtis metueretur, verùm Imperator; ut continuò exercituum otio creditum aliquando ſit, ereptum jus Legatis ducendi in hoſtem: ſed Senatuſconſultorum adulatione novorum, aut patientiâ poſtremorum: pœnarum item bonorum, ab iis Principibus irrogatarum, qui ipſum, ſi poſſent, virtutis nomen exſcinderent; crimina Principum, voluptates, flagitia, inceſtus abominandi, lamentabiles veneni propinationes, parricidia; aulicorum proditiones mutuæ, criminationes, conſpirationes, & ſimiles artes accuratiſſimè deſcribuntur; quarum rerum non tam cognitio poteſt eſſe fructuoſa, quàm exemplum pernicioſum: veriſſimè enim de talibus Plinio dictum, Parum abeſſe à docente eum qui narret. Sed Tacitum naſcendi ſors huic duræ conditioni alligaverat, (qua de re ſæpius ipſe graviſſimè queritur,) ut vel ſilendum ei eſſet, vel iſta ſcribenda. Tacitum igitur facilè nos quidem excuſamus; illos excuſari non poſſe judicamus, ut qui unicum hunc Hiſtoricum omnibus aliis anteponunt; unum Tacitum politicis hominibus aſſiduè terendum pronuntiant; unum eſſe, unde Principes & Principum Conſiliarii documenta regendæ Reipublicæ petere debeant: cujus abſurditatem ſententiæ ſi vellemus exagitare, facilè probaremus, qui ita ſentiunt, eos tyrannidis Principes hodiernos tacitè accuſare; vel palam tyrannidis inſtituta videri velle eos docere. Quid enim Principi, præſertim juveni, lectione illorum Annalium eſſe queat pernicioſius? Ut bona exempla, ſi ſæpe ob oculos verſentur, proficiunt, etiam non ſentientibus nobis; ſic mala nocent: paullatim namque deſcendunt in animos, & vim præceptorum obtinet frequenter legere, aut frequenter audire. Sed longius abii quàm inſtitueram; redeo in viam, & ad Polybium. Hoc igitur Scriptore adeò præſtante, adeò utili, ne diutius carendum eſſet generoſæ indolis hominibus, qui literarum ſtudium cum actione rerum amant conjungere; Dei ope, & Tuo, Domine, qui hæc otia nobis præſtas, immortali beneficio; labore verò noſtro immenſo, & mediocri induſtriâ, tandem eſt effectum. Erant infelicis Polybii membra, quæ ſuperiorum ætatum feritas barbara fecit nobis reliqua, huc illuc diſperſa; nos collegimus, & ad ſimilitudinem unius corporis, quoad ejus fieri poterat, redegimus. Erant pleraque confuſa, cœca & miſerandum in modum corrupta; nos digeſſimus, tem-

temporum luce illustravimus, & pro copia librorum veterum atque ingenii sanavimus. Quam quidem ad rem iis exemplaribus, quæ nobis Bibliotheca Tua suggerebat, non ita acquievimus, ut aliundè subsidia non peteremus. Nam quum essem admonitus, penes Serenissimum Principem, Franciscum Mariæ Secundum, Urbini Ducem VI. eximiæ vetustatis codicem Polybii extare; egissemque per literas cum amplissimæ dignitatis viro, Philippo Canaio Fraxineo, Tuæ Majestatis tunc temporis apud Serenissimam Venetorum Rempublicam Oratori, ut ejus codicis usuram mihi impetraret; adeò non gravatè Princeps sapientissimus, & quod jam olim re probavit, harum literarum & doctrinæ Polybianæ peritissimus, quod rogabatur, sivit à se auferri; ut literis, quas ad me dedit singulari humanitate conditas, disertè significaverit, studio gratificandi Majestati Tuæ nihil sibi esse antiquius. Non parum instituto nostro codex ille, quo vix alium antiquiorem hodie putem extare, fuit utilis. Juvit posteà aliquid & exemplar aliud Serenissimi potentissimique Principis Maximiliani, Boiorum Ducis; quod virorum gravium & amicissimorum nobis operâ & favore sumus consecuti. Jam quia erat Polybii sermo, ut hominis Græci, plerisque eorum hodie, quibus ipse scripsit, & quorum præcipuè intererat, posse illum intelligere, ignotus; neque ab Interpretibus prioribus quicquam auxilii poterat sperari; qui neque omnia verterant, & pleraque omnia perverterant: nos, ut Romanè loqueretur, & quidem, si minus ornatè, at intelligenter tamen & castè; imprimis ut Græcis Romana congruerent, fide bonâ operam dedimus. Præterea, quum in ejus libris & multæ magnæ difficultates reperirentur, quæ Lectorem, in Græcis literis rebusque antiquis, præsertim bellicis, minus exercitatum, remorari, & lectionis fructum omnem poterant impedire; nos studio & diligentiæ contentione effecimus, (efficere certè conati sumus,) ut omnes sive rerum, sive & verborum obscuritates tollerentur, omnes remoræ amoverentur, omnia denique plana & facilia redderentur. Quin etiam memores eum Auctorem interpretari nos, qui tot locis profitetur, sicut ostendimus, id agere se, ut in Historia scribenda artem quasi quandam rerum gerendarum studiosis traderet; ipsi quoque ad istud inceptum hoc proposito atque hoc voto nos accinximus, ut eorum potissimùm adolescentium studiis inserviremus, qui ad negotia sese parant. Itaque in horum spem gratiæ parum adhuc usitatum in istiusmodi Scriptoribus explicationis genus, absit verbo invidia, aggressi rationem iis indicavimus, ac veluti præire viam studuimus, quam si ingredi voluerint, certum ex historicis monumentis fructum, & ad rationes vitæ nequaquam pœnitendas utilitates poterunt referre. Sed de Commentariis in hunc Auctorem nostris, quorum editionem remorantur hactenus partim molestiæ graves, quibus nunc cursus meorum studiorum impeditur; partim figurarum sculptura, quas ad rerum bellicarum illustrationem necessariò adhibuimus; alius erit, spero, dicendi locus. Animi interim mei velut pignus aliquod ut exhiberem, quod in illo nostro opere veterum Tacticorum libris plurimum utimur; aureolum ejus generis Commentarium, ab Ænea, vetustissimo Tactico, scriptum, placuit nunc edere, atque opes Tuæ Majestatis, in Bibliothecæ forulis reconditas, & præsentibus & futuris visendas fruendasque proponere. Hunc ego aliud agens quum invenissem, non statim credidi esse illius Æneæ, quem ante annos minimum mille & nongentos, ætati Aristotelis, Demosthenis & æqualium Scriptorum supparem, memoriâ tenebam vixisse: ubi verò attentior lectio non esse falsum titulum mihi persuasit, inventione libri seriò gaudens, & mihi ac literis gratulans, nullis vitiosissimi codicis portentis impediri potui, quominus relictis rebus oblatum casu ἕρμαιον cum omnibus militaris literaturæ amantibus communicarem.

1609.

1609. En igitur Tibi, Domine, humillimæ observantiæ meæ, & mediocris diligentiæ in curanda provincia, quam Tua Majestas mihi imposuit, gravissimos testes, Polybium & Æneam; qui duo nobilissimi Scriptores, quum & vitam se Tibi debere fateantur; & omne id, quicquid est, quod ad eos ornandos Tuorum unus subditorum contulit, Tibi, ut par est, ferant acceptum, tantorum beneficiorum nequaquam fore se immemores aut ingratos, sed Tuæ erga omnes homines benignitatis, erga eos, qui ingenio sibi auctore famam repererunt; liberalitatis, necnon cæterarum ingentium virtutum, quas dudum in Tua Majestate universus Orbis stupet, apud cunctos populos & omnium linguarum nationes vocalissimos se præcones spondent futuros. Dicet Æneas, se, militari scientiâ quondam clarum, per multa deinde sæcula oblivione tam altâ fuisse sepultum, ut ne nomine quidem esset notus: quòd nunc aliquâ saltem sui parte in lucem redierit; quòd legatur, totum id regiæ Tuæ esse munificentiæ. Dicet Polybius, multum se quidem olim Nicolao Quinto, Pontifici Maximo, debuisse, qui restitutionem suam & optavit, & primus inchoavit; sed melius fata consuluisse, quòd sui servati gloriam & decus integrum Tibi servarint. Sibi enim augustissimi nominis Tui auspiciis, favore & auctoritate esse opus, ut doctrinæ, quam affert, præstantiam cùm aliis, tùm imprimis Nobilitati Gallicæ Tuæ possit approbare. Enimverò, Domine, in hoc tanto armorum silentio, in tam alta pace, quâ tot jam annos immortali Tuo, secundum omnipotentem Deum, beneficio fruimur; quid est, quod nobiles regni Tui adolescentes potius curent, quàm hoc genus studiorum? aut quorum Auctorum lectioni potius, quàm horum, & his similium, otii sui tempora impendent? Est quidem Nobilitati Tuæ ea ferocia & generositas animi ingenita, ut illo suo impetu ipsum, quod ajunt, cœlum diruere posse videatur: eadem tamen nihilò secius doctrinâ opus habet; sine qua etiam si quid, adjuvante naturâ, bene fiat; tamen id, quia, sicut magnus Dux apud Thucydidem ait, τὸ πρὶν τῆς ἐπιστήμης scientiæ certitudinem non habet, ac plerumque fortuitò fit, neque plenam laudem meretur, neque paratum semper esse potest. Omnino tutissimum regimen actionum est scientia, & notitia exemplorum, quæ dat animis certum judicium; quæ in manu regulam ponit, ad quam facta sua aliquis exigat; cui credat recta esse, quæ fecerit. Ad hanc scientiam, Domine, Tua Majestas in ipsa prope pueritia, sine longo magisterio, inauditâ quâdam bonitate naturæ pervenit. Quippe adeò felix ingenium & capax recta discendi Tibi Deus dederat, ut necessaria documenta ex ore Doctorum, qui circa te erant, aut lectione librorum, velut in transitu raperes. Alia igitur audivisti, alia legisti, in nonnullis etiam operæ plus posuisti. Quid, quòd Julii Cæsaris libros de Bello Gallico, quum spei Tuæ Florens Christianus esset admotus, in patrium sermonem illâ ætate vertisti? Vidi ipse, vidi, & manibus hisce admirabundus codicem tractavi, qui Tuam illam interpretationem continens, Tuâmet ipsius manu non ineleganter est descriptus. Memini etiam, dixisse aliquando mihi Tuam Majestatem, Commentarios rerum abs te gestarum, esse tibi inchoatos; quorum perficiendi voluntas, si quando à publicæ salutis curis respirares, non deesset. O faxint utinam superi, & Tu velis editione operis illius, tantis rebus gestis partam gloriam cumulare! nam quid dicendo valeas, & sermo quotidianus, & paucæ orationes ex ore Tuo dicentis raptim exceptæ, arguunt, inimitabili quodam genere graves, & cum admirabili suavitate parem præ se ferentes majestatem. Eat nunc sui ostentatrix Vetustas, & Julii Cæsaris jactet eloquentiam. Cæsari in privatis Laribus nato, in ea civitate educato, in qua ad consequendos honores plurimum vis dicendi valebat, & necessa-

necessarium hoc fuit à literis præsidium, & facilè parabile; Tua Majestas pro- 1609.
satoribus orta Regibus maximis, non ambitu neque suffragatione Imperium meruit, sed nascendo. Cæsar ad Reipublicæ gubernacula serò, & jam ætate grandis accessit; Tua Majestas, quum jam inde à prima adolescentia in ipsam bellorum civilium flammam incidisset; ubi semel negotiorum fluctibus cœpit mergi, nullum exinde tempus, nullum diem, nullam, penè dixerim, horam à gravissimis curis & sollicitudinibus liberam habuit. Nam quis bella à Te gesta, quis pugnas, & pugnis numero pares victorias enumerare valeat? Quoties Tua Majestas cum hostibus acie instructâ & collatis signis, dimicaverit; quoties ex itinere & agmen ducens; quoties per aliam occasionem? Qua quidem in parte tantâ felicitate es usus, ut nullo unquam è conflictu nisi victor redieris: nunquam hostiles acies videris, nisi jamjam vincendas, aut jam per Te victas. Magnificum est, & longè gloriosissimum, quantum habueris hostium, tantum posse ostendere Te triumphorum. At invenient tamen prudentes alia in Tua Majestate, quæ potius quàm victorias mirentur. Majus enim profectò quàm vicisse est, causas vincendi in se habuisse; in quem finem & quatenus esset vincendum, quomodo victoriâ utendum, scivisse. Vicit olim Hannibal, vicit Marius, vicit Pompejus, vicit M. Antonius, vicêre persæpe multi; quorum postrema primis quum non responderint, scire obvium est, plus illos Fortunæ, quàm suæ virtuti debuisse. Non in facto vera laus est; sed in eo quemadmodum fiat. Tua omnia gesta inter se congruunt; omnia sunt unâ formâ percussa. Tibi quod imputet Fortuna, nihil quicquam habet. Vicisti, quia in Deo Exercituum spem & præsidium pio animo ponebas. Vicisti, quia non solùm lacertis, viribus & armis pugnabas, quibus plurimùm Tui quoque inimici valebant; sed consilio, auctoritate, & caussâ, quibus illi rebus Tibi pares non erant. Vicisti, quia cunctis perfecti Imperatoris artibus instructissimus, adversariis Tuis longè præstabas: omnium castrensium munerum numeros & callebas, & cùm erat opus, obibas: laboris, inediæ, algoris, vigiliæ patientiâ, & in excogitandis consiliis sollertiâ, in exsequendis celeritate, omnes mortales anteibas: locorum opportunitates occupare, in bonis hærere & habitare Tuis, Tuo tempore locoque prælium facere, hostem in alieno deprehendere, aciem ex usu disponere, & formam ex omnibus convenientissimam illi dare; vento, pulvere, Sole pugnare, admirabiliter nôras: in prælium quoties visa res postulare, primus ibas, prælio postremus excedebas: denique consilio Dux, exemplo miles eras. Hæ sunt artes, quæ ut vinceres, ut in potestate Fortunam haberes, Tibi præstabant. Hæc sunt, quæ magis in Te quàm Tuas laureas, illi mirabuntur, qui non ex eventis, sed ex antecedentibus caussis facta casusque magnorum virorum æstimanda nôrunt. Jam si urbes enumerare pergam, quas Tua Majestas, vel obsidione aut machinis expugnavit, vel coronâ cepit, vel ingenioso aliquo stratagemate decepit, vel deditione accepit;

Antè diem clauso componet Vesper Olympo.

Ego verò animi Tui prope inauditam magnitudinem, non adeò ex iis, quas cepisti, urbibus posse intelligi contenderim; atque ex iis, quas capere quum posses, noluisti. Gaudeant sanè alii oppidorum eversionibus atque excidiis; augeant inde suæ superbiæ titulos: Tua Majestas, bono humani generis nata, amplificatis, non labefactis; ditatis, non quassatis; servatis, non deletis urbibus, & vult propter ingenitam bonitatem, & potest propter incomparabilem fortitudinem, pari felicitate junctam, verè gloriari. Sunto igitur Principes alii Poliorcetæ, ut volent; dum Tibi, DOMINE, divinum illum, &

 longè

1609. longè gloriosissimum ΣΩΤΗΡΟΣ ac CONSERVATORIS titulum relinquant. Nam cui potius quàm Tibi hoc cognomen conveniat? qui bellum semper aliorum pace mollius gessisti: qui nunquam non maluisti, fortunæ Te pœniteret Tuæ, quàm victoriæ tæderet: quem universæ Galliæ civitates, & quas cepisti, ut servares; & quas non capiendo servasti, salutis suæ auctorem, vitæ, libertatis, & omnium fortunarum uno ore prædicant Conservatorem. Ne de aliis nunc dicam, hæc ipsa Urbs, hæc Regia Tua, & tot Provinciarum Caput; hæc Justitiæ & Musarum sedes, hic Europæ ocellus, Lutetia Tua, illa quidem fidei suos erga Principes semper tenax, sed non semper libera, utròque à Te servata modo, utra ex caussa plus Tibi debeat, incertum habet. Deum immortalem! quæ fuit illius diei species, quo Urbem nec opinantem, tot armatorum millibus stipatus, composito, & modesto ingressus agmine, sine ullo terrore, sine ulla direptione, sine ulla noxa Tibi illam asseruisti, libertatem suam ipsi reddidisti; hostem externum, cujus præsidio captiva tenebatur, sine tumultu, sine cæde, sine sanguine, partim novitate exempli, cui simile nihil ætas ulla unquam viderat, attonitum & stupentem; partim nominis Tui terrore perculsum, & virtutis tuæ fulmine afflatum, exire præcipitem, & longè terrarum facessere coëgisti! Quis tantæ rei miraculum animo capere, nedum eloqui satis queat? Cujus urbis ruinam omnes timuerant; eam sola lætitiæ significatio declaravit esse commotam. Ut enim vilis calculus decoctus, in smaragdum mutatur; ita miles tuus, etsi longâ patientiâ irritatus, egenus, victor & triumphator; Tuis tamen moribus temperatus, Tuo exemplo formatus, Tuâ prohibitione cohibitus, Catone abstinentior, Xenocrate evasit continentior & castior. Victorem igitur Te Lutetia vidit & obstupuit; ipsa se victam esse non sensit. Urbem tu cepisti; ipsa se captam esse non credidit: nihil enim eorum neque Tibi, neque Tuo exercitui voluisti licere, quæ victori in victos licent: nihil igitur illa eorum est experta, quæ captis oppidis belli jure accidunt. O fortunatum, ô auspicem publicæ salutis diem! Panduntur jussu tuo valvæ Ædium sacrarum: recta è porta Majestas Tua quod in Urbe augustissimum est Templum, adit: aris advolutus, auctori hujus Imperii & fundatori, DEO OPT. MAX. gratias agis: Tuum exemplum populus Tuus certatim æmulatur: fit concursus undique: quid multa? junguntur cives civibus, & sub uno capite diversa Reipublicæ membra coalescunt: victores & victi pari ambo fruentes gaudio, uno concentu, uno clamore, lacrymis præ gaudio per genas manantibus, PATREM PATRIÆ Te consalutant. O diem ad perpetuam rei memoriam à prudentissimis Ordinis amplissimi Patribus meritissimè consecratum! cujus lætitiam, gaudia, gratulationes atque exultationes nemo tantâ est vel ingenii copiâ, vel facundiâ, qui possit enarrare. Adhuc tamen nonnullorum mentes, quos prava consilia & fervida temeritas ab officio longius abduxerant, stimulabat ille metus, ne si in tuo victoris animo, & rerum jam potientis, sensus aliquis præteritarum injuriarum, ut fit, resideret, malè sibi foret consultum. Multa illi quidem de Tua benignitate & indulgentia audiverant; sed terrori nihilominus erat commune illud vincentium sive jus, sive error, summum victoriæ fructum in vindictæ licentia ponentium. Igitur inter spem metumque ancipitibus cogitationibus fluctuantes, lætari palàm, dolere in sinu: modò bene sperare, modò tremiscere. Eloquar, an silebo? Sed tacere me rei magnitudo non sinit: dicere gestientem verba deficiunt meritis paria Tuis. Equidem hoc loco si Poëta essem, pectus æreum mihi optarem, centum voces, & linguas in carmina centum; si Orator, enthymemata Demosthenis, aut opulentiam Tullii: nunc qui nec Poëta sim, nec Orator, verbis

bis potius utar Johannis Papæ ad Carolum Imperatorem ſcribentis, atque illud audenter dicam; non ſi omnia ſylvarum ligna vertantur in linguas, ſuffecturas tamen commemorandis clementiæ exemplis, quæ ſuper humanam evecta fidem, in ipſa victoria, aut jam victrix Tua Majeſtas edidit. Claudius quondam Imperator in Senatu Romano Romuli conditoris Imperii admirandam fuiſſe ſapientiam, hoc argumento probavit; *quòd pleroſque populos eodem die hoſtes, dein cives habuiſſet.* At quantò, bone Deus! major fuit Tua ſapientia, moderatio & clementia, qui etiam inter arma, etiam in acie perſæpe, malè ſanorum civium, & micantium gladiorum mucronibus Tuum latus petentium, quàm maximè poteras, ſanguini pepercisti? poſteà verò quàm quicquid fuerat inimicorum deviciſſes, ipſius victoriæ victor, ſic repentè præteritarum noxarum memoriam depoſuiſti, ut non ſolùm victos omnes eâ ipſâ horâ pro civibus haberes; ſed hoc amplius, in priſtinos honorum & dignitatum gradus omnes Edicto reſtitueres; multos inter miniſteria Tua admitteres; multos in amicitiam & intimam familiaritatem Tuam reciperes. Qui principem gratiæ locum apud Te quum ex illo tempore ſemper obtinuerint, & nunc quoque obtineant; documento omnibus ſunt, quàm ſit Tua Majeſtas in offenſis exorabilis, in accipienda ſatisfactione facilis, in reconciliata gratia fidelis: non enim facile ſolùm, ſed etiam ſemel placari ſoles. O niveum, ô aureum pectus! ô animum verè magnum, cui remedium injuriæ, oblivio eſt; non ultio! ô mentem, ut verbo omnia complectar, verè regiam! Poſt tot victorias, tot inuſitatæ merita clementiæ, quum jam omnibus, qui ubique ſunt, mortalibus eſſet expreſſa confeſſio, ſcire Te vincere, ſcire Tuos hoſtes debellare, ſcire debellatis parcere; unus reſtabat ſcrupulus, qui Tuorum animos, otii & quietis cupidiſſimos, non parum angebat; quòd an ſcires gloriæ bellicæ modum ſtatuere, adhuc ignorabamus. Veniebat in mentem, naturæ legem perpetuam hanc eſſe, ut quibus artibus ingens aliquis decus ſibi quæſivit, eas plurimum adamet, eas libentiſſimè exerceat, ab iis ægerrimè revocetur. Cogitabant præterea homines, rem unicam eſſe gloriam, cujus honeſtâ quidem, ſed inſatiabili avaritiâ optimi quique Principes, & maxima ingenia teneantur. Te igitur bellicis à puero innutritum laudibus, ne materia deeſſet triumphorum, antiqua Majorum Tuorum jura repetentem, bella ex bellis geſturum, neque aut Tibi, aut Tuis ullam quietem indulſurum. Hi tum vulgi ſermones erant, hic timor etiam eorum, qui ſupra vulgus ſapiunt: nondum videlicet Tuarum omnium virtutum plenum jubar refulſerat: nondum Tua Majeſtas præſtantiam ſuam totam patefecerat. Ut Sol, quoties ab axe altero ad nos accedit, non repentè totam ſui caloris vim in nos infundit, ſed paullatim ex uſibus noſtris eam diſpenſat; ſic Tua Majeſtas cœleſtem illam mentis altitudinem non ſtatim, verùm temporibus ſuis & judicio certo exeruit: prodeſſe enim Tuis, non admirationem Tui concitare voluiſti. Itaque ergo quantus eſſes bellator, quàm clemens victor, ſciebamus; illud neſciebamus, pacis & belli rationes, naturâ ſuâ res diverſiſſimas, ex æquo Tibi eſſe notas, & prout Tua dignitas, aut Tuorum utilitas poſtularet, hoc aut illam probare. Merito Tuo, DOMINE, omnis Te ordinis homines ore celebrant, devotione venerantur, amore complectuntur. Tu bello externo, quod credebatur fore multò diuturnius, finem non magis Tibi quàm univerſo nomini Gallico glorioſum, impoſuiſti. Tu bello civili exſtincto, quod metuebatur fore perpetuum, omnes turbas in tranquillum redegiſti. Tu pacem, pacem almam, pacem auguſtam, pacem omnium bonorum largitricem, nobis dediſti. Tu urbes civibus, cives urbibus, cultum agris, honorem ſacris reddidiſti. Tu vim legibus, judiciis auctoritatem,

1609.

1609. tem, Ordini amplissimo suam dignitatem, Ecclesiasticis debitam reverentiam restituisti. Tu tranquillitatem domi suas artes exercentibus, securitatem itinerum peregrè proficiscentibus, commoditatem navigerorum fluminum commercia agitantibus, certam cuique rerum suarum possessionem præstitisti. Quæ beneficia etsi videntur, & reverà sunt maxima; aliorum tamen meritorum erga nos Tuorum magnitudine longo superantur intervallo. Annon enim omnibus antè dictis est majus, quòd civium animos, longinquitate bellorum civilium mirandum in modum efferatos, ad concordiam & amorem mutuum perduxisti; eosque sibi invicem ignoscere, & præteritorum oblivisci, ignoscendo atque obliviscendo docuisti? Omnium verò maximum, præstantissimum, Deo acceptissimum est, quòd stabilitâ civili concordiâ, ad generis alterius concordiam, cujus desiderio contabescunt boni, primus Tu, DOMINE, viam munisti. Et quis scit, an hujus quoque restitutæ gloriam, quâ nulla potest major optari, ac ne cogitari quidem, superi piorum votis & suppliciis tandem exorati, Majestati Tuæ reservent? Magnum inceptum, arduum, & vix ab humanis viribus sperandum. Sed rerum à Te gestarum magnitudinem ignorant, qui alia Majestati Tuæ putant convenire incepta, nisi magna, ardua, & à nemine mortalium, præter Te, exspectanda. Quid? hanc ipsam pacem præstare sartam tectam, inconcussam, inviolatam, alius præter Te poterat? aut quum febrem sanasses, quæ Rempublicam vexabat, parum multa restabant ἐμπυρεύματα Tuâ unius arte & industriâ curanda? Omitto bellum Allobrogicum è favillis prioris incendii conflatum; quod Tua Majestas eodem ferè tempore & suscepit, & confecit. Venisti enim, vidisti, vicisti: omitto coitiones alias, nullo strepitu, mirâ vigilantiâ à te disjectas. Nam ubi semel excelso animo Tuo sedit, utilem rationibus Tuis, salutarem Tuis populis esse pacem; ostendisti eâ Te esse constantiâ, ut expugnare Tuum propositum nemo posset; eâ futuri prospicientiâ, ut omnes impendentium motuum caussas, priusquam exoriantur provideas; eâ virium potentiâ, ut omnibus prospicias, & invitus cogi ad bellum non queas. Tumultuentur igitur pacis Tuæ inimici; moliantur quicquid volent: tàm citra Majestatem Tuam eorum impetus deficient, quàm ipsi infra Tuam iram sunt positi. Nemo sibi stultè adeò blandiatur, ut altam hanc animi Tui tranquillitatem, rem putet esse precariam, de alieno arbitrio pendentem. Nullum est magnitudinis Tuæ certius argumentum, quàm nihil posse ei, quo instigetur, accidere. Sic quum inferior pars mundi in tempestates subinde impellatur; quæ supra Lunam sunt, propinqua sideribus, manent in suo statu, semperque illic serenum est.

Lege Deûm minimas rerum discordia turbat,
Pacem summa tenent.

Quid nunc commemorem, hoc alto pacis Tuæ otio quemadmodum utaris, & quibus illud curis impendas? quod quidem Tuarum laudum ingens pelagus si semel ingrederer, vereor ut orationi meæ exitum possem invenire; adeò est ea materia ad dicendum benigna. Ostenderem nullam esse Reipublicæ partem, quam non reformaris, non ornaris; ad cujus splendorem non aliquid utile pariter & magnificum excogitaris. Dicerem, literarum studia & pacis omnes artes penè ex oblivione per Te revocatas, nunc cùm maximè per Te florere: multa insuper artificia in hoc regnum & hanc regiam, magno Tuorum subditorum bono, à Te primo esse invecta; & ut suam illis sedem assignares, alteram velut urbem in hac urbe esse exstructam. Enumerarem tot ingentium operum stupendas moles; tot in Urbe, tot ad Urbem, tot per omnes Provincias superborum ædificiorum substructiones, partim inchoatas aut jam profligatas,

partim

partim omnino perfectas; tot pontes fluminibus impositos, tot vias refectas; 1609.
portus noviter jussu Tuo institutos; flumina fluminibus juncta in usum commerciorum. Referrem qui sit Tuæ Majestatis etiam in hac ætate vigor, perpetuo gaudens motu; cui si quando levare animum ab influentium negotiorum cura lubeat, instar cessationis est, lustrare saltus, excutere cubilibus feras, equum agitare, arma tractare. Narrarem denique, rerum gestarum magnitudine, famâ prudentiæ, æquitatis & fortitudinis, maximè autem per hanc ipsam pacem, in illud gloriæ fastigium Tuam Majestatem esse evectam, ad quod nullum Principem à multis retrò sæculis neque vidimus, neque audivimus, ac ne legimus quidem pervenisse. Nam qui locum principem inter Christiani nominis Reges unà cum successione hujus regni à Majoribus Tuis accepisses, virtute effecisti Tuâ, ut hanc honoris tanti prærogativam non magis sanguini Tuo, quàm propriis in Rempublicam universam Christianam promeritis Tuis deberi, omnes agnoscant, omnes fateantur. Te Principes potentissimi suspiciunt; Te Reges latissimè dominantes mirantur; ipse cum primis Pontifex Maximus Tuâ amicitiâ gloriatur. Tibi Serenissima Venetorum Respublica tranquillitatem suam fert acceptam; & cum Pontifice sartam gratiam, Tuum interpretatur munus. Te Fœderatarum Provinciarum Illustrissimi Ordines, suæ libertatis defensorem, suæ pacis conciliatorem, sui Imperii protectorem, pleno ore profitentur. Tibi assurgit quicquid ubique mortalium colitur. O salve, pacis magne auctor; periclitantium portus; rerum in Europa, salo & errore dudum fluctuantium, unica ancora. Veneror DEUM OPT. MAX. ut quâ benignitate hactenus cum Tua Majestate egit, eâdem porrò constanter agat. Sis semper domi fortunatus, semper in publicum felix, semper augustus, semper concordiæ suasor idem & vindex; Orbis denique Christiani semper sis arbiter.

PRÆFATIO IN POLYBIUM,

Commentario præmissa.

TRIUM *Polybii partium, quas nostra hæc editio separatas exhibet, sola est tertia, quam nemo ante nos, quod equidem sciam, verterat. Priorum duarum Latinam interpretationem non defuerunt qui aggrederentur; ut dissimili proposito, ita successu dispari. Primos quinque libros annis ab hinc circiter* CLX. *Nicolaus Perottus, Saxoferratensis, posteà Archiepiscopus Sipuntinus, jussu Nicolai Quinti, Pontificis literarum amantissimi, Latinam fecit. Partis secundæ Eclogas, quum Wolfgangus Musculus patrum memoriâ primus omnium esset interpretatus; non multò pòst, Pompilius Amasæus, Romuli filius, cur telam eandem denuò retexeret, justam se caussam habere putavit. Neuter tamen horum Eclogam libri sexti secundam, quæ est de Militia Romana, à Jano Lascari conversam, ausus post illum tentare: quod fecit posteà Justus Lipsius, & novam ejus fragmenti translationem edidit. Hi sunt, opinor, qui ante nos hujus utcumque decursi à nobis curriculi, partem aliquam, majorem alii, alii minorem decucurrerunt: omnes viri eruditissimi, & propter scripta sua, quæ in hoc, aut alio genere* 1609.

 litera-

1609. *literarum ediderunt, suis sæculis inter columina Reipublicæ literariæ habiti. Ne quis igitur consilium nostrum calumnietur, aut levitatis nos arcessat, quasi actum agere post tam illustria nomina, sine justa caussa instituerimus; visum est faciendum, ut de priorum interpretationibus quæ nostra sit sententia, in hoc vestibulo operis exponeremus: quod quidem sine invidia, sine succo lolliginis, eâ simplicitate & animi æquitate sumus facturi, ut bene actum iri nobiscum putemus, si possumus impetrare ab hodiernis ingeniis, ut parem candorem ad judicandum de nostris lucubrationibus adhibeant. Nos beneficio Dei ita nati sumus, ita ab optimo & sapientissimo parente educati, ut per alieni nominis ruinam velle crescere, quod scelesti quidam hodie faciunt, ingentis piaculi loco semper duxerimus: ultimamque adeò furoris lineam esse, à puero crediderimus, per turpitudinem velle splendere.*

- - - - Tanti mihi non sit opaci
Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum.

Sed ad rem. Igitur, ut à prima parte ordiamur, Nicolaus Perottus, ejus Interpres, literarum Latinarum, quas perdiu docuit, exquisitè, ut illa erant tempora, fuit peritus, & cum primis curiosus; quod ingens ille in Martialem Commentarius, sub titulo Cornu copiæ ab eo editus, ostendit. Erat præterea in hoc viro non vulgaris industria in Græcis ita vertendis (quæ quidem intelligeret) ut nullum persæpe Græci idiomatis in Latina ejus versione vestigium appareret; quam interdum esse opus αὐτοφυὲς *dicas, non alieni interpretationem. Quod si par fides responderet, inter excellentissimos Interpretes poterat sine dubio Perottus recenseri. Est operæ pretium scire, quo favore hominum fuerit ipsius versio excepta, eo, quo edita est, sæculo. Paulus Jovius in ejus elogio, postquam dixisset, translatum ab illo Polybium, hæc verba subjicit:* Non defuêre tamen ex æmulis, qui ejus Auctoris traductionem antiquissimam fuisse, furtoque surreptam existimarint; quòd Thucydidem, Diodorum, Plutarchum, & Appianum, clarissimo ingeniorum certamine conversos, unus Polybius egregiâ fide Latinus, æquabiliter & prædulci Romani sermonis puritate prorsus antecedat. *Vides adeò consentiens fuisse omnium de præstantia hujus versionis judicium, ut etiam Perotti æmuli atque inimici fidem illius & elegantiam admirarentur: ratio autem est, quia nemo illis temporibus Italorum erat, qui amplius Græcè sciret, quàm hic Interpres; pauci qui tantum, quantum ille. Nos verò è contrario affirmamus, Perottum à fidelis Interpretis laude tantum abesse, quantum qui longissimè. Quod enim hodie plurimis usuvenire videmus, ut postquam primis Græcæ linguæ præceptis fuerunt imbuti, & communissima quæque vocabula Græca incipiunt intelligere, perfectam ejus linguæ sibi videantur esse adepti cognitionem, qui reverâ vix in cortina adhuc adsistunt; planè videtur etiam Perotto accidisse. Cui si venisset in mentem cogitare, quantum ab ea notitia Græci sermonis abesset, quæ Polybii interpretationem professo est necessaria; ne Attalicis quidem conditionibus à Nicolao Pontifice potuisset adduci, ut cujus Auctoris ne unam quidem paginam rectè intelligebat, ejus interpretationem in se susciperet. Quum autem docuerimus, nullâ dote insigniorem esse Historiam Polybii, quàm accuratâ pugnarum descriptione, & omnium eorum explicatione, quæ ad rem militarem & Tacticam pertineant; nullo pacto ferendus aut excusandus est hic Interpres, homo bellicarum rerum & totius Tacticæ adeò rudis & imperitus, ut qui in cæteris partibus Historiæ Polybianæ multa nesciret, in descriptionibus præliorum omnia ignoraret, omnia peccaret; atque eâdem operâ tanto Scriptori,*

ptori,

ptori, quod erat ferè præcipuum ejus decus, adimeret. Omnino prælium 1609. *nullum, facinus militare nullum à Polybio fuerat paullò diligentius narratum, in quo gravissima & momenti maximi peccata ab hoc Interprete non sint admissa: qui quidem* ἐντέχνων *& disciplinæ Tacticæ propriarum vocum omnium significationes quum nesciret, vel eas omisit, vel quidvis aliud, pessimo exemplo, pro verbis Polybii substituit. Sic paginâ hujus editionis* CCXXXV. *qui non intelligeret illas locutiones,* ἐξ ὑποστροφῆς ἀναχωρεῖν, se recipere sensim relato pede; *item,* πρόβλημα ποιεῖσθαι τὸν ποταμὸν, *quod etiam dicitur* ἐν προβολῇ τὸν ποταμὸν, munimenti loco flumen objicere, *gravissimi loci sententiam corrupit, & quod in memorabili Hannibalis facinore notaverat unicè Polybius, in versione Perotti est dissimulatum. Verba Polybii sunt:* νῦν δὲ πραγματικῶς καὶ νουνεχῶς ἐξ ὑποστροφῆς ἀναχωρήσαντος Ἀννίβου, καὶ πρόβλημα ποιησαμένου τὸν Τάγον καλούμενον ποταμὸν, καὶ περὶ τὴν τοῦ ποταμοῦ διάβασιν συστησαμένου τὸν κίνδυνον· *quæ ita Perottus vertit:* Verùm Annibal prælio abstinuit, & callidè hostibus cedens, castris supra ripam Tagi locatis, equitibus præcipit, ut cùm hostem aquam ingressum viderint, adoriantur peditum agmen. *Quàm aliud Græca, aliud Latina sonant? neque id mirum; nam Perottus securus verborum Polybii, Liviana eorum loco infersit, ex illius lib.* XXI. *atque hac licentiâ ille quum passim utatur, ne tum quidem eâ abstinuit, quando Polybii & Livii narrationes non consentiunt. Sic libro eodem pag.* CCCXXV. *ut unum è multis exemplum afferam; quia non capiebat, quid esset in Tactica disciplina,* ἐκπεριαγωγὴ ἐκ πορείας, deflexio ex itinere recto, in dextram aut lævam partem; *nec magis intelligeret vocem* ὑποστέλλειν, applicare se colli aut parieti, & prætexere sic ut minimè appareas, *quod vernaculus sermo elegantissimè appellat,* tapir, *pessimè hæc Polybii verba expressit, aut potius, nullo modo expressit:* τοὺς δὲ Βαλιαρεῖς καὶ λογχοφόρους κατὰ τὴν πρωτοπορείαν ἐκπεριάγων, ὑπὸ τοὺς ἐν δεξιᾷ βουνοὺς τῶν παρὰ τὸν αὐλῶνα κειμένων, ἐπὶ πολὺ παρατείνας ὑπέστειλε· τοὺς δὲ ἱππεῖς καὶ τοὺς Κελτοὺς ὁμοίως τῶν εὐωνύμων βουνῶν κύκλῳ περιαγαγὼν, παρεξέτεινε συνεχεῖς, ὥστε τοὺς ἐσχάτους εἶναι κατ' αὐτὴν τὴν εἴσοδον, τὴν παρά τε τὴν λίμνην, καὶ τὰς παρωρείας φέρουσαν εἰς τὸν προειρημένον τόπον. *Pro istis omnibus hæc posuit Perottus:* Baleares, omnemque levem armaturam post colles circumducit: equites cum Gallis in ipsis angustiis locat: ut simulac intrassent Romani, objecto equitatu, clausa omnia lacu & montibus essent. *Obsecro, hoc vertere est, an pervertere? Ubi fides? ubi pudor? Sed fidus hic Interpres pro iis, quæ non assequebatur, Livii verba reposuit: quem nos demonstravimus in Commentariis nostris, adeò sui dissimilem in hac pugna describenda fuisse, ut à mente Polybii simul & à vero aberraret. Quis igitur Perotti imprudentiam, ne quid gravius dicam, in hoc & similibus locis, satis miretur? Sed ut intelligant militaris literaturæ studiosi adolescentes, quàm necessaria fuerit Polybii Interpreti rerum Tacticarum accurata cognitio, & quàm multa Perottus ejus disciplinæ ignoratione, aut prætermittere fuerit coactus, aut pessimè sit interpretatus; age prælii alicujus descriptionem examinemus, & singula Polybii verba pressius expendamus. Ea, si lubet, esto pugna, quâ Antigonus Cleomenem ad Selasiam devicit: habetur sub finem libri secundi, estque à Polybio paucis verbis elegantissimè descripta. Ait Polybius initio ejus descriptionis, pag.* CCIX. τῆς ὁδοῦ μεταξὺ τούτων παρὰ τὸν Οἰνοῦντα ποταμὸν φερούσης εἰς τὴν Σπάρτην. *Perottus sic:* Via inter hos media est, quæ per ripam profluentis fluminis ducit Spartam. *Quia nomen* Οἰνοῦντα *formam habet participii, putavit esse, & vertit* profluentis. *Sic iterum mox,* περὶ τὸν Οἰνοῦντα ποταμὸν, non longè à ripa fluminis. *Ut certum sit, nescisse illum amnis hoc esse proprium nomen. Heic Livii sui eum meminisse oportuit, & horum illius verborum libro* XXXIV. Quintus satis

1609. jam omnibus paratis, profectus ab ſtativis, die altero ad Selaſiam, ſuper Oenunta fluvium pervenit: quo in loco Antigonus, Macedonum Rex, cum Cleomene, Lacedæmoniorum Tyranno, ſignis collatis dimicaſſe dicebatur. *Sequitur apud Polybium:* ὅπι μὲν τὸν Εὔαν ἔταξε τοὺς περιοίκους συμμάχους. *Perottus:* In Evam gregarium militem ac ſocios poſuit. *Atqui non dicit Polybius:* τοὺς περιοίκους καὶ τοὺς συμμάχους, *ſed* τοὺς περιοίκους συμ. *id eſt,* auxilia ſociorum finitimorum. *Verùm de voce* περίοικος *plura in Commentariis ad hunc locum. Polybius;* ἐν δὲ τοῖς ἐπιπέδοις παρὰ τὸν ποταμὸν ἐφ' ἑκάτερα τῆς ὁδοῦ τοὺς ἵππους μετὰ μέρους τινὸς τῶν μισθοφόρων παρενέβαλε. *Perottus:* Equites autem in planitie, ſupra utramque fluminis ripam, cum parte mercenariorum collocavit. *Omiſit illa* τῆς ὁδοῦ; *quæ verba eſſe otioſa, & nos, cùm iſta interpretabamur, putavimus: ſed mutavimus ſententiam, & libris ſuadentibus, & re ipſâ. Vertendum erat:* ad utrumque viæ latus. *Addit Polybius, Antigonum locorum naturam contemplantem, Cleomenis rationem in exercitu diſponendo, quam ipſe* ϛρατοπεδείαν *vocat, vehementer laudaſſe, & judicaſſe, non potuiſſe commodius aut prudentius neque peditem locari, neque equitem; ſed ſingulas exercitûs partes convenienter naturæ ſuæ, & ingenio loci fuiſſe diſpoſitas, cùm ad cavendum, tùm ad nocendum. Hanc ſententiam pulcherrimo & appoſitiſſimo ſimili Polybius ita exprimit:* συνθεωρήσας τὴν τῶν τόπων ὀχυρότητα, καὶ τὸν Κλεομένην πᾶσι τοῖς οἰκείοις μέρεσι τῆς δυνάμεως οὕτως εὐστόχως προκατειληφότα τὰς εὐκαιρίας, ὥστε παραπλήσιον εἶναι τὸ σύμπαν σχῆμα τῆς ϛρατοπεδείας τῇ τῶν ἀγαθῶν ὁπλομάχων προβολῇς· οὐδὲν γὰρ ἀπέλιπε τῶν πρὸς ἐπίθεσιν ἅμα καὶ φυλακήν· ἀλλ' ἦν ὁμοῦ παράταξις ἐνεργὴς, καὶ παρεμβολὴ δυσπρόσοδος· διὸ καὶ τότε μὲν ἐξ ἐφόδου καταπειράζεσθαι καὶ συμπλέκεσθαι προχείρως ἀπέγνω. *Perottus, qui non intelligebat quid eſſet* ὁπλομάχων προβολὴ, *id eſt, poſitio laniſtæ, ſive magiſtri tractandorum armorum, ictum meditantis, ac ſimul ab ictu ſibi caventis; nos vocamus* poſture, *vel* demarche; *vafro compendio ex hoc loco ſe ita explicuit.* Antigonus, uno tempore & difficilem locorum ſitum, & miram Cleomenis in diſponendo exercitu induſtriam conſpicatus, quippe qui nullum optimum Ducis officium prætermiſerat, abſtinendum ſibi prælio in præſens tempus exiſtimavit. *Quemadmodum autem vocem* προβολὴ *hîc non intellexit, ſic alibi ignorans quid eſſet haſtæ, vel ſariſſæ* καταβολὴ, *falſiſſimam & ineptiſſimam Polybio ſententiam affinxit. Locus eſt libro* V. *pag.* DXCV. *in accurata deſcriptione pugnæ ad Raphias. Ait ibi Polybius:* διὸ καὶ καταβαλόντες παραχρῆμα τὰς σαρίσας οἱ περὶ τὸν Ἀνδρόμαχον καὶ Σωσίβιον ἐπῆγον· *id eſt,* Andromachus & Soſibius repentè ſariſſis inclinatis, in hoſtem duxerunt: *eſt enim* καταβολὴ, *haſtæ, quæ in itinere ſuper humerum impoſita fertur, aut erecta, aptatio ad inferendum ictum, & protenſio. At Perottus ſic:* qui cum Andromacho & Soſibio erant, abjectis repentè armis, fugæ ſeſe commiſerunt. *Potuitne magis è diametro cum Polybii ſententia pugnare? Sed redeo unde ſum digreſſus. In proximè ſequente periodo quid eſſet* λαβεῖν πρόβλημα, *de fluvio, quod modò exponebamus, omiſit, ac ſimul prudentiæ Antigoni magnum argumentum reticuit. Pari ſide tractatus hic, qui ſequitur, locus eximius:* ἅμα δὲ καὶ προδεικνύων τινὰς ἐπιβολὰς, πρὸς τὸ μέλλον ἐξεκαλεῖτο τὰς τῶν ὑπεναντίων ἐπινοίας. *Solent Duces prudentes, ut hoſtem incautum & imparatum deprehendant, aliud ſimulare, aliud agere. Si equitatu pugnare decreverint, dant ſignificationem quaſi peditatu rem ſint geſturi. Si à tergo velint aciem hoſtilem adoriri, dant operam, ut ſuæ aciei frons hoſtem aſſiduè moretur, velut jamjam pugnatura. Sic in urbium oppugnationibus, quando aliquam portam aut murorum partem omnibus viribus ſunt invaſuri, ad partem oppoſitam & remotiſſimam, copiarum portionem aliquam oſtendunt, ut à ſenſu ejus, quod paratur, ſicut alicubi Curtius ait, mens oppidanorum alibi occupata avocetur. Hoc Polybius*

bius

bius appositissimè dixit, προδεικνύειν τινὰς ἐπιβολάς; *& finem, quem exposuimus* 1609.
spectare, appellat πρὸς τὸ μέλλον ἐκκαλεῖσθαι τὰς ἐπινοίας. *Quo igitur Perotto mens,*
ita vertenti? posteà lacessere ad prælium hostes tentavit. *Sequitur;* οὐ
δυνάμενος δὲ λαβεῖν οὐδὲν ἀργὸν οὐδ' ἔξοπλον, διὰ τὸ πρὸς πᾶν ἑτοίμως ἀντικινεῖσθαι τὸν Κλεομένη,
τῆς τοιαύτης ἐπινοίας ἀπέστη. *Perottus:* sed quum nullum prorsus vacuum custodiâ
locum offenderet; siquidem omnia Cleomenis providentia diligentissimè con-
struxerat, ab incepto destitit. *Omittit alteram duarum istarum vocum,*
ἀργὸν *&* ἔξοπλον: *quæ translatæ sunt à singulari certamine; & de eo dicun-*
tur, qui ita consistit contra adversarium, ut nullam corporis partem ha-
beat, quæ scuto, vel aliis armis non tegatur: quod summus Poëta appel-
lat, in arma sua se colligere, ut,

Substitit Æneas, & se collegit in arma
Poplite subsidens.

Et alibi:

Bellis acer Halesus
Tendit in adversos, seque in sua colligit arma.

Libro III. *pag.* CCCXXII. καθάπερ ἐπὶ τῶν κατ' ἄνδρα καὶ ζυγὸν ἀγωνισμάτων, δεῖ τὸν
μέλλοντα νικᾶν συνθεωρεῖν, πῶς δυνατὸν ἐφικέσθαι τοῦ σκοποῦ, καὶ τί γυμνὸν, ἢ ποῖον ἔξοπλον μέρος
φαίνεται τῶν ἀνταγωνιστῶν, οὕτω χρὴ καὶ τοὺς ὑπὲρ τῶν ὅλων προεστῶτας σκοπεῖν. *At verbum*
ἀντικινεῖσθαι *quàm insulsè expressum est, aut potius dissimulatum? Est autem*
ἀντικίνησις *motus, motui adversarii respondens; quo cavetur, ne aut latus,*
aut tergum possit ferire, manente semper fronte fronti obversâ. Mox,
συνέβαλεν ἡ τύχη, *non est* conjunxerat, *sed* commiserat, *ut cùm paria gladia-*
torum inter se committuntur, aut alii aut agonistæ. Notum quid Romani
commissiones *appellent. Sequitur:* πρὸς μὲν οὖν τοὺς κατὰ τὸν Εὔαν ὁ βασιλεὺς ἀντέταξε
τῶν Μακεδόνων τοὺς χαλκάσπιδας, καὶ τοὺς Ἰλλυριοὺς, κατὰ τὰς σπείρας ἐναλλὰξ τεταγμένους. *Pe-*
rottus: Iis, quos in Eva collocatos diximus, Macedones scutatos opponit:
item Illyricos, cohortesque in plures partes divisas, alternatim disponit. *Vox*
scutatos *Græcam non exprimit; quæ propriam scutatorum speciem in militia*
Macedonica significat: qua de re multa in Commentariis. Cætera pessimè
sunt expressa: estque errorem librorum secutus, qui habent καὶ τὰς σπείρας,
pro eo, quod edidimus, κατὰ τὰς σπ. *Nam vox* σπείρας *referenda ad Illyrios, quo-*
rum fuit proprium, catervatim pugnare, & copias suas dividere in parvas
manus, quas σπείρας *appellare solet Polybius. Initio libri hujus de Illyriis:*
χρησάμενοι τῇ παρ' αὐτοῖς εἰθισμένῃ τάξει, προῆγον κατὰ σπείρας ἐπὶ τὴν τῶν Αἰτωλῶν στρατοπεδείαν.
Inde, qui parvis manibus pugnant, dicuntur, σποράδην μάχεσθαι, *quod genus*
unum est tam seriæ quàm ludicræ pugnæ. Strabo, lib. III. Τελοῦσι δὲ καὶ
ἀγῶνας γυμνικοὺς καὶ ὁπλιτικοὺς καὶ ἱππικοὺς, πυγμῇ καὶ δρόμῳ, καὶ ἀκροβολισμῷ, καὶ τῇ σποράδην μάχῃ·
& Polybius in nona historia de Romanis: τῶν πεζῶν κατὰ σπείρας προσπιπτόντων.
Ex Perotti versione intelligi non potest, catervas sive cohortes istorum Illy-
ricorum fuisse equitibus permixtas: de quo genere militiæ multa alibi ob-
servamus. Omittit mox Perottus hæc verba, καὶ συμπαραχθεὶς πεζοὺς τῶν Ἀχαιῶν
χιλίους, καὶ Μεγαλοπολίτας τοὺς ἴσους *vitio codicum, opinor, quibus utebatur. Nisi*
tamen ideò omisit, quia vocem συμπαραχθεὶς *non intelligebat. Est verò* συμπαρα-
χθῆναι, *ad latus adjungere, & longâ serie porrigere. Sequitur statim,*
παρατάξας οὖν τοὺς μισθοφόρους, ἐπέστησε διφαλαγγίαν ἐπάλληλον τῶν Μακεδόνων. *Perottus:*
Deductis igitur in aciem mercenariis, Macedonum phalangem statim subse-
qui jussit: quippe locorum angustiæ, ne secus fieret impediebant. *Mirum*
hominis errorem; qui putavit φάλαγγα *&* διφαλαγγίαν *idem esse. Saltem ex-*
poneret vocem ἐπάλληλον. *Sed Perottus non magis scivit, quid sit* διφαλαγγία,

aut

1609. *aut* τριφαλαγγία *in Tacticis, quàm quod maximè ignorabat. Sic autem appellantur phalangis partes, in quas fuerit divisa, propter angustias, aut alias difficultates locorum; quod vel adjecta à Polybio ratio clarissimè docet. Vide Ælianum, capite* XXXVI. *Erit igitur* διφαλαγγία ἐπάλληλος, *phalanx una in duo agmina divisa, quorum alterum præit, alterum sequitur:* ἀρχὴν τῆς πρὸς τὸν λόφον προσβολῆς, *non malè vertit, si rem spectes,* initium inchoandi certaminis: *verba sonant,* accessionis ad collem faciendæ, *sive* accedendi ad collem: προσηρτημένοι ἦσαν πρὸς αὐτῇ τῇ τοῦ λόφου ῥίζῃ, *non est simpliciter* constiterunt; *sed id quod expressimus,* progredi ad radices montis, & ibi adhærere ac subsistere, *tanquam è superiore loco suspensum. Ait Polybius:* παρήγγειλαν δὲ ποιεῖν τὸ δέον εἰς τὴν ἐπιμελές. *Mos gravissimi hujus Scriptoris est, quoties pugnam aliquam describit, in iis quæ communia sunt, adeò non immorari, quod solent alii Historici facere, quibus sua placet eloquentia, ut vix eorum verbo uno aut altero faciat mentionem: cujus rei hîc est eximium exemplum; nam his paucis verbis significat, Reges & Regum Duces, suos quemque ad fortiter dimicandum esse hortatos. Vertimus igitur;* suique eos officii admonuêre, quorum eæ partes erant. *Perottus, qui in superioribus necessaria prætervolabat, hîc verbis non parcit. Sic ille:* Hortantur pro tempore socios, ut fortes magnoque animo sint, victoriam sibi in manibus esse non dubitent. Post hæc omnes incredibili audaciâ ad expugnationem collis irrumpunt. *En Livius est, quem putabamus esse Polybium. At illa interim dissimulantur,* πάλιν δ' ἀλλήλοις ἀναδείξαντες αὐτούς. *Major & periculosior in proximis verbis est error,* θεωροῦντες τὰς σπείρας τῶν Ἀχαιῶν ἐρήμους ἐκ τῶν κατόπιν οὔσας. *Existimavit Perottus,* σπείρας *esse cohortes Achæorum; ac vertit,* ubi animadvertere cohortes Achæorum omni subsidio nudas esse. *Atqui jam dixit Polybius,* σπείρας *fuisse Illyriorum, qui propius hostem collocati subsidium à tergo habebant Achæorum. Verùm Illyriis ad collem accedentibus, quum intereà Achæi se non moverent, eveniebat, ut Illyrii à suo subsidio longius abscedentes, terga nuda haberent. Sed hæc clarissimè in Commentariis sunt demonstrata. Omnes absurditates superat, quod jam dicemus. Subjicit Polybius, ei manui militum Antigoni, quæ Evam collem invadebat, restitisse à fronte Euclidem, qui è superiore loco in ipsos pugnabat; eodemque tempore mercenarios nitentium terga, quæ modò dicebat fuisse nudata, infestasse. Sic ille:* ὡς ἂν τῶν μὲν περὶ τὸν Εὐκλείδαν ἐξ ὑπερδεξίου κατὰ πρόσωπον αὐτοῖς ἐφισταμένων· τῶν δὲ μισθοφόρων κατόπιν ἐπικειμένων, καὶ προσφερόντων τὰς χεῖρας ἐρρωμένως. *Perottus, qui ignoraret, quod pueri scire debent,* ἐξ ὑπερδεξίου *esse,* è superiore loco, *dexteram hîc comminiscitur: deinde huic imperitiæ parem audaciam adjicit, & ita vertit:* Si quidem à dextera Euclides cum gregariis militibus à frontibus præstabat; à læva verò mercenarii milites de tergo pertinacissimè irruentes, impressionem faciebant. *Habes hîc dexteram, habes lævam; quarum nulla apud Polybium mentio. Sed primus error fuit, quòd putavit hic Interpres,* ἐξ ὑπερδεξίου ἐπιστῆσαι *valere,* à dextera hostem invadere. *Sic paullò pòst hæc verba,* καὶ μεθίστασθαι πρὸς τοὺς ὑπερδεξίους ἀεὶ τόπους ἀσφαλῶς, *ita reddidit;* posteà cùm opus foret, ad dexteram conversos, confestim sese ad tuta recipere. *Libro primo, pag.* XLIV. *pro istis,* καταλαβόμενοι λόφον ὑπερδέξιον μὲν τῶν πολεμίων, ἀφυῆ δὲ ταῖς ἑαυτῶν δυνάμεσιν, ἐν τούτῳ κατεστρατοπέδευσαν, *scripsit hæc:* proximum collem hostibus quidem incommodum, sibi verò commodissimum occupaverunt: *prorsus contra mentem Polybii, ex ignoratione ejus vocis; quam semper aut prætermittit, aut interpretatur perperam. Saltem cogitaret rei absurditatem manifestissimam; cùm versione suâ confundit frontem & latus dextrum. Nam quid, malùm, sibi illa volunt,* à dextera à frontibus? *quid*

illud?

illud? præstabat? *Sed videtur Perottus* instabat *scripsisse. Porrò dexteræ,* 1609.
quam sibi finxerat, lævam planè de suo adjecit. En dignum Interpretem, quem propter fidem in vertendo tota Italia admiretur. Addit Perottus: quibus ex rebus accidebat, eos uno tempore ab utroque hostium agmine circumveniri. *Ecce aliam audaciam: nam horum verborum ne vestigium quidem ullum est apud Polybium. Mox ista,* προορώμενος τὸ μέλλον ὑποδεικνύειν ἐπεβάλετο τοῖς προεστῶσι τὸ συμβησόμενον, *vertit,* quod optimum factu erat excogitavit, idque aperuit Ducibus: *in sententia quidem nulla absurditas; cæterùm à verbis Auctoris longè disceditur: ut & in proximè sequentibus. Ait Polybius:* παρακαλέσας τοὺς ἑαυτοῦ πολίτας ἐνέβαλε τοῖς πολεμίοις τολμηρῶς. *Perottus nuditatem hujus sententiæ non tulit; sed Rhetorum pigmentis adhibitis, sic vertit:* Quapropter ad concives suos conversus; Parta, inquit, est nobis victoria, fortissimi viri, si me sequimini: factoque contra hostium equitatum impetu, audacissimè eos invadit. *Polybius:* οἱ προσκείμενοι μισθοφόροι κατ' οὐρὰν τοῖς προσβαίνουσι: mercenarii, qui accedentium ad collem terga cædebant. *At Perottus:* mercenarii, qui de tergo expugnantes, collem infestabant. *Neque satis Latinè & obscurè. Ait Polybius, hoc Philopœmenis facinore milites Antigoni, qui in collem nitebantur, liberatos incommodo, quod à tergo accipiebant, magnâ deinceps alacritate ad ulteriora perrexisse.* Τούτου δὲ συμβάντος, ἀπερίσπαστοι γενόμενοι, τό τε τῶν Ἰλλυριῶν καὶ Μακεδόνων, καὶ τῶν ἅμα τούτοις προσβαινόντων πλῆθος, εὐθύμως ὥρμησαν καὶ τεθαῤῥηκότως ἐπὶ τοὺς ὑπεναντίους. *Perottus vocem* ἀπερίσπαστοι *non intelligens, quæ de eo dicitur, quem à proposito res nulla retrahit, vertit,* per hunc modum turbatis hostium ordinibus, Illyrii atque Macedonii. *Idem pag.* CCCLV. *ejusdem originis vocem* ἀντιπερίσπασμα *non intellexit, cùm ait Polybius:* βουλόμενοι ποιεῖν ἀντιπερίσπασμα τοῖς Κελτοῖς τοῖς μεθ' Ἀννίβου στρατευομένοις; *id est, volentes retrahere Gallos, qui Hannibali merebant, ad tuitionem suorum finium. At Perottus:* ut Gallis, qui cum Hannibale militabant, vices redderet. *Piget cætera pugnæ hujus persequi, & satis superque hæc fuerint arguendæ imperitiæ hujus Interpretis omnium eorum, quæ ad scientiam armorum spectant. Omitto imperitiam Criticæ; cujus ignari ad quidvis potius idonei censeri debent, quàm ad Veterum scripta dignè explicanda. Ad hæc* ἐλαττώματα *accedit Historiæ, sive Græcæ, sive Latinæ, incredibilis in eo viro ignoratio: velut cùm in hoc ipso de pugna ad Selasiam loco, non intellectis Polybii verbis, Philopœmenem fingit tum esse occisum, qui juvenis tunc erat annorum circiter* XXX. *nec fatis concessit ante* LXX. *ætatis suæ annum. De eo igitur scribit Polybius pag.* CCXIV. συνέβη τὸν μὲν ἵππον πεσεῖν πληγέντα καιρίως· αὐτὸν δὲ πεζομαχοῦντα περιπεσεῖν τραύματι βιαίῳ, δι' ἀμφοῖν τοῖν μηροῖν: accidit Philopœmeni, ut equus ipsius letaliter vulneratus caderet; ipse inter pedites pugnans, gravi vulnere, trajecto utroque femore, afficeretur: *quod & Plutarchus in ejus vita commemorat. Sipuntinus verò, malè acceptâ voce* περιπεσεῖν, *ita vertit:* Ad extremum, utrumque crus sagittâ transfixus, cum incredibili animi robore exspiravit. *Sed Perottus quàm esset rudis Historiæ, in primis statim Polybii verbis, quæ præfationem excipiunt, insigni argumento palam fecit. Ista enim,* Ἔτος μὲν οὖν ἐνειστήκει μετὰ τὴν ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ναυμαχίαν ἐννεακαιδέκατον, πρὸ δὲ τῆς ἐν Λεύκτροις μάχης ἑκκαιδέκατον, ἐν ᾧ Λακεδαιμόνιοι τὴν ἐπὶ Ἀνταλκίδου γενομένην εἰρήνην ἐκύρωσαν, *sic vertit:* Annus erat post eam navalem pugnam, quâ Cimon Atheniensis Xerxem superaverat, decimusnonus; ante bellum verò in Leuctris gestum, quo Lacedæmonii pacem cum Rege Persarum inierant, sextusdecimus. *Obsecro, eum qui in tam paucis verbis tam multa deliria comminiscatur; qui Athenienses ad Ægos potamos dicat victores extitisse, & quidem Duce Cimone; &, quod facetissimum est, de Xerxe; qui denique ignoret, quid sit pax* ἡ ἐπὶ Ἀνταλκίδου,

hunc

1609. hunc aliquid in Historia Græca scivisse putabimus? aut credemus posse ab eo aliquam saltem tolerabilem interpretationem exspectari? Venio ad Partem secundam. Hanc, sicut dicebamus, Latinam primus fecit, paucis exceptis, Wolfgangus Musculus, non tam suâ sponte, ut ipse significat, quàm alieno rogatu. Non fuit in hoc viro, neque Græcæ, neque Latinæ linguæ ulla eximia peritia: erat enim aliis deditus studiis; & grandi jam ætate ad capiendum ingenii cultum accessisse ipsum accepimus. Defuit etiam Musculo illa, quam in Perotto commendabamus, industria in Græcis ita exponendis, ut Lectorem queat fallere, quasi αὐτοφυὴς sit oratio, neque aliundè expressa. At simplicitate & fide Perottum longè superat Musculus; qui & ea, quæ intelligebat, & ea, quæ non intelligebat, uti poterat, expressit. Nihil videas illum studio prætermittere; nihil alienum substituere: quæ familiaria sunt supra modum Perotto vitia. In utroque voluntatem bene de literis merendi æqui judices citius laudaverint, quàm effectum. Pompilii Amasæi versio duarum Eclogarum è libro sexto, primæ & tertiæ, edita est Bononiæ anno CIↃ DXLIII. hoc est, paucis annis prius quàm Musculus integræ Partis illius interpretationem susciperet. Majorem hic omnino Græcarum literarum cognitionem, quàm vel Perottus, vel etiam Musculus videtur habuisse. Latina verò illius oratio pura est, & ad Tullianæ dictionis ideam non negligenter formata; nondum enim Amasæi ætate nova hæc studiorum secta erat exorta, quæ summam eloquentiæ laudem ponit in minutis quibusdam sensiculis, & sententiis vibrantibus. Adhuc credebatur dicendi magister optimus esse Marcus Tullius, quem hodierni Orbilii ceu corrupto genere eloquentiæ usum, & parum idoneum Romanæ facundiæ auctorem è scholis extruserunt, & de manibus studiosæ juventutis extorserunt. Pompilius igitur, qui lectione Tullianâ & similium Auctorum probè subactum ingenium ad Græcos libros vertendos afferebat; facile assecutus est, ut etiam dum aliena vestigia premebat, disertus jure posset dici. Multum tamen hunc quoque in exprimenda Polybii mente non raro peccare observamus, quòd literarum Græcarum tantam notitiam assecutus non esset, quanta ei est opus, qui fidelis Interpretis habere se titulum postulet. Vel vide tertiæ libri sexti Eclogæ principium, & Græca cum Romanis Amasæi, vel nostris Latinis compara; non negabis, eruditissimum virum toto illo principio parum omnino vidisse. Etiam in primæ Eclogæ periodo prima, vocem ὁλοσχερῶς omisit, quæ non est otiosa, sed ad integritatem sententiæ necessaria. In eadem ἀδοξοποίητα ζῶα tam Musculus, quàm Amasæus verterunt, ignobiliora animantium genera; errore insanùm magno: quum in hoc voce δόξα non gloriam denotet, sed opinionem. Intelligit enim Polybius animantes, quæ solo naturæ instinctu ducuntur, non adscititiis, quibus homo imbuitur, modò bonis, modò malis. Sunt igitur ἀδοξοποίητα ζῶα, quæ, ut loquitur Epicurus, omnia faciunt φυσικῶς, χωρὶς λόγου καὶ αὐτοπαθῶς. Polybius sese interpretatur in minuto fragmento, quod extat pag. MXLVII. τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος καὶ προσδεδοξοποιημένον, οὐχ ἧττον διὰ τὴν ἀλογιστίαν ἢ διὰ τὴν φύσιν ἁμαρτάνει. Idem Amasæus opera, quæ locari facienda à Censoribus solebant, vectigalia appellat; quæ potius ultrò tributa erant dicenda. Estque etiam hic error ingens: cui plures alios similes possemus adjicere in paucis illis paginis nobis adnotatos. Pervenit verò ad manus nostras è Bibliotheca eruditissimi viri, Friderici Sylburgii, schida quadam parva, titulos XVI. continens variarum lucubrationum, quas hic vir doctissimus, Amasæum dico, illustrando Polybio composuerat. Posteà etiam literis viri magnifici, Marci Velseri, sumus admoniti, extare adhuc alicubi in Italia eorum libellorum nonnullos; qui si ab eruditis hominibus fuerint aliquando publicati, fructuosam eorum lectionem studiosæ juventuti

futu-

futuram non dubitamus. Nos eorum nihil vidimus, præter versionem Eclogarum, quas Musculus sermone Romano expresserat: in quo multum admirati sumus, difficillima quædam fragmenta ab Amasæo non esse versa; sed Musculi translationem retentam, à Pompilio leviter castigatam. Erant tamen in ea, quam diximus, schida, aliquot tituli, prolixam explicationem pollicentes, & ejus Eclogæ, quâ Romana militia declaratur, & omnium penitus locorum hujus secundæ Partis, affinis argumenti. Quæ omnia hactenus quum invisa nobis atque incomperta sint, nihil habemus, quod amplius de iis dicamus. Janum Lascarim, hominem ἀλλόφυλον, difficillimam partem scriptionis Polybianæ facere Latinam esse ausum, illis præsertim temporibus, magnum fuit, multumque veræ laudis eâ, quamvis brevi, opellâ, præstantissimus ille vir, me judice, meruit: qui si in nonnullis parum videtur cavisse, non tam eo nomine reprehendendus; homo enim erat quàm admirandus, quod in plerisque κατώρθωσε; Græcus enim erat. Novissimus omnium, qui ante nos in explicatione Polybii aliquam posuerunt operam, fuit Justus Lipsius, vir clarissimus, & de meliorum literarum studiis excellenter bene meritus. Hic si integrum Polybium, aut unam aliquam è tribus illius Partibus Latinè expressisset; atque ad hoc inceptum tantam Græcæ linguæ peritiam attulisset, quanta in eo fuit cognitio veteris Historiæ totiusque Antiquitatis, & Latinæ dictionis facultas; post Lipsium in eandem palæstram descendere, hoc verò fuisset, post Roscium in scena gestum velle agere. Nunc quum sola Pars, quam Lascaris prior verterat, ab eo sit exposita; nos qui totum Polybium Latinè explicandum susceperamus, cur ne in illa quidem Ecloga Lipsianæ versioni acquiesceremus, graves caussas habuimus, alibi explicandas. Quod igitur opus à tot viris eruditissimis pro parte dumtaxat tentatum hactenus fuerat; id nos integrum, Dei immortalis beneficio, pro nostra virili effectum nunc damus: perfectum enim dicere religio sit; qui non ignoremus, quantum ab eo distet genus universum nostrarum lucubrationum, ut id verbi possit illis competere. Neque verò ita parum ipse me novi, ut quæ modò in aliis desiderabam, ad hoc negotium ritè curandum præsidia; ea me esse consecutum dicam: illud dicere non verebor, omnia fecisse me sedulò, ut etiam in hac mediocritate ingenii possem illa consequi. Optavi equidem existeret aliquis è tot viris Græcè Latinèque doctissimis, quos nostrum hoc tulit sæculum, qui operam suam atque industriam Polybio commendaret: optavi, inquam, & multos annos exspectavi. Postquam nemo prodibat, imperavi tandem ipse mihi, etsi ægrè id quidem, & vix ante alterum aut tertium annum, ut cæteris studiis intermissis, provinciam ab aliis neglectam susciperem. Semel susceptam fide bonâ, audebo dicere, pro ingenii & eruditionis copia, gessi. Non sum mihi conscius ullius prætermissionis studio factæ, aut ullius omnino difficultatis dissimulatæ. Quid refert? Ut video esse mores nunc hominum, galeritam crista citius deficiet, quàm operi nostro reprehensor deerit. Alii genus ipsum nostræ versionis carpent; quam calumniam in minuta opella dudum passi sumus: ab iis reprehensi, quibus nulla probatur versio, quæ non sit κατὰ πόδα, & penè de verbo ad verbum expressa. Alii in partibus quærent, quod exagitent: nam hæc est hodiernorum Criticorum civilitas, hic candor. Illis prioribus satisfactum est à nobis eâ Diatribâ, quam de optimo genere interpretandi ex una in alteram linguam, composuimus, & unà cum nostris Commentariis brevi, Deo faciente, sumus edituri. Posteriores, per ipsa studiorum communium sacra rogatos volumus, ne prius ad nostra carpenda Lynceos illos oculos suos adhibeant, quàm desperare ceperint, posse nostra à nobis meliora fieri. Vidi- 1609.

1609. *mus summos nostræ ætatis viros quinquies sexies sub incudem similes curas suas revocasse: quod semper invenire se in suis faterentur, quæ melius aliter dici possent: ego si* δευτέρας *saltem* φροντίδας *meas postulem exspectari, quis rem æquissimam petere me negabit? Quum præsertim verè possim confirmare,* ὃ μὴ ποτ' ὤφελον, *hoc omne quicquid est operis, inter gemitus & indignationem, duos affectus gravissimos, esse mihi natum: illis caussam præbente obitu, piissimæ primò matris, deinde filiæ natu maximæ, merito suo utrique parentum longè charissimæ: huic, certorum hominum improvisâ iniquitate, qui reculis meis oculos cupiditatis quum adjecissent, damnum rei familiaris meæ quantum ferè poteram maximum accipere, mihi conciliarunt. Atque horum propterea isto loco meminisse volui, ut si quas eruditus Lector in opere satis longo ægræ mentis hallucinationes, & stili properati, ac centies quotidie interpellati,* παροράματα *offenderit, neque potest sanè aliter, humanæ sortis memor, humanitatem suam mihi impertiri ne gravetur. Ego imperare dolori, ut scriberem, potui; ut pariter in omnia animum intenderem, quasi curis vacuus scriberem, non potui.*

PRÆFATIO
IN
HISTORIÆ POLYBIANÆ
SYNOPSIN CHRONOLOGICAM.

Ad Candidum & φιλοπολύβιον Lectorem.

1609. QUUM *sine accurata temporum adnotatione omnis rerum gestarum narratio sit cæca, & fabulæ non dissimilis; diligenter huic parti prospexisse, non postrema eorum, qui Historias scribunt, aut interpretantur, laus jure censeatur. Est verò ejus rei observatio eò difficilior, quò latius susceptæ ad enarrandum materiæ argumentum patet. Nam qui aliquod singulare gestum describunt, aut privati alicujus hominis vitam commemorant, aut civitatis unius angustè dominantis res explicant; semel prehenso narrationis principio, atque eo certis notis insignito; in reliquis ordine subtexendis, prout quæque acciderunt, non multum sanè laborant. At qui plurium diversorum populorum, aut magni Imperii res gestas stilo peragere instituerunt; hi cautione duplici opus habent: prior ad singulas propositi operis partes pertinet; quo nimirum sic omnia explicent, ne in Historia eadem* ὕστερα πρότερα *committant: altera ad partium diversarum connexum & comparationem spectat; ut quæ tempore eodem apud varias gentes contigerint, simul, ac loco eodem, quoad ejus fieri poterit, commemorentur. Quemadmodum enim qui Canones Chronologicos compingunt, diversarum gentium tempora colligentes, ea inter se comparant, & annos annis opponunt; qui dicitur illis* συγχρονισμός: *sic qui legitimas Historias componunt, atque eas de multis simul populis, aut etiam de universis, paullò qui sint nobiliores, (quæ appellatur* καθολικὴ ἱστορία *aut* κοινὴ*) curam vel præcipuam* τοῦ ὁμοχρονεῖν, *& congruentia temporibus inter se conjungendi, debent habere. Præclarè Lucianus in eruditissimo libello, quo Historiæ Scriptorem præceptis necessariis instruit:* πρὸς πάντα, *inquit,* ὁράτω, καὶ ὡς δυνατὸν ὁμοχρονείτω· καὶ μεθιπτάσθω ἀπ' Ἀρμενίας μὲν εἰς Μηδίαν· ἐκεῖθεν δὲ ῥοιζήματι ἑνὶ εἰς Ἰβηρίαν· εἶτα εἰς Ἰταλίαν, ὡς

μηδενὸς

μηδενὸς καιροῦ ἀπολείποιτο· ex quibus verbis observationis hujus necessitas pariter 1609. & difficultas potest intelligi. Non enim temerè exceptionem illam adjicit Lucianus, quantum fieri poterit; quoniam aliquando caussæ interveniunt, cur aliter sit faciendum. Propterea magni interdum Scriptores in suis Annalibus res diversorum annorum in alienum tempus conjicere satius ducunt, quàm posteriora à prioribus separare. Caussam affert Tacitus in XII. Annalium: ne divisa haud perinde ad memoriam sui valeant. Quæ etiam ratio est, cur è Veteribus nonnulli, ut ferè Herodotus, & apertè magis Suetonius, Historiam per species quàm per tempora tractare maluerint. Sed nescit legitima Historia, hoc est, ea, quam Græci διεξοδικὴν, aut πραγματικὴν; Latini ferè, Annales nominant, aliam methodum, præter ipsam temporum seriem & consequentiam; cum ea tamen, quam paullò antè dicebamus, exceptione. In temporum autem ratione, non omnes, qui Reipublicæ Romanæ res posteris tradiderunt, aut universales Historias scripserunt, eandem secuti sunt viam. Sallustius, Titus Livius, Cornelius Tacitus, & cæteri Romani, ad Fastos Consulares omnem suam temporum observationem retulerunt; neque ullam aliam ad designanda temporis intervalla epocham aut notam, nisi Consulum anni cujusque nomina, adhibuerunt: nulla apud eos, ne in externis quidem Græcorum aliorumve populorum rebus exponendis, aut Olympiadum, aut ullorum Magistratuum, nisi admodum rara, in eum finem mentio. Ipsos quinetiam annos Urbis, quod sæpe subiit mirari, vix attingunt; plerique etiam in totum omittunt. At non ita Græci homines; qui, ut in omni genere doctrinarum, sic etiam in hac parte majore se literarum usu præditos probarunt. Horum igitur diligentissimi quique Romanos Consules quum non prætermitterent; hoc amplius, Romana tempora cum aliarum gentium temporibus comparare non mediocriter studuerunt. Sic Halicarnassensis Dionysius cum Fastis Romanis, annos Olympiadum, & Atheniensium ἄρχοντας, sive Prætores, semper componit. Polybius verò & Diodorus Siculus, qui non unius populi Romani, sed omnium toto Orbe tunc cognito Historiam scribendam susceperant; etiam præcipuorum regnorum successiones in suis scriptis pari diligentiâ adnotarunt: ea autem erant, Macedonum in Europa, Syro-Macedonum in Syria & superioribus Asiæ partibus, Ptolemæorum in Ægypto; item Pergamenorum, Bithynorum, Cappadocum & Armeniorum in reliqua cis Taurum Asia. Est etiam exorta temporibus illis Arsacidarum Parthorum in Perside dominatio; de qua, ut de cæteris omnibus, sive Europæ, sive Asiæ regnis, aut Rebuspublicis insignioribus, Polybius & Diodorus in suis universalibus Historiis egerunt, & cùm facta memorabilia, tùm præcipuè dominantium τὰς διαδοχὰς exposuerunt, quæ est Chronologiæ politicæ atque historicæ anima; sicut τῆς ἀκριβεστέρας καὶ ἐπισημαντικωτέρας motus cœlestes, & siderum defectiones. Sed Diodori quidem simplex, & semper sibi similis, in temporibus designandis ratio est: singulos enim annos Olympiadicos perpetuâ serie adnotans, reliquas omnes temporum observationes ad Olympiades refert, atque illis accommodat. In Polybii verò ingenti olim opere, ut scopi illius possunt varii animadverti, quod alibi ostendimus; sic etiam quæ ad temporum rationem attinent, variè ab eo esse tractata, licet observare: in Præparationis libris, hoc est, primo & secundo, quum res diversæ commemorentur, nullâ ferè inter se connexione junctæ; incohata libro primo series annorum, in secundo non continuatur; sed nova rursus ab alio principio instituitur; in ea utique parte, quæ est de rebus à Gallis in Italia gestis; itemque in illis, quæ de Republica Achæorum scribuntur. Ita evenit, ut vetustiora posterius, recentiora prius narrentur: pleraque enim libro priore

1609. *Apparatûs contenta, multis quæ libro ejus altero narrantur, sunt recentiora. Ne in legitima quidem Historia, quæ Præparationem excipit,* οἰκονομία *ubique eadem. Nam quia res Græcorum & Asiaticorum tertio primum anno Olympiadis* C XL. *Romanis & Punicis cœperunt misceri; non ante finem ejus Olympiadis per annos singulos Historiam suam distinguere Polybius instituit. Consilium hoc suum ipse aperit, & rationem ejus explicat, cùm alibi, tùm istis verbis luculentè pag.* DXXVI. Πρὸς τὸ δ' εὐπαρακολούθητον καὶ σαφῆ γίνεσθαι τὴν διήγησιν οὐδὲν ἀναγκαιότερον ἐπὶ ταύτης τῆς Ὀλυμπιάδος ἡγούμεθα εἶναι, τοῦ μὴ συμπλέκειν ἀλλήλαις τὰς πράξεις· ἀλλὰ χωρίζειν καὶ διαιρεῖν αὐτὰς καθόσον ἐστὶ δυνατόν· μέχρις ἂν ἐπὶ τὰς ἑξῆς Ὀλυμπιάδας ἐλθόντες, κατ' ἔτος ἀρξώμεθα γράφειν τὰς κατ' ἄλληλα γενομένας πράξεις. *Hæc ille in quinta Historia. Sextus liber, non rerum gestarum Historiam, sed politicam digressionem longè gravissimam, & Auctoris instituto necessariam, complectitur: estque adeò liber ille* πολιτικὴ διατριβὴ *verius, quàm* ἱστορικὴ πράξεων συγγραφή. *Quare ante librum septimum narratio Polybiana* κατ' ἔτος *distincta non fuit. Ab eo libro, quæ deinceps sequebantur, ad finem quadragesimi, omnia fuisse annuatim descripta, serie continuâ, more Fastorum & Annalium, nullum est dubium. Propterea Plinius Polybium* ANNALIUM CONDITOREM *in quinto appellat. Neque tamen ita rigidè gestorum ordinem in singulis partibus suæ narrationis Auctor prudentissimus servaverat, ut perspicuitatis &* τοῦ πρέποντος *non potiorem semper rationem duceret. Quare illâ, cujus antè mentionem fecimus, cautione quum necessariò sæpe uteretur; in tot tantarumque rerum adeò sibi invicem permixtarum explicatione,* ὕστερα πρῶτα *non raro commiserat; rebusque ita postulantibus, consiliorum exitus interdum prius quàm initia exposuerat. Nam verbi gratiâ; Romanas res tractans, hujus, aut illius anni principio, responsa Legatis populorum Græciæ aut Regum data, prius aliquando retulerat, quàm de eorundem Legatorum missione egisset. Qua ex re ne aliquid obscuritatis oriretur, solitus est in longiorum sermonum* ἀποθέσεσιν, *& transitionibus ab uno anno ad alium, eorum quæ alieno loco dicta videri poterant, Lectorem diligenter admonere, atque ut ipse alicubi loquitur,* τὰς ἑκάστων ἀρχὰς καὶ συντελείας παρυπομιμνήσκειν καθ' ὁπίους ἐγένοντο καιρούς. *In Legationum Ecloga* LXXX. *de hac re sic scribitur:* Quos sermones apud Senatum isti Legati habuerint, quæ à Patribus responsa tulerint, & quomodo omne genus humanitatis & comitatis experti redierint; in expositione rerum Italicarum jam diximus. Est verò Lector nobis sæpe hujus admonendus, sicut etiam studiosè facimus; quòd non rarò orationes habitas à Legatis, & data illis responsa, cogimur prius exponere, quàm de ipsorum legatione decreta & de missione verba fecerimus. Quoniam enim, per annos singulos res gestas, quæ temporibus inter se congruunt, scribentes, quæ apud quanque gentem sunt facta, summatim uno tempore conamur referre; perspicuum est, id scriptioni nostræ necessariò evenire. *Vides magni eruditique hominis circa hanc partem studium ac diligentiam. Vides operis universi* χειρισμὸν καὶ οἰκονομίαν, *ut ejus Pater non semel appellat. Sed hæc olim fuêre, benigne Lector; nam in hodiernis reliquiis adeò pristina facies operis integri est corrupta, ut videri possint qui secundæ ac tertiæ Partis Eclogas excerpserunt, præcipuè autem secundæ, id egisse de industria, ne ulla nisi oppidò tenuia superessent ejus diligentiæ vestigia, quâ Scriptor exactissimus in temporum adnotatione, & rerum variis in partibus* τῆς οἰκουμένης *gestarum* συγχρονισμοῖς, *usus erat vel maximâ. Omissi sunt anni Olympiadici; omissæ Regum successiones; Consulum item Romanorum plerorumque nomina, & Prætorum civitatium Græciæ: nihil denique ab Eclogariis in ea, quæ restant, Excerpta, secundæ præsertim Partis, est relatum, quod magnam* τοῦ συγχρονισμοῦ *rationem*

tionem ipsos habuisse demonstret. Nam quòd Olympiades aliquot reperiuntur indicatæ, & quorundam etiam Magistratuum nomina; quid refert? quum neque Olympiadici anni cum annis Consularibus comparentur; neque vel illarum Olympiadum anni sint appositi: politica nimirum documenta colligere, ut alio loco ostendimus; non autem Polybianæ Historiæ accuratam Epitomen conficere, qui ista excerpserunt, in animo habebant. Nos igitur, quibus erat propositum, nihil quicquam eorum prætermittere, quæ ad illustrationem Auctoris optimi posse desiderari judicabamus; postquam singulis Eclogis sua argumenta præfixissemus, quò illa pertinerent indicantia; ad majorem lucem tam Partis primæ, quæ integra quidem ad nos pervenit; sed variam & parum apertam notationem temporum habet, ut docuimus; quàm duarum insequentium, quæ librorum amissorum Excerpta continent; Synopsin hanc Chronologicam universæ Historiæ Polybianæ concinnavimus. Cujus opellæ necessitatem omnes intelligere necesse est, qui ad lectionem seriam operis hujus aliquando se accinxerint. Utilitatem verò tyrones minus in Historiis antiquis exercitati, quibus potissimùm ire consultum voluimus, longè maximam utendo experientur. Nam Historia quævis, maximè autem universalis, luce temporum destituta, quid aliud censeri debet, nisi domûs vastæ, quæ nullum penitùs lumen admittit, imago quædam? Hinc illud est, quod in superioribus Polybii editionibus, rerum diversissimarum Eclogæ in secunda Parte, ceu Historia eadem nihil interrupta, absurdè & ridiculè continuabantur: non enim intelligebant illi Critici, quàm diversorum temporum narrationes in unum deformem cinnum compingerent. Nunc per hanc Synopsim, & ea, quæ adjecimus, argumenta; quò ferè singula sint referenda, etiam pueri nullo labore intelligent. Jam quæ de Republica Achæorum adnotavimus, tot viris magnis illustri; quæ item de Polybii vita, parum adhuc in vulgus nota, cui non erit gratum cognoscere? Porrò in ista Synopsi contexenda, quum id unum spectaverimus, ut Polybianæ Historiæ facem præferremus; nostrarum omnino fuit partium, sive in principalium successionum temporibus designandis, sive in anno cujusque gesti, non quid esset per se verum; sed quid Polybius tradidisset, inquirere. Ut mirari nemo debeat, in nonnullis rationes nostras cum observationibus doctissimorum Chronologorum, sive antiquorum, sive neotericorum, non planè congruere. Ac quoniam hujusmodi diversitatum caussas in Commentariis diligenter exposuimus, petimus ab æquo Lectore, ut consilium nostrum in talibus ne prius damnet, quàm rationes nostras cognoverit atque expenderit: in plerisque enim, aut Polybii, aliusve alicujus probi Scriptoris auctoritate disertis verbis expressâ sumus ducti, aut validâ conjecturâ, sive necessariâ consequentiâ. Postremò cogitent velim qui hæc legent, aliud esse, tumultuariam annorum collectionem certo fine concinnare, ut nos fecimus; aliud, doctrinam temporum ex artis χρονολογικῆς præceptis ex professo tradere; quod nos hoc loco non profitemur.

1609.

PRÆFATIO

præfixa Notis in

ÆNEÆ TACTICON,

POLYBIO adjunctum.

1609. QUUM *in omnibus, paullò saltem instructioribus & nobilioribus, Europæ Bibliothecis, multa hodieque Græcorum, qui de Re militari, aut machinis bellicis scripserunt, extent monumenta; nullum è cunctis minus est in vulgus notum, quàm istud hactenus fuit, quod in ditissima Christianissimi Regis libraria inventum, descripsimus, & in generosæ pariter atque eruditæ juventutis gratiam vulgavimus. Nam Athenæi quidem, Heronis Apollodori, Philonis, Julii Africani, item Mauricii Leonisque Augustorum, nec non aliorum, qui adhuc supersunt ejus generis, Scriptores, ad hanc diem inediti, docti viri non pauci mentionem in scriptis suis fecerunt, eorumque libros sibi lectos ostenderunt: Æneæ verò hujus qui meminisset, neotericorum inveni prorsus neminem; nisi quod Conradi Gesneri indicio didicimus, hujus libri exemplar in Vaticana Romæ servari. Quod si me non fallit conjectura, è Romano codex regius manavit: quanquam is non Romæ fuit descriptus, sed in hac ipsa urbe, manu Angeli Bergicii, hominis Græci, qui ante annos dumtaxat sexaginta ex alio exemplari, allato ex Italia, quod nescimus cujus fuerit, regium charactere elegantissimo depinxit, & inter cæteros libros Bibliothecæ Græcos dedicavit, quos Franciscus Magnus, parens ille Musarum, ac disciplinarum instaurator, & Henricus II. Francisci filius, in Italia sibi & Græcia conquiri, vel describi jusserunt. Porrò hic Scriptor non illos solùm universos, quos modò nominavi, vetustate longè superat; verùm etiam Græcorum omnium, qui de Rei militaris scientia aliquid seriò scripserunt, penè fuit primus. Nam Ælianus, homo eruditissimus, qui Trajani & Hadriani temporibus vivebat, quum ab ultima antiquitate disciplinæ Tacticæ Auctores repeteret; secundum Homerum, & eos, qui Homeri* τακτικὰ *exposuerant, ÆNEAM ante omnes recenset. Et addit Ælianus, Thessalum Cineam, prudentissimum illum Pyrrhi Regis amicum & Consiliarium, Æneæ Commentarios* Στρατηγικοὺς, *sive, de iis, quæ ad Imperatoris officium pertinent, in compendium redegisse. Id operis non solùm apud Græcos, sed etiam apud Romanos in magno quondam pretio fuisse, comperior. Nam Romani Proceres, quos alibi dicebamus, rei bellicæ scientiam ex Historiarum maximè & Tacticorum lectione, quo tempore in Provincias cum Imperio proficiscebantur, solitos fuisse sibi comparare; ad* Κύρου παιδείαν *Xenophonteam, Tactica scripta Æneæ, sive Cineæ Epitomen, adjungebant, eamque diligentissimè legebant. Cicero in epistola quadam ad Papirium Pætum:* Summum me ducem literæ tuæ reddidere: planè nesciebam, te tam peritum esse rei militaris. Pyrrhi te libros & Cineæ video lectitasse: itaque obtemperare cogito præceptis tuis. *Et mox:* Nescis quo cum Imperatore tibi negotium sit. Κύρου παιδείαν, quam contriveram legendo, totam in hoc Imperio explicavi. *Ex iis, quæ diximus de summa hujus Scriptoris vetustate, potest constare: nam Cineas Epicurum Athenis docentem audivit, ut significat Marci Tullii De Senectute liber. Epi-*

curus

curus autem Athenas commigravit circa finem Olympiadis CXVIII. Idem 1609.
Cineas anno altero Olympiadis CXXV. legatus Romam, missu Pyrrhi, venit. Æneam verò, è cujus scriptis uberrimis Epitomen suam Cineas confecit, ipso Cineâ vetustiorem aliquot saltem annis fuisse, nemo, opinor, negaverit. Ut non abs re possit dubitari, sitne hic ille Æneas Stymphalius, Arcadum Imperator, qui, sicut testatur Xenophon in septimo ἑλλωικῶν, *circa tempora pugnæ ad Mantineam, hoc est, anno Olympiadis XIV. vivebat, & res Arcadum, non sine laude fortitudinis & prudentiæ, administrabat. Idioma sanè Peloponnesiorum, ac nominatim Arcadum, probè sibi notum fuisse, capite* XXVII. *de voce* πάνειν *agens, ostendit. Equidem, ut pro vero affirmare hoc non ausim, ita de eo nullus dubito, Æneam nostrum, aut æqualem illorum temporum fuisse, aut non longo certè intervallo ab illis absfuisse. Argumento sit etiam illud, quòd machinas obsidionales commemorans, quæ Aristotelis ætate, ut ipse scribit, frequentius paullò usurpari à Græcis hominibus incipiebant, arietis quidem & ἀιτικριῶ, necnon catapultæ & testudidinis, saltem leviter meminit; helepoleos verò & πετροβόλων manganorum, ac similium, quæ posterius sunt inventa, nullam facit mentionem. Jam quum soleat Auctor iste præcepta sua, illarum rerum, quæ anteà contigissent, exemplis illustrare; non temerè ullum toto libro gestum reperias, quod decimâ supra centesimam Olympiade non sit prius atque antiquius. Quoniam autem Æneæ nomen non hodie atque heri, ut initio dicebamus, sed ab aliquot retrò sæculis vulgò ignorabatur; Librarius, qui regium codicem descripsit, sive potius Critici illi, qui vetustiora regio exemplaria recensuerant, titulum libro ancipitem præscripserant,* ΑΙΝΕΙΟΥ Η' ΑΙΛΙΑΝΟΥ. *Nos sine cunctatione vocem vitio adjectam sustulimus. Nam verum germanumque Æneæ opus hoc esse, non Æliani, certâ atque indubitatâ etiam Polybii auctoritate possumus confirmare. Scribit Polybius libro decimo, de signis disserens per sublatas faces dari olim solitis, (*πυρσὺς & φρυκτὺς *Græci vocant,) Æneam in suis de Re militari Commentariis super eo argumento multa observasse. Idem prorsus hic quoque Scriptor de se testatur: qui propterea rationem attollendi faces in hoc scripto prætermittere se ait; quia alio in opere multis ea de re tractarit, ad quod Lectorem rejicit; ne, ut ait, bis idem scribere cogatur. Verba illius sunt capite* VII. Ὡς ᾗ δεῖ τῦτο γίνεσθαι, καὶ ὡς αἴρειν τὺς φρυκτὺς, ἐν τῇ Παρασκευαστικῇ βίβλῳ πλειόνως εἴρηται· ὅθεν δεῖ τὴν μάθησιν λαμβάνειν· ἵνα μὴ δὶς περὶ τῶν αὐτῶν γράφειν συμβῇ. *Quod autem ait Polybius, scripsisse Æneam* ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΣΤΡΑΤΗΓΙΚΩΝ ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΑ, DE IIS, QUÆ AD IMPERATORIAM ARTEM PERTINENT COMMENTARIOS; *is fuit generalis titulus omnium librorum, quos de universa Re militari Æneas composuerat. Ælianus appellat* ΣΤΡΑΤΗΓΙΚΑ ΒΙΒΛΙΑ. *Operis verò singulæ partes inscriptiones sibi proprias habuerunt. Nam verbi gratiâ, pars hæc, quæ de toleranda obsidione agit,* Πολιορκητικὸν ὑπόμνημα *inscribitur. Sic illa pars, quæ erat de bellorum apparatibus,* Παρασκευαστικὸν ὑπόμνημα *indicem fuit nacta. Auctor ipse* Παρασκευαστικὴν βίβλον *nominat, ut capite* VII. & VIII. *interdum* Παρασκευαστικὸν *simpliciter, omissâ voce* ὑπόμνημα, *ut capite* XX. *alibi* Πορισικὴν βίβλον, *ut capite* XIV. *neque enim aliter accipiendum. Simillimè pars illa, in qua Æneas de re castrensi tractaverat,* Στρατοπεδικὴ βίβλος *fuit inscripta; quod è capite* XXI. *discimus: idem de reliquis etiam partibus est censendum. Auctor est Suidas, scripsisse Æneam* Περὶ τῶν στρατηγημάτων ὑπόμνημα. *sed est illius Grammatici* μνημονικὸν *peccatum: locum enim Polybii, quem in animo habebat, corrumpit, & Strategica confundit cum Stratagematis: quæ non parum diversa esse argumenta, nôrunt qui literas Græcas vel summatim*

1609. *matim & ἀκροθιγῶς attigerant. Vide Julii Frontini Præfationem in librum quartum suorum. Alium prætereà librum scripserat Æneas, exempla continentem diversorum eventorum; maximè autem, ut arbitror, rerum bellicarum; cui titulum indiderat* ΑΚΟΥΣΜΑΤΑ· *de quo dicturi sumus ad caput* XXXVIII. *Atque hæc sunt, quæ de Ænea & ejus scriptis habemus comperta. Cui viro tantum Vetustas tribuit, ut pleraque illius in sua scripta ad verbum transferrent, qui post ipsum de Re militari aliquid componebant. Exemplo erit Julius Africanus, doctus cum primis, & antiquus Scriptor; quem ex hoc ipso Commentario multa capita* ἔπος πρὸς ἔπος *descripsisse, iisque usum pro suis in libro de Bellorum Apparatibus, suis locis infrà probabimus. Postremò Lectores monitos volumus, regium codicem, quo uno sumus usi, fideliter à nobis in hac editione fuisse expressum; nisi quòd mendas leviores, de quibus dubitari non poterat, prope infinitas sustulimus. Qui meliora exemplaria nacti fuerint, ii vel conatus nostros adjuvent; vel certè, quod nos optavimus, ipsi perficiant; atque ut boni patres familias publicam rem literarum candido animo augeant. Omnino merebatur pulcherrimus hic liber, vel propter Auctoris vetustatem, ut Latinâ eum veste donaremus, atque uberiore Commentario explicaremus: quod hoc tempore præstare quum per varias curas & occupationes nobis non licuerit; breves saltem hasce Notas, velut pignus navandæ,* σὺν Θεῷ, *operæ raptim exaravimus. Periti rerum, quorum est de hujusmodi scriptis ferre sententiam, si hunc Æneæ Commentariolum legerint, non dubitabunt, scio, pronuntiare, ab Auctore profectum, qui earum rerum, quibus de scribebat, magnum usum habebat, & judicio non mediocri valebat.*

PRÆFATIO
IN
MEDEAM EURIPIDIS.

Postularit fortasse aliquis à nobis nunc, ut antequam aggrediamur ad expositionem hujus Fabulæ, pauca prius tùm de Poëta ipso, tùm in genere de tota Poësi tragica diceremus. Verùm qui toties jam ex hoc ipso loco de Tragœdiæ ortu, progressu & consummatione dixerimus; qui etiam nuper, cùm HECUBAM *aggrederemur, de Poëta ea dixerimus, quæ notatu digniora sunt visa; jure facturus mihi videor, si nunc eadem repetendi labore supersedeam. Neque facile adducar, ut putem elapsa vobis, quæ tum non negligenter sunt à nobis ex optimis quibusque Auctoribus decerpta, & vobis exposita. His igitur omissis, ad ea accedam, quæ ei Tragœdiæ proprie conveniunt, quam nunc, Deo volente, explicandam sumimus.*

Inscribitur hæc Fabula MEDEA, *è re nomen habens. Nam etsi non sola est introducta in scenam Medea; tamen quia illa primas in hoc Dramate partes tenet, ejusque maximè gesta narrantur, ideò id Fabulæ suæ Poëta nomen indidit: sicut prioris, quam exposuimus, titulus erat* HECUBA, *non* Polymnestor, *non* Polyxena, *non* Polydorus: *nam illi quidem varia* ἐπεισόδια *ejus Fabulæ conficiunt; Hecuba verò totum* δρᾶμα. *Idem censendum de reliquis aliorum Poëtarum Fabulis: quæ omnes (si modò rectè sunt nominatæ) nomen habent ab eo, qui est, ut sic dicam, perpetuum totius Fabulæ argumentum. Quare etiam reliqui Poëtæ, qui hoc argumentum tractarunt,*

Fabulam

Fabulam quisque suam Medeam *vocavit: fuere autem multi, qui in hac palæstra se exercuerunt; sed quorum omnium Fabulæ fuere tantùm; esse autem pridem desierunt; unicâ Senecæ exceptâ, quam, si vultis bene consultum vestris studiis, & legitote diligenter, & cum hac Euripidea pensiculatè comparate. Habetis de nomine hujus Fabulæ: nunc accipite de Argumento.*

ARGUMENTUM FABULÆ.

In ea parte Thessaliæ, ubi Jolcos, olim urbs celeberrima, fuit sita, regnavit aliquando Pelias, Æsonis frater, Neptuni ex Tyro, Salmonei nata, filius. Huic cùm data sors fuisset, quâ monebatur, caveret sibi ab homine μονοπέδιλον, hoc est, altero pede discalceato, fore enim ut per illum & regno & vitâ exueretur, incidissetque posteà in Jasonem, fratris filium, qui alterum fortè calceum in Anauro fluvio amiserat, intellexit statim, non alium esse, quem Oraculo cavere moneretur, quàm Jasonem illum, fratris sui filium. Itaquè ex illo cogitationes omnes suas eò contulit, ut perderet Jasonem simul, & se metu liberaret. Ac poterat fortasse hominem occidendum curare; aut ipse in eum sævire: sed non videtur tanta Peliæ sævitia fuisse innata; nisi fortè alia fuit ratio, quæ Peliam ab eo consilio avocavit. Timuit enim fortasse sibi à civibus subditis suis, quos sciebat non ignorare, regnum ab eo occupari, quod jure Æsoni, fratri ejus, & liberis deberetur. Ut ut sit, hæc illi tandem potior sententia visa: fingit se de restituendo Jasoni regno cogitare; unum tantùm prius ab eo contendere, ut antequam regno ei cederet, Colchos eat, & Vellus aureum inde referat: quod ut faciliùs impetraret, adjicit religionis prætextum: se enim, ait, in somnis divinitùs, ut id fiat, moneri. Jason, etsi non ignarus, vitam suam, non vellus aureum peti; patruo tamen suo morigerum se præbet, tantumque in se onus recipit; vel gloriæ cupiditate incensus, quam sciebat paratam esse ei, qui tantum facinus ausus esset aggredi; vel desiderio aliarum regionum visendi, qui sciret, illis temporibus præsertim verè ἰσοτάλαντον & alterum penè Deum haberi virum, qui

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

Nondum enim illâ ætate maria navigabantur; nondum auditæ in longinquas terras peregrinationes aliæ, quàm Triptolemi cujusdam & Bacchi, & paucorum similium, quos vel hoc nomine videtur simplex Antiquitas in numerum Deorum retulisse. Stimulabat igitur fortasse cupidum laudis Jasonis animum gloria horum, ac hæc similis, inprimis Phryxi, qui paucis antè annis è Græcia vellus illud aureum ad Colchos detulerat. Quid multa? paratur domus lignea; navis, inquam, res antè inaudita: coït flos Græciæ ad famam tanti facinoris: navis conscenditur: Cyaneæ petræ transvehuntur: pervenitur ad Colchos. Atque ibi labores vitamque simul finiisset, nisi casu quodam incensa amore Jasonis Medea, Regis filia, mulier venefica, rationem aperuisset Duci Ducum Jasoni, quâ superior ex omnibus certaminibus evadere posset, & quod quærebatur, vellus aureum in Græciam reportare quiret. Hæc illa est Medea, de qua Fabula hæc est composita; cujus vita non unius Fabulæ, sed multarum Tragœdiarum argumentum suppeditaverit. Neque dubium, alias quoque res gestas ejus fuisse ab aliis Poëtis in aliis Tragœdiis tractatas, quæ hodie desiderantur. Vel cædes fratris Absyrti, quæso, qualis Tragœdiæ est argumentum? Quid Peliæ in membra dissectio, & partium coctio? Longum sit omnia persequi. Poëta noster in hac Fabula illustrissimum ejus facinus est persecutus. Est autem hoc:

Medea hæc, postquam Jasoni nupsit, comitem se illi redeunti in Græciam addidit, ac post longos errores tandem Jolcon, quæ patria Jasonis fuit, pervenit. Ubi cùm regnaret adhuc Pelias, nec vellet ex pacto Jasoni cedere regno, nec rursus satis virium esset Jasoni ad pellendum regno patruum, Medea rationem invenit, quâ & vitâ Peliam privaret, & Jasonem regni faceret compotem. Accessit ad Peliæ, jam tum decrepiti, filias; persuasit illis, si patrem diutius vellent esse in vivis, recoquerent ipsum, &, quod Æsoni antè accidisse audierant, adolescentiæ annis eum redderent. Parent incautæ virgines hujus consilio, & statim patrem suum pio consilio, sceleratis tamen manibus, in frusta concidunt, & in lebetem recoquendum indunt. Sic periit Pelias; sic Jason regno Thessaliæ tandem est potitus. At enim nimis verè cecinit Ascræus vates:

Ἡ δὲ κακὴ βυλὴ τῷ βυλεύσαντι κακίστη.

Itaque non poterat regnum hâc ratione partum diuturnum esse. Atque ita evenit. Nam paucis pòst annis Acastus, Peliæ filius, coactis viribus Jasonem Medeamque cum liberis suis regno excedere coëgerit; quo tempore illi in Corinthum ad Creontem, ejus Tyrannum, velut in spontaneum exilium secesserunt. Hinc ducta sunt primordia Fabulæ hujus. Nam cùm pulcherrimam filiam haberet Creon, Corinthi Tyrannus, Glaucam quidam vocant; Jason, ejus amore incensus, cœpit Medeam odio & contemptui habere. Tandem eò ventum est, ut filiam Creontis Jason duceret, Medeæ nuncium remitteret: quo facto ita exarsit irâ Medeæ animus, ut vindictæ studio, & sponsam, & patrem ejus Creontem horribili incendio absumpserit: neque hoc tantùm; sed hoc amplius, liberos etiam suos suâ manu in odium patris jugularit. Quo facto, Corinthum reliquit, & Athenas cum Ægeo, Rege Athenarum, qui fortè Corinthi fuit, cùm illa gererentur, venit. *Hoc est Fabulæ hujus Argumentum. Nunc ejus* Οἰκονομίαν *superest ut videamus.*

Ἡ τῦ Δράματος Οἰκονομία.

Commune hoc omnes Tragicorum Fabulæ habent, ut constent iisdem partibus quantitatis. Has Aristoteles quatuor fecit: Prologum, Choricum, Episodium, Exodum. Harum partium duæ sunt, quæ semel in eadem Fabula locum habeant, Prologus & Exodus: quarum ille initium est Fabulæ; hæc, finis. Neque plura principia, neque plures fines res eadem habere potest. Reliquæ partes ideò sæpius occurrunt, quòd ἐπεισόδιον *quidem velut actus quidam est, & membrum integræ Fabulæ: habet autem varia res omnis membra; quare etiam varia Episodia eadem Fabula habet, vel varios Actus, ut Latini loquuntur. Restat Choricum, quod & ipsum sæpius recurrit: eo enim solent distingui, cùm Actus inter se, tùm Prologus ipse à primo Episodio. His positis facilè est* οἰκονομίαν *hujus Fabulæ videre. Potest igitur Fabula hæc in XVI. partes distingui.*

Prima pars est Prologus, in quo Poëta sub persona aliena argumentum Fabulæ exponit.

II. *Pars est Chorus, quo separatur Prologus à primo Episodio.*

III. *Pars est Episodium primum, in quo Medea domo egreditur, & factum suum Choro, qui constabat è mulieribus Corinthiis, probare nititur, seque apud illas purgare. In eodem Creon jubet Medeam Corintho egredi, vix illi diem unum ad parandam fugam concedens.*

IV. *Pars est Chorus secundus.*

V. *Conti-*

V. *Continet secundum Episodium, in quo Poëta introducit contendentes inter se Jasonem & Medeam.*

VI. *Chorus tertius.*

VII. *Est tertium Episodium, in quo introducitur Ægeus, Rex Athenarum, cum Medea consilia iniens de ejus fuga; ipsaque mox Medea de iis, quæ sibi erant agenda, deliberat.*

VIII. *Chorus sequitur quartus.*

IX. *In quarto Episodio Jason à Medea accersitus, adit eam, & exoratur ab ipsa, ut pueros secum adducens muneribus onustos Creontem adeat, rogetque ut edictum de exilio liberorum è Medea susceptorum rescindatur.*

X. *Chorus quintus.*

XI. *Quintum est Episodium, in quo Medea, postquam rescivit delata esse munera sua ad Creontem & filiam ejus, videns fore brevi ut sibi sit exeundum, deliberat quid sit faciendum liberis suis; tandemque occidendos esse statuit.*

XII. *Chorus sextus.*

XIII. *In sexto Episodio Medeam certiorem facit nuncius de eventu donorum ad sponsam missorum.*

XIV. *Chorus septimus.*

XV. *In septimo Episodio narratur liberorum Medeæ ab ipsa Medea cædes facta; & inter se certant Medea & Jason.*

XVI. *Sequitur Exodus & finis Fabulæ.*

Sunt autem alia Episodia aliis longiora, ut docet
Donatus *pag.* 199. *&* 266.

PRÆFATIO
IN
VARIA OPUSCULA
JOSEPHI SCALIGERI,

ad Nobilissimum Amplissimumque Virum,

JAC. AUGUSTUM THUANUM,

Regium in Sanctiore Consistorio Consiliarium, & in Amplissima Regni Curia Præsidem.

ABSOLUTA *est tandem, Præses amplissime, variorum editio Opusculorum* 1610.
Musagetæ quondam nostri, JOSEPHI SCALIGERI, *tuo cum primis hortatu atque impulsu, ante annum fermè ipsum & suscepta & incboata. Quæ editio, quum uno atque altero abbinc mense à Typographo ad umbilicum esset perducta; neque illius publicationem quicquam aliud jam moraretur, nisi ut, quemadmodum initio fueram pollicitus, de proposito Auctoris quando ista exarabat, & nostro edentium consilio, scitu necessaria quædam in operis vestibulo exponerem; ea repentè calamitas intervenit, Sole Galliarum ex inopinato occumbente, quæ omnes* γνησίως *Gallos in mœrorem nûllâ dicendi copiâ enarrabilem, & luctum* ἀπαρηγόρητον *conjecit: mibi verò non solùm*

1610. *de manibus calamum excussit, & studiorum meorum tenorem protinus abrupit; sed & mentem malo externatam confudit, vitamque adeò ipsam acerbam mihi reddidit atque ingratam. Meritissimè id quidem: nam si toto hoc amplissimo Regno nemo unus est repertus, vel mediocri saltem pietatis humanitatisve sensu, & civilis officii intelligentiâ præditus; qui nuperi parricidii nuntium sine lamentabili comploratione acciperet: si finitimi omnes populi, si multi etiam longis terrarum spatiis divisi; si omnes totâ Europâ Principes, tanto casu, non secus ac fulminis repentini ictu, stupefacti ingemuerunt, & doloris ingentis sui significationem dederunt: quid nobis animi esse debet, quibus Regis incomparabilis augustissimam majestatem pari humanitate conditam, mentem divinam, cœleste ingenium, & alias animi corporisque dotes sine exemplo maximas propius nôsse ac venerari, Numinis immortali beneficio contigit? qui bonitatem ipsius, liberalitatem, & in suos indulgentiam, non ex aliorum sermonibus, sed propriâ tot annorum experientiâ notam habemus? qui semper à Deo non fictis votis, verùm affectûs sinceri precibus petere soliti fuimus, ut vel de nostris annis annos illi vellet augere? Sed ut privatas doloris mei caussas omittam, impium in patriam, & Gallici nominis hostem esse juratissimum oportet, quem publicè acceptum damnum in unius illius sacri capitis amissione, non commoveat, non squallore luctuque afficiat. Amisimus enim, amisimus, & quidem teterrimo parricidio, heu sæculi infamiam! amisimus, inquam, Christianissimum Regem nostrum,* HENRICUM MAGNUM, *Principem, Principum Europæ decus, Patrem patriæ, bello invictissimum, pacis amantissimum: prorsus ad Homericam perfecti Regis ideam,* Ἀμφότερον, βασιλῆ' ἀγαθὸν, κρατερόν τ' αἰχμητὴν; *scientiâ bellandi, vel Julio Cæsari parem; arte & peritiâ regendæ Reipublicæ, vel Augusto: clementiâ facilitateque ignoscendi, & felicitate perficiendi destinata, omnibus omnium sæculorum Principibus aut parem, aut superiorem. Et potuit tamen inveniri, qui talem tantumque Principem, in quo salus communis nitebatur; in quo tranquillitatis & quietis in Europa spes prudentibus præcipuè vertebatur, violare scelestus sustineret? Potuit inveniri, qui omnia divina humanaque jura exitiabilis sceleris novâ & inauditâ immanitate polluens, nefario se patriæ parricidio obstringeret? Potuit unius (si tamen unius) perditissimi Alastoris mens perversa, tantum, tam inexpiabile* ἄγος *concipere: nec solum mens concipere, sed etiam, proh dolor! horresco referens; manus conscelerata exsequi? ô prodigium, non hominem! ô furiam! Cujus vitæ Mars ipse, Poëtis* ἀλλοπρόσαλλος *& inconstans dictus, in belli campo, ubi ferro cernebatur, constantissimè semper pepercerat; huic illa Erinnys in altâ pace non pepercit: & cui tot centena hominum millia vitam debebant; pro quo integri exercitus, urbes integræ, populi Galliarum universi mortem alacri animo oppetiissent, is manu vilissimi bipedum & deploratissimi vitam amisit. Illud os augustum, illud sacrum caput, per tot bella, tot conspirationes, tot insidias frustra appetitum, unius propudii perfidiâ atque audaciâ lucis hujus usurâ cassum jacet. Ille magnus bellator, ille magnanimus victor, ille hostium suorum triumphator, inter turbarum clangores, perdentium ac pereuntium clamores, telorum & gladiorum fragores, terrificos tormentorum boatus, semper impavidus, semper securus & tutus; in media civitate fidelissima, amantissima, in publica omnium lætitia, inter gratulantium voces, clandestinâ unius molitione, spiritu privatus, & mortalium oculis est ereptus, nescio an aliquid simile visuris. Deum immortalem,* ἐξ οἵων εἰς οἷα! *quod gaudium quanto mœrore est mutatum! In hanc cogitationem defixo mihi, subiit interdum, veterem magni viri querelam usurpare,* ὦ τλῆμον Ἀρετὴ, λόγος ἄρ' ἦσθα, οὐκ ἔργον:

quid

quid enim profuit optimo Principum, funditus eversam patriam servasse, ut 1610.
esset qui ipsum perderet? Sed non ita est: nam ut de præmiis apud Deum repositis nihil nunc dicam; vitam quidem istam caducam, quæ usu, non mancupio mortalibus possidetur, quamque paullò pòst Rex, etiam si nulla vis esset adhibita, fuit positurus, parricida tartareus potuit illi eripere; at gloriam virtute rebusque gestis partam, per quam magni viri fiunt immortales, adeò non ademit, ac ne imminuit quidem, ut cumulatiorem, certè illustriorem reddiderit. Hic enim tantus omnium gentium & nationum in illius obitu deplorando consensus, quid aliud est, nisi gravissimum testimonium, non gratiâ aut metu, sed judicio expressum, ejus opinionis, quam universus penè dixerim Orbis terrarum de virtute ipsius admirabili habuit? Jam subditorum amor, quo nihil magno Principi gloriosius, in morte Regis stupendus & vix credendus apparuit. Quod in nullius unquam Principis funere legimus accidisse, id vidimus in hac regia civitate evenisse, de aliis per Provincias urbibus certâ famâ accepimus. Simulac de Rege palàm factum est, non solùm omnis sexus, ætas, conditio, dignitas, parenti communi planctu, lamentis & pio quodam furore in Stygium parricidam parentavit; verùm etiam, ceu tonitru cujusdam fragore subito ac vehemente edito, alii repentè concidere, alii statim exanimari, vel in morbos incidere, quibus mox sunt exstincti; quidam stupere vivi, qui vix tandem, aut ne vix quidem ad se redierunt. Quid multa? populi per universam Galliam in hujus morte vocem illam mirifici affectûs, mutato nomine repetere sunt auditi, quâ olim ante tot sæcula ipsius progenitorem Robertum, Regem sapientissimum, Hugonis Capeti filium, mortuum (ita veteres Auctores scribunt) fuerant prosecuti: HENRICO IMPERANTE ET REGENTE SECVRI VIXIMVS, NEMINEM TIMVIMVS: PATRI PIO, PATRI SENATVS, PATRI OMNIVM BONORVM, FELIX ANIMÆ SALVS, FELIX AD SVPERNA ADSCENSVS, FELIX CVM CHRISTO REGE REGVM PER SÆCVLA COHABITATIO. *Qui sic desideratur amissus, hunc vivum fuisse amorem & delicias suorum, quis non intelligit? Vivit igitur Henricus Magnus, optimus Rex noster, in animis & grata recordatione suorum subditorum, quam nulla unquam oblivio obscurabit. Vivit, æternùmque vivet semper florens, semper recens illius ingens gloria, in memoria hominum & sæculi hujus & omnium postfuturorum; qui præclara ipsius facta, in tuis, præstantissime Thuane, Historiis, incertum fide an facundiâ majore descripta, magno cum stupore sunt lecturi. Nemo itaque optimum Regem, quasi malè cum ipso esset actum, lugeat: qui & in cœlis nunc, uti speramus, alterius vitæ gaudia delibans, meliore sui parte beatus vivit; & in terris quoque, licet Orbi Christiano, & Gallorum Reipublicæ, ac suis parum; sibi tamen & gloriæ suæ satis vixit. Non enim annorum numero, nec spatio ætatis præstantium virorum & Principum vita terminanda; sed laude, famâ, & perpetuæ posteritatis immortalitate. Quin potius Christianorum Principum deplorandam hodie conditionem miseremur. Nam cujus illorum erit jam vita secura? postquam utique in tempora vivi pervenimus ejusmodi monstrorum feracia, quæ cædem Regum, & quidem Regum Christianissimorum, in parte pietatis exquisitissimæ, & Deo, per quem regnant Reges, acceptissimæ, sibi persuadent esse ponendam. Fuit videlicet illud olim tempus, cùm omnes sine exceptione Christiani, non propter pœnæ metum, sed propter conscientiam, Principibus etiam malis, etiam paganis, aut hæreticis & impiis, atque adeò Ecclesiæ Dei hostibus, parendum esse credebant: cùm Reges, quorum*

1610. *nomen apud omnes gentes, etiam melioris cultûs rudes, aut feras, & Deum nescientes, semper fuit sanctissimum, eò fidelius à cunctis Christianis colebantur, quò verior & melior gentium superstitionibus Religio est Christiana: cùm salus dominantium unica, secundum pietatem, Reipublicæ basis & firmissimum esse fundamentum, inconcussâ & ἀμεταπτώτῳ fide cuncti doctrinam Christi profitentes habebant persuasissimum. Quondam igitur, cùm Nerones, Domitiani, Severi, Decii, Gallieni, Diocletiani; at quæ, bone Deus, pestes humani generis! in Ecclesiæ greges quæsitissimis suppliciis sæviendo, Orbem terrarum sanguine piorum inundarent, Martyribus cœlos complerent; Christianorum repertus nemo, qui verbo, nedum re aut ferro, Imperatorem suum lædere saltem cogitaret. Nunc quàm sit temporum ratio mutata, duorum Regum, (ne alios commemorem,) & re & nomine Christianissimorum, simili ferè cæde peremptorum, funestissima & tristissima docent exempla. Sed nihil agunt Deo atque hominibus exosi parricidæ; nescit enim mori Christianissimus Rex Francorum, quem lex Regni perpetua atque sanctissima facit immortalem. Regnum quoque ipsum commoveri, concuti, impelli ad ruinam potest; sed eâ demum lege, ut per hanc agitationem firmius in sua sede stabiliatur. Quis non putabat, exstincto Henrico III. unà cum Rege dominationis regiæ formam, & universum hoc Imperium à fundamentis esse convulsum, nunquam posteà instaurandum? At vidimus ipsi posteà auspiciis, ductu, atque virtute Henrici IV. Regis prudentissimi, præter omnem spem omnia in integrum restituta: vidimus Regnum, quod putabatur nullum futurum, velut deposito senio ætati meliori redditum: vidimus leges patrias, quæ æternùm sopitæ credebantur, vires paullatim recipere, ac tandem robur suum obtinere: vidimus denique, ubi ad concordiam mentes hominum sunt revocatæ, otii & publicæ tranquillitatis amorem tam altas, regnante optimo Rege nostro, in omnium animis radices agere, ut ne illo quidem sublato, quicquam sit turbatum. Quis credidisset, tantam in Regno mutationem sine ulla ipsius mutatione, atque adeò sine ullo planè strepitu, nisi quem lamentantes edebant, posse contingere? Sed affuit nimirum, amplissime Thuane, hujus potentissimi Regni auctor & conservator* DEUS OPT. MAX. *affuit opportuno tempore salutaris illius dextera, & porrò semper, ut confidimus, aderit. Ille Regnum & regiam Domum, quâ salvâ salvi sumus, quâ inclinatâ salutem neque speramus, neque optamus, pro sua infinita benignitate, & benevolentia in hanc gentem, tot insignibus argumentis declarata, tutam præstabit. Ille Christianissimum Regem nostrum* LUDOVICUM XIII. *& gloriosissimam Reginam* MARIAM, *filii Imperium singulari prudentiâ nunc administrantem, cœlesti Angelorum suorum præsidio teget, ac Spiritu suo ἡγεμονικῷ consilia ipsorum reget. Hoc optamus, hoc speramus, hoc dies noctesque à Domino nostro Jesu Christo postulamus atque contendimus. Maneat adamante fixa hæc Principum, & Regni Procerum cum Ordine amplissimo sanctissima concordia; quæ in ipso articulo temporis necessarii, instinctu quodam repentino sancita, haut sine Numine profectò; inter pulcherrima fidei & prudentissimæ sollertiæ exempla, cum æterna ipsorum, & universi Gallici nominis gloria, atque admiratione audientium, olim memorabitur. Vides, amplissime Thuane, quò me vis doloris abripuerit transversum; neque enim hic locus erat harum lacrymarum: at loci temporisve rationem habere, aut modum tenere, non est illius, qui ὅλος γίνεται τῆς ἀνίας; quod mihi nunc accidit. Sed redeo tandem ad propositum. Ut igitur dicere inceperam, absoluta est variorum Josephi Scaligeri Opusculorum editio, te potissimùm auctore, me autem impulsore, heic suscepta. Erat*

sanè

sanè optandum, ut qui ista scripsit, idem recensuisset atque publicasset. Id 1610.
verò quum ego multis epistolis ab illo petiissem; quarum unâ, ut esset impetrabilioris efficaciæ, publicè eum compellabam; non aliud nisi hoc responsum tuli: Multa se hujusmodi rogatu amicorum scripsisse, quorum exemplum nullum servare esset solitus. Postquam ergo semel illa è potestate sua exissent, desinere se, in rerum suarum censu ea habere; eorumque edendi aut non edendi plenum arbitrium amicis permittere: sibi, utrumutrum fecissent, perinde futurum. Asserebat etiam interdum excusationem æquissimam; quòd partim gravioribus studiis & scriptis seriis (nam hæc & similia his inter remissiones & oblectamenta sua ponebat) occupatus; partim curis aliis & assiduâ epistolarum scriptione impeditus, tempore ad ista recognoscenda necessario destitueretur. Et omnino ita se res habebat. Nam quod amici & familiares ipsius nôrunt, is erat Scaliger, qui stupendâ felicitate ingenii & assiduâ intentione studii quum esset assecutus, ut ingentes raræ doctrinæ opes in exprompta sua memoria, velut in sanctiore quodam ærario haberet reconditas: ut quæque sese occasio subita offerebat, sive in communibus colloquiis, sive ad quæsita ab amicis per literas responderet, liberali manu quicquid magno sudore quæsiverat, promeret. Atque hoc tantâ facilitate & promptitudine, ut qui persæpe amicos ea doceret, quæ discere ab alio quàm ab ipso non poterant; beneficium tamen accipere, non conferre sibi videretur. Non enim pluvias, ut ajebat Pindarus, aquas colligebat; sed uno gurgite κρουνηδὸν, *aut* ποταμηδὸν *potius* πηγάζων *exundabat. Nihil est quod discere quisquam vellet, quod ille docere non posset: nihil legerat, (quid autem ille non legerat?) quod non statim meminisset: nihil tam obscurum aut abditum in ullo vetere Scriptore Græco, Latino vel Hebræo, de quo interrogatus non statim responderet. Historias omnium populorum, omnium ætatum, successiones Imperiorum, res Ecclesiæ veteris, in numerato habebat: animalium, plantarum, metallorum, omniumque rerum naturalium proprietates, differentias, & appellationes, quà veteres, quà recentes, tenebat accuratè. Locorum situs, Provinciarum fineis, & varias pro temporibus illarum divisiones ad unguem callebat. Nullam disciplinarum scientiarumve graviorum reliquerat intactam: linguas tam multas tam exactè sciebat, ut vel si hoc unum per totum vitæ spatium egisset, digna res miraculo potuerit videri. Omitto mathematica ipsius studia, & nobilissimam temporum disciplinam: qua in parte, ut non assecutus sit semper, quod quærebat; ea certè præstitit, quæ justam admirationem doctis æstimatoribus non possint non exprimere. Quod equidem eò confidentius dico, quia scio, Franciscum Vietam, subtilitate & inventionum acumine Mathematicorum nostri sæculi facilè principem, non aliud judicasse: ad quem aliquando quum venissemus ego & amicus quidam meus, vir optimus & eruditissimus, essetque de Scaligeri id genus scriptis ortus sermo; postquam exposuisset Vieta, quid in iis desideraret; hoc ad extremum suo candore dignissimum elogium adjecit: Quicquid hujus sit, inquit, tanta me illius portentosissimi ingenii incessit admiratio, ut Auctores Rerum mathematicarum, præsertim Græcos, solum Scaligerum perfectè putem intelligere. Addidit etiam tunc idem; Pluris se Scaligerum vel errantem facere, quàm multos* κατορθοῦντας. *Quum autem non unius Vietæ, sed omnium, quos Jupiter æquus amabat, ea semper fuerit de summi hujus viri præstantia opinio consentiens; ea ex re illud evenit, ut docti homines, & qui familiariter cum ipso vivebant, & qui ubivis Europæ degebant, suas ad ipsum dubitationes referrent; &, quod alibi dicebamus, ceu* μάντιν ἀτρεκέστατον, *Tripodem illius consulentes, responsa inde peterent. Equidem non ve-*

e e rear

1610 rear affirmare, si omnia in unum colligerentur, quæ Scaliger in amicorum gratiam scripsit, aut ab iisdem consultus respondit; ingens aliquod volumen posse componi. Sed omnia colligere, quæ tot locis diversis habentur, & ab hominibus Gallis, Germanis, Anglis, Belgis, aliarum nationum, inter pretiosissima cimelia servantur, hoc verò non unius est hominis. Existet fortasse olim aliquis, qui curæ habiturus sit hanc curam. Nos interim quæ potuerunt in his locis inveniri, nunc damus; & ad simile inceptum, fidei ac diligentiæ exemplum aliis præbemus: diligentiæ, quia ad omnia investiganda hoc libro comprehensa, non mediocri aut segni opus fuit inquisitione: fidei, quia nihil quicquam huc admissum, de quo non certò liqueret, γνήσιον εἶναι τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον· quin pleraque omnia ex autographis Auctoris manu suâ curatè descripsit Petrus Puteanus tuus, Claudii filius, cujus amor in literas, & cultus erga hunc Heroëm dum vixit, nunc erga mortui memoriam, hoc quidquid est operis, nescio unde ex abdito, nobis paravit & concinnavit. Pleraque enim istorum edita ante hunc diem non fuerunt; quædam antè publicata, nunc illius studio pleniora & emendatiora prodeunt. Constat nobis, nihil istis esse admixtum, quod aut Scaligeri non esset, aut quod si reviviscat idem, publicatum fuisse molestè sit laturus. Summa enim cautio adhibita, ne alterutro genere peccaretur; quod à sordidis Typographis, aut inverecundis literarum institoribus in magnorum virorum scriptis passim fieri videmus & dolemus. Ne de aliis dicam, in unius Jacobi Cujacii, Jurisconsultorum hujus ætatis nominatissimi, monumentis, utrumque est admissum: nam & multa illius sunt edita, quæ edi vetuerat: & quædam sub ejus nomine sunt publicata, de quibus ille οὐδ' ἐν ὀνείροις unquam cogitavit. Ejusmodi est illa Græcarum Epistolarum Latina interpretatio; quam inauditâ mentiendi & falsa fingendi licentiâ Cujacio quidam adscripserunt, & sub tam illustri nomine obscuri cujusdam & mediocriter docti Germani versionem publicarunt; quum vir clarissimus Franciscus Pithœus, à quo illi habuerunt, eam sæpe mihi in Bibliotheca sua ostenderit, & Basileæ nescio quo casu sibi repertam dixerit. Porrò etsi non multum fortasse interest, quo ordine Opuscula hæc sint edita; possunt tamen utiliter & hæc & quæcunque alia his similia restant edenda, ad quatuor veluti classes referri: ita ut prima Animadversiones contineat in Scriptores antiquos: secunda, Diatribas philologicas, & de rebus variis Dissertationes, tertia, Poëmata quæ vel fecit Auctor, vel è Græcis vertit: quarta, Epistolas. Ad primum ordinem in hac editione, pertinent Notæ in Plinium, in Cæsarem, in Senecam Tragœdum, & eum quem falsò ac ridiculè Asinium Cornelium Gallum dixerunt. Notis in Plinium præbuit occasionem Melchioris Guillandini verbosissimus in capita de papyro Commentarius. Hic Guillandinus, me adolescente in magna fuit apud plerosque Literatorum exquisitæ cujusdam doctrinæ opinione & fama: idque vel eò maximè, quòd per Ægyptum & Asiam dicebatur peregrinatus. Nam quia oculi creduntur esse μάρτυρες ἀξιοπιστότατοι, plerunque fieri videas, ut plurimum fidei iis habeatur, qui plurimum per remotas terras errarunt; si modò aliquam doctrinæ speciem præ se ferant. Exemplo sit Andreas Thevetus, homo nullarum literarum, nullius doctrinæ, nullius judicii, denique ne communis quidem sensûs satis particeps; qui per varias Orbis utriusque partes circumlatus, ac deinde Historias scribere aggressus, multis etiam eruditis viris imposuit: eratque adeò verendum, ne apud posteros quoque levissimus futulissimusque Scriptor & nomen & locum honestum obtineret; nisi tu, doctissime Thuane, qui tuus est insignis amor veritatis, & flagrans benè de literis merendi cupiditas, hominis tibi noti vanitatem detegendo, & sui erroris

roris eruditos admonendo, veri patrocinium hac etiam in parte ultrò isses 1610.
susceptum. Longè alius vir fuit Guillandinus; qui præter medicæ artis & præsertim botanicæ peritiam non vulgarem, ne meliorum quidem literarum notitiâ caruit. Iccircò, ubi primùm prodiit illius in locum Plinii de papyro, planta Ægyptiaca, Commentarius; ea secuta est doctorum approbatio, ut celebris nominis vir Dalecampius, in eundem locum Plinii posteà scribens, Guillandinum, propter istud scriptum maximè, mirâ laudatione afficeret: alii verò, qui de charta & toto illo argumento scripserunt, id demum apud Plinium probarent, quod Melchiori esset probatum. Adeò fit sæpe in literis, ut pro aureis vulgò habeantur, quæ χολοβάφινα tantùm sunt, & felle lita. Nam seriò docti & judicio instructi ecquod reconditæ eruditionis indicium in tam prolixo Commentario potuerint deprehendere, equidem fateor me ignorare: nulla quippe rei, qua de agebatur, singularis notitia, & frustra calcata Ægyptus; nulla Vetustatis solida cognitio; Auctorum Latinorum intelligentia mediocris; Græcorum ne mediocris quidem: quippe in Græca lingua totum se de Lexico suo pependisse, neque ipse diffitetur, & res clamat ipsa. Adde levitatem judiciorum; ut cùm multa corrigit integerrima; cùm Auctores, præsertim veteres, temerè & sine ulla ratione reprehendit. Ut cùm exempli gratiâ, Suetonius dat illi pœnas, quòd chartam plumbeam dixerit; quum nos id alibi non solùm ἀναλόγως, sed etiam elegantissimè dictum esse probaverimus, & Lysimachum vetustissimum Scriptorem laudaverimus, qui multò ante Suetonium μολυβδίνους χάρτας dixerat: Guillandinum verò non puduit docere Romanum hominem, & quidem adeò doctum & castigatum, Romanè loqui, & jubere ut potius diceret plumbeam papyrum; quod est ineptissimum. Omitto planè desultoriam scriptionem; in qua Auctor prorsus, quod ajebat Philosophus, τοῖς ἔξωθεν λόγοις ἀναπεπλήρωκε τὸν λόγον. Meritò igitur Josepho Scaligero doluit, Guillandinum, qui tam malè Plinium acceperat, tanto cum plausu passim ab omnibus accipi. Atque hoc suum judicium jam olim scribens in Festum, quum paucis verbis indicasset; ut rationes, quibus movebatur, scripto brevi complecteretur, posteà ab ipso impetravit vir clarissimus, atque integerrimus Senator, Claudius Puteanus; cujus mores & doctrinam ita Scaliger probavit, ut & conjunctissimè cum illo semper vixerit, & omnia sua studia familiarissimè communicaverit. Illi viro doctissimo, quem suorum sibi scriptorum Aristarchum fuisse, ipse Scaliger scribit, debetur hæc eruditissima contra Guillandinum disputatio. Notæ in Cæsarem Notitiæ Galliarum, velut auctarii jure accesserunt, de qua dicemus paullò pòst. Certum est, editionem Julii Cæsaris sæpe illum cogitasse: nam etiam in scriptis suis non semel ejus spem facit, & desiderium commovet. Sed incerta & semper vaga ipsius vita, priusquam in Hollandiam concederet; & Cæsaris & Plauti, & aliorum plurium veterum Auctorum editiones, de quibus seriò cogitaverat, nobis invidit. Prodiit tamen ante paucos annos Lugduno Batavorum Cæsaris editio, quam scimus, licet frons libri dissimulet, pumice critico magni illius Censoris fuisse expolitam. De Notis in Senecam tragicum nuper scribebat Daniel Heinsius, arte & ingenio vir excellens, & omnium doctorum gratiam vel eo meritus nomine, quòd Josepho Scaligero, quem parentis loco vivum coluerat; postquam est fato functus, omnia pii filii officia abundè præstitit; in Bibliotheca τοῦ μακαρίτου eas sibi esse inventas. Solebat hic literarum parens relaxandi animi gratiâ, & sicut olim de Origene, & alumnis ejus disciplinæ est dictum, ἐν καιροῖς ἀνέσεως φιλολογεῖν καὶ ἀκριβοῦν τὰ ἀντίγραφα· ita illi nata hæc opella est, multa continens tam illustri ingenio dignissima. Apparet autem, Typographi alicujus

 rogatu,

1610. rogatu, qui illarum Tragœdiarum editionem parabat, has Notas fuisse exaratas. Puteanus verò noster, quum exemplar illarum depravatissimum & longè corruptissimum fuisset nactus, Josias Mercerus, J. F. Græcè Latinèque vir doctissimus, suâ illas manu descripsit atque emendavit. Juvabit probos & φιλομαθεῖς adolescentes, has observationes cum illis conferre, quas in eosdem Auctores Justus Lipsius, literarum, dum vixit, columen, olim edidit: deprehendent enim, judiciorum quidem atque opinionum diversitatem non parvam; at κακοηθείας, invidiæ, livoris, nullum vel levissimè impressum vestigium in animo probissimi senis nostri, qui posterior scripsit. Discent igitur hoc exemplo, ita servandam in literarum studiis judiciorum libertatem, ut omnis absit malignitas, omnis alienæ famæ obtrectatio. Pseudo-Galli elegiam Itali Critici pro germano poëmate Cornelii Galli, æqualis Augusti, & cujus mortem Virgilius deflevit, venditabant. Consultus super eo hic nostri sæculi Varro à Claudio Puteano, cui de fraude suboluerat, responsi loco Notulas misit, quæ heic habentur. Ad secundam classem referri debent hoc volumine comprehensæ Diatribæ istæ: De Judæorum Decimis; Notitia Galliæ; De Linguis Europæ, & Dialectis Francorum; item de Pronunciatione quarundam literarum; Judicium de Thesi chronologica; Constantiniani Numismatis explicatio, & quædam alia Gallicè conscripta. Pulcherrimam atque eruditissimam dissertationem de Decimis in Lege Dei, viro nobilissimo, tibi conjunctissimo debemus, Carolo Harlæo, fratri magni illius Achillis Harlæi, quo Principe Senatûs gloriatur hodie Ordo amplissimus; atque utinam glorietur diu. Ille aliquid explicari sibi petierat, quod ad decimas Judaicas spectabat; Scaliger antiquum obtinens, totam illam partem Juris antiqui Judæorum, doctissimis etiam viris minus benè expositam, paucis verbis est complexus. Notitiam Galliæ non haberemus, nisi venisset in mentem Paulo Merulæ, viro juxta probo & erudito, in opere suo Geographico Gallias nostras describere, eamque ad rem opem & subsidium, ac velut Ariadnæ filum ab hoc Theseo petere. Videtur autem vir undecunque doctissimus, quando illam Galliarum in partes suas tributionem exaravit, de eodem, quod ajunt, oleo & τοπικὰ apud Julium Cæsarem elucidasse, & de hodiernis linguis illa disseruisse, quæ Notitiæ sunt subjecta: eòdem & observatio illa referenda, quâ de legitima aliquot literarum pronuntiatione agitur: quæ ita est à Puteano edita, ut est inventa, non ut optaremus. Judicium de Thesi chronologica, ut illa tam multa, quæ de hoc argumento in opere magno, De Emendatione Temporum & ad Eusebii Chronicon observavit, atque etiam alibi, peritiam exactam Historiarum, quæ Sacris Literis continentur, arguit; in quo plus esse difficultatis quàm scioli quidam arbitrentur, mortalium nemo ita clarè ostendit, ut hic noster Polyhistor. At in lectione Patrum quantam ὁ μακαρίτης habuerit ἕξιν, & rituum veteris Ecclesiæ quantam notitiam, optimè omnium declarat nummi Constantiniani accuratissima interpretatio, ad virum Antiquitatis peritissimum missa, Marquardum Freherum, Jurisconsultum; quam spondeo, Ecclesiasticæ ἀρχαιολογίας studiosum neminem sine fructu & voluptate lecturum. Ad tertium ordinem referenda sunt Poëmata, quæ in hoc volumine continentur, quæque his addi possunt compluria, duûm generum: aliorum Auctor est Scaliger, aliorum dumtaxat interpres. Lusus ipse juveniles suos, aut senilis insomniæ solatium appellitabat: nunquam enim inter serias curas suas versus à se compositos & ἐξ ὑπογυίου σχεδιασθέντας numeravit: nunquam exorari potuit, ut suos poëticos fœtus tollere mallet, quàm exponere: qui tamen eâ facultate quantum in utraque lingua excelleret, Græcè Latinèque docti, & poëticorum sacrorum Mystæ satis nôrunt;

tu

tu omnium optimè, clarissime Thuane; qui Græcos & Latinos Scriptores habens familiares, Poëtarum sacra opertanea, à quorum aditu profani arcentur, non ἀκροθιγῶς nota habes, verùm ut epopta, ad intima quæque illorum arcanorum penetralia dudum admissus. Inveni post impositum huic editioni colophonem, Psalmos aliquot Davidis, Græcè Scaligero versos; quos, ubi primùm fuerit occasio, non patiar intercidere: merentur enim, ut in fronte prima hujus tertiæ classis locentur. Initia Orphei adolescens olim vertit, quando & Lycophronis Cassandram, geminum huic opus, doctis nunquam satis laudatum. Scimus, Q. Sept. Florentem Christianum, inter æquales Poëtas merito suo clarissimum, summâ versionum hujus viri admiratione ductum, quam ante annos viginti-quinque publicè est testatus, & Initia Orphei, & Diras Æschyli ex ejusdem interpretatione, ad edendum præparasse. Sed Diræ quidem, incertum quo casu, perierunt: Initia verò manu patris descripta, Claudius Christianus Petro Puteano tradidit. In quarta classe specimen Epistolarum habetur, quas Josephus Scaliger ad amicos scripsit, & numero plurimas, & vel propter elegantiam ac propter quendam ipsi proprium δεινότητος characterem, lectu dignissimas. Quod si quis omnes hujus viri Epistolas, non solùm quas certo proposito argumento accuratius scripsit, sed etiam quas subitò exaravit, publicaret; eum ego existimem non malè operam positurum. Pertinet enim ad profectum juventutis, habere ipsam æmulationis Veterum tam illustre exemplar. Nam hodie qui Latinè loquantur, multos invenias: at qui sine cacozelia & inepta affectatione Antiquos imitentur, oppidò paucos: qui verò sermonis Romani illum, ut sic dicam, indigenam saporem sincerè & castè exprimant, invenies omnino paucissimos. Etsi autem Epistolis Scaligeri omnibus inest aliquid, cujus gratiâ eas legisse neminem possit pœnitere; nobis tamen propositum nunc quidem non fuit, quasvis Epistolas ipsius edere; sed illas dumtaxat, quæ argumento essent notabiliores. Pleræque igitur, aut διδακτικαὶ sunt, & præter solemnia literarum, aliquid scitu dignum continent; aut ἀπολογητικαὶ, & defensionem Auctoris adversus invidentium obtrectationes habent. Quòd autem nonnullæ earum sunt editæ, quas ad me scripsit; hoc verò tuâ gravissimâ auctoritate, quæ plurimùm, uti par est, apud me valet, non voluntate meâ factum esse, testor fidem tuam, Præses amplissime. Erat enim mihi certum fixumque materiam malignis non dare; qui benignitatem viri candidissimi, in meritis amicorum supra meritum & ultra modum prædicandis, ad occasionem calumniæ rapientes, utrumque simul invadent; & illum quidem levitatis, qui ἐκ κώνωπος ἐλέφαντα; me vanitatis, qui ista sim passus edi, arcessent. Illi verò uti volent: ἐπεὶ οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Nam Scaligero quidem, viro in literis tanto, & virtutis adeò spectatæ, quid honestius culpâ immodicæ benignitatis? mihi verò in tua unius voluntate facti constat ratio. Scivi alioquin, ac præ me semper tuli, tantum hunc illius amorem non adeò eruditione, aut ingenio esse me promeritum; ac cupiditate ingenti discendi quæ nescio: cui ipsum non minus cupidè, pro insita sibi bonitate, solitum esse satisfacere, vel hæ paucæ Epistolæ è centum undecim, quas ab eo acceptas servo, fidem fecerint. Multa studiosi in illis legent, quæ alibi se non legisse, si ingenui sunt, non inviti fatebuntur; sin autem, vel inviti agnoscere cogentur. Atque hæc ferè sunt, Præses amplissime, quæ vel à me, vel à Petro Puteano tuo, hoc tempore potuerunt reperiri, fugitiva, ut sic appellem, Josephi Scaligeri scripta, anteà non edita. Nam Leges Atticas, Dissertationem de Re nummaria, Librum de Æquinoctiis, & alias lucubrationes ejusdem, quas scimus in publica Lugduni Batavorum Bibliotheca asservari; quum ab amicissimo Heinsio, ejus Bibliothecæ Præ- 1610.

1610. *fecto, nobis communicari petiissem, aut certè illic edi; respondit vir humanissimus, religione quâdam se impediri, quominus illa publicaret: quia testamenti tabulis cautum sit, ne quicquam edatur, inchoatum tantùm vel affectum, non autem perfectum. Quamobrem & istis, & illo tantopere multis desiderato Arabicæ Linguæ Thesauro, unà cum Suppellectile universa librorum Orientalibus linguis scriptorum, aliorumque manuscriptorum; nec non Commentariis in Historias Animalium à Julio Cæsare Scaligero labore ingenti compositis; his, inquam, omnibus, hoc est, incomparabili quâdam gazâ, soli jam, ut apparet, Batavi fruentur; qui & postremos vitæ illius annos obtinuerunt, & nunc mortui cineres possident. Utinam quidem aliter superis visum esset, neque tanto ornamento propriè suo Gallia nostra unquam esset orbata! sed quoniam ita* Θεοῦ ἐτελείετο βουλή, *ad gloriam nobilissimæ Gentis, atque huic Regno conjunctissimæ, istud quoque decus accedere, æquo animo,* καὶ ἀχνύμενοί περ, *feramus: quum præsertim in fovendo colendoque Hercule illo Musarum, & ornanda ejus memoria, postquam fuit, quà Principes ejus Reipublicæ, quà literarum Antistites, honestissimæ cujusdam æmulationis pulcherrimum certamen inter sese videamus certasse. Non est prætermittenda hoc loco lucubratio Scaligeri, cujus alibi meminimus; brevis illa quidem & parva, sed interiorum & reconditarum literarum, quæ in illo fuerunt non parvum testimonium: Proverbia dico Arabica, Romano sermone in meam unius gratiam expressa. Duo ipse ejus libelli exempla diversis temporibus ad illum misi; quorum posterius priore longè emendatius, manu descriptum erat Hadriani Guilielmi, Flessingensis; qui paullò pòst in hac urbe inexplicabili morbo implicitus & abreptus, utrique nostrûm, imò omnibus qui nôrant, ingens sui desiderium reliquit; erat enim in illo adolescente præter eximiam morum probitatem, & Græcæ Latinæque linguæ notitiam, Arabicarum literarum & totius* ἰατρικῆς ὕλης *incredibilis, ut in illa ætate, peritia. Quoniam autem versio horum Proverbiorum, quæ penes nos est, è priore exemplari fuit propagata;* δευτέρας φροντίδας *è collatione posterioris sæpe à Scaligero exegi, atque ille mihi sæpe promisit: quod ipse morte præventus quum præstare non potuerit, hortatu meo in se recepit Thomas Erpenius, cùm aliarum literarum & Philosophiæ callens juvenis, tùm Arabismi & grammaticarum ejus linguæ observationum mirificè curiosus & intelligens. Quod si Deus immortalis cœptis faverit, spondemus brevi illum libellum unà cum versione & Notis Arabicè à Gulielmo Lebeo, cive Parisiensi, editum iri; qui characteres Arabicos, atque etiam Hebraicos omnium elegantissimos (quod hæc etiam editio ostendit) arte industriâque suâ, ac propriis sumptibus sculpsit; & laudabili cum primis incepto, patriæ atque Academiæ huic decus non pœnitendum, quo prius carebat, conciliavit. Sed jam tempus est, ut orationis vela contraham, & Epistolæ huic, quam dudum sentio suâ prolixitate modum excedere, finem imponam: si prius tamen te, Vir amplissime, Jacobe Auguste Thuane, rogavero, obtestatusque fuero, ut istarum Josephi Scaligeri, veteris amici tui, lucubrationum patrocinium adversus invidos Bambaliones, terræ filios, velis suscipere. Nam si cætera illius præclara inventa, & incredibilis doctrinæ plena scripta, malevolorum virulentos morsus non effugerunt; quæ spes est, hos libellos, ab eodem ingenio profectos, sed quos ipsorum pater ex tempore, & impetu quodam effudit, potius quàm meditatus scripsit, meliore fato futuros? Non enim cogitabunt severi Aristarchi, rem esse omnium iniquissimam, exigere à quoquam mortalium, ut in otio & in negotio æqualiter animum intendat: non cogitabunt, siquid in subita scriptione interdum sit humanitùs offensum; eum virum Scaligerum*

rum

rum fuisse, ita de genere humano scriptis suis divinitùs meritum, ut facilè 1610.
ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τὸν δ' ἀπωθοῖτο ψόγον. Sed sumne ego stultus, qui cum hominibus omnis rationis inimicis, rationibus agere instituam? Nam apud illos certè qui ubivis locorum doctrinâ & virtute pari librâ sunt ornati, illustrissimi nominis tui auctoritatem, Præses sapientissime, ad commendationem hujus libri abundè satis valituram, dubitare non possum; qui sciam, unum hodie inter togatos esse te, quem non magis dignitas hæc amplissima, magnis in Rempublicam meritis tibi parta, universis Franciæ populis reddat venerabilem; quàm inusitatæ ingenii dotes, quibus excellis, cunctis totâ Europâ probis doctisque hominibus, admirabilem. Nam quum tuâ olim operâ variè uti, multò antè quàm nascereris, destinasset magnus ille mundi Arbiter, omnia liberali manu in te contulit, per quæ aliquis ad veram solidamque gloriam potest pervenire. Nihil heic dicam de antiqua generis nobilitate, de majorum imaginibus, & cæteris, quæ vulgò dona Fortunæ vocitantur. Patrem quoque tuum silebo, virum maximum, qui Ordini amplissimo totos viginti annos quum principem locum obtinens præsideret, omnium sibi virtutum invicem consertarum & cohærentium inesse comitatum, & privatim, & publicè, dictis, factis, liquidò comprobavit: hæc enim etsi ad honorem tuum pertinent, magnoque tibi sunt ornamento; longè tamen illud magis, quòd in prima statim adolescentia eum te præbuisti, quem nullo negotio omnes intelligerent, majorum suorum claritudini gloriæ esse præoptare, quàm meritis ipsorum splendorem suum debere: adeò ut nemo jam tum fuerit, qui id agere te dubitaret, ut quod lumen tibi parens præferebat, posteris ipse olim præferres. Igitur in studia liberalium artium & Juris civilis Romanorum non secus illâ ætate incubuisti, (rarâ quâdam felicitate nactus Valentiæ Segalaunorum tempore eodem Præceptorem quidem Jacobum Cujacium, condiscipulum verò, sed ætate grandiorem, Josephum Scaligerum;) ac si ille solus ad gloriam aditus tibi pateret; aut in illo solo præsidio spes omnes tuæ niterentur. Studio legitimo defunctus, & peregrinationibus, quas ad multas Europæ partes suscepisti, publicæ rei administrationem auspicatus, per varios deinceps honorum gradus, ad hanc illustrem dignitatem conscendens, in diversis muneribus, functionibus & legationibus probatus, mentis altæ consilium, moderationem animi, fidei ac morum constantiam, adversis rerum immersabilis undis, *ita perpetuò usurpasti; ut multum sæculi tui hominibus daturus fueris, etiamsi nihil præter exemplum dedisses. In tanta enim rerum varietate, quantam illis difficillimis temporibus experiri contigit; cùm quidem plerique hominum de Fortuna pendentes alternis Vatinii, alternis Catones erant, æqualitatem vitæ per omnia constantem sibi servasse, neque ullo unquam casu graviore concussum, ab insita probitate descivisse; aut perfecti Sapientis, aut, ut Stoicis pacatis utamur, ejus erat, qui ad perfectam sapientiam proximè accederet. Hoc illud est tempus, quo Henrici Magni castra sequens, inter tumultus castrenses, rerum toto Orbe memoriâ tuâ gestarum, præsidiis ad tantum inceptum multò antè magno studio provisis, Historiam οἰκουμενικὴν scribere instituisti: qua in scriptione quantâ diligentiâ & fide, (nam sermonis elegantiam omitto,) sis usus, omnes, qui legerunt, scire possunt: nos hoc amplius scimus, quantas inter curas, quàm brevi tempore, horis tuis subcisivis bene utendo, propositam initio materiam ad scribendum peregeris. Nam qui neque muneri tuo laboriosissimo, neque Regis obsequio ulla unquam in parte defueris; annis tamen duodecim & mensibus sex, libros centum & viginti octo, rerum memorabilium admirandâ varietate refertos, confecisti; opus in eo genere litera-*

1610. rum maximum omnium, quæ unquam post Titi Livii Annales sunt edita. Quemadmodum autem olim ad Rempublicam ita animatus accessisti, ut universorum consiliorum & πολιτευμάτων tuorum suprema lex esset salus regni, non autem factionis alicujus studia; ita, cùm res gestas es orsus literis mandare, non utique id spectasti, ut ea diceres, quæ his, aut illis grata essent futura; sed quæ Historiæ Regina VERITAS pateretur. Cujus generosissimi propositi hoc præmium tulisti; ut tunc demum Historiæ legitimæ majestas nostris hominibus cœpta sit intelligi, quando per Europam libri tui circumferri sunt cœpti. Hinc illi plausus & acclamationes bonorum, tibi pariter ac sæculo gratulantium, ex Italia, Hispania, Germania, Polonia, & ultima etiam Livonia, in hanc urbem ad te & amicos tuos transmissæ. Enimverò, tam perditis moribus, & adeò inimicis virtuti temporibus, esse aliquem animi invicti virum, qui non gratiâ, non metu à veritate in Historia scribenda deflectat, è Republica humani generis est. Quid dicam de illo immenso tuo in literas amore? quem quidem eximiè declarasti, cùm in contexendis Annalibus tuis eorum interire memoriam non es passus, qui ad illarum illustrationem in hac ipsarum παλιγγενεσίᾳ, vel mediocrem saltem aliquam symbolam contulissent. Non erat alienum huic loco de tuis erga me beneficiis commemorare: quæ etsi fateor extitisse quàm plurima; illa tamen præcipua ex omnibus, ut mei sunt mores, mihi videntur existimanda, quæ cum rationibus meorum studiorum sunt conjuncta. Illa igitur quantum tibi debeant, si dicere aggrediar, longum faciam. Nunquam ego te conveni, ut non ea ex te audirem, per quæ melior & doctior possem discedere: nunquam à tuo congressu temerè discessi, quin ad amorem patriæ, studium pietatis, honesti atque literarum, novâ quasi flammâ succensum me sentirem: nunquam sermonum tuorum factus sum particeps, cùm tu de officiis vitæ, de salute aut interitu Rerum publicarum, de literarum studiis, de omnibus omnium ætatum Scriptoribus differeres; quin subiret illicò animum species admiranda, & rarò admodum per sæculorum intervalla mortalium oculis conspecta idea, illius Politici omnibus numeris absoluti, quem maximus Philosophorum in scriptis suis informans, περὶ πᾶν πεπαιδευμένον appellat, & omnium artium, disciplinarum atque studiorum κύριον statuit & judicem. Quod si mediocri diligentiâ id sum consecutus, ut vigiliarum mearum aliquis ad studiosos fructus perveniat, eoque nomine gratiæ mihi nonnihil debetur; tibi profectò ejus gratiæ, quantulacunque ea est, pars debetur multò maxima; qui & re, & consilio studia mea subinde adjutans, assiduus ἐργοδιώκτης instas; & quod olim Ambrosius Origeni, id ipse es mihi. Verùm de tuis in nos meritis, erit, spero, alio tempore, plura dicendi locus: quando ut aliquod grati animi pignus tibi exhibeamus, de domo numerationem faciemus: nam nunc quidem mutuum sumimus, & alienâ arcâ utimur. Deum veneror, Præses amplissime, ut te bono publico & literarum natum, cum nobilissima conjuge, singularis exempli fœmina, etiam si olim fuisset, ac suavissimis pignoribus vestris, omni bonorum genere cumulatum, quàm diutissimè præstet incolumem. Faxint superi, ut hæc præcellens gloria, virtute & studiis literarum collecta, παισὶ παίδων μεταλαμπαδευομένη, Thuanæ genti fiat propria, & in natis natorum perpetuò hæreat. Vale. Datum Lutetiæ Parisiorum, a. d. III. Kalend. Quintil. CIƆ IƆ CX. quo die Henrici Magni corpus, post solemnia regii funeris in Arce Lupara celebrata, pompâ efferri cepit, magnificentissimâ quidem, sed ducentibus pariter & spectantibus acerbissimâ atque luctuosissimâ. Scires efferri Patrem Patriæ, Principem non minus suis charum, quàm hostibus terribilem, omnium sæculorum æternâ memoriâ dignissimum.

Serenissimo

Sereniſſimo potentiſſimoque Principi,

J A C O B O,

Dei Gratiâ,

Magnæ Britanniæ, Hiberniæ, &c. REGI,

Fidei Defenſori,

ISAACUS CASAUBONUS

S. D.

(*Præfixa Exercitationibus in Annales Baronii.*)

QUOD omnium optimè Tua Majeſtas novit, Rex ſereniſſime & potentiſ- 1614.
ſime, Veritatis à Deo hominibus manifeſtatæ ea natura eſt, id fatum, ut quum vinci ab hoſtibus ſuis nequeat, carere tamen hoſtibus non queat. Scripturæ Sacræ, & omnium ſeculorum experientia, cujus teſtis Hiſtoria, dubitare nos ea de re non ſinunt. In illis audimus Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum, de ſe dicentem, *Ego ſum via, veritas, & vita;* ut verendum non ſit, ne aliquando victa Veritas ad extremum deficiat aut intereat; quæ Dei viventis Filium, Deum verum, habet auctorem, aſſertorem, vindicem. At rurſus in Oraculis divinis legimus, Jeſum Chriſtum nominari à Spiritu Sancto, ore Simeonis Prophetæ, *Signum cui contradicitur*, poſitum εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν, ut propter illum & per illum, alii in ruinam præcipitent, alii de morte tranſeant ad vitam. Quò etiam pertinet Pauli Apoſtoli divina diſputatio, docentis è Veteris Teſtamenti Prophetiis, Chriſtum eſſe *lapidem offenſionis, petram ſcandali.* Sed & Apoſtolorum Princeps, Petrus, ſollicitè Fideles admonet, ut ab inſidiis Satanæ caveant ſibi; illum enim ut leonem rugientem imminere, cupidum pios deglutiendi, & univerſæ Eccleſiæ Dei perdendæ; quod, ſalvâ cœleſtis Veritatis ſinceritate, ab illo fieri non poteſt. Jam & Hiſtoriæ omnes de Eccleſia Chriſtiana, (quæ eſt ſedes, στῦλος, καὶ ἑδραίωμα Veritatis) ſcriptæ, Prophetarum vaticiniis planè concinunt, fidemque illarum ex eventu comprobant: admirabili varietate caſuum refertæ, quos experiri Eccleſiæ contigit: quum à prima illius inſtitutione, neque externi, neque interni, hoſtes ullo unquam tempore ipſi defuerint, qui ad illam perdendam, & vel nomen ipſius, ſi fieri potuiſſet, de memoria hominum delendum, nullam vim, nullum dolum, nullas denique artes ſinerent inexpertas. Sed enim Veritas, φελλὸς ὡς ἀβάπτιστος, omnes adverſarum tempeſtatum fluctus decumanos eluctata, etſi interdum latitans, & minus aliquando in oculos aliud agentium mortalium incurrens; ſemper tamen victrix, ad hæc ſecula duravit; duratura ſine dubio, ad ſeculorum uſque finem, & de omnibus ſuis inimicis pleniſſimum tandem & glorioſiſſimum triumphum reportatura. Porrò ex omni illa prope infinitâ hoſtium copia, qui ſub ſignis merentes Principis hujus mundi, bellum veritati ἄσπονδον atque implacabile indixerunt; haud equidem ſcio, an infeſtiores ei ſint ulli alii, quàm ſunt duo hominum genera, qui diverſis, imò in ſpeciem contrariis, illam modis aggredientes, & curſum ipſius omni conatu impedientes, detrimentum ingens Eccleſiæ perſæpe

1614. attulerunt. Eos intelligo, Rex serenissime, & sapientissime, qui aut opinione sui inflati καινοφωνίας, doctrinasque novas inducere; aut studio capti præpostero defendendæ Antiquitatis non veræ, ipsam Veritatem, quâ nihil antiquius, oppugnare totis viribus sunt conati. Sive Annalium replicare memoriam, Tua Majestas voluerit; sive ad hæc nostra tempora oculos referre; inveniet profectò, non gladios, non equuleos, non flammas, non ungulas, non craticulas, non θηριομαχίας, aliave ulla priscæ crudelitatis instrumenta, Ecclesiæ tantum unquam nocuisse, quantum ei nocuerunt, hinc novarum opinionum auctores, illinc præposteri Antiquitatis ψευδωνύμως defensores. Quæ duo hominum genera, quum videantur inter se opposita, penitùs dissidere, atque adeò affectibus, ut plurimùm, ducantur contrariis; si quis tamen propius rem spectet, in effectu consentire, utrorumque conatibus eodem recidentibus, facilè intelliget. Nam quid est Antiquitas non vera, nisi latens sub larva novitas? aut quæ Vetustas contra Veritatem stare potest; quum sit extra omne dubium, id verius esse, quod prius; id prius, quod à principio? Itaque hæreses non minus arguit novitas, quàm revincit Veritas. Primis statim nascentis Christianismi temporibus, quantus amor novitatis, hominum mentes, velut afflatas quodam pestilenti sidere, & invaserit & insederit; quis pruritus φιλοκαινίας, multorum ingenia titillaverit; quæ licentia sit passim vagata fingendi fabulas ineptissimas, & horrendarum opinionum portenta; quàm multæ denique hæreses ex arvo Ecclesiæ fructificaverint, degeneres veritatis, grano & mendacio sylvestres; testes sunt Simon Magus, Menander, Saturninus, Basilides, Carpocrates, Cerinthus, Ebion, Valentinus, Marcion, Montanus, & similia his alia Satanæ mancipia; quorum stultissima & fœdissima somnia hostes fidei Fidelibus adscribebant, eoque nomine apud imperitos & veritatis ignaros sanctissimum pietatis Christianæ nomen infamabant. Quippe cupiditas novandi hæc secum mala semper trahit; Christi inconsutilem tunicam lacerat; sectas novas parit, & statim multiplicat; perniciocissimum denique ex ea ipsa re scandalum generat; quod Ecclesiæ, etsi immerenti, in opprobrium vertens, paleas levis fidei ex area Christi facit avolare; positos verò extra Ecclesiam in sua perfidia indurat, & ruentes propriâ sponte in ipsum perniciei barathrum, magis magisque impellit: quod primis illis Christianismi seculis usu venisse, & Historia vetus, & pii Patres innumeris suorum scriptorum locis nos docent. Nec minus tamen Ecclesiæ Dei priscis temporibus obfuerunt, paganorum hominum clamores assidui & importuni; religionis suæ, & cærimoniarum, à majoribus acceptarum, Antiquitatem stultè jactantium; doctrinæ verò Evangelicæ novitatem pari stultitiâ objicientium. *Quantò venerabilius ac melius,* dicebat Cœcilius Orator paganus apud Minutium Felicem, *Antistites veritatis majorum excipere disciplinam, religiones traditas colere; Deos, quos à parentibus ante imbutus es, timere, quàm cognôsse familiarius, adorare: nec de Numinibus ferre sententiam, sed prioribus credere?* Simillimè Symmachus scribens ad Valentinianum, Theodosium, & Arcadium, Augustos: *Si longa ætas,* inquit, *auctoritatem religionibus faciat, servanda est tot seculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos. Sera & contumeliosa est emendatio senectutis.* Non est facile dictu, quantum olim piis hominibus fuerit laboris exantlandum, ut hunc errorem, cæcutientium Paganorum animis penitùs insitum, illis eximerent: declarant id satis superque tot Apologiæ, aliaque ipsorum scripta longè doctissima, in eum maximè finem elucubrata, ut demonstrarent, eam religionem, quæ à Deo Opt. Max. esset instituta, alias omnes tempore antevertere; neque ipsam post cæteras natam videri debere; sed ex ea cunctas per pravam æmulationem fuisse derivatas.

Tan-

Tandem igitur, etſi ægrè id quidem, & non niſi poſt aliquot ſecula, vinci neſcia vicit Veritas; falſa Antiquitas veræ conceſſit; Gentium aniles ſuperſtitiones evanuerunt; & per totum orbem terrarum ſalutaris nuntii vox, invito Diabolo, eſt audita. Enimverò antiquus ille humani generis hoſtis, etſi in ſuis miniſtris ſæpe vincitur; ipſe tamen animo non vincitur: neque mentem mutat, ſed propoſiti ſui ſemper tenax, cùm hac non ſucceſſit, aliâ aggreditur viâ: januâ excluſus, per poſticum ſubrepit: tunc maximè Eccleſiæ Dei metuendus, cùm res illi humanæ rident, & blandiuntur ſucceſſus. Non potuerat Satan impedire, quominus cœleſtis Veritas ad omnes Europæ, Aſiæ, Africæ Provincias perveniret: mutatâ igitur conſiliorum ratione, id agere cœpit, ne populi, quos reſpexerat Oriens ex alto, ſementem, quam ipſe Chriſtus ſeminaverat, quantâ par erat diligentiâ, cuſtodirent: deinde nimium ſecuris Paſtoribus Eccleſiarum illudens, bonæ tritici ſementi zizania, ut erat à Domino prædictum, clam per nocturnas inſidias induxit. Quid multa? ira Dei tandem eſt accenſa, & cœlo delapſa Veritas, hoſtibus domitis, à domeſticis ſuis neglecta, alibi penitùs eſt amiſſa, alibi vix laciniâ eſt retenta. Ne de Africæ, aut Aſiæ Eccleſiis dicam, quæ vel extinctæ ſunt dudum, vel quum eſſent quondam florentiſſimæ, nunc ſunt afflictiſſimæ; in noſtra hac Europa quid acciderit, quantopere ſit labefactata ſinceritas veræ religionis, quibus quantiſque novitatibus aſtu Diaboli ſit corrupta, ne illi quidem poſſunt ignorare, qui magno redemptum velint, id ab omnibus ignorari. Uni Deo debitus cultus, creaturis variè & multifariam eſt communicatus. Cærimoniæ, ſub quarum onere jam inde à temporibus B. Auguſtini gemebat Eccleſia, mirum in modum ſunt multiplicatæ; quumque dixerit Dominus, ſe in ſpiritu & veritate fore colendum; quam ob cauſam Apoſtoli & prima ætas res externas ad Dei cultum adhibuerunt pauciſſimas; à contrario ſic ad externa hominum mentes ſunt traductæ, ut in iis plerique mortalium religionis proram & puppim, & ſalutis ſuæ ancoram ponerent. Inde illa ſacrarum reliquiarum ultra legitimum modum veneratio: ipſa quidem etiam prius uſurpata, ſed aliter, alioque fine, & parcius. Inde illa in præſidio Sanctorum poſita fiducia, & tam ſollicita eorum invocatio. Inde ille, quem hodie videmus, cultus imaginum & adoratio: quæ novitas initio cùm induceretur, Orientem & Occidentem inter ſe commiſit, & aliquamdiu etiam colliſit. Inde alii numero infiniti ἐθελοπερισσοθρησκείας, ut vocem Epiphanii uſurpem, & novarum ſuperſtitionum novi ritus. Quarum innovationum tot & tantarum, ne aliquid ſuboleret populis Chriſtianis, inauditâ prius Satanæ fraude, divina Eloquia non ſolùm Laicis, ſed etiam Cleri maximæ parti ſunt adempta; eòque tandem perventum eſt furoris, ut grex Chriſti, Teſtamentum Chriſti, Paſtoris illius ſui boni, neque domi curaret, vel auderet legere, neque publicè lectum alienâ linguâ, poſſet intelligere. Acceſſit tot malis cumulus ingens, dominatio terribilis unius, in Eccleſiam pretioſo ſanguine Chriſti liberatam, ab aliquammultis ſeculis introducta. Sedes enim Romana, quæ prima inter Patriarchales quondam ſatis habebat cenſeri; Domina Eccleſiarum eſſe, atque agnoſci dudum eſt, cùm voluit. Et Romanus Pontifex, poſtquam poteſtatem ſuam in rebus ſpiritualibus ad ultimum faſtigium perduxerat; pertæſus fortunæ ſuæ, quaſi nihil dum egiſſet, ad temporalem dominationem animi mentem convertit. Cui ubi ſemel inhiare cœpit, nunquam ex eo prius conquievit, quàm in illud culmen ſublime terrenæ potentiæ vidit ſe evectum, unde poſteà Imperatores, Reges & Principes, longè infra ſe poſitos, ſuperbè deſpicere, & quoties luberet, aut rebus ipſius expediret, pedibus poſſet conculcare. Has pœnas longè graviſſimas, Eccleſiarum in Europa Principes populique dede-

 runt,

1614. runt, non diligenter vindicatæ Veritatis adversus Satanæ molitiones. Lux Euangelica versa est in tenebras; veræ pietatis aurea simplicitas, in superstitiones, Libycæ arenæ instar, numero carentes; Libertas Christiana in horrendam servitutem: Ecclesiæ jura omnia, cum ipsis Imperatorum ac Regum coronis, unius Monarchæ tiaræ sunt subjecta; qui dandi & auferendi Imperia Regnaque, instituendi & destituendi Mundi Potestates, jus sibi uni & soli vindicat. Sileo nunc alias calamitates omnis generis, & dirissima bella, quibus toties concussa est Europa, dum passim neglecta, & in profundum demersa latet Veritas. Sed ô vim illius admirandam, ô consiliorum Dei abyssum altam! Quo maximè tempore artes cœlesti Veritati contrariæ regnum in Europa obtinebant, cœpit illa vim suam exerere. Post longam siquidem malorum inenarrabilium tolerantiam, post diuturnos gemitus, quos doloris justi magnitudo piis exprimebat; post exspectatam per tot secula reformationem in Capite & membris, toties promissam, nunquam præstitam; reperti sunt ad ultimum, qui patientiam rumperent, & ad Veritatem ex intimo pectore anhelantibus duces se præberent. Nihil jam dico, quales illi viri fuerint, quid spectarint, quid egerint: hoc dicam, quod negari omninò haud potest ex ipso rerum eventu, luce meridianâ clarius constare, divinitùs fuisse illos excitatos, si nihil aliud, certè ad hoc unum efficiendum; ut qui supremum in Ecclesia dominium, & plenitudinem potestatis sibi vindicabant, tandem, si pote, evigilarent; in sese descenderent, deque Religionis Christianæ variis corruptelis, quas longa dies invexerat, & de querimoniis omnium totâ Europâ Principum ac populorum seriò inciperent cogitare. Quod si ea tum mens fuisset Romano Pontifici, ut sui admonitus officii, vinci se pateretur, quà expressis, quà tacitis precibus Imperatoris, Regum, Principum, tot nationum, ipsius adeò Ecclesiæ; neque toties spes illorum esset elusa, qui aliquam saltem tolerabilem ab eo reformationem exigebant, & sibi spondebant; certum est, non fuisse Religionis in nervum, ut evenit, erupturas. Non esset facta hæc, necessaria illa quidem, sed nihilominus lamentabilis Ecclesiarum in Europa, scissura: singulæ nationes privatim sibi consulere, & operi manus admovere, cessante Româ, non fuissent coactæ: instauratæ Religionis primitivæ, & mundatæ domûs Dei, ad alios non esset gloria translata: postremò populi Christiani, quorum hodie alii reformationem adhuc præstolantur; alii se saltem aliquam adeptos lætantur; divisi in sese, & in funestas factiones distracti, integrum jam fermè seculum Imperatoris Turcarum negotium non agerent; neque ad celerem suam ruinam, um æterno nominis Christiani dedecore, Deus omen avertat! suis ipsimet sibi manibus, proh dolor! viam munirent. Nunc quum admonitiones, preces, supplicationesque omnes omnium intolerabili planè supercilio à Romano Pontifice semper sint spretæ; quum in eos, qui vel solum legitimæ reformationis nomen auderent usurpare, flammâ & ferro semper ubique ipso auctore sit sævitum; quid, per Deum immortalem, illi facerent, quos Veritas è densissimis tenebris emergens, ceu novus aliquis Sol, pulchritudine suâ & majestate admirabili ceperat, & ad sui amorem ac desiderium, non aliquibus igniculis, sed flagrantissimâ veræ pietatis flammâ incenderat? Planè vim & efficaciam illius Deæ ignorant, qui admiratores ejus & cultores, inter vivicomburia, & omnes suppliciorum ideas potuisse inveniri, solent mirari. Utinam potius agnoscerent, opus reformationis, quo nullum neque majus, neque nobilius inceptum à multis seculis fuit inchoatum, non sine Numine fuisse susceptum. Unde enim, nisi à Deo, tantus ille zelus tot hominum, tot populorum, quo repentè correpti, posthabitis rebus omnibus humanis, spreto omni metu, cultum divinum miris modis depravatum, ad pristi-

pristinam formam revocare, pro sua quisque virili, sunt conati? Aut non assecuti sunt omni fortasse ex parte auctores Reformationis, quod totâ mente, totâ voluntate optabant. Esto: nam omnia magna opera, quæ per homines Deus fecit, suos progressus admodum aliquando lentos reperiuntur habuisse: verùm illud certè sunt consecuti, sicut illorum unus Cardinali Sadoleto respondens scribebat, *ut à Pontificis Romani tyrannide se vindicarent, & paullò meliorem Ecclesiæ formam apud se constituerent.* Non potest parvum hoc videri, nisi iis, qui ignorant (etsi quis hoc potest ignorare?) quot Reges magni, aut Principes latè dominantes, superioribus seculis crudelissimè atque ignominiosissimè à Papis habiti, posteà imperiis suis dejecti; & ad malorum extrema ex alto suarum dignitatum fastigio detrusi, ac cervices demum suas Papæ subjicere, & calcandas præbere coacti; diem illum videre avidissimè desiderarunt, qui ipsos & populos ipsorum à tam dira servitute liberaret. Frustra: quia nondum è tenebris revocatæ Veritatis lux Europæ affulserat; de qua dixit Dominus, *& cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Scit hoc omnium optimè, Jacobe Rex maxime, propriâ experientiâ edocta Majestas Tua. Sciunt & Tuorum Regnorum omnes ordines, populique universi, immortales Deo æterno gratias & habere & agere obstricti, nisi hominum ingratissimi volunt censeri; quòd divinæ hujus promissionis fidem in sese sint experti, & quotidie experiantur. Tu, quòd pleno jure hodie regnas; quòd non es fidelis, id est, vile mancipium Papæ; quod feudatarius illius non audis, neque precario Regnum obtines, tanquam procurator hæreditatis alienæ; quòd Tibi cum reverendo Tuo Clero convenit, neque aut Tu ab illo Tibi metuis, aut ille à Te sibi; quòd curam instituendorum Pastorum dividis cum tuis Episcopis, & partem Tibi debitam, quæ ad temporalia spectat, intrepidè Tibi vindicas; partem alteram curæ, quæ spiritualia attingit, ipsis relinquis; hæc omnia, quæ verum Te Regem probant, & sine quibus Regis quidem imaginarium nomen obtinere potuisti; rem ipsam & vim nominis non potuisti; hæc, inquam, omnia agnitæ cœlesti Veritati Tua Majestas, pro eo ac debet, fert accepta. Tu regnum Dei quæsivisti: illa & spem ejus Tibi fecit, rationemque certam illius consequendi ostendit: & hoc amplius, ista omnia Tibi adjecit. O amicum Principibus Numen, & omni studio ab illis atque sollicitudine colendum! Ubi nunc illa tempora, cùm è Tuis majoribus, gloriosissimæ memoriæ Regibus, unus superstitione cæcâ ductus, zelum habens, sed non secundùm scientiam, ultrò, nullâ re cogente, Regnum suum Gregorio Tertio, Romano Pontifici, fecit vectigale? aut cùm Rex alter, propter adversa casuum in desperationem adductus, Innocentio Tertio, à quo exagitatus fuerat, cedere jure Regnorum Angliæ & Hiberniæ; & partibus villici Romani Pontificis cogitur esse contentus? O temporum cæcitatem horrendam! O Petri successorem, factis suis Petrum egregiè referentem! Ingemuerunt tanto casui tanti Principis, tam tristi, tam fœdo, non solùm Barones Proceresque illius, & quantum fuit subditorum; sed etiam Regum ac Principum totâ Europâ prudentissimus quisque atque optimus: suntque adeò relatæ in literas ad perpetuam memoriam voces, quas ad tam immanis exempli nuntium, eorum nonnulli ediderunt; testes justissimæ ipsorum indignationis simul & stuporis. Sed ipsius Regis illius infelicis vox extat apud Scriptores illorum temporum; dignissima, quam mente altâ Principes omnes recondant: *Postquam*, ut dixi, *Deo reconciliatus, me ac mea Regna, proh dolor! Romanæ subjeci Ecclesiæ, nulla mihi prospera, sed contraria omnia advenerunt.* Quid dicam de præsenti Cleri Tui & universi populi, si cum illis temporibus hæc comparentur, beatissima conditione? Non jam, ut olim, Episcopi electi trans Alpes currere, & suam 1614.

 confir-

1614. confirmationem vi pecuniæ ingenti à Papa redimere necesse habent. Non amplius pallii jus auri pondere magno est illis emendum. Romam accurrere singulis trienniis, aut quoties liberet Romano Pontifici, hoc est, quoties nummos Anglicanos sitiret, nulla nunc illos cogit necessitas. Non jam illa cura, ut quondam, Angliæ tuæ Episcopos sollicitat, ut beneficia optimæ notæ Italicis hominibus conferant; *in quibus beneficiis* (verba sunt Matthæi Parisiensis) *nec jura, nec pauperum sustentatio, nec hospitalitas, nec divini Verbi prædicatio, nec Ecclesiarum utilis ornatus, nec animarum cura, nec in Ecclesiis divina fiunt obsequia; prout decet, & moris est patriæ; sed in ædificiis suis parietes cum tectis corruunt, & penitùs lacerantur.* Non metuit hoc tempore Dominus Archiepiscopus Cantuariæ, ne Papales Bullæ ad se afferantur, quæ ipsi nuncient, *se suspensum à beneficiorum collatione, donec trecentis Romanis in primis beneficiis vacantibus, fuerit provisum;* sicut accidit anno Domini 1239. Edmundo Archiepiscopo, missis Bullis à Gregorio IX. idque ex pacto, quod inierat Papa cum civibus Romanis, parum illi tunc cupientibus. Controversiæ Ecclesiasticæ in Anglia exortæ, è vetustissimo Canone, cujus etiam B. Cyprianus meminit, in Anglia terminantur. Exactores denarii Petri, item aliarum contributionum; visitatores, procuratores, & firmarii Romani, venditores indulgentiarum pro modo opum; dispensatores votorum, & legitimationis institores, ad suscipiendos ordines; Caursini fœneratores, Romæ degentes, sed qui omnia in Anglia agebant, ferebant, dum Papæ congerebant pecunias Bullarum; delatores ad novas extorsiones; ingeniosi muscipulatores (sic Historia nominat) qualis aliquando Petrus Rubeus fuit, & sæpissimè alii, emungendæ pro Papa pecuniæ artifices solertissimi; & similes his aliæ sexcentæ nocendi artes, inenarrabili erga tuos Anglos, Rex serenissime, beneficio veritatis, nomina hîc sunt jam inaudita, & prorsus, absque superiorum seculorum monumentis, essent hodie incognita. Sed ne Legatus quidem à latere ullus amplius rapinas per Angliam exercet, quod plurimi olim fecerunt; nonnulli tanta cum auri fame, ut de illorum uno, Ottone à Gregorio IX. misso, legatur, ipsum, postquam toto triennio detestandis artibus pecuniam undique corrasisset, tandem cùm discederet, non tantum pecuniæ in toto hoc Regno reliquisse, quantum ipse partim jam miserat Romam, partim abiens auferebat. Et sunt tamen ista præ aliis malis levia, quæ Tuorum Regnorum populi à Curia Romana per aliquot secula continua esse passi, ab illorum temporum consentientibus Historicis narrantur. Verè enim *hortus deliciarum Papis fuit tum Anglia, & puteus inexhaustus*, sicut venustè aliquando Innocentium IV. legimus illam nominasse. Taceo impræsentiarum vera animi bona admissa, Reformationi imputanda, quæ pluris Tua Majestas, pro sua pietate, facit, quàm omnia terrâ universâ Regna. Unius Dei, sine sociis aut collegis, sinceram adorationem: Beatæ Virginis & Sanctorum, sine superstitione, venerationem: pacem conscientiæ apud Deum, per fidem in merita & mortem Christi; non ut cessent Fideles à bonis operibus; apage hanc insaniam; sed ut postquam omnia fecerit aliquis, servum se inutilem agnoscat, neque ex suis meritis sumat unquam fiduciam, oculos in cœlum attollendi: consolationem inenarrabilem ex assidua lectione & jugi meditatione Scripturarum; non ut illas ex proprio sensu Fidelis interpretetur; sed ut iis, quæ habent perspicua (habent autem, si credimus Patribus, omnia ad salutem necessaria) & consentientibus primorum Ecclesiæ Doctorum expositionibus, animum sibi muniat adversus tot falsas opiniones, quæ pro antiquis fidei articulis hodie incautis obtruduntur: Sacrosanctæ Eucharistiæ ex institutione ac jussione Domini, secundùm mille annorum atque amplius continuam in Ecclesia praxim, sub

ſub utraque ſpecie, perceptionem: confirmatum denique animum adverſus illa 1614. quondam terribilia excommunicationum fulmina; quæ ſæpe in innocentes Principes Papæ olim, ex humanis cauſſis potius quàm divinis, quod nemo ignorat, vibrarunt: ut cùm univerſos hujus Regni populos ſub diro (ita credi jubent Papæ, & tunc credebantur) anathemate, integros ſex annos, menſes tres, & dies quatuordecim Innocentius III. olim tenuit: qui, ſi vel unum diem tot innocentes animas eo in ſtatu detinuiſſet, rationem facti à charitate Paſtoris alieniſſimi, Chriſto, Paſtori Paſtorum, nunquam eſſet probaturus: ſiquidem Papalium excommunicationum ea vis eſt, quæ Romæ jactatur. Hujuſcemodi admiranda bona ſunt, tam futuræ vitæ, quàm præſentis, experiendo Majeſtati Tuæ comperta, quæ poterant Principes populique omnes Europæ ſibi polliceri, & Deo cœptis adeò ſanctis aſpirante, conſequi, ſi collapſæ pietatis primævæ inſtaurationem, quam votis communibus tamdiu omnes optaverant, ſæpe etiam popoſcerant, communi item operâ procurare conſenſiſſent. Sed nunquam ita bene cum humano genere eſt actum, ut inoffenſo pede magna & laudabilia incepta procederent. Nimirum inter cætera mortalitatis incommoda, iſtud etiam venit cenſendum, quòd ad præclara, alta, & ſalutaria quæque, rarus aut lentus, etiam inter prudentes, intervenit conſenſus; ad minus honeſta, ne dicam pernicioſa, ultrò & concordes populi accurrunt. Inde eſt, quod Reformationis opus arduum & planè heroïcum multi Principum, ceu negotium, in quo nihil ſibi neque meteretur, neque ſereretur, neglectui habuerunt; plures totis ſe viribus illi oppoſuerunt; pauci quidem inuſitatâ animi magnitudine capeſſerunt. Multos dulce venenum Conſuetudinis, quæ & ipſa inter inimicos Veritatis nomen ſæpe profitetur ſuum, (propterea B. Chryſoſtomo *Tyrannis* nominata) à tam præclara cogitatione avertit. Qui ſi Tertullianum in conſilium adhibuiſſent, aliter profectò ſenſiſſent. Verè enim illi dictum, *Dominus noſter Chriſtus Veritatem ſe, non Conſuetudinem cognominavit.* Sed & S. Bernardus ad Eugenium ſuum rectè & ex vero: *Quid non evertat Conſuetudo? quid non aſſiduitate duretur? quid non uſui cedat? primùm tibi importabile videtur aliquid; proceſſu temporis ſi aſſueſcas, judicabis non adeò grave; paulò pòſt & leve ſenties; paulò pòſt nec ſenties; paulò pòſt etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiam itur, & ex illa in averſionem, id eſt,* ἀποστασίαν. Quòd igitur multorum acquieſcit animus in tot ſuperſtitionibus, & cultu Dei tantopere depravato, vis conſuetudinis hoc facit. Quòd non pauci hodieque Principes Romanæ tyrannidis terribile jugum patienter ferunt; multi ne ſenſum quidem illius habent; id quoque vis conſuetudinis facit. Ita evenit illis fortunâ, quâ nulla deterior, miſeros eſſe, neque ſuam miſeriam ſentire. Multis quoque Principibus & Rebuſpublicis in ea deliberatione fuit fraudi, quòd perſuaſum haberent, Religionis Reformationem ad ſuam curam nihil quicquam pertinere. Non enim cogitabant, id ſibi ab iis conſilii dari, quos non verus zelus domûs Dei, ſed utilitatis ratio ducebat. Quantum enim civilium omnium poteſtatum intereſt, in meliorem formam Eccleſiam Dei reſtitui; tantum Papæ, & omnium, quorum fortunæ à Papa ſunt aptæ & pendent, intereſt, nihil moveri. A Julio Cæſare priſtinæ libertatis reſtitutionem petere aut expectare, poſtquam ille ſemel Rempublicam evertit & occupavit, ſtultum & ridiculum fuiſſet. Rectè quidem illud dicitur, non eſſe Principum aut civilium Magiſtratuum, leges novas de cultu Dei conſcientiis ferre, aut propria Sacerdotum obire munia: ſed utinam conſiderare Principes vellent, aliud eſſe, Sacerdotem agere, ex umbone Scripturas interpretari, Sacramenta adminiſtrare, in nomine Chriſti ligare & ſolvere; aliud, auctoritate ſuâ proſpicere, ut quæ ſunt Sacerdotis, agat Sacerdos,

1614. dos, atque id ritè, ut est à Deo jussus. Has partes in Ecclesia Dei jam inde à principio pii Principes sibi semper vindicarunt. Quorum exemplum Tu hodie, Rex serenissime, piè insequeris ac sapienter: quicquid blaterent non magis Tui quàm ipsius Veritatis hostes conjurati. Nova, infanda, execranda Theologia ista est, quæ docet, curam subditorum pertinere ad Principem, tantùm quatenus homines sunt, non quatenus Christiani. Ejus contrarium Tua Majestas in quodam suorum scriptorum, è Sacris Literis ita doctè & solidè probavit, ut pudorem ea disputatio aliter dictitantibus debuerit incutere. Religionis aut neglectæ, aut restitutæ decus dedecusve, divina Eloquia Regibus non adscriberent, si ad illorum officium ejus rei cura non pertineret: neque Spiritûs Sancti testimonio Rex Joas laudaretur, quòd sacras oblationes in usus non legitimos absumi quum videret, Quæstorem suum Sacerdotibus imposuerit, cui rationes tenerentur illi reddere, qui ordinariam administrationem à Deo acceperant. Constantinus Magnus, Theodosius, Justinianus, & omnes pii Imperatores, negotiis Religionis quàm diligenter se immiscuerint, quis ignorat? Hispanorum Historiæ Regem commemorant Reccaredum Wisigothum, qui miseratione divinâ factus Orthodoxus de Arriano, veram fidem in Regno suo circa annum Domini nostri DLXXXIX. curavit recipiendam. Ipse igitur Synodum cogere, ipse interesse, ipse tridui jejunium Episcopis indicere, ipse confessionem scribere, & firmandam Synodo exhibere. Idem fuit & majorum Tuorum, veterum Angliæ Regum, ante exortum doctrinæ Hildebrandinæ, constans & perpetuum indicium. Adgarum Regem, qui circa annum Christi CMLIX. habenas regni suscepit, celebrant Historiæ Anglicanæ, non solùm ut Principem pium, sed etiam de conservanda pietate sollicitum. Is Rex, in oratione quadam ad Ecclesiarum & Monasteriorum Patres, hæc verba inter cætera habuit: *Sed & meæ sollicitudinis est, Ecclesiarum ministris, gregibus Monachorum, choris Virginum, & necessaria procurare, & paci eorum & quieti consulere, de quorum omnium moribus spectat ad nos examen*, ut referunt Albertus Riewalensis, in Epistola *ad illustrem Normannorum Ducem, postmodò Regem*; & Guilielmus Rishanger in Chronico: nam Parsonius Jesuita, cùm (da veniam obiter hoc notanti,) *nos* mutavit in *vos*, magna ea perfidia fuit, & conscelerati in suos Principes odii certum argumentum: *nos* enim habent omnes antiquæ membranæ, quas probitate & doctrinâ vir insignis, Robertus Cotton, mihi nuper ostendit. Extat etiam Synodus Provincialis, Regis ejusdem jussu coacta, quam Dunstanus, celeberrimæ tunc famæ Episcopus, describens; Adgarum in prooemio dilaudat, *ut regali officio ea in re functum, veluti Pastorum Pastorem.* Sed ex omnibus machinis, quas inimicus ille humani generis ad impediendam Religionis Christianæ instaurationem admovit, atque etiamnum admovet, duæ illæ sunt præcipuæ & hodie efficacissimæ, quas olim ad convellendam Christianismi institutionem fuisse admotas, paullò antè dicebamus; amor videlicet novarum opinionum, & præpostera falsæ Antiquitatis adversus veram defensio. Ad primos tumultus propter Ecclesiæ Reformationem excitatos, examina scelestissimorum Hæreticorum repentè emersisse, qui piorum quietem sollicitarent, & eorum existimationem apud τοὺς ἔξωθεν macularent, ultrò confitemur & dolemus. Sed qui eo nomine Auctores veræ Reformationis, aut Ecclesias ab illis institutas, quarum extant Confessiones, in unius corporis harmoniam redactæ, invidiam vocant; ii parum Christiano animo (ne dicam aliquid gravius) artes veterum Paganorum imitantur, & ipsorum calumnias adversus doctrinam Christi non sine offensione Dei maxima, revocant ex Orco. Quin potius cogitant, dispositiones divinas, & decreta constare semper sibi, æterno fixa clavo. Placuit semel

ſemel æternæ providentiæ, peculiarem ſibi populum hoc genere tentationum 1614.
exercere. Si naſcens Eccleſia, & deinceps omnium ſeculorum, huic ærumnæ fuit obnoxia, cur hodierna, è ſuperiorum temporum tenebris exurgens, & veluti renaſcens, poſtularet ab eadem conditione ſe eſſe immunem? quo jure? quo privilegio? Tunc aliquid dicerent adverſarii Proteſtantium, ſi ex eorum corpore nemo extitiſſet, qui ſectas nuper exortas vel in Germania, vel in Polonia, vel ubivis locorum, ſeriò confutaret. Nunc quum in novos hæreticos nemo acrius, memoriâ noſtrâ involarit, quàm ſit factum à viris noſtrarum partium primariis; quæ, obſecro, hæc iniquitas eſt, Reformationi ex iis ſectis invidiam commovere, quas ut radicitùs extirparent, & auctores & aſſertores Reformationis tantum graviſſimorum laborum ſuſtinuerunt? Memini, Rex θεοσεβέστατε, quum ante biennium parvus quidam liber horrendarum hæreſεων plenus, ab hæreticis neſcio quibus Polonis Racoviæ eſſet editus, & quidem auguſto nomini Tuo inſcriptus; poſteaquam in Tuas manus is libellus devenit, & Tua Majeſtas pauca in eo inſpexit; quanta cum deteſtatione & ſcriptum Satanicum, & ejus Auctores, certiſſimam Satanæ progeniem, ſis execratus; ſeverè in illos animadverſurus, ſi Tui juris & poteſtatis fuiſſent. Arrianum in ſua perfidia obſtinatiſſimum, qui in vinculis diu detentus, revocari ad ſanam mentem nullâ ratione potuerat, flammis ultricibus Tua Majeſtas, impatiens injuriæ factæ Domino noſtro Jeſu Chriſto, Deo ἀκτίστῳ, juſſit tradi. Novis opinionibus in vicinis regionibus ſuper natura Dei nuper exortis, quo ſtudio, quâ inſtantiâ Tua Majeſtas ſeſe oppoſuerit, teſtis eſt univerſa jam Europa. Nec dum tamen ſcio, quæ eſt iniquitas hominum, an poterit impetrari à Catholicis Romanis, ut Eccleſiam Tuorum Regnorum, & alias, quæ cum ea idem ſentiunt, in eandem criminationem non involvant, cum peſſimis quibuſque memoriæ noſtræ hæreticis, Anabaptiſtis, Libertinis, Swenchfeldianis, Valentinianis, Arrianis novis, Semi-Arrianis, Tritheïtis, & Socinianis. Sed quicquid vel hæretici moliantur, vel hoſtes Reformationis calumnientur; nunquam tamen neque hi, neque illi efficient, ut Fides Catholica & Orthodoxa, quam ſectantur Proteſtantes, (quantum quidem ipſis è Dei verbo cognitum eſt,) apud Deum τὸν καρδιογνώστην, cum perditiſſimorum hominum deliriis, in eadem ſint cauſſa. Quod ſi præter ſcandalum tot ſectarum, ne inter præcipuos quidem Reformationis duces, per omnia potuit convenire, cur adeò miremur? homines utique erant; via, quam inſiſtebant, & in qua verum cupidè quærebant, anguſta: ſolet autem iter anguſtum rixas tranſeuntium concitare: quum illa diffuſa & patens via, elogio Scripturarum damnata, ne populos quidem collidat. Quid? nonne in ſeculorum omnium Hiſtoria Eccleſiaſtica ſimile poteſt obſervari? nonne Baſilius Magnus & Gregorius Nazianzenus, ut alios taceam, ejuſmodi querelis & Epiſtolas, & alia ſua ſcripta complêrunt? Et tamen adhuc illis temporibus ſtabat ſuum jus, & in Eccleſia ſumma auctoritas Conciliis univerſalibus; quæ etſi cogi ſemper non poterant, ſemper tamen fas fuit piis hominibus, ſpe ſaltem conſolari ſeſe ejus remedii, quod ſolum ad componendas controverſias & hæreſes auctoritate Eccleſiæ debellandas, cùm Scripturæ docuerunt, tùm priſci Patres agnoverunt atque uſurparunt. Nunc verò, quàm mutata eſt, bone Deus! ratio temporum? Dominus & Monarcha Eccleſiæ eſſe creditur ſolus Papa; errare in fide ſolus non poſſe; ſupra omnes mundi poteſtates, & ipſa univerſalia Concilia ſolus eminere. Quò igitur hodie Concilia, niſi ad inanem ſpeciem? Solus ergo imputet ſibi Papa, quòd medendi Eccleſiæ malis, aut veteribus, aut recentibus, quæ illam mirè deformant, diſtrahunt & lacerant; neque ratio, neque ſpes ulla in terris hodie piis hominibus ſit relicta. Sed enim præſcriptum eſt videlicet jamdudum adver-

1614 sus omnes Novatorum Reformationes; neque aliud jam restat, nisi ut Antiquitas contra Novitatem vindicetur. Ita enim hodie Pontificiæ Monarchiæ, & Religionis ab aliquot seculis depravatæ acerrimi patroni dictitant: qui à se dissident, turbulentos esse Novatores, teterrimos hæreticos. Sunto sanè hæretici, si Novatores: omnis enim hæresis novatio est circa fidem. Sed quâ fronte hæc criminatio in Reformationis Auctores, aut assertores hodie confertur? qui à centum ferè jam annis hoc unum clamant; Reddite populis Christianis primam fidem; reddite primitivæ Ecclesiæ ritus; desinite nuper inventa, aut certè post semel traditam fidei regulam, pro credendis necessariò, & quidem sub anathemate, gregibus magni Pastoris obtrudere, & VINCITE. Qui in Reformatione instituenda hanc sibi legem dixerunt, ne ulla in re scientes prudentes à vera Antiquitate aberrarent; hoc est, ne extra Scripturas, quibus nihil habet Ecclesia Dei antiquius, fidei regulam quærerent. Qui totis ingenii viribus eò collimarunt, ut fides, quam instaurabant, illa ipsa esset fides, cujus Auctor solus Christus, Apostoli præcones, vetus Ecclesia propagatrix, prisci illius Doctores defensores. Ea est fides, ad quam Paulus Corinthios revocabat, ut labefactatam inter illos doctrinam de sacra Eucharistia in integrum restitueret: *Ego*, inquit, *accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Ea est fides, ad quam idem Apostolus etiam Galatas revocabat, tantâ contentione affirmans, aliud nullum esse Euangelium, nisi illud, quod ipse eis prædicaverat: nihil dubitans Spiritu Dei plenus, etiam de cœlo venientibus Angelis anathema dicere, si aliquid aliud doctrinæ fidei adjicerent, παρ' ὃ παρελάβετε, præter illa, quæ ab ipso Galatæ acceperant. Ea est fides, ad quam alter Apostolus S. Judas omnes omnium Ecclesiarum Fideles revocabat; cùm, pullulantibus inter ipsos jam tum hæresibus, hortatur pios ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ πίστει τοῖς ἁγίοις· *ut fortiter decertent pro fide:* quâ autem fide? *ea, quæ semel tradita fuit sanctis.* O divina verba, numero illa quidem paucissima, sed sensu uberrima? quæ vel si sola essent in Scripturis rectè expensa, hodiernas de fide controversias tollere, & Ecclesiis pacem reddere, si mens plerisque mortalium non esset læva, sint idonea. Volumus scire, quæ sit vera fides? Ea est, Auctore Judâ Apostolo, QUÆ SEMEL FUIT TRADITA. Volumus fidei regulam tenere, *quæ*, ut olim dicebat Tertullianus, *una omnino est, sola immobilis & irreformabilis?* Sequamur Judam, & illo docente discamus, illam demum esse veram regulam fidei, QUÆ SEMEL FUIT TRADITA. Volumus hodie scire, quum tot jactentur fides, Pontificis Romani, Lutheri, Calvini, & cujus non? quæ sit omnium certissima, quam defendere, sit veram Antiquitatem defendere; quam oppugnare, sit meram Novitatem inducere? Confugiamus ad sacram ancoram, & discamus à Juda Apostolo, illam demum esse veram fidei Antiquitatem, QUÆ SEMEL FUIT TRADITA. Hoc & Tertullianus volebat; cùm in libro de Velandis Virginibus scribebat: *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegia regionum:* de ea enim veritate sentiebat, quam Judas appellat *Fidem traditam* SEMEL; de qua etiam magnus ille Scriptor in libro de Præscriptionibus dicebat, *Principalitas* (ea est vera Antiquitas) *veritati, posteritas mendacitati deputanda: id enim esse Dominicum, & verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum:* rectissimèque idem docet, parabolam Christi seminantis & Diaboli, posteà sterilis fœni adulterium superinducentis, doctrinarum distinctionem figurasse, id est, veram Antiquitatem asservisse adversus posteriores quasque hæreses. Hoc & Beatus Martyr Cyprianus volebat, cùm in Epistola ad Cæcilium, errantes in Religione, *ad radicem atque originem*

nem traditionis Dominicæ, omnibus novellis & humanis traditionibus valere 1614.
jussis, jubebat reverti. Hoc denique & Patres illi volebant, qui *de rebus fidei aliundè suadere neminem posse* ajunt, *nisi ex literis fidei,* ut loquitur Tertullianus: qui οὐδὲ τὸ τυχὸν, *ne minimum quidem,* quod ad fidem pertineat, aliundè peti debere nisi è Scripturis, præcisè definiunt, ut Cyrillus, Ierosolymorum Episcopus, in IV. Catechesi: qui fidei eversionem esse confirmant, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων, *aut prætermittere, & quasi irritum facere aliquid, quod sit scriptum; aut aliquid non scriptum inducere,* ut Basilius Magnus, in libello de Fide. Et verissimè ille quidem: nam, ut est apud Magistrum Cypriani in Præscriptionibus, *Nobis nihil ex nostro arbitrio* INDUCERE *licet; sed nec eligere, quod aliquis de suo arbitrio elegerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod* INDUCERENT, *elegerunt; sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt.* Et B. Chrysostomus aliique Græci Patres subinde admonent, Nihil hodie, post semel à Christo traditam fidei regulam, posse quemquam παρεισφέρειν, *novi aliquid inducere sine peccato;* nam ea est verbi Græci vis, quo & Chrysostomus & alii Patres in eam rem utuntur. Idcircò & Gregorius Nazianzenus, in Athanasii Epicedio, orthodoxam fidem ἔγγραφον εὐσέβειαν nominabat, *pietatem Scripturis comprehensam;* hæresin verò Arrianam, ἄγραφον καινοτομίαν, *novitatem extra Scripturas inductam:* & è tribus Vincentii Lirinensis regulis, quæ jam in ore sunt omnibus, prima est, *Quod fuit principio.* Hæc, & similia his sexcenta, quæ in Scripturis & Patrum monumentis in eam sententiam passim leguntur, si diligenter apud se, uti par erat, expenderent inimici Reformationis, quam ejus auctoribus Novitatem objiciunt, eam in sinu suo reperirent; essentque omnino iidem excitatis à Deo viris in commune bonum æquiores; facilèque intelligerent, non posse eos sine insigni calumnia damnari ut Novatores, quibus, etiamsi non semper ex destinato proposita fluxissent, animum tamen fuisse constat, fidem illam semel traditam, & posteà humanarum inventionum mole penè obrutam, in lucem revocare; & verè, quod isti hodie jactitant, nec præstant, primævam Antiquitatem, contra posteriorum seculorum Novitatem vindicare. Quid? audebuntne instauratæ hoc seculo Veritatis inimici dicere, doctrinam de adempto populis calice extra casum necessitatis, de accidentibus sine substantia, de concomitantia, de communione sine communicantibus; de sacrificio Christi, non per commemorationem & repræsentationem ejus, quod semel est peractum in cruce; sed verè & realiter, omnibus sacrificii proprietatibus servatis; de cultu imaginum hodierno; de picturis Trinitatis, vel potius τετράδος, postquam in picturas Trinitatis admissa Beata est Virgo; de indulgentiis, & similibus quisquiliis ad extrahendas animas è Purgatorio; de absoluta necessitate servandi sigilli Confessionis, si vel fides ipsa Christiana, vel totus mundus in periculum adduceretur, ut affirmat Jesuïta Henricus Henriquez: hæc, inquam, omnia, & similia his doctrinæ Romanæ capita innumera, audebuntne dicere, esse illam Judæ Apostoli, *semel traditam fidem?* Nam Papæ quidem Monarchiam, potestatem Imperatores & Reges instituendi deponendique, & tam de coronis illorum pedibus ludendi, (quod Cœlestinus olim fecit, referente & laudante etiam Baronio) quàm de capitibus statuendi, nullum est dubium, quin dicturi sint tantæ Novitatis defensores, eam esse illam ipsam Judæ Apostoli, *semel traditam fidem.* Dicturi sanè; sed quomodo probaturi? Enimverò digna res est, quam pii omnes veris lachrymis defleant, extare hodie eruditos homines, qui posteaquam semel in animum induxerunt, omnes posteriorum seculorum Novitates, imò etiam novis-

1614. sima quæque inventa defendere, in eas angustias coguntur, ut clarissima Scripturarum verba torquere in alienissimos sensus non vereantur. Non metus Dei, non analogia fidei, non consentientes veterum Patrum expositiones, non aliquis suæ existimationis respectus, quam apud Deum & homines veri amantes miris modis traducunt & maculant, ab hoc proposito potest eos avertere. Igitur quum multa à paucis retrò seculis Papæ sibi vindicent jura penitùs nova; omnium defensio in paucissimis Scripturæ verbis, sed maximè in illo unico, PASCE, interpretandi subtilitate reperiuntur esse fundata. Monarchæ ergo & Reges in Ecclesia esse volunt, & sunt hodie Papæ. Quare? quia dixit Petro Christus: *Simon Bar-Jona, Pasce oves meas*, id est, Baronio interprete, *supremum in Ecclesia dominium tibi assere;* Bellarmino autem, *regio more impera:* ceu vellet hic Cardinalis ex professo contradicere voci Christi apud Evangelistas; *Reges Gentium dominantur earum; vos autem non sic.* Quanquam ne hisce quidem adeò perspicuis verbis suus defuit tortor, qui ex illis argumentum pro dominatione Papæ absoluta in Orbem terrarum vi magnâ torquendo exprimeret: sic enim illa Gaspar Scioppius in Ecclesiastico suo exposuit, capite 47. *Lex Christi*, inquit ille, *potestatem, quâ Reges Gentium dominantur, penitùs tollit, & inter Christianos exerceri prohibet, Matth.* 20. neque dubitat homo furiosus, illam infinitam in Principes tyrannidem Papæ, hoc Scripturarum loco & similibus fulcire. Sed redeo ad verbum PASCE. Mirantur verè pii, Papam hoc sibi vindicare, ut sit summus Judex in controversiis fidei, quæ fuerunt olim partes Conciliorum ex Dei verbo; sed hoc jus Papæ asserit Bellarminus è vocula *Pasce.* Mirantur tribui Papæ ἀναμαρτησίαν, & quòd ne possit quidem in fide errare: sed hoc probat Bellarminus eo argumento, quia dixit Christus Petro, *Pasce oves meas.* Mirantur tribui Romano Pontifici jus per tot secula inauditum, ferendi leges in Ecclesia, quæ conscientias Fidelium obligent; imò etiam, ut quibusdam placet, fidei articulos novos: sed hoc quoque Bellarmino eodem argumento facilè probatur. Mirantur quicunque sunt Scripturarum aut Patrum lectioni innutriti, illum thesaurum superfluentium meritorum Christi, & Sanctorum, quem pro libitu dispensat Papa. Sed desinant mirari, & accipiant auctoritatem è Scripturis; quia dixit Christus Petro, *Pasce:* nam ita docet Bellarminus in libris de Indulgentiis. Mirantur & indignantur quicunque perduelles suorum Principum, Unctorum Dei, non sunt, audere Papam dicere, corruptum à suis adulatoribus, licere sibi, Imperia transferre, subditos sacramento fidelitatis absolvere, denique Reges facere non Reges: sed hoc jus Pontificum eliciunt Bellarminus & alii è vocabulo *Pasce.* Nec desunt, qui ex eodem illo verbo colligant, Romanum Pontificem jus habere coërcendi etiam pœnis temporalibus, etiam mortis, Principes sibi immorigeros, ut Becanus Jesuita, adversus quem justa nuper ira Sorbonæ exarserat; & alius item Jesuita Suarius; homo, in aliis literis non sine laude versatus; in Ecclesiasticis verò Antiquitatibus planè infans; in Euangelica doctrina ne infans quidem; cujus librum adversus Tuam, Rex serenissime, Monitoriam scriptum, vidimus nuper, propter Satanicas hæreses, quibus scatet, & in legitimos Principes plus quàm Diabolicam audaciam, in ignem publicè conjectum. Nec tamen pudet prodigiosarum Novitatum reum, neque Christi, sed Hildebrandi discipulum, eam, quæ in Tuis Regnis obtinet, fidei formulam, ut parum antiquam, exagitare; Tuamque adeò Majestatem, cujus scripta omnia in summa pietate maximam primævæ Antiquitatis reverentiam spirant, in ea Epistola, quâ omnes Europæ Principes adversus illam concitat, quod Novatoribus aurem præbeat, petulanter excusare. Scilicet Jesuita Suarius, & similes

similes ei novarum hæreſewn patroni, de Pauli exemplis, quæ modò commemorabamus, aut de Judæ præcepto, *decertate fortiter pro ſemel tradita fide*, aliquando apud ſe diligenter cogitarunt. Enimverò, Rex doctiſſime, & Deo chariſſime, parum eſt, quod hodierni partium illarum diſputatores, qui Novitatum Novatorumque omnium profiteri odium videri volunt, de vera Antiquitate in lucem & uſum Eccleſiæ revocanda, nihil quicquam cogitant; præ eo ſtudio, quo ferri illos cernimus, ipſam rerum antiquarum memoriam, & primitivæ Eccleſiæ auream, quà in fide, quà in ritibus ſimplicitatem, tenebris opprimendi, & oblivione ſempiternâ obruendi. Nam quum ipſorum Theologia, novorum Dogmatum plena, atque Inſtitutorum in priſca Eccleſia inauditorum, præſidio veteris Hiſtoriæ eſſet deſtituta; initio Reformationis facilè erat, vel unico illo argumento, *Non ita fuit à principio*, cujus uſum Chriſtus ipſe ſuos docuit, etiam ab obſtinatiſſimis Eccleſiæ Romanæ defenſoribus, plurimarum depravationum ingenuam exprimere confeſſionem. Non enim poterant, vel audebant, id negare eſſe verius & melius, quod probaretur antiquius. Prima ex omnibus Europæ nationibus, Germania poſt literarum παλιγγενεσίαν, & ad inquiſitionem Veritatis vexillum auſa proponere; & ad veram Eccleſiæ Antiquitatem è tenebris eruendam, exemplo ſuo præire. Notæ ſunt Tuæ Majeſtati, quæ dicuntur Centuriæ Magdeburgicæ, à viris quibuſdam doctis in eum maximè finem contextæ, ut quæ fuerit Eccleſiæ fides per ſingula ſecula, quæ diſciplinæ forma exterior, quæ mutationes illi acciderint, ob oculos hominibus ponerent. Etſi autem in partibus operis illius luculentiſſimi deſiderari poſſunt non pauca, vel propter τὴν ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς, ſemper inimicam Veritati, ut jam olim querebatur Baſilius; vel quia unus è primariis illius incepti auctoribus, magnæ potius, quàm bonæ apud viros pios fuit famæ; ſummam tamen inſtituti laudabilem, & Eccleſiæ noſtris temporibus apprimè fuiſſe utilem, nemo, alienarum vigiliarum judex æquus, negaverit. At non ita judicarunt Romanæ Monarchiæ hodierni patroni; qui probè intelligentes, quantum ſuæ cauſſæ detrimentum notitia accurata veræ Antiquitatis, è priorum ſeculorum caligine emergentis, eſſet allatura; id ex eo ceperunt curare, idque adeò etiamnum ſtudio omni curant, & mirâ diligentiâ ſatagunt, ut Novitatibus, quas tuentur, ab hiſtoricis monumentis apud poſteros parata ſit defenſio. Ac quoniam nulla ejuſmodi Hiſtoria primorum temporum extabat, quæ ipſorum ſcopo admodum faveret; rerum Eccleſiæ memoriam retexere, & novam illi faciem dare inſtituerunt, ſuâque induſtriâ efficere, ut quæ in vetuſtis Hiſtoriis ipſi optabant invenire, neque inveniebant, id in novis, & à ſe retextis, poſteritas ſit repertura. Quo in propoſito, quum multorum ex illis partibus doctorum hominum induſtria deſudaverit; unus tamen Cæſar Baronius, magnis ſuis laboribus poſteà Cardinalatum meritus, omnium priorum luminibus facilè obſtruxit; vir ejus eruditionis, tantæ diligentiæ, itaque neceſſariis pleriſque præſidiis ad opus, quod parabat, inſtructus; ut mirum videri non debeat, tantam ipſi ſuas in eo genere lucubrationes apud omnes Nationes nominis celebritatem peperiſſe. Narrat ipſe, juvenem ſe à Philippo Nerio, Congregationis Oratorii fundatore, poſteaquam Magdeburgenſium Centuriæ Romam erant allatæ, fuiſſe deſignatum, cujus humeris componendæ Hiſtoriæ, adverſus illas Centurias comparatæ, provincia imponeretur. Annos igitur, non decem, quo ſpatio temporis elephantorum partus eduntur; ſed ter decem, ei ſtudio, ſub Nerii ductu operam navaſſe, priuſquam aliquid ederet. Orbem univerſæ Hiſtoriæ, à primordiis Eccleſiæ ad noſtra tempora, in Congregationi illi conſuetis exercitationibus ſepties repetiiſſe, & abſolviſſe, dum ad ſuſceptum opus ſeſe accingit. Quo diligentiæ novo exemplo,

1614

1614. in contexenda Ecclesiæ Historia universali, & iis omnibus, quæ per totum Orbem Christianum gesta sunt memoriâ digna, in unius narrationis seriem & formam Annalium degerendis, ea perfecit, de quibus ante ipsum perpauci cogitaverant, nemo simile quid unquam ediderat. Eò magis dolendum, virum sui seculi facilè primarium, in opere tam nobili, communi hodie multorum vitio, partium studio, ita licenter indulsisse; ut cujus πολυαναγνωσίαν, πολυμάθειαν, atque industriam, neque mirari, neque prædicare satis possumus, ejus fidem innumeris in locis vel inviti cogamur desiderare. Bonus cum primis Auctor Polybius, in officio Historiographi describendo, dicebat: Illum, qui ad scribendam Historiam se accingit, si quidem ad veram laudem iter affectet, omnium privatarum charitatum, atque adeò patriæ suæ oblivisci debere, ut ab affectibus liber, uni possit litare Veritati. Hoc saluberrimum & necessarium præceptum quia prorsus contempsit Baronius, oblitus planè in scribendo, se personam induisse Conditoris Annalium, non patroni ejus causæ, quam probabat; evenit ex ea re, ut Historia, quæ inter Paganos audiebat *Testis Veritatis*, inter Christianos facta sit Testis atque instrumentum falsitatis. Nam quod res arguit manifestissimè, Cæsar Baronius quando ad scribendum animum appulit, non id sibi negotii credidit dari, ut faciem Veteris Ecclesiæ, qualem inveniebat, quà in Scripturis, quà in Patrum & Historiarum antiquissimis monumentis, & qualis verè fuit, penicillo suo simpliciter exprimeret; sed potius, ut talem ei fingeret σοφίᾳ quâdam κακοσυνθέτῳ, ut est apud Epiphanium, & perpetuis, in primo præsertim Tomo, anachronismis, qualem Romanæ Ecclesiæ susceptum patrocinium postulabat. Omnes hodiernæ de negotio Religionis controversiæ ad duo hæc capita, nisi fallor, commodè possunt revocari; doctrinam de dogmate, ritibusve, & de Romani Pontificis potestate ac Monarchia. In utroque horum capitum eam rationem tenuit Baronius, ut omissâ quæstione de voluntate Domini, & vera Antiquitate, omnia sine exceptione defenderet, quæ hodie, & à paucis seculis, Romæ sciebat probari: in quo etsi subtilem artem interdum adhibet, quam nos appellamus κρύψιν Baronianam, plerumque tamen animi sui mentem ita palam præ se fert, ut puerum esse, vel cæcum oporteat, qui Annales hos legat, & consilium Auctoris non intelligat. De Transsubstantiatione, concomitantia, genere sacrificii Christianorum, vera ejus natura atque usu, calice laicis adempto, Scripturis populo ablatis metu hæreseos, lingua in sacris non intellecta, Traditionum etiam recentium auctoritate, invocatione Sanctorum, imaginum adoratione, (sic Baronius millies appellat, in nono præsertim Tomo,) cultu reliquiarum, Purgatorii credendi necessitate, indulgentiis, denique de tota ratione & modo legitimi cultûs divini celebrandi, & superstitionibus infinitis in eum admissis, integrum ferè jam seculum inter Pontificios & Protestantes acerrimum est certamen: his, negantibus ullam earum rerum primis Ecclesiæ seculis fuisse notitiam; & illum ex ore ipso Christi manantem gladium assiduè rotantibus, A PRINCIPIO NON ITA FUIT; illis, ad tot Novitatum defensionem, nescio quas ratiunculas in contrarium afferentibus. Sed Baronius rationem invenit, quæ à manibus Protestantium telum illud in quæstionibus de fide ignitum excuteret, omnia sequiorum seculorum inventa colore imbuens venerandæ Antiquitatis. Nam & in reliquis Tomis crebram harum observationum mentionem injicit; & quia non ignorabat, veram Antiquitatem Institutorum Ecclesiasticorum ab ipso Ecclesiæ principio debere originem habere; jam in primo, qui vitam Domini in terris, & jacta Ecclesiæ fundamenta prima continet, nihil planè istorum est ab eo prætermissum. Romani verò Pontificis Monarchiam, & illud infinitum imperium, ita assiduè omnibus ingenii viribus,

bus, ἀκαίρως ἀκαίρως, propugnat, ut optimo jure aliquando Petrus Pithœus, 1614.
Galliarum singulare lumen, dum viveret, ubi primos Tomos inspexisset, dixerit; *non Annales Ecclesiastici, sed de potestate Papæ*, verum nomen istis Baronii lucubrationibus futurum. Qui vir optimus, si postremos Tomos vidisset, quid dicturus fuit? Novæ enim illius & horrendæ, ac Principibus Papam agnoscentibus funestæ doctrinæ, quæ sacris illorum cervicibus Dominum imponit, absolutæ potestatis Monarcham; quæ vitæ & necis ipsorum dat illi potestatem; quæ subditos fidelitate ex jure divino & humano debitâ absolvit, & quoties lubet Pontifici, adversus Unctos Dei armat, nullus temerè animosior patronus Baronio, ne inter juris quidem Canonici Interpretes, vænalitia Paparum mancipia, potest reperiri. Pontificum, ut quisque in Imperatores aut Reges impotentissimè & ferocissimè sæviit; ita plurimùm à Baronio laudatur: & quia Hildebrandus inter primos hujus hæreseos auctor, assertor, & propagator fuit; iccircò perfectissimi Papæ ideam huic Nerii discipulo videtur absolvisse, & miris elogiis prædicatur. Hic est Gregorius Septimus, qui Monarchiam Papalem in suis scriptis tam accuratè defendit: qui elementa totius illius Satanicæ doctrinæ brevibus quasi aphorismis est complexus, qui in ejus Epistolis leguntur, & *Dictatus Papæ* nominantur: qui praxin ejusdem furiosæ doctrinæ dum exercet furiosè, cœlum terræ miscuit, & cædibus horrendis Germaniam atque Italiam complevit. Ille Pontifex à Gulielmo, Rege Angliæ, quem Conquæstorem vocant, pecuniam & fidelitatem cùm exegisset; Princeps generosissimus de pecunia facilè annuit, de fidelitate planè abnuit. Hoc non magis Hildebrando olim displicuit, quàm Baronio, illam historiam describenti: persuaso nempe ex illius Pontificis Dictatibus, *Unum esse in terris nomen, videlicet Papæ.* Quemlibet Episcoporum Regem esse, & in Regno cujusvis Regis plus ipso posse debere, cognitionibus illius intercedere, sententias de plano posse facere irritas, sæpissimè in singulis ferè Tomis pronunciat. Principes, qui res Ecclesiasticas attingunt, ubique maledictis incessit; ausus etiam Reges veteres Francorum eam ob caussam comparare *latronibus in sylvis*, anno Domini DCCCLV. Principum fideles Consiliarios, qui jura suorum Regum adversus Curiam Romanam defendunt, locis innumeris teterrimæ damnat hæreseos; neque aliud occurrit frequentius in posterioribus Tomis, quàm hæreseos Politicorum dirissima detestatio. Magistratus civiles omnes & Præsides Provinciarum Episcopis ita reddit obnoxios, ut ab illorum nutibus velit ipsos pendere; alioquin è tribunalibus suis statim detrahendos ab ipsis Episcopis; sicut ait factum in Andronico ab Episcopo Synesio; lapsus in ea historia, justo Dei judicio, plusquàm pueriliter, ex imperitia Græcæ linguæ, ut sæpè alibi: Henrico Quarto, augustæ memoriæ Principi, triumphatori omnium suorum hostium; sed de quo, ô seculi infamiam! Hildebrandina doctrina triumphavit; Tomum nonum dedicans, exigere à tanto Principe non erubuit; non ut *comiter* Papæ *Majestatem coleret*, quæ fuit formula, quam olim exigebant Romani à sibi subditis Rebuspublicis & Principibus; ac ne *obsequium* quidem tantummodò, vocem his moribus fortasse tolerabilem; sed ut *humili quoque servitio Christi Vicarios coleret:* quasi non essetis vos quoque Reges, in Regnis vestris Dei Vicarii; quorum majestatem imminuere, crimen esse apud Deum, per quem solum vos regnatis, longè maximum, ante exortam hanc novam doctrinam, nemo unquam dubitaverat. Nulla inter Papas & ullum Principum superioribus seculis rixa intervenit, quæ non ita describatur in Annalibus, ut ex ipsa narratione Lector, qui narrantis fidem sequetur, non sit collecturus, omnium criminum & scelerum, quæ in hominem cadunt, maximum esse, Papæ cæcam obedientiam non præstare. Neque autem re-

 fert,

1614. fert, qualis sit Papa: nam quum ipsa rei veritas etiam illos, qui Pontificem Romanum ceu terrenum Jovem colunt, & Deum etiam nominant, (ita sæpè inter cæteros appellat Pius Bononiensis, Orator superioris seculi non obscurus, in orationibus Romæ habitis, Bononiæ editis;) coëgerit fateri; sedisse in illa Sede aliquando Papas quinquaginta, serie continuâ, per spatium annorum centum & quinquaginta sibi succedentes, non Apostolicos, sed Apostaticos, inquit Genebrardus, Protestantium hostis furiosissimus, in Chronico, seculi decimi initio: si quis tamen Imperator, aux Rex, aut Synodus legitima, ausa fuit, vel pessimo illorum obstrepere, ut factum est Joanni XII. *monstro nullâ virtute redempto;* statim ejus consilii auctores, ut perditorum perditissimi lacerantur in his Annalibus. Quid plura? Omnia Europæ Regna, omnes Insulæ, (tuæ cum primis Anglia & Hibernia) si fidem habemus Baronii Historiis, sunt Romani Pontificis: quod non dixit quidem ille primus, scio; sed in monumentis pessimorum seculorum inventum studiosè adnotavit, & interdum, extra oleas evagans, confirmavit: ut cum in anno Domini MXCVII. tantâ contentione & instantiâ Regnum Siciliæ à Rege Catholico repetit; certo indicio, Papas, ni vires deessent, vi & armis reposcituros, quæ Baronius verbis tam enixè reposcit. Cujus Annales eò periculosius in manibus juventutis & rudium veritatis Lectorum versantur, quò majore arte scopum suum, in primis præsertim Tomis, dissimulat. Nam Bellarminus, Becanus, Suarius, & id genus disputatores, nudo, quod ajunt, capite, veram Antiquitatem Religionis, & jura Principum invadentes, atque oppugnantes, minus videntur metuendi, ut qui aperto Marte rem gerant, & vel ipsis titulis librorum suorum, Principum sese hostes profiteantur. A Baronio verò, scriptionem Annalium promittente, quis sibi metuat? aut quis vidit Historiographum argumentosum? Atqui multæ ab eo narrationes ita artificiosè concinnantur, ut ad novum aliquod dogma hodie controversum, animis legentium insinuandum, plus Baronii narrationes, quàm Bellarmini argumentationes sint valituræ. Papam esse supra Concilium, novitium est inventum Doctorum ex Hildebrandina schola; pro quo Bellarminus, & alii pugnant argutiis, quæ apud mediocriter imbutos doctrinâ Euangelicâ non multùm ponderis sint habituræ. Baronii verò Annales cui non hoc persuadent? In anno Christi trigesimo tertio, referens hic Cæsar historiam, quæ narratur Matthæo, capite XVI. sic illam concinnat, ut qui Papæ mentionem nullam faciat, hoc tamen illius stratagemate afferat vaferrimo. Fingit Concilium habitum esse à Christo & Apostolis, in quo vult datum esse exemplum Conciliorum deinceps habendorum; idque etiam alibi repetit. In hoc igitur Concilio, cui interest & præest Christus ipse, solus Petrus articulos de fide condit, & quid sit credendum, *solus clavum figit*, ait Baronius; & addit de aliis, *ut nihil fermè jam esset opus, consulere cæteros tunc Apostolos.* Quis igitur ex hac Historia, (figmentum veriùs dixerim) non statim colligat, Papam, Petri in omnia jura successorem, habere solum potestatem condendi articulos fidei, & de Conciliis omnibus statuendi ut volet? quod alibi tot locis palam defendit Baronius. En tibi, Rex sapientissime, quanto astu in his Annalibus, Historia etiam Evangelica ad rationes Paparum inflectatur. Sic cùm in anno XXXIV. Petrus magnâ contentione demonstratur, fuisse Apostolorum Princeps; non quomodo Patres illam vocem Petro attribuerunt, coryphæum ejus sacri chori, & ordine primum fuisse ipsum significantes; sed dominator & Monarcha; cùm etiam affirmatur, illum regio more imperantem, Paulo & cæteris Apostolis præcepisse, ceu dominum subditis suis, quam partem Ecclesiæ vellet quemque ipsorum curare; facilè intel-

ligit

ligit Tua Majeſtas, quam vim hæc narratio apud vulgus imperitum, imò 1614.
etiam apud omnes Principes, qui de veritate Hiſtoriæ parum fuerint ſolliciti, ſit habitura, ut jugum tyrannidis Romanæ minus deinceps graventur. Transſubſtantiationis hodiernum dogma, prorſus Veteribus ignotum, ut defendant Bellarminus & alii tractatores Controverſiarum, omnem movent lapidem: nemo tamen illorum negat, nomen ſaltem recens eſſe inventum. Baronius verò hiſtoriam inſtitutæ Cœnæ Domini commemorans, in anno XXXIV. inter prima verba prolixæ diſputationis de eo argumento, Tranſſubſtantiationem nobis oggerit; repertam ſibi, credo, in aliquo Euangeliſta, quem nobis Trans-Alpinis, quibus non patet Vaticana, nondum videre contigit. At quàm longè alio ſpiritu ducebantur Baſilius, Gregorius Nazianzenus, & alii veteres Patres; qui voces ΤΡΙΆΣ & ὉΜΟΟΎΣΙΟΣ, etſi clariſſimis Scripturarum teſtimoniis contentas, & ſacri Concilii Nicæni auctoritate firmatas, uſurpare vix audebant; ***parcentes***, inquit Baſilius, ***uti nominibus, quæ non extant in Scripturis totidem literis.*** Sed hæc olim fuere: nunc alii ſunt mores ejus, quæ ſe jactat ſolam eſſe Eccleſiam Catholicam, ſolam Eccleſiam. Scripturas Sacras à Laicis non eſſe attingendas, apertè quidem non docet Baronius; manifeſtè tamen illam doctrinam inſinuat in illo ipſo anno. Imperatorem, Reges, & Principes habere jus vocandi Concilii in ſuis ditionibus, ſemper Eccleſia vetus credidit: & eo jure tàm Auguſti Romanorum, quàm Reges Francorum, & omnes Principes Chriſtiani, nemine repugnante, conſtanter ſunt uſi, priuſquàm periret de rebus pudor. Baronius, ut cucurbitis perſuadeat, jam inde à Concilio Nicæno Jæſolum Papam id jus habuiſſe, quas adhibet machinas, modò tectas, modò apertas? quarum ut hæ ſunt inverecundiores, ita illæ periculoſiores: Lectori enim incauto, & ad cognoſcendam Antiquitatem ſimpliciter intento obrepunt, & velut ex inſidiis Veritati latus confodiunt. Sed deficiat me dies, & ego patientiâ tuâ, Optime & Clementiſſime Principum, nimis impudenter abutar, ſi omnes rationes explicare hoc loco aggrediar, quibus vera Antiquitas, ſtudio defendendæ modicæ Vetuſtatis, in his Annalibus diſſimulatur, obſcuratur, & quantum fieri poteſt, aut obruitur, aut hodiernæ doctrinæ ſubtiliter accommodatur. Quanquam, ſi æquis ponderibus rem volumus æſtimare, non tam profectò Conditori Annalium, quàm ipſi Pontifici, & Romanæ Curiæ, culpa depravatæ Hiſtoriæ venit adſcribenda. Nam Baronius quid ageret? Fateretur irrepſiſſe in Eccleſiam Romanam, tractu longi temporis, multas corruptelas, & quæ fuerunt à Domino prædicta, infelicia lolia? Atqui per Romani Pontificis ἀναμαρτησίαν, & nunquam errandi in fide privilegium, hoc illi Romæ integrum non erat, ubi non δουλεύειν τῇ ὑποθέσει, grande fuiſſet nefas, & Inquiſitioni obnoxium. Fateretur, Monarchiam Papæ recens eſſe inventum, cujus neque rem, neque nomen meliora Eccleſiæ ſecula noverunt? Atqui hoc illi non permittebat Romanæ Sedis Theologia; quæ tota ad hunc ἔρωτα δυσέρωτα dominationis, quà ſpiritualis, quà terrenæ, jampridem eſt comparata. Referret ſuas lucubrationes ad concordiam inter Principes & populos Chriſtianos ineundam, Eccleſiæ veram Antiquitatem, tàm his, quàm illis partibus, ſine fuco, & fallaciis imitandam proponens? Scilicet hoc Papa ferret, qui Barbarum Turcam in interiora jam Europæ admiſſum, vaſtantem omnia ferro atque incendiis, & deletis Eccleſiis, plebes integras in captivitatem abducentem, ſiccis oculis videre poteſt; ut Principibus, & gregibus Dominicis inter ſe diviſis, ad pacis conſilia ducem ſe præbeat, & de eo jure, quod iniquiſſimè uſurpat, nonnihil remittat, inducere in animum non poteſt! Quod igitur Ariſtidi apud Athenienſes olim legimus uſuveniſſe; qui in rerum ſuarum adminiſtratione juſtiſſimus ſemper habitus, unde illi Juſti cognomen;

1614. in gerenda tamen publica re, multa contra jus & æquum designavit: πρὸς τὴν ὑπόθεσιν τῆς πατρίδος, sicut solitus fuit ipse dicere, ὡς συχνῆς ἀδικίας δεομένην: *quod rationibus patriæ sese accommodaret, quæ multâ justitiâ opus haberet:* id ipsum Cardinali Baronio videtur Romæ accidisse; qui probitate, justitiâ, & studio veritatis, ut accepimus, in privata vita non mediocrem adeptus laudem; in scribendis Annalibus, dum cupidè nimis caussæ sui Pontificis inservit, discedere à se coactus, superiorum virtutum ne umbram quidem retinuisse, plurimis locis deprehenditur. Sed veniam tandem ad me, & cujus maximè rei gratia hic sermo est institutus, breviter expediam. Ego, Rex serenissime, cùm ante plures annos Baronii percurrens Annales, consilium illius, quale hactenus exposui, animadvertissem; & in Historia Ecclesiastica gravissimas passim hallucinationes deprehendissem: optare ingenti cupiditate cœpi, ut veritati pessimè interdum à discipulo Nerii acceptæ, seculo hoc tam erudito ne deesset patrocinium; sed potius, ut è numero prope infinito doctorum hominum, quos nostra hæc ætas in omnibus Europæ regionibus tulit, aliquis existeret, gloriæ Dei zelo succensus, qui veram Antiquitatem adversus Novitates Baronianas generoso animo susciperet defendendam. Movebat me cum primis illa quoque ratio, apud animum quidem meum momenti longè maximi; quòd concordiæ desiderio, bonorum omnium cordibus, sive harum, sive illarum partium, altè impresso, scopum istum Baronianum intelligebam vehementissimè adversari. Quamdiu enim Principes populique Christiani sibi sinent persuaderi, studium primævæ pietatis instaurandæ, meram esse Novationem; defensionem verò inventionum humanarum & recentiorum, ipsissimam esse Religionis à Christo traditæ Antiquitatem; indubitatum est, & omni certo certius haberi debet, (errant gravissimè qui aliter judicant, & nescio quæ media consilia sectantur, quæ nulla sunt) ineundæ concordiæ, nullam amplius, neque rationem, neque spem in terris omnino superesse. Quò magis optabam, reperiri aliquem immunem, quantum fieri posset, ab illo insano partium studio, cui indulgent hodie tam multi, qui ad legendum cum fructu opus Baronianum juventuti, & minus cautis Lectoribus viam muniret. Atque in hac dudum mihi suscepta sententia mirificè posteà sum confirmatus, quando viros doctrinâ, probitate, & pietate excellentes, idem planè mecum sentire, idem optare, cognovi. Ne longum faciam, quia cessabant meliores, ventum est ad me: & quam ego operam ab aliis expectabam, eadem cœpta est à me exigi: neque id Gallorum duntaxat meorum quotidiano prope convitio, dum eram in patria; sed etiam præstantissimorum Theologorum, aliorumque hortatibus, qui ea super re ex Anglia Tua, Germania, ipsa etiam Italia, literas ad me dederunt creberrimas. Etsi autem incepti tam ardui magnitudo, virium mearum tenuitas, & necessariorum præsidiorum carentia, ad hæc, occupata opera in aliis literis pro mea virili excolendis, justæ mihi caussæ fuerunt, cur morem gerere amicis recusarem; tantum tamen cohortationes frequentes bonorum apud me valuerunt, ut qui induci non poteram, quamdiu fui in Gallis, ut operi manum admoverem; inductus sim tamen, ut de Historia Ecclesiastica illustranda dies noctesque cogitarem. Inter hæc rebus humanis Henricus Magnus est exemptus, & unius parricidæ scelere æternùm detestando, nutantibus Galliarum fatis, omnium Gallorum fortunæ in periculum præsentissimum sunt adductæ: mihi quidem tam inopinatus, tamque immanis casus, tantum rerum præsentium, ipsiusque adeò vitæ fastidium attulit, ut qui nullam sine literis vitalem vitam hactenus credideram, libris tunc temporis renuntiarem. Tenebat me annos jam plurimos incredibile quoddam desiderium, florentissimum hoc Regnum Tuum invisendi, Ecclesiæque Anglicanæ,

quam

quam ex fama & libris tacitus dudum venerabar, formam cognoſcendi; multò autem magis dexteram tuam, Princeps, Principum decus, contingendi, & illas tot tantaſque virtutes, ſapientiamque altam, propius inſpiciendi, quas in Tua Majeſtate Orientis hodie atque Occidentis populi, ſtupore defixi, admirantur. 1614. Cujus voti ad exitum ducendi facultas quum ſemper mihi antè defuiſſet, occaſionem rerum in Galliis, inquietarum magis, quàm turbatarum, duxi arripiendam, ut priuſquam redirem cùm Muſis in gratiam, huc excurrerem. Non eſt hîc commemorandi locus, quantum aut beatus Tuorum populorum ſtatus, aut Eccleſiæ Tuæ præſens felicitas, aut denique Tuæ Majeſtatis inexplicabilis humanitas, & illa inuſitata virtutis abſolutæ ſpecies, me ceperint: certè, cùm Rex Chriſtianiſſimus, & Regina Mater, Princeps ſapientiſſima, feciſſent mihi poteſtatem commorandi in Tua aula, & Majeſtati Tuæ inſerviendi, quamdiu id ipſe non nolle videreris; non invitus, & patriæ charitatis, & conſuetudinis amicorum, quos habeo Lutetiæ, & in aliis Galliæ partibus, neque obſcuros, neque paucos, ad tempus ſum oblitus. Hîc primùm, Rex ſereniſſime, beneficio Tuo immortali, fruſtrà mihi per tot annos optatam occaſionem ſimul, & facultatem adipiſci contigit, res veteris Eccleſiæ, omiſſis aliis curis omnibus, pro ingenii viribus, & copia eruditionis, ſi qua illa in nobis, illuſtrandi, quæque dudum in eo literarum genere eram commentatus, in lucem proferendi; atque eâdem operâ Baronianos Annales ad Veritatis amuſſim examinandi, & veram Antiquitatem contra Novitatem aſſerendi. Quo in opere, ſanè arduo, & virium, fateor, non iſtarum, an hoc aſſecutus ſim Dei ope, ſtudio & vigiliis meis, ut Eccleſiæ aliquid meæ lucubrationes ſint profuturæ, meum non eſt dicere: Tuum eſt, Rex piiſſime, idemque doctiſſime, judicare & ſtatuere. Mihi hoc unum bona conſcientia profiteri licet, ſummam voti mei in hac ſcriptione verſantis, hanc fuiſſe; ut Judæ Apoſtoli præcepto obtemperans, pro fide ſemel tradita decertarem, & falsò creditæ Antiquitati larvam detraherem. Quod ſi vitam Dominus JESUS dederit, cæteros quidem Tomos ſtrictim percurrere fert animus; primùm verò, ut in quo legitimæ victoriæ certa ſpes eſt poſita, Religio mihi fuit, non quantâ maximâ poteram diligentiâ examinare. Nam ſi probatum ſemel fuerit, initio naſcentis Eccleſiæ omnia illa fuiſſe incognita, quæ hodie fidei articulis inſeruntur, ac propterea in controverſiam vocantur, conclamata eſt cauſſa Pontificia; cui penitùs evertendæ, vel illa ſola Filii Dei verba, NON SIC FUIT A' PRINCIPIO, aut Judæ illud unicum SEMEL, abundè ſint ſuffectura. Accipe igitur, Rex ſereniſſime, quod ſupplex offero Majeſtati Tuæ, multis nominibus Tuum opus; quod rudi cogitatione in Galliis informatum, in Regno Tuo, Tuis præſidiis, Tuis auſpiciis inchoatum, & aliqua ſaltem ex parte ad umbilicum perductum, in clientelam tuam, ſi pateris, geſtit recipi; ut auguſtiſſimo nomini Tuo honorique inſcriptum & conſecratum, meæ in aula Tua moræ diuturnioris, animique mei non ingrati, apud præſens & ventura ſecula extet monumentum. Tuum eſt, Rex ſapientiſſime, propriè Tuum, de noſtris cum Baronio diſputationibus cognoſcere, & ſententiam ferre; qui literarum diſciplinarumque omni genere ſupra hominum fidem quum ſis excultus, orbemque adeò ſcientiarum mente illâ Tuâ igneâ complexus teneas; præcipuè tamen pietatis primævæ ſtudio Te eſſe accenſum, non ſolùm dictis factiſque, ſed etiam ſcriptis doctiſſimis comprobaſti. Tuum eſt, propriè Tuum, ſi quis pro fide ſemel tradita decertet, Majeſtatis Tuæ umbrâ illum protegere; FIDEI enim DEFENSOR audis; quem glorioſum titulum illi potiſſimùm ex omnibus inimicis Tuis Tibi invident, qui in proximorum ſeculorum Novitatibus acquieſcentes, ad primitivæ Eccleſiæ tempora,

1614. pora, quæ est demum vera Antiquitas, neque ipsi volunt, neque alios patiuntur oculos attollere. Bellarminus enim, Becanus, Suarius, & ille infamis parricidarum patronus, Andreas Cretensis, Jesuïta, totusque adeò ille grex Scriptorum infrunitorum, qui ad impugnationem Epistolæ Tuæ Monitoriæ omnibus ingenii viribus tantoperè incubuerunt; quo alio genere armorum, nisi Antiquitatis ψευδωνύμου vanâ specie instructi, in certamen descenderunt? Tuum est, propriè Tuum, pro veteris Ecclesiæ disciplina pugnantes regii clypei, quem pro sinceræ pietatis defensione gestas, umbone propugnare: qui Ecclesiam habeas in Tuis Regnis, partim jam olim ita institutam, partim magnis Tuis laboribus ita instauratam, ut ad florentis quondam Ecclesiæ formam nulla hodie propius accedat, quàm Tua, inter vel excessu, vel defectu peccantes mediam viam secuta. Quâ moderatione hoc primum assecuta est Ecclesia Anglicana, ut illi ipsi, qui suam ei felicitatem invident, sæpe tamen ex aliarum comparatione, illam cogantur laudare: deinde, ut etiam in remotissimis terris positæ Ecclesiæ communione jungi cum Tua, vehementissimè cupiant. Quod nuper magni beneficii loco vidimus enixè petiisse unum è Patriarchis Orientis, cujus literas, itemque unius Episcoporum Asiæ, ad illustrissimum Præsulem, Dominum Cantuariensem, prudentissimè scriptas, & antiquam pietatem redolentes, magna cum voluptate ante paucos dies legebamus. Postremò, Tuum est, bellorum Domini fortissime Imperator, (nam cujus potius?) doctrinæ Hildebrandinæ fundamenta evertentes, quod hoc libro strenuè factum est, & caussam Principum, pio animo, contra Novatorum genus pessimum agentes, in numeros Tuos referri jubere: qui unus hodie Regum ac Principum, caussæ Regiæ patrocinio suscepto, & de hæreseos illius defensoribus nobilissimo parto triumpho, cæteris Tui ordinis Principibus exemplum dedisti, quid facere illos oporteret, si dignitatem suam, si subditorum suorum utilitatem, si communem salutem sibi curæ esse apud Deum & homines, vellent facere testatum. Oro, venerorque Deum Patrem, per Jesum Christum, illum unicum mundi Salvatorem, & omnis bonæ donationis auctores, ut Te, Rex serenissime, unicum hodie rei Christianæ columen, quàm diutissimè lex humanæ naturæ feret, servet incolumem; Tuam Majestatem suo Spiritu verè ἡγεμονικῷ, regat, dirigat; inclytam sobolem Tuam, & nunc, & semper in posterum, omni maximarum benedictionum suarum genere quàm largissimè cumulatam, Regnorum Tuorum sceptra piè, pacatè, beatè, quod Tu nunc facis, olim moderantem, recenti semper laude præstet florentem. Amen, Amen.

Serenissimæ Tuæ Majestatis

humillimus & submississimæ devotionis servus,

ISAACUS CASAUBONUS.

PROLE-

PROLEGOMENA
praefixa
EXERCITATIONIBUS
IN
BARONII ANNALES,

in quibus de Baronianis Annalibus candide & φιλαλήθως disputatur.

Lectori Christiano, & φιλαρχαίῳ, salutem in Domino.

QUUM *Sacræ Theologiæ ea sit dignitas, vel potius majestas, candide & pietatis antiquæ studiose Lector, ut reliquæ omnes scientiæ necesse habeant ipsi ancillari; non omnes tamen disciplinæ eodem modo, vel pari gradu, illi inserviunt: sed earum nonnullæ sunt interioris, ut sic dicam, admissionis, arctiore quodam vinculo Reginæ illi & Dominæ suæ conjunctæ. Quo in numero censeri debere Historiam, præsertim Ecclesiasticam, satis superque vel illud arguit, quòd à primis Ecclesiæ Christianæ temporibus, quale per singulas ætates Theologia, tale etiam Historia fatum semper est experta: simul floruerunt, simul jacuerunt; incrementum, aut decrementum simul acceperunt.* 1614.

Tribus primis seculis, quæ Ecclesiæ infantia, & tempus innocentiæ possunt appellari, Christiani homines in praxi veræ pietatis, magis quàm ipsius scientiæ theoria, fuerunt occupati. Hinc fidei hostium persecutiones, illinc Sanctorum zelus & stupenda constantia, magis quàm exculta insigniter scientia Theologiæ, tempora illa nobilitarunt. Idem planè de Historiæ studiis dicamus licet; Tatianus enim, Theophilus, Clemens Alexandrinus, Julius Africanus, & si qui alii ad genus hoc eruditionis animum applicuerunt, ii de Historia Ecclesiastica magis videntur cœpisse cogitare, quàm ad eam Spartam ornandam seriò se accinxisse. Historia illorum temporum, Acta Martyrum erant; quæ non sunt Historia Ecclesiæ, sed pars duntaxat illius.

Tempore Constantini Magni, mutatâ orbis Romani facie, Ecclesia, quæ fugere & latere, ut plurimùm, aut omnes malorum ideas perpeti hactenus fuerat coacta, in libertatem vindicata, rebus omnibus florere subitò est visa. Ut jure merito hoc seculum cum duobus sequentibus, ἀκμὴ τῆς ἐκκλησίας, flos ipse Ecclesiæ, & ætas illius aurea queat nuncupari. Hæc illa sunt beata secula, quæ Athanasios, Hilarios, Basilios, Gregorios, Ambrosios, Hieronymos, Chrysostomos, Augustinos, Cyrillos, & similia lumina tulerunt; à quibus quantoperè scientia Theologiæ fuerit illustrata, dicere nihil attinet. Hic fuit fructus illius pacis & felicitatis, quam sub Imperatoribus Christianis Ecclesia Dei est consecuta. Quum igitur Theologica studia ubique tunc florerent; Historia quoque Ecclesiastica, hactenus planè ignorata, cœpit efflorescere, tanquam fructus alter pacis sub piis Augustis longè uberrimus. Primus, imperante Constantino, Eusebius Cæsariensis, sui seculi sine controversia vir eruditissimus, ad scribendam Ecclesiæ Catholicæ Historiam καθολικὴν & universalem, animum appulit: primus certè, quod affirmat ipse libri primi initio, manum operi admovit; & orsus à nativitate Domini, rerum

1614. *gestarum seriem ad sua usque tempora singulari diligentiâ pertexuit. Eusebii exemplum posteà secuti sunt, qui hodièque extant, quique ab Euagrio soli nominantur, Sozomenus, Theodoritus, Socrates; & post hos, ipse Euagrius, cujus Historia in anno desinit Imperatoris Mauritii decimo, Domini sexcentesimo, tribus demptis, vel paullò plus.*

Post seculum sextum quàm sit paullatim unà cum temporum conditione immutata prior forma Theologiæ, nemò potest veteris memoriæ peritus ignorare. Magni viri, quales priora secula viderant, aut nullis aut admodum rari apparent. Scripturæ minus diligenter tractantur, minus simpliciter exponuntur. Res externæ, miracula, imagines, Reliquiæ, Sanctorum cultus, ac tandem unius Papæ dominatio & Monarchia, prioris religionis institutis succedunt. Igitur qualis fuit istorum temporum Theologia, talis & Historia. Nam & in historicis monumentis miracula, ut plurimùm, utramque paginam conficiebant, vel à Sanctis, vel ab imaginibus, vel à reliquiis edita: atque ut supremum Ecclesiæ Monarcham Theologi agnoscebant; ita multi Historiam scribere professi, Romani Pontificis successiones, Antipaparum schismata, aut novas artes à Papis excogitatas firmandæ potentiæ suæ, literis mandare; id verò erat Historiam scribere Ecclesiasticam. Soleo dubitare, debeamne illa secula καιροὺς τερατολογίας, *an* ἀγνοίας *nominare: fuit sanè illorum temporum & imperitia meliorum literarum magna, & miraculorum benigna copia; verorum sine dubio multorum, sed & falsorum nihilo pauciorum.*

Secuta est tandem, Dei immortalis nunquam tacendo beneficio, literarum παλιγγενεσία, *quam ratio temporum excepit adeò varia, adeòque è contrariis mixta, ut non facilè scias, gratulari superiori seculo & huic nostro jure meliore queas, an vicem dolere. Postquam è densissimis tenebris lux literarum emerserat; omnes artes, omnes scientiæ & disciplinæ, ipsa imprimis Sacra Theologia, brevi tempore ita sunt excultæ, ornatæ, auctæ, ut eo nomine florentissimo cuique priorum seculorum, quod proximè est elapsum, videatur posse anteponi. Sed hanc felicitatem infelicitas nihilo minor, ex dissensione in caussa Religionis, est comitata. Qua ex re natæ sunt inter populos Europæ discordiæ implacabiles, odia plus quàm Vatiniana, bella dirissima, & nullum non malorum genus. Inde illa nomina prius nunquam hoc sensu audita, Pontificiorum & Protestantium. Inde studia partium, non solùm in vita hominum, sed etiam in scriptis palam dominantia. Inde unius & ejusdem Religionis Christianæ duplex & multùm diversa Theologia: in maximi quidem momenti capitibus doctrinæ, arcano providentiæ divinæ beneficio, ut plurimùm, consentiens; in aliis dissidens, & in mutuam perniciem conjurata.*

Quod de Theologia hodierna diximus, de Historia Ecclesiastica dictum puta: nam & hodie non minus quàm olim utriusque idem est fatum. Ergo etiam in Historiam studia partium penetrarunt; & Veritas, quam homines pagani, solius naturæ ducti instinctu, pronunciarunt, unicam esse legem Historiæ; victa studiis partium, aut si ita mavis, rationibus utilitatis, in rerum antiquarum narrationibus, pro affectibus narrantis, aut expressa, aut suppressa, aut aliquo mangonio corrupta reperitur. Quare cùm hodiernis de religione controversiis quæstio de Antiquitate interveniat, videas alios, quibus nihil est antiquum, nisi quod ipsi pro suo arbitrio prius judicaverint orthodoxum: alios contrà, omnia velle esse antiqua, quæ ipsis placent, vel si ante pauca secula, vel si heri aut nudius tertius fuerint inventa. Quod si hic morbus ἐπιδήμιος *plebeia tantùm & vilia ingenia occupasset, minus id esset dolendum; nunc quum viri primarii, & excellente doctrinâ prædi-*

diti

diti eodem animi morbo deprehendantur laborare, quis Ecclesiæ vicem non 1614.
doleat? Nam si in quæstione, de eo, quod antiquum est, aut recens, quæ facti, ut sic dicam, quæstio est, & τὸ ὅτι, *convenire inter doctos non potest; magna scilicet spes restat, in quæstione* τοῦ διότι, *aut de mente Scripturarum posse inter eos convenire!*

Ne alios nunc commemorem, nostrâ memoriâ in Historiæ Ecclesiasticæ collectione, aut illustratione versatos, quos fama obscura recondit; *quis nescit, Cardinalem Baronium operam in eo genere literarum adeò insignem posuisse, ut omnibus suâ diligentiâ palmam præripuerit? Hic enim est, qui primus omnium, totius Orbis Christiani res gestas, præsertim autem quæ ad Ecclesiam pertinebant, in continuam seriem annorum sic digessit, ut si unius urbis Fastos concinnaret: qui nescio unde ex abdito, tam multa planè prius ignota, primus prompsit in lucem: qui antiquorum Episcoporum in magnis urbibus successiones; veterum hæreseωn originem, progressum & finem; tempora Ecclesiæ, sive tranquilla, sive turbulenta, tam accuratâ diligentiâ explicuit; qui denique merita sua in Ecclesiam si immoderato partium studio non corrupisset, dignus erat sine controversia, cui omnes, & veteres & recentiores, qui illam eruditionis partem unquam attigerunt, assurgerent, & fasces submitterent. Sed vir eruditissimus quando ad scriptionem se accingebat, de approbanda fide sua ex æquo omnibus, sicuti par erat fidelem Historicum, adeò nihil cogitavit; ut contrà id summo studio videatur egisse, ne qui in negotio Religionis alia sequebantur castra, ullum usquam æquitatis vestigium in suis scriptis reperirent. Adeò in defensione illarum partium, quas probabat, totus est ubique. Historiam professus, non solum Theologum, sed etiam persæpe disputatorem è schola agit. Locos communes, à narratione historica digrediens, sæpissimè contexit; præsertim in primo Tomo. Protestantes passim nullo discrimine, convitiis, maledictis & infandis calumniis incessit. Jura Principum, quæ à paucis seculis obtentu Religionis imminui cœperunt, ita cupidè, quoties datur occasio, contrahit, arrodit, evertit, ut natum in Regno, noscere nequeas; educatum, altum & auctum Romæ, facilè agnoscas. Denique ita se gessit Baronius totis duodecim suorum Annalium Tomis, ut qui dubitari nollet, præcipuum sibi scopum fuisse, Papalem Monarchiam stabilire, amplificare, & ad cœlum usque evehere.*

Sed fallor fortasse judicii, & quam in aliis moderationem desidero, ipse non præsto. Sanè cùm non ita pridem in Epistola ad Frontonem Ducæum de hoc Baronii scopo aliquid parcè & modestè dixissem; repertus est Romæ infamis quidam parricidarum patronus, novum è Creta prodigium, Andreas Jesuïta, qui negaret rem ita habere, ut dixeram: idque eo maximè argumento confirmaret, quòd è tam vasta mole Annalium ne unum quidem locum afferre potuissem, unde fidem dictis facerem. Equidem nebulonis infamis calumnias tanti non penderem, ut ullam ipsius rationem habendam arbitrarer; nisi esset certissimum, è tot Lectoribus horum Annalium oppidò paucos esse, ac fortasse paucissimos, qui justum illorum pretium nôrint, quive satis intelligant, quid in iis laudandum, quid excusandum, quid ne excusandum quidem. Atqui certissimum illud est; quemadmodum sumuntur à conversantibus mores, & quædam in contactos corporis vitia transiliunt; ita Lectorum animos, ex iis quæ legunt, voluntatem & judicium formare.

Eam ob caussam nos, quibus in hoc opere suscipiendo propositum fuit, (sicut in Epistola ad Regem serenissimum pluribus exposuimus,) Lectori, minus

 nus

1614. *nus in his literis exercitato, viam munire; quò certiores fructus ex horum Annalium lectione possit percipere: priusquam ad rem aggredimur, faciendum duximus, ut nostrum de hoc ingenti opere judicium, candidè quidem & liberè; sed absque livore, aut alienæ gloriæ obtrectatione, paullò accuratius exponeremus. Enimverò, pie Lector, cùm tota hominum vita inter errores volutetur, ut scire hominum, ut Sapientes olim pronuntiarunt, nihil sit; cur adeò mirum tibi videatur, in opere tam arduo, tam vario, tam longo, multa inveniri notâ culpæ digna? Non hominis, sed humanæ naturæ vitium est, errare, falli ac decipi: doctorum autem errores modestè indicare, non est injuriam illis facere; sed Deo suam gloriam asserere, qui solus* ἀναμάρτητος· *& de humano genere præclarè mereri; occasionem errandi, secuturis alioqui malè præeuntes, amovendo. Equidem ad hanc disquisitionem, etsi atrocibus maledictis scelestissimi nebulonis è Creta provocatus, eam animi æquitatem adhibebo, ut suspicionem invidiæ, vel malignitatis &* κακοηθείας *non sim reformidaturus.*

Ut ad rem accedamus; profitetur Baronius in fronte primi Tomi, fuisse sibi propositum, quando opus hoc instituit, non solùm res gestas Ecclesiæ stylo condere, vel etiam Imperatorum, Regum, ac Principum, quæ essent cum Ecclesiasticis conjunctæ; sed hoc amplus, temporis rationem, quantum fieri posset, exactam inire; quæcunque in Historiæ explicatione obscura, & interpretationis luce indigentia occurrerent, illa omnia elucidare; Monarchiam Ecclesiæ visibilem, semper in Ecclesia conspicuam demonstrare, & Religionis Christianæ in eadem fide propagationem. Vides incepti magnitudinem, varietatem, & difficultatem. Nam ad Historiographi partes implendas, vel primum caput erat suffecturum; secundum pertinet ad Chronographum, cujus munere fungitur Baronius non rarò; tertium Philologi, aut Critici operam desiderat, non Historiographi; quartum caput & quintum, uti quidem in his Annalibus tractantur, ad partes spectant Theologi. Ut igitur legitimum operis hujus pretium intelligamus, id videndum est, quàm bene unus homo Baronius tot personas, quas ipse sibi imposuit, in opere suo gesserit: Historiographi officium (inde enim ordiemur) in his tribus ferè est positum, diligentiâ, judicio, fide. Nam & diligentiâ in colligenda scribendorum materie, opus est non vulgari; & judicio non minore, ut videas, quibus credas; fides autem in eo spectatur, ut in narratione historiæ, nudam veritatem exponas, sive illa tibi probentur, quæ gesta sunt, sive improbentur. Fingere enim, quæ cupias facta, & pro rebus gestis ea narrare, poëticæ licentiæ optimè convenit, ab historicis expositionibus est alienissimum.

Quod igitur ad diligentiam attinet; ea verò in Baronio tanta fuit, ut vix desiderari major queat. Retulit ille in suos Annales, non solùm quæcunque à prioribus omnibus Historiographis, sive Græcis, sive Latinis, erant commemorata; sed etiam quæcunque apud Patres, aut alios cujuscunque generis Scriptores sparsim leguntur ad res Ecclesiæ pertinentia. Neque fuit ei satis, Auctores vulgò notos & publicatos in consilium adhibere; sed celebriorum plerarumque Bibliothecarum forulos vel ipse, vel per amicos est scrutatus, ut ad plenam rerum Ecclesiasticarum cognitionem nihil, quoad ejus fieri poterat, prætermitteret. Hoc ut magnâ dignum laude, ita illud jure non laudes, quòd rerum copiæ intentus, delectum sæpe nullum habuit veri aut falsi, pertinere ad suum officium ratus, ut in Annales falsa interdum non minus quàm vera comportaret. Multa ergo passim commemorat è libris Apocryphis, aut fabulosis Scriptoribus, quæ non dubitabat esse falsa; eo tantùm fine, ne quid à quoquam dictum fictumve prætermitteret. Exempla

pla adeò passim obvia, ut illa adnotare non sit opus. In anno verò Domini 1614.
LII. *numero* 2. *narraturus de iis, quæ Paulus Athenis gessit, meram adfert ex Hilduino fabulam: excusatione hac suum factum tuetur:* Quæ quidem licet non in omnibus nobis probentur, tamen ne quid subtraxisse ab avidis legentium animis videamur, hîc eadem voluimus descripsisse: quum alioqui sic comparati simus, ut velimus pauca potius, sed solida, certâque fide constantia, persequi; quàm multa congerere, quæ fide vacillent ac nutent. *Ubi planè Baronius vetus dictum tollit:*

Video meliora proboque,
Deteriora sequor.

Nam postremis verbis legem proponit, quam sequi debuerat; prioribus ostendit, non fuisse propositum sibi in condendis Annalibus legem illam servare: quod & alibi non semel profitetur, ut in anno XXXIV. 192. *ubi postquam è falsis Pilati Actis ineptum figmentum recitasset, subjicit hæc:* Qualia autem sint ea omnia, fides apud Auctores remaneat: nos verò sic ponimus, ne quæ ab Antiquis sunt enarrata, inconsultè prætermisisse videamur. *Hîc jure aliquis miretur, & caussam quærat, cur Baronius operi tam gravi adeò putidas interdum fabulas inseruerit; de iis loquor fabulosis narrationibus, quas ipse improbat: sunt nimirum aliæ fortasse non minus aniles, quas propterea inseruit, quia fidem illius habebat; de quo posteà dicendum. Illas verò priores quòd non prætermiserit, duplici ratione factum ab eo videtur; nam præter studium immodicum nihil quicquam prætermittendi, de quo diximus; etiam illa ratio potuit ipsum movere, quòd non ignoraret, multorum è suis partibus ingenia, hodièque in hac tanta literarum luce, anilibus fabulis ita delectari, ut ne Historiam quidem Ecclesiasticam ab illis esse repurgatam, æquo animo essent passuri. Neque verò inanis erat hic Baronii metus; quod eventus comprobavit. Nam ex iis, qui post ipsum scripserunt, non pauci in eo laborarunt, ut fabulas, vel apertè, vel saltem silentio damnatas à Baronio, ab oblivione vindicarent. Vide, si lubet, quæ observamus de Christophoro à Castro, Jesuïta Hispano, Exercitatione primâ, diatribâ* XV. *Sed multò diligentius hoc ipsum conatus est posteà præstare Hispanus alius, Johannes de la Puente, ex Ordine Prædicatorum; cujus recentem librum nugacissimarum nugarum, & reprehensionum Baronii sæpe iniquissimarum plenum, nuper Oxonii in illustri Bodlæana Bibliotheca non sine risu & justa indignatione percurrebam.*

Est observare in his Annalibus & aliud nimiæ diligentiæ peccatum, non sanè leve. Cupiditas enim immoderata omnia trahendi ad propositum suum, quæ usquam legerat, Baronium sæpe adegit, ut inepta quædam & absurda Annalibus insereret. In Apparatûs numero 27. *&* 28. *multa prodigia commemorantur è Suetonio, Dione, Plinio, aliis, quasi fuissent signa adventûs Domini; quum ejusmodi portenta singulis ferè annis à Livio, cæterisque Historicis commemorentur; neque dubium sit, pleraque illorum esse mera ludibria, quæ non possunt, nisi absurdissimè, ad Christi apparitionem referri. In anno primo, numero* 15. *narratur, Augustum, qui Judæos prius vehementer oderat, cognito adventu Christi, vehementer illos cœpisse amare: quæ mera est hallucinatio, è cupiditate nata referendi in Annales beneficia Augusti in Judæos; quod ut commodâ occasione faceret, miraculosam illam mentis mutationem in illo Principe coactus est fingere, sicut suo loco ostendimus. In anno* XI. *Lex Papia Poppæa prolixè exponitur; quæ ad commendationem vitæ asceticæ quàm obtorto collo trahatur, dictum est in Exerci-*

 tatione

1614. *tatione octava. In* XVI. *narratur mors Augusti. Ibi igitur ex iis, quæ per jocum maximus ille Princeps fecerat, occasio sumitur disputandi prolixè de pallio, & de præstantia linguæ Latinæ; quo nihil importunius, neque absurdius fieri poterat. In* XXXI. 70. *exponitur historia Paralytici per tegulas demissi, Lucæ* 5: 19. *Meminerat Baronius legisse apud Ciceronem, de Antonio per tegulas quondam demisso: locum igitur Ciceronis adnotat; sed tam absurdè, ut nihil queat magis, sicut ostendimus. In* XXXII. 14. *tractatur præceptum Domini, quo vetatur battologia in Oratione: Baronius eò refert, quæ legerat de comam jactantibus; absurdissimè prorsus, & ineptissimè. Sic quia legerat apud Dionem, Legionem Ferratam in Judæa stationem aliquando habuisse, non dubitavit scribere, Centurionem, cujus habetur mentio Matthæi* 8: 5. *unum ex ejus legionis fuisse Centurionibus. In quo ratio ipsum quantopere fugerit, declaratum est Exercitatione decimaquarta. In* XXXIII. 37. *ab aquis fontis Siloæ transitur ad fluvium Sabbaticum. Occasio nempe quærenda erat Plinium reprehendendi; quem nos tamen rationibus defendimus non vanis. Locum Suetonii de Syriacis legionibus, frigidissimâ conjecturâ ductus, proposito suo accommodat, in anno* XXXIII. 40. *In proximo anno* XXXIV. 95. *ut referret quæ legerat de poculis myrrinis ad vinum* ἐσμυρνισμένον, *cujus fit mentio in passione Domini, quàm gravia peccaverit, piget dicere. In* XLIV. 60. *illa tot mirabilia, quæ Romanis dicuntur accidisse ad Petri adventum Romam, quis neget certissimum esse argumentum illius, de quo loquimur, studii immoderati trahendi omnia ad Historiam Ecclesiasticam? Numero* 74. *caussa affertur, quare Paulus se nominaverit* ἔκτρωμα, partum abortivum, 1. *Corinth.* 15: 8. *è Suetonio Tranquillo, abortivos Senatores Romanos commemorante: quò si respexisse Paulum existimavit, mirè illum ratio fugit. In* XLV. 24. *de osculo pacis Christianorum disserens, & de Poëtarum osculis sermonem exorsus, non sentit delapsus ad osculi genus, inter amantium nequitias nequissimum, quod* χύτραν *vocabant. Addit autem:* Nullum unquam de his legimus penes Christianos exemplum: *quorsum igitur illas fœditates inter sanctissima Ecclesiæ instituta? In* LXI. *affert conjecturam suam, videri Paulum è carcere liberatum Romæ, propter gaudium publicum è cæde Agrippinæ, matris Neronis: & in sequente ait, cùm in Apocalypsi* 3: 18. *datur consilium Laodicenis, ut vestes albas sibi parent; putare se, allusionem esse factam ad lanas Laodicensium nigras, quarum Strabo meminit; quæ conjecturæ mihi quidem videntur nive Gallicâ frigidiores. In anno* XCVIII. 9. cerdones *apud Juvenalem interpretatur de Christianis; & Poëtæ hanc vult fuisse mentem, tunc periisse Domitianum, quando Christianis cœperat esse metuendus. Sed quem inveniet, cui hoc persuadeat? In* CLXIV. 11. *Tatiani locum ad Crescentem Philosophum Cynicum refert, quo pantomimorum gesticulationes & motus loquaces venustissimè &* γραφικώτατα *describuntur. Est autem ille error tantus, & adeò manifestus, cùm loquatur ibi Tatianus de ludis Paganorum, ut excusari non queat. Sed vir eruditissimus, præ nimia diligentia, & illo studio, de quo diximus, nusquam non isto modo peccat.*

Judicium in Historico variè potest considerari: nos hîc de Scriptorum delectu agimus, ad quem habendum, scripturo de Ecclesiæ rebus, præsertim antiquissimis, judicio opus non mediocri. Nam cùm pauci adeò Scriptores verè antiqui & γνήσιοι, *hoc est,* genuini seu germani, *ad nos pervenerint, qui prima Ecclesiæ secula descripserint; evenit tamen, ut de rebus illis vetustissimis plurima mentio reperiatur apud Scriptores posteriores, & ut plurimùm, fabulosos, aut nimium credulos. Sed & universa Ecclesiastica Historia,*

etiam proximorum seculorum, fabularum figmentis mirè est involuta; ut 1614.
sæpissimè sit difficillimum, per obseptum iter tot difficultatibus ad veri cubile pervenire. Neque hoc non vidit Baronius; cujus ea de re, & nominatim de Actis Martyrum & Martyrologiis, tantâ licentiâ sæpe depravatis, querimonias in primo Tomo, & ferè in singulis legere est gravissimas. Idem igitur plerosque ex illis fabulosis Scriptoribus, qui tanti hodieque à multis fiunt, & damnat, & rejicit à suis Annalibus, sicut virum gravem decebat. Ejus generis sunt Dorotheus, Prochorus, Abdias, Meliton, Epistola sub nomine Hieronymi ad Paulam & Eustochium, de Transitu Mariæ, item alter eidem magno Patri attributus liber de Nativitate Mariæ, Augustino ascriptus Sermo XXXV. *de Sanctis, Acta Andreæ, & alii plurimi. Sed & Auctoribus alioqui non pœnitendis, vel etiam præclaris, propter* τὸ φιλόμυθον, *aut incuriam secernendi veri à falso, fidem meritò & prudenter derogat: ut Orosio, Gregorio Turonensi, Cedreno, Metaphrastæ, Damasceno, in libris de Imaginibus, & id genus non paucis. Magna hæc est, quis neget? laus Baronii: sed quæ longè major futura erat, si constitisset ipse sibi, neque adeò varium se in hac parte præbuisset; sicut ostendemus, cùm de Critica illius dicemus.*



Fidei quoque laudem neque adimere Baronio, neque tribuere sine exceptione possumus. Diligentia illa tanta, quâ usum ipsum indicavimus, & tot Auctorum rejectio, quos ipse à suis sacris arcuit, luculenter declarant, non habuisse ipsum susque deque, falsa pro veris tradere. Sed enim amor veritatis, & susceptum ab eo patrocinium parum omnino inter se conveniebant. Unde factum, ut toties in Baronio fidem desideremus, quoties ille Historicum exuit, ut induceret patronum. Rectè olim exacti vir judicii, Dionysius Halicarnasseus, dicebat, In ferenda sententia de aliquo Historico cum primis spectandam esse τὴν διάθεσιν τοῦ ξυγγραφέως, *quomodo animatus ad scribendum accessisset: vix enim, ac ne vix quidem, fieri potest, quin scriptio affectum animi prodat. Propterea Græci Historias, in quibus scribentium affectus eminent, elegantissimè comparant speculis* διαστρόφοις, ἀμυδροῖς, *&* ἐπροσχήμοις, *quæ res oppositas non referunt, quales sunt; sed corruptâ formâ, vel colore non suo, vel figurâ alienâ. Cùm igitur Baronius, Romanæ Ecclesiæ splendorem respiciens, Dominum* JESUM *nobis describit Cœnatoriis magni pretii indutum, & ad S. Eucharistiæ institutionem vestimenta adhuc pretiosiora assumentem; cùm stabiliendæ Papæ Monarchiæ, Petrum inducit Monarcham inter Apostolos agentem, Paulo & cæteris collegis sua pensa assignantem, denique regio more imperantem; cùm Romanos Augustos facit veniam vel auctoritatem Concilia indicendi, à Romano Pontifice petere; cùm inducit Concilia universalia, confirmationem suam à Papa expectantia, quasi aliter nihil foret actum; cùm similia his alia sexcenta nobis narrat, meritò fides ejus laborat; qui res non exprimit, quales invenit; sed* διαστρόφους, ἀμυδροὺς, ἐπροσχήμους.

Pertinent etiam ad Auctoris διάθεσιν, *& affectibus corruptam mentem, illa horrenda convitia, quæ passim toto opere jaciuntur in Protestantes, quos nunquam aliter pro sua modestia Christiana, nisi* Hæreticos *aut* Novatores *appellat; aliquando,* impios Epicureos, *ut in anno* XXXIV. 272. *interdum à* Simone Mago ortos, XXXV. 24. *pari ratione, ut cùm alibi Auctores Reformationis nominat,* sine Sacris Scripturis Theologos. *Ridiculè istud quidem.*

Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.

In anno Domini DCCC. *commemoratur Sergius, Manichæus hæreseωn hor-*

1614. *rendarum pater, præcursor Antichristi, Mahometis. Ibi scribit Baronius:* Videant Novatores; & recognoscant suum ipsorum Catechistam, Diabolum; qui eadem, quæ ipsos, docuit Sergium per Manichæum; & erubescant, suam ipsorum intuentes originem & auctorem. *Deinde ait, à Diabolo didicisse Protestantes Hagiomachiam; & credere etiam Laicis Scripturam: quum Ecclesia Catholica nemini unquam Scripturas, nisi Theologis, commiserit legendas. Sed hæc postrema affirmatio de Ecclesia vetere Catholica mendacium adeò infandum & apertum continet, ut nemini mediocriter sano possit esse dubium, etiam præcedentes calumnias ab eo esse profectas, qui est Pater mendacii. In anno* MCXVIII. *describuntur fanatici errores Basilii, Bongomiliorum auctoris. Rejecit libros Mosis, septemque tantùm divinæ Scripturæ libros recepit: Deum humanâ formâ præditum dixit: Mundum creatum ab Angelis malis: Michaëlem Archangelum fuisse incarnatum: Eucharistiam esse Dominicam Orationem: Omnes orationes, præter Dominicam, vaniloquia esse: Suos omnes concipere Verbum Dei, & parere, sicut B. Virgo peperit: Nullam esse resurrectionem, præter pœnitentiam. Deinde postquam dixit, jussu Imperatoris Alexii crematum esse portentum illud hominis, addit:* Quo supplicio afficiendos Novatores cum Basilio sentientes, candidus Lector jure consentiet. *In anno* MCXXVI. *Tranchelini, apud Antverpienses Hæretici, furores infandi, quibus vix simile aliquid habet Mahometana superstitio, describuntur: tum autem subjicit hæc Baronius:* Videant nostri temporis Novatores, quibus præcursoribus gloriari possint, & quos se suorum dogmatum habere Patriarchas exultent. Eant post eos, quos omnium nefandissimos tunc & semper Ecclesia devovit atque damnavit. *Scit Deus & universus mundus, hæc non magis vera esse, quàm illa erant, olim adversus Christianos jactata, de stupris promiscuis in conventibus nocturnis: de cane ad candelabrum alligato: de adoratione asini. Planè qui spiritus ista olim Paganis, idem illa Baronio, & similia illis sexcenta, quæ in ejus Annalibus leguntur, suggessit.*

Sed Baronium, Romæ viventem, à Diabolo fuisse deceptum, minus miror: nuperum verò illius Epitomatorem, Spondanum, qui inter Protestantes fuit educatus; quem, nisi fallor, ego vidi Genevæ cum aliis fratribus literis operam dantem, etiam auxisse Baronii errorem, quis non stupeat? aut quis non intelligat, quàm diræ illum miserum Furiæ agitent? In anno CMXCVI. *factâ mentione Matthæi Parisiensis, quo nemo vixit unquam neque Papismi superstitionibus addictior, neque rapinarum horribilium, quas Papæ in Anglia exercuerunt, fidelior testis, & expositor; assert Baronius conjecturam suam;* nisi, *inquit,* probra illa fuerint addimenta potius ejus, qui edidit, Novatoris, hæretici hominis; quum peculiare sit illis, libros, quos potuerint, depravare. *De Hæreticis verò, nomine sic dictis, assentior Baronio. Sed si libros veteres depravare, certa est hæreseos nota; quis tam impudens erit, qui negare audeat, certissimos illos esse Hæreticos, qui tot hodie artibus veteres Patres mutilant, depravant, expurgant? Res omnibus nota; de qua, si Deus volet, plura alibi dicentur à nobis. Neque verò difficile erit probare, consarcinatores Indicum Expurgatoriorum, bellum cum Auctore Scripturarum, cum Patribus, cum omnibus bonis, cum ipsa denique Veritate nefarium quotidie gerere. Quid ipse discipulus Nerii? An ille depenitùs ab hoc crimine integer? An difficile est, loca veterum Auctorum observare, in eis Annalibus depravata in gratiam Papæ contra fidem veterum Exemplarium? Sed eo omisso, de Matthæo Parisiensi breviter respondeo. Conjectura Baronii, quæ & à Bellarmino nuper est allata, vana, falsa, ridicula est.*

Extant

Extant in hoc Regno vetera exemplaria ejus Scriptoris, quæ vanissimæ vanitatis eam conjecturam arguant. Omnia enim illa habent, propter quæ fides editoris hodie in dubium vocatur. Habeo ipse jam in meo musæo codicem Matthæi, in membranis descriptum eleganter, è Regis serenissimi Bibliotheca promptum, ejus vetustatis, ut credatur ille ipse liber esse, qui ab Auctore in Bibliotheca S. Albani fuerat dedicatus. In eo codice nullam nos adhuc diversitatem observavimus, quod ad illa attinet, quæ de Paparum rapinis scribuntur. Extant etiam in Bibliothecis Anglicanis alia ejusdem Auctoris scripta nondum edita, ut Historia minor, & de Vitis Abbatum S. Albani; in quibus similia, vel etiam graviora de rapacitate Romana lamentabiliter describuntur. Legi ipse nonuulla ejus generis in vetusto libro, Vitas Abbatum illorum continente, quem mihi in sua libraria ostendit inter plurimos alios scriptos manu libros præstantissimos, eximiæ vir probitatis & eruditionis, Robertus Cotton, Bruceus, Baronettus. Non igitur illa sunt à Protestantibus Matthæi libris inserta; sed justissimas illas querelas rei veritas extorsit ab homine, alioquin, ut dicebamus, superstitiosissimo. Quare falsissima est Baronii & Bellarmini conjectura. 1614.

Omitto alias Baronii calumnias. Taceo, brevitatis studio, judiciorum temeritatem viro gravi indignissimam. Omnia, sive læta, sive adversa, quæ Principibus, vel populis, vel etiam privatis hominibus evenerunt; non alia ex causa ferè in his Annalibus produntur orta, nisi ex aliqua aut observantia insigni in Papam, Ecclesiamve Romanam, aut contumelia, vel injuria. In anno Domini CCCCXLIX. 27. *Theodosius, pius Imperator, Imperio & vitâ privatur. Quæ causa? plus juris usurpaverat in procuranda* ἐκταξία *Concilii Oecumenici, quàm Principibus Doctrina Hildebrandi attribuit. Anno* DXVIII. *gravissimo terræ motu concutitur Dardania:* Meruerant enim, *ait Baronius,* qui toties à Gelasio Papa, & Hormisda moniti, non paruerant. *Justiniano imperante multæ Romani Imperii Provinciæ à Barbaris vastatæ sunt, aut deletæ: nimirum* postquam in Silverium, Romanum Pontificem, fuerant violentæ manus conjectæ, *ait Baronius,* DXL. 43. *nam vitia hominum ejus ætatis teterrima, hæreses passim grassantes, Vigilii Papæ execrabilem improbitatem Baronio descriptam, Deus scilicet non attendebat. Anno* DLIII. *Totilas perit: Narses victoriam adipiscitur longè maximam: quare?* Simul ac Ecclesiæ capiti debitus honor impertitur, à Deo rependuntur bona cuncta, *inquit Baronius. Quòd Galliam & Britanniam populi Septentrionales invaserint, & cladibus olim affecerint, non factum id ex illis causis, quas Salvianus Massiliensis, & Gildas Sapiens exposuerunt; sed quia vel cum Papa non communicabant, vel nescio aliud quid simile admiserant. Similium his judiciorum pleni sunt isti Annales. In quibus etiam leges,* Ecclesiam Anglicanam heresewn alluvione nostrâ memoriâ esse absorptam. *Cur autem id?* Simul ac denarium Petri solvere desierunt, *ait Baronius,* DCCXL. 15. *Possem commemorare testimonia plurima veterum Historicorum Angliæ, qui superioribus seculis sæpe factum queruntur, ut propter inenarrabilem Paparum rapacitatem fides in hoc Regno ferè deficeret: sed hæc mitto, & in proposita disputatione pergo.*

Personæ legitimi Chronographi gerendæ quàm parum idoneus fuerit Baronius, non esset difficilis probatio; nisi hoc ab exercitatissimis in ea doctrina viris sæpe jam esset demonstratum. Fatemur nos quidem, non parum in eo positum fuisse operæ à Conditore Annalium, ut constaret ipsi certa annorum ratio; neque inficias imus, quædam etiam in illa parte fuisse eruditè ab eo observata; cæterùm vel in ipso capite annorum Domini constituendo, falsissimas

1614. *simas ipsum sibi finxisse aliquando hypotheses, clarè demonstratum est, Exercitatione primâ, & sæpius alibi, dum pro Josepho illi respondemus.*

De Philologi & Critici persona, quam sibi Baronius induit, latus esset dicendi campus; nisi multa me, ut orationis vela contraham, admonerent. Magna, proculdubio, cupiditas benè merendi de Sacrarum Antiquitatum studiosis, illum impulit, ut duram hanc provinciam ultrò, in contexenda Historia, novo exemplo, susciperet. At vellem, humeros suos prius consuluisset, ut exploratis viribus suis cognosceret, quid illi ferre valerent, quid recusarent? Nam illustrare nascentis præsertim Ecclesiæ instituta; Historiæ Euangelicæ, his Annalibus insertæ, lucem fœnerari; scripta Patrum & aliorum scriptorum obscura illustrare, & explicare, nemo profectò potest, qui Hebraicæ Græcæque linguæ peritiâ, & omnium veterum Antiquitatum notitiâ non sit quàm instructissimus. Quum igitur testimoniis Scriptorum Hebraicorum & Græcorum hic præsertim Tomus primus sit refertissimus; quærat jure aliquis, an parem tanto incepto cognitionem illarum linguarum, & antiquæ eruditionis copiam Baronius habuerit? Atqui hoc singulis ferè paginis isti Annales clarissimè negant, testimonia exhibentes, quæ luculentissimè demonstrent, illorum Auctorem neque Hebraicæ literaturæ, neque Græcæ ullâ notitiâ fuisse præditum. Satis hoc probatum est in his Exercitationibus, locis quàm plurimis, ut dubitari de eo nequeat. Anno XXXIV. 29. *tractans locum ex Actis* V: 37. μετὰ *exponit* πέραν· *neque intelligit, ad eam sententiam, quam probabat, tam esse ineptum* πέραν, *quàm* μετά. *Anno* XXXVI. 4. *agens de loco ex Actis* VII: 58. *ob non intellectam vocem* νεανίας, *hoc est,* adolescens, *quantos in simpulo fluctus movet? Ea est dictio, quæ apud Josephum non intellecta, ad falsam & ridiculam de annis Herodis opinionem Baronium adegit, ut probatum est à nobis. Anno* LVI. 16. *exponitur mirâ subtilitate vox* ἐξομολόγησις, *hoc est,* confessio: ἐξ, *inquit,* Præpositio, idem est quod foris; & ὁμολογία, quod est, ut declarat Suidas, confessio. *De Præpositione est puerilis error: nam si* ἐξ *in compositione significat semper* foris, *ut postulat expositio Baronii; igitur* ἐκνήφειν *erit* foris vigilare; *non, ut nos putabamus, è somno transire ad vigiliam:* ἐκπνέειν *erit* foris spirare: *neque poterit domi aliquis exspirare, quia* ἐκ *significat* foris: ἐκπειράζειν *non erit, graviter aliquem tentare, sed* foris tentare: *itaque domi nullus erit* ἐκπειρασμὸς, *hoc est,* gravis tentatio, *nulla* ἔκπνευσις, *hoc est,* exspiratio, *ac ne* ἐξομολόγησις *quidem. Sed beat nos, cùm advocatâ Suidæ auctoritate, probat rem valde ignotam;* ὁμολογία *est* confessio. *Anno* LVII. 61. *in verbis Pauli,* 1. *Cor.* IX: 5. *urget, quòd non sit adjectus articulus: sed nemo Græcè peritus illi concedet,* ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, *hoc est,* sororem uxorem circumducere, *non posse per Hellenismum rectè exponi, circumducere aliquam mulierem, quæ mihi sit, & soror in Christo, & uxor. De vera sententia nihil pronuntio; de locutione Græca tantùm loquor. Sic statim Phil.* IV: 4. σύζυγε, *hoc est,* compar, *vult esse proprium nomen: quod etsi quidam è Græcis Scholiastis ante ipsum dixerunt, vix tamen per Hellenismum potest admitti, propter vocis* γνήσιε, *hoc est,* germane, *proprietatem. Anno* LIX. 7. *verba Pauli* ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, *hoc est,* in toto prætorio, *Phil.* I: 13. *cùm invenisset exposita à Vulgato Interprete,* in omni prætorio; *non animadvertit,* omne, *ibi positum esse, pro,* totum. *Deinde hoc errore admisso, sanè puerili, alium excogitavit ipse plus quàm puerilem. Vult sensum esse, actum esse de caussa Pauli, non solum coram Nerone; sed & apud Collegium Pontificum, atque, ut ipse loquitur, in omni urbis Prætorio. Quàm hæc ridicula? Anno* CLXXV. 5. *ignorat, Sympherusa verum esse nomen piæ Martyris;* συμφέροντα, *hoc est,* commoda; *sæpe enim Græcis nomina*

mina propria fiunt à participiis, ut Alexamenus: *vel ut ferè ſcribitur,* 1614.
Symphoruſa, aut Symphoroſa; συμφορῦσα, ἀ συμφορεῖν, *hoc eſt,* congerens, à congerendo, *quod diverſum eſt à* συμφέρειν, *hoc eſt,* commodum ſeu utilem eſſe. *Baronius nomen inauditum Græcis hominibus,* σύμφερος, *nobis profert, quod analogia confutat ac rejicit; & ſimul quicquid ibi ſcribitur. Sed Baronius hoc jus ſibi perſæpe vindicat, ut Græcarum dictionum ex ingenio ſuo numerum augeat. Inde eſt* ὕστος, *vocabulum, quo Græcæ linguæ opes auxit, in anno* CCCLIX. 89. *Inde* τελιμάχιος, *quaſi dicas,* in fine pugnans, à τέλος, *hoc eſt,* finis; *&* μάχη, *hoc eſt,* pugna; *nomen Martyris, qui ſpectaculo gladiatorum finem impoſuit, ut ait ad* 1. *diem Januarii in Martyrologio. Si legiſſet unquam Baronius nomen illud apud Græcos* τηλεμάχιος, *quaſi dicas,* è longinquo pugnans, *ut apud Theodoritum Lib.* v. *cap.* 20. *abſtinuiſſet à conjectura tam abſurda. Ad diem* 22. *Septembris, decimationis, pœnæ militaris facit mentionem; & ait, à Polybio vocari* δεκασίαν. *Quis malum decepit virum bonum, & ei perſuaſit, vocem illam, quæ apud Græcos non legitur, eſſe probum verbum Polybianum? Origeniſtæ Orthodoxos olim irridentes,* Peluſiotas *per contemptum vocabant, ut auctor eſt Hieronymus ad Pammachium, adverſus Johannem Jeroſolymitanum, & ad Pammachium & Occidentales, de erroribus Origenis. Ipſe convitium explicat,* Peluſiotas nos appellant & luteos: πηλὸς lutum; πηλουσιώτης, luteus. *Sic apud Latinos convitium erat,* lutum es. *Perſius:*

> Udum & molle lutum es,

hoc eſt, ad verbum, πηλὸς εἶ, *vel* πηλουσιώτης. *Ita nos quidem exiſtimabamus: ſed Baronius in anno* CCCXIII. *corrigi Hieronymi codices jubet, & ſcribi* Piloſiotas, *non autem* Peluſiotas, ut depravatè legitur, *inquit. Vide quid ſit, Romæ eſſe: nam nos Tranſalpini hæc myſteria ignorabamus. Quod Gallicè vocamus,* une copie, *exemplar ex alio deſcriptum; Græci appellant* ἴσον, *vel* ἐξ ἴσου· *quæ voces leguntur initio multorum Actorum & Epiſtolarum, in Collectionibus Conciliorum. Sic planè Latini,* à pari; *ut initio aliquot Epiſtolarum Zoſimi Papæ, in anno* CCCCXVII. *& Hormiſdæ, in anno* DXIX. *dicunt pro eodem; &* à paribus, *quod non intelligens Baronius, quàm inſigniter operam ludos facit, & in anno* DXCI. 4. MLXXIV. 61? *Vel hæc pauca ſatis oſtendunt, quàm imparatus à Græca literatura ad ſcribendum ſe contulerit Pater Annalium; quem in Exercitationibus probavimus, Græcos Scriptores non niſi ex aliena fide tractaſſe; ac proinde toties in eo erraſſe, quoties parum fidelem nactus eſſet Interpretem. Quid autem intereſt, malè ipſe vertas, an malam verſionem probes? Omitto dicere de literis Hebraicis, quarum peritiam quantam habuerit Conditor Annalium, oſtendimus Exercitatione* XIII. *diatribâ* 37. *& ſæpe alibi.*

Spectare ad Critici officium Veteres putarunt etiam illud, ut de Auctoribus veris aut falſis poſſet pronunciare. Baronium in hac quoque parte multa vidiſſe, & de multis Scriptoribus præclarè judicaſſe, jam diximus. Sed nos, quod in his Annalibus deprehendimus, diſſimulare non poſſumus. Obſervamus enim locis innumeris, ipſum, ubi de exaltatione Papæ agebatur, aut alia re ſimili, quam ipſe cordi habebat, legitimæ Criticæ oblitum, narrationes ſuas utilitati accommodaſſe. Hinc illa judiciorum varietas, imò iniquitas aliquando tanta, ut nihil ſupra. Decretales primorum Paparum eſt ubi videtur ἐξαλίζειν, *hoc eſt,* expungere, *& cum viris bonis & doctis ſentire, qui illas reſpuunt; ſæpius tamen pro illis in arenam deſcen-*

 dit,

1614. *dit, non fundâ quidem ornatus, sed maledictis, quibus invadit, quos per antiphrasin amat Novatores appellare. Clementis Constitutiones, ut liber apocryphus & οὐ γνήσιος, hoc est,* non germanus, *severè damnatur,* XXXII. 18. *alibi non semel defenditur & laudatur; alicubi etiam ad Turrianum Lector rejicitur, qui pro tuitione earum Constitutionum ad insaniam usque declamavit. Acta Concilii Nicæni I. quæ ex Arabico scilicet versa, pro legitimis obtrusit idem Turrianus,* mera somnia esse *pronunciat Baronius; doctè ut verè,* CCCXXV. 63. *sed quoties eadem illa in Annalibus citata inveniuntur? Metaphrasten & similes fabularum hamaxarios sæpe rejicit, sæpe laudat, sequitur & propugnat idem Baronius: non enim exuerat illum* παραδοξολογίας *amorem, qui tot in Historiam Ecclesiasticam fabulas invexit. Dialogos Gregorii Magni, ut fabularum plenos, perstrinxerat vir gravissimus, Melchior Canus, cui etiam alii sunt assensi: at Baronius, quas & quàm graves eo nomine pœnas exigit à Cano? Acta Sylvestri majore studio damnet an excuset, non possum dicere. Sed excusando nihil agit: semper enim* ὁ πρωκτὸς τοῦ λουτροῦ περιγίνεται. *Donationem Constantini, quæ etiam in Græcorum nonnullorum libris habetur, falsam esse, &* τοῦ πονηροῦ κόμματος, *vis veritatis expressit ex ore Baronii: laudo; sed illud non laudo, quòd invidiam criminis falsi transfert in Græcos, & ait:*

Quicquid id est, timeo Danaos, vel dona ferentes,

in anno CCCXXIV. 118. *At quæ hæc iniquitas,* quæve hæc barbara morem permittit patria, *ut ejus scripti invidiâ onerentur Græci, cujus argumentum Ecclesia Romana mordicus defendit, & quod scriptum tot Papæ, qui errare non solent, pro legitimo Instrumento Imperatoribus toties objecerunt? Et tamen audet Baronius, in anno Domini* MXLV. *totâ corporis sui mole in Balsamonem insurgens, ut illum prosternat, prostratum jugulet, omnes palestræ artes adhibere. Quas autem adferat adversus ipsum ratiunculas, non est hujus loci expendere.*

Accedamus ad caput ultimum, de iis, quæ scribuntur in his Annalibus ab eorum Auctore, Theologi personam gerente. Cujus enim, nisi Theologi est, de Scripturis & earum obscuritate, de Traditionibus, de Sacramentis, de Imaginibus, de Angelorum cultu, de Reliquiis, de ritibus in Synaxibus, & celebratione Sacramentorum, & cæteris Religionis capitibus hodie controversis, longas disputationes instituere, loca Patrum cumulare, & cum diversa sentientibus serram reciprocare? Hoc igitur passim in hoc primo Tomo cùm faciat Baronius, Theologi personam in eo agnosco, Historiographi desidero. In hujusmodi autem omnibus disputationibus ad quem ipse scopum collimarit, ostensum est in Epistola ad Regem serenissimum: ad quem autem collimare potius debuerit, si Veritati & Ecclesiæ Dei, paci ac tranquillitati voluisset ire consultum, uti par erat, ostendimus Exercitatione XVI. *diatriba* 28.

Refero ad Theologicas Baronii disputationes & illa omnia, quæ de Romano Pontifice, & illius dominatione Monarchica passim ubique totis his duodecim Tomis tam accuratè disseruntur. Nam & in prima operis parte Euangelicam Historiam suis narrationibus intexens, ut è doctrina Christi illius institutionem hodiernis opinionibus congruentem asserat; & mox ut Petrum fuisse verum Ecclesiæ Monarcham probet, non minore contentione Baronius laborat, quàm vel Bellarminus, vel quivis alius hodiernorum ejus caussæ patronorum. Sed & in totis deinceps Annalibus id semper curâ agit præcipuâ, ut continuationem & amplificationem Papalis potestatis,

potestatis, & praxin perpetuam Hildebrandinæ doctrinæ, quantum potest, 1614.
ob oculos hominum proponat.

Sed spiritualem fortasse dumtaxat potestatem Romano Pontifici attribuit Baronius; imò verò & spiritualem & temporalem dominationem ita amplam Papis vindicat, ut per ejus doctrinam Imperatoribus, Regibus & Principibus nihil restet aliud, nisi Romano Pontifici SERVIRE, *& ad jussa ejus humiliter capessenda maturè sese componere. Hoc ut ita esse, isto loco breviter demonstrem, adigit me fides, quâ omnes Christiani obstringuntur erga suos Principes; & ea fidelitas ac devotio, quam præstare teneor Regibus Christianissimis; quorum Sacrosancta Majestas nisi per Hildebrandinam doctrinam eviluisset, duos maximos Principes, Henricum III. & Henricum Magnum, pari scelere, ac ferè simili pacto non luxissemus exstinctos.*

En igitur, pie Lector, doctrinæ istius, Principibus funestæ, capita pauca è multis ex Annalibus Baronianis in tuam gratiam collecta. SACERDOS quilibet major Rege, quia Politicus Principatus Sacerdotali est subjectus. *Hoc axioma passim asseritur in his Annalibus; maximè autem in anno Domini* LVII. 18. *Ibidem,* 32. *sunt hæc verba:* Cùm igitur Rex, quantumlibet Christianus, non nisi inter Laicos adnumerandus sit, Sacris Ministris minorem gerere ordinem certum est. *Mox:* Cùm quæ à Deo sunt, ordinata sint, politicum Principatum sacerdotali esse subjectum, nulla potest esse dubitatio. *Eò spectat, quod in anno Domini* XXXIV. 293. *verbis Petri palam abutens docet, Sacerdotium esse in Ecclesia institutum, conjunctum cum Regia dignitate; ac propterea Regiæ dignitatis insignibus videri omnes Apostolos usos.* Papa Judex supra omnes potestates à Deo constitutus. *In anno* CCXVI. *cur Papa Romanus dicatur summus Pontifex, hanc rationem adfert:* Quia à Deo rerum divinarum humanarumque Arbiter constitutus, judiciariâ potestate super omnes effulgeat. *Quò igitur illæ distinctiunculæ,* directè, indirectè, propriè, impropriè, & similes πιθεραὶ, *tantùm ad fallendum excogitatæ.*

SACERDOTES & Episcopi jus habent antiquandi leges Imperatorum contrariis legibus. *Anno* CCLVII. 15. illud planè consideratione & observatione dignissimum, Episcopos nullam habuisse rationem quarumcumque legum civilium, quæ aliqua ex parte officere & impedimento esse viderentur Ecclesiasticis functionibus: quin eas contrariis legibus editis, irritas prorsus redderent, ac penitùs abolerent.

In anno CDI. 60. Hîc velim, Lector, consideres, Episcopum omnium miserabilium personarum esse judicem competentem, suique juris esse, malè ab aliquo judicata rescindere, etiamsi Princeps esset qui injustam sententiam protulisset. *Sæpe repetit, Sacerdotes judiciariam potestatem accepisse ex institutione Christi; ut* LVII. 28. *Imperatores autem, quando suis legibus jus illis attribuerunt judicandi, nihil novi eis contulisse, sed id tantùm confirmasse, quod è jure divino poterant sibi vindicare; ut in* CCCXVIII. 64. *Idem tamen in anno* CCCXIV. *Principibus aliquantò æquior. In anno* CCCXXXVI. 18. *affirmat Autor,* non esse Imperatorum, in Episcopos ferre sententiam; sed tantùm, à Concilio antè latam executioni mandare. *In* CCCLXXX. 7, 11, 12, 13. *prolixè conatur probare,* Sacerdotes ex jure divino nihil debere Regibus pendere, quibus ipsi sint superiores.

Axioma est Baronii: Præsidibus Provinciarum præsidere Episcopos, qui jus habeant sententias illorum rescindendi, si ipsis libuerit. *Hoc sæpe repetit; sed in anno* CDXI. *etiam exemplo id confirmare nititur. Ait, à Synesio Episcopo Andronicum, Pentapoleos Præfectum,* fuisse à tribunali depositum, in quo in Deum & homines multa deliquerat. *Sed est error* ἀπίλατος, *insanum magnus. Locus*

1614. *cus Synesii est in Epistola 90.* στυγνοῦ βήματος αὐτὸν ἐξειλόμεθα, *id est*, è subsellio Pœnitentium ipsum exemimus: *narrat ibi Synesius, se pœnitentiâ Andronici seriâ adductum, ut omnibus modis ei faveret;* στυγνὸν βῆμα, subsellium mœstum, *est locus Pœnitentium, qui separatim ab aliis in Ecclesia stabant, aut sedebant. Sequitur apud Synesium;* καὶ τ' ἄλλα ἐλάττους αὐτῷ παρὰ πολὺ τὰς συμφορὰς ἐποιήσαμεν: etiam cæteras calamitates ipsi multò reddidimus leviores. *An hoc est detrahere Præfectum de tribunali? Vanissima igitur est illa Baronii gloriatio:* Quanta hæc auctoritas Episcoporum? ut malè judicantes Præsides cessare imperent: id enim affirmat Synesius. *Sed exemplum est falsum; falsa igitur doctrina.*

Aliud axioma: PAPA solus potest dare Imperium; ad cujus consecutionem nihil refert, filium esse Imperatoris, nisi placeat Papæ. *Ad hanc doctrinam stabiliendam magna pars horum Annalium refertur. Clarissima verba sunt, quæ afferemus ex anno* MCLIX. 7. Fridericus Imperator, si consuluisset Annales, haud certè progenitoribus suis acceptum tulisset Imperium, sed tantùm Apostolicæ Sedi, sine cujus nutu nihil prodest, genitum esse ex Imperatore, ut quis possit fieri Imperator; sed tantùm quòd elegerit, vel eligendum concesserit ipse Papa. *Ut instituere, ita destituere Imperatorem tam facile potest Romanus Pontifex, quàm descendit imber, cùm pluit. In anno* DCCC. 15. *habetur hoc effatum:* Hanc potestatem esse in Ecclesia Dei, & in ipso Pontifice primario residere; posseque ipsum, si caussa postulet, Apostolicâ plenissimâ potestate, infestum Ecclesiæ Regem, sive Imperatorem deponere, inque loco ipsius justum & pium sufficere, exploratissimum est. *Puto sanè Romæ, & ubicunque hæresis Hildebrandina impune viget, id quod ait Baronius, esse exploratissimum: sed magna Deo gratia, quòd major & melior pars orbis Christiani, in qua censentur etiam supremarum Galliæ Curiarum Patres amplissimi, & è Romano-Catholicis optimus quisque, & Protestantium tot populi, non id, quod Baronius dicit; sed ejus planè contrarium habent pro exploratissimo.*

Accipe aliud oraculum: Duo gladii sunt Papæ, tam materialis, quàm spiritualis; & hoc negare hæresis est. *Doctrina est Baronii iisdem verbis enunciata, in anno* MLIII. 14. *Jam igitur habent Protestantes, quod lætentur, non solos se hæresin sapere; sed omnes illos, qui Papæ duos gladios non attribuunt. Quis autem Christianus ita insanit, si paucissimos excipias, quibus rectum rationis usum morbus animi nescio quis eripuit?*

In anno DCCLI. *de translatione Regni facta in Galliis ita scribit:* Francorum Monarchiæ benè consulturus Romanus Pontifex, Francorum Regnum, quod sub Regibus Merovingiis inertibus, & novissimè sub Hilderico Stupido periclitaretur, Apostolicâ auctoritate in Pipinum, Caroli Martelli filium, Carolomanni germanum, post obtentas adversus diversos hostes sæpe victorias, transtulit, eumque Regem creat, ipso Hilderico anno sequenti deinceps detruso in Monasterium. *Hæc narratio ita nuda, quàm falsa sit, & Monarchiæ Francorum à Deo solo institutæ, quantum afferat præjudicium, virorum prudentium est diligenter expendere; sicut & illa accuratè iis consideranda, quæ scribit idem,* DCCLXX. 24. *maximè autem quod ait in* CMXII. 34. Reges Francorum Papæ subditos esse, cujus jussa capessere debeant.

Est & illud unum è scitis Baronianis: Imperatorem debere Romano Pontifici inservire, ut ejus auctoritas sarta tecta præstetur. *Sicut dicitur in* CCCCXLV. *Item hoc:* Imperatori non satis suppetit juris ad Regem aliquem ejectum Regno restituendum, nisi interveniat voluntas Papæ; *in anno* DCCCIX. 34. *Item istud:* Præsides Provinciarum tenentur jussa Paparum exsequi, non adscripto

adſcripto PLACET, ſicut fit hodie. *Colligit hoc Baronius ex Hiſtoria falſa, in anno* CDXIX. 8. Quod quidem, *inquit*, illud primum oſtendit, inſerviſſe Præſides Provinciarum, & qui illis parebant, milites Romanos, Pontificibus: in exſequendis Apoſtolicæ Sedis ſententiis tantum abeſt, ut eas impedirent, vel remorarentur, vel ut Apoſtolicis ipſis literis PLACET, ſubſcriberent, arrogarent. 1614.

Quum Tomus II. Annalium, propter repetitum tantâ contentione Regnum Siciliæ à Rege Catholico, à fidelibus ejus miniſtris cenſuræ fuiſſet ſubjectus; Baronius hoc, & ſimilibus factis Papæ majeſtatem autumans imminui, injuriam ultus eſt hiſce verbis MCXXXVI. 24. Dictu nefas, horrendum factu, quod infeliciſſimis noſtris temporibus probata à Romano Pontifice ſcripta miniſtri regii redigere audeant ſub cenſuram, ut ea à librariis vendi non ſinant, niſi ab ipſis impetratâ licentiâ, quam etiam interdum pro arbitrio negent, atque prohibeant ne vendantur. *Hoc Baronius dicit eſſe alteram clavium Petro adimere, & grande nefas admittere. Igitur cùm omnia Europæ Regna, omnes Principatus ſint Romani Pontificis, ut tantâ curâ demonſtratur in his Annalibus; ſi Papam libido inceſſerit, vel occaſio invitarit, ut unum aliquod è ſuis Regnis velit repetitum ire, & liber aliquis in eum finem ſcriptus, ipſi fuerit probatus; Rex ille, à quo Regnum repetetur, vel ejus miniſtri, ſi auſi fuerint mutire contra, ſcelus videlicet admittent* dictu nefas, horrendum factu, *judice Baronio. O cœleſtis Veritas, exoriare, & Reges magnos libera ab hac tetra ſervitute!*

In anno DCLXXXIII. *conditionem noſtrorum temporum lamentatur, eaque appellat* miſerrima tempora: *an propter ſupremum Dei numen tam negligenter hodie à multis cultum? aut propter blaſphemias, quas impii quotidie in Deum Patrem, Jeſum Filium Dei, Spiritum Sanctum, & Beatam Virginem, & alios Sanctos quotidie evomunt? Minimè: accipe cauſſam:* Quibus nihil ſolicitius, vigilantius ac vehementius Præſides Provinciarum agant, quàm ut Eccleſiaſticum tribunal, ſolitarium reddant. *Incipiunt tandem Reges ac Principes evigilare. Hinc illæ lachrymæ. Querelæ de Præſidibus Provinciarum affinis eſt querela de Regum Conſiliariis, quos Baronius indigetat Politicos Novatores, Hæreticos, & quidem aliquando teterrimos Hæreticos, ut deſinant Lutheri & Calvini diſcipuli iis appellationibus gloriari, quum videant hodie tam multis eas communicari. Anno* DCCCLXII. 3. *ita eos compellat:* Huc adeſte, Politici Novatores, qui in controverſiam admodum frivolè revocatis, num Summus Pontifex potuerit Francorum Regnum ab Hilderico Stupido in Pipinum transferre. *Ait autem eo loco, poſſe Epiſcopos etiam hæreditarium Regnum in alios transferre. Anno* DCCLII. 8. *negat*, Reges ullum penitùs in rebus Eccleſiaſticis jus habere: *& ſubjicit;* unde erubeſcant Politici Novatores, cùm Eccleſias ſubjiciunt Regibus.

Circa annum DCCCLXX. *in cauſſa Hincmari Rhemenſis, & Hincmari Laodunenſis, Hadrianus Secundus literas Manlianas ſcripſit ad Carolum Calvum. Carolus Hadriano reſpondet eâ Epiſtolâ, quæ hodieque extat: non minus tanto digna Rege, quàm illa Hadriani erat legitimo Petri ſucceſſore indigna. Quid ad hæc Baronius? Liberè dicam;* ὁ δὲ μαίνεται οὐκέτ᾽ ἀνεκτῶς. *Audet erga Regem optimum, quod non auſus Michaël Archangelus erga Diabolum;* κρίσιν ἐπιφέρει βλασφημίας. Carolus Calvus, *inquit*, iſta dicens, nec capillum habuit in capite rationis: *quaſi haberent pilum boni viri, qui adverſus Unctos Dei os aperiunt ita petulanter: tum autem viris probis & eruditis, ejuſdem cùm ipſo religionis, qui in ſuis ſcriptis ejus lucubrationis fecerant mentionem, inclementer dicit, & convitia ingerit.*

1614. *Fateor, non probari Baronio in anno* MCLXXVII. *quod Alexander III. Friderici Imperatoris prostrati ad pedes suos, cervices pede presserit & calcaverit: sed addo, propterea de illo facinore fœdo liberius ab eo pronunciari, quia non putavit esse veram historiam. Nam si putasset rem gestam fuisse, laudasset proculdubio, non reprehendisset. Quare enim Alexandrum III. vituperaret, pedibus Imperatorem suum calcantem, qui Cœlestinum III. pedibus ignominiosissimè & nequissimè ludentem coronâ Imperatoriâ, non veretur laudare, & factum tam immane defendere? Sed Baronius cùm adeò pertendit, non debere fidem haberi narrationi, de cervicibus Imperatoris à Papa calcatis, aut ignorat, aut dissimulat lamentabilem illorum temporum infelicitatem, quando & Papæ, & ministri Paparum, Reges etiam maximos impune ludibrio habebant. Narrat Matthæus Parisiensis in anno Domini* MCCXIII. *Pandulphum, Subdiaconum, & Papæ in Anglia Legatum*, pecuniam, quam in artham subjectionis Rex Joannes contulerat, sub pede suo conculcasse, Archiepiscopo dolente & reclamante. *Sine caussa igitur Alexandri factum adeò miratur Baronius: nam*

Quid Domini facient, audent cùm talia servi?

In anno DCCXXX. 5. *negat, hæreticos Principes sini debere in Ecclesia regnare: & Gregorium II. dilaudat, qui ejus rei exemplum primus dedit.*

Sed vultne aliquis certò cognoscere, quo fuerit Baronius animo erga Imperatores & Reges? accipiat ejus rei luculentam demonstrationem. In anno CDXCI. *narrat è Suida, Euphemium, Patriarcham Constantinopolitanum, aliquando Imperatorem Anastasium de fide habuisse suspectum: igitur minitabundum compellasse ipsum in hæc verba:* Sin secus feceris, resectâ tuâ comâ, in triumpho ducam te cum populo. *Hoc exemplum prorsus insigne est, & cui nullum legatur simile: ausum esse non jam Papam, sed Archiepiscopum Constantinopolitanum tantâ contumeliâ Imperatorem afficere, ut minaretur, se illum propriâ auctoritate tonsurum, & in Monasterium aliquod inclusurum. Non puto esse aliquem Dei timentem virum, qui audaciam Patriarchæ non detestetur: miserrima enim futura est Regum atque Imperatorum conditio, si hoc exemplum admittitur. Ego hîc tragœdias à Baronio expectabam, vel eo saltem nomine, quòd tantum jus alius præter Papam sibi vindicat. Ille verò exultat ad hoc factum, & ita scribit:* Hæc cùm dixit Euphemius, planè exauctorationem ei comminatus est: siquidem idem erat recidere Imperatoris comam, quod in Ordinem Monachorum redigere ad pœnitentiam, ut de pluribus factum legitur. Vidisti quantâ sibi auctoritate Sacerdotii sumat Euphemius, ut abrogationem Imperii magnâ animi celsitudine intrepidus publicè comminatus fuerit Imperatori? quod timens ille, ab Hæreticorum cœtu ad tempus saltem abscessit, simulans se esse Catholicum. *Quis hæc legit, & non agnoscat Baronii in Principes animum? Sed Deus caussam Principum adversus illum fortiter hoc loco vindicavit: mirâ enim* θεοβλαβείᾳ *exultabundus ille animus fuit hic percussus. Historia falsa est: locus Suidæ, ut tale aliquid ex eo posset exprimi, præcipuis verbis, pessimo exemplo, fuit truncatus: denique crimine falsi manifesto deprehensus hæret, non dicam Baronius, sed is, qui hunc Baronio locum suggessit. Suidas expressè notat, Anastasium, quando hæc ad illum Euphemius, fuisse silentiarium. Zonaras explicat, de eodem Anastasio loquens,* τῶν χαμαιζήλων ἦν τοῦτο ἀξιωμάτων, Silentiariatus erat, una è vilissimis dignitatibus. *En facinus indignum: quod de abjectissimæ conditionis homine narrant Historiæ, id Imperatori tribuere, & de ejus falsa contumelia adeò impo-*

impotenter triumphare. At fraus illius, à quo hunc locum Baronius accepit, insignis, & quovis supplicio digna: sustulit enim è verbis Suidæ ista, 1614.
ὁ μετ᾽ ταῦτα βασιλεύσας, is qui posteà regnavit; *si posteà, non igitur tunc, quando id illi accidit. Bis autem habentur apud Suidam illæ voces; in* Ἀναστάσιος, *& in* Φρατρία.

Eat nunc parricidarum patronus, Andreas Cretensis, Jesuita, & dicat defuisse mihi, quando ad Frontonem scribebam, facultatem, vel unicum ex Annalibus locum proferendi, quo probarem, Baronium Principibus minus æquum fuisse, Papæ nimis addictum. Atqui non pauca tantùm loca seligi ad ejus rei demonstrationem queant; sed libri etiam multi, quamvis prolixi, de eo dumtaxat argumento possent confici. Quæ cùm ita sint, neminem arbitror pium & prudentem iri repertum, quin ultrò fateatur, non sine magno periculo ejus Historiam in manibus juventutis, aut corruptorum superstitione Lectorum hodie versari. Videmus, quot machinæ quotidie labefactandæ Principum auctoritati adhibeantur. Videmus, quàm multi in Italia, Hispania, Germania, ipsa etiam in Gallia, vel apertè, vel per cuniculos id propositum urgeant. Videmus, qui sint illius Cerbereæ doctrinæ fructus. Parricidæ pietatis obtentu armant se in suos Reges: ferro, igne, pulvere Unctorum Dei vita appetitur: supplicium ex eo crimine martyrium vocatur: parricidarum caussa Romæ sine pudore defenditur: parricidæ convicti & confessi cœlis inseruntur: ô tempora! ô mores! Non dico, Baronii Annales crimen illud nefarium & horrendum palam docere. Quid juvat? si Hildebrandum cum suis Dictatibus tollit in cœlum: si dirissima quæque Paparum in Principes facta deprædicat: si Sacerdotes vult esse Regum Reges: si hæresin esse pronunciat, & quidem teterrimam, aut negare, duos gladios esse Papæ, (non quo sensu olim Bernardus, sed quo sensu utrumque sibi à paucis seculis Papæ vindicarunt;) aut pro Regum defensione adversus Curiam Romanam audere hiscere.

Magnam igitur, meo quidem judicio, laudem meretur, vir ille dignitatis primariæ, & erga Reges Christianissimos fidei compertissimæ; qui Galli hominis, horum Annalium nuperi Epitomatoris, ad Senatûs Parisiensis amplissimos Patres nomen nuper detulit; quòd Epitomen suam contexens, perniciosissimæ hujus hæreseωs venenum, quasi aliud agens populis Galliarum propinasset, sicut est ab ipso perspicuè demonstratum.

Post cædem infandam duorum Regum Christianissimorum, quos dira illa doctrina exstinxit; cessare, aut periculum dissimulare, si aliis nationibus licet, nobis certè Gallis non licet; nisi antiquæ majorum nostrorum gloriæ fidelitatis exquisitæ erga Reges nostros cogitamus renunciare, ὃ μὴ γένοιτο, ὀδ᾽ ἔσαι.

Me ut hoc potissimùm tempore istud opus susciperem, illa cum primis caussa impulit; (scit Deus, scrutator cordium!) quòd memoriæ Henrici Magni non malè parentaturum me credidi, si doctrinam, cujus pestem ipsi experiri contigit, pro mea virili refutare conarer atque infamare. Initio igitur, cùm ante biennium ad scribendum seriò animum cœpi appellere, illa solummodò attingere consilium erat, quæ ad jura Principum pertinent. Quòd posteà ne illa quidem prætermiserim, quæ ad hodiernas spectant de Religione controversias, studio factum est illustrandæ pro viribus Antiquitatis Ecclesiasticæ etiam in illa parte. Baronium igitur præeuntem κατὰ πόδας, *hoc est*, per vestigia, *sequens, occasionem habui multa in eo genere mihi observata in lucem proferendi. Quædam breviter attigi, quædam paullò uberius tractavi;*

 ctavi;

1614. ctavi; ut doctrinam de Sacrosancta Eucharistia: de qua dum vestigia Baronii premo, tres scripsi disputationes: unam de variis ejus Sacramenti apud Veteres appellationibus; alteram de Transubstantiatione; tertiam de genere sacrificii Christianorum; conatus primorum seculorum doctrinam, non minus candidè & ἀφιλῶς, quàm accuratè exponere. Prima disputatio habetur in Exercitatione XVI. reliquæ duæ propter Typographi festinationem, quia erant longiusculæ, edi nunc non potuerunt. Quoniam autem Cardinalis Baronius, in primo operis sui Tomo, capita hodiernarum controversiarum, pleraque omnia putavit sibi tractanda, ideò & nobis imitandi ejus exemplum necessitas incubuit. Inde illa tam luculenta rerum copia, de quibus aut jam egimus in hanc priore parte; aut restat deinceps agendum, σὺν Θεῷ, in posteriore. Ita enim visum commodius dividere, quæ rescripsimus ad primum Tomum. In priore multa ex Euangelica Historia occurrerunt tractanda: posterior, nascentis Ecclesiæ formam, quà internam, quà externam, si faverit ceptis Jesus Christus ὁ Σωτὴρ, accuratè descriptam complectetur.

Quod superest, peto à te obnixè, pie & candide Lector, persuadeas tibi, me ad hoc genus studiorum, in queis à prima juventute optimus parens me educavit, quæque ipse amavi, & pro facultate colui semper, etiam cùm in aliis literis videbar esse totus; non levitate animi, non studio duntaxat gratificandi cuiquam mortalium; non denique humani alicujus commodi spe deflexisse; verùm ejus unius mercedis cupiditate, ut in timore Dei, veræque Antiquitatis Ecclesiasticæ cognitione & proficerem ipse magis magisque in dies; & aliis, si quos fortè eadem cupiditas tenet, viam à Cardinali Baronio prius munitam, magnis meis laboribus redderem aliquantò munitiorem & planiorem. Discordias augere nunquam fuit animus mihi. Θεὸς δ' ἐπιμάρτυρος ἔστω· iter ad concordiam indicare, id verò totâ voluntate, si possem, vellem. Faxit Deus immortalis, ut & me hæ, & aliorum omnium, qui in iisdem literis excolendis desudant, lucubrationes, ad sanctissimi nominis sui gloriam, Ecclesiæ ædificationem, & nostram omnium salutem semper dirigantur. Γένοιτο, γένοιτο. Londini, a. d. VI. Non. Martias, CIↃ IↃ CXIV.

Ἑνὶ Θεῷ δόξα καὶ χάρις.

PRÆFATIO

PRÆFATIO

praemiſſa Notis in

VETEREM INSCRIPTIONEM GRÆCAM,

nuper ad Urbem in Via Appia effoſſam; Dedicationem fundi continens, ab HERODE Rege factam.

(*Exſtat in* Muſeo philologico & hiſtorico *Thomæ Crenii*, *Tomo primo*, *pag.* 337. *& ſeqq.*)

EXIMIUM *Vetuſtatis monumentum iſtud Româ nuper accepit Senator ampliſſimus ac præſtantiſſimus, Jacobus Gillottus, miſſu viri exquiſitâ eruditione atque humanitate præditi, Chriſtophori Puteani, Claudii filii, Pariſienſis. Fuerat autem, ut ſcribebat idem Puteanus, ante paucos dies ad Urbem in Via Appia inventum, ac præſente ſe terrâ erutum. Jam ante annos aliquot affinis ac prope ejuſdem argumenti columna ibidem, ut apparet, fuit reperta, & inde poſteà ad Farneſianos Hortos tranſlata; quam Inſcriptionum antiquarum Theſaurus viri clariſſimi, Jani Gruteri, titulo primo exhibet. Sed Farneſiana quidem columna charactere vulgò Græcis ætatis illius minùs uſitato, & ut nuper ad Euſebium ſuum illuſtriſſimus Scaliger fuſè demonſtravit, Ionicis literis eſt exarata: hoc verò recens Puteano deſcriptum monumentum à communi Græcorum charactere nihil variat. Utraque Inſcriptio ab Herode olim in fundo poſita, quem ad tertium ab Urbe lapidem, in Via Appia poſſedit. Clarè hoc docet Farneſiana columna; cujus verba ſunt ſtatim initio:* οὐδενὶ θεμιτὸν μετακινῆσαι ἐκ τοῦ Τριοπίου, ὅ ἐστιν ἐπὶ τοῦ τρίτου ἐν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ, ἐν τῷ Ἡρώδου ἀγρῷ. *Triopium* κυρίως *eſt ædes Triopæ Heroï ſacra, de quo poſteà dicetur. Herodis villa, ſive ſuburbanum, ab hac æde videtur cognomen inveniſſe: imò verò territorium univerſum, quo prædium Herodis continebatur, Triopium appellari ſolitum, non obſcurè* V. *verſus &* VI. *ſignificant. Porro Herodem iſtum privatæ ſortis hominem nequaquàm fuiſſe; verùm regio ornatum titulo, verſus* XXIX. *arguit, qui Regem ipſum nominat. Quum autem ex Hiſtoria etiam Sacra tres noti ſint Judæorum Principes hujus nominis; Magnus videlicet Herodes, & filius ipſius, Antipas; cum ejuſdem nepote, Herode Agrippa: eum, cujus heic ſit mentio, Herodem Magnum fuiſſe, arbitramur. Hic vir ſceleratiſſimus & verſutiſſimus precarium beneficio Antonii atque Auguſti Regnum nactus, Religionem pro ambitionis inſtrumento ſemper habuit: in Urbe ſancta & inter Judæos, Judaïcarum Legum atque Inſtitutorum obſervans: extra urbem & inter Græcos, pro Græco ac gentili perſæpe ſe gerens. Cùm alia igitur multa contra morem patrium Judæorum deſignavit Herodes; tùm etiam Diis Gentium templa variis extra urbem Jeroſolyma locis, ſumtu ingenti atque magnificentiâ ſingulari exſtruxit. Joſephus, libro* XV. *capite* XII. Ὑπὸ δὲ τῆς εἰς τοῦτο φιλοτιμίας καὶ τῆς θεραπείας, ἣν ἐθεράπευε Καίσαρα καὶ Ῥωμαίων τοὺς πλεῖστον δυναμένους, ἐκβαίνειν τῶν ἐθῶν ἠναγκάζετο, καὶ πολλὰ τῶν νομίμων παραχαράττειν, πόλεις τε κτίζων ὑπὸ φιλοτιμίας καὶ ναοὺς ἐγείρων, οὐκ ἐν

τῇ τῶν Ἰουδαίων· οὐδὲ γὰρ ἂν ἠνέσχοντο τῶν τοιούτων ἀπηγορευμένων ἡμῖν, ὡς ἀγάλματα καὶ τύπους μεμορφωμένους τιμᾶν πρὸς τὸν Ἑλληνικὸν τρόπον· τὴν δ' ἔξω χώραν καὶ τὰς πόλεις οὕτως κατεσκευάζετο. *Posteà duas affert caussas, cur hoc fecerit Herodes; studium nempe gratificandi Augusto, ceterisque Romanis Proceribus; & profundam cupiditatem monumenta Imperii sui ad posteros transmittendi. Ut non alia quærenda nobis sit ratio, cur ambitiosissimus Princeps in tantæ celebritatis loco, atque adeò in ipsa propemodùm urbe Roma, hoc suæ impietatis &* Ἑλληνισμοῦ *luculentum testimonium exstare voluerit.*



ISAACI

ISAACI CASAUBONI, GENEVENSIS,

DE LIBERTATE ECCLESIASTICA:

LIBER SINGULARIS.

Ad Viros politicos, qui de controversia inter Paulum V. Pontificem Maximum, & Rempublicam Venetam, edoceri cupiunt.

Anno Domini MDCVII.

PRÆFATIO
AD VERE PIUM ET VERÈ POLITICUM
LECTOREM.

SIne caussa multi, etiam interdum viri graves, exortam non ita 1607.
pridem controversiam inter Paulum V. Pontificem Maximum, & Serenissimam Rempublicam Venetam, tantoperè sunt admirati. Nam ut imperitam rerum plebeculam, & sui duntaxat questûs diurni satagentem, ad hujusmodi nuntium stupuisse meritò, atque inhorrruisse, non sit rationi alienum; ita, cur hominibus prudentiâ & notitiâ rerum antè gestarum, quæque nunc cùm maximè geruntur, præstantibus, ulla admodum incesseret admiratio, nihil quicquam profectò erat: quippe illa demum Sapientes mirari solent, quæ vel rarò accidunt, vel caussas quare acciderint, obscuras habent, & ad pervestigandum difficiles. At controversiarum similium & bellorum etiam sævissimorum, è pari caussa conflatorum, exempla, quibus cunctæ præteritorum nostrorumque adeò temporum Historiæ sunt refertissimæ, quis potest vir prudens ignorare? Caussa porrò in promptu, & omnibus obvia. Ex quo enim Summus Pontifex ab adulatoribus suis, fatali magnarum Potestatum peste, sibi persuaderi sinit, suum esse Orbis terrarum imperium: suam rerum omnium, non spiritualium solùm, sed & temporalium, uti vocant, dominationem: à se uno Reges universos ac Principes pendere: ut cujus in manu sit, Regna firmare, mutare, adimere, & in quos voluerit cunque transferre: quem antè ceu Patrem communem omnes venerabantur; omnes gravari, suspectare, ac formidare cœperunt: hinc illa tam frequentia, tam diuturna, totiesque repetita jurgia, dissidia, bella denique funestissima, & à Pontifice & adversus Pontificem ingentibus odiis gesta. Ac licet communi utilitate exigente, ab armis sæpe est cessatum; quia tamen inter diffidenteis animis & sententiis Potestates, sibi invicem perpetuò imminenteis, satis bonâ fide convenire nunquam potuit, poterit nunquam; dilatio belli, non certa pax ea censeri debet.

Pax antè fida nivibus & flammis erit.

Quis namque vir cordatus, dominationis legitimæ compos, tam immensum & infinitum imperium, cui simile ne fando quidem est auditum, non detrectet? non omni nisu eat excussum? Omnino libertate suâ, nedum majestate, Principes spoliant, qui Pontifici potentiam istam, nullis coërcitam finibus, divina humanaque jura omnia peræquè amplectentem, tribuunt: impunitas, fateor, illis erit interdum; securitas certè nunquam. Quare non si inter Pontificem ac Principes parum sæpe conveniat, admiratione digna res censeri debet: verùm illud potius demirari convenit, quibus tandem machinis persæpe generosæ mentes maximorum potentissimorumque Principum expugnentur; ut cogi se in ordinem vel non intelligant, vel etiam scientes prudentesque animis æquis patiantur. Enimverò quâ arte plerisque illorum aliud agentibus manus adeatur, operæ pretium est attendere. Quemadmodum enim in civitate libera fieri amat, ut pauci, quò rerum summam ad se trahant, astu civeis aggrediantur, & iis quæ sapientissimis

1607. *simis Philosophorum oligarchiæ sophismata nominat: ita planè qui hujus inhonestæ servitutis jugo, (de temporali dominatione Pontificis loquor;) Principes subjicere moliuntur; rei duritiem verborum honestate sedulò molliunt: certam & manifestam usurpationem, ut jam ævo suo beatissimus Pater Bernardus vocabat,* LIBERTATIS ECCLESIASTICÆ *appellatione velant: qui si nihil aliud intelligerent, quàm quod ipsæ præ se ferunt voces, amore omnium & prædicatione erant dignissimi. Christianus enim haberi non meretur, qui libertatem & conservationem Ecclesiæ Dei, sponsæ Domini Jesu, pro qua & vitam ponere ipse suam sustinuit, non optet; non pro virili parte adjuvet. Sed aliud longè heic agitur, aliud simulatur: aliud verbis palàm dicitur, aliud reverà in occulto sentitur: & dum Ecclesiæ libertas obtenditur, unius cum paucis dominatio impotens quæritur: quumque, non secus ac si in hoc uno Religionis Christianæ cardo verteretur, certorum hominum in eo desudet hodie industria, ut majestate suâ Imperatoribus, Regibus, ac Principibus universis detractâ, non tam supra omnes, quàm omnium loco unus substituatur: inceptis omnibus atque ausis, mirè interdum horrendis, Libertatis Ecclesiasticæ blandum semper nomen prætexitur. Ne præteritarum calamitatum, quæ ab hoc uno fonte in Italiam, Galliam, Germaniam ubertim sæpe exundarunt, memoriam refricem; nunc nuper Pontifex Maximus cùm dirum illud Anathematis carmen adversus Serenissimam Venetorum Rempublicam pronuntiaret, tantarum irarum caussam attulit,* LIBERTATEM ECCLESIASTICAM VIOLATAM. *Fidem Dei atque hominum! quænam ista, obsecro, libertas est, cujus contemtus, tam illustris capitis, tam benè meriti de Ecclesia universa Senatûs, tot innocentium civitatum ac populorum damnatione æternâ sit expiandus? Sed cur nomina, quæ rerum signa sunt, commutantur? Neque enim de Ecclesiæ libertate in hac causa agitur; verùm de paucorum commodis, qui loquendi usu quodam an abusu Ecclesiæ nomine censentur: de impunitate item Ecclesiasticorum agitur, & licentia quidvis specie Religionis audendi; non de electionum libertate, pro qua mille mortes oppetere, Senatus populusque Venetus sint parati: non denique de re ulla ad communem gregis Christiani utilitatem spectante. En quæ dicitur hodie libertas Ecclesiastica; quæ tot insontium animarum damnatione sancitur; cujus gratiâ stabiliendæ Dei Opt. Max. laudes silere: juge sacrificium jubetur tolli: omni pietatis exercitatione infinita multitudo, nihil commerita misella, interdicitur: belli quin etiam & omnium malorum, quæ bella comitantur, metus incutitur. Quid multa? hæc est illa libertas, adversus quam si quis patriæ charitate ductus, mutire audeat,* POLITICUS *è vestigio, tanquam Christiani appellatione indignus incipit vocitari. Unum hoc nimirum seculo nostro ad omne dedecus restabat, ut quasi parum in multas partes Ecclesia Dei nostra hac tempestate foret scissa: novum istud insuper à turbulentis quibusdam Tribunis, publicæ tranquillitatis juratis hostibus adinveniretur nomen, quo consentientes cæteroquin in fidei dogmatis invicem abalienent; abalienatos in partes secedere compellant: aut illis etiam, si fortè, velint nolint se adjungere, quos à Communione Romanæ Ecclesiæ esse suspensos, Christianus orbis universus dudum gemit.*

Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.

Et tamen, quid eos velle aliud aut quærere hodie censeas, qui Politicis quos nominant, voce & scriptis inclementer assiduè dicunt? In odium plebi levissimæ illos vocant: differunt, lacerant, & immanibus convitiis proscindunt.

Nova-

Novatores, Novatoribus ortos, impios, hæreticos, *locis sexcentis suorum* 1607.
Annalium illustrissimus Cardinalis Baronius, ipsos nominat. Sunt in omnium manibus diversorum Auctorum scripta, velut Thomæ Bozii, Alexandri Carerii Patavini, Romæ, Patavii, atque alibi, ad defensionem istius libertatis Ecclesiasticæ ADVERSUS IMPIOS POLITICOS *publicata: isto enim titulo libri proscribuntur. Pulchram sanè & oppidò efficacem rationem, gregem universum ad unum ovile reducendi: cùm & domestici atrocibus maledictis, quæ ingenuorum supplicia sunt, veluti furcis, quod ajunt, foràs extruduntur; & jam alienatis, spes quoque ipsa reditûs, novis quotidie offensaculis objectis, in æternum præciditur. Sed est tanti libertas ista, ut ad tuitionem illius susque deque miscere omnia, cœlum terræ, sacra profanis, nullus sit pudor: quumque cœlestis Doctoris præcepta sint* ἀναντίρρητα, *ad quæ suo etiam ipse exemplo nobis præivit; Charitatem super omnia modis omnibus fovere, vel cum inimicis; &, Potestatibus à Deo institutis subjici, ac propter conscientiam dicto illis esse audientes: adstruendæ firmandæque libertati huic, per tot meliora secula incognitæ, penitusque inauditæ, jurgia assiduè serere, bella ubique ciere, Regibus ac Principibus terrori esse, subditos eorum legibus solvere, atque in proprios armare Principes, cuncta denique divina & humana jura temerare, pium & sanctum vocatur, ac Deo gratissimum esse disputatur. Nempe ita facere illos oportet, qui veteri dicto fidem apud posteros cogitent conciliare:*

Malè imperando summum imperium amittitur.

Verùm ad vos, gravissimi prudentissimique Viri, qui Principum Concilia participatis, jam me converto; atque ut libellum hunc, pingui illum quidem Minervâ scriptum, sed ab amore veritatis & erga Potestates divinitùs institutas, devotione singulari profectum, lectione vestrâ dignemini, à vobis peto atque contendo. Interest fidei vestræ, quorum consiliis cuncta in Republica administrantur, ut caussam hanc, quæ vim omnem dominationis civilis bene intellecta firmat; sin aliter, destruit, & perspectam ipsi penitissimè habeatis: & à cunctis vestrorum Dominorum subditis velitis studeatisque accuratè cognosci. Omnium verò maximè Principum vestrorum interest, ut nudam rei veritatem hac in parte à vobis accipiant, eamque rectè capiant. Solent enim doctrinæ istius assertores, homines solertissimæ industriæ atque ingeniosissimi, mirificè illis obrepere, & verbis honestis, quod antè dicebamus, pestilentis doctrinæ venenum incautis propinare: longè enim aliter apud aures Principum de hac quæstione loquuntur, aliter apud vulgus & in libris suis blaterant. Quod quidem artificium ita feliciter hactenus illis processit, ut quid verè sentiant, quid doceant super Potestate principali, pauci adhuc Principes videantur cognovisse. Posthàc verò ne rem necessariam possint ignorare, cautio vestra est, prudentissimi sapientissimique Viri. Nos quidem summis ex ordine vestro Proceribus scimus esse persuasissimum, idque hoc brevi libello clarè & liquidò nos demonstrasse confidimus; si doctrinæ isti locus detur, & hæc ψευδώνυμος *libertas in animos hominum prius admittatur, quàm excutiatur, ilicet; de civilium omnium Potestatum vi atque juribus esse actum & conclamatum: dominationis enim res ipsa penitùs adimitur Principibus: utut nomen inane illis videatur relinqui; quanquam ne nominis quidem usurpandi jus, nisi ad alienum arbitrium, per hanc doctrinam ipsis conceditur; quo quid contumeliosius, quid magis probrosum iis possit accidere, qui sublime dignitatis suæ fastigium uni Deo ferunt acceptum? Cujus*

1607. *ordinationi manifestò repugnant, qui jura Principatuum subvertunt, subditos fidei sacramento solvunt, vincula dominationis civilis omnia abrumpunt. Hoc facile cognoscant, sciant, penitusque imbibant, & qui regunt, & qui reguntur. Omnium Principum communis hæc caussa est: omnium enim libertatem falsò dicta hæc Libertas Ecclesiastica opprimit: quid dico, opprimit? imò verò Regna integra legitimis possessoribus erepta, obtentu hujus scuti Pontifici Maximo vindicantur; idque tantâ vehementiâ, tantâ verborum acrimoniâ atque atrocitate, nihil ut queat magis. Legatur, quæso, vel unica illa accuratissima Cardinalis Baronii digressio in XI. Annalium, quâ Siciliæ Regnum à Rege Catholico it repetitum: miraberis Carolum V. immortali laude dignissimum Imperatorem, cum filio ac nepote, duobus Philippis, Hispaniarum Catholicis Regibus, Sedis Apostolicæ propugnatoribus acerrimis, non secus ac viles quosdam orbis terrarum prædones, & Ecclesiæ hostes esse exceptos: quo autem jure? Libertatis nempe hujusce Ecclesiasticæ, cujus nomen singulis paginis ad fastidium usque ab Auctore inculcatur. Ite nunc, Principes, & patrocinio istius libertatis opes, Regna & vos ipsos impendite. Nec refert, quòd quibusdam illorum ab hac Doctrina nihil in præsens videtur mali impendere: nam si semel in animis subditorum fundamenta suæ dominationis labefactari per incuriam passi fuerint, ipsam quoque dominationem & Imperium suum labare, nutare, ac parum validis radicibus esse fundatum, omnino necesse est. Cogitate, Viri prudentissimi, omnibus minari Principibus, uni qui injuriam facit. Cogitate, sapientissimè illud à Felice II. Romano Pontifice esse dictum:* Error, cui non resistitur, approbatur; & veritas, quæ minimè defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cùm possis deturbare perversam opinionem, nihil est aliud quàm fovere. *Cogitate, eos vos esse Politicos, quorum nomen sectæ istius Auctoribus tantoperè est exosum. Facite igitur, ut vim nominis vestri probè vos intelligere, & verè Doctrinæ civilis esse peritos, reapse experiantur: futuri providos,* ἅμα πρόσω ϗ ὀπίσω *sagaciter prospicientes; &, quod prudentium docet esse proprium sapiens ille Megalopolitanus, non Fortunæ fidentes, verùm consiliis, quæ recta ratio suaserit. Quod superest, omneis eos, in quorum manus hæc nostra inciderint, obsecro atque obtestor, ut si quid paullò liberius in hac disputatione nobis fortè exciderit, neque malevolentiæ id adscribant, neque irreverentiæ erga sacrum ordinem, quem debito honore colere me ac venerari profiteor: sed partim amori patriæ, omne id quicquid erit, condonent; quem esse in nobis vehementissimum, nunquam dissimulaturi sumus: partim studio veritatis, cujus præcipuam semper in omni disquisitione habendam esse rationem dubitat nemo, qui quidem hominem se esse natum rectæ rationis participem meminerit. Ita* DOMINUS JESUS, *qui nec fallere, nec falli potest, mea supplicis vota exaudiat. Valete, prudentissimi amplissimique Viri, & cum* DEO *bene rem gerite.*

OBSER-

OBSERVATIO
EDITORIS.

HOc Opuſculum quorundam Magnatum apud Gallos conſilio & juſſu fuerat elucubratum. Arreptâ ſcilicet occaſione controverſiarum, quæ inter Pontificem Romanum & Venetorum Rempublicam agitabantur. Sed mutatis rebus, & compoſitâ lite dum ſub prælo ſudabat, excudebaturque pagina 264. Lutetiæ Pariſiorum, anno Domini CIƆ IƆ CVII. in octavo; vetuit Henricus IV. Rex Galliarum, ultrà progredi; juſſitque, ut quod jam fuerat editum, ſupprimeretur: ideò imperfectum remanſit illud Opus. Inchoata quæ fuerant exemplaria, prodiêrunt in lucem pauciſſima, tacito CASAUBONI nomine. *Melchior Goldaſtus* exemplar, quod in manus ſuas inciderat, inſeruit *Tomo primo* MONARCHIÆ S. ROMANI IMPERII, *pag.* 674. *& ſeqq.*

Utilitati publicæ inſervire credidimus, ſi novam editionem libri rariſſimi curaremus. Quàm eruditus in Antiquitatibus Eccleſiaſticis fuerit CASAUBONUS, tàm ex hoc ſpecimine, quàm ex EXERCITATIONIBUS IN BARONII ANNALES facilè probari poterit.

ELENCHUS CAPITUM
LIBRI HUJUS
DE LIBERTATE ECCLESIASTICA.

ISAACI

ISAACI CASAUBONI, GENEVENSIS, DE LIBERTATE ECCLESIASTICA: LIBER SINGULARIS.

CAPUT I.

Causa & occasio scriptionis hujus. Nominis explicatio. Libertatis variæ species. Libertatem Christianam à Deo datam, Sanctis Patribus antiquis sæpe memorari: Libertatem Ecclesiasticam non item. Error Interpretum Juris Canonici in definienda Libertate Ecclesiastica. Ejus definitio accuratè vestigatur.

OMnes homines libertatem, bonum animi inter præcipua, amant, 1607. sibi optant, ejusque caussâ aliis favent. Ecclesiam verò Catholicam Domini Jesu Christi, columnam veritatis, salutis portum, cuncti suspiciunt atque venerantur veri Catholici ac Christiani. Et tamen erga Ecclesiasticam libertatem, quam hodie vocant, non eodem modo omnes, qui dicuntur & sunt profectò Catholici ac Christiani, apparent animati. Multi unicam pietatis Christianæ hanc arcem putant; in hujus propugnatione & amplificatione summam religionis totius ponunt; aliter sentientes, ut in errore pernicioso versanteis devitant, & pro sacris atque intestabilibus eos habent: pertendere contrà alii, falli istos, atque errorem insanum magnum errare; & vim hujus appellationis aut simpliciter ignorare, aut subdolè dissimulare: quippe hodie libertatis speciosum nomen ab iis prætexi, qui alienum servitium, & dominationem sibi concupiunt. Quemadmodum vitia sæpe esse virtutes mentiantur, ut tenacitas parsimonia, effusio largitas, crudelitas zelus justitiæ, remissio pietas velit videri, quod Gregorius Magnus ajebat; sic libertatem Ecclesiasticam falsò ab illis dici atque ostendi, qui Ecclesiæ, non vindictâ Prætoris, sed pretioso Christi sanguine in libertatem assertæ, ipsis etiam Regibus ac Principibus durissimæ servitutis jugum eant impositum. Bonitatis verba imitari, cùm noxam pares majorem esse malitiam. Enimverò nemo est paullò Historiarum peritior, quin sciat, Libertatem hanc Ecclesiasticam ab aliquot retrò seculis instar fomitis cujusdam fuisse atque incentivi, quod populos in Europa Christianos inter se commisit, bellisque dirissimis, atque iis admodum diuturnis, miserandum in modum lugubriter attrivit. Nunc quoque cur ille nobilissimus orbis terrarum ocellus, Italiam dico, turbetur & inter bellum ac pacem, salutem aut pernitiem, nutet incertus, eadem ista libertas Ecclesiastica est in caussa. Hoc enim queritur Pontifex Maximus Paulus V. in elogio damnationis adversus Serenissimam Rempublicam Venetam prolatæ; VIOLATIONE LIBERTATIS ECCLESIASTICÆ suam sibi majestatem eos imminuisse. Veneti è contrario, jura Reipublicæ suæ & veram Ecclesiæ

1607. Ecclesiæ libertatem à se proditam iri, si Pontifici morem in hac parte gesserint. Est omnino quæstio hæc longè gravissima, quæque meritò præstantissima multorum ingenia excitavit, ut partis utriusque justâ certatim literis mandarent. In tanta scribentium copia, nulla erit, spero, invidia, si & nos cœpit impetus rem tantam penitùs cognoscendi; cùm præsertim magnus nobis ab illustrissimo Cardinali Baronio scrupulus esset injectus; qui tot locis suorum Annalium ita libertatem hanc propugnat, ut secius erga illam animatos, hæreticos, & flammis æternis addictos pronuntiare non vereatur. Quis erit Catholicus tam socors, & salutis suæ securus, quem tam atrox denuntiatio non advertat? non incendat cupiditate intelligendi quid rei sit, quod Libertatis Ecclesiasticæ nomine hodie censetur? Nos quæsivimus, non contendendi studio, testamur Deum immortalem: sed veri inveniendi desiderio. Igitur, ut ordine ac viâ progrediatur disputatio, à capite quæstionem arcessemus, & de nomine ipso primùm, cujus varia & multiplex usurpatio, paucis agemus.

Liber primâ notione verbum est ruri natum, ut *clades*, *soboles*, & alia multa, quæ posterior ætas ad res diversissimas transtulit: λέπος Græcis, cortex arbori detractus: sed pro π alii β ponebant: unde λεβηρὶς dicta, quasi λεπηρὶς, auctoribus Grammaticis; qui primitùs eâ voce significari scribunt λέπος κυάμου, fabæ corticem. Veteribus Latinis ex eo *liber*, notione eâdem primò, cortex ab arbore sua solutus: *liberare*, corticem detrahere: posteà cùm in bellis captus aliquis captorem suum eluserat, militari elegantiâ an lasciviâ *liber* dici cœpit: ut contrà qui semel captus victori adhærebat, neque poterat se expedire, *servus* & *mancipium*: paullò aliter Græcis, ἐλεύθερος ob facultatem eundi quò vellet: non ut nugantur ὁ ἐλεύθειν ὅπου ἐρᾷ, sed pari analogiâ ac πενθερὸς is, ad quem funus pertinet, à πενθῶ γερὰς γεῶ, & alia hoc genus. Libertas igitur captivitati & servituti opponitur. Cæterùm & libertas & servitus multis modis in hominem cadunt: multa item sunt loquendi genera, in quibus variâ notione vox hæc usurpatur; de quibus breviter heic dicendum, ne nominis ignoratio rei ignorantiam, quod alioquin necessariò fit, secum trahat. Doctè enim in Gorgia Plato: *qui nomina rectè norit, & res ipsas eàdem noverit.* Plutarchus quoque sanè quàm verissimè, ex communi, ut ait, Philosophorum sententia: *qui nomina interpretariè rect non didicerunt, hi & res ipsas perperam accipiunt:* quod in proposita quæstione multis hodie evenire, quæ deinceps dicentur, manifestissimè arguent: verùm ad rem. Libertas propriè personis tribuitur: interdum tamen & inanimatis rebus: pro immunitate vel peculiari quodam jure illis indulto. Hominis libertas, vel in singulis spectari potest, vel in pluribus unum quasi corpus constituentibus. Ejus quæ singulis competit, tot species sunt, quot sunt rerum genera, ad quas voluntates hominum possunt referri: semper nimirum ratione voluntatis atque arbitrii de homine dicitur libertas aut servitus. Voluntates hominum vel res illas respiciunt, quas humanus intellectus appetit ut sibi necessarias, quatenus animal est vitæ particeps: Sacra Scriptura & Patres vocant τὰ βιωτικὰ vitæ hujus instrumenta. Aristoteles τὰ πρὸς τὸ εἶναι ἀναγκαῖα, necessaria ut sis: vel ad illas actiones respiciunt, in quibus virtutis & vitii discrimen intelligitur: quæ homini conveniunt, quatenus rationis est particeps. Philosophus vocat necessaria πρὸς τὸ καλῶς εἶναι, ut non vitam solùm degas, sed eam honestam: vel denique ad ea spectant, quæ hominis intellectus appetit, quatenus cœlestis suæ originis memor, ad futuram vitam & beatitudinem se comparat: hinc & libertas triplex oritur. Prima est corporis; quæ & primæva appellatio libertatis: de hac multa in libris prudentiæ civilis. Sacra Scriptura & Theologorum, non ita multa: quia ad civilem vitam plurimùm interest, liber sit aliquis an servus:

vus: ad futuram beatitatem consequendam nihil prorsus, sicut persæpè in 160. Evangelio docemur: & si ut liberi quàm servi esse peroptemus, disertè monet S. Apostolus, priore ad Corinthios. *Servus vocatus es? non sit tibi curæ; sed & si potes fieri liber, magis utere.* Sacro ordine & familiis Monachorum arceri servos, multis super eo canonibus & constitutionibus editis, nemo nescit. Proxima huic est libertas animi, priore tantò nobilior, quantò nobilior est animus corpore: hac carent qui vitiis & affectibus serviunt: illi tenent, qui expulsis vulgi erroribus, uni addicti virtuti nihil cupiunt, nihil metuunt: ad hanc consequendam Moralis tota Philosophorum doctrina fuit comparata: & notissimum est Stoicorum scitum: Solum sapientem esse liberum; cæteros omnes, servos. Sed neque per humani ingenii sapientiam, neque etiam per Mosaicam legem, quæ populo Judaico pietatis & virtutis fuit magistra, ad libertatem animi potuit quisquam pervenire; omneis enim mortales, quà Judæi, quà Græci, peccati servi, ut in divina illa ad Romanos Epistola evincit Apostolus: itaque nemo ex omnibus mortalibus liber. Tertium ideò libertatis genus fuit opus, ut ad optatam libertatem homines possent evadere. Hæc est illa spiritûs, non animi solùm libertas, Fidelium propria, morte Domini nostri Jesu Christi Ecclesiæ ipsius parta, tantò priore præstantior, quantò cœlestia humanis antecellunt, vita morte, gloria æterna cruciatibus sempiternis. De hac libertate B. Thomas, in Joannis Evangelium: *Sermo Domini per hoc, quod est veritas, liberat à coactione & obligatione vanitatis: per hoc, quod est sermo gratiæ, liberat à culpæ & iniquitatis servitute: per hoc autem, quod est sermo omnipotentis Dei, liberat à servitute miseriæ. Primo dat libertatem naturæ, secundo libertatem gratiæ, tertio libertatem gloriæ:* hæc vir acutissimus. Theologi gravissimi libertatem hanc ad duo ista referunt: liberationem à morte, quæ stipendium est peccati, & à præceptorum Legis Mosaïcæ præsertim cæremonialis rigida observatione: itaque libertas Christiana duorum generum est: de priore loquitur Dominus in VIII. Joannis: *Amen, amen dico vobis; quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati; servus autem non manet in æternum: si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* De posteriore B. Apostolus Paulus, ad Galatas cap. IV. ubi post expositum libertatis hujus typum, concludit ad extremum: *non sumus ancillæ filii; sed liberæ: quâ libertate igitur Christus nos liberavit, in ea state; & nolite rursus jugo servitutis contineri.* Est verò illa demum absoluta libertas, cùm Deo servimus: propterea in Sacris Literis liberum esse, & Deo servire, verbis differunt, re sunt idem. B. Petrus in priore: *quasi liberi, & non quasi velamen habentes libertatem; sed sicut servi Dei:* & Paulus in ea ad Romanos libertatem Christianam vocat *servitutem justitiæ.* Dominus in Evangelio *jugum;* sed lene, & subeuntibus salutare: ὁ ζυγός μȣ, inquit, χρηστός. Huic contrarium est jugum legalium farcinarum & præsumtionum humanarum, quæ imperitorum conscientiis onera alligant supervacua, ut piè admonet B. Augustinus in erudita illa ad Januarium Epistola CXIX. *Hoc*, inquit, *nimis doleo, quia multa, quæ in Divinis Libris saluberrima præcepta sunt, minus curantur; & tam multis præsumtionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentiâ sepelierit.* Solent etiam Beati Patres libertatem Christianam appellare, fiduciam illam, quæ bonæ conscientiæ comes est individua: quando aliquis uni Deo placere laborans, gratiam & odium hominum pariter contemnit. Hoc sensu dicit Chrysostomus, III. de Sacerdotio, cavendum Sacerdoti, ne potentiæ cupidus locum illum ambiat; *ut cum libertate omnia ipsi administrare liceat: nam qui in hac potestate ostentui esse non cupit, nec depositionem*

1607. *nem ab illa formidat: porrò qui metûs hujus est expers, cum libertate Christianis conveniente omnia facere poterit.* Subjungit posteà de metu huic libertati contrario. Petrus Damiani adversus Leonem Papam arma tractantem declamans in Epistola ad Firminum Episcopum: *Et reverà quâ fronte, quâ libertatis audaciâ Sacerdos quilibet in dissidentium confœderatione desudet, cùm ipse suis osoribus non remissionis indulgeat veniam, sed effrenetur implacabiliter ad vindictam.* Idem Chrysostomus alibi *libertatem* nominat, Sanctorum fiduciam bonis operibus partam: ut cùm in sermone de Babyla hunc Martyrem ait LIBERTATE, *vel superiorem, vel certè parem Eliæ ac Joanni fuisse:* ἔφθασεν, inquit, οὕτως ὡς μηδὲ τὸ τυχὸν ἀπολειφθῆναι τῆς ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ τῶν γενναίων ἐκείνων ἀνδρῶν. Passim alibi idem Sanctus hanc libertatem vocat παῤῥησίαν & πεποίθησιν, quæ sunt Apostolo familiaria verba. Latino Interpreti, *fiducia* & *confidentia.* Etiam quæ piorum cœtui & Ecclesiæ tribuitur à Deo libertas, multifariam potest distingui., Interdum *libertas Ecclesiæ* appellatur, libera conveniendi ad cultum Dei facultas, à Principe & peti & impetrari solita: quod Gregorius Nazianzenus ad Nectarium scribens, dixit ἐξουσίαν λαβεῖν συνάξεως: quidam hodie vocant *libertatem conscientiæ;* Optatus Milevitanus simpliciter, *libertatem.* Diversa ab ista est illa Libertas Ecclesiæ, quam ipsi datam esse à Christo, Ephesini Concilii Patres pronuntiant: qua de re plura erunt dicenda cap. III. Atque hæ sunt Ecclesiæ libertates, quarum partim Sacræ Literæ, partim venerandi Patres antiquæ Ecclesiæ Græcæ & Romanæ meminerunt. Posteà verò quàm publicè Christianismus fuit receptus, & Clerus per Imperatores primò, deinde Reges atque alios Proceres Christianos, opibus & dignitate fuit auctus; tùm enimvero cœpit paullatim in Ecclesia Dei inter alia multa prius inaudita, vox LIBERTATIS novâ significatione usurpari: honoris nimirum prærogativam, privilegia, immunitates, & similia omnia jura LIBERTATEM ECCLESIASTICAM, aut numero multitudinis, LIBERTATES dixerunt: atque hoc verbi in frequentem adeò usum tandem venit, ut nullum magis. Quando primùm ea vox in Ecclesiis audiri cœpta videatur, capite quarto dicemus. Quid autem Libertatis Ecclesiasticæ appellatione intelligatur, necdum satis ad liquidum declaratum invenio: & mirari sæpe subit, quum in Jure Canonico tot locis hujus libertatis fiat mentio, nusquam tamen ad vim verbi declarandam ne descriptionem quidem ullam, nedum accuratam definitionem esse adhibitam. Interpretes verò Canonici Juris adeò diversas super hoc sententias prodiderunt, ut frustra inde auxilium speres. Liquet nobis, pro affectu cujusque erga Pontificem Maximum, & Romanam Sedem, aliter atque aliter esse ab iis pronuntiatum. In privilegiorum & immunitatum diplomatis, quæ olim Imperatores Christiani aliique Principes, posteà etiam Romano Papæ modò universæ Ecclesiæ, modò alicui privatim soliti concedere, vocum LIBER & LIBERTAS tralatitius ac sollemnis est usus. In diplomate Caroli Magni circa annum ab humani generis redemtione DCCCIV. Osnabrugensi Ecclesiæ in Saxonia indulto, hæc leguntur: *Insuper eidem Episcopo ejusque successoribus perpetuam concedimus licentiam, libertatem, & ab omni regali imperio absolutionem: nisi fortè contingat, ut imper.* &c. In diplomate Nicolai II. circa annum Domini CIↃLX. in gratiam Monasterii S. Felicitatis Florentiæ emisso: *Liberum præterea idem reddimus Monasterium, atque absolutum ab omni seculari & mundana conditione, sive districtione:* in aliis leges, *liberam concedimus facultatem, & liberum esse volumus.* Non dubium est mihi, quin ab hac origine Libertatis Ecclesiasticæ manarit appellatio: nam & vulgò *libertas* pro privilegio usurpabant: & ut antè

antè dicebamus, rude illud atque impolitum ſeculum vocem hanc ſupra modum frequentavit; ut aliquando quid ſibi velint, conjecturâ ſit diviniandum. In Edicto Friderici Ahenobarbi, anno Domini CIↃ CC XXII. facto, quo duo Monaſteria uniuntur: *turbatores temerarios noſtræ hujus libertatis & unionis tanquam rebelles Numini in perpetuum bannimus;* poſteà vocat *conceſſionem & donationem.* Sæpè etiam *privilegium ac libertas*, junctim ponuntur; vel *libertas & immunitas*, ut in Decretali de immunitate, Sexti lib. 3. item, *jura & libertates*, ut ibidem. Apud Rigordum, *libertas militum & libertas ac ſpecialis prærogativa ſcholarium*, Pariſiis ſub Rege Philippo Auguſto & ejus patre. *Libertates ſeculares*, quid appellat Bonifacius is, qui Germanorum Apoſtolus eſt dictus, non ſine cauſa dubitet aliquis. Sic ille in Epiſtola ad Eadburgam, cognomento Buggam, Regis Cantiorum conſanguineam: *Melius mihi videtur, ſi propter libertates ſeculares in Patria libertatem quietæ mentis habere nullatenus poſſis, ut peregrinatione libertatem contemplationis, ſi valueris & poſſis, acquiras:* illud verò minus etiam capio, quod in Epiſtola Gregorii VII. ad P. Albanenſem Epiſcopum, & G. Principem Salernitanum ſcribitur: *Item Magnus Imperator* (de Carolo Magno loquitur) *Saxoniam obtulit Beato Petro: ejus etiam devicit adjutorio, & poſuit ſignum devotionis & libertatis, ſicut Saxones ipſi habent ſcriptum, & prudentes illorum ſatis ſciunt*, hoc eſt, ſuæ devotionis, & libertatis Romanæ Eccleſiæ ac dominationis, quam habet in omnes & in omnia: ſi quis aliter interpretari voluerit, per me licet; eſt nimirum obſcura ſatis ſententia. Nec multò clarius illud in Diplomate Urbani II. quo factum confirmat Berengarii Comitis, qui ejus auctoritate commonitus, ut ipſe Urbanus teſtatur, Tarraconem cum agro ſuo juris papalis fecerat. Ait: *Nos itaque, qui præſtante Deo, reſtitutionis hujus optamus cooperatores exiſtere prædicti Comitis inſtitutum libertateſque & conſuetudines, quas novis Tarraconenſis urbis colonis permulgaſſe cognoſcitur, collaudamus.* Ex iſta igitur loquendi conſuetudine LIBERTAS ECCLESIASTICA nomen invenit in Eccleſia Latina: nam Græci ut rem ipſam, ita & nomen ignorarunt: de ea loquor libertate Eccleſiaſtica, quæ hodie tantoperè jactatur, & peculiariter ita nominatur. Nam errant graviſſimè, qui iſtam libertatem Eccleſiaſticam cum poteſtate Eccleſiæ confundunt, & cum jure bona cujuſcunque generis poſſidendi, cum immunitate, & privilegiis. Poteſtas vera Eccleſiæ, de qua extat liber eximius Joannis Gerſonis, Theologi excellentiſſimi, ea eſt, quam B. Chryſoſtomus de Munere Sacerdotali diſſerens, in ἔργον & ἀρχὴν ſive τιμὴν diſtinguit: *functionem ipſam muneris ſacerdotalis, & honorem, qui Sacerdotibus debetur*, de quo plura ſequenti capite: vocat & αὐθεντείαν· hæc poteſtas utrum ex jure divino ſit an non, ſine blaſphemia diſputari non poteſt: quum ſit piis omnibus perſuaſiſſimum, ſtatim à principio Chriſtum Eccleſiæ ſuæ & miniſtris ipſius eam tribuiſſe. At libertas Eccleſiaſtica utrum ſit ex jure divino, diu eſt cùm quærunt Canonici Juris Interpretes, & adhuc ſub judice lis eſt. Et meritò ſanè pleriſque perabſurdum videtur, jure divino introductam rem dicere, quam melior Eccleſia per tot ſecula penitùs ignoravit. Jus bona poſſidendi, in Græcorum Canonibus eſt δίκαιον κτήσεως, vel κατοχῆς immunitas, ἀτέλεια τῶν λειτουργιῶν, vel ſimpliciter ἀτέλεια, aut ἀλειτουργησία. Privilegia ibidem προνόμια dicuntur, & φιλοτιμήματα βασιλέων, δίκαια ſive δικαιώματα· interdum etiam παραμυθίαι, & ut *libertatem* pro privilegio uſurpari oſtendimus. Sic ἐλευθερίαν & αὐτεξουσιότητα *libertatem, & propriæ voluntatis arbitrium* in libris Juris Canonici Græcorum privilegia, certis Monaſteriis indulta ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis dici obſervavimus. Extat Alexii Comneni Conſtitutio, in qua mentio

1607. fit Monasteriorum institutorum vel κατ' ἐπίδοσιν, vel κατ' ἐφορείαν, vel κατ' οἰκονομίαν; παντελῶς κατ' ἐλευθερίαν, *quibus plenaria libertas est attributa:* quæ propterea ipse nominat ἐλεύθερα καὶ αὐτεξούσια μοναστήρια. At longè diversa res est LIBERTAS ECCLESIASTICA illa, de qua jam sermonem instituimus; & cujus naturam atque vim qui simplici definitione unicâ voluere complecti, magnas, si verum dicere licet, nugas egerunt: dictionem nimirum æquivocam, nullâ prius adhibitâ distinctione, velle definire, quid est aliud nisi operam ludere? aut quis negabit, homonymiam multiplicem huic appellationi inesse? Quàm variè usurpata sit vox *libertas*, jam ostendimus: idem necessariò observandum heic & de voce ECCLESIA: nam quot modis accipi hæc dictio solet, tot erunt & libertatis Ecclesiasticæ definitiones diversæ. Propriè ECCLESIA dicitur cœtus κλητῶν ἁγίων, ut loquuntur Apostoli, hoc est, *Fidelium vocatorum, ut sint sancti;* qui & Electi appellantur. Sed quia boni malique permixtim hoc ævum degimus, Ecclesiæ appellatione solent omnes comprehendi, qui Christi nomen profitentur. Tertia notio jam olim obtinuit: ut diviso grege Fidelium in Clerum & Laicos, solus Clerus tanquam potior pars & nobilior, Ecclesiæ nomine intelligeretur. Quarta deinde & quinta notiones accesserunt, quarum hodie frequentissimus est usus: illius, cùm Ecclesiæ appellatio ponitur pro Romana Ecclesia; hujus, cùm Ecclesiæ nomen ad unum Pontificem Romanum designandum usurpatur. Tres primæ notiones Græcæ & Latinæ Ecclesiæ sunt communes; quemadmodum & illa consuetudo loquendi pariter Græcis ac Latinis jam olim usurpata invenitur, quando loca sacra *Ecclesiæ* nominantur. Quartam quoque notionem propter B. Petri honorem, & Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, etiam in Oriente multi, cæterùm Occidens totus à multis seculis cœpit usurpare. Quintam ne in Occidente quidem omnes unquam probarunt; sed illi duntaxat, qui universalis Ecclesiæ caput & Principem, imò Dominum Papam Romanum agnoverunt. Cùm in Capitularibus antiquorum Regum, & coævis Scriptoribus *Libertas Ecclesiæ*, & *Libertas electionum* commemorantur, & pro eodem ponuntur; libertas intelligitur universæ Ecclesiæ à Christo tributa; quamque perdiu obtinuit, ut communibus suffragiis populi & Cleri crearentur, qui erant in sacrum ordinem cooptandi: posteà res mutavit, & jus suffragiorum ad solum Clerum fuit translatum. Ita pro tempore hæc libertas variavit; etsi ECCLESIÆ LIBERTAS semper est appellata; tertiâ nempe ejus vocis notione, non ut antè, primâ & secundâ. Innocentius III. in Epistola ad Constantiam Imperatricem, Reginam Siciliæ, præscribens modum, quem in electionibus faciendis vult servari à Siculis, vocat ECCLESIÆ CANONICAM LIBERTATEM. Qui libertatem Ecclesiasticam volunt esse exemtionem Clericorum ab omni subjectione suorum legitimorum Principum; quæ est Roberti Bellarmini Cardinalis in libello ea de re publicato sententia, itemque aliorum multorum; tertiâ significatione Ecclesiæ nomen accipiunt. Quod etsi sine fraude fieri videatur posse, quia jam olim ea notio illius vocis obtinuit; fraudem tamen periculosissimam habet adjunctam: quia obtentu nominis hujus, imperitis & plebeculæ persuadetur, libertatem universæ Ecclesiæ in eo verti, ut illi refragari aut resistere, totius impietatis sit cumulus: quum re verâ paucorum libertas, imò licentia, & unius absoluta dominatio hoc colore defendatur. Quamobrem accuratius rem perpendenti liquidò constabit, Libertatis Ecclesiasticæ patronos nomen Ecclesiæ quintâ notione pro solo Romano Pontifice accipere. Huic enim uni plenaria libertas paratur, uni imperium, uni potestas, sine fine, sine modo, in capita, res, & fortunas Imperatorum, Regum ac Principum, & omnium prorsus hominum, qui toto orbe terra-

rum

rum Christiani dici expetierint. Nam quod aliquis objiciat, longè aliter 1607. Cardinalem Bellarminum docere libro v. de summo Pontifice; huic objectioni parata responsio est certissima, de qua pluribus capite sexto agetur, & sequentibus: ibi docebimus, quæ dicto libro disputantur à Bellarmino, ferventissimi zeli patronis libertatis hujus ita esse improbata, & quotidie refutari, ut pro indictis & antiquatis sint habenda. Alexander Pesantius Romanus in libro *De Immunitate Ecclesiastica, & Potestate Romani Pontificis*, quem non ita dudum Paulo v. nuncupavit; editionis Romanæ pag. 45. *Dico: summus Pontifex jure divino habet plenissimam potestatem in universum orbem terrarum, tum in rebus Ecclesiasticis, tum in Politicis.* Et in ora libri notat Auctor: *Papa jure divino est directè dominus orbis:* eadem multi alii. Verùm pergamus usum locutionis hujus ostendere. Gregorii VII. verba sunt in Epistola ad Episcopum Pataviensem, & Hirsaugiensem Abbatem, quo loco agit de eligendo à Germanis Imperatore in Henrici locum: *Scimus*, inquit, *quòd fratres nostri longo certamine, diversisque perturbationibus fatigantur: nobilius tamen esse dignoscitur, multo tempore pro* LIBERTATE S. ECCLESIÆ *decertare, quàm miseræ ac diabolicæ servituti subjacere. Certant namque miseri, scilicet membra diaboli, ut ejusdem miserâ servitute opprimantur: certant è contra membra Christi, ut eosdem miseros* CHRISTIANAM LIBERTATEM *reducant.* Verba sunt aurea, mens plumbea. Ecclesiæ propriè dictæ libertas ostentatur, servitus diabolica deploratur. Quis Christianus erit tam ignavus, quem ista non excitent? non inflamment odio in Principem suum? Sed meminerimus, & hoc loco & similibus aliis de investitura Clericorum agi; quam Romanus Pontifex Imperatori & omnibus Principibus ereptam, sibi uni & iis, qui jus à se accepissent, vindicabat: atque hæc *propria libertas Ecclesiæ* nominatur in Canone quodam ejus Concilii, quod Hildebrandus idem anno Domini CIↃ LXXX. Romæ celebravit. Heic igitur & in geminis huic locis ECCLESIA pro Papa sumitur; & LIBERTAS CHRISTIANA appellantur jura, quæ sibi idem vindicat, tanquam Christi Dei & hominis vicarius. E contrario, anno Domini CIↃ C LVIII. Fridericus Augustus, orto inter Regnum & Sacerdotium dissidio, ita scribit ad Imperii Proceres: *Quia hactenus honorem ac* LIBERTATEM ECCLESIARUM, *quæ jamdiu indebitæ servitutis jugo depressa est, à manu Ægyptiorum*, (Hadrianum IV. Papam Romanum intelligit) *studuimus eripere, & omnia eis dignitatum suarum jura conservare intendimus; universitatem vestram super tanta ignominia nobis & Imperio condolere rogamus.* Heic Fridericus ECCLESIÆ nomine, vel universam Ecclesiam, cujus ipse pars erat; vel Clerum intelligit. Et ita sæpissimè in Historiis rerum gestarum à temporibus Gregorii VII. observabis: cùm atrocissimè Pontifices atque Principes dissiderent, sæpè etiam armis inter se pugnarent; utrimque tamen DEFENSIONEM ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS pro titulo belli fuisse. Adeò verum est, quod in Oratione contra Leptinem prudentissimus Oratorum, Demosthenes dicebat: solere multos, μεταφέροντας τὰ ὀνόματα ἀπατᾶν: *translatis nominibus in aliam significationem decipere.* Sunt enim multi, qui rerum vocabulis non aliter utantur, quàm ut præstigiatores & psephopæctæ suis acetabulis & calculis. Fridericum sanè libertatem Ecclesiæ propugnasse, etiam Cardinales illi testantur, qui Epistolam scripserunt, cujus initium: *Ex quo contra honorem Ecclesiæ Dei & Imperii, amicitia inter Dominum Papam Hadrianum & Wilhelmum Siculum facta est, &c.* Infrà dicturi sumus, *honorem Ecclesiæ & libertatem Ecclesiæ*, pro eodem sumi solita. Ajunt igitur Cardinales Presbyteri: *Nos autem è contra duximus potius Siculum excommunicandum; qui omnia jura Ecclesiæ, tam spiritualia,*

1607. *tualia, quàm temporalia violenter abstulerat; quàm Imperatorem, qui Ecclesiæ Romanæ & Imperii jura fideliter laborabat recuperare, & ECCLESIAM de servitute ad LIBERTATEM reducere.* Quare, si his credimus, libertatem Ecclesiæ Pontifex quidem falsò; at Fridericus verè tutabatur. Neque hoc mirum debet cuiquam videri: non enim soli huic Imperatori, sed multis etiam aliis Augustis; multis item Francorum, Anglorum, & cæterarum gentium Regibus pro libertate Ecclesiæ cum Romanis Pontificibus fuit decertandum; quo in certamine etsi eadem omnium Christianorum causa erat, non omnium tamen idem fuit semper animus, neque par constantia. Christianissimorum Regum, piissimorum Franciæ Episcoporum, totiusque ordinis sacri, ac magnanimorum Regni Procerum, propria hæc laus, absit verbo invidia, quòd pietate generosâ & generositate piâ libertatem Christianam Ecclesiæ suæ, etsi non planè illibatam, firmam tamen & stabilem ad hanc diem, immortali Dei beneficio, conservarunt. Quis vel in extremo Septentrionis axe positus, levem saltem aliquam rerum Gallicarum notitiam fando accepit, qui de LIBERTATIBUS ECCLESIÆ GALLICANÆ aliquid non inaudiverit? Ita vocat forensis usus jura libertatis Ecclesiasticæ, quæ quum universæ Ecclesiæ à principio essent communia: (nam unus idemque omnium auctor & fundator Dominus Jesus) fato quodam accidit, ut in nobilissimis quibusque Europæ Regnis Ecclesiæ sua sibi jura atque libertatem eripi sinerent: unde factum, ut populis vicinis servituti suæ ingementibus, LIBERTATUM ECCLESIÆ GALLICANÆ nomen etiam apud exteras gentes illustri famâ celebraretur. Quanquam & alia Regna idem ipsa quoque fecerunt, sed remissius, nec pari successu. Sic in Anglorum Historiis LIBERTATUM Ecclesiæ illius habetur mentio, & LIBERTATUM REGNI. Quæ tamen adversus oppressionem & angarias Romani Pontificis, parum ipsis profuerunt: extant monumenta ipsorum quàm plurima, in quibus cum lamentabili gemitu onera sibi imposita à Pontifice Romano, vel Legatis ipsius deplorant. Sed hæc suo loco clarè demonstrabuntur: ad propositum redeo. Qui Libertatis Ecclesiasticæ appellatione exemtionem Ecclesiasticorum volunt intelligi; vim hujus exemtionis accuratè explicant. Hæc autem est: ut qui modò Principi huic vel illo subditus erat, ubi inter ordines sacros locum aliquem fuit nactus, momento turbinis liber exstat ab omni jurisdictione Principis illius: non ipsum pro Principe suo agnoscat; non majestatem ejus revereatur, nisi pro arbitrio suo; non tributum pendat; non metuat sibi ab illius legibus: disertè enim affirmatur, legibus civilibus nullis penitùs Clericos teneri, quod ad coactionem: sed duntaxat quod ad directionem. Quid si aliquis è Clero, (potest enim fieri) scelus aliquod supplicio dignum in Republica admiserit? Quid si libidine fœdus & maculosus vixerit? Nullane hujus coërcendi potestas erit Principi? Id verò præcisè negatur. Joannis Marianæ, Jesuitæ Hispani, verba sunt libro primo, capite X. ejus scripti non inelegantis, quo Philippum III. Regem Hispaniæ præceptis informat: *Deinde sacrati ordinis immunitates & jura intacta ut sint, curare Princeps debet. Neminem ex sacrato ordine supplicio* QUAMVIS MERITO *subjiciat.* Sed quid opus in Hispaniam ire? nam interpretationem juris Pontificii non possumus aliundè melius petere, quàm ab urbe Roma; cùm præsertim multi admodum ingeniosi homines à paucis mensibus in urbe libros ediderint, per quos ignorare nobis non licet vim hujus verbi. E multis, quorum recentia scripta legimus, unus Johannes Antonius Bovius, Carmelita, rem optimè videtur expressisse, quare verba ejus prætermittere sine piaculo non possumus: eccum illa fideliter ex Italico versa: *Libertas opponitur necessitati, vinculo aut servituti: quemadmodum igitur libertas*

tas peccati in eo consistit, ut peccati vinculis simus soluti; & Libertas Legis 1607.
Mosaïcæ eo, ut jugo ceremonialis Legis simus soluti atque exonerati: sic LIBERTAS ECCLESIASTICA *in eo consistit, ut Ecclesiastici in personis, bonis & caussis suis sint exemti, neque legibus potestati, & jurisdictioni Principum sint obnoxii, quomodo sunt Laici, & hæc vera est ac propria definitio Libertatis Ecclesiasticæ, quæ vi suâ omnia complectitur: partes duæ, quæ sequuntur reliquæ, instar habent declarationis. Quòd autem ait Bartolus in authentica caussa, Libertati Ecclesiasticæ illa statuta repugnare, per quæ Ecclesiastici timidiores, Laici audentiores redduntur: hoc nempe vult; jure exemtionis, quo gaudent Ecclesiastici, fieri, ut Principes non dicam directè & cum effectu in ipsos & res ipsorum nequeant manus injicere; sed ne indirectè quidem, & vel tantùm in speciem præjudicium facere libertati eorum queant. Dicam planius, si potero: vult dicere Bartolus, adeò non posse Principes damnum inferre Ecclesiasticis, ut* NE LEVISSIME QUIDEM TERRITANDI ILLOS, AUT TREMEFACIENDI JUS HABEANT. Quo jure, quâ injuriâ hæc ita dicantur, posteà quæremus. Habemus certè heic luculentam exemtionis Ecclesiasticorum & plenariæ licentiæ libertatis declarationem. At non nedum omnia, quæ propter Libertatem Ecclesiasticam in Jure Canonico sanciuntur, ad exemtionem Ecclesiasticorum possunt referri. Bonifacius VIII. libertatis hujus vindex acerrimus, in Sexto, titulo XXIII. *Eos, qui temporale Dominium obtinentes, suis subditis ne Prælatis, aut Clericis, seu personis Ecclesiasticis quicquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neque ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant, aliquando interdicunt: quum talia in* DEROGATIONEM LIBERTATIS ECCLESIASTICÆ *præsumantur, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.* Ad perficiendam definitionem Libertatis Ecclesiasticæ prætereunda hæc Decretalis non erat, quæ de jure quidem exemtionum non est; sed prærogativæ Ecclesiasticorum veluti colophonem quendam imponit. Nam si propter res tam leveis flammis æternis devoveri possunt Laici omnes cujuscunque dignitatis aut ordinis; quid aliud curare habent imi summi, nisi hoc unum, quâ ratione pacatis Ecclesiasticis uti poterunt? Poterunt autem, opinor, si in omnibus præbeant se illis obnoxios; illorum voluntati inserviant; & de rebus suis statuendi liberum arbitrium ipsis permittant. Hoc voluisse isto Canone Bonifacium, nemo negaverit. Ex iis, quæ hactenus disputata sunt, hoc tandem elicimus, non longè ab hodiernorum Pontificii juris doctorum sententia aberraturum, qui Libertatis Ecclesiasticæ hanc sive descriptionem, sive definitionem contexuerit: *Libertas Ecclesiastica jus est quoddam, primariè quidem Pontifici Romano adhærens, quo unversi orbis dominium illi paratur; secundariè verò Ecclesiasticis, quo viritim & in commune eximuntur ipsi, & bona ipsorum ab omni omnium Principum subjectione, jurisdictione, potestate: Laici verò ipsis ad omne obsequium redduntur obnoxii.* Hæc definitio ut numeris omnibus non sit perfecta, quod non pollicemur; vim tamen ejus, quæ à neotericis & proximorum seculorum hominibus Libertas Ecclesiastica nominata est, satis explicat. Nunc igitur, quo tempore, quibus molitionibus, & per quos in Ecclesiam Dei hæc Libertas sit invecta, quærendum superest. Deinde rationes præcipuas, quæ ab illius patronis solent afferri, expendemus: simul quàm periculosa res sit tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ Christianæ ejusmodi licentia, breviter docebimus.

CAPUT II.

Quæ & qualis fuerit libertas veteris Ecclesiæ, à primo ejus ortu ad tempora Constantini Magni. Comparatio potestatis utriusque, Ecclesiasticæ ac Civilis: & de utriusque jure, tàm ordinario, quàm extraordinario.

1607. EXpositis variis modis ejus Libertatis, quæ Christiana aut Ecclesiastica dici solet, priusquam aggredimur ostendere, quo potissimùm libertatis genere quæque ætas Ecclesiæ sit usa, faciendum videtur, ut sacerdotalem potestatem cum civili paucis comparemus: habet enim & Respublica Libertatem suam; quæ ab Ecclesiastica quid differat, ex hac comparatione liquidò palam fiet. Igitur, ne in tam amplo argumento longius quàm instituti ratio postulat, oratio evagetur, proponemus quædam theoremata, sive ut loquuntur in scholis, conclusiones, vim & jura utriusque potestatis complectentes; deinde cuique theoremati brevem explicationem ac probationem subjiciemus.

I. *Ecclesia & Respublica interdum re & ratione; interdum ratione duntaxat differunt.*

Quod dicebat Optatus Milevitanus, *Ecclesiam in Republica esse*, id verissimum quidem est; sed eget interpretationis. Nam aliquando ita est Ecclesia in Republica, ut penitùs separatas suas peculiares rationes habeat à rationibus Reipublicæ; qui fuit nascentis Ecclesiæ status, antequam obstinatos animos & pervicaciam Infidelium Salutis doctrina perfregisset. Interdum sic Ecclesia est in Republica, ut eadem sit quodammodo Respublica; sicut tum accidit, quando Paganicorum errorum caligine depulsâ, Christianismi professio vulgò ab hominibus fuit suscepta. Ex eo enim tempore, qui Rempublicam constituebat populus, idem etiam Ecclesia fuit: verùm id diversâ ratione, & fine, ut mox dicetur; quare idem est aliquo modo, & non idem. Auctores heic sæpe ὀρθότητα nominum parum servant; & vel Reipublicæ ea tribuunt, quæ propriè conveniunt Ecclesiæ; vel contrà. In Epistola Synodali ad Ludovicum, Regem Francorum, Caroli filium, ipse Rex dicitur *Rector Sanctæ Dei Ecclesiæ.* Rex propriè non est Rector Ecclesiæ; sed Reipublicæ προηγουμένως & primariè; Ecclesiæ verò, quatenus pars est Reipublicæ & κατὰ παρακολούθημα· at ibidem & passim, audit Rex *Defensor Ecclesiæ*, propriè.

II. *In omni societate, quæ diversos habet fines, iidem & præesse & subesse possunt diversis rationibus.*

Quæ ab hominibus ineuntur societates, quà privatim, quà publicè, eæ interdum simplicem habent finem; interdum plures simul. Quoties vectores navem conscendunt, ut mare vel flumen trajiciant, tacitam societatem inter se inisse intelliguntur; cujus finis unicus & simplex, transvectio. Quando legio ad pugnandum cum hoste triremem ingreditur, duplex heic societas, & finis duplex: quatenus sunt vectores, gubernatori navis omnes parent; quatenus milites, Tribuno legionis aut Consuli: respectu gubernatoris etiam Consul inter vectores; & tàm hujus quàm omnium aliorum salus à peritia & arte illius pendet: rursus gubernator respectu militarium imperiorum, Consuli paret, & jussa illius capessit. Et Ecclesia & Respublica instar navis habent; eàque similitudine passim Veteres utuntur. Ante receptum Evangelium unicus Reipublicæ finis erat, degere hoc ævi, quanta maxima cum commoditate & honestate fieri possit; ea enim in fine, impulsu naturæ, civitates

vitates instituuntur. Aristoteles modò αὐτάρκειαν, quasi dicas, omnium rerum sufficientem copiam, nominat; modò, humanum bonum, quòd in fruitione illarum dotium & corporis & animi positum est, ad quas in hac vita participandas aptum Natura finxit hominem. Dixi, in hac vita; quia Doctrinæ civilis primarius finis non ultrà patet. Est verò aliud insuper hominis bonum, ad cujus participationem cùm aptum initio hominem Deus creasset, atque ille suâ culpâ aptitudinem illam amisisset; Christi Servatoris beneficio immortali, eandem aptitudinem, & quidem efficaciorem iterum est nactus: illud bonum est beatitas, quæ in altera vita pios manet; ad cujus spem ea, quæ dicitur ECCLESIA, in terris atque intra Rempublicam ipsius Christi voce cogitur. Sicut instituendæ Reipublicæ finis est adeptio humani boni; sic Ecclesiæ cogendæ, Numinis cultus, & ad futuram beatitudinem præparatio. Nec diverso fine duntaxat Ecclesia & Respublica distinguuntur; verùm etiam conditione, institutis ac regimine. Respublica in hoc mundo tanquam in legitima sua patria versatur; opes & omnia vitæ hujus instrumenta conquirit; potentiam sibi parat; & fines suos, quantum potest, promovet: quippe in eo humanum bonum, quod dicebamus ex Aristotele, positum esse, vulgò homines autumant. Ecclesia, brabium supernæ vocationis persequens, ut ait Apostolus, & ad melioris vitæ fruitionem spes cogitationesque suas indesinenter referens, terrenis bonis non fruitur, sed utitur: neque ut patriam suam terras colit; sed ut inquilina vel peregrina, non autem ut civis, in iis hospitatur. Idcircò Patres Ecclesiam alio nomine CIVITATEM DEI vocitant: habet enim πολίτευμα suum & municipatum in cœlis, quod idem inquit Apostolus; didicitque Ecclesia à Christo Rege suo dicere, *Regnum meum non est de hoc mundo:* hæc tanta diversitas & rectores diversos esse desiderat. Qui Ecclesiam regunt, communi nomine Sacerdotes; qui Rempublicam, Principes dicuntur. Horum diversa officia è finium exposita differentia pendent: idem è diversitate subjectorum, circa quæ versantur. Nam ut ait Synesius, politica facultas circa ὕλην *materiam*, id est, res humanas & mundanas, aut, ut Theologi loqui solent, negotia secularia, versatur: sacerdotium, circa Deum, ait idem; hoc est, res divinas, aut certè humanas, quatenus divinis sunt conjunctæ. Omnia igitur, quæ ad divina spectant, propriè sunt juris sacerdotalis; & contrà, quæcunque ad publicam rem, aut privatorum bona, facultates & commoda pertinent, omnia juris sunt principalis. Ac quoniam in Republica, ceu pars in toto, est Ecclesia, hujus quoque conservatio & defensio ad Principis officium tantò magis pertinebit, quò nobilior hæc pars est Reipublicæ, & quò pluris refert, hanc sartam tectam conservari. Postremò in rebus merè divinis Sacerdotes plenariam potestatem obtinentes, Princeps ovis erit; at in rebus civilibus, Sacerdos communi jure cum cæteris è populo censebitur, nisi beneficio Principis prærogativa honoris & privilegia illi fuerunt indulta. Hinc sequitur necessariò, sacris legibus & universalis Ecclesiæ Canonibus Principem Christianum teneri; civilibus & politicis, Sacerdotem. Gelasii Papæ, qui circa annum CCCCXII. Felici in administratione Apostolicæ Sedis successit, Doctrina hæc est ac sententia; sic enim scribit ad Anastasium Imperatorem: *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas; in quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus Domino in divino reddituri sunt examine rationem. Nôsti nimirum, fili clementissime, quòd licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsidibus divinarum devota colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis; inque sumendis cœlestibus sacramentis, eisque*

1607. *ut competit disponendis, subdi te debere cognoscis Religionis ordine, potius quàm præesse. Nôsti itaque, inter hæc ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam redigi velle voluntatem. Si nimirum quantum ad ordinem pertinet disciplinæ, cognoscentes Imperium tibi supernâ dispositione collatum,* LEGIBUS TUIS IPSI QUOQUE PARENT RELIGIONIS ANTISTITES, *ne vel in rebus mundanis excelsæ videantur obviare sententiæ; quo, rogo te, decet affectu eis obedire, qui pro erogandis sunt attributi mysteriis?* Vides manifestissimam Gelasii sententiam; cùm de salute agitur, hoc est, in spiritualibus, Imperatorem colla submittere; in cæteris rebus, parere Pontifices Principis imperio; cujus esse supremum jus in Republica, posteà ostendemus. Heic verò occurrent exemtionis Clericorum, quæ hodie appellatur Libertas Ecclesiastica, patroni; & rem absurdam esse clamitant, ut qui spiritualia administrant, tractantibus temporalia subsint. Homines acuti non intelligunt, quod initio probavimus, cum primis esse naturæ consentaneum, ut ubi sunt fines diversi & diversæ potestates, ibi etiam sint imperia diversa; & idem numero imperet atque pareat; ratione videlicet aliâ atque aliâ. Sic sæpe videmus, eos, qui in vita civili amplissimos Magistratus obtinent, postquam in castra devenerunt, longè inferioribus parere. Medicorum privata ferè vita est, & ab omni jurisdictione aliena; Medicorum tamen imperiis ipsi Imperatores obtemperant: idem igitur & inferior & superior, in quo venustè lusit olim Themistius, qui à professione sapientiæ, quæ jure suo Regibus imperat, ad sublimem Præfecturæ gradum translatus, ab Imperatore Constantio, in elegantissimo epigrammate ita se ipse compellat: Νῦν ἀνάβηθι κάτω, καὶ γὰρ ἄνω κατέβης; *nunc ascende deorsum, quia sursum descendisti:* cui simile illud B. Chrysostomi, homiliâ in Matth. LXVI. de sublimi Christi, omnium Domini, humilitate: ἡ κατάβασις αὕτη, inquit, πάντων ἀνάβασις γέγονε· & similia multa apud eundem Patrem.

III. *Ecclesia & Respublica Christiana unicum agnoscit* CHRISTUM, *qui simul sit Rex & Sacerdos.*

Sacræ Literæ unius Christi Sacerdotium in Ecclesia agnoscunt, secundum ordinem Melchisedechi; hoc est, cum Regno junctum. Psalm. 109. & Apostolus ad Hebr. cap. VII. v. 1, 17. Sanè inter homines principio quam regna & donationes sunt institutæ, erant iidem Reges & Sacerdotes; mansitque ea consuetudo apud Ægyptios aliosque Barbaros, & ipsos etiam Græcos, per multa secula, ut Plato in Politico; Aristoteles in III. de Republica; Clemens Alexandrinus in VIII. Stromat. & plures alii sunt Auctores. Marcus quoque Cicero in primo de Divinatione, hoc ipsum de antiquis Romanis testatur. Mutavit deinde mos, & in locum primorum Regum, qui & Sacerdotes erant, Athenis, Romæ & alibi Reges sacrificuli, tanquam dicis caussâ, sunt instituti: non multùm iis dissimiles, qui celebrantur in mimo; regii nimirum præter nomen habebant nihil. Plato κληρωτὰς Reges vocat, ut qui sortitione fierent. Etiam in populo Dei similis quondam fuit observatio: nam ut de Melchisedecho, Rege & Sacerdote notissimo ex utriusque Fœderis Libris, nihil dicam; constat, veteres Patriarchas, Noachum, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, atque adeò omnes primogenitos, ut docet Hieronymus, Regni & Sacerdotii speciem quandam inter suos gessisse. Sed mutatæ consuetudinis auctorem DEUM prodit Synesius, Epistolâ LVII. ubi etiam mutationis caussam indicat: *Quoniam*, inquit, *res divina humano more curabatur, propterea conjunctas prius in eadem persona vitas, Sacram & Principalem Deus separavit.* Et ait venustè idem præstantissimus Scriptor: ἔτι πολιτικὴν ἀρετὴν ἱερωσύνῃ συνά-

πτειν,

πλεῖν, τὸ κλώπειν ἐπὶ τὰ ἀσύγχυστα. Politicam facultatem Sacerdotio jungere, conglomerare est in unum res, quæ naturâ suâ conjungi nullo modo queant. Sed rationes, cur in Ecclesia sua Dominus eam distinctionem servari voluerit, explicat accuratè Gelasius Papa, cujus verba necessariò hîc ascribam: *Fuerint hæc*, inquit, *ante adventum Christi, ut quidam figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti, pariter Reges existerent & pariter Sacerdotes; quòd Sanctum Melchisedech fuisse, Sacra prodit Historia.* Mox: *Sed cùm ad verum ventum est eundem Regem atque Pontificem, ultrà sibi nec Imperator Pontificis nomen imposuit, nec Pontifex regale fastigium vindicavit. Quamvis enim membra ipsius, id est, veri Regis atque Pontificis, secundum participationem naturæ magnificè utrumque in sacra generatione sumsisse dicantur, ut simul regale genus & sacerdotale subsistant; attamen Christus memor fragilitatis humanæ, quo suorum saluti congrueret, dispensatione magnificâ temperans, sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, suos volens medicinali humilitate salvari, non humanâ superbiâ rursus intercipi: ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent; & Pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus uterentur, quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus; & ideò militans Deo minimè se negotiis secularibus implicaret; ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus; ut & modestia utriusque ordinis curaretur; ne extolleretur utroque suffultus; & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.* Hæc Gelasius in Tomo de Anathematis vinculo; unde accepit Nicolaus Papa, ex quo Gratianus. Notabis duas caussas gravissimas, cur in Ecclesia Dei nemo homo possit esse Rex & Sacerdos: prior, *modestia utriusque ordinis.* Appellat Auctor gravissimus *modestiam*, quam Græci Politici, cùm de natura Rerumpublicarum disputant, ἰσοῤῥοπίαν & συγοστάθμον, *momentum æquale & liberamentum par:* docent enim, non posse firmam & stabilem Rempublicam esse, cujus partes, quæ geometricâ proportione illam constituunt, partibus hinc inde momentis in suo ac legitimo statu non contineantur; alioquin futurum omnino, quod heic ait Gelasius, ut nimiâ potestate suffulta pars extollat se, & quod aptissimo verbo dixit Polybius, ἐξάξῃ, id est, *suâ sede migret.* Altera ratio est, ne id eveniat, quod paullò antè à Synesio dicebamus; sed contrà, res sacras sacratæ personæ procurent; non sacras, non sacrati. Episcopi Provinciarum Rhemensis & Rothomagensis ad Ludovicum Regem: *Deus in carne veniens, qui* SOLUS REX FIERI POTUIT ET SACERDOS, *& in cœlum ascendens, suum Regnum, id est, Ecclesiam inter pontificalem auctoritatem & regiam potestatem gubernandam disposuit.* 1607.

IV. *A Christo Rege & Sacerdote potestatem accipiunt Princeps, & Sacerdotes, sive Pontifex; ille civilem, hic sacerdotalem; sed diversâ conditione.*

Utriusque potestatis auctor Christus, Deus & Homo; neque vel sacerdotalis in rebus divinis à Rege, vel regia in humanis pendet à Pontifice; quod posterius falsò multi hodiè nituntur persuadere. Verè enim plerique Regum ac Principum Christianorum inter ipsos honorum suorum titulos DEI GRATIA esse se, quod essent, jam olim profiteri cœperunt; rectèque Imperator Justinianus, Novellâ VI. Sacerdotium ac Regnum ab eodem principio scribit manare; nempe Christo; qui ut Episcoporum universitati dixit in Petro, *Pasce oves meas*; ita in Pharisæis universo populo cujuscunque ordinis præcepit: *Red-*

1607. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Idemque Christus per Paulum, Apostolum suum, clamat: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt:* ubi de Potestatibus secularibus ipsum loqui, non ecclesiasticis, ita manifestò sequentia evincunt, ut putidum sit, de eo dubitare; merum sophisma, aliò transferre. Idcircò Gregorius Nazianzenus, in concione, Nazianzi habita, dicebat, Magistratum civilem χριστῷ συνάρχειν, χριστῷ συνδιοικεῖν, *communi imperio cum Christo uti, communi administratione.* Et Symmachus, Pontifex Romanus, scribens ad Anastasium: *Defer*, ait, *Deo in nobis; nos deferemus Deo in te.* Nec refert, quòd Principum alii jure hæreditario, alii per electionem, quidam armis dominationem obtinent: nam etsi Deus ad stabiliendum Principem, aut constituendum Sacerdotem, certorum hominum ministerio utitur; impium tamen est, Dominum & Potestatem quamcumque, Deo primariè acceptam, non ferre; per Deum enim Reges regnant, ut locis prope infinitis Sacræ Literæ testantur. Hoc Principes volunt, cùm à Deo immediatè potestatem se accepisse suam contendunt. Ludovicus Bavarus, Imperator: *Juris utriusque testimonia manifestè declarant, Imperialem dignitatem & potestatem immediatè in Filio Dei ab antiquo processisse, & Deum per Imperatores & Reges mundi jura humano generi apertè tribuisse.* Et posteà: *Declaramus, quod Imperialis dignitas & potestas est immediatè à solo Deo.* Jure hoc quidem; nam si *neque qui plantat, est aliquid; neque qui rigat; sed Deus, qui dat incrementum:* si neque Paulus ipse est aliquid, neque Apollo; sed Deus, qui dat fidei incrementum; audebimus dicere, eos, qui Principem in terris eligunt, aut coronam capiti imponunt, esse aliquid? Aut negabimus, Imperatores Constantinopolitanos, qui à Patriarcha coronam accipiebant, jure & propriè ΘΕΟΣΤΕΦΕΙΣ, *à Deo coronatos*, se nominasse? Cæterùm Regno & Sacerdotio illud commune, quòd ἀρχαὶ, id est, *Principatus*, dicuntur. Paulus priore ad Corinthios inter Ecclesiastica munera & *gubernationes* recenset; vel à re nautica voce petitâ, vel à politicis Magistratibus. Joannes Chrysostomus, & in libris De Sacerdotio, & sæpe alibi docet, Episcopatui inesse ἔργον, id est, munus docendi, sacramenta administrandi, atque uno verbo, pascendi: & hoc amplius, ἀρχὴν, τιμὴν & αὐθεντίαν, *principatum quendam, honorem & auctoritatem.* Gregorius Nazianzenus suum Episcopatum etiam δυναστείαν, *dominationem*, nominat, & Tribunal sibi attribuit: neque hoc solùm; sed cum civili eam comparans, tantò majorem & perfectiorem esse ait, quantò major est spiritus carne, terrenis cœlestia. Quin etiam similia his alia non rarò pii Patres ad venerationem Sacerdotio conciliandam suis scriptis insperserunt. Sunt &, qui Sacerdotium Soli, quod est luminare majus, comparent; Imperium, Lunæ, quod est minus luminare: eâque similitudine Innocentius quoque III. iisdem verbis cum vetustioribus Patribus, at non eâdem mente utitur. Enimverò quis æquus rerum æstimator dubitat, cœlestia præstare terrenis, spiritum carne, vel etiam animo? Aut quis ignorat, Sacerdotem divina legitimè administrantem, ratione muneris sui supra omnia terrena Imperia longè eminere? Quod præclarè veteres Augusti illi intellexerunt, qui eum morem primi instituerunt, ut, quemadmodum ipsi in Lege quadam narrant, ad Christi altare sine diademate, sine satellitibus, sine cæteris majestatis insulis accederent: hoc nempe significantes, intra ovile Christi oves se esse; & intra Ecclesiæ septum, solum Christum, & qui vices illius exhibeant, jus propriè ac potestatem habere. Hodie verò qui istiusmodi testimoniis Patrum antiquorum abutuntur, quò potestatem spiritualium rerum administratione finitam, in dominationem convertant, temporalia pariter cum spiritualibus complectentem; imperitis & veritatis incuriosis miri-

mirificè imponunt: nam venerandis illis Patribus aliam fuisse mentem, eosque de exemtione ista Clericorum, sive libertate hac Ecclesiastica, ne per somnium quidem cogitasse, imperitia est nescire, impudentia negare; impietas, eaque summa, contrà pertendere. Urgent simile illud, quod ex Gregorio Nazianzeno attulimus; & stupendam inde conclusionem præcipui illorum eliciunt; nec vident, aut videre dissimulant, facundissimorum illorum Patrum esse consuetudinem, ut oratoriâ vi, & eâ, quam Græci dicendi magistri δεινότητα vocant, plurimùm utantur. Multa igitur more oratorio elatè, magnificè, magna cum vehementia dicere, quæ interpretationis commodæ opus habeant; nam omnia Patrum dicta velle vergere, quod isti faciunt in hoc præsertim argumento, neque ad scopum attendere, pravitatem Hæreticorum est imitari, qui impia sua commenta hoc pacto soliti defendere. Sic olim infelix Arrius improbam de vero Filio Dei vocem suam ποίημα, ex orthodoxi Patris, Dionysii Alexandrini, scriptis contra Sabellium tuebatur; propterea monebat piè & doctè Honorius Papa in Epistola ad Sergium Constantinopolitanum, *quosdam Patrum aliqua balbutiendo docuisse, condescendentes ad informandas mentes, atque intelligentias parvulorum, quæ ad Ecclesiastica dogmata trahi non debent.* Non errabit in talibus, qui aureum illum B. Athanasii canonem memoriâ tenuerit: οὐ δεῖ κατ' οἰκονομίαν γραφόμενα καὶ γενόμενα, ταῦτα κακοτρόπως δέχεσθαι: QUÆ PER DISPENSATIONEM SCRIBUNTUR VEL FIUNT, ET MALIGNE INTERPRETARI NON OPORTET. O canonem, ut dicebam, aureum, & cujus latissimè utilitas patet! Nam omnino ita se res habet: multa olim pii homines, Patres & Principes, non solùm dixerunt aut scripserunt, sed etiam fecerunt pro temporibus ritè, piè, sanctè; quæ malignè & versutè à posterioribus sunt accepta, ut ait Athanasius; & quæ hodie, neglectâ Honorii Papæ salutari ac necessariâ admonitione, ad Ecclesiastica dogmata trahuntur, ac pro fidei articulis in animos hominum insinuantur. Planè hoc faciunt illi, qui superius Gregorii Nazianzeni dictum afferunt ad firmandam Clericorum exemtionem, ut Cardinalis Bellarminus, & pluries alii. Eâ concione vir sanctus duo sibi proposuerat: Magistratus, atque omnes, qui Nazianzi publicas res administrabant, solari, & eo metu levare, in quo tum versabantur maximo propter offensam, apud Provinciæ Præsidem contractam. Alter ejus scopus est, iram Præsidis mitigare, & ad veniam miseris concedendam animum ipsius flectere. Est autem ita naturâ comparatum, ut quoties aliquid ejusmodi petitur, nihil æquè ac petentis dignatio spectetur: ferè enim pro petentis dignitate, non pro causæ merito, æstimatur petitio. En veram causam, quare vir divinæ humilitatis initio suæ postulationis, Sacerdotii, quod sustinebat, majestatem adeò magnificè extollat; non ut supra Reges se efferat, verùm ut civibus suis, in sordibus & pædore jacentibus, utilem se fingat. Sic Paulus, vas illud electum, totius virtutis & gratiæ divinæ hospitium, quo Evangelium suum reddat augustum, jactationem suæ præstantiæ non refugit. Obsecro verò, quid est in Gregorii verbis, quod hodiernæ doctrinæ vel minimùm faveat? Sacerdotium enim spiritui comparare, civilem potestatem carni, id est, homini ψυχικῷ, ut loquitur Apostolus, quid est aliud, nisi id dicere, quod ultrò omnes fatentur? Spiritualibus præesse Episcopos; temporalibus, Principes. At qui exemtionem Clericorum & subjectionem Principum in rebus secularibus hinc eliciunt, quâ fronte præcedentia paullò antè verba possunt legere, quibus idem ille vir Apostolicus convenienter doctrinæ Christi & Apostolorum, parendum esse Magistratibus, bis disertè inculcat? Neque verò Laicos cogit in ordinem Gregorius; se & reliquos Sacerdotes subjectorum numero eximit; quin se quoque

1607.

 Laicis

1607. Laicis accensus: *Simus*, inquit, *ſubjecti, & Deo, & invicem alter alteri, & terrenis Principibus: Deo, propter omnia; alter alteri, propter dilectionem fraternam; Principibus, propter ordinis recti conſervationem.* Deinde hoc ipſum præceptum verbis Apoſtoli repetiturus, unam hanc eſſe legem præfatur, ex iis, quæ nobis Chriſtianis ſint impoſitæ; eamque cum primis laudabilem, optimam, & à Spiritu Dei profectam. Taceo, quòd ſe quoque iis adnumerat ibidem Gregorius, tantus Sacerdos, qui Principi tributum tenentur præſtare. Taceo, quod ait ibidem: Magiſtratus, qui poteſtatem ſuam rectè adminiſtrant, Deos fieri: ἐξεστίσοι, inquit, θεὸν γενέσθαι, *in tua poteſtate eſt, ut Deus fias:* ut deſinant iſti ſimile Conſtantini dictum de Epiſcopis tantoperè jactare, cùm præſertim nuſquam in Sacris Literis Sacerdotes Dii nominentur; at reperiantur laicæ poteſtates ita dictæ, quod ignorat nemo. Taceo, quod Præſidem compellans, ſic ait: *Novi te ovem mei gregis, pecudem magni illius Paſtoris, & ſupernè à Spiritu præclarè educatum, quique à ſancta & beata Trinitate juxta nobiſcum illuſtraris:* quæ oratio graviſſimi Patris longè diſtat ab iſtorum Zelotarum faſtu, qui Principes & omnes Laicos ſic arcent ſacris, tanquam profanos, & ad Dei curam nihil quicquam pertinentes; de quo poſteà erit dicendi locus. Judicent nunc Lectores non diſputandi, ſed veritatis cognoſcendæ cupidi, quâ fide Patrum ſcripta tractent, qui exemtionem Clericorum fidiculis ſubtilis ingenii ſui ex illo Gregoriano ſimili exprimunt. Pari ſubtilitate & loca B. Chryſoſtomi quædam afferuntur, quibus vel Sacerdotium laudibus in cœlum vehit, vel ſimile aliud argumentum familiari illâ ſibi facundiâ orator ille ſublimis tractat: illud, credo, diſſimulatur, quod multis locis idem Pater repetit: Epiſcoporum ἀρχὴν, ſive præfecturam non tam eſſe rectè attendentibus Principatum, quàm miniſterium docendi: coactivam certè juriſdictionem nullam penitùs habere, ſed admonendi tantùm jus & obſecrandi: *Ad doctrinam verbi*, inquit, *ſumus inſtituti:* οὐκ εἰς ἀρχὴν οὐδ' εἰς αὐθεντίαν, *non ad imperandum, vel auctoritatem uſurpandam.* In Epiſtolam ad Epheſios, & in ea ad Titum homilia II. comparantur Epiſcopus & ὁ ἔξωθεν ἄρχων, id eſt, Princeps ſecularis, ſive Magiſtratus: hunc ait Chryſoſtomus νόμῳ κρατεῖν καὶ ἀνάγκῃ, *lege imperare, & cum neceſſitate parendi;* illum ἑκόντων ἄρχειν, *volentibus imperare*, hoc eſt, cogendi jus nullum habere. Eandem ſententiam in I. de Sacerdotio pluribus explicans: *Judices*, inquit, *ſeculares* (οἱ ἔξωθεν) *ubi maleficos Legibus obnoxios tenent, poteſtatis ſuæ vim exerunt, & invitos moribus ſuis obtemperare cogunt: Epiſcopus verò, non vim faciendo, ſed perſuaſione verborum ad meliorem frugem maleficum tenetur revocare. Nam neque facultas ejuſmodi conceſſa nobis eſt à Legibus, ut peccatores poſſimus coërcere; neque ſi eſſet conceſſa, ejùs uſurpandæ rationem ſciremus.* Simili item fide poſteriorum Pontificum nonnullorum dicta congeruntur, quibus poteſtatem illam infinitam in capita Regum ac Principum videntur ſibi vindicare; divina illa priorum Pontificum humilitas diſſimulatur, quæ tantò ſublimius illis decus peperit, quantò ipſi à fumoſo mundi faſtu fuerunt alieniores. Unicum è multis Pelagii, Pontificis Romani, exemplum afferam, qui circa annum Domini IϽLV. ſedere cœpit: is enim ad Childebertum, Francorum Regem, fidei ſuæ profeſſionem mittens: *Quanto*, ait, *nobis ſtudio ac labore ſatagendum eſt, ut pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo obſequium confeſſionis noſtræ Regibus miniſtremus?* QUIBUS NOS ETIAM SUBDITOS ESSE, SANCTÆ SCRIPTURÆ PRÆCIPIUNT. Ut ad rem redeam, quod modò dicebamus è B. Chryſoſtomo, Sacerdotalem præfecturam coërcendi vim nullam habere, de pœna temporali intelligendum: nam alioquin nulla poteſt eſſe diſciplina, quæ præ-

mium

mium & supplicium non proponat: is nervus unicus disciplinæ & εὐταξίας. 1607.
Sed duæ sunt causæ, cur ita Chrysostomus loquatur: nam quum non alias pœnas vetus Ecclesia noverit, præter Presbyterii censuras & anathematis vinculum, qui est gladius ille spiritualis; opinio magni hujus Patris fuit, dirum illud telum aut quàm rarissimè, aut ne sic quidem, adversus Fideles esse vibrandum; qua de re plura alibi, propitio Numine. Altera ratio, quòd gladius hic spiritualis Sacerdotum, nisi materiali civilis Magistratus fulciatur, fieri non nauci ab improbis etiam Clericis, nedum Laicis, solitus; vel vide Legem XI. Cod. Theodosiano, De episcopali judicio; quia enim pœna sacerdotalis in futura demum vita effectum est sortitura, plureis invenias, quos posita ob oculos voluptas alliciat, quàm qui metu futuri olim mali in officio contineantur; idcircò, licet tantò formidolosior sit gladius hic gladio Magistratûs, quantò terribilior mors animæ morte corporis: plus tamen, ut sunt ferè hominum ingenia, ad disciplinæ Ecclesiasticæ conservationem hic quàm ille valet: atque hoc est, quod Theologi vocare solent insufficientiam & imperfectionem gladii spiritualis. Decreti Quæst. V. c. XX. *Intrà Ecclesiam Potestates necessariæ non essent, nisi, ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, Potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem.* Richardus Cantuariensis in Epistola, à Petro Blesensi inter suas posita: *Ecclesia jurisdictionem suam prius exerceat; & si illa non sufficit,* EJUS IMPERFECTUM *suppleat gladius secularis.* Idem & in gladio materiali similem notat insufficientiam; ut propterea opus sit, mutuas operas sibi præstare, & conspirare amicè. Sic ille: *Duo sunt gladii, qui mutuum à se mendicant auxilium, atque ad invicem sibi vires impertiuntur alternas; Sacerdotium Regibus, & Sacerdotibus Regnum; ideòque si ab altero suppletur alterius insufficientia, non videtur duplex contritio, aut punitio combinata.* Optimè verò B. dicebat Bernardus, gladium materialem *jussu Imperatoris moveri, nutu Pontificis;* hoc est, indicante, & quasi deferente Sacerdote, ac consentiente: id enim est *nutus:* non quod illi volunt, qui Principes nobis concinnant, ceu δημίους quosdam & publicos Romani Pontificis servos; quum certum sit, exerere gladium suum Principem, tanquam Dei omnipotentis ministrum, Christi Regis vicarium in terris; non alienum arbitrium, sed ex Imperii sui vi & legitima potestate, cui non minus cervices suas subjicere Sacerdotes, Pontifices, & quodcunque est Ecclesiasticorum hominum genus, debet, quàm ille in Ecclesia collum ipsis submittit, ut dicebat Gelasius. Enimverò Sacra Theologia tria in homine considerat; corpus, animum, spiritum: ex his tribus, quod est omnium nobilissimum, spiritus, quo doctrinam cœlestem capimus, quàm neque caro, neque sanguis revelarunt, ad Sacerdotis pertinet præfecturam & potestatem: ille Spiritum notitiâ Dei imbuit; ille cœlorum viam aperit; ille contumaces spiritus gladii sui vi leto tradit; nam separari à communione Christi & gregis Christiani, mors est teterrima: an hæc potestas parva cuiquam videbitur? aut ille contumeliosus in ordinem sacerdotalem poterit jure dici, qui eum vitæ aut damnationis æternæ arbitrum certum (clavis modò ne erret: quod aiunt Theologi) credit? At corpus & animus prorsus in potestate Principis sunt; corpus, propter res corporeas, & uti vocant, temporales illi necessarias; & quia corpori vitam eripere ob noxam & ad utilitatem publicam, cuicunque subditorum suorum potest Princeps jure suo: animus, quia civilibus legibus hunc Princeps informat, & ad civilem vitam instituit. Nobilior ergo potestas sacerdotalis; sed principalis in regimine Reipublicæ Christianæ latius patet. Theodorus Balsamon, Juris Canonici vir consultissimus, in quadam Meditationum suarum: *Imperatorum auxilium ad illumi-*

1607. *illuminationem & stabilimentum sese tam animi, quàm corporis porrigit: quum Patriarcharum majestas ad animi solummodò utilitatem coarctetur: nam eorum, quæ ad corporis commoda spectant, parva istis cura est.* Illud ipsum docet Balsamo, quod modò dicebamus; sed obscurius: nam triplex illa distinctio, quam attulimus, mirificè rem illustrat. Animum autem inter & spiritum Sacra Pagina sic distinguit. Sed appellatione ψυχῆς, animi, vel animæ, sæpe etiam spiritus comprehenditur. Sic sæpe leges, rectorem animorum vel animarum esse Sacerdotem; nempe quod ad spiritualia: nam quod ad politica, Princeps est animorum rector. Propterea laudata vox quondam Constantini Magni, qui in sermonibus super mensam, cui accumbebant plures Episcopi, & in his Eusebius Pamphili, ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας· ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεοῦ καθισταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην: *Vos quidem*, inquit, *eorum, quæ intra Ecclesiam geruntur, Episcopi estis; ego verò eorum, quæ extra, à Deo institutus Episcopus, sive observator queam dici.* Vel sic; quia vocula τῶν heic ambigua: *Vos quidem eorum, qui intra Ecclesiam sunt, Episcopi estis; ego eorum, qui extra.* Græci quæ ad Ecclesiam aut forum Ecclesiasticum non pertinent, ea vocant τὰ ἐκτὸς: contrà, spiritualia, τὰ εἴσω· Clericos, τοὺς εἴσω. Sic judices seculares τοὺς ἔξωθεν δικαστὰς suprà dici notabamus à Chrysostomo: non autem prophanos aut paganos, ut quidam putarunt. Sic *intra Ecclesiam*, in Jure Canonico, pro, in rebus Ecclesiasticis, causâ 20. Quæstione 5. *Principes seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant.* Quomodo autem Episcopum ageret Constantinus, ita explicat Eusebius: *Convenientia sermoni, quem habuerat, mente agitans, omnes subditos* ἐπεσκόπει, *vicem Episcopi observabat; & quantum poterat, ad piam vitam capessendam eos hortabatur.* Ut Constantinus Episcopum se dixit, sic alii Imperatores dixerunt se Sacerdotes; multò durius & periculosè. Leo Isaurus ad Gregorium II. scripsit: Ἐγὼ βασιλεὺς καὶ ἱερεύς εἰμι· neque eo nomine tamen reprehenditur Leo à Pontifice, quòd ita scripsisset; verùm ideò potius, quòd tituli veritatem opere non exhiberet. Operæ pretium verba Gregorii apponere: *Obsecutus es pervicaci animo tuo ac domesticis perturbationibus, & scripsisti, Imperator sum & Sacerdos. Enimverò qui ante te fuerunt, hoc opere ac sermone demonstrarunt; qui condiderunt & curam gesserunt Ecclesiarum, unà cum Pontificibus cupiditate zeloque accensi, rectæque fidei veritatem pervestigantes.* Mox: *Hi sunt Sacerdotes & Imperatores, qui id opere demonstrarunt.* Adeò apud Veteres extra controversiam erat, Principes non solùm Defensores Ecclesiæ esse; qui fuit olim Francorum Regum peculiaris titulus; sed etiam custodes ac vindices disciplinæ Ecclesiasticæ; non ut dogmata fidei innovarent; apage; sed ut universum Clerum officii, quoties erat opus, admonerent: quare Ludovicus Pius *admonitorem se legum Ecclesiasticarum, non Legislatorem* vocat: quod aliis verbis magnus Imperator Justinianus significabat, Novellâ 137. cùm diceret, datum sibi à Deo civilium quasi legum τὴν ἐξουσίαν, potestatem eas figendi refigendi pro utilitate communi & temporibus Reipublicæ; at Canonum & Ecclesiasticarum legum τὴν παραφυλακὴν, custodiam, & defensionem. Et Canonici Juris Græcis Auctoribus dicitur Imperator, in rebus Ecclesiæ οὐκ αὐθεντεῖν, ἀλλὰ κανονικῶς διεξάγεσθαι· non cum Imperio decernere; verùm ex formula Canonum omnia transigere. Quod autem jure divino hæc inspectio rerum sacrarum Principibus conveniat, Regum institutio à Deo facta arguit, Deuter. cap. XVII. & exempla Regum Judæ, 4. Regum, cap. XII. Joas Rex, quum videret, pecuniam sacram à Sacerdotibus non rectè administrari, immiscet se illi curæ, & auctoritate regiâ rem componit; idque sine cujusquam querela; ne Jojadæ quidem

quidem Pontificis, à quo in Regem fuerat unctus. III. Regum, cap. XXII. 1607.
laudatur Josaphat, ut Rex pius: sed notatur idem, qui non planè divinum opus perfecisset: non enim altaria diruerat: quomodo autem, nisi ejus rei potestas penes Regem fuit? Idem de pluribus aliis dicitur: at Ezechias, 4. Regum, cap. XVIII. tanquam religionis instaurator unicè laudatur. Plena est Ecclesiastica Historia similibus exemplis Regum Christianorum, qui in Gallia, Hispania, Anglia & alibi ultrò atque ex auctoritate regia collapsa pietatis antiquæ instituta renovarunt; de quibus alio loco agetur. Hîc igitur notandum est, discrimen inter civilem potestatem, & sacerdotalem: nam civilis non solùm in temporalibus directum imperium habet; sed etiam in res Ecclesiasticas indirectum: at Sacerdotibus ita res divinæ permittuntur, ut secularibus negotiis se immiscere prohibeantur. Possunt sanè ex officio charitatis illa attingere; sed non ex vi, & imperio ullo sacerdotali. Qui aliter sentiunt, & afferunt Pauli locum è priore ad Corinth. cap. VI. & similes alios, cap. VIII. refutantur. Scimus extare exempla veterum Sacerdotum Judaici populi, qui non solùm Rempublicam attigerunt, sed res maximas in ea gesserunt. Verùm id vel expresso Dei mandatu factum: ut cùm Eliseus ungit Regem Jehu, IV. Regum, cap. IX. vel extraordinario quodam jure; cujusmodi sunt illa officia, quæ Græci Philosophi vocant κατὰ περίστασιν· docent enim, præter proprium cujusque civis officium pro ratione loci & stationis, quam obtinet in civitate, ea Reipublicæ tempora aliquando incidere, ut fas cuique sit publicæ saluti, si quid potest, extra ordinem consulere: hæc illi vocant officia κατὰ περίστασιν, velut è casu & Reipublicæ necessario tempore pendentia. Sic cùm nemini privato fas sit, quemquam occidere, in oppressa tamen Republica si quis Tyrannum occiderit, huic, tanquam de civitate benè merito, præmium decernitur. Hæc officia lege certâ definiri nullâ aliâ possunt, quàm utilitatis publicæ respectu; cujus causâ dicunt Græci Sapientes, oportere χαλάσαι τι τῆς ἀκριβείας· *destricto jure aliquid remittere.* Iidem pro regula in talibus versum Poëtæ afferunt, qui illud optimum augurium esse definit, quo salus patriæ constabit: qua de re non possum, quin Joannis Chrysostomi præceptum apponam, ex Homilia XXV. in priore ad Corinthios: Τοῦτο κανὼν Χριστιανισμοῦ, τοῦτο ὅρος ἠκριβωμένος, αὕτη ἡ κορυφὴ ἡ ἀνωτάτω, τὸ τὰ κοινῇ συμφέροντα ζητεῖν. *Hæc est Christianismi regula, hæc illius exacta definitio, hic est vertex supra omnia eminens,* PUBLICÆ UTILITATI CONSULERE.

V. *Suprema in Republica Christiana bene ordinata Potestas est civilis, non sacerdotalis.*

Pro certo & confesso ponimus, quod in Politicis facilè demonstratur, & de quo nemo prudens dubitat: Saluti Reipublicæ consuli aliter non posse, quàm si unus numero in illa sit Principatus: sive ille ab unico sustineatur, ut in statu monarchico; sive à pluribus, ut in Optimatum, vel populari statu: nam & in istis unus est numero Principatus. Hoc posito & concesso, quin suprema auctoritas in Republica Christiana ad Principes jure pertineat, ne dubitandum quidem videtur. Sunt sanè Ecclesia & Respublica duo systemata ac corpora, quorum utrumque in rebus propriè ad se pertinentibus, plenariam à Christo potestatem accepit, sed cum hoc discrimine, ut Ecclesia Regibus in hoc mundo foret subjecta, Regnum suum exspectaret in cœlis; ibi non antè cum capite suo regnatura: Respublica Regnum in terris teneret; sed Regnum temporale, quod in terris ortum, in terris desinit. Ad hæc, sacerdotalis Potestas non ad dominandum à Deo instituta est; verùm ad ministerium verbi & rerum divinarum; quod jam demonstravimus. B. Bernardus

1607. dus ad Eugenium, lib. II. *Apostolis interdicitur dominatus; ergo & tibi. Tu usurpare audes, aut Dominus Apostolatum, aut Apostolus dominatum? Forma Apostolica hæc est; interdicitur dominatio, inducitur ministratio.* Si hoc verum (est autem verissimum) in Apostolis; quantò magis in Presbyteris, Episcopis, Pontificibus, quos dignitate pareis esse Apostolis, nemo, opinor, prudens dixerit? Accedit, quòd latius patet Respublica quàm Ecclesia: cur igitur pars minor majori dominetur? cùm præsertim, diversissimæ sint rationes regendi Ecclesiam, & regendi Rempublicam. Si arator peronatus, nauticarum rerum imperitus, navem regendam poscat, *exclamat Melicerta perisse Frontem de rebus*; tu, qui spartam es nactus tractare divina, sacra curare, mundi curis abrenuntiare, Reipublicæ gubernacula tibi deberi contendes? Et quum prudentia civilis, quæ est anima Reipublicæ, cum administratione bellorum sit conjuncta, cum effusione humani cruoris, aliis multis sanctimoniæ sacerdotali prorsus contrariis, tu duo hæc, adeò suâ naturâ dissidentia, tibi uni vindicabis? Sanè priusquam Ecclesia in Rempublicam admitteretur, ipsa Respublica erat, & Imperatores ac Reges summum jus obtinebant. Proferatur locus aliquis è Sacris Literis, qui sua jura Principibus adimat; quique ereptam ipsis dominationem, Sacerdotibus Christianis tradat: nos intereà credamus cum universa Ecclesia, Dominum Jesum cùm ordinatis jam antè Rebuspublicis, hoc beneficium novum contulit, ut etiam Ecclesiæ Dei fierent, priora jura nulla ex parte imminuisse aut labefactasse. Alioquin falsò caneretur illud Sedulii in Ecclesia Catholica:

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cœlestia.

Huic testimonio, non jam Sedulii, sed Ecclesiæ Catholicæ congruunt multorum Pontificum Romanorum testimonia, ut Gelasii & Pelagii, quæ antè sunt allata. De Gregorio Magno dicetur capite IV. Nicolai, qui anno Salutis DCCCLVIII. Benedicto successit, vox est in Epistola ad Michaëlem Imperatorem: *Nolite præjudicium Ecclesiæ Dei irrogare; illa quippe nullum imperio vestro præjudicium infert.* Si Ecclesia nihil præjudicat Principibus, qui ante Christianismum receptum supremam dominationem in suis Principatibus obtinebant, manent igitur illis integra sua jura, neque verum est, quod hodie docetur, Dominum orbis terrarum esse Pontificem Romanum, & quidem directè, ut quotidie Romæ declamatur, & à certis hominibus etiam alibi. Præthereà, certum atque notissimum est, quicquid hodie juris in rebus temporalibus Ecclesiastici obtinent, id totum ex liberalitate Imperatorum ac Principum Christianorum manasse, qui profectò cùm illa jura, & privilegia tam multa Ecclesiasticis indulgebant, nihil minus cogitabant, quàm ut sibi detractum summum imperium in eos transferrent: quare locum heic habet illud Hormisdæ, Pontificis Romani, in Epistola ad Dorotheum, Episcopum Thessalonicensem: *Quo pudore, rogo, privilegia circa te illorum manere desideras, quorum mandata non servas? & reverentiam, quam non exhibes fidei, cupis tibi Ecclesiasticâ potestate deferri?* Hormisda quidem alia de re loquitur; sed planè in hoc quoque argumento valet eadem ratio: nam & in Jure Canonico Græcæ Ecclesiæ extat hæc regula: Ὁ δωρησάμενος βασιλεὺς, εἰ ἀχαριστίας παρεμπέσει λόγος, ἀναλαμβάνει τὴν δωρεάν: *Rex, qui aliquid fuerit largitus, interveniente causâ ingratitudinis, libertatem revocat.* Et afferunt Græci Patres hanc regulam in disputatione de privilegiis Ecclesiæ ab Impera-

Imperatoribus concessis. Notissimum etiam est Juris Longobardici æquissimum 1607.
axioma: *Feudum amittit, qui feudum sciens inficiatur.* Quod tamen minus multò est, quàm si eum tibi subditum esse contendas, quem prius Dominum & legitimum tuum Principem agnoscebas. Accedant præteritorum temporum exempla, quæ pro lege esse debent: nam à Constantino Magno, qui fuit primus Princeps Christianus, omnes deinceps Imperatores, præsertim Orientis, sed & Occidentis, quotquot dominationis sibi à Deo traditæ vim intellexerunt: omnes, inquam, supremam potestatem in Republica Christiana obtinuerunt; idemque jus posteà, qui in locum Imperatorum successerunt, variarum gentium Reges, sibi meritissimè vindicarunt. Semper igitur creditum est firmiter ab omnibus illud, quod Græci Interpretes & Civilis & Canonici Juris, passim inculcant: τὸ νομοθετεῖν ἀνῆκται τοῖς βασιλεῦσι, ***ferendi leges in Republica, jus est solis Principibus concessum.*** Iidem Principes cùm ex suggestione, vel consensu Episcoporum, Synodos præsertim majores indicerent; mox, Decreta Synodorum auctoritate suâ firmabant: conveniendi enim & cœtus cogendi jus à Principe manat. Qui autem negant, Synodos olim jussu Imperatorum ac Principum solitas cogi, rem negant verissimam, certissimam, notissimam, contestatissimam; rem negant, de qua vel dubitare, stupor & imperitia est fœda; rem negant, cujus ita manifesta fides, ut ire contrà, sit veritati bellum indixisse, mendacii patrocinium palam suscepisse, pudori & verecundiæ nuntium remisisse. Ignosce, quæso te, Lector candide: ex eo enim de potestate, quoties video magnos viros dexteritate ingenii sui uti an abuti, non quò rerum gestarum memoriam è tenebris eruant; sed ut tenebris obruant. Notum omnibus, non solùm literis Principalibus convocari solitos Episcopos; sed etiam publicorum vehiculorum usum Diplomatis regiis fuisse iisdem tributum. Intererant & Principes Conciliis, vel ipsi personaliter, vel eorum jussu Præsides Provinciæ, aut alii, quos jussissent. Heic verò dignitas, auctoritas, & potestas Ecclesiæ eminebat: cùm Princeps εὐταξίας & modestiæ vindicem agere contentus, de cætero privatum se gerebat. Patres contrà, pro auctoritate à Deo sibi tradita, cuncta gerere; Concilio præesse; controversias Ecclesiasticas dirimere; de fide orthodoxa pronuntiare; Hæreticos ex doctrina Christi refellere; contumaces exitio devovere; Canones & leges Ecclesiasticas Ecclesiæ præscribere; postremò, ipsa Imperatorum placita super rebus duntaxat Ecclesiasticis, quæ sacris Canonibus repugnarent, emendare & antiquare. Hæc Patrum legitima potestas; hæc vera Ecclesiæ libertas; quam si quis putet faciendam parvi, hic quid magnum in rebus humanis ducat, velim scire. Sed quia, ut antè ostensum est, Episcopi nullam à Deo coactivam potestatem acceperunt, per quam populum Christianum vi possint adigere, ut sua Decreta suscipiat, etsi Canonibus synodalibus, apud pios sua constabat auctoritas sine ulla imperiali sanctione, imò verò etiam renitentibus ipsis, & contrà furentibus, ut primis Ecclesiæ temporibus, quò tamen in Republica Christiana locus illis esset, & adversus inobedientes actio posset institui, civilis potestatis auxilium desiderabatur: ergo Imperatores pii, quæ Patres decreverant in Ecclesia, ea ut reciperentur à populo universo, pro imperiali sua potestate, sive ut loquuntur Jurisconsulti, pro plenitudine suæ potestatis, statuebant, & sub adjectione pœnæ sanciebant: ita Canones illi, quos prius solâ auctoritate episcopali fultos, boni duntaxat piique suscipiebant; ubi accesserat pondus potestatis civilis, etiam malos & divini Numinis contemtores constringebant: hoc nimirum est, quod suprà dicebamus, gladium materialem supplere, quod deest spirituali. Extant prope innumerabilia Imperatorum & Regum Edicta, quibus Synodi, præsertim œcumenicæ, confirmantur. Græci

 vocant

1607. vocant διατάγματα, vel θεσπίσματα, aut χρυσόβουλλα κυροῦντα τὰς συνοδικὰς ἀποφάσεις, *Edicta*, vel, *bullas aureas ad synodales sententias regiâ auctoritate muniendas*; id enim est κυροῦν. Græci Politici appellant τὸ κῦρος & τὸ κράτος Principatum illum, quem dicebamus esse debere in Republica unum numero tantùm, velut caput unicum in uno homine; quam ob causam sicut Ecclesiæ suæ caput dici solet Episcopus, ita Imperator in antiquis monumentis audit *caput temporale populi Christiani*, &, *temporale caput mundi*: item, *Rector & temporale caput Fidelium.* Ut igitur unum est in Republica τὸ κῦρος, sic τοῦ κυροῦν, & sanciendi ut vim legis aliquid habeat, unius est ac solius Principis. Rectè ergo Græci Patribus in Synodo adunatis tribuunt τὰς ἀποφάσεις, *jus pronunciandi quid sanctum, quid non.* At τοῦ κυροῦν, id est, sanciendi ut vim legis Decreta Synodi obtineant, id verò Principi attribuunt. Sic legas in Jure Canonico, administrari res Ecclesiasticas synodali κρίσει, *judicio*; & easdem confirmari regiâ ἐπικρίσει, *judicio quasi secundo.* In Epistola Synodali de non avellendis Episcopis à sua metropoli: εὑρέθη τι καὶ τοιοῦτον γενόμενον ΚΡΙΣΕΙ συνοδικῇ, καὶ ΕΠΙΚΡΙΣΕΙ βασιλικῇ κυρωθῆν, id est, *invenitur & antè simile quid factum* DECRETO *Synodi*, *&* POSTEA FACTO DECRETO *Imperatoris firmatum*; digna quæ observetur dictionum proprietas. In eandem sententiam paullò pòst ibidem scribitur, Imperatores ἐπισφραγίζειν τὰ κεκριμένα: *Decretis Patrum auctoritatis suæ sigillum apponere.* Neque tacendum, in eodem Jure Canonico Canones Patrum vocari ἐπιστάλματα, ut si dicas *mandata*; Imperatoris Edicta, προστάγματα, *jussa.* Quid plura? Lege diligenter res gestas omnium Principum Christianorum veterum; lege etiam Jus Civile & Canonicum antiquum; nunquam invenies factum, ut vel Synodi ullius, vel Pontificis cujusquam Decreta ad universam Ecclesiam spectantia, vim legis in Republica prius habuerint, quàm à Principe, qui est Reipublicæ caput, id jus accepissent; qui mos, quum in nobilissimo Francorum Regno & à principio fuisset institutus, & magnâ deinceps religione à majoribus nostris servatus; nunc quoque ab amplissimo ordine in omnibus supremis Curiis, ceu magnum Imperii arcanum, custoditur. Hoc Jus & Libertas Regni; cui velut basi ac fundamento innituntur illæ, quas forensis usus appellat Ecclesiæ Gallicanæ Libertates.

Expositâ comparatione, quam institueramus sacerdotalis & civilis potestatis; ad illud nunc accedamus, quod erat ab initio propositum: ecquam libertatem prima hæc Ecclesia noverit, atque usurpaverit; omnes enim in hoc consentiunt Catholici, Ecclesiam Dei, quò propius à Christi, capitis sui, & Sanctorum Apostolorum temporibus adfuit, tantò uberius atque illustrius iis omnibus virtutibus abundasse, quæ sunt Ecclesiæ Dei propriæ & necessariæ. Videamus igitur, si qua fortè hodiernæ libertatis Ecclesiasticæ vestigia in antiquis temporum illorum memoriis possint observari.

Heic verò meminisse oportet ejus, quod suprà dicebamus, primis ortûs sui temporibus Ecclesiam ita fuisse in Republica, ut tamen Reipublicæ pars non censeretur; adeò ut separatas penitùs rationes suas haberet à rationibus Reipublicæ; omni quippe suppliciorum genere & tormentorum diritate ejus interitum per aliquot secula, qui Rempublicam regebant, sunt moliti. Poterat sanè Deus inde à principio Romanorum Imperatorum animos Evangelicâ luce illustrare; nutritios Ecclesiæ suæ, quod ait Propheta, posteàque evenit, illos efficere; & ad propagationem doctrinæ Christianæ ministerio illorum uti: verùm ita semper solet Deus Opt. Max. ad res quasque maximas perficiendas, & præsidia & consilia humana aspernari; & erat prætereà æquissimum, ut quam ipse in terris vitam dedicaverat, eam discipuli quoque ipsius tenerent, ac posteris

ejusdem

ejuſdem propoſiti exemplum darent. Atque ut ante Solem creatum lux eſſe juſſa, ne tantum beneficium mortaleis Soli ferrent acceptum; ſic ne ſalutis doctrina virtute Principum initio fuiſſe recepta, ac mox latè diffuſa credi poſſet, terrenas Poteſtates ab hoc munere Providentia cœleſtis abjudicavit. Accedit huc, quod dum hac ratione à reliquis mundi hominibus ſecreta, non tàm loco quàm inſtitutis Eccleſia Dei viveret; ſanctimoniam, pietatem, integritatem illibatam tantò ſervabat commodius, quantò erat ab hujus vitæ commerciis magis ſeducta & remota: mundo enim ſic utebantur primi illi Fideles, tanquam non uterentur; quod Paulus monet: cùm interim flagrante pietatis zelo, morum innocentiâ, mutuo inter ſe amore ac dilectione ſincerâ, humilitate non fictâ, jugi futuræ beatitudinis meditatione, fide atque obedientiâ erga Poteſtates civiles, quantum per conſcientiam licebat; poſtremò in tolerandis pro vera Religione cruciatibus conſtantiâ inenarrabili, & pluſquam humanâ, theatrum univerſo mundo quotidie fierent; & ipſos etiam hoſteis in admirationem ſui vel invitos raperent. Hujuſmodi fuerunt naſcentis Chriſtianiſmi primordia; hæc prima Eccleſiæ Chriſti ætas; quam ſupplicia beatam, ignominia glorioſam, auri contemtus auream, corona martyrii, non autem Regni, reddebat auguſtam. Et tamen libertatem aliam ſancta hæc, & Deo chara Eccleſia nullam novit, niſi ſpiritualem, quam veteres Patres Chriſtianam nominant: hæc, ſicut dictum anteà, nihil aliud eſt, niſi vehemens Deo ſerviendi cupiditas; quâ cupiditate incenſi primi illi Chriſtiani, licet renitentibus Principibus, & Synaxes ſuas, & Synodos clam primò agitabant; deinde etiam erumpere in plenam lucem auſi, omnes diſciplinæ Eccleſiaſticæ partes cum ſancta libertate intrepidè exercebant. Deo enim potius quàm hominibus eſſe parendum, à Spiritu Sancto didicerant, & Petri cæterorumque Apoſtolorum exemplo, Actuum verſ. 29. Neque ſanè alium libertatis ejus, quam uſurpabant, titulum nôrant: iſtam verò, quæ jam Eccleſiaſtica dicitur, & ceu Chriſtianæ Religionis quoddam Palladium tantâ contentione defenditur, laudatur, quotidieque ampliatur, ne nomine quidem tenus habuerunt piæ illæ animæ cognitam. Tria præcipua libertatis Eccleſiaſticæ eſſe capita, definitio ſuperius collecta evincebat; Romani Pontificis ſupra omnes ſeculares dignitates imperium, Eccleſiaſticorum ab omni poteſtate civili exemtionem, & Laicorum ad quodvis illorum obſequium ſubjectionem. Quid horum in primitiva Eccleſia eſt invenire? Scilicet dominabantur Imperatoribus Romani Pontifices, qui, perpaucis exceptis, omneis ad Silveſtrum uſque, crudelibus ſuppliciis juſſu Principum vitam finierunt. Si orbis dominium, ut hodie docetur, jure divino pertinere ad ſe magnanimi illi Heroës putarunt, cur ne tum quidem ſignificationem ullam ejus rei dederunt, cùm aſſerendæ dominationi credentium multitudo poterat ſufficere? Nam armis potuiſſe illos ſuum jus perſequi, docuit multis pòſt ſeculis Gregorius II. cujus exemplo alii deinceps Papæ fermè innumeri pro dignitate Pontificia cùm Principibus bella geſſerunt atrociſſima. Quod autem ajunt hodie multi, fidelibus, non infidelibus Imperatoribus Romani Pontifices imperare, ac propterea jus hoc ſuum ad Conſtantini Magni tempora fuiſſe illis neceſſariò diſſimulandum, id verò falſum eſt & oppidò ridiculum: neque enim de ſpirituali poteſtate heic loquimur, cujus reſpectu Sacerdotibus colla ſubmittunt etiam Principes, ut ajebat Gelaſius. At in rebus civilibus cur minus pleno ac libero imperio utatur Conſtantinus, quàm vel pater Conſtantius, vel Diocletianus, aut quivis alius priorum Auguſtorum? Jam & de Clericorum exemtione eadem penitùs eſt ratio; nam ut pro fanatico habendus ille ſit, qui antè Chriſtianos Principes hoc jure illos fuiſſe uſos contendat; ſic qui ſubjectione Chri-

1607. Christianorum Principum illos eximunt, iniquè faciunt & ridiculè; ut de manifesta impietate eorum taceam, qui clarissima Sacræ Paginæ verba, quò illa ad suam sententiam flectant, miserè contorquent, sicut in sequentibus sumus demonstraturi. Qui autem immunitatis ac libertatis Ecclesiasticæ originem referunt ad Zephyrini & Caji, aliorumve Pontificum leges inter flammas ipsas diræ persecutionis latas, si recti judicii aliquod vestigium haberent, viros sanctos tam absurdæ ambitionis suspicione nunquam traducerent. Absurdissimum sanè esse, non potest negari, eos jugum dominationis civilis ereptum ivisse aliis, qui essent ipsi cùm maximè eidem dominationi obnoxii: quique mox ad luendas pœnas crudelissimorum Principum jussu sint ducti. De Laicorum verò obsequiis erga Ecclesiasticos quid attinet verba facere? quæ eò prolixius illo tempore præstabantur, quò minus exigebantur. Apostolus ad Galatas scribens: *Testimonium*, inquit, *perbibeo vobis; quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* Sed non erat is Paulus, sicut Epistolæ ipsius ostendunt; non Apostoli cæteri, qui exactionibus supervacaneis & novis subinde angariis, quod posteà factum, Ecclesias Dei onerarent. Ad horum exemplum quum se totos primæ Ecclesiæ Episcopi, viri sanctissimi, componerent, pariter & populos ad omnia, quæ exigerentur, obsequia paratissimos semper fuisse, non est dubium: necessariis etenim contenti, neque subjectis populis, neque alter alteri dominari pii Pastores appetebant; sed ut Beatus Cyprianus ait, *universi gregis portionem sibi adscriptam, unusquisque regebat, actûs sui rationem Domino redditurus.* Verùm enimverò Ecclesia Dei agro non sine caussa in Sacris Literis comparatur: hunc agrum semente optimâ initio conspersum, studioque summo à patrefamilias excultum, veterator ille antiquus, non magnâ interpositâ morâ, conatus est adulterare: exinde inter nitentia culta, lappæ, tribuli & steriles avenæ cœperunt succrescere; alii à rectæ fidei noto tramite ad ignotas semitas deviare; alii prioris zeli ardorem tepore lento mutare; alii divitias congerere; multi, etiam ex ipsis agri dominici colonis, honoribus inhiare, ambitioni non leviter se dedere: simulac enim usura aliqua pacis ab externis hostibus concederetur, omnia hæc è vestigio mala intestina, velut agmine facto, in Ecclesiam irrumpentia, priorem ejus pulchritudinem mirificè deturbabant. Beatus Cyprianus de Lapsis, loquens de persecutione Deciana longè gravissima: *Si cladis caussa cognoscitur*, inquit, *& medela vulneris invenitur. Dominus probari familiam suam voluit; & quia traditam nobis divinitùs disciplinam pax longæva corruperat, jacentem fidem & penè dixerim dormientem, censura cœlestis erexit.* Posteà corruptelam Ecclesiæ vir sanctissimus copiosè describens, inter cætera mala, illud longè gravissimum commemorat, quòd seculares curas spirituali ministerio jam tum illâ ætate Episcopi miscere inciperent: *Episcopi plurimi*, inquit, *quos & hortamento oportet esse cæteris & exemplo, divinâ procuratione contemtâ, procuratores rerum secularium fieri; derelictâ cathedrâ, plebe desertâ, per alienas Provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari; esurientibus in Ecclesia fratribus non subvenire; habere argentum largiter velle; fundos insidiosis fraudibus rapere; usuris multiplicantibus fœnus augere.* Simillima his sunt, & graviora etiam, quæ de Episcoporum ambitione ac potentiæ cupiditate Eusebius refert lib. VIII. initio, dum caussas explicat excitatæ divinitùs persecutionis illius, quam sub Diocletiani imperio passa est Ecclesia vehementissimam. Quin etiam in tantum jam temporibus illis contemtum Ecclesiastica disciplina venerat, ut spiritualis gladii auctoritate obsoletâ, adversus contumaciam Pauli Samosateni auxilium gladii civilis ab Aureliano, Principe

cipe infideli, & mox infensissimo hoste Ecclesiæ, Synodus circa annum Christi CCLXXV. Antiochiæ coacta, opus habuerit implorare. Atque hic erat Ecclesiæ tum status, cùm Providentia divina ex insperato novâ facie illam induit. 1607.

CAPUT III.

Quæ & qualis fuerit libertas Ecclesiæ à temporibus Constantini Magni ad Gregorium Magnum, Pontificem Romanum.

TRecentos propemodum annos inter continuos ferè cruciatus, coronâ martyrii insignis, & sanguine suo, ut plurimùm, purpurata, egerat Ecclesia Dei, cùm Tyrannorum crudelissimorum jugo ipsam tandem eripere, Deo Opt. Max. placitum. Jam enim optata illa tempora advenerant, à Domino multis antè seculis promissa, à Prophetis prædicta, quando se suaque sceptra Reges terræ Regi Messiæ erant submissuri: neque ipsum duntaxat humiliter adoraturi, verùm etiam Ecclesiæ ipsius Nutritii, Pastores ac Defensores futuri. Igitur diuturnam Ecclesiæ servitutem libertas excepit, quam illi Constantinus Magnus primò peperit, quamque insecuti deinceps Christiani Imperatores eidem conservarunt, & variè auxerunt. Quoniam autem libertatis hujus interpretatio, vis ac jura pro temporibus mutarunt, sicut capite primo ostendimus; ut clarè & liquidò possit intelligi, quid ab hac priore posterior differat; (ea nempè, quam hodie Ecclesiasticam vocitant;) temporum distinctionem adhibebimus, eaque separatim considerabimus. Tria itaque libertatis Ecclesiæ tempora in Historiis observamus, mirum in modum inter se diversa. Nam à Constantino Magno, auctore illius primo, per annos trecentos, & quod excurrit, sub Imperatorum & Regum imperio floruit Ecclesia, solâ rerum spiritualium & ecclesiasticarum administratione contenta; ab omni dominationis temporalis contagione aliena & immunis. Hæc est altera ætas Ecclesiæ, quam docendi gratiâ Pelagii II. qui Gregorium Magnum antecessit, Pontificatu terminamus. Secuta deinde est ætas alia, in qua Ecclesiastici secularium negotiorum administratione sese immiscere primò sunt coacti, rebus ita exigentibus. Deinde etiam ultrò harum rerum curam susceperunt, & pertinere ad se judicarunt. Hujus temporis spacium constituimus à Gregorio Magno ad Gregorium VII. Tunc primùm hodiernæ libertatis Ecclesiasticæ jacta sunt fundamenta; quæ libertas à Gregorio VII. insigniter aucta & confirmata, quum altas jam radices egisset; temporibus deinceps insecutis, per varias occasiones & artes diversas amplificata, in eam demum formam est perducta, quam primo capite ostendimus. Cum ista ergo posteriorum seculorum libertate nihil fuisse commune illi priori, cujus auctor Constantinus Magnus, omnes æquos Lectores eorum, quæ hoc capite dicturi sumus, agnituros esse confidimus. Cæterùm, ne in amplissimo argumento liberior stylus vagetur, certis quibusdam finibus præsentem Diatribam coërcebimus.

I. *Ecclesia Christiana libertatem Religionis à Principibus accepit.*

Quicquid juris Ecclesia est consecuta per concessam sibi ab antiquis Imperatoribus libertatem, id omne ad quatuor hæc capita commodè potest referri; liberam Religionis professionem, quam Imperatores Constantinus & Licinius *libertatem Religionis* in Edicto suo vocant: immunitatem, quæ ἐλευθερία τῶν λειτουργημάτων, *libertas à publicis oneribus*, Justiniano appellatur: exemptionem Ecclesiasticorum à secularibus judiciis: postremò auctoritatem etiam de Laico-

1607. rum caussis cognoscendi. Hæc jura cujusmodi fuerint illis temporibus, de quibus isto capite agere instituimus, ordine exponemus. Libertatem ergo Religionis nominarunt Imperatores liberam facultatem omnia agendi, quæ ad Christianam Religionem plenè exercendam desiderantur; quo in genere sunt jus conveniendi ad sacras synaxas & publicas preces; ædeis sacras ædificandi; Synodos cogendi, & disciplinæ Ecclesiasticæ usurpandæ. Ideò narrat Eusebius, post hujus Edicti publicationem, incredibili cum alacritate & lætitia populos liberè convenisse; templa struere passim cœpisse; multas Synodos celebrasse. Eadem omnia & multò antè fecerant Christiani; sed ἐλευθέρως ϗ ἀπλάστως, ut ajunt Imperatores, id est, liberè & sine ulla dissimulatione, tunc primùm. Errant periculosè in multis, qui non distinguunt inter potestatem à Deo datam Ecclesiæ, & eam, cujus auctor est Princeps: illa separat Ecclesiam à Republica, dum peculiarem Deo populum ipsam efficit; hæc Ecclesiam Reipublicæ adjungit, & ad communionem ejusdem juris cum cæteris Reipublicæ membris admittit: nam, ut anteà dicebamus, Ecclesia hactenus ita in Republica fuerat, ut tamen pars illius non censeretur; ac propterea æquo jure cum reliquis civibus non utebatur, neque alium ferè suarum injuriarum, aut contemtæ disciplinæ vindicem, nisi Deum habebat: ubi verò libertatem Religionis à Principe fuit consecuta, & injuriarum suarum ultorem eundem Principem habuit, & disciplinæ quoque Ecclesiasticæ custodem ac vindicem; ex quo etiam illud posteà evenit, ut Hæretici, qui hactenus in eadem caussa cum orthodoxis Catholicis fuerant sub infidelium Principum imperio, Edicto Constantini ab Ecclesia separarentur, & libertate Catholicis concessâ privarentur. Vide Sozomenum, libro II. capite XXXI. & similibus Principum Edictis adversus Hæreticos plena est Historia Ecclesiastica.

II. *Ecclesia vetus sub Christianis Principibus solita Synodos cogere, aut expressâ jussione Principis, aut tacito ejusdem consensu.*

Jam diximus, Imperatores cùm libertatem Religionis Edictis suis Ecclesiæ concesserunt, simul jus liberè cogendi Synodos illis attribuisse. Nam cultûs Christiani hæc pars est, prorsus necessaria & ἐσπουδῆς· propterea Synodi illæ, quas statim post libertatem acceptam convocatas fuisse narrat Eusebius; ut Ancyrana, & Neocæsarena, quarum hodièque extant Canones; etsi jussione Constantini coactæ non dicuntur, regiâ tamen auctoritate, non minus quàm quotidianæ Synaxes fulciebantur. Heic verò discrimen cum primis observandum occurrit inter topicas particularesque Synodos, & Concilia œcumenica: nam illæ quidem interdum à Metropolitanis, aliisve Episcopis, sine expressa Principis jussione aut consensu, dicuntur congregatæ; interdum expresso Imperatorum mandatu: at universales Synodi nunquam illis temporibus sine jussu Principis leguntur fuisse coactæ. Ratio diversitatis est, quia ut prospiciendi necessitatibus Ecclesiarum sibi commissarum, plenariam potestatem à Christo primùm, deinde etiam à Principe Episcopi metropolitani, & Patriarchæ habebant; sic Princeps conservare tam in partibus Ecclesiæ, quàm in eadem universa disciplinam Ecclesiasticam, cavereque ne ullam orthodoxa Doctrina innovationem acciperet, sui muneris ac juris esse arbitrabatur. Idcircò magnus Constantinus, ut anteà observabamus, Episcopum se τῶν ἐκτὸς divinitùs constitutum dicere solebat; quod ad hanc curam Synodos indicendi refert Eusebius, libro primo vitæ ipsius, ubi de cætero ejus studio adjuvandæ reformandæque Reipublicæ locutus; *Ecclesiæ tamen Dei*, inquit, *peculiarem sollicitudinem impertiens, quum per varia loca exorirentur inter Episcopos dissensiones; ipse ceu communis aliquis Episcopus à Deo constitutus* συνόδους τῶν

Θεοῦ·

θεοῦ λειτουργῶν συνεχρότει, *Synodos ministrorum Dei indicebat.* De topicis Synodis 1607. hæc intelligenda: atque hinc manifestò patet, Constantinum minora Concilia auctoritate suâ convocasse, quoties vel ipse per se, vel ex suggestione Episcoporum publico Patrum conventu opus esse indicaret. Moris prætereà fuit, ut qui Provinciæ suæ suspectas Synodos haberent, Judices à Principe sibi dari postularent. Fecerunt hoc Donatistæ, cùm Aulinus, Proconsul Africæ, mandatu Constantini ipsos urgeret, ut Cæciliano, orthodoxo Episcopo Carthaginis, conciliarentur. Id exemplum in simili re primùm editum est in Ecclesia Christiana: nam qui dicunt, ante Paulum Samosatenum à Synodo ad Aurelianum Imperatorem appellasse, non attendunt, ipsos fuisse pios Episcopos in Antiochena Synodo congregatos, qui ad deturbandum ex Episcopio contumacem Hæreticum, auxilio civilis potestatis, prudenter atque utiliter sunt usi. Donatistarum verò longè alia ratio: nam hi Judices ab Imperatore petierunt non suspectos, qui de causa Ecclesiastica cognoscerent. Sunt enim hæc eorum verba apud Optatum Milevitanum: *In Africa inter nos cæteros Episcopos contentiones sunt: petimus ut de Gallia nobis Judices dari præcipiat Pietas tua.* Vides non deferri judicium de rebus Ecclesiasticis Imperatori; sed hoc tantum, ut pro sua auctoritate Princeps cogi Synodum jubeat, non suspectam: qui proptereà exemplum damnant, quia à Donatistis profectum, pessimè judicant: simul enim infinitos Romanos Pontifices, atque alios viros sanctissimos damnant, quos constat ab Imperatoribus petiisse, ut adversus anteactas Synodos nova Concilia indicerent; ut de Patribus Nicænis, Joanne Chrysostomo, Innocentio Primo, Leone, aliisque dicturi sumus. Quod autem ait Optatus, Constantinum *pleno livore respondisse* Donatistis, & eos objurgasse, quòd judicium à se in seculo, id est, temporali dominatione prædito, non autem spirituale Regimen Ecclesiæ obtinente, Judices poscerent; eò valuit, ut significaret Constantinus, melius atque optabilius futurum, si adeò concorditer & amicè agerent inter se Episcopi, ut nemo ipsorum auxilium à Principe opus haberet petere; quod quia primi, & quidem sine justa causa, faciebant tunc Donatistæ, quid miramur, Imperatorem, pacis & unitatis in Ecclesia conservandæ studiosissimum, novitate rei motum, asperioribus aliquantò verbis eos excepisse? cùm præsertim omnia nova exempla Sapientes advertere acrius soleant. Id autem Donatistarum exemplum non poterat non esse novum; cùm illud ipsum non multò prius cœpisset, ut Christianis Imperatoribus subjecta esset Ecclesia Dei. Optimè sanè judicabat Constantinus, id maximè votis omnibus esse expetendum, ne inter Episcopos ulla unquam similis exoriretur contentio: cæterùm hoc quoque sciebat, credebatque firmiter idem ille pius Imperator, quoties id mali genus extitisset, Christiani Principis officium esse, ut auctoritate suâ curaret per illos rem componendam, quorum est proprium, de causis ad fidem vel disciplinam Ecclesiasticam spectantibus, pronuntiare. Idcircò subjicit Optatus: *Et tamen dati sunt Judices; Maternus ex Agrippina civitate, Rhetitius ab Augustoduno civitate, Marinus Arelatensis.* Posteà Concilium Romæ habitum jussu Constantini commemorat: neque enim soli tres illi Episcopi de causa cognoverunt; sed inter pluress, quorum ibidem nomina censentur, hi tres cum Melchiade, Romano Pontifice, præcipui erant. Extat in decima Historia Eusebii formata Epistola Constantini ad Melchiadem; & tres illos superiores eodem exemplo, ut sic in formatis, missa, super convocatione ejus Concilii. Inscriptio Epistolæ est: Κωνσταντῖνος Σεβαστὸς Μιλτιάδῃ (Melchiadem plerique Græcorum libri ita vocant) Ἐπισκόπῳ Ῥωμαίων, καὶ Μάρκῳ. Eruditus Nicephori Interpres vertit: *Constantinus Augustus Miltiadi, Episcopo Romanorum, & Marco,*

1607. *co, &c.* Videtur fuisse in Græco exemplari, καὶ Μάρκῳ καὶ λοιποῖς· sic sæpè qui literas formatas describunt, unius duntaxat, vel ad summum, alterius eorum, ad quos illæ fuerunt missæ, nomen apponunt: quare illa, καὶ λοιποῖς, *& cæteris*, id designant, paria exempla cæteris quoque fuisse missa, quorum nomina ponuntur; ut in hac Epistola Rheticii, Materni, & Marini: ex quo apparet, in hac inscriptione mendosè omnino Marci nomen pro Materni, vel Marini irrepsisse; ac pro καὶ Μάρκῳ, scribendum esse καὶ Μαρίνῳ, vel καὶ Ματέρνῳ, quod minus probo. In ea Epistola Imperator cognitionem hujus causæ Melchiadi Papæ, & tribus illis mandat his verbis: *Visum mihi, ut idem Cæcilianus cum decem Episcopis, qui illum reum agere videntur, & alios præterea decem, quos ipse sibi ad causam suam necessarios esse arbitratur, Romam navigent, ut ibi coram vobis, item Rheticio, & Materno ac Marino, collegis vestris, quos propterea Romam properare jussi, audiri queant, prout venerandissimæ legi convenire cognoveritis.* Vides, congregationem Episcoporum à Principe imperari; & quidem exertæ auctoritatis principalis verbis, VISUM MIHI, & JUSSI: at judicium permitti Episcopis, ut statuant ipsi ex lege divina & canonibus: hic enim est, quem ipse vocat νόμον σεβασμιώτατον, *legem augustissimam.* Porrò Donatistæ Romano Concilio non acquieverunt; sed ad Principem appellarunt: pessimo sanè exemplo, ut meritissimè pius Imperator exclamarit, *O rabida furoris audacia! sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Sed Donatistæ hoc colore se tuebantur, quòd in Romano judicio pauciores adfuerant Judices, quàm magnitudo causæ exigeret: & eventus quidem docuit, tergiversandi animo hæc ab illis fuisse obtenta; neque hoc non videbat Imperator, ut apparet ex Epistola ad Chreitum. Sed rursus hoc quoque notat Constantinus, tot ægras mentes eorum, qui per Africam à communione Catholicorum abhorrebant, vi & suppliciis ad sanitatem perduci non posse: itaque necessitate compulsus, magnam Synodum Arelate indicit. In Epistola formata, eâ fine scripta, sunt hæc verba: *Prospiciendum mihi fuit, ut negotium, quod dudum post sententiam latam, spontaneâ consensione terminatum esse oportuit, nunc certè pluribus præsentibus finem consequi tandem aliquando possit. Quoniam igitur plurimos è diversis ac prope infinitis locis Episcopos in Arelatensium urbe, intra Kalendas Augusti convenire jussimus, etiam ad te scribendum duximus.* Rectè autem scribit Augustinus Epistolâ CLXII. Constantinum Synodo hac indicenda, nequaquam illud sibi sumpsisse, ut de Romani Concilii Patrum judicio ipse judicaret; sed eatenus querelas Donatistarum suscepisse, ut alios Episcopos daret Judices. Itaque nihil in hoc Constantini facto invenit Augustinus, quod damnet; qui etiam Epistolâ eâdem ut consilium ejus Episcopi se non fore laudaturum ostendit, qui proconsulari judicio purgari ultrò expetierit, aut ad Imperatores provocaverit; sic eos Episcopos, qui judicium illius, cui causam delegaverat Imperator, non detrectarant, acriter tuetur, ipsum Principem non obscurè laudans, quòd laboranti Ecclesiæ auctoritate suâ subvenisset. Verba sanctissimi viri sunt: *Ait quidem* Donatista: *Non debuit Episcopus proconsulari judicio purgari; quasi verò ipse sibi hoc comparaverit: ac non Imperator hoc quæri jusserit,* AD CUJUS CURAM, *de qua rationem Deo redditurus est,* RES ILLA MAXIME PERTINEBAT. Si judicio tanti Patris rectè fecit Constantinus, quòd tumultuantibus in Africa Donatistis, Proconsuli causam delegavit; quis illum reprehendat, si etiam post Concilium Romanum victus pertinaci animositate nequissimorum hominum, instaurari judicium Arelate ab Episcopis, sed longè pluribus numero, maluerit, quàm vim adhibere, aut gladio sævire? Itaque sine causa in

in Annalibus Ecclesiasticis de hoc Constantini facto longè aliter pronunciatur: 1607.
sed nemo miretur, eum, qui de potestate Ecclesiastica & Pontificia longè diversam opinionem ab Augustini sententia, omni ratione tuendam à principio suscepit; de hac quoque re longè aliter quàm Augustinum & universam Ecclesiam veterem sentire ac pronuntiare. Porrò cùm ne Arelatensis quidem Synodi judicio acquiescerent Donatistæ, atque iterum ad Imperatorem appellassent, à rigore juris nonnihil deflexisse visus est Constantinus, cùm de causa toties ab Episcopis judicata, cognoscere ipse instituit; non ut benè statuta à Patribus, quorum ea cognitio erat, Imperatoriâ Majestate antiquaret; sed ut cervicosis hominibus omnem tergiversandi ansam penitùs præcideret, & hac ratione vel invitos, si pote, servaret. Itaque veniam audentioris consilii fuisse illi posteà ab Episcopis petendam, B. Augustinus indicat; sed veniam facilem, & cum ipsius laude, qui videbatur deliquisse, meritò conjunctam: *Utinam*, inquit ille, *saltem Imperatoris judicio insanissimis animositatibus suis finem Donatistæ posuissent, atque ut eis ipse cessit, ut de ea causa post Episcopos judicaret, à Sanctis Antistitibus posteà veniam petiturus; dum tamen illi, quod ulterius dicerent, non haberent, si ejus sententiæ non obtemperarent, ad quem ipsi provocaverant; sic & illi aliquando cederent veritati.* Quod igitur de causa ab Episcopis judicata Princeps cognovit οἰκονομικῶς, & dispensatione factum, ut veteres Theologi loquuntur, neque aut malignè interpretandum, ut illi faciunt, qui Imperatorem eo nomine graviter accusant; neque rursus ad exemplum temerè trahendum, ut ex Gelasio superiore capite dicebamus. At quòd Synodos Romanam & Arelatensem indixit, & Episcopis causam delegavit, hoc verò Imperator ex potestatis suæ vi fecit; eoque jure tum cæteri Imperatores pii sunt usi, tum hic imprimis Constantinus, dum vixit, semper religiosissimè. Is igitur, ubi videt flammam in Ægypto ab Ario excitatam, tot Synodis topicis Episcoporum Ægyptiorum non restingui, suam auctoritatem interponit; & acri Epistolâ tam Arium, cujus impietas nondum planè innotuerat, quàm Alexandrum Episcopum ad officium revocat, & ut eleganter ipse ait, inter duos contendentes εἰρήνης πρύτανιν ἑαυτὸν προσάγει εἰκότως, *pacis moderatorem jure suo se admovet.* Cùm ne sic quidem hilum esset profectum, secuta est illa nobilissima, celeberrima, augustissima Synodus Nicæna: quo auctore, quæso, & quo jubente? Si verum est, quod hodie pro articulo fidei docemur, nemini præter unum Romanum Pontificem, non dicam Synodum cogendi; sed ne hiscendi quidem in rebus Ecclesiasticis jus esse; nullum dubium est, Sylvestrum, Pontificem Romanum, Nicænum hoc Concilium indixisse. Itaque hoc omnes isti hodie libertatis Ecclesiasticæ patroni pro certo & indubitato ponunt. Mitto sophistas, & nugatores veteris Historiæ imperitos. Cardinalem verò Baronium id adeò affirmanter scribere & asserere, quis non miretur? nam hoc Veterum nemo dixit. Quare igitur affirmatur? saltem aliquid adferret vir diligentissimus ex Antiquitatis thesauris, unde aliqua hujus rei suspicio posset videri orta; sed ne id quidem potest: itaque ad miseras conjecturas confugit; de exemplo Dionysii, Episcopi Alexandrini; quondam apud Dionysium, Papam Romanum, accusati; & de legatione Osii. Quod ad vetus exemplum Dionysii, agemus nos de eo paullò pòst, cùm de appellatione à Synodis tractabimus. Osium verò, Legatum Romani Pontificis, ea gessisse, quæ scribit Baronius, tam facilè cuivis negare, silentibus omnibus Historicis, quàm ipsi affirmare contra omnes Historicos. Sed ut hoc impræsentiarum illi concedamus, quid inde sequetur, nisi quòd ex suggestione Sylvestri hoc Concilium Imperator indixerit? Hoc verò ultrò fatebuntur omnes pii, ab Episcopis, maximè autem à Romano, ut primæ Sedis Antistite, ejus admoneri solitos

1607. Imperatores: nam etiam preces humillimas adhibuisse Romanos Pontifices legimus, ut ab Imperatoribus Synodos indici impetrarent; aut si res exigeret, indictas differri. Leo Papa, Epistolâ IX. ad Theodosium Imperatorem: *Si Pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam haberi jubeatis episcopale Concilium, citò poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota, resecari.* Idem Leo, Epistolâ XLIII. ad Marcianum Augustum: *Poposceram à gloriosissima Clementia vestra, ut Synodum, quam pro reparanda Ecclesiæ Orientalis pace, à nobis etiam petitam, necessariam judicastis, aliquantisper differri ad tempus opportunius juberetis.* Et prior Leone Liberius ad Constantinum scribens: *Ad exorandam Mansuetudinem tuam, ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem & Coëpiscopum meum, sanctum virum Luciferum, cum Pancratio, Compresbytero meo; & Hilario, Diacono, placuit proficisci: quos credimus de Clementia tua ad pacem omnium Ecclesiarum Catholicarum non difficulter posse Concilium impetrare.* Omitto similia exempla, quæ sunt plurima; ex quibus nemo sanus collegerit, Imperatorem jus indicendi Synodos non habere; verùm illud potius clarè ac manifestè ex istiusmodi testimoniis consequitur, Episcopos, præsertim verò Romanum, ut præcipuæ Sedis Antistitem, pro cura pastorali sua in Ecclesia Dei, de indicendis Conciliis solitos Principibus aurem vellere; Principes pro auctoritate, quam habent supremam in Republica, cujus pars Ecclesia, Concilia indixisse. Ergo etiam Nicænum ab Imperatore esse indictum, & ratio manifesta suadet, & testimonia veterum Scriptorum evincunt. Eusebius libro III. de rebus Constantini, literas Imperatoris quibus hæc Synodus convocata, ἐπίταγμα Constantini appellat, *mandatum & jussionem.* Theodoretus libro primo: *Constantinus*, inquit, *spe componendi tumultus Alexandrinos falsus*, τὴν πολυθρύλλητον ἐκείνην πι-ςὴν εἰς τὴν Νικαίων συνήγειρε σύνοδον, *convocavit Synodum Nicæam in Bithynia.* Socrates, & Gelasius, aliique in eam rem verbo συγκροτεῖν usi; quin ipsi quoque Nicæni Patres initio Epistolæ ad Alexandrinos, à Deo & Imperatore συγκροτηθῆναι se testantur. Id verbi solent Græci Scriptores Ecclesiastici de eo usurpare, qui auctor fuerat Synodi alicujus habendæ, & qui indixerit: propriè de choragis Atheniensium dicebatur, quorum erat munus, chorum in tribu sua proprio sumtu instruere. Quò respexit Eusebius, cùm hanc ipsam Synodum appellat χορείαν ἐπισκόπων, *chorum Episcoporum*; &, εἰκόνα χορείας ἀποστολικῆς, *imaginem chori Apostolici.* Dicitur & de Imperatore, qui cogit exercitum: nam συγκροτεῖν στράτευμα passim leges in Historiis Græcorum. Theodoretus & Sozomenus de Synodo Cæsareæ in Palæstina aliquot pòst annis celebrata, utuntur vocibus προστέταχεν, & ἐκέλευσεν, ac jussu Constantini illam habitam significant. Ea Synodus magna ex parte factiosorum & perditorum hominum conventiculum fuit, ad perdendum Athanasium conjuratorum; sed optimo Imperatori fraus facta est ab Episcopis, qui sub ovina pelle animos lupinos latere non intelligebat; ideò excusat ipsum Theodoretus, quòd fidem hominibus improbis habuerit, propterea quòd Sacerdotes essent. Idem Princeps dolo intellecto horum Episcoporum, aliam denuò Synodum in urbe Tyro προσέταξεν ἀθροισθῆναι, *jussit congregari*, ait Theodoretus. Ipse Imperator in Epistola ad Synodum, Edictum suum, quo indicit Concilium, appellat κέλευσιν, *jussionem*: item ὅρους αὐτοκράτορος ὑπὲρ εὐσεβείας ἐξενεχθέντας, *imperialia decreta pro Religione edita*; & ne facultate conveniendi ad malum aliquod patrandum iterum abuterentur Episcopi; Dionysium, virum consularem, ait se misisse, omnium agendorum, maximè autem modestiæ cujusque futurum κατάσκοπον, id est, *exploratorem, & observatorem.* Sed hic Dionysius potestate sibi delegatâ abusus, non disciplinæ custodem ac vindi-

vindicem se exhibuit, verùm apertâ vi grassatus, religiosæ Synodi formam in 1607.
speciem Conventûs secularis, imò tyrannici convertit: ideò Synodum eam posse vocari, jure negat Athanasius in Apologia II. *Quâ fronte*, ait, *talem Conventum Synodum appellare audent, cui Comes præsedit? ubi spiculator apparebat? Commentariensis, loco Diaconorum Ecclesiæ, nos admittebat? Ille loquebatur; Episcopi silebant, vel potius, Comiti obediebant: ille jubebat; nos à militibus ducebamur.* Hæc & plura his Athanasius de vi adhibita ad illud Concilium. Sed hujus mali totius non adeò Comes fuit auctor, ut ipsi Episcopi Ariani; qui fidem rectam, & magnum ejus patronum Athanasium ut perderent, extremis Constantini temporibus, & posteà regnantibus Constantio, Juliano & Valente, nulli neque violentiæ, neque immanitati pepercerunt. At Constantinus, ubi ab Athanasio de rebus Tyri gestis cognovit, regiam potestatem in conventiculi illius Episcopos exerens, apicibus suis sistere se Constantinopolim omnes jubet; rationem perperam admissorum reddituros. Coacta ibidem & Synodus est, de qua Rufinus: *Arium nequicquam apud Alexandriam commorantem venire facit Imperator, & imperialibus Edictis Concilium denuò Constantinopolim convocari.* Omitto Jerosolymitanum, quòd proximè secutum est Tyrium, & ferè ab iisdem Episcopis fuit celebratum. Id quum ad Encænia templi Jerosolymitani agitanda præcipuè convenerit, quin jussu Imperatoris sit collectum, ne dubitari quidem potest. Obiit verò magnus hic & pius Imperator non multò post Novæ Romæ actum Concilium. Constantium filium non eodem solùm jure cum parente usum in Synodis indicendis; sed etiam potestatis legitimæ fines longè emigrantem, per regiæ potentiæ ministros in Arianorum suorum gratiam plurimas coëgisse Synodos, ex Historia Ecclesiastica nimis certum: & jure Veteres Parasynagmata, non Synodos appellant, ejus auspiciis coactos Conventus Antiochiæ non semel, Philippopoli, Jerosolymis, Sirmii, Niceæ in Thracia, Niceæ in Bithynia, & aliis item in locis. Hinc illæ adeò frequentes querelæ apud Athanasium, Hilarium, cæterosque ejus ætatis Scriptores de Constantii, quem ipsi Antichristum dicunt, omnia Ecclesiæ jura temerantis, ausu nefario. Iidem tamen in legitimis Synodis ab illo coactis, non inviti auctoritatem Principis agnoscunt. Sardicensem Synodum fatetur Athanasius convocatam κατ' πρόσταξιν, *ex jussione piissimorum Imperatorum, Constantii & Constantis.* Ariminensis quoque orthodoxæ Synodi Patres, Dei κελεύσει, *jussione*, & Imperatoris προστάγματι, *præceptione* solitas cogi Synodos profitentur: quod & superioris Sardicensis Patres aliis verbis significarunt in Epistola Synodi apud Theodoretum, libro II. cit. VIII. De indicta Nicæam Synodo œcumenica Constantii literis, & posteà aliis ejusdem literis divisa in Ariminensem Occiduorum, Seleucensem Orientalium, habes apud Athanasium in Commentariolo de iis Synodis scripto. Liberium quoque, Romanum Pontificem, enixis precibus ab hoc ipso Principe, quamvis impio atque hæretico, Synodum expetiisse, suprà ostendimus. Quæ autem à Julio Papa, Constantio imperante, in causa Athanasii habitæ sunt Synodi, eæ cùm universales non essent, Principis expressam jussionem minus desiderabant, ut anteà dicebamus: itaque Metropolitanos & Patriarchas in suis Diœcesibus Episcopales Conventus propriâ auctoritate habuisse, passim observabis. Constat sanè, unum Athanasium Alexandriæ multas Synodos è subditæ sibi ditionis Episcopis convocasse. Romano verò Pontifici eximium aliquod jus præ cæteris jam tum cepisse attribui, ostendetur inferius hoc ipso capite. Non abutar otio meo singulis Synodis majoribus minoribusque commemorandis, quæ deinceps intra ejus temporis, quo de nunc agimus, terminum, leguntur habitæ: satis erit, præcipuas duntaxat carpsisse; ex quibus luce clarius constare

 æquis

1607. æquis Lectoribus queat, crudelitati rudis popelli mirificè eos illudere, qui rem adeò veram certamque negant. Joviano Principe, circa annum Domini CCCLXV. Lampsacenum famæ non obscuræ Concilium habetur. Narrat autem Sozomenus lib. VI. cap. VII. Hellesponti & Bithyniæ Episcopos Hypatianum misisse ad Imperatorem: ὥστε ἐπιτραπῆναι συνελθεῖν ἐπὶ διορθώσει τοῦ δόγματος, *ut sibi venia conveniendi tribueretur ad restituendam in integrum fidem Christianam.* Qui responsum ab Imperatore tulit: *Mihi equidem, qui Laicis accenseor, curiosius de istis inquirere nefas: at Sacerdotes, quorum ea cura, per se ubicunque voluerint, conveniunto.* Græcè est, ἐμοὶ μετὰ λαοῦ τεταγμένῳ, *mihi, qui sedem habeo cum Laicis.* Alludit Imperator ad sessionem in templo, ubi quum ante Ambrosium sederent Augusti intra sacerdotalis ordinis septa, morem primus ille mutavit, sedemque ipsis posuit separatam quidem à populo, verùm extra Sacerdotum subsellia, ut in septima Historia docet Sozomenus. Non igitur negat Imperator, quod falsò & ridiculè nonnulli scribunt, indicendæ Synodi tantùm jus ad se pertinere: sed infelici Constantii exemplo factus sapiens, nolle se ait πολυπραγμονεῖν, *curiosius rimari* negotium fidei. Principalem verò auctoritatem luculentè exerit idem illo verbo πρεσβύτεραν, *ad Synodum accedunto.* Anno octuagesimo primo supra trecentesimum, œcumenicum Concilium habetur Constantinopoli, non numero Episcoporum, sed præstantiâ eorum, qui adfuerunt, insigne. Quis indixit? Uni Theodosio Imperatori id beneficium acceptum ferunt Episcopi in Synodicis suis; & illis assentitur quantum est Historicorum, qui rei meminerunt. Cardinalis tamen Baronius ex animi sui sententia disputat, Damaso Papæ laudem eam deberi: verùm id conjecturis adeò invalidis, ut ne refutari quidem mereantur. Auctor est Socrates, in hac Synodo decretum esse, ut cujusque Provinciæ negotia à Synodis provincialibus definirentur: & addit tanquam rem necessariam, etiam Imperatoris sententiâ id Decretum esse firmatum. De Romano Concilio anni sequentis audiamus Hieronymum in Epistola ad Eustachium: *Cum Orientis & Occidentis Episcopos ob quasdam Ecclesiarum dissensiones Romam Imperiales literæ contraxissent; vidit admirabiles viros, Christi Pontifices, Paulinum, Antiochenæ urbis Episcopum; & Epiphanium, Salaminæ Cypri, quæ nunc Constantia dicitur.* Ex quibus verbis apparet, etiam cùm Romam Synodus major indicebatur, literis Imperialibus id factum, non autem Romani Pontificis. Quare ad hanc ipsam Synodum Romanam scribentes Episcopi Orientis, qui tempore eodem Constantinopolim convenerant, ad Veterem Romam & Concilium istud vocatos se fuisse testantur, διὰ τῶν τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως γραμμάτων, *piissimi Imperatoris literis.* Quod si veræ Antiquitatis monumentis indubitatis tantum isti, quibuscum agimus, quantum par erat, tribuerent, poterat vel unica ea Epistola ad evincendum, quod heic contendimus, sufficere. Quòd enim invitati essent ad Synodum Romanam Episcopi Orientis, id ipsi charitatis mutuæ & dilectionis Christianæ officium interpretantur, eoque nomine gratias illis agunt; non autem subjectionem suam, dominationem alienam; qui non aliter cum Occidentalibus agunt, nisi ut fratres, ut & ejusdem Patrisfamilias æqualis dignationis ministri, & civilibus Potestatibus pariter subjecti. Ubi ergo illa temporalis Monarchia, quam hodie Corybantes quidam somniant, & in Ecclesiam Dei invehunt? Anno CCCXCIX. Theophilus, Alexandrinus Patriarcha, in coacta à se Synodo errores Origenis damnat. Sequenti anno Joannes Chrysostomus, Patriarcha Constantinopolitanus, Concilium Ephesi convocat, & ut labantem disciplinam instauraret, Episcopos ditionis suæ duodecim, vel ut Sozomenus scribit, tredecim, thronis suis deturbat. Magnas lites & multorum odia ambo hi Patriarchæ,

Patriarchæ, cùm hæc facerent, sibi conciverunt; sed tamen, qui eos reprehenderent, quòd auctoritatem alii debitam usurpassent, extitit nemo. 1607. Principis verò jussione expressâ opus ipsis non fuisse, sæpiùs jam dictum; quæ etiam ratio est certissima, cur in tot Conciliis minoribus & majoribus, quæ hac tempestate à Metropolitanis & Primatibus Africæ Carthagine, aut in aliis Provinciis ex Comprovincialibus sunt coacta, de jussu aut permissione Principis nihil plerumque dicatur. Synodum, quæ Joannem Chrysostomum solio expulit, coactam fuisse regio προστάγματι, *jussu*, auctor est Sozomenus. Ab hac Synodo quum ad Concilium Oecumenicum Joannes appellasset, quæ erat unica mali accepti medela, ut scribit Innocentius Papa ad Clerum Constantinopolitanum, multum & ab Innocentio, & ab universa Romana Synodo, eo nomine congregata, fuit laboratum, ut per Honorium, Imperatorem Occidentis, ab Arcadio, qui in Oriente rerum potiebatur, ejus cogendæ jus ad veniam impetrarent. Palladius, Episcopus Helenopoleos, in Historia rerum Chrysostomi: *Congregati Italiæ Episcopi Imperatorem orant, ut scriberet Arcadio fratri suo, ut juberet Concilium fieri; quò facilius possent unà utræque partes Orientis atque Occidentis concurrere.* Sozomenus lib. VIII. extremo: *Innocentius, Romæ Episcopus, revocari Joannem cupiens, ad Imperatores, Honorium & Arcadium, Legatos misit*, σύνοδον αἰτήσοντας, καὶ καιρὸν ταύτης καὶ τόπον, *qui Synodum postularent, ejusque tempus ac locum.* Exortâ deinde contentione de Sacerdotio Urbis æternæ inter Bonifacium & Eulalium Antipapas anno CCCXIX. plures ab Honorio Imperatore constat brevi tempore fuisse indictas Synodos. Anno CCCCXXX. convenit Ephesum Oecumenica Synodus, quæ Nestorii hæresim damnavit: certum est plurimùm in eo Concilio ac negotio toto delatum esse Cœlestino, Romano Pontifici. Synodum tamen non coëgit Cœlestinus; sed Imperatores Theodosius & Valentinianus. Extant formatæ Augustorum ad Metropolitas missæ, quibus omni causatione sepositâ, Ephesum ad certum diem se transferre jubentur: itaque ubi convenere Patres, ante omnia alia poposcit Juvenalis, Episcopus Jerosolymorum, ut jussio Imperialis in omnium auribus recitaretur; quod & statim factum. Non afferam ex Actis ejus Synodi verba Patrum, quibus disertè fatentur multis locis, adunatos se in illum locum, cum gratia Dei, & νεύματι καὶ ἐκ θεσπίσματος, *nutu & Edicto* Imperatorum. Cœlestini tantùm verba subjiciam ex Epistola ad Theodosium: *Huic cœlesti curæ vel gloriæ unusquisque nostrûm pro sacerdotali officio operam nostram, in quantum valemus, impendimus; & huic Synodo, quam esse jussistis, nostram præsentiam in his, quos misimus, exhibemus.* Posteà: *Hoc à Pietate vestra suppliciter deposcimus, quod vos habere credimus in votis; ut quod à Deo petitis, hoc in fide ipsius caussâ præstetis:* id est, ut quemadmodum firmum ac stabile imperium à Deo vobis petitis; sic ipsi, ut inconcussa maneat fides vera, regiâ auctoritate efficiatis. Sic & Cyrillus de eodem Nestorio scribens ad Juvenalem Jerosolymorum, ait, studiosè petendum esse à Principibus χαρίσασθαι τῇ οἰκουμένῃ τὸ βέβαιον εἰς πίστιν ὀρθήν, *ut fidem rectam orbi terrarum præstent immotam.* Omitto Concilium Romanum, in caussa Sixti Papæ anno CCCCXXXIII. jussu Valentiniani Augusti in Sessoriano atrio habitum: neque enim Synodus dici potest, Conventus è Presbyteris & Senatoribus mixtus: cujusmodi Conventus in frequentissimum posteà usum venisse, alibi dicemus. Anno CCCCXLVIII. Theodosii Junioris mandatu acta est Constantinopoli generalis Synodus, quæ Eutychetem damnavit. In literis ad Synodum scribit Theodosius: *Quoniam scimus, magnificentissimum Patricium Florentium esse fidelem, & testimoniis probatum in recta fide, volumus ipsum interesse audientiæ Synodali.* Etiam Nicolaus I. scribens ad Michaëlem Imperatorem, negat jus esse Imperatori, ut

1607. Ecclesiasticis Conventibus intersit, *nisi ubi de fide agitur.* De Synodo Ephesum vocata sequente anno ab eodem Principe, sic Liberatus Diaconus: *Dirigens Imperator Sacram Dioscoro in Alexandriam, præcepit ut decem Metropolitanos Episcopos, quos voluisset, ipse eligeret, & veniret Ephesum, & congregato Concilio ipse Eutychetis caussam discuteret, jubens Barsumam Archimandritam adesse.* Extat ipsa Imperialis Sacra in Actis Concilii; si tamen eo nomine dicenda ληστρική illa prædonum congregatio, in qua impius Eutyches absolvitur; pius vir, Flavianus, Patriarcha Constantinopolitanus, pro scelesto condemnatur. Ad hanc Synodum vocatus Leo Papa ab Imperatore, rescribit illi inter cætera: *Cùm tam evidens fidei caussa sit, ut rationalibus caussis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum; tamen in quantum Dominus juvare dignatur, meum studium commodavi, ut Clementiæ vestræ statutis aliquatenus pareatur.* Prudens & sanctum, quod docuit eventus, erat consilium Leonis; cui nunquam placitum est, ut hæc Synodus indiceretur: sed ubi dissuadendo pii Pastoris officio functus est Leo, Principis imperio, amputatis excusationibus, quomodo poterat, paruit. Adeò temporum illorum Pontifices jura hodiernæ libertatis ignorabant. Et sunt similia in Leonis Epistolis multa: ut cùm ad Theodosium scribit, petens Concilium universale intra Italiam cogendum: *Omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes Mansuetudini vestræ cum gemitibus & lachrymis supplicant Sacerdotes, ut generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari.* Et in Epistola ad Clerum ac plebem Novæ Romæ: *Quoniam oportet, vos post divinum auxilium, etiam Catholicorum Principum gratiam promovere, ut petitioni nostræ, quâ plenariam indici Synodum postulamus, clementissimus Imperator dignetur annuere.* Quid multa? ex Epistola Pulcheriæ Augustæ ad Leonem constat, Marcianum Imperatorem jure fermè toto indicendæ hujus Synodi generalis ipsi Leoni cessisse. Sit enim Pulcheria: *Tua Reverentia quocunque modo prospexerit, significare dignetur, ut omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciæ atque Illyrici (sicut etiam nostro Domino, piissimo Imperatori, meo conjugi placuit) in unam civitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant convenire; & illic in Sancto Concilio & de Catholica confessione, & de his Episcopis, qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & pietas Christiana exegit, te auctore decernant.* Leo tamen moribus antiquis stetit, & auctoritatem Synodi jubendæ Principi relinquens, penes quem Reipublicæ τὸ κῦρος & summum imperium esse notat; ea tantùm suggerere, quæ necessaria putaret, suarum partium duxit. Sic igitur ille posteà in iis, quas ad Imperatorem dedit: *Unde piissimæ solicitudini vestræ, quam de indicenda Synodo habere dignamini, per legationem, quæ confestim ad Clementiam vestram, Deo annuente, perveniet; quicquid ad caussæ utilitatem arbitror pertinere, plenius atque opportunius suggeretur.* En igitur Ecclesiæ adhuc temporum illorum consuetudinem: Romanus Pontifex suggerit, Imperator indicit Synodum. Ideò in literis Imperialibus, quibus ad hanc IV. Oecumenicam Synodum Episcopi vocantur, ita scriptum: *Quia dubitationes quædam circa orthodoxam fidem motæ sunt, sicut indicant literæ sanctissimi Arhiepiscopi, felicissimi Romæ Leonis; placuit nobis, properè Sanctum Concilium fieri in Nicea, Bithyniæ civitate.* Posteà Chalcedonem, jussu Principum, Patres hujus Synodi sunt translati; ubi Concilium anno Domini CCCCLI. est peractum, propter insecutas ejus occasione turbas, quæ Orientalem ab Occidentali Ecclesia longissimo tempore diviserunt, cum primis memorabile. Marciano successit Leo; à quo Imperatore quum Synodum aliam generalem malæ fidei homines assiduè poscerent, atque ipse ab eorum petitione alienus non esset; Leo Papa singu-

laris

laris modestiæ pariter ac prudentiæ literis assensum inhibuit: *Literas*, inquit, *Clementiæ tuæ, plenas virtute fidei & lumine veritatis, veneranter accepi; quibus cuperem obedire; sed magis id vobis arbitror placiturum, quod eligendum ratio demonstravit.* Deinde cur non sit necessaria nova Synodus, caussas adfert. Constat sanè, parcius ab hoc tempore Concilia etiam Provincialia in Oriente fuisse agitata; œcumenicum verò nullum prorsus per annos amplius centum: nam œcumenica Synodus quinta anno Domini IↃLIII. convenit: sedes ejus Concilii, Constantinopolis; suasores, Vigilius, Papa Romanus, qui in ea tum degebat urbe; & Menas, Patriarcha Constantinopolitanus; auctor & jussor, Justinianus Imperator. Ideò Patres cùm ipsum compellant, solennem illam in simili re formulam ipsi quoque usurpant, ut se κτ̃ θεῖον νεῦμα, *Dei nutu ac voluntate;* Imperatoris verò τέσπισμα, *decreto* fuisse congregatos, profiteantur. Hactenus ea tantùm Concilia recensuimus, quæ Romanorum Imperatorum auspiciis fuerunt convocata: sub aliorum verò Principum dominatione, quæ ratio fuerit servata in Synodis indicendis, quæve obtinuerit consuetudo, sequentibus capitibus perspicuè docebitur. Quoniam tamen, jam illis, de quibus nunc loquimur, temporibus, non multis solùm Provinciis imminutum est Romanorum Imperium; sed etiam Urbs, rerum quondam Domina, à Barbaris aliquandiu fuit occupata, nonnihil etiam hoc loco de ea re adjiciemus. Enimverò manifestò constat, Reges ac Principes, qui in locum Romanorum successerunt, simul cum pietatis Christianæ sacris, etiam jus illud protegendi Ecclesiam, & conservandæ Ecclesiasticæ disciplinæ suscepisse. Ergo etiam hi in suis quisque principiis, non secus ac Romani Imperatores jus cogendi Concilia, & robore auctoritatis suæ firmandi, meritissimè sibi vindicarunt; idque, sicut modò dicebam, statim simul ac Christo, Regum Regi, sua sceptra submiserant. Omnium Regnorum, quæ ex dissipatione Imperii Romani originem habuerunt, antiquissimum, nobilissimum, Christianissimum est Francicum. Primus autem Regum Francorum Christianus, Clodoveus fuit, quintus à Faramondo, Rege principe. Is non multò pòst quàm legem Christi esset amplexus, Synodos indicendi posteris suis Principibus exemplum dedit. Synodi Aurelianensis, jussu ejus convocatæ circa annum Domini IↃVII. meminit Hincmarus in vita B. Remigii: *Per consilium Beati Remigii in Aureliano civitate Episcoporum Synodum convocavit; in quo Conventu multa utilia constituta fuere.* Acta Synodi ad ipsum Regem missa ita incipiunt: *Domino suo, Catholicæ Ecclesiæ filio, Clodoveo, clarissimo Regi. Omnes Sacerdotes, quos ad Concilium venire jussistis*, &c. De Lugdunensi in caussa Salonii & Sagitarii Episcoporum Gregorius Turonensis libro quinto: *Quod cùm Rex Guntheramnus comperisset, congregari Synodum apud urbem Lugdunensem jussit.* De Cabilonensi idem mox: *Anno quarto Childeberti, qui fuit decimus octavus Guntheramni & Chilperici Regum, apud Cavillonum civitatem Synodus acta est, ex jussu Principis Guntheramni.* De Matisconensi idem libro VIII. *Interim dies placiti advenit; & Episcopi ex jussu Regis apud Matescensem* (aliàs *Matisconensem*) *urbem collecti sunt.* Aurelianensis II. sub Childeberto habitæ, *Quum ex præceptione gloriosissimorum Regum in Aurelianensem urbem de observatione legis Catholicæ tractaturi, Deo auxiliante, sancti Patres convenerint.* Idem profitentur & alii Patres cæterarum Synodorum, quæ illis temporibus vel in eadem urbe, vel alibi convenerunt. Simillimè & Sigismundus, Burgundiorum Rex, simul ac Ecclesiæ Dei ovis est factus, Synodum, Epaunensem quam vocant, haberi jussit. Non omittendum est nobilissimum exemplum, quod Hispaniarum suggerunt Historiæ. Intulerant in eas oras dirum

1607.

1607. Arii virus Gothi, cùm illos tractus occuparunt. Accidit, miserante Christo, circa annum ɪↄʟxxxɪx. ut maximus Princeps, Reccaredus Rex, agnitæ veritati dans manus, Fidei confessionem & disciplinam totam Ecclesiasticam in Regno universo susciperet emendandam. An igitur ad rem tantam ultrò conveniunt Episcopi? An tractorias expectant sibi mitti ab urbe Roma? Neutrum fit horum, sed jubet Rex; illi alacres parent, & accurrunt. Auctor Rex ipse, qui eos de more compellans, *Et ideò*, ait, *venerandi Patres, ad hanc vos peragendam congregari jussimus Synodum.* Idem ipsi quoque Patres: *Quum pro fidei suæ sinceritate gloriosissimus Princeps omnes sui regiminis Pontifices in unum convenire mandasset.* Hæc est illa celeberrima Toletana tertia Synodus. Sed & initio quarti Concilii Toletani similis professio: *Quum convenissemus Sacerdotes Domini apud urbem Toletanam, ut regiis imperiis, atque jussis commoniti, à nobis agitaretur de quibusdam Ecclesiæ disciplinis tractatus.* At clarissimus Annalium Ecclesiasticorum Auctor de Toletano tertio Concilio agens, quid non conatur, quò rebus gestis auctoritatem Romani Pontificis probet intervenisse? Itaque, ut anus ad armillum, quod ajunt, sic vir doctissimus ad familiarem sibi machinam se convertit. Ait, Leandrum, Episcopum Spalensem, Romanæ Sedis Legatum, omnia pro imperio egisse. Sanè interfuit ei Synodo Leander; sed ut Metropolitanus Provinciæ Bæticæ, non ut Legatus summi Pontificis; quod vel in inscriptionibus servatus ordo evincit: nam Massona, Episcopo Emeritensi, primum locum occupante; Euphemio, Toletano Episcopo, alterum; Leander hic in tertium locum est rejectus: quod non ferat, scio, Baronius in Legato Romanæ Sedis. Accedit, quòd de legatione ista nihil prorsus tot Concilio neque Rex, neque Patres; ne Leander quidem, cùm sermonem habuit initio Synodi, quo gratias Deo agit pro Regis & Regni conversione ad fidem; nihil item Isidorus neque in Chronico, neque in Leandri vita. Quid? quod etiam ab Arianis Regibus veniam congregandi Synodum orthodoxi Patres soliti petere? Circa annum ɪↄcvɪ. Agathense Concilium coiit, cujus Acta sic ordiuntur: *Quum in Dei nomine ex permissu Regis Alarici in Agathensem civitatem sancta Synodus convenisset.* Erat autem Alaricus Rex Arianus, ut plerique omnes illis temporibus Barbari, qui Galliam, Italiam, Africam, Hispaniam infestabant: Arianus erat & Theodoricus, Rex Italiæ; cujus auctoritatem in rebus Ecclesiasticis Pontifices Romani ei subjecti agnoverunt. Quum igitur eo regnante quartum Romæ inter Antipapas, Symmachum & Laurentium, schisma esset exortum; ab auctoritate Principis, quamvis Ariani, mali remedium petitur. Anastasius: *Factâ contentione hoc constituerunt Patres, ut ambo ad Ravennam pergerent ad judicium Regis Theodorici; qui dum ambo introissent in Ravennam, hoc judicium æquitatis invenerunt.* Posteà quoque recrudescente malo ad componendas turbas, suburbicarios Episcopos non semel vocat Theodoricus, ut auctoritate Synodali vel judicium instaurent, vel sine judicio rem transigant, & quietem ac pacem urbi reddant. Ait Rex in Epistola ad Episcopos, quæ *Præceptio regia* inscribitur: *Quia non nostrum judicamus, de Ecclesiasticis aliquid censere negotiis; ideò vos de diversis Provinciis fecimus evocare.* Sed de Synodis in ea caussa habitis, plura inferius hoc capite erunt dicenda.

III. *Synodos veteris Ecclesiæ horum temporum confirmabat Imperator, non autem Pontifex Romanus.*

Quomodo Canones Synodales etiam principali auctoritate opus habeant, capite superiore exposuimus. Ibi regiam auctoritatem, per quam vim legum habent

bent in Republica, distinguebamus ab episcopali & divina, per quam in Ecclesia valent, & apud bonorum conscientias: sed aliud est conscientiæ forum, aliud civile; neque possunt legum civilium pœnis antè vindicari Synodalium Canonum temeratores, quàm eis Princeps vim legum attribuerit. Qui prætendunt, hodie Decreta Synodica nullius indigere confirmationis à Principe; abundeque iis sufficere, quam accipiunt ab Episcopo Romano, Ecclesiæ firmitatem; ii vel ignorant, quid sit discriminis inter Ecclesiam & Rempublicam; vel, quod potius credam, id agunt, ut toto orbe terrarum Ecclesia & Respublica in unum confusæ, unicum agnoscant, quà in spiritualibus, quà in temporalibus, supremum Monarcham, Romanum Papam: sicut Roma facit & universum Petri patrimonium; ibi sanè concedam illis, Decreta Ecclesiastica non aliunde firmitatem habere, quàm ab uno Pontifice; sed qui duas diversas personas hodie sustineat, Sacerdotis & Principis in Galliis, Hispaniis, & ubicunque separatæ sunt hæ diversæ naturâ suâ Potestates, longè aliter se res habet; quod & ratio certa, & omnium temporum praxis evincit, ut superius dicebamus. Porro confirmatio à Principe pluribus fieri modis solita: vel non expresè; cùm datâ veniâ conveniendi ad Synodum, etiam Decreta Synodi intelligitur probare idem Princeps; ut plerumque fieri amat in minoribus Conciliis: vel expresè, puta Edicto aut Epistolis eam in rem scriptis, aut solâ Principis subscriptione. Omnium generum passim extant exempla in Actis Conciliorum. Subscripta à Principibus multa Concilia inveniuntur, Græca pariter ac Latina; Epistolis verò, sive Edictis Principum omnia Oecumenica fuisse firmata, mox palam faciemus. At non placet hoc Cardinali Baronio, qui de Nicæno agens, confirmationem illius non ab Imperatore vult esse factam; verùm à Pontifice. Affert primò locum ex Actis Sylvestri, quibus id disertè sic affirmatur, nihil ut queat disertius; si tamen in tam barbarum & infrunitum Scriptorem ea vox cadit. Subjicit deinde Felicis III. Papæ testimonium, & ipsum quoque luculentum; postremò veteris Ecclesiæ Canonem objicit, qui semper hunc morem in Ecclesia fuisse arguat servatum, & quidem inviolabiliter, ut ipse loquitur. Quod ad Sylvestri Acta, nihil aliud nunc dicemus, nisi quod tot locis ipse Cardinalis Baronius ingenuè fatetur, falsa esse illa, fabularum & mendaciorum, & nugarum absurdissimarum plenissima; ut potius reddere rationem virum gravem par sit, cur ad rem tantam tam probrosum testem adhibeat, quàm mihi quærenda argumenta ad fidem illius infirmandam. Sanè quidem etsi multa sunt in illis spuriis Actis inepta, nihil tamen ineptius totâ illâ pericopâ, quæ Patres Nicænos inducit confirmationem Decretorum suorum à Sylvestro petentes; ubi neque verbis integritas, neque sententiæ constat veritas. Felicis III. Epistola, quæ allegatur, licet inter Felicis Epistolas habeatur, ipsius tamen Felicis non est; sed *Synodi*, Romæ coactæ circa annum CCCCLXXXIV. Ajunt illi: *Trecenti decem & octo Sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum atque auctoritatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt; quam utramque usque ad ætatem nostram successiones omnes, Christi gratiâ præstante, custodiunt.* Ut horum verborum rectam mentem capiamus, huc referenda sunt, quæ de duplici auctoritate Canonum Synodicorum antè disputabamus: nam & Princeps illa confirmat, auctoritate Regiâ sanciendo; & Episcopi, si præsentes sunt, censendo & assentiendo; si absentes, ratum habendo, quod fuit decretum. Erat autem perpetuus majorum præsertim Synodorum mos, ut ad Patriarchas & alios illustriorum sedium Episcopos, Synodicas darent, queis de rebus in Conventu sacro gestis eos faciebant certiores; extantque hujus consuetudinis etiam apud B. Cyprianum exempla. Episcopi igitur, qui Synodica Decreta admit-

eee tebant,

1607. tebant, & ut ea observarentur in Ecclesiis suis, operam dabant, non sine ratione confirmationem & auctoritatem illis attribuere dicebantur; quamquam magis propriè illi, qui Synodo intersunt, Canones confirmare dicuntur, quando suis suffragiis illos statuunt. Utrovis modo accipias, non sine aliqua ratione Felici suo Romana hæc Synodus jus istud vindicaverit: jam enim tempestate illâ hoc ad se pertinere Romani Pontifices disputabant, ut posteà dicemus hoc ipso capite. Sed quod ajunt à Nicenæ Synodi Patribus delatum esse id juris Romanæ Sedi, prorsus ab Historiæ fide est alienum: itaque hujus dicti non est facilius rationem excogitare, quàm, cur Zosimus, Bonifacius & Cœlestinus Nicæno Consessui jus appellationum ferant acceptum; de quo Patres Nicænos nihil unquam cogitasse, liquidò constat. At Cardinalis Baronius, qui superiora verba sive Felicis, sive Synodi ita interpretatur, quasi negetur fuisse moris, ut Canones Synodicos Principes confirment; cur sententiam manifestò falsam Pontifici, vel Patribus Romanæ Synodi adscribat, ipsi videndum relinquimus: nos hoc scimus, & mox probabimus, nullam & præsertim Oecumenicam Synodum sub Imperatoribus extitisse, quam Sanctionibus suis ipsi non firmaverint. Non magis facit ad rem Canon eidem allatus. Julius Papa, cùm videret, Arianos, qui Asiæ, Syriæ & Ægypti Ecclesias infestabant, topicas Synodos cogere, fidei regulam novis inventis temerare, ac propterea Athanasium solio Alexandrino expulisse; ut illarum Synodorum Decreta impia convelleret, & laborantibus Ecclesiis subveniret, negavit pro legitimis Conventibus illos esse habendos; quoniam, ajebat, vetus lex est, sive consuetudo, quæ vetet, Ecclesias Canonem ullum ferre præter conscientiam Romani Episcopi. Sozomenus ita exprimit libro III: Εἶναι γὰρ νόμον ἱερατικὸν, ὡς ἄκυρα ἀποφαίνει τὰ παρὰ γνώμην πραττόμενα τοῦ Ῥωμαίων ἐπισκόπου: *Legem namque extare ad jura Sacerdotum pertinentem, quæ illa pronunciat irrita, quæ præter sententiam, sive conscientiam Romani Episcopi fuerint acta.* Paullò aliter Socrates libro primo non semel κανόνος ἐκκλησιαστικοῦ κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν. Quorum verborum sententia est, extare Canonem Ecclesiasticum, qui vetet, absque conscientia Episcopi Romani Canonem ullum condi ab Ecclesiis; & meritò quidem: nam quum universæ Ecclesiæ, quæ unica est, pars potissima atque adeò caput & censeretur, & esset Romanus Episcopus; qui neget æquissimum esse, ut neque in fide, neque in disciplina Ecclesiastica quidquam innovetur eo inconsulto? Sed ex eo inferre, jus propterea non esse Principum, sancire auctoritate suâ Synodorum Decreta, & ut vim legum in Republica habeant, illis præstare; quænam, obsecro, consecutio hæc est? Quæ vis argumentationis? Unde hæc conclusio? An quia amplissimus Ordo sine conscientia Præsidis sui decernere nihil potest, inde sequitur, Christianissimi Regis non esse, Senatûs Consulta confirmare? Aut quia Auditores Rotæ nihil absente Præside suo statuere possunt, jus Pontifici non est, Rotæ Decretis auctoritatem dare? παρὰ γνώμην in hoc Canone significat, *non auditâ super eo sententiâ Romani Papæ:* nam etsi poterat Synodus Oecumenica aliquid decernere, quod aliter Romano Papæ videretur; quia, ut ait Hieronymus, *si auctoritas quæritur, orbis major est urbe;* non tamen poterat aliquid decernere, priusquam super eo Romani Pontificis sententia esset audita ab ipsius Legatis. Quare quid sit παρὰ γνώμην in hoc Canone; explicat Theodoretus libro II. cap. XXII. cùm inter varias caussas, cur Ariminensis Synodus sit illegitima, hanc quoque adfert: quòd Romani Papæ assensu careret, οὗ, ait, πρὸ πάντων ἔδει τὴν γνώμην ἐκδέξασθαι, *cujus sententiam exspectare ante omnium sententias oportebat.* Nunc ostendamus, veterem Ecclesiam aliter credidisse quàm Cardinalem Baronium, & hodiernæ Libertatis Ecclesiasticæ patronos.

Nicæ-

Nicænum Concilium Epistolis Constantini fuisse firmatum, Sozomenus est 1607.
auctor. Ejus Synodi duo præcipua extiterunt Decreta: ordinatio diei Paschalis, & Arii ac Doctrinæ ejus condemnatio. De priore scripsit ad Ecclesias universas Constantinus formatam illam, quæ ab Eusebio, Gelasio, Sozomeno, atque aliis describitur: eâ Epistolâ præcipit Imperator Ecclesiæ Pastoribus, ut statutum Nicænorum Patrum de celebratione Paschatis notum omnibus faciant, suscipiant, & usum ejus in Ecclesia instituant. De Ario Imperator ad omnes Ecclesias misit illud Edictum, quod damnatio ejus continetur; & pœna capitis statuitur in eos, qui oblatos sibi Arii libros non exusserint. Secundum œcumenicum fuit Constantinopolitanum, quod Theodosius indixit. Patres Concilii eo peracto, scribunt ad Imperatorem; & post gravem actionem gratiarum, quas illi pro studio ipsius erga veram pietatem agunt, subjiciunt verba ista: *Petimus à Clementia tua, ut Edicto Pietatis tuæ confirmetur Synodi sententia; ut quemadmodum literis, quibus nos vocabat, Ecclesiam honorasti; ita etiam Decreta communibus suffragiis tandem facta, sigillo tuo confirmes.* En ut pii Patres non solùm convocandi Synodos, & Decreta Synodica confirmandi jus habere Principem agnoscunt; sed etiam ut hoc Imperator faciat, ad honorem Ecclesiæ pertinere profitentur. Cardinalis verò Baronius, cui ab initio erat propositum, jura Principum ire imminutum, & in ipsam Rempublicam Ecclesiæ Monarchiam invehere; quum detrahere huic Patrum scripto fidem non posset, quod unum supererat, non prætermisit; ut interpretatione facti imperialem Potestatem enervaret. Vult enim, eò tantùm spectasse Patres, cùm studiosè adeò hoc à Theodosio peterent, ut eo modo sibi fidem Imperatoris stabilem duraturam oppignerarent. Cæterùm confirmatam Synodum hanc à Damaso Papa eidem placet; idque à Photio memoriæ esse proditum. Enimverò testimonium in hanc rem Photio denuntiari miror; homini Græco, & qui alibi in Annalibus superbus, impius schismaticus, hostis Ecclesiæ Romanæ infensissimus dicitur fuisse. Quis ergo credat, Monarchiam Romanæ Sedis iis moribus hominem agnovisse? Locus Photii est in libello de septem Synodis œcumenicis; ubi postquam coryphæos è Nicænis Patribus, quos ipse ἐξάρχους vocat, nominatim recensuit, subjicit hæc: οὐ δὲ πολὺ χρόνος, δὲ Δάμασος ὁ τῆς Ῥώμης τὰ αὐτὰ κρατύνων ἐγνωρίζετο, σύμφωνος τοῖς προλαβοῦσι καθιστάμενος· hoc est: *Nec multò post Damasum quoque, Episcopum Romæ, eadem firmare, est istis cognitum; cùm ille antè nominatis consentientem rem se præbuit.* Loquitur Photius de auctoritate Episcopali, cujus vis est omnis spiritualis, quæque Romæ Episcopo communis est cum cæteris aliis: nos autem heic loquebamur de auctoritate illa, per quam Canones in Republica vim legum obtinent. Quanta igitur absurditas est; quia dicat Photius, Papam Romanum auctoritate Episcopali ratum habuisse, quod decretum erat à Patribus in Concilio sedentibus, propterea negare Principibus suum jus in Republica? An verò quisquam ignorat, verba illa κρατύνειν, ἐπικυροῦν καὶ κραταιοῦν, de Principe & de Episcopis diversâ notione usurpari? Synodus sanè Constantinopolitana, quæ proximo anno convenit, de suis Decretis ita scribit ad Synodum Romanam, ut auctoritatem illorum à Romani Papæ confirmatione nequaquam pendere manifestò declaret: expositâ enim rerum in Concilio hoc gestarum summâ, & quibusdam nominatis, quos in nobilissimis Sedibus Episcopos Synodus instituerat, hæc addit: *Quum igitur legitimè hi & canonicè sedes suas apud nos obtinuerint, Reverentiam vestram, ut illis gratuletur, hortamur, spirituali charitate intercedente, & Domini metu omnem humanum affectum cohibente.* Oecumenici tertii confirmatio Regia in fine Actorum habetur, cum imperiali sententia adversus Nestorium & ejus scripta, quæ flam-

 mis

1607. mis addicuntur, pronunciata. Quarta Synodus generalis, Chalcedone habita, ab eodem, qui jusserat, Marciano est confirmata. Ejus sunt hæc in Epistola ad Palladium, Præfectum Prætorio: *Nemo Clericus, vel militaris, vel alterius cujuslibet conditionis de fide Christiana publicè turbis coadunatis & audientibus, tractare conetur inposterum, ex hoc tumultûs & perfidiæ occasionem requirens. Nam & injuriam facit judicio reverendissimæ Synodi, si quis semel judicata ac rectè disposita revolvere, & publicè disputare contenderit; cùm ea, quæ nunc de Christiana fide à Sacerdotibus, qui Chalcedone convenerunt, per nostra præcepta statuta sunt, juxta Apostolicas expositiones & instituta sanctorum Patrum* CCCXVIII. *in Nicæa, &* CL. *in hac Regia urbe definita esse noscantur. Nam in contemptores hujus legis pœna non deerit.* Quinta universalis Synodus suis sententiis robur tribui petiit ab Imperatore Justiniano: & quidem pii Patres eâdem formulâ Principem compellant, cùm hoc illum rogant, quâ secundæ œcumenicæ Episcopi Theodosium in simili re fuerant affati; adeò etiam his priorum modestia placuit, quam paullò antè commendabamus. Atque hæc sunt Concilia œcumenica, quæ in illa tempora incidunt, quibus de nunc agimus.

IV. *A sententiis Synodalibus appellabatur illis temporibus ad majorem Synodum, vel ad Principem.*

Ut de appellationum jure in veteri Ecclesia servato veritas clareat, rem paullò altius repetere non pigebit. Sciendum igitur, antiquos Patres ita attendisse gubernationi commissarum sibi peculiariter ovium, ut curam gregis universi alienam à se non ducerent: quam ob caussam Cyprianus, Athanasius, Basilius, cæterique ejus dignationis viri pastoralem curam suam non creditarum sibi privatim Ecclesiarum finibus coërcuerunt; sed ad universam Dei Ecclesiam præ fervore pietatis, & studio unitatis, extenderunt. Beatus Chrysostomus in laudatione S. Eustathii Antiocheni præclarè hoc docet, sic scribens: *Edoctus probè fuerat à Spiritûs gratia, Ecclesiæ Antistitem non de illa solùm, quæ ipsi à Spiritu sit commissa, curam debere gerere; verùm etiam de universa, quæ per orbem terrarum degit: atque hoc ille ex precibus sacris discebat; nam si pro universa Ecclesia, quæ à finibus terræ ad fines extenditur, precandum est; multò magis prospicere, omnium saluti cunctas pariter curare, & de cunctis oportet esse sollicitum.* Similis Athanasii laudatio apud Basilium in quadam Epistola: *Cæterorum quidem*, ait, *Episcoporum plerisque sufficit, si quæ propriè ad se pertinet, diligenter singuli curent; tibi hoc non est satis: quin Ecclesiarum omnium cura & sollicitudo tanta tibi incumbit, quanta illius, quæ privatim à nostro omnium communi Domino tuæ fidei est commissa.* Ideò etiam κορυφὴν τῶν ὅλων, *totius Ecclesiæ verticem*, Athanasium nominat. In alia Epistola eundem agnoscit universalem Medicum morborum Ecclesiæ: Σὲ, inquit, ἰατρὸν τῶν ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις ἀῤῥωστημάτων ὁ Κύριος ἡμῶν ἐπεμνήσατο. Quamobrem & Gregorius Nazianzenus de Athanasio scribit, ipsum, quando factus est Episcopus Alexandriæ, πιστευθῆναι τὴν τῆς οἰκουμένης πάσης προστασίαν, præfecturam suscepisse totius orbis terrarum. Idemque Gregorius Cyprianum & Athanasium non aliter describit, quàm velut generales quosdam omnium Ecclesiarum Episcopos: neque hoc propterea tantùm, quòd illi, de quibus diximus, amplissimarum sedium erant Episcopi; nam etsi ad prærogativam dignitatis magnificentia urbis, ut ait Augustinus de Diaconis loquens, plurimùm valebat; in iis tamen, quæ muneris sacerdotalis propriè sunt, ejusdem meriti ejusdemque Sacerdotii omnes censebantur, sicut Hieronymus ad Evagrium scribit. Neque aliud videntur

voluisse

voluisse illi Episcopi, quos ait in II. Apologia Athanasius, omnes se Episcopos 1607.
pari & eodem honore afficere; neque ex urbium magnitudine eos censere. Itaque tam Micropolitani, quam Metropolitani convenire sibi arbitrabantur, quod in Clementinarum Constitutionum libro VI. cap. XIII. legitur in commune de Episcopis, ipsos τὴν καθόλου ἐπισκοπὴν πεπιστεῦσθαι· quasi essent modo quodam singuli universalis Ecclesiæ universales Episcopi. Auctor Epistolæ, quæ Eleuthero Papæ tribuitur: *Hujus rei gratiâ universalis vobis à Christo Jesu commissa est Ecclesia, ut pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis.* Sidonius Apollinaris libro VI. ad Lupum, Tricassinum Episcopum, scribens: *Benedictus Spiritus Sanctus, & Pater Dei omnipotentis, quod tu Pater Patrum, & Episcopus Episcoporum, & alter seculi tui Jacobus, de quadam specula charitatis, nec de inferiore Jerusalem, tota Ecclesiæ Dei nostri membra super inspicis; dignus qui omnes consoleris infirmos, quique meritò consularis ab omnibus.* Ratio autem, quæ antiquis Patribus hoc persuasit, est, quòd universa Ecclesia toto mundo diffusa, unica est; corpus ejus, unicum; caput unicum, Dominus Jesus: ergo etiam Episcopatus unicus, etsi in plures velut ramos expansus. B. Cyprianus de Unitate Ecclesiæ: *Nemo fraternitatem mendacio fallat: nemo fidei veritatem perfidâ prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur:* est autem, *in solidum tenere*, plenario jure, & ὁλοκλήρως· non per vicariatum alius cujusdam in terris Domini: neque item cum socio; nam unius Ecclesiæ unus potest esse Episcopus, ut Canones præcipiunt, & tot locis idem Cyprianus probat. Idem Epistolâ ad Stephanum Papam: *Etsi Pastores multi sumus, unum gregem pascimus; & oves universas, quas Christus sanguine suo & passione quæsivit, colligere & fovere debemus.* Alludit Cyprianus ad Pauli verba, Actorum capite XX. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Iterum Cyprianus in divino libello de Unitate Ecclesiæ: *Unitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum & indivisum probemus.* Hujus qui meminerit, simul veram caussam intelliget multorum veteris Ecclesiæ institutorum; ex quorum sylva ingenti pauca heic, priusquam ad appellationum jura explicanda accedimus, delibasse satis erit. Solebant igitur Patres de omnibus paullò majoris momenti rebus, quas in Ecclesia Provinciave sua fecissent aut statuissent, facere alios certiores. Exempli gratiâ: Decreverat Synodus Africana, pacem lapsis non dare, nisi post longam pœnitentiam: deinde cùm immineret persecutio, placuit alia sententia. Id Cyprianus Cornelio Papæ per literas significat; quibus etiam Concilii caussas fusè exponit; non quasi inferior reddens superiori rationem; sed ex charitate Christiana ad conservandam unitatem. Quare idem alibi, cur tam sollicitè de petitione lapsorum & confessorum in verecundis postulatis ad Clerum Romanum scribat, caussam hanc affert: *Et dilectio communis, & ratio exposcit, fratres charissimi, nihil conscientiæ vestræ subtrahere de his, quæ apud nos geruntur; ut sit nobis circa utilitatem Ecclesiasticæ administrationis commune Concilium.* Clerus autem Romanus ad illum rescribens, ingenuè profitetur, non hoc Cyprianum facere, quòd teneatur subjectionis ratione; sed ex affectu charitatis: *Hoc, te frater Cypriane, facere, non mirum est; qui pro tua verecundia & ingenita industria, consiliorum tuorum nos non tam judices voluisti, quàm participes inveniri; ut in tuis rebus gestis laudem tecum, dum illas probamus, inveniremus; & tuorum Conciliorum cohæredes, quia & affirmatores, esse possemus.* Ab hac consuetudine Synodicarum literarum usus manavit, de quibus anteà dictum

 aliquid.

1607. aliquid. Alexander, Episcopus Alexandriæ, initio Encycliæ ejus, quam ad omnes Episcopos dedit, post damnatum à se in Synodo Provinciali Arium, moris caussam ita explicat: *Cùm sit unum corpus Ecclesiæ Catholicæ, cùmque in Sacris Literis traditum & præceptum nobis sit, ut concordiæ ac pacis vinculum teneamus; consentaneum est, uti per literas colloquamur inter nos, aliique alios mutuò de rebus, quæ apud singulos geruntur, certiores faciamus: quo sive unum ex membris patiatur, sive lætatur, nos inter nos vel patiamur unà, vel unà lætemur.* Solebant etiam in creatione Episcoporum, & suffragia interdum mittere, & eâ peractâ literis gratulatoriis novum Episcopum affirmare. Ita Cyprianus suâ & aliorum Africæ Episcoporum auctoritate, Cornelii Papæ electionem comprobat, Epistolâ Pamelianæ recensionis XLII. Qui autem Episcopatum erant nacti, de sua vocatione Encyclias ad omnes, vel saltem primarum Sedium Episcopos dabant; quæ literæ professionem fidei ipsorum continebant. Extant id genus Epistolæ hodieque multæ, præsertim Romæ Veteris & Novæ Episcoporum, hoc officio invicem mutuò fungentium. Ex Cypriano verò, cujus Epistolæ sunt Antiquitatis Ecclesiasticæ ingens thesaurus, apparet, etiam de minorum locorum ordinationibus, puta Presbyterorum, Lectorum, Diaconorum, Hypodiaconorum, literas dari solitas ad transmarinas quoque Ecclesias. Interdum etiam admonebant sese invicem, hortabantur, increpabant. Ita Cyprianus Cornelium Papam solatur, & ut Hæreticorum minas floccifaciat, hortatur. De Stephano verò Papa, cui à Basilide negligenter erat obreptum, Epistolâ LXVIII. liberam sententiam pronunciat; quod & super alia re facit sanè quàm acerbè in Epistolis ad Quirinum & Pompejum. At multò etiam vehementius eundem Stephanum accusat Firmilianus, Episcopus Cæsareæ in Cappadocia, iis literis, quas ad Cyprianum misit; qui etsi caussam tuebantur, quam posteà Ecclesia non probavit; certum tamen nihilominus ejus, quod diximus, argumentum præbent. Sic quum inter Innocentium Papam & Theophilum Alexandrinum, non convenire accepisset Africana Synodus, circa annum CCCCVII. celebrata; sui officii esse, admonere Orientis & Occidentis Patriarchas, non dubitavit: *Placuit*, Canon ait, *ut de dissensione Romanæ atque Alexandrinæ Ecclesiæ ad S. Papam Innocentium scribatur; quo utraque Ecclesia inter se pacem, quam præcepit Dominus, teneat.* Romani verò Pontifices quàm multis per universum idem officium præstiterint, ignorare potest nemo. Solebant & Clericos ac Sacerdotes in alienis finibus impunè instituere; quantumvis jure ordinario αἱ ὑπερόριοι χειροτονίαι essent prohibitæ; ut est in Canone Apostolico XXXV. sæpè tamen pii Præsules non ex ambitione, sed ex vi illius, quem diximus, universalis Episcopatûs, id leguntur fecisse; præsertim verò necessariis Ecclesiæ temporibus id constat usurpatum. De Eusebio, Samosatorum Episcopo, magno Christi athleta, cùm in Ecclesiam furebat Valens, narrat Theodoretus libro V. capite XIII. *Eusebius cùm multas Ecclesias Pastoribus orbatas intellexisset, habitu militari indutus, & capite tiarâ operto, Syriam, Phœniciam, & Palestinam peragravit; quò tum Presbyteros, tum Diaconos crearet, tum alia Ecclesiastica obiret officia. Quod si quando in Episcopos secum doctrinâ conjunctos incidebat, eos Ecclesiis, quæ carebant Pastoribus, præponebat.* Rufinus de Lucifero Calaritano per Asiam fidei caussâ exulante, Constantii temporibus: *Lucifer intento animo Antiochiam pergit, ibique dissentientibus adhuc partibus, ad unum tamen revocari posse sperantibus, si sibi talis eligeretur Episcopus, erga quem non una plebs, sed utraque gauderet, præproperus Catholicum & sanctum virum, ac per omnia dignum Sacerdotio Paulinum Episcopum celebravit.* Similiter & Osius Cordubensis, Gregorius Nysse-

Nyssenus, & Eusebius Vercellensis, Epiphanius Salaminæ in Cypro Episcopus, aliique viri magni, dum per varias occasiones diversas Provincias lustrant, earum malis pro copia medentur, fidem rectam firmant, ordinationes faciunt. Jam quoties novæ hæreses vel schismata oriebantur; si cessarent, qui proximi erant aut vicini; at qui procul degebant, nequaquam cessabant: neque in aliena diligentia spem salutis Ecclesiæ, otiosi spectatores ipsi ponebant. Ita Cyprianus Romam Carthagine mittit Caldonium & Fortunatum, ut schisma componant: rursus Cornelio sedente Mettium Hypodiaconum mittit Romam Cyprianus, ut Confessores illic, Novatiani & Novati pravitate seductos, ad matrem suam, id est, Catholicam Ecclesiam, unde recesserant, revocarent: idemque vir Dei, ubi rescîsset, Martianum, Arelatensem Episcopum, Novatiano se conjunxisse, gravem Epistolam ad Stephanum Papam exarat, quâ illi, quid sit opus facto, fraternè ostendit: *Ei rei*, inquit, *nostrum est consulere & subvenire, frater charissime; qui divinam clementiam cogitantes, & gubernandæ Ecclesiæ liberam tenentes, censuram vigoris peccatoribus exhibemus.* Et mox: *Quapropter facere te oportet plenissimas literas ad Coëpiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Martianum, pervicacem & superbum, & divinæ pietatis & fraternæ salutis inimicum, Collegio nostro insultare patiantur.* Sic etiam Hilarius, Gallicanæ Ecclesiæ lumen, postquam cognovisset, sedere in Mediolanensi Cathedra Auxentium Arianum, illuc advolat, & ad expellendam illam pestem totis viribus connititur. De Athanasio auctor est Basilius, nullum finem fecisse ipsum, modò præsentem, modò per Epistolas; sæpè etiam per Legatos suos, cunctas ubique locorum Ecclesias ad sanitatem mentis & concordiam atque unitatem revocandi. Nominatim verò Antiochiæ eundem Athanasium Alexandrinum turbas ingentes suâ auctoritate composuisse, & Basilius ait, & Historia Ecclesiastica confirmat. Pari jure & Cyrillus, cognito, Nestorium, Patriarcham Constantinopolitanum, adversus naturam Christi, & honorem verè θεοτόκου beatæ Virginis blasphema quædam serere dogmata, nihil moratus Prætoris interdictum finium regundorum, mitius primò, deinde totâ libertate ac fortiter se illi opponit; mox & Cœlestinum, Romæ Archiepiscopum, ad societatem ejusdem laudis invitat. Denique in dissensionibus Ecclesiarum, ut quisque auctoritate plurimùm valebat, aut Dei gratiis abundabat; ita plurimùm se etiam remotissimarum Ecclesiarum negotiis immiscebat: neque id temporibus illis cuiquam invidiosum erat; sed longè potius apud omnes gloriosissimum. Adeò tunc temporis pulcherrimæ cuidam Aristocratiæ proprior erat administratio Ecclesiæ, quàm illi, quæ posteà invehi cœpit, absolutæ & crudæ Monarchiæ. Itaque Nestorius ipse Cyrillum hostem suum eo nomine laudare cogitur; quantumvis piâ ipsius admonitione nollet proficere: τῆς δὲ τῶν σκανδαλιζομένων φροντίδος, inquit, καλῶς ποιεῖς ἀντεχόμενος· καὶ χάρις τῇ τῶν θείων μεριμνητικῇ σου ψυχῇ, καὶ τῶν παρ' ἡμῖν φροντιζούσῃ· quibus verbis Cyrilli studium commendat consulendi pacis Ecclesiæ sublatis offensionibus; & quod de Ecclesia Constantinopolitana cui ipse Nestorius præsidebat, tantam curam haberet, gratias illi agit. Hæc præmonenda erant, ut quæ fuerint in veteri Ecclesia appellationum jura, possit intelligi. Nam quia notum erat universis, ad omnium Antistitum curam ex æquo pertinere quicquid universalis Ecclesiæ unitatem rumperet, aut quietem sollicitaret; qui in Provincia sua, sive jure, sive injuriâ, damnationis sententiam passi erant, ad aliarum Provinciarum Episcopos auxilii petendi gratiâ sæpe confugiebant: rursus, quoniam inter omnes Ecclesias, Romana variis nominibus eminebat, Romam multi contendebant; ut Romani Pontificis gratiâ, & auctoritate, si Cathedrâ fuissent dejecti, eam recuperarent: si à Communione suspensi, ad

1607.

1607. eandem admitterentur. Ita quondam Marcion in Helenoponto, quæ patria ejus portenti fuit, excommunicatus à patre suo, ait Epiphanius, hoc est, Episcopo, ut arbitror, Sinopensi, contumeliæ inter suos impatiens, Romam concessit: ita posteà Felix & Fortunatus in Africa spirituali Cypriani gladio jugulati, eòdem proficiscuntur: sic & Athanasius, Joannes Chrysostomus, Flavianus Constantinopolitanus, Monachi Scythæ, atque alii in Oriente malè habiti, vel per se, vel per Legatos Pontificum opem poposcerunt. Qui igitur hujusmodi exempla volunt esse appellationum ad Romanum Papam certa testimonia; si quæ hactenus de universalis Ecclesiæ cura diximus, omnium Episcoporum olim communi, attenderint, & dare locum veritati curaverint, aliter sentient: nam etsi prærogativâ quâdam honoris eminebat Romana Sedes, atque adeò gratiâ & auctoritate plus aliquantò poterat, quàm cæterarum singulæ, quæ vel plurimùm valebant; si tamen jus spectetur, non magis Romam primis temporibus appellari solitum, quàm vel Alexandriam, vel Carthaginem, vel Mediolanum, aut aliò, unde in simili re subsidium pariter constat esse petitum: nam privatus Hæreticus in Lambesitana Colonia damnatus, Carthaginem venit, ut ubi caussam ageret. Novatianus, Presbyter Romanus, à Romana Synodo excommunicatus, ab Africanis Ecclesiis & Alexandria recipi in Communionem expetiit. Scythæ Monachi à Patriarcha Constantinopolitano abstenti, ut ad Communionem viam sibi munirent, Legationem duplicem in Occidentem miserunt; unam in Italiam ad Hormisdam Pontificem, cæterosque Italiæ Episcopos; alteram ad Africanarum Ecclesiarum Antistites. Joannes ipse Chrysostomus, cujus exemplum tantopere urgeri solet, de eodem atramento ad Innocentium, Romæ Pontificem, & Venerium Mediolanensem, ac Chromatium Aquilejensem ejusdem argumenti literas exul dedit. Enimverò vetus observatio, & nuda rei veritas hoc modo se olim habuit. Qui sententiâ Episcopali condemnationem subierant, quo restituerentur in integrum, vel ordinario jure grassabantur, vel extraordinario. Jus ordinarium erat, ut à minore Conventu ad majorem appellaretur: maximus autem Conventus Ecclesiasticus est, Synodus œcumenica: sed ante Constantinum neque ulla fuit ejusmodi unquam Synodus, neque ullum extat cujusquam exemplum, qui eò appellarit: quare neque in Canonibus, quos vocant Apostolicos; neque in Clementinis Constitutionibus, ubi tàm multa super judiciis Ecclesiasticis & Episcopalibus, de Concilio œcumenico ulla habetur mentio, magis quàm de appellationibus ad Romanam Sedem. Et tamen etiam illis temporibus res còntroversas à minore onventu ad ampliorem referri solitas patet. B. Cyprianus instante persecutione, circa caussam lapsorum consilio cum paucis communicato, statuerat, pacem illis laxandam: deinde multis factum improbantibus, ubi primùm quies & tranquillitas data esset, ac conveniendi in unum facultas, copiosum Episcoporum numerum cogit, quibus hanc quæstionem proposuit disceptandam. Quum ne sic quidem satisfactum esset multorum scrupulosis mentibus, ultrò Cyprianus, disciplinæ Ecclesiasticæ rigidissimus observator, numerosiori Præsulum Conventui rem detulit denuò disceptandam. Scribit enim ad Antonianum, obtrectatorem suum: *Si minus sufficiens Episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium Collegam nostrum; qui & ipse plurimis Coëpiscopis habito Concilio, in eandem nobiscum sententiam pari gravitate & salubri moderatione consensit.* Docet hoc ipsum etiam Jovini & Maximi iterata condemnatio, de qua paullò pòst. Cæterùm disciplinæ is vigor tum obtinuit, ut qui sententiâ Episcopi sui, consensu Presbyterii esset abstentus, non secus ab universa orbis totius Ecclesia extorris viveret,

veret, quàm si eam sententiam Oecumenicum aliquod Concilium pronuntiasset: huic enim nulla usquam patebat Ecclesia absque formatis literis. Istas porrò ab uno illo Episcopo poterat exspectare, à quo sententiam alligationis acceperat; à mortalium prætereà nemine. Si quis enim spretâ hac observatione, excommunicatum alibi ad Communionem in sua Ecclesia admittebat, is neque reum absolvebat, & ipse vinculo eodem se innodabat. Lege Canones Apostolicos X. XI. XII. idem XXXII. XXXIII. & in eos Canones Zonaram ac Balsamonem. Hac ratione eveniebat necessariò illud Cypriani, ut unius cujusque caussa illic audiretur, ubi erat crimen admissum: ex quo etiam illud pari necessitate consequebatur, ut appellationum ad Judices extra Provinciam nullus esset usus. Atque hoc ordinarium jus erat, cùm exacta vigebat Canonum illorum observatio. Qui obstinatiore animo adversus disciplinam Ecclesiæ conspirabant, hi subsidium contra auctores damnationis suæ, unde unde poterant, sibi comparabant. Sed hac ratione extraordinariâ primis illis temporibus neminem penitùs usum legimus, præter oppidò paucos, & eos quidem magna ex parte Hæreticos. Auctor est Cyprianus, veterum Hæreticorum & Schismaticorum perpetuum hunc morem fuisse, ut postquam ab Episcopo suo de Ecclesia essent ejecti, socios Communionis ostiatim & oppidatim quærerent; idque duplici fine: nam & spargere virus suum quàm latissimè gestiebant, & redire ad Communionem Ecclesiæ Catholicæ plerique optabant. Hinc illa id genus hominum extra Provinciam suam circumcursatio, & Legatorum missitatio. Verba Cypriani, Epistolâ XLI. de Legatis Novatiani ad Africanos: *Ac ne eorum furens audacia unquam desisteret, heic quoque in schismatis partes Christi membra distrahere, & Catholicæ Ecclesiæ corpus unum scindere ac laniari nituntur; ut ostiatim per multorum domos, vel oppidatim per quasdam civitates discurrentes, obstinationis suæ & erroris scissi sibi quærant comites.* Epistolâ XLIX. ad eundem Cornelium scribens: *Vestris literis*, inquit, *& didicimus, & docere atque instruere jam cæteros cœpimus, Evaristum de Episcopo jam, nec Laicum remansisse, Cathedræ & plebis extorrem, & de Ecclesia Dei exulem per alias longè Provincias oberrare, & ipsum veritatis ac fidei naufragium factum, circa quosdam sui similes paria naufragia concitare.* Sed hos nebulones sine formatis ad se accedentes pii Episcopi procul amoliebantur; ut etiam duabus illis Epistolis testatur Cyprianus à se factum. Neque solùm arcebant Communione suâ alibi scissos; verùm etiam literis insuper suis notabant. Idem magnus Scriptor, Epistolâ LV. *Privatus vetus Hæreticus in Lambesitana Colonia antè multos ferè annos ob multa gravia delicta nonaginta Episcoporum sententiâ condemnatus; antecessorum etiam nostrorum, Fabiani & Donati, literis severissimè notatus; cùm caussam suam apud nos in Concilio, quod habuimus Idibus Majis, quæ proximè fuerunt, agere velle se diceret, non admissus est.* Interdum tamen non planè rejiciebantur, qui sine formatis veniebant; sed judicium instaurabatur; præsertim quoties prima sententia à paucis fuerat pronunciata. Exemplum ejus rei extat in eadem illa Epistola: nam ait Tertulliani discipulus, magistro melior: *Sed & Jovinus & Maximus comites cum Privato Hæretico affuerunt, ob nefanda sacrificia & crimina in se probata, sententiâ novem Episcoporum, collegarum nostrorum, condemnati, & iterato quoque à pluribus nobis in Concilio, anno priore abstenti.* Etsi postulabat rigida Canonum observatio, ut qui non exhiberent proprii Episcopi formatas, inauditi statim expellerentur; quia tamen paucitatem Judicum isti causabantur, datum hoc eis à Cypriano, ut in Consessu numerosiore ipsorum causa iterum cognosceretur. Licuit hoc Cypriano cæterisque Episcopis pro libertate Christiana, quæ in Ecclesiis tum vigebat; & illo etiam

1607. jure universalis curæ; sive, ut est in Constitutionibus Clementinis, τῆς καθ' ὅλου ἐπισκοπῆς, de quo antè diximus. Quo item jure hoc sibi interdum Antistites illorum temporum sumebant, ut si quis Episcopus in alia Provincia malè sentire de fide diceretur, accusationem ejusmodi non planè rejicerent; sed pertinere ad se cùm maximè putarent. Idcircò Dionysius, Romanus Pontifex, quum à Pentapolitanis accepisset, Dionysium, Alexandriæ Episcopum, de Natura Christi perperam sentire ac scribere; delationem hanc, licet falsam & calumniosam, ut exitus probavit, non neglexit; sed veræ doctrinæ patrocinium simul suscepit, ac falsam scripto confutavit; & cum eo, qui fuerat delatus, per literas egit: auctor Athanasius, qui eam historiam fusè descripsit. Porro ubi frustra vicinas Provincias circumcursaverant sententiam passi Hæretici, quò facilius fallere possent, longinquas petebant. Romam igitur plerique veniebant. Cyprianus Epistolâ LV. ad Cornelium Papam: *Denique quia conscientiam suam nôrunt, nec nos audent adire, aut ad Ecclesiæ limen accedere; sed foris per Provincias circumveniendis fratribus & spoliandis pererrant, & omnibus jam satis noti, atque undique pro suis facinoribus exclusi, illuc etiam ad vos navigant.* Quis dubitat, omnium Hæreticorum & Schismaticorum commune olim fuisse studium, ut, (quod de Nestorio duobus locis scribit Cyrillus) Romanam Ecclesiam possent συναρπάσαι, id est, furto sibi conciliare, & ad partes trahere? Nullo enim breviore compendio ad cæterarum Ecclesiarum Communionem pervenire poterant, quàm si communicatorias literas ab Romana se impetrasse ostenderent, cujus erat fides notissima, auctoritas maxima. Hoc consilio Romam olim sunt profecti, vel literas à Romano Pontifice furto & fraudulenter, ut ait Cyprianus, sunt conati elicere, Cerdon è Syria, Marcion è Ponto, Valentinus ex Ægypto, Basilides & Martialis ex Hispania; ex Africa verò Privatus, Felicissimus, Fortunatus, Novatus, plureis alii. Deinde horum imitatione posterioribus temporibus quàm plurimi. Longè ab istorum perditorum hominum consilio separanda causa est sanctissimorum virorum, ut Athanasii & Joannis Chrysostomi, & paucorum similium, quos in adversis solatium Româ propriis malis petiisse, testatur Historia. Quòd autem neque illi, neque hi, cùm Romam venerunt, aut Legatos miserunt, appellaverint ad Romanum Pontificem, paucis probemus; dicturi posteà de jure, ac postremò de utilitate aut periculo hujusce juris. Cerdonem ac Valentinum, quia appellasse eos Romam, nemo quod sciam, ne recentiorum quidem dixit, prætermitto. Marcion apud Cardinalem Bellarminum in albo eorum, qui ad Papam provocarunt, agmen ducit. Atqui neque Irenæus, neque Tertullianus, qui hujus adventum Romam commemorant, hoc dixerunt; ne Epiphanius quidem, quem laudat unicum Cardinalis Bellarminus. Unde igitur istud habet: Narratio Epiphanii est hæc: Marcion in patria ab Episcopo suo Communione expunctus, multis cum precibus αἰτήσας μετάνοιαν, *petitâ pace*, pii & cati senis animum flectere non potuit: ille popularium jocos non ferens, Romam concedit; quia Hygini morte vacabat tum Sedes; Presbyteros Romani Cleri adit; petit ab his, συναχθῆναι, *ut ad Sacram Communionem admitteretur.* Negant illi summo omnium consensu. Furere tum Marcion, & Cerdoni se adjungere: quum erroris admonitus, culpam in Presbyteros Romanos transferret, ac diceret, *Cur me suscipere noluistis?* Respondent pii Presbyteri: *Hoc enim facere absque permissione venerandi tui Patris,* (Episcopum ita vocabant) *non possumus nos; una si quidem est fides, unus omnium consensus; neque licet nobis Collegæ nostro & Consacerdoti Patri tuo adversari.* Quid hîc, obsecro, quod appellationis vel tenuem suspicionem præbeat? APPELLARE enim est, provocare ad majorem potestatem à minore. At negant disertè Romani, posse illum à se solvi,

qui

qui ab alio esset vinctus: & jure illi quidem; nam veteris disciplinæ Canon est, inter Apostolicos XII. *Si quis Clericus aut Laicus excommunicatus sive abstentus in aliam civitatem profectus, recipiatur absque literis formatis, excommunicetur & qui suscepit, & is, à quo susceptus est.* Neque huic Canoni ulla adjecta est exceptio de privilegio aliquo hac in parte Romanæ Sedi indulto: nulla ergo heic potestas major; ac proinde nulla appellatio. At, inquies, recipi se petit Marcion à Romanis; quod rescindere erat sententiam ante latam. Credebat igitur Marcio, & vulgò tum omnibus erat persuasum, rescissionem sententiarum Episcopalium & Synodicarum Româ petendam. Nugæ. Jam diximus, idque ex Cypriano probavimus, Hæreticorum ac Schismaticorum hunc fuisse morem, ut exclusi à suis, vicinas Ecclesias pererrarent. Quid igitur ab illis petebant? Nemo sanæ mentis negaverit, Communionem cum iis quæsiisse, & pacem, quam inter suos amiserant: nam illis temporibus adeò penitùs in animis Fidelium defixa erat persuasio de unitate totius Catholicæ Ecclesiæ, ut quemadmodum ab una separatus ab omnibus exulabat, sic cum una conjunctus, ad omnes aditum habebat commercio formatarum. Hinc illa abstentorum circumcursatio. Quare si expetere Romanæ Ecclesiæ Communionem, appellare est Romam; ergo etiam ad quasvis alias appellatum Ecclesias. Quin potius dicimus, quod Historiæ non imperiti sciunt esse verissimum. Nam quia nihil in hoc negotio pro potestate geri solitum; sed ἀγαπητικῶς, ut Græci Patres dicere solent, id est, ex officio charitatis Christianæ; nulla fuit appellatio, nulla ad hoc quidem potestatis inæqualitas. Porrò Clerum Romanum etiam vacante sede, communicatorias literas dandi jus habuisse, ipse Clerus ostendit in ea, quam scripsit ad Cyprianum, ubi Privati Lambesitani meminit. Marcioni subjicit Cardinalis Bellarminus Fortunatum & Felicem, *qui in Africa à Cypriano depositi Romam navigaverunt, atque ad Cornelium appellaverunt.* Hæc ille ex Cypriano, inquit Epistolâ tertiâ, quæ in Pameliana editione est quinquagesima quinta. Cyprianus, vir acutissimus, neque Felicem, neque Fortunatum Romam navigasse, eo loco scribit; sed Felicissimum à Fortunato Pseudo-Episcopo, (qui cùm & Felix alius Pseudo-Episcopus faciebat) & in Africa seditionis vexillifero, Romam missum esse cum multis aliis. Appellasse ad Romanum Pontificem neque dicit Cyprianus, neque verum est. Orto in Africa schismate, creati fuerant illi duo Episcopi, partim à Privato, vetere Hæretico; partim ab aliis paucis ejusdem pravitatis sectatoribus. Quum exemplo Cypriani, & aliorum, qui cum ipso sentiebant, cæteri quoque Africani Episcopi à Communione sua prædones Ecclesiæ alienos certatim pronuntiassent, neque illi pace oppidatim per Africæ Provincias quæsitâ, quicquam proficerent; ut labantem jam factionem multis quotidie remeantibus, atque ad Ecclesiam pulsantibus, ut ait Cyprianus, sustentarent, mittunt Romam Felicissimum cum amplissimis literis paucorum Pseudo-Episcoporum; quos illi mentiebantur esse Catholicam Ecclesiam Africanam. Dicebamus suprà, morem veteris Ecclesiæ fuisse, ut qui Episcopatum essent nacti, ad alios Episcopos literas darent, ut Epistolas ipsorum elicerent; ex quibus constaret, ejusdem Communionis ipsos esse: hoc enim modo novam electionem confirmare dicebantur, qui vel ex remotissimis regionibus ad ipsos scriberent. Sic Cyprianus cæterique Africani Episcopi Cornelii Papæ creationem comprobant. Non est dubium, Epistolas, quas Pseudo-Episcoporum Legatus Felicissimus Romam attulit, ejus argumenti fuisse: id enim ad decipiendos Africæ populos futurum erat telum efficacissimum: quare ut à Cornelio communicatorias auferrent, non solùm preces adhibuerunt, quas statim repudiavit Cornelius; verùm etiam minas

1607.

1607. atque terrores, quibus penè Romanus Papa succubuit: sed nutantis gressus firmavit Cyprianus illâ divinâ Epistolâ LV. Quoniam autem magnis clamoribus jactabat Felicissimus Romæ, paratum se probare, sine causa à Catholicis in Africa se & suos fuisse excommunicatos; ideòque judicium Romæ renovari postulabat. De ejus postulati iniquitate multa disputat Cyprianus, quò animum Cornelii eò inclinantis revocaret à sententia, quæ libertatem omnium Ecclesiarum erat læsura. Ejus Epistolæ pars magna in eo versatur, ut probet Auctor, actum esse de fide & disciplina Ecclesiastica, si Sacerdotalis dignitas sarta tecta non conservaretur: *Nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos & ad tempus Judex vice Christi cogitaretur.* Loquitur autem Cyprianus de se & de omnibus in commune Episcopis, qui separatas Ecclesias singuli in solidum tenebant; non de Romano Pontifice, ut falsò & absurdè nonnulli scribunt: quum contrà, eo loco Cyprianus jus suum & reliquorum Africæ Episcoporum apud Cornelium Papam adversus ipsum Cornelium tueatur. An igitur ad Cornelium appellavit Felicissimus, aut illi, quorum missu Romam venit? Nequaquam; sed more temporum illorum, de quo antè diximus, querelam de injuria ab Episcopis accepta, ut quidem arbitrabantur, ad Episcopos primò Africanos, deinde Romanum, pari jure detulerunt. Cyprianus verò, qui virum sanctum Cornelium non tulit, potestatis aliquantò plus in eo negotio exerentem, quàm charitati Christianæ videbatur convenire; eo ipso quòd tam acriter illum dictâ Epistolâ castigat, & in ordinem cogit, duo operâ eâdem nos docet; neque prioribus temporibus tale quid factitatum fuisse in Ecclesia Dei; & quòd posterioribus seculis graviora longè acciderint, mirum id nemini debere videri. Nunquam enim nova exempla in eo manent, undè inceperunt: cujus rei probatio in longum tempus dilata non est, ut declarant quæ statim subjiciemus. Pergit enim Cardinalis Bellarminus, & ait: *Non diu pòst, Stephano Pontifice, Basilides in Hispania depositus, ad Stephanum appellavit.* Basilides & Martialis ob gravissimas causas depositi sunt in Hispania. Martiali quiescente, Basilides Romam proficiscitur: ibi tam sibi quàm Martiali literas communicatorias à Stephano Pontifice impetrat: eodem in Hispania reverso, tam ipse quàm Martialis sedes suas receperunt. Negamus tamen posse dici, istos appellasse ad Romanum Pontificem: usi enim sunt, quod jam sæpius diximus, consuetudine veteris Ecclesiæ, quando auxilium sibi quæsiverunt à Romano Papa, quod frustra, sine dubio, à vicinarum Provinciarum Episcopis speraverant. Stephanus verò deprecatoris vice functus est, aut potius testis, non autem Judicis potestatem majorem exercentis in fratres, & κατεξουσιάζοντος αὐτῶν. Certissimum, clarissimum, & ipsis penè manibus palpabile argumentum hujus est, quod ut Basilides & Martialis auctoritate Romani Pontificis adversus Collegas suos Hispanos, à quibus fuerant Cathedrâ expulsi, se muniverunt; ita Collegæ ipsorum judicio Cypriani & Africanorum Episcoporum adversus sententiam Papæ Romani. Si Stephanus auctoritate summi Judicis sententiam secundum excommunicatos pronuntiaverat, idque juris ea ætas Papæ Romano tribuebat; quid sibi volunt prioris sententiæ Auctores, qui post reditum, Basilidis negotium integrum ad Episcopos Africæ deferunt, & super eo ipsos consulunt? Cyprianus Epistolâ LXVIII. *Cùm in unum convenissemus, legimus literas vestras, fratres dilectissimi.* Deinde post narrationem facti: *Et desiderastis rescribi ad hæc vobis, & justam pariter ac necessariam sollicitudinem vestram vel solatio, vel auxilio nostræ sententiæ sublevari.* Quæstionem posteà tractat, & ex divinis præceptis quid fieri debeat docet: postremò de Stephani facto quid judicandum esset, ita paucis explicat: *Nec rescindere ordinationem jure perfectam*

fectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propriâ confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum, Collegam nostrum, longè positum, & gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit; ut exambiret reponi se injustè in Episcopatum, de quo fuerat justè depositus. Vel id ipsum, quòd tam levi operâ, tam paucis verbis Stephani sententiam rescindit Cyprianus, sive hoc suâ unius auctoritate faciat, sive de consilio paucorum Collegarum, ad quos consultatio fuerat delata; vel id ipsum, inquam, non contemnendum veritati argumentum præbet. Nam si Præsules isti ad Papam legitimè appellatum credidissent, tanquam ad supremum tribunal; censeri ita perfunctoriè Judicis ἀνυπευθύνε sententiam ausuros esse rescindere? At, inquies, falsam sententiam rescindere ipsos, & cui error intervenerat; absque hoc fuisset, manus daturos, & Romani Pontificis judicio acquieturos. Non negamus; quin fatemur ultrò, eam simplicitatem illius aureæ ætatis fuisse, ut rectè monentibus & olitoribus, quod ajunt, sponte suâ homines obedirent, nedum Romano Pontifici, Petri Paulique successori ὁμοδόξῳ pariter & ὁμοθρόνῳ. Hoc tamen dicimus, hoc iterum iterumque affirmamus, Monarchica ista Imperia illo seculo fuisse inaudita in Ecclesia Dei, adhuc libera, adhuc nemini, præter Christum, servituti mancipata. Nullum igitur Romæ supremum tribunal; nulla ad Curiam Romanam appellatio. Hactenus appellatio ad Romanam Sedem exemplis Hæreticorum & Schismaticorum est defensa; quorum neque doctrina ad probandum, neque facta ad imitandum in Ecclesia solent proponi. Sed his Cardinalis Bellarminus aliquot sanctorum virorum exempla subjicit: magni Athanasii, qui ad Julium I. Pontificem appellavit; Joannis Chrysostomi, qui ad Innocentium I. Flaviani, Episcopi Constantinopolitani, qui ad Leonem; postremò etiam Theodoreti, qui item ad Leonem provocavit. Heic enimverò Lectorem, cognoscendæ veritatis studiosum, volumus oratum, ut quàm verè, quàm appositè hæc dicantur, sua interesse putet non ignorare; sed probè velit intelligere atque cognoscere. Nos equidem inficias non imus, quin potius ultrò profitemur, extitisse ab aliquot retrò seculis magnæ auctoritatis viros, qui, ut appellationes omnes Romanæ Sedi assererent, tantorum Heroüm exempla in medium attulerunt, & pro regula omnibus Fidelibus esse debere contenderunt. Sed enim adversus hæc duo respondemus nos: nam & appellasse hosce viros sanctos ad Romanum Papam, pernegamus: & quicquid est, quod illi necessitate compulsi fecerunt, ad jus ordinarium cognoscendum perperam atque absurdè afferri, constanter asserimus. Meminerit verò Lector, de appellatione heic nos loqui vera; hoc est, secundum vocis proprietatem accepta: magno enim errore quamlibet auxilii petitionem ab injuria passo factam, appellationem vocaveris; quum illa demum vera sit appellatio, quæ secundum leges jure ordinario fit, & à minore potestate provocat ad majorem. Ubi verò potestas aut nulla est, aut par & eadem, non est ea appellatio; sed προσφυγὴ & perfugium. Qui autem appellatur, quantâcunque auctoritate præcellat, nisi arbitrium à partibus ipsi fuerit delatum, deprecatoris, non Judicis officium præstat. Atheniensium humanitas ita quondam celebrata est inter Græcos, ut ad Misericordiæ aram, in ea urbe positam, tanquam ad commune perfugium ex universa Græcia multi, quos potentiorum injuria oppresserat, confugerent. Heraclidæ, Argivi, Hippocratis liberi, cum aliis sexcentis opem & auxilium ibi invenerunt. Si quis tamen dixisset vel Lacedæmone, vel Thebis, aut apud Megarenses in vicinia positos, ad Athenienses ab omnibus Græciæ partibus appellari; haud dubiè non ferret impune; sed potius, qui fuit amor libertatis in illis populis, in magnum periculum veniret, ne audientium manibus discerperetur, aut stupidæ certè ignorantiæ damnaretur;

1607.

1607. tur; qui inter juris regulam & humanitatis officia nesciret distinguere. Sic quum in populo Judaico ex institutione divina perfugium homicidis ad urbes quasdam pateret, ad eas tamen civitates fuisse appellatum, dementia sit dicere. Denique aliud est, adversus iratum patrem deprecatorem sibi parare; vel adversus inimici amicum opem poscere; judicium illi permittere: aliud, ab iniqua pedanei Judicis sententia ad Prætorem appellare, vel à Prætore ad Principem. Athanasium igitur, Chrysostomum, Flavianum, & alios viros pios Romanorum Pontificum auxilium implorasse adversus vim manifestam, ultrò fatemur: eoque nomine Romanam Ecclesiam laudari satis non posse, agnoscimus, & contentâ voce prædicamus, quòd eâdem operâ & fidem rectam adversus Arii, Nestorii, Eutychetis aliorumque veterum Hæreticorum deliria defenderit, & fidelibus Episcopis, pro eadem causa laborantibus, manum porrexerit; sed appellationem impropriè & periculosè nominari dicimus, quæ erat auxilii simplex petitio. Quandoquidem, ut jam diximus, non est appellatio propriè dicta, nisi ad majorem potestatem. Quum igitur Athanasius, Chrysostomus, Flavianus Synodorum Decretis Sedes admisissent, qui dixerit ad Synodum aliam ipsos appellasse, verè dixerit & convenienter Antiquis: nam adhuc illa ætas superiorem potestatem in Ecclesiasticis rebus nullam agnovit, nisi majoris Synodi: aut si fortè, Principis: qua de re posteà dicemus. At si dixeris ad Patriarcham Antiochenum, vel Jerosolymitanum, aut Romanum Papam appellasse; aut falsò, aut impropriè locutus fueris. Falsò, si de vera appellatione intelligas; impropriè, si de auxilii petitione sentias. Extant & Athanasii, & Joannis Chrysostomi de suis casibus propria scripta multa: nego posse vel unicum ex iis locum afferri, ubi Romam se appellasse dixerint. Nego etiam, Socratem, Theodoretum aut Sozomenum in ea re verbum appellandi unquam posuisse. Nihil enim aliud de Athanasio narrant Historici, nisi Romam ipsum venisse, ut saluti suæ consuleret: neque de Chrysostomo aliud, nisi hoc; ad Innocentium & Episcopos Occidentis literas illum dedisse, quibus de sua injuria certiores illos faceret, & opem atque subsidium ab iis peteret. Ostendimus initio hujus Disquisitionis, veteres Episcopos tanti fecisse unitatem Ecclesiæ, ut singuli eorum universalis Ecclesiæ curam putarent pertinere ad se ratione quadam: ex quo fiebat, ut unius injuria omnes adverteret. Itaque licet Canones Apostolorum, Nicæni, & alii multi terminari omnes controversias iis in Provinciis, ubi essent ortæ, jubebant; quoties tamen æquum jus in competenti sibi foro Ecclesiastico aliquis impetrare non poterat, judicium ad quosvis alios Episcopos, vel potius arbitrariam de caussa cognitionem deferebat: neque operam detrectabant, qui adibantur. Idque non alio jure, quàm τῆς καθόλου ἐπισκοπῆς, quod antè exposuimus, & charitatis Christianæ, cujus glutino invicem hærebant compacti, corpus unicum efficientes. Sic narrat Sozomenus libro VIII. Ammonium & Isidorum adversus Theophili Alexandrini injurias præsidium petiisse ab Joanne Chrysostomo Constantinopolitano. An ergo jus fuit, ab Alexandrino Patriarcha ad Constantinopolitanum appellandi? Minimè gentium; sed aliud est, latiusque patet officium humanitatis, quàm stricti juris observatio. Quo igitur jure aditum est ad Chrysostomum? Huic quæstioni ita satisfaciunt Sozomeni verba in facti narratione: ᾤοντο γὰρ ἐνδίκου παῤῥησίας αὐτὸν ἐπιμελούμενον, δύνασθαι τὰ δίκαια βοηθεῖν αὐτοῖς: *Putabant enim*, inquit, *Joannem Chrysostomum pro suo studio conservandæ legitimæ libertatis, posse auxilium in causa justa sibi præstare.* Appellat eruditus Scriptor ἐπιμέλειαν ἐνδίκου παῤῥησίας, studium illud omnibus Episcopis commune procurandi utilitatem universalis Ecclesiæ: nam παῤῥησία ἔνδικος est, jus legitimum id curandi, quod, ut sæpe monuimus, in Clementis Constitutionibus ἡ καθόλου ἐπισκοπὴ appellatur.

pellatur. Planè ita & Socrates loquitur libro II. cùm literas illas Julii Papæ, 1607. quas Athanasio & aliis exulibus Episcopis dedit, ut in sedes suas restituerentur, vocat παῤῥησιαστικὰ γράμματα, literas scriptas eâ libertate, quæ singulis Episcopis, præsertim verò primæ sedis Antistiti competit. Si quis malit referre ad libertatem Ecclesiæ, res eòdem redibit: intelligetur enim studium, quod Pastoribus esse debet, conservandæ libertatis cujusque Fidelium, præsertim Ecclesiasticorum, ut hi erant; ne à potentioribus opprimantur infirmiores; quod sibi accidisse querebantur Ammonius & Isidorus. Deinde addit Sozomenus, Joannem scripsisse ad Theophilum; ut profugos istos in Communionem reciperet, quia de fide sentirent rectè. Ni putaret repetendum esse judicium; mitteret τὸν δικασόμενον, id est, aliquem, qui adversus ipsos litem institueret. Sibi nempe Chrysostomus partes Judicis assumit, pari jure, atque ipse posteà factione damnatus Innocentio & aliis Episcopis judicium de sua causa detulit. In ea Epistola Chrysostomi ad Innocentium præclarè ordinarium jus ab extraordinario separatur. Ait enim de Theophilo, & de se: *Sed absentibus nobis, & Synodum convocare volentibus, judiciumque flagitantibus, neque cognitionem causæ fugientibus, sed inimicitias manifestas, accusatores tamen admittebant.* Mox: *Injectus in navim noctu navigabam, quia Synodum ad istud judicium vocare volueram.* Et paullò inferius: *Ingressi ad Imperatorem oravimus, ut ad ulciscenda facinora Synodum cogeret.* Et statim: *Nos conscientiæ nostræ fiduciâ institimus apud piissimum Imperatorem, ut Concilium congregaret.* Paucis interjectis: *Instabamus jugiter orantes judicium fieri, in quo audiri judicarique possemus.* En veram disciplinam illorum temporum. Synodus perversè dejicit Patriarcham: ille adversus Synodum malignantium ad Synodum appellat; majorem nimirum, aut etiam universalem: de Romano Pontifice verbum nullum. Ubi verò legitimâ petitione Chrysostomi spretâ, omnia vi gerebantur; neque ullus disciplinæ Ecclesiasticæ locus erat relictus; ita demum vir sanctus auxilium extra ordinem à fratribus suis petere cogitur. Hinc illæ ipsius ad Orientis & Occidentis Episcopos literæ; cum primis verò ad Innocentium, Romanum Pontificem, ut præcipuæ sedis & præcipuæ auctoritatis Antistitem. Postquàm igitur tam expressè dixit, totiesque repetiit, se viâ Canonicâ uti volentem, ad Synodum appellasse, verùm frustra; tandem expositis injuriis, quæ sibi & aliis piis Episcopis fuerant factæ: *Hæc igitur*, inquit, *omnia cogitantes, Domini beatissimi ac reverendissimi, dignum vestrâ constantiâ & congruum robur ac studium sumite; & hanc perniciem, quæ invasit Ecclesias, oramus, avertite.* Deinde petit, ut in adversarios censuræ vigorem exerceant; & si opus fuerit, causæ cognitionem suscipiant: atque hoc modo ad Innocentium & alios Episcopos Occidentis delata est cognitio causæ inter Chrysostomum & Theophilum, ipso, ut vides, deferente Chrysostomo. In Athanasii causa paullò aliter accidit: nam ad trahendum ad se cognitionem de ea re, utraque pars Julium Papam invitavit. Post casum Athanasii habita est piorum Episcoporum Synodus, quæ ad universos orbis terrarum Synodicam scripsit: ad celebriores etiam Ecclesias per Legatos misit, quò Athanasii innocentiam cunctis exponere, & ad ejus causam amplectendam universos hortaretur. Hæc Epistola, ait Athanasius in Apologia de fuga sua, tum ad alios omnes Episcopos est missa, tum etiam ad Julium, Episcopum Romæ. Quare Synodus scriptione ejus Epistolæ velut classicum cecinit adversus inimicos Athanasii: simul & omnes Episcopos, quibus esset facultas ipsum adjuvandi, Judices ejus causæ constituit. Accessere posteà preces non solùm Athanasii, postquam in urbem venit; sed etiam aliorum Episcoporum, qui ibidem pariter exulabant.

 Erant

1607. Erant autem hi gravissimi & magni nominis viri: Paulus, Patriarcha Constantinopolitanus; Marcellus, Ancyræ; Asclepas, Gazæ Episcopi: sed & ab altera parte judicium fuisse delatum Julio, Athanasius, & ex illo Historici ostendunt. Athanasii verba eodem libro: *Quin & Eusebiani ad Julium literas misère; & quia putabant se terrorem nobis incussuros, Synodum postularunt convocari, & ut ipse Julius, si vellet, Judex causæ fieret.* Videntur hæ Eusebianæ factionis literæ Romam prius pervenisse, quàm Athanasius eòdem appulisset, vel piæ Synodi Epistola Julio fuisset reddita: nam Theodoretus ita scribit: Julius acceptis literis Eusebii, τῷ τῆς Ἐκκλησίας ἑπόμενος νόμῳ καὶ αὐτοὺς καταλαβεῖν τὴν Ῥώμην ἐκέλευσε, καὶ τὸν θεῖον Ἀθανάσιον εἰς τὴν δίκην ἐκάλεσε: *Secundum Ecclesiasticam legem & ipsos* Eusebianos *Romam se conferre jussit, & divinum Athanasium ad causam dicendam vocavit.* Quam legem Ecclèsiæ intelligit hoc loco Theodoretus? Nullam quidem scriptam; sed vel illam consuetudinem, de qua dictum superius, cùm de Synodorum confirmatione ageremus; vel consuetudinem ἄγραφον ita vocat, usu Ecclesiæ confirmatam, quæ in dissensione Ecclesiarum quemvis Episcopum, quem alterà pars appellasset, Judicem constituebat controversiæ; si modò altera pars non nollet, ut anteà probavimus. Sed Patriarchalibus sedibus hunc potissimùm honorem delatum, credere verum est; omnium autem maximè Romano Episcopo, cujus præcipua semper fuit inter fratres prærogativa aliqua dignitatis. Itaque Sozomenus & Socrates privilegiorum Romanæ Sedis in hac re mentionem à Julio factam significant; quæ tamen ab Episcopis Orientis esse exsuflata, Historici memoriæ prodiderunt: nos autem docuimus, aliam fuisse causam graviorem, quæ illi auctoritatem suam huic negotio interponendi jus daret: ac præsertim Synodicam illam Epistolam, cujus exemplum extat apud Athanasium; quæque, ut titulus judicat, missa est τοῖς ἁπανταχοῦ τῆς Καθολικῆς Ἐκκλησίας Ἐπισκόποις· *ad omnes ubique terrarum degentes Ecclesiæ Catholicæ Episcopos.* Jam intelligis, candide Lector, quantam Juliano & Innocentio injuriam faciant, qui dicunt ipsos contra consuetudinem Ecclesiæ αὐτοκελεύστους, & propriâ duntaxat auctoritate fretos, rapuisse ad se cognitionem de causis Athanasii & Chrysostomi. Superest de Flaviano dicere. Hic vir insignis in Synodo Ephesina II. molitione Dioscori, Episcopi Alexandrini, qui prædonum Conciliabulo illi præerat, & sedem suam depositus amisit, & vitam quoque plagis contusus. De eo scribit Liberatus in Breviario causæ Nestorii: *Flavianus contra se prolatâ sententiâ, per ejus Legatos Sedem Apostolicam appellavit libello.* Ex iis, quæ hactenus disputata sunt super simili causa Athanasii & Chrysostomi, apparet, locutum esse Liberatum & novè; quia non ita loquebantur priores, ut probavimus; & impropriè, quia Flavianus non unicum appellavit Romanum Pontificem; sed simpliciter appellationem interjecit: nam Acta Synodi ita habent: *Post recitatam sententiam in Flavianum. Tunc Flavianus dixit, Appello à te:* quæ appellationis brevissima formula ex jure communi ejus temporis exponi omninò debet. Diximus autem, jus commune fuisse, ut à Synodo ad Synodum appellaretur; aut si ea spes decollaret, ut à potentiorum Ecclesiarum fratribus auxilium peteretur. Non est dubium, hoc voluisse Flavianum. Accidit verò tunc temporis, ut vi sceleratæ Episcopis etiam Orthodoxis cedentibus, & damnationi subscribentibus, pauci viros se præberent. In his autem fuerunt Legati Leonis Papæ præstantes pietate & animi magnitudine, Hilarus, qui posteà fuit Pontifex; & Renatus: atque ut Flavianus appellationem interjecit, sic Hilarus oppositionem. Acta Concilii: *Hilarus, Diaconus Romanæ Ecclesiæ, dixit: Contradicitur.* Idcircò Flavianus rebus desperatis libellum appellationis huic tradidit; eo videlicet

licet fine, ut ad Leonem reversus, illum stimularet, quò efficeret pro sua au- 1607.
ctoritate, ne tantum scelus impunitum sineretur. Hoc voluisse Liberatum, periti Historiæ Ecclesiasticæ illorum temporum non negabunt; si modò anticipatis notionibus nudam veritatem anteponere curaverint. Sine causa Cardinalis Baronius de hac apud Liberatum vocula tam impotenter Io triumphe clamat. Sed in Annalibus illius non pauca invenire est ejusmodi νεανικὰ dicta, quæ me aliquando magno stupore defixerunt: velut cùm dicit, sivisse Deum tantis calamitatibus virum cœlestem Joannem Chrysostomum obrui, ut de Romani Pontificis Principatu in Ecclesia nemo dubitaret; & cùm malorum omnium, quæ alicui vel Principi, vel Provinciæ humanitùs contigerint, nulla alia, ut plurimùm, in Annalibus causa assignatur, præter unam hanc, quòd Majestatem Romani Pontificis, vel dicto vel facto læserint. Non ignoramus, quid & quantum veteres Romanis Pontificibus detulerint; at dicta his similia & aliis sexcentis in Annalibus, nulla adhuc reperimus apud antiquos Patres. Quid? magnum adeò visum illi stabiliendæ Romanæ Monarchiæ argumentum, quòd dixerit Liberatus, Flavianum appellasse ad Papam Romæ? At cogitaret, contrarium evincere multa, eaque certa argumenta; quod ejusmodi appellationum luculentiores Liberato Historici rerum Ecclesiasticarum, neque in hujus Flaviani causa, neque usquam alibi mentionem ullam fecerint; quòd Athanasius, quum toties damnaretur, tot ærumnas in Ægypto & Asia perferret, posteà etiam ad Treveros sive seponeretur, sive relegaretur, ne semel quidem in tot annorum spatio, hujus appellationis expedito remedio sit usus; quòd Chrysostomus iniquâ damnatus sententiâ, non aliò quàm ad Synodum provocaverit; quòd neque hic, neque ille, cùm suos casus narrant, ad Romanos Pontifices, Julium & Innocentium, se appellasse unquam scripserint; quòd ipsi illi Pontifices nihil penitùs pro monarchica potestate in hac re gesserint, sed communi jure usi, judicium instaurari procurarint, literas innocentiæ ipsorum, & suæ cum illis Communionis testes ad Ecclesias dederint; deinde pro exulibus preces suas Imperatoribus obtulerint; Julius Constantio, Innocentius Honorio; quòd ubi primùm exoriri cœpit in Ecclesia hujusce juris, quo omnia ad Romanum Pontificem Ecclesiæ negotia trahuntur, tenuis aliqua suspicio, pii Episcopi se illi opposuerint; ut de Cypriano ostendimus: de variis Synodis posteà dicemus. Postremò cogitaret, Liberatum hunc iis temporibus vixisse, quibus non deerant, qui jus illud vel sponte suâ Romanæ Ecclesiæ deferrent, vel etiam ipsi illud sibi vindicare incipienti secundas facerent. Nos autem heic non quærimus, quid pauci Romani Pontifices amplificandæ potestatis suæ plus æquo fortasse studiosi, vel dixerint, vel senserint; de quo inferius dicetur; verùm quid universa Ecclesia illorum temporum, quibus de agimus, & crediderit & fecerit. Sed ne quis sit calumniæ locus, doceamus clarâ luce clarius, ita loqui interdum veteres Scriptores, ut appellare eos dicant, qui auxilium ab aliquo non juridicè; sed ἀγαπητικῶς, & ut loquuntur mediæ ætatis Theologi Latini, charitativè petunt. Patres piæ Synodi, quæ expulso Athanasio convenit, postquam omnes Episcopos obsecrarunt, ut Athanasio dextras communionis porrigerent; ejus injuriâ dolerent; justam indignationem suam adversus mali auctores expromerent, subjiciunt ista: Ὑμᾶς γὰρ ἐκδίκους κατὰ τῆς τοιαύτης ἀδικίας ἐπικαλούμεθα· ὑπομεμνήσκοντες τὸ ἀποστολικὸν, ἐξάρατε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν. Quæ sic erant vertenda: *Vos enim tantæ iniquitatis vindices*, APPELLAMUS; *Apostolicum illud vobis in memoriam revocantes: Auferte mala de medio vestrûm.* Est autem hæc Synodica non ad Romanum Episcopum privatim missa, neque ad ullum alium ex iis Præsulibus, qui plurimùm in Ecclesia tum poterant; sed generaliter, ut præ se fert titulus jam antè à nobis descriptus, ad omnes totius Ecclesiæ Ca-

 tholicæ

1607. tholicæ Episcopos. Quare huic Epistolæ ista subjicit Athanasius: Ταῦτα οἱ ἀπ' Αἰγύπτου πρὸς πάντας, καὶ πρὸς Ἰούλιον τὸν Ἐπίσκοπον τῆς Ῥώμης: *Hæc Ægyptii cùm ad universos scripserunt, tùm ad Julium, Romæ Episcopum.* Si argutari lubet, dicemus piam Synodum à factiosa Synodo ad quemlibet Episcopum appellare: nam id sonant verba illa, ἐκδίκως ἐπικαλούμεθα: Græcis appellatio dicitur ἔκκλητος, vel ἔκκλητος δίκη· appellare, ἐπικαλεῖσθαι. Nota vox Pauli in Actis, Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι, *Cæsarem appello*; & sæpe illo capite XXV. Sed quis ferat dicentem, ad singulos pari jure licuisse appellare dictâ appellatione à Synodi sententia? Fateamur igitur, ἐπικαλεῖσθαι in hac Synodica, *appellare* apud Liberatum, & similibus locis, qui rarissimè occurrunt, de ejus auxilii petitione debere intelligi, quod charitas Christiana & Cura Pastoralis tenetur afflictis exhibere. Propterea Cœlestinus Papa in Epistola ad Clerum Novæ Romæ, de perfugio Athanasii ad Sedem Romanam ita scribit: Athanasius, inquit, ἐν τούτῳ τῷ θρόνῳ εὗρε κοινωνίας ἀνάπαυσιν· ἀφ' οὗ ἀεὶ τοῖς καθολικοῖς γεννᾶται βοήθεια: *In hac sede invenit Communionis solatium; unde semper Catholicis existit auxilium.* Planè sic est, ut Cœlestinus dicit: qui ad potentiores sedes confugiebant, ubi fidei suæ integritatem probaverant, ad Communionem fraternitatis recepti, literis (τύπους & περιηστατικὰ γράμματα, & συστατικὰ Historia Ecclesiastica vocat) donabantur, orthodoxæ ipsorum fidei testibus atque indicibus; deinde eâ velut contesseratione hospitalitatis acceptâ, quocunque venirent, pro fratribus à Catholicis excipiebantur. Rectè igitur Cœlestinus hanc Communicationem pacis & appellationem fraternitatis, ut loquitur Tertullianus, κοινωνίας ἀνάπαυσιν nominat; ut quod merum esset humanitatis officium, è fonte charitatis Christianæ manans. Ideò Sidonius Lupum Tricassinum, primariæ quondam per Gallias auctoritatis Præsulem, & ut ipse appellat, Episcopum Episcoporum, ait *de quadam specula charitatis tota Ecclesiæ Dei membra superinspicere.* Julius quoque Papa ad cognoscendum de causa Athanasii charitate ductum se profitetur, non inani & fumoso illo typho, quem tantoperè SS. Patres detestantur. Verba Julii sunt in responsione ad Synodi Antiochenæ Episcopos: *Quid? an non charitatis argumentum est, quòd Presbyteros misimus, qui afflictorum dolores participarent, & eos, qui ad me scripserant,* (Eusebianos nempe, qui judicium ipsi detulerant) *hortarentur huc venire, ut sublatis controversiis omnia quàm primùm componi queant, & neque fratribus nostris malè sit, neque vos à nonnullis malè audiatis.* Satisfactum est de appellationibus Athanasii, Chrysostomi & Flaviani; quas tantoperè Libertatis hodiernæ patroni solent urgere, propter sanctorum illorum Martyrum (ita meritò illos appellaverim) auctoritatem in Ecclesia longè maximam. De Theodoreto nihil privatim addam; nam & hujus, & omnium eadem ratio est; & Epistolam illam Theodoreti ad Leonem Papam Græcè adhuc videre mihi non contigit; in quo tamen quantum sit momenti, piget dicere quoties experti simus in tractandis Historiæ Ecclesiasticæ monumentis. Nunc superiori disputationi illud adjicimus, absurdum esse, cùm de ordinario jure disciplinæ Ecclesiasticæ quæritur, exempla illa ingeri, quæ tum edita sunt, cùm vi & injuriâ latè dominante omnia Ecclesiæ jura erant sepulta: nam cur Athanasius in Occidentem se conferret, hæc propior & verior fuit causa; quia aliter non potuit. Intra Ecclesiam sæviebant Ariani, homines violenti, scelesti, omnibus modis detestandi: extra Ecclesiam furor Constantii, Principis hæretici, omnes per Orientem Ecclesias devastabat: Orthodoxi undique deturbabantur, in exilia relegabantur, mactabantur. Arianis impune quicquid lubebat, licebat; omnia autem lubebant, quæ bonis essent & molesta & funesta. Dejicitur ergo Athanasius, & ad cædem expetitur à crudelissimis lupis. Quid faceret? quò se verteret? unde auxilium peteret? Nunquam

quam ergo pedem efferret vir ἀξιάγαστος ex illis cavernis, ubi tot annos dicitur delituisse? Et erunt, qui pro magno jactent, Athanasium ex Ægypto & Oriente Romam concessisse? Magna sanè Dei Opt. Max. erga Romanam Ecclesiam apparuit indulgentia, cùm per tot secula adversus illas Orientis lues Arium, Apollinarem, Nestorium, Eutychetem & alios in propugnaculum Romæ Ecclesiam & plerasque Occidentis constituit. Nam etsi alia tunc erat causa, tamen & cùm ejectus est Chrysostomus ex urbe Constantinopolitana, & cùm Ephesi ad mortem est compulsus Flavianus, facies Ecclesiæ Orientalis non multò fuit neque pulchrior, neque lætior, quàm vivente Athanasio. Jure igitur ad Occidentem oculos in adversis viri pii converterunt, quum ibi & orthodoxa fides vigeret, quod toties illis gratulatur Basilius; & Principes rerum potirentur fidei integræ & verè pii: quales fuerunt Constantinus Junior & Constans, qui pro Athanasii causa laborarunt; & Honorius, qui pro Chrysostomi. Quæ tunc gesta sunt à viris probatis, partim iis, qui necessitate ad omnia extrema consilia impellebantur; partim iis, qui commotis visceribus fervore dilectionis, quidvis tentabant, quò afflictis opem ferrent; ea velle statuere pro lege perpetua Ecclesiæ, mera insipientia est & inscitia. Esto enim: migraverint & Julius & Innocentius legitimæ suæ potestatis fines; jus in fratres usurpaverint non antè usitatum; adde, si voles, fortasse parum legitimum: at constat illis sui facti ratio; cùm ea temporum esset conditio, ut, sicut ajunt Medicorum filii, extremis malis extrema remedia essent adhibenda. Itaque cessante jure ordinario, officiis extraordinariæ charitatis fuit locus, atque adeò fuit opus. Ea sunt, quæ Græci Sapientes, ut superiore capite dicebamus, appellabant officia κατ̓ περίστασιν, velut ab ipsa temporum necessitate expressa. Quoties autem vel in Rempublicam, vel in Ecclesiam similis tempestas incumbit, multa fieri à bonis necesse, quæ legitimæ ordinationi repugnent: quia tamen studio conservandæ vel Reipublicæ, vel Ecclesiæ illa fiunt, non solùm excusantur ac feruntur; sed omni etiam laude digna censentur. Cœtus cogere, adire ad populum, & publicè pro concione illum affari, solis Magistratibus licebat Romæ: cæteris id tentasse, nefas & capite luendum. Idemque jus in omnibus Rebuspublicis bene institutis semper obtinuit. Menenius Agrippa id fecit, & omnium ore est laudatus. Quippe turbatâ seditione Respublica id officium à bono cive exigebat. Populum ad arma vocare, Ducem se illi præbere, civem occidere, & quidem Tribunum plebi; quis neget esse populi Romani majestatem imminuere? Publius tamen Scipio Nasica tumultu per Tiberium Gracchum turbatâ civitate, quia segniter agebat Mucius Consul, sequi se jussis, qui salvam Rempublicam vellent; Gracchum in Capitolium persecutus oppressit: idque Scipionis factum Mucius ipse multis Senatusconsultis non solùm defendit, sed etiam ornavit. Quærenti de forma legitima Reipublicæ Romanæ & jure civitatis ordinario, si quis hæc exempla afferret, & similia facta ad jus consuetum revocaret, censen' pro sano hunc esse habendum? an non potius pro cerrito & circumferendo? Planè hoc faciunt, qui rara exempla bonorum virorum, ad Occidentem & Romam, rebus in Oriente perditis, confugientium, ad stabiliendum jus istud appellationum valere postulant: & quæ pauci Pontifices, (de antiquioribus loquor, publicæ utilitatis studio, aut certâ dispensatione, ut Theologi loquuntur, usurparunt, ad Ecclesiastica dogmata, contra Honorii Papæ præceptum, trahunt. Utinam potius regulæ illius meminissent, quam ex B. Athanasio in superioribus afferebamus, ac jure merito commendabamus: QUÆ PER DISPENSATIONEM SCRIBUNTUR VEL FIUNT, EA MALIGNE INTERPRETARI NON OPORTET. Ac de quæstione quidem facti, quod

1607. quod ad illa tempora attinet, quibus de nunc agimus, hactenus dictum esto. Supereſt de jure quæſtio; cujus exacta tractatio propter ſubtiliora quàm veriora quorundam commenta, aliam operam & ſcriptionem deſiderat, quâ æquo Lectori ad omnia, quæ objici ſolent, abundè fiet ſatis. Rei veritas, ut ſummatim dicam, hæc eſt. Ante Concilium Sardicenſe nihil quicquam penitùs hac de re cautum nominatim legitur; ſed eo jure uſam eſſe Eccleſiam Catholicam patet, ut appellationum extra Provinciam uſus omnino ignoraretur. Hanc vim habebat obſervatio formatarum, ut jam oſtendimus: non enim ſolvi poterat, qui cenſuræ vinculo fuiſſet innodatus, niſi ab illo ipſo, qui nodum adſtrinxerat. Cui bono igitur appellare? niſi fortaſſe à Presbyterio unius Eccleſiæ ad plurium Epiſcoporum Conſeſſum provocaretur; inde ad Comprovincialium Synodum, cui etiam ille intererat, à quo appellabatur. Patriarchalium ſedium jura primis ſeculis ſunt ignorata. Romanæ quoque Eccleſiæ nullum hac in parte jus eximium fuiſſe, Marcionis exemplum, ſuperius diſcuſſum, liquidò demonſtrat. Non tamen negamus, jam illis temporibus extitiſſe, qui in Provinciis ſuis ſententiam paſſi, vicinas Provincias pererrarent; Romam etiam interdum venirent, quò pacem impetrarent: nam id factitatum aliquando, vel illud arguat, quod in Canone XXXIII. Apoſtolico, uti vocant, certè antiquiſſimo, cauſa, cur tam expreſsè caveatur, ne ſine commendatitiis ſui Præſulis quiſquam peregrinus ſuſcipiatur, affertur hæc πολλὰ γὰρ κατὰ συναρπαγὴν γίνεσθαι. Quorum verborum ſenſus eſt, eos Epiſcopos, qui ſine formatis errones iſtos admittunt, & de cauſis ipſorum cognitionem ſibi vindicant, furtivâ obreptione ſæpè decipi. Quare etiam Cyprianus nobiliſſimâ illâ ad Cornelium Papam Epiſtolâ, adverſus iſtos circumcurſatores, deſperatos & perditos homines, ut ipſe loquitur, qui Romam ex Africa petebant, ſtatutum hoc affert veteris Eccleſiæ, æquum & juſtum, inquit ipſe: UNIUS CUJUSQUE CAUSA ILLIC AUDIATUR, UBI EST CRIMEN ADMISSUM. Quo ſtatuto ita appellationes omnes & Romam, & aliò extra Provinciæ fines prohibentur, ut multum ſubtilitati ingenii ſui confidere illos oporteat, qui adverſum tam manifeſtam veritatem congredi non verentur. Concilii Nicæni Regulæ duntaxat viginti hodie extant; eaſque ſolas jam inde à principio in corpus Canonum, quo utebatur utraque Eccleſia Orientis & Occidentis, eſſe relatas conſtat. In iis de jure appellationum ne verbum quidem: Canone autem tertio, qui eſt de creatione Epiſcoporum, hæc habentur: τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων γίνεσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ: *Auctoritas & confirmatio omnium, quæ in quaque Provincia geruntur, ad Metropolitanum ſpectat.* Unde colligimus, Patriarchalium Sedium jura, de quibus tam multa poſteriorum ætatum Synodi ſanciverunt, nondum fuiſſe ſatis cognita; etſi Canon ſextus eorundem Patrum illas ſedes jam uſu quodam comprobatas, firmat. Secuta eſt non multò pòſt Synodus Antiochena, cujus Canon quartus docet, depoſitis Epiſcopis unicam ſupereſſe ſpem reſtitutionis in alia Synodo. Porrò hanc Synodum jubent cogi ſequentes Canones è ſolis Comprovincialibus, aut è vicina Provincia. XV. ita cavet: *Si quis Epiſcopus aliquorum criminum accuſatus fuerit ab omnibus Provinciæ Epiſcopis condemnatus, & omnes unam conſentientem adverſus eum ſententiam tulerint; is ne amplius ab aliis judicetur; ſed Provinciæ Epiſcoporum firma maneat ſententia.* Præcedente autem Canone præcipitur, ſi minus conveniat ſuper cauſa alicujus Epiſcopi inter Comprovinciales, ut proximæ Provinciæ Metropolitanus cum aliis Epiſcopis de cauſa illius cognoſcat. Scio in Beati Chryſoſtomi cauſa homines improbos, qui malo fine hunc Canonem allegabant, eâ exceptione eſſe ſummotos, quòd Semi-Ariani fuiſſent ejus auctores, magni

Athanaſii

Athanasii hostes jurati, & sunt sanè æternâ infamiâ digni, qui tantis viris tantum molestiarum exhibuerunt. Cæterùm ipsorum Canonum diversa causa est atque Auctorum. Itaque vetus Ecclesia, quæ ne pessimorum quidem Principum leges bonas repudiabat, magno consensu tanquam hujus Synodi Canonibus auctoritatis, quà in Oriente, quà in Occidente tribuit; ut in Canonici Juris corpus antiquum & statim illos retulerit, & posteà eundem honorem iis constanter servaverit: verùm hæc aliàs pluribus. Antiochenam mox Sardicensis Synodus excepit; cujus magna semper apud Orthodoxos fuit auctoritas: fidem namque Nicænam firmavit; & Athanasium putidarum calumniarum absolvit. Veteres tamen pro Oecumenico illud non habuisse, & pueris notum; qui saltem nomina septem Oecumenicarum Synodorum, lippis & tonsoribus nota, non ignoraverint: nam etsi convocati ad eam fuerant utriusque orbis Episcopi, magnaque adeò, ut Athanasius est auctor, Antistitum frequentia hanc Synodum celebravit; Canonibus tamen scribundis perpaucos adfuisse Orientalium, nemo dubitat; quæ fuit, haud dubiè, ratio, cur pro universali Concilio Antiqui istud nunquam habuerint. Ut valdè mirum sit, in nuperis Conciliorum editionibus titulum commentitium & falsum esse inditum; sed hoc παρεγχείρημα & similia huic σκαιωρήματα alia multa quò spectent, & qui cæcutiunt clarè vident. Jam diximus, quàm diversa illis temporibus regnante Constantio esset conditio Ecclesiarum Orientis & Occidentis; quum hæ singulari beneficio Christi, fidem veram, etsi non ubique, at in præcipuis saltem civitatibus, maximè autem Romæ servarent: illæ miserandum in modum laceratæ, multiplices hæreses palàm foverent; orthodoxam fidem raris in locis retinerent; propterea, Osius Cordubensis & alii pii ex Occidente Patres ejus Concilii, qui non semel antè in Athanasii causa, quantum esset in Romani Pontificis auctoritate præsidii, animadverterant: ut id quasi asylum adversus Arianorum diram persecutionem Occidentalis Imperii hominibus aperirent, novum jus introduxerunt. Decreverunt enim, ut si quis deponeretur Episcopus, Romam liceret appellare; atque ut renovetur judicium, à Pontifice Romano petere. Quòd novum jus id fuerit, apparet vel ex verbis Osii, qui ejus fuit auctor & εἰσηγητής. Canone quarto ita scriptum: *Osius Episcopus dixit: Quod si aliquis Episcopus adjudicatus fuit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum judicium renovetur, si vobis placet, S. Petri memoriam honoremus: ut scribatur, vel ab his, qui examinarunt, vel etiam ab aliis Episcopis, qui in propinquo morantur, Romano Episcopo: & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det Judices. Si autem probaverit talem causam, ut ea non refricentur, quæ acta sunt; quæ decreverit Romanus Episcopus, confirmata erunt. Si ergo omnibus placet, statuatur. Synodus respondit, Placet.* Si jure divino, ut hodie declamatur, appellationes omnes fuissent ad Romanam Sedem relatæ, aut Canonibus Nicænis hoc ei jus esset attributum; quid opus erat hoc Canone & aliquot sequentibus? Aut quis non intelligit, rem introduci ab Osio, de qua nihil ad eam diem esset sancitum? Nam hoc evidentissimè significatum Osius voluit, cùm diceret: *Si placet vobis, S. Petri memoriam honoremus.* An ea mens fuerit Patrum Sardicensium, ut Decretis suis omnes tam in Oriente, quàm in Occidente Episcopos vellent teneri, non temerè affirmaverim. Ea certè erant tunc tempora, ut optandum piis fuerit, non in extremo tantùm Oriente Occasum versus, quò perveniebat Romæ veteris imperium; sed per totum orbem utrumque vim Decreti hujus extendi. Sed quum probaverimus, pro Oecumenico id Concilium nunquam esse habitum, putare Decreta ab Occidentalibus facta vim legis necessariæ in Oriente habuisse, plus quàm pueriliter est errare.

1607. Habita fuerat paullò antè Synodus Antiochiæ, quæ literis Julii Papæ restitutione Athanasii in Synodo Romana facta, acerbè admodum respondit: *Rescripserunt*, inquit Sozomenus, *Julio Epistolam verbis ornatam, stilo causidicinæ compositam, ironiæ multæ plenam, cui nec minæ deerant gravissimæ.* Addebant posteà, ut ipsi Romano Pontifici se non opposuerant, cùm excommunicarat Novatianum: ita neque illum jus habere contradicendi, quoties aliquem è suis de Ecclesia ejicerent. In eadem Epistola, quum viderentur Orientales Romano Pontifici deferre τὰ πρεσβεῖα, id est, prærogativam aliquam honoris, velut primogenito inter fratres, quòd à principio extitisset Roma Apostolorum schola, pietatis metropolis; mox quo animo hoc dicerent, palàm faciebant, hæc subjicientes: *Licet ex Oriente Romam venissent, qui Religionem Christianam illos docuerant.* Quod planè erat priora destruere: ideò rectè ait Sozomenus, per ironiam laudatos fuisse Romanos iis literis. Illud verò, quod sequitur, magis mentem illorum ostendit: apertè namque quem dedisse videbantur, honorem repetunt, funemque relegunt: *At postulare se, ne propterea secundas ferrent, si magnitudine & copiâ Ecclesiæ minus abundarent.* Faceti sanè homines, qui locum principem Romano ita concederent, ut tamen in secundum se rejici non paterentur. Atqui si nemo est secundus, neque tertius, ut in orbem constituentibus; neque primus quisquam esse potest. Similis facetia, vel potius ambitio & æmulatio eorum, qui in Canone Concilii Constantinopolitani & Chalcedonensis, quo donantur Constantinopolitani honore primæ sedis μετὰ τῆς Ῥώμης, *secundum Episcopum Romanum*, vocem μετὰ sic intelligendam contendebant, ut Nova Roma Veteri non postponeretur; quod non argutum, sed planè ridiculum erat: neque enim ordo potest consistere, si non est aliquis primus, quem cæteri sequantur. Itaque rectè hanc interpretationem explodit Zonaras. Illud verò palam contumeliosum, quod addunt Orientales in eadem Epistola: ὡς ἀρετῇ καὶ προαιρέσει νικῶντες, *quòd ipsi virtute & moribus vincerent.* Hæc non eo animo commemoramus, quòd nobis probentur: meminimus enim, à quibus scribantur, & quo fine: verùm ut ostendamus, ita fuisse tunc & semper animatos Orientales, ut Canones istos Sardicenses magnis clamoribus fuerint excepturi, si quis novum hoc jus ipsis obtruderet; neque de pravis solùm, & hæretica dogmata tuentibus id volumus intelligi; sed etiam de orthodoxis & verè piis. Quis pietate aut verâ humilitate illustrior vixit unquam magno Basilio? Quis omni Christianâ laude dignior Gregorio Nazianzeno? At sciunt qui horum saltem Epistolas legerunt, quis horum sensus fuerit, quæ & quàm justæ quærimoniæ de fastu, superbia, & immani cupidine dominandi τῶν δυτικῶν, *Occidentalium*; id est, Romani Pontificis, ut mox probabimus, allatis ipsorum verbis modestiæ plenis. Erat Orthodoxa Synodus Oecumenica Constantinopolitana, cujus Epistolam ad Synodum Romanam describit Theodoretus libro quinto, non planè dissimilem illi Patrum Antiochenorum: nam & hæc figurata est, ac speciem aliam præ se fert, aliam interius spectata mentem exhibet; ut facilè appareat, etiam orthodoxos & sanctos per Orientem viros, majestatem Romanæ Ecclesiæ ita coluisse comiter, ut plenam libertatem se obtinere crederent: neque ullo modo esse illi inferiores, nisi ratione ordinis καὶ τῆς εὐταξίας. Itaque Zonaras aliique Juris Canonici Interpretes Græcorum, quoties de appellationum jure disputant, Sardicenses Canones interpretantur, de Romanis & eorum pravis interpretationibus gravissimè conqueruntur. Iidem Sardicensi Concilio non Oecumenico duo Oecumenica opponunt, Constantinopolitanum & Chalcedonense; quibus eadem jura Novæ Romæ Episcopis tribuuntur, ac Veteris. Canone autem nono hujus appellationes omnes ad regiam urbem Constantinopolim rejiciuntur;

ciuntur; quod utique intelligendum de Provinciis Orientalis Imperii: at qui 1607.
nodum hîc in ſcirpo quærunt, & à Nicolao Papa veram interpretationem iſtius Canonis petere nos jubent, confingerent pauca ſaltem exempla, quibus probarent, Sardicenſi Decreto locum in Oriente illis temporibus fuiſſe. Quid? negabunt iſti, multos Epiſcopos in Aſia, Syria, Ægypto poſt habitam Synodum Sardicæ, partim jure, partim injuriâ fuiſſe depoſitos. Proferant ex tanta exemplorum copia, quantam Hiſtoriæ ſuggerunt, unum ſaltem, qui Sardicenſis Decreti beneficio ſit uſus: aut qui omnino ejus mentionem injecerit. Atqui Panchreſtum hoc remedium erat futurum, quo uterentur omnes, qui per Orientem injuriam vel paterentur, vel pati ſe autumarent. Chalcedonenſis Concilii Canonem nonum vel mutavit, vel explicavit poſteà Juſtinianus Novellâ CXXIII. capite XXII. cujus mentem ita exprimit Julianus capite CCCCLXIV. *Si contra Metropolitanum adire quiſpiam velit, regionis illius Patriarcha negotium diſcernat.* Sed addit Græcus textus: οὐδενὸς μέρους κατὰ τῆς ψήφου αὐτοῦ ἀντιλέγειν δυναμένου: *ita ut neutra pars ſententiæ Patriarchæ ſui poſſit contradicere.* Ergo nec appellari Romam poterat, neque hoc novum jus eſt à Juſtiniano introductum; ſed juris conſueti, & dudum in Eccleſiis Orientalibus vigentis eſt affirmatio. Verùm enimverò quid quantumque priſcis temporibus fuerit diſcriminis inter auctoritatem Oecumenici alicujus Concilii & auctoritatem Concilii Sardicenſis, nemo aut intellexit melius, aut certius docere hodie nos poteſt, quàm Zoſimus Pontifex, cum duobus ſucceſſoribus ſuis, Bonifacio & Cœleſtino. Poſt annos circiter ſeptuaginta à Synodo Sardicenſi celebrata, induxit in animum Zoſimus Papa hoc ipſum, de quo diſputamus, appellationum jus ad Romanam Sedem ab Africanis Epiſcopis impetrare; & ut Decreta Sardicenſia ſuper ea re facta vim Legis Eccleſiaſticæ in Africa obtinerent, efficere: eo fine Legatos à latere, quos jam tum vocabant, in Africam mittit, amplis mandatis inſtructos. Si pro Oecumenico Concilio Eccleſia Catholica illorum temporum Sardicenſe habuiſſet, facilis erat futura cauſſæ peroratio apud Catholicos Epiſcopos Africanos. Nam de mente ejus Concilii nemo poterat dubitare, qui ſaltem leviter Acta vel Canones inſpexiſſet. Sed probè nôrat Zoſimus, Legatos ſuos ad hoc jus impetrandum Canones Sardicæ allegantes, hac exceptione ab Africanis repellendos; quòd ejus Synodi non ea erat in Eccleſia Catholica auctoritas, ut ad tantam rem conficiendam poſſet ſufficere. Acutè ſanè ac prudenter prævidit Zoſimus, quod omnino futurum erat; nam adhuc illo tempore adeò obſcurum fuit inter Eccleſias Africæ nomen hujus Synodi, ut haut ſciam, an totâ Africâ unus aut alter potuerint inveniri, qui de ea fando aliquid accepiſſent. Docet hoc altum in tot Synodis, Carthagine habitis ob id ipſum, de Sardicenſi ſilentium; nemine inter omnes Epiſcopos reperto, (erant hi aliquando plures ducentis, flos delibatus ex univerſis Africæ Provinciis) qui ullo indicio proderet, ſibi de ea Synodo aliquid eſſe compertum: quod quidem mirum nemini videbitur, qui meminerit, ipſum Auguſtinum, facilè principem cunctorum ejus ætatis Africanorum Præſulum, de pio & orthodoxo Conſeſſu Patrum Sardicenſium omnia penitùs ignoraſſe. Lege illius Epiſtolam CLIII. & contra Creſconium libro III. cap. XXXIV. videbis, virum doctiſſimum, & rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimum, nullam, ne tenuiſſimam quidem, famam de ullo alio ejus nominis Concilio accepiſſe, niſi de Conciliabulo quodam Arianorum, qui ad Donatiſtas ex illa urbe literas in Africam dederant. Proptereà Zoſimus, ut quod optabat impetraret, tacito Sardicenſis nomine, Nicæni Concilii nomen in commonitorio proficiſcentibus Legatis dato, ſingulari ſolertiâ poſuit. Verba ejus ſunt in illo pittacio: *Verba Canonum in*

 plenio-

1607. *pleniorem firmitatem huic commonitorio inservimus ; ita enim dixerunt dilectissimi fratres in Concilio Nicæno.* Deinde Canonem subjicit, quem nemo unquam dubitavit, septimum esse Sardicensium. Veniunt Legati in Africam: cogitur Carthagine Concilium ; illi mandata sibi tradita exhibent. Ad nomen Nicænæ Synodi Patres omnes attoniti, qui de appellationibus ad Romæ Papam nihil unquam in ejus Canonibus, probè sibi notis, legissent; memorabili pietatis & modestiæ exemplo, quantum sacrosanctæ Nicænæ Synodo honoris deferrent, ostenderunt. Statuunt Patres, quia ad vindicandum sibi transmarinarum appellationum jus, Canones Nicænos Zosimus in medium afferret, quos in Africanis codicibus non invenirent; priusquam momenti maximi controversiam deciderent, mittendos esse ad Orientis Patriarchas, maximè Alexandrinum, & Constantinopolitanum, qui instructiores Bibliothecas haberent, Legatos; ut de fide suorum exemplarium melius sibi constaret: interim, dum veritas adhuc lateret, Zosimo Papæ hunc honorem habuerunt, ut omnia jura suspensa secundum mandata Legatorum servarent. Dum itur, dum reditur, labuntur anni plures. Intereà loci moritur Zosimus; cui Bonifacius successit: sed ne hic quidem exitum negotii incepti vidit; nam & ipse diem prius clausit supremum, quàm res conficeretur. Id vero accidit non ante Cœlestini tempora, qui Bonifacii morte vacuum locum obtinuit. Urgent sui antecessoris propositum & Bonifacius & Cœlestinus ; ac quum vota ipsorum unica res moraretur, quòd Canonum, qui allati fuerant, auctoritas esset incerta; si quantum Nicænæ tribuebat orbis Catholicus universus, tantum & Sardicensi auctoritatis fuisset in Ecclesia universa; quis non videt, productis veris tabulis momento rem potuisse confici? Sed neque Bonifacium, neque Cœlestinum fugiebat, paratam exceptionem, de qua diximus, si pro Nicæna Sardicensis in re tanta Synodus nominaretur. Qui aliam causam afferunt, cur stupendâ obstinatione animi tres Pontifices, Zosimus, Bonifacius, Cœlestinus Sardicæ Canones pro Nicænis laudarint, & Africanis obtrusum iverint ; etsi magni sunt subtilitatum architecti, durissimam tamen provinciam sustinent: habent enim adversarium, quicum manus conserunt, illam Polybii μεγίστην θεὸν, vinci ad extremum nesciam; veritatem dico, cujus radii etiam in densissimis tenebris semper micant; nedum in clarissima luce, cujusmodi hæc est. Quinque amplius annos hoc negotium trahitur; aliquando tamen terminatur; simul & illa quæstio deciditur, quam heic ventilamus. Extant Acta publica ejus controversiæ: ex iis describemus nos heic tibi, Lector, illam Epistolam, quæ post accepta probatissimæ fidei exemplaria Canonum Nicænorum, peractâ Synodo ad Cœlestinum à Patribus Carthaginiensibus fuit missa. Habetur hæc Synodica in omnibus Conciliorum editionibus, etiam novissima Coloniensi anni proximi. Quid igitur super appellationibus transmarinis ad Romanum Papam universale Concilium, Carthagine coactum ex omnibus Africæ Provinciis, statuisset, ita declarant Patres Cœlestino:

Domino dilectissimo & honorabili fratri Cœlestino, Aurelius, Valentinus, Antonius, Tutus, Servus Dei, Terentius, Fortunatus, Martinus, Januarius, Optatus, Celtitius, Donatus, Theasius, Vincentius, Fortunatianus, & cæteri, qui in universali Concilio Carthaginis affuimus. Optaremus equidem, quemadmodum Sanctitas tua de adventu Apiarii lætatos vos fuisse, missis per Compresbyterum nostrum Leonem literis, intimavit ; ita nos quoque de ejus purgatione hæc scripta cum lætitia mitteremus. Esset profectò & nostra & vestra modò alacritas certior ; nec festinata, nec præpropera videretur, quâ adhuc tam de audiendo quàm de audito præcesserat. Adveniente sanè ad nos sancto fratre & Coëpiscopo nostro Faustino, Concilium congre-

congregavimus, & credidimus ideò cum illo missum, quoniam sicut per ejus 1607.
operam Presbyterio antè redditus fuerat, ita nunc posset de tantis criminibus, à Thabracenis objectis, eo laborante, purgari. Cujus tanta ac tam immania flagitia decursum nostri Concilii examen invenit, ut & memorati patrocinium potius quàm judicium, ac defensoris magis operam quàm disceptatoris justitiam superarent. Nam primùm, quantum obstiterit omni Congregationi, diversas injurias ingerendo, quasi Ecclesiæ Romanæ asserens privilegia, & volens eum à nobis in Communionem suscipi, quem tua Sanctitas, (credens appellasse; quod probare non potuit) Communioni reddiderat; quod minimè tamen licuit; quod etiam gestorum melius lectione cognosces. Triduano tamen laboriosissimo agitato judicio, cùm diversa eidem objecta afflictissimi quæreremus, vel moras Coëpiscopi nostri Faustini, vel tergiversationis ipsius Apiarii, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur; Deus, Judex justus, fortis & longanimis, magno compendio resecavit. Tetriore quippe ac putidiore obstinatione compressâ, quâ tantum lividum cœnum impudentia negationis volebat obruere, Deo nostro ejus conscientiam coarctante, & occulta, quæ in illius corde, tanquam in volutabro criminum, jam damnabat, etiam hominibus publicante; repentè in confessionem cunctorum objectorum flagitiorum dolosus negator erupit; & tandem de omnibus incredibilibus opprobriis ultroneus se ipse convicit; atque ipsam quoque nostram spem, quâ eum & credebamus & optabamus de tam pudendis maculis posse purgari, convertit in gemitus; nisi quoniam istam nostram mœstitiam uno tantùm solatio mitigavit; quòd & nos laborē diuturnioris quæstionis absolvit; & suis vulneribus qualemcunque medelam, etsi invitâ, ac suæ conscientiæ reluctante confessione providit, Domine frater. Præfato itaque debitæ salutationis officio, impendiò deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes, non facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos in Communionem ultrà velitis excipere; quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facilè advertet Venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus Clericis, vel Laicis videtur ibi præcaveri, quantò magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua Provincia Communione suspensi à tua Sanctitate, vel festinatò, vel præproperè, vel indebitè videantur Communioni restitui? Presbyterorum quoque & sequentium Clericorum improba refugia, (sicuti te dignum est,) repellat Sanctitas tua; quia & nullâ Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & Decreta Nicæna, sive inferioris gradûs Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim justissimèque providerunt, quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda; nec unicuique Provinciæ gratiam Sancti Spiritûs defuturam, quâ æquitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur: maximè quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit Cognitorum, ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam universale provocare. Nisi fortè quisquam est, qui credat, unicuique posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexûs, vel propter senectutis infirmitatem, multis aliis intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt? Nam ut aliqui, tanquam à tuæ Sanctitatis latere, mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitutum; quia illud, quod pridem per eundem Coëpiscopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Nicæni Concilii exinde transmisistis; in Conciliis verioribus, quæ accipiuntur Nicæna à sancto Cyrillo, Coëpiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili Attico, Constantinopo-

1607. *tinopolitano Antistite, ex authentico missis; quæ etiam antę hoc per Innocentium Presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo, prædecessori vestro, è nobis transmissa sunt; in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Executores etiam Clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere; nolite concedere, ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Dominicum videre cupientibus præfert, videamur inducere. Nam de fratre nostro Faustino, (amoto jam pro suis nefandis nequitiis de Christi Ecclesia, dolendo Apiario) securi sumus, quòd eum probitate ac moderatione tuæ Sanctitatis, salvâ fraternâ charitate, ulterius in Africa minimè sustinere patiatur.* Et alia manu: *Dominus noster Sanctitatem vestram ævo longiore orantem pro nobis custodiat, Domine frater.*

Multa poterant ad illustrationem hujus cumprimis memorandæ Epistolæ afferri, quæ impræsentiarum missa facientes, pauca tantùm adnotabimus magis necessaria. Principio observet Lector, sic agere Patres Africanos cum Romano Pontifice, ut cum alio quovis Episcopo ex honoratioribus: ideò & fratrem vocant, ut semper Cyprianus Cornelium, ac Stephanum Pontifices. Tituli, qui heic adjiciuntur, tralatitii sunt, neque habent proprii quidquam. Etiam illud, SANCTITAS TUA, hodie proprium in compellando Papa Romæ; olim commune omnium. Ita alii Papam; ita Papa alios; ita cuncti Episcopi se mutuò compellabant. Zosimus, Romanus Pontifex, in Epistola ad Africanos Episcopos: *Censuimus innotescere Sanctitati vestræ super absoluta Cælestini fide nostrum examen.* Apud Beatum Augustinum in Epistolis, & in aliis Auctoribus frequens est ejus formulæ usus: ut Canone CI. Concilii Milevitani. Apiarius, cujus initio meminerunt Patres, Presbyter fuit Africanus, qui justissimâ Urbani, Episcopi sui, sententiâ piorum Communione ejectus, ad Zosimum confugerat, & ab eo susceptus atque absolutus fuerat. Sub idem tempus Pelagius & Cœlestinus, Hæretici scelestissimi, ab Africanis Episcopis excommunicati, quum ad eundem Zosimum confugissent, pariter ab eo sunt suscepti. Atque horum occasione usus est Zosimus, ut jus appellationum ad Papam Romanum in Africa stabiliret; quod ut efficeret, tres in Africam Legatos misit; duos Presbyteros, Philippum & Asellum; item Faustinum, Potentinæ Ecclesiæ Episcopum; hominem improbum, ut ex hac Epistola apparet; qui postquam venit in Africam, multa gessit tyrannicè, contra voluntatem Episcoporum Africæ; præsertim in causa perditi nebulonis Apiarii; quem Presbyterio per vim restituit, gementibus Afris: deinde ut renovaretur judicium in generali hoc Concilio, effecit. Quod judicium quomodo fuerit celebratum, & quomodo, hærente universâ Synodo propter impudentiam Apiarii, quem Faustinus magnâ vi tuebatur, Deus nodum Gordium expedierit, hæc Epistola ostendit. Ajunt Patres: *Quem tua Sanctitas, credens appellasse, quod probare non potuit, Communioni reddiderat; quod minimè tamen licuit.* More Africanorum parum dilucidè loquuntur Patres: nam illa: *quod probare non potuit*, utrùm ad Apiarium referri debeant, an ad ipsum Papam, obscurum est. Græci ita verterunt: ὃν ἡ σὺ ἁγιωσύνη πιστεύσασα ἐκκαλέσασθαι, ὅπερ ἀποδεῖξαι οὐκ ἠδυνήθη, τῇ κοινωνίᾳ ἀποδέδωκεν· haud dubiè referentes ad ipsum Pontificem. Ut sit hic sensus: Pontificem Romanum, sive Zosimum, sive Bonifacium, sive ipsum Cœlestinum (nihil enim interest, quia quod priores fecerant, posteriores confirmarunt) ideò sumsisse hoc sibi, ut Africanorum Episcoporum judicia antiquaret, & quos illi ejecerant, ipse susciperet, ac suscipi etiam ab Africanis mandaret; quia crederet, jus omnium appellationum ad se pertinere. *Quod tamen probari non potuit*, inquiunt illi. Verè sanè: nam Canones Nicæni falsò

falsò in eam rem afferebantur, ut mox in hac Epistola dicetur. Sublato autem illo jure imaginario appellationum, necessariò sequitur, quicquid in hoc negotio factum erat à Romano Pontifice pro imperio & absoluta potestate, id ipso jure esse irritum, utpote usurpatum atque illicitum. Significant hoc manifestò Patres, cùm addunt: *Quod minimè tamen licuit.* Cæterùm toto isto scripto sic jura libertatis suæ tuentur Africani, ut de Romano Pontifice & loquantur semper modestissimè, & sentire se quàm commodissimè videri velint. Nondum enim magistrâ experientiâ didicerant viri hi sancti, quò tandem ab hisce principiis, quibus se opponebant, evasuri erant deinceps Pontifices. Iidem Patres Africani, si hodie jubente illo, qui apud Prophetam disjecta ossa compingit, in hanc lucem redirent, & illa intelligerent, quæ posteà ab Hildebrandis, Bonifaciis, Alexandris, & similibus sunt gesta; quæque hodie de absoluta Romani Pontificis Monarchia non jam disputantur, sed pro necessariis fidei articulis docentur; quàm stuperent? quàm aliter longè atque olim loquerentur? Nam Cardinalis Baronius patientiâ Lectorum palàm abutitur, quando modestas horum querimonias acrioribus quidem, sed non minus justis eorum opponit vocibus, qui deinceps vixerunt. Ajunt igitur Patres: *Deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis*: hoc est, ne eâ facilitate admittatis, quâ sæpè hactenus fecistis; neque eâ mente, quasi ad Romanam Sedem appellationum jura pertineant: nam alioquin noluerunt Patres impedire, quò minus ex illo charitatis officio, quod antè exposuimus, injuriam in Africa passos, susciperet Romanus Pontifex; & more solito, quem indicavimus, illos sublevaret. Dominationem, non autem humanitatis officia gravabantur pii Patres. Sic etiam accipiendum, quod posteà sequitur: *In sua Provincia Communione suspensi, à tua Sanctitate vel festinatò, vel præproperè, vel indebitè videantur Communioni restitui.* Patronis Libertatis Ecclesiasticæ hodiernæ, quorum causam jugulat hæc tantorum Patrum sententia, ansam ad argutandum præbuerunt voces istæ: *Liberius, festinatò, præproperè, indebitè:* nam inde eliciunt, non in totum denegare Papæ Africanos jus appellationum; verùm petere, ut modus alius humanior earum prosequendarum à Pontifice instituatur. Sed quum Cœlestinum revocent Patres ad Canonum Nicænorum observationem; atque iidem seriò disputent, à Nicæna Synodo omnes sublatas esse appellationes; minorum quidem ordinum, disertè; Episcoporum verò, per necessariam consequentiam; quis non perspicuè videt, falsissimum & absurdissimum esse, quod isti contendunt, de modo tantùm appellationum in hoc Carthaginensi Concilio esse actum? Evidentissimè Patres hoc demonstrant, cùm hæc posteà addunt: *Quia & nullâ Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ; & Decreta Nicæna, sive inferioris gradûs Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt.* Sed & quæ sequuntur, vanitatem ita cavillantium clarissimè arguunt: eas enim rationes afferunt, quæ facilè commentum refellant: *Prudentissimè*, inquiunt, *justissimèque providerunt* Patres Nicæni, *quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda.* Quis adeò hebes, aut malignus est, quin fateatur, Africanos Præsules, cùm ista scriberent, id egisse, ut omnia Africanarum Ecclesiarum negotia in Africa terminarentur? Hoc certè Cyprianus volebat, cùm eâdem illâ ratione Achilleâ Cornelium Papam latius evagantem in lineam revocabat. Jam quod ibidem Cyprianus dicebat: *Paucos esse desperatos & perditos, quibus minor videretur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum,* quàm Cornelii Pontificis, ad quem scribebat; id ipsum aliis, sed mitioribus verbis hujus quoque Synodi Episcopi intelligi voluerunt, cùm Cœlestinum 1607.

1607. ita compellabant: *Nisi fortè quisquam est, qui credat, unicuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam; & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare.* Quod autem sæpè diximus, non aliud appellationum genus veterem Ecclesiam aut novisse, aut in usu habuisse, nisi à minore Synodo ad majorem, aut etiam ad Oecumenicam: hoc & Patres Africani apud Cœlestinum heic asserunt; cùm propterea inutiles fore appellationes ad Romanum Pontificem ostendunt: *Quia unicuique concessum est, si judicio offensus est Cognitorum, ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam universale provocare.* Verba verò illa Patrum: *Nam ut aliqui, tanquam à tuæ Sanctitatis latere, mittantur, nullâ invenimus Patrum Synodo constitutum,* interpretatione sunt adjuvanda: probavimus enim satis superque in superioribus, antiquissimum piorum Episcoporum fuisse morem, ut ad alias Ecclesias, quæ vel hæresi, vel schismate laborarent, vel aliàs tumultuarentur, & literas & Legatos suos mitterent; quod à Cypriano, & Athanasio summo studio factitatum narrabamus. An igitur eo jure Romanum Episcopum privare voluerunt Africani? Non est ita: sed hoc ideò illi, quia non ex simplici charitate, uti cæteri, id facere Romani videbantur; sed ex prærogativa juris cujusdam, & dominatione, quam obtinerent in fratres. Istud deprecantur & detestantur Africani: propterea & repetunt mox: *Executores Clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere.* Ubi vel executorum appellatio animos prodit eorum, qui eos mittebant: qua de re multa Augustinus in Epistola ad ipsum Cœlestinum. Enimverò in tota hac gravissima Epistola nihil memorabilius occurrit illâ divinâ modestiâ, quâ utuntur sancti isti Patres in refutanda allegatione falsissima Canonum Nicænorum. Agebatur res maxima, libertas Ecclesiarum Africæ; quarum dominationem Romani Pontifices videri poterant non optimis artibus appetiisse; iidem manifestissimè, si stricto jure agerent Africani, tenebantur falsi convicti; neque excusationi locus erat, quasi imprudentibus error obrepsisset. Nam consulto Concilio non autem casu id factum, nemo dubitabat, & erat verissimum. Non tamen quiritant Africani, non clamant, fraude se circumveniri; non verbum denique ullum edunt asperum, aut charitate illâ indignum, quæ omnia suffert, omnia sustentat, inquit Apostolus. Sed nec propterea peccatum alienum dissimulant; sed arguunt Romanos Pontifices; & quum mentitos eos fuisse non dicant, mendacium tamen locutos esse re pariter ac verbis probant: *Illud,* inquiunt, *quod tanquam ex parte Nicæni Concilii transmisistis, in Conciliis verioribus, ex authentico missis non potuimus invenire.* Quid erat aliud hoc dicere, nisi dicere, tres Papas, qui Canones istos pro Nicænis constanter obtruserant, errore lapsos & falsos fuisse. Nondum videlicet inoleverat hominum mentibus hodierna quorundam persuasio, quasi errare ac peccare Pontifex Romanus non queat. Nondum illa portentosa vox Nicolai Primi audita in Ecclesia Dei fuerat: *Vetus Novumque Testamentum recipienda esse, non quòd Codici Canonum ex toto habeantur annexa; sed quòd de his recipiendis Sancti Papæ Innocentii prolata videatur esse sententia.* Nondum irruperant in ovile Christi Doctores illi, qui regulam pii vel impii, & veri aut falsi obtrusam non aliam agnoscunt, nisi Romani Pontificis voluntatem. Ecce tres ordine Pontifices Nicænos haberi postulant Canones, qui non erant. Dubitant Africani: inquirunt rei veritatem: eandem sedulâ vestigatione inventam non produnt; verùm asserunt; & adversus Romanum Papam, modestè illi quidem, sed tamen tuentur. Et audebit Cardinalis Baronius divinam istorum Patrum modestiam interpretari argumentum subjectionis? Audebit dicere, sanctum istud Concilium non refragari appellationibus ad Romanam Ecclesiam? Audebit negare,

negare, aliud esse, appellatione uti; aliud, perfugio? Nam exempla, quæ ex Au- 1607
gustino affert, non probant, appellatum esse juridicè ad Papam; sed eò paucos refugisse, qui in judiciis Africanorum non acquiescerent; qua de re multa in superioribus sunt dicta. Caveant studiosi ab hujusmodi sermonis improprietate; nam vocis παρανομία, ut appellat Maximus Tyrius, gravissimus Philosophus, sententiam planè παράνομον imprudentium animis insinuat. Melius ipsi Patres Africani, qui *Clericorum perfugia* in hac Epistola dicunt, non appellationes. At debuit meminisse Cardinalis Baronius, exempla illa, de quibus triumphat, vel ipso teste, contigisse ante peractum hoc Concilium; quo decisa tandem est quæstio de appellationibus ad Romanum Papam. A Zosimo verò ad finem hujus Synodi annorum amplius quinque spatium intercessit; quo toto tempore jura Africanorum, liberâ ipsorum concessione, fuisse suspensa, jam ostendimus. At post Concilium hoc peractum, veritatem Nicænorum Canonum exploratam, & Synodicam hanc ad Cœlestinum missam, adeò nullus fuit in Africa appellationum usus ad Romanam Ecclesiam, ut multis persuasum fuerit, (verè an falsò, non id nunc disputò) Africanos ex illo tempore in totum se à Communione Romana separasse; aut ab ipso Papa, tanquam Schismaticos esse præcisos. Extat sub nomine Bonifacii II. scripta ad Eulalium quendam Epistola, cui si fidem habemus, Patres hujus Sancti Concilii, in quibus erat Beatus Augustinus, excommunicati omnes fuerunt à Romana Ecclesia; duravitque id schisma ultra seculum integrum, quod centum & decem est annorum: donec tandem sedente Bonifacio II. venit illa relatio ex Africa, cujus fit in ipsius vita mentio. Hæc sive sunt vera, ut plerique omnes credunt; sive eorum vacillat fides, ut pauci existimant; illud certè liquidò hinc constat, ita rarò post istud Concilium Africanos perfugii caussâ, nedum appellationis, Romam ventitasse, ut penitùs ab ejus Communione separati viderentur. Sub finem Epistolæ caussam aperiunt Patres, cur tam sollicitè Romanis Pontificibus, appellationes transmarinas ad se trahentibus, resisterent: *Ne*, inquiunt, *typhum seculi in Ecclesiam Christi, (quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert,) videamur inducere.* Iidem jam antè ad Bonifacium ita scripserant: *Sed credimus, adjuvante misericordiâ Domini Dei nostri, quòd tuâ Sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente, non sumus jam istum typhum passuri.* Cupiditatem Romanorum Pontificum stabiliendi jus istud appellationum appellant sancti Patres *typhum seculi*, id est, fastum, ambitionem & superbiam; eumque invehi in Ecclesiam Dei, illis dolet; atque id ne fiat, quantum in ipsis est, sedulò impediunt. Sic paucis pòst annis Concilii Oecumenici tertii Patres; quum relatum esset, Antiochenum Patriarcham res Ecclesiasticas Cypri insulæ ad cognitionem suam præter antiquam observationem trahere: mali exempli rem esse pronuntiantes, typhum hominis coërcent: *Ne fortè*, inquiunt illi, Canone VIII. *sub specie administrationis rerum sacrarum*, TYPHUS *potentiæ mundanæ in Ecclesiam sese insinuet; sensimque imprudentes* LIBERTATEM *eam amittamus, quam Dominus noster, Jesus Christus, omnium Liberator, suo sanguine pretioso nobis largitus est.* Ibidem verè pronuntiant Patres, typhum hunc πρᾶγμα εἶναι τῆς πάντων ἐλευθερίας ἀντίμενον: *rem, quæ* LIBERTATI *omnium faciat præjudicium.* Planè dignissimum observatu, utriusque Concilii Patres, quum eodem Spiritu afflati idem sentirent, dominandi cupiditatem, fatale jam illâ ætate Ecclesiæ malum, eodem modo designasse, & detestatos esse. TYPHUM SECULI Carthaginienses vocant: Ephesinus Consessus, ΤΥΦΟΝ ΚΟΣΜΙΚΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ. Utinam & verbi hujus vim & præcepti necessitatem, qui illâ tempora exceperunt Episcopi, rectè semper attendis-

 tendis-

1607. tendissent: sed nos in sequentibus demonstraturi sumus, tanto mox impetu Romanos præsertim Pontifices ad potentiam parandam se convertisse, ut præ hac una cura cætera omnia facerent non magni. Itaque fideles monitores, inque his Christianissimos interdum Reges Francorum, qui ipsa hujus Concilii Carthaginensis verba illis occinebant, insuper habuerunt. Atque hæc de appellationum ad Pontificem Romanum jure, dicta impræsentiarum sunto. Porrò haut temerè factum nobis quidem videtur, quod in legenda Historia Ecclesiastica observabamus; ut toties ferè Episcopi Urbis Romæ periculosissimè fuerint decepti; quoties, vetustissimorum Canonum observatione neglectâ, excommunicatos aut damnatos alibi à piis Episcopis, suscipere ipsi & audire præsumserunt. Cornelium, virum optimum, penè commisit cum Cypriano & aliis piis Africæ Episcopis, Felicissimus, Schismaticorum sceleratissimus Legatus. Stephanum Basilides Hispanus contra disciplinam Ecclesiæ susceptus, sententiam edere compulit; quam justissimè, nec sine aliquo tanti Præsulis dedecore, Hispaniæ atque Africæ Ecclesiæ communibus suffragiis damnarunt. Eustathius quidam fuit Sebastenus Episcopus, subdolus & versipellis Hæreticus; qui Orthodoxorum sententiis in sua Provincia Melitena (partem Cappadociæ sic vocabant) damnatus: ὁδὸν ἑαυτῷ, ait Basilius in quadam ad Occidentales Epistola, τῆς ἐπικαταστάσεως ἐπινόησε, τὴν ὡς ὑμᾶς ἄφιξιν: *viam restitutionis hanc sibi adinvenit, ut Romam proficisceretur.* Sedebat tum Liberius, quem beatissimum Episcopum idem nominat: sed & Liberio verba dedit ista vulpecula. Impetratis ergo commendatitiis, postquàm Synodo Tyanensi παῤῥησιαστικὰς Papæ Romani literas ostendisset, priorem locum facilè recepit. At non multò pòst canis immundus ad vomitum reversus, orthodoxas Ecclesias Provinciæ suæ eâdem operâ turbavit, & gloriam Liberii non leviter lutulavit. Damasum quoque non dissimiliter Vitalis, alius ex Oriente Episcopus, fefellit. Ille errore agnito, & μεταδιδαχθεὶς, ut ad Cledonium scribit Gregorius Nazianzenus, ἀποκήρυκτον αὐτὸν πεποίηκε, καὶ πρὸς αὐτὴν τὴν ἀπάτην αὐτοῦ δυσχεράνας, ἣν ἔπαθεν ἐξ ἁπλότητος: *Vitalem excommunicavit, fraude ipsâ insuper offensus; quâ præ simplicitate nimia deceptus ab eo fuerat.* Zosimus, Patrocli Arelatensis, flagitiosissimi tenebrionis, blanditiis deceptus, quid non audet? Ordinationes Ursi & Terentii, ante annos fermè viginti ritè celebratas, & quidem in legitimo Concilio Augustæ Taurinorum habito, irritas facit. Erotem & Lazarum, zelo Dei accensos, Galliarum nostrarum Episcopos, non unis literis iniquissimè, vel teste Cæsare Baronio, proscindit; ipsum Patroclum accessione novi honoris quantum potest extollit; postremò Pelagium, hostem gratiæ Christi, absolvit Zosimus idem; nec non Cœlestinum, Hæreticum insignem; & Apiarium, omnibus vitiis contaminatum Presbyterum, adversus viros sanctos, Africæ Episcopos, qui disciplinæ gladio in illa portenta animadverterant, suscepit defendendos. Atque isti sunt, quos dum tuetur Zosimus, de appellationum jure magnas lites orditur. Vixit autem hic Pontifex in administratione Sedis annum unum & quatuor menses; qui si diutius sedisset, quo ingenio erat, quid non designasset? Cœlestinus, quum Antonii, Episcopi Fussalensis, post obitum Bonifacii, ad quem ille jure merito in Africa sede suâ pulsus, confugerat, patrocinium acri contentione suscepisset; terrore tanto eam provinciam Africâ complevit, ut ad ipsum in hæc verba scribere B. Augustinus cogeretur: *Judicia illis & publicas potestates & militares impetus, tanquam executuros Apostolicæ Sedis sententiam sive ipse, sive rumores creberrimi comminantur; ut miseri homines Christiani Catholici graviora formident à Catholico Episcopo, quàm cùm essent Hæretici, à Catholicorum Imperatorum Legibus formidabant.* Omitto similia his exempla;

quæ nunquam profectò accidissent, si antiqua disciplina mansisset; ac quod 1607. in Marcione factum ostendimus, idem in aliis omnibus esset servatum, quorum diversa, at non melior caussa erat quàm Marcionis. Sequitur, ut de appellatione ad Principem paucis dicamus. Est autem diversissima res, cùm Princeps appellatur, & cùm Synodus major: nam rerum divinarum legitimi Judices sunt Episcopi, qui ad Synodum conveniunt. Ad hos igitur provocatur, ut ad eos, quorum est propria cognitio hujusmodi controversiarum: ad Principem verò, non ut super rebus divinis ipse pronuntiet; verùm ut jubeat ritè atque ordine pronuntiari; est enim hic εὐταξίας, & disciplinæ ac legitimarum omnium ordinationum custos ac vindex, non minus in Ecclesia, quàm in cætera Republica. Hæreticum dogma est, quod hodie multi tuentur; qui Principi in rebus Ecclesiasticis nullum alium locum . . . .

Cætera desiderantur, per Papam Paulum V. effecta, ut Regio Mandato inhiberentur.

ISAACI CASAUBONI
CARMINA,
tum GRÆCA, tum LATINA; nunc primùm simul edita.

Ἡ Νομικὴ πρὸς ΙΩΑΝΝΗΝ ΣΑΡΡΑΚΗΝΟΝ ἐν τῷ αὐτῆς σταδίῳ ὑπὲρ ἀριστείου ἀγωνιζόμενον.

Ὦ Λώσου πατρὸς παῖ λῷστε, φέριστε φερίστου,
Παιδόθεν ὃς Μούσας, πεφιλημένος ἔξοχα Μούσαις
Φίλαο, καὶ ζήλωσας ἑῶν προγόνων κλέος ἐσθλὸν
Ἐκ δ' ἔτι κουροσύνης σοφίης βεβολημένος οἴστρῳ
Σκληρά τε πρόσθεν ἔλου γλυκέων καὶ ἐτέρπεο καλοῖς.
Βάλλ' οὕτως· καὶ κέν τε φάος Νομικῇ τε γένοιο
Καὶ Μούσαις· Μούσας Νομικήν θ' ὁμοῦ ἀμφαγαπάζων.
Νῦν δὲ τῶν καμάτων ἀντάξιον ἄρνυσ' ἀμοιβὴν,
Μαρτυρίην πινυτοῖο νόου πινυτῶν παρὰ ἀνδρῶν.
Ἆθλα πόνων τοὺς πρόσθεν ἀνήρατο εἵνεκ' ἐμεῖο.

Εἰς τὴν Διοσκορίδου ἔκδοσιν τὴν ὑπ' ΙΑΝΟΥ ΑΝΤΩΝΙΟΥ τοῦ ΣΑΡΡΑΚΗΝΟΥ μετ' ἀκριβείας πλείστης ὅσης ἐκπονηθεῖσαν.

ΝΟΥΣΩΝ λευγαλέων ταῖς σῶμα δαμάζεται ἀμὸν,
Καὶ μινύθει βριαρόν περ ἐὸν, καὶ τήκεται ἀμῶς·
Ὀλλύμενον φθινυθόν τε, Θεοῦ μεγάλου διὰ βουλὰς,
(Ἡμετέρων, αἲ αἲ προτέρων ἄτῃ γενετήρων,)
Πολλὰ Διοσκορίδης ἀλκτήρια φάρμακα πρῶτος
Εὑράμενος, γαίας γ' ἀμφοτέρας ἐπελθεὶς,
Εὐρώπην, Ἀσίην τε μαθοῦς βεβολημένος οἴστρῳ.
Πολλὰ δὲ καὶ πινυτῶν πινυτῷ νόῳ εὑρηθέντα
Ἀνδρῶν, οἳ πρὶν ἔγεντο, διάσπαρα ἄλλοθεν ἄλλα
Δεξάμενος συμπάντα, σοφὸν τόδε τεῦχος ἔτευξε,
Δαιδάλεον, περίπυστον, ἰατροφίλοις μέγ' ὄνειαρ.
Ἔνθα πόας εὕροις καὶ δένδρεα ἀνθεμόεντα,
Ἥδ' ὅσ' ἐπὶ τραφερῆς φύεται, ἢ βένθεσι γαίης
Φαρμακόεντα μέταλλ' ὅσα γίγνεται, ὅσσ' ἐνὶ πόντῳ.
Ἔνθ' ὀφίων ἑτέρων τε σίνη ὀλοφώια θηρῶν

Ἀπρεϊδῆ κατέλεξε, λύσιν θ' ἑπραλέα κήδευς
Ἀλλ' οὐτῶν ἦν ἤδος· ἐπεὶ φῶτες κακοεργοὶ
Γράμμα τὸ πρὶν ἀρίδηλον ἀϊδρείῃσι νόοιο
Φθείραντες, φεῦ, φεῦ! κακὰ θηρία, ἄδηλον ἔθηκαν.
Οὐ γάρ σοι ῥίζαι οὐκ ἄνθεα δαιμόνι' ἀνδρῶν,
Χραίσμησαν, ὅσα τ' ἄλλα ἐπίστατο αἶσαν ἐρύκειν.
Οὐ μέλος, οὐ μέρος οὖλον ἔχες παλαιπείριε πρέσβυ,
Ἰητρὸς δ' ἄλλων περ ἐών, βρύες ἕλκεσιν αὐτός.
Ἔνθ' οὐκ ἂν βρίζοντα ἴδοις δῖον Σαρακηνὸν,
Τὸν νέον Ἱπποκράτην τοῦ περ παλάμαισι σοφῇσι
Πολλάκις εἰν ἀΐδῃ νεκύων σπάνις ἔπλετο πολλή.
Κεῖνος δὴ τὸν ἄριστον ἐν ἰητροῖσιν ἄριστος
Ἰητὴρ, θεράπευσ' ὀδυνήφατα φάρμακα πάσσων.
Σὺν ποτὲ οἱ κυκάων, σὺν δ' ἐγχρίσεις ἐπιχρίων.
Οὐδὲ παννημέριος προσκαρτερέων ἀπέειπε,
Πρὶν στῆσαι παλίνορσον ἐς αὐγὰς ἠελίοιο
Οὐλομελῆ, ὑγιῆ, πρύτανίν τ' ἄλλοις ὑγιείης.
Σὼ δ' ἅμα παύσασθ' ὁ μὲν νοσέων, ὁ δὲ παύσατο κάμνων.
Χαίροις δὴ Σαρακηνὲ ἔργον μέγα ἐκπλυπεύσας
Ὄψιμον, ὀψιτέλεστον, οὗ κλέος οὔποτ' ὀλεῖται.

IS. CASAUBONUS.

In Lectionum Theocriticarum libellum, Δεκάστιχον.

Ὁπλότερον τόδε γράμμ', ἄγονος γονὴ, ἥνπερ ἔφυσεν
Στοργῆς γλυκείας τεκνικῆς νῆϊς τεκεύς.
Ὃς πάρος ἠλιτόμηνον ἐμ', εἰν ἀβάτοισι βάτοισιν
Ἀτημέλητον εἴα, οὐ φήσας τεκεῖν.
Ἄρτι με κεῖνος ἀνεῖλεν, ἑῷ τεχνῇ τ' ἀνεστῷ,
Ἄλλων παραιφασίῃσι, τῶν ἐμοὶ φίλων.
Οὕτω δὴ Κεμιδῆς ἐτυχόν τινος· ἀμφὶ δὲ γυῖα
Πατὴρ ἐμ' ἀμφέβαλλε λιτὰ γοῦν τάδε.
Τῷ Σκαλανῷ καὶ Κομμελίνῳ χάρις· οὕνεκεν ὑμέων
Ἔχει γόνος γονῆα, καὶ γονεὺς γόνον.

Εἰς τὴν τῶν Παλαιῶν ἐπιγραμμάτων ἔκδοσιν, ὑπὸ τοῦ πολυμαθεστάτου ΙΑΝΟΥ τοῦ ΓΡΟΥΤΗΡΟΥ ὡς ἀκριβέστατα ἐκπονηθεῖσαν.

Ἔργα παλαιγενέων, μνήμης ὅσα ἐξεπλέθη
Ἐν ἄρει, εἰρήνῃ τ' ἄξια αἰδίου,
Τεκτοσύνης πρόπολοι σοφοὶ ἀνέρες εἰσεκολάψαν
Ἐς χαλκᾶς στήλας, μαρμαρίας τε πλάκας.
Καί τις ἐπὶ πατρὸς ἐσθλὸν ἀπώλεσεν, ἢ βασιλῆα,
Ἢ γόνον, ἠὲ φίλην σύζυγα, ἢ ἕταρον.
Λάϊνον εἰσάμενος τύμβον, καὶ τ' οὔνομα γλύψας.
Ἔσχεν ἄκος στήλην θυμοβόροιο πόθου.
Νήπιοι· οὐδ' ᾔδεισαν ὅσον σθένος ἐστὶ χρόνοιο,
Ἔργματ' ἀμαλδύνειν οὐτιδανῶν μερόπων.
Γλύμματα δὴ φθείρας πάντ' ἠΐστωσεν ἂν ἑκὼν
Αἰὼν, ΓΡΟΥΤΗΡΟΥ μὴ ἐλεαιραμένου.
Θραύσματα κολλήσας δ' ὅγε, καὶ εἰν ἑνὶ πύχει ἀγείρας,
Εἰς τοὺς αἰῶνας πῆξ' ἀδάμαντι μένειν.
Νικᾷ πάντα χρόνος· νικᾷ χρόνον ἡ βίβλος ἥδε.
ΓΡΟΥΤΗΡΟΣ λήθης φάρμακον εὗρε μόνος.

ΙΣΑΑΚ ὁ ΚΑΣΑΥΒΩΝΙΟΣ ἐποίει.

Ad Julii Capitolini Maximin. cap. 9.

ET qui ab uno non potest occidi, à multis occiditur.
Elephas grandis est, & occiditur:
Leo fortis est, & occiditur:
Tigris fortis est, & occiditur.
Cave multos, si singulos non times.

Ἔν τις πεφευγὼς, κτείνεται πολλῶν βίᾳ.
Ἐλέφας μέγιστός ἐστι θὴρ, καὶ κτείνεται·
Ἰσχυρός ἐστι χ' ὁ λέων, καὶ κτείνεται·
Καὶ τίγρις ἐστὶν ἀλκίμη, καὶ κτείνεται.
Πολλοὺς φύλαττε τοὺς καθ' ἓν οὐ φοβούμενος.

Ad Julii Capitolini Maximin. Junior. cap. 1.

QUalis ubi Oceani perfusus Lucifer undâ
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasque resolvit;
Talis erat juvenis primo sub nomine clarus.

Οἷος ἀπ' ὠκεανοῖο Ἑωσφόρος εἶσι ῥοάων
Οὐρανόθεν κεφαλὴν προφέρων, σκεδάων δέ τε νύκτα,
Τοῖος ἔην νέος οὗτος, ἐν ἡλικέεσσι φαεινός.

Ad Trebellii Pollionis Trigint. Tyrann. cap. 11.

DOnat sepulchro victor post multa tyranni
Prælia, jam felix Claudius Aureolum:
Munere prosequitur mortali, & jure superstes
Vivere quem vellet, si pateretur amor:
Militis egregii vitam qui jure negavit
Omnibus indignis, & magis Aureolo.
Ille tamen Clemens, qui còrporis ultima servans,
Et pontem Aureoli dedicat & tumulum.

Αἰτῷ, νικήσας πολλὴν μετ' ἰῶκα, τύραννον
Δωρεῖται τύμβῳ Κλαύδιος Αὐρέολον.
Δῶρον ὅγε, κταμένῳ οἷον θέμις ἐστὶν, ὀπάζων.
Ἤθελεν ὃν ζώειν ἧς ἕνεκ' ἠνορέης.
Ἦν δ' ἄρα οὐχ ὅσιον σώσασθαι ἀπέσθαλα πολλὰ.
Ἔρξαντας· πάντων δ' ἔξοχα Αὐρέολον
Τέθμια δ' αἰδεσθεὶς νεκύων, ταγὸς ἠπιόμητις,
Τήνγε φύραν τε νέμει, καὶ τάφον Αὐρέολῳ.

Ad Ælii Spartiani Adrianum, cap. 25.

ANimula vagula, blandula,
Hospes, comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula;
Nec, ut soles, dabis jocos?

Ἐράσμιον ψυχάριον,
Ξένη, χ' ἑταίρα σώματος,
Ποῖ νῦν, τάλαιν', ἐλεύσεαι,
Ἀμενὴς, γοερά τε, καὶ σκιὰ,
Οὐδ' οἷα πάρος τρυφήσεαι.

Ad Ælii Spartiani Pescenn. Nigrum, cap. 8.

Optimus est Fuscus, bonus Afer, pessimus Albus.

Ἄριστος ὁ φαιὸς, Ἄφρος δ' ἐσθλὸς,
  Λευκὸς δὲ κάκιστος.

Fundetur sanguis Albi, Nigrique minantis,
Imperium mundi Pœna reget urbe profectus.

Ῥεύσεται αἷμα χύδην Λευκοῦ, Μέλανός τε ἀγαυοῦ,
Ὃς δὲ Λίβυς γένος ἐστὶν ἀνὴρ, κεῖνος βασιλεύσει.

Vel:

Ὃς Λιβυκῆς πόλεως δ' ἀστὸς πέλει, οὗτος ἀνάξει.

Cui dederint Superi, nomen habere Pii.

Ὧ Θεοὶ Εὐσεβέος τοὔνομα δῶκεν ἔχειν.

Bis denis Italûm conscendet navibus æquor:
  Si tamen una ratis transiliet pelagus.

Εἴκοσι νῆας ἔχων Ἰταλὴν ἀναβήσεται αἶαν
  Εἴγε μία πόντον νηῦς ὅλον περάᾳ.

Ad Ælii Spartiani Nigrum, cap. 12.

Terror Ægyptiaci Niger astat militis ingens,
  Thebaidos socius, aurea secla volens.
Hunc reges, hunc gentes amant, hunc aurea Roma;
  Hinc Antoninis charus & imperio.
Nigrum nomen habet, Nigrum formavimus ipsi,
  Ut consentirent formâ metallæ tibi.

Αἰγυπτίης αἴης ὁ Μέλας μέγα δεῖμα πέρεστι,
  Θηβαΐδος πρόμαχος, χρύσεα πᾶσι νοῶν.
Τὸν βασιλεῖς κ' ἔθνη φιλέουσιν, καὶ σύγε Ῥώμη.
  Τὸν κ' Ἀντωνίνοις παντοκράτορσι φίλον.
Οὔνομά οἱ Μέλας, ἐστὶ λίθου μέλανος δὲ καὶ εἰκὼν
  Ἥδε· συνῳδὸς ὕλη ὄφρα γένοιτο φυῇ.

Ad Julii Capitolini Opil. Macrinum, cap. 11.

Histrio jam senior turpis, gravis, asper, iniquus,
  Impius, & felix sic simul esse cupit.
Ut nolit pius esse, velit tamen esse beatus:
  Quod natura negat, nec recipit ratio.
Nam pius & felix poterat dici atque videri.
  Cui imperium infelix est, erit ille sibi.

Ἐν θυμέλῃσι βιοὺς ὁ γέρων, ὀλοώτατος ἀνδρῶν,
  Δυσσεβίῃ συζῶν ᾤετο εὐτυχέειν.
Καὶ ῥ' ὄνομ' ΕΥΣΕΒΕΟΣ μὲν ἀνήνατο, ΕΥΤΥΧΕΟΣ δ' οὔ.
  Συγχωρεῖ δ' αὐτῷ οὐ φύσις, οὐδὲ λόγος.
Τὴν δὴ ἐπ' εὐσεβίῃ εὐδαιμονίην σὺ ἀπώσας,
  Καὐτὸς ὀλεῖ, ἄρχων ἀρχομένων ἐλοῶς.
Ἀλλ' ἔγ' ἐπ' εὐσεβίῃ μὲν ὀνόσσατο, νήπιος, ὄλβον.
  Ἐς δὲ θεοὺς ἀσεβῶν δυστυχέει θεόθεν.

Ad Julii Capitolini Opil. Macrinum, cap. 14.

VIdimus in ſomnis cives (niſi fallor) & iſtud:
Antoninorum nomen puer ille gerebat,
Qui patre venali genitus, ſed matre pudicâ:
Centum nam mœchos paſſa eſt, centumque rogavit.
Ipſe etiam calvus mœchus fuit, inde maritus:
En Pius, en Marcus: Verus nam non fuit ille.

Εἰ ἐτέονγε, πολῖται, ὄναρ καὶ τοῦτο φαάνθη
Οὔνομα παῖς φορέεσκεν ἀγάκλυτον ΑΝΤΩΝΙΝΩΝ.
Πατρὸς ἀλωνήτου γεγονὼς, μητρὸς δ' ἄρα σεμνῆς.
Ἧς γ' ἑκατὸν μοιχοὶ, μοιχοὺς δίζησε δὲ κ' ἄλλους.
Χ' ὁ φαλακρὸς ὃς τὰ νῦν μὲν ἀνὴρ, προπάροιθε δὲ μοιχός.
ΜΑΡΚΟΝ ἰδοὺ, ἡ δ' ΕΥΣΕΒΕ· οὐ γὰρ ἔην ἔγ' ΑΛΗΘΗΣ.

Ad Ælii Lampridii Antonin. Diadumen. cap. 7.

COmmodus Herculeum nomen habere cupit,
Antoninorum non putat eſſe bonum:
Expers humani juris & imperii:
Sperans quin etiam clarius eſſe Deum,
Quàm ſi ſit Princeps nominis egregii.
Non erit iſte Deus, nec tamen ullus homo.

Κληθῆναι γλίχεται Κόμμοδος Ἡρακλῆης.
Οὐδ' Ἀντωνίνων στέργει ἔχειν ὄνομα.
Μήτι βροτῶν εἰδὼς τέθμια μήτ' ἀνάκτων.
Μᾶλλον δ' αἱρεῖται κλῆσιν ἔχειν θείκὴν,
Ἢ κρατερός τι κλύειν παμβασιλεύς τ' ἀγαθός
Ἔσται δ' οὐδέτερον γ', οὐ Θεὸς, οὐδὲ ἀνήρ.

Ad Ælii Lampridii Alexand. Severum, cap. 14.

TE manet imperium cœli terræque mariſque.

Γῆς ἀρχή σε μένει καὶ Ὀλύμπου ἠδὲ θαλάσσης.
Ἡ δ' ἀρχῆς σε μένει παγκρατὴς εὐρὺ κράτος.

Vel hoc modo:

Γαίαων, ὑγρᾶς τε καὶ οὐρανοῦ ἔσσεαι ἄρχων.
Ἡδὲ μένει σε κράτος παντὸς ὕπερθε κράτους.

Ad Ælii Lampridii Alexand. Severum, cap. 38.

PUlchrum, quod putas eſſe veſtrum Regem
Vulgari miſerande de fabella:
Si verum putas eſſe, non iraſcor;
Tantùm tu commedas velim lepuſclos,
Ut fias, animi malis repulſis,
Pulcher, ne invideas livore mentis.

Τοῦ κάλλους ὅτι του σέθεν μέδοντος
Μύθοις, πάγκακε, αἰτίαν προσάπτεις,

Κἂν δόξῃ σοι ἀληθὲς, οὐ μέλει μοι·
Βουλοίμην δέ σε ἐσθίειν λαγωοὺς
Ὡς ψυχὴν κακίας καθάρας, εἴης
Καλὸς, μηδὲ καλεῖς κακὸς φθονοίης.

In percussorem Regis, captum in ipso conatu, ac mox supplicio affectum.

Ὢ τοῦ δυσσεβέος τολμήματος! ὢ ἀθεμίστου
Ἔργου! φεῦ τῆς σῆς ὦ παῖ ἀτασθαλίης!
Ἔτλης ἄφρητορ καὶ ἀνέστιε εἶν ἑνὶ λαιμῷ
Φραγκὸς ἐὼν Φραγκοὺς πάντας ὁμοῦ κταμένειν.
Ἦ σοὶ μὲν λύκος ἔσκε πατὴρ, μήτηρ δ' ὕαινη,
Καὶ τίγρις μαστοὺς σοὶ πόρε φυομένῳ.
Οὐ γὰρ Φραγκὸς ἔης· Φραγκοὶ φιλέουσιν ἄνακτας
Πάγχυ ἑοὺς· θὴρ δ' ὢν ἐν μερόπεσσι λάθες.
Καί κε χέρ' ἰσβόλῳ μέγα δὴ μέγα ἔργον ἔρεξας
Εἰ μὴ ὑψιμέδων εἶρξεν ἄνακτα μόρου.
Σῶσε Θεὸς βασιλῆα, σάωσε δὲ λαὸν ἅμ' αὐτῷ.
Χαίρετ' ἐπουράνιοι, χαίρετ' ἐπιχθόνιοι.
Καμμορίη δέ σε δεινοτάτη κίχε δεινὸς ἀλάστωρ·
Καὶ θάνες αἰνόμορος δυσθανάτῳ θανάτῳ.
Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα· ἔχει Θεὸς ἔκδικον ὄμμα.
Οὐδὲ Δίκη μερόπων πάμπαν ἔλειψε γένος.

Ἄλλο.

Ἤθελεν, ὢ μέγα θαῦμα! ἑῆς λελαθημένος αἴης
Φραγκὸς Ἰβηρίζων ὃν μεδέοντα κτανέειν.
Τὸν καὶ ἐν ὑσμίνῃ νέον Ἕκτορα ἢ Ἀχιλῆα,
Καὶ Θέμιδος δίας μειλίχιον πρόπολον.
Ἤθελεν· ἀλλὰ Θεὸς λαοὺς ἐλεήσας ἀπείρους
Τὴν ἱερὰν κεφαλὴν ῥύσατο ἐκ βελέων.
Οὐκ ἔφθης κτανέων μιαρώτατε· μυρία δ' αὐτὸς
Ἐκπάγλως πεπαθὼν ἄξιος ἂν πλεόνων.
Εὗρε Θεὸς τὸν ἀλιτρόν· ἔχεις τάλαν οἷα ἔοργας,
Ἐς τάδ' ἰδὼν τρεμέτω ὅστις ἀλιτρόνοος.

De Gallorum Concordia Carmen; anno CIↃ IↃ XCIV. cùm magno bonorum omnium gaudio Jesuitæ sunt ejecti.

Τὸν μέγαν Ἐρρῖκον Κελτῶν νέον Ἡρακλῆα
Ὃς Κελτικῆς διέπει σκῆπτρ' ἐχθρῶν βίᾳ,
Συμβάντην ὀλέσοντι κακῶς κακοὶ, Ἑσπερίης τε
Τύραννε Πλούτων, καὶ σὺ Ῥώμης Κέρβερε
Ἐπταλόφου τρικάρανε· τὸν ὑβριστῶν ὀλετῆρα
Ὀρρωδέοντες οἱ βροτῶν ἀλάστορες
Τῶν ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἥκει
Βουλαῖς ἀνηκέστοις τὰ πανταχοῦ κυκωμένων.
Καὶ δὴ ὁ μὲν μισθῷ, ὁ δὲ αἱμυλίοις ἐπέεσσι
Πείσαντι λαοὺς Κελτικὴν διολέσαι·
Ἔνθ' οὐκ ἂν βρίζοντα ἴδοις μοναχῶν ὅσα φῦλα
Οἵγ' ὡς Ἐρίννυς μάχας ξυνεκρότουν.
Καὶ φάσαν, εἰ δ' ἄγετ' ὦ Φράγγοι ξυνάγωμεν Ἄρηα·
Ἴτ', ἐγκονεῖτε, κάετε, κάνετ' ἀνηλεῶς
Εὖ μέν τις δορὺ θηξάσθω εὖδ' ἀσπίδα θέσθω
Αἰδὼς δ' ἀπέστω, καὶ Θέμις, Θεοῦ τ' ὄπις.
Ἐρρῖκον δὲ μάλιστα βαλεῖν, δόλῳ ἠὲ βίηφι
Εὔαδε Φιλίππῳ τοῦτο τῷ γῆς κοιράνῳ.
Δαιμόνιοι τί κάθησθε; τί δὲ τρόμος ἔλλαβε γυῖα.
Ἄνωγε ταῦτα χὠ μέδων Ῥώμης Θεός·

Ὡς

Ὣς φάτιν· οἱ δ᾽ ἐπίθοντο στρατοί τ᾽ ἀγέροντο μάλ᾽ ὦκα.
  Ἔναλλα καὶ δὴ πάντα τίθεν ἄνω κάτω.
Ἀστὸς ἄρ᾽ ἀστὸν ἔπεφνεν, ἀδελφὸς ἀδελφεὸν εἷλε,
  Πατὴρ δὲ παῖδα κτεῖνε, καὶ παῖς πατέρ᾽ ἑόν.
Τοιαῦθ᾽ ἡ τλήμων Φραγγὶς ξυμφραδμοσύνης τε
  Τῆς τῶν δ᾽ ἀπήυρα τῆς θ᾽ ἑῆς ἀβουλίας.
Αἲ αἲ πατρὶ φίλῃ, πῶ τὰς φρένας ἐκπεπότασο·
  Πάρος τε πυκνοῦ σοι παρέπλαγξας νόου·
Νῦν δὲ σοι οὐρανόθεν φάος ἄριστον ἐξεφαάνθη.
  Ἡ πρὶν τ᾽ ἐπ᾽ ὄσσων ἀχλὺς ὅσ᾽ ἀφῃρέθη
Ἔγνως δὴ σωτῆρας τ᾽ ἄτας, μέγ᾽ ἄχθεαι ἐχθροῖς
  Ἕλωρ τε κύρμά τε γενομένη φρενῶν βλάβῃ.
Φθείρου νῦν δολομήχαν Ἴβηρ· καὶ γὰρ σοῦ ἐλέγχθη
  Τὰ δῶρ᾽ ἄδωρ᾽ ἐόντα, κοὐκ ὀνήσιμα.
Φθείρου δ᾽ αὖ ποιμὴν ὀλοώτατε· πάντα γὰρ ἔρρει
  Τὰ κρυπτὰ σεῖο πρόδηλα πᾶσι μήδεα.
Ἔξιτε καὶ μοναχοί, σύγκιον γένος, ἔξιτε πάτρας
  Ἀνακτοφόνται δηρίδων ἐναύσματα.
Φραγγὶς ἑὸν βασιλῆα, ἑὸν Φραγγὶς πατέρ᾽ ἐσθλὸν
  Φιλεῖ φιλοῦντα τὸν μέγαν ΒΟΡΒΩΝΙΟΝ.
Δαρὸν δὴ φιλέοιτε χρόνον, καὶ δαρὸν ἔναιοθε
  Λεὼς τ᾽ ἄνακτος, τοῦ λεώτ᾽ ὤναξ σέθεν.

In Nuptias clarissimi Viri, Jacobi Lectii, JC. cum nobilissima lectissimaque fœmina, Esthera Christiana Guilliaud.

Ὢ τῆς ἁρμονίας! ὢ τριλλίστων ὑμεναίων!
  Ὢ φιλίστου ζυγοῦ! ὢ ἐρατῶν τε γάμων!
Καὶ τεθήων μὲν γὰρ τεθήκοτα κ᾽ αὐτὸς ἐν ἀκμῇ
  Ἀκμαίην κ᾽ αὐτὴν, καὶ σοφὸς εἷλε σοφήν.
Ναί μὰ σοφὴν σοφὸς εἷλ᾽ ὅτε Λέκτιος ἠγάγετ᾽ Ἐσθὴρ
  Ἐς δόμον· οὐκ ἀθεεὶ τοῖος ἔγεντο γάμος.
Τὰς αἰεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει Θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον,
  Τὰς ἀεὶ εὐσεβέων κήδεται ὑψιμέδων.
Δηρὸν δὴ θάλλοιτε, φίλοι ἅμα· χ᾽ ὁ Θεὸς ὑμῖν
  Καὶ παισὶν παίδων ἄφθονα πάντα νέμοι.

In Obitum nobilissimi fortissimique Herois, Domini Novæi, qui pro Christo & patria occumbens, cùm alios filios ἰφίδρους & suppositititios reliquit, tùm imprimis Dominum à Teligni, verè Heroëm ex Heroë.

Αἲ αἲ καί συ ΝΟΑΪΕ πίσεις περίπυστε μαχητὰ
  Ἄλκαρ ὦ εὐσεβέων, δυσσεβέων δὲ τρόμος.
Τὸν πρὶν ἐν ὑσμίνῃ κρατερὰς ὀλέκοντα φάλαγγας
  Πᾶς τις ἰδὼν ἐτράπη, χ᾽ ὁ βροτολοιγὸς Ἄρης.
Καὶ δὴ ὀδυρόμεναί σε κάτω νεύουσι κάρηνα
  Ἀθάναται δισσαί Εὐσεβίη, Ἀρετή.
Τῶν χάριν ὅσσα φέρισ᾽ ἐμόγησας, ἰδ᾽ ὅσσα ἔπυξας
  Οὐδ᾽ ἐμοῦ ἐστι νόου, οὐδ᾽ ἑτέρων στομάτων.
Ὢ μοι ὅσον νῦν χάρμα χαρήσεται ἐς τις ἀλιτρὸς
  Βαρβονίωθ᾽ ἥρῳ ὅς τις ἐναντίβιος.
Δυσμενὲς ἀλλὰ κάκιστ, τί σοι πλέον· οὐχὶ πεσόντος
  Πηλείδεω Τροίην εἷλε Νεοπτόλεμος.

Εἰς τὸ διαφόρων Γερμανικῶν βασιλέων Νομικὸν, καὶ τὸν αὐτοῦ πολυμαθέστατον ἐξηγητὴν Φριδέρικον τὸν Λινδεμπύργιον.

Ἠνορέης ἀλκῆς τ᾽, ἰδ᾽ ἐν ἔντεσιν ἐσθλοῦ ὁρμῆς
  Τῆς σέθεν ὦ Κελτῶν ἔθνος Ἀρειμάνιον

 Μάρτυρες

Μάρτυρες ἀνθρώπων ἔσσει γῆς ναιετάεσι
  Πρὸς δύσιν, ἀντολίην τε, ἢ νότον, ἢ βορέην.
Θεσπεσίης δὲ σέθεν μέγα δὴ τόδε θαῦμα βροτοῖσιν
  Ἔντι νόμοις σοφίης, ἔντι δικασπολίης.
Μάρτυρα βίβλον ἰδού· ἣν πρόσθ᾽ ἴσα νυκτὶ σκοτεινὴν
  Λευκοτέραν φαίος νῦν θῆκε Φριδέρικος.

Christophero Gygæo Tigurino, Viro eruditissimo & amicissimo, cùm in inclyta Mompeliensium Academia Medicinæ Doctor renunciaretur.

Ἡδὺ ναύτης πόντῳ ἐνὶ κύμασι πολλὰ παθόντι
  Νῆα σαωζομένην ἐντὸς ἰδεῖν λιμένος.
Ἡδὺ καὶ ἐν πολέμοισιν ἀπειρεσίους μετ᾽ ἰωκὰς
  Εὖτε δίδου νίκην ἀλλοπρόσαλλος Ἄρης.
Ἡδὺ καὶ ἐν ἱροῖσιν ἀεθλεύσαντα ἀγῶσιν
  Ἆθλα φέρειν κότινον, μῆλα, σέλινα, πίτυν.
Ἥδιον ἐν Μουσέων πεδίοισιν ἀριστεύσαντα
  Δήσασθαι σοφίης ἀΐδιον στέφανον.
Οἷον νῦν Κύγαιε, γλυκερὸν φάος ἄνδρες ἔπλεξαν
  Πάνσοφοι ἠδὲ τεῇ ἀμφέθεσαν κεφαλῇ.
Οὕνεκεν ἰατρικῆς ἐπιμηθέος ἔξοχα τέχνης
  Ἔμπειρος φαίνῃ πρότερα κρινόμενος.
Ζηλῶ σ᾽ ὦ τριπόθητε φυῆς, ζηλῶ δέ τε πάτρας,
  Ζηλῶ σ᾽ εὐσεβίης, ἠδὲ μαθημοσύνης.
Ἤραο πρὶν καμάτους μαλεροὺς, νῦν δ᾽ ἤραο νίκην,
  Νίκην ἡδίστην, οὔποτε ὀλλυμένην.
Λοιπὸν ἐὼν ὑγιὴς, ἄλλοις ταμίης ὑγιείης
  Πρεσβείης μακάρων, ὡς νέος Ἱπποκράτης,
Ζῆθι μάκαρ, μακάρῃ ἐνὶ πατρίδι κύδεϊ γαίων
  Ἀθανάτους τε φιλῶν, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Εἰς δέσποιναν σεμνοπότνιαν ΜΑΡΙΑΝ ΒΡΑΒΑΝΣΟΝΗΝ ΧΑΝΝΙΤΙΔΑ τὴν καὶ γένους λαμπρότητι καὶ παντοίων ἀρετῶν ἀσκήσει ὑπερένδοξον, ἀώρως μὲν, μακαρίως δὲ πλευτήσασαν.

Αἲ αἲ ἀριστογένεθλε, σὺ μὲν βροτέων μελεδώνων
  Λήξασα οὔλυμπόνδ᾽ ἀσμένη εἰσανέβης.
Κουρίδιον δ᾽ ἄλοχον προλιποῦσα πρόωρος, αἲ αἲ,
  Θαῦμα βίου ΘΥΑΝΟΝ ᾤχεο θαυμασίη.
Χ᾽ ὦ μὲν ὀδυρόμενος γοερὸν καὶ νύκτας καὶ ἀῶ,
  Ἱμείρει γλυκέων, πότνια, σῶν ὀάρων,
Σῶν ὀάρων, σεμνοῦ τε νόοιο, φυῆς τ᾽ ἐρατεινῆς,
  Γραπτὸν ἔχων κραδίῃ σῆς τύπον ἀγλαΐης.
Σύζυγε δ᾽ αἰάζοντι συναιάζουσιν ὁμαρτῇ
  Ἡ τλήμων Ἀρετὴ ταίτ᾽ ἀγαναὶ Χάριτες.
Οἴ μοι λευγαλέης ἄτης! τίς νῦν χέρ᾽ ὀρέξει
  Ὕμμιν οἰζυρῇ πειρόμενοι πενίῃ·
Νουσακεροὺς τίς ἐπισκέψει· τίς λύτρα δεθεῖσι
  Δώσει· τίς γυμνοὺς ἔσθεσιν ἀμφιάσει·
Ἆ δειλὸν μερόπων γένος! ἦ ῥ᾽ ἔπος τις ἔειπε,
  ΠΑΝ ΤΟ ΠΕΡΙΤΤΟΝ ΑΕΙ ΕCΤΙ ΜΙΝΥΝΘΑΔΙΟΝ.

Francisco Porto.

Ἑλλάδα μὲν ποθέω, καὶ ἐμὸς πλόος οὗτος ἐπ᾽ αὐτὴν,
  Τοῦ δὲ κυβερνήτου μ᾽ ἀ σπάνις ἴσχε πάρος.
Ἄττα γέρον, σὺ δὲ νῦν τόδε μοὶ κρήηνον ἐέλδωρ,
  Νῆα μοῦ ἰθύνου αἶψα μάλ᾽ εἰς ΛΙΜΈΝΑ.

Τῷ αὐτῷ.

Δεῦρ' ἴτε πάντες ὅσους σοφίας καλὸς ἵμερος εἷλε,
Δεῦρ' ἴτε πρὸς Πόρτον πρὸς σοφίας ΛΙΜΕΝΑ.
Εἴτ' οὖν καλὰ καλοῦ συνιεῖν ποιήμαθ' Ὁμήρου
Ἀμφότερ', ἠδ' ἄλλων ὅσσοι ἀοιδοπόλοι.
Εἴτε λόγους ἐθέλοιτε μαθεῖν δεινούς τε καλούς τε
Ῥητήρων τῶν τῆς ῥητορικῆς δεκάδος.
Εἴτε παλαιγενέων ὅσσοις ἐγράφησαν ἄεθλοι
Ἀνδρῶν, καὶ πόλεων ἢ φθοραὶ ἢ κτίσιες.
Πόρτος πάντα μάθεν· καὶ Πόρτος πάντα διδάσκειν
Χρηστὸς ἐὼν ἐθέλει, πάνσοφος ὢν δύναται.

In Fr. Porti Cretensis Commentarios in Pindarum, post ejus obitum in lucem editos.

Πιερίδες Μοῦσαι, μεγάλου τάφον ἀμφιχυθεῖσαι
Πόρτου (ἀπέντων ἀνδρὸς ἀυτεῦσιν φίλου
Ἔξοχ' ἐπεὶ καὶ πάντων ἔσκεν ὅγ' ἔξοχος ἄλλων)
Αὐτοῦ ἐπάκουεθ' ἱμέρῳ τε καὶ πόθῳ.
Αὐτὰρ ὅ κ' εἰν Ἀΐδαο φιλεύσας ἀντιφιλεύσας
Καλὸν καλαῖς Μούσαισι δῶρον ὄπασσι,
Δῶρον, ναὶ Μοῖσαι, καλὸν ὄπασσε· Πόρτε οὐδ' οὕτως
Ὦ ζῶν μέγιστε, καὶ μέγιστε νῦν θανών,
Καὶ Μοίσας καὶ πάντας ἔσοι Μοίσαις ἐφίλαθεν
Ζῶν τ' ὠφέλησας, ὠφελεῖς τε νῦν θανών.

De Geneva παρωδηθὲν, ex Anthologia, γ. 350.

Κερδαλέην δίζεσθε πόλιν λῃστῆρες ἄλλην·
Τῇδε δικαιοσύνη ἔμπεδός ἐστι φύλαξ.

Idem Latinè.

URbibus ex aliis, prædones, quærite prædam;
Namque hæc Justitiæ tuta manebit ope.

Ex Ausonii Epitaphiis Heroüm, n. 17.
NASTI & AMPHIMACHO.

NAstes, Amphimachusque, Nomionis inclyta proles,
Ductores quondam, pulvis & umbra sumus.

Græcè penè ad verbum.

Νάστης κ' Ἀμφίμαχος, Νωμίονος ἄγλαα τέκνα,
Οἱ πρὶν ἀγοὶ πέλομεν, νῦν σκιὰ ἠδὲ κόνις.

De Sampsone & Hercule.

Τίς ποτε, τίς δόξης πέλεται Σάμψωνος ἀπευθής;
Καὶ τίνι Ἀλκείδου τ' οὔνομ' ἄπυστον ἔοι;
Ἄμφω μὲν κρατεροί, βριαροί τ' ἄμφω· ἀτὰρ ἄμφω
Κάλλος θηλυτερῶν μάρτυρες ἔσσαν σθένει.

Idem Latinè.

INgens Sampſonis cui non eſt gloria nota?
 Herculis aut quenquam Martia facta latent?
Ambo magnanimi, fortes ambo; attamen ambo,
 Quid præſtare queat fœmina pulchra, docent.

Ad Muretum.

Ἄβαλε τὸν Χρυσὸν, χρυσοῖό τε θεσμὰ θαητὰ
 Γνῶναι καὶ τηρεῖν ἤθελες ὀψέ ποτε·
Οὐ γὰρ ἐγὼ φαίην τότε σοῦ ἀντάξιον ἄλλον
 Ὄντων, ἐσσομένων, νῦν μετόπισθε, πάλαι.
Νῦν δ' ἐμοὶ ἐν δοίῃ μάλα θυμός· ἐπεί σε μάλιστα
 Παιδείας τ' ἄγαμαι, καὶ κακίας στυγέω.

Pſalmus CXXXVI.

Ἀθάνατον πάντες κελαδεῖτε Θεὸν πανάριστον·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Ἀθάνατον κελαδεῖτε Θεῶν Θεὸν ἔξοχον ἄλλων·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διηνεκῶς.
Ἀθάνατον κελαδεῖτ' ἐς πᾶσιν ἄναξιν ἀνάσσει·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διηνεκῶς.
Ὅς θηητὰ μόνος τελέει καὶ δαιδαλέ' ἔργα·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διηνεκῶς.
Ὅς καὶ ἐπιστάμενος μέγα πλάσσεν κύτος οὐλύμπου·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διηνεκῶς.
Ὅς μεγάλην μεγαλωσθ' ἱδρύσατο γᾶν ὑπὲρ ἅλμας·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Ὅς δὴ παμφαίνοντ' ἄστρ' οὐρανῷ ἐστήριξε·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Ἤματα μὲν Φαέθοντι διακρίνειν ἐπέτελλεν·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Νυκτὶ δὲ σημαίνειν δῖα ἄνωγε σελάνα·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Πρωτοτόκους δ' Αἰγύπτου ὁμοῦ σύμπαντας ἀνεῖλεν·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Καὶ γένος ἦφι βίηφι σαώσατ' Ἰσακιδάων·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Πατρίδα δ' Ἰσακίδαις πόρε νόστιμον ἦμαρ ἐπ' αἶαν·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Καὶ ῥόον ἄνδιχα σχίσσε βαθύῤῥου Ἐρυθραίοιο·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Καὶ θάλος Ἀβραάμου ὑδάτων ἦγεν διὰ μέσσων·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Ἔνθα Φαραὼ στρατόν τε παλίνδρομον ὤλεσε κῦμα·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Καὶ διὰ διψαλέας ἰὸν ἦγεν λαὸν ἐρήμου·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Ῥεῖα δὲ γηγενέων στρατὸν ἐξαλάπαξε γιγάντων·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Πολλοὺς δ' ἐξενάριξε καὶ ἀφνειοὺς βασιλῆας·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Δὴ γὰρ Ἀμορραίων βασιλῆα ἔπεφνε Σεῶνα·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Καὶ Βασάνων μεδέοντα πελώριον ἔκτανεν Ὤγον·
 Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.

Κεῖνον

Κείνων δ' αὐτὸς ἑῷ τὴν γαῖαν δαίσατο λαῷ·
  Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Δαίσατο· καὶ παίδων παίδεσσιν ἔδωκε νέμεσθαι·
  Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Αἰὲν ἐς ἄμμιν ἀλεξίκακος γέγονεν καὶ ἀρωγός·
  Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Ἤδ' ἀπὸ δυσμενέων αἰεὶ ἡμᾶς ῥύσατο χειρῶν·
  Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Μοῦνος δ' αὖ ζῴοισι βίον πάντεσσι πορίζει·
  Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.
Ἀθάνατον κελαδεῖτε τὸν οὐρανοῦ ἐνναετῆρα·
  Ἀγαθὸς γάρ ἐστιν, εὐμενής τε διαμπερές.

Elogium Magni Bezæ.

Μαργαρὶς ἐν λάεσσι, φαεσφόρος ἐν σελάεσσι,
  Ἐν δὲ βροτοῖς σοφίῃ λάμπει ὁ Βηζιάδης.

Psalmus XIV.

Ὥς ῥα Θεὸς πάμπαν πλήθει μηδείς, μέγα θαῦμα?
  * Σιγῇ βοῶσι τοὶ κακοί.
Τῷ δή, καὶ πρόρριζον ἐν ἀνθρώποισιν ὄλωλε,
  Ὄλωλε πᾶσα χρηστότης.
Οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἕνα μοῦνον ἐνὶ ξύμπασι δίκαιον
  Ἔνεστιν οὐδὲ τῷ Θεῷ
Ἐξευρεῖν· ὃς ἐπ' οὐρανοῦ ἑζόμενος τ' ἀνθρώπων
  Ἕκαθ' ἑκάστων ἐφοράει.
Ὅσσοι βαλὼν δ' ἐς ἕκαστον ἐν ἀνδράσιν ἄνδρα δίκαιον
  Ζηλῶν, κιχήσατ' οὐδένα.
(Καὶ γὰρ ὅλον μερόπων γένος ἤλιτεν, ἤλιτεν, ὥραν
  Πειῆσαν οὐδεμίαν Θεοῦ)
Αἶψα δ' ἔφη, Ἆ δειλοὶ ἐπιχθόνιοι κατ' ἐμεῖο
  Ὀλοῇσι τί φθ' οὕτω φρεσὶ
Θύετε· τίπτε λεὼν τὸν ἐμοὶ κεχαρισμένον ἄρτου
  Δίκην πονηροὶ βρώσκετε·
Νήπιοι, οὐδὲ Θεὸν κοτέοντά περ ἱλάσκεσθε
  Λιτῇσιν· αὐτὰρ ἔσσεται
Ἦμαρ ὅτ' ἂν τρόμος ὑμῖν, ἄμμι δὲ χάρμα γένηται
  Δίκην δικάζοντος Θεοῦ.
Μάψ γὰρ τοῖς ἐσθλοῖσι κακοὶ κακὰ μηχανάασθε
  Τοῖς τῷ Θεῷ πεποιθόσι.
Σοὶ δ' ἄρα τὸ τριπόθητον ἐλεύθερον ἵξεται ἦμαρ,
  Πότ' ἐκ Σιῶνος Ἰσραήλ·
Δή τοτε γηθήσει Ἰάκωβος χαρμοσύνῃ τε
  Σκιρτήσει Ἰσραὴλ ὁμοῦ.

* In alia chartula Casaubonus scribit, Πείθουσιν αὐτοὺς τοι κακοί;

Εἰς Κλαύδιον Πουτανὸν, τῆς ἐν Λουτικίᾳ λαμπροτάτης βουλῆς σεμνότατον καὶ σοφώτατον βουλευτήν.

Πουτεανὸς μακάρων ἕδραν ἠλλάξατο γαίης.
  Φεῦ! τὸ καλὸν σβέσθη Πιερίδων ἔρυμα.
Ὤλετο Εὐνομίης ἱερὴ βάσις· ὤλετο αἰαῖ
  Ὀφθαλμὸς βουλῆς, τῆς ἀγορᾶς τὸ κλέος.

Ἄλλο.

Τύμβον ὁρᾷς παροδῖτα, ὅς ἀνέρος ὅσια κεύθει
Σώφρονος, ἰθυδίκου, βουληφόρου, ἀξιαγάστου,
Μειλιχίου, πινυτόφρονος, ἀτρεκέος, πολυύμνου,
Ἐσθλοῦ, ξεινοδόκου, μεγαλήτορος, ὀλβιομοίρου,

Φιλοξένου, φιλοκοιράνου εὐόρκου, εὔπαιδος
Μουσάων φίλου ἔξοχα· παντοίης δ᾽ ἴγ᾽ ἐπ᾽ ἄκρον
Τέρμα μολὼν ἀρετῆς, καμάτων βιοτῆς θ᾽ ἅλις εἴπως
Οὐκ ἄθελε, τὸν ἀνέγρετον αὐτίκα ὕπνον ἴαυε.
Καὶ θάνε μὲν θνητὸν σέο σῶμα τὸ δ᾽ ἄσπετον εὖχος
Κλαύδιε πού γαίης κατ᾽ ἀπείρονα κύκλον ἁπάσης
Τηλεθάει· ψυχή δέ τοι οὐρανοῦ ἐνναέτειρα
Χῶρον ἔχει πολύολβον ἐναστράπτουσα Ὀλύμπου.

Ex Ausonii Epitaphiis Heroüm, n. IX.

PYRRHO.

ORbe tegor medio, major virtute paternâ,
Quod puer, & regis Pyrrhus opima tuli,
Impius ante aras quem fraude peremit Orestes.
Quid mirum, cæsâ jam genitrice, furens?

ΤΟὸν σφαγέα Πριάμοιο νέον, καὶ κρείοντα Πύῤῥον
Πατρὸς ἐμοῦ, γαίης ὀμφαλὸς ὧδε μ᾽ ἔχει.
Σχέτλιος, ὃν περὶ βωμὸν ἔπεφνε δόλοισιν Ὀρέστης.
Τί ξεῖνον; καὶ πρὶν μητέρ᾽ ἀνεῖλε μανείς.

In Libro Joannis Hesychii.

ΚΕῖνος ταῦτ᾽ ἐχάραξ᾽ ὅς σ᾽ ἐκ μυελοῦ φιλεῖ ἄκρου
Ψυχῆς ἠδ᾽ ἀρετῆς καὶ σοφίας ἀγάπῃ.

In Libro Joannis Tornæsii.

ἌΠταιστον, δηρὸν χρόνον, ἠδὲ πανόλβιον εἴη
Σὲ ζῆν, ὦ πάντων φίλτατ᾽ ἐμοὶ ἀνέρων.
Μοῖραι τὸν φιλέουσιν ἴσῳ ζυγῷ, ἅς φιλέεις τυ
Εὐσεβίην τ᾽ ἀσκεῖς ἠδὲ δικαιοσύνην.

Ex Ausonii Epitaphiis Heroüm, n. VII.

ANTILOCHO.

COnsiliis, belloque bonus, quæ copula rara est,
Carus & Atridis, carus & Æacidis:
Præmia virtutis, simul & pietatis adeptus,
Servato Antilochus Nestore patre, obii.
Non hic ordo fuit: sed justius ille superstes,
Troja capi sine quo perfida non poterat.

ἈΜφότερον, μέγα θαῦμ᾽, ἀγαθὸς βουλῇ τε βοῇ τε,
Καὶ φίλος Ἀτρείδαις, καὶ φίλος Αἰακίδαις
Ἐνθάδε τῆς ἀρετῆς τε λαχὼν γέρας εὐσεβίης τε
Ἀντίλοχος κεῖμαι ῥυσάμενος πατέρα·
Ὁπλότερος μὲν ἐγὼν ἀτὰρ οὕτω κέρδιον ἔσκεν
Καὶ γὰρ ἄνευ πατέρος, Ἴλιον οὐκ ἑάλω.

In

In Lerii Historiam Americæ.

Ἐν δοίῃ μάλα θυμὸς ἐμοὶ φίλε, πῶς σ' ὀνομήνω,
  Ἠὲ Λαερτιάδην, ἠὲ Μελησιγένην.
Πρὶν γὰρ πολλὰ πάθες τ' εἶδές τ' ἴσε πόλλ' ἐπιληθεὶς
  Ὀψ' ἀπονόστησας ἄλλος ἐὼν Ὀδυσεύς.
Οὐ μὲν τοι πτολίπορθος ἐών· μᾶλλον δὲ πολίσσων
  Ἀνθρώπων ἀγρίων γαῖαν ἄπολιν τὸ πάρος.
Νῦν δ' αὖ Ὠκεανόν τε λέγων καὶ πείρατα γαίης,
  Καὶ Λαιστρυγονίην, οὐλομένους τ' ἀνέμους,
Κύματά τ' ὀκρυόεντα, ἀπολλυμένους τε ἑταίρους,
  Πῶς οὐκ ἄλλος ἔφυς, φίλε, Μελησιγένης.

Εἰς τὸ Νομικὸν κατὰ στοιχεῖον τὸ ὑπὸ Πέτρου τοῦ Βρεδεράδου συντεθέν.

Τὰς πρὶν τῆς Νομικῆς, τὰς ἄχθεα δεινὰ καμήλων
  Βίβλους παμπόλλων, ἑνὸς ἀνθρώποιο ἔθηκαν
Ἄχθος, ἑῷ βασιλῆϊ σοφοὶ σοφῷ ἦρα φέροντες
Ἀνέρες· ὧν δὴ καὶ λαμπρὸν κλέος οὐρανὸν ἵκει.
Τούτων ζηλώσας σύγε Πέτρε ἀρετήν τε καὶ ἔργα,
Ἄνθεα δρεψάμενος καλὰ πάντοθεν, οἷα μέλισσα,
Βίβλον τήνδε μίαν τεύξω, ὀλίγην τε καλήν τε
Εἰς θ' ἀμῖν ἐγένου πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.
Τῷ δὴ χαῖρε, φίλη κεφαλή, ὃς πολλὰ μογήσας
Τοὺς μέγα ἤρατο κῦδος, ὅσον πάρος ἤρατο μόχθον.

Ἐρρίκῳ τῷ Στεφάνῳ.

Ἐσθλοῦ σεῖο κλέους, Ἔρρικε, τίς ἐστιν ἀπευθής;
  Τίς χθὼν, τίς νῆσος, τίς πόλις, ἢ τίς ἀνήρ;
Τύνη γὰρ Μούσας Μούσαις πεφιλημένος αὐτὸς
  Καὶ τέχνῃ κοσμῶν, καὶ πόνῳ ἀμφιέπων,
Οὐράνιον κλῆσω κλέος αὐταῖς, ἠδὲ καὶ αὐτῷ
  Τῇ τε σοφῇ τέχνῃ, τῷ μεγάλῳ τε πόνῳ.

Τῷ αὐτῷ· Δωρίστι.

Ἀνδρὸς ἐπεὶ σωτῆρ γεγονὼς τις ἑοῖο πολίτεω
  Ἔν πόκα τᾷ Ῥώμᾳ ἄξιος ἦν στεφάνω,
Ἄξιος εἶ πόσσων, Στέφανε, στεφάνων; ὅγε σώσαις
  Οὐχ ἕνα· παμπλείστως δ' ἐξερύσαις αἴδεω.

Ex Catone Christiano D. Bezæ.

In Adulteros.

Vis orbem exſcindi? ſubvertito funditùs urbes.
  Vis urbes ipſas tollere? tolle domos.
Vis delere domos? careat fac conjuge conjux,
  Vanaque ſint ſancti fœdera conjugii.
Ergo perire domos, urbes, orbemque neceſſe eſt,
  Orbe vel expelli, quiſquis adulter erit.

Græcè :

Κόσμον ὅλον βούλει ὀλέσαι; πάρος ὄλλυ πόληας.
Βούλει δ' αὖ πόληας; τοὺς καθ' ἓν αἶρε δόμους.
Ἀλλὰ δόμους ἐθέλεις; μὴ τῷ μέλοι ἔργα γάμοιο
Μήτι γε τῆς εὐνῆς πιστὰ γένοιτο βροτοῖς.
Οὐκοῦν σωζομένων οἷς μοιχικὰ λέκτρα μέμηλε
Πᾶς δόμος, ἠδὲ πόλις, κόσμος ὄλοιτο θ' ὅλος.

Εἰς Στέφανον Κλαυέριον τὸν τὰ Κλαυδιανοῦ ποιήματα στίξαντά τε καὶ ἐξηγησάμενον.

Φοῖβος ἄναξ Μουσέων ὅτε εἶν ἐνὶ πύχει ἔειδεν
Κλαυδιανοῦ τ' ᾠδὰς, Κλαυερίου τε πόνους.
(Τοῦ μὲν γὰρ γλυκίων μέλιτος ῥέεν αὐδὴ ἀοιδοῦ,
Φέγγει δ' ἡ τούτου πουλυμαθημοσύνη.)
Φῆ ὅγε δενδίλλων ἐς ἑκαστέ τε θαμβήσας τε
Μάντις ἰδοὺ μάντιν, καὶ σοφὸς εὗρε σοφόν.
Ἴην δ' ἀμφοτέροις τιμὴν θέτο· ἄμφω ἀγασθεὶς
Κλαυδιανὸν μελέων, Κλαυέριον σοφίης.

In Samuelis Benedicti, Medici, Latinam Paraphrasin Secundæ Hebdomadis Gulielmi Bartasii.

Γαῖαν ἀπειρεσίην, ἄστρων θέσιν, οὔλυμπόν τε
Ἠελίοιο φάος, κυάνεον τ' ἔρεβος,
Ὕδατ' ἄνω, τὰ κάτω τε, πολύφλοισβον τε θάλασσαν,
Κρήνας, καὶ ποταμῶν νάματα ἀργύρεα,
Δένδρεα τε ποίας, καὶ ζώων ἔθνεα πάντα
Ἱπταμένων, χθονίων, κ' εἰν ἁλὶ νηχομένων.
Καὶ μέροπας, μερόπων τ' ἄταν, καὶ πνεύματα δισσὰ
Λατρεύοντα Θεῷ, τόν τ' ἐπὶ πᾶσι ΘΕΟΝ.
Βαρτάσιος Μουσέων τὸ μέγα στόμ' ἄεισεν, ἀνάπτων
Τῷ κτιστῇ πάντων κῦδος ὀφειλόμενον.
Ἀλλ' ὁ μὲν αὐθιγενεῖς μοῦνον κηλήσατο μέλπων
Γῆρυν ἑοῖς ᾠδῇ Κελτίδα Κελτὸς ἐών.
Βαρτασίοιο πόνον Σαμουὴλ κοινώσατο πᾶσι
Τοῖς αἰσθανομένοις Ῥωμαϊκῶν ὀάρων.
Βαρτασίῳ δὴ ὅσην τε πάρος πάτρης χάριν ὦφλε,
Τόσσην νῦν Κόσμος σοί, Βενέδικτε, ὅλος.

In Obitum Illustrissimi Principis, Christiani, Saxoniæ Ducis.

Οὐκ ἄρα τοῦτο μάταιον ἔπος μερόπων τινὶ λέχθη
Δηρὸν μὴ ζώειν τὸν φίλον ἀθανάτοις.
Καὶ γὰρ ἰδοὺ νέος ᾤχεθ' (ὃ μὴ ὤφελλε γενέσθαι)
Σαξονικῆς αἴης Χριστιανὸς μεδέων.
Χριστιανός, τοῦ πρόσθ' ἐν ἀρειμανίοις Γερμανοῖς
Σκίδνατο πλεῖστον ὅσον τοὔνομα καὶ δύναμις.
Χριστιανὸς χρηστοῦ Χριστοῖο φερώνυμος εἶδος·
Λάτρις γὰρ Χριστοῦ, πᾶσί τε χρηστὸς ἔην.
Αἴ αἴ Τευτονικῆς ὅσσος στόνος ἔπλετο γαίης!
Αἴ αἴ ὅσοι κοπετοί, δάκρυα, πένθος ἴσον!
Ἔστενε δ' αὖ καὶ Φραγκίς, ὅσον σθένος ἔστενε Φραγκίς
Ἐξ εὐποτμοτμοτάτης ἡ παναποτμοτάτη.
Χριστὸν δὴ Χριστὸν Φραγκοὶ καὶ Τεύτονες ὥρα
Ἱλάσκεσθ' οἴῳ ἀθανάτῳ πισύνους.

Inscriptum libro Tobiæ Sculteti, Poëtæ laureati, amicissimi.

Τί σκύλλεις Σκυλτῆτι φίλος φίλον· οὐ γὰρ ἀοιδοὺς
 Εὔχομαι ἔμμεν' ἐγώ· δρῦν βαλάνιζ' ἑτέραν.
Τίς δ' ἐπέων σοι ἐμῶν χρειώ; φιλίης νόμος οὗτος·
 Σὸς μὲν ἐγὼ, σὺ δ' ἐμός· θυμὸν ἐμὸν κατέχεις.

In obitum illustrissimi Principis, Joannis Casimiri.

Κλεινοτάτου πότμον Κασιμίρου ὅς τις ἀκούεις
 Ὄναρ σκιᾶς ἰὼν μάθε·
Φράζεο δ' ὡς τὰ βρότεια παρέρχεται ὥστε νόημα,
 Κρείττων τε μοίρας οὐδὲ εἷς.
Ἄρχοντ' ἀρχόμενον, πολυπάμμονα, ἠδὲ πενιχρὸν
 Ἔμαρψεν αἶσ' ὁμοιίη.
Ἔμπα γε μὴν ἀνέρων οὐκ ὤλετο τοῦ κλέος ἐσθλὸν,
 Ἐσθλαῖς πραπῖσι κεκασμένων.
Οἷον νῦν Κασίμιρε τεὸν κλέος οὐκ ἐμαράνθη
 Ἐκ γᾶς μεταστάντος σέθεν.
Αὐταὶ, ἰδοὺ, στενάχουσαι ἑὸν ποθέουσιν ἄνακτα
 Μοῦσαι σε τὸν Μουσηγέτην.
Μοῦσαι, τὰς ἐφίλεις, ταῖς οἰκία καλὰ ἔδειμας,
 Δώροις τε τιμῶν διετέλεις·
Τοιγὰρ ἐπὶ φθιμένῳ γοάει καὶ δάκρυα λείβει
 Ἅπας ἀοιδοπόλων χορός.
Πᾶς δ' αὖ σόν τε μένος πολεμήϊα τ' ἔργα κλείζει
 Ὅτῳ μέμηλ' Ἄρης βροτῶν.
Σὸν γὰρ ἐν ὑσμίνῃσι θεοστυγέων κατὰ ἐχθρῶν
 Ἤστραψε πολλάκις δόρυ.
Πολλὰ σύ γ' εὐσεβέων ὑπερέσχες χεῖρα κραταιὴν,
 Ἀλκτήρ τε τειρομένοις γένου.
Ἦ συ μάλ' ἀθανάτου μέλλεις ἀλιτέσθαι ἐφετμὰς
 Ὦ τοῦ λόγοιο σύγγαμε
Σχετλίη, ἀλλ' εὔχου μὴ νῦν ὀλοοῖσι λύκοισιν
 Ἕλωρ γενέσθαι κύρμά τε.
Εὔχεο ὄφρα τεὸν θάλλοντα νέον Φριδέρικον
 Σώζοι Θεὸς διαμπερές.

Εἰς ΘΩΜΑΝ ΒΟΔΛΑΙΟΝ, ἱππέα ἐπιφανέστατον, ὃς τὴν ἐν Ὀξονίῃ Βιβλιοθήκην ἀνασκευάσας, καὶ αὐξήσας, βίβλους ἀριθμοῦ κρείττους εἰς αὐτὴν ἀνέθηκε.

Τὸν μέγαν ἐνταυθοῖ μικρὰ κόνις ἀμφικαλύπτει
 ΘΩΜΑΝ ΒΟΔΛΑΙΟΝ, τὸν μακάρεσσι φίλον.
Παιδόθεν ἐς μεγάλῳ σοφίης βεβολημένος οἴστρῳ
 Οὔποτ' ἑῶν κτεάνων φείσατο οὐ καμάτων.
Καὶ δὴ λαμπροτάτην καταγώγιον Ὀξονίῃσι
 Μούσαις καὶ Μουσέων δειμάμενος προπόλοις·
Εἶτα βίβλων γεμίσας ἐξ ἀντολίης δύσιός τε
 Παντοδαπῆς γλώττης, παντοδαπῆς ἰδίας
Κηδόμενος πάντων θησαυρὸν τόνδ' ἀνέθηκε
 Πᾶσι σοφοῖς σοφίας ἔργα μετερχομένοις.
Δῖε γέρον, σὺ δὴ ἐν Διὸς ὢν, εὐεργεσιάων
 Νῦν ἀπέχεις μισθὸν, χ' ἁ χάρις οὐκ ἄχαρις.
Οὔνομα γὰρ περίπυστον, ἰδὲ κλέος οὐρανόμηκες
 Ἐκ Μουσέων πάντων τ' ἤραο μουσοπόλων.

Viro præstantissimo, JOANNI PRIDEAUX.

Vir doctissime,

HOdie inter induendum vestes Epigramma sum meditatus, quod posteà in ipsa Bibliotheca descripsi. Id tui judicii facio; ut si tanti putes, meo nomine illustrissimo Domino Procancellario illud offeras; sum enim ab ipso invitatus, ut illud scriberem. Vale, Vir doctissime.

Tui observans, IS. CASAUBONUS.

Εἰς τὸν μέγαν Θεολόγον Θεόδωρον τὸν Βήζαν.

Ἡνίκα Χριστὸς ἄναξ τὸν ἑοῦ πιστὸν θεράποντα
  Τὰν μερόπων πειθὼ, τὸ στόμα θειότατον
Ἄγγελον ἀτρεκίης, ἀρετῶν δέ τι σεμνὸν ἄγαλμα
  Βήζαν ἐς μακάρων ἦγε χοροστασίην,
Δεξαμένη μὲν ἅπασα ἑὸν φίλον ἔξοχα ἥρω
  Γήθησεν μεγάλως οὐρανίη στρατιή.
Ἡ δὲ μάλα στοναχεῦσ' ἡ πᾶσα διάστορα ἀνδρῶν
  Τῶν ἐπὶ γῆς τὰ Θεοῦ ὀρθὰ σεβιζομένων,
Ὤχετ', ἔφη, Βήζας ποιμὴν ἐμὸς, ὤχετο ἀστὴρ
  Τῇ βιοτῇ τε λόγῳ ἶσα φαινόμενος.

Εἰς τὸν αὐτὸν Βήζαν.

Αἰδὼς, ὦ ψεῦσται, Στύγιον γένος, οἳ φάθ' ἑτοίμως
  Τὸν Βήζαν πλέθειν πρὸς τὸ μεταμφιάσαι.
Καὶ γὰρ, ἰδοὺ, πίστιν τηρήσας λαμπρὸς ἀριστεὺς
  Τὸ στάδιον τ' ἀνύσας, τὸν στέφανον κατέχει.

Beza ipſe reſpondet iis, qui de Apoſtaſia cogitare ipſum dicebant.

Μάρτυρα κἄν με δέοι ὑπὲρ εὐσεβίης παλινόρσου
  Ὑψόθεν ἐς κόσμον μυρία δεινὰ παθεῖν,
Ἢ πάλιν, οἷοι νῦν εἰσὶν βροτοὶ, εἴ τις ἔμοιγε
  Κρουνηδὸν προχέειν ὄλβια πάντα θέλοι,
Οὐκ εἰμ', οὐδ' ἔσομαι Θεοῦ ἀντιβίην πολεμίζων
  Παππικόλαξ· μὴ τοῦτ' ὄμμασι Κελτὶς ἴδοι.
Ἄλλον κουφόνοον βασανίζετε· οὐ μὰ γὰρ αὐτὸς
  Οἷα κύων ἔμετον τὸν πρότερον φιλέω.

Εἰς Κάρολον Γονζάγαν, ὃς τῇ Παιονίᾳ ἐπιδημήσας Τούρκων αὐτὴν ἀγόντων καὶ φερόντων, ἀνδρείαν τε καὶ τὸν ὑπὲρ Χριστοῦ ζῆλον θαύματος ἀξίοις ἔργοις ἐπιστώσατο.

Δίζόμενος σοφίην ἐπρεύετο πᾶσαν ἐπ' αἶαν
  Ἄλλος Λαρτιάδης, Γόνζαγος ἀντίθεος.
Παιονίῃ δ' ἐπιβὰς, μιαρῶν στρατὸς εὖτ' Ἀγαρηνῶν
  Ἄστεα Χριστιανῶν πέρθεν ἀπειρέσιος.
Ἢ τάχος ὅπλα λαβὼν λαοὺς τε πόλεις τε σάωσε
  Οἰομένων θανέειν, ἶφι βιαζόμενος.
Ἐχθρῶν δ' ὀλλυμένων φύγεν ἔθνεα· καί τις ἔειπε
  Οὐ νέμεσις φεύγειν· Φράγκος Ἄρης μάχεται.
Δῖ' ἥρως σὺ ἢ βληθεὶς τ' ἐξ ἀΐδαό τε ῥυσθεὶς,
  Οὐ Θεὸς, ἀλλὰ Θεοῦ φίλτατος ὢν ἐφάνης.

Scaliger.

Diverſas habitant virtus & laurea ſedes;
Pugnat apud Parthos Romanus, in urbe triumphat:
Sic auctorato Chriſti vexilla ſequenti
In terra pugna eſt, in cœlo palma parata.

Vertebamus.

Ἕδραν μὴ ταύτην Ἀρετή τ' ἔχει ἠδὲ βραβεῖον·
Καί τις περσάμενος Πάρθους Ῥώμην ἐσελαύνει·
Οὕτως οὐρανίων ὃς Χριστοῦ ἱμείρεται ἄλλων
Εὖτ' ἐπὶ γῆς πολέμησεν, ἄνω γε κύδεϊ χαίρει.

IS. CASAUBONUS.

Vel

Vel sic:

Ἀρετὴ βραβεῖον οὐ ταῦτ' ἔχουσι εἶδος·
Θρίαμβος ἐν Ῥώμῃ, ἐν ᾗ Περσίδι ἡ μάχη.
Ζήλωσι δ' ὥς τις τὸν κατὰ Χριστὸν βίον,
Ἢ χθὼν παλαίστρα τῷδ'· ὧν δὲ Θεὸς βραβεύς.

Εἰς Λαυρέντιον Γαλλησὸν νεανίαν εὐγενέστατον τὸν καὶ ἀνδρείᾳ καὶ παιδείᾳ διαλάμψαντα, οἰκτρῶς δὲ ὑπ' ἐχθρῶν φονευθέντα.

Ἡνίκα Γαλλησοῦ ἐχθρῶν δόλῳ οὐκ ἀρετῇ γε,
Ἐκ ῥεθέων ψυχὴ οὐρανὸν εἰσανέβη,
Εἶπ' ὀλοφυρομένη γοόωσά τι πᾶσι περιχθών,
Πάντες μουσόπολοι, πάντες ἀρηΐφιλοι,
Ὢ πόποι! ἠιθέων ἄριστος ἀπώλετο αἶ αἶ
Πάτρας ἔρκος ἐῆς Ξενοφῶν ὁ νέος.

Josephus Scaliger in cujusdam Amici Libro.

Omnis cupido laudis, omnis ambitus
Pruritus animi est febrientis. Gloriæ
Contemptor animus major omni gloriâ est.

Scripsimus nos eidem Amico.

Δόξης γλίχεσθαι τῶν θ' ὑπερκόμπων γερῶν
Πρὸς ἀνδρός ἐστιν ὥς νόσον ψυχῆς νοσεῖ,
Ὑπερφρονῶν γὰρ τῆσδε μείζων ἢ τυχών.

Parodia, continens celebratam toties Aristoteli Epicharmeam ἐποικοδόμησιν.

Ὡς ἔρις ἔκ τε γυναικῶν ἔκ τ' ἀνδρῶν ἀπόλοιτο·
Ἐξ ἧς λοιδορία· ἐκ δ' ἄρα τῆσδε μάχη.

In Aphorismos Hippocratis, novis Observationibus illustratos à Paulo Offredo.

Ἀρχαίων φάτις ἦδε, ὅπου ῥόδον, ἔνθα ἄκανθαι;
Οὕτως πικρὰ φύσις συνδύασεν γλυκέσιν.
Μάρτυρ' ἰδοὺ χρυσοῦν πτύχος τόδε· ἐξ ἀσαφείης
Τοὺς ἑρμηνευτὰς τοὺς ἔπεισ' εὗρον ἴσως.
Δὴ γὰρ πάντα πάρος νυκτὶ σκιόωντο μελαίνῃ,
Αἱ λέξεις, ὁ νόος, χ' ἡ κρυφίη μέθοδος.
Τὸν νοῦν, τὰς λέξεις μέγας ἐν ἰατροῖσι Γαληνὸς
Τὴν μέθοδον Παῦλος νῦν ἐτράνωσε μόνος.

Henrici Sculteti Symbolum:

VOLUPTATEM VICISSE VOLUPTAS MAXIMA.

Ἐχθροὺς νικήσας, νικήθη πολλάκις αὐτὸς
Καὶ ῥώμην ἀγαθὸς κάρρονος ἀντίτυχε.
Αὐτὰρ ὁ σωφροσύνῃ νικήσας ἡδυπάθειαν
Ἡδὺν ἀήττητος λοιπὸν ἄγει βίοτον.

Epigramma Plinii, ex Epistola IX. lib. VII.

Ut laus est ceræ, mollis cedensque sequatur,
Si doctos digitos, jussaque fiat opus:
Et nunc informet Martem castamque Minervam,
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum.
Utque sacri fontes non sola incendia sistunt;
Sæpe etiam flores vernaque prata juvant:
Sic hominum ingenium flecti ducique per artes
Non rigidas doctâ mobilitate decet.

Δεῖγμα καλοῦ κηροῦ τότε ὑγρὸν κ' εὐμετάπλαστον
Εἰ χερσὶν ἑσπόμενος πᾶν ὅ, τι οὖν γίνεται
Νῦν Ἄρεως ἐνδὺς μορφὴν, ὁτὲ δ' ἄλλο Ἀθήνης,
Καὶ πάλιν Ἀφροδίτης, ἢ γόνου Ἀφροδίτης.
Νάματα πυρκαϊὴν τ' οὐ μοῦνον σβέννυσιν ἱρά
Λειμῶνας δ' ἄρδει, κ' ἄνθεα εἰάρινα·
Ὡς νόος ἀνθρώπου ῥάδιός θ' ὑγρός τι γενέσθαι
Τέχνων παντοίων ἔργα μετερχόμενος.

Isaaci Casauboni Epigramma, cùm διαῤῥοίᾳ & febri jam aliquandiu laborasset, ex Ephem. 10. anno.

Τήκομαι ὁ τλήμων καὶ φθείρομαι· ἡ δέ νυ νοῦσος
Α' συγκρὰ συγκερῶ σάρκας ὅλας κατέδει.
Πῦρ καὶ ὕδωρ οὕτω γίνομαι ὅλος· ἂν τὸ μὲν αἴθει·
Τοῦτο δὲ ἀενάου ῥεῖ ποταμοῖο δίκην.
Ἔμπης, ὦ Σῶτερ, πλὴν τοῦδ' ἑνὸς οὐ δέομαί σου
Ποίησόν με θέλειν σὸν τὸ θέλημα μόνον.

In nobilissimi atque eruditissimi, Wenceslai à Zastrisel, Moravi, DE VIRO NOBILI, Orationem.


Φάτις παλαιά ἐστι τῶν τινὸς σοφῶν
Νέων ἄωτι, τοὺς κλυτὴ Μοραβὶς τρέφει
Βενκέσλα', ὡς λόγος ἐκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν
Κἀκ τῶν δοκούντων· αὐτίς, οὐ ταυτὸν σθένει.
Ἤλεγξε σύμπας ἀληθὲς ἐν χρόνος τόδε.
Πάσης γὰρ, ὡς εἰπεῖν ἔπος, τέχνης σοφῆς,
Ἐπέων τε κόσμου δεινότητος τ' ἐν λόγοις
Ἢ τοῦ λέγοντος πολλάκις κατίσχυσε
Δόξη τε κ' εὐγένεια. ΤΩΝ γε μὴν ὁμοῦ
Λέγειν τε δεινῶν καὶ γένει λαμπρῶν τί οὐ
Μέλλει περαίνειν γλῶττα εὖ τεθηγμένη;
Οἷον πάρεστί σοι, τὰ νῦν Βενκέσλαε
Λέγοντι, διπλοῦν Μειλίχης Πειθοῦς ὅπλον.
Λάμποντι μακρὰν τῇ γένους εὐδοξίᾳ,
Δώροισι δ' αὖ Μουσέων ἀγανοῖς κεκασμένῳ·
Ὄναιο δηρὸν Σαστρίσηλε τῆς τύχης·
Ὄναιντο σεῖο καὶ πάτρα, γονεῖς, φίλοι.

ISAACI CASAUBONI EPISTOLÆ.





Epistola I.
JOSIÆ MERCERO.

1584. TU verò, vir doctissime, ignotus mihi (quod ais) non es: cujus ego eruditionem atque ingenium, & ex multorum sermonibus, & ex nuperis ad Nonium notis probè habeo cognitum: cujus etiam ex quo tempore notas illas doctissimas legi, miro quodam flagravi semper videndi desiderio. Itaque quantum me Godofredo meo debere sentiam, quo Interprete & veluti parario, hic inter nos conciliatus est semper ut spero victurus amor, ne dici quidem potest. Tibi etiam gratias ago immortales, qui ad me, novum prorsus hominem, & eorum omnium, quæ me possent apud viros doctrinâ claros (quorum tu in numero es) in gratiam ponere, expertem, prior scribere dignatus es: quem ego sanè à me lacessitum, literas meas responsione minimè dignari, haud essem miratus: atque hoc unum nisi me semper deterruisset, jampridem factum esset, cùm ego te literis meis interpellassem, & tecum de re studiorum contulissem: in quo, quandò tu me (quæ tua est humanitas) antevertisti, faciam ego sedulò ut quanti te tuamque amicitiam æstimem, crebritate literarum mearum intelligas. De Juvenale quæ scribis, valdè mihi fuerunt jucunda: sunt nimirum doctissimè à te excogitata, & reliquis tuis notis simillima. Omninò autem mihi visus es in illis verbis Satyræ XI. vers. 17. *Ergò haud difficile est*, &c. rem acu tetigisse; factusque mihi est lectione tuarum literarum locus apertissimus, in quo mihi nunquam potueram ipse satisfacere. Perplacuerunt etiam mihi, cùm alia omnia, tùm conjectura illa tua de Nerone apud Petronium intelligendo: maximè, quia memineram monuisse Scaligerum, idem hominis monstrum esse apud Persium Satyræ I. vers. 98. intelligendum, illo loco: 1584.

Quidnam igitur? tenerum, & laxa
cervice legendum?
Torva Mimalloneis, &c.

quæ facilè omnes intelligunt, fide historiæ niti. Superest igitur, doctissime Mercere, ut tentatum opus, quandò tam fœliciter cessit, strenuè & gnaviter aggrediaris, paresque te ad duos illos aureolos poëtas nobis exponendos, & tuis observationibus illustrandos: quod ut facias, te per Musas oro, obsecro & obtestor. Nam de me quidem, quod scribis, audisse te, esse me in eo, valde falleris. Neque ego satis intelligo quî hoc ad tuas aures pervenerit; nisi fortasse amicus magnus meus D. Godofredus, quia me vidit illorum poëtarum esse paulò studiosiorem, indè primùm sibi, deindè etiam tibi persuasit parare me eorum editionem: quod, ita me Deus amet, in mentem mihi nunquam venit. Varias quidem lectiones in utrumque poëtam colligendi, & codices veteres, quandò data est occasio inspiciendi, fui semper studiosus, sed non in eam spem. Quin ego quascunque nactus sim varias lectiones ex MSS. codicibus, si ita placeat, libentissimè ad te mittam. Me alia studia, alia incepta mea aliorsùm trahunt: studium præsertim earum linguarum, in quibus doctissimus, & piis omnibus venerandus parens tuus gloriam consecutus est immortalem: ad ea me conferre, ut in iis aliquandiù totus sim, nunc est animus: brevi ut spero rediturus ad Strabonem, quem, si Deus Optimus Maximus cœptis aspiraverit, & MSS. codicum ope, & meis nec mediocribus laboribus fretus, confido facturum ut haud paulò emendatiùs legatur, faciliùsque intelligatur, quàm fuerit hactenùs. Sed hæc θεῶ ἐν γούνασι κεῖται. Est verò quod tibi pro nostra amicitia gratuler, charissime Mercere: audio

1584. audio nimirum te Biturigas venisse ad maximum illum virum audiendum, cujus lectionibus non equidem dubito, quin tantos sis & in jure & in totius antiquitatis cognitione facturus progressus, ut ad summam doctrinam brevi nihil tibi sit defuturum. Deum oro, ut sit tibi hæc felicitas diuturna: teque tui voti damnatum in perpetuum beet. Vale, & me quia semel cœpisti, & tuâ amicitiâ & tuis literis dignum judica. Iterùm vale. *Genevæ*, *a. d.* XV. *Kal. Majas* CIↃ IↃ LXXXIV.

D. Godofredus, qui te etiam atque etiam salutat, hodiè potionem valetudinis causâ sumpsit, quæ non ei permisit ut ad te scriberet. Sed nos brevi ad te literas dabimus; intereà habebis eum excusatum.



EPISTOLA II.

EIDEM.

1585. CUpiebam jampridem vehementer, charissime Mercere, tabellarium nancisci qui meas ad te perferret; quum ecce tandem post multos menses venit ad me amicus quidam meus, qui nuntiaret esse qui Avaricum Biturigum proficisceretur: sed eum jam petasatum & tantum non ὁρμώμενον: hic ego, etsi non parùm impeditus, facere tum non potui, quin relictis rebus omnibus pauca hæc ad te exararem: quæ quò breviora sint, eò majorem vim ad declarandum amorem erga te meum habeant velim. Certè, qui te jampridem ob singularem virtutem tuam, summamque eruditionem diligere cœpi, posteà autem provocatus à te per literas, etiam amare, idque vehementissimè, nunquam faciam, ut lenior in suscipiendâ, quàm constantior in conservandâ fovendâque amicitiâ videri possim. Te orarem ut in eodem erga me animo permaneres, quam tuis nuperis literis abundè satis mihi patefecisti, si me ullo modo de tuâ constantiâ sineret dubitare suscepta semel de tuâ probitate & morum integritate opinio. Illud peto à te, charissime Mercere, ne quem pro tuâ singulari humanitate dignatus es prior per literas provocare, eundem posteà indignum judices, cui lacessitus rescribas. Vale, & me, quod facis, amare perge. Iterùm vale. *Data Genevæ Allobrogum*, *a. d.* XI. *Kal. Feb.* CIↃ IↃ LXXXV.

EPISTOLA III.

THEODORO CANTERO.

CUm nuper significasset mihi Co- 1585.
melinus noster egisse te, vir ornatissime, secum, ut salutem mihi tuis verbis nunciaret; constitueram literas illi ad te dare. Sed dùm ille discessum parat, ecce repentinâ calamitate, ceu fluctu decumano aliquo, ita totus obruor, ut omnem continuò & scribendi & aliud quidvis agendi curam omitterem. Sic factum est, ut ille ad vos sine meis literis rediret: ac nunc quoque, quò minùs pluribus ad te scribam, idem me casus tristissimus impedit. Quod si quandò ad musarum studia quasi postliminiò rediero, ac meas literas tibi non ingratas esse intellexero, efficiam profectò, ut earum frequentia, & quanti ego te faciam, & quanto studio tuam mihi putem ambiendam amicitiam, facilè intelligas. Intereà sic tibi velim persuadeas, eum esse te quem ego jampridem, & propter fratris tui μακαρίτου memoriam, & propter insignem tuam virtutem, ac præclaram in omni eruditionis genere doctrinam; (quæ mihi partim ex multorum, qui te probè nôrunt, sermonibus; partim ex tuis eruditissimis scriptis nota sunt,) unicè colam atque observem. Hùc si accesserit, quod equidem (quæ tua est humanitas) non despero, ut tu me tuâ amicitiâ digneris; habebis me ita tui studiosum & observantem, ut nemini hac in parte sim cessurus. Vale, vir doctissime. *Genevæ*, *a. d. Dec. Kal. Sept.* CIↃ IↃ XXCV.

EPISTOLA IV.

EIDEM.

ACcepi tandem, vir clarissime & hu- 1586.
manissime Cantere, quas ad me dedisti literas: quæ quàm mihi gratæ fuerint, faciliùs tu conjecturâ possis assequi, quàm ego verbis exponere. Enimverò ferreus sim, si me non mirum in modum delectent, cùm singularis illa, quæ in tuis literis elucet, humanitas, tùm insignis tuus erga me amor, cujus vestigia in eisdem literis quoquò me verterem, impressa vidi. Equidem cùm ita sim naturâ comparatus, ut ab omnibus amari, nemini odio esse præterquam malis à puero vehementissimè semper optaverim, quanti tuum, ac tui similium virorum amorem faciam, haud facilè verbis, in hac præsertim infantia, expresserim,

1586. præsertim, & simul malo ex literarum posthàc mearum frequentiâ id tibi conjiciendum relinquere. Tu modò fac in amore respondeas, &, quod polliceris, reipsâ præstes. Mihi, adsit tantùm cui tuto dare possim, nec voluntas scribendi unquam deerit, nec argumentum. Nam si nihil aliud, de communibus certè, ut ais, studiis quod scribam semper suppetet. At quandò tua præclara opera literis tuis significare dignatus es, audebo ego quoque conatus quosdam meos tibi declarare: ea maximè fini, ut si potes (nec dubito quin possis quàm plurimùm,) sed tamen si potes, ante meorum editionem me adjuves, in Strabone præsertim: quem nos scriptorem magnis laboribus nostris emendatum, & perpetuis annotationibus illustratum, brevi σὺν θεῷ εἰπεῖν edere paramus: libenter tamen dilaturi, si aut tu, aut alius tuo hortatu conatus nostros aut scripto codice, aut aliâ ratione juvare in animum induxerit. Habeo & in Stephanum paratas notas, quæ miserum illum scriptorem ab infinitis mendis aliquando, si Deo visum fuerit, vindicabunt. Habeo in alios scriptores Græcos, præsertim Tragicos, parata non pauca: sed ante omnia Strabonem edere gestio; in quo quid præstiterimus, doctorum hominum, ac tuum maximè, doctissime Cantere, esto judicium. Equidem hoc non dubitabo affirmare, ita eum hactenùs esse lectum, ut à paucis videatur potuisse intelligi: ita præstantissimus scriptor jacuit hactenùs mendis oblitus: quas miror nemini, in tantâ doctorum hominum, quos hæc ætas tulit, frequentiâ curæ fuisse eluere: & tamen, nisi me decipit amor in illum meus, is est scriptor Strabo, quem magni intererat reipublicæ literarum legi quàm emendatissimum. Sed de his alias: nam si dederit nobis aliquandò Deus Opt. Max. ut luci donentur quæ jam pridem in arcâ nostrâ latent recondita, faciam ut vel invito in oculos tuos incidant nugæ nostræ. Mittam enim ad te exemplum unum, & ut nostra legere & emendare digneris, te etiam atque etiam rogabo. Quam quidem operam te mihi non esse recusaturum, (quæ tua est singularis humanitas) audeo mihi polliceri. Utinam verò is ego essem, cujus opera in simili re tibi posset esse utilis: facerem, ita me Deus amet, ut intelligeres, quàm sim tui honoris studiosus. Nunc mihi satis est tua erudita scripta ita legere, ut ex iis semper aliquid novi addiscam. Quamquam si edito Strabone [nam quæ hactenus & in Laërtium, & Theocritum à me profecta exierunt, ejusmodi sunt, ut vix ea agnoscam] notas tuas mecum 1586.
communicaveris: dabo ego quoque operam, ut in ingratum te hoc beneficium contulisse queri non possis. De Ammiano quod scribis, per mihi gratum est, & est, mihi crede, te tuoque excellentissimo ingenio dignum cœptum. Sunt penes me aliquot Græci scriptores, qui eandem cum Ammiano historiam eleganter & accuratè descripserunt; qui, si cum eo conferantur, & illum multis locis meliorem facere, & ab eo sæpè illustrari possint. Nec refugiam ego eum laborem, si tu in proposito manseris, & gratum id tibi futurum significaveris. Expertus affirmo non fore eum laborem tibi inutilem. Nihil autem tam difficile esse possit, nec laboriosum, quod tuâ causâ non libenter suscipiam. Vale, vir doctissime & humanissime, ac nos, ut facis, ama. Iterùm vale. *Genevæ, a. d. Nonis Maji* CIↃ IↃ LXXXVI.

EPISTOLA V.

EIDEM.

FAcis ut te dignum est, & moribus tuis convenit, Cantere virorum optime, cùm de nostris rebus es sollicitus, & statum nostrum scire desideras: quo nomine ingratus sim, nisi ex animo tibi gratias agam, habebo quidem certè ἀδιαλείπτως, dum spiritus hos reget artus. Sunt verò res nostræ Dei Opt. Max. beneficio haud paulò meliore loco, quàm quando tuas priores, ante quinque opinor menses, accepi. Tunc enim civitatis nostræ res accisæ & afflictæ vehementer, spesque omnes [humanæ quidem] εἰς στενὸν admodùm erant redactæ, idque τῶν δοκούντων εἶναι φίλων culpâ, ne dicam fraude & perfidiâ, prorsus ut vetus proverbium usurpare potuerimus, ἠπάτηκεν ἡ κλίμαξ τὴν ἀγίπλειν. Sed quid agas? in ea nimirum tempora devenimus, ut nunc demum avolasse è cœtu hominum sancta fides dici queat: adeò sunt omnia fraudis & perfidiæ plena. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Et verò Harpocratem video, qui silentio ista premi imperat, præsertim cùm Deus Opt. Max. istorum ignaviam [sic enim jam malo appellare] in gloriam suam & reipublicæ nostræ salutem mirabili quodam artificio verterit. - - - Quæ postquam vidit se ab omni humano præsidio destitutam, cum omnium admiratione & hostium ac inimicorum stupore civitas nostra præstitit: sed Dei ipsius manus, quæ pænè ὀφθαλμοφανής, quicquid gestum est adversus hostes,

 ipsa

1590. ipsa est executa. Nos intereà, quod meritò mireris, otio fortassè etiam majore quàm antè fruebamur: & tempus omne vel in spectandis divinis miraculis, quibus sæpè interfuimus; vel in recensendis Aristotelis scriptis, quæ tum edebantur, consumebamus. Quod opus cùm ad umbilicum esset perductum, incessit me voluntas visendæ Germaniæ; & nundinarum imprimis Francofurtensium. Itaque sine ullâ morâ itineri me statim accinxi: eò quidem libentius, quod spem mihi amici quidam fecerant fore, ut hic D. à Fraxinis Regium Legatum reperirem, nec non D. Lectium, quorum cum utroque singulari sum amicitiâ & familiaritate conjunctus. Accedebat & alius stimulus, isque acerrimus, rumor quidam de adventu Lipsii Francofurtum: quæ omnes spes meæ inanes & irritæ hactenùs fuerunt. Porrò in Aristotele, [nam id scire cupies] quem amici viri Genevæ ediderunt, hoc cursim & ὁδοῦ πάρεργον præstitimus, quod ex collatione codd. & Græcorum interpretum non pauca restituimus. Præstitimus & alia quædam, quæ non referemus; patent enim. De animadversionibus in Dionysium *, quæ scribebam nuper, intelliges, si novam versionem ejus auctoris, quam Stephanus & Vignon ediderunt, inspicias: cui sunt nostræ animadversiones adjectæ. In Athenæo totus nunc sum, cujus optima nactus exemplaria. Intereà verò dùm ejus editionem paro, observationum nostrarum libros exspecta. At tu, vir doctissime, quid tibi vis? cur tam diù observationes tuas doctissimas nobis invides? cur fragmenta illa pridem à te collecta & emendata? cur etiam Ammianum Marcellinum, aliaque multa, quæ pridem moliri te omnibus notum est? An ut exemplo tuo alios doceas, quàm sit lentè festinandum? Ita herclè puto: itaque sicut Stesichorus παλινῳδήσω: & quæ modò me brevi editurum dicebam, ea si supra nonum condam premamque in annum, sapiam à tuo exemplo. Vale, virorum optime, Cantere clarissime. *Francofurti ad Mœnum*, *a. d.* XII. *Kal. Majas* CIↃ IↃ XC.

* Halicarnassensem, editum an. 1588.

EPISTOLA VI.

EIDEM.

1590. QUid agis, suavissime & charissime amicorum? ut vales? ut musæ tuæ? quæ quidem mihi nimis diù tacere videntur. Nam obsecro, quandò erit, cùm tuam fidem de fragmentis veterum poëtarum liberabis? quod opus tam avidè ab omnibus, qui his sacris 1590.
initiati sunt, exspectari scito, ut jam multi paratum habeant, nisi hoc nomen dissolverim brevi, ædes pulsare tibi, & clamore rem poscere, nec dissimulabo tibi, in his me nomen profiteri. Tu igitur cave tibi. Intereà si lubet, vide mihi hunc Callimachi locum, quem puto te non prætermissurum in tuis ἀναγραφαῖς: apud Etymologici scriptorem sic legitur in Δακάκης; lego sic.

Τοὔνεκα καὶ νέκυες πορθμήιον οὔτι φέρονται
Μούνη ἐνὶ πτολίων ὄγε τεθμίον ἔισεμεν ἄλλον
Ἄνθρωπον στομάτεσσι νέως Ἀχερουσίας ἐπὶ
βάθρον.

Nisi fallor animi, haud procul à verâ lectione aberrat hæc γραφὴ ex nostrâ emendatione: quod tamen ita videbitur mihi, si te non aliter sentire intellexero. Hæc scripsi autem tibi, quia aliud quod scriberem tibi non habebam: literarum inanium jam tanquam δρυσὶ ἅλις. De republicâ verò nostrâ, noli, amabò, quærere, ne aut tu me, aut ego te in fletum adducam: conclamatum est, si homines respicimus: sed in Deo spes & opes nostræ sitæ; itaque tam hilares vivimus, quàm unquam fecimus. Vale, vir amicissime. *Genevæ*, *a. d.* IX. *Kal. Sept.* CIↃ IↃ XC.

EPISTOLA VII.

EIDEM.

REcreasti me nuper, Cantere virorum optime, literis tuis: quæ eò 1591.
gratiores erant, quò magis optatæ & diutiùs exspectatæ fuerant. Noli tamen, obsecro, deinceps differre mea gaudia: sed singulis nundinis fac me, amabò, de tuo statu vel verbo certiorem. Scis tu veteres solitos illo principio in scribendis literis uti: *Si vales benè est, ego valeo:* mihi hæc sola à te scripta pro epistolâ erunt. Non quò non idem soleam de tuis epistolis dicere, quod olim dictum est Aristophani de Archilochi jambis, optimam illam esse quæ longissima: sed quia scio te hominem occupatissimum, ut cui sæpè pluribus verbis scribere non vacet. De Callimachi loco aliàs quæremus: iterùm tamen tibi dico, ægrè mihi eripi sinam, ita eos versiculos esse restituendos:

Τοὔνεκα καὶ νέκυας πορθμήιον οὔτι φέρονται
Μούνη ἐνὶ πτολίων ἔγε τέθμιον ἔισεμεν ἄλλως
Ἐν στομάτεσσι νεὼς Ἀχερουσίας ἐπὶ βάθρον.

Etsi

1591. Etsi, inquam, invitus facio, ut tibi non assentiar, cujus judicium meritò facio maximi, eruditionem etiam admiror; tamen spero facilius te in meam sententiam venturum, ubi causas emendationis nostræ legeris, quàm ut ego in tuam; quùm alioquin ea demùm à me profecta mihi placere incipiant, quæ intellexerim tibi probata esse aut similibus tui. Vale virorum optime, & nos, quod facis, ama. *Genevæ, a. d.* VIII. *Cal. Sept.* CIↃ IↃ XCI.

Clarissimi viri Lectius & Faius plurimâ te salute impertiunt, inprimisque magnus noster senex *, imo semo, cui grata nuper à te salus.

* Theod. Beza.

Epistola VIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1593. DUbitavi diù, vir illustris, auderemne adire ad te, & amicitiam tuam palàm petere atque ambire: quod ne hactenùs facerem, pudor me semper inhibuit. Quotiès enim te, virorum maxime, affari conarer, totiès mihi ἄψ ὄκνος ποτὶ χεῖλος ἐλάμβανε μῦθον ἰόντα. Vadum tamen tentare, & fores amicitiæ tuæ pulsare, tandem constitui. Nam & desiderio pridem ardebam tuas virtutes in omni genere summas propiùs noscendi, & ut auderem contantem impulit ingens illa tua humanitas, quæ nihilò est cæteris tuis planè heroicis virtutibus obscurior. Nihil enim quod in te sit, obscurum esse potest, quem unum quotquot in orbe, pœnè dixerim universo, Μουσάων sumus θεράποντες, unicè observamus, unicè colimus. Nam quòd pauci quidam reperti sint, qui summis tuis obstreperent laudibus, certum est non judicio eos, sed morbo agi rapique. Ut qui oculis parùm valent, solis radios ferre non sustinent: sic fulgore λαμπροτάτου καὶ φαεινοτάτου nominis tui offendi eos mirum non est, qui & ὀφθαλμὸν πονηρὸν, & animum ærugine tinctum habent. At tu, decus unicum literarum, ἂν ἔλαχες, ταύταν per Deum immortalem, ne desere. Tua autem illa est provincia, tuum unius munus, arcana & mysteria literarum soli tibi nota, οἱονεὶ ἐκ τρίποδος ἀτρεκεστάτου pandere mortalibus. Equidem, si meas literas tibi non ingratas fore intellexero, audebo dehinc compellare te nonnunquam, & super multis quæ me in literis torquent, consulere. Tu modò obnixè petenti da mihi hanc veniam, ut adire nonnunquam ad te liberum mihi per te sit: & ut consulenti responsum dare digneris. Vale, vir maxime, & me dilige, qui te pridem ἐξ ἄκρου μυελοῦ ψυχῆς amo, atque veneror. *Genevæ, a. d.* XVIII. *Kal. Jan.* CIↃ IↃ XCIII. 1593.

Epistola IX.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

STimulabat me pridem latè diditâ tui nominis famâ, Thuane præstantissime, ut aditum ad te omni ratione quærerem. 1593. Flagrabam enim desiderio, qui te summâ observantiâ multos jam annos tacitus colerem, noscendi propius tuas virtutes, &, si fas optare, amicitiam tecùm jungendi. ἀεὶ γὰρ τὸ καλὸν, scis ipse, ἐφ' ἑαυτὸ καλεῖ, & quod Poëta ait, αὐτὸς ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος. Sed quid agerem? aut quam rationem inirem, ut mei me voti facerem compotem? verebar ne si frontem perfricarem, & prior appellarem, statim tu mihi: τίς, πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πτόλις ἠδὲ τοκῆες? meritò; quid enim nos sumus, ut iter affectare ad tuam, eâ dignitate viri, eo splendore, addam etiam eâ doctrinâ, amicitiam non dubitemus? Vadum tamen, etsi uti tum judicabam, periculosum, tentare aliquotiès memini: nam & ante menses, opinor, XVI. recente adhuc Characterum Theophrasti editione, datum à me Hotomanno juniori exemplum unum, tibi meo nomine cum officiosissima salute offerendum. Sæpè etiam calamum in manus sumsi scripturus ad te, ut hunc saltem affectum meum tibi indicarem, & quod ajunt, palàm procarer: sed meum hunc impetum pudor semper inhibuit. Hinc enim quotiès hiscerem, & te, vir maxime, affari conarer, ἄψ ὄκνος ποτὶ χεῖλος ἐλάμβανε μῦθον ἰόντα. Tacui igitur, & ignem hunc intra mea præcordia fovi hactenùs, unicâ illâ spe fretus, si quandò vir omnibus virtutibus ornatus, & de meis studiis optimè meritus Ph. Canajus à Fraxinis isthùc veniret, fore tum, fore, ut ipse mihi tuæ amicitiæ talis tantusque pararius fores reseraret. Sic ego affectum in te meum sustentabam, cùm ecce offeruntur mihi à D. Stabaterio tuæ ad ipsum literæ, in quibus non solùm honorifica nostri nominis mentio facta, sed etiam amicitia tua, quam tanto ambiebam opere, amicè adeò & benignè oblata. Quid dicam? non enim possum verbis gaudium hoc meum exprimere. Ten' meam amicitiam expetere? ten' priorem lacessere? sic me Sophia, ἣν μόνην νυκτὸς καὶ ἡμέρας πρεσβεύω, amet, ut ego me ἐμακάριστα talis εὐτυχίας. Habe igitur me deinceps, ὦ θεία καὶ ἱερὰ κεφαλή, habe non amicum,

1593. amicum, [unde enim? ἐπεὶ φιλότης ἰσότης;] sed unum ex iis qui te colunt, qui te observant: qui denique tuo nomini devotus pridem sim, ac porrò sim futurus. Quod si Deus cœptis aspirarit, faxo ut quantùm animo isto in me tuo glorier, omnes nôrint. Habeo autem [quando libenter te hoc quoque sciturum video] inchoata multa, affecta quædam, penè perfecta etiam nonnulla; quæ si olim publicavero, luminis fortassè aliquid nostro nomini, rei certè literariæ lucis nonnihil videtur posse accedere: quo in genere sunt duo non indiligenter conscripta nobis monobibla: alterum de Venatione amphitheatrali: alterum de Circensibus. Lipsius enim, qui hanc provinciam pridem susceperat, uti vides, tacet: & sunt tamen non pauca, in quibus mihi neque cum illo, neque cum doctissimo Fabro convenit. Est in manibus & Suetonius, cujus novam editionem menses ampliùs bis novem parturimus: sed desunt præter ingenioli vires omnia subsidia. Tu si quid habes, qui in tuâ pueritiâ ista omnia perdidicisti, oro, obsecro, adjuva. In Athenæo recensendo feliciores fuimus: multa enim ex manuscr. codicibus habemus, quæ mirificè nos juverunt. Vellem in Synesio, quem ego auctorem plus hisce meis oculis amo, par felicitas contigisset. Est in manibus etiam Arriani Epictetus, liber, ut nosti, verè aureolus, quem J. S. magni apud suos nominis homo, sic Latinum fecit, quasi jurasset omnia non vertere, sed pervertere. Hæc aliaque id genus multa in hoc nostro qualicunque otio paramus, futura σὺν τῷ Θεῷ aliquandò egregiæ nostræ in literas voluntatis & φιλοπονίας monumenta. Non enim inficias iverimus, etsi quantùm profecerimus hactenùs nos sanè pœnitet, magnam tamen fuisse nostram ad bonas artes seriò discendas ὁρμὴν, magnum impetum. Cæterùm tempora quæ sint vides: quàm inimica hisce studiis, quibus hodiè nullus usquam ferè gentium honos; quid honorem dico? verius dixerim, locum vix ullum esse, ubi tutò liceat his ἐνδιατρίβειν καὶ σχολάζειν. Itaque ἐγκαλυψάμενος involvo me in meos libros, & quando publicè minus possum, mihi certè quotidiè conor prodesse. Si tui similes, vir eximie, perdita, heu! perdita nostra Gallia multos haberet, non sic jacerent bonarum scientiarum studia: esset fortassè, esset tùm nobis in aliquo charissimæ patriæ angulo locus. Nunc & illa funditùs, nisi Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς adjuvet, periit: & nos quoque cum patriâ animo æquissimo, si ita visum τῷ κρείττονι, interitum feremus. Intereà Deum Opt. Max. venerari non cessabimus, ut te tuique similes illa τοῦ χρυσοῦ γένους λείψανα oppidò quam pauca amet, servet, æternumque sospitet. Vale, vir maxime, & me ama. *Genevæ, a. d.* VI. *Kal. Nov.* CIↃ IↃ. XCIII. 1593.

EPISTOLA X.

THEODORO CANTERO.

Binas à te, clarissime Cantere, literas à nundinis autumnalibus accepi: 1594. ipse ad te totiès ab eodem tempore scripsi. Meas te non accepisse tam indignè fero, quàm lætor te meum silentium clementer adeò & benignè interpretari. Sic enim ais, *sive scribam, sive non, de meo in te animo nunquam dubitaturum.* O vocem mihi suavem & animi candidi certissimum testem! Nam ferè ita fit, ut ex nostris moribus aliorum facta æstimemus. Tu verò, mi Cantere, non falleris, Θεὸς δ' ἐπιμάρτυρος ἔστω. Sive igitur crebras sive nullas à me literas contingat tibi accipere, sis certus, & illud altè imbibe, Canterum in imis medullis Casauboni esse inscriptum. Amavi vestrum nomen non multò pòst quàm literas cœpi posse per ætatem amare. Accessit posteà grandis stimulus, notitia tui & morum tuorum; quos ego deosculor. Nam etsi de facie notus mihi non es, tamen ex multorum sermonibus & ex literis tuis [nam οἷος ὁ θυμὸς, οἷος ὁ λόγος] tam mihi perspecta est simplicitas animi tui, quàm ex libris pridem tuis cognita singularis eruditio. Jam verò cumulum attulit filius tuus, qui apud nos aliquot jam agit menses, de quo nihil aliud possum dicere, quàm quod illa apud Comicum, esse illum αὐτόπατον σύν. Equidem μὴ ὁρᾶσιν ἱκόμην, si vidisse unquam meminerim modestiorem, honestiorem, aut spei melioris adolescentem. Itaque cùm has virtutes etiam in alio non potuissem non amare, quid censes facturum in eo, qui tua sit vera εἰκὼν? Quod si pateretur fortunæ nostræ tenuitas, facerem rebus intelligeret, non verbis meum in se animum. Ac licet voluntati non respondeat facultas, tamen quibus rebus cumque potero, officio meo non deero. Tu in utramque aurem, mi Cantere, quod ad hanc curam attinet, dormi. Obtuli illi à principio, uteretur meis omnibus, non secùs ac suis. At tu, quid tibi vis cum isto fidejussore Comelino? Novi sanè probitatem & facultates D. Comelini, sed mihi instar multorum Comelinorum est Canterus. Quarè hæc missa

face

1594. face deinceps, & me amare perge. Omnia mea tua sunt & tuorum. Vale. Raptim *Genevæ*, *a. d.* VI. *Non. Mart.* CIↃ IↃ XCIV.

EPISTOLA XI.

JOSEPHO SCALIGERO.

1594. AUsus eram nuper * post longam contationem scribere ad te, maxime virorum, teque orare, ut me in eorum album recipere velles, quos amicitiâ tuâ dignaris. Fecerat me ut auderem singularis illa tua & admirabilis, cujus longè lateque famâ didita, humanitas. Mox literas à Thomsone meo accepi, quibus & se ajebat salutem tibi meis verbis nuntiasse, & tuo me nomine vicissim salutabat. Lætabar jam immensum tali nuntio, & quod fores mihi ad tuam amicitiam patere viderem, gaudio, mihi crede, triumphabam. Ubi verò ad illam partem veni, quæ erat de tuo judicio nostrarum scriptiuncularum, tum stupere ego, mirari, & in εὐγνωμοσύνης tuæ καὶ χρηστότητος contemplatione totus defigi. Nam quid aliud esse dicam, cur tu me iis oneres laudibus, quarum partem vel minimam sim impudens si agnoscam? O pectus verè aureum! ô animum verè magnum, verè divinum! voluisti nimirum, vir illustris, animos facere dubitanti; & specie laudationis hortari ad majora. Te sequor, maxime virorum; tibi parebo: ac licet ut credam quidem tibi de me plus quàm mihi, nunquam adducar; tuâ tamen auctoritate fultus audebo deinceps ea, quæ absque te fuisset nunquam eram ausurus. Cujus enim reformidabo miniatulas ceras, si Scaliger meas esse aliquid putat nugas? Equidem Scaligero uni probari malim, quàm cæterorum omnium suffragiis contra quemvis alium, atque adeò ipsum te, coronari. Si aliter loquor, ac sentio, tum me omnes Musæ Gratiæque omnes oderint. Sed de tuis laudibus non est hîc locus. Quin ego te potiùs oro, ut quandò cœpisti errare ac decipi in judicando de nostris scriptis, errare ac decipi porrò te pariaris. Nam si semel ad meorum lectionem ignem illum acerrimum ingenii tui admoveris, ilicet, πάντα τὰ ἡμέρινα ἔχιλαι: nam etsi φιλομάθειαν, & earum artium, quæ te in cœlum evexerunt, studium acre insitum mihi à puero fuisse non negaverim: tamen quod ingenuè fateor, neque illâ ingenii præstantiâ à Deo sum donatus, neque iis præsidiis fui unquam instructus, quæ sunt illis ἅπαξ ἁπλῶς necessaria, quibus inter proceres reipublicæ literariæ, [quorum tu princeps es] locus sit aliquandò futurus. 1594. Itaque cùm in adolescentia, [etsi ὀψιμαθὴς, & postquàm à patre discessi αὐτοδίδακτος, quodque te non fugit quale sit, hic agens,] spem aliquam de meis studiis supra vulgus concepissem, nunc qui videam spem meliorum, quæ me hactenùs sustentabat, penitùs esse ereptam casu patriæ nostræ, quæ ne te quidem retinere valuit: remitto paulatim acrem illam contentionem, quæ me antè stimulabat, nec somnos carpere sinebat, tuos, domine, reputantem triumphos. Quò magis miror tantoperè potuisse tibi quicquam à me profectum probari. Me verò ne sinat Deus ἄρειον ἱκέσθαι, si quò minùs quicquam meorum ad te mitterem, aliâ re factum, quàm quòd omnia illa, uti erant, ita judicata mihi sunt tuo conspectu parùm digna. Scaligero enim aliquid legendum obtrudere, plus aliquantò semper quàm publicè edere putavi. Nunc quandò mihi tuus amor notus est, tuaque ista tanta perspecta facilitas, audebo, si quid paullò curatiùs edidi, aut deinceps editurus sum, tibi offerre. Strabonem imprimis habere te munere meo volo: quem autorem cùm ex tuis maximè scriptis cœpissem admirari, conatus sum ex parte mendis fœdissimis, quibus totus scatebat, liberare, ac præstitissem fortasse, quantum, te excepto, non quivis, οἷοι νῦν βροτοί εἰσι· alius, nisi omnia mihi tunc temporis adversa contigissent. Sed profectò illud opus non ut partus legitimus ingenioli nostri, sed ut ἔκτρωμα ἐξάμηνον haberi debet. Constitui igitur unum exemplar percurrere, & quædam emendare, priusquàm illud tibi trado. Quarè sustine te, quæso, paulisper, & adhuc à Strabone nostro oculos abstine: spondeo brevi te exemplum paullò melius & accuratius habiturum. Mittam, ut spero, & Suetonium, proxima fœtura: scriptorem, ut scis, magnum, & quem molli brachio nimis videntur tractasse, quicunque hactenùs ejus emendationem atque interpretationem sunt professi. Nos quid in eo præstiterimus nescio: diligentiam certè adhibuimus, ut in hoc rerum nostrarum statu, non parvam, οὐ γὰρ δεῖ ἀφειδεῖν τῶν ἀναγινωσκόντων, ut docuit me gravis scriptor Strabo. Docuisti & tu, vir summe, exemplo tuo, cujus quidem longè vestigia semper adoro. Habemus & alia multa in manibus, cùm in isto literarum genere, tùm in aliis: sed & illis & nobis ipsis quid futurum sit, θεῶ ἐν γούνασι κεῖται. Vale, Scaliger, augustum mihi nomen. *Genevæ*, *a. d.* IV. *Non. Mart.* CIↃ IↃ XCIV.

* Vide supra Epist. VIII. ad Scalig.

Vide lib. I. Epist. Scaligeri, Epist. XXXV.

EPISTO-

EPISTOLA XII.

RICHARDO THOMSONI.

1594. ACcuſas ſilentium meum, chariſſime Richarde, immeritò. Scripſi enim, & prorſus tecum, ſi aliis rebus nequivi, hoc ſaltem officii genere parem calculum ut haberem feci. Scripſeram etiam ad maximum Scaligerum ante quatuor menſes ampliùs: ac deinceps ad te etiam ſcripſi aliquotiès. Si meæ diligentiæ mihi fructus periit, eſt ego cur doleam, non cur à te vapulem; qui perſuaſus eſſe debes, ſeu ſcribam, ſeu taceam, in amore tui conſtantem & ἀδάμαντινον me fore. Sin ita es comparatus, ut paucorum menſium ἀπροσηγορίᾳ labefactari poſſe amicitiam noſtram putes, vide quomodò tui magiſtri, illius veteris dico ambulatoris, κυρίας δόξας, quibus te eſſe addictum ſcio, poſſis tueri. Sed profectò & tibi & mihi de meliore luto Titan præcordia finxit: quare μέμψεων quidem ἅλις. Duas autem à te poſtquàm Lugdunum veniſti literas accepi: quæ me quidem tantæ χαρμοσύνης ἐπέβησαν, ut jam triſte nihil poſſe accidere mihi ſtultus ego crederem. Cùm ecce ſub idem tempus quaſi fulmen οὐρανόθεν ἐνσκήπτει, quod me pœnè tibi meiſque abſtulit. Raptus enim eſt his diebus in ſedes μακάρων ille verè μακαρίτης Petrus Chevalerius, dulciſſimum mihi nomen; cujus in morte quantam jacturam fecerint mea ſtudia, dicerem, niſi animus memoriam triſtiſſimi caſus refugeret. Sed & ille nimirum mortalis erat: & nos quoque illum, cùm Deo viſum fuerit, ſequemur. Crede mihi, nunquam magis imbibi: *Vitæ ſumma brevis ſpes vetat inchoare longas:* etiam illud accrede, amiſiſſe te amicum de meliore notâ. Sed redeo ad tuas, quæ profectò maria quædam gaudiorum mihi attulerunt. Primum illud quanti me æſtimare putas, quod tuo neſcio quo ſtratagemate factum, ut ille mortalium * ἅπαξ ἁπάντων κριτικώτατος tanti noſtras nugas faceret, quanti tu quidem ais. Scis ipſe, me qui meorum pretia novi, ejus oculis dignum nihil judicaſſe quod eſſet à nobis profectum. Si ipſi aliter videatur, patiatur, amabò, me hac in una re δίχα φρονεῖν. Sed tu nimirum hominem faſcinaſti. Quod ſcribis de Empirico †, ſemel velim ſtatuas, me meaque omnia tua eſſe, tibique patere ut tua. Sed quod ad ‡ N. N. attinet, noſti hominem; noſti mores; noſti quid apud eum poſſim; hoc eſt, quàm nihil poſſim; qui videtur in ſuam perniciem conjuraſſe. Nam quod tu putas eum hîc eſſe, falleris: poſtquàm ſemel abiit ante menſes 1594. octo aut novem, ex illo ſemper non quidem per Elyſios campos, ſed per Germaniam ἀλᾶται, πλανᾶται καὶ ἀλύει. Ita enim planè audio ἀλύειν eum, ut neque domum redire, neque alibi aptas ſedes reperire queat. O hominem dignum cujus te miſereat! Spes illa, quam tuis literis facere mihi videris, tuum in me animum magis magiſque mihi teſtatum facit. Sed quod Scaligerum ſcribere memini, quis γλαῦκα Ἀθήνας? Tu nihilominùs æternùm me tibi devinxiſti; cujus amorem, ſidem, & merita nunquam non prædicabo. Libros nondùm accepi quos mitti à te, tua epiſtola ajebat. Noſtrorum enim merces nondum venerant cùm hæc ſcripſi. Quicquid meâ cauſâ impenderis, id cui refundi velis fac me certiorem: alioquin carebo hoc fructu amicitiæ tuæ: tuâ enim operâ non utar. Mandaveram Probo noſtrati, ut exemplar Concordantiæ Græcæ à Stephano editæ, tibi curaret deferendum; reverſus affirmavit feciſſe. Ego nunc Arriani Diſſertationes publicè expono, cujus aurei libri neque Schegkius neque Wolfius umbram viderunt. O Philoſophum! O dignum tuo excellenti ingenio campum! quarè ſi me audis, rape mihi hanc palmam dùm adhuc in medio eſt poſita. Offero tibi quicquid habuero, quod juvare te poſſit. Moliebar ipſe aliquid: ſed melius hoc onus in tuos valentiſſimos humeros incumbet. Nos omnibus malis infirmi ſumus, tamen quid fieri poſſit utcunque poſſumus animadvertere. Suetonium ſcis mihi eſſe ad manum: in eum ſi quid habes, quæſo, adjuva. Procopii libellum, quem tam blandè offers, ſi ſemel pellegero, remittam ſtatim. Agathias doctiſſimi Vulcanii ubi eſt? non enim comparet his nundinis. Quid ille τετραγωνισμὸς τοῦ κύκλου; quandò exſtabit? Beatum te qui talis viri ὁμιλίᾳ fruaris. Ovum quod miſiſti, eò gratius fuit, quòd & à tali viro erat, & me non ſemel valdè vexaverat: non enim mihi ſtomachus paſſeris marini, ut cibos ferreos concoquam. Salus à Douſis, viris nobiliſſimis & doctiſſimis, item ab eruditiſſimo Vulcanio ſic mihi grata, ut nihil queat magis. Spondeo tibi ſcripturum ad ipſos, ut primùm occaſio fuerit oblata: nam nunc quidem nullo poteram modo. Uxor, ſoror mea, & ſororcula tua te ferunt oculis, & plurimum ſalvere jubent. Salutat te & ſapientiſſimus Lectius noſter. Vale corculum meum. *Genevæ, a. d.* VII. *Kalend. Majas* CIϽ IϽ XCIV.

Ante alios ſalutat te frater * Paulus Stephanus. Dionyſia †, cùm iſta maxime

* Joſ. Scaliger.

† Sexto Empirico.

‡ Id eſt, Henricum Stephanum, qui erat ſocer Caſauboni.

* Uxoris frater, Henrici Stephani filius.

† Uxoris ſoror, Henrici Stephani filia.

1594. me scriberem, sic ægrotabat, ut de ejus salute medici inciperent dubitare. Deus illi, tibi, nobisque adsit. Iterùm vale.

EPISTOLA XIII.
JOSEPHO SCALIGERO.

1594. EGo verò scribendis ad te literis non defatigabor, utut perfidè mecum agant, quibus meas hactenùs tradidi. Audio enim nullas te mearum adhùc accepisse: cùm possim liquidò jurare ternas jam ad te literas esse à me datas. Nam postquàm de tuo in me animo factus sum certior, habui nihil antiquius, maxime virorum, quàm ut te affarer, & tibi gratias agerem. Multorum siquidem sermonibus, ac literis nonnullorum (imprimis autem Thomsonis mei) intellexi, probari tibi nostra studia, &, quod ille ait, *nostras te esse aliquid putare nugas.* Agnosco, vir illustris, candorem animi tui: qui tantus est, ut cùm, fatente invidiâ, mortalium sis κριτικώτατος, videaris tamen in æstimandis alienis scriptis, meis certè, plus χρηστότητος quàm κρίσεως adhibere. Meritò igitur te à teneris annis unum colo, unum veneror; meritò etiam unum te nunc amo, qui fores amicitiæ tuæ tam benignè aperuisti mihi: mihi, inquam, qui quidem in votis illud unum habebam, ut quâ observantiâ te tacitus prosequerer, ipse non nescires. Perit enim procari, aiunt, si latet. Nôrunt omnes qui me nôrunt, imò novit ὁ καρδιογνώστης, quàm altè sit in corde meo Scaligerorum illustre nomen insculptum, quàmque sæpè factum, ut aut cum indoctis, aut perversè doctis, ut quisque obtrectare vestrum nomen ausus esset, res mihi fuerit. Vel Cornelius* quidam tibi, sat scio, notus, testis sit meæ πρὸς σε, ut ita dicam, ἐχενείας. Verùm ille & quicunque χορηλιάζουσι, solemnia insaniunt, & animi sui morbum produnt nimis. Tu verò, summe virorum, perge, obsecro, rem literariam divini illius ingenii tui radiis illustrare. Quòd si non ingratas tibi meas esse literas intellexero; non dubitabo posthàc sæpiùs te compellare, teque in multis, si per te licet, magistro uti. Atque utinam, iterùm utinam fecisset Deus Opt. Max. ut στόμα πρὸς στόμα te alloqui, & suavissimo atque exoptatissimo tuo conspectu frui liceret. O illos μακαρίους τῆς θέας, quibus tale concessum est spectaculum; nobis non datum est θεόθεν esse tam felicibus! Quanquam fallor equidem; nam ego te, vir nobilissime, in oculis, in ore, in pectore habeo, haboque ἀδιαλείπτως ἔστ' ἂν γόνατ' ὀρώρῃ. 1594.

* *Bonaventura Cornelius Bertramus, de quo diximus in Gallia Orientali, pag. 68. & seqq.* Colomes.

Scripsit nuper ad me adolescens eruditissimus, & mihi charissimus, Richardus Thomson, se isthìc telam nescio quam esse orsum, quam si pertexeret, ἐλπὶς ἂν ἦν τοῦ λοιποῦ σοὶ μαθητεύσειν· ὅπερ γένοιτο ἂν μοὶ χάρμα πάντων χαρμάτων ἀντάξιον. Sed cur id consilium sperem exitum habiturum, caussam nullam video. Nam ego quis sum? aut quis γλαῦκα Athenas? Quarè ista quidem censeo omittenda: &, quod feci semper hactenùs, me meaque studia Deo permittenda, qui si nos ἐᾶν μέγα φρονεῖν in his studiis voluerit, illud nimirùm fortiter usurpabimus, ἴτω τῷ θεῷ. Intereà tamen ne hìc nihil agamus, lectitamus semper aliquid, & amicorum κελεύμασιν impulsi, quædam edere paramus. In his est Suetonius, quem pro virili nuper emendavimus, & locis multis illustravimus novâ luce. Eum ut publicem urgent amici: nec deest interdùm voluntas. Sed tu, mi Scaliger, stimulum acerrimum atque adeò πιθανάγκην aliquam admoveris, si aliquâ juvare me hâc parte dignatus fueris. Quod ut facias, te etiam & etiam oro atque obtestor. Cætera quæ in manibus habebamus, tantisper suspendimus, donec aliqua divinitùs lux nostris studiis affulserit. Quod quandò sit futurum, aut τὴν ἀρχὴν sitne aliquandò futurum, novit ille ἀρχιτέχνας summus rerum arbiter. Eum supplex veneror, maxime Scaliger, ut te nobis quàm diutissimè salvum servet & incolumem. Vale, & me ama. *Genevæ, a. d.* VII. *Kalend. Majas*, CIↃ IↃ XCIV.

EPISTOLA XIV.
JACOBO BONGARSIO.

NOn eram scripturus ad te ante proximum mercatum Argentoratensem, neque enim argumentum habebam, & ego ita nunc sum occupatus, ut vix anima reciprocare liceat. Repentè oborta multiplex ὑπόθεσις scribendi. Nam & nobilis hic D. à Burghaussen, & præceptor ejus Tobias Scultetus tibi per me voluerunt innotescere. Quarè differre non potui, quin has ad te exararem. Peto igitur à te, ut & nobilissimum adolescentem, omnibus virtutibus insigniter ornatum, D. à Burghaussen; & præceptorem illius, magnâ eruditione virum, Poëtam optimum, in tuam amicitiam recipias, ut tibi à me de meliore nota commendatos. Deindè gratias tibi ago gratissimas pro tuo munere, quo nihil mihi gratiùs, nihil opportuniùs poterat accidere. Ego jam per an- 1594.

1594. num integrum & ampliùs cruciabar exspectatione ejus libri: nôram enim ante quadriennium ferè missum fuisse ab Ursino ad Plantinianos: beasti igitur me, & sanè juvabunt me nonnihil notæ Ursini, etsi de Italis hodiè, quod sit meum judicium, non expectas. Ursinus quidem doctissimus vir est, & de literis, si quis alius, optimè meritus. Sed ego miror eum totiès nostras Transalpinorum emendationes ignorare: emendat enim ferè ea tantùm, quæ pridem sunt Turnebo, aliisque Transalpinis, ut ipsi appellant, animadversa. De Policratico per te primùm intellexi: neque enim in eo catalogo erat, quem vidi. Mox librum accepi missum à Comelino: quarè libero te curâ. Martyrologia expeto cupidissimè; & dùm in Germania es, quæso te, erue mihi alicundè Nicephorum utrumque: nondùm enim potui ullâ diligentiâ consequi, neque Leonem Africanum. Fragmentum quod misisti, etsi, ut judicas, nimis antiquum non est; erit tamen usui, extabitque hujus beneficii memoria. Quòd castigas moram meam, scito auctore te me lentum esse: servo enim sub claustris epistolam tuam quandam auro contrà caram, quâ mones amicissimè, existimationis meæ rationem habeam. Castigas etiam levia quædam mea, quæ mihi exciderunt. Illam epistolam habeo pro tuæ summæ adversùm me benevolentiæ grandi testimonio: itaque tuo consilio uti in posterum constitui. Terrent etiam naufragia famæ, quæ video facta esse ab iis quos tu nosti. Suetonius tamen penè editus est: eramus in libro VII. cùm ista scribebam. Supersunt animadversiones meæ; opus, verè dicam, laboriosum: ubi fuerit editus, faxo habeas exemplum statim: modò sciam ubi sis futurus, & quò mittendum. De conditione Monspeliensi tibi prorsùs assentior: & miror nonnihil ita eam extolli à D. de Fresnes. Equidem ita nullam spem hîc habeo, ut facilè potuerim paulò meliorem conditionem probare. Sustinebo tamen me, &, quod feci hactenùs, Deo atque amicis meis mea commendabo. Scaliger indicavit mihi, D. Busenvallium, tuis opinor, impulsum literis, multa meâ causâ fecisse in negotio Wottonico. Officii igitur mei esse duxi gratias illi agere. Mitto fasciculum, quem velim quàm diligentissimè fieri poterit, cures perferendum. Vale. *Genevæ, a. d.* XIII. *Kalend. Junias*, CIↃ IↃ XCIV.

EPISTOLA XV.

CONRADO RITTERSHUSIO.

NÆ tu me non nosti, Vir doctissime, qui diù te cunctatione ais impeditum, quò minùs ad me scriberes. Si tuæ voluntatis ad me vel tenuis ulla suspicio pervenisset, ademissem tibi pridem dubitationem omnem, teque priùs lacessissem. Quid enim mihi queat esse jucundius talis tantique viri amicitiâ? Ego verò tacitus te pridem, etsi ignotus, amo; nempè ab illo tempore, quo primùm licuit in manibus N. * nostri tuas in Oppianum lucubrationes leviter inspicere. Quod etsi leviter à me factum & raptim, facilè tamen jam tum animo concepi præstantiam ingenii tui: quia non cadebat, opinione meâ, tale institutum in plebejum & vulgarem animum. Quid enim aliquis de plebe Jurisconsultus literas Græcas curet? quid illi cum elegantia summi vatis? aut quid hoc πρὸς τὰ ἄλφιτα, quæ sola vulgus quærit? Meritò igitur te amo, mi Rittershusi, qui nostras literas non ames solùm, sed tam diligenter, tam feliciter colas. Atque ego non possum exprimere quantum perceperim ex eo gaudium, quod testandi amoris mei erga te tam opportuna occasio se obtulit. Quem enim amiseras, veréque perdideras ingenii tui fœtum, ecce eum tibi meâ operâ & fide redivivum: posteà enim quàm de tua re & injuria, quæ tibi facta erat, literis tuis sum certior factus, constitui illicò omnem mihi machinam esse adhibendam, omnem lapidem movendum, ut tibi per me satisfieret: quin hoc verè possum affirmare, antequàm ulla inter nos intercederet notitia, sæpiùs me tuam vicem cum N. † expostulasse: quod non eò dico, ut mihi gratiæ apponatur: neque enim captare illo facto tuam gratiam potui, cùm tu mihi adhùc notus non esses: sed enim quia jus & fas ab amico violari intelligebam, quod in me fuit, obstiti. Falleris verò toto cœlo totâque terrâ, si me putas apud senem illum optimum quicquam posse, aut ad ipsius bibliothecam ullum habere aditum: æquè ac tu, mi Rittershusi, qui tanto intervallo abes: nam etsi amicissimè & conjunctissimè vivimus, tamen ea hominis morositas est, ne dicam aliud, ut planè sit mirabilis in multis ejus vita. Quod igitur eo absente ausi sumus claustra revellere & omnia διφᾶν, ut tuum librum tibi mitteremus repertum, mihi crede, Ilium expugnavimus. An tu nescis quâ difficultate,

* *Henrici Stephani, qui susceperat eas se suis describturum typis. Vide Rittershusii Præfationem in Græca Scholia in Oppiani Halieutica.*

† *Henr. Stephanus.*

1594. cultate, quo annorum spatio Xenophontem suum Leunclavius ab illo receperit? Deterior tua erat futura conditio, ni παρὰ προσδοκίαν meam audaciam Deus adjuvisset. Tu nunc mimum tuum agas vide: hoc est, caveas ne tuâ operâ de hâc re quicquam unquam resciscat N. * noster, cujus ingenium sic est, ut si non refrices memoriam, de eâ re verbum nullum sit facturus: sin facturus, sin ullâ viâ quod consciâ ejus uxore & filio N. † gestum à me est resciscat, dici nequit quantum turbarum sit excitaturus. Ille verò καὶ πλανιέσθω καὶ παλαμάσθω ὅ, πᾶν· οὔ μοι μέλει, τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ. Quod superest, te oro, fœtum hunc tuum ne diutiùs comprimas, sed liberes tandem, & ejus editione de studiosis benè mereri ne differas. Vale, & me ama. *Genevæ, a. d.* IX. *Kalend. Sept.* CIↃ IↃ XCIV.

* Henr. Stephanus.

† Paulo Stephano.

EPISTOLA XVI.

JANO DOUSÆ F.

1594. ACcipe à me, Adolescens doctissime, tenue munus & levidense: verùm amoris in te maximi testimonium fidelissimum. Non faciam tecum paria, fateor; neque ἀντάξιον δῶρον ei rependam quo me nuper affecisti: sed nosti, mi Dousa, vetus verbum: εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδων. Tuum quidem illud carmen, quo me ante aliquot menses donasti, planè erat χρυσοῦ καὶ ἀργύρου ἄξιον ἀντιπρύσασθαι. Scriptum ‡ quod ad te nunc mitto, quanti sis æstimaturus nescio. Ego sanè vereor ut satis prudenter fecisse vobis isthîc videar, qui præter morem σχεδιάζειν ausus sum, & temeritatis aleam subire: sed quid me ad hanc scriptionem impulerit, ab illis ipsis audies, qui hoc totum negotium mihi intriverant. Neque enim dubito, quin Canteros juniores, par fratrum excellens, & mihi charissimum sis visurus: illi πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν tibi narrabunt. Unum scio probabis, pietatem meam in illum ‡ quem ambo ἐξ ἴσου miramur: sed tua sors felicior, cui etiam præsentem intueri, & ambrosiâ sermonum tanti herois pasci datum. Nobis non licet esse tam beatis: itaque quod solùm licet, procul miramur & veneramur. Cùm ab eo semone discessi, quicquid superest admirationis in te consumo, adolescens doctissime: facilè enim ex iis quæ adhùc vidi, quam frugem factura sit hæc seges, quæ adhùc in herba est, auguror. Deus Optimus Maximus, adolescens nobilissime, tua studia prosperet, tuam juventutem regat, vitam totam omnibus bonis cumulet. Quod superest, duo quæ à te petam habeo: alterum, ut apud maximum parentem tuum in gratiam me ponas; alterum, ut me vestri nominis studiosissimum constanter ames. Vale, & diù vive, diù flore. *Genevæ, a. d.* VI. *Kalend. Septembr.* CIↃ IↃ XCIV. 1594.

Richardo * nostro, quem ego adolescentem juxta cum oculis meis amo, quid factum sit, & in qua illum quæram proseucha, ex te scire cupio: nam post ejus Stadâ profectionem nihil mihi de eo compertum. Hoc quoque à te peto, ut quid paret, quid moliatur magnus Scaliger, significes. Comelino mandavi, ut unum tibi exemplar Apologiæ † mitteret; item unum doctissimo Vulcanio, quem meis verbis salutes velim.

‡ Apologiam Apuleji, quam Josepho Scaligero dedicavit.

‡ Scaligerum.

* Thomsoni.

† Apuleji.

EPISTOLA XVII.

JOSEPHO SCALIGERO.

MAgnâ & insigni injuriâ sum nuper à Comelino affectus, Vir illustris; literas enim ad me tuas, quas ego omnibus gazis prætulerim, non reddidit, sed perdidit. O jacturam gravem & magno æstimandam! Sed erat nimirùm in fatis, ut superiores nundinæ Francofordienses multis nominibus mihi essent ærumnosæ: tot res adversæ simul eodem tempore mihi evenerunt; quibus tamen magnâ ex parte levatum me putarem, si tui colloquendi, hoc est, tuas literas legendi, & affectu pio μυριάκις osculandi facultas fuisset. Librum ‡ quoque dono à te missum audio, quem nondum accepi: nec mirum; libri enim nondùm sunt Francfurto allati. Intereà magnas tibi, imò maximas grates ago, vir maxime, pro isto tuo in me affectu; proque eo quod me tuorum subtilissimorum & gravissimorum scriptorum lectione dignum judicaris. Non omninò sanè falleris: nam imitari nec scio, nec possum: at mirari scio, & Deum Opt. Max. ἐκτενῶς καὶ ἀδιαλείπτως orare, ut quia facultatem tibi dedit talium scriptorum, addat & voluntatem. Nos nostraque studia gravis quidam casus propè afflixit. Accidit enim ut Anglus ‡ ille nobilis, de quo proximis meis ad te scripsi, in molestias maximas, non suâ culpâ, me conjecerit; sed perfidiâ quorundam mercatorum, quibuscum illi res sæpè fuerat. Propterea nunc ad illum scripsi in Angliam: easque literas, quia isthic plurimùm me à te amari confidebam, tibi misi; ut, si grave non est, eas tu quàm primùm in Angliam mittendas cures. Vides quàm familiariter tecum agam, 1594.

‡ Cyclometrica.

‡ Henr. Wotton.

1594. agam, vir maxime; sed qui ita sim erga te affectus, ut tuâ caussâ libentissimè omnia sim facturus, ausus sum (præsertim cùm aliter facere non possem) te hoc rogare. Scribo etiam ad Thomsonem, studiosissimum mei virum, ut si quid poterit me hìc adjuvet: eas quoque literas cures velim & mihi ignoscas. Cæterùm accepisse puto te libellum * quem nuper misi, & cum eo literas meas: quamquam, ut hominum perfidia est, nescio quâ fide eum fasciculum curaverint ii, quibus fuit à me commissus. Si vitam Deus largitus fuerit, & otium unquam usquam concesserit, non despero posse me aliquo insigni testimonio animum erga te qualem habeam patefacere. Tibi enim uni ac fermè soli quicquid in nobis eruditionis est [quod scimus quàm sit exiguum] acceptum ferimus. Pater meus, vir optimus & verè pater, fundamenta jecerat: tui zelo quicquid accessit, superstructum est. Non defuit ad magna animus, non voluntas: defuere præsidia planè necessaria; defuit otium, quo nunquam abundavi; defuit ingenium: non ad hanc vulgarem meam & mei similium eruditionem; sed ad alia majora, ad quæ me hortabatur animus, nisi frigidus obstitisset circum præcordia sanguis. Nunquam tuos aut maximi parentis tui libros in manus sumpsi, quin cupiditate audendi aliquid titillarer: nunquam eosdem posui, quin simul desperatione studiorum meorum adductus, vetus dictum, λάθε βιώσας, probandum tollendumque mihi censerem. Quæ hactenùs edidimus, ea penè invitis expressa nobis temporum & locorum iniquitate: semper enim conscii nobis fuimus, si cura & lima accederet, posse multa emendari & fieri meliora. Probari tibi adeò (sic enim omnes ajunt, & scribunt ad me) genium scriptorum meorum, testis mihi Deus accidisse id mihi præter animi exspectationem. Sed puto Doctorum raritatem in caussâ esse, cur tantoperè nostra dilaudes: nam qui hodiè & jam per aliquot annos in his literis propè soli regnare visi sunt, ii, meo judicio, ingenii plus quàm altæ doctrinæ habuerunt. Non semel de illis mihi in mentem venerit, quod de triumphis Asiaticis Pompeji dixisse Cæsarem ajunt, postquàm χαυνότητα earum gentium est expertus. Sed satin' ego sanus qui te tamdiù à gravissimis tuis studiis avocem? parce, quæso, Scaliger, venerandum mihi nomen, & da mihi hanc veniam, ut tecum aliquandò garrire possim. Sic me Deus amet, ut ego ex omnibus meis ærumnis conquiesco, cùm ad te scribo. Videor præsens præsentis os illud σεβάσμιον intueri. Verùm desino, & tumultuariam epistolam voto claudo. Deum supplex veneror, mi Scaliger, te, literarum unicum præsidium, quàm diutissimè salvum servet atque incolumem. Vale, & me ama. Raptim in summis curis iisque molestissimis, *Genevæ*, *Idibus Octob.* CIↃ IↃ XCIV. 1594.

* *Apologiam Apuleji.*

Cùm ad me scribes, vide, obsecro, cui literas trades: si iterùm tuæ pereant, ilicet; perii ego quoque. Iterùm vale. In Suetonio & Athenæo, aut Polybio si quæ habes, vel potiùs, quæ habes observata, ea mecum communices, precibus maximis à te contendo. Accedat hæc meis scriptis commendatio, quod eorum autor & conditor privatim à te multa fuerit edoctus. O si quis me Deus isthùc transferat, ut te videre, tibi μαθητεύειν possim! Intereà non possum dissimulare, exambire me, ut editio nostra Suetonii aliquo tuo elogio ornata prodeat. Potes vel disticho, potes vel versu uno ambitioni meæ satisfacere.

Ad hanc respondet Scaliger, Epist. lib. 1. Epist. XXXVIII.

Epistola XVIII.

JACOBO BONGARSIO.

Binas ad te jam scripsi, nobilissime Bongarsi, post acceptas illas tuas priores ex Lotaringia, ni fallor: posteà etiam alteræ mihi sunt redditæ, quæ mihi qualem lætitiarum cumulum? Tu qui me aliquid linguâ posse credis, hoc, mihi crede, in summis meis ærumnis, ob casum, de quo nuper ad te scripsi, expressisse à me tuas literas non gaudium tantùm, sed etiam gestientem illam lætitiam, quæ latere non potest. Meritò quidem, mi mellitissime & φιλοφίλτατε Bongarsi: meritò, inquam; soleo enim absque tuis literis in suavissima tui nominis recordatione ex omnibus molestiis acquiescere. Age igitur, amabò, virorum optime, perge me, penè dixerim, servare, & ex iis angoribus eripere, qui penè me absorpserunt. Nam, ut scripsi ad te nuper, Anglus * quidam nobilis meam rem familiarem penè afflixit: non sine aliquâ meâ culpâ, quod doleo, qui in magna summa sic pro eo spopondi, quasi nescirem illud, ἐγγύα. πάρα δ' ἄτη· vel illud, Νᾶφε καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Sed laudetur Dei Opt. Max. in me benignitas, quæ oranti præstò fuit. Ille, ille me non fefellit, ut plerique meorum hìc amicorum, qui cùm possent nullâ suâ incommoditate, nedùm jacturâ, testatum facere 1594.

* *Henr. Wotton.*

facere

1594. cere ſuum animum amicum, maluerunt vetus proverbium tollere, ἀτυχοῦντ@ ἀνδρὸς ἐυθὺς ἐκποδὼν φίλοι. Abeant verò illi & ἐῤῥέτωσαν, homines tam ſancto & gravi nomine indigni. Sed ſatin' ego ſanus qui hanc expoſtulationem apud te inſtituo? Enimverò dùm totus animo & mente defixus ſum in amoris tui fide, vi & conſtantiâ, ſubiit iſtorum tui diſſimillimorum recordatio. Macte, vir nobiliſſime, & hanc gloriam, quæ pauciſſimis hoc tempore convenit, magis magiſque tibi vindica. Sum autem, ne ſis neſcius, planè omni nunc moleſtiâ exolutus. Nam hic omnibus ſatisfeci ad ſummam ▽ 230. exceptis 48. quos meo nomine Pariſiis ſoluturum ſe obtulit alter quidam Bongarſius, Bullionius, vir quem virtus & eruditio juxta commendant. Tu carmen votivum mihi concinna è tantis moleſtiis elapſo. Eidem chariſſimo Bullionio pridem aliquot Apologiæ exemplaria dedi Lutetiam perferenda, & iis offerenda qui me illic amant: in his tibi unum inſcriptum eſt, & aliud clariſſimo Puteano, cui & miſi eâdem viâ tuum Plinium cum Ennodii Panegyrico. Quid? tu me putas malæ fidei debitorem, qui tot litteris de eo libro mittendo me appelles? nonne ſi meas omnes fortunas, ſi quicquid mihi carum eſt, à me peteres, nedùm rem tuam, verbo ſemel voluntatem tuam indicaſſe eſſet ſatis? De Suetoniis, euge, euge, ô factum benè quod attuliſti. Sed quandò illos videbo? nam ſanè fervet opus. Heus tu verò, qui meam lentitudinem caſtigas; quid tibi vis? nonne tute mihi epiſtolâ quâdam ante annum, & quod excurrit, auctor procraſtinandi fuiſti? illam dico epiſtolam quæ ſapientiſſimè, mellitiſſimè ſcriptiunculas aliquot meas nimis quàm leves exagitabat. Mi Bongarſi, Deum teſtor, cùm à te plurima mihi jucundiſſima ſint in me profecta, nullâ tamen re æquè me tibi obſtrinxiſti, atque illâ aureâ epiſtolâ: quam ego ſervo non ſub clauſtris, ut ille ait, ſed ἐν δέλτοις φρενῶν inſcriptam. Scias igitur me tuo conſilio uti, & quæ paro ad edendum, ea benè & naviter concoquere; ut, ſi fieri poſſit, nihil niſi benè coctum exponam. Ad Suetonium putavi me breves notas ſcripturum: ecce autem magnæ molis ſurgit Commentarius; necdùm tamen finis. In eo libro, amiciſſime virorum, periclitatur omnis noſtra exiſtimatio in his literis. Nam ſi, quod inſtitui, Deus dederit abſolvere, audebo dicere, nihil ad noſtra, quæ ediderunt interpretes priores. Sed quantis premar temporis anguſtiis, vides: cui quotidiè docendum maximo cum labore & diligentiâ: ſæpè ut vix 1594. ſuffurari privatis ſtudiis aliquot horas ſingulis hebdomadibus poſſim. Et miraris meam lentitudinem? magis mirere ſi quid tandem, quod ad tuum guſtum ſit, poſſit à me elaborari. De Laërtio * Romano, quàm doleo me eum vidiſſe necdùm? ille mihi multis nominibus cariſſimus auctor. Quid autem iſti per Deum novi præſtiterint? nam jacent, ut ſcis, Græca ſtudia totâ Italiâ. Si potes, fac videam; ſin, per alios curabo: quanquam noſtrates quotidiè in meis mandatis experior nimis quàm negligentes, cùm tamen nunquam ſine magno ſuo lucro mecum paciſcantur. Sed tandem manum de tabula. Vale, amiciſſime, chariſſime, optime amicorum. *Genevæ, raptim prid. Kalend. Nov.* CIↃ IↃ XCIV.

* Eſt hic Diogenes Laertius Romæ editus cum notis Thomæ Aldobrandini formâ majore, anno 1594.

EPISTOLA XIX.

JOSEPHO SCALIGERO.

NÆ † ego durâ fronte fuiſſem, Virorum maxime, ſi tuas literas nuper legenti ἐρυθριῶντος αἰδὼς genas non ſuffudiſſet. 1594. Tune ut in meis lucubrationibus quicquam præter ἀμουσίαν mireris? tune ut ex animi ſententiâ ita noſtra dilaudes? Non mentior, Scaliger præſtantiſſime, ſed quod res eſt dico: hâc tuâ epiſtolâ planè alium me, quàm priùs eram, feciſti: jacentem, inquam, erexiſti, & ad audendum deinceps aliquid animos feciſti: tantum denique alacritatis ad ſcribendum adjeciſti, ut quicquid unquam mihi reſpublica literaria debebit, [ſi quid debitura eſt] id totum uni tibi in ſolidum acceptum ferri debeat. Quantum tibi tribuam, ex eo potes æſtimare, quod probè mihi conſcius quàm ſit mihi curta ſupellex; tamen tibi de me ipſo plus quàm mihi credere incipio. Hoc tû unis literis aſſecutus es: quid me fiet, ſi, quod ſpero, plures miſeris? Sed fallor: nam ut arbitror, quam ingenioli noſtri admirationem [ſic enim loqueris] Characterum ‡ lectio excitavit, eam tibi ejuſdem ingenii, ſed non ejuſdem genii, certè diligentiæ non paris, opella adimet, quam auſus ſum ad te muſteam adhùc mittere. Apuleji Apologiam dico, quam hiſce diebus, ἔπη τι χρία Σείριος ἄζη, recenſui ac paullo meliorem feci. Eum librum non dubitavi tibi, vir maxime, προσφωνεῖν, & de tui nominis ſplendore lucem illi fœnerari: audenter nimis, fateor: nam, quid hic dignum quod te à divinis tuis ſtudiis vel tantillum avocet? ſed fecit me audacem fiducia tuæ illius immenſæ ἀνεξικακίας,

† Hæc eſt reſponſoria ad Scaligeri lib. 1. Epiſt. XXXV.

‡ Theophraſti.

1594. κακίας, quâ si videbor abusus, quæso, ignosce & deprecanti veniam concede. Datam mihi scribendi ejus libelli occasionem, ne te pluribus morer, narrabit H. W. * nobilis Anglus, qui has tibi, ut spero, tradet. Narrabunt & Canterii fratres, clarissimi viri Theodori Canteri filii εὐγενέστατοι: & qui cum illis apud me erat Werkhovius, adolescens Ultrajectinus optimus & pereruditus. Hi sunt quos in προσφωνητικῇ epistolâ testes allego: quos ego confido huic scripto ἐσχεδιασμένῳ patrocinium apud te paraturos. Equidem hoc unum vehementer laboro, ut animum tibi prorsùs devotum & καθωσιωμένον probem. Hoc si assequor, voti reus sublimi feriam sydera vertice. Quòd si hoc ampliùs impetrare me à te siveris, ut meos errores οὐδὲ πάρεργον castigare, & quæ nescio docere me digneris, immortalitate me donatum putabo. Hoc majus à te expetere aut exspectare nihil possum: ἐν γὰρ τῷ ἐπίστασθαι κορυφοῦται πὰρ ἐμοὶ τ' ἀνθρώπινον ἀγαθόν. Vale, unicum sæculi decus, & me ama. *Genevæ, a.d.* VI. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ XCIV.

* Henr. Wotton.

Strabonem mitto, qualis ante aliquot annos est editus: hoc est, meis & typographi σφάλμασι scatens. Volui aliquid emendare: deinde operâ aliquotiès negociis interruptâ, mutavi sententiam, & me tibi totum aperui: hoc est, frontem seriò perfricui. Salutant te vetus amicus tuus Johannes Pinaldus, Lectius & Tornæsius.

EPISTOLA XX.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1594. POsthàc igitur literis te meis appellare, Thuane præstantissime, non verebor, quandò id tibi gratum fore ex mellitissima epistola tua intellexi. Mallem equidem præsens tui conspectu tuisque colloquiis interdùm frui, meumque adversùm te animum alio officii genere tibi testatum facere: sed quoniam omnem ejus rei in præsens facultatem, in futurum etiam spem patriæ propè depositæ status nobis adimit, non committam ut in hoc saltem cuicuimodi officio meam desideres diligentiam. Ac respondissem equidem maturiùs suavissimis illis literis tuis, nisi illis quoque idem usu venisset, quod iis quas anno ad te misi accidisse ajebas, ut lentè adeò atque testudineo gradu ad te pervenirent: ociùs aliquantò tuæ ad nos, sed, ut arbitror, non multò. Accessit deindè & dilata in horas, in dies, in menses denique plures eruditissimi & charissimi Bullionii, cui 1594. meas traditurus eram, isthùc profectio. Ex illo intelliges (si modò est tanti) quo studio, quâque animi alacritate in hac publica temporum lue veteres nonnullos utriusque linguæ auctores recensere, eorumque editiones concinnare pergam. In his est, ut nuper etiam scribere memini, Suetonius Tranquillus, scriptor [Deus bone!] doctus & accuratus; quod omnium minimè te fugit, doctissime Thuane: verè enim ad cæteros tuos titulos adjici hic quoque potest. Eum tantum auctorem cùm aliquandò accuratiùs recensuissem, & non pauca prioribus censoribus invisa observassem, cepi ejus edendi impetum. Sperabam verò levi operâ & molli brachio brevique tempore posse me eo negotio defungi, nunc cùm ad calamum manum admovi, commentarium fermè justum scripsi propè citiùs quàm sensi. Non lusero, uti spero, operam: id enim sedulò curatum mihi, ne actum egisse æquis existimatoribus & doctis possem videri. Cæteri quid sint judicaturi, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ· tibi tuique similibus lectissimi judicii viris si satisfecero, omne me tulisse punctum putabo. Hanc unicam mercedem jugis & indefessi studii in literis mei posco. Vale, vir maxime, & me tui observantissimum amare perge. *Genevæ, a. d.* XIII. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ XCIV.

EPISTOLA XXI.

JACOBO BONGARSIO.

ET discedens in Gallias literis meis 1594.
tibi valedixi, Bongarsi, amicorum dulcissime, & nunc ex itinere Dei beneficio redux, ante alios amicos salvere te jubeo omnium primum: utique eorum, quos absentes per epistolam solùm cogor compellare: isthùc si venissem, aut tu hic esses, nullius meorum limen priusquàm tuum accessissem. Cujus enim meorum in me vehementior quàm tuus affectus est? qui præter alia innumera beneficia quibus me tibi devinxisti, paucis illis diebus, quibus abfui, binas ad me dederas: totidem enim reperi tuas, simul sum domum ingressus. Prioribus pollicebaris mihi Africanum Leonem; posterioribus offerebas. Faciebas & de Nicephoro spem: quam ego non vereor ne decollet. Tuum est, quod sæpè expertus dico, postquàm aliquid promisisti, id quasi debiti loco ducere, & statim fidem solvere. Perge sanè: neque enim te possum impedire, ac ne velim quidem, si possim, quominùs tuus sim tandem ὅλος

καὶ

1594. καὶ πᾶς asse & librâ tibi quæsitus. Ego verò quid aliud possum quàm amorem tuum & munificentiam prædicare? quod quidem nuper facere volui, cùm occasione Ursiniani libri facerem tui mentionem: nam quod ais (volo enim binis tuis sigillatim respondere) librum illum non fuisse tanti: ego verò sic me locutum putabam, ut Lectori planum facerem, multa alia, eaque eximia, tua fuisse munera, quibus studia nostra adjutum isti: sed huic malo brevi, σὺν θεῷ, medicinam fecero. De loco * pag. 132. 16. *Citharam autem à jud. &c.* rectè mones exstare & aliam γραφὴν Citharæ: nec omittemus; etsi alteram putamus veram esse, & rationes afferemus. In Nerone benè scriptum: *Deinde in orchestram senatumque transit*; nam orchestra in theatro Romano sedes senatorum: & ita loqui auctores solent, sedere in orchestra; sive, quod idem est, sedere in senatu. Veterem illam libelli de illustribus Grammaticis editionem Mediolanensem, quam laudas, tibi periisse, summo dolori mihi est: nam equidem nullos neque editos, neque scriptos libros hîc nancisci potui, quorum subsidio perpolirem illa ἀποσπασμάτια. Sed nos aliud molimur in eo genere, & de Criticis veteribus ea parata habemus ex antiquis Hebræis, Græcis & Latinis, quæ non promit in suo de Criticis libello ὁ πάλαι ποτὲ ἄλκιμος Stephanus. Venio ad alteram epistolam tuam. De Apollonio Tyrio & Eugippio libero te curâ; nactus enim sum apud nostros mercatores. Magnam orexin excitaverunt mihi incogniti isti tituli: reperi autem vetus dictum, θησαυρὸς ἄνθρακες; sed editoris culpâ nullâ, qui vir gravis est, & à venditando fumo alienus. Camerarii de partibus corporis humani vidi nunquam: certè quidem non legi; nam vidisse quidem memini in manibus Stephani: ita tamen ut cùm ille meis quotidiè libris abuteretur pro suis, fas tamen mihi tangere, nedùm pervolvere, non fuerit. Non dubito quin ex illo blattas ac tineas misellus in libraria, quam à multis annis non invisit suus dominus, paverit. En hominis! sed continebo me. Lipsii ad Polybium tandem vidi: & vis dicam liberè quid sentiam? opus est, labore magno, judicio recto, ingenio denique talis viri conceptum feliciter ac formatum. Nemo negaverit unum illum hodiè res veteris Reipublicæ Romanæ, & nosse eximiè, & explanare omnium elegantissimè: veruntamen, quod inter nos liceat, (μόνοι γὰρ ἐσμὲν) mirari interdùm subit, cur hanc potissimam rationem tractandi ejus argumenti elegerit? Nam 1594.
ad Polybii lucem quid admodùm attulerit sui, nondùm videre potui. Multa ille quidem meliùs vertit quàm priores fecissent interpretes: sed magnam eorum partem Turnebus, aliique sibi vindicant. De cætero, si quid in Græcis illis obscuri fuit, lucem id adhùc desiderat: non enim alluxit fax Lipsiana illis locis: fecerit fidem vel unum verbum σάλυμα, de quo nihil notatum ab illo vidi pag. 170. non vulgare, non omnibus notum, nihil denique quod mentem Polybii explicet aut vim verbi. Mitto errores aliquot mihi notatos in explicandis locis Græcorum scriptorum: neque nos tamen studiosè quæsivimus, sed casu in illos incidimus. Quarè si tua me confirmaverit auctoritas, non desistemus ab incepto, & Polybium tandem nostris vigiliis illustratum publicabimus: præsertim cùm publicè nuper, inscius quid à Lipsio esset editum, fidem meam adstrinxerim, & quidem disertissimis verbis, ad librum, si memini, tertium †. De Tertulliano, ita est, ut dicis: possem ita illum suscipere explicandum, ut simul historiam Ecclesiasticam multùm juvarem: sed eam provinciam audio jam à Francisco Junio esse susceptam: qui si acerrimo illi quo pollet ingenio, minùs indulserit, non alium ille Afer vindicem poscere debet. Mihi sæpissimè ea res in mente fuit: & memini ante triennium egisse me cum collegio nostro, ut de Pallio, libellum sanè quàm obscurum, publicè fas esset interpretari. Cœtus noster in alia omnia transiit, me multùm renitente: totus enim eram in eo. Sed posteà relanguit ille impetus. Sic tamen ut ne nunc quidem omnem spem abjecerim. Quid? inquis, Stoici tui ubi sunt? hem: captus sum. Video enim calvere me ampliùs non posse, nec pedem struere: urges enim tu, & latitantem investigas semper. Quid igitur faciam? quid autem, nisi ut rem ipsam tibi explicem; &, si possum, moræ adhùc aliquid à te impetrare coner? Equidem, charissime Bongarsi, debere me eam operam tibi, debere iis, qui me suis libris instruxerunt, non nego. Sed datam adhùc mihi esse exequendi, quod sum pollicitus, facultatem, hoc verò nego. Nempè hoc petis, ut novam Arriani & Simplicii editionem parem & adornem: atque id ego & volo, & σὺν θεῷ spero. Sed quis nunc illam suscipiet? Condolus, qui nuper edidit minore formâ Arrianum cum versione Schegkii, sine damno & fraude suâ non potest: nam Schegkiana ejusmodi non sunt, ut si nostra ediderimus, (absit invi-

* Sueton. Ner. c. 12.

† Tiber. cap. 65.

1594. invidia verbo) illa futura sint assis unius. Possem alii typographo tradere: tum verò major etiam jactura facienda esset Condolo. Quid ergo faciam? dic tu, quæso, & Homerico verbo ἐξαύδα μὴ κεῦθε νόῳ ἵνα εἴδομεν ἄμφω. Sanè tempus est eritque mihi longissimum, usque dum tibi aliisque amicis hâc parte satisfecero. Quod reditum in Galliam paras, Deus consilium fortunet. Quod me invitas ad societatem itineris, vellem ita felix essem, ut sperare tantum gaudiorum & amœnitatum possem. Sed res meæ eo loco non sunt, ut aut mihi aut tibi promittere id queam. Tamen videbimus, aut Deus potiùs videbit. Sed, ὢ τῆς ἀδολεσχίας! inquies. Vale igitur, meum mel. *Genevæ*, *a. d.* XVIII. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ XCV.

Quas huic adjunxi epistolæ, velim cures perferendas: feceris, ut sæpè, rem gratissimam: velim etiam legas epistolam, quæ est ad Albericum, & rem promoveas.

EPISTOLA XXII.

JOHANNI SARACENO.

1594. Binas à te, Saracene eruditissime, post meum è Delphinatu reditum, accepi literas: dum enim cupidè exspecto facultatem prioribus respondendi, nec tamen reperio, ecce oppressit me altera epistola tua, brevissima illa quidem & sermone scripta τῷ ἐπιχωριάζοντι· quorum utrumque cùm sit præter consuetudinem tuam, non vana fortasse suspicio mea est, te, postequàm in celeberrimum illud emporium scientiarum venisti, cœpisse nos nostrasque Musas contemnere, & pro indignis habere qui isthic parto industriâ tuâ nectare vesceremur. At nos antiquum obtinemus, & quia assuevimus Latinè tecum loqui per literas, non imitabimur factum tuum: si modò permittis nobis ut tecum more nostro ἀδολεσχῶμεν, & ut quidquid in solum venerit, chartæ impingamus. Sed misso joco consilium tuum de non migrando ut amoris indicium & testimonium grande habeo. Crede mihi, ubique est κακῶν Ἰλιάς: sed mala consueta, ut ille ait, tolerabiliora. Audio scripsisse ad me Ranchium & Gigordium: literas nondum accepi, sed noster Joli affirmabat. Rescribam ubi accepero. Vale, & longiores à me exspecta. Nam quis tibi dixit me esse de numero eorum, qui dormierunt in Parnasso? ego verò haustum nullum unquam hausi de fonte Caballino. Vale: nam laciniâ me tenet tabellarius, sive alius ejus nomine ad me missus, ut has acciperet. Vale. 1594. *a. d.* XIV. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ XCV.

EPISTOLA XXIII.

JACOBO BONGARSIO.

Ergo tu iterum in Germania, Bongarsi 1595. præstantissime? O si quis me isthuc sistat superum! quo ego gaudio perfunderer, si te videre, alloqui, amplecti mihi divinitus concederetur? sed nobis non licet esse tam beatis. At jucundissimâ certè intereà fruimur atque adeò pascimur amoris nostri recordatione. Nulla enim abit dies, nulla (mirum dictu, sed verum) hora labitur, quâ ego non suavissimam tui memoriam recolam, de te cogitem, de te apud amicos loquar. Ita altè sedet in nobis, virorum optime, tui amor: quem tu & aliàs sæpe, & nuper munere declarasti, & magno & grato θαυμαστὸν ὅσον. Accepi enim tandem, quos doctori Lobetio commiseras, libros: pro quibus quas tibi grates agam, nescio. Nam usitata verba in hoc genere, vel frequentibus jam literis ejusdem argumenti pridem consumsi, vel etiam infra meritum tuum longè esse videntur. Quid enim tibi reponam pro ista continua juvandi mea studia cura? Sanè benè de me mereri, & me tibi devincire non poteras aliâ ratione tam efficaci: mihi enim πᾶς ὁ βίος sunt literulæ nostræ: in quibus totum tempus atque adeò otium hoc qualecunque totum colloco. Deme literas mihi, & ipsas steriles Musas: tunc erit non ampliùs vita vitalis. Quid parem, quid adornem, pluribus exponerem, nisi hæc rapidissimè scriberem: & tamen nosti, illa scilicet, quæ sæpius ex meis literis didicisti. Suetonium enim ne ederem his nundinis, nihil admodum impediit quàm tui codicis expectatio. Eum ante tres quatuor hebdomades nactus, operi me statim accinxi: & jam, cùm ista leges, sis persuasus rem inibi esse, ut consummetur. Arrianum à me petis: non frustra eris, si Deus vires dabit! sed cùm eum auctorem publicè superiore anno exposuerimus, didicimus tandem, quantum βάθος esset ejus philosophiæ. Multa alia sunt de quibus plura scribam ad te, otii plusculum nactus. Quæ scribis de magnis illis amicis Parisiensibus, grata, gratissima fuere. At de maximo illo amicorum D. de Fresnes, quid taces? annus est & ampliùs cùm de eo nihil ad nos. Vale, charissime Bongarsi. *Genevæ*, III. *Non. Martii* CIↃ IↃ XCV.

EPISTO-

EPISTOLA XXIV.
JOSEPHO SCALIGERO.

1595. AUsus sum ante aliquot menses, maxime Scaliger, libellum * nescio quem, cujus editionem precibus, imò convitiis penè extorserant à me amici quidam, ad te mittere, & de tuo fulgore lumen illi fœnerari. Eum acceperis necne incertus sum: tacuisti enim ab illo tu: ego certè tuas nullas accepi: cùm tamen aliquoties ad te posteà literas dederim. Illum quidem librum oblaturum se tibi meo nomine receperat nobilis quidam Anglus †, cui duo exemplaria à me fuerant tradita, alterum tibi, alterum Dousæ Juniori. Quid illi Anglo, quid libris sit factum, juxta scio cum ignarissimo: planè enim ᾤχετ' ἄιστος ἄπυστος, sic ut de eo, postquam Francofurto exiit, nihil omnino scire potuerim. Is quantam mihi molestiarum Iliada Francofurti creaverit, ex iis literis, quas novissimè ad te dedi, intellexisti. Verùm ista Deus, uti spero, εἰς ἀγαθὸν χρονιᾷ· neque attinet vanis sermonibus diutiùs à divinis tuis studiis te avocare. Quare desino, & verbum non addo, si priùs te oravero, ut sive librum illum acceperis, sive non; factum meum æqui boni consulere velis. Vale, Vir plurimùm observande: Deus te nobis diu diuque præstet salvum valentemque. *Genevæ*, *a. d.* IX. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCV.

* Scilicet Apuleji Apologiam.

† Henr. Wotton.

Suetonius sub prælo est. Immortali beneficio me tibi devinxeris, si quas habes in eo autore castigationes & animadversiones, eas mecum communicare fueris dignatus. Hoc à te peto etiam atque etiam maximopere. Cùm hæc scribebam, aderat mihi Tobias Scultetus, excellentis ingenii vir, & nostris literis apprime cultus: qui iter ad te affectans, me interprete & admissario uti se posse credidit. Peto igitur à te, ut tu studiosissimum nominis vestri juvenem in numerum tuorum cultorum recipias.

EPISTOLA XXV.
JANO DOUSÆ F.

1595. CUm ante aliquot menses literas à te accepissem, Dousa præstantissime, amoris in me tui indices, rescripsi mox, & pro præstantissimo illo carmine, quo me donaveras, musteum adhuc libellum nostrum misi: eas literas librumque illum acceperis necne haud scio: nihil enim ex eo tempore literarum ab eo nobili Anglo accepi, cui fasciculum meum commiseram; nihil item à te, nec à magno Scaligero, quem binis literis à discessu Angli compellavi: ego verò benè mecum agi putabo, si ternis quaternisque meis unas illius expressero. Novi enim quàm peccent in publica commoda, qui heroem illum à divinis suis studiis vel tantillum avocant. Tuas verò, nobilium juvenum decus, paullò frequentiores expeto simul exspectoque: nihil enim jucundius mihi, nihil gratius accidere potest, quàm si, quando aliter non possumus, hoc saltem modò invisamus nos & invicem colloquamur. Equidem etsi soleo esse occupatissimus, tamen in colendo hoc genere officii tecum, ne meam diligentiam possis desiderare, sedulò cavebo: tu ut parem mecum ponas calculum vide: aut ne me ita accendisses in amorem tui: planè enim ita me cœpisti; eam flammam in animo meo quà amoris, quà admirationis tuæ istius tam raræ indolis excitasti, ut cùm ab eo discessi, quem nostri quantâ veneratione prosequar, neminem habeam quem tibi anteponam, & à quo me amari magis cupiam. Vale, & nobilissimo parenti tuo plurimam à me salutem. *Genevæ*, *a. d.* IX. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCV.

Clarissimos doctissimosque viros Junium & Vulcanium meis verbis salutes velim. Canteros juniores, si isthic sunt, plurimum salvere jubeo & benè rem gerere. Scripsi ad patrem: scripsissem & ad illos, si otium fuisset.

EPISTOLA XXVI.
DAVIDI HOESCHELIO.

COmmodum nuper cùm tuis respon- 1595.
derem, allatum mihi est, habere te, Hœscheli doctissime, Athenæi Epitomen MS. Eò statim adjeci scriptæ jam epistolæ preces meas, ut ejus libri usum mihi, concinnanti illius auctoris editionem, concederes. Misi illicò eas literas Francofurtum ad Commelinum, obnixè rogans, ut eas tutò curaret perferendas. Sperabam sanè, quæ tua humanitas est, non denegaturum hoc te mihi, præsertim rogatum, & in communem utilitatem. At ecce opinione meâ falsus sum: tu enim petitionem meam non exspectasti, sed ultrò librum, quem habebas, utendum misisti. O benignitatem obviam atque prolixam! ὦ τῆς σῆς χρηστότητος! Non tu imitaris ineptos quosdam homines, quibus nulla adeo gloriatio placet, quàm siquid rari habent, id ut soli habere & sibi tantùm dicantur. Odiosum, impor-

1595. portunum αὐθέκαστοι, & à Musis alienum genus hominum. Tales memini me experiri aliquoties magno cum stomacho meo. Tu verò ita me tibi facilitate hâc adjunxisti, devinxisti, atque adeò obstrinxisti, ut persuasissimum tibi cupiam esse, patere mea omnia tibi. Cæterùm de Athenæi editione nondum cogitare possumus, quin priùs Suetonium, qui nunc in eo est ut edatur, cum nostris Animadversionibus perfecerimus: multùm enim scriptor ille eximius rerum Romanarum nos exercuit. Eo labore defuncti statim emittemus σὺν τῷ Θεῷ Athenæum; & mox, uti spero, etiam Polybium maximâ curâ à nobis recensitum & illustratum. Sperabam hâc præteritâ hyeme posse me pleraque hæc perficere: sed gravissimi casus ejus rei facultatem mihi eripuerunt. Vale, Vir clarissime. *Genevæ, a. d.* VIII. *Kalend. April.* CIϽ IϽ XCV.

Epistola XXVII.

JACOBO GILLOTTO.

1595. QUàm gratæ tuæ literæ mihi fuerint, Vir præstantissime, non si mihi χάλκεον ἦτορ ἐνείη, possim verbis satis eloqui. Equidem ita factus, ita ab optimo parente sum educatus, ut in colenda, ἣν ἔλαχον, Sparta semper ante oculos habuerimus publicè prodesse; quamplurimis & magnis viris, quos etiam de facie incognitos ab ineunte ætate sum veneratus, me & studia mea probare: alterum quàm sim hactenus assecutus, aut porro sim assecuturus haut scio: præstiti certè minus, quàm volui. Facultas enim & ingenii vires, quæque ad eam rem prorsus sunt necessaria præsidia omnia citra voluntatem steterunt. Quò maximè gaudeo tam abundè alterum mihi contigisse: video enim magnum istum omnium doctissimorum virorum consensum in probanda laudandaque alacritate animi, quâ feror ad juvandas penè vergentes ad interitum literas. Tuæ verò literæ, Gillotte clarissime, tui hujus adversum me animi testes & indices, ita me affecerunt, ut iis lectis cumulus ingens accesserit studio meo priori de Musis benè merendi. Video enim magnâ diligentiâ opus esse, si vestram expectationem fallere noluero. Equidem det modò vitam, vires & otium ὁ ὑπὲρ ἡμῶν, mihi nunquam deero. Cæterùm si eventus opinioni tuæ, tuique similium, qui dignum aliquid vestris accuratissimis judiciis à me expectant, non respondebit, vobis imputate: neque enim verbis meis in eam opinionem estis inducti: sed omnis in tua humanitate mea sita spes est, tu scriptis nostris pretium addes. Nemo enim futurus est inter doctos, qui illa quantivis non faciat, quæ tuam meruisse commendationem intellexerit. Quare illud unum te rogo, ut me meaque ornanda suscipias, aut potiùs, quia sponte tuâ suscepisti, pergas porrò tuum mihi patrocinium commodare, non aliam omnium meorum laborum mercedem postulavero. Suetonius tandem prælo commissus est: sequentur, si Deus voluerit, Athenæus, Polybius, Dio, Arrianus, Epictetus, alii, quos ordine publicare stat mihi. Superest, ut pacem & quietem non solùm κουροτρόφον, ut vocatur à poëta, sed & μητροτρόφον ab eo petamus, qui solus ruentem miseram patriam, & tantum non depositam fulcire, atque in priorem splendorem restituere potest. Vale, Vir maxime, & tibi persuade, eâ cupiditate videndi tui me flagrare, ut si patietur temporum atque itinerum ratio, teneri diutiùs non queam, quin isthuc excurram. Vale itidem, & me ama. *Genevæ, Idibus Aprilis*, CIϽ IϽ XCV.

Si grave non est, peto à te, ut præstantissimum virum Jac. Augustum Thuanum Amerium meis verbis quàm officiosissimè salutes: scripsi nuper ad illum, & Apologiam misi, non ut tu apellas ἐγκυδὲς δῶρον, sed verè nec minus ἐμπεραχῶς ὀλίγον τι φίλοντι. Mittam & tibi & illi Suetonium, ubi primùm fuerit editus. Literas ipsius, quas amicissimo Bullionio tradidisse ais, scelerati homines interceperunt, meque tanto bono privarunt.

Epistola XXVIII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

SIgnificavit mihi nuper literis suis clarissimus vir Jac. Gillottus, accepisse literas se à te, quas ad me scripsisses, quasque ipse tradiderit amico nostro Bullionio. Eas literas periisse neque ad me pervenisse significavi nuper, cùm per ejusdem amicissimi Bullionii servum à pedibus isthuc literas darem. Sed & impræsentiarum oblatam occasionem affandi te, Auguste verè auguste, & literis meis salutandi prætermittere nolui: præsertim cùm spes esset tutò perventura quæ scriberem in tuas manus. Qui enim tuum in me animum notum habeam, interesse mea judico, quàm creberrimè apud te & amoris mei & studii testimonium exstare. Ne pluribus scribam, facit Suetonii editio, 1595.

quæ

1595. quæ ante dies octo instituta totum me sibi vindicat mancipatque. Eo labore perfunctus habeo alia plurima, quæ statim prælo, si ita τῷ κριτῇ videbitur, committantur: ἔλπομαι μὲν ἐν θεῷ κέχρασαι πέλος, ut Lyricus Poëta inquit. Mihi verò nihil tam deest (& desunt tamen multa) quàm libri ad ea, quæ paro, prorsus necessarii. In his sunt Martyrologia vetera, quæ equidem ita cupidè expeto, ut si quis copiam mihi illorum fecerit, is mihi planè futurus sit alter Apollo. Sunt etiam alii libri ad rerum antiquarum lucem planè mihi necessarii, quos hîc reperire nec potui adhuc, nec potero fortasse unquam. Quare nil mihi aliud superest, quàm ut illorum magnorum virorum felicitatem commemorem, qui eadem mihi studia tractantes, & ab ingenio & à librorum præsidiis melius fuere instructi: sed hæc querela non est hujus loci. Volui tamen intelligeres, Vir maxime, si parum in literis præstamus, non tam ignaviâ nostrâ id fieri aut socordiâ, quàm quod instrumenta non sunt ad manum. Nam si quis est cui nostra studia probari cupiamus, tu profectò is es. Vale, & me ama, qui te colere & observare nunquam cessabo. *Genevæ*, *Nonis Maji* CIↃ IↃ XCV. *raptim.*

Epistola XXIX.

JOSEPHO SCALIGERO.

1595. QUi adversis meis doluisti, gaude nunc lætis, Vir nobilissime. Recrearunt me proximæ nundinæ Francofurtenses, tam felices mihi, quàm fuerunt superiores infaustæ. W. * satisfecit, meque eâ molestiâ liberavit, in quam, ut verè scribis, conjecerat me ἄκαιρος mea facilitas. Non malè hariolatus eras: sed fueras hîc quoque, ut semper in omni re εὔστοχος. Persuasus sum tuis maximè literis effectum & Busenvallii, nec non operâ Thomsonis nostri, ut hâc sollicitudine liberarer. Quare immortales tibi ago agamque dum spiritus hos reget artus, gratias: dicerem relaturum me, si vel meæ fortunæ tenuitas, vel tuæ splendor pateretur. Quod Æschines olim Socrati, id ego bonâ fide nunc tibi: quid aliud tibi offeram non est ad manum: en me totum tibi totum tuum; utere me, abutere: res tua sum. Sed pergo εὐτυχίαν meam tibi narrare. Acciderat autumnali mercatu, ut quas Commelino nostro dederas, non reciperem: quæ tamen in meas tandem manus casu quodam miro pervenerunt: repertæ siquidem in foro

* *Wittenius.*

nostro à mendico puero sunt, qui eas 1595.
aliquantò pòst ad me detulit cum literis Commelini, quibus multùm se excusat, morbum accusat. His nundinis melius mecum actum est, binas enim à te eodem ferè die accepi. Quare nulla tuarum, ut puto, epistolarum periit: salvæ omnes, & salvus ego qui illas accepi. Quod video non ingratum accidisse tibi munusculum meum, mihi crede, cœlum meruisse me puto. Nôram æquanimitatem tuam; nôram amorem illum singularem quo me prosequeris: quia tamen nihil ab eo tempore literarum à te acceperam, factum meum damnare incipiebam: & memet increpabam, quod meas nugas ausus essem tibi obtrudere. Perlata sunt & tua munera, libri quos dono misisti ad me: de quibus judicium meum εὖ οἶδ᾽ ὅτι non exspectas. Ego tamen divinam illam moderationem tuam in osores & obtrectatores tuos satis admirari non queo. Appendicem verò tuam ad Cyclometrica, legit nemo eruditorum, quin statim veniat ei in mentem, quod de medicorum Deo Celsus scribit libro ultimo, id in te dici nunc posse. Macte isto animo, Vir nobilissime, neque tamen putes te tantâ hâc civilitate invidiam malevolorum & jejuni animi hominum posse effugere. Narro tibi, singulis diebus de te Lausannæ vel ovationem vel triumphum duci: nuperus quidem solemni promotione scholæ insignis fuit: nam & nostras hîc aures plaudentium & acclamantium ïo triumphe verberavit strepitus. Quin annos jam ipsos XI. paratur adversus te liber, cujus editione omnes tricones, rupices & opici sint vadimonia deserturi. Igitur nisi omnes Musæ nos oderint, habebimus brevi novum opus non heptaplum quidem, sed διπλοῦν: nam homo benignus, qui te diu inter Gallica arma audiit versatum, veritus est, credo, ne χρηστὸς ὢν ἐν βαρβάροις ἐκβαρβαρωθῇς: propterea ut tuam sublevet imperitiam, Gallico-Latinum opus illud Dædaleum emittere cogitat. Epigramma tuum fuisse mihi gratissimum εἶσθα καὶ αὐτός: puto enim patere tibi intimos animi mei sensus. Atqui ego maluissem doceri & erudiri à te quam laudari. Quare etsi fecisti mihi rem gratissimam, tamen noli, quæso, putare defunctum te hîc operâ omni officio. Itaque iterum peto à te, sed seriò, ut in difficillimos Suetonii locos quosdam tuas mecum cogitationes communices: præstitisti id olim Opsopæo, Aphorismos Hippocratis recensenti, quod ex ejus Notis apparet. Cur ille plus apud te gratiâ quam ego valuerit, caussam nullam

1595. nullam esse puto: nam ego me pietate in te nemini mortalium concedere, hoc verò scio. Vale, Vir maxime. *Genevæ, a.d.* XIII. *Kalend. Junias* CIↃ IↃ XCV. *raptim.*

Suetonii aliquot loci.

Tib. cap. VI. *pueritiam habuit luxuriosam.* Quid censes de hac voce *luxuriosam?* nam ita constanter omnes libri.

Calig. cap. XX. *Syracusis hasticos ludos.* Nec de lectione satis sum certus, nec quid *hasticos ludos* vocet scio.

Ibid. cap. XXVI. *decimas maturius dabat.* Ita omnes libb. constanter: aut explica, quæso, aut emenda: non deest quod suspicemur: sed nostris utemur, si tua nos deficiant.

Ibid. cap. XXXIV. *ne quid respondere possent præter eum.* Sic omnes vett. Itali, *æquum*: quidam *eccum* emendant. Tu quid?

Claud. cap. XL. *Quid, ego tibi Theogonius videor & λογιώτατος?* Variant hic veteres libri. In membranis sic repperi: *Quid, ego tibi Theologonius videor?* ***

Nero cap. XXVII. *Indicebat & familiaribus cœnas, quorum uni mellita quadragies constiterunt, alteri pluris aliquanto ab Syrtio rosaria.* Hæc lectio commentum est Italorum. Nam in omnibus libris vett. est constanter: *mitellita*, non *mellita*; repperi & *Myrtellica.* Sed & reliqua corrupta. Oro, obsecro, adjuva me. Plura parabam: sed qui laturus erat literas, pipulo eas flagitabat petasatus, ocreatus. Tu, si quid dignaris respondere, propera: nam liber sub prælo est per mensem jam integrum. Tuas sitio.

EPISTOLA XXX.
CONRADO RITTERSHUSIO.

1595. BInis tuis suavissimis literis unis hisce respondebo, Vir amicissime. Quod gratum tibi adeò de Oppiano, tantasque agis gratias, agnosco humanitatem tuam. Ego non poteram officio meo deesse, quin magni criminis me obligarem: peccassem in te; peccassem in publica commoda; peccassem in gravissimi & dilectissimi mihi poëtæ manes. Tu nunc peccas, qui adhuc sub claustro contines. Quid? ergo non erit illud κακοῦ & carceris ἐπαλλαγὴ, sed ἀλλαγὴ tantùm? Vide fidem præstes; sin, pipulo flagitabimus promissum munus. Quod de Pindari aliquot locis scribis, ita me Deus amet, ut magnæ mihi voluptati fuit: sed heus tu, non tibi metuis à tui ordinis hominibus, qui magnas tibi molestias creabunt, si resciverint malle te cum Pindaro, Homero, Platone, Aristotele, & id genus nihili homuncionibus colloqui, quàm cum Bartolo, Baldo, Jasone & similibus? periisti si hæc emanarit de te fama, eò enim res videtur aut rediisse jam, aut propediem reditura, ut nemo possit idem cum Musis amœnioribus colere amicitiam, & Jurisconsulti famam ac locum tueri. Sed misso joco, quod graviora studia tua insititiis istis oblectas deliciis, laudo vehementer. Sanè qui cognitione nostrarum artium ita excellas, thesaurum defodere non debes. Quæ disputas de Epicharmi loco apud Clementem, mihi epistolam tuam legenti valde placebant; item quæ de locis Pindaricis: & perge, amabò, id genus literas ad me mittere; referam, si potero, par pari: sed aliàs; nunc enim ita eram occupatus & districtus editione Suetonii, ut vix his paucis raptim exarandis tempus repererim. Jam auctor ipse, Tranquillum dico, erat ad umbilicum perductus: supererat improbus labor in describendis nostris Animadversionibus, & colligendis. Multum sudamus, mi Rittershusi, his præsertim æstivis diebus, quos experimur hic calentissimos: plus tamen antè sudavimus aliquoties in eo scriptore recensendo. Limam enim judicii adhibuimus: ἀλλὰ γλῶσσα πῆ πρεύῃ; neque enim μέγα τι εἰπεῖν antè decet, quàm γνώμων criticorum accesserit calculus. Tu in his, Vir doctissime: cui placere nostra, quæ hactenus edidimus, vel ex eo conjicio, quod indicem eorum mitti tibi à me postulas. Vereor ne mihi potiùs optandum sit, ut in tam eruditas manus non veniant nugæ nostræ; quare à me catalogum non habebis: mea quæ hactenus edidi, tanti non facio; paucis exceptis, quæ tibi nota esse prior epistola tua arguebat. Vale, & grandem à me exspecta brevi σὺν τῷ Θεῷ epistolam. *Genevæ, pridie Kalend. Junii,* CIↃ IↃ XCV.

Si isthic est nobilissimus vir, Firxius Livonus, plurimam illi meis verbis salutem nunties rogo: item clarissimis viris Camerariis, & Jurisconsulto Poëtæque insigni Scipioni Gentili.

EPISTOLA XXXI.
EIDEM.

NOndum libero me ære alieno, 1595.
quod apud te, Vir amicissime, contraxi nuper, cùm grandem aliquam tibi epistolam promisi. Scribebam enim has

1595. has literas, quo tempore nostris mercatoribus Francofurtum petentibus ad plurimos amicos dandæ erant. Ego vero vixdum benè excusso jugo quod mihi Suetonii editio imposuerat, otio frui optabam quàm uti. Scito tamen bonæ fidei debitorem esse me. Ubi ad Musas rediero, quibus valedicere ad tempus animus est, nihil priùs faciam quàm ut tecum de nostris literis epistolâ licentiore garriam. Nunc mihi tota in Galliis mens est: quò excurrere ad visendam optimam matrem certum mihi: det modò facultatem, & itinerum securitatem præstet τὸ κρεῖττον. Tentabo certè omnia, ut priusquam serio libros tractare instituam, voti quod est supra omnia mea vota, compos fiam: septimus enim annus agitur, cùm ego parentem meam non vidi, cùm intereà neque ego ipsius, neque ipsa mei desiderium ferre possimus: quod eò tibi volui significare, ut deinceps silentium meum per aliquot menses excusares. De Oppiano satis superque proximis tuis fecisti mihi. Laudo propositum tuum, cujus, scio, te nunquam pœnitebit. Sustinebimus igitur, & nostra gaudia adhuc differemus. Vidi & γεῦμα illud tuæ interpretationis, quod ad Camerarium misisti: sapit nimis meo quidem palato: si omnia, quod confido, ad id exemplum, multos spondeo tibi convivas; quotquot nempe sunt qui his epulis delectentur. In Querolo tua discam lubens, unde descriptus sit tibi Nicetæ locus ad vocem *Patus* notatus tibi: nam in nostris libris aliter legitur, & sine dubio rectè: πάτος enim non Nicetæ vox est, sed σχόλιον ex veteri libro descriptum Wolfio: quod quare sit à te in contextum receptum doceri cupio. At falli doctissimum Gruterum, qui *Mandrogeros* vocandi casu ferre non potest, non te fallit: est enim forma Græcanica declinationis Atticæ, quæ in nominibus deductis à γῆρας servari solet, ut ἐσχατόγηρως· dicit autor & *Mandrogerontem:* id quoque ἀναλόγως, ut Homerus τυμβογέροντα. Sed hæc mitto. Vale, doctissime Rittershusi. *Genevæ, a. d.* x. *Kalend. Septembr.* CIↃ IↃ XCV.

EPISTOLA XXXII.

FRIDERICO LINDENBROGIO.

1595. DE Notis ad Suetonium egi antè gratias, si memini, non semel: sed si illæ meæ literæ in itinere, ut sæpe fit, naufragium fecerunt, testor iterum fecisse te mihi rem gratissimam. Sum & publicè id testatus, cùm superioribus diebus notulas nescio quas recensitæ Suetonii editioni adjicerem. Ejus exemplar Commelino curavi tradendum, ut is ad te mitteret. Utinam posses & in cæteris historicis, qui Tranquillo conjungi vulgò amant, nos adjuvare: quod quidem ut facias, si ullâ ratione potes, per omnes Musas te oro atque obtestor. Hoc sic à te contendo, ut vehementius nihil possim: teneor enim quasi ex voto suscipere eorum librorum editionem: eò me adegit obsequendi magnorum quorundam virorum voluntati studium. Igitur vel ipse succede oneri, & melioribus, quàm ipse sim, humeris, & ætate ad istos sustinendos labores commodiore: vel, si hoc impetrari à te non sinis, συλλάμβανε ἡμῖν τοῦ ἄθλου, ὦ φιλότης. Amabò, curæ habeto hanc curam, & à Scaligero magno, ab aliis erue aliquid, quod ad rem faciat. Ut scias quàm non ἀκκιζόμενος alienam opem implorem, respondeo tibi de *Catacrianis libris* apud Spartianum, nihil habere me quod te doceam: omninò tamen satagemus aliquid, si in isto conatu docti nobis faverint. Tertulliani loci è lib. de Pallio non visi nobis magnam habere obscuritatem: & vidisti, puto, quæ paullò pòst scripsit in illa verba doctissimus vir *, quanquam ego non planè illi assentior, in quibusdam verò nullo modo. Anni sunt amplius tres, cùm id volui in hac schola præstare quod ille, cùm eum libellum suscepit explicandum. Fateor multa me in ejus notis legisse, quæ in mentem venerant nunquam: sed mihi in multis alia planè videtur esse mens quàm ipsi. Uter meliùs, docti pronuntiabunt, si quando receperit me impetus ille prior. De loco capite XVII. de spectaculis amplius cogitemus. Vale, & me ama. *Genevæ, a. d.* VI. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCV.

* *Franc. Junius.*

De Artemidoro quod me rogas, scire te volo, promissam ejus editionem à doctissimo Grutero.

EPISTOLA XXXIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

QUod maximo semper opere ambiisse non diffiteor, Vir præstantissime, ut amore tuo possem gloriari, 1595.
id me consecutum esse, ex eo intelligo, quod multi ad te iter affectantes me primum adeunt, me interprete & paprario uti volunt. In his est eruditissimus hic Frisius adolescens, Joannes Sœckma, qui domum revertens, & istàc transiturus egit mecum, ut meas ad

1595. ad te literas sibi traderem. Poteram excusatione uti: nam hâc ipsâ horâ dederam alias Commelino nostro, qui se illas cum Suetonio, quem à me accepit, curaturum sanctè recepit. Sed malui φορτικὸς tibi esse, quàm committere ut parum gratiâ apud te existimarer valere. Hæc unica nostra gloriatio est. Quæ ne falsa videatur, peto à te ut eo vultu amicum hunc meum excipias, quo ipsum me exciperes, si mihi fata tantum boni essent largita ut isthùc venissem. Quod tamen non penitùs futurum olim despero: nam equidem tui desiderium ferre diutius non queo. Vale. *Genevæ, a. d.* VI. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCV.

EPISTOLA XXXIV.

JACOBO BONGARSIO.

1595. TAndem Suetonium habes à me: Hui, inquies, tam serò tam rude opus! fateor, Virorum optime: sed quis tibi dixerat, amabò, fore aliquid ejusmodi quod in arce poneretur? an ego sum sollicitus nostras nugas venditare? quin tu tibi imputas potiùs, si opinione falsus es, cùm aliquid majus à me exspectares: etsi illud sanè accidit perincommodè, quòd otium, quod speraram ad opus poliendum, mihi ademtum est. Id non unâ occasione factum, quod pluribus tibi exponere supersedeo. In Athenæo nunc essem ὅλος καὶ πᾶς: nisi & defessus essem animo, & necessitas visendæ optimæ matris mihi fuisset imposita: quo ex itinere simul rediero, dabo operam Θεοῦ γε διδόντος, ut eorum memorem me agnoscas, quæ sæpius te mihi imposuisse, meque recepisse memini. De morbo tuo, optime Bongarsi, sic me Deus amet, ut pupugit me is nuntius, utque fui ab illo de te sollicitus νύκτας τε καὶ ἤματα πάντα· sed ut spero & opto, convaluisti jam, & rediit ille animi corporisque vigor, qui te per longinqua terrarum semper est comitatus. Deum veneror verum sit hoc meum augurium: velitque is te nobis quàm diutissimè salvum & incolumem præstare. De Nicephoris sic res habet: est qui vocatur Nicephorus Callistus, quem ego his diebus nactus sum ab amico: sed scin' quomodo? pretio majore triplo quàm æquum erat: quid facias? sic vivitur apud nos, ubi omnes sunt non homines, sed mera virtutum exempla, & rectè vivendi norma. Est qui vocatur Nicephorus Gregoras, quem audio Græcè editum [nam alter Latinè solùm] Basileæ in folio: eum per mihi emi cupiam. De Leone Africano pergratum quod spondes. Sed quis erit finis tuorum in me beneficiorum? impudens nimis sim, nisi me pudeat. Sed age, si potes, mihi commodare aliquid hac in re, & reperire mihi, quæ per alios nancisci non possum, utere, obsecro, pecuniâ meâ, operâ tuâ. Mandavi mercatori nostrati Probo ut solveret quod opus esset. Hoc si fiat, non dubitabo te orare, ut sicubi libros reperias, de quibus antè significavi, eos mihi compares. Monspessulanam conditionem tibi displicere eò magis lætor, quod omnium ferè amicorum meorum eandem esse sententiam comperior. Itaque ne mihi quidem probari potest: etsi, quî D. à Fraxinis factum meum possim satis approbare, non parum sum sollicitus: sed de hoc viderimus. Ego malo isto qualicunque otio frui, quàm temerè me & meas omnes fortunas periculo exponere. Si quid accidat tamen, cur novo consilio locus esse queat, faciam te statim certiorem. Vale, Vir clarissime, &, quod publicè sum testatus, cui *nostra studia* plurimùm debent. *Genevæ, a. d.* IV. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCV.

Si amicum verè te mihi, quod fuisti semper, vis præstare, culpas meas in hoc opere qualicunque mihi deteges, apud alios excusabis.

EPISTOLA XXXV.

JOSEPHO SCALIGERO.

PRomissum Suetonium anno, ecce 1595.
mitto tibi, Vir maxime: opus exspectatione tuâ tantò inferius, quantò amor tuus in me major est, meritis meis, non dicam in te, quæ nulla sunt, nec possunt esse; sed in rempublicam literariam, quæ sunt oppidò tenuia. Quid facerem? vetus dictum est: ἀεὶ τοῖς μικροῖς μικρὰ διδοῦσι Θεοί. Tu verò tibi imputa, doctissime virorum, si opinione tuâ falsus es: non enim ego autor tibi majoris spei, si quam fortè de nostro hoc fœtu conceperas, qui tamen poterat paullò saltem politior in vulgus exire, nisi imposita fuisset mihi brevi absolvendi necessitas, quam pluribus exponere supersedeo: nisi quod brevi me iturum in Gallias, ut matrem visam & quædam negotia conficiam, nolo te fugiat: ne silentium meum fortè mireris tantisper dum domo abero. Post reditum animus est, si Deus dabit, de Athenæo fidem liberare: ne malæ fidei debitores amantibus harum literarum videri queamus. Peto autem à te, nobilissime Scaliger, ut si quid in eo scriptore,

1595. ptore eruditissimo vel οὐδὲ πάρεργον, vel παρόδου ἔργον emendasti, observasti, id mecum communicare ne graveris. Sanè si quis est ex veteribus autoribus, qui tuum aut tuo par ingenium desideret, ille profectò est: in quo sexcenta sunt ita affecta, ut nihil aliud quàm divinare, & velut in tenebris micare supersit: de quibus si non obstarent ὄρεα πολλὰ μεταξὺ, referrem ad te, qui solus ὄντως πρέπει ὄντων, meo quidem animo, ulcera ista desperantia solitus sanare: quæ quidem plebeii Medici quá felicitate attingant, testis sit vel nuperus interpres Lugdunensis *, vir, fateor, doctissimus, ἀλλὰ πρὸς ταῦτα οὐ πεφυκώς· quare nusquam minus mihi satisfacit, quàm ubi maximè ingenio est usus. Sentire te mecum, si quando tantum tibi abs re tua fuit otii, ut quædam illius expenderes, non dubito. Mihi ne idem eveniat cautio est: malo desideres in me acumen & ingenium, quàm temeritatem accuses. Atqui si propius à te abessem, poteram de tuo solvere quod domi deest. Verùm obsecro, illustrissime Scaliger, juva conatus nostros, & per otium impende aliquot horas emendandis aliquot ejus Scriptoris locis, nulla nisi ἀπὸ τῆς σῆς μαντικῆς spes salutis. Hoc si me à te siveris impetrare, cœlum te mihi dedisse putabo. Intereà quod solùm tuâ caussâ possum, Deum orabo ut te quàm diutissimè salvum & incolumem nobis præstet. Vale, & me ama. *Genevæ, a. d.* IV. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCV.

* *Jacobus Dalechampius.* Colomes.

Jam clausæ erant, & propè Commelino traditæ hæ literæ, cùm allatæ sunt mihi quas dederas IV. Non. Jul. Ex iis cognovi non pessimè fortunam mecum agere, quæ tuas omnes paullò quidem serius, sed tamen mihi omnes servat & perferendas curat: meas, ut puto, non omnes tibi reddit. Sed mearum levis jactura: nisi quod totidem pignora meæ in te observantiæ tibi pereunt: imò mihi, cujus plurimùm interest, ut extent quàm frequentissima devoti animi mei virtutibus tuis testimonia. Cùm omnia fecero, nullam partem assecutus fuero tuorum in rempublicam literariam, & privatim in me maximorum meritorum. Quod mihi trinis tuis gratias agis, desine, obsecro, talium sermonum: non ita durum mihi os, ut vel minimam gratiarum actionem meritum propterea me existimem. Ego scio & profiteor ingenuè, tantum me τρισμεγίστῳ parenti tuo & tibi debere, cum omnibus qui literas amant, ut neque ego neque quisquam alius celebrando nomini vestro sit suffecturus. Quod Plato de virtute solitus dicere, id ego in te experior: quem 1595. invisum sic veneror, ut virtutem ipsam par est. Sub finem epistolæ tuæ spem meliorem facere videris; curæ certæ esse tibi me & studia mea indicas: testatur idem studium tuum opera quam in W. † negotio posuisti maximam: ago tibi, Vir nobilissime, gratias quantas possum maximas: & quia superat facultates meas hæc tua ingens & ἄφατος benignitas, quâ me fateor indignum, quid aliud possum quàm Deum tibi debitorem delegare, quem precor ut gratiam tibi pro me referat? Cæterùm permitto me tibi, & in clientelam trado lubens meritò. Vale.

† *Wottonio.*

EPISTOLA XXXVI.

FREDERICO LINDENBROGIO.

PRo eximio munere, quod superioribus nundinis misisti ad me, gratias ago tibi maximas: sed magis pro amore non vulgari tuo in me, cujus mihi testes literæ, quas muneri adjunxisti: amo hunc affectum tuum, & φιλεῖν α sincerè atque ex animo ἀντιφιλῶ. At caussas amoris, quas allegas, non admitto, neque agnosco: humanitati tuæ acceptum fero, non merito ulli meo, quod meam notitiam & amicitiam expetieris. Habet hoc communio studiorum, ut & animos jungat, & ignotos atque in diversissimis oris positos conciliet invicem atque devinciat. Ex eo factum, ut tu me, simul nosti de libellis nostris, amare cœperis: idem & nos facturi eramus, etiamsi lacessiti à te non fuissemus, postquam nuperum illud γεῦμα tuorum studiorum vidissemus. Cùm igitur constent nobis caussæ institutæ inter nos amicitiæ, superest ut officiis inter nos certemus. * Tu ubi locorum sis futurus, & quò meas sim missurus, fac me ut sciam. Vale. *Genevæ, a. d.* IV. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCV. 1595.

EPISTOLA XXXVII.

THEODORO CANTERO.

EXit tandem promissus anno Suetonius, cujus exemplar unum Commelinus noster se curaturum tibi nomine meo sanctè promisit. Erit illud perpetue grandis amoris in te mei testimonium. Non peto à te, ut meas excuses culpas: ut accuses & mihi indices, ultrò peto. Dico ingenuè, non potes 1595.

ullo

1595. ullo officii genere majorem inire à me gratiam: præsertim cùm sim mihi conscius, pleraque ex meis adversariis properanter promsisse me, cùm otium ad poliendum præter spem esset ademtum. Speraram enim in describendis quæ pridem, ut fit, observaveram, lentè me progressurum, & limam judicii singulis accuratiùs adhibiturum, quod totum casu quodam aliter evenit. Nunc inibi eram, ut in Gallias ad visendam optimam matrem proficiscerer: unde simul fuero, Deo dante, reversus, Athenæum edere paramus. Nam quia publicè fidem nostram de eo obstrinximus, jacta alea est: alioquin referrem fortasse pedem, metu laboris qui mihi ingens subeundus erit, si hydram illam *μυριοκέφαλον*, quæ eum autorem deturpavit, velim expugnare. Sed in æquitate doctorum virorum omnis mea spes: cùm bonâ fide *τὸ γοῦν καδδύναμιν* præstitero, quis negabit mihi æquus judex *τῶν εὑρημένων χάριν, τῶν οὐχ εὑρημένων ἢ οὐ καλῶς εἰρημένων συγγνώμην*. Sanè non omnes eam diligentiam & fidem in benè de antiquis scriptoribus merendo adhibent: quod cùm in aliis sæpe, tùm nuper non sine admiratione & indignatione deprehendi in eruditissimo illo viro, qui Dionem Latinum novissimus edidit; cujus errores maximos tam multos toto illo opere observavi, ut illa excidisse homini adeò docto, & in literis Græcis juxta & historia Romana versato per mihi mirum visum sit. Indicio fuerint quæ ad Suetonium per occasionem sæpe notavimus: sed plura potuisse observari, ipse, Vir doctissime, facilè mihi assentieris, si quando periculum facere volueris. Erit fortasse aliud tempus cætera publicandi, quæ sunt nobis cum cura observata, dum nobilissimum illum historicum studiosè legimus, & cum Latinis contendimus. Sed de nostris nimis multa. At tu, clarissime Cantere, cur cessas? cur susceptam à puero provinciam ornandarum literarum gravaris? nam quando vel Ammianum Marcellinum, cujus aliquando spem fecisti; vel fragmenta Græcorum Poëtarum, vel alia quæ tamdiu premis, desines nobis invidere? Equidem tuas gravissimas occupationes novi: sed neque illud me fugit, pridem parata habere te non pauca, quæ lima jam atterit potiùs, quàm polit. Spero & à Lamberto tuo, juvene eruditissimo, uberem quandoque messem: modò tamen ille exemplo tuo cunctator esse non discat. Quid tu, quid ille, quid ejus paris indolis & spei frater agatis, pareris, vestris literis certior quàm sæpissimè fieri vehementer cupio. Vale, Vir clarissime, & me ama. *Genevæ*, *a. d.* IV. *Kalend. Septembr.* CIↃ IↃ XCV. 1595.

EPISTOLA XXXVIII.

LAMBERTO CANTERO, THEODORI F.

Est quidem ex animo, doctissime & jucundissime Cantere. Hæret enim adhuc, atque oculos ante meos uxorisque assiduè obversatur eximia illa & verè expressa species virtutum multarum, quas in te præsente magna cum voluptate nostra intuebamur simul & amabamus. In primis capiebat nos singularis quædam humanitas, & morum suavitas tuorum, quorum recordatio & nunc & semper nobis jucunda. Testantur eandem nuperæ quoque literæ tuæ: quibus nihil humanius amiciusve scribi poterat. Igitur quod vobis sæpe testati sumus cùm hìc esses, id optamus tibi esse persuasum, omnia nostra tua esse, nobisque usuvenire nihil jucundius posse quàm si omnia de te quàm lætissima audiamus quàm sæpissimè. Suetonius tandem exiit, utinam bonis & addicentibus avibus: non enim parum metuo, quid istic doctissimi Critici de hoc fœtu nostro sint pronuntiaturi. Exemplar ad clarissimum parentem tuum misi per Commelinum, cui ipsus tradidi *ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα*. De Athenæo nunc cogitamus si Deus Opt. Max. esset facturus, sed priùs in Gallias erat nobis eundum. De Lipsio, quàm fuit jucundum quod scribis! non quàm triste & molestum, ita nos ei ex animo nullo merito nostro excidisse: si esset tibi facultas appellandi hominem nostro nomine, agerem tecum obnixè, ut ipsum meis verbis salutares, & explorares, ecquid illi penitus *ἀπὸ θυμοῦ ἐπέσομαι*; quod si est, testor *τὸν φίλιον Δία* & nullâ culpâ meâ, & præter exspectationem omnem id mihi evenisse. Verùm desino querelarum, nam quicquid de nobis sentiat clarissimus ille vir, nunquam tamen efficiet quo minus à me ametur colaturque. Vellem hoc posses ipsi aliquâ ratione significare. Facem ejus sic exspectamus, & tam avidè, ut nihil supra. Vale, optime & doctissime Adolescens. *Genevæ*, *a. d.* IV. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCV.

Constitueram literas ad fratrem tuum dare, sed vix licuit istas obsignare: quæso, apud ipsum me excusa. Valete ambo, & nos amate.

EPISTOLA

EPISTOLA XXXIX.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1595. SUetonium mitto, ecce tibi, Vir maxime, debitum non illi tantùm singulari benevolentiæ, quâ tu me pro tua humanitate prosequeris, sed & beneficio illo quo me affecisti maximo, cùm ab humanissimo Pithœo ipsius exemplar mihi impetrasti. Is liber quàm utilis mihi fuerit, res docet. Multum igitur illi, plurimum tibi debeo, cujus ope & operâ thesaurum illum sum nactus. Quare non dubito, quin amaturus sis fœtum hunc qualemcumque nostrum, cui concipiendo & in luminis auras producendo, tantum momenti attuleris. Etsi autem improbè fecero, nedum imprudenter, si fore sperem, ut in tantis tuis occupationibus quicquam temporis lectioni eorum impendas, quæ ad illum scriptorem observata nobis; quia tamen divinum ingenium tuum harum quoque rerum cupidum esse scio, non sum veritus hoc exemplar ad te mittere, & oculis tuis hoc quicquid est operæ nostræ subjicere. Volui nempe devoti animi mei & καθωσιωμένου virtutibus tuis pignus hoc tibi offerre. Nam alioqui mearum assaniarum non ita me aut amor tenet, aut latet pretium, ut illas tuo conspectu dignas judicem. Ut olim Lucilius à Persio sua poëmata, ita ego, quæ scribo, à Scaligero, à Fabris, à Pithœis legi reformido: τί γὰρ ἐμοὶ καὶ μακροῖς αὐλοῖς; novi oris mei modum atque ingenii: frustra aliquid dignum vestris auribus tentavero, his præsertim locis, ubi præsidia ad eam rem necessaria deficiunt nos universa. Quare superest nihil nisi ut vetus verbum usurpemus, eoque nos solemur, ἀεὶ τοῖς μικροῖς μικρὰ διδοῦσι Θεοί· sed pecco in publica commoda, qui de re tam levi tam multa tecum. Vale igitur, Vir maxime & amplissime. *Genevæ*, *a. d.* VIII. *Id. Octob.* CIↃ IↃ XCV.

EPISTOLA XL.

PETRO PITHOEO.

1595. SCripseram ad te hâc ipsâ die, imò horâ, Vir maxime, Lugdunensi viâ, & simul Suetonii nostri exemplar tibi unum, alterum fratri tuo miseram: quia tamen D. de Changobert *, frater vester, hinc discedens tutò se curaturum pollicebatur, ut hæ literæ ad te pervenirent, (nam de libris negabat se posse) prioribus adjeci hanc velut appendicem, indicem & ipsam meæ summæ in te observantiæ. Tu ut me ames non peto: re enim expertus amorem tuum, facerem tibi injuriam si dissimularem. Ne constantiam quidem amoris tui petam: à tuis moribus alienum fuerit, quem ultrò cœperis diligere, eum tui studiosissimum & semper amantissimum destituere. Illud te rogo, nostra studia velis ire adjutum, & eorum quæ habes quàm plurima, quibus ornari & augeri tuo beneficio nostrâ operâ res literaria potest, nonnulla communices: multum nostra studia recrearis, si ad tuam amicitiam & bibliothecam instructissimam aditum mihi liberum patefeceris. Ac ne te lateat in quibus nunc studiis simus, animus est, si Deus vitam viresque dederit, locos aliquot antiquitatis accuratè tractare: cujusmodi sunt, de Circensibus; de venatione amphitheatrali; de re vestiaria, & alii id genus: duos quidem priores affectos pridem habemus; editionem tamen duo hactenus impedierunt: spes penè certa fore ut Lipsius promissa perficeret, & inopia quorundam librorum quos planè lectos prius velim: ejus generis sunt, martyrologia veterum, quæ avidissimè desiderans, nancisci hactenus nunquam quitus sim. Utinam tuâ operâ voto damnari tandem queam. Intereà Athenæum exspecta: in quo ὅλος καὶ πᾶς brevi eram futurus ἐάν γε ὁ Θεὸς ἐθέλῃ. Vale, doctissime & amicissime Vir. *Genevæ*, *a. d.* VIII. *Idus Octob.* CIↃ IↃ XCV.

** Is est Nicolaus Pithœus, Petri Francisci & Johannis frater, cui Portugaliæ Historiam Authore Osorio, à se Gallicè versam, dicat Simon Goulartius, Genevensis Theologus. Colomes.*

EPISTOLA XLI.

EIDEM.

MItto ad te Suetonium nostrum, Vir doctissime: nostrum, inquam: nam & tuus ex parte ille est, atque haut scio an non potiore & meliore: ita me tuum illud exemplar juvit, quod anno per Jacobum Bongarsium, eximiâ eruditione virum, accepi: quantos, Deus bone, thesauros attulit mihi illud tuum munus! Equidem sic semper judicavi, sic statui, qui ad hoc scribendi genus sine MSS. auxilio se applicant parum cautè, ne dicam imprudenter, facere: sed in hac sententia magis magisque confirmavit me præstita in Suetonio opera. Quamobrem etsi multa nobis inter lectitandum observata in utriusque linguæ scriptoribus, constitui tamen omnia non in nonum annum, sed in æternum premere; quia universa ejusmodi ferè sunt, ut soli ingeniolo nostro accepta ea feram: conjecturæ, 1595.

1595. inquam, meræ & observationes veterum librorum auctoritate non suffultæ. Unde enim nobis eorum copia, in hoc terrarum angulo? Beatos illos, qui in alio velut orbe versantur; eos, dico, quibus licet esse tam beatis, ut tuâ tuique fratris instructissimis bibliothecis, atque aliis, quarum ingens isthic copia est, uti liceat. At nos qui hic vel unius veteris libri ope juvare queat, est nemo: nam N. * quidem noster, etsi vivens valensque, pridem numero hominum, certè doctorum, eximi meruit: ea est illius inhumanitas, & quod invitus dico, delirium: qui libros quos habet veteres, ut Indici gryphi aurum, aliis invidet, sibi perire sinit: sed quid ille habeat aut non, juxta scio ego cum ignarissimo. Non is animus tibi, Vir magne: qui ignoto, & quod maximi facio, non petenti ultrò optimi libri fecisti copiam. Vellem sic tuo beneficio essem usus, ut id novum provocaret. Sed si aliud tibi probare nihil possum, candidum certè animum, & gratum iri probatum tibi confido. Hoc unum in me est, quod præstabo largiter, & in quo vinci me à quoquam non patiar: nam ut præstem aliquid in literis dignum quod in arce ponatur, hoc est, lectione tuâ, non opis id nostræ. Ex animo loqui me & planè ita ut sentio, Θεὸς ἐπιμάρτυρος ἔστω· quem oro quæsoque, ut te fratremque tuum diu servet salvos & incolumes. Vale, Vir magne, & me amare perge. *Genevæ, a. d.* VIII. *Id. Octob.* CIↃ IↃ XCV.

* *Henricus Stephanus. Colomes.*

EPISTOLA XLII.

JACOBO BONGARSIO.

1595. NON quòd otio abundarem, sed quòd ex insperato oblata erat certa occasio, scripsi ad te hæc pauca. Primum ut me utramque epistolam tuam accepisse scires: quarum utraque, (nisi quod utraque nimis Laconica) longè fuit mihi gratissima. Gratus & libellus quem misisti. Puto te vidisse epigrammatia duo fine libri primi Animadv. in Suetonium inserta ejusdem argumenti: quæ ut demerem, amici auctores posteà, sed serò, fuerunt; nam, inquiunt, ita præpeditur iter libro isti in Italiam & Hispaniam: & puto faciam alterâ editione: vel ut nôrint monitores mei quàm sim εὐάγωγος & cereus flecti, cùm aliquis mihi bonam mentem suggerit: quod eò dico, ut meas culpas mihi indicare ne graveris, certus non lusurum operam. De libris quod promittis, libens accipio, & gratias habeo. Quod jubes frontem perfricare, & audenter petere quæ sint opus, agnosco summum tuum in me amorem. Sed cupiditati meæ frenum injicit exigua, quæ in me est, aut nulla potiùs gratiæ referendæ facultas. Libros sanè proximarum nundinarum nullos admodum desidero: nam præter unum aut alterum, quem spero habiturum me à nostris mercatoribus, nihil admodum reperio in catalogo, quod salivam moveat. Martyrologia ego verò nulla planè habeo, nulla adhuc vidi: si potes alicunde ea mihi exsculpere, feceris rem gratissimam: cùm hoc tamen, ne cum aliquo tuo incommodo id fiat. Memini etiam in superiore catalogo legere hos indices librorum mihi incognitorum & invisorum: *Historia ab Eugippo ante annos circiter M. C. scripta* &c. *Augustæ Vindelicorum ad insigne pinus:* item, *Narratio eorum quæ acciderunt Apollonio Thyaneo, ex vetustis membranis:* necnon, *Clemens Alexandrinus cum commentariis Gentiani Herveti: Joachimi Camerarii commentarius de partibus corporis humani:* horum nihil planè visum adhuc mihi. Sed facio inverecundè qui te postularis meis onerem. Vale, Vir clarissime. *Genevæ, raptim a d.* VIII. *Iduum Octobris,* CIↃ IↃ XCV. 1595.

Hæc scripsi iter ad optimam matrem parans: si quid constituero, faciam te ut scias: tuas exspecto. Iterum vale, Corculum meum. Pithœi liber, quem laudo, (nam id quæsisti) is ipse est, quem tu misisti. Utinam talia subsidia à talibus viris sæpe nanciscerer. Sæpe ad utrumque fratrem scripsi; etiam Suetonium misi: verbulum tamen elicere non potui: meæ diligentiæ testis D. de Changobert, qui ternas vidit meas: vidit & libros. Gestit animus, si iter esset paullò liberius, excurrere Lutetiam, & salutare illos Semones, ac statim pedem referre: nam, ut verè dicam, suspicor ea imminere, quæ iter illud εἰσάπαν sint præclusura: Deus meliora. Richardus Thomson scripsit ad me, nescio vigilans an somnians, hæc verba: *Lipsium plurimùm in edendo Polybio sudasse; multa tamen peccasse, ut paginâ pr.* &c. quid? Lipsius ergo Polybium edidit? per omnes Musas te oro & obtestor, inquire, investiga. Idem Thomson jussit salutem tibi verbis suis asscriberem; unicè enim ab illo & amaris & observaris: scripsisset si scisset ubi hæreres. Uti video, fasciculus ille literarum, quem misi ad te per Tobiam Scultetum, ut ad Scaligerum curares perferendum, vel gradu testudineo delatus, vel potiùs periit: nam illis literis

1595. literis & ipsum & Thomsonem monebam de recepta tandem pecunia Angli. Adjeceram & literas ad D. Busenvallium, quibus gratias illi agebam. Scribam iterum ex commodo. In Athenæo mox, si Deus dabit, eram futurus: negotium sanè molestum vel ipso argumenti genere: nam illa quam tantopere olim ambiimus πολυμάθεια, quæ nusquam uberior quàm in illo scriptore, nunc minus grata; quærit enim animus in his publicis miseriis, aliud nescio quid, in quo acquiescat. Atque utinam esset copia librorum, quam sperare hic non possum: conarer historiæ veteris ecclesiæ eam lucem afferre, quam sperare illius auctores Græci, præsertim à quolibet de grege sacro, non possunt. Sed hæc ἀπόρρητα.

Epistola XLIII.

EIDEM.

1595. SAlve, amicissime Virorum, & vale. Simul enim hæc scribebam & equum ascendebam visurus optimam matrem, quæ in Delphinatu agit, fortasse & usque in intimam Occitaniam ad D. Canajum nostrum excursurus: quanquam terrent me nuntii certi de rebus novis, quæ illis in locis parantur. Non hoc dico ex vulgi rumoribus, sed quia certò scio. Venerat huc minister Monspessuli, ut me abduceret: dum ille hîc agit, venit ecce ad illum tabellarius ob id ipsum publicè missus, qui nuntiat turbas & tumultus inceptos potiùs quàm imminentes. Causa est, Præfectus recens à rege impositus, contrà quàm legibus conventionis nuperæ ferebatur. Poterat iter meum frangere hic nuncius: cùm præsertim in vicinia undique Hispani duo exercitus nos cingerent. Sed vicit tamen pietas, & ἄφατος cupiditas visendæ matris. Deus, spero, aderit: qui si me ex eo itinere salvum & incolumem esse voluerit, alacri animo ad ea edenda me statim accingam Θεοῦ διδόντος, quæ habeo affecta paratave quàm plurima. Vale, Ocelle mi, & me ama, qui te depereo. *Genevæ, die lunæ, summo mane,* XI. *Kalend. Novemb.* CIƆ IƆ XCV.

Epistola XLIV.

HIERONYMO COMMELINO.

1595. BRevissimæ epistolæ tuæ, vel schedio potiùs, respondebo non multò liberalius. Quod meâ gratiâ fratri * commodaveris, fecisti rem gratissimam mihi, & magnas habeo agoque gratias: 1595.

* *Paulo Stephano.*

feceris εὖ οἶδ' ὅτι sine fraude tuâ, ut erat in XII. Utinam & Procopium, cujus spem fecisti, tradidisses ipsi. Nam Athenæus noster opinione meâ citiùs ad umbilicum, spero, perducetur: cujus quidem contextus omnis paulò post Jan. Kal. σὺν Θεῷ absolvetur. Supererunt illi tot indices, non omittendi quia necessarii: de iis ut tecum ageret frater, mandaram: mihi enim nihil unquam fuit cum indicibus, aut porrò futurum est: ἀρκεῖ labor ille ἄφατος, quem jam sustinui in recensendo auctore, & qui superest adhuc non minor in Animadversionibus nostris colligendis componendisque. Spondeo mihi per Dei benignitatem & clementiam, futurum opus & me & te dignum. Sed cùm illi ante absolutam editionem Athenæi manum admovere non possim, vel tacente me vides ἀδύνατον esse, ut ad vernum mercatum res ad exitum perducatur. Quod igitur in Senecâ & Etymologico & Theocrito fecisti, separatim Athenæum expones unum: vel paullulum exspectabis. Quid tibi animo sedeat, facies me quàm primùm ut sciam. Libellos à te non quos sperabam omnes accepi, sed istos: Heliodorum, Scaligeri in Theocritum, Pisidam, Philonem, Nonnium, Basilium Seleuciæ Episc. &c. Codini excerpta à Dousa versa: non sine admiratione mea, cur novam in Curopalatem appendicem omisisses: cur item Eunapium. Crede mihi, amicissime Commeline, quod tuos libros mihi à te mitti cupio omnes, non facio quia hic emere nolim, sed quia non possum. Nostris enim bibliopolis ita mens læva est, ut tua quæ ferè πρὸς τὰ ἄλφιτα non putant facere, advehere negligant. Fabrum excipio, qui non adeo omnino socors est. Ab eo emi quæ ille habuit tuorum. De Chrysostomo non antè habebo gratiam, quàm ad Tornæsium scripseris, ut eum mihi tradat. Hactenus inutilia mihi sunt quæ misisti: ita ille obstinato animo pernegat daturum ante mandatum tuum. Jam hæc quidem verbosa epistola est, non Laconica, ut proposueram. Est tamen quod adjiciam. Nuper cùm isthic esset frater jussu patris †, expertus sum non esse aptos curandæ editioni Athenæi nostri, quorum fidei negotium ipse commiserat: quippe duo fuerunt juvenes, qui corrigendi laborem in se curamque susceperunt: atque alter eorum usu & peritiâ linguæ Græcæ luculenter instructus, rudis artis typographicæ, καὶ τῆς περὶ ταύτην τριβῆς fuit: alter in hac satis versatus, πρὸς τὰ ἑλληνικὰ merus

† *Henrici Stephani.*

1595. ὄνος πρὸς λύραν. Omnis igitur humeris meis incumberet labor: cui ferendo cùm propter studia, munus meum & gravissimum morbum in quem incidi, par non essem, cùm etiam omnia experiunda putarem, priusquam operas dimitterem quas ægrè tandem frater nactus erat, ut neque illæ dissiparentur, & ego ærumnis liberarer, dum frater exspectatur, tradidi ipsis Turnebi illius, ut scis, τρισμεγίστου quosdam libellos edendos: memor non fuisse ingratum tibi quod ante biennium simili occasione ausus eram apud Laimarium. Res est non magna: vix enim ad XIX. folia opuscula illa pervenerunt. Et tamen si quid in ea re contra tua commoda factum putarem, invenirem facile aliquam machinam, ut tibi ἐκτὸς πημάτων πόδα ponerem: velis ergo agnoscere pro tuis, quæ sunt edita, an non, si lubet indicabis. Est autem editus commentarius Turnebi in libros de Legibus & de Fato. Vale, & illud scito, cùm hæc scribebam, fuisse me inibi, ut post dies paucos Monspelium cum familia migrarem. Satis enim hic cum * * ‡ luctati sumus. Deus fortunet hoc consilium. Non est quod verearis offuturam Athenæo nostro hanc migrationem: proderit magis: plura de ea re scribam brevi. En epistolam Laconicam. Iterum vale. *Genevæ, a. d.* VI. *Id. Novemb.* CIↃ IↃ XCV.

‡ *Forte*, Senatu.

EPISTOLA XLV.

JACOBO BONGARSIO.

1595. SCripsi nuper ad Te, Bongarsi nobilissime, per nostros mercatores ad vestras nundinas proficiscentes: neque adhuc à te quicquam literarum ἀμοιβαῖον receperam. Sed differendum non putavi quo minus mitterem ad te quamprimum D. de Fresnes epistolam hisce diebus mihi redditam: rogat ille me ut cum cura & fide eam curem: & quantocius responsum tuum faciam, recipiat. Id primum in te situm: qui si scripseris & miseris, omni nitar diligentiâ, ut mos ei geratur. Debeo hoc illi, cui omnia debeo. Debeo tibi, qui amore in me ne illi quidem concedis. Non desinit magnus ille amicus meus seriò & sæpe hortari, urgere me, exeam isto loco, veniam ad se, hoc est, Montempessulanum; ubi, etsi in præsens non usque adeò lauta offertur conditio, spes tamen certa ostenditur meliorum, &, ut ejus verbis utar, *ille futurus est infimus fortunæ meæ gradus in Gallia, unde ad uberiorem & luculentiorem conditionem transitus brevi possit sperari: habere me in Galliis copiam amicorum, qui me ament, qui studiis meis cupiant consultum: posse aliquam rationem inveniri quâ otium illud* τριπόθητον, *quod tam diu sitio, otium studiorum optimum coagulum, consequar.* Addit postremò, *hic posito mihi omnem etiam spem rerum lætiorum esse præcisam.* Unde enim illa affulgeat? cui non nota & cognita nostræ Reipublicæ non paupertas, sed egestas? & tamen sunt alia quoque non pauca quæ vetent ab iis, qui hîc clavum tenent, λόγου quicquam ἄξιον sperare. Non diffitebor, Bongarsi charissime, ancipiti animo in hac deliberatione sic κλυδωνίζομαι, ut nunquam magis. Per igitur nostram amicitiam te oro, suscipias paulisper meas partes, & quâ vales prudentiâ deliberes, statuas demum quid è re mea sit futurum. Equidem tantisper respondere supersedebo, donec literas à te accepero, sententiæ super hoc negotio tuæ indices. Hôc gratius facere nihil mihi potes. Vale, Vir nobilissime, & me ama. *Genevæ, a. d.* XIX. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ XCVI. 1595.

EPISTOLA XLVI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

LIteris tuis, Vir amplissime, quas ante sex septem menses reddidit mihi D. Bullio, & serò & raptim respondebo: quod seriùs scribam, in caussâ est spes quæ me hactenus lactavit, posse me isthuc cum eodem Bullione ad vos revertente venire: nam & te id non nolle intelligebam, & ego hoc planè multos jam menses sitio, nedum cupio: verùm ego quartâ me puto lunâ olim natum; cui quidem ita spissè & lentè quicquid opto evenit. Sæpiùs in longa vita hanc fatorum meorum inclementiam experiri memini: sed enim molestius evenire nihil ferè mihi recordor, quàm quod hoc consilium exitum habiturum sit nullum: mihi enim prorsus τῶν ἀδυνάτων ἓν ante proximam æstatem exactam iter isthuc suscipere. Quæ me impediant atque aliquot jam menses habuerint impeditissimum, narrare supersedeo; raptim enim ista & tumultuariè exaravi, fretus etiam eo non nihil, quod melius hæc coram idem ille Bullio sit tibi expositurus: ex eo intelliges, Vir amplissime, [si modò ad tuam curam ea res pertinet] migrationem nostram ex ea urbe, quæ nos hactenus fovit, in Occitaniam. Tandem enim constantiam nostram, & consilium τοῦ ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει ἐγγηράσκειν 1595.

τῷ

1595. καὶ ἐναπέθνῄσκεν fregit Monſpelienſium, ad ſe nos vocantium, ἐκλέυζα καὶ προσλιπάρησις. Quod igitur benè vertere mihi, benè illis velit Deus Opt. Max. eò lares transferre conſtitui: quin hæc ipſa Lugduni ſcripta mihi, cùm eatenus perveniſſem, & meos meaque omnia perduxiſſem. Simul illuc appulero ſcribam ad te, Vir ampliſſime, de noſtris ſtudiis plura. Vale, & me tui obſervantiſſimum amare perge. *Lugduni raptim*, XIV. *Kalend. Januar.* CIƆ IƆ XCVI.

EPISTOLA XLVII.

JOHANNI SARACENO.

1596. ECce provoco te, mi Saracene, neque exſpecto ut à te laceſſar, & ad ſcribendi vices inviter. Ipſe videris quâ fide & diligentiâ mecum paria ſis facturus. Mihi quidem tuis literis gratius nihil poteſt poteritve unquam accidere. Quanquam id opto potiùs, ut ad nos redeas, & honeſta aliqua tibi offeratur occaſio vitæ hic nobiſcum degendæ. Id ſi, quod ſpero, (cupio quidem certè) eveniat, haud parvam Genevæ partem in tuo patruo viro clariſſimo, in te fratreque tuo recuperaſſe mihi videbor. Patrem tuum valere, poſſum tibi ex illius literis affirmare. Caſſerone enim reverſus duas ejus epiſtolas reperi, ambas eâ feſtinatione ſcriptas, ut neque ad fratrem, neque ad filios licuerit ei tum literas dare; omnes tamen plurimùm ſalvere jubebat. Illum verò Deus Opt. Max. ſalvum ſervet atque incolumem cum omnibus ſuis. Equidem quantum illi debeam, nullâ verborum copiâ exprimere queam. Parum erat quod dum iſthic fui, quotidie operâ ejus ſum ad meam aut meorum ſalutem uſus, niſi in abſentem pergeret eſſe officioſus. Utinam poſſimus & nos hunc animum noſtrum erga vos eximio aliquo officio teſtari! Sed erit fortaſſe olim aliqua occaſio. Intereà peto à te ut meis verbis quàm officioſiſſimè ſalutes eos, quibus me iſthic innotuiſſe atque adeò charum eſſe non ignoras. D. de la Mer, vicinum tuum imprimis, & Jugeum, nec non De la Grange, cui etiam offeres libellum, quem mitto tibi illi inſcriptum. Salutabis & Rotanum, Vanleranum, & Fontanum, ac ſi quis alius eſt noſtri amans. Vale, chariſſime Saracene, πατρὸς κράτιστε παῖ κράτιστε. *Monſpelii, pridie Kalend. Februar.* CIƆ IƆ XCVI.

EPISTOLA XLVIII.

EIDEM.

NOn ago tecum pluribus, amiciſſime Saracene: eram enim, cùm iſta ſcriberem, variis negotiis ἔνθεν κἀνθεν ἐμὲ διασπώντων occupatiſſimus: cùm erit otii major copia, grandes ad te epiſtolas exarabo: tantùm tibi gaudium meum indicabo, tibique gratulabor ob illam, quam confido te eſſe conſecutum, non Bacchi lauream, ſed Themidis. Macte propoſito, Adoleſcens εὐφυέστατε· ſic itur ad aſtra. Quod verſus à me exigis, puto me parum tibi notum, qui tamen debueras totum intus & in cute noviſſe. Quis dixit tibi me eſſe de grege eorum qui dormierunt in Parnaſſo? falleris, & toto quidem, quod ajunt, cœlo: adoleſcens olim delectabar interdum eo genere παιδιᾶς· ne nihil agerem, cùm aliud non agerem: maturior hæc ætas abſtulit mihi omnem ejus facultatem neſcio dicam magis an voluntatem. Quid? nonne habes affinem (noſti quem dicam: ô miſellum ſenem!) qui meam vicem verſus ſatis multos quotidie evomat. Cur igitur me inani labore exerceam? ut ſcias quàm exaruerit in nobis omnis Μουσικῆς vena, aſſcripſi verſiculos quos inter prandendum heri rogatu fratris tui, cùm aliud tempus non haberem, effudi: non mitto ut edantur: ſed ut ſcias nihil eſſe tibi à me exſpectandum in eo genere dignum quod edatur. Vale, & patruum tuum, virum clariſſimum, ſalvere jube. *Genevæ, prid. Id. Februar.* CIƆ IƆ XCVI. 1596.

EPISTOLA XLIX.

JANO ANTONIO SARACENO.

QUàm non capiat animus meus duas cogitationes, vide. Venit modò ad me quem miſeras, ut me ad craſtinum prandium rogaret: rogavit, promiſi: immemor aliquot priùs horis Comiti Hannovienſi idem me eſſe pollicitum: nempe alibi mens mea fuit: totus etiam eram inter prandendum in eo, ut filio tuo maximo natu ſatisfacerem, qui ternis literis verſus à me petit, qui omnium minimè ſum poëta. Sed amor meus adverſum illum expreſſit à me iſtos verſiculos, quos tui facio judicii: 1596.

1596. Ἡ Νεμικὴ πρὸς Ἰωάννην Σαρρακηνὸν
ἐν τῷ αὐτῆς σαδίῳ ὑπὲρ ἀριστείου ἀγωνιζόμενον.

Ὦ λῷστε πατρὸς παῖ λῷστε, φέριστε φερίστου
Παιδόθεν ἐς Μούσας, πεφιλημένος ἔξοχα Μούσαις,
Φίλαο, καὶ ζήλωσας ἑῶν προγόνων κλέος ἐσθλόν
Ἐκ δ' ἔτι κουροσύνης σοφίης βεβολημένος οἴστρῳ
Σκληρά τε πρόσθεν ἕλου γλυκέων καὶ ἐτέρπεο καλοῖς.
Βάλλ' οὕτως. καὶ κέν ὑφάος Νεμικῇ τε γένοιο
Καὶ Μούσαις· Μούσας Νεμικήν θ' ὁμοῦ ἀμφαγαπάζων.
Νῦν δὲ τῶν καμάτων ἀντάξιον ἄρνυσ' ἀμοιβήν,
Μαρτυρίην πινυτοῖο νόου πινυτῶν παρὰ ἀνδρῶν.
Ἆθλα πόνων τοὺς πρόσθεν ἀνήρεο εἵνεκ' ἐμεῖο.

Si videtur esse tanti, mittes ad filium. *Genevæ, ipsis Id. Febr.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA L.

JACOBO BONGARSIO.

1596. BInas à te simul accepi literas, suavissime & φίλιστε amicorum Bongarsi: ego verò paria tecum faciam non numero epistolarum, sed prolixitate: tamen plures, sed breves & Laconicæ scytalæ similes: ego fortasse pauciores, sed τὸν Ἀσιατικὸν τρόπον ἀδολεσχέστερος & benè longas mitto. Quid facerem? Ut si isthic essem nihil facerem libentiùs, quàm ut totos dies tecum transigerem, & soles conderem: ita nunc absens per epistolas garrio tecum quàm lubentissimè. Verè garrio. Nam planè quicquid venit in buccam, id stylus exarat. Tuum est ἀδολεσχίαν & incuriam in scribendo meam facere æqui boni. Venio ad tuas, & quidem ὁμηρικῶς ὕστερον πρότερον. Ain' tu, Sylburgius fuit? O factum malè! ô gravem reipublicæ literariæ jacturam! en quò spes mortalium redeant: nam paucis antè diebus per Commelinum mihi significatum erat de multis ipsius cœptis & inchoatis laboribus. Habent Græcarum literarum amantes quod doleant: quanquam, ut nunc vivitur, paucos ea cura tangit; prorsus enim contemtæ jacent nostræ Musæ Græcæ; &, si ita pergitur, pauci adhuc anni, & vel nomen Græcorum auctorum interierit. Viden' subolescentem istam juventutem, ut tædula est, ut molliter & delicatè literas tractat? alii ambitione & gloriolæ cupidine ducuntur, plerique ad quæstuosas artes properant lucripetæ frugiperdæ. Ita vivam, amicissime Bongarsi, ut hæc res impetum meum sæpe retardat, moratur, & frangit: nam quibus labores sudoresque nostros imputabimus? τὶς τῶν νῦν τὰ Μουσῶν ἅγια μετερχομένων χάριν οἴσεται; de juventute loquor, cujus studia juvare erat animus. 1596. Verùm ista querela non erat hujus loci, neque temporis: quanquam volui te scire quid me lentum adeò faceret in iis publicandis, quæ sunt nobis in Græcos auctores observata: nam tu quidem non cessas latus fodere. Mihi verò ἐν δοιῇ θυμὸς vel obtemperare tibi, vel calamo & stylo longum vale dicere: nam si in Galliam me semel abdidero, quiescam, opinor, ab hac cura, & alias res agam, si tamen impetrare à me hoc possum, ut alias res agam. Noli facere, inquies, βεβαρβαρωμένα loca omitte. At rursus quæ me hìc incommoda premant [ubi ne spes quidem meliorum videtur relicta] non te fugit. Quid igitur faciam? nempe quod Deus Opt. Max. quod amici in dies & horas suggerent. Annus quidem certè necessariò hìc agendus, postquam senatori nostro ita me facturum recepi. Intereà Athenæum, Persium, & quædam alia, si vivimus, & Deus aderit, edemus. Polybium eodem tempore publicè explicabimus: cujus propterea separatim edi curavimus quæ pertinent ad rem militarem Romanam. Vires ingenii contendemus, nobilissime Bongarsi, ut aliquid præstemus nostris certè auditoribus non inutile: etsi quis noster auditor erit? quis Græca tractantem curabit? opinor vel duo vel nemo. Ut scias tamen quàm altè radices in nobis egerit scribendi cacoëthes, finem nullum faciemus tecum orandi, ut quæ novissimis tuis pollicitus es Parisiis ad illius scriptoris editionem præsidia, cures atque communices. Hoc ita te rogo ut nihil possim studiosius. Addo amplius hoc unum, quod impudenter fortasse tibi imponam, sed imponam tamen: ut librum Ursini, quo marmora antiqua & statuas expressit atque imagines, mihi investiges. Dici nequit, quanto usui mihi illa antiquitatis specimina esse queant. Addes & Duillii statuæ inscriptionem seorsim editam cum Commentario Ciacconii: puto libellum esse editum non ita pridem à Raphalengio, qui eum pollicetur in nupera editione Sallustii: amabò, fac habeam. Etiam illud à te peto, & quidem obnixè, ut cùm Parisios ibis, magnis ibi viris aliquot salutem à me dicas, quibusdam etiam Suetonii exemplaria nomine meo offeras, quæ tibi Chouetus nostràs dabit mandatu meo. Ego enim multos jam menses frustra quæro viam eorum mittendi. Tu igitur, si grave non est, accipies à Choueto exemplaria quatuor, & dabis unum Emerio Thuano,

1596. Thuano, alterum Fabro, qui Simplicii in Epictetum copiam nobis fecit: duo reliqua duobus Pithoeis. Illud à te non expecto, ut munuscula ista nostra verbis tuis ornes: satis est, si nostram vicem illa offerre digneris. Scripsissemus ipsi, ni defuisset quà otium, quà scribendi argumentum. Jam enim & ad Emerium virum amplissimum, & ad clarissimos Pithoeos ternas literas dedimus: pervenisse nostras in ipsorum manus, tam pro comperto habemus, quàm mirari solemus, nullum adhuc tulisse nos responsum. Eramus tamen scripturi nihilominus, ni pridie quàm has daremus, uxor abortum fecisset, & ex ea re gravissimè adfecta decumberet: neque alibi ista mihi scripta quàm ad spondam lecti illius accumbenti, & ipsam subinde appellanti assantique. Poteram aliquot adhuc dies scriptionem hanc differre, sed doctus multis experimentis literas quoque naufragium sæpe facere, nactus tam opportunam occasionem prætermittere nolui. Parabam plura: sed somnus urget. Vale, Vir clarissime & amicissime. *a. d.* VI. *Nonas Martias*, CIƆ IƆ XCVI.

Tuas ad D. à Fraxinis Tornæsio commisi. Eam tutissimam esse viam experientiâ habeo compertum. Is Lugdunum mittit ad suos, qui fideliter curare hactenus soliti, ut responsa arguunt à Præside missa.

EPISTOLA LI.

CONRADO RITTERSHUSIO.

1596. DIu silui, nec silui, doctissime & amicissime Rittershusi. Silui apud te; non silui de te apud amicos, & Musarum ὁμοίως ἡμῖν θεράποντας. Ego verò nominis mei priùs obliviscar quàm Rittershusii: quem penitus ἐν δέλτοις φρενῶν inscriptum, & μυελῷ ψυχῆς, καθ' Εὐριπίδην, infixum circumfero. Omnia in te me capiunt; eruditio, industria, judicium: sed nihil æquè ac similitudo, quam animadvertisse mihi videor, in tuis meisque moribus. Quamobrem οὐκ ἀθεεὶ juncta inter nos hæc amicitia est: ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει Θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον. Suetonium nostrum tantopere tibi probatum fuisse, (sic enim ais) cùm vehementiam amoris in me tui cogito, non nimis miror. Scis enim quàm soleat τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον τυφλοῦσθαι, & tamen gratum nihilominus fuit judicium tuum de nostra illa opella cognoscere: præsertim cùm clarissimorum longèque eruditissimorum virorum, Philippi Scherbii & Scipionis Gentilis, suffragiis tuum hoc judicium comprobari 1596. scribas. Equidem is non sum, οὐ μὰ τὸν ἐν οὐρανῷ ὕψιστον Θεὸν, qui inanis gloriolæ cupidine ad scribendum impellar: sed neque cornea nobis fibra est: ut si quid nostri talibus viris placuerit, non lætemur. Quod me hortaris, ut quæ in Polybium aliosque auctores sint nobis observata, edam: currentem tu quidem: etsi sunt sanè nec pauca nec levia, quæ me interdum monent, ut his studiis serò quidem, sed seriò renuntiem. Verùm de iis agam tecum aliàs pluribus. Nunc in Athenæo eramus: neque jam per nos stabit, quò minùs post dies oppidò paucos prælo liber subjiciatur. Absque hoc incepto foret, in Galliis fortasse nunc essem: unde nuper cum præsentissimis vitæ periculis Dei ope sum reversus. Oppianum tuum avidius semper in dies & horas exspecto. Gratissimum verò mihi, quod narras de Gunthero, Poëta, ut tempora erant, eximio. Legi illius Ligurinum Wechelianæ editionis: nec alia mihi nunc ad manum. Si esset, aut omnino haberem aliquid, quo ornari augerique tua posset editio, scias eâ fide id me tecum communicaturum, quam præstari mihi ab amico in re simili postulo. Epigrammata nostra, quæ fecisti de non pessimis fortasse Græcis Latina quàm optima *, sic mihi, sic aliis hìc placuere, ut mea tuis libentissimè, velis modò, sim commutaturus. Meritò te plurimùm amo, amicissime Rittershusi, qui Poëta cùm sis, nostra, qui ne versificatores quidem sumus, tanti feceris. Mitto ad te quæ olim in Theocritum scripsi, & nuper rescripsi. Vale, & me ama, qui te vehementissimè. Magnis isthic viris Scherbio Gentilique plurimam à me salutem. Scripsi nuper ad Joachimum Camerarium amantissimè ab eo lacessitus: puto meas fuisse illi redditas: illi quoque & Philippo, dignissimis tanto patre filiis, salutem meis verbis, si grave non est, impertieris. Vale iterum. *Genevæ, a. d.* III. *Idus Martias*, CIƆ IƆ XCVI.

* *Versus in Job. Castellum intellige, quos habes in Casaubonianа Suetonii editione, pag. 46. & 230.* Colomes.

EPISTOLA LII.

JACOBO BONGARSIO.

TRadideram paullò antè fasciculum 1596. tibi inscriptum Rapellensi illi viro doctissimo & honestissimo, qui liberos D. Sancii aliquando rexit: mox venit in mentem, non posse meas ad Firxium tutius cuiquam credi, quàm tibi: igitur has ad te è vestigio exaravi, ut, si grave non est, cures meas perferendas, quas his adjunxi. Tu vicissim quod-

1596. quodcunque volueris, onus humeris meis impone, bajulabo eâ fide quâ debeo, homo tam multis officiis & beneficiis tibi devinctus & obstrictus. Tuas ante profectionem in Gallias exspecto paullo uberiores. Vale, amicissime Bongarsi. Deus te Opt. Max. servet ac brevi reducem *χαίροντα σὺν χαιρούσῃ*. Argentinam sistat, quando præ ea, quæ te tulit, placet patria. Iterum vale. *Genevæ, Idibus Martiis*, CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA LIII.

DAVIDI HOESCHELIO.

1596. Cum erit plus otii, scribam ad te pluribus, Hœscheli doctissime. Nunc occasione sese offerente prætermittere istud quasi legitimum carmen nolui, valere me, & omnia tibi felicia faustaque à Deo Opt. Max. optare. His diebus rusticatus sum cum Theocrito. Olim penè puer in eum eram aliquid muginatus. Putabam *ἀνεμιαῖον* illum & verè *ἠλιτόμηνον* ingenii nostri fœtum in doctorum manus nunquam venturum, & me illi fore superstitem. Contrà evenit: nam summus doctorum Scaliger recudi voluit; relegi igitur, & nescio quæ interpolavi. Commelinus mittet tibi exemplar unum, rogatus à me. Proximis literis puto me tibi de inchoata Athenæi editione significaturum. Quicquid potero præstabo. Id ne nimis exiguum sit in tam difficili opere nimis vereor. Et, ut verum tibi fatear, *ἄρτι μῦς ἐγεύσατο πίσσης*. Sed quod mihi imprudenter intrivi, fortiter devorandum. Vale, Vir doctissime, & Velsero viro clarissimo plurimam à me salutem. *Genevæ, Idibus Martiis*, CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA LIV.

JOSEPHO SCALIGERO.

1596. Semestre hoc silentium tuum mirarer, nobilissime Scaliger, nisi conscius mihi essem, causam ei esse à me ipso præbitam. Memini enim ante menses, opinor, septem * scripsisse ad te de itinere in Gallias quod tum parabam. Eo factum suspicor, ut cùm huc literas dares post paullò ad Bezam & Goulardum, nullas ad me adjiceres, quem absentem putares. Ego verò mensem tantùm abfui: posteà enim quàm matrem visi, quæ non procul Valentiâ habet, è vestigio pedem retuli, nec iter institutum † ad virum amplissimum Philippum Canajum à Fraxinis perfeci. Fueram ab eo non unis literis vocatus, 1596. ut quod adhuc persuadere per epistolas non potuerat, de migratione in urbem Montispessuli, verbis coram efficeret. Mihi ea conditio multis de caussis nondum satis probari potuit. Sum enim otii amantissimus: neque aliud à Deo Opt. Max. exopto, quàm ut in alta & profunda quiete quod superest vitæ exigere possim, & simul charissimis pignoribus meis consulere, non ut divitias illis congeram: abest à me *ὡς πόῤῥωτάτω* illa cura: sed ut olim post funus nostrum sit, unde honestè & liberaliter educari possint. Tu, Vir summe, qui nostrorum Gallorum *ἴδες ἄστεα καὶ νόον ἔγνως*, quid suades? stabo enim libentissimè etiam in his rebus, judicio tuo. Magnam quidem benevolentiam erga nos duabus legationibus Monspelienses ostenderunt: conditio tamen non adeò lauta, aureorum ducentorum cum ædibus, & nescio quibus aliis rebus. Noster hic Senatus, ni deessent nervi non belli tantùm, sed omnium ferè rerum, facilè illos in hac contentione superaverit: nunc in angustissimum locum redactæ sunt res hîc nostræ publicæ. Cæterùm scripsit ad me nuper Commelinus noster autorem te sibi fuisse, ut in Theocriti quam parabat editione veteres quasdam nugas nostras non omitteret. Næ tu oculos habes Lynceos, qui latitantem inter sentes & rubos libellum inveneris. Ea fuit caussa, cur denuò eam opellam retexuerimus: sed profectò non majore otio quàm antè texueramus. Vale, *σεβασμιώτατον ἐμοὶ κάρα*. Deus te servet, rei literariæ culmen & columen. *Genevæ, Idibus Mart.* CIↃ IↃ XCVI.

* Pag. 48. edit. Gravii.

† Pag. 57.

Ad hanc respondet Scaliger l. 1. epist. 41.

EPISTOLA LV.

FRIDERICO LINDENBROGIO.

Ternas à te literas, doctissime Lindenbrogi, accepi, cum totidem eximiis & gratissimis muneribus tuis. 1596. Primis respondi pridem, tibique gratias egi pro carmine, quod primum fuit ex muneribus illis, quibus sum à te provocatus. Vinculum obligationis ejus nondum exolveram, cùm ecce iterum atque iterum adstringis me novis beneficiis. Si ita pergis, non poterit, quin tui tandem sim juris & mancipii *ὅλος καὶ πᾶς*. Veruntamen si offert se occasio, certabo tecum iis artibus, quibus me primum es aggressus. Igitur alia aliàs cum Deo: nunc mitto tibi, quæ olim in Theocritum scripsimus, & nuper rescripsimus, tenue & levidense prorsus

1596. prorſus munus, ſed quod gratum fore ſpero, vel eo nomine, quia viris magnis id velut tyrocinium noſtrorum ſtudiorum non diſplicuiſſe ſcimus. Si de tuo conſilio edendi Pauli Diaconi priùs eſſem factus certior, juviſſem te MS. codice, quem habeo non peſſimæ notæ. De Iſidoro fac, amabò, opus appareat, & illas tandem Gloſſas publica, quarum deſiderio penè contabui. Gloſſarii editionem parari à Vulcanio, viro doctiſſimo, lubens intellexi: liberatus ſum curâ pridem mihi curatâ maxima ex parte. Fuit enim animus non ſemel, idem conari, & in ea palæſtra ſudatum mihi non leviter: ſed nec cum Vulcanio igne congredi libet, nec ita aſotus exiſtimationis meæ ſum, ut Apollinis ejus, qui Delphis relictis ſuum iſthic tripodem collocavit, reſpectum non habeam: ut Junios, ut Douzas, ut alios taceam. Theodoreti locum, de quo per epiſtolam quæris, attigimus ad librum primum Suetonii *: ſed ſcito quod fugit nos tum monere, ut alia multa, non primum Theodoretum ita locutum. Dio Chryſoſtomus: περὶ Ὁμήρου † γὰρ κελεύει [loquitur de Platone] μάλα εἰρωνικῶς στέψαντας αὐτὸν ἐρίῳ, καὶ μύρῳ καταχέαντας, ἀφιέναι παρ' ἄλλους· τοῦτο δὲ αἱ γυναῖκες ἐπὶ τῶν χελιδόνων ποιοῦσιν. De loco Suetonii è Claudio cap. XXXIII. viderimus alibi. Tertullianus in Apologetico ‡ cùm ſcribit: *nam & aruſpex mortuis apparet:* tangit veterem aliquem ritum circa mortuorum ſolemnia, quem ut obirent & exſequerentur aruſpices, moris erat: id quale ſit, alibi non meminimus διαῤῥήδην expreſſum. Arnobii locus uterque, de quo me conſuluiſti, manifeſto corruptus eſt, nec priùs explicari poteſt, aut debet, quàm emendari. Nihil nunc ſuccurrit, quo me teque expediam. Tu, quem ſolis ┼ noſtri radii propius tangunt, cur aliundè lucem quæſitas? illum adi, ſodes: poſterioris ſanè Arnobiani loci mens non eſt obſcura. Habes πρὸς τὰς σὰς ἀπορήσεις non ἀποκρίσεις, ſed συναπορήσεις meas. Vale, Friderice eruditiſſime. *Genevæ, Idibus Mart.* CIↃ IↃ XCVI.

* Ad cap. 81. Jul. Cæſ.

† Orat. LIII. pag. 554. edit. Caſaub.

‡ Cap. 13.

┼ Joſ. Scaliger.

EPISTOLA LVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

1596. NUdius quintus cùm ad te ſcriberem, Vir illuſtriſſime, & animum variis curis ἔνθεν κἄνθεν διασπώμενον haberem, duo prætermiſi, de quibus vel maximè inſtitueram tecum agere. Alterum fuit, ut gratias tibi agerem maximas, quòd ad propoſitas tibi à me è Suetonio dubitationes reſpondere non inſuper habueris; ſed noviſſimis tuis abundè mihi ſatisfeceris: quæ etſi ſerius ad me ſunt perlatæ, quàm ut beneficio tuo poſſem in hac editione, quæ jam ad umbilicum erat perducta, uti: conſtabit tamen nihilominus tibi operæ tuæ fructus. Alterum erat, ut novum à te beneficium, ſi pateris, extorquerem. Cupio enim (& cupio ſic, ut nihil unquam vehementius) mecum à te communicari, quæ haud dubiè in Athenæo ὁδοῦ πάρεργον olim obſervaſti. Hoc mihi te non eſſe denegaturum, quæ tua eſt humanitas & amor in me ſingularis, ſpero equidem atque adeò confido. Cæterùm qui has tibi tradet, per eſt honeſtus adoleſcens, bono genere prognatus. Is cùm iſthuc ſe conferre ſtudiorum cauſſâ cogitaret, per me voluit tibi innoteſcere. Quare rogo te etiam atque etiam, ut tuâ illum benevolentiâ, vel meo nomine digneris. Vale, & vive diu quàm feliciſſimè ἀμφότερον τῇ τε ψυχῇ καὶ τῷ σώματι ἐρρωμενέστατος. *Genevæ, a. d.* XIII. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCVI. 1596.

EPISTOLA LVII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

MUltis nominibus jucundiſſimæ tuæ mihi literæ, Præſes ampliſſime, fuerunt; ſed hoc amplius, te pro tua ſingulari humanitate nos & ſtudia noſtra curâ tuâ dignari: nam quod tam benevolè me hortaris, ut bimeſtrem peregrinationem iſthuc ſuſcipiam, quanto id ceſſurum ſit ſtudiorum meorum commodo ac bono, non me fugit. Maximas igitur tibi eo nomine gratias & habeo & ago, teque obnixè oro, ut eâdem benevolentiâ me ſemper amplecti velis: non contuleris beneficium in pertuſum animo neque immemorem: etſi quid ego poſſum tibi ἀντάξιον ἀντιπρύσασθαι? ſed tu cupientis paria tecum facere voluntatem ſpectabis, non facultatem. Utar verò beneficio tuo, Vir maxime, & tam bonam proficiendi occaſionem ambabus, ut ajunt, manibus arripiam: etenim diu eſt, cùm ego φιλομαθείας οἴστρῳ πεπληγμένος Lutetiam veſtram viſendi cupiditate totus ardeo: quod quia hactenus factum non eſt, mirari nemo debet hujus tantæ infelicitatis impreſſas notas in noſtris ſcriptis ubique apparere: nam quid λόγου ἄξιον ab homine exſpectes omnibus ſubſidiis deſtituto, quæ in hoc literarum genere vel maximis ingeniis ſunt neceſſaria, nedum mihi. Equidem ſi quando iſthuc venero, nullus dubito idem mihi 1596.

1596. usuventurum quod rusticis aut rure educatis solet, cùm in urbem primùm veniunt; omnia mihi vestra illa κειμήλια nova erunt; imò ego, puto, ξένος vel planè hospes in cognitione antiquitatis vobis videbor. Sedet tamen, si qua proximâ æstate commoda offeretur occasio, eam non prætermittere: constitui enim, priusquam Athenæi editioni jamjam inchoandæ me accingo, voti hujusce mei me facere σὺν τῷ Θεῷ compotem. Suetonium nostrum vidisse te, nec improbasse, ita vivam, ut libenter ex tuis didici: at illud molestum, nullam adhuc esse me nactum facultatem mittendi isthuc exemplaris pridem tibi destinati: tentavi multas vias: frustra: tandem cum doctissimo Bongarsio ad vos redeunte per literas egi, ut tibi mihique hanc operam navet, &, spero, faciet. Cupio sanè exstare hoc in Museo tuo meæ adversum te observantiæ testimonium: tantisper dum Musis bene juvantibus aliud luculentius paro. Vale, Præses amplissime, & me ama. *Genevæ, a. d.* IX. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCVI.

Epistola LVIII.

JACOBO BONGARSIO.

1596. Accepi nunc ipsas quas Paulo Stephano meo dederas: & simul cum iis fasciculum librorum aliquot. Literis tuis, hisce meis respondebo. Pro libris quid possum aliud, nisi gratias tibi agere & habere multò maximas? Ego verò id facio: & ex animo quidem prorsusque medullitùs. En erit unquam ille dies, cùm ego luculento aliquo testimonio meum in te amorem summum testatum tibi facere, atque adeò omnibus potero. Tuus certè sum, ære tuo tibi quæsitus, partus, mancipatus. Sed quid ad te redibit inde boni aut commodi? nempe, ut quæ in me singulis prope diebus confers beneficia, malè ea collocata ne putes, quippe in rem tuam: quæ ut indies augescat, crescat, melior fiat, tua interest non parum. O si mihi unus item & alter amicus! forem brevi ad illa, quæ paro, instructior & paratior. Sed quò rarior in terris avis est amicus perfectus, & qui tanti nominis mensuram impleat; eò pluris tua mihi facienda meritò, Bongarsi charissime, amicitia. Accepi igitur & Nicephorum pridem: & hisce proximis nundinis quicquid per varios tabellarios librorum & literarum misisti: quorum omnium gratiâ, grates tibi quas maximas potui binis literis egi: alteras P. Sabaterio Lutetiam misi, quoniam te illuc brevi putabam profecturum; alteras Melchioris Junii, disertissimi viri, filius, qui hîc est, promisit se traditurum homini certæ fidei. Mitto ternas quas proximo mercatu dedi: quarum primas puto periisse, quibus adjectum nescio quid fuerat nostrarum in Theocritum nugarum: simul epistola ad Rittershusium, & libelli ejusdem exemplar unum. De Notis ad de Pallio judicium meum liberè scripsi proximâ epistolâ. Quod nostras petis Notas, obsecro te, seriò loqueris, an per jocum? hoc potiùs putem: tamen quasi aliter res habeat, & ex animi sententia id me roges, morem geram voluntati tuæ. Igitur ternas exspecta cis dies paucissimos: unas de Polybio, alteras de eo libello Tertulliani, tertias de Aristæneto. Viden' ut otio tuo abuti parem? Deus te servet, Vir amicissime. *Genevæ, raptim a. d.* III. *Non. Majas*, CIↃ IↃ XCVI.

Celasti me versionis Aristæneticæ autorem, & in incerta conjecturarum me conjecisti. Puto autem Josiam Mercerum esse, non alium, qui id stadium adeò feliciter decucurrit. Quisquis sit, in partem amicitiæ illius venire tecum vehementissimè cupio.

Epistola LIX.

CONRADO RITTERSHUSIO.

Binas post meum è Galliis reditum à te accepi: prioribus respondi nuper, & literas ad Bongarsium virum clarissimum misi, & simul nostrarum nescio quid in Theocritum nugarum: posteriores reddidit mihi Amandus Polanus vir eruditissimus. In Gunthero esse te intellexi iterum lubens: scripsi quid de eo proximè, quæ nunc, ut repetam, non est operæ. Conjectura utraque tua, quam mihi indicasti, judicio meo recta est: & næ ego plurimum tibi debeo, qui cùm hactenus rerum cassas literas semper à me acceperis, luculentas ipse mittere non cessas, ex quarum lectione doctior fiam: negare non potes, quin jure in te vetus dictum expectat, χρύσεα χαλκείων; verumtamen neque ego propterea Diomedes, neque tu Glaucus. Memini grandem aliquam epistolam minatum me tibi aliquando: nondum periculum effugisti: noli adhuc Æsculapio gallum: ubi primùm occasio offeretur commoda, senties memorem. Hæc scribebam occupatissimus, solùm ut scires tuis literis nihil quicquam posse mihi accidere jucundius. Vale, doctissime Rittershusi, & pluri- 1596.

1596. plurimam à me salutem viris clarissimis, à quibus nos isthic amari, & quos à nobis coli non ignoras. Iterum vale. *Genevæ*, III. *Non. Majas*, CIϽ IϽ XCVI.

EPISTOLA LX.

PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS.

1596. O Εὐαγγέλιον de reditu τῆς σῆς συζύγου τῆς πλειστάτης! exspectabam avidus & μετέωρος eum nuncium: præsertim ex quo intellexeram peregrinari illam non solùm ἐν γαστρὶ ἔχουσαν, sed planè ἐπίπκα ἔσαν, καθ' Ἡρόδοτον. Magna igitur Deo Opt. Max. laus, magnæ grates, qui & illam, & te cum illa per tot pericula rerum servavit. Confido etiam cumulatum esse jam beneficio alio non minori prius istud sanè magnum & luculentum. Spero enim te priusquam has legas, novâ prole auctum ἠυλοχηκυίας τῆς τριποθήτου σῆς δεσποίνης. Ita esto, ô magne rerum omnium arbiter: & hujus quoque voti damnas esto, Præses integerrime: non gaudebis solus tua gaudia: & nos illa tangunt, qui semper ἐξ ἄκρου μυελοῦ ψυχῆς καὶ χαίρουσι συγχαίρομεν καὶ λυπουμένοις συλλυπούμεθα. Hæc lex æterna veræ amicitiæ: idem velle, idem gaudere, dolere idem. Igitur ut ego ex literis tuis factus sum lætior, ita te ex meis tristiorem fieri oportet: magnum enim cepi nuper dolorem ex obitu viri clarissimi & doctissimi Alberii * nostri. Is, si nescis, Divione ante mensem circiter hominem exuit. Beatum illum qui patriam sic affectam, ut spes salutis sit prope nulla, maturè reliquit; mutans aliâ meliore & semper quidem optanda, cæterùm nunc maximè expetenda. Me verò angit illud maximè, talem tantumque virum ita multas frustra vigilias vigilasse, tot incassum sudores sudasse: nec literis, quod poterant eximiè, quicquam unquam ejus labores profuturos. Nam ut alia omittam, Hippocratem certè & Aristotelem, ejus industriâ illustratos, non videbimus. Schedæ ejus & in eo genere scripta, si quâ possum ratione, efficere conabor, ut tibi serventur, agamque de ea re cum illa, quam tuis literis indicasti, studiosissimè. Res nostræ suo & solito loco sunt, nisi quod diem illum avidissimè præstolamur, qui nos junget invicem. Quare persuasissimum sit tibi edito Athenæo advolaturum me statim isthuc σύν γε τῷ Θεῷ. Quod Montem Pessulum te meâ gratiâ venturum affirmas, tribui mihi à te amplius sentio quàm vel pudor meus ferre, vel lingua possit eloqui. Tu ut ad me venias? Ignosce mihi, ipsam rerum naturam commutas. Quis enim ego sum? unus nempe illorum hominum, quos sapientissimus Imperator vulgò haberi ait ζῶα ὧν πάντες καταγελῶσι. Tu autem quis? sed nolo tibi esse molestus. Veniam igitur ipse potiùs ad te, Vir maxime, neque mihi unquam longa via erit, quæ ducet me πρὸς τὸ ἕτερον τῆς ἐμῆς ψυχῆς ἥμισυ. Omnino si quem exitum habere debet pridem institutum negotium, conveniamus prius necesse est: multa enim sunt quæ malim tecum præsens quàm per epistolas. Scito tantùm alta esse quæ cogitamus, ardua, & magna. Deus ille, ille μέγας ἐν οὐρανῷ Θεός, faveat conatibus, & cœptis benedicat: prodesse posteris, gloriam τοῦ ὑψίστου promovere, hæc omnis mea cura, omnis amor. Sed enim quid nos sumus? iterum dico οὐδάμινοι planè, imo τὸ μηδὲν; & quod maximum ἀνάξιοι τοῦ ἱκανωθῆναι ἀπ' αὐτοῦ. Verùm ista coram. Nunc quid sit futurum, & quam τροπὴν τῶν πραγμάτων Iccius portus, adeò turpiter amissus, sit allaturus, velim ex te scire: quatefecit & concussit animum meum magnitudo ejus casûs. Nisi igitur aliter ipse sentis, tibi huc, non nobis isthuc est cogitandum. Tuas exspectabo impatientissimè. Vale, Præses amplissime, & scriptionem ἐσχεδιασμένην boni consule. Ego & uxor pro tua & nobilissimæ conjugis, suavissimorumque pignorum salute, & παντοδαπῇ felicitate Deum precibus fatigare οὐ διαλαπάνομεν. Vale iterum. *Genevæ*, *a. d.* III. *Non. Majas*, CIϽ IϽ XCVI. 1596.

Iterum dico tibi, tuarum exspectatio me cruciat; magnum enim est quod accedit: ναὶ ἔρχου κύριε, ὁ γὰρ βίος ἀδόκιμος.

* *Est hic Claudius Alberius, cujus exstant Orationes de Animæ Immortalitate, Resurrectione Mortuorum, de Charitate, & Terræ motu.*

EPISTOLA LXI.

EIDEM.

ECquid tantum tibi abs re tua otii erit, Canai amplissime, nostrum decus, ut tot literis legendis vaces, quot ego ad te scribo? puto enim me paucis his mensibus, qui à reditu meo fluxerunt, vicenas & eo plures tibi misisse. Ego verò, ut omnes meas legas non postulo: satis mihi satis erit superque, si quod spero, benigno semper vultu à te excipiantur: fuerit hoc ipsum grande satis tui adversum me amoris testimonium. Ipse quod nullum scribendi ad te finem faciam, multiplex caussa est: vel quia esse hoc aliquod officii genus vulgò creditur, quod equidem sine piaculo deserere posse 1596.

1596. haut putem: vel quia in ista omnium rerum perturbatione tu unus es meus amor, mea cura, in quo animus mœrore prope confectus acquiescat: tu unus es quem affari, quem appellare, quocum garrire, pro levamento omnium mearum ærumnarum soleam: tu unus denique imis animi nostri medullis inscriptus, impressus, infixus, quem dies noctesque ore & circumferam, atque in oculis gestem. Qui igitur tibi sic junctus hæream, miraris si garrulitate meâ sim interdum submolestus? Quid fieret, inquies, si propius abessemus? Quid, si unà essemus? denique subit aliquando vereri, ne hic metus ab eo quod institueras, te avertat. At ego intereà amore tui & desiderio marcescam, tabescam, liquescam. Quàm vellem quod inceperas, vel aliter cecidisset, vel tibi in animum venisset nunquam: mihi enim illud tantum ex eo contigit, ut quò propius à fruendi spe affui, eò nunc tuo conspectu tuâque ὁμιλίᾳ impatientius caream. Sed si Athenæus fuerit semel ad umbilicum perductus, faxo σὺν τῷ πανελεήμονι Θεῷ, quàm hæc verè loquar, re cognoscas ipsâ. Vale & salve, Vir maxime, & tecum nobilissima uxor tua cum omnibus tuis. Deus vos servet. *Genevæ, prid. Id. Majas*, CIↃ IↃ XCVI.

Epistola LXII.

JACOBO BONGARSIO.

1596. SI novissimas accepisti meas, Virorum optime & amicissime, non dubito quin hanc brevitatem sis accusaturus, meque vel oblivionis, vel inconstantiæ incusaturus: memini enim polliceri me tibi iis literis quas statim exaravi ad te, illis pellectis quas Paulus Stephanus adtulit, tres epistolas brevi tempore scribendas, unam de Polybio, alteram de Tertulliano de Pallio, tertiam de Aristæneto. Ubi igitur illæ sint, inquires. Ego verò oblivione, uti vides, hic non pecco: sed curis obrutus molestis, & tempore destitutus spem tuam destituo: non facturus si pluſculum otii essem nactus. Igitur ubi primum respiraro, èque negotiis illis me expediero, quibuscum nunc luctabar, præstabo me promissi memorem: nisi tamen tu gratiam priùs feceris scriptionis ejusmodi, & ea me supersedere volueris. Id quidem esset melius: sed ego quî possum aliter obstrictissimum & gratissimum tibi testatum animum facere? mihi verò ardet pectus cupiditate, quâ flagro dies noctesque, declarandæ meæ adversum te ἀῤῥήτου ϗ ἀφάτου φιλίας. Ita meritus es, amicissime Bongarsi. Vale: neque enim plura nunc poteram. Scito autem quaternas jam misisse me ad te literas post nuperas Francofurtenses nundinas. Item illud, accepisse me quicquid librorum misisti: quorum omnium nomine ago tibi habeoque multò magis gratias quas possum maximas. Iterum vale. *Pridie Idus Majas*, CIↃ IↃ XCVI. 1596.

Fasciculum Condolo traditum accepi, & tuas ad D. à Fraxinis curavi. Quod superest, Patritii Senensis velim sit tibi curæ: ut possim integro beneficio tuo perfrui: utinam & quæ Choulus quidam scripsit, haberem. Stephanus antiquum servat.

Epistola LXIII.

JANO GUILELMO STUCKIO.

LIteras tuas IV. Idus Majas datas accepi hodie, Vir doctissime & amicissime, quæ mihi eò gratiores quò longiores erant. Ipse ne redhostirem te τῷ αὐτῷ μέτρῳ, non occupationes, quas causari solemus; sed valetudo parum adhuc firma, faciet. Scribebam enim ista tibi vix dum satis recreatus è gravissimo morbo, qui superioribus diebus velut turbo quidam in me derepentè incubuit, & τῷ τῶν μακάρων χώρῳ ὀλίγου δεῖν nos admovit. Quid multa? magnâ enim animi voluptate illam beatissimam beatitatem videor mihi degustasse, quæ nos manet post hasce tot tantasque procellas & omne genus ærumnas. Quod superstitem adhuc me Deus Opt. Max. esse voluerit, & ipse habeo maximas agoque illi gratias: & te quoque habiturum pro nostra amicitia confido. Mihi tam diu vita erit vitalis & jucunda, quàm diu conferre aliquid ad divini Numinis gloriam labores nostros posse spes erit. Vita ignava & otiosa nec placita unquam nobis: & ne aliquando vel necessitas, vel voluntas adveniat, serio deprecor. Quos mihi commendasti nullus vidi: si se obtulerint, & erit occasio, sentient tui amantissimum. Amandus Polanus te plurimùm ἀντασπάζεται: reliquos nondum vidimus. Vale. *Genevæ, a. d. VIII. Kalend. Junias*, CIↃ IↃ XCVI. 1596.

Epistola

Epistola LXIV.

PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS.

1596. REvocatus ex ipso prope μακάρων χώρῳ, quò morbus me detulerat, hæc ad te scribo, Præses amplissime. Statues ipse gratularine mihi debeas, quòd ex violentissimo morbo tam facile emerserim: an vicem meam dolere; quod exoptatissimum portum tam prope accesserim, nec tenuerim illum tamen: me si unum spectes, dolebis, scio, cum dolente: meam & meos si intueare, non noles ita potiùs accidisse, & Deo Opt. Max. mecum, imò cum aliis quàm plurimis gratias reddes & laudes. Det verò ille mihi pro sua infinita clementia, ut quod super volet esse vitæ, totum ad nominis ipsius gloriam pro virili augendam, pio sanctoque animo à me conferatur. Ut diu vivam, non id est votorum meorum summum: ut bene vivam, id verò toto pectoris affectu opto, aveo, voveo. Spero equidem, si cœptis Deus aspirarit ἴκμενον οὖρον, fore olim ut meorum laborum neque patria, neque Ecclesia fructu careant. Sed hæc coram ut spero brevi, quanquam vota mea non parum moratur Athenæi, quam suscepi σὺν Θεῷ, editio. Tunc de Monspeliensi negotio affatim agemus: quod equidem quem habere exitum queat nescio. Scis enim in quibus studiis simus, aut esse potiùs velimus τοῦ λοιποῦ ἔλοι καὶ πάντης. Scripsit ad me & Nemausensis civitas, operam meam in restauranda Academia sua exposcens: respondi ut nuper Monspeliensibus faciendum præscribebas: illàc nempe iter me brevi facturum dum ad te propero. Atque hæc quidem ita habent: cætera Deo curæ erunt, & ut sint precor. Eundem oro veneror que supplex, servet te, tuam & tuas ac tua εἰς πολλῶν ἐτῶν δεκάδας. Hoc fac, Deus magne, per Jesum Christum, qui est vera Salus, & à quo omnis salus. Vale. *Genevæ, a. d.* III. *Kalend. Junias*, CIↃ IↃ XCVI.

Epistola LXV.

JACOBO BONGARSIO.

1596. ITane etiam isthuc de morbo meo fama pervenit? etiam vos ea cura sollicitos habuit? Illa quidem vana certè non fuit. Nam repentè ceu turbo aliquis in me incubuerat, vis morbi sanè ἀτλήτου καὶ ἀφόρητου, nisi Deus & Medici brevi succurrissent. Ei valetudini cholericæ nomen est apud Medicos: ut mirer 1596.
illi me, hominem ab ira alienum & felle, adeò fuisse obnoxium: quod enim scribit Celsus, * non esse mirandum si primo impetu æger tollatur violentiâ morbi, id mihi ὀλίγου δεῖν evenit. Quod aliter acciderit, Deo gratiæ, Deo laus & honor. Tibi quoque, Vir amicissime, pro ista sollicitudine tua, cujus index epistola fuit quam modò accepi, gratias ago & habeo quàm maximas. Equidem prostratus ita ἀθρόως omnibus viribus, magnam spem animo conceperam missionis honestæ ab hac statione, in qua summus omnium rerum arbiter nos collocavit. Quoniam verò ad metam nondum pervenimus, neque adhuc stadium decucurrimus, fortiter ἐν τῷ ἀγῶνι pergam, & quæ pridem orsi sumus, Deo adjuvante, ad aliquem finem perducere conabimur. Enimverò jam prope illud tempus est, quo missionem meriti esse videamur, qui, ut cætera taceam, tot jam annos sub matrimonii egimus jugo, quod tu necdum subiisti. Quid vis tibi? quando legi naturæ parebis, & ἀντὶ βροτοῦ βροτὸν δώσεις? Vetus Poëta dixit: δάκτυλος ἡμέρα: verius dixerim ego, δάκτυλος ἅπας ὁ τῆς ἀνθρωπίνης βιοτῆς χρόνος. Bene igitur factum, quod tandem hac de re statuisti, & diu tractum negotium perficere decrevisti: quo nomine simul utrique toto pectoris affectu gratulor, & ut ea res tibi tuæque non jam speratæ, sed pactæ & sponsæ, bene eveniat, supplex Deum Opt. Max. oro quæsoque. De Polybio, dic obsecro, vigilans an somnians, illa scripsisti? Næ omnes me Musæ amabunt, si seriò, non per jocum vel tu, vel Pithœus spoponderitis. Age igitur, effice, amabò, opus appareat, & prius quàm re confectâ desinere noli: languentem recrearis, jacentem excitaris, cunctanti stimulum admoveris: omnem denique, fateor, ansam excusationum præcideris, si librum illum, cujus spem facis, in manus mihi tradideris. Scribam etiam ad clarissimum Pithœum, simul erit otium & tabellarii copia. Intereà lubet quod nuper sum pollicitus, specimen aliquod nostrarum in eum scriptorum observationum tibi exhibere. Longè enim opinione meâ falluntur, qui putant vel Ursinum, vel Lipsium sic expolisse præstantissimum illum auctorem, ut neminis opera sit amplius necessaria. Prior ille quàm leviter eâ curâ sit defunctus, nosti tu, Vir eruditissime: posterior neque totius operis illustrationem instituit, & in illa ipsa parte, quam tantâ curâ tractaverit, quæso te, an semper εὐτυχία litavit? mihi quidem non

* De Re Medica. lib. IV. cap. 11.

1596. non videtur: sed statues tu melius, cujus est, si ullius, hodie istarum rerum propria cognitio. Ego miratus sum sæpe potuisse excidere Lipsio, tractatum quem suscepit explicandum, è Polybii alio opere, non è sexta historia, esse promptum: nam cur non habebitur ipsi auctori potiùs fides, qui tribus locis id disertè testatur? At hoc leve, inquies: imò gravissimum: leviter enim in Polybii versione oportet esse versatum, qui non animadverterit prudentissimum illius consilium & scopum, cujus gratiâ in historia sua de Romana Militia tantâ diligentiâ tractaverit. Nollem etiam dissimulatam ab eodem difficultatem, quæ in ipso principio occurrit. Ait scilicet Polybius, stipendia legitima peditum fuisse olim vicena, sive annorum viginti: sin gravius aliquid accideret, annorum viginti esse stipendia peditum. Quis ferat ita delirantem? neque enim delirare quid sit scio, si hoc non est. Atqui verba illius sunt ex interpretatione Lipsii: *pedites vicena stipendia explere oportet necessariò in annis* XLVI. Paulo pòst: *Quod si quando res & circumstans necessitas eò adigunt, debent pedites facere annua vicena stipendia.* Nos qui istud tam subtile non quimus capere, duas rationes explicandi æstûs nostri excogitavimus: putamus enim alterutro loco mendum esse in numero, & legendum vel sic: τοὺς δὲ πεζοὺς εἴκοσι δεῖ στρατείας τελεῖν κατ' ἀνάγκην ἐν τοῖς τετταράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ἀπὸ γενεᾶς. Statim pòst: ἐὰν δέ ποτε κατεπείγῃ τὰ τῆς περιστάσεως, ὀφείλουσιν οἱ πεζοὶ στρατεύειν εἴκοσι πέντε στρατείας ἐνιαυσίους. vel sic: τοὺς δὲ πεζοὺς ἓξ καὶ δέκα στρ. Mox: ὀφείλουσιν οἱ πεζοὶ στρ. εἴκοσι στρατείας ἐνιαυσίους. Prioris lectionis sententia est, fuisse in vetere Republica Romana ordinaria quidem legitima stipendia annorum XVI. extra ordinem verò propter necessitates Reipublicæ, interdum & XX. Hanc lectionem cùm alia confirmant, tùm quidam è primo Annalium Taciti * locus: narratur ibi, milites tumultuantes post Augusti obitum inter alia hoc quoque flagitasse, ut stipendia redigerentur ad annos XVI. pro XX. Etsi autem non dicit Tacitus, cum quondam fuisse modum legitimorum stipendiorum: est tamen verisimile veterem legem reposuisse istos, & juris antiqui atque obsoleti mantelum suæ seditioni prætexuisse. Non te fugit, hunc perpetuum esse seditiosorum hominum morem. Posterioris lectionis occasionem nobis præbuit Servius †, qui plenæ militiæ fines annis XXV. terminat; ut videatur non absurdè conjici inde posse ordinaria stipendia fuisse annorum XX. in majoribus Reipublicæ angustiis XXV. Sed non est novum numeros esse depravatos, cùm & Galenus ‡ sæpe de ea re queratur, &, ne longè abeam, paulò post aliud in Polybii verbis non dissimile mendum, quo loco scriptum est in equitum delectu explicando: τοὺς ἱππεῖς εἰώθεσαν δοκιμάζειν ἐπὶ τοῖς τετρακισχιλίοις διακοσίοις· legendum enim διακοσίους. Autor ipse Polybius, cujus sunt in tertia historia hæc verba: τὸ δὲ στρατόπεδον πεζοὺς μὲν λαμβάνει περὶ τετρακισχιλίους, ἱππεῖς δὲ διακοσίους· neque dubium eam esse Polybii mentem, ut mirer Lipsium dissimulasse hæc verba in versione prorsus catè. Sed sunt & alia pertinentia ad equites Romanos, quæ novâ luce opus habent: mihi enim adhuc nondum licuit videre ullius eruditi explicationem verborum Plinii è lib. XXXIII. cap II. quibus affirmat, *Ciceronis temporibus, atque adeò per Ciceronem maximè natum esse Reipublicæ tertium illud corpus;* qua de re cùm erit plus otii, agam tecum pluribus: nam nunc quidem satis, opinor, muginati sumus, ac patientiâ tuâ abusi, & alioqui eramus nunc maximè occupati: erant enim literæ in Galliam scribendæ necessariò. Adde quod hodie primum folium incipit edi Athenæi nostri, quod velit Deus esse felix & faustum. Non facile credas, quantum laboris improbissimi in eo negotio mihi sit exanclandum. Ea editio morabitur profectionem meam in Gallias, cùm absque ea esset vehementissimè cuperem Lutetiam excurrere. O si te comite, imò duce, id possem! vel hoc me stimulare satis posset, ut tibi, omnibus rebus omissis, ad indictum locum & diem occurrerem. Verùm hæc εὐχῆς πέρα, neque enim tam felici fato natus sum. Literas ad te meas, quas Junio Juniori tradideram, valde suspicor periisse, & iniquè fero: nolim enim temerè in aliorum manus venire quæ tecum garrio; semper quidem ἐσχεδιασμένως, cæterùm sæpe etiam ἀπερισκέπτως· sed persuasus sum in te vetus dictum expetere, ὁ φίλος ἄλλος ἐγώ. Cùm hæc maximè scriberem, rogatus ab uxore sum, ut suis verbis te & nobilissimam tuam sponsam officiosissimè salutarem. Intellexisse enim ajebat literis D. Fequieres ad uxorem suam, D. de Chalonges pridem itineri se accinxisse, ut quoniam tibi pedem efferre è Germania non liceret, filiam suam ad te deduceret: quod si est, spero te priusquam has legas, dulcissimum illud jugum, quod tam diu detrectasti, subiisse. Deus Opt. Max. cœpta tua omnia, atque istud quidem maximè, fortunet. Vale, virorum ami- 1596.

* Cap. 17.

† Ad Virgil. Æn. lib. II. v. 157.

‡ De Antidotis lib. I. c. 17.

1596. amicissime, Bongarsi eruditissime. *Genevæ, a. d.* XIV. *Kalend. Jul.* CIↃ IↃ XCVI.

Non dissimulo apud te gaudium meum, cùm ex tuis literis intellexi divinasse me, quis fuisset interpres Aristæneti. Macte tali amico, & in hoc amore patere me rivalem sodes. De Aristæneto & Tertulliani de Pallio, maximè; nam & publicè exponere eum libellum statui σὺν Θεῷ. Quas misisti D. de Fresnes inscriptas, eas curavi omnes, proximis exceptis, quæ penes me sunt adhuc, sed non diu hæsuræ.

EPISTOLA LXVI.

JANO DOUSÆ F.

1596. IN summis occupationibus meis, Vir doctissime, pauca hæc ad te exaravi verè raptim & ἐσχεδιασμένως· sed qui scirem fratrem tuum literas ad te dare, facere non potui, quin significarem tibi dolorem illum insanum magnum, & prope dixerim ἄφερτον καὶ ἄτλητον, quem mihi bonus ille senex imposuit, per quem factum audio, ne tu ad nos superiore hyeme venires. Crede mihi, charissime Dousa; crede, inquam, jurato, haut temerè molestius quicquam mihi evenisse longo jam tempore. Sperabam fratris saltem tui, adolescentis εὐφυεστάτου, præsentia effectum iri, ut tui desiderium lenius & patientius ferrem: contrarium planè usuvenisse video: nam ex quo probissima illius perspecta & cognita indoles, cupiditate tui videndi ac propius noscendi μᾶλλον καὶ μᾶλλον flagrare cœpi. Tu si pari οἴστρῳ βεβολημένος fuisses, nunquam factum esset, ut cùm accessisses tam prope, pedem insalutatis nobis referres. Atqui æquum erat ἴσῳ ζυγῷ amaremus invicem. Sed video paratam tibi excusationem, cùm ab iis sis revocatus, contra quorum voluntatem vel manum à te verti ipse quoque grande putarem nefas. Tuus sanè adversum me amor satis mihi vel ex iis literis cognitus est, quas nuper amantissimè scriptas misisti: plura ad illas tibi, cùm plus erit otii, rescribam. Nunc illud ὁδοῦ πάρεργον scito, in editione Athenæi esse me occupatissimum: ea hoc ipso die ἀγαθῇ τύχῃ inchoata est: si eâ curâ me semel expediero, meliora fortasse σὺν Θεῷ parabimus, & inchoabimus majus opus. Simul alia multa detexere conabimur, quæ pridem sumus orsi: verùm hæc Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Vale, amicissime & charissime Dousa. *Genevæ, a. d.* XIV. *Kalend. Jul.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA LXVII.

AMANDO POLANO.

SAlus, quam à te mihi Lignarius noster nuntiavit, per mihi, Vir clarissime, fuit jucunda & grata. Spero te nostri memoriam & amorem quocunque loco, quocunque tempore conservaturum. Tui certè suavissima & jucundissima recordatio in uxoris meoque animo semper recens vigebit, dum uterque nostrum spirabit. Ingrati nimis simus, si fecerimus secus: quod crimen abesse à nobis ὡς πορρωτάτω, possumus, nisi fallor ἐν Θεῷ καυχᾶσθαι. Sed quid verbis opus? re velim ipsâ animum nostrum experiare; probabis sincerum animi affectum, & nos tui amantissimos reperies. Deus te, Polane charissime, tuis, nobis, imò Ecclesiæ suæ universæ quàm diutissimè salvum esse velit atque incolumem. Res nostræ post tuum discessum tristes semper & lugubres fuere: quasi enim abitus à nobis tuus πέρας ἡμῖν πάσης εὐτυχίας & rerum lætarum finem attulisset, eâ ipsâ nocte quæ profectionem tuam præcessit, in morbum inciderunt quà uxor, quà filiola Abigail. Sed conjunx quidem Dei gratiâ, sine periculo, quod quidem hactenus provideri à peritissimis Medicis potuerit, ægrotat: filiola suavissima post cruciatus summos & ferè continuos, cùm maximè ista scriberem, eo loci erat, ut ante perscriptam hanc epistolam videretur beatam animam Deo, unde habet, redditura. Beatam, quæ ad speratam paratamque piis felicitatem πρωὶ λίαν vocatur. Beatissimam, quæ Creatorem suum, illum totius Naturæ parentem & arbitrum, peccatis offendere brevi sit desitura. Nos tamen, mi Polane, homines sumus, & quamvis in Dei Opt. Max. voluntate parati simus acquiescere, ὅμως καὶ πασχούσῃ αὐτῇ συμπάσχομεν, καὶ ἐὰν ἀπέλθῃ, ἀπελθοῦσαν desiderabimus, flebimus, lugebimus. Verùm hæc Θεῷ μελήσει· cui sit honos, gloriaque εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν. Perrotti nostri negotium velim tibi sit curæ. Spero fore eum usui illustriss. D. Baroni. Parcius de ejus studiis loquar necesse est, propter arctissimam amicitiam & familiaritatem, quæ mihi cum ipso intercedit: tantùm dicam, peritiam Græcæ linguæ esse in eo non vulgarem: quod non temerè affirmamus: sed quod sic esse probè cognitum nobis exploratumque est. Illud nunc addam, siquid ejus caussâ præstiteris, sic me illud interpretaturum, quasi mihi aut meis collatum. 1596.

Vale,

1596. Vale, Vir clarissime, & me uxoremque φιλοῦντάς σε ἀντιφίλει, & precibus apud Deum tuis adjuva. Clariss. viro Jacobo Grynæo plurimam à me salutem: velim etiam meis verbis salutes eruditissimum virum Feschium Juniorem, arctâ pridem nobis amicitiâ junctum. Zuingerum quoque, famâ pridem mihi notum, à me salutes oro te quæsoque. Iterum vale. *Genevæ*, *a. d.* VII. *Id. Jul.* CIↃ IↃ XCVI. *raptim & animo confuso.*

Epistola LXVIII.

JACOBO MONAVIO.

1596. Literæ tuæ, Vir clarissime, quas mihi Lovisius noster reddidit, singularis cujusdam tui adversum me amoris indices, singulari me gaudio affecerunt. Nam & is sum ego, qui amari, nedum æstimari à laudatis viris vehementissimè semper optavi: & tu, Monavi clarissime, is es, cujus gratiam meruisse pretium operæ sit. Ita merita virtus est tua: cujus prædicatores tot habes, quot sunt qui te propius nôrint, imo quot omnino sunt qui te nôrint. Ego in his nomen profiteor meum, cui etsi non contigit ut de facie notum te haberem, animo tamen, quæ potior & melior nostri pars, sic mihi notus es, ut in admiratione tui nemini concedam. Peterem à te, ut me vicissim amares, nisi eadem illa virtus & humanitas tua juberet me esse hac de re securum. Nam etsi nullâ re me id esse meritum fatear, quia tamen amare me semel cœpisti, alienum à constantia tua foret animum hunc adversus me tuum mutasse, ὃ μὴ γένοιτο οὐδ' ἔσται. Quod scripta nostra dilaudas, Vir doctissime, agnosco benevolentiam tuam, & gratias ago: judicium non agnosco, & id potius desidero: doceri enim quàm laudari, à te præsertim, hâc eruditione viro, longè malim. Quin ergo potiùs illud te velim oratum, si quando nostras legis nugas, memor sis pleraque omnia cruda adhuc & immatura nobis vel excidisse, vel esse casu aliquo extorta. Ita rem habere fidem fecerimus, si Deus Opt. Max. otium illud, otium quod tantopere expetimus, olim concesserit. Sed nos, Vir clarissime, trigesimum octavum annum ætatis jam agentes, vitæ summa brevis spes vetat inchoare longas: alioqui habemus inchoata quamplurima, affecta etiam quædam, futura, si quando illa ediderimus σὺν Θεῷ, egregiæ nostræ erga literas voluntatis haut quaquam levia testimonia. Nunc in Athenæo sumus ὅλοι καὶ πάντες: volumus enim publicè obstrictam fidem liberare. Absit enim à nobis quorundam vanitas, multa promittentium atque adeò jactantium, de quibus præstandis ne cogitarant quidem unquam. Ea editio inchoata ante mensem jam alterum, lentè quidem, sed procedit tamen: nisi quod hisce diebus remora magna studiis nostris objecta est per charissimæ filiolæ, & jam [hei mihi!] cùm ista scriberem, conclamatæ valetudinem. Ea me cura multos jam dies habuit mirum in modum sollicitum atque anxium; verumtamen & illi, & nobis quid sit futurum, Θεῷ ἐν γούνασι κεῖται. Salus mihi à Rhodomano, viro doctissimo, per te nuntiata gratissima fuit: amo illum & colo: est enim illius mihi nota eruditio. Scripsissem ad eum si otii plusculum fuisset: accepi namque superioribus diebus quas ante menses amplius decem scripserat: respondebo brevi, Deo juvante. Fieri illi injuriam à nostro sene *, id verò auribus invitissimis intellexi: sed profectò ita est, si quis fuit, qui vetus dictum tolleret, δὶς παῖδες οἱ γέροντες, is ille est. Hoc dicere & sentire malo quàm quicquam gravius. Nostras in Theocritum Tellenas tricas misissem nunc tibi, quando illas desiderare visus es, si per tabellarium licuisset. De nobilissimo Burghausio, & amicissimo Sculteto atque eruditissimo, gratum quod scribis: nescio an meum illi silentium accusent: ego ipsorum certè. Sed sarciemus, spero, brevi. Vale, Vir clarissime. *Genevæ*, *a. d.* VI. *Idus Julias*, CIↃ IↃ XCVI.

* *Henricus Stephanus.* Colomes.

Epistola LXIX.

JACOBO BONGARSIO.

Libros, quos muneri misisti mihi, accepi ambos, Bongarsi amicissime: simul literas non unas, sed ternas proximis Argentinensibus nundinis accepi. Utrum prius laudem, diligentiam in scribendo, an magnificentiam in largiendo, haud scio: plurimùm certè & hoc & illo nomine me tibi habes devinctum. Utinam istum erga te animum meum re tibi, non solis, ut hactenus, verbis facere testatum queam. Intereà te oro, quæsoque, Bongarsi suavissime, spectes voluntatem, quæ sanè eximia; non facultatem, quæ oppidò quàm tenuis. Pervenere ad meas manus & tres illi libelli, quos misisti. Nec tu rectè judicasti, qui eam Pelissonis opellam luce dignam censuisti: idem est & nostrorum hic omnium judicium: quò magis dolemus virum illum, à quo multa poterant egregia sperari, ita im- 1596.

maturo

1596. maturo obitu esse nobis ereptum: Θεοῦ δ' ἐτελείετο βουλή. Grata mihi quæ de Polybiana editione à Vechelis suscepta narras. Seriò affirmo tibi facturum in hoc negotio quicquid præceperis: nam etsi non ignoro quanto id cum existimationis meæ periculo sit futurum, si tibi de meis viribus plus credam quàm mihi: tamen quia ita velle te video, constitui voluntati tuæ morem gerere: cum hoc tamen si MS. librum mihi impetraris, si item alia præsidia, quæ scis tute planè esse necessaria. Scripsissem ad Cl. Pithœum: si illuc te putassem transiturum, cùm in Gallias proficisceris. Dabo operam, ut aliâ viâ meæ ad ipsum literæ perferantur. Si Lutetiam veneris, amplissimum virum Jacobum Thuanum, cæterosque amantes mei viros, quos summâ observantiâ colo, plurimâ salute meis verbis impertiaris velim. Josias Mercerus in his, quem virum amo pridem juxta & colo. De ejus Aristæneto, deque Tertulliano de Pallio, satisfaciam, ne dubita, σὺν Θεῷ. In Athenæo nunc sum totus: nisi quod his diebus Suetonium relegi, & nescio quid in eum notarum aliud agens effudi: mittam proximis exemplum. Vale, & me ama. *Genevæ, a. d. Kalend. Augusti.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA LXX.

DAVIDI KUGLERO.

1596. GRatæ mihi quas nuper à te accepi, Kuglere charissime. Mirabar sanè silentium tuum, & tacitus apud me fidei non servatæ reum peragebam. Memini enim sic à nobis te discedere, ut spem faceres assiduarum literarum, ex quibus de tua valetudine & studiis fieremus certiores. Amamus enim te ego & uxor: semperque jucundissimum nobis futurum est, si te valentem vigentemque, & in pietatis, virtutis ac literarum studiis quotidie promoventem intellexerimus. Hoc votum nostrum est: hoc à Deo. Opt. Max. tibi, charissime Kuglere, petimus, oramus. Nos valemus nunc quidem sic satis Dei beneficio: sed post tuum discessum graviter ægrotavimus, ego & conjunx: obiit etiam charissima filiola Abigail, non sine summo parentum luctu. Sed enim Θεοῦ ἐτελείετο βουλή· cujus voluntati non acquiescere summa amentia simul & impietas. Illum oro, te servet, regat, fortunet. Viro optimo parenti tuo & matri quoque plurimam à me & uxore salutem nuntiabis. Velim etiam verbis meis salutes clarissimos doctissimosque viros, Junium, Glaserum, Havenreuterum. *Genevæ, raptim Non. August.* CIↃ IↃ XCVI. 1596.

EPISTOLA LXXI.

JACOBO BONGARSIO.

TUarum epistolarum nulla, opinor, periit, Vir amicissime: plures enim accepi à reditu nostratium mercatorum è nundinis Argentinensibus. Uni fuere adjecti três libelli Patissoni: nam illas prætermitto, quas attulit D. Puis cum duobus fasciculis librorum Choulo & Patritio. Horum omnium egi tibi quas potui, non quas debui, proximis literis meis, gratias: quid aliud tibi impræsentiarum referam, ad manum nihil est. Ingratum tamen ne putaveris: sed animum potiùs intuere candidissimum tibique deditissimum. Accepi amplius quas juveni à Cornput perferendas tradideras, quas item paulò post scripsisti, quibus erant adjectæ aliæ ipsi Cornput inscriptæ. Omnes salvæ sunt, omnes cum fide mihi traditæ. Novissimas simul accepi; illicò pertuli ad Cornput suas. Persuadeas velim tibi, eum ex tua commendatione esse mihi ac fore curæ. Video illum studiosè interesse lectionibus Polybianis: quo fructu, hoc minus scio; quia quàm sit eruditus, non satis novi: probus certè & ingenuus ex vultu & verbis videtur: si erit occasio, faciam sciat quantum apud me ponderis tua commendatio habeat. De Polybio scripsi tibi superioribus hisce diebus, quæ nunc non repetam. Tu fac opus appareat, ego rem factam dabo. Suetonium relegi, his diebus minore formâ à nostris editum: ita factum ut Appendiculam novam adjicerem. Videbis proximo mercatu σὺν Θεῷ. Incessit animum cupido, iis scriptoribus, qui Tranquillo solent adjici, Spartiano, Lampridio &c. opem aliquam ferre. Ægrotare eos, & desiderare medici manum, hoc te non latet: ipse quid præstare queam, moriar si satis adhuc scio: nec tamen in integro res est; nam quasi ex voto teneor. Quare advoco te in auxilium: fer suppetias, si me, si illos auctores amas. Scribam ea fine ad clarissimum par fratrum Pithœos, aliosque amicos: rogabo, vel libris, vel consilio, vel observationibus suis juvent: ita spero fore, ut quod à me vix possem, solvam ab amicis. Quæso te, habeas curæ hanc curam. Non dubito quin si adnitaris, aliquid nescio unde sis investigaturus magno futurum usui, ea tua felicitas, ea solertia est. De Panegyrico-

1596. ricorum editione, quæ à Puteano exſpectabatur, quid ſpei reliquum, hoc quoque ſcire velim. Nam ſi ea ſpes decollavit, non patiar diutiùs in ſitu & ſquallore jacere eos elegantiſſimos ſcriptores. Servo enim tuum munus: hoc eſt, deſcripta ex tuo libro quæ annotaveras: illum tamen utinam potius haberem! Inſcriptiones quas repetis, mitto ecce tibi bonâ fide: hoc eſt, ſine ullius ſcedulæ jactura. Vale, Vir amiciſſime, & diutiſſimè cum tua domina felix vive: hoc meum, hoc uxoris votum eſt. *Genevæ*, *a. d. Non. Auguſt.* CIↃ IↃ XCVI.

Epistola LXXII.

PHILIPPO PARÆO.

1596. ET ſerius & brevius tuis reſpondeo, Paræe chariſſime, quàm voluntas mea, credoque tua, erat. Poſſum hujus moræ & multas & graves excuſationes afferre: ſed eo labore ſuperſedebo hoc tempore: eò quidem libentius quòd Regium noſtrum, adoleſcentem juxta tecum mihi charum, longioris epiſtolæ vicem functurum apud te perſuaſum habeam. Novit me Regius: novit aſſiduas occupationes meas: &, quod caput eſt, novit idem quâ benevolentiâ, imò quo amore ſpem iſtam tuam amplectar, proſequar. Deus faxit, mi Paræe, bonorum & eruditorum virorum ſtudia ſic promerearis ἀνδρωθεὶς, ut excitaſti nunc ἡβάσκων, καὶ ὅτω εἰς ἄνδρας τελῶν. Quæ ſcripſiſti de ſtudiis tuis, jucunda mihi grataque fuerunt: teque volo rogatum, pergas mecum de iis per literas agere. Ego de meis tecum quoties erit otium. Patri tuo, viro clariſſimo, auctor eſſe ut huc te mittat (id viſus es à me petere) equidem decreveram, eramque omnino facturus: cupio enim te propius noſſe: ſed duplex me, cùm inibi eſſem, reſpectus inhibuit; loci ubi es, ſtatus & noſtri: illic vigent florentque Muſæ & annona; hic illæ quidem fortaſſe non frigent penitus, at annona certè per eſt cara: ea ſi convaluerit, & nos inviſeris, re experieris quàm tibi cupiam. Seriò dico, mi Paræe, ſi huc veneris, ſenties nos tui ſtudioſos & amantes. Vale raptim. Parenti tuo plurimam à me ſalutem ex animo. *Genevæ*, *a. d. Non. Auguſt.* CIↃ IↃ XCVI.

Epistola LXXIII.

JACOBO GUILELMO STUCKIO.

NUnc ipſum petaſato jam tabellario, 1596.
qui has tibi tradet, factus ſum de ejus profectione certior. Exaravi illicò hoc ſchedium, ut ſcires ἀμφότερον, καὶ ἐῤῥῶσθαι ἐμὲ, καὶ ἐῤῥωμένην tui memoriam conſervare. Ipſe ut valeas, quid agas rerum, pridem ignoro, & ſcire aveo. Nos Athenæus, ante aliquot menſes prælo-commiſſus, habet plus ſatis exercitos. Atque utinam brevi eâ operâ defungi concedat nobis, qui ſolus poteſt ὁ μειλίχιος ὄντως Θεός. Opus longum, aſperum, tædii plenum, & prorſus virium non iſtarum: quas in dies langueſcere, & præter ætatem minuere ſentimus. Vix eam, quæ cenſetur ἀκμαιοτάτη eſſe τοῦ ἀνθρωπίνου βίου pars, attigimus, & ecce in παρακμῇ nos verſari multa arguunt. Non faciemus tamen quod olim Theophraſtus: ſed quandoque juſſerit magnus ille Imperator, ſtationem alacres deſeremus, etſi fortaſſe propter φυσικὴν erga noſtros affectus στοργὴν oculis non irretortis. Verùm αὐτοὺς ἐψέλαι, ᾧ καὶ ὑπὲρ ἡμᾶς μέλει καὶ τὰ ὑπὲρ ἡμῶν. Vale, Stucki clariſſime, & me ama. *Genevæ*, *a. d.* XVI. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

Epistola LXXIV.

JOANNI DRUSIO.

QUi te plurimum ſemper amaverim, 1596.
ex quo primum cepi guſtum aliquem ſacrarum literarum habere, lætatus ſum nuper non parum, poſtquam te conſpirare in amore, & paria mecum facere intellexi. Id primùm ex ea pereruditâ epiſtola cognovi, quâ me publicè affatus es anno. Accepi poſt illa, & chirographum, aliam epiſtolam tuam, priore illâ, quamvis gratiſſimâ, tantò gratiorem, quantò impreſſa altius tui adverſum me amoris in illa veſtigia apparebant. Crede enim mihi ſine fuco & fallaciis affirmanti, is tu mihi es, Druſi doctiſſime, cujus judicio probari noſtras ſcriptiunculas, imò verò ipſum me, ſeriò gaudeam. Equidem ſtudiorum vigiliarumque mearum nullum mihi unquam aliud præmium propoſui, nullam optavi unquam mercedem aliam, quàm ut ἣν Θεόθεν ἔλαχεν σπάρταν κοσμῶν bonis placerem, rudioribus prodeſſem: id ſi ſum conſecutus, quid eſt cur non ut τῷ Θεῷ εὐχαριστῶν ſeriò triumphem? Atque ego ſum mihi probè con-

1596. conscius, quàm longè absit ab egregia voluntate mea literas ornandi facultas: ut illa taceam incommoda quæ mihi sunt propria, tempora ipsa vides in quæ incidimus, quàm parum Musis nostris amica: in nostra utique Gallia, quæ bonis pacis τῆς κουροτρόφου, καὶ Μούσαις προσφιλεστάτης frui nescit: sævire in sese, ah! misera, & viscera sua lacerare more ferarum ab eo ipso anno, quo nasci mihi contigit, non cessat. Beatos illos viros doctos qui patrum ætate vixere: illis in patria, in pace, in otio, ἐν πάσῃ ῥᾳστώνῃ philosophari licuit, & literis ἐγγηράσκειν. Nobis hactenus omnia ἐκ τοῦ ἐναντίου συμβέβηκε· cùm tamen nihil nos æquè torqueat ut veterum librorum inopia: quibus facile abundaremus, si per istos civiles furores in patria esse nobis liceret. At enim Θεοῦ τελείεται βουλή: illius voluntati acquiescere nos, nec πρὸς κέντρα λακτίζειν, verum est. Sed nostram interdum patientiam sollicitat insanus quidam æstus rei literariæ juvandæ: quod cùm minus commodè multis de causis præstare hoc loco possimus, sedet animo, sicunde spes certa otii majoris ostendatur, uti conditione. Nos quidem Monspelienses ad se pertrahere omni ope & operâ conati sunt superiore anno. Nuper etiam Nemausenses, propositis conditionibus sanè quàm luculentis. Sed me adhuc terrent quæ videntur universæ Galliæ imminere procellæ: hæret etiamnum animo lanienæ anni septuagesimi secundi memoria, cùm puer optimum parentem per montes ac silvas aliquandiu sum comitatus. Suavissima sanè recordatio, sed quæ in posterum cavere moneat, quantum quidem humano consilio provideri potest. Sed abutor otio tuo, Vir clarissime. Vale, & me ama, qui te juxta amo & colo. *Genevæ, a. d.* x. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA LXXV.

JOHANNI SÆCKMÆ.

1596. ET præsens multis indiciis tuum erga me amorem patefecisti, Vir doctissime, & absens tuam in eodem constantiam satis nuper epistolâ eâ significasti, quam humanissimè scriptam ad me misisti. Ingratus sim si propensum hunc in me animum vel non agnoscam, vel agnoscens non prædicem. Ego verò agnosco, & eo me tibi amplius tanto esse hoc nomine obstrictum fateor, quò minus tale quid à te promeritum me esse scio: quanquam illud equidem nullus negavero, si voluntatis, etiam ubi facultas deest, habenda 1596.
sit ratio, posse me vel principem in amicis tuis jure locum postulare, & cum necessariorum tuorum quolibet περὶ τῶν πρωτείων ἀμφισβητεῖν· nemini enim concedo eorum qui te amant, aut bene tibi cupiunt: nemo, inquam, illorum est quo sim hâc parte inferior. Sed cùm aliud nunc quidem possim nihil, quod superest assiduè præstabo, & Deo Opt. Max. preces votaque pro salute & felicitate tua fundam. Suetonium nostrum tulisse isthic plausum, [sic enim scribis] per mihi gratum est ac jucundum. Sic enim cogito, summis in literis viris placuisse non esse ultimam laudem: tales omnino sunt quibus vestra floret Academia. Quò magis miror venisse clarissimo Drusio, tibi aliisque nonnullis in mentem, arcessere me isthuc, & in tantorum virorum numerum cooptare. Obsecro autem te, mi Sæckma, seriò id scribitis, tu & Drusius, an ex abundantia tantum amoris in me vestri? hoc potius putem; scripsi tamen super mutatione loci quis esset animi mei sensus, ad doctissimum Drusium. Scripsi autem aliud nihil quàm quod ex me, cùm hîc esses, audisti sæpius: ardere me cupiditate juvandi τὸ γοῦν καδδύναμιν rem literariam: id quia hîc minus possum, necessariò, nisi impediat Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, aliò esse mihi cogitandum, sicunde honesti otii spes mihi ostendatur: otii dico; nam si id non potissimum quærerem, facile fuisset pridem apud Monspelienses, nuper etiam apud Nemausenses in Gallia iniquitatem istorum stipendiorum luculentâ & optimâ conditione mutare. Sed hæc Θεοῦ ἐν γούνασι. Quæ disputas super legitima ætate judicum ante Augustum, legi libentissimè: quid autem ad illa responderi posse videatur, in altera Animadversionum editione, quæ brevi σὺν Θεῷ prodibit, explicabimus. Nam ut nunc est, nihil habeo tuis addere. Peto autem illud à te, pergas mecum de istis rebus communicare. Non potes mihi gratius quicquam facere. Puto autem morum meorum ingenuitatem tibi esse perspectam: ut vereri nullus debeas dissimulaturum me per quem profecerim. Vale, Vir amicissime. *Genevæ, a. d.* VIII. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA LXXVI.

MARCO VELSERO.

NÆ ego, Vir præstantissime, in te 1596.
sum expertus, quanta sit ad conciliandum amorem in virtute vis atque

1596. ἐνέργεια· nam ubi primùm scripta * illa tua videre mihi contigit, quibus patriæ gloriam auxisti, tibi autem æternum decus comparasti, simul mirari excellentissimum illud ingenium tuum cœpi, & amare. Nihil dabo auribus tuis: sed profectò ita me lectio ejus operis totum cepit, itaque tibi adjunxit, ut videar mihi jure meo posse à te postulare, habeas me deinceps in eorum numero qui te amant juxta & observant: nam equidem nemini concessero illorum, quos novi habere te plurimos tuarum virtutum admiratores. Deus bone, quàm mihi placuit ille candor, illa φιλαλήθεια, quæ nusquam non apparet in eo scripto! Liceat mihi per te veram vocem mittere, unus tu mihi adhuc repertus es, qui ad ornandam patriam simul & veritatem inveniendam defendendamque accesseris. Cæteros enim qui de antiquitatibus vestræ Germaniæ libros ediderunt, quis est judicio aliquo præditus, quin videat plerosque omnes dum cupiunt patriæ splendorem adjicere, ἀφειδῶν τῆς ἀληθείας; sive is cæcus quidam patriæ amor, sive judicii imbecillitas, aut potius utrumque: hoc puto verius: nam & τὸ φιλοῦν τυφλοῦσθαι περὶ τὸ φιλούμενον certum, & plures esse qui ingenio valeant quàm judicio, assensurum te mihi non dubito. Macte igitur esto, Velsere charissime, & perge bonis avibus, istoque ingenii ac judicii temperamento ad asserendam literis suam dignitatem diu felix utere. Boiariæ descriptionem te nunc in manibus habere, didici nuper ex literis amicissimi & eruditissimi Hœschelii: rogatus sum ab eodem, si quid in Museo haberem quod usui tibi esse posset, id tecum vellem communicare. Ego verò, si quid ejus generis haberem, vel ambitiosis precibus te orarem ut illo uti velles. Verùm hæc mea semper fuit infelicitas, ut libros ferè nancisci nisi tritos & vulgo notos haud potuerim: quò mihi æquiores viros doctos esse par est, si in nostris scriptis reconditæ cujusdam eruditionis, quæ fere è blattariis libris hauriri solet, aut nullæ, aut paucæ notæ reperiantur. Hoc in universum ab omnibus eruditis, privatim à te, Velsere clarissime, peto, quando te quoque nostras nugas solitum interdum in manus sumere ex Hœschelii literis intellexi. Hâc spe mitto tibi quæ his diebus in Suetonium exaravi, cùm minore formâ cusum illum relegerem. Vale, & me ama. *Genevæ*, *a. d.* VII. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

* *Monumenta Augustana.*

EPISTOLA LXXVII.

SIBRANDO LUBBERTO.

NÆ tu, Vir clarissime, qui ad illustrandas res veteris Ecclesiæ me provocas, surdo fabulam non narrares, si voluntati par suppeteret facultas. Scito enim, tibique ita persuade, quod hactenus in aliis studiis fuerim, casu quodam id factum potius, quàm judicio aut voluntate meâ. Nunquam enim ita desipui, aut mei oblitus sum, ut in amœnioribus istis literis putarem mihi esse acquiescendum. Quem cupio speroque vigiliarum mearum fructum, is profectò alius longè est ab ea jucunditate & voluptate, quam solam spondent suis cultoribus novem istæ Sorores. Sed mihi cùm admodum adolescenti prope invito imposita hæc provincia fuisset, ad Sirenum scopulos obdormiscere, iisque adhærere contigit. Sic mihi vitæ pars melior in aliis quàm volueram atque semper optaveram, studiis transacta. Est enim, ut nosti, βραχὺς ὁ βίος: ut serum sit, cùm trigesimum octavum jam prope excesserim annum, spes inchoare longas, aut novas. Grata mihi tamen tua, Sibrande doctissime, κελεύσματα. Si me ad illa studia maturius amici & familiares mei essent hortati, pridem factum esset, ut extaret in eo genere industriæ nostræ, (si qua ea est in nobis) aliquod specimen. Nunc in editione Athenæi toti occupamur: eâ curâ si Deus voluerit nos defungi, & reliquis cœptis faverit, ea paramus ac pridem cogitamus, quæ tibi cæterisque bonis omnibus non ingrata fore speramus. Sed de nobis nimis multa. Tu, Vir doctissime, cui Deus dedit & velle & posse, perge de ejus Ecclesia, de omnibus piis bene mereri: hic verè illud licet usurpare: *Sic itur ad astra.* Deum Opt. Max. quæso oroque, servet te nobis quàm diutissimè salvum & incolumem. Vale, Vir clarissime, & me ama. *Genevæ*, *a. d.* VII. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI. 1596.

EPISTOLA LXXVIII.

JANO DOUSÆ F.

ERgo tu in patriam antè redibis, quàm ad nos veneris? O nimium crudelis Alexi, cur tu nos spernis qui perimus? adeòne tibi magnum esse visum ab instituto paululum deflectere, & nos invisere? Næ ego nunc scio quid sit amor, & quàm facile qui amant 1596.

sibi

1596. sibi somnia fingant: posteà enim quàm relatum mihi est de tuo Heidelbergam adventu, μετέωρος illum exspectavi diem qui te huc sisteret, & videndum mihi amplexandumque præberet. At tu quid? obdurasti nempe, & Ungaros, Polonos, Turcas denique videre quàm nos optasti. I nunc & dicere aude, te nos sic medullitùs amare, ut ipsi te facimus, quibus vita adeò acerba est, quia voti hujus rei facti non sumus. Quoniam igitur hæc spes penitùs decollavit, quod superest, te oro, Dousa amicissime, literis tuis quàm sæpissimè nos invisas, habeasque persuasissimum, esse me ac fore, dum fuero, tui amantissimum, tuique nominis & honoris studiosissimum. Igitur si planè tibi non sordemus, fac nos quàm primùm certiores, quid agas, quid pares, & quo scripto brevi nos sis beaturus: cessare enim te, aut etiam differre diutius nostra gaudia nefas. Ego quibus in studiis nunc sim, pluribus exponere tibi supersedeo; qui sciam fratrem tuum verbis id melius tibi significaturum. Vale, & vive diu felix, ô magnæ spes altera Romæ. Nobilissimo doctissimoque parenti tuo plurimam, si grave non est, à me salutem: iterum vale. *Genevæ, a. d.* VII. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA LXXIX.

RICHARDO THOMSONI.

1596. DIu exspectavi literas tuas, ὦ τῆς ἐμῆς ψυχῆς τὸ ἥμισυ· mirabar quid esset quod tam diu sileret tuus amor, & refrixisse illum ne suspicatus quidem unquam sum: humanæ potiùs sortis memor, fingebam animo sexcenta pericula vel tua, vel earum quas ad me dedisses. Tandem metu omni & sollicitudine sum liberatus, cùm tuas, a. d. Kalend. Jul. scriptas, accepi. Quid tibi nunc dicam quibus gaudiis elatus animus mihi sit, ubi tuas vidi, inspexi, legi? Erat tanti doluisse adeò & tam diu, ut posteà tantis lætitiis ἀθρόως afficerer. Quid? tu igitur ad nos aliquando reversurus es? O diem illum mihi lætum & festum, qui te mihi osculandum amplectendumque sistet. Tu, Deus magne, votis annue, & in illud nos serva tempus. In Italiam tendere te, cum voluptate haud mediocri ex tuis didici: negare non possumus, nutriculam olim eam fuisse, & veluti matrem, ingeniorum: nunc de iis quid sentiam, qui per Italiam soli sapere cluent, nolo tibi indicare: ne tu fortasse me apud Lucumones istos deferas, qui nos Transalpinos meros fungos & Musarum ἐκτρώματα existimant. Cùm indè reverteris, volupe mihi erit, quid ipsis videatur de nostris scriptiunculis, ex te audire. Sed ne quid dissimulem, præter admodum paucos verè γενίμως κριτικὺς, vix illuc nomen nostrum penetrasse putem: adeò diversa studia sunt quæ colimus, ab iis quæ sola ibi florent, & in pretio sunt. Catalogum quærendorum mihi in illis oris librorum nullum mitto: nam etsi te meâ causâ omnia velle persuasus sum, mihi tamen etiam & etiam videndum cavendumque est, ne facilitate amici abusus dici queam. Accedit quod census omnis noster librarius ὀλίγυ δεῖν tibi est notus; nam post tuum à nobis discessum paucos admodum è raris nactus sum: eos nempe quos vel tuus amor mihi dono misit, vel gratia Bongarsii. Duit Deus utrique ἀγαθῶν ἀγαθίδας pro ista adversum me benignitate: nam etsi duo fasciculi postremi tui perfidiâ quorundam mihi periere, non tamen & tibi: cui pares gratiæ etiam pro illis à me habentur, ac pro reliquis fide meliori curatis. Omnino siquid Græci, Latini, Hebraici nobis invisum illic inveneris & mihi comparaveris, rem feceris gratissimam. At illud super omnia gratum & commodum, si brevi indè ad nos advolaris, priusquam tui exspectatione planè tabescamus. Vale, & me ama, ac creberrimas literas mitte si salvum esse vis. Uxor, soror, liberi te plurimùm salvere jubent. Iterum vale. *Genevæ, a. d.* VII. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA LXXX.

JOANNI A VOWEREN.

PEtronium, quem dono misisti nuper, Vir eruditissime, accepi, & 1596.
gratias ago: exstabit hoc inter κειμήλια nostra eruditionis tuæ simul & amoris erga me luculentum testimonium. Mitto ἀντίδωρον sanè quàm leve, Suetonium minore formâ hîc cusum, cum recentibus quibusdam notulis nostris. Poteramus de facili plura adjicere: sed maluimus exspectare alteram editionem Animadversionum nostrarum, quam brevi prodituram σὺν Θεῷ speramus. Accedit quod toti nunc in aliis studiis sumus; Athenæum enim habemus in manibus, scriptorem multis locis depravatissimum, & planè virium non istarum. Equidem unum unicissimum novi, cui satis ad subeundum id onus firmi humeri, florem illum dico illibatum Musarum, Josephum Scaligerum: quem

1596. quem ego quòd viderim nunquam, vitam prope non vitalem, certè acerbiſſimam duco: τρὶς μάκαρες καὶ τετράκις, quibus contigit ſtudiorum ducem Μουσηγέτην illum habere. Quid tu nunc pares, & quid proximè ſis editurus, aveo ſcire: neque enim dubito fortiter te perrecturum in itinere, quod bonis adeò avibus es ingreſſus: futurumque animo jam prævideo, ut literarum ſis mox σεμνὸν ἔρεισμα. Ita velit, ac votis meis annuat ὁ μέγας ἐν οὐρανῷ Θεός. In hoc omine deſiturus eram: ſed habeo quod te rogem: at ſcin' quomodo? obnixè & ἐκτενῶς, ſic ut nihil poſſim magis. Scito igitur ſuſceptam nobis Spartiani, Capitolini, &c. editionem: quam ad rem cùm à libris MSS. prorſus deſtituamur, peto à te, ſi quid potes me juvare, facias quàm primùm: mitte, inquam, ſive aliquem veterem codicem, ſive antiquam editionem habes; ac confide, Vir amiciſſime, non in pertuſum animum te iſtud beneficium eſſe collaturum. Vale, & nos ama & juva. *Genevæ, a. d.* VI. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA LXXXI.

HIERONYMO COMMELINO.

1596. DEcimus ſextus hic, opinor, dies, Commeline amiciſſime, cùm poſtremis tuis reſpondi: eas literas Regio, adoleſcenti Anglo, Theologiæ ſtudioſo dedi: neque dubito eſſe illas ad te perlatas. Quo loco eſſet ſuſcepta nobis Athenæi editio, & quouſque tunc perveniſſemus, ex illis intellexiſti: quid poſteà ſit factum, frater Paulus Stephanus verbis melius narrabit. Cùm igitur nullum mihi aliud ſit relictum ſcribendi argumentum, pluribus non tenebo te; niſi ut te orem, ſis promiſſi memor, & quod nuper omiſiſti penitùs, id nunc tantò cumulatiore menſurâ præſtes. Cùm primùm unà erimus, contractum apud te æs alienum, vel βιβλία ἀντὶ βιβλίων rependens, vel aliâ ratione expungam. Apuleji Apologiam ſi quando pares ſub incudem revocare, id mihi ſignifices velim. Vale, Vir amiciſſime. *Genevæ, a. d.* VI. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA LXXXII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1596. ECquas tibi, Vir præſtantiſſime, pro nuperis tuis adeò eruditis literis gratias referam? docuiſti enim me, quod ſuſpicatus ex tuis ſcriptis pridem eram: ſed de quo judicium ferre, & pronuntiare τὴν ἀρέσκουσαν, meum non erat. Tu feciſti, & veram tanti principis γένεσιν me privatim docere ſuſtinuiſti: ego ſtatim poſteà alios: ſatis vel hoc nomine μέγα φρονῶν, quòd iſtâ occaſione tuus in me amor omnibus notus erat futurus. O ſi mihi Scaligero μαθητεύειν divinitùs concederetur! ſed nos tam felici ſydere nati non ſumus. Atqui ſic habe, ſi me pia στοργὴ erga uxorem & liberos non teneret, pridem factum foret cùm tuus eſſem: ita mihi animus eſt verè eruditionis οἴστρῳ βεβολημένος: quam etiam in hac ingenii tenuitate videor mihi poſſe conſequi non mediocrem tanto magiſtro. Tu me per avia Athenæi, ubi nunc nihil aliud quàm erro, duceres inoffenſo pede. Tu Polybii obſcura, in quibus vetus amicus * noſter miſerè deliravit nuper, plana mihi redderes. Tu mihi Tertullianum de Pallio explicares. Tu denique infinitis Græcorum, Latinorum, Hebræorum locis, ubi nunc erro aut hæreo, luce illius divini ingenii, quod à Deo accepiſti, mihi alluceres. Sed quid ego fruſtra ἀνεμώλια βάζω; tantum enim boni optare nobis licet, ſperare non licet. Amare certè, colere, venerarique abſentem nihil vetat. Id faciam dum vivam ſummâ fide, & ita dicam, religione. Vale Scaliger, ſæculi decus; & libellum, quem mitto, ut ſummæ obſervantiæ pignus tenue, ſed ἀφελὴς, accipe. *Genevæ, a. d.* VI. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

* *Lipſius. Vide ſuprà, Epiſt.* XLII. *&* LXV. *ac infrà, Epiſt.* LXXXIII.

Per ego te Dei hominumque fidem obteſtor, quæ habes in Athenæum & Strabonem, ea nobiſcum communices. Quod poſſum pretium ſummum, id offero tibi, me ipſum æternum futurum tuum. Suſcepi & Spartiani, Capitolini ac cæterorum editionem, non ſanè viribus propriis fretus, ſed Doctorum adminiculationibus. Appello igitur tuam fidem, mi Scaliger: firma nutantem, & labanti manum porrige.

EPISTOLA LXXXIII.

JACOBO BONGARSIO.

IGnarus ubi gentium eſſes, & quæ te haberent terræ, has nihilominus ad te, virorum ſuaviſſime, exarabam. Malui enim perire mihi, ſi ita accideret, hanc opellam, quàm committere ut officio defuiſſe videri poſſem. Boni tamen conſules, ſi propter hanc animi incertitudinem fuero in ſcribendo brevior. Id niſi eſſet, ſuppetebat quamvis prolixæ epiſtolæ argumentum: parabam 1596.

1596. bam enim fidem meam apud te liberare, deque Polybio & Tertulliano multa eram tecum garriturus. Non te fugit, opinor, exponi à me publicè illud ipsum Polybii fragmentum, quod Lipsius nuper edidit: in cujus opere illo quàm multa quotidie observem, quæ mihi vel meâ, vel autoris culpâ non satisfaciant, piget dicere. Quare ne dubita, si subsidia librorum adfuerint, editum à me iri σὺν τῷ Θεῷ excellentissimum illum autorem. Cur hoc tibi nunc scribam, non ignoras, si meministi quid antè sis pollicitus. Te amabo, opus appareat, & posteà me vide. Scito autem ita me ardere visendæ Lutetiæ cupiditate, ut edito Athenæo, non si omnia me morentur, diutius tamen id iter sim dilaturus. Sed enim ista molitio nostra sic lenta est, ut penè suscepisse pigeat: nam si ita pergimus, ante annum finis attingi nequit: quo temporis intervallo fore ut canescam, imò senescam, non dubito. Quî potest aliter? cùm verum sit vetus verbum, τὰς πθῶντας ἐν ἤμαλι γηράσκειν. Suetonium, nuper minori formâ à nostris editum, relegi: eâ occasione notulas adjeci, quas cum ipso autore à Choueto accipies. Vale, Vir amicissime. *Genevæ, a. d.* VI. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

Scripsi nuper * de suscepta editione Spartiani, Capitolini, &c. Nunquam factum quicquam imprudentius; nulla enim ad manum adsunt tanti cœpti subsidia. Te igitur ex lege sanctissimæ amicitiæ nostræ convenio, adjuves laborantem, & eruas alicundè aliquid futurum usui. Pithœi fratres soli possunt regem me facere.

* Pag. 87. edit. Grav. Vide suprà, Epist. LXXI. LXXX. & LXXXII. ac infrà, Epist. LXXXIV. &c.

EPISTOLA LXXXIV.

DAVIDI HOESCHELIO.

1596. SCripsi his diebus notulas nescio quas ad Suetonium, recens minore formâ editum. Ejus simul & illarum unum exemplum tibi, Velsero alterum mitto: non dubito te pro summo tuo in me amore muneris levitatem æqui bonique consulturum. Gravissimus & minus familiariter notus Velserus ne fastidiat nostras nugas, interdum vereor: sed aderis tu; & munusculo, quod à se non habet, verbis tuis pondus adjicies. In Athenæo pridem sumus: & procedit ejus editio; verùm ita lentè, ut planè testudineus hic noster sit gradus. Intereà suscepi quasi invitus, sed suscepi tamen, Spartiani, Capitolini, & omnium id genus historicorum editionem. Appello tuam, appello Velseri fidem, ut me vel libris, vel animadversionibus 1596.
vestris adjuvetis: hoc à vobis sic peto, ut majore contentione nihil possim: sum enim parum ad id cœptum viaticatus. Expertus sum in Apulejo & Suetonio, quanto usui primæ editiones esse possint: eam non habeo istorum authorum. Si vestrâ operâ mihi illa contigerit, immortali beneficio me affectum à vobis putabo. Libellos, quos mihi dono misisti, legi omnes: nec diffiteor paucula quædam in iis mihi observata vel suspecta, vel manifesta mendi. Sed quia illa levia erant, & operis ascribenda, ideò notare neglexi: cùm voles relegam, & monebo. Vale, amicissime Hœscheli. *Genevæ, a. d.* VI. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA LXXXV.

CHRISTOPHORO FIRXIO.

ECquid vales, Firxi nobilissime? ecquid nostri viget adhuc aliqua in 1596.
animo tuo memoria? Spero equidem, quod sciam de meliore luto tibi ficta præcordia: etsi miratus sum nonnihil, fateor, quod nuper cùm Mombelgardum, sic enim audio, venisti, atque ad nos propius accessisti, priùs indè pedem retuleris, quàm nos vel verbulo salutasses: verùm hoc malo magnitudini, & multitudini negotiorum tribuere, quibus in Illustrissimi Principis tui aula distringi soles, quàm aut oblivioni aut neglectui. Ipse quod rarius ad te literas do, habeo paratam excusationem: nemo enim ad manum adest, cui meas committam; secus si esset, frequentiam illarum desiderare ne posses, efficerem: obtunderem te potius, qui meus est in te amor, & quæ ferè est amoris comes ἀδολεσχία. Neque tibi, reor, ingratum esset de nostro statu fieri sæpius certiorem: qui quidem impræsentiarum lætus sic satis est. Valemus enim ego, & uxor: at non superioribus mensibus valuimus: cùm illa diu summos cruciatus perferret; ego non diu quidem, sed periculosissimè ægrotarem: utriusque nostrum velut piamentum fuit filiola Abigail, paulò pòst fatali morbo correpta, ac nobis erepta. Ingemuimus ejus morti, atque etiam nunc oculis non siccis ingemiscimus. Sed quid nos sumus, ut Dei magni voluntati obstrepamus? feriat igitur ille uti volet, & quamdiu volet: nos Jobum imitabimur. Sed lætiora & experti posteà sumus, & porrò speramus. Oro illum, Firxi amicissime, supplexque veneror, te nosque salvos atque incolumes præstet. Vale. Uxor quàm officiosissimè te salutat.

1596. tat. *Genevæ*, *a. d.* v. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI. 1596.

Salutant te veteres amici, Beza, Lectius, Pinaldus, Colladonius.

EPISTOLA LXXXVI.

CONRADO RITTERSHUSIO.

1596. NÆ est ita, Vir clarissime: omnium rerum est vicissitudo: fuit cùm tu in scribendo diligentiâ me vinceres: ego nunc eâ re antecello tibi: nam post novissimas tuas scripsi ad te non unas. Testis mihi diligentiæ meæ Jacobus Bongarsius, ad quem binas literas tibi inscriptas superioribus mensibus mittere memini. Quid te mutavit? aut cur factus es minus vocalis? nisi tu fortasse λύκον εἶδες· sed fallor: non enim dubito, quod fuisti in hoc officii genere omissior, eò factum id esse, quòd Guntherus tuus te sibi totum vindicaret, cupidus luce illâ frui, quam tu ei pridem promissam præstare debes. Si ita est, libero te culpâ: recordor enim similis indiligentiæ reum fuisse me nuper, cùm in Suetonii editionem incumberem ὅλος καὶ πᾶς. Essem fortasse etiam nunc, si operæ, quibus in Athenæo cudendo typographus utitur, non tam crebrò interjungerent. Non enim nescis, opinor, prælo ante aliquot menses subjectum id opus. Cæterùm adeò lentè hactenus res cessit, ut vix ante περιπλόμενον ἐνιαυτὸν finis futurus videatur. Enimverò is scriptor ille est, in quo nulla cunctatio longa videri debeat. Hoc tu optimè nosti, qui Musas Græcas tantâ felicitate coluisti: vitilitigatores ista nesciunt, qui nos putant ἐτώσια ἄχθη ἀρούρης, quotquot in recensendis veterum scriptis operam ponimus ἐναντίο οἱ πάντη φρονοῦντες τῆς σοφίας· nos maneamus ἐν πείσῃ, & pro virili de literis bene mereri pergamus. Vale, clarissime Rittershusi, & omnibus amicis, viris clarissimis, Camerario utrique, Scipioni Gentili, & Philippo Scherbio Philosopho, plurimam à me salutem, nisi grave est, nunties velim. Iterum vale, nostri memor. *Genevæ*, *a. d.* v. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

Quando proditurus sit Oppianus tuus, scire cupio: jam enim expectatio longa nimis.

EPISTOLA LXXXVII.

JANO GRUTERO.

ACcepi nuper ab erudito quodam viro literas, quibus Artemidori editionem obnixissimè postulabat. Revocavit ea res mihi veterem quandam tuam, doctissime Grutere, epistolam, quæ susceptæ à te illius provinciæ mihi testis & index. Respondi igitur & tum illi, & posteà aliis, idem à me petentibus, non me, sed Gruterum eo nomine esse conveniendum. Oro igitur te, Vir doctissime, maneas in sententia, & nos ejus voti reos facias. Habeo Astrampsychi quædam cum Artemidoro: si me audis, conjungenda mittam & ista, & quicquid aliud etiam in potestate. Tu vicissim, ὦ φιλότης, juva me: planè enim tuo mihi auxilio opus in editione, quam suscepi σὺν Θεῷ καὶ Μούσαις, Spartiani & cæterorum. Obtestor te, ut in hoc conatu mihi opem feras: idem petiturus eram à doctissimo & clarissimo Frehero; sed sedet mihi nullas ad eum literas dare, priusquam de Themistio, quod ei nuper sum iterum pollicitus, præstitero. Ipse intereà si grave non est, meam apud illum causam ages. At tuus Plautus quamdiu dormit? ut video, non aberis, quin pipulo sis poscendus. Quid tuæ illæ Observationes? Imperator quidam olim scripsit, *Apud verecundam conscientiam mendacii genus est, promissa tardare.* Hoc quam vim habeat intelligis. Vale, amicissime & clarissime Grutere. *Genevæ*, *a. d.* v. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI. Scripsi raptim. 1596.

EPISTOLA LXXXVIII.

THEODORO CANTERO.

MEmini, Vir præstantissime, scripsisse te aliquando ad me susceptam tibi Ammiani Marcellini editionem, cujus honestissimi consilii cur te posteà pœniteret, causam nullam video, neque factum puto: reor magis propter gravissimas tuas in vestra republica occupationes nec te, nec nos voti hujus fieri adhuc potuisse compotes. Igitur cùm alia præclara exspectare nos à te scito, tùm etiam eximii illius historici editionem. Atque utinam velles de una fidelia duos parietes dealbare, & cum Marcellino cæteros recensere omnes, qui Suetonio adjungi ferè solent: Spartianum dico, Capitolinum, Lampridium, reliquos: non dubito futurum id tibi facile, (si modò per publi- 1596.

ca

1596. ea negotia liceat) positâ jam sedulâ in in Ammiano operâ. Igitur si tu quidem illam in te provinciam suscipis, fac nos, obsecro, de tuo instituto certiores: sin tantum tibi otii non suppetit, scito impositam mihi posterioris hujus oneris necessitatem: edito enim Suetonio egerunt mecum amici quidam viri magni, ut pergerem ad insecuti temporis historicos illustrandos. Ne te multis morer, accidit mihi prorsus quod ait Seneca, ut δυσωπία, quam ille frontis imbecillitatem vocat, faceret me liberalem, & onus in me reciperem, cui impares humeros haberem. Nollem, factum: sed ἀναλύσασθαι καὶ ἀνακαλεῖν τὴν ὑπόσχεσιν ὀκνοῦμεν. Atque scito penitùs hìc esse me à libris veteribus destitutum. Quare oro obsecroque te, feras mihi opem, & quicquid habueris quod usui esse possit versanti in eo negotio, id mecum communices: feceris mihi rem gratissimam, fortasse etiam reipublicæ literariæ non inutilem. Ipse vicissim si aliquid habuero vel Marcellino illustrando, vel aliis scriptoribus, quibus tuam operam addixeris, id omne tibi bonâ fide offero. Vale, Vir clarissime, & me adjuva. *Genevæ, a. d.* v. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

Eruditissimos filios tuos, veteres hospites meos, cum Johanne Werkhoven plurimùm salvere ego & uxor jubemus.

EPISTOLA LXXXIX.

VERDERIO À VAUPRIVAS.

1596. ET eruditionis tuæ, & inclytæ illius quam habes bibliothecæ, fama impulerat me pridem, ut tibi innotescere, & studium cultumque meum offerre cuperem. Eum enim esse te, Vir clarissime, ex multorum sermonibus intellexeram, qui, cùm plurimùm posses literis & illarum cultoribus prodesse, voluntatem facultate inferiorem non haberes. Facile igitur in eam spem adducebar, si contracta semel inter nos notitia esset, parata mihi in tua bonitate certa præsidia, ad ea præstanda, quæ, nisi fallimur, bono multorum veterum scriptorum pridem conamur. Ardebam igitur cupiditate isthuc unius tui caussâ veniendi; cùm nuper vir clarissimus & amicissimus, Jacobus Lectius, Lugduno rediens, meam se apud te caussam egisse retulit: teque sibi omnia prolixè pollicitum esse affirmavit, quæ in tua potestate sita usui nobis ad ea, quæ paramus, esse possent. Ago tibi, Vir doctissime, pro ista tua humanitate gratias quas possum maximas. 1596. Simul te oro, atque adeò, si pateris, ex illa pollicitatione velut ex syngrapha te appello ac convenio, ut quod habere te audio Polybii exemplar manuscriptum, id nobis utendum concedas. Audivi & Athenæum in libraria tua haberi: si ita est, ambos mittas oro te quæsoque: ambos enim, si Deus faverit, edere sedet nobis: jamque hic prælo ante menses aliquot subjectus: alter non longo, uti speramus, intervallo sequetur. Molimur & Historiæ Augustæ scriptorum post Suetonium editionem. Si & hic nos aliquid potes juvare, beaveris. Quàm sit autem moribus meis alienum dissimulare, per quos profecerim, vel unicus, opinor, Tranquillus idoneus testis. Vale, & me ama, tui nominis studiosissimum. *E Museo, a. d.* v. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

Si quid missurus es, tutò id fidei nobilis hujus adolescentis, qui tibi has tradet, & simul cum istis Suetonii recens hic editi exemplar, commiseris, aut Tornæsii.

EPISTOLA XC.

PHILIPPO CANAIO À FRAXINIS.

TUas accepi tandem, Præses amplissime, illas dico quas Kalendis ipsis Augusti ad me dedisti: quas enim triduo post te scripturum ajebas, illas ego nondum vidi. 1596. Cùm reddita mihi tua est epistola, quâdam συγκυρίᾳ factum, & bono nescio quo meo fato, ut statim mox afferrentur literæ ab amplissimo Præside Thuano, à clarissimo Gillotto, nec non à doctissimo Petro Pithœo: omnibus idem fuit argumentum: seriò enim mecum agunt, ut Lutetiam ad menses aliquot concedam: debere me hoc ipsorum caussâ præstare, qui tam avidè me exspectent; debere mea & literarum, quibus juvandis idonior (agnoscis verbum juris) posteà sim futurus quàm nunc sum. Quippe reperturum ibi quæ diu & frustra quæsierim. Ipsa sunt clarissimi Thuani verba: qui non unis, sed pluribus literis hujus itineris necessitatem mihi imposuit: nosti enim vestras τῶν μέγα δυναμένων δεήσεις πιθανάγκας esse. Quâ enim fronte recusem? Sedet igitur λωφήσαντος τοῦ κακοῦ, cui nunc obnoxia urbs est, & illos & me voti hujus facere compotem: quod tamen sub hac conditione dictum accipias velim, si ita tibi videatur; tu enim solus omnium meorum consiliorum clavum tenes: tu mihi pro-

1596. ra & puppis: tu mihi τὰ πάντα. Ac miror cùm jam aliquoties hac de re tecum per literas egerim, nullis tamen esse à te responsum mearum. Ego verò persuasus sum multas epistolas ad te meas periisse: nullo quidem tuo, sed meo nonnullo damno: non enim assequor quod cupio, ut assiduitate scribendi meam erga te observantiam tibi faciam testatam. Athenæus noster lentè procedit: quæ res summo mihi cordolio est. Nam quando fruar tuo, suprà quàm ego dicere, aut tu fortasse tibi persuadere queas, mihi exoptato conspectu? Scit Deus ὁ καρδιογνώστης omnium mearum deliberationum summam eo niti cardine, & in eo solo itinere maximas, imò omnes, spes meas τάς γε κατ' ἀνθρώπους καὶ ἀνθρώπων esse sitas. Atque utinam illum aliquando diem videam: nam aut aliquis tum erit mearum ærumnarum finis; aut nullus unquam futurus. Tu igitur ἔξεχε, ἔξεχε, ὦ φίλε ἥλιε. Exorere, inquam, dies ille omnium mihi jucundissime dierum, qui mihi pridem illuxerunt. Non peto à te, ut de me inter ista cogites, & parandi mihi otii aliquam ineas viam. Illud Deum Opt. Max. oro, viam tibi aperiat, quæ mihi adhuc patet nulla. Sed hæc coram melius. Deus, idem ille Deus, ter Maximus, ter Optimus, te tuamque nobilissimam δέσποιναν, & suavissima pignora servet. *Genevæ, a. d.* V. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI. defessâ mente ac manu scribendis literis ad Francofurtenses nundinas.

EPISTOLA XCI.

TOBIÆ SCULTETO.

1596. Binas omnino post tuum à nobis discessum, Scultete charissime, literas à te accepi: nec tu, opinor, à me plures. Mirarer & me & te ita fuisse officii hujus negligentes, nisi locorum ingens intervallum utrumque nostrum excusaret. Deinceps, uti spero, opto quidem certè, magis erimus assidui: quamquam ego culpâ vacavero, nisi tu diligenter locum indicaveris, ubi sis proximam hyemem acturus. Coloniæ Ubiorum te nunc esse, adductus novissimis tuis & Monavii epistolis, cùm hæc scribebam, persuasum habebam. Itaque cum Commelino nostro egi, ut illuc Suetonii nuper editi exemplar unum curaret perferendum, tibique reddendum: habebis illud tantisper amoris nostri pignus, dum prior Animadversionum editio sub incudem revocatur. Nolo enim nescias, tanto cum applausu doctorum, Gallorum præsertim nostrorum, priorem editionem fuisse susceptam, ut jam in 1596.
manibus prope secunda editio sit nostris typographis. In Athenæi editionem toti nunc incumbimus: absque quo esset, pridem fortasse Gallia me haberet suum. Cùm omnia expendi, & rationes omnes subduxi, inclinat eò animus: nec sine aliqua spe, posse me in mediis illic turbis otium studiis meis nancisci: nam id unum peto, quæro, sitio. Moveor copiâ amicorum virorum clarissimorum & amplissimorum, qui totâ Galliâ me amant, me cupiunt, me vocant. Eò, si visum fuerit, edito Athenæo lares conferre [nihil dum enim statui: & tenet me dulcedo hujus alterius patriæ * * * gratissimæ,] sed si eò visum tandem fuerit proficisci, denuntio tibi, sis memor veteris pacti conventi: agam enim tecum stricto jure. Crede autem mihi, Vir medullitùs mihi chare, si manseris in sententia, nunquam te pœnitebit. Habeo gravissimas, cur ita sentiam, caussas: sed de his post Athenæum consummatum, si ita Deo Opt. Max. videbitur: cui quidem σῶστρα debes, hoc est, ὕμνον εὐχαριστικὸν, quòd me superioribus mensibus è gravissimo morbo liberavit. Ægrotavimus enim eodem ferè tempore ego, uxor, & charissima Abigail: morbus meus non sine periculo fuit, uxoris non sine cruciatu, filiolæ suavissimæ & dilectissimæ fatalis & postremus. Ignosce piæ στοργῇ: tertius jam is mensis, & tamen sine lacrymis ista non scribo. En quid sit patrem esse. Erigo me tamen, & divinæ voluntati libens meritò acquiesco. Uxor & liberi te oculis ferunt, & quàm officiosissimè salutant. Plurimam verò omnes nobilissimo, & nobis colendo Burghausio tuo salutem impertimur. Vale, corculum meum. *Genevæ, a. d.* IV. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA XCII.

DIONYSIO GOTHOFREDO.

PUto accepisse te, Vir clarissime, quas 1596.
ante dies circiter quindecim studioso cuidam Anglo tibi perferendas tradidi: eò nunc brevior ero: præsertim cùm variis curis distrahar. Probus nec venit, nec scripsit: ut jam quid eo sit factum, hic nemo sciat. Spero tamen Francofurti eum ad nundinas futurum: si ita est, tu illum in reditu videbis. Videor mihi intellexisse inibi esse te, ut cum Stephano initâ societate Plutarchi editionem suscipias. Nollem id me celasses: juvissem fortasse vel re, vel consilio:

1596. consilio: & nos illum scriptorem πεπο-νήκαμεν: & nos aliquid in his literis vidimus. Optimum senem * nostrum solum sibi videri sapere, nec miror, nec suam ipsi vel famam, vel doctrinam, vel sapientiam invideo. Paulum † fratrem id apud me tantopere dissimulasse demiror. Suetonium nuper relegimus: accipies ejus exemplar unum à fratre Paulo. In Athenæo nunc sumus: quo absoluto, sedet animo nutantem rem familiarem seriò firmare. Deus Opt. Max. cœpta adjuvet: quem supplex veneror, servet te, tuam ac tuos. Vale, Vir clarissime. *Genevæ, a. d. Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

* Henricum Stephanum. Colomes.

† Stephanum.

EPISTOLA XCIII.

JACOBO BONGARSIO.

1596. HEri manè occupato mihi in claudendis iis, quas ad te scriptas fratri P. St. ‡ eram traditurus, ecce afferuntur literæ tuæ Francofurti scriptæ die XXVI. Aug. Hodie item exeunti mihi à lectione traditæ sunt, quas scripseras XIX. ejusdem mensis. Gavisus sum superesse adhuc mihi facultatem respondendi, cùm necdum frater esset profectus. Ago igitur tibi quas & quantas maximas possum gratias, pro ista sollicitudine tua conatus nostros adjuvandi. Non potes magis me tibi devinctum atque obnoxium reddere. Risi illorum stultitiam, qui schedas optimi Sylburgii tanti indicarunt tibi, pro quibus si vel assem Cajanum dedisses, non tulissem æquo animo. Nolo detractum quicquam memoriæ pii viri, docti, amici: sed genus notarum ejus satis notum te habere opinor. Hoc autem cuperem, ut versio Amasæi, quam ille pressisse diu existimatur, tandem ederetur, quanquam & illam non esse in arce collocandam, facile credo D. à Fraxinis, qui olim sibi visam ac lectam affirmavit. De subsidiis è Gallia ostensis major mihi cura: de codice, inquam, MS. Pithœi, & altero quod Lugduni esse dicitur. De Pithœano & scribam ipse, & tu omnia præstabis: de Lugdunensi certa ferè mihi spes, cis paucos dies in meam potestatem eum futurum. Tum aliud nihil quàm otium desiderabitur, cui parando longiore deliberatione opus. Deus providebit, mi Bongarsi: & tu quoque ut soles adjuvabis. Vale. *Genevæ, a. d. pridie Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

‡ Paulo Stephano.

Hæc scripsi semiæger, & prorsus, nisi Deus avertat, eodem morbo tentandus, quo paullò minus sum in beatas sedes delatus. Medici choleram morbum vocant, interque acutissimos 1596.
recensent. Id verò Θεοῦ ἐν γούνασι. Omiseram de adolescente eo respondere, qui mihi fuit à te commendatus. Is apud D. de Piedmante habet. Invisit me, ego illum vicissim aliquoties: interesse etiam ferè solet lectionibus Polybianis: ac videtur esse literarum cupidus. Vixit sanè, dum hic fuit, quàm honestissimè & modestissimè: unum mihi molestum, quòd non possum aliquo insigni officio erga te amorem illi facere testatum: sed quæram occasionem. Deus te servet, Vir amicissime. Tuas ad D. de Fresnes curabo, ne dubita.

EPISTOLA XCIV.

THEOPHILO RICHARDO.

ÆQuius erat ut tu mihi prior; ego 1596.
enim πρεσβυγενέστερος, tu minor: diu propterea exspectavi, ecquid tui officii tandem veniret in mentem: frustra; obdurasti enim animum, & constanter siluisti. Non laudo, Richarde, tuum factum; culpo magis. Quid enim habes dicere quo te excuses? non puto factum tamen, ut animo penitus tibi excideremus: malo enim causam tuam adjuvare, & benignè interpretari tam diuturnum silentium, quàm stricto jure tecum experiri. Ut igitur agnoscas defuisse te officio, ecce provoco ad mutuam scriptionem, quam fortasse alius eâ ætate, quâ tu es, non unis sollicitasset. Tuæ nunc partes, sic posteà mecum agere, ut posterior diligentia priorem negligentiam diluat. Quanquam quod fueris in scribendo lentus, levius id est: modò in studendo assiduitatem tuam desiderari non sis passus. Hoc ego mihi de te spondeo: hoc parentem tuum literis non unis, ut sibi de te promitteret, hortatus sum, tuæque apud illum fidei & industriæ quasi obses sum constitutus. Vide ne utriusque opinionem fallas: & spero meliora. Novi enim probam indolem tuam, & præclara jacta fundamenta: fac verò semper ante oculos tibi hæreat, quantum optimis parentibus debeas, qui tantâ benignitate studia tua fovent. Impius in Deum sis, si istis tantis bonis non utaris bene. Sed tu potius spem nostram superabis, quàm falles. Sic erit, modò opem divinam precibus assiduis implorare non cesses. Ita facito, & vale. *Genevæ, a. d. Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA XCV.

FRANCISCO PITHOEO.

1596. INcidi nunc ipsum felici quâdam συγκυρίᾳ in tuam, Vir clarissime, sororem lectissimam, matronam D. à Vassan, à qua dum quæro, ecquid literas à te acceperit, aut de tuo statu & valetudine aliquid intellexerit; didici certum esse quendam hominem, qui istuc sit jamjam profecturus: posseque me, si quid vellem, ad te literarum dare, & tutò ei committere. Gavisus sum esse mihi oblatam adeò bonam scribendi ad te, quod pridem cupiebam, occasionem: nam etsi aliquoties ipse jam tibi scripsi; tu autem, quod equidem sciam, nunquam mihi, non eò tamen minus aut colam te, Vir magne; aut etiam amabo. Enimverò antè leves pascentur in æthere cervi, quàm ego defatiger præstando officio erga te meo. Ita dico, officio; nam quod omnes literarum & Μουσέων θεράποντες, in queis ego nomen profiteor meum, te depereunt, te observant; debetur is honos pridem tuis virtutibus & illi excellenti eruditioni tuæ, cujus τὸ βάθος soli mirantur, ὁπόσοι τὰ σεμνὰ τὰ τῶν Μουσῶν ὄργια μεμύηνται. In quorum album si tu me censueris esse referendum, næ ego tuo unius judicio veræ gloriæ amplius consecutum me putabo, quam sexcentorum aliorum elogia, ne dicam encomia, afferre mihi possint. Atque is tuus de nostris studiis si fuerit sensus, non dubito quin facile impetraturus à te sim, quod ut te rogarem, autor mihi Jacobus Bongarsius nuper fuit. Is mihi per literas significavit, habere te Polybii MS. exemplar, cujus copiam rogatus à me non difficulter esses mihi facturus. Ecce, rogo, obsecro obtestorque te, Pithoee eruditissime, concede mihi hoc beneficium, ut libro illo tuo uti aliquandiu possim. Paro enim (quod te non nescire arbitror) ejus gravissimi scriptoris luculentam sanè editionem. Adjuva igitur, amabò, conatus meos, feceris mihi rem παντὸς λόγου πέρα gratam, meque tibi immortali beneficio devinxeris. Vale, Vir doctissime. *Genevæ, raptim a. d.* IV. *Idus Septemb.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA XCVI.

PETRO PITHOEO.

1596. QUas Bullioni dedisti, Pithoee clarissime, accepi nuper: eas verò nullus vidi, quas te antè misisse significas. Atque ea jactura multis nomini- 1596.
bus per mihi est acerba & propè luctuosa: facile enim ex istis conjicio quales illæ fuerint literæ quæ perierunt: quàm doctæ & eruditæ, & quot quantarumque rerum incognitarum magistræ mihi esse potuerint. Quàm multa enim didici ex hac tua epistola, quamvis properanter adeò scripta. Deinde tu me oras, veniam isthuc & te visam. Atqui ego vel si vetares, facerem tamen, infinitâ quâdam discendi cupiditate inflammatus. Sitio enim, ut si quis alius, rerum veterum cognitionem, bonarum, inquam, & quas cognovisse sit operæ: quæ cùm sit in te & fratre tuo excellens adeò, ut in nemine magis, (possem amplius aliquid & verius dicere, sed nolo apud te) constitui σὺν Θεῷ quàm primùm occasio se obtulerit, isthuc venire, & oculos animumque vestri desiderio pridem saucium satiare atque explere. Sed nunc tempora quæ sint vides: itaque necessariò hanc cogitationem in alia tempora differimus. Redeo ad epistolam tuam: ex qua primùm de Phœdro, Augusti liberto, cognovi: nam planè mihi antè id nomen incognitum: prorsusque de eo quà scriptore, quà scripto vel legi nihil, vel si est aliter, non memini. Quare tu, mi Pithoee, ad istud quod attinet, ἄλλην δρῦν βαλάνιζε· à me nihil excutere aut extundere potes. Sed urge, obsecro, editionem ejus auctoris; & prioribus tuis in rempublicam literariam meritis, quæ maxima sunt, etiam hoc adjice. De Seneca quod scribis gratum mihi, imò gratissimum: etsi fateor ingenuè, superare vires nostras id onus, quod tu, & clarissimus Nicolaus Faber, humeris meis paratis imponere. Cur non potius alter vestrûm, ambove rem perficitis? verè dicam ἀφελῶς: aut vos potestis, aut hâc tempestate potest nemo. Quod scribis de locis aliquot in συναγωγῇ fragmentorum Suetonii prætermissis, & cur prætermiserim quæris: respondeo tibi uno verbo: nescivi nempe, qui ne libros quidem eos habui, unde tu illos excerpsisti. Quamobrem oro te etiam atque etiam, colligas quæ eo facere judicabis omnia, & mittas. Oro etiam te, quia suscepta nobis Spartiani, Capitolini &c. editio est, adjuves hic quoque nostram industriam, & libris quibus poteris instruas ad id cœptum necessariis; nam ego planè à MSS. hîc sum destitutus. Plura tecum hac de re aliisque multis agerem, nisi vetarent temporis angustiæ. Sum enim de hujus profectione serò, & casu à lectissima sorore tua, D. de Vassan, factus certior.

Igitur

1596. Igitur festinationi meæ ignosce, & vale, Vir clarissime, ac felix quàm diutissimè nobis vive. *Genevæ, a. d.* IV. *Idus Septemb.* CIↃ IↃ XCVI. *raptim.*

EPISTOLA XCVII.

JOANNI COCEO.

1596. LIteras tuas, & eleganter scriptas, & omnis humanitatis notis tinctas, Cocee nobilissime, reddidit mihi nuper vetus hospes tuus, Perrottus noster. Lætatus sum, & Deo Opt. Max. gratias egi, quod valeres, quod viveres nostri memor, quod amicitiam nostram faceres tanti, ut etiam lacessere literis tuis, & provocare ad vices scribendi sustinueris. Antevertisti me, fateor, & occupasti partes quæ meæ potius erant. Nam ego in ære sum tuo, non mediocri à te beneficio affectus; tu à me nullo. Verùm ego te, alti animi virum, arbitror sic tecum rationem putare, quasi acceperis ipse beneficium, quum dedisti memori, nec fortasse indigno. Macte, generosâ istâ indole esto: ac persuade tibi, si quis est ex omni necessariorum tuorum numero, qui te amet ex animo, & bonâ fide colat, eum esse me. Puto autem in patriam te tandem cogitare. Itaque oro te, ut cùm illuc veneris, apud nobilissimum Savilium & eruditissimum Dunæum magis magisque ponas me in gratiam. Scripsi ad hunc sæpius, ad illum semel: cujus mei officii testem videor mihi posse te laudare. Nisi enim fallor, adhuc nobiscum fuisti: & ego literas ad illos esse me daturum significavi tibi. Sanè quanti Savilium faciam, non ignoras tu, qui ad eruditissima ipsius scripta intelligenda tantâ me operâ juvisti. Vale, Vir nobilissime, & me, quod facis, ama. *Genevæ, a. d. pridie Idus Septemb.* CIↃ IↃ XCVI. *raptim.*

EPISTOLA XCVIII.

GUILIELMO RANCHINO.

1596. ET literas tuas, & quem muneri misisti libellum, Ranchine præstantissime, accepi nudiusquartus. Non puto exspectare te, ut de eo scripto quid sentiam, tibi aperiam: neque enim te fugit, etsi olim studio juris non parum sumus oblectati, tamen earum rerum judicium nostrum non esse; elegantiam certè sermonis, summamque antiquitatis peritiam, quâ velut emblemate pulcherrimo graviora studia ornasti, agnovi & (ita me omnes Musæ ament) miratus sum. Beasti igitur me quod exstare in Museo meo eximium 1596. istud singularis doctrinæ tuæ simul, & amoris erga me testimonium voluisti. Nam quod tu ἀρωνυόμενος [sic enim interpretor] à cucullis periculum ei fuisse scribis: voluisti nempe, quid mihi de meis scriptis esset sperandum, comiter indicare. Illis verò eveniat quicquid lege fati quo nata sunt continetur. Verè & ex animi sententia dicam, non curat Hippoclides. Mens nobis animusque semper fuit, eritque porro, rem literariam pro virili ire adjutum. Cæterùm Marti & Musis quàm parum conveniat, nos non latet. Quò magis subit mirari constans adeò vestrum studium in hac rutuba, ut ait Varro; jacentes ubique bonas artes & literas è pulvere excitandi. Macte estote, viri magni & verè generosi, virtutis hujus & constantiæ. Pergite modò uti cœpistis, & conatibus Deum adfuturum sperate. Quod autem visum vobis me potissimum eligere, cujus in eam rem operâ utamini, albâ nimis mente sim, nisi vestrum hic potius erga me agnoscam studium, quàm probem judicium. Novi enim ipse me: quàm sit, inquam, mihi supellex curta, probè novi. Putabam equidem, dum me, dum seculum istud intuebar, satius fore, ut, quod pridem erat institutum, omitteretur: & jam scilicet in utramque securus dormiebam, cùm ecce de improviso tale nihil cogitanti, vestræ mihi literæ afferuntur. Mirum dictu quàm sim repentè illarum lectione immutatus. Existimavi enim non sine numine inditam vobis hanc mentem: ut si toties tam amanter vocatus haud sequerer, non optimè tantùm de nobis meritos viros offenderem, sed ipsum consilii autorem * primum. Igitur (quod Deus Optimus Maximus bene vestræ reipublicæ, bene mihi velit evenire) statui illicò rem mox perficere. Ea fine certum hominem ad vos mittere visum, qui hunc animi mei sensum vobis indicaret. Erat namque multis gravissimisque de caussis prorsus necessarium, si quid hujus futurum est, fieri id quantocius. Illas tibi commemorare isto loco supersedebo; persuadeo enim mihi lecturum te quas publicè civitati vestræ † scripsi: quod quidem ut facias, te oro atque obtestor, meque ut in omnibus juves, quæ ad mea & meorum commoda pertinere intelliges. Equidem ut vestræ obtemperarem voluntati, omnia uti par erat postposui & insuperhabui. Athenæum ipsum, cujus pridem, ut scis, inchoata mihi editio, destituere animus est. Jure igitur meo facturus videor, si fidem tuam, Ranchine

* *Philippum Canaium à Fraxinis.*

† *Senatui Mompeliensi.*

1596. chine clarissime, appellavero, & te iterum per ipsum amicitiæ præsidem Deum obsecravero, videas sollicitè, ecquid è re cùm vestra publica, tùm etiam mea hoc inceptum sit futurum. Dein si ita sedet vobis, efficias pro ea quâ meritò polles gratia & autoritate, ut isthic mihi meisque quibus rebus cunque poterit, consulatur. Sanctè polliceor tibi, si nos curâ tuâ fueris dignatus, futurum nunquam ut te pœniteat. Fateor referendæ pro meritis gratiæ imparem & esse me, & semper futurum: sed habeo quem exhibeam fidejussorem; Deum dico immortalem, quem tibi debitorem delegabo, precibusque fatigabo, ut omnia bonorum genera quàm cumulatissimè tibi tuisque præstet. Vale, Vir clarissime, & me ama. *Genevæ*, *a. d.* IX. *Kalend. Octob.* CIϽ IϽ XCVI.

Epistola XCIX.

PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS.

1596. QUintus dies hic est, Præses amplissime, quum à Consulibus Mompeliensibus literæ redditæ mihi sunt, quibus peramanter ad se me vocant: simul binas tuas, & à clarissimo Ranchino unas accepi. Has omnes ubi legi semel iterumque; Dei primùm invocato numine, dein cum jucundissima conjuge re deliberatâ, cepi mox consilium, Deum sequi vocantem, & tuam, meum decus, fidem apud eos liberare, quibus eam obstrinxeras. Caussæ quibus sum inductus ut nunc potissimum rem vellem perficere, multæ eæque graves sunt. Speroque me brevi σὺν Θεῷ illas tibi in primo nostro congressu narraturum, & probaturum. Intereà mitto tibi exemplum literarum quas Consulibus M. * & quas Ranchino scripsi. Grave onus imponam tibi, si teoravero ut ambas velis legere: sed mea interest quamplurimum, ut scias quid mihi præstari velim, & omnino quomodo in hoc negotio me gesserim. Audebo igitur te rogare ut illas legas. At illud equidem te non orabo adjuves me, & causam meam suscipias. Tu, amice magne, incepti hujus primùm illis autor, deinde suasor mihi fuisti: tuæ unius literæ me horsum primò impulerunt, deinde etiam compulerunt: tuo, inquam, unius ductu atque auspiciis & inceptum & prope jam perfectum hoc negotium est. Itaque facerem, nisi fallor, gravem tibi injuriam, si tecum pluribus agerem, ut me in tuam suscipias clientelam. Ego verò pridem tuus sum; tu mihi jam per multos annos patrocinium tuum assiduè præbuisti: ego cultum, observantiam, ac verum amorem & præstare conatus sum semper, & æternum præstabo. Deus Opt. Max. faxit, redeat aliquis tandem ad te fructus officiorum omnium erga me tuorum. Ita fiet, ne dubita, Præses amplissime, mihi quidem ego sic futurum persuadeo; πεπίστευκα γὰρ εἰς τὸν κύριον. πιστὸς δὲ ὁ Θεὸς καὶ δίκαιος, ἵνα ἀνταποδῷ σοὶ ἀνταπόδομα καλὸν καὶ ἐν τῷ νυνὶ βίῳ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως. Vale, ô meorum studiorum unicum præsidium. *Genevæ*, *a. d.* IX. *Kalend. Octob.* CIϽ IϽ XCVI. 1596.

* Mompeliensis.

Epistola C.

FLORENTI CHRISTIANO.

ACcepi ante paucos dies, Vir doctissime, Notas in Athenæum aliquas, à clarissimo Servino missas: in queis ego cùm tuum nomen non semel invenissem, arripui libens hanc occasionem scribendi ad te, atque, si tu modò non nolueris, amicitiam tecum instituendi. Equidem à quo primùm Græcarum literarum amore sum captus, te quoque amare, observare & mirari nunquam desii. Nôram enim te, quàm illarum rerum cognitione excellas, quarum cupiditate totus ipse ardebam. Atque hoc velim mihi accredas, Μουσάων ἱερὸν ἔρνος, acerbam mihi sæpe vitam fuisse, quòd te cum cæteris oppidò quàm paucis rei literariæ fulcris & destinis videre, vestroque ductu proficere nondum quitus sim. Quoniam tamen ἐλπίδες ἐν ζωοῖσι, non abjeci adhuc omnem spem. Sedet enim, nisi conatibus nostris summus humanarum rerum Arbiter adversetur, Lutetiam statim φι-σαντος οὐ κακοῦ excurrere, & te, Vir doctissime, eadem invisere. Intereà ago tibi pro illis in Athenæum Notis, quas mecum nuper communicasti, gratias quas nullis verbis explicare possim. Hoc illud est, quod jure & meritò semper dolui, adeò procul ab iis nos abesse, qui nostra studia poterant adjuvare. Mea verò præcipua fuit quædam infelicitas, qui & consuetudine tuâ carui, & doctissimorum scriptorum lectione, quæ proximis hisce annis edita esse à te, Anglus quidam me docuit. Dici non potest quàm malè ea me res habeat. Frustra enim omnem ad hunc diem movi lapidem, ut illa mihi aliundè pararet, eò magis quòd Athenæi quædam fuisse in illis à te emendata, ex eodem eruditissimo juvene intelligere memini. Nam, quod te non fugit, 1596.

1596. git, ejus authoris editio suscepta nobis, studio haut dubiè majore quàm consilio. Sed, amabò, Vir doctissime, laborem meum [potes enim] tuo subleva. Hoc ego sic te oro quæsoque, ut nihil queam ἐκπονέστερον aut studio majore. Vale, & vive, ac floridissimè Μουσῶν ἄωτε. *Genevæ*, *a. d.* VI. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA CI.

PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS.

1596. CONsilium nostrum super instituto pridem negotio, recens & ante dies viginti quatuor susceptum, puto jam tibi esse notum. Misi enim è vestigio certum hominem ad Consules Mompelienses, qui doceret ipsos, ἐπικέκριμαι tandem literis eorum novissimis acceptis: eidem tabellario tradidi, & tibi, meum decus, inscriptum fasciculum: mandavique ut siquidem Montepessulo posset statim, viâ certâ mitteret; sin minus, ipse eum ad te perferret. Adjunxeram autem meis literis Suetonium, minore formâ nuper hîc editum. Exspecto nunc hominis illius reditum: qui mihi quidem lentior Myrmecide jam videri incipit. Sed enim satis citò, si modò satis bene: cujus rei spem omnem in Deo Opt. Max. & secundum Deum in te positam habeo. Exspectemus igitur. Intereà mitto tibi Bongarsii, viri optimè de studiis meis quotidie merentis, epistolam, cui ut quàm primùm respondeas tuasque ad me mittas, rogo te atque obsecro. Sum enim ab eo vehementer oratus, ut responsum à te sibi curarem. Scito autem quas nuper ad illum scripseras, Argentinæ periisse, cum integro fasciculo mearum, quem Melchioris Junii filio tradideram, & fidei hominis commendaram. Vereor ne & aliquot aliis mearum idem casus evenerit: fortè & tuarum quæ meis adjectæ. Ut metuam facit Bongarsii affirmatio, negantis se ullas à te per istos octo menses accepisse. Quicquid ejus sit omni culpâ vaco. Illorum omne scelus qui per summum nefas, aut vægrandem certè negligentiam spei meæ illuserunt. Vale, Vir amplissime, & diu nobis quàm felicissimè vive cum nobilissima conjuge & suavissimis liberis. *Genevæ*, *a. d.* III. *Idus Octob.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA CII.

GUILIELMO RANCHINO.

EXspectabam literas tuas, & reditum 1596.
tabellarii, quem ad vos misi, animo suspenso præstolabar, cùm de sua ad vos perfectione facit me certiorem qui tibi has reddet. Is est Sarraceni nostri filius, & patris caussâ, cui omnia debeo, & suo etiam merito mihi ex animo medullitùs dilectus. Igitur facere non quitus sum, quin isthuc proficiscenti hoc schedium traderem, velut tesseram aliquam hospitalem, quâ tibi de meliore nota eum commendarem. Quod equidem ita studiosè & diligenter facio, ut nihil queam magis. Fac juvenis hujus periculum: præstabo vel periculo existimationis meæ dignum tuâ (cùm ita dico, memini quem alloquar) amicitiâ. Itaque peto à te, Ranchine clarissime, teque per eam, quâ me prosequeris, amicitiam obtestor, ut optimo huic & nostræ disciplinæ alumno adolescenti aditum ad te istis literis esse reclusum atque patefactum velis: quicquid ejus caussâ feceris, id ego mihi præstitum interpretabor. Vale, Vir magne, & me ama. Iterum dico, μετήορος vestras exspectabam cùm ista scriberem. Scripsi raptim. *Genevæ*, *a. d. Idus Octob.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA CIII.

PETRO PITHOEO.

LIteras tuas, & quos misisti libellos 1596.
accepi, Vir clarissime, & gratias ago. Tum primùm videre mihi contigit Phædrum tuum, scriptorem, meo judicio, politissimum, & vel propter antiquitatem luce dignissimum. Sed non unus Phædrus alapas Pithœis debet: debent jam alii quoque plures: &, ut spero optoque, alii porrò multi debebunt. Deus Opt. Max. istud velit, & utrique vestrûm vitam longam beatamque duit. Gratus etiam mihi Hilarii libellus quem adjecisti, ad quem non minus quàm ad Phædrum notas exspecto tuas: est enim sanè quàm multis locis corruptus. Plurimam verò tibi senex noster * salutem nuntiari jussit, quem voluisti tuorum istorum κειμηλίων fieri participem. Perge, Vir magne, in hoc literarum genere bene de omnibus probitatis & veritatis amantibus mereri. Debes hoc Christiano orbi: eò quidem magis quò majore perfidiâ multos in id genus rebus vides grassari.

* Henricus Stephanus.

1596. grassari. Nos utinam tam felici sidere nati essemus, ut in eo studiorum genere aliquid possemus: animus certè in iis literis solis acquiescit, & omnino, nisi morimur juvenes, tentabimus aliquid. Sed hæc coram melius. Nunc illud te, & simul doctissimum clarissimumque virum, fratrem tuum oro, si quid habetis quo ornari editio Athenæi (in ea nunc totus sum) possit, id velitis mecum communicare. Hoc mihi gratius facere nihil potestis. Scripsissem ea fine ad fratrem tuum, si plusculum otii mihi fuisset: sed neque ejus erat copia, & suberat suspicio non esse illum isthic, quando trinis à me literis provocatus respondere adhuc distulit. Erat mihi aliqua spes de manuscripto Polybio, quem habere ipsum intellexi: ea spes ne decollet, in te uno situm puto. Verùm plura de his brevi. De Phædri * versu: *Multo majoris alapæ mecum veneunt:* non erat tuum quenquam consulere: qui verbulo uno veram sententiam indicasti intelligentibus harum rerum; non enim dubito αὐτὴν κεχωρηκέναι ἐς τὴν βατῆρα τῆς θύρας: neque aptius ad sententiam potest quicquam: est quidem dictum duriusculè *mecum veneunt*, pro *apud me:* sed eam duritiem molliunt alia in eo libello non dissimilia. Vale, Vir clarissime, & me ama, qui te cum fratre tuo planè ex animo, ut λείψανα τοῦ χρυσοῦ γένους, veneror. Iterum valete. *Genevæ*, *Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ XCVI.

* *Lib. II. Fab. 5.*

EPISTOLA CIV.

HENRICO SAVILIO.

1596. ET ex literis non unis Richardi Thomsonis, Savili clarissime, intellexi pridem, & nuper ex ejusdem sermone plenius cognovi, me, qui tuam eximiam eruditionem maximasque virtutes amo juxtaque colo, vicissim à te non vulgarem in modum diligi. Beavit me vir amicissimus isto nuntio: non enim mihi aut gratius aut jucundius potest quicquam contingere, si nos nostraque studia iis probari sensero, quos sua virtus & scientia in eum evexit locum, quem tu, Savili, vel fatente invidiâ, hodie inter Μουσάων θεράποντας obtines. Me verò ita novem Sorores ament, ut lætis hausi auribus, nostras te esse aliquid putare nugas. Cur enim ego apud te dissimulem, summæ voluptati mihi esse, non improbari scripta nostra ei viro, quem certò scio posse talium rerum vindicare sibi judicium? Quod igitur à doctis hominibus nostri libelli interdum isthic lectitentur, [sic enim audio,] id non auctori 1596.
suo æquè debent ac tibi: plus enim ad illorum commendationem tuum unius judicium, quàm nostrum ingenium attulisse nullus dubito. Quum itaque vel isto nomine tantùm me tibi debere fatear quàm exsolvere nunquam possim: tamen quia ingenui animi est, ut ille ait, cui multum debeas, eidem velle debere quàm plurimùm, petere à te non verebor, teque obnixè orare, ut in Polybii editione, quam σὺν τῷ θεῷ molior, opem feras laboranti, tuoque labore meum adjutes. Posse te, hoc satis scio: non nolle, id quoque persuasus sum. Hæc spes mea si non decollaverit, & cœptis Deus adfuerit, de eo præstantissimo scriptore τοὺς φιλομαθεῖς τῶν ἀνδρῶν jubeo esse securos: quantum enim cumque illud est, quod potero, (parum esse fateor) sed tamen quantumcunque potero ad ejus lucem conferre, bonâ fide vires experiri certum est. Unum adhuc est quod nos moretur: sum enim in Athenæo τὰ νῦν ὅλος καὶ πᾶς: eâ curâ simul liberati fuerimus, ad Polybium mentem animumque convertemus: velit modo Deus Opt. Max. Hunc veneror supplex, ut te quàm diutissimè velit esse salvum atque incolumem. Vale. *Genevæ*, *a. d.* III. *Nonas Novemb.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA CV.

GUILIELMO CAMBDENO.

NOn Anglos solùm tuos, Vir doctissime, opere illo tuo semper victuro tibi obstrinxisti; sed omnes quotquot ubique sunt veteris historiæ amantes & cupidi. In queis cùm ego nomen profitear meum, persuasum velim habeas, ut literarum, sic tui, qui tantum in literis potes, studiosissimum me esse. Omnia in tuis scriptis mirificè mihi placent, ingenium, diligentia, eruditio, &, quod supra omnia est, judicium. Ut scias me non temerè & πρὸς τὴν σὴν χάριν hæc scribere, sed planè ἀφελῶς, & ex animi sententia, indicabo tibi, quod mihi aliquando venit in mentem tecum loquenti, hoc est, librum tuum legenti. Scribis enim, *Brithaniam* dictam à *Brith* & *tania*. *Taniam* esse Græcis terram, regionem: profers autoritatem Glossariorum: quibus equidem sine locuplete teste fidem arbitrabor nunquam. Aut igitur doceat me aliquis, ταινίαν apud scriptorem aliquem eâ notione positum; aut mihi accredat eam vocem Græcam non esse, nec quicquam significare. Non dubito autem fingendæ illi præbuisse occasionem 1596.

1596. sionem dictionem ταινία, quæ est quando ponitur pro terræ lingula, vel ora: eam memini aliquoties apud Strabonem & alios etiam offendisse scriptam depravatè. Inde origo figmenti & somnii ejus, qui primus in Lexicon suum τὴ ταινία annotavit. In eodem sermone quod ais præcisè adeò, tria sola præter Britaniam majorem regionum nomina quæ in TANIA terminentur, reperiri: *Mauritaniam*, *Lusitaniam*, *Aquitaniam:* caussam non video, cur *Capetaniam* & *Occitaniam* omiseris. Hæc & pauca id genus alia annotabam, dum eximium illud opus percurro: quæ etsi levia sunt, tamen ut de iis te consulerem, pervicit amicissimi doctissimique, & tui studiosissimi viri, Richardi Thomsonis hortatio. Is mihi in sermonibus sæpius affirmavit, fore tibi pergratum, si de communibus studiis tecum per literas conferrem. Ut illi deinceps constet apud me fides, in te nunc situm. Ita enim intelligam gratas tibi meas fuisse, si pari munere me redhostieris, & meorum errorum monueris. Sic mihi quicquid opto contingat, ut hoc gratius facere nihil mihi potes. Vale, Vir doctissime. *Genevæ*, *a. d. Nonis Novemb.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA CVI.

DAVIDI HOESCHELIO.

1596. QUas Francofurtum miseras, accepi, Vir doctissime, & libellum insimul, quem muneri misisti; eoque nomine & ago & habeo tibi gratias. Laudo factum tuum, quod etiam ad has minutias descendere non graveris, dum studiosæ juventuti consulas. Sed te eximia eruditio tua multum in istis operæ aut temporis ponere non patitur. Alius generis sunt, quæ à te omnes φιλομαθεῖς exspectamus & flagitamus. Habes amplum, in quo excellens ingenium tuum occupes, stadium; veteres dico Theologos, qui in nobili Augustana bibliotheca latent. Hos profer, sodes, in lucem, & novo nos semper aliquo bea munere. Athenæus noster paulatim eò deductus est, ut seriò nobis recensitus plus dimidiâ parte jam sit editus. Mea ratio hæc fuit: ut textum infinitis emendatum suppletumque locis ederem, cui è regione versionem Dalechampii cum notis non tam adjeci, quàm passus sum adjici. Meas emendationes, quarum ratio reddenda erat, in libro Animadversionum servavi. Si votis Deus annuerit, spondeo opus fore non pœnitendum. Quanquam illud molestè accidit, quod antè migrandum hoc loco mihi est necessa- 1596.
riò, quàm res sit planè confecta. Sed in fide & diligentia Pauli Stephani affinis mei certa spes. Quæ caussæ ad hanc migrationem me tandem compulerint ἑκόντα ἀέκοντι θυμῷ, puto aliâ epistolâ breviter me tibi significasse. Deus Opt. Max. consilium approbet. Vale, amicissime Hœscheli. *Genevæ*, *a. d.* VII. *Idus Novemb.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA CVII.

MARCO VELSERO.

NEque ante biduum cùm tuas acce- 1596.
pi, Velsere clarissime, per gravissimas curas, quæ totum me sibi tunc vindicabant, respondere illis potui: neque adhuc tantum otii sum nactus, ut bonâ fide id nomen expungere queam. Quod igitur bona alioquin, sed lenta nomina postulare solent, ut dies solutionis proferatur, id sine me, quæso, à te impetrare. Memorem me, crede, experieris debitorem, & cui non sit vellenda auris. Pro flagitatore serio erit quà summus amor iste meus, quà voluptas illa ἄφατος, quam ex tuarum lectione percepi. Tam bona proficiendi, & novi semper aliquid addiscendi occasio ne mihi pereat, cautio est. Nam de Tolisto-Boiis * quæ disputas, & ex eruditæ antiquitatis penetralibus eruisti, sic mihi visa proba & solerter indagata, ut operis illius desiderio mirum in modum torqueri incipiam. Verùm ista pluribus σὺν τῷ Θεῷ eis paucos dies. Cæterùm qui has tibi reddet, & admodum eruditus est, & tui nominis studiosissimus atque observantissimus. Eum si tui benevolentiâ dignatus fueris, rem feceris, meo judicio, tuâ humanitate dignam; mihi certè ipsique gratissimam. Vale, Vir amplissime, & me ama, qui te medullitùs. Deus Opt. Max. te nobis εἰς πολλῶν ἐτῶν δεκάδας servet. Iterum vale. *Genevæ*, *a. d.* VII. *Idus Novemb.* CIↃ IↃ XCVI.

Posthàc si quid literarum ad me daturus es, Monspelium viâ Lugdunensi mittas oportet. Puto enim sub hujus mensis fine eò me cum tota familia migraturum, ad publicam professionem cupidissimè, & honestissimis conditionibus eò vocatum. Deum veneror, bene vertat hoc inceptum.

* *Vide Marc. Velser. Rer. Boicar. lib. II. pag. 38. & pag. 791 792, & 813. edition. Norimb. 1682.*

EPISTOLA CVIII.

ANDREÆ DUNÆO.

NOvissimis tuis, quas Græco sermo- 1596.
ne scriptas misisti, etsi non eâdem elegan-

1596. elegantiâ, linguâ tamen eâdem respondi pridem. Quid factum meis sit nescio: perisse in itinere illas ut suspicer, silentium tuum facit: nullas enim posteà literas à te accepi. Obsecro te, Vir doctissime, colamus deinceps diligentius istud officii genus. Mihi quidem quæcunque à Dunæo venit epistola, gratissima semper venit. Neque ego libentius quicquam facio, quàm ut tecum per literas (quando aliter nefas) colloquar. Sed me nunc breviorem facit negotium molestum & grave; in quo totus eram, cùm hæc scribebam. Accedit quod de meo statu, studiis & propensa in te voluntate ut pluribus ad te jam scribam, nihil opus; quum ex hujus nobilissimi viri, qui has tibi tradet, sermonibus omnia te intellecturum confidam. Ex eodem migrationis meæ in Narbonensem Galliam causas disces. Ita statui tandem, post longam & molestam aliquot annorum deliberationem. Deus Opt. Max. nostris cœptis πλησίστιον οὖρον velit concedere. Athenæus nihilominus pedetentim ad umbilicum ferè est perductus. Ac licet vix fore putem, ut ad proximas nundinas impressa prostet editio, antequam Animadversionum nostrarum opus fuerit absolutum; scito tamen affectum jam esse, & ὀλίγου δεῖν absolutum Athenæi, uti vocant, contextum. Animadversionibus ne aliquam moram discessus meus ex his locis afferat, videbo. Cupio enim, imò sitio, hâc operâ & curâ quàm primùm defungi. Vale, Vir doctissime. Raptim. *Genevæ, a. d.* VI. *Idus Novemb.* CIƆ IƆ XCVI.

EPISTOLA CIX.

STEPHANO TREMULEO.

1596. MEministin' eorum sermonum, quos nuper habuimus, quum negarem tibi posse me diutius hic ἄτῃ παλαίειν? Ecce nunc venit illud tempus quando dicta oporteat exequi. Adest Legatus Monspeliensium, qui me acriter vocat. Ego sequi Deum præeuntem, etsi ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ, planè decrevi. Caussam consilii hujus mei unam esse, eamque necessariam, non te fugit. Erat enim æquum, ut tandem aliqua ratio iniretur à me prospiciendi mihi, uxori charissimæ, suavissimis liberis. Atque utinam, iterum utinam ἐγγηράσκειν huic solo & cœlo licuisset: at non omnibus licet esse tam beatis. Quid facerem igitur? Atque scito quod olim in simili caussa tibi accidit, mihi nunc cùm maximè evenire, ut multorum iniqua judicia experiar, pro libito quidvis fingentium, opinantium, garrientium. Fateor, mi Tremulee, non est mihi cornea fibra, & ad hos sermones movetur mihi interdum vitrea bilis: modicè tamen, & sic, ut me statim colligam. Subit enim animum hæc cogitatio, non primo aut soli hæc mihi evenire. Solatur etiam me conscientia anteactæ vitæ. Quid enim non fecimus, quid non sumus experti, ut hic nobis vivere liceret? Nec te fugit, βίον Græcis dici, & vitam, & quæcunque sunt ad vitam necessaria. Ista qui nobis denegant, simul quantum quidem in ipsis est, vitam nobis auferunt. Hæc maluissem coram: necdum omnis mihi spes isthuc veniendi periit. Intereà volui istud nescius ne esses. Simul te obtestor per nostram amicitiam, inquiras ubi lateant libri Alberii, & an aliquo pretio emi quicquam ex ejus bibliotheca possit. Scies facile à vidua Bouvs. Iterum à te obnixè contendo, curæ habeas hanc curam, & me facias quàm primùm certiorem: sum enim totus in libris undique emendis. Vale, oculissime αὐτάδελφε. Viris clarissimis collegis tuis plurimam à me, si grave non est, salutem. Raptim. *Genevæ, a. d.* XIV. *Kalend. Decemb.* CIƆ IƆ XCVI.

EPISTOLA CX.

JACOBO GILLOTTO.

BInas omnino literas à te, Vir clarissime, accepi: ipse ad te pro eo ac debui, non semel aut iterum, sed sæpius scripsi. Testes mihi diligentiæ meæ, præter D. Bullionem, etiam alii idonei & locupletes viri, quorum fidei meas commisi. Qui enim te pridem colebam, & ad tuam amicitiam iter adfectarem, si tam amanter & benevolè à te provocatus, officio defuissem meo, quin omnium bonorum amicitiâ, non solùm tuâ indignus meritò haberer, causam non dixerim. Me verò non sinat Deus ita officii esse incuriosum & negligentem, ut vægrandi adeò culpæ unquam sim futurus affinis. Scripsi igitur ad te, Gillotte præstantissime, & scripsi ter quater. Tu, quòd nullas dum à me acceperis, sic enim intelligo, aliorum id perfidiâ, qui mihi & aliis amicis imposuere, factum, non negligentiâ. Verùm hic mea præcipua fuit infelicitas, per quam factum, ut mihi meæ diligentiæ fructus periret: quanquam fallor; neque is mihi periit, aut peribit. Jubet me hoc sperare suavissima & elegantissima epistola, quam mihi à te reddidit suavissimus Bullio, cui quòd serò adeò & raptim respondeo, 1596.

1596. deo, causam ex eodem Bullione disces, & hanc tumultuariam scriptionem pro legitima responsione tantisper, obsecro, feres, dum otii plusculum nactus de nostris studiis [quando te hæc quoque cura tangit] pluribus tecum agam. Vale, Vir plurimùm observande: & si quid posthàc literarum ad me daturus es, Monspelium eas scito mittendas. Lugduni enim ista scribebamus, illuc cum familia migraturi, & studia vestrarum literarum ibi excitaturi. Deus Opt. Max. consilium fortunet, idemque te nobis quàm diutissimè salvum servet atque incolumem. Iterum vale. Scripsi raptim. *Lugduni, a. d.* XIV. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA CXI.

JANO GUILIELMO STUCKIO.

1596. SErius, fateor, quàm par erat tuis respondeo, Vir charissime. Sed lentitudinis hujus justas caussas habere me, velim mihi accredas. Unicam non proferam, ne & tibi & mihi otium pereat. Volui enim hisce literis significare tibi, quem tandem exitum Monspeliense negotium (de quo pridem ad te scribere memini) esset habiturum. Id verò nunc demum queo. Tertius enim dies est, cùm amplissimus Senatus noster ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ missionem concessit. Deus Opt. Max. cœptum fortunet, atque ad gloriam suam nostros deinceps labores non esse inutiles velit. Hic mihi est votorum omnium meorum ὅρος καὶ σκοπός, nisi quod & meorum curam habere, & φυσικὴ στοργὴ, & pietas me jubet. Quid quantumque malorum exanclarim, ut hîc ἐγγηράσκειν possem, & nôrunt familiares mei, & mihi apud Deum conscientia mea testis est. Senatus quàm tenuiter & jejunè mea studia foverit, nolo dicere, ne charissimæ patriæ & longè suavissimæ succensere videar. Ego verò Genevensis animo magis quàm nativitate sum, semperque ero dum spiritus hos reget artus. Sed cur Deum vocantem non sequerer, rebus meis eo me compellentibus atque adeò trudentibus? Nihil hîc properè, nihil cupidè à nobis factum: biennium integrum est tractum istud negotium: toties ad me scripserunt Consules Monspelienses; toties Legatos suos partim ad me privatim, partim ad Senatum & Ministros miserunt: cur intereà mihi non est consultum? Hæc eò pluribus ad te, etsi raptim, Vir amicissime, scribo, quia non omnium æqua judicia nunc experior. Quod sanè me malè habet: sed ut dixi, Θεὸς 1596. τ' ἐπιμάρτυρος ἔστω. Athenæus ad umbilicum vergit: fratri Paulo Stephano ea res curæ: tamen propter indices multiplices & Animadversiones meas vix est, ut ante nundinas autumnales opus detexatur. Convivales tuos sermones, opus doctum, Deus bone! & laboriosum, recudi gaudeo. Vellem posse fieri, ut occasionem tibi præberem inferendi nominis nostri tuis scriptis: amo enim te, & amari me à te, ut omnes sciant percupio. Sed otium omnino deest. Vale igitur, Vir magne, & propter longius paulò intervallum noli in scribendo ad me esse omissior. Literas curabunt amici hîc nostri, vel viâ Lugdunensi Antonius de Harsi, librarius Lugdunensis, & ibi habitans. Vale, vale, ô dilectum mihi caput: plurimam verò à me clarissimo Wolfio salutem. *Genevæ, a. d.* X. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA CXII.

JACOBO LECTIO.

MOnspelium tandem, Lecti sapien- 1596. tissime, pervenimus: ubi quàm amanter, quàm honorificè fuerimus accepti, propterea narrare supersedeo, quia vereor ne si omnia sigillatim tibi recensere instituam, tu me putes isto nimis honore gaudere, quo me planè indignum & agnosco & fateor. Nihil enim prætermissum est ad ingentis cujusdam publicæ lætitiæ significationem. Breviter, omnibus modis superatæ sunt hactenus spes nostræ: ac nisi vis major obstiterit, nullus dubito, facturos Monspelienses omnia, quo me consilii pœnitere nunquam possit. Id verò in Dei unius ter Optimi, ter Maximi voluntate & manu situm. Illum veneror supplex, fingat me eorum studiis utilem, qui tanta cum cupiditate meam expetierunt operam. Nos quidem publicè de superiore loco vocem nullam adhuc misimus. Sed me omnes amici de successu professionis nostræ jubent sperare quàm optimè. Esse enim in hac urbe & studiosæ juventutis non exiguum numerum; & virorum etiam, qui publicis muneribus fungantur, aut qui reis patrocinium suum accommodent, nostrarum literarum percupidorum. Hi sunt, mi Lecti, quos tui nominis fama impulit, ut de te huc vocando pridem cogitarent, quod tamen initio, cùm exitum id consilium habere posse non putarent, ab hominibus tui studiosissimis spretum neglectumque est. At ubi mox ad juniorem Sarracenum, qui hîc

1596. agit, scriptum intellexerunt te istic non docere, erecti omnium animi sunt. Itaque inter salutationis prima verba & ab amplissimis Consulibus, & ab omni laude majore G. Ranchino, de Lectio me scito interrogatum. Respondi, non putare me, ita unquam futuram iis mentem lævam, in quorum potestate es, ut deserendæ stationis tuæ aut causam ullam tibi præbeant, aut facultatem concedant. Sin aliquid hujus eveniat, [quia ἐν ἀνθρώποις οὐδὲν ἀπώμοτον] ipsorum fore tum partes, occasione uti. At hoc Deus ne sirit, ut Genevam Lectius relinquat: quin hoc potius toto pectore & opto & voveo, in florente tua meaque patria vigeas floreasque εἰς πολλῶν ἐτῶν δεκάδας. Verùm hac de re, ubi D. à Fraxinis videro, scribam ad te pluribus & accuratius. Video enim non antè Monspelienses desituros ab hoc incepto, quàm re, si modò possit, confectâ. Atque utinam, mi Lecti, iterum utinam, (quod sine fraude dulcissimæ patriæ meæ fiat,) vel tu hìc mecum, vel ego isthic tecum vitæ quod superest degere, unàque soles, ut eramus soliti, condere aliquando possimus. Mihi quidem sine te, meus amor, ut animæ sine corpore, vita nulla aut est, aut erit unquam vitalis. Joberti F. Consiliarium in Curia nescio qua [sunt enim hìc plures] eximium, tuis verbis salutavi: isque te vicissim peramanter ἀντασπάζεται. Scias literarum esse illum amantem nostrarum, qui ad milliare ferè integrum cum cæteris ejusdem ordinis viris, & secundi loci Consulibus, obviam nobis procedere non sit veritus. Vale, oculissime Lecti, & me ama qui te pereo. Scripsi raptim. *Monspelii, a. d. prid. Kalend. Januar.* CIϽ IϽ XCVII. ut hic tempora putantur.

Epistola CXIII.

RICHARDO THOMSONI.

1597. QUas Lugduno ad te dedi, fuisse tibi redditas, ὦ αὐτάδελφον ἐμοὶ κάρα, confido: eò nunc ero brevior; nam & valetudo brevitatis me admonebat, & argumentum scribendi ad te nullum admodum suppeditabat: quod enim suppetebat solùm de adventu meo in hanc urbem, id omne jam exhaustum est literis ad fratrem & sororem: quas tibi quoque ostensum iri nullus dubito. Omnino spem atque exspectationem nostram hactenus Senatus populusque Monspeliensis superarunt: τὸ μέλλον Θεὸς οἶδε· ᾧ δὴ οὐ μόνον τὰ ὑπὲρ ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ τὰ περὶ ἡμῶν μέλλετι καὶ μέλλει. Quæ mihi discedenti sunt à te promissa, eorum ut me esse futurumque memorem ipse memineris, oro te quæsoque. 1597. Ipse vicissim, quicquid tuâ caussâ potero, faciam memorem agnoscas & amicitiæ & acceptorum beneficiorum. Æschyleas schedas nostras curæ tibi esse cupio: cùm fueris usus, Sarraceno trades, aut Paulo * fratri, ut ad me tutò curentur. Simul exspecto illa Servii τοῦ τριποθήτου excerpta; & si quid in eo genere habes quod usui mihi esse possit. Ego hìc meorum librorum exspectatione crucior μανικὸν ὅσον. Octavus hic dies est cùm appulimus ad portum, & adhuc (proh dolor!) quid sit illis factum nescimus. Atqui mecum advexi librorum scriptorum meorum ne γρῦ quidem. Ita omnes meas fortunas una habet navis: quam Deus ter Opt. Max. servet, regat, sistatque huc quàm primùm. Nam si quid illis factum fuerit... sed malè ominari nolo. Scripsisse te ad Scaligerum meam vicem persuasus sum. Mihi adhuc inter salutantium officia nihil otii fuit: scribam tamen hodie, spero, vel cras. Nobilem tuum, verè nobilem Robertum, ego, uxor, liberi tecum amantissimè salutamus. Sororem meam bis viduam cupio tibi esse, dum isthic eris, commendatam. Vale, Vir mihi ex animi sententia dilecte & probate. Ὁ Θεὸς σοὶ ἀγαθῶν ἀγαθίδας καὶ πᾶσαν εὐτυχίαν εὐχῆς πέρα. Scripsi raptim. *Ipsis anni novi Kalendis*, quem tibi, imò vobis omnibus, cupio cum aliis quamplurimis annis illucescere quàm faustissimum, *Monspelii*, CIϽ IϽ XCVII.

* Stephano.

Epistola CXIV.

THEODORO BEZÆ.

MOnspelium tandem salvi & incolumes, Beza σεβασμιώτατε, ego, uxor, liberi pervenimus. 1597. Itineris difficultates propter anni tempus non mediocreis, nec minora pericula, singulari Dei benignitate ita superavimus, ut vix senserimus. Libri adhuc in exspectatione sunt: quæ me cura sic angit, ut verbis exprimere non queam. Mihi enim sine illis πᾶς ἀβίωτος βίος. Sed venient spero brevi, & quæ nos rexit perduxitque Dei manus, candem illos quoque servaturam confido. Absque eo sit, omnia adhuc nobis læta & spei plena. Omnes hìc bonarum artium & literarum cupiditate flagrant. Omnes imminentem barbariem detestantur, atque abominantur. Ea Procerum voluntas, ea Senatûs, ea populi universi. Non desunt tamen quæ habeant

1597. beant sollicitum, & huic incepto metuere cogant. Percellit enim animum meum religionis diversitas non mediocriter. Communi siquidem utriusque partes consilio regi cuncta atque admistrari necesse est. Quod quàm sit difficile & periculosæ plenum aleæ, pro tua singulari prudentia non ignoras. Accendit ea res in meo uxorisque animo desiderium, quòd Genevâ attulimus, redeundi isthuc olim, si ita Deo Opt. Max. visum, & res nostras paullò meliore loco collocaverimus. Quod utinam à latere tuo, Pater venerande, discedere vis major non me coëgisset! sed enim, ducunt volentem fata, nolentem trahunt. Testor immortalem Deum, licet mihi adhuc omnia hìc ultra spem grata, tamen quod τῆς σῆς ὁμιλίας fructu careo, quod te non intueor, quod canos tuos præsens venerari non possum, vivendi prope omnes causas mihi periisse puto. Idem uxoris sensus: quam confirmo tibi sic in his locis vitam instituere, sic semper σὺν Θεῷ victuram, ut facile omnes Genevæ natam, & in Ecclesia Genevensi educatam agnoscant: nam hic quidem aliter vivitur. Sed de his aliàs. Deum supplex veneror, Vir maxime, servet te non tuis magis, quàm universæ Christi Ecclesiæ. Vale, & me ama. Uxor & te & conjugem tuam quàm officiosissimè salutat. *Monspelii, a. d.* IV. *Non. Januar.* CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXV.

DIONYSIO GOTHOFREDO.

1597. QUod diu multumque sunt moliti amici hìc mei, atque adeò Senatus populusque Monspeliensis, ut me huc pertraherent, id tandem, Vir charissime, esse perfectum, jam, opinor, nosti. Quod per alios potius quàm per meipsum factus sis eo de consilio certior, condona, obsecro te, occupationibus maximis & plurimis molestissimisque, quibus sub profectionem meam ab urbe sum paulò minus obrutus. Ita quod præstare ipse non poteram, id ut meam vicem exequeretur frater, rogatus à me vehementer atque obnixè est: ejusdem fidei & Juvenales tuos tres MS. commisi, ut eos tibi quando jusseris, perferendos curet. Magnæ verò gratiæ, quòd illis me tamdiu uti volueris siverisque: etsi factum negligentiâ meâ, ut illis nondum sic essem ut decreveram usus: dum enim diem de die duco, & alterum cras semper exspecto, expertus sum tandem quod ille ait, Αἰεὶ δ' ἀμβολιεργὸς ἀνὴρ 1597.
ἄταισι παλαίει. Omnino si quantum in me harum rerum studium est, tantum ingenui pudoris non fuisset, excusare apud te factum meum, postquam illos huc attulissem, quàm illis carere maluissem: valde mihi enim unum saltem utile illorum erat futurum ad multa, quæ paro. Sed Deus ne sirit, ut dici unquam studiorum curiosus, officii incuriosus jure queam. Redeo ad profectionem in hæc loca meam, quam ego non dubito miram tibi visum iri. Atqui hoc, Vir amicissime, scito, itaque persuasum habeto, nihil hic à me factum temerè, nihil properè, nihil inconsultè: biennium integrum tractum hoc negotium est. Testis mihi Dominus, toto illo tempore aliud nihil optasse quæsisseque me, nisi ut liberalius paullò stipendium nactus curis rei familiaris liberarer, studiisque literarum me dederem ὅλον καὶ πάντα. Hoc in cœtu nostro, hoc apud Senatum, hoc ubique sum semper professus. Sperabam fore aliquando ut nostri aliqua haberetur ratio. Cùm omnis tandem præcisa spes videretur, cùm me privatim multa urgerent, cùm instarent quotidie Monspelienses, nostri obsurdescerent, dedi manus, meamque operam iis addixi, qui illam tanto desiderarent opere. Accedebat eo respectus quoque matris, cujus negotia meam præsentiam expetebant: ea verò non longè hinc abest. Erant & alia nonnulla momenti quàm maximi, quæ mihi nunc ἄστομα κείσθω. Habes caussas consilii hujus mei, cujus ne me pœnitere unquam possit, facturos omnia spero, qui me huc vocarunt. Hactenus quidem certè omnia læta, omnia spei plena, etiam ultra spem. Mirus enim omnium ardor in literas, nec minor cunctorum in nos amor: τὸ δὲ μέλλον Θεὸς οἶδε· cui ego soli me, meos meaque omnia committo ac permitto. Hic te quoque, charissime Gothofrede, ac tuam & tuos servet, regat, fortunet. Vale, Scripsi raptim. *Monspelii, a. d. Non. Januar.* CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXVI.

JACOBO BONGARSIO.

SImul in hæc loca veni, Bongarsi, 1597.
meus amor, habui antiquius nihil, quàm ut amicos, à quibus partim discesseram, partim longius recesseram, de felici itinere adventuque nostro facerem certiores. Scripsi igitur ad plerosque meorum Genevensium, tertius hic, opinor, jam dies est, aut quar-

1597. tus. Ad te ne eadem scriberem, eò factum, quòd Præsidem amplissimum, à Fraxinis, mox me credebam posse invisere: quod quia hactenus facere non quitus sum, cursim hæc intereà tibi exaravi, ut & felicitatem mihi hujus itineris gratulareris, & certò scires, quò longiore nunc disjungimur intervallo, eo impatientius amari te à nobis. Enimverò, *Antè leves pascentur in æthere cervi*, quàm noster hic amor aut mutet, aut nutet, nedum minuat. Sola est quæ sanctissimæ amicitiæ, pridem inter nos coalitæ, vincula sit resolutura mors. Mors sæva, crudelis, & (absit verbo impietas) ἄκαιρος, quæ nuper maximum virum Petrum Pithœum nimis, ah nimis citò nobis eripuit. O tristem & lugubrem casum! qui solus propemodum literarum dignitatem hodie sustinebat in Galliis, eripitur is nobis! Lugduni cùm essem, literas super ea re lacrimarum plenas à Præside amplissimo, D. Thuano, & clarissimo Gillotto accepi, quæ me ὀλίγου δεῖν ἀϊδῆ πεποιήκασι. Accepi simul & à fratre Francisco Pithœo, quibus mihi suum offert Polybium: rescripsi in ipsa navi, facturum rem gratissimam, & reipublicæ, nisi animi fallor, haud inutilem. Si quid ad illum literarum dederis, animos addas velim, & ut omnes moras tollat horteris. Vale, Bongarsi nobilissime. *Monspelii*, *a. d. Non. Januar.* CIↃ IↃ XCVII.

Quas discedens Genevæ ad te scripsi, puto fuisse tibi redditas. Tuas ad Præsidem à Fraxinis heri traditas à me scito familiari ipsius atque intimo.

Epistola CXVII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1597. QUod mihi meisque, & civitati huic felix faustumque Deus Opt. Max. esse velit, tuo, Scaliger, Musarum decus, consilio usus sum. Paucis enim diebus postquam tuas accepi literas, quibus de conditione Monspeliensi quid sentires, amicè significabas, lares meos in eam urbem transtuli, eamque sedem studiorum meorum elegi. Imò illi me potius elegerunt, honestissimisque conditionibus ad linguarum & humaniorum literarum professionem ad se vocarunt. Spero equidem cum volente propitioque Deo institutam hanc à nobis migrationem, foreque nunquam ut me consilii pœniteat. Quia tamen ἀνθρώπῳ φύντι οὐδὲν ἀπώμοτον, quicunque nos deinceps manet status, solatio certè illud semper futurum, quod in hoc tanti momenti negotio temerè, aut properè, aut inconsultè nihil à nobis 1597. factum. Etsi scio non planè mecum sentire amicos, & familiares meos, qui me inviti invitum à se dimiserunt. Sed cùm annos ipsos quatuordecim steriles ibi Camœnas coluissem, essetque omnis in posterum spes meliorum amissa, si meis meorumque commodis statui tandem consulere, ecquæ, obsecro te, Vir æquissime, invidia est? aut quid hìc à me peccatum? At illos, de quibus me loqui nosti, viros sanè optimos, & mei amantissimos, amoris ergo me vehementia iniquiores mihi reddidit. Cæterùm animi mei candorem, & ingens erga illam civitatem * studium novit is, qui omnia. Mihi crede, Vir maxime, cùm ob alias caussas molestissimus fuit nobis ab illis locis discessus, tùm quòd longius à te eram afuturus. Nam si auspiciis meis vitam possim instituere, nullus mihi gratior, imò nullus æquè gratus esse queat locus, ut ille esset, qui te, & omnes unà tecum Musas haberet. Id quia eventurum nobis unquam planè desperamus, dolorem quem ex ea re capimus, hâc maximè cogitatione levare solemus, quod olim certè ἐν τῷ μακάρων χώρῳ καὶ χορῷ unà sumus futuri. Me quidem ejus optatæ mansionis corpusculum hoc subinde admonet: effœtum prope jam, semperque languidum, & superiore anno gravissimos ac ferè continuos morbos expertum. Novus hic annus: quæ secum fata vehat, Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Principium quidem non nimis lætum ob distillationem εἰς τραχεῖαν ἀρτηρίαν, atque interiora veterem & oppidò contumacem. Vexavit me is morbus per hos dies vehementissimè: nunc Dei beneficio habebam meliusculè, & iter ad sanitatem videmur ingressi. Itaque licet semiægri, audemus Casseronem ad amplissimum Præsidem à Fraxinis, mediâ anni hyeme, perque obscœnissimas tempestates profectionem suscipere. Indè simul reversi cum Deo fuerimus, conabimur cum Musis, quas pridem ne salutavimus quidem, in gratiam redire. Vale, & me, Scaliger illustrissime, amare perge, qui te unicè veneror. *Monspelii*, *a. d.* XIV. *Kalend. Februar.* CIↃ IↃ XCVII.

* Genevam.

Lugduno discedenti nuper redditæ mihi sunt ab amplissimo viro Emerico Thuano, quibus de Petri Pithœi & Florentis Christiani obitu faciebat me certiorem, qui nuntius tantum mœroris nobis attulit, ut ne nunc quidem siccis oculis ejus meminisse possimus: dubitandum non videtur quidem de omni eruditione actum esse in Galliis.

Episto-

EPISTOLA CXIII.
LEONI AB AITSEMA.

7. DIligebam te, Vir eruditiſſime, ex eo tempore quo mihi primùm innotuiſti. Mirificè enim conciliarunt me tibi ſingularis probitas, quæ in vultu elucebat; & eruditio, quæ in ſermonibus. Non autem te fugit, naturâ ſuâ bonos bonis eſſe conciliatos: utique ſi ad pietatis & virtutis ſtudia accedat hoc literarum vinculum, quod vel ſolum poterat me tibi adjungere. Diligebam igitur te anteà: nunc etiam amo. Nam poſtquam hujus urbis juventus fidei noſtræ eſt commiſſa, impoſitumque nobis hoc moleſtiſſimum Rectoris nomen, unum hoc vehementiſſimè optamus, Præceptores illi reperire fideles, & qui præclari ejus nominis menſuram impleant, ut ille ait. Multum igitur te amavi, qui ita candidè & ingenuè offers te nobis. Veni verò ὡς τάχιστα, & tuum adventum mihi fore gratiſſimum confide. Omnino ſi quæ noſtra eſt in hoc negotio autoritas, locum tibi polliceor. Unum à te poſtulo, ne priùs quod molimur in vulgi aures veniat, quàm res erit confecta: quod fieri poſſe cis pauciſſimos dies, cùm veneris ex me cognoſces. Vale. *Monſpelii in Volcis Arecomicis, a. d. Kalend. Februar.* CIↃ IↃ XCVII.

Oſtendit mihi vir optimus, & tui amantiſſimus Bernardinus, quas ad ipſum dediſti. De Tirone quod monuiſti, factum bene; nam ego aliud conſtitueram: nunc voluntati tuæ morem geram.

EPISTOLA CXIV.
JACOBO BONGARSIO.

IN ſummis occupationibus meis ſcripſi hæc ad te raptim, Bongarſi, virorum optime: raptim, inquam, ſicut nihil unquam magis: ſed religio mihi fuit, occaſionem prætermittere mittendi ad te quas mihi nuper tradidit Caſſenone Præſes à Fraxinis. Hoc unum te nunc volui. De mea profectione & abitu Genevæ ſcripſi cùm diſcederem: de adventu etiam in hanc urbem ſcripſi nonnulla poſt. De Polybio & notis ad Biblia Græca ac Novum Teſtamentum aliàs σὺν Θεῷ pluribus. Vale, oculiſſime Bongarſi. *Monſpelii, a. d.* VI. *Id. Februar.* CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXV.
RICHARDO THOMSONI.

BInas jam à te accepi literas, chariſſime virorum: ipſe, opinor, à me non multò plures. Accepi & quas miſit Aubrius * Baſileâ. Gratum feciſti quòd illi reſponderis vicem meam: ſed illud moleſtum, quòd, in quam ſententiam reſponſum illi dederis, non ſignificaſti: urget enim, uti video. Notulas neſcio quas in Novum Teſtamentum non poſtulat, ſed flagitat: quarum ſi facta ei eſt aliqua per te ſpes, non puto liberum eſſe jam mihi pedem referre. Ad Scaligerum quod ſcripſiſti, id verò mihi longè gratiſſimum. Deus nobis illum ſemonem quàm diutiſſimè præſtet incolumem. Non facile credas, mi Thomſon, quàm malè me habeat quod longè adeo à te, ab illo, à cæteris doctis amicis meis ſim ſemotus. Sed hæc eſt conditio rerum humanarum: ubi uber, ibi tuber. Πουλύποδος κεφαλῇ ἔνι ἐν κακὸν ἐν δὲ καὶ ἐσθλόν. Profeſſionis noſtræ per hos dies τὰ ἐγκαίνια celebravimus. Quid multa? multorum opinio eſt, illatas in hanc provinciam Muſas adventu noſtro. Ego me pede meo metiri & olim didici, & nunquam obliviſcar ſanus. Soror † de tuis erga ſe officiis pluribus ad me ſcripſit. Duit tibi ὁ μέγας ἐν οὐρανῷ Θεὸς pro cumulo veterum tuorum erga me beneficiorum, quicquid φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς. Gratius quidem certè facere nihil mihi potuiſti, aut unquam poteris. Uxor & liberi te, & Robertum nobilem tuum quàm officioſiſſimè & peramanter ſalutant. Hoſpiti tuo, viro hiſce oculis mihi chariori, & ejus uxori graviter ob ſilentium iſtud pertinax ſuccenſemus ambo, qui ſcripſimus ambo ad ambos. Vale, meum delicium, meus amor. *Monſpelii, a. d.* XIII. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ XCVII. 1597.

* *Wechelianus.*

† *Scilicet, Caſaubonus.*

Scripſi nuper ad Scaligerum, & per occaſionem literas ad Goulartium miſi.

EPISTOLA CXVI.
THEODORO BEZÆ.

LIteras tuas, Beza σεβασμιώτατε, à Deodati allatas, amoris erga me tui plenas accepi, nec ſine ſuſpiritibus legi. Revocarunt illæ mihi in mentem prioris felicitatis meæ tempora, cùm licebat nobis ſuaviſſimâ atque exoptatiſſimâ conſuetudine tuâ adfatim frui: licebat quotidie ex tuis ſermonibus aliquid, imò multa potius addiſcere, quibus 1597.

1597. bus & melior fierem & doctior. Sed hæc prius fuere: nunc omnis ejus rei adempta mihi facultas est. Quæ cogitatio ita mihi molesta esse solet, ut liceet in frequentissima & mei studiosissima urbe degam, in solis tamen locis mihi versari ipse videar. Sed quid ego dolore meo narrando te ad dolendum meam vicem impello? quin potius τῇ προνοίᾳ τὰ πάντα διάπτων mœrori meo modum faciam, &, quod unum superest, Deum Optimum Maximum supplici prece venerabor, ut te nobis, venerande Senex, atque universæ Ecclesiæ suæ quàm diutissimè salvum atque incolumem præstet. Gratum mihi quod ex tuis aliorumque literis intellexi, florere Scholam nostram recens auctam trium doctissimorum virorum accessione: Lignaridi, Laurentii, & Deodati: det illis ingeniorum Pater, ut ἥν περ ἔλαχον Σπάρταν hanc ornent. Laurentium certè Gasparum facile spero effecturum, ut diligentiâ suâ nostram obliteret ex animis vestris negligentiam. Mihi verò ita divina benedictio contingat, ut ex animi sententia id opto & a Deo precor. Nos hic professionem nostram hac ipsâ hebdomade auspicati sumus. Si cætera respondeant, est cur speremus non fore in his locis inutilem operam nostram. Suscepimus tractandum antiquitatis Romanæ locum, de Magistratibus ejus reipublicæ: opus profectò arduum, & virium prorsus non istarum. Sed erat parendum Pindarico præcepto, quod jubet πρόθυρον θέμεν τηλαυγές· tantum ut valetudo nostra labores consuetos ferat: nam continua & contumax defluxio nescio quid minitatur. Verùm hoc atque omnino πάντα τὰ μέλλοντα Θεῷ μελήσει. Non excidêre mihi sermones, quos unà habuimus, de pellenda scholis obscœnitate: habendæ ejus argumenti orationi tempus erit, cùm dedicanda fuerit ea, quæ nunc instituitur schola. Valere omnes patres & fratres cœtûs vestri semper mihi observandi, ex tuis magno cum gaudio intellexi: jucundum etiam cum primis, servare omnes nostri memoriam, & nobis bene precari. Nos vicissim, ego, inquam, & uxor mea, pro vestra omnium salute vota facimus ἐκτενεῖς καὶ ἀδιαλείπτως. Exaudiet nos, spero, Deus: qui si nostrorum votorum reos aliquando nos faciet, erit olim cùm minus dolebimus. Vale, & vive diu felix, Pater venerande. Uxor & te, & conjugem tuam quàm officiosissimè & amantissimè salutat. *Monspelii, a. d.* XIII. *Kalend. Martias*, CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXVII.

PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS.

PHilologia nostra Dei beneficio ex- 1597.
cepta blandè & benignè ab omnibus, doctissimi cujusque & æquissimi judicio stat, & spero stabit. Nihil dabo auribus tuis, qui mea curas tanto opere, neque mihi ipse porro Suffenus ero: sed ita profectò est, ut quisque in hac civitate eruditissimus, ita nostras quoque nugas aliquid esse, & sentit & profitetur. Possem referre duorum summorum virorum elogia, Præsidis Philippi, illius optimi & doctissimi senis, & D. de Massilan, verè eruditi, & nostras literas callentis: possem chori totius musici, cujus longè princeps * Ranchinus noster, consensum & ἐπισημασίας commemorare: sed me ista nihil afficiunt, nisi ut tanto ἐκτενέστερον Deum supplex orem, ne meâ indiligentiâ aut culpâ committam, ut tuæ de nostris studiis pollicitationes & νεανικαὶ ἐπαγγελίαι probro tibi vertant. Hic mihi ad connitendum aculeus, hoc incentivum, hæc fax esse solet. Omnino enim eo ventum, ut sine existimationis tuæ imminutione frigere nostra studia non possint. Parum abest quin de te conquerar: adeo duram provinciam humeris nostris imposuisti. Nam equidem ad docendum nunquam accedo, quin ob oculos mihi obverseris, ut si possim, tuâ quoque approbatione digna promam: eò quidem magis, quod Zoilum mihi non deesse terræ filium nescio quem, Philosophi nomen ementientem, per hosce dies compertum καὶ πάντα μὲν ταύτῃ. De schedis sic habe. Concio, quam primam habuimus, ea nobis perscripta est, ut ferè est habita: quam die alterâ habuimus, de laudibus & necessitate Philologiæ, ea jacet in schedis, quæ ὕλην τοῦ πρώτου λόγου continent. Erat animus polire utrumque sermonem, &, si ita videretur tibi, in vulgus edere. Sed me multa adhuc quà terrent, quà impediunt. Terret exspectatio tua & aliorum, quæ summa est: impediunt quotidianæ ἀκροάσεις tantâ elaborandæ curâ, ut multis non Philologus, sed Consultus juris videar. Hoc postulat susceptum argumentum. Leges enim exponimus, quas Cicero Lib. III. de Legibus conscripsit. Exspectemus igitur, amabò, reditum tuum, aut ista potius, si lubet, omittamus: quanquam hoc scito, fore me in tua semper potestate. Libros fidei meæ commissos à Tornæsio habeo, invenique inter meos omnes.

* Guillelmus.

1597. nes. Iterum dico, Corpus Juris Accursianum illud est quinque aut sex voluminibus constans. Eo si tibi non opus, scribam ad T. * & cum ipso agam: cæteros mittam primâ occasione: etsi qui properum tuum discessum adeò futurum videam, Cujacio tuo fortasse ad aliquot dies utar, & adventûs tui tempus [quod sit utinam quàm brevissimum] exspectabo. Venio ad iter illud tuum, quod me quàm habeat sollicitum noli quærere. Si animum meum nosti, illud quoque nosti, tuis fatis mea quoque fata illigata esse. Noli igitur dubitare, pro celeri & fausto tuo reditu Dei Opt. Max. aures me esse fatigaturum. Duit ille tibi, ô meum decus unicum, & pervenire quò tendis feliciter, & perficere quæ φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς celeriter, & mox in uxoris amplexus redire quàm citissimè: ut rebus omnibus ex animi sententia ritè confectis, Reipublicæ commissa tibi gubernacula, quod hactenus fecisti, tractare & regere quàm felicissimè & diutissimè possis. Γένοιτο, γένοιτο. Vale, & cùm Lutetiam veneris, mei memor esto. Literas ad Præsides amplissimos Harlæum, & Thuanum, & ad Giliottum brevi mittam. Iterum vale, mea cura. *Monspelii, a. d.* VI. *Kalend. Martias*, CIↃ IↃ XCVII.

* Iornæ-us.

Locus è Psalmi μδ. epigraphe ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων, longam orationem desideraret, si quæ divinus ille Basilius philosophatus est super illis verbis, cùm in hac inscriptione, tùm ἐν τῷ ξ' νθ'. commemorare vellem; sed nimis certum, ex imperitia sermonis Hebraici illa fluxisse, ut & vulgatissimum illud ὡς τὸ πάλ@. Vox Hebraica organi nomen notat, quod ad lilii aliquam similitudinem erat effictum. De advocatis dies diffissus esto: meminero tamen post reditum tuum, quem celerrimum futurum & spero, & ut sit voveo. Exaudi, Deus Optime Maxime, & me hujus voti reum face.

EPISTOLA CXVIII.

EIDEM.

1597. QUo ordine meas literas acceperis, Vir maxime, quas post reditum ad te dedi, non scio: hoc scio, jam ter aut amplius factum, ut binas de eodem oleo & hora eadem exararem. Nescio enim quo casu factum, ut plures eodem temporis puncto literas meas à te expeterent. Quid facerem? negarem? sanè ita faciendum fuit, si apertas vellem suscipere cum multis inimicitias. Tu, qui hominum quotquot terram colunt εἰρηνικώτατος, esses mihi ejus consilii auctor? Non jam ignoras quid velim: ferendum nempe tibi æquo animo, Præses amplissime, si multos tibi quotidie commendem. Scio & profiteor nullum esse meum erga te meritum, cujus gratiâ jure meo uti possim videri, cùm tuam opem aliis imploro. Sed quia ita hominibus placet, ut ego frequentibus literis sim tibi molestus, sine me hanc servitutem honestam servire: ipse tuo jure utere, uti libuerit. Ne multa, qui has tibi tradet, commendatus mihi à Bernardino, cujus quotidiana exstant in me officia, tibi porro à me voluit commendari. Si quid precibus meis moveris, peto à te ut vel vultu paullo familiariore amorem erga me tuum illi testificeris, & caussam ejus ᾗ θέμις ἐστὶν adjuves. Vale. Deus Opt. Max. te, & fœminarum decus, conjugem tuam, tuosque omnes servet atque fortunet. Ad amicos magnos Parisienses cras, si Deus dabit, aut perendie scribam. Totum me sibi nostræ ἀκροάσεις nunc vindicant: & quod inter nos liceat, in dies excitat auditor studium. τῷ Θεῷ τῷ παντελείῳ ἀγαθῷ δόξα καὶ χάρις. *Monspelii, a. d.* VI. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ XCVII. 1597.

EPISTOLA CXIX.

JACOBO BONGARSIO.

UNas omnino, postquam huc veni, literas à te accepi, Bongarsi, meus amor: ego plures ad te scripsi. Vix enim ulla mihi prætermissa occasio est, quam non arripuerim, ut de meis hic rebus facerem te certiorem. Misi eadem & fasciculos aliquot Præsidis à Fraxinis: qui si naufragium fecerunt, non ipsius, non item meâ, sed tabellariorum culpâ & perfidiâ factum. Scripsisse illum sæpius, & ejus literas misisse me ad te, jurato velim accredas. Crede, inquam, mi Bongarsi, ita rem habere. Θεὸς δ' ἐπιμάρτυρος ἔστω. Scio hac de re & te esse sollicitum, & ipsum: at tu hoc amplius scito & tibi persuade, non ipsius negligentiâ factum, quod tam diu nullas ab ipso acceperis. Accepi nuper ab Aubrio Wecheliano literas, quibus significabat mihi de aliquot Polybiis, quos se tradidisse nescio cui scribebat, qui eos ad me esset curaturus. Velim sanè perveniant in meas manus. Nam si vitam & otium, quod spero, Deus dederit, ne ipsum pœniteat faxo. Nunc in ἀκροάσεσι nostris toti sumus. Tractamus enim publicè, in eruditissimorum hominum & maximæ dignitatis cœtu, Leges à Cicerone 1597.

1597. rone scriptas Lib. III. de Legibus, quibus descriptio continetur omnium Populi Romani Magistratuum: tractamus autem sic, ut quod in nobis sit, nihil ad ornandam Spartam nostram omittamus. *a. d. Kalendis Martii*, CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXX.

EIDEM.

1597. ACcepi nunc ipsum, Bongarsi, meus amor, fasciculum Polybiorum, quem misistis tu & Wechelius. Quid eo contineatur, vixdum scio; statim enim fuere hæc exaranda, atque ei tabellario tradenda. Sed videro σὺν Θεῷ; & quid sperare à me debeatis, brevi faciam vos certiores. Equidem totus feror impetu magno ad libri ejus editionem. Cæterùm exitus rerum Θεῶ ἐν γούνασι κεῖται. Sed hæc pluribus, ut spero, brevi. Nunc te illud oro; significes mihi, si grave non est, acceperis necne duos literarum fasciculos, quos misi ad te post reditum Cassenone meum. Utroque continebantur literæ Præsidis de Fresnes ad te & alios in Germania. Video sollicitum esse illum de istis negotiis: &, ni fallor, eâ fine iter brevi Lutetiam cogitat: imò consilia omnia sua ipsius mihi aperuit: velle se vendere bonorum patriorum partem, ut ære isto se liberaret: quod ego affirmo tibi juratus certum & verum esse. Quare si illum, si nos amas, ipsius existimationem apud omnes strenuè tuearis oro te quæsoque. Vale, Bongarsi amicissime, probissime & doctissime. *Monspelii, a. d.* XIV. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCVII. raptim.

EPISTOLA CXXI.

CAROLO PERROTTO.

1597. QUod me officio scribendi antevertis, Perrotte θεοφιλέστατε, genas suffunderer, ni esset in promptu excusatio. Nam qui literarum argumentum nullum haberem, & possem per filium tuum te, quoties illuc literas daret, salutare, omissior fuisse hac in parte & fateor; & culpam, si culpa est, serio deprecor. Amare quidem certè & colere te nunquam desistam, ὄφρα ζώοισι μετείω. Testis mihi uxorique meæ erit olim, cùm ad vos redierit, Dionysius tuus, aut potius noster, quàm feramus uterque impatienter tui & cæterorum istic amicorum desiderium. Omnia hic etiam ultra spem, Dei beneficio, hactenus contigere læta & prospera. Unum est quod nos urit, priorum ami- 1597.
corum memoria, quæ in animis viget, &, dum erimus, semper recens vigebit. Studia filii tui curæ tibi esse, qui te nôrim, & sciam quid sit φυσικὴ στοργὴ εἰς τὰ τέκνα, non miror. Sed tu illius nosti ingenium, quod non tam calcaribus quam freno videtur egere. Vidi quas ad ipsum dedisti, ac legi: nec diffitebor tibi, qui tuus sensus est, eundem & meum semper fuisse. Itaque hortari illum non cesso, ut studia medicinæ feliciter adeo inchoata olim capessat denuo, & fortiter id spatium decurrat, quando semel est ingressus: sed dissimulare non possum, ipsum paulò mox, cùm huc venit, repentè immutatum, & ab eo consilio penitus aversum: quod etsi non damno, factum tamen auctore me non est, nec suasore. Atque hoc volui nescius ne esses. Vale, Vir venerande, & patrum ac fratrum cœtum, summâ observantiâ colendum, etiam atque etiam meis verbis, si grave non est, saluta. *Monspelii, a. d.* XIV. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXXII.

RICHARDO THOMSONI.

ERgo tu delicias facies? nam quid 1597.
aliud dicam nescio. Accepi enim ἀθρόως ab omnibus ferè amicis, qui isthic sunt, literas, te uno excepto. Putabam nescisse te de occasione literas ad nos mittendi tam bona quicquam, & jam pro excusato te habebam: sed postquam optimi hospitis tui literas legi, non amplius persuaderi id mihi sum quitus. Itaque quid causæ sit, cur nullas ad me dederis, quæro adhuc, nec invenio. Tu me facies ut sciam, si putas esse tanti. Equidem cùm semisomnis isthuc literas scriberem, & multis curis animum ἔνθεν καὶ ἔνθεν districtum haberem, quin tamen has ad te raptim exararem, facere non potui. Martialem exspectare me indies, imò in horas, αὔθι καὶ αὖτις: ea spes ne decollet in te situm. Vale, ex animo & penitus dilecte Thomson. Uxor te, & nobilem tuam salutat quàm officiosissimè. Iterum vale, τὸ ἐμὸν μέλημα. Scripsi raptim νυστάζων καὶ τῇ κεφαλῇ νεύων. *Monspelii, a. d.* XIV. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCVII.

Ad summum Scaligerum scripsi nuper, & misi per occasionem ad Goulartium literas.

EPISTO-

EPISTOLA CXXIII.
ISAIÆ COLLADONO.

1597. AMabo te, dic sodes, seriò an per jocum illa scripsisti, quæ in tuis literis questus de me es? visus enim de animo in te meo dubitare, & quæ jocatus sum de silentio tuo accepisse non bellè. Tu verò, Vir amicissime, dulcissime, suavissime, si adduci potuisti, ut de amore meo in te incertus dubitares, quid sit amare nescis. Nam quòd tuas vehementius desideravi; quòd earum longiorem exspectationem tuli impatientius, si ab alio fonte profectum putas quàm ab amoris vehementia; *ἀδικῆς ὦ τᾶν τὴν φιλίαν*, & ipsum *φιλίας προστάτην θεὸν τὸν φίλιον*. Disce igitur, si lubet, *τὰ ἐρωτικά*; & memento simul, amicitiam quò arctior est, eò esse magis querulam, ut rectè dictum Veteribus. Me quidem, & cordis mei intima, opinor, nosti. Sum enim, si quis alius, (esse quidem certè cupio) *ἁπλοῦς*, & minimè factus ad simulandum. Persuasus igitur esto, meum delicium, quæ fuit olim inter nos amicitia, duraturam in animis meo & uxoris *ἀμετακίνητον*, *ἀμεταπέπτωτον*, nec metuentem solvi, dum spiritus hos utriusque nostrum reget artus; *καὶ πάντα μὲν ταύτῃ*. Gratum nobis quòd & tu, & lectissima uxor, frater, cæterique communes amici valeatis. Deus Opt. Max. vobis omnibus duit *ἀγαθῶν ἀγαθίδας*, hoc est, benedictionem suam; in qua una *συλλήβδην* omnia bonorum genera continentur. Quæso, saluta meis uxorisque verbis Pinaldum, sanctissimâ amicitiâ nobis junctum, & omnem ejus domum, fratrem tuum cum lectissimis uxoribus vestris, sorore, affinibus & amicis. Si per otium liceret, quotidie literas ad vos omnes darem; adeò facio id libenter: sed omnem ejus rei facultatem adimunt mihi studia & professio quantò honestior, tantò onerosior: non enim cum pueris, ac nè cum adolescentibus quidem hìc nobis res est. Florere Scholam vestram, imò velitis nolitis nostram, quàm gratus sit mihi nuntius, scit Dominus *ὁ καρδιογνώστης*. Is faciet, spero, ut in dies incrementi potius aliquid accedat, quàm decedat aliquid pristini splendoris. Sic voveo, sic opto. Vale, charissime Collandon, & me ac meos, qui te ac tuos perimus, ama. *Monspelii, a. d.* XIV. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXXIV.
JACOBO AUGUSTO THUANO.

TErtius hic mensis est, cùm Lugduno transiens, dum hæc loca, in quibus nunc sum, peterem, & literas ipse ad te dedi, Præses amplissime, & tuas sub exitum ab urbe illa accepi. 1597. Quæ etsi eo nomine quòd à te erant, per mihi jucundæ, ut semper, fuerunt; ob argumenti tamen genus ingratæ atque invisæ statim lectæ evasere. Perculit enim me ac prope adflixit tristissimus ille de morte optimi, doctissimi, sapientissimi, & amicissimi Petri Pithœi nuncius. Inaudiveram quidem ea de re jam antè aliquid: narraverat enim eo ipso die Dominus Bullio, super illius obitu scriptum ad se nescio quid fuisse. Sed me tamen nonnihil adhuc vana illa & fallax dea, quam Sapientes *ἐγρηγορότων ἐνύπνιον* indigitant, Spes lactabat, & meliora ominari jubebat, donec in ipso portu oram solventi tuæ redditæ sunt, quibus lugubrem hunc casum amanter adeò & ubertim defles. Quod si nulla mihi cum optimo illo virorum amicitiæ jura fuissent; si me insignis hæc jactura, quam res publica literaria facit, nihil tangeret; si Scytha denique aliquis essem aut Barbarus, tamen illæ tuæ literæ in lacrymas me adducerent. Ea erant impressa ubique doloris tui *ἐνδιαθέτου*, & penè, sic enim ais, *ἀφέρτου καὶ ἀτλήτου* vestigia. Cùm tu igitur, hac gravitate Vir, hoc rerum usu; tu, inquam, ille veræ & sanctæ constantiæ Doctor tantus, ita animum dejicias, & ferendæ huic ægritudini imparem te fatearis; quid nos censes fecisse, quibus nec cornea fibra est, nec ad manum ea præsidia luctui imminuendo, quæ pridem tibi sunt parata. Adde quod major nobis & justior dolendi caussa quàm tibi. Scribis tu quidem, Vir clarissime, quò familiarius tantum virum nosses, eò nunc ereptum impatientius gemere. Sed mihi aliter longè usuvenit: nam quia videre illum, sic præsertim mei amantem, non contigit, accendit ea cogitatio mœrorem meum mirum quantum; eò quidem magis, quò propius, scis ipse, à spe fruendi tam optato voto abesse me rebar. Atque utinam, ô utinam res aliter cecidisset, neque ab instituto ad vos itinere desistere superiore anno essem coactus! Dolerem nunc levius, & imagine Semonis illius luctum meum solarer; quæ tamen nihilominus oculis meis dies noctesque ob-

1597. versatur, non ex oculorum quidem intuitu suscepta; sed lectione scriptorum ejus concepta pridem in animo meo, & altè adeo impressa, ut ἐξίτηλον ipsam nulla unquam dies sit redditura, nedum deletura. Rectè autem judicas, Præses amplissime, Pithœo extincto vix hodie superesse, qui literarum dignitatem satis tueantur: tanta hominis fuit in jure civili, in vera Theologia, & veteris Ecclesiæ historia, in artibus denique liberalibus & φιλολογίᾳ nostra præstantia. Sunt, fateor, etiamnum in vivis, & ut diu sint precor, quibus jure merito idem tribui elogium queat. Sed quos partim aliæ occasiones, partim curæ majores de literis assiduè sic mereri, ut merebatur quotidie ὁ μακαρίτης Pithœus, non sinant. Tu in his, Thuane doctissime, qui unus, si gravissima & ad summam Rempublicam pertinentia negotia permitterent, Cujacium & Pithœum potuisti exprimere, ac velut redivivos sistere, & damnum, quod morte eorum οἱ φιλομαθεῖς τῶν ἀνδρῶν fecerunt, sarcire. Itaque etsi conclamata jam omnis videtur Eruditio, & jam triumphare victrix Barbaries incipit, te salvo tamen nunquam deerit, scio, Musis nostris firmum præsidium. Erit qui illas amet, colat, æstimet: erit qui à vulgi contemptu & fastidio illas vindicet: erit unde omnes discant, solida & vera eruditio quantum à fucata & ἐπιπολαίῳ distet. Vive igitur, ô Musarum decus unicum, vive felix, ac vige & flore quàm diutissimè. Deum Opt. Max. supplici prece veneror, votis annuat, teque nobis εἰς ἐτῶν περιπλομένων ὡς πλείστας δεκάδας salvum esse velit atque incolumem. Literæ nostræ (quando & hæc ad tuam curam pertinent) propter nuperam in hanc urbem migrationem, cujus caussas aliâ epistolâ tibi exponere memini, nonnihil frigefactæ; θερμαίνεσθαι tandem paullatim incipiunt. Instituimus enim, in nova hac professione auspicanda illustrem antiquitatis locum de Magistratibus Populi Romani publicè interpretari: & jam mensis alter est quod incepimus: quo successu, non scio: curâ certè & diligentiâ non mediocri; ut spes aliqua sit nobis, si totum id argumentum persequi nos Deus sirit, posse nostras ἀκροάσεις bono publico lucem videre. Nam qui eum locum perpolierit, vel exstitit adhuc nemo, vel mihi certè visus non est. Sunt enim multi nostrorum hominum libri tantùm de nomine mihi noti: multi ne sic quidem. Quæ res quanto impedimento sit nostris studiis, non facile credas: nam παλιλλογεῖν & bene dicta ab aliis reponere, pudentis hominis esse nunquam putavi. Hic autem talium librorum aut nihil est penitus, aut minimum. Athenæum cum MSS. collatum, & locis infinitis emendatum, Genevâ discedens reliqui penè ad umbilicum perductum. Annotationes nostræ supersunt perficiendæ edendæque: opus lentum & sanè quàm difficillimum: sed quando ἐρρίφθη ὁ κύβος, & sera nunc pœnitentia est, erimus bonæ fidei debitores, & præstabimus τὸ γοῦν καθ᾽ δύναμιν, Deo volente & propitio, æstate proximâ. Dein ad Polybium & alias curas animum convertemus. Multa enim nobis in manibus inchoata, aut affecta: quibus detexendis otium semper, (quod totum nobis professio & hoc docendi munus eripit) sæpe & voluntas deest. τὸν γὰρ ἔσχατον χιτῶνα, ut vocant Plato & Tacitus τὴν φιλοδοξίαν, maturè exuere incipimus: utique postquam à vobis, qui Reipublicæ literariæ tres veluti soles estis, te, Scaligero, & sene * optimo nostro, longè adeò recessi. Voluntatem tamen ornandæ pro virili spartæ nec posuimus, nec ponemus, donec γούνατ᾽ ὀρώρῃ. Adest in hac provincia assiduus hortator & ἐργοδιώκτης Præses à Fraxinis, vir laudatione nostrâ major; qui si quod pridem φρεσὶν ἧσι μενοινᾷ perficere aliquando potuerit, næ fecerit ille ut otium tandem nacti simus, absit dicto invidia, αὐτοὶ αὐτῶν κρείττονες. Est & in hac urbe literarum nostrarum amator cultorque insignis, ut cæteros taceam, Gulielmus Ranchinus, cui has literas tibi perferendas tradidi; vir, sine dolo dicam, veterum morum, & altæ eruditionis: qui ad munus suum, quo in supremo hic Senatu fungitur, Regis Advocatum agens, publicam juris interpretationem junxit, magnamque ex ea re sibi laudem peperit. Hic cum nomine publico venturus isthuc sit, innotescere tibi, teque præsens præsentem salutare, quem pridem animo colit ac veretur, gestit. Quod si is ego essem, qui imputare aliquid tibi possem, orarem te etiam & etiam, ut ad tuam amicitiam charissimo mihi viro, & cujus multa exstant in me officia, aditum patere velles. Hoc quidem omni asseveratione confirmare tibi nullus dubitavero; si eum semel in tuorum numerum asciveris, fore nunquam ut eo honore parum dignus possit videri. Vale, Præses amplissime, & nos, uti facis, amare perge. *Monspelii, a. d.* XII. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCVII.

* Theodoro Bezæ.

EPISTO-

EPISTOLA CXXV.

JACOBO GILLOTTO.

97. QUàm vellem, Vir clarissime, quidvis aliarum rerum nunciasses mihi potius, quàm Pithœi obitum, quem novissima epistola tua deflebat. Abiit igitur, abiit in communem locum tantus vir, σεμνὸν illud ἔρεισμα non Ἀθηνῶν; sed totius Reipublicæ literariæ? exstincta est illa sæculi nostri lux? periit illud Galliæ nostræ decus prope unicum? O tristem & fortean fatalem nostris Musis casum! nam ubi hodie Petri Pithœi sunt? Post amissum magnum Cujacium ille fuit cum aliis oppidò paucis, qui dignitatem literarum in hoc regno tuetetur: eo exstincto, ne brevi concidat Respublica literaria metus est. Nam cæteri viri magni, si qui sunt adhuc superstites, [sunt autem nonnulli, atque eorum unus tu, doctissime Gillotte, es & haberis] sibi docti, communem literarum utilitatem, quod ὁ μακαρίτης semper fecit assiduè, procurare, aliis curis occupati, non possunt. Agnoscamus igitur, omnium aliarum rerum, ita literarum quoque fatalem esse circulum: qui florere diutius ipsas loco in uno haud sinat. Fuit cùm usque ad exterarum gentium invidiam laude literarum Lutetia vestra, totumque adeò hoc regnum floreret: nunc mutari tempora incipiunt, & fugientes jam Musas ægrè pauci vos, τὰ τοῦ χρυσοῦ γένους λείψανα, laciniâ tenetis. Tenete tamen, obsecro, Viri magni, & imminentem barbariem fortiter ac strenuè, qui soli potestis, expellite, extrudite, & φθείρεσθαι καὶ μακρὰ οἰμώζειν κελεύετε. Si nihil aliud, hoc certè effeceritis, ut exstet apud posteros vestri hujusce honestissimi & sanctissimi studii memoria & testimonium. Quod si necdum exhausta divina in Gallos clementia, sperate non penitus inutilem Reipublicæ hanc vestram operam futuram. Sed quid ago? neque enim περιτρεπτικὸν institui: nisi quod summus in literas amor meus hæc mihi expressit. Vale, Vir magne, & me tui studiosissimum atque amantissimum redama. *Monspelii*, *a. d.* XII. *Kalend. April.* CIϽ IϽ XCVII.

EPISTOLA CXXVI.

PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS.

97. SI necdum persuadere quitus sum tibi, quæ hic cunctorum & de tuo in nos amore esset opinio; ecce tibi, Præses amplissime, luculentum ejus rei te- 1597.
stimonium, & ut Tragicus ait, βλέπειν τεκμήριον. Jobertus enim isthuc ad negotium nescio quod curandum sua putavit interesse, ne sine meis coram te se sisteret; vir, ut scis, & merito suo maximæ autoritatis, & patris laudibus clarissimus. Si igitur ὁ τοιοῦτος ἀνὴρ καὶ οὕτω σφόδρα ἔνδοξος, nostra nihilominus μεσιτείᾳ καὶ πρεσβεύσει tuam illustrem dignitatem sibi putavit conciliandam; quid superest, nisi ut quasi tuorum consors bonorum exultem & incipiam μέγα φρονεῖν? Sed hem, ita tecum jocantem percellit tristis nuntius. Ecce enim à Wecheliis literas, quibus certior fio delicias nostras Bongarsium vivere illum quidem, sed vivere in languore, & situ ac squallore. Luctûs & illuviei caussâ, obitus repens sponsæ: quæ diu sperata, cùm tandem Argentinam advenisset; quatriduo pòst ipsâ horâ, quæ celebrationi nuptiarum fuerat destinata, terris relictis in cœlum peste correptâ migravit. Cogita nunc quis amici nostri illius optimi animus, qui quantique gemitus: meipsum certè tangit iste dolor: & quamvis ὄρεα πολλὰ μεταξὺ πέσχοιτ, tamen συμπάσχω & συλλυποῦμαι τῷ ἑταίρῳ λυπουμένῳ. Hæc veræ amicitiæ vis. Scripsi autem ad illum nudiusquartus, tantum ut si quid tuis literis esset factum, sciret nullam hic culpam tuam. Sed bene est: scribit enim ad me Sarracenus noster Genevâ, se & accepisse, & statim misisse. Nondum eram desiturus: sed vocor aliò, nec res moram patitur, ac adest qui literas à Joberto postulet, quem ut vel meâ caussâ familiariore paullò vultu excipias, per ego te nostram amicitiam oro. Quanto mihi opere tuâ auctoritate opus, ut hic degere cum dignitate aliqua possim, scribam proximis diebus σὺν Θεῷ. Ad D. de Farges, ut jusseras, adivi, etsi longè situm, nec reperi. Vale. Deus te, tuam & tuos servet. *Monspelii*, *a. d.* XI. *Kalend. April.* CIϽ IϽ XCVII.

EPISTOLA CXXVII.

EIDEM.

SEquitur vara vibiam, ait vetus di- 1597.
ctum, & Tragicus ait, πόνος πόνῳ πόνον φέρει. In te & me, Præses amplissime, si in quos unquam, hæc dicta competunt: heri alium, hodie alium, cras item alium tibi commendem necesse est, & erit. Extra jocum dico, nisi effeceris ut pereat, atque ex animis hominum evellatur constans hæc opinio, quam omnes habent de nostra apud te gratia, ilicet, conclamandi

1597. di sumus: nullus enim modus erit, nullus finis. Semper tibi legendæ συστατικῆ nostræ, mihi scribendi incumbet necessitas. Aude igitur contemnere clientem, & frontem semel contrahe, ne quotidie necesse habeas. Prius tamen sine me hoc à te impetrare, ut causam doctissimi viri N. advocati nostratis, cujus frater isthic est, ἣ θέμις, suscipias cognoscendam, & pro συμφύτῳ tibi æquitate disceptandam. Hoc gratius facere nihil mihi potes. Intereà exspecta longam epistolam, quâ me tibi, non alios, commendem ante discessum tuum. Sunt enim non pauca quæ te prius volo. De casu Bongarsii, & sponsæ ejus morte ἀπροσδοκήτῳ atque intempestiva, satis heri. Deus, Pater misericordiarum, per Jesum Christum Filium suum te, tuam, tuos, ac tua servet, fortunet, regat. Vale, meum decus. *Monspelii, a. d.* x. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXXVIII.

JACOBO LECTIO.

1597. QUòd de uxore ducenda κέκρικας tandem, & lectissimam virginem, pietate, moribus ac genere insignem, Baronatam, conjugem tibi asciscere statuisti; & gaudeo ex animo, Lecti amicissime; & ut ea res bene ac feliciter tibi ipsique vertat, Deum Opt. Max. τὸν ἔνιας ζύγιον καὶ γαμήλιον Θεὸν, precor veneror que. Faxit ille, ut annos Nestoreos unà exigatis μίαν ψυχὴν ἔχοντες, καὶ ἐν πᾶσιν ὁμοφρονοῦντες,

> οὐ μὲν γὰρ τοῦγε κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
> Ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
> Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή· πολλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι
> Χάρματα δ' εὐμενέτῃσι. μάλιστα δέ τ' ἔκλυον αὐτοί.

Jecisti, scio, firma huic rei fundamenta. Pietatem enim in hac deligenda te potissimum esse secutum, novi ipse. Gratulor igitur & tibi, & illi toto pectore. Gratulatur vobis & uxor mea, quæ tuorum in nos officiorum juxta mecum meminit, juxta mecum te amat, te colit, tibique & Cajæ tuæ factum cupit, καὶ πάντα μὲν ταύτῃ. Scholam vestram silentio tuo, Vir magne, & Pacii abitu afflictam doleo. Et eò quidem magis, quò pauciores isthìc esse videntur, qui ista, uti oportet, accipiant. Avidè exspecto quid tuus hic Consulatus Musis nostris sit profuturus. Aut enim Consule te caput erigent, aut isthìc perpetuò jaceant necesse est. Fac me igitur quàm primùm certiorem de omnibus: ut aut quid sit sperandum sciam; 1597.
aut, si res conclamata est, id quoque non nesciam. Vale, amicissime, dulcissime, & sine lachrymis ac suspiritibus nunquam mihi nominande Lecti. Iterum vale, & scribe, si cupis salvum, ἧς ἄνευ τούτου τήκομαι καθ' ἡμέραν σοῦ πόθῳ, ὦ τριπόθητόν μοι κάρα. *Monspelii, a. d.* IX. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCVII.

Præses à Fraxinis te amantissimè novissimis suis salutabat, & ut diuturnum istud silentium æqui boni consuleres, obnixè rogabat.

EPISTOLA CXXIX.

JACOBO BONGARSIO.

EX literis amicorum intellexi nuper, 1597.
nobilissimam sponsam tuam diem suum ante nuptias Argentinæ obiisse: teque ex ejus obitu, pro eo ac par erat, summum dolorem percepisse. Non miror, Bongarsi amicissime, tanto & tam inopinato casu tangi te ac prope dejici. Homo non sit, quem non moveat & afficiat tristis adeò res, & mors ita intempestiva. Me certè pupugit hic nuntius, & ad ejus auditionem vix lacrymas tenere fui potis. Pridem enim est, cùm Stoicorum ἀπαθείᾳ renunciavimus, ac suas eam res habere jussimus. Nobis placet μετριοπάθεια, displicet ἀπάθεια: quam vix putamus in hominem natum posse cadere, καὶ μὲν γὰρ ἐσμὲν ἄνθρωποι; & velimus nolimus, dum hominem fungimur, humanos animos geramus necesse est. Quæ non eò à me dicuntur, ut luctum hunc tuum accendam & augeam: verùm eâ fine potius, ut animum meum atque amicitiam tibi probem. Est enim veræ amicitiæ τοῖς αὐτοῖς χαίρειν καὶ λυπεῖσθαι. Sed vin' tu, Bongarsi nobilissime, te respicere? neque enim longa dies exspectanda tibi est, quæ dolorem hunc minuat, & te officii tui admoneat. Quò enim literæ nobis, si tempore necessario nihil nobis prosunt? fac igitur, Vir doctissime, veniat tibi in mentem eorum quæ adversus ægritudinem disputata, in scriptis veterum Sapientum pridem legisti. Intelliges ex facili, quàm nihil sit, cur τὴν μακαρίτην illam lugeas. Ut intereà de præsenti nostræ Galliæ statu nihil dicam: quam vides, & pro singulari tua prudentia agnoscis, certò scio, ita affectam, ut pro conclamata habenda videatur, nisi aliquis Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, quod vix sperandum, brevi adfuerit. Qui igitur tantum imperium ruere, & lento igne consumi ac perire vides, unius mulieris interitum miraberis, aut feres ita graviter, ut παρακληθῆναι

97. θνῆναι nolis? Tu verò non facies, Bongarsi amicissime: sed Deo potius te tuaque regenda tuendaque committes atque permittes. Vale, & me ama, qui te pereo. Datum *Monspelii*, *a. d.* VIII. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXXX.

ISAIÆ COLLADONO.

197. ETsi redditas puto jam tibi fuisse, quas viâ Nemausensi nuper misi; quia tamen haut facile patior vinci me à quoquam isto officii genere, en tibi paucis exaratum schedium, idque raptim & inter multas curas. Quod igitur & tu, & tua δέσποινα, (sic veteres Græci; sic hodie Sabaudi) & cæteri omnes tui valetis, per id mihi, per uxori gratum & jucundum: τῷ δὲ παναγάθῳ Θεῷ χάρις καὶ δόξα, qui vos omnes publicè privatimque servavit à nostro discessu valentes semper vigentesque. Is vos in posterum quoque, spero, servabit, ac salvos incolumesque præstabit. Scholam isthic florere, si quis est qui lætis auribus hauriat, is ego sum, Vir amicissime: sed dolet mihi apud vos jacere studia jurisprudentiæ: non enim potest frater tuus, etsi vir doctissimus, & eo loco dignissimus, tantum onus solus sustinere. Sed hoc feramus, modò cæteræ isthic vigeant, ut audio, artes & disciplinæ. Nos hic Dei Opt. Max. virtute adhuc effecimus, ut suus nostris literis honos tribueretur. Terrebat me initio vetus dictum: *Ignoti nulla cupido.* Sed ea literarum præstantia est, ut simul nosci amarique incipiant; ergo etiam nostrorum hominum animos mansuetiorum Musarum desiderio & cupidine inflammasse videmur: nobis certè ita in dies dulcia & jucunda studia nostra evadunt; ut hoc potissimum præsidio adversus imminentes procellas firmemur. Verùm de istis aliàs σὺν τῷ Θεῷ. Doctissimo & amicissimo Thomsoni excuses me velim, quòd scribere nunc ad ipsum quitus non sum: scripsi ante paucos admodum dies, nihil moratus quòd nullas ab ipso pridem accepissem. Et ipsi, & ejus comiti nobili plurimam à me salutem. Uxor & te, & tuam conjugem, sororem, affines ac domesticos omnes unà mecum salutat quàm amantissimè. Vale, Vir amicissime & suavissime. *Monspelii*, *a. d.* IV. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXXXI.

THEODORO BEZÆ.

EX literis amicorum intellexi nuper, 1597.
& valere te, Pater σεβασμιώτατε, & omnes muneris tui partes, quà in Ecclesia, quà in Schola feliciter implere. Sustuli ad cœlos manus, & Deo Opt. Max. gratias egi immortales pro hoc tanto in te & in Ecclesiam universam beneficio: oravi etiam supplex, quod & nunc quoque facio, pergat pro sua infinita benignitate propitium & benignum adeo se tibi & vobis omnibus præstare: spectat enim ad omnes pios fructus hujusce illius benignitatis. Locus Matthæi *, de quo nuper scripsisti, meritò facessit tibi negotium, ob eas caussas quæ epistolâ tuâ commemorantur: rectè etiam judicas frigere magni Interpretis commentum, qui putat non de resurrectione Christi dubitasse Apostolos, sed venientem non statim agnovisse. Tua conjectura, si quà solitus es modestiâ in annotationibus tuis eam retuleris, cur fraudi tibi esse debeat non video: est enim ejusmodi, ut literulæ unius mutatione plurimum σαφηνείας obscuro loco afferre videatur. Paucis tamen eam te probaturum arbitror. Objicietur enim consensus omnium Veterum, qui difficultatem loci & viderunt, & solvere laborarunt. Sic legit omnino Syrus interpres, qui τὰ οἱ δὲ vertit וּמִנְּהוֹן דֵין: sic Theophylactus auctor scholiorum Græcorum, ubi multa eruditè super his verbis: sic etiam Hieronymus: Antiqui denique, nisi fallor, ἅπαξ ἁπλῶς omnes. Jam quod quæris, an οἱ δὲ pro τινὲς δὲ Græcum sit; sanè: & multa ad manum exempla. Diogenes Laërtius: Ἐπιμενίδης πατρὸς ἦν Φαιστίου· οἱ δὲ Δωσιάδου· οἱ δὲ Ἀγησάρχου. Alibi, Αἰσχίνης Χαρίνου τοῦ ἀλλαντοποιοῦ· οἱ δὲ Λυσανίου, Ἀθηναῖος. Idem, Στίλπων διήκουσε μὲν τῶν ἀπ᾽ Εὐκλείδου τινῶν, οἱ δὲ καὶ αὐτοῦ Εὐκλείδου ἀκοῦσαι φασὶν αὐτόν: & alibi sæpe idem scriptor atque alii multi: nec dubium his similibusque locis οἱ δὲ esse, quod interdum aliis verbis dicit Laërtius ἔνιοι δέ. Possumus igitur vulgatam lectionem ferre, & cum Theophylacto interpretari. Habes, Pater venerande, nostram de proposito loco sententiam. Sed nobis id demum probatum iri scito, quod tibi placitum esse intellexerim. Paraveram & alia nonnulla, de quibus tecum agerem: fui enim per hos dies in lectione epistolarum aliquot Pauli diligentior. Ac videor quædam annotasse, quæ non malè tecum communicentur. Sed id esto alterius epistolæ

* Cap. XXVIII. vers. 17.

1597. læ aut plurium potius, si Deus voluerit, argumentum. Nam si nostras tibi notulas legere & expendere vacaverit, assiduis literis esse tibi molesti non verebimur. Ego enim tum demum vero mihi gaudio frui videor, cùm tuas lego, aut ipse ad te scribo. Uxor te conjugemque tuam, matronam lectissimam, salutat quàm officiosissimè. Sorores nostras; meam, quæ olim Johanni Rigoto nupserat; & uxoris, Dionysiam, Stephani filiam, tibi cupimus, Pater venerande, esse commendatas. Cœtum etiam patrum ac fratrum, quos unicè observare atque amare dum fuero nunquam desinam, meis verbis ut salutes, etiam atque etiam te oratum velim. Deus te nobis servet. Vale, *Monspelii, a. d. Kalend. April.* CIↃ IↃ XCVII.

Epistola CXXXII.

PHILIPPO CANAIO A FRAXINIS.

1597. COgitanti mihi de acroasi, cujus hora imminebat, significatum est nunc ipsum, scriberem ad te, ô meum decus, si quid vellem. Dubitavi quid facerem: temporis angustiæ urgebant, & ne scriberem suadebant: amor & cultus rapiebant in contrarium. Scripsi igitur paucula hæc raptim, & quasi aliud agens, non ut in solutum illa veniant, sed ut futuram brevi numerationem ejus æris, quod pridem apud te contraxi, spondeant. Ita ergo tibi persuade, Vir maxime, si Deus me sanum & valentem esse voluerit, scripturum ad te cis dies unum alterumve uberiore stylo. Exponam tibi tum, quo loco sit valetudo nostra: quæ, ne quid dissimulem, sic videtur affecta, ut Veranæus noster sæpiusculè, seriò an per jocum, brevem, sed gloriosam polliceatur futuram. Omnino aliquid contumax defluxio minatur, quæ pectus & latera ita jam opplevit, ut doloris, sed remissioris, nulla pridem contigerit intermissio. Eâ re factum, ut omissis aliis studiis, in sacrarum literarum lectione, & cùm ab illis vaco, Senecæ per hosce aliquammultos dies fuerim: atque utinam det mihi Dominus Deus, possim aliquando proferre quæ in utroque hoc literarum genere sumus meditati! Sed hæc cernet ipse pro sui nominis gloria & utilitate nostra quàm optimè. Intereà illi mecum gratias agas oro te quæsoque: decimus namque hic dies est, cùm uxor charissima familiam filiolâ auxit: hanc cùm in Ecclesiam reciperetur, Sarracenus noster tenuit. De codicillis à Rege impetrandis ut digni- 1597.
tati nostræ consulatur, ne γρῦ quidem ad amicos Parisienses scripsi: cujus tamen negligentiæ non ita me pœnitet ac dolet, ut quòd de privilegio impetrando nihil mandaverim Ranchino nostro, cùm absque eo multa quæ habemus, quæque σὺν Θεῷ vel projicere mortalitatis memores statuimus, edi vix possint commodè. Si Deus dabit, plura de hac re tecum proximâ epistolâ. Scripsi enim hæc non aliâ fine quàm ut silentium meum apud te excusarem. Platonis siquidem vera in primis sententia est: οὐδὲν ζῷον λυπηρότερον ἀνθρώπου. Ergo & tu nobis ignosce, qui mœrore ruentis patriæ penè absorpti, quasi animum despondentes ἐγκαλυψάμενοι aliquamdiu tacuimus. Tandem collegimus nos, & ad solennia officia rediimus. Quare frequentiores posthàc à nobis exspecta literas. Iter enim tuum putamus hoc rerum statu te esse dilaturum. Scripsi autem ad semones illos Parisienses ante aliquot dies, cùm illuc Ranchinus, vir clarissimus, proficisceretur. Philologia nostra Dei beneficio stat, & videtur aliquam consequi dignitatem posse in his locis, nisi immineret nox atra, quæ suis tenebris omnia involvens γῆν πυρὶ sit mistura. Cæterùm τὸ μέλλον Θεὸς οἶδεν, ἀνθρώπων δὲ οὐδείς. Illum precor ἐκ πάσης, salvum te saltem nobis & incolumem præstet cum tua & omnibus tuis. Vale, meum decus unicum. *Monspelii, a. d. Id. April.* CIↃ IↃ XCVII.

Epistola CXXXIII.

EIDEM.

UT qui morbo περιοδικῷ sunt obno- 1597.
xii, si qua bona scæva longius paulò aliquod intervallum dilucidum experiantur, stupent: sic ego solitus turbâ eorum inquietari, qui se & caussam suam tibi à me commendari vellent, miratus sum non semel, Præses amplissime, quod per hosce dies aliquammultos nemo fores meas pulsavit, ut ego tuas pulsarem; nemo fuit mihi molestus, ut ego tibi essem: sed mirari desino; nam venit ad me nunc ipsum amicus summus meus, qui necessario cuidam suo has ad te meas impetrat: ἅμ' ἔπος, ἅμ' ἔργον: simul enim rogatus sum, arrepto calamo paucula hæc exaravi. Peto igitur à te, Præses amplissime, ut caussæ hujus tantum faveas, in quantum ἔμφυτός σοι æquitas patietur. Sic te Deus Opt. Max. & tuam tuosque omnes protegat. Vale, meum decus. *Monspelii, a. d.* IV. *Idus April.* CIↃ IↃ XCVII.

Epistola

Epistola CXXXIV.

JOHANNI PINALDO.

1597. QUas ſcripſiſti ad me, & Gregorio Benedicti filio dediſti, Vir obſervande, & ex animo dilecte, accepi. Gratum mihi ſuprà quàm verbis poſſum exprimere, quòd noſtri memoriam & amorem conſtanter adeò ſervas. Perſuade verò tibi & penitus imbibe, neque me, neque uxorem meam te eſſe inferiores in mutuæ benevolentiæ contentione. Quamobrem gratius nihil mihi, nihil ipſi poſſit accidere, quàm ſi de proſpera valetudine tua & omnium tuorum ſæpiſſimè feceris nos certiores. Equidem licet occupatus, & planè ad ſcribendum otio carens, ne meam tamen negligentiam poſſis accuſare, aut officium deſiderare, ſedulò cavebo. Res noſtræ quo hic loco ſint, ne pluribus nunc ſcribam, facit tabellarius iſtarum, qui omnia de nobis, ſi operæ eſt ſciſcitari, certa referet. Verbo tantùm dicam: poſtquam Genevâ diſcedere Deus me voluit, non videri poſſe fieri, ut magis ex animi ſententia uſquam collocarer. Floret hîc, ſi uſquam in Galliis, Eccleſia Dei: zelus & pietas, etſi longè infra præſcriptum ἔργον, ſic tamen vigent, ut nondum planè conclamatam eſſe religionem, vel unius hujus Eccleſiæ argumento queat intelligi. Jam erga nos tanta omnium comitas, humanitas & benevolentia, quantum ne ſperaveramus quidem. Sed plura de nobis aliàs: ſcripſi enim raptim non ſolùm ſemiſomnis, verùm νυστάζων planè καὶ τῇ κεφαλῇ σημαίνων, ut Poëta neſcio quis ait. Vale igitur, Vir amiciſſime, & me uxoremque meam ac noſtros liberos, tuumque inprimis Johannem amare perge. Iterum vale. *Monſpelii, a. d.* IV. *Idus April.* CIↃ IↃ XCVII.

Epistola CXXXV.

PETRO FABRO.

97. POſteaquam in hanc Provinciam lares meos transferre me Deus voluit, habui nihil antiquius, Præſes ampliſſime, quàm ut tibi innoteſcerem, ac ſi poſſem, in tuam me amicitiam inſinuarem. Diu enim eſt cùm ego illuſtre nomen tuum σιγῇ ἐπ' ἐμῷ, ut ait Poëta, colo veneror que. Debetur id maximis tuis in omni genere virtutibus, & eruditioni illi ſummæ, quam omnes in te μουσῶν θεράποντες, quibus cor ſapit, admirantur; pauci invident, quibus animus ærugine ſubfuſus: ſed ſi quiſquam eſt qui doctiſſima tua ſcripta plurimi faciat, teque ex animo plurimum amet, plurimum colat, is ego profectò ſum. 1597. Ac memini in tui admiratione defixum hæſiſſe me ſæpe, dum ſtupeo, qui fieri potuerit, ut tu, ad gubernacula Reipublicæ ſedens, planèque merſus civilibus undis, tantum librorum legeris, tantum rerum abſtruſarum obſervaveris; è tenebris princeps erueris, & clarâ luce donaveris. Equidem ſic cenſeo, cùm hæc ætas noſtra plurimos eruditione clariſſimos viros tulerit, unum tamen extitiſſe te, qui Varro ſeculi noſtri appellari, & vir undecumque doctiſſimus audire poſſis jure, imò debeas. Ignorans ſim & iniquus æſtimator genii ingeniique tui, ſi aliter ſentiam, qui ex tuorum librorum lectione tantum quotidie & honeſtæ voluptatis & ſolidæ eruditionis percipiam. Accedit eo quod non alienum eſſe te à nobis, ex verbis ampliſſimi Præſidis Philippi Canaii à Fraxinis, viri tibi ſimillimi & tui amantiſſimi, nuper cùm ad eum veniſſem intellexi: quâ re quàm non delectatus, ſed gaviſus ſim, noli quærere. Ego enim, Vir maxime, tuam tuique ſimilium amicitiam tanti facio, ut illam conſequi ἔργον ferè ſtatuam meæ dum hominem fungar εὐτυχίας: petoque à te, & peto obnixè ſic, ut nihil queam magis, recipias me in tuorum numerum, prorſuſque tibi perſuadeas eum eſſe me, qui ſecundum pietatem in Deum eas literas, quæ te nobilitant, tanti faciam, nihil ut putem in rebus humanis cum illis comparandum. Vale, Præſes ampliſſime, & me non quia ſim meritus, ſed quia moribus tuis dignum eſt, tui obſervantiſſimum redama. *Monſpelii, a. d.* VI. *Kalend. Majas*, CIↃ IↃ XCVII.

Epistola CXXXVI.

PATRIBUS SYNODI SALVENDIS.

SI voluntati meæ valetudo reſpondiſſet, Patres obſervandi, non mihi nunc literis vobiſcum agendum foret. 1597. Conſtitueram enim venire iſthuc, & veſtrum conſeſſum præſens affari ac ſalutare. Nam poſteaquam ita Deo Opt. Max. viſum, ut Genevam patriam dulciſſimam, & Genevenſes Paſtores ac Profeſſores, collegas mei amantiſſimos, æternum mihi colendos, relinquerem, & in hanc provinciam venirem; in votis mihi ſemper unicè fuit, ut veſtram omnium amicitiam omni ope & operâ mihi conciliarem. Videbar autem com-

1597. modè id facturus, si hoc tempore isthuc me transferrem. Nunc igitur quando per invaletudinem optati adeò voti compos fieri non possum; officii mei esse duxi, has ad vos scribere, meæ adversus universum ordinem vestrum, & privatim erga unumquemque summæ observantiæ testes. Cujus animi cùm mihi conscius ipse sim, facile venio in eam spem, fore neminem è vobis, qui in suam amicitiam me non recipiat, aut parum illâ dignum judicet. Atque ut sciatis ex animo loqui me, neque, ut ait Poëta, ἕτερον μὲν κεύθειν ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζειν, en me totum in vestra potestate. Videte, quæso, & vobiscum deliberate, ecqua in re opera mea publicè Ecclesiæ Dei, cujus administratio vobis commissa est, utilis esse poterit: ego me spondeo, sanctèque recipio, vestris consiliis obtemperaturum; & pro virili effecturum, ut voluntati vestræ per me satis fiat. Equidem ita sum à natura comparatus, ita ab optimo parente olim institutus, ut studiorum & vigiliarum mearum nullum unquam alium finem mihi proposuerim, nullam aliam mercedem aut speraverim, aut optaverim, quàm ut illarum aliquis fructus ad σεβασμιωτάτην matrem Ecclesiam rediret. Novit ὁ καρδιογνώστης Deus hâc re nihil mihi jucundius, nihil gratius, dum adhuc terras colam, posse contingere. Sed & D. Bernardinus, quicum mihi summa familiaritas intercedit, animum meum penitus notum perspectumque habet. Is, si operæ est, plura de nobis & egregia nostra voluntate erga sacræ Theologiæ studiosos commemorabit. Verùm de nobis nimis multa: simul vereri subit, ne si longiore epistolâ vos tenuero, in publica commoda peccare videri possim. Unicum est; quod si adjecero, finem faciam. Nam cùm Genevâ nuper discederem, mandatum est mihi à venerandis Pastoribus & Professoribus, si qua se offerret occasio, vos omnes ipsorum verbis quàm officiosissimè & amantissimè salutarem. Rogabant iidem obnixè, ut assiduis vestris ad Deum precibus Genevensem Ecclesiam, omni nunc cùm maximè ope humanâ nudatam, juvaretis. Accepi etiam posteà non unas à magno & reverendo sene Theodoro Beza literas, quibus omnibus hoc ipsum à cunctis vobis, & suo, & totius Ecclesiæ nomine petit, & summo contendit opere. Valete, Viri plurimum colendi, & res Ecclesiæ σὺν τῷ Θεῷ feliciter gerite. Scripsi *Monspelii, languente manu, a. d. pridie Nonas Majas*, CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXXXVII.

PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS.

QUod sit fœlix & faustum, hodie in aedeis Vochantanas migravimus. 1597.
Si verum est, rerum principia habere omen, Gymnasium hoc mihi futurum video, in quo ad patientiam exercear. Ita hic dies ob varias caussas mihi uxorique meæ illuxit illætabilis. Sed hæc Deus Opt. Max. qui solus potest, vertet in melius: sin aliter fata ferunt, confido Stoicum sapientem evasurum me. Sum enim, si quisquam alius, doctorum ejus sectæ studiosus & avidus discipulus. In hoc quotidie adlaboro, in hoc me exerceo, ut quod illi suo sapienti νῷ tantùm θεωρητῷ, nunquam autem viso, tribuunt, id homini accommodem, rebus non nomine, Christiano. Juvat nos, sapientissimorum virorum vestigia legentes, ab aliis principiis ad easdem conclusiones pervenire: atque eadem ferè illis dicere, sed alio modo. Equidem sanctissimorum veterum Patrum laudo consilium: qui τῶν ἔξωθεν σοφῶν scripta vel eo nomine legenda nobis censent, ut sapientissima illorum præcepta & exempla laudatissima pudorem nobis incutiant, & nos nobis accinere cogant. Hæc fecere, quibus veræ lucis vix aliqua scintilla affulserat: nos, filios lucis, quid æquum est facere? nos, quibus ad omne virtutis genus dux, doctor Filius Dei, & ipse Deus; quibus (si tamen professionis nostræ nomen non ementimur) cœlo immissa & infusa vis Sancti Spiritùs τοῦ παρακλήτου semper adest? Hujusmodi cogitationibus jacentem sæpe animum erigere, & ad suam originem revocare soleo, Vir maxime: neque id, uti spero, frustra. Cùm plus profecero, tentabo curatelas facere, & medicum profiteri. Puto risisse te in hoc dicto, & vanitatis me arguisse. Et ita profectò est, curvi non est velle curva corrigere: hæc igitur mitto, & narro tibi rem lepidissimam. Scripsit ad me clarissimus Ranchinus, se postquam in aulam venit, omnem movisse lapidem, ut codicillos quales nosti, mihi impetraret: amplius tamen efficere nihil potuisse, quàm ut pretio aureorum quinquaginta eos liceat mihi redimere; hoc mihi ab aulæ Proceribus pro summo beneficio concedi. Ego verò, magnæ animæ, beneficii hujus gratiam vobis facio: habete, servate vobis codicillos; quibus equidem eo solo nomine fateor me indignum, quòd tam fatuus fui ut expeterem: τί γάρ μοι

καὶ

1597. καὶ μακρῶς αὐλεῖς. At enim illud certum, non quia istorum judicio parum dignus sim, eo mihi negari hunc honorem; sed quia auri sacra fames latè grassatur per infelicem aulam. Queritur M. Tullius, vexatam suis temporibus Rempublicam ab infima plebe, quam ille hirudinem ærarii summi probri loco indigetat. Nostra hodie longè deterius habet Respublica, quam non alii regunt nisi meræ quædam ærarii hirudines, quibus pro Deo lucrum est, pro virtute regina pecunia. I nunc & aude boni aliquid sperare, dum isti παλιγκάπηλοι sedebunt ad clavum. Et non est ea tamen nostri fundi præcipua calamitas: aliud est; aliud ulcus planè desperans. Verùm ista ἄστομα κείσθω· βοῦς γὰρ ἐπὶ γλώττῃ μέγας. Cæterùm (ut res est) de privilegio impetrando scriptis nostris non est quod cogitemus: bis enim in eundem lapidem impingere, sapientis non est: sedet autem nobis, literas non καπηλεύειν. Diu abutor patientiâ tuâ, nondum tamen finem faciam. Habeo enim quod te rogem. Scripsit ad me vir clarissimus Jobertus, Joberti filius, συστατικὰ nostra multum apud te ponderis habuisse: optare autem se, ut tibi homini occupatissimo iterum de suo negotio aurem vellam. Quod igitur liceat mihi cum bona gratia tua, Præses amplissime, peto à te, des illi aliquam tui in nos amoris significationem. Equidem quod tibi imputem aliud nihil habeo, nisi hoc unum, quod tibi uni accepta ferimus incrementa nostræ dignitatis. Hic meus de tuis erga nos meritis maximis sensus, hic animus, si nos Sapientum præcepta non fallunt, necessitatem tibi imponit in dies bene de eo merendi, quem semel ornandum & protegendum suscepisti. Non potes autem ullâ ratione plus nobis prodesse, quàm si intellexerint qui primas hic tenent, esse nos tibi curæ, & gratiâ aliquid apud te posse. Fieri etiam fortasse poterit, ut tuâ nobis opus sit commendatione apud nunc Consules. Sed esto hoc argumentum alterius epistolæ. Vale, & me ama, qui te niveo prorsus pectore colo & veneror: quique pro tua & omnium tuorum felicitate τὸν μέγαν ἐν οὐρανῷ Θεὸν sollicitare non cesso, non cessabo. Iterum vale, meum decus unicum. *Monspelii, a. d. Nonis Majis*, CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXXXVIII.

JACOBO LECTIO.

1597. Tertium jam, opinor, mensem siles, Vir amicissime, & ne lacessitus quidem respondere dignaris. Hæccine 1597. data fides? hoc sperare à te potui, quem ego plus meis hisce oculis amo; quique ἴσῳ ζυγῷ à te amari me semper credidi? ἀδικεῖς ὦ τᾶν, & gravius quidem fortasse quàm facile tibi persuadeas. Mihi enim postquam à te discessi, in mœrore & squallore vita hactenus acta est: neque ullum aliud doloris levamentum quàm in suavissima, ô meus amor, tui recordatione, aut tuarum lectione. Mirum dictu quàm se quotidie exerat meus in te affectus; quàm recrudescat quotidie dolor, qui animum meum vulneravit cùm tibi valedixi. Et tamen spe aliquâ sustentor, si Deus votis faverit, fore aliquando ut aut hîc, quod optant omnes; aut isthîc, quod potius velim, unà simus futuri. O illum beatum diem, qui te mihi, me tibi redditurus est! Proptereà scribas cupio, quod sit isthic literis in posterum sperandum. Persuade enim tibi, secundum patriam nostram, nullum hodie locum esse in terris, quem nostri ordinis homines isti præferre debeant. Tu verò sic ab omnibus expeteris hic, ut nemo queat magis. Melius autem Ecclesiæ Dei, quæ in Galliis est, consuli non poterit, quàm si aut tu, aut tui aliquis similis in hac urbe jus profiteatur, & piam juventutem Tholosâ revocet, ubi non sine corporis animique periculo multi nostrorum nunc degunt. Sed hæc pluribus, exacto oneris tui anno. Vale, ô animæ meæ plus quàm τὸ ἥμισυ. *Monspelii, a. d. Idibus Majis*, CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXXXIX.

JOANNI PINALDO.

Diu est, Vir amicissime, cùm tuas 1597.
exspecto. Respondi enim non semel novissimis, quas à te accepi: etsi autem non clam me est, magnis multisque negotiis solitum te, occupari: nihilominus tamen peto à te, scribas ad nos de tuo & omnium tuorum statu quàm sæpissimè. Ego vicissim eam præstabo diligentiam in scribendo, ut queri de me non queas: quanquam (nisi vehementer animi fallor) ea nos manent tempora, quibus difficillimum sit futurum nobis, hoc literarum commercium exercere. Conemur tamen, obsecro, Vir amicissime; & mutuum amorem crebris allocutionibus, si fieri ullâ ratione potest, focillemus. Omnes nunc isthîc, amici mei, videmini conspirasse, ut me vestro silentio torqueretis: neminis accuso negligentiam, omnium tamen desidero diligentiam. Atqui si per-

1597. persuasum haberetis, quàm lætæ mihi uxorique meæ sunt quæ isthinc veniunt literæ, aut valde elanguit vester in nos amor, aut crebriores ad nos daretis. Valetudo mea eo adhuc in statu est, ut nondum constituerim, æger an sanus dici debeam. Sed Deus dabit, spero, meliora: utique si operâ nostrâ diutius uti illi placeat: inertem enim vitam non optamus. Uxor Dei beneficio filiolam ἑπτάμηνον ante sex septem hebdomadas peperit. De tua & omnium tuorum (qui & mei sunt) valetudine quàm optima literas sitio. Etiam illud te oro, ut verbis meis venerandum cœtum Pastorum ac Professorum salvere plurimum jubeas. Deum veneror supplex, benedicat vobis omnibus καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ. *Monspelii, languente manu, a. d. Idibus Majis*, CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXL.

STEPHANO TREMULEO.

1597. FAllor, an verum est quod audivi? venisse in hæc loca fratrem tuum. Si est, miror ita excidisse tibi memoriam nostri, ut ne verbulo quidem salutare nos sis dignatus. Sed talione, ut video, pensare, imò ulcisci nostram negligentiam voluisti: nam quia nullas à me acceperas, nullas mittere nisi lacessitus voluisti. En igitur, provoco te; ipse ne officio nunc saltem desis vide: quanquam si scires, quàm impeditus hactenus fuerim; quàm parum bellè me habuerim, postquam huc veni, silentio fortasse meo ignosceres. Sed id mitto: & magni beneficii loco à te peto, ut eum, qui has tibi reddet, in tuam amicitiam meâ gratiâ velis recipere. Cur isthuc sit profectus, narrabit ipsus tibi: quantum autem juvare eum tuâ commendatione possis, scio ego: idque uti facias te oro. Vale, amicissime & dulcissime Tremulee. *Monspelii, a. d. Idibus Majis*, CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXLI.

THEODORO BEZÆ.

1597. DIu est, Beza σεβασμιώτατε, cùm tuas exspecto. Respondi enim non unis literis meis quas à te novissimè accepi. Eæ fuere, quas Benedicti τοῦ μακαρίτου filio dederas; qui cùm ante menses tres, opinor, advenerit, dici non potest quàm sit longa jam mihi tuarum exspectatio. Quod si mihi nunc plusculum otii fuisset, statueram bene longam ad te epistolam mittere. Sum enim totus in tuorum scriptorum lectione: 1597.
non possum aliter summum lenire dolorem, quem capio dies noctesque, cùm cogito, quàm dulci τῆς σῆς ὁμιλίας fructu caream. Sic me Deus Opt. Max. amet, ut me tui, Vir observande, desiderium angit & cruciat. Sed quid agam? Θεοῦ γὰρ ἐτελείετο βουλή. Contuli hisce diebus tuas in aliquot Pauli Epistolas observationes cum Syriaca versione, & veteribus aliquot Interpretibus: visus sum nonnulla annotare, quæ si isthic essem, tecum lubens communicarem: ea, qualiacumque sint, brevi describere est animus, & tibi mittere. Vale, venerande Senex. *Monspelii, a. d. Idibus Majis*, CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CXLII.

DIONYSIO GOTHOFREDO.

POst longam, & mihi molestissimam exspectationem, tuas tandem accepi: quibus tunc & pluribus respondebo, 1597.
cùm & plus otii fuero nactus, & ex aula redierit Guilielmus Ranchinus, vir doctissimus, Juris Professor in hac Schola ordinarius, tui amantissimus & studiosissimus. Is cum aliis multis omni studio, πάσῃ σπουδῇ καὶ μηχανῇ id agit, ut vel te, vel Lectium in hanc urbem pertrahat. De Lectio si qua fuerat spes, ea nunc valde minuit. Tu si animum huc appellere volueris, non erit, spero, cur te pœniteat. Me quidem mutationis non piget, aut pœnitet, nisi quod ἔμφυλος veteris patriæ amor urit animum persæpe. Atque utinam fieri olim posset, ut ego & tui, in pristinas sedes restituti, frui invicem amicitiâ nostrâ eo loci possemus, ubi eam inchoavimus. Id quoniam nulla spes est posse unquam perfici, habeo quod gaudeam, in eam venisse me urbem, ubi & pietas viget, si usquam in Galliis; & ubi, quantum humanis rationibus provideri potest, habitatio securissima; ubi denique honestissimorum & literarum amantissimorum virorum magna copia est. Cogita igitur, obsecro te, meus amor; & si huc animum inclinaveris, fac me certiorem; & meis uxorisque verbis lectissimam conjugem tuam & filios plurimum salvere jube. Scripsi raptim. *Monspelii, a. d. II. Kalend. Jun.* CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA

EPISTOLA CXLIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1597. ACcepi tandem quas ad me III. Idus Februar. dedisti literas*, Scaliger præstantissime, & cum illis tuas in aliquot veteres Scriptores notas. Beasti me isto munere, tibique sic obstrinxisti, vix ut queas magis: animum etiam adjecisti, ut jam suscipere editionem eorum scriptorum, ad quos illustrandos me hortaris, non verear: utut enim parum aut nihil futurum est, quod meopte ingenio sum præstiturus: quia tamen tuum illustre nomen opus nostrum est exornaturum, haud aberit, quin doctis id placeat: me certè tua cohortatio cum notis tuis ἐπτέρωσεν. Sed rursus animo deficio, cùm cogito, quam bonam discendi occasionem amiserim, qui tam longè à te abierim; præsertim quoties cogito, ea tempora imminere, exigua ut spes sit, aut nulla potius, exercendi inter nos literarum commercium. Itaque in solas terras venisse mihi videor: & cùm magnam quotidie Magalonensium nostrorum in me benevolentiam experiar, tui tamen desiderio, aut certè literarum tuarum sic crucior, ut ipsa prope vita mihi sit acerba. Adjice eo, quòd nulla hic prorsus librorum edendorum facultas. Cogitabam de Lugduno aut Geneva: sed & locorum intervallum magnum, & pericula multa. Ut taceam, sic tractari eam artem in utroque loco, ut abstinere satius sit, quàm typographorum hoc genus operâ uti. Verumtamen si minus aliis canere possumus, nobis certè & Musis. Quarum amor in nobis non antè minuet, quàm desinemus ipsi esse. Hic erit ἰσχαλέος χιτών, quem exuemus postquam hora decretoria advenerit. Janum Dousam Juniorem abiisse, ex tuis literis primùm didici; atque utinam quidvis aliud nuntiasses mihi potius quàm hoc. O casum gravem! ô funus verè acerbum! nempe ita est, mi Scaliger, quod tu olim μαντευόμενος scripsisti; vergunt doctæ artes ad interitum, estque omnis jam in Europa eruditio vera & recta conclamata. Parum erat, quod Mars ubique pridem furens Musarum cultum & amorem ex animis ferè omnium sustulit: parum erat, quod veræ doctrinæ loco ἡ ἐριστικὴ καὶ σοφιστικὴ σὺν τῇ χρηματιστικῇ regnum hodie obtinet. Hoc supererat, ut si qui restarent γνήσιοι Μουσῶν θεράποντες καὶ ὑποφῆται, ii maturè raperentur, & stationem desererent. Flevi ergo, & fleo adhuc tantæ spei juvenem, cui equidem ex universa juventute literis operata parem novi neminem. Sed feramus necesse est quod mutari non potest: neque enim forte, aut casu ista evenere: sed voluntate & οἰκονομίᾳ τοῦ τὰ πάντα ἐφορῶντος Θεοῦ· cujus ἡ πολυποίκιλος σοφία ἀνθρώποις ἡμῖν οὐκ ἐφικτή. Illum obsecro & supplex veneror, Scaliger præstantissime, servet te nobis, & valere nunc ac semper velit. Tuum de Emendatione Temporum opus non exspecto, sed διψῶ. Athenæi notas ut hactenus detexerem, valetudo non sivit: quæ ne nunc quidem bona est: nisi quod graviter affectis sanitatis loco est bona remissio. Vale, Vir illustrissime, prorsusque ἐξ ἄκρου μυελοῦ ψυχῆς mihi πεφιλημένε. Quod si me salvum cupis, noli committere, ut tuum in scribendo officium jure desiderem. Iterum vale. *Monspelii, a. d.* VII. *Eid. Jun.* CIƆ IƆ XCVII. raptim & languente animo.

1597.

* Vide Scaliger. n. 42.

EPISTOLA CXLIV.

DIONYSIO GOTHOFREDO.

QUod à me postulasti binis tuis responsum, ecce illud tibi, Gothofrede præstantissime. Erit puto, parum gratum iis, quorum causæ faves, & planè, quod ajunt, ἡ ἀπὸ Σκυθῶν ῥῆσις: sed animum hominis flectere nostræ opis non fuit. Si quid aliud tuâ causâ potero, confide esse me totum tuum. Nihil tam difficile imperaveris, quod non libentissimè spe gratificandi tibi sim suscepturus. Expeti te hic ab omnibus doctis, scripsi jam antè non semel: & est profectò ita: magnum enim meritò nomen tuum, ubicunque purioris jurisprudentiæ studia vigent. Spes est, si facilem te præbueris, posse eam tibi parari hìc conditionem, quam fortasse non sis aspernaturus. Sed quia vir clarissimus Ranchinus, qui tibi omnium cupit plurimum, & summam apud suos auctoritatem obtinet, ex aula nedum rediit, amplius de hoc negotio inpræsentiarum scribere supersedebo. Lectium quidem nostrum, Musarum illud delicium, vix spes ulla superest posse huc unquam cogitare. Ego dies noctesque hoc molior, hoc Deum oro, ut iterum unà vitam aliquando possimus degere. O si ejus voti olim me Deus damnaverit, tum demum dicere incipiam, *Nunc juvat vivere.* Sed suspirituum ἅλις. Vale, meus amor, & diu felix vive. Scripsi raptim. *Monspelii in Volcis Arecomicis, a. d. Idibus Juniis,* CIƆ IƆ XCVII. 1597.

Epistola CXLV.

GUILELMO RANCHINO.

1597. CUm à nobis discessisti, Ranchine doctissime, & brevi rediturum te sperabam, & literas isthuc me daturum ad te sæpius: quod ne facerem hactenus, multa me impedierunt: morbus primùm meus & uxoris proximi à tuo discessu temporis facultatem mihi eripuit. Deinde ubi in gratiam cum valetudine redii, mox te adventurum persuasus sum. Scripsi tamen [sic me Musæ omnes ament] ante mensem: sed cùm rumor de vestro omnium reditu in dies crebresceret, affirmassetque mihi matrona lectissima, uxor tua, nullas se amplius ad te literas daturam; meam epistolam ipse conscidi, ne in alienas fortasse manus veniret. Hæc commemoravi tibi, non tam ut meam negligentiam irem excusatum, quàm ut scires valde fefellisse te nostram exspectationem, qui cæteris revertentibus isthic maneas. Id enim didici nunc ipsùm cùm ex aliorum sermonibus, tùm ex verbis conjugis tuæ. Non possum verbis tibi satis exprimere, quantum hic illam nuntius afflixerit; quantum lacrymarum fuderit, postquam novissimas tuas legit. Puto, qui tam miti animo sis & φιλόστοργος, si scias quàm iniquè tuam hanc moram illa ferat, haud alio fore tibi opus protelo, ut itineri te statim accingas. Sed non dubito, graves, quæ te isthic detinent, caussas esse: quare consilium tuum nullus reprehendo. Deum potius obsecro, servet te salvum & incolumem, tibique ea efficiendi quæ φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς, det vires ac facultatem. Persuade tamen tibi, exspectatione reditûs tui nullum mihi unquam tempus visum esse longius. Nihil dicam de nostra amicitia, quæ profectò nostrum hoc divortium æquo animo ferre non potest: hoc scito, multa post discessum tuum contigisse, quæ tui acre desiderium in nobis excitent. Equidem expertus sum hisce diebus in re non maxima, homo homini quantum præstaret: nam cùm de bimestri stipendio ageretur, mutire omnes, hærere, verba denique, aliud nihil dare. Tum egomet mecum cogitare cœpi, si nunc tanta ἀπορία καὶ ἀμηχανία, quid deinceps sperem futurum? Sed nimirum tu aberas, Ranchine amicissime: qui si adesses, facile viam aliquam inires, quâ mihi id præstaretur, quod promissum est. Te igitur exspectabimus; verùm accelera: ne, si diutius afueris, aliquid accidat planè contra animi tui sententiam. Fuisse te isthic nostri memorem, ex iis intellexi, quas ad me scripsisti. Ago igitur tibi gratias quantas possum maximas. Nam quòd nihil promoveris, non eò minus me tibi devinxisti. Video fatum esse omnium bonorum, ut in illis locis, ubi es, parum sine immensa auri copia possint. Quare omittamus, censeo, has cogitationes, & alia curemus. Literas meas curasse te cum fide, lætatus sum. Peto à te etiam atque etiam, salutem meis verbis omnibus illis nunties, ad quos scripseram. Quod si doctissimus Serranus isthic esset, scripsissem ad illum; sed mihi frater ejus nuper significavit, se in dies ipsum exspectare. Veruntamen si aliter res habet, velim illum à me quàm amantissimè salutes. Vale, Vir præstantissime. *Monspelii, a. d. Idibus Junii*, CIↃ IↃ XCVII. raptim. 1597.

Epistola CXLVI.

JACOBO LECTIO.

SIccine te veteris amici memoriam abjecisse? ἀδικεῖς ὦ τᾶν, & facinus facis non bellum. Scio quidem otio te non abundare: sed nunquam te sic impeditum putabo, ut duo saltem verba exarare, & vel hoc tantùm scribere non possis, tibi si lubeat, non liceat. Habemus & nos quod jure caussemur: verùm ea est amoris in te nostri vis, semper ut tibi vacemus. Itaque aut nunquam, aut raro factum, ut oblatam scribendi ad te occasionem non arripuerim. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Spero enim nunc certè, iter ad nos instituente Pacio viro clarissimo, tam bonam occasionem prætermittere fore tibi religioni. Exspectamus igitur illum diem. Intereà scitò, expeti hic te ab omnibus doctis; Juris præsertim studiosis: ac quoniam ita naturâ comparatum est, ut qui amant ipsi fingant sibi somnia, efficit in multorum animis altè insitus tui amor, ut futurum plerique omnes sperent, hanc Academiam à te aliquando ornatum iri. Meorum votorum hæc summa est, ut vel hic, vel isthic jungamur iterum, & amicitiæ nostræ fructu invicem fruamur. Vale, Vir magne, & nos ama, qui te in oculis dies noctesque ferimus. Vale iterum. *Monspelii, a. d.* XIV. *Kalend. Julias*, anno ἀπὸ τῆς τοῦ Θεανθρώπου ἐνσαρκώσεως CIↃ IↃ XCVII. 1597.

Episto-

EPISTOLA CXLVII.

THEODORO BEZÆ.

1597. CRedo equidem, Beza σεβασμιώτατε, si notas illas accepisti in aliquot Novi Testamenti locos, quas nuper misi, assentiri te mihi, & parum dignas censere eas, quæ tibi legendæ offerantur: quia tamen visus es aliquoties hoc officii genus à me postulare, facile feram conatus in literis meos tibi improbari, modò obsequium probetur. Nam si quis est eorum omnium qui hodie terras colunt, cui gratificari & parere cupiam, is tu profectò es. In ea ad Titum scribitur Cap. I. vers. 9. ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δυνατὸς ᾖ καὶ παρακ. &c. Hujus versûs videtur hæc esse sententia. Vult Apostolus, Episcopum ἀντέχεσθαι τοῦ πιστοῦ λόγου, hoc est, σχολάζειν & diligenter vacare studio Theologiæ. Ait, τοῦ κατὰ διδαχὴν, id est, sic ut ad docendum fiat in dies aptior & instructior. Nam potest aliquis addiscere aliquam scientiam non ad aliorum institutionem, sed suam tantùm. Si hoc sentit Apostolus, nolim ἀντεχόμενον *tenacem* vertere, sed *incumbentem*, aut *adhærentem*. Chrysostomus pulchrè φροντίζοντα, ἔργον τοῦτο ποιούμενον· nec minus aptè Syrus verbo בטיל hic usus, quod respondet Græco σχολάζειν. Non probem etiam hæc τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν verti, *qui ad doctrinam facit*: διδαχὴ enim ipsum docendi actum, nisi fallor, notat hîc; non doctrinam quæ docetur. Ita hunc locum Chrysostomus accepit: quod mihi non improbatur. At Cap. II. vers. 3. frustra moveri videtur ab eo quæstio in voce καλοδιδασκάλους, quomodo hoc conveniat cum alio Pauli, ubi vetat sustineri à mulieribus docendi partes: neque enim ea Pauli videtur esse mens hoc loco, ut velit, docere quicquam fœminas in Ecclesia. Proptereà placet versio tua, *honestatis magistræ*. Versu 5. non assentior iis, qui tollendam censent distinctionem inter οἰκουροὺς, ἀγαθάς. Duo requirit Paulus à pia matrona: ut sit οἰκουρὸς, hoc est, *ut domi se contineat*, sicuti à te est rectè expositum. Veteribus Latinis οἰκουρὸς est *casaria*, Hebræis נבח. Huic virtuti conjuncta est rei familiaris cura: propterea quidam οἰκουροὺς exposuere, *quæ rectè domum curat*. Naumachius, Poëta elegantissimus, utrumque præceptum hoc versu expressit:

Σοὶ δ' οἰκωφελίη μελέτω, οἴκοντι * φυλάσσειν.

* Grotius in Stobæi Florileg. pag. 317. μεγαρόισι.

Nam hoc vult, fac sis οἰκουρός. Alterum 1597. quod requirit Apostolus à matronis, est, ut sint ἀγαθαὶ, hoc est, *benignæ* & faciles erga ancillas & famulos. Sic accipiunt Græci vocem ἀγαθὸς, & Poëtæ ἐσθλός. Naumachius †:

Μήτε κακὴ δμώεσσι πέλε ἴσο, μήτε μάλ' ἐσθλὴ
φαίνεο.

† Ib. pag. 319.

Quod Gallicè dicimus, *être bon à ses domestiques*. Syrus tamen aliter accepit, & tollit ὑποστιγμὴν· sed ita magnus Chrysostomus. Versu 10. ἐνδεικνυμένους πίστιν, est *fidem præstare*: nam *ostendere fidem* parum Latinum videtur, & ἐνδείκνυσθαι passim pro, facere & præstare aliquid reipsâ. Sed videamus num πᾶσιν scribendum sit hoc loco pro πᾶσαν· ita Vetus, opinor, legit: ita & Syrus, nisi erro, qui vertit, בכל quibus verbis semper alibi exprimit τὸ ἐν πᾶσι. Hæc nunc satis; imò plus satis: piget enim abuti diutius patientiâ tuâ. Sororem meam, Rigotii pridem viduam, tibi cupio esse commendatissimam. Magnus is accesserit tuis in nos meritis cumulus. Uxor & te, & conjugem tuam quàm officiosissimè & amantissimè salutat. Uter nostrûm tui desiderium impatientius ferat, uter magis ex animo pro salute & valetudine tua vota quotidie faciat, δυσέκμαρτον. Universum cœtum venerandorum Pastorum & Professorum meis verbis à te salutari, nisi grave est, percupio, idque ut facias te oro. Vale, Senex τιμιώτατε, & me ama ac meos. *Monspelii, a. d.* XIV. *Kalend. Jul.* CIϽ IϽ XCVII.

EPISTOLA CXLVIII.

PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS.

DIu scribere ad te distuli, Præses 1597. amplissime, ne ea, quæ te scire nollem, scribere cogerer. Quia tamen unus tu mortalium portus mihi & præsidium es, quid acciderit post tuum discessum, celare non possum, non debeo. Scito igitur, Consules de nobis hactenus ita malè meritos, ut certum consilium sit, nisi tu impedias, in veterem patriam pedem quàm primùm referre. Istas enim procrastinationes vanas & pollicitationes, imò illusiones ferre non queo. Ut paucis omnia tibi aperiam, omnium eorum quæ per literas absenti fuerant promissa, præsenti nihil sine aliqua immutatione, hoc est, nihil bonâ fide præstitum est. Domum erant daturi: eam impetrare nunquam potui, nisi

1597. nisi venirem in partem pensionis. Ita hyems tota miserrimè transacta, in angustissimis cubiculis duobus, ut filiolum, quem habeo unicum, extrudere magnis impensis fuerim coactus. Tandem Vauchantianæ ædes datæ: sed eâ lege, ut decem ipse annuos aureos darem; atque ii statim exacti. Supellectilis nomine promissi aurei C L. detracto triente, redacta summa est ad centum. Ligni spes facta: vix adhuc quasi convitio extorquere decimam partem quitus sum. In antecessum semestre stipendium erant repræsentaturi: hoc nec factum in priore semestri, quod per minutas partes acceptum: & in illo nuper inchoato planè ostensum mihi, quid in posterum sperandum haberem: nummus enim exprimi adhuc ab illis non potuit. Non illi auctoritatem tuam reveriti sunt: non datæ fidei rationem ullam habuerunt: amicorum denique omnium meorum incassum vigilavit industria. Scio non defore quod caussentur. Sed istæ προφάσεις maturè prævidendæ erant: nunc illis nullus locus. Quid enim ad me, si sunt occupati? si Rector Provinciæ in urbe est? si rerum novarum occasionem quærentes nonnulli salis commercia rupere? Quid ergo nobis fiet, si non belli metus sit, sed certum bellum? Invitus hæc ad te scribo, Præses amplissime: sed coactus vi doloris, ne aliud dicam. Expertus enim sum, genus istud hominum esse αὐθέκαστον, si quod est aliud. Paucos excipio veros amicos, Ranchinum, Serranum, & ipsum primum Consulem: quorum tamen nemo aut gratiâ, aut ullâ aliâ re caussam nostram multum potest adjuvare. Ranchinus abest; Serranus apud illos, qui pecunias tractant, parum potest: suos ipse nobis loculos aperuit. Consul quoque partim morbo, partim senectute, quæ est & ipsa morbus, κλινήρης domi jacet. Cæteris vel juvandi facultas nulla, vel voluntas. Hic est rerum nostrarum status, Vir maxime, quem semel aperire tibi visum, ut dares ipse ante discessum, consilium: vel si suppetit nullum, caussas haberes cognitas illius quod video mihi necessario capiendum. Est autem ejusmodi, ut vel Genevam, vel Basileam lares conferam, & vitæ quod superest ibi degam. Puto repertum iri vacuam aliquam professionem, ut inde sit quo mihi & meis consulam. Moneor & cupiditate proferendi in lucem multa, quæ hactenus in nostris adversariis malè latuerunt. Sed nos cupiditas otii segniores efficiebat: quæ spes cùm jam nulla affulgeat ex ulla terrarum parte, cruda studia & extremæ lineæ egentia scripta nostra proferre certum. Hæc sententia si placet tibi, quàm primùm exequi τὸ ἅπαξ δοχθὲν constitui. Scribe igitur, si grave non est, priusquam itineri te accingis; & tibi persuade, maximas & gravissimas mihi fuisse caussas, cur hoc consilii inirem. Sed mihi nullum unquam placebit consilium, cujus tu mihi dux & auctor non fueris. Quæ duo ad dandum consilium necessaria sunt, amor & prudentia: eorum altero longè me superas, altero omnes homines: nemo enim est, cui chariorem me putem quàm tibi. Vale, Vir maxime. Deum Opt. Max. supplex veneror, & te, & nobilissimam uxorem tuam, atque omnes tuos servet, fortunet, & omni bonorum genere cumulet. Iterum vale, & me ama. *Monspelii, a. d.* XIV. *Kalend. Jul.* CIↃ IↃ XCVII. 1597.

EPISTOLA CXLIX.

EIDEM.

OStendit mihi nunc ipsum literas tuas, quà erat in illis facta nostri mentio, Cabassus. Simul addidit, tabellarium qui suas ad te esset allaturus, jam esse petasatum & ad portam urbis. Igitur accipe, Præses amplissime, non illud, quod postulabas, breve ὑπόμνημα rerum nostrarum, cùm Lutetiam veneris; sed querelas tantùm de iis, qui conditiones omnes, quibus me huc vocarunt, ἠθέτησαν. Scripsi ante dies sex septem ea de re plura: noli putare, eo tempore quod inde fluxit, resipuisse ad quos ista cura pertinet: constant sibi, & nos nostrasque æquissimas δεήσεις animo obstinato insuper habent. Consulum primus κλινοπετὴς jacet pridem: alios ipse parum novi. Veni tamen ad secundum nuper deducente Serrano: exposui quid vellem: addidi, si ita mecum agerent, brevi me repedaturum, & ipsos nostri curâ liberaturum. Quid promoverim, res loquitur. Omnes se mihi cupere, mirum quantum ajunt; omnes fidem Consulum appellant; multi quiritantur rem esse indignam, datam occasionem tam citò conquerendi: risuros & irrisuros omnes qui ista resciverint; magnum scilicet fore hoc protelum Goulardo, ad quem nuper scriptum; item Lectio, aut Gothofredo, de quorum altero scis nostros cogitare. Hæc & similia his πᾶσι διὰ στόματος· cæterùm nemo proficit hilum. Quid ergo consilii capiam? dic tu, Vir maxime, amicissime; cui non minus quàm mihi fieri ab istis injuriam, equidem doleo. Sed erat nimirum, ita 1597.

ut

1597. ut multos prædicere memini, fore istum Monspelienſium impetum ὀλιγοχρόνιον, & verè, ajunt, ἐξ ἀχύρων πῦρ. Dissimulare non possum, magnum ex hac istorum inconstantia capere me dolorem. Nam si sinistrâ ave huc pedem intuli, redeundum est nempe in veterem locum. Sed pudet nos mutatæ tam citò sententiæ: & hominum illorum nosti ingenia. Scis quid ab illis sit, nunc præsertim, nobis sperandum. Sed feramus fortiter necesse est, quicquid mutari non potest. Utinam tantùm bibliotheca nostra hac occasione non malè pereat: in multis variisque curis meis nihil habeo, quod me angat vehementius. Scis enim, absque nostris libris vitam nobis nullam vitalem. Exspecto igitur quid consilii in re crepera sis daturus. Quare, etsi non nescio, in hac præsertim tua profectione vacui temporis habere te nihil, peto nihilominus tamen à te, scribas tuam super nostris rebus sententiam ante discessum. Ad Consules ut de nostro negotio scribas, non postulo. Satis enim ipsis perspectus est tuus, quo uno glorior, in nos amor. Adjice eo, recentem esse in eorum animis illorum verborum memoriam, quibus me ipsis nuper tanto commendasti opere. Quid igitur epistolam tuam nunc abeuntis effecturam apud eos sperem, quos præsentis divina illa πειθὼ parum movit? Sed hoc statues ipse melius. Lutetiæ quod nostrâ caussâ agas, jam unum superest, si tu nobis deserendæ Galliæ auctor, vel certè suasor. Literas enim, quibus civitatis Gallicæ jure donor, quorsum expetam hoc statu rerum mearum? minus codicillis dignitatis nobis futurum opus, si opera nostra nullum opus Magalonensibus nostris. Solum privilegium est, de quo te exoratum velim, ut illud quàm optimâ lege & conditione fieri poterit, mihi impetres. Ego intereà dies noctesque Deum Opt. Max. precibus ἐκτενεστάταις fatigabo, ut te euntem, tuaque agentem, & mox redeuntem servet, regat, & omni suarum ἀγαθοτήτων genere cumulet. Vale, Vir maxime, & meum unicum decus. *Monspelii, a. d.* XI. *Kalend. Julii,* CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CL.

EIDEM.

1597. EXpecto te, Præses amplissime, si binas meas accepisti, quas superioribus diebus scripsi, miratum esse & illarum argumentum, & consiliorum meorum τὸ καινόν. Sed velim mihi accredas, fuisse graves caussas, quare eæ cogitationes animum subirent meum. Earum summa hæc est, si meam spem destituant, qui ita cupidè, ita amanter huc me vocarunt, non potest nos non manere ἰλιὰς κακῶν, & ærumnarum pelagus. Quare si posthàc ita mecum putarem actum iri, quemadmodum hactenus est actum, omnino prospiciendum mihi meis rebus foret. Sed hoc vetant me credere, aut etiam suspicari viri graves non pauci, nec mediocris apud nos auctoritatis. Videbimus igitur, & quoad ejus fieri potest, κηχάζοντες καραδοκήσομεν τὸ μέλλον. Tandem enim inita ratio est, quâ nobis debitum stipendium præstaretur. Idque ibam cœptum numerari hac ipsâ die. Quod superest, de tuo itinere dies noctesque scito me esse sollicitum: accendit ea cura in nobis studium orandi Deum Patrem per Jesum Christum, Filium suum, ut tibi in omnibus, quæ φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς, adsit: te & nobilissimam uxorem tuam, vestrosque summæ spei liberos regat, & tegat. Vale, Præses, præsidium, decus. *Monspelii in Volcis Arecomicis, a. d.* VI. *Nonas Julias, anno* ἀπὸ τῆς ἐπιφανείας τοῦ θεανθρώπου καὶ Σωτῆρος ἡμῶν, CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CLI.

JULIO PACIO.

ADventum tuum in hanc provinciam, 1597.
Paci clarissime, omnes literarum amantes cupidissimè exspectant. Equidem, etsi tui videndi desiderio nemini concessero, doleo tamen Genevæ nostræ, suavissimæ mihi patriæ, vicem, quæ talem necessario suo tempore jacturam faciat. Quid autem Schola illa fiet te abeunte, Lectio silente? Sed feramus quod mutare non possumus. Nunc igitur, postquam κέκρικας & jacta alea est, auctor tibi sum, adducas tecum, si fieri potest, typographum aliquem, typis præsertim Græcis instructum: nullus enim in his locis, qui aut tibi, aut mihi operam navare possit, penuriâ Græci characteris. Huic incommodo si medicinam, admonitus à me, feceris, cur te unquam mutationis hujus possit pœnitere, nullus video. Non est autem quod dubitet nostrorum aliquis, te sequi: audebo enim spondere illi, non defore unquam quod agat: sit modò instructus necessariis characteribus. Atque hoc est quod te volui: feceris rem mihi gratissimam, omnibus utilissimam, in primis autem tibi mihique, si Volcis Arecomicis Typogra-

1597. pographum unum donaveris. Vale, Vir amicissime. *Monspelii, a. d.* IV. *Eid. Julii*, CIↃ IↃ XCVII.

Epistola CLII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1597. Literis tuis mense Februario scriptis statim respondi, mi Scaliger, cùm exeunte Majo eas accepissem. Egi autem tibi pro tuis non quas debui, sed quas potui gratias. Docuisti nos multa, de quibus absque te esset, in mentem fortasse nunquam venisset nobis. Ea non prememus, sed brevi σὺν Θεῷ proferemus; tibique morem geremus, qui ad editionem illorum autorum tantopere nos hortaris. Animus certè non deest, licet valetudine pridem utimur parum firmâ. Typographum tantùm desideramus, qui in Volcis Arecomicis nullus est. Itaque Lugdunum, aut Lutetiam nostra mittamus necesse; quod & longum, & periculosæ plenum aleæ est. Sed hæc videbimus. Opus tuum de Emendatione Temporum avidissimè exspecto. Non dubito, futuram illius παλιγγενεσίαν omnibus ingenuè doctis admirationi: cujus quidem prior editio vel eruditissimis expressit hanc confessionem; unum Scaligerum πεπνῦσθαι, cæteros σκιὰς ἀΐσσειν, & ἀεὶ εἶναι παῖδας. At perge, obsecro te, Vir maxime, ea nos docere, quæ potes unus. Nam linguæ Arabicæ, & Persicæ item promissas dudum institutiones, à quo exspectabimus, si tu cessas? Si propius à te abessem, orandi finem non antè facerem, quàm te exorassem. Quæ de nominibus Persicis & Chaldaicis à te disputantur, satis magno argumento sunt, quantum earum linguarum cognitio hominibus veræ eruditionis œstro percitis (in quies ego nomen profiteor meum,) sit necessaria. Et quæso te, Vir magne, unde illa tibi eruta? quis tibi πυθικὸς τρίπους hæc arcana ἀπεφθέγξατο; non enim ab Hebræis magistris illa habes: qui suæ unius periti, aliarum omnium imperiti ferè sunt omnes. Nostrâ autem memoriâ, qui eas linguas vel ἄκρῳ, quod ajunt, δακτύλῳ attigerit, novi neminem; nisi quòd Postellum nescio quid muginatum esse de lingua Arabica memini. Sed illa quàm tenuia, quàm exilia: de Persica, quod equidem sciam, neque ille, neque alius quisquam vel γρῦ τὸ λεγόμενον. Miror igitur, ecqua tibi ἀφορμὴ fuerit, illa studia primùm tentanti. Sed næ ego stultus, qui tuum ingenium ex meo, aut aliorum metior: quasi nesciam, uni Scaligero βάσιμα, quæ aliis ἄβατα; uni πόριμα, quæ cæteris ἄπορα. Fruere, Vir 1597.
illustrissime, tanto bono: fruere, & ad publicam literarum utilitatem diu illo utere. Vale, & nos amare perge. *Monspelii, a. d. Eid. Jul.* CIↃ IↃ XCVII.

Epistola CLIII.

JACOBO BONGARSIO.

Etiamne in illud niveum pectus tuum 1597.
nostri penetravit oblivio? Sapientis, ajunt Sapientes, non est, dicere, οὐκ ἂν ᾤμην. Ego verò fateor, suspicatum esse me nunquam, fore ut tam raras ab amicis literas acciperem. Sperabam enim vel Lugdunensi, vel aliâ quâ viâ posse me tecum, Bongarsi amicissime, & cæteris amicis isthic meis literarum exercere commercium. Atque ego in scribendo negligens profectò non fui: fortasse neque tu fuisti; sed omnis penes tabellarios culpa, qui literas parum bonâ fide curare soliti. Equidem conscius mihi sum, postquam in Volcis Arecomicis pedem posui, quinas aut senas dedisse ad te literarum. Vix binæ tuarum in meas adhuc venerunt manus: posteriores habuere conjunctas, quas ad Præsidem Canajum scripseras: quasque ipse ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα ante quindecim dies eidem tradidi. Venerat enim huc magnus ille utriusque nostrûm amicus; partim ut negotia quædam sua curaret; partim ut amicis valediceret, brevi Lutetiam iter instituturus. Erat & tertia caussa, quæ illum huc adduxerat. Expertus enim ante annum dolorem in alterius pedum articulis, ac bis ab eo tempore repetitus, ad nostros Medicos quæstionem detulit, ecquod genus id morbi esset? podagram enim esse, licet suspicaretur, vix tamen adduci posse ut crederet. Responderunt Asclepiadæ uno consensu omnes, nondum liquere sibi de hujus morbi natura, aut nomine. Adhuc igitur exspectandum, priusquam in album ποδαγρικῶν referretur. Ita rediit Præses domum, prorsus incertior quàm dudum, ferè tamen persuasus, meram & γνησίαν ποδάγραν eam esse. Tuis ille discedens non respondit, sperans se cis paucos dies Lutetiâ literas ad te daturum, viâ & tutiore, & breviore. Nutat & nostra valetudo per multos jam menses: urget enim nos destillatio molestissima & contumacissima. Docemus tamen & studemus, scribimusque aliquid semper. Typographum hic habemus, cujus operâ utamur, nullum: qui adest, Græcis literis caret. Pergemus tamen nihilo segnius, ac vel Lugdunum, vel Lutetiam nostra

1597. nostra mittemus, vel Basileam ad Aubrium *. Sed de his plura proximis literis. Vale, Bongarsi amicissime & clarissime. *Monspelii, Id. Jul.* CIↃ IↃ XCVII.

* Wechelianum.

EPISTOLA CLIV.

CONRADO RITTERSHUSIO.

1597. ET corpore, propter morbum, languebam; & animo magis, propter recentem charissimæ filiolæ obitum, cùm hæc ad te, Vir clarissime, exaravi. Sed vis amoris mei in te vires ad scribendum suggerebat. Non enim dubito, mirari te, atque adeò indignari, quòd nullas à me, postquam in Gallias veni, literas acceperis. Sed oro te, per Deum τὸν ὄντως φίλιον, quidvis potius putes silentii mei caussam fuisse, quàm ullum frigus mei in te amoris: nam ille quidem, ut semper, & viget, & fervet. Valetudinem potius accusa, quæ diu me exercuit, & nunc quoque parum prospera. Præterea vides quantum locorum intervallum, quæ itinerum pericula expertus sum, vix dimidium epistolarum, quas in Germaniam, aut Helvetiam scripsi, tuto fuisse perlatas. Quid ergo mirum, segniorem esse; cùm metus sit, ne pereat & oleum & opera. Scribam tamen, Vir amicissime, & tuas vicissim exspectabo. Athenæus adhuc nos habet: scriptor difficilis, & mihi certè molestus: si valetudo & negotia sivissent, sperabam in Deo posse nostras curas perfici multò citius quàm nunc possint. Oppianum tuum videre non cupio, sed διψῶ. Vale, & viros clarissimos collegas tuos, à quibus nos amari scis, plurimum à me salvere jube. *Monspelii, a. d.* VII. *Idus Septemb.* CIↃ IↃ XCVII.

Oppianum tuum sic exspecto, ut dies noctesque de eo cogitem: amo enim illum Poëtam, ut si quis alius. Tum autem vigilias tuas videre, iisque frui opto vehementer. Si fuerit editus, spero per Lugdunenses mercatores me brevi habiturum.

EPISTOLA CLV.

JACOBO BONGARSIO.

1597. ETsi ignarus eram ubi gentium esses, adductus tamen probabili conjecturâ, ut te isthic esse crederem, has ad te, Vir amicissime, raptim exaravi. Valere nos, & in studiis esse assiduos, hoc te primùm scire volo. Diu tamen siluere literæ nostræ propter morbum & languorem, qui diu me tenuit. Postquam Dei benignitate meliusculè habere cœpimus, ad dolium nostrum rotandum sumus reversi. Sed alacritatem nostram sæpe minuit inopia Typographi, qui hic nullus est. Mittere autem Genevam, quæ volumus edi, longum iter est ac periculosum. Scripsi ad socerum † Parisiensem, qui ante aliquot menses in hac urbe suam mihi operam ultrò pollicitus est. Si potes, adjuva me in hoc negotio. Ante omnia de tuarum rerum statu fac me, obsecro, certiorem. Vale, Vir doctissime, & me ama semper tuum. *Monspelii, a. d.* VI. *Eidus Octob.* CIↃ IↃ XCVII.

† Henricum Stephanum.

EPISTOLA CLVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

RAptim hæc exarabam ad te, Scaliger præstantissime, cùm repentè isthuc literas mittendi oblata esset facultas. Plura igitur σὺν Θεῷ eis dies paucos: neque enim deest quod scribam, cùm multa quotidie in Athenæo occurrant, de quibus cupiam te consultum: verùm hæc brevi. Nunc hoc volo tantùm scias, valere me virtute Dei, & in literis esse quantum per varias ac graves occupationes licet. Æstatem quidem proximam experti sumus infaustam: nam & graviter ipse ægrotavi, & filiolam suavissimam & ocullissimam ex morbo, cui æstus ingens caussam, ut videtur, præbuit, amisimus. Posteà verò quàm Sirius fervorem cœpit remittere, & nos melius habere cœpimus. Itaque cùm alia cœpta nostra κατὰ τὸ δυνατὸν urgemus, tùm in primis Athenæum. Quod si Typographi esset in his oris copia, diutius desiderari opus illud à studiosis hominibus non pateremur. Sed neque in hac universa Provincia adest qui nostra possit edere: neque adhuc alio mittendi fuit facultas. Quò autem mittamus, equidem non scio: nisi quòd Commelinum appellabo, & ut curet emendatè nostras Animadversiones edi, rogabo. Tuum opus de Emendatione Temporum tandem ad umbilicum esse perductum gaudeo, tibique eo nomine gratulor. Non dubito, æquos & doctos viros demonstrationibus tuis acquieturos, & gratiam, ut par est, esse habituros: hominibus ἱερακικοῖς, qui serram reciprocare malunt quàm discere, ægrè satisfeceris. Sed pessimum veri argumentum est, placere τοῖς πολλοῖς. Librum tuum si Genevam, vel Lutetiam Parisiorum miseris, spero facile eum posse huc perferri. Mihi verò id munus non dicam aureum & χρυσοῦ ἄξιον ἀντιφώνου

1597. σμικρὸς videtur, sed ὑπὲρ πάντα καὶ τιμιώτατα τίμιον. Vale, maxime virorum, & me quod facias, ἀδιαλείπτως ama, tui nominis studiosissimum. Scripsi raptim. *Monspelii, a. d.* IX. *Kalend. Decemb.* CIƆ IƆ XCVII.

EPISTOLA CLVII.

EIDEM.

1597. NOvissimis tuis, Vir præstantissime, quas ante mensem, & quod excurrit, reddidit mihi Johannes à Wouweren, adolescens tui observantissimus, respondi non multò pòst, measque literas Petro Brederodio Belgæ, Lutetiam pergenti, commisi. Ex eo tempore accepi à Thomsone nostro Athenæi mechanica; libellum paucularum chartarum, imò, ut dicam cum antiquis Criticis, στίχων ὀλιγίστων; vel eo tamen nomine, quòd lucem necdum vidit, πολυτίμητον & verè χρυσοῦ ἀντάξιον. Quare multum me doctissimo Thomsoni debere fateor, qui eo munere me donaverit. Egit autem ille mecum per literas, ut illud scriptum quàm primùm ad te mitterem; te enim, qui eo careres, hoc vehementer velle. Mihi verò, Scaliger illustrissime, hac re nulla erit μᾶλλον περισπούδαστος, quàm ut tibi, quibus rebus cunque potero, gratificer. Mittam igitur, simul nactus fuero cui possim tutò dare. Si nosti aliquam satis certam viam, illam mihi, quæso te, significa: nam ut rem ita charam periculis itinerum temerè exponam, consultum non est. Opus de Emendatione Temporum, à te recentatum, exspecto adhuc. Quod si mittere exemplar erit animus, (id nupera quadam epistola tua ajebat,) poteris, puto, vel Genevensium, vel Parisiensium mercatorum operâ uti. Nos quoque, nisi certior offeratur tabellarius, illis committemus, quæ isthuc ad te perferri volemus. Sed nostrarum quidem curarum nihil adhuc possum polliceri. Nam quia Typographo hîc caremus, lentè in iis poliendis pergimus, quæ aliquando θεοῦ διδόντος sumus edituri. Adde quòd instituta pridem Athenæi emendatio difficilior indies nobis videtur; non enim leviter & οὐδὲ πάρεργον eâ curâ defungimur. Sed erat istud onus tuarum, magne Scaliger, non nostrarum virium. Tu facile omnia confecisses, quæ ego nullo labore possum assequi: quia tamen non è portu solùm exiimus, & oram solvimus; verùm etiam in altum jam sumus provecti, idque autore & suasore te, τὸ πλῶν διανύσομεν, [eâ tamen lege, ut liceat mihi brevi, de iis omnibus locis te consulere, ad quos mea adhæsit navis:] te Doctore non dubito, fore omnia plana, quæ quidem sint ἐπιστητὰ θνητοῖς ἐσὶν ἡμῖν. Vale, illustrissime Scaliger, & me ama ex asse tuum. *Monspelii, a. d.* VI. *Kalend. Januar.* CIƆ IƆ XCVIII. *Ad hanc respondit Scaliger, Epist.* XLV.

EPISTOLA CLVIII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

POstquam isthinc discessi, Præses amplissime, dies nullus fuit, hora nulla, ac ne ῥοπὴ quidem καιροῦ, penè dixerim, quâ non ante oculos versata mihi sit jucundissima imago tui, & suavissima tuorum in me beneficiorum recordatio. Ea enim exstiterunt erga nos officia tua, nobilissimæque tuæ conjugis, ut cùm eorum prædicandi, pro eo ac debeo, finem nullum faciam, mihi tamen satisfacere non queam. Sed enim si paria tecum me posse facere sperem ullâ ratione, frustra omnino sim: ego verò non spero; neque recuso, qui tot tantisque beneficiis tibi sim devinctus, tuus esse & usu & mancipio. Nihil literarum me à te accepisse dum, qui tuas nôrim gravissimas occupationes, non miror. Scripsi tamen aliquoties ad te, & Lugduno, & ex hoc loco; neque Deus sirit, ut meam in hoc saltem officii genere diligentiam possis meritò desiderare. Regiam pecuniam D. Vicquio fuisse tandem numeratam, ex ipsius literis intellexi. Miratus sum, non fuisse eidem traditas ad Consules nostros literas regias, ut de mea isthuc vocatione etiam aliundè quàm ex me fierent certiores: hoc unicum est, quod me hîc nunc tenet, quodque nostrarum vigiliarum editionem moratur. Scripsimus autem, ex quo in gratiam cum Musis nostris rediimus, ea in Theophrasti libros de Causis Plantarum, quæ tibi probari non diffidimus. Nunquam putaveramus, divinum virum Cæsarem Scaligerum, quem qui non mirantur, Marrucini sunt, tantum spicilegium nobis reliquisse. Si isthuc venire Deus nos voluerit, agamus ea de re cum principe nostrarum literarum, ejus filio. Tuo atque illius judicio cùm alias omnes nostras lucubratiunculas aut stare, aut cadere volumus, tùm hanc maximè. Sed de his aliàs. Vale, Vir præstantissime, cum nobilissima uxore. Deus Opt. Max. omni bonorum genere magis magisque vos cumulet. *Monspelii, a. d.* VI. *Kalend. Januar.* CIƆ IƆ XCVIII.

EPISTOLA

EPISTOLA CLIX.

JACOBO BONGARSIO.

1597. POst reditum in Gallias tuum, Bongarsi amicissime, unas tantùm à te accepi literas, quas mihi Genevâ attulit Johannes à Wouweren, adolescens tibi probè cognitus. Facis in iis mentionem fasciculi alicujus, in quo & Josiæ Merceri literas ad me fuisse scribis. Illum scito periisse, aut necdum certè in manus meas venisse: quod equidem tuli, & adhuc fero valde iniquo animo. Si qui enim est, qui Mercerum amet plurimique faciat, is ego sum. Cupio igitur veterem amicitiam, quæ mihi cum ipso est connata, renovare: quod te interprete & proxeneta spero facile mihi futurum. Aristænetum ab illo editum scis quanti semper fecerim. Paucula sunt, in quibus mihi cum illo non planè convenit: vel quia ipse erro, vel quia Mercerus suæ sententiæ rationes nos celavit. Scripsi de nonnullis ad ipsum, non ut docerem, sed ut docerer. Eam epistolam huic adjunxi. De Bibliis Græcis, & aliis libris, quos donasti mihi discedens è Germania, ago tibi gratias quàm possum maximas: etsi enim non unis literis id jam est à me factum, quia tamen eas tibi fuisse redditas non constat mihi, πάλιν ἂν καὶ πάλιν εὐχαριστεῖν tibi potius debeo, quàm vel in suspicionem animi ingrati venire. De studiis nostris non aliud tibi nunc dicam, nisi quòd, si privilegium à Rege potuerit impetrari, brevi multa edituri sumus nostræ in literis ἐκπνύας monumenta: hoc spondeo tibi, & mihi credas volo. Si fallo, tum me omnes Musæ malè oderint. Quòd necdum quæ in Athenæum scripsimus sint edita, & rei difficultas, & pericula itinerum, & parum firma valetudo sunt in caussa. Enimverò in tam arduo conatu, satis citò, si satis bene. Sanctè & liquidò juro tibi, me nullum unquam molestiorem laborem sustinuisse. Sed sera pœnitentia est cùm jam in alto sumus. Vale, Vir amicissime, & omnium προσφιλέστατε. *Monspelii, a. d.* IV. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ XCVIII.

EPISTOLA CLX.

JACOBO GILLOTTO.

1597. BInas tuas paucis diebus, Vir clarissime, accepi. Utrisque simul respondebo hisce meis, quando ejus rei facultas data antè non est. Amoris erga nos tui constantiam, imò vehementiam equidem, vel in præcipua felicitatis 1597. meæ parte pono. Amari enim à Thuanis, Gillottis, Pithœis, quibus vel innotuisse pretium sit operæ, quantum est? Meo certè judicio, tantum, ut huic temerè ullum aliud τῶν ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν sim comparaturus, nedum antepositurus. Utinam esset in nobis aliquid tantorum virorum amore dignum, καὶ τῆς ἡμετέρας φιλίας ἑλκυστικὸν, cujusmodi nihil agnoscimus, nisi quòd voluntatem bene de literis merendi, pro re fortè interpretari, libido est vobis. Ego videndum mihi etiam atque etiam, ne spem vestram aut destituam, aut fallam. Atque in eo sanè omnis nostra dies noctesque industria occupatur. Athenæum hâc fine recensuimus, & Animadversionibus illustravimus, quæ si lucem aliquando, ut spero, viderint, non recuso, quin de ingenioli viribus ex eo opere fiat judicium. Mitto alia, quæ hactenus partim inchoata, partim affecta, quàm plurima, quorum nonnulla isthuc brevi sum missurus, si spes, quam habeo, excitandæ hîc typographiæ, decollaverit. Scripsi ea de re ad amplissimum Thuanum, qui & ipse suam mihi, quæ est ipsius humanitas, operam prolixè obtulit, novissimis literis, quas ab ipso accepimus. Quod si ita accidat, ut nostri libelli necessariò isthîc edendi sint, omnis mihi in vestro amore fiducia erit. Vos, spero, id operam daturos, ut & eleganter & castigatè illi edantur. Sed id prius video mihi esse faciendum, ut à Rege impetrem privilegium, qua in re si tua gratia opus fuerit, suscipe, quæso te, meâ caussâ & studiorum meorum hunc quoque laborem, ut amicum hunc meum, qui has tibi reddidit, adjuves. Is enim discedens pollicitus mihi est, se facturum diligenter omnia, quo ego voti hujus compos fierem. Hoc quidem certissimum est, priusquam id impetravero, nihil omnino lucubrationum nostrarum posse lucem videre. Iterum igitur, iterumque hoc à te precibus contendo, ut ne siveris re infectâ amicum meum ad nos redire. Vale, Vir clarissime. *Monspelii, a. d.* IV. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ XCVIII.

Peto à te per eam amicitiam, quam mihi sæpe testatus es, ut, quas ad Josephum Scaligerum scripsi, cures tutò efferendas.

EPISTOLA CLXI.

ISAIÆ COLLADONO.

NOn ex otii abundantia, sed amoris 1597. vehementia hæc mihi nata episto-

1597. la est, amicissime, dulcissime, suavissimeque Colladone. Sed quia Lugduno literas ad te dare, ut eram pollicitus, non quitus sum, omnia postposui quo possem id nomen, ubi primùm huc appuli, expungere. Mei sanè moris non est, in isto genere officii (sic enim existimatur) lentum esse procrastinatorem. Ut id non esset, vereri tamen non debes, quin sedulus & assiduus in scribendo ad te semper sim futurus: nam ut isthic cùm eramus, faciebam nihil libentius quàm ut tecum; tecum, inquam, meus amor, meum delicium, garrirem: sic nunc per literas tecum sermones serere quàm creberrimè, & cupio, & faciam σὺν Θεῷ diligentissimè. Faxit aliquando Deus, hac literarum vicissitudine opus ne sit nobis: sed aut tu hic mecum, (quod mea in patriam charissimam pietas optare non sinit:) aut ego isthic, quod Θεῷ ἐν γούνασι κεῖται, vitæ quod superest degere & peragere possimus. Vale, amice dulcissime, & de me merite quàm optimè. Doctissimo fratri tuo, uxoribusque vestris, sorori, affinibus, ὁμοτραπέζοις cæterisque amicis tuis, à quibus & nos amari non ignoras, plurimam à me & uxore mea salutem velim nunties. Deus Opt. Max. & publicè omnes, & privatim quemque vestrûm omni bonorum genere cumulet. Iterum vale. *Monspelii, raptim a. d. prid. Kalend. Januar.* CIↃ IↃ XCVIII. ut hic tempora putantur.

Epistola CLXII.

PHILIPPO CANAIO A FRAXINIS.

1598. CUm ad hanc epistolam exarandam accessi, Præses amplissime, non aliud mihi propositum fuit scribendi argumentum, quàm ut Arriani promissum librum tibi offerrem. Sed mihi, uti video, non munusculum offerendum, verùm deprecanda potius venia est, quòd post longam adeò exspectationem ne nunc quidem illum mittam. In caussa est, iniquitas & angustiæ ejus loci, qui mihi adhuc pro Museo est. Nam cùm solutos nuper libros ubi collocem non habeam, susque deque omnia perturbata sunt, ut quæsitus mihi cùm maximè, [Θεὸς ἐπιμάρτυρος ἔστω] ille liber inventus tamen non sit. Atqui ego illum casu in meas manus delapsum ante sex septem dies secreveram, & certo loco posueram, ubi facile eum reperire mihi futurum fuit, nisi vel tagax aliqua manus, ὃ μὴ γένοιτο, eum mihi abstulit: vel imprudentia aut mea, aut alicujus meorum illum loco movit, & in aliorum turbam conjecit. Scio te pro tua singulari humanitate 1598. omnia consulturum æqui boni: sed me malè habet, quòd tantum quotidie temporis in quærendis libris malè ac sæpe frustra collocem: etiam illud ægerrimè fero, quòd præstare quod promiserim, necdum possim. De ædibus, spero, brevi prospicietur. Si quid futurum est, scribam statim ad te, quando etiam hæc levia, Præses amplissime, ad tuam pertinere curam non dubito. Deus Opt. Max. & te, & nobilissimam heroïnam, uxorem tuam, & omnes tuos ac tua servet, sospitet, semperque fortunet. Vale, nostrum decus. *Monspelii, a. d.* XII. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ XCVIII. ipso natali nostro trigesimo tertio ineunte, quem velit Deus ita felicem illuxisse, ut ad publicam utilitatem & hic vitæ nostræ annus, & si qui alii futuri sint, referantur omnes. Iterum vale, Vir maxime.

Sed non differam diutius, quid nostri judicii sit super proposita quæstione è Psalmo μα'. Initio statim abiisse videntur LXX. ab Hebræo, cujus vestigia nostri propius sequuntur. Sed nos impræsentiarum omittemus quid secuti illi sint, cùm sic verterent: ἐν τρόπον πεδίον πρασιασθῇ· vel ὡς αὐλὼν πεπρασίασται. Hoc dicimus, sensum ex iis verbis non dissimilem posse elici: πρασιάζεσθαι verbum insolens, & quod vulgò explicant, *sitire*: nempe aliquid dicendum est, etiam quum nihil quod dicamus habemus. Nos ita putamus; quàm rectè, ipse videris, ὦ τῶν τὰ τοιαῦτα πεπαιδευμένων δεινότατε· πρασιὰ est, area horti: πρασιάζεσθαι, nisi animi fallor, est ἐμφατικωτάτη dictio, quâ denotatur hoc loco summum desiderium. Propriè dicetur hortus πρασιάζεσθαι, qui avidè curam & manum domini exspectat: quasi dicas, velle in πρασιὰς distingui, hoc est, coli, & curâ ἀξιοῦσθαι. Materia, inquiunt Philosophi, formam naturaliter appetit: heic forma est πρασιάσεως: est autem hoc desiderium vehementissimum animæ piæ, quâ fertur erga Deum * hac voce indicari. Plura poteram in hanc sententiam: sed nec ego stultus, qui non meminerim, intelligenti satis esse vel unicum verbum. De Psalmo μδ'. cùm erit otioli tantillum, scribam. Vale, & me ama, ô puriorum Musarum delicium.

Epistola CLXIII.

DAVIDI HOESCHELIO.

MIrabar silentium tuum, optime 1598. idemque doctissime Hœscheli: nec mirabar tantùm, sed &, ne quid dissimu-

1598. simulem, succensebam. Est enim profectò vehemens omnis amor (ut meus in te) semper μεμψίμοιρος. Tandem accepi quas Kalend. Augusti ad me dederas cum * Lampria tuo; cujus nomine ago tibi gratias magnas. Sed vide tuarum literarum peregrinationem: missæ enim sunt ad me ex ultima ferè Aquitania: neque eas videre mihi contigit ante illud ipsum ἀκαρὲς τοῦ χρόνου, quo hæc ad te scribo. Commodum enim, cùm illæ mihi redditæ sunt, aderat tabellarius petasatus, qui Lugdunum proficiscebatur. Censeo, hac viâ posthàc utaris, si quando volueris tuis literis me beare. Basilii orationem εἰς τὰ ἅγια νήπια needum vidi: & jam à lectione tuarum maceror, & crucior exspectatione illius. Ego totos dies sum tecum, te alloquor, te amplector. Ita bene de studiis meis es meritus, missâ Epitomâ Athenæi. Spero, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, cies dies viginti & quinque colophonem me impositurum Animadversionibus in Athenæum; operi, Deus bone, laborioso & molesto. Cùm absolvero, scribam statim, ut mihi gratuleris, qui tantum pelagus in hac corporis ἀσθενείᾳ sim emensus. Quanquam ego, non quod volui, præstiti: sed certè, quod potui, bonâ fide. Ain' tu autem, esse te in eo, ut Photii Bibliothecam edas? ô munus verè munificum! ô te liberalem! facile est ex iis, quæ sunt edita de illius libris, tanquam ex unguibus leonem æstimare. Audivi sæpe ab H. Stephano, qui nunc μακαρίτης quiescit à laboribus, habere se Photium MS. integrum. Si Genevæ essem, eum tibi mittendo curarem: & faciam fortasse; nam illuc mihi necessariò eundum erit, propter uxoris dotem. Meminero tum tui, & si potero, referam pro Athenæo gratiam. Ad clarissimum Velserum scripsi nuper, & jam illius exspecto literas. Vale, amicissime Hœscheli, & à me magnum illum civem tuum salvere μεγάλως jube. Scripsi raptim. *Monspelii, a. d.* III. *Eid. Martii,* CIↃ IↃ XCVIII.

* *Plutarchi Operum Catalogo, Autore Lampriâ, Plutarchi filio, de quo in Collectaneis sub nomine Suidæ.* Colomes.

Epistola CLXIV.

JACOBO GILLOTTO.

1598. Constitueram, Vir clarissime, nullas ad te literas antè dare, quàm Athenæi Animadversionibus ultimam manum imposuissem; [jam enim virtute Dei Opt. Max. opus ad umbilicum vergit;] sed oblatâ scribendi occasione paucula hæc raptim exaravi, ut scires, nuperas tuas mihi fuisse redditas. Scivi ex illis, quod & prius cognitum habebam, quantæ curæ tibi res meæ essent. 1598. Ago igitur tibi, pro eo ac debeo, gratias gratissimas: eò quidem impensius, quòd referendi spes nulla nisi verbis: sed enim impar gratiæ reddendæ sum, nec est operæ pro factis verba pendere: sed specta, obsecro te, hunc animum, qui gratus tibi videri laborat. Crimen enim ἀχαριστίας abominatur. Quod si ostensa mihi spes à Domino de Vicq istuc peregrinandi, cùm ille ad vos redibit, non decollabit, fruar conspectu tuo, Vir clarissime, & cæterorum magnorum virorum, qui splendoris vestri lumine Galliam nostram illustratis. At Passeratium non videbo, cujus nuper audivi obitum. Næ vestra Academia vel præcipuum, nisi fallor, tibicinem amisit, quo fulciebatur. Nunc autem quis tanti viri locum occupabit? Stephani * etiam nostri obitum puto intellexisti, Commelini quoque. An parant Musæ fugam ex Europa? Nam juventus ista, quæ succrescit prioribus μεταγλῶττις, si quid judico, vix frugem faciet. Sed de his fortasse cis paucos menses στόμα πρὸς στόμα. Quod utinam ita Deo videatur. Vale, & me constanter ama. Scripsi raptim. *Monspelii, a. d.* III. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ XCVIII.

* *Henrici.*

Epistola CLXV.

DAVIDI HOESCHELIO.

Quas Lugdunum miseras, ut mihi Monspelium perferrentur, doctissime Hœscheli, accepi hoc ipso die Lugduni. 1598. Hæc nunc nostra est sedes, eritque σὺν τῷ Θεῷ, donec deducetur ad umbilicum nostrarum in Athenæum Animadversionum editio. Fregit enim anno superiore conatus nostros, cùm hoc ipsum moliremur, susceptum παρὰ προσδοκίαν iter in aulam. Inde Monspelium reversi, scripsimus de nostris rebus epistolam bene longam ad amplissimum Velserum. Ne te multis morer, Regis voluntas, & amicorum consilium impulerunt me, ut Volcis Arecomicis longum vale dicerem. Rex Luteriam nos vocat: amicus magnus meus, vir amplissimus, & omni laude dignissimus, de Vicq, hac in urbe nos tenet, non ante dimissurus quàm erit confectum, quod æstate superiore perfici non potuit. Dies pauculi sunt, cùm adveni, & jam Dei beneficio operis specimen editum est. Faxit ὁ ὑπεράρρητος Θεός, ut institutam semel editionem nihil moretur. Nostrorum nunc votorum ea ferè summa est. Valde enim optamus, ex hoc nostræ φιλομαθείας,

&

1598. & erga literas propensionis testimonio fructum aliquem provenire. Characteres me absente editi sunt: rectè an secus, ipse judicabis: mitto enim unum tibi; alterum Velsero exemplum. Photium tuum in dies semper exspecto avidius. Si Genevam nuper, ut sperabam, fuissem profectus, facile, ut puto, confecissem de exemplari Stephanico, quod pridem sum pollicitus. Quia antè non potuit, promitto sanctè tibi omnia me facturum, cùm illuc venero, ut voto tuo satisfiat. Sperabam, cùm hæc scribebam, post unam aut alteram hebdomadem eò me iturum; & præmissâ jam uxor adventum meum præstolatur: eadem curabo tibi mittendos, quos petis, libros. Virgilium illum, tamdiu doctis expetitum, esse tandem editum isthic, lubens ex tuis intellexi. Vidi nuper Lutetiæ aliquot chartas ejus Servii, qui à Petro Daniele edebatur. Ita erit planè ex ἀπορίας πόρος. Liturgiæ quas ais edi, scire velim, an adjunctas habituræ sint aliquas Margunii notas. Magnam verò res literaria jacturam fecit in morte magnorum virorum, de quibus ad me scribis. Quæso autem, nos quæ tempora manent, cùm sic ἐπάλληλα exstinguuntur illa lumina literarum? Nam præter nominatos tibi, obiit & Saracenus meus, omnis virtutis rarum exemplar, ut de literis nil dicam: neque enim dubito, vidisse te illius in Dioscoridem eruditissimas lucubrationes. Rem sanè tristem, & veræ literaturæ amantibus lugubrem. Sed quid agemus? Θεῶ ἐπλήετο βουλή. Ille nobis magnum virum Velserum tuum, teque cum eo, & quicunque verè Musas amant, quàm diutissimè servet πημάτων ἐκτὸς πόδα ἔχοντας. Vale, charissime Hœscheli, & me constanter ama, constanter tuum. *Lugduni*, *a. d.* XIII. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCVIII.

EPISTOLA CLXVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

1598. NArro tibi, Vir illustrissime, dies hic alter est, cùm Dei virtute Animadversionibus in Athenæum τὸν κολοφῶνα ἐπεθήκαμεν. Si me amas, & ingenii nostri fœtus putas esse tanti, est quod nobis gratuleris. Magnâ enim & molestâ curâ liberati sumus. Fateor ingenuè, & semper fatebor, unum esse te, magne Musageta, cujus humeri tanto sint oneri pares. Itaque dici non potest, quàm sæpe in ipsis difficultatibus incepti nos pœnituerit. Sed quid agerem? ἀναδύεσθαι γὰρ τὴν ὑπόσχεσιν pudor vetabat, fortasse ineptus. Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι. Quicquid hujus sit, quod publicè eramus polliciti, bonâ fide præstitimus. Magnum æquor sumus emensi: magnis tempestatibus jactati sumus: naufragium sæpe fecimus: tandem portum tenemus. Nunc illud superest, ut freti benignitate tuâ & amore erga nos, de locis quibusdam te consulamus: quorum morbus fuit κρεῖττον τῆς ἐμῆς ἰατρικῆς. Nam quis homo natus speret se tot monstra posse superare? Veniam igitur ad te, summe Scaliger, cui Deus dedit humani ingenii ἔσχατον ὅρον. Tu, si grave non est, nostrâ & literarum caussâ hunc laborem suscipies: dabisque hoc mihi, ut de splendore nominis tui lucem fœneretur nostrum hoc (Deus bone!) laboriosum opus. Libros tuos de Emendatione Temporum prostare, ab amicis didici. Gratulor itaque tibi, mihi gaudeo. Tu labore immenso & inæstimabili defunctus tandem, nunc κύδεϊ γαίεις. Ego infinita mihi incognita, scitu dignissima, è densissimis tenebris eruta, te docente discam, animo juxta discendi avido & grato. Atque utinam adfectum adversus te meum officii aliquo genere possem tibi testatum facere. Scires, neminem unum esse, qui eruditionem, virtutem & pietatem tuam religiosius colat. Vale, & brevi literas à me exspecta, quæ manum utramque tibi impleant. Vale iterum. *Monspelii*, *a. d.* XV. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ XCVIII.

EPISTOLA CLXVII.

JOANNI SARACENO.

RIsi, & ipsum me irrisi, cùm legi tuas novissimas, Vir doctissime & amicissime. Itane verò, ego mei nominis sum oblitus? O literarum oblivio! quid jam igitur magni de nostris conatibus in literis tibi spondeas, si τοιαῦτα πάσχομεν ἐξ ἀπροσεξίας· οὐ γὰρ δήπου ἐκ λήθης ἀληθινῆς. Possem caussari multitudinem negotiorum, quæ me ferè semper distrahunt, & ἐλίγγου δίκην obruunt. Sed malo culpam deprecari, & te rogare, ut negligentiam meam interpreteris clementer. Hoc quidem malo, oblivisci mei nominis quàm tui: quod altè inscriptum ἐν φρενῶν δέλτοις deleri non metuit. Scripsit ad me vir clarissimus Jugeus de itinere ad nostram urbem. Si Domino sic fuerit visum, eò mihi proficiscendum esse necessariò certum est: & jam non unis nec binis, sed ternis literis à clarissimo viro, parente tuo, sum illuc vocatus. Eamus igitur bonis avibus, hoc est, Deo Opt. Max. duce: sed eamus tres unà: quâ- 1598.

re

1598. re nulla mihi possit esse jucundior. Vale, Vir amicissime, & meis verbis magni herois, quem scis coli à me religiosè, uxorem nobilissimam plurimùm saluta, & cæteros quoque isthìc amicos meos. Scripsi raptim. *Monspelii*, *pridie Kalend. Majas*, CIↃ CI XCVIII.

EPISTOLA CLXVIII.

JACOBO GILLOTTO.

1598. ACcepi nunc ipsùm, Gillotte præstantissime, quas ad me ante diem undecimum Kalend. April. dedisti. Beasti me hac diligentiâ. Nondum enim, puto, cùm eas scripsisti, novissimas meas tibi fuisse redditas. Quàm diligenter cavendum mihi video, ne, qui omnibus à te vincor longo adeò intervallo, diligentiâ quoque in hoc genere sinam me superari. Scribam igitur, quoties erit facultas, si modò per te licet ἀδολεσχεῖν. Nunc hoc tantùm dicam, absolvisse me tandem virtute Dei Opt. Max. molestissimum, difficillimum, & tædii plenissimum opus, Animadversiones in Athenæum. Si nostras nugas putas esse tanti, Vir magne, gratulare, quæso, nobis. Multum enim sudavimus, multum æstuavimus, multum ausi sumus: nihil denique reliquimus intentatum, quo exiret hoc à manibus nostris opus vestrâ summorum istic virorum exspectatione dignum. Quid præstiterim, nescio; nec si scirem, dicerem tamen. Quid conatus sim, & quâ sim usus diligentiâ, vide. Hoc verò scio: sed plura non addam. Vereor enim Nemesin. Nunc omnis spes mea in Domino de Vicq, qui admolitur, ut benignitate suâ fœtum hunc χαμαιρριφῆ tollat, & publico donet. Vale, Vir magne, & me ama. Raptim. *Monspelii*, *a. d.* VI. *Eid. Maj.* CIↃ IↃ XCVIII.

Cùm de reditu amplissimi Præsidis Thuani intellexero, scribam ad ipsum. Scripsi etiam nuper Jo. Sarrano. Puto etiam, Franciscum Pithœum, virum clarissimum, & τῶν μουσῶν τὰ παιδικὰ, accepisse, quas nuper misi ad Dominum de Vicq istuc perferendas. En erit ille unquam dies, cùm ego vos hisce oculis tuebor, prope dixerim, τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών.

EPISTOLA CLXIX.

EIDEM.

1598. PRimùm tibi, pro eo ac debeo, gratias agam, Gillotte, quòd tua officia adeò prolixè & humanè immerenti mihi offers. Quid faceres lacessitus? 1598. Enimverò bene cum mortalitate actum iri censeam, si vulgò homines eo animo τὰς χάριτας ἀπομνημονεύειν, & accepta beneficia referant, quo tu bene de nobis quotidie mereris. Pace tuâ dixerim, Vir prudentissime & consultissime, jura civilia, quoties ad me scribis, pervertis: qui meus creditor es, debitorem te fingis, & ea deinde usurpas verba, quæ mihi conveniunt, non tibi: nisi tu id agis eo consilio & fine, ut omnem mihi præripias occasionem τοῦ καὶ διὰ λόγου ἀξίως σοι εὐχαριστεῖν. Nam si tu mea verba occupas, καὶ τοὺς ἐμοὶ πρέποντας λόγους φθάνεις ἀεὶ προλαβὼν, quid superest, nisi ut inopiâ verborum ἐχεμυθῶν tacito animi sensu te colam, & tuum hunc adversus me animum mirer? Erit fortasse olim ille dies, cùm ego præsens foris verecundiâ quantum me tibi debere sentiam testatum faciam. Gestit sanè animus istuc peregrinari, & semel, priusquam morior, summos, qui istic estis, viros affari & coram venerari, quos absentes pridem miror. Sed mihi nondum ita propitius fuit cœcus ille Deus, ut tantum iter sine magno rei familiaris damno possem conficere. Ingenuè confitebor tibi, magne Gillotte, meam imprudentiam. Nam qui tot annos in colendis Musis desudem, nihil adhuc ex meis laboribus sum consecutus, nisi ut acceptas à patre mediocres fortunas valde labefactarem & imminuerem. Bonus pater familias non fui, neque ante hunc diem sollicitus unquam fui alia de re, quàm ut spartam, ἣν ἔλαχον θεόθεν (sic confido) pro virili ornarem. Annos ipsos quatuordecim, magnam humanæ vitæ partem, nullâ ferè mercede literas in ea urbe sum professus, quæ nunc absentem magis desiderat, quàm præsentem fovit: quanquam ego de illa non queror; non enim amplius poterat, quàm præstabat. Nihil tamen minus bibliothecam non pro tenuitate nostra nobis comparavimus, cùm aliter satisfacere discendi desiderio, quo mirè flagravimus à puero, non possemus. Ita crescente bibliothecâ & familiâ, etiam minuit res familiaris. Possem hoc non curare, qui ἀφιλοχρηματίας palmam nemini facile concesserim. Sed me amor in liberos, & illa ἄφατος φυσικὴ στοργὴ non sinit esse securum. Verùm quid ago? aut quid hæc ad te? Ex his tamen intelligis, Vir optime, ut tanto à tot annis peregrinandi istuc desiderio percitus, domi adhuc hæream. Cogit me tamen Typographi inopia, ut brevi pedem domo efferrem, & ad clarissimum optimumque virum Dominum

1598. de Vicq me conferam, qui opem suam, tuo, opinor, impulsu, & magni Præsidis à Fraxinis, offert ad edendas nostras in Athenæum Animadversiones. Itaque, quod bene vertat Deus Opt. Max. constitui ante diem decimum septimum Kalend. Jul. accingere me itineri, ut, si poteit fieri, opus illud statim Lugduni edatur, aut si propter Græci characteris inopiam vel inelegantiam id nequit, videbo an Lutetiam fas erit nostra deferre. Vellem certè, & ita vellem, ut haut sciam an aliquid vehementius cupiam, posse scripta nostra à doctissimo Morello edi, sive Patissonio. Sed quis me faciat hujus voti compotem? si aliud nihil possum, Characteres * saltem ad te mittere constitui, cum Appendice aliquot capitum hactenus ineditorum. Verùm de his plura σὺν τῷ ὑπὲρ ἀγαθῷ Θεῷ, cùm Lugdunum venero. Vivere adhuc doctissimum & ingeniosissimum Passeratium, magno cum gaudio ex sermonibus amplissimi Episcopi Monspeliensis, & literis tuis ita intellexi. Deum supplex oro, servet nobis adhuc singulare illud vestræ Academiæ ornamentum. Veneror eundem μέγαν ἐν οὐρανῷ Θεὸν, ut tibi, Gillotte μακαρίτατε, omnia duit læta & fausta, καὶ ἐν τῷ παρόντι αἰῶνι καὶ εἰς τὸν μέλλοντα. Vale, & me constanter ama, qui tuus sum ὅλος καὶ πᾶς. *Monspelii, a. d.* XIII. *Kalend. Jun.* CIↃ IↃ XCVIII.

* *Theophrasti.*

Si quid adhuc ista curat ὁ τρισμέγιστος ille Præses, Præsidum princeps & ornamentum, potes illi sine tuo periculo adfirmare, absolutas ante mensem, & quod excurrit, nostras in Athenæum vigilias nullâ meâ culpâ tamdiu in forulis nostræ bibliothecæ delitescere. Reditum in urbem alterius magni Præsidis, quem expectari ais, ego quoque avidissimè expecto. Si tibi cum doctissimo viro Josia Mercero notitia est, oro te, significa illi, habere me paratum quod à me petit. Sed otium adhuc ad describendum non fuisse. Erit σὺν Θεῷ brevi.

EPISTOLA CLXX.

JOSEPHO SCALIGERO.

1598. ATHenæi Mechanica mitto ecce tibi, præstantissime Scaliger. Non dubito longam tibi visam hanc moram homini in talibus ἐξυπνίῳ. Sed qui experiar quotidie, itinerum pericula quæ & quanta sint, constitueram non antè è manibus meis illa mittere, quàm tu mihi viam indicasses, quæ satis tuta videretur. Cùm igitur Nicolaus Gillottus, vir clarissimus, nuperis suis literis de tua voluntate certiorem me fecisset, morem illi statim, pro eo ac debui, gessi; & libellum Athenæi ad D. de Vicq, qui Lugduni degit, misi; rogavique ut ad Gillottum sine mora curaret perferendum. Puto illum ejusdem operâ usurum, cujus ipse sum usus. Commodum enim accedit, ut D. de Montigni, finitâ Synodo, Lutetiam ad suos rediret, ei fasciculum commisi Lugduni tradendum D. de Vicq. Nam is, cùm ante paucos dies Gillotti literas ad me mitteret, studiosè mecum egerat, ut suæ hac in re operæ ne parcerem: se tui studiosissimum à Nicolao Gillotto rogatum, ut curæ haberet hanc curam. Pluribus hæc tibi, κράτιστε ἀνδρῶν, expono, ut scias me ᾗ ἐφικτὴν ἀνθρωπίνῃ προνοίᾳ sedulò cavisse, ne periret in tam longa via pulcherrimum istud nostri Thomsonis κειμήλιον. Legi eum libellum, simul in meas manus venit, avidissimè: ac quoniam ei describendo otium non suppeditabat, jussi amanuensem id facere: ille verò mendas τοῦ αὐτογράφου sic multiplicavit, ut verè dici posset οὐδὲν ὑγιές. Contuli equidem quâ potui diligentiâ: sed persuasus, te, qui potes hodie solus, id scriptum recensiturum, fui in eo negotio omissior, præsertim cùm non esset ad manum qui figuras imitaretur ibi expressas. Audio latere alicubi Lutetiæ integrius aliquod ejus libelli exemplar. Quare, si eò me venire Deus siverit aliquando, [id esse votum & consilium magnorum quorundam virorum, non te fugit,] omnem movebo lapidem, ut illius tu meâ operâ compos fias. De nostris studiis scripsi nuper adfatim: atque hæc jam quarta epistolâ est, quam post novissimas tuas, XV. Kalend. Septemb. anni superioris * scriptas, tibi misi. Prostare librum tuum de Emendatione Temporum, ab amicis intellexi: ipse adhuc videre quitus non sum; talium enim mercium nihil huc affertur. Lugduni σὺν Θεῷ videbo: eo enim cogito multas ob caussas, de quibus scribam inde ad te oportunius. Vale, Vir maxime, & me ama. *Monspelii, a. d.* VI. *Eid. Jun.* CIↃ IↃ XCVIII.

* *Exstat n.* 44.

Ad hanc responsoria Scaligeri exstat n. 48.

EPISTOLA CLXXI.

SIMONI BASTIDANO.

ME verò ita Musæ ament, ut lectione tuarum capior, doctissime Bastidane: vel illud, quò Athenaicas nostras vigilias laudasti, epigramma, quàm elegans! ὦ Ζεῦ, quàm ἑλληνικὸν, σέβας μ᾽ ἔχει εἰσορόωντα! Si me natura fecisset μικρόψυχον, & invidiæ angustiis pectus 1598.

mihi

1598. mihi arctasset, inviderem tibi hanc tantam, tam ex facili partam τῆς ἑλληνικῆς παιδείας ἐμπειρίαν. Nos enim si quid in his literis supra vulgus sapimus, σπουδῇ καὶ προσλιπαρήσει μεγίστῃ τῶν Μνημοσύνης θυγατέρων, id sumus ægrè tandem, quantulum id cunque est, consecuti. Tu, qui vix dum ἡβάσκων longè adeò provectus es, quo per Deum eveheris antequam ætatem illam assequaris, quæ vulgò homines negotiis maturos solet reddere? Non hoc dicam, ut tibi blandiar; verùm quia ita judico, neminem esse hodie tuorum æqualium mihi notum, de cujus ingenio majora sperare possim, quàm de tuo. Crede mihi, Bastidane eruditissime, οὐκ ἀθεεὶ hanc studiorum viam es ingressus: i modò quò te fata, hoc est, Dei providentia vocat. Spondeo tibi, paratam esse laboribus tuis palmam & ἀντάξιον γέρας. Atque utinam ejus sponsæ, quam video te tantopere ambire, rivales plures haberes, τῆς ὀρθῆς παιδείας καὶ ὄντως σοφῆς σοφίας ἐραστάς. Nunc quanta sit solitudo rectorum studiorum, vides: quò minus miror, novem Sorores, cùm vulgo se sperni viderent, tuum hoc erga se studium probasse, & ἴσῳ ζυγῷ te amare cœpisse. Habes igitur quod gaudeas: nos tui amici habemus, cur tibi gratulemur: ego in his & gaudeo tuo bono, & tibi ex animo gratulor. Vale, amicissime Bastidane. *Monspelii*, *a. d.* XV. *Kalend. Jul.* CIϽ IϽ XCVIII.

Magni Præsidis à Fraxinis reditus in Provinciam cogit me iter adhuc differre.

EPISTOLA CLXXII.

JACOBO GILLOTTO.

1598. TAndem Lugdunum me attraxit, Vir magne, Dominus Vicquius, in cujus ædibus eram, cùm hæc ad te scriberem. Merebatur sanè tanti viri eximia virtus, ut rebus relictis ipsum viserem; atque hæc vel præcipua mihi fuit causa, cur hoc iter susciperem. Nam hæreditas soceri, viri de literis quàm optimè olim meriti, non erat fortasse tanti, cujus gratiâ uxorem relinquerem, dum uxoria bona prosequor: sed de una fidelia plures dealbare, frugi hominis esse videtur, & ejus, qui τὸ τοῦ χρόνου ἀνάλωμα didicit æstimare. Quando igitur sic fata mea ferunt, ut Typographo carendum mihi sit domi inter meos adfectus versanti, constitui, ἄνγε ὁ Θεὸς ἐθέλῃ, Animadversiones in Athenæum prius edere, quàm domum redeo; si modò tamen futura mihi ejus rei in hac urbe sit facultas. Neque enim te fugit, Gillotte clarissime, quàm non magnum usum Græcorum characterum operæ Lugdunenses habeant. Sed illis facit animum nunquam sine honoris præfatione mihi nominandus D. Vicquius. Ille me plurimis ad se literis invitavit. Ille me, postquam adveni, mirâ comitate & humanitate excepit. Ille etiam, spero, faciet, ut superatis omnibus difficultatibus nostra hic edantur. Deus Opt. Max. & illi, & vobis omnibus, qui literas amatis, tantopere velit, faxitque λοιπὸν εὔφρονα χρόνον ἕρπειν. Vale, & me ama. *Lugduni*, *a. d.* VI. *Eid. Julias*, CIϽ IϽ XCVIII.

EPISTOLA CLXXIII.

EIDEM.

EXcusationem stili tuam, Gillotte præstantissime; sic accipio, ut tu illâ es usus: εἰρωνευόμενος nempe ea scripsisti: simul, nisi fallor, quales à me epistolas expectatis, ἐσχηματισμένας, more veterum σοφιστῶν, indicare voluisti. 1598.
Sed da mihi, quæso, ut αὐτοφυεῖ καὶ ὡς εἰπεῖν αὐτοσχεδίῳ λόγῳ tecum loqui liceat. Polire impensâ curâ quæcunque scribas, præsertim autem epistolas, & de singulis vocibus ire in consilium, diligentioris est hominis, atque, ut ingenuè dicam, πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν φιλοτιμοτέρου, quàm ego sum; quem natura fecit, & institutio etiam ab omni ambitione quàm alienissimum. Nobis à puero in votis hoc unum fuit, ut ἔμφυτον illud studium promovendæ rei literariæ, quo flagrabamus, Deo, & mortalium optimo, ac doctissimo cuique probaremus. Quæ ad ingenii famam & pompam magis, quàm ad γνήσιον αἰδῶ facere videbantur; ea semper ceu speciæ inani blandientia insuper habuimus. Falsus sim necne, haut facile (οὐ γὰρ νῦν βροτοί εἰσι) pronunciaverim. Ita certè esse, ut dixi, etiam tacentibus nobis, πάσης φιλοκαλίας γυμνοὶ nostri libelli produnt nimis. Testantur & quas ad amicos scribimus epistolæ αἱ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς οἱονεὶ ἔμψυχοι εἰκόνες οὖσαι, quas scimus τῆς ὡραιότητος τῶν λόγων ἀφροντιστοῦσι μόνον οὐχὶ φρενὸς ἀφιείσας ποιούμενοι. Iterum igitur, iterumque, Vir clarissime, te oro, condones genio ingenioque meo; si tecum per literas non ἐσκεμμένος καὶ ἐσπουδασμένος loquar. Quod gratularis de Animadversionibus in Athenæum ad umbilicum perductis, ago tibi grates gratissimas. Si Deus fecerit, ut lucem aliquando id opus videat, & tibi, Vir doctissime, tuique similibus probetur, non erit, cur operæ in eo positæ nos pœniteat: sin aliter eveniet … sed δυσφημεῖν

1598. φημεῖν, & malè ominari necdum nato partui nolo. Quicquid futurum sit, non exponemus eum foetum; sed Θεῷ διδόντος, alemus, si valemus: quanquam de publicatione καὶ τυπώσει nihil adhuc certi constitutum habemus. Nostra vota & tua quid nunc moretur, superioribus literis διὰ πλειόνων tibi exposui: scito tamen, id agere Dominum Vicquium, virum optimum, integerrimum, & θαυμασιώτατον, ut sublatis omnibus longioris moræ causis, brevi lucubrationes hæ nostræ publicâ luce donentur. Quid sit futurum absolutâ Characterum novâ editione, ante dies sex septem inchoatâ, videbimus, & te statim certiorem faciemus. Ain' tu autem, sapientissimos viros, illa dico Galliæ lumina, Harlæum & Thuanum, teque cum his, clarissime Gillotte, spem aliquam de mea istuc peregrinatione concepisse? καὶ γὰρ τὸ βουλοίμην, καὶ νῦν πολὺ κέρδιον εἴη, nisi nos tenuitatis nostræ conscientia vetaret id sperare. Sed mihi crede, ἀφιλῶς καὶ ἐν ἁπλότητι καρδίας seriò affirmanti, neque ii nos sumus, qui eum honorem & locum mereamur, neque ea porro nobis frontis durities, ut onus in nos suscipere velimus, quod ferre humeri recusant. Noli putare, ὑπὸ μικροψυχίας, quam damnant Sapientes, dici hæc à nobis; sed quia novimus nos optimè. Enimverò adsuetum & innutritum obscuriorum locorum tenebris, tantam repente lucem posse ferre, naturæ, ut scis, rerum repugnat. Quare, amabò, vide quem commendas. Rapini tui, viri doctissimi, & elegantissimi ingenii oden magna cum voluptate legi. Feceris mihi rem gratissimam, si ejus amicitiam mihi conciliaveris. Ego amo illum pridem, & στέργω ἀπ' ἐμοῦ colo ex sermonibus maximè Johannis Pinaldi, quem memini, de Rapini popularis sui probitate, integritate & ad omnia magna εὐφυΐᾳ multa solitum mihi narrare. Vale, Vir plurimum observande. *Lugduni, pridie Kalend. August.* CIↃ IↃ XCVIII.

EPISTOLA CLXXIV.

THEODORO BEZÆ.

1598. Facio invitus, venerande Pater, quòd literas Bernardini nostri, quas ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα tibi tradere gestiebam, ad te mitto. Quid me isthuc properantem sistere gradum coëgerit, & plures jam dies hîc continuerit, etiam tacente me satis nosti: neque enim potes ignorare sparsum de pestilentia per urbem vestram grassante (quod Deus ne sirit) rumorem; quem equidem oculis non siccis intellexi. Scis verò quàm difficilis sit nostrarum urbium aditus venienti è loco, qui eo nomine malè audiat. 1598. Non enim Germani sumus, neque apud nos obtinet securitas & ἀτρεμησία candidissimæ gentis. Deum Opt. Max. supplex veneror, liberet urbem vestram, dulcissimam patriam meam, & hoc, & omni alio malo. Intereà mitto ecce tibi, Beza σεβασμιώτατε, quas mihi Monspelio discedenti vir optimus, & Ecclesiæ Dei fidelis ὑπηρέτης Bernardinus dedit. Si dabit mihi is, cujus in manu sunt omnia, ut priusquam pedem refero, coram te possim alloqui, exponam tibi Ecclesiæ Monspeliensis statum omnem; quod ut facerem, rogatus sum à Seniorum lectissimo cœtu. Quæ tua pietas est & prudentia, facile intelliges, non sine gravissima causa esse factum, quòd viri pietate insignes, & τὸν τοῦ Θεοῦ ζῆλον ἔχοντες, Seniores nostri, unum aliquem de numero vestro in suam Ecclesiam adsciscere, si vobis ita visum fuisset, toties tantoque studio sint conati. Equidem in hoc negotio quomodo sim versatus, cùm meâ operâ Monspelienses uti vellent, ut eo facilius viro eximio Goulartio potirentur, neque tu fortasse nescis, & sciunt optimè quidam è vobis. Sed dissimulare jam nullo modo possum, eam esse præstantissimæ illius Ecclesiæ conditionem, ut rem Deo gratissimam facturi videamini, si aliquam ipsius rationem habueritis. Duos in præsentia Pastores frequentissima, & nulli alii è Gallicanis cedens Monspeliensis Ecclesia habet: alterum admodum senem, & non suo, sed ætatis vitio languentem: alterum vix dum ἡβάσκοντα, & qui per ætatem Episcopi locum tueri in tam illustri loco non facile possit. Gigetius, vir doctissimus, & nostræ Ecclesiæ ἔρεισμα σεμνότατον, nunc abest. Eundem cùm adest, partim studia, partim alia negotia sic occupatum habent, ut aliquando per mensem unum aut alterum vox ejus in sacra συνάξει non sit audita. Mitto nunc alia commemorare, quæ Seniores nostros impulerunt, vos respicerent, meque isthuc proficiscentem orarent, suam Ecclesiam vobis etiam atque etiam commendarent. Nam Rotanum nostrum impetrare à Synodo nulla μηχανῇ potuerunt. Spes autem illa, quam in Peirolo, viro optimo, doctissimo, & quod homo de homine possit pronuntiare, εὐσεβεστάτῳ, posuerant, eos destituit. Aliter enim visum divinæ providentiæ: cujus etsi causas non semper capimus, semper tamen ἀποπλήσματα mirari, & in iis acquiescere debemus. Quare obsecro te, Vir

1598. Vir maxime, per Deum immortalem, & studium quo flagras promovendæ ejus gloriæ, si quid hic potes, enitere & demum perfice, ut beneficio tuo auctior apud nos sit numerus τῶν τὰ θεῖα λειτουργούντων. Et quoniam de Goulartio post tot repulsas vel mutire nimis temerarium duco, de Manesserio quid tui judicii sit, quæso, significa. Omnino opus nobis est eo viro, cujus perspecta & probata sit pietas, eruditio, & illa, quam omnes boni admirantur in tractatione τῶν τοῦ Θεοῦ λογίων, vestra simplicitas. Formicum alumnum suum nostri repetunt; sed hac tamen lege, si tuo & totius ordinis judicio hoc ipsorum consilium probetur. Hisce de rebus scripserunt οἱ πρεσβύτεροι ad vestrum cœtum, easque literas, quando isthuc ire non poteram, istis adjunxi. Vale, Pater plurimum venerande, & cum omnibus tuis, atque universa isthic Ecclesia lætus valensque inter lætos & valentes, Nestoreos annos imple. Γένοιτο, γένοιτο. Scripsi *Lugduni Convenarum*, in ædibus maximi viri, & tui amantissimi, Vicquii, *Kalend. August. anno* ἀπὸ τῆς Λόγου ἐνανθρωπήσεως, CIↃ IↃ XCVIII.

Epistola CLXXV.

JOSEPHO SCALIGERO.

1598. Literas tuas diu multumque exspectaveram, Scaliger, meum decus, cùm binas ferè eodem tempore Lugduni accepi. Alteras uxor misit è Volcis Arecomicis; alteras è finibus Allobrogum, Goulartius noster. Puto etiam, magnificum illud tuum munus, quo me beasti, fuisse meis redditum: quanquam eorum insigni incuriâ factum, ut id planè adhuc non sciam. Intereà dum exspectabam exemplar à te missum, aliud mihi impatiens moræ etiam Monspelii paraveram. Non enim dubitabam, ἄφατον quendam θησαυρὸν ἀγαθῶν eo in opere te propalaturum & publicaturum. Nôram pridem tuorum scriptorum genium; sciebam verò, intendisse te hic nervos: quare omnia maxima & nova exspectabam. Sed omnem spem meam & cogitationes omnes meas longè superavit tui illius admirandi operis lectio. O altam rerum abstrusarum cognitionem! ὦ βάθος τῆς γνησίου παιδείας! O ingenium planè in exemplum & admirationem natum! σέβας μ' ἔχει εἰσορόωντα, eò quidem magis, quòd contigit mihi, dum Lugduni otiosus agerem, tuum opus cum Baronii Annalibus, nondum mihi tum visis, posse contendere. Ita demum didici, verisque argumentis ἐπληροφορήθην inter 1598. φιλαλήθειαν, & gratiæ aucupium interesse tantum ὅσον οὐρανὸς ἔστ' ἀπὸ γαίης. Verùm de Baronio & ejus Annalibus habeo alia, quæ tibi narrare cupiam, si esset otium: & faciam σὺν Θεῷ, ut primùm ad libros me contulero. Nunc quidem cum Musis nullum nobis commercium: nam & absumus domo alterum jam mensem; & quando Museum nostrum simus visuri, incertum habemus. Lutetiæ enim hæc scribimus, cùm significasset nobis amplissimus Thuanus, simul urbem sumus ingressi, esse qui isthuc proficisceretur: scriberem, si quid vellem. Raptim igitur ista tibi, Vir maxime, exaravi; plura cis dies paucissimos scripturus. Gestit enim animus, & de studiis meis prolixè tecum agere, & caussam mei in hanc urbem adventùs tibi exponere. Quod quia nunc facere non possum, tantùm nunc scito, non virtute, aut merito ullo meo, sed tuo unius præconio adductos esse multos præstantes hìc viros, ut mihi & studiis meis factum cupiant. Eo fine Vicquius, vir magnus, & tui amantissimus, cùm Lugduno iter facerem Genevam hereiscundæ familiæ ergò, & rumor quidam esset (non vanus is quidem) de pestilentia per eas oras grassante, apud se voluit subsistere; si qua fortè iniri posset ratio nobis melius consulendi. Substiti igitur, & homini de me optimè quotidie merenti morem gessi: præsertim cùm vehementissimè cuperem, lucubratiunculas meas diversi generis publicare; quod Monspelii ne facerem, Typographi penuria vetabat. Institui igitur Lugduni alteram Characterum editionem, auctam aliquot capitibus ex MS: & nostrâ curâ paullò factam meliorem. Sed accidit perincommodè, ut inceptum opus cogerer deserere. Regis enim literis subitò revocatus Vicquius, omnino itineris hujus comitem me sibi esse voluit. Ita Lutetiam, quod felix sit, hodie primùm vidi; & statim magni Thuani Museum ingressus, quàm multa ignorarem; quàm parum, aut nihil scirem, agnovi. Sed quid ab eo homine exspectes, qui natus & educatus, semperque hactenus versatus fuerit in locis, ubi bonorum librorum vix auditum sit nomen: quâ re nullus dubito quin tibi contingat ψευδομαρτυριῶν ἁλῶναι, quod literulas nostras tantopere dilaudaveris. At tu ne fecisses, & tuis illis laudibus ne nos onerasses, quas video hic esse in ore omnibus. Sed cupientem eo nomine pluribus tecum expostulare amici non sinunt. Vale igitur, Vir multis nominibus mihi æternum vene-

1598. venerande. *Lutetiæ*, *a. d.* IV. *Non. Septemb.* CIↃ IↃ XCVIII. Scripsi raptim, ut vides, & tuâ benevolentiâ fretus.

Aderat Vicquius, cùm ista scriberem: egit igitur is mecum, ut te suis verbis quàm officiosissimè salutarem. Quantum vir ille præstantissimus te amet, & quanti te faciat, potes ex eo cognoscere, quod ita vehementer mihi cupiat. Nullam enim causam habet hujus tanti amoris, nisi quòd nostras te esse aliquid putare nugas non ignorat. Memini etiam, ejus uxorem, fœminam nobilissimam & lectissimam, de te multa mihi Lugduni narrare, & suam adversus te benevolentiam sæpius mihi esse testatam. Iterum vale. Athenæi μηχανικά, puto, accepisti. De Zonaræ Lexico subirascor tibi. Sic enim id petis à me, quasi diffideres daturum si possem. Tene id de me potuisse cogitare? facis mihi magnam injuriam, testor Deum. Videbo igitur quid possit fieri, & si ulla μηχανῇ possum, statim id curabo ad te mittendum. Volo tamen, scias, nondum mihi visum οὐ μακαρίτου Stephani * bibliothecam: non dico ab ejus obitu: sed omnino invisam esse eam nobis: tanta fuit in optimo sene ἀναρμοστία τῶν τρόπων.

* Henrici.

Ad hanc responsoria extat apud Scaliger. n. 49.

EPISTOLA CLXXVI.

EIDEM.

1598. Athenæi μηχανικὰ tandem fuisse tibi reddita, ex novissimis, quas mihi clarissimus Gillottus reddidit, non mediocri cum meo gaudio intellexi. Eram enim de eo fasciculo nonnihil sollicitus. Assentior autem tibi, Vir præstantissime, non respondere figuras, in eo libro descriptas, Autoris verbis. Suboluerat hoc & nobis, cùm leviter illas inspiceremus, & cum descriptionibus Athenæi contenderemus. Constitui die crastino clarissimum Servinum adire, & illius exemplaria diligenter tractare. Si quid erit auribus tuis dignum, faciam te ut id quàm primùm scias. Non dubito, quin facile sit tibi futurum, si putaveris esse tanti, usum eorum codicum ab ipso impetrare. Est enim, quod tu, credo, non nescis, humanissimus vir, harumque literarum juxta amans & peritus. Si mihi in hac urbe diuturnior futura esset mora, & tibi rem gratam facturum me putarem, vel descriptum meâ manu tibi mitterem, quicquid adhuc superest in Doctorum bibliothecis, quod te videre tua intersit. Tu modo vide, quid tua gratia me vel hic, vel ubicunque tandem locorum sim futurus, velis præstare. Nam de Zonaræ Lexico, si modò quod optas ἐκ τῶν ἀδυνάτων non fuerit, jubeo te securum esse. Simul Genevam venero, agam seriò cum affine Paulo Stephano, ut liber statim ad te mittatur. Omnino eundum mihi illuc esse video, vel herciscundæ familiæ caussâ, vel ut Animadversiones in Athenæum liberali tandem manu asserantur, & publici juris aliquando fiant. Infelicem herclè partum, qui suum parentem diuturnis adeò ærumnis cruciaverit, & lucem tamen videre non queat. Sed quid eo nobis sit faciendum viderimus, postquam de loco futuræ deinceps habitationis aliquid certi constituerimus. Certissimum est, Regis voluntatem hanc esse, ut relictis Arecomicis Volcis, Lutetiam migrem: an & τῶν περὶ αὐτὸν ea sit voluntas, anceps adhuc animi pendebam, cùm hæc scriberem: imò verò amici mei, qui id optant vehementissimè, ii sunt qui exitum negotii hujus solliciti exspectant. Nam ipse, qui ut hoc contingeret neque speravi, neque optavi unquam, ἐπ' ἀμφότερον καθεύδων, iter ad meos post diem tertium, faciente Deo, instituturus, hoc mihi certum & ἔμπεδον. Neque enim Deus sivit, ut ingenium meum aulicis artibus velim accommodare: ἀφρήτωρ ille mihi, ἀθέμιστος, ἀνέστιος, qui natus ad majora, eo tamen se dejicit. Egone ut regiorum γαζοφυλάκων aditus colam & limina teram? τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. Nosti tamen quomodo hic vivatur, & quibus difficultatibus ad reginam pecuniam perveniatur. Vidi quæ de ea re scripsisti ad amplissimum Thuanum: miratus sum vehementiam tui erga me amoris, & summam prudentiam: sed τούτων ἅλις. Manilium tuum exspectari à me ὡς προθυμότατα scito. Sed hæc aliàs: atque utinam, ô iterum iterumque utinam aliquando de istis præsens tecùm vel paucissimas horas possem fabulari. Esset mihi id χάρμα πάντων χαρμάτων ἀντάξιον. Vale, & diu felicissimè vive, decus unicum literarum & omnis eruditionis. *Lutetiæ Parisiorum*, *Non. Octob.* CIↃ IↃ XCVIII.

Heri deduxit me clarissimus Nicolaus Faber in eum pagum, ubi educatur Princeps Condæus, magnæ spes altera Romæ. Post prima salutationis verba, quæsivit à me Princeps, *Numquid scirem quomodo valeret Scaliger? quid nunc ageret? an reditum in Galliam cogitaret? Tantum virum non debere abesse Galliâ.* Hæc ille, & similia his alia, vultu eo & gravitate tantâ, ut planè admirationi sapientia hæc ante annos veniens mihi fuerit. Ego illi spopondi, facturum me ut scires, in ipsius

1598. sius animo esse illustre tuum nomen inscriptum. Libri, quos scribis inaudisse te, haberi eos à clarissimo Servino, inspecti mihi sunt hoc ipso die: duo sunt satis grandia volumina, Autores varios rei militaris continentia; hi sunt Æliani ταχτικά, Onosander, Julius Africanus, Athenæus, Ctesibius, Bithon, Urbicius, & aliquot alii. Libris Mechanicis adjectæ figuræ, eæque pictæ variis coloribus. Qui libros illos diutius tractarunt, negligentissimè scriptos esse affirmabant: quod & mihi raptim aliquid legenti est visum. Cæterùm non Servini sunt ii codices, sed Regis; pertinent enim ad Mediceam Catharinæ, nostræ olim Reginæ, bibliothecam. Hæc volui nescius ne esses. Vale, magne Scaliger, & me constanter ama, verè & animo tuum κτήσει καὶ χρήσει.

EPISTOLA CLXXXII.

EIDEM.

1598. SUb ipsum discessum meum ab urbe hæc ad te scribebam, magne Scaliger, cùm biduo antè longissimam epistolam tibi misissem variis de rebus, quam amplissimo Thuano tradidi. Egi tecum iis literis variis de rebus. Nunc unum hoc à te peto, ut nobilissimum hunc adolescentem, bonum bonis prognatum, cum Præceptore ipsius, doctissimo & tui observantissimo Paludio, hilari vultu excipias. Etsi ab omni ambitione absumus Dei beneficio ὡς πορρωτάτω, hoc tamen à te contendimus precibus ambitiosissimis. Tua unius est, magne Scaliger, amicitia, quâ glorior: neque parvum beneficium te mihi tribuisse judicabo, si tuæ erga me benevolentiæ aliquam significationem hisce dederis. Vale, meum μέλημα. *Lutetiæ Parisiorum*, in ipso abitu & reditu ad meos, *a.d.* VI. *Eid. Octob.* CIϽ IϽ XCVIII. Ignosce, amabò, festinationi.

EPISTOLA CLXXXIII.

JACOBO GILLOTTO.

1598. NEque Lugduni tantùm habui otii, ut tecum, Vir præstantissime, per literas possem loqui; neque nunc multò major ejus copia est; sed penitus ἀπροσηγορίᾳ apud te uti, prope religio sit. Indignus sim eâ, quam mihi toties demonstrasti benevolentiâ, si ullam prætermisero occasionem testandi animi mei adversus te grati. Habeo etiam quod rogem te μέγα τι, ut apud maximum & illustrissimum virum, D. Harlæum, Præsidum principem, in gratiam me ponas. Multum tibi debuero, si tuâ operâ hoc fuero assecutus, ut vir tantus benevolentiâ suâ non indignos nos esse judicet. Si dederit Deus Opt. Max. dabo operam, efficiamque adeò omni genere observantiæ, intelligat ὁ δαιμόνιος ἐκεῖνος ἀνὴρ, quantus sim virtutum ipsius, & meritorum in patriam admirator. Sed hæc aliàs σύν γε τῷ Θεῷ. Vale, doctissime Gillotte, & me amare perge. Scripsi *Monspelii*, *Nonis Novemb.* CIϽ IϽ XCVIII. 1598.

EPISTOLA CLXXXIV.

JOSEPHO SCALIGERO.

NOn si mihi δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματα essent, possem tamen satis exprimere tibi, quibus incesserim lætitiis, cùm binas tuas eodem tempore, præstantissime Scaliger, accepi. Aliis quid soleat evenire, cùm tuas literas legunt, non scio: equidem ita semper affici earum lectione soleo, ut ei voluptati, quâ tum fruor, nullam possim comparare. Utinam propius à te abessem, nulla dies abiret, quâ non id studiosè agerem, ut tuas elicerem. Nullum huic nectar, nullam ambrosiam contulero. Sed de nostra migratione ex his locis, quæ nunc maximè erat in spe, scribam ad te σὺν Θεῷ aliàs. Nunc scire te hoc volo, legisse me per hos dies libros Theophrasti de Caussis φυτῶν paullò diligentius. Visus sum non pauca in eum scriptorem emendare, quæ divino viro, τῷ τρισμεγίστῳ tuo parenti, fecerunt negotium. Sed cùm ille δαιμόνιος ἀνὴρ in suburbano suo, grassante pestilentiâ, eos Commentarios conscripserit; mirandum non est, si quid ipsius diligentiam fugerit. Equidem qui omnia illius demirer, id tamen opus præcipuè ὑπερεπαινεῖν soleo. Hunc animi mei sensum esse, hoc judicium, faxo omnes intelligant, si quando illa edemus, quæ nuper in eum præstantissimum scriptorem exarare cœpi. Sed testor μέγαν ἐν οὐρανῷ Θεὸν, non aliter de ejus lucubratiunculæ editione me esse cogitaturum, quàm si tibi ita placere intellexero. Si dabit Deus, ut Lutetiam aliquando veniam, & tu nostras nugas putabis esse tanti, mittam ad te quæ in hoc genere sumus meditati. Tu eris, si tanto honore nos dignatus fueris, nostrorum scriptorum non solùm κανὼν, sed etiam κριτής. Atque ego non dubito, fore plura relinquendis tollenda. Sed bene mecum agi putabo, si meorum aliquid fuerit, quod judicio tuo stet. Accidit autem mihi, ut recreandi

1598. creandi animi caussâ fessus ex lectione subtilissimorum Philosophorum, Theophrasti, & tui parentis, Ciceronis ad Atticum Epistolas in manus sumerem. Spes mihi facta codicis cujusdam non pessimi; quæ spes si non decollaverit, audebimus & nos nostras divinationes publicare; quando, uti video, omnia nunc omnibus licent. Sed abutor patientiâ tuâ. Vale igitur, Vir summe, & epistolæ hujus atque omnium mearum inelegantiam & ἀμουσίαν boni consule. Non enim quia te parum revereor, sic scribo ad te αὐτοσχεδίοις καὶ ἀπεσπασμένοις; sed quia diligentius & elegantius aut non possum, aut nescio. Vale iterum. *Monspelii*, *a. d.* VI. *Kalend. Jan.* CIↃ IↃ XCIX.

Ad hanc respondet Scaliger Epist. 51.

EPISTOLA CLXXXV.

EIDEM.

1599. Literis Regis Lutetiam vocatus, Vir præstantissime, Arecomicos Volcos reliqui ante menses duos, & quod excurrit. Erat animus, Parisiorum τὴν μεγάλην πόλιν revisere; eòque familiam & bibliothecam meam trahebam. Posteaquam Lugdunum veni, sententiam mutare coëgit amplissimus, nostrique amantissimus Vicquius. Is nobis manum injecit, & Regis adventum in hac urbe, atque adeò ædibus suis præstolari jussit. Igitur, quod bene vertat, non antè Lugduno proficisci constitui, quàm editum fuerit nostrum in Dipnosophistam opus, cujus editionem priusquam instituerem, Genevam necessariò excucurri. Multa me illuc vocabant; sed nihil æquè, ac spes videndi Bibliothecæ * reliquias. Etsi pars magna illius periit non uno modo; reperi tamen in iis, quæ supersunt, multa eximia, καὶ τῶν ἐκ ἰσυμεζίσων. At Zonaræ, quod petebas, Lexicon non inventum est. Dolui vehementer duplici nomine; & quia poteram ejus libri lectione ignorantiam minuere; & quia adempta mihi facultas tibi gratificandi: quo nihil mihi, dum terras colam, futurum est unquam jucundius. Quas misi ad te περὶ τριμηνιαίου χρόνου, an acceperis, nescio. Ego nullas à te jam diu. Itaque desiderio illarum scito me tabescere. Absolutâ editione libri hujus, quid nobis futurum sit, Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Lutetiâ rumores afferuntur in dies magis turbulenti. Dici non potest, quàm ἐνδιάθετον, quàm ingens sit odium τῶν ἑτεροδοξούντων τῷ περὶ τῆς θεοσεβείας. Itaque nisi vanum augurium est Sapientum omnium, nondum Gallia nostra malis defuncta. Sed βλάσφημα mitto. Dum hîc erimus, quasi in specula positi καραδοκήσομεν τὸ μέλλον. Quicquid futurum est nobis, faciemus te ut scias. Amplissimus Vicquius te salutat, gloriæ tuæ favens, si quis mortalium. Vale, Vir illustrissime, & me ama, æternum tuum. *Lugduni*, *a. d.* XV. *Kalend. Majas*, CIↃ IↃ XCIX. 1599.

** Henrici Stephani.*

EPISTOLA CLXXXVI.

DAVIDI HOESCHELIO.

Genevam tandem veni, & quem petis librum, amicissime Hœscheli, vix quidem, sed tamen inveni. Duo 1599. sunt grandia ἱκανῶς volumina, magnam partem manu τοῦ μακαρίτου Henrici Stephani scripta. Egi cum Paulo Stephano fratre, ut ea curaret ad te perferenda; neque dubito facturum. Videar malè de te sentire, si te nunc orem, ut de Stephano quàm honestissimè loquaris: scio quanti illum tu feceris; & scio, quibus moribus tu sis. Sed monet me improbitas quorundam, quibus video propositum esse, de illo viro detrahere, & manes illius violare. Equidem hominis morositatem excusatum non ibo: postrema etiam quædam † illius scripta vellem non scripta. At enimverò quis mortalium suis nævis caret? Quid? nonne ὁ μακαρίτης ἄλλοισιν ἐσθλοῖς facile τὴν δ' ἀπωθεῖται ψόφον? Quantus ille vir fuerit in literis, si nesciebam antè, potui adfatim discere ex iis, quæ reperta sunt mihi in bibliotheca καὶ φιλομαθείας καὶ πολυμαθείας prope incredibilia monumenta. Næ iste, qui nuper tam multa de optimo sene blateravit, & apud Belgas edidit, indignus est qui Stephano matulam præberet. Sed contineo me, & oro te etiam atque etiam, excuses me apud doctissimum Velserum, quòd nullas nunc ad ipsum mittam. Scripsi ista occupatissimus, Lugdunum repetens, unde statim ad vos solitâ viâ sum scripturus, Θεοῦ γε διδόντος. Agam tum tibi gratias & amplissimo Velsero pro misso libro. Etiam quid de tuis eruditissimis emendationibus sentiam, scies tum ex me. Hoc intereà, diu esse, cùm Græcorum Bibliorum editionem cogito. * * * * Vale, amicissime Vir. Magnum Velserum à me saluta, ὃς προθυμότατος καὶ φιλοφρονέστατος. *Genevæ*, *a. d.* XI. *Kalend. Majas*, *novo stylo*, CIↃ IↃ XCIX.

† Poemata in primis [illegible], Apologie pour Herodote, & de Latinitate Justi Lipsii Palæstram.

Egit mecum his scriptis Paulus frater, significarem tibi, se & Photium, & Test. B. ‡ novissimæ editionis, & quicquid aliud fuerit libitum tibi, ei traditurum, cui hoc negotium mandasses.

‡ Novum Testamentum Bezæ. Colomes.

1599. ses. Liber est, ut scis, λόγου ἄξιος, nec nisi perspectæ fidei homini committendus: Photium dico.

EPISTOLA CLXXXVII.

EIDEM.

1599. AGnovi manum tuam in eo, quod ad me misit magnus Velserus, magno munere. Ago tibi, optime & doctissime Hœscheli, gratias. Conabor etiam aut hoc, aut simili modo ἀντευεργετεῖν, si ulla erit facultas. De Photii exemplari scribam ad * Stephanum Genevam. Non dubito, præstiturum illum, quod promisit: & puto jam id factum. Laërtium ipse mittam. Onosandrum hic non invenio. Acta Concilii Niceni edita audio, ipse necdum vidi: habeo scriptum manu exemplar, quo si lubet uti, è vestigio illud ad te mittam. Opus nostrum non multum adhuc promotum, sed id nullâ meâ culpâ. Simul erit editum, ne dubita, isthuc volaturum ad te unum exemplar. Si ingenium in nobis desideraturus es, candorem certè desiderabis nunquam σύν γε τῷ Θεῷ. Appiani Illyrica fac legamus quàm primùm beneficio tuo Græcè. Immortali beneficio Musicum omnem cœtum obstrinxeris. Sed, amabò, gaudia nostra differre noli: specimen, quod misisti, salivam movet; &, ut tibi aurem vellam, admonet. De filio tuo cogitabo, & ad amicos Genevenses scribam. Si ego isthîc degerem, filium meum, charissimum mihi caput, tuæ fidei concrederem, ut tu tuum meæ. Proximis literis plura ea de re, velit modo ὁ ὑπεράῤῥητος Θεός. Vale, optime & doctissime Hœscheli, & tuum Casaubonum constanter ama. *a. d.* III. *Eid. Jun.* CIↃ IↃ XCIX.

* Paulum.

EPISTOLA CLXXXVIII.

JOANNI MEURSIO.

1599. GRatissimæ mihi, eruditissime Meursi, literæ tuæ fuerunt. Postquam venere primùm in meas manus lucubrationes tuæ, nunquam ex eo destiti & amare te, & favere nascenti famæ tuæ. Multos habes, scio, qui tibi cupiant, & spei tuæ omnia fausta ac læta à Deo Opt. Max. precentur. Sed, mihi crede, eorum qui te plurimum diligunt, & tuos in literis conatus magni faciunt, nemini nos concedere. Vellem paullò citius epistola tua mihi fuisset reddita. Inseruissem libenter in locum suum tuam illam notam, cujus me admonuisti. Non enim dubium mihi est, veram esse tuam de Athenæi loco sententiam: etsi fateor ingenuè, priusquam essem à te admonitus, ejus mihi in mentem non venisse. Si habes similes huic alias observationes, feceris mihi rem gratissimam, si eas mecum communicaveris. Sed maturato est opus, siquidem aliquid missurus es. Jam enim nostrarum aliqua pars edita est; sed quia grandiusculum est opus nostrum, non potest ante vernas nundinas Francofordienses finis illi imponi. Itaque licebit tibi, si voles, rescribere. Quæ suis locis non adnotavero, tua meaque in Diatribam unam conjiciam. Vale, mi Meursi, & parentem tuum † à me saluta. *Lugduni Convenarum, a. d.* VI. *Kalend. Aug.* CIↃ IↃ XCIX. 1599.

† *Joh. Meursium, Pastorem Losdunensem.* Colomes.

EPISTOLA CLXXXIX.

JOSEPHO SCALIGERO.

QUas ad me pridie Nonas Majas ‡ dedisti, præstantissime Scaliger, ante paucos dies accepi. Tibi cùm illas scriberes, nondum, ut video, fuerant redditæ, quas scripsi ad te, simul ac in hanc urbem appuli. Nunc cùm te illas existimem accepisse, de meis rebus plura narrare supersedebo. Scripsi enim postquam huc veni, non semel aut iterum, sed sæpius, teque de omnibus feci certiorem. Ac consilium quidem approbent οἱ κρείττονες. Cæterùm de itinere Parisiensi jacta alea est. Sed nos adhuc detinet hic suscepta & inchoata Animadversionum in Athenæum editio. Ejus consilii autor mihi Vicquius, qui singulari amore nos complexus, id sedulò agit, ut otium tandem & præsidia ad vitam necessaria Regis munificentia nobis præstet. Lutetiæ fore nobis assiduè cum iis incommodis luctandum, quæ sapientissimè & γραφικώτατα ob oculos mihi ponebat novissima tua epistola, etiam ille vir prudentissimus dudum prævidit, meque admonuit. Sed putat idem satis futurum mihi ab omnibus periculis cautum; si impetrari à Rege potuerit, ut liber à docendi munere, eo stipendio fruar, cujus nuper cùm in aula essem, spes mihi facta. Nam de quæstorum fastidio, quamdiu ipsi nostra futura sunt curæ, non est fortasse cur multum sim sollicitus. Magis me illa Pædagogorum μορμολυκεῖα terreant Parisiensia. Nam si quod est omnino genus hominum, à quibus plurimùm mores nostri diffideant, illud profectò est. Scis porro, neque amicitiæ ullum esse glutinum validius, quàm morum similitudinem: neque item ullum odiorum incentivum aut stimulum acrio-

1599.

‡ *Exstat in Scaliger. n.* 51.

1599. acriorem, studiorum & morum dissimilitudine. Possem tibi narrare lepidam historiam, quæ Lutetiæ accidit, cùm ibi essem; ex qua intelligeres, quo supercilio isti δοκησίσοφοι me exceperint. Sed esto id alterius epistolæ argumentum. Ridere enim nunc non vacat: etsi non possum abstinere, cùm venit in mentem, quâ vultûs tristitiâ Pædagogorum Apollo * jusserit, me si se vellem videre, ad se accedere. Cùm imperio paruissem, & ad fores accessissem; ecce aliud ἐπίταγμα, ascenderem in Manlii hujus Museum; quod semper meminero, tegulis fuisse proximum. Veni igitur, & vidi tandem quem hodie plurimùm miratur Parisiensis juventus. Quid ego tibi nunc commemorem sermones, se & sua solùm mirantis, aliena autem omnia fastidientis? Monstrata est nobis incredibilis librorum edendorum copia; quibus omne scibile contineretur. Alii foruli commentarios in libros juris civilis continebant: alii Romanæ ἀρχαιολογίας locos communes sic elaboratos, ut nihil pote melius: alii interpretationem præcipuorum Aristotelis librorum. Sed omnium capacissimi fuere, qui capiebant Magistri hujus dictata in optimos quosque Scriptores Latinæ Græcæque linguæ: quæ ille ajebat, annorum viginti spatio confecisse, & de superiore loco suis dictasse. Nam Pythagoræ carmen, & Martialem, quæ duo sola, opinor, sunt adhuc ab eo publicata, aliud agenti sibi juveni excidisse: neque se illa pro suis jam agnoscere. Toto genere διαφέρειν quæ lateant in scriniis, tunc demum publicanda, cùm omnes Docti suos errores publicaverint. Hanc enim iste curvorum corrector gloriæ suæ segetem habet. Affirmo tibi, nullam ab eo ἀκρόασιν prius finiri, quàm aliquoties vapulaverint Scaliger, Lipsius, & [quod ego in præcipua gloriæ parte pono] Casaubonus †. Delata sunt ad me dictata quædam illius: inveni toties erroris argutum Suetonii novum interpretem, ut non mediocriter gloriari soleam, nos quoque cirratorum esse dictata. Hæc sunt ingenia Pædagogorum Parisiensium, à quibus jure scribis, mihi esse cavendum. Postquam erit opus nostrum editum, quid nobis futurum sit viderimus. Utemur autem tuo consilio: quod non minus prudens esse, quàm tua scripta sunt erudita, sæpius sumus experti. Amorem verò tuum in nos summum esse, dubitare non possumus. Hunc tu mihi, obsecro te, serva constanter. Ego tuam βαθύτητα & omnium virtutum πανοπλίαν religiosè colam semper, dum spiritus hos reget artus. Vale. *Lugduni Convenarum*, *a. d.* VI. *Kalend.* 1599. *Augusti*, CIↃ IↃ XCIX.

* *Theodorus Marcilius, Professor Eloquentiæ Regius.*

† *Vide* Epit. et Françoises à Mr. de la Scala. *pag.* 102.

Manilium tuum edi, fama ad nos pertulit: audio etiam, Orationes tui patris à te editas nuper. Lugdunenses mercatores negabant vidisse adhuc. Utinam posses efficere, ut omnia sermonis illius, qui te sibi simillimum ἔφυσε, opera in unum collecta ederentur. Nactus sum in Gallia Narbonensi consultationem quandam illius super partu, qui dicebatur septimestris, edito à Maloscata, nobile fœmina: si non vidisti repertam in illius bibliotheca, curabo describendam, ut ne solus his lautitiis fruar. Vicquius, tui nominis studiosissimus, te salutat amantissimè; scripturus ad te, si licuisset.

EPISTOLA CXC.

GUITARDO RATÆO.

AMplissime Præsul, diuturni silentii 1599. & cessationis ab officio scribendi da, quæso, veniam serio petenti. Caussam non prætexam, ut fieri amat in talibus, otii inopiam, argumenti penuriam, & id genus. Quare, etsi verè possem προφασίζεσθαι, malo tamen culpam semel agnoscere & deprecari. Tu verò de me quidvis tibi persuade: modò ne obrepsisse animo nostro oblivionem aliquam putes tui adversum me meosque amoris: μή τί τοι φίλον Διὶ πατρὶ γένοιτο. Vivet vigebitque in animo nostro jucundissima tui & virtutum tuarum recordatio, dum terras colemus. Perge modò, Præsul clarissime, nos amare; non quia admodum mereamur, sed quia convenit constantiæ & commodissimis moribus: quos si quis qui novit & non amat, is mihi sacer est atque intestabilis. Cæterùm qui has tibi redditurus est, unicè mihi commendatus à Bandio, ut tibi porro à me commendaretur. En illum tibi trado in clientelam: simul oro te, gratiâ tuâ dignum putes, quem eruditus adeò vir tam sollicitè commendet. Vale, Præsul amplissime. *Lugduni Convenarum*, *a. d.* VI. *Eid. Septemb.* CIↃ IↃ XCIX.

EPISTOLA CXCI.

JACOBO LECTIO.

EX literis uxoris intellexi, Lecti sapientissime, magnum prioribus tuis 1599. in nos meritis cumulum superioribus diebus esse additum à te, cùm nupera illius negotia confecisti. Quantum video, plus illa tibi debet quàm mihi, qui dudum renuntiavi omnibus id genus

1599. nus curis. At tu, qui illas tuâ curâ es dignatus, quantum me tibi devinxisti? Parum fuit tibi, quòd me ac meos veteribus beneficiis plurimis tibi obstrictos pridem teneres, nisi hunc illis colophonem imponeres. Ago tibi, Vir amicissime, quantas possum maximas gratias, teque etiam atque etiam oro, persuadeas tibi nil me optare magis, nihil à Deo Opt. Max. ἐκπνέστερον expetere, quàm ut det mihi συγγηράσκειν tecum, ô amicorum amicissime, & urbi vestræ ἐγγηράσκειν, non inutilem Reipublicæ literariæ, cui me genius meus consecravit. En unquam erit ille dies, cùm ego isthuc redibo, nunquam posteà emigraturus? Sed rerum nostrarum statum nosti. Adhuc velim nolim tam optato bono carendum mihi est: adhuc obfirmandus animus est, & perferendum tui desiderium: quo equidem in dies crucior magis ac magis. Amici nostram moram increpantes, Lutetiam nos conviciis vocant. Libri, quem nosti, instituta editio sic procedit lentè, ut ex dolore ejus rei cani quotidie mihi nascantur in capite. Et reverà, mi Lecti, senescimus, cùm intereà uxori charissimæ & suavissimis liberis prospicere nondum inceperimus. Sed faciemus posthàc, volente Numine: jam enim seriò illa cura animum est meum. Verùm ὁ ὑπεράγαθος καὶ ὑπεράρρητος Θεὸς ἔψεται, quem oro supplex, te servet cum omnibus tuis, & beneficiis cumulet. Vale, & me ama. *Lugduni Convenarum, a. d.* XV. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ XCIX.

EPISTOLA CXCII.

DAVIDI HOESCHELIO.

1599. ACcepi, quod misisti munus ὅτινος ὂν ἀντάξιον, clarissime Hœscheli. Obtuli etiam magno Vicquio quod miseras exemplar. Agimus tibi grates gratissimas: relaturi animo lubentissimo, si qua se offerat commoditas. Dudum est, cùm egit mecum Vicquius, viderem, si quid esset in bibliopoliis Lugdunensibus, quod Musarum patrono Velsero, tibique gratum futurum putarem. Velle se benevolentiam suam erga vos ambos testificari vobis. Nihil adhuc reperi oculis vestris dignum. Jacent enim hìc literæ: si quid desideraveritis, quod hìc reperiri queat, facite ut sciamus. Atque hoc, ut Velsero significes, velim. De editione instituta pridem operis nostri scripsi nuper ad te, & nunc quoque ad Velserum satis multa. Adhuc paucorum mensium mora mihi operisque nostris concedenda. De Photio, spero Paulum Stephanum, 1599.
quod toties est pollicitus, jam præstitisse. Illyricorum versionem nullo negotio poteras addere, Vir doctissime: sed alia videlicet moliris majora, quibus absolvendis longos tibi annos & felicissimam vitam à Deo Opt. Max. quotidie precor. Vale, optime Hœscheli. *Lugduni, a. d.* VI. *Nonas Octob.* CIↃ IↃ XCIX.

EPISTOLA CXCIII.

FRIDERICO LINDENBROGIO.

CUm ante mensem, opinor, tuæ mi- 1599.
hi sunt redditæ, in quibus tuum nomen non erat adscriptum, venit quidem mihi in mentem non semel, esse alias à te profectas: quia tamen subverebar, ne vanus conjector essem, à scribendo supersedi. Nunc cùm auctorem te illarum profitearis eo schedio, quod modò traditum est, nolui committere, ut officium meum in scribendo diutius desiderares. Scito autem, postquam semel relictâ Genevâ pedem in Gallia posui, ne γρῦ quidem literarum à te ad nos pervenisse. Quas dedisse ais Servino, nullus vidi, & miror quid illis factum. Librum etiam illum, cujus facis mentionem, neque recepi, neque in ullo Lugdunensi bibliopolio invenire potui. Cupio tamen mirum in modum videre; ut qui omnia tua plurimi faciam. Igitur nisi grave est, sitim hanc meam quàm primùm seda. Nos in editione Animadversionum in Athenæum toti nunc sumus: est enim & longum & molestum opus. Sudavimus in eo plus satis. Fidem, credo, & diligentiam, καὶ φιλομάθειαν nostram omnibus bonis & æquis viris probabimus. Vulgus istud imperitum quid sit judicaturum, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Habemus alia, prope dixeram, ψαμμακοσιογάργαρα per hos annos nobis instituta aut consummata. Sed de iis, absoluto quod nunc in manibus est opere, viderimus: imò potius ille ἐψέται, qui διὰ πάντα κυβερνᾷ. Historiæ Romanæ scriptores οἱ μετὰ Τράγκυλλον in manibus nostris hærent adhuc. Si tu, aut alius tibi similis anteverterit, habebo gratiam. Tu quid moliaris, fac me ut sciam. Vale. *Lugduni, a. d.* XVI. *Kalend. Novembr.* CIↃ IↃ XCIX.

Epistola CXCIV.

DAVIDI HOESCHELIO.

1599. Quàm gratum mihi fuit, munus à te missum accipere, clarissime Hœscheli; tàm fuit molestum intelligere, quæ scribis de Photio. Itane affinis meus nullis meis precibus potuit exorari, ut sine ambagibus librum illum tibi utendum concederet? Non hoc ille mihi promiserat, cùm eo nomine jure meo cederem in multis, quando soceri familiam ante paucos menses hæredes herciscerent. Quia socer intestatus obiit, quadrans omnium τῶν ἐκ μεγίςης ποτὲ περιουσίας ἔτι ὑπολιπέντων, ad uxorem pertinuit. Ego veneratione domûs Stephanicæ motus, renitentibus omni ope atque operâ cohæredibus, effeci, ut omnes manu exaratos codices Paulus Stephanus præciperet. Gaudebam, in ea domo, quæ literis aliquando tantum profuisset, remanere instrumenta bene merendi de iis, qui publicam Reipublicæ literariæ utilitatem procurarent. Sperabam, nihil in ea re difficultatis futurum, si aut ego, aut alius, qui uteretur me interprete, libro aliquo vellemus uti ex iis, quos ipse illi conservasset. Nominatim de Photio tibi mittendo millies inter nos convenit. Hæccine data fides? Sanctè juro tibi, iniquissimo animo hoc me ferre. Die crastinâ, favente Deo, per literas cum ipso expostulabo, & faxo sentiat gravissimè commotum. Mea certè culpa hîc nulla est: qui nihil non feci, ut voluntati tuæ fieret satis. Redeo ad eximium illud tuum munus, cujus nomine ago tibi gratias, quantas possum, maximas. Sed quid ego tibi pro assiduis donis rependam? quod ἀντίδωρον? Nostri bibliopolæ hîc præter rituales libros nihil. Pindari nuper editi exemplaria duo habeo: alterum tibi, alterum Velsero τῷ πάνυ destinatum est. Sed in iis nihil quicquam invenies, cur vadimonium deseras. Profectò si fuisset aliud ad manus, quod mitterem, istud non misissem. Opus nostrum Dei beneficio non segniter perficitur. En erit ille dies, cùm ab isto improbissimo labore conquiescam? Mihi crede, optime Hœscheli, tædet jam nos laborum. Quæ de Lexici editione nuper scripsisti, grata mihi. Persuasus sum, nihil unquam à te profecturum, quod Reipublicæ literariæ utile non sit futurum, & tibi honestum. Vale, Vir eruditissime, & si me amas, magno Velsero meis verbis salutem dices quàm amantissimè. Vicquius meus abest nunc domo, à Rege jussus cum Legatis Sabaudi de pendente apud 1599. Pontificem Maximum lite Salutiana tractare. Ejus nomine ago tibi gratias, & studium ipsius tibi ac nobilissimo Velsero bonâ fide offero, si quid est, quod vestrâ amborum caussâ possit. Nisi spes esset de imponendo brevi colophone Animadversionibus nostris, facerem, quod visus es nuper mihi author esse, ut facerem: ac libri mei quod jam editum est, Velsero mitterem. Sed nihil est causæ, cur sitis ἐξέτηνοι. Iterum vale. *Lugduni, pridie Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ XCIX.

Epistola CXCV.

THEODORO CANTERO.

Qui has tibi reddet, Vir clarissime, 1599. amicus meus est, Saraceni τοῦ μακαρίτου filius, qui ante biennium Dioscoridem recensuit, & versum à se edidit. Magna mihi pridem cum ea domo amicitia intercedit. Itaque eumtem huc ad vos ἑκὼν οὐκ ἄκοντα & literis meis, & mandatis oneravi. Is tibi, si putaveris esse tanti, omnem statum nostrum, omnia consilia palam aperiet. Nam quod scribis de nuncupatione operis nostri, quod nunc editur, habet id σκέμμα nonnullas difficultates, itaque tuo hac in re mihi consilio opus. Sed prius illum audias velim. Magno Vicquio quantum debeam, verbis satis explicare non possum. Uno verbo, nullum humanitatis aut comitatis genus prætermisit, quin erga nos uteretur. Libri porro argumentum, ut scis, ingratum, opinor, τοῖς ἄγαν πᾶσι. Polybius fortasse magis ad gustum faceret. At opus non est confectum, inquies; & rectè quidem, quanquam multum sanè promovimus. Sed ne quid dissimulem, aliquot mensium & fortasse plusculam moram ea opera desiderat. Hîc igitur διασκοπούμενος ἔνθεν κἀκεῖθεν inopiâ consilii hæreo. Maneo tamen in sententia, si per vos licet, ut insignem hanc benevolentiam aliquo testimonio prosequar. Reliqua Saracenus meus ςόμα πρὸς ςόμα. Voluntati tuæ mos gestus à nobis est. Scripsimus ad fortissimum Heroëm, D. Harlæum, τὰ πρῶτα τῶν πρώτων literas εὐχαριστικάς, pro singulari ipsius erga nos benevolentia, cui tui mihi testis. Spero gravissimum virum factum meum non esse secius interpretaturum. Scripsi etiam ad amplissimum & doctissimum D. Thuanum. De Manilio summi viri (Scaligerum dico) nihil dum accepi, neque scio, sit is liber editus, an non. Si quid certi habes, fac me, quæso te, ut sciam; simul

1599. mul de femonis illius statu quicquid fuerit tibi compertum. Nobis nunc non vacabat, ut literas ad eum exararemus. Et jam Dei beneficio vergit opus inamabile & inamœnum ad finem amœnissimum, σύν γε τῷ θεῷ, quem oro supplex, ut te servet, & bonis omnibus cumulet. Vale, Vir clarissime, & me ama. *Lugduni Convenarum, prid. Non. Decemb.* CIƆ IƆ XCIX.

EPISTOLA CXCVI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1599. AMoris tui erga nos constantiam, Præses amplissime, ex omnibus clarissimi Gillotti epistolis intellexi hactenus: οὐχ ἥκιστα δὲ ex epistola ejusdem novissima. Scribebat enim ille, optare te nostrum isthuc adventum, & non votis solùm, sed & consilio & re velle nos adjuvare. Ago igitur tibi, pro eo ac debeo, grates gratissimas: teque etiam atque etiam oro, pro tua singulari prudentia statuas, quid nobis in hac re opus sit facto. Quid nos hîc tot jam menses tenuerit, probè nosti: jam Dei beneficio ad colophonem inchoata editio vergit. Liberalitas & benignitas, summusque in nos amor magni Vicquii hæc nobis otia fecit. Visum itaque nobis probè factum, si opus, illius beneficio luce donatum, illius merita in nos palam prædicaret, & gratum animum nostrum apud omnes testaretur. Aliò nos literæ non unæ τοῦ μυστικωτάτου Gilotti vocant. Hæreo igitur animi anxius & consilii incertus; si potes, Vir sapientissime, æstum meum expedi. Nostrum judicium semper fuit, nihil æquè fugiendum, nec sollicitius cavendum, quàm ne aut ingrati, aut inconstantis animi maculam conciperemus. Plura super hoc, si pateris, amicus hic meus tibi narrabit. Filius est τοῦ μακαρίτου Saraceni, cujus Dioscoridem recens editum, & adhuc musteum, tuo beneficio primùm vidi, & in Prætorio tuo avidissimè, si memoriâ tenes, ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς percurri. It per vestigia optimi & doctissimi parentis filius ejus eruditissimus; quem si in eorum numerum receperis, à quibus coli & observari tibi gratum est, magno & me, & illum beneficio obstrinxeris. Vale, Vir amplissime. *Lugduni, Nonis Decemb.* CIƆ IƆ XCIX.

EPISTOLA CXCVII.

DAVIDI HOESCHELIO.

FEcisti mihi rem gratissimam, Vir 1599.
optime & eruditissime, quòd Nunnesiana illa mecum communicasti. Pridem nota erat mihi illius viri eruditio: neque dubito, profuturam Reipublicæ literariæ hanc illius operam. Quare hortor te, atque adeò oro & obsecro, des sedulò operam, ne debeas publico diutius hunc ejus commentarium. Utinam bonâ aliquâ fortunâ in tuas, aut magni Velseri manus illos decem Pauli Leopardi libros Emendationum conjiceret, quos scimus ab eo fuisse conscriptos. Eruditionem viri illius, & rectum judicium in literis nosti. Si quid est in nobis judicii, intererat omnium τῶν φιλομαθῶν, ne exstingueretur, aut tenebris damnaretur quicquam ab eo ingenio profectum. Quod scribis de notis tuis in Thucydidem, non memini quicquam tuâ manu scriptum invenire, cùm Stephanicæ bibliothecæ reliquias non pœnitendas nuper recognoscerem. Sed fieri potest, ut id exemplar aut manus, aut oculos nostros fugerit. Spero Paulum Stephanum, ubi primùm erit occasio, sub incudem magnum illum scriptorem esse revocaturum, & tuo beneficio usurum: me certè habebit hortatorem assiduum. De itinere Parisiensi dicam tibi πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. Sic est profectò, ut ais; & vota multorum Procerum eò nos vocant, & voluntas Principis nostri est, ut illuc cogitemus. Ipse disertissimis verbis hoc nobis dixit anno, cùm essemus in aula. Et cùm inde penè furtim nos subduxissemus, mox regio diplomate jussi sumus Arecomicis Volcis ἀποπέτλεσθαι, & Lutetiam iter instituere. Quod hic tamdiu hæserimus, in causa fuit, ingens desiderium publicandi nostras in Athenæum Animadversiones. Ducebamur enim magnâ spe, posse id brevi tempore quàm commodissimè fieri, annitente præsertim viro maximo, & nostri amantissimo Vicquio. In hoc luto adhuc hæremus; unde si dederit Deus Opt. Max. pedem unquam efferre, quid posteà simus super eo negotio statuturi, ὁ θεὸς οἶδεν, ipsi nescimus. Nam etsi honestissima conditio est, non pauca tamen nos ab eo incepto avertunt: utique si volente Rege pedem liceat referre: quod negant fieri posse, qui ad nos Lutetiâ & ex aulâ quotidie scribunt. Scito autem, ita amari nos ab optimo & præstantissimo Vicquio, ut omnium nostrorum consiliorum is unus

 jure

1599. jure merito prora sit & puppis. Quicquid futurum est, faciam te, ut scias. Josephi Scaligeri verba, quæ epistolæ tuæ inserueras, non sine rubore legi. Sed Deus meliora, quàm ut ἄφατος hic summi viri in nos amor nos corrumpat. Nobis studia & vigiliæ nostræ non alium jucundiorem attulerunt hactenus fructum ullum, quàm ut nos & nostra noscemus. Fatemur quidem fuisse illud aliquando tempus, cùm de nobis fortasse poterat dici, quod de Olori filio scriptor Thurius: sed conatus nostros non fortuna destituit, verùm arcana quædam supremi Numinis providentia tardavit, ac prope fregit. Quoties nobis per civilia nostra bella omnis facultas erepta est studia promovendi? Quoties de nobis desesperavit optimus parens, cui uni debemus, quantulumque est in nobis eruditionis? Mitto alia incommoda, quæ experti sumus prope ψαμμακοσιογάργαρα. Sed de nobis nimis multa; & hæc ipsa melius fuerat tacuisse. Nam infelicitas studiorum nostris lucubrationibus satis tibi cognita: si non corrupto amore judicio illa legeris. Amplissimo Velsero, si grave non est, plurimam à nobis salutem. Volebamus & ad illum literas dare, sed otium deerat. Opus nostrum ad colophonem vergit. Itaque εὐχαριστικὸν mihi para. Photium tuum avidissimè exspecto. Non dubito, potuisse nostras Animadversiones aliquot flosculis ornatiores in lucem prodire, si nobis ejus libri pellegendi copia fuisset. Si operâ meâ uti vis, jure tuo impera. Sum enim tuus planè ἐξ ἄκρου μυελοῦ ψυχῆς. *Lugduni*, *a.d.* v. *Eid.* *Decemb.* CIƆ IƆ XCIX.

Amplissimus Vicquius & te, & Velserum τὸν πάνυ officiosissimè salutat.

Epistola CXCVIII.

DOMINICO DE VICQUE, Mercii F. *Abbati Beccensi.*

1599. Silentium meum quomodo interpreteris, Abbas honoratissime, nescio. Me certè suppudeat tam seræ scriptionis: nisi conscius ipse mihi sim multarum & gravium occupationum, quæ me hactenus scripturientem impedierunt. Absque iis fuisset, frequentes meas habuisses: nam & tuas elicere cupio: & te, maximæ spei Adolescentem, non possum, qui meus est in te amor, non hortari ad concupiscenda acriore in dies impetu literarum studia. Age igitur, mi Dominice, quam excitasti de te exspectationem, ne destitue, sed supera potius & vince. Id verò nisi ipse tibi desis, difficile tibi non est futurum. Primùm te Deus Opt. Max. ingenii necessariis dotibus benignâ manu instruxit: patrem deinde habes, cui nihil antiquius, quàm ut omnibus te virtutibus ornatum videat. Taceo Præceptoris tui diligentiam. Sileo etiam doctissimi Ribesti exemplum, jam tibi domesticum. Cùm igitur talia & tanta irritamenta ad studia habeas, noli per Deum immortalem committere, ut tu tibi solus defuisse possis videri. Vale, & nisi tu non vis, brevi literas, tui in literis profectûs indices, mitte. Uxor te amantissimè salutat, teque unà mecum orat, ut illustri & lectissimæ matronæ, Dominæ matri tuæ, nostris verbis plurimam salutem nunties. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XIV. *Kalend. Januar.* CIƆ IƆ C.

Epistola CXCIX.

JACOBO LECTIO.

Ut spectatæ diu, ita gratæ admodum, Lecti clarissime, tuæ literæ mihi fuerunt. Quantum ex tuis intelligo, & ex publico rumore, benignior tandem vos fortuna respexit. Jam enim, ut videtur, urbi vestræ securitas parta, & meliorum spes ostensa in posterum non incerta. Gratulor igitur vobis, Deoque Opt. Max. gratias ago, quantas possum maximas. Catarinam * deditione captam constans hic fama: eandem mox diruendam affirmant plerique omnes. Quare unum jam superest, ut ære alieno, quod publicè contraxistis, liberati, pacis artes in vestram civitatem revocetis. Quod non dubito, Senatum amplissimum pro sua prudentia maturè esse facturum. Itaque παλιγγενεσίαν quandam veteris meæ patriæ videre mihi videor: atque ex ea re incredibile quoddam σιγῇ ἐπ' ἐμοῦ capio gaudium. Iterum iterumque supremum Numen veneror supplex, ut hæc bona firma vobis præstet. Vale, amplissime Vir, & meis uxorisque verbis, uxorem tuam, quæso, salvere jube. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XIV. *Kalend. Januar.* CIƆ IƆ C. 1599.

* *Vide Rod. Boterii Commentarior. lib.* VII. *pag.* 603. *& seqq.*

Epistola CC.

FRIDERICO LINDENBROGIO.

De Balsamonis loco & Rufini ingentes habeo gratias. Scient posteri, per quos profecerimus, sanè quidem si nugarum nostrarum τοῖς ἐσομένοις aliqua manet cura. Perge verò, eruditissime Vir, studia nostra adjuvare. Ego si quid 1599.

1599. quid tuâ causâ possum, ὅλ@- καὶ πᾶς ero tuus. Sed cùm venit in mentem felicitas insignis tua, qui talem tantumque tuarum laudum præconem nuper sis nactus, vereri subit, ne nos terræ filios fastidias. Quid enim accedere jam ad commendationem nominis tui potest, cui fortuna dedit complacere posse, cui sordent omnes quantum fuit hactenus hominum eruditorum? Scis quid dicam: & si te satis novi, tædet te illius ἐγκωμίῳ: non quin eo sis dignissimus, sed quia laudari te ab homine spurcæ linguæ fas non est. Nosti quid olim de Præceptore suo scripserit Aristoteles: sed istum κακολόγον mitto. Ad priores tuas ne respondeam τὸ νῦν ἔχον, occupationes molestissimæ faciunt, quæ me nunc cùm maximè distringunt. De amplissimo Calignone hoc unum intellexi, serius eum Lugdunum esse reversum ex itinere Massiliensi: ibi nunc illum agere, cum reliquis sui ordinis aulicis, nullus dubito. Scripsi πάλιν αὖ καὶ πάλιν ad ipsum, & responsum in dies exspecto. Nunquam autem literas ullas ad eum misi, quæ amoris mei erga te notis non essent aspersæ. Sic meritum est tuum; sic mores sunt mei. Vale, & me constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIII. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ C.

EPISTOLA CCI.

DAVIDI HOESCHELIO.

1599. Tardius responsum ad gratissimam epistolam tuam, occupationibus velim meis imputes: quæ ita frequentes sunt, ut videatur nobilissima urbs eo nomine futura nobis aliquando odio. Omnia nos quidem tentamus, ut nos nobis asseramus & studiis dedamus; sed vincunt τῶν ἡμετέρων σπουδῶν amicorum officia, & Procerum δεήσεις: quas necessitate mixtas olim apud Platonem legeram, nunc autem usu experior. Itaque omnia jam nobis hic minus grata esse incipiunt. Nam absque libellulis nostris πῶς ἡμῖν ἀβίωτ@- βί@-. Hinc adeò factum, ut mensem ipsum post acceptas tuas elabi finerem, priusquam ad respondendum me accingerem: quod ne aliam in partem accipias, peto à te etiam atque etiam. Laudes quibus opus nostrum aspergis, eatenus admitto, ut amorem tuum in nos & candidum animum in ea tuarum parte deosculer. Non enim ita nos ignoramus, ut quo te ὑπὲρ αἶαν adfectus provexerit, non agnoscamus. Est tamen (ne quid dissimulem) gratissimum mihi, quod tuo & magni Velseri judicio fretus, operam non malè à me esse positam, persuasum jam habeo. Si dabit Deus alterius editionis facultatem, multa quæ prætermisimus, adjicientur: multa fortasse, in quibus erravimus, corrigentur: utique si tu, Vir doctissime, juvare & emendare nostra quàm commendare malueris. De Photii loco ita censeo. Evagrium fuisse domo Epiphanensem, nullus dubito. Urbs fuit Syriæ Cœlæ, Ἐπιφάνεια nomine, cujus multa apud Geographos & Historicos mentio. Hujus ἐθνικὸν est Ἐπιφανεύς, ut scimus cùm ex analogia, tùm ex Stephano. Rectè igitur in editione Evagrii scriptum, Ἐπιφανέως, rectèque Interpretes, *Epiphanensis.* Hoc ipsum indicare voluit Photius, cùm scriberet: Πόλεως δὲ Ἐπιφανοῦς τῆς κατὰ τὴν Κοίλην Συρίας. Πόλις ἐπιφανὴς est Epiphania, sive Epiphanea. Sic ἡ μεγάλη πόλις τῆς Ἀρκαδίας, pro Megalopolis; ἡ τοῦ Ἀντιόχου est Antiochia; sic de aliis. Non tamen displiceat, si quis putet legendum esse: π. δὲ Ἐπιφανείας. Habes super hoc sententiam meam. Tu vicissim de Sidonii loco nuper à clarissimo Lipsio * emendato ad Paneg. Plin. p. 10. quid sentias scribe. Nam mihi videretur, insigniter vir doctissimus esse hallucinatus. Verba Sidonii: *Ulpio incomparabili Principi comparabilem panegyricum scripsit.* Placet illi: *incomp. paneg.* Non capiebat acumen dicti. Vult Sidonius, Trajanum nulli Principum esse comparabilem; sed illi ipsi comparari posse Plinii librum; hoc est, ut inter omnes sui ordinis excellit Trajanus; ita inter omnes Panegyricos, Plinianus. Nosti argutias Sidonii: est quando frigentis. Exspectabo tamen judicium tuum. De iis quæ nunc in manibus habemus, proximâ epistolâ σὺν Θεῷ. Varia enim molimur: necdum quid edituri primùm simus, constitutum habemus. Puto tamen ægrè diutius nos repressuros τὸ μὲν Suetonium, qui pridem à nobis recensiti publicari per nos gestiunt. Quamobrem, mi Hœscheli, si quid in eos infelicissimos hactenus scriptores habes, brevi communica. Ναὶ ἀντιβολῶ σε καὶ δέομαι, ὦ φιλότης. Vale, & me constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XII. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ C.

* Pag. 300. Tom IV. Oper. ed. 1637.

EPISTOLA CCII.

MARCO VELSERO.

Itane, Vir nobilissime, miniatularum cerarum nihil à te exspectandum? 1599. Hæc quidem planè est, quod ajunt, ἡ ἀπὸ Σκυθῶν ῥῆσις. Quoniam igitur ut per te proficiam, hac ratione non impetro, aliam ecce aggredior viam. Inter cætera, quæ habeo nunc præ manibus,

1599. bus, Observationes sunt nostræ in Spartianum, & ejus socios scriptores. Quàm malè hactenus cum illis sit actum, stultus sim, si pluribus tibi exponere instituam. Tentavimus nos, bene de illis, bene de Historiæ Romanæ studiosis mereri: sed libris, mi Velsere, deficimur. Nam præter regium unicum non pessimæ notæ exemplar, ullum MS. eorum auctorum vidimus nunquam. Atqui librorum ope nobis opus, si feliciter & bono publico susceptam provinciam administrare volumus. Itaque peto à te, Musarum magne patrone, si quid ejus generis habeas in tua aut amicorum potestate, id mecum velis communicare. De tuo negotio sæpe cum Thuano, viro amplissimo, & tui studiosissimo, sumus collocuti. Sed propter Regis absentiam, & aulæ totius, nihil poterat ne tentari quidem à nobis. Postea quam Rex, καὶ οἱ περὶ αὐτὸν fuerint reversi, agam cum illustrissimo Cancellario, & quid spei sit reliquum explorabo: qui illius est in me amor, non dubito, datum iri aliquod ab ipso consilium, quod è re sit futurum. Erat autem, cùm hæc scriberem, constans fama, Regem post dies quindecim urbem cum Regina esse ingressurum. Vale, nobilissime Vir. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XI. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ C.

EPISTOLA CCIII.

DANIELI HEINSIO.

1599. LAudes illas immodicas, quibus me oneras, Daniel eruditissime, posthàc si mihi tuas vis esse omni ex parte gratas, velim omittas. Duo nobis literarum studia capessentibus contigerunt, quæ vel maximo ingenio virum, nedum me, tardare poterant: ut & ὀψιμαθεῖς essemus, & αὐτοδίδακτοι. Scis vetus esse dictum vatis præcipui: Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσεν: hoc nos experimur in nobis esse verissimum: nam cupiditatem quidem discendi, & bene de literis merendi animo nostro insevit Naturæ Parens: at facultatem proficiendi, & quæ mente agitabamus perficiendi, non dedit. Sanè cùm eà ætate essem, quâ te nunc esse ex magni Scaligeri literis conjicio, bonorum authorum nomina, paucis admodum exceptis, ne fando quidem audiveram unquam. Quod & libentius commemoro, ut εὐμοιρίαν τὴν σὴν & fati tui clementiam agnoscas. Fruere, eruditissime Adolescens, tanto bono: & studia tua sic compara, ut olim cùm maturior ætas advenerit, inter literarum lumina merito tuo censearis. Hanc spem ut de te conciperem, divini Scaligeri literæ effecerunt, quibus ille singularem tuam eruditionem mihi dilaudat. Accessit tanti viri commendationi erudita epistola tua, multis nominibus gratissima. Magni enim beneficii loco officium illud duco, quod tu mihi istic præstitisti. Nec tamen minus gratum, quod de Hesychii editione, quam moliris, nuntiasti. Equidem ita semper judicavi, omnium veterum Criticorum, qui hodie extant, eruditissimum illum esse. Perge igitur, per omnes te oro Musas, & tanto munere τὸ κοινὸν τῶν φιλομαθέων quàm primùm affice. Scriptum exemplar, quod sciam, nullum hic extat: si fuerit inventum, experieris studiosum me tui & tuorum studiorum. De tuis poëmatis nescio quid ad me Scaliger: si me amas, fac ut illa videam: non enim usquam hic, opinor, extant. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, prid. Kalend. Januar.* CIↃ IↃ C. 1599.

Meursius quid agat, scire cupio: amo enim illum vehementer, & eruditioni ipsius, ut si quisquam alius, faveo.

EPISTOLA CCIV.

JOSEPHO SCALIGERO.

ILlustrissime Vir, nisi mihi simplicitas 1599.
animi tui perspecta probèque dudum cognita esset, adducerer nunquam, ut quæ in tuis superiore mense datis super nostro opere non sine rubore legi, ea seriò à te scripta existimarem. Tune enim? ut meorum quicquam mireris? culpas duntaxat excipio: quarum nonnullas nobis animadversas, & ipsi sanè miramur. Quòd igitur largâ adeò manu rudes conatus nostros laudibus cumulas, sanus cerebri non sim, nisi indulgentiæ & tui in me amoris istud esse agnoscam, non judicii. Cùm aliquot horas in eo (ita enim scribis, quod equidem sum vehementer miratus,) percurrendo posueris, tum tu de lucubratiunculis nostris melius judicaveris, suumque illis pretium γνώμῃ τῇ δικαιοτέρᾳ καὶ ἀκριβεστέρᾳ melius assignaveris. Ego verò nullus dubito, divinam mentem ingenii tui tam multa in opere illo, quæ jure displiceant, offensuram,

Quàm multa in sylvis autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia.

Itaque censuram tuam cupidissimè exspecto, ut si quando alterius editionis facultatem ὁ σωτὴρ ἡμῶν sit nobis concessurus, te magistro profecisse me publicè possim gloriari: εἰς γὰρ αὔξησιν παιδείας

1599. δείας καὶ ἀμαθίας ὅλη μοῦ ἐκκέχυται ἡ ψυχή. Sed nos hoc à te beneficium flagitare ἱπεμώπρεν gestientes, revocant occupationes tuæ, quas non nescimus haud paullò & graviores & meliores. Eusebium enim recoqui nunc à te, ex tuis ad amplissimum Gillottum cognovimus. Felicem scriptorem, qui tot obscœnis vulneribus confectus, τὸ σὸν ἐκίνησε tandem ἵλεως. Tu illi verus eris Æsculapius, tu illum Virbium ὄντως præstabis. Utinam & Græcum exemplar Chronici Eusebiani tibi contigisset nancisci. Habui olim in manibus Græcum χρονολόγιον, unde multa aliud agens restitueram. Commentarios panepistemonis tui parentis, quantâ jam anxietate animi exspectemus, nulla verborum copia satis expresserit. Scribit ille semo, totum fermè Galenum suâ se manu descripsisse: quod equidem sæpe θαυμάσας ἔχω: nec minus tamen, quod scribis tu: post incepti operis profligationem, describendis patris commentariis operam te daturum. Hoc illud est, quod in utroque vestrûm μυριομυριάκις ad stuporem me dedit: in divino ingenio supra hominem φιλοπονία. Ego si isthîc essem, assiduis precibus te expugnarem, ut in partem pulcherrimi & utilissimi laboris me patereris venire: fero enim animo periniquo tantum temporis gravissimis tuis occupationibus perire. Oro autem te atque obtestor, tanti operis, aut potius thesauri publicationem quâ poteris cunque viâ & ratione procures, promoveas, urgeas. De notis in Novum Fœdus, multum te amo.: tua enim diligentia molestissimum mihi scrupulum exemit. Ante multos annos invito & reluctanti, Θεὸς δ᾽ ἐπιμάρτυρος ἔστω, Typographus, qui Strabonem erat editurus, hanc opellam nobis extorsit. Quod si ita Deo fuerit visum, observationes nostras in Libros Sacros aliquando sumus edituri. Scripsit ad me Daniel Heinsius tuus: quem eruditissimum adolescentem, & meritò ipsius & ex tuis literis non mediocri amore sum complexus. Nemo jam dubitat, te, cùm isthuc venisti, omnes tecum Musas abduxisse, & in Batavis καλοικίσαι. Ut mirum non sit, tantam isthîc eruditissimorum juvenum copiam paucis annis exstitisse: quanta hic conspicitur culpa docentium in juventute δοκησισοφία. Quæ mea est in patriam pietas, non possum quin exclamem: ô Gallia, maximorum ingeniorum quondam parens fœcundissima, εἰς οἷα ἐξ οἵων! Etiam nuper novum monstrum est editum; Mapsilacas quidam gouyobombix, qui veterem jurisprudentiam recenti scripto conspurcavit, præmium maledicentiæ, improbitatis & illius παναπειρίας vitiorum, quæ ipsum 1599. nobilitavit, hoc est consecutus, ut inter regios Professores asscriberetur. Et erunt qui me hortentur ad provinciam eandem suscipiendam? mihi verò vel γαῖα χάνοι potius, quàm ut collega talis viri audiam. Constantiæ meæ in vera religione fructum hunc percipio, quod nihil hactenus mihi cum istis negotii intercessit. ὃ μὴ γένοιτο, οὐδ᾽ ἔσται. Vale, Scaliger, famæ meritò pars maxima nostræ. *Lutetiæ Parisiorum, prid. Kalend. Januar.* CIϽ IϽ C.

Deum supplex veneror, ut & proximum annum, & multos deinceps alios exigas quàm felicissimus.

EPISTOLA CCV.

JACOBO GILLOTTO.

Gratæ mihi, clarissime Vir, tuæ literæ, & item literæ illæ, quas à magno Scaligero acceptas ad me misisti. Accepi eodem tempore & à Lipsio sanè quàm amanter scriptas. Rescribam & huic, & illi, propitio Numine, cùm plusculum otii nactus ero. Raptim enim ista, & οὐδὲ πάρεργον exaravi, cùm παρὰ προσδοκίαν sese obtulisset, cui tutò possem dare. Scito igitur nihil esse, quod abitum ex his locis meum moretur. Misi exspectationem regii diplomatis ad nostros Consules. Interest enim existimationis meæ, ne viros optimè de nobis meritos temerè, aut invitos derelinquam. Ut velint me bona cum gratia dimittere, unica efficiet Regis voluntas ipsis significata. Oro te, Vir amplissime, si quid in ea re futurum est difficultatis, caussam nostram suscipe, & hoc quoque prioribus tuis in me meritis adjice. Vale, doctissime Gillotte, & τὸν τρισμέγιστον Francorum Achillem * nostram memoriam ponere ne finito. Iterum vale. *Monspelii, a. d. Kalend. Januar.* CIϽ IϽ C. 1599.

* Harlæum.

EPISTOLA CCVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

Vir illustrissime, hodie tuas novissimas, † & Manilium, quem dono misisti, accepi. Habeo tibi agoque non quas debeo, sed quantas maximas possum, gratias. Etsi sum occupatissimus, paucis tamen horis magnam partem operis καινοπαλαιοῦ devoravi. Næ tu jure Virbium vocas. Quanta cum voluptate & τὰ προλεγόμενα, & cætera omnia legerim, frustra coner tibi verbis explicare. Nunquam experior acerbius, 1600.

† Vide Scaliger. Epist. 52.

O

1600. bius, quanta sit mea infantia, quàm cùm de te, aut scriptis tuis loquor. Sed eximiè & παντὸς λόγου πέρα exhilaravit me illa pars epistolæ tuæ, quâ admonebas me de commissa transpositione in Quarto Athenæi. Menses sunt amplius septem, cùm eâ de re judicium nostrum & voce probavimus amplissimo Vicquio, & scripto exposuimus Diatribarum nostrarum libro IV. cap. XXV. Quibus igitur lætitiis incessere me nunc credis, cùm tibi quoque idem videri intelligam. Idem ferè accidit & in Senatus-Consulto Lacedæmoniorum, quod à te emendatum est in notis ad Manilium: nam & nos idem tentavimus libri VIII. cap. XI. quo successu, scibo, cùm tuas divinationes diligentius contulero cum meis dubitatiunculis. Bone Deus, quoties ego, dum versor in hoc molestissimo opere, optavi aut tibi μαθητεύειν, aut propius à te abesse: ψεύσομαι ἢ ἔτυμον ἐρέω κέλεται δέ με θυμός· si nostra φιλοπονία ope divini tui ingenii fuisset sublevata, non desperassem, potuisse à nobis aliquid proficisci dignum, quod vel in arce poneretur. Sed hæc studiorum meorum infelicitas non minoribus aliis incommodis juncta est: de quibus non est hic dicendi locus. Raptim enim hæc scribo: tantùm ut scires, non periisse munus tuum, sed post longas moras tandem nobis esse redditum. Cætera, ut spero, brevi pluribus, ex minus remoto loco. Lutetiam enim cogitabam cùm hæc scriberem: non ut ibi lares figam, sed potius ut ostensæ anno conditioni semel renuntiem. Nam quod ex literis amicissimi Vicquii non unis cognovi, omnia illi magnifica promissa φροῦδα οἴχεται: quoniam ii, qui nos amant serio, παρ' οὐδὲν εἰσί· τοῖς δὲ οὐδὲν μέλει. Itaque de futura sede omnia incertiora quàm unquam. Sed Deus, spero, providebit. Vale. *Lugduni*, *a. d.* XVI. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ C.

EPISTOLA CCVII.

DAVIDI HOESCHELIO.

1600. QUintus decimus, opinor, hic dies est, cùm redditus mihi fuit, Vir clarissime, Photius tuus. Cujus rei dum te certiorem facere paro, tabellariumque exspecto, qui meas isthuc perferat, ecce literas ex aula, quibus lectis, Lutetiam versus iter sine mora cogor instituere. Itaque rebus relictis, paullò mox dedi me in viam: eàque celeritate usus sum, ut spatio dierum quinque Lugduno Lutetiam pervenerim. Inde has ad te dedi, in summis licet occupationibus. Sed nolui nescire te, quid agerem, & ubi locorum essem. Inter viaticas sarcinas Photium detuli per otium legendum: quod confide me facturum primo quoque die: mirè enim allicit nos quà rerum varietas, quà verborum & orationis φιλόκαλον· pauca adhuc legi: videor tamen posse aliquam symbolam ad illius lucem συνεισφέρειν, quod vel tuâ caussâ faciam lubentissimè. Sed nos adhuc tenent occupatos Athenaicæ Diatribæ: quarum ultimus liber erat in manibus, cùm opus interrumpere sumus coacti. Id verò æquiore animo ferimus, quia spem omnem jam antè amiseramus, posse vernis nundinis esse id confectum. Erit, uti spero, cis paucas hebdomadas. Ac statim ad te, & ad clarissimum nobilissimumque Velserum promissa dudum, imo debita, mittentur exemplaria. Pithœus, qui Photii Bibliothecam habet penes se, facturum se libri sui copiam promisit; ut cum editione tua conferatur. Quod negotium curabitur à nobis σὺν Θεῷ εἰπεῖν non negligenter. Vale, optime Hœscheli, & me apud Velserum tuum magis magisque in gratiam pone. Iterum vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VII. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ C.

Quid nobis futurum sit, proximis literis juvante Domino tibi & amplissimo Velsero significabo. Utrumque vestrûm plurimum salvere jubet, optatque fautor studiorum nostrorum, magnus Vicquius.

EPISTOLA CCVIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

EN tibi, Vir inlustris, rerum humanarum πάλιν καὶ ἀκαταστασίαν. Nuper enim, cùm ad te Lugduno scriberem, de conditione Parisiensi omnia deplorata, & extra spem posita nunciabam. 1600.
Vix eas literas exarare desieram, cùm evocatus sum in aulam, jussusque velis remis Lutetiam contendere. Veni igitur, & ut ne longum faciam, iterum magno Regis & omnium Procerum favore sumus excepti. Ac τὸ μέλλον quidem οἶδεν ὁ Θεός; cæterùm cur hujus consilii nos pœniteat, caussam adhuc habemus nullam. Crabrones, quos nosti, irritare non est animus: etsi non semel demonstrarit nobis ὁ ὑπερένδοξος Princeps noster voluntatem suam, operâ nostrâ utendi in restauranda hac Schola. Nos contrà ab eo consilio sumus quàm alienissimi: eâ fine in remotissimam ab ea, quæ fuit olim Academia, urbis partem concessimus. Ut, si fieri possit, inter σοφοὺς illos ne nomen

1600. men quidem nostrum audiatur. Si ex his tenebris in lucem mihi prodeundum erit, tute, magne Scaliger, hanc molestiam mihi creaveris, qui vehementia amoris tui erga me dum honorem ὑπὲρ αἶσαν προσάπτειν ἡμῖν studuisti, onus imposuisti humeris nostris οὐκ εὐάγκυλον οὐδ' εὐβάστακτον; imò verò, quo ne opprimamur, metus est. Nam Rex, etsi ut scis ὁ μουσικώτατος, quod olim de Hadriano dictum, illis tuis fidem veri excedentibus elogiis adductus, quæ sunt illi quotidie in ore, nihil mediocre de nostris studiis sibi pollicetur. Jure igitur, nisi descendere in nos nescimus, nobis θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πατάσσει. Hæc vel maxima caussa est, cur uxore, liberis, ac libris carere adhuc constituerim. Videndum enim, quorsum hæc evadent: & quàm bene sustinendæ ei personæ, quam tu nobis imposuisti, pares simus futuri. Intereà librorum aliquot lectione otium nostrum oblectabimus. Manilium tuum hic primùm seriò tractavimus. Quæris quid censeam? quod olim de Gregorio Basilius: ἓν ἔαρ ἐν ὥραις. εἷς δὲ ἥλιος ἐν ἀστέρσιν· εἷς δὲ περιέχων ἅπαντα οὐρανός· μία δὲ κατὰ πάντων φωνὴ ἡ σή. Nam, Deus bone! quantus in eo libro, qui mihi quàm ὀλίγιστος visus est, abstrusarum & reconditarum rerum thesaurus? Catonem etiam tuum his diebus incredibili cum voluptate & legimus, & legendum aliis dedimus. Etsi mirabilis quædam est τῶν τοῦ μιμολόγου Ῥωμαικῶν Jamborum suavitas, plus tamen Græcos tuos miratus sum: planè enim, cùm illa legerem, obstupui, ut ne verbum quidem possem hiscere. Atqui putabam, omnem tuorum scriptorum admirationem in animo meo dudum esse consumptam: quod tamen aliter esse, tum maximè sum expertus: nec minus hesternà die, cùm Orpheum tuum, Latinè loquentem, audirem; & alia quædam legerem, quà Græca, quà Latina; quæ nisi tu brevi edis, nos faciemus, haud dubiè de posteritate melius merituri, quàm si rudes conatus nostros illi exhibuerimus. Quod si per amicos mutis nobis esse licet, post Diatribas in Athenæum editas, pausam faciemus, & in penitissimum Museum nos abdemus. Ita sim fœlix, ut hæc ferè votorum meorum summa est. Vale, decus nostrum, & nos constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum, prid. Eid. April.* CIↃ IↃ C.

Audio isthic esse Jausandum, juvenem eruditissimum, & mihi amicissimum, qui Lugdunum bis ad me scripsit, ut συστατικὰ à me impetraret ad amicorum meorum principem, te nempe. Si ille tibi aliunde innotuit, fac ut meam commendationem apud te ponderis aliquid habuisse cognoscat. Hoc 1600.
accesserit cæteris tuis in nos meritis. Si certò scissem, illum isthic esse, scripsissem & ad ipsum, facturus σὺν Θεῷ, cùm rescivero. Iterum vale. *Ad hanc respondet Scaliger, n. 53.*

EPISTOLA CCIX.

DAVIDI HOESCHELIO.

ACcepi, Hœscheli amicissime, quas 1600.
novissimè ad me scripsisti. Quod studium meum erga te proximis meis tibi probavi, gaudeo non mediocriter. Non is ego sum, quem πολυφιλία admodum delectet; ostendit magis: sed initam semel cum paucis probisque amicitiam, religiosè semper σύν γε τῷ Θεῷ colemus omni officiorum genere τό γ' ἐν καθ' ἡμᾶς. Libros, quos desideras, & inquisivi jam diligenter, & posthàc etiam vestigabo πάσῃ σπουδῇ καὶ μηχανῇ. Sed non credas facile, quàm raró hic inter vænales prostent auctores, quos mandas quærendos. Libanii μελέτας hactenus reperire emendas neque mihi, neque tibi sum quitus. Pellegi nuper eum librum antè invisum mihi, (fatebor infelicitatem studiorum meorum,) & impetum edendi cœpi, si Typographum in illo calore nactus essem. Verùm neque tum ad manum fuit, cujus operà uterer: & ex eo tempore molestissima negotia, in queis operà nostrà Rex usus est, otium omne ad studia amœniora nobis eripuerunt. Eo etiam factum, ut nuperis tuis opinione meà, ac fortasse etiam voluntate tuà serius responderem. Nunc vero cùm per valetudinem nutantem plusculum otii essem adeptus, raptim ista ad te: ut voluntatem saltem obsequendi tibi, & egregios conatus tuos juvandi perspectam haberes. Photium tuum quantà poteram diligentià inter aulicos strepitus, avidissimè certè, percurri. Ostendi etiam munus tuum doctis magnisque viris, quorum in hac regia urbe numerus haudquaquam pœnitendus. Omnes tibi & præstantissimo Velsero gratias agere immortales, quorum auctoritate & industrià utilissimum scriptorem proximo autumno se habituros sperant. Principem inter hujus ordinis viros locum obtinet Præses Thuanus; quem ego virum divinitùs datum censeo sæculo isti in exemplum pietatis, integritatis, probitatis, & ut uno verbo dicam, πάσης ἀρετῆς καὶ καλῆς ψυχῆς. Sunt & multi alii quà in aula, quà in Senatu Parisiensi λάμποντες ἀστέρες, omnes vestri studiosissimi, & puriores literaturæ amantissimi. Omnes hi Photium ve-

1600. ſtrum cupidiſſimè exſpectant, eximiè autem Franciſcus Pithœus, de quo nuper * ſcripſeram, eſſe in ejus manibus Photii exemplar: collaturum me tuum codicem cum illo, & excerptas inde γραφὰς διαφόρους iſthuc miſſurum: neque ab illo, neque à me inſuper habita ea cura. Sed paucorum foliorum comparatione didicimus, nihil aut parum omnino auxilii ad ornandam tuam editionem à Pithœi libro eſſe exſpectandum. Quare aliud, cenſeo, agamus. Equidem ſi domi in Muſeo meo, quæ ſunt à te miſſa, legiſſem, aut otii pluſculum habuiſſem ad id negotium, plura & meliora in eo ſcriptore obſervaſſem, & tecum communicaſſem. Sed crede mihi ſeriò affirmanti, nihil occupatius, nihil à ſtudiis alienius eâ vitâ, quam in hac aula hactenus viximus. Ut ſcires tamen, etiam in ſummis hiſce occupationibus noſtris Photium tuum nobis eſſe lectum, paucula quædam illevimus huic chartæ, quæ tum nobis in mentem venerunt. Nam gravius aliquid fruſtra nunc à me exſpectaveris. Vale, Vir doctiſſime, & me conſtanter ama. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* V. *Kalend. Junias,* CIↃ IↃ C.

* *Suprà, Epiſt.* CCVII.

Epistola CCX.

JOSEPHO SCALIGERO.

1600. DE altero libri tui exemplari, quod ante aliquot dies accepi munus à te, maximas tibi grates. Ex quo primùm in meas manus venit id tuum ſcriptum, nullus dies abiit, cujus magnam partem in ejus lectione non poſuerim: quò ſæpius enim illud repeto, eo magis me rapit. Utinam plura hujuſmodi abs te habeamus: eâ tamen lege, ut Euſebianæ curæ tuæ cæteras omnes antevertant. En erit ille dies, cùm devorabo corporis mentiſque oculis tantopere exſpectatum opus. Puſillum de Olympiadibus libellum quin acceperis, nullum mihi dubium. Temporario enim ante dies oppidò multos tradidi. Magnâ curâ me liberaveris, ſi eo faſciculo quid factum ſit, literis tuis ſignificaveris; quod ut facias, etiam & etiam te vehementer oro. Scripſi raptim. *Lutetiæ Pariſiorum, propridie Kalend. Jun.* CIↃ IↃ C.

Ampliſſimo Buzenvallio, & viris clariſſimis Baudio atque Heinſio, ſi feret occaſio, plurimam verbis meis ſalutem ut nunties, te rogo.

Epistola CCXI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

SPerabam, Præſes ampliſſime, poſſe me iſthuc citius redire: ſed mihi res hic eſt cum operis non lentis ſolùm, verùm planè ſomnolentis. Ego igitur φύσει οὐκ ἂν πόδας ἀγαθός, aliorum culpâ fio Myrmecidæ ſimillimus, qui aſſiduè currens digitum non promovebat. Nos tamen multa iſthuc revocant, nec pauciora hinc expellunt. Quorum quidem maximum eſt, odium noſtri conflatum in animis plerorumque τῶν τὰ ἡμέτερα φρονούντων, cùm in hac urbe, tùm in vicinis provinciis. Mira quorumdam aut improbitas in fingendo, aut fatuitas in credendo ea de nobis, quæ tu, Vir ſapientiſſime, & φιλαληθέστατε, noſti probè eſſe falſiſſima. Sed hæc melius coram, cujus rei facultatem utinam brevi det nobis Deus. Omnem moleſtiam, quam iſtorum ἀθυρόγλωττον στόμα nobis attulit, ſanè magnam, tuum alloquium facile abſterſerit. Vale, ampliſſime Vir, & diu quàm feliciſſimus vive, αἰὲν ἀριστεύων καὶ ὑπείροχος ὢν ἄλλων. Scripſi raptim. *Lugduni Convenarum, a. d.* V. *Kalend. Jul.* CIↃ IↃ C. 1600.

Epistola CCXII.

DAVIDI HOESCHELIO.

O Lætum nuncium, quem tuæ mihi literæ nuntiarunt! Itane Geographica illa πολυζήλωτα, certè πολλῶν, ſi quid judico, ταλάντων ἄξια proximo mercatu habebimus? Quantum alii eorum editione ſe tibi debituros exiſtimaturi ſint, non ſcio. Ego profiteor magnum eum acceſſurum cumulum tuis in nos meritis. Macte, mi Hœſcheli, hoc animo & diligentiâ iſtâ. Opus noſtrum *, cùm ſuperioribus diebus in ipſo penè portu naufragium facturum eſſe videretur, tandem eo redactum eſt, ut faciente Deo poſt octo dies nihil futurum ſit nobis cum illo; quod quidem ad hanc editionem attinet: quæ eò minus grata nobis futura eſt, quòd Prolegomena noſtra, quia paullò erant uberiora, edi nunc non potuerunt. Sed hæc proximis literis. Vale, amiciſſime Vir. *Lugduni, Nonis Auguſt.* CIↃ IↃ C. 1600.

* *Athenæum.*

Episto-

Epistola CCXIII.

RICHARDO THOMSONI.

1600. ECce tibi, quem tantopere viſus es optare, amiciſſime Thomſon, Animadverſionum noſtrarum librum. Qui ſi ſpei tuæ nulla reſpondeat ex parte, teſtor fidem tuam, non hanc eſſe meam, ſed tuam culpam. Nam ego quid dixi, cur exſpectationem tantam infortunatiſſimi ſcripti in animo tuo excitarem? Equidem τὸ καδδύναμιν fide bonâ præſtiti: ſed magna optimo Deo gratia, quòd quantum inter velle & poſſe meum intereſſet, ſeriò tandem iſto maximè experimento didici. Adde, quòd otium & quietem altam ſtudia hæc poſtulant. Nos ab inſtituto opere variis caſibus continuò jactati, vix menſem unum, vix diem tranquillum inter libros egimus. Quæ ſumma ſtudiorum meorum infelicitas, facile ſpero, veniam à te, & ab omnibus æquis judicibus meis culpis impetrabit. Ego verò, mi Thomſon, etiam illud à te pro mutuo amore noſtro exſpecto, ut quæcunque aut ipſe animadverteris, aut ab aliis animadverſa eſſe cognoveris perperam nobis ſcripta, ea omnia in ſchedam conjicias, & mecum ᾗ θέμις ἐστὶ τοιοῦτον φίλον communices. Hoc mihi præſta officium: & immortalitate me donatum abs te cenſebo. Quod ſcribis, te, ſi ſemel Lutetiam uxorem ac liberos produxero, ad nos advolaturum; ſeriòne, amabò, an joco à te ſcriptum? Si joco, cur me, cur uxorem, tui amantiſſimos, ludis? ſi ſeriò, quid moraris? en hîc omnes, quos petis, adſumus, cupiditate tui videndi amplectendique incenſi. Veni igitur, optime & amiciſſime virorum. Multa habeo quæ in ſinum tuum διὰ στόματος malim, quàm διὰ γραμμάτων. Gratiſſimum etiam, quòd ſpem facis notarum in Epiſtolas ad Atticum. Legi ante biennium librum illum cum cura & attentione: ſcire enim avebam quid tuus N. novi attuliſſet. Scis quàm illum virum vel ſolo pietatis nomine venerer. Ingenuè tamen fatebor tibi πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, cùm illius notas legerem, ipſum aliud egiſſe cùm illa ſcriberet, exiſtimabam. Nos quoque neſcio quid in eo genere ſumus meditati. Verùm hæc levia; majora moliremur ad communem pii cœtûs utilitatem, ſi otium nacti eſſemus. Nunc ita incertus noſter ſtatus, ita inſtabilis fortuna noſtra, ut præter rei familiaris curam nihil nobis videatur cogitandum: eò demum res noſtræ rediere. O divinum planè virum, Joſephum Scaligerum, quem quidem 1600. omnia multò antè prædicere memini, quæ nunc reapſe experior: neque ego tam lævâ unquam mente fui, ut prudentiſſimi viri monita inſuper haberem. Sed quid agerem? ardebam enim incredibili quodam deſiderio libellos noſtros edendi: quod aliter fieri non poterat, quàm ut è Narbonenſi Gallia exiremus. Verùm iſta quando jam mutari non queunt, miſſa faciamus: Deus enim profectò eſt, qui nutu ſuo naviculæ noſtræ clavum, quò vult, dirigit, & quomodo vult, regit. Polybianas & Suetonianas notas tuas ſcito me tandem accepiſſe. Propoſitam à te quæſtionem ante ſex ſeptem annos cum cura tractavimus Genevæ, ſolemni promotionum publicarum die. Noſti morem. Quæ tum nobis obſervata ſunt, in adverſariis habemus inter noſtras chartas. Illæ verò cum univerſa bibliotheca colligatæ ad vecturam, nondum ſolutæ ſunt: domum enim adhuc quærimus, quæ Muſas noſtras hoſpitio excipiat. Simul ac ἀνοχὴ καὶ ἄνεσις eſſe deſierimus, & libros reviſemus, & voto tuo ſatisfaciemus. Vale, amiciſſime Thomſon. Uxor & liberi plurimam tibi toto pectore ſalutem precantur. Iterum, vel potius μυριάκις vale. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* XII. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ C.

Epistola CCXIV.

JOSEPHO SCALIGERO.

DIatribas in Athenæum noſtras in 1600. manus tuas, Vir illuſtriſſime, puto jam perveniſſe. Simul enim lento & infortunato operi colophon eſt impoſitus, dicatum tibi exemplar Francofurdum ad clariſſimum Bongarſium miſi, qui id perferendum iſthuc curaret. Fides hominis ſæpe mihi perſpecta, ne tibi quidem, ut arbitror, eſt ignota. Quare non dubito, conſilium meum, cùm viam hanc elegi, tibi quoque iri probatum. Utinam & quod miſimus opus, exactiſſimo judicio tuo probetur. Sed nos, præſtantiſſime Scaliger, tyronibus ac ſimilibus noſtri eo ſcripto voluimus conſultum: eruditi homines neque nobis opus habent doctoribus, neque nos ipſis lectoribus. Te verò, doctorum doctiſſime, libelli noſtri, εἴ τις ἦν ἐν ταῖς χάρισιν αἰδώς, ſine rubore nunquam aſpicient. Verùm age, per Deum immortalem te oro atque obteſtor, rudes conatus noſtros adjuva: & hoc mihi præſta, ut ope tuâ aſſequamur in ſcriptore difficillimo, quæ ne proprio intelligeremus

 Marte,

1600. Marte, frigidus obstitit circum præcordia sanguis. En cupidissimum discendi discipulum. Tu modò τῆς σῆς διδαχῆς ἀξίωσον ἡμᾶς. Testor supremum Numen, præ tanto bono omnia mihi Ταντάλου τάλαντα fore non nauci. Scito autem, Lutetiam tandem reversos esse nos cum uxore, liberis, & libris. Diu multumque exercuit nos hæc cura, veniremus huc, necne. Vicit demum eorum sententia, qui audendi erant autores. Itaque decimum jam diem in urbe agimus, ἐνοδωθέντες ἐλθεῖν ὧδε ἀπήμαντοι τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι. Cæterùm quam spem habeamus in posterum, nondùm satis exploratum nobis; adhuc enim hæret nobis inter spem metumque anceps animus. De his igitur aliàs: & quidem seriò, ut puto, brevi. Quod scribis de congressu * Diomedis cum Glauco: sic est omnino, ut tu judicas rectè. Vir optimus, si cum sua prudentia, Orbi Gallico satis explorata, non defecisset, nunquam ejus certaminis aleam subiisset. Nunc ea acciderunt, quæ verissimè dictum arguant à divino vate, τοῖον εἶναι νόον ἀνθρώποισιν, οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγει Θεός. Nam in hoc negotio toto à principio ad exitum usque οὐδ' ὅ, τι οὖν φρονίμως ὑπὸ τοῦ δοκοῦντος εἶναι καὶ ὄντος ὡς ἀληθῶς φρονιμωτάτου διεπράχθη· ἵνα μὴ λέγω τὰ περὶ τὴν παιδείαν ἐλαττώματα. Et scis quàm sit ὁ ἐξ ἐναντίας τῆς σοφιστικῆς τερθρείας τρίβων, καὶ περὶ ταῦτα δεινός. Atqui vir ille octodecim ipsos menses, & hoc amplius, in hanc unicam curam insumpserat, ut si quid in eo libro vel ἔλλως, vel φαινομένως μεμπτὸν inesset, id omne rimaretur, & in gloriæ suæ materiem verteret. Equidem in lacrymas prope adducor, quoties subit animo tristissima illius diei species, cùm de ingenua nobilitate, de excellenti ingenio, de ipsa denique veritate pompaticè adeò vidi triumphatum. Non desunt, qui τὸν μεθέντα hîc accusent: sed neque patroni illi desunt. Nos quoties apud ipsum amici viri caussam agere instituimus, responsum hoc tulimus: *Sibi imputet: Ego quid feci?* Atque hæc, mi Scaliger, quia valde velle visus es, scribo ad te prope invitus. Nam & memoriam illius rei luctu refugit animus, & propter hoc negotium tot calumniis nostra integritas est appetita, ut seculi infelicitatem & aversa à simplici vero ingenia hoc maximè experimento cognoverim. Itaque τὰ κατὰ λεπτὸν ne à nobis exspectes. Deus Opt. Max. languentis Ecclesiæ suæ misereatur. Sed nos, nisi vanum augurium est, tenebræ manent densissimæ, & ex quorundam peritia, aut perversa aliorum scientia errores ψαμμακοσιογάργαρα, ἐπεὶ τὸ γιγνόμενον ὁρᾷς οἱ μὲν γὰρ τὰ γράμματα οὐ μανθάνουσιν, 1600.
οἱ δὲ ἐπ' ἀριστερὰ μανθάνουσιν· ἀλλὰ ταῦτα ἡμῖν εὔστομα κείσθω. Vale, meum decus unicum. *Lutetiæ Parisiorum, a. d. X. Kalend. Octob.* CIↃ IↃ C.

De Eusebio quæ scripsisti ad Gillottum, incredibili cum animi voluptate legi.

* Plessæi ac Perronii Colloquio. Colomes. Vide Rod. Boterii Commentar. Lib. VII. pag. 521. & seqq. & la vie de Monsr. du Plessis, liv. II. pag. 263. 264.

Epistola CCXV.

EIDEM.

De recepto Chronologo feci te sta- 1600.
tim certiorem, præstantissime Scaliger, illo epistolio, quod liberandæ apud te fidei suæ caussâ exegit à me is, qui librum attulerat. Sed dolet mihi κηρόθι μᾶλλον, non esse à te servatas eas schedas, cuicuimodi illæ sint, quamdiu saltem in Eusebio tuo es futurus: nam profectò tanti non est iste χρονόγραφος, ut in eo describendo vel minimam temporis tui partem poneres: quod cùm debeatur totum melioribus curis & exercitationibus illis nobilioribus, quibus divinum ingenium tuum quotidie occupatur, magni criminis se obligat, qui ut vel tantillum ejus tibi pereat, quoquo modo est in caussa. Equidem, si isthîc essem, antiquius nihil haberem, quàm ut tibi ὑπουργεῖν, & operâ meâ tuum possem laborem sublevare. Absens quoque si quid tuis studiis possim commodare, ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω: certusque esto, nihil unquam te mihi imperaturum adeò durum, ut ego tuum detrectem imperium. De proverbiis Arabicis quod aurem vellis alterâ epistolâ, quam his diebus accepi, sic habe: non illa solùm, sed & multa alia missurum me ad te fuisse, si nactus essem cui rectè darem: cupio enim vehementer, librum illum de anno Persico videas, quo de plura nuper ad te scripsi. Fallor, aut erit aliquid in opere satis magno, quod nolis non legisse. Quare etiam non exspectato responso ad postremas mearum, si aliqua se occasio tuta obtulisset, essem illâ usus. Sed constet mihi de illius fide necesse est, cui rarum adeò κειμήλιον sum commissurus. Velim agas ea de re cum amplissimo Legato: qui etsi isthîc positus, fortasse tamen pro sua ἀγχινοίᾳ & rerum usu πόρον aliquem inveniet. Si, quod pridem molitur, isthuc tandem iter instituat illustrissima δέσποινα, Auriaci Principis vidua, tam bonam occasionem non prætermittemus. Notæ in Historiam Augustam nostræ quotidie eduntur, sed lentè, ut non totum prælum sibi vindicent. Enitemur ut ad vernas nundinas exstet opus

1600. opus prostetque: vereor tamen ut possimus, vel propter istas tot & tam frequentes ἑορτασίμους ἡμέρας, quæ me jam enecant: fecit nos lentitudo operarum præter voluntatem nescio quomodo in eo opere πολυλόγους. Institueramus criticas fermè notas: exibit, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, prope legitimus commentarius liber. Commentarium de Critica pridem affectum habemus, sed labore isto prius defungamur necesse est, quàm aliud quid suscipimus. De illo igitur alias tecum plura: neque enim leviter præclaram illam hypothesin sumus tractaturi, si dabitur nobis οὐρανόθεν perficere quod instituimus. Vale, illustrissime Scaliger. Imò verò exspecta dum, quæso te, & nisi grave est, λῦσόν με τῆς ἀπορίας. Legebamus hodie, ego, & eruditissimus atque optimus ille φιλάραψ, juvenis Flessingensis, quem ante menses aliquot mihi commendasti, in Arabe Geographo V. Climatis Sectionem secundam. Ubi cùm alia multa offendimus ignara nobis, tum illud quid sit nescimus ברנכון: nam in eo tractu quem describit, nullum locum ejus nominis meminimus. Putabam ego perperam scriptum ד pro ז, & Visontionem intelligebam, quam ille autor *Bezanson* hodierno indigetat nomine. Ut Lugdunum idem לינון In eadem pagina גניוה interpretamur Genevam, cujus nomen ut in tam bono autore non reperiremus, nihil esset suave meritum. לוזנה Laussanna, opinor, est: לנכה videtur esse Langres: sed vix alii loci patiantur. Mons גין nescio quid sit. Juram postulat loci ratio, τὸ ἐμοὶ δοκοῦν. Quòd autem Alemannos in finibus illis statuat, videtur cum vetustioribus sentire, qui ibi primùm ἐν τοῖς τοῦ Ῥήνου παραποταμίοις eos locant. Oro te, mi Præceptor, atque obtestor, legas meâ caussâ eam paginam, & obscuriores appellationes ibi nominatorum locorum mihi explanes. Ego intereà, quod facio ἀδιαλείπτως, pro tua quàm longissima vita, & perfecta felicitate Deum Opt. Max. supplex orabo. Iterum vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IX. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ C.

Epistola CCXVI.

EIDEM.

1600. QUantum repeto memoriâ, Vir inlustris, nullius unquam rei longior mihi fuit exspectatio, quàm epistolæ hujus tuæ, quæ nunc ipsùm ab optimo Plumbeo nostro * mihi est reddita. Menses ipsos quatuor, & quod excurrit, silueras: certè tam longo intervallo nihil à te literarum acceperam. Itaque πόθῳ τῷ σῷ καὶ τῶν σῶν γραμμάτων ἐπετηκόμην: nam quas Abbæi fratres attulerunt, ἕωλα erant, & sollicitum de tua valetudine nihil admodum juvabant. Ad illas responderamus, & jam epistolam tradideramus, cùm venit ad nos Plumbeus, tuas afferens. O merum mel! ô delicatissimas delicias! ubi sunt, qui voluptatibus omnibus docent abstinendum? equidem isti quid voluptatem appellent nescio: ego me, ajo, ex tuarum epistolarum lectione incredibili quâdam affici voluptate: καὶ ταύτης ἥττων εἶναι τῆς ἡδονῆς φημι ἐγώ. Hanc tu mihi, divine Scaliger, ne invide: facile omnium gazas contempsero. Hæc scribentem, καί πως τοῖς σοῖς γράμμασιν ἐντρυφῶντα, febris, quam gravis tussis præcesserat, repentè me corripuit, & lecto affixit: κλινήρης igitur ista adtexebam, cùm urgeret tabellarius. Astrampsychum habes, & si meo consilio uteris, gratias ages amplissimo Memmio: cujus instructissima libris, præsertim Mathematicis, bibliotheca tibi patebit in posterum, si hoc officium non neglexeris. Hoc ego non sine caussâ te vehementer oro. De libris Regiæ Bibliothecæ θυμὸν ἔχε ἀγαθόν. Amplissimus Thuanus utetur suo jure: heri eò profectus, ut omnia explorarem, hominem non inveni: redibo & curabo. Multi jam sunt menses, cùm Rex benignissimus ei curæ nos destinavit. Et jam codices li facti essent; quod scimus jussisse eum sæpius: sed adhuc res odio Religionis infecta. Ego non urgebo, & jussum Regis exspectabo, quem scimus nostris studiis factum velle: plura eis dies paucos σὺν τῷ Θεῷ. Vale, inlustris Scaliger. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Octob.* CIↃ IↃ C.



* *Jacobo Esterwchardo, Rupellensi.* Colomes.

Epistola CCXVII.

EIDEM.

PRæstantissime Vir, simul pedem domo extuli refocillatâ valetudine, 1600. Bibliothecam Regiam adii, lustravi singula, quantum poterat fieri, diligenter. Inveni nusquam librum G. Monachi cum Theophane. Olim nos habuimus eum librum, & legimus. Nunc ille codex servatur in Bibliotheca Palatina. Solum offendimus breve χρονικὸν, nomen Georgii Monachi inscriptum, cum Choniatæ Historia conjunctum, sine Theophane. Hunc quoque librum percurri. Inveni nihil admodum quod tibi usui esse possit. Igitur cùm esset nihil ad manum, quod tibi mitterem, excerpta illa, de quibus aliquando scribere

1600. bere ad te memini, duxi esse mittenda. Liber, unde excerpsimus, satis grandis est: ille ipse, quem Sigonius & Onufrius semper Fastorum Siculorum nomine indigetant. Utinam eo libro uti posses integro. Id verò cùm non posse videaris, en tibi κατὰ δεύτερον πλοῦν ἐκλογὰς nostras: quas memineris properanti calamo olim à nobis descriptas. Cùm fueris usus, si placet, remittas velim. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, discedente tabellario, qui casu se obtulerat, *Kalend. Octob.* CIƆ IƆ C.

Amplissimus Præses Thuanus nullum non movebit lapidem, ut tuæ voluntati satisfiat, sit modo in urbe liber ille.

EPISTOLA CCXVIII.

EIDEM.

1600. De epistolis τρισμεγίστου tui parentis ago tibi, præstantissime Scaliger, gratias immortales. Jam antequam in manus nostras munus tuum perveniret, librum totum ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς pellegeram. Utinam & cætera omnia Semonis illius scripta è tenebris in lucem hanc tandem protrahantur! Qua de re quid spei sit reliquum, scire ex te aveo. Nuper quidem incredibili gaudio literis suis Thomson noster nos affecit; quibus significabat, commentarios panepistemonis illius Sophi in De Historia Animalium operâ tuâ isthic edi. Id verò gaudium an solidum sit futurum, non autem ὑπηνέμιον, incertus adhuc animi pendeo. Nam desiderium quidem meum illius operis legendi, verbis exprimere non queam. Hoc igitur nos tu proximis tuis, si grave non est, docebis. Sed habeo & aliud quod te rogem, atque obsecrem. Nam cùm hesternâ die Francofordiensis mercatûs indicem percurrerem, inter libros qui ad proximas nundinas ostenduntur, Novum Fœdus inveni cum nostris notis. Eum librum pollicetur Raphelengius vester. Obstupui, mihi crede, amicissime Vir, ad tituli illius conspectum. Nam quæ iniquitas est, ἐπ' ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο, me inconsulto, ne dicam invito, abortivam illam opellam sub incudem velle revocare? Significaret saltem consilium suum, & detrahendi adjiciendive, quæ desunt aut superfluunt, faceret potestatem. Taceo publicum odium, quod mihi hisce in locis conflatura erit repetita ἀκαίρως tempore alienissimo notarum illarum editio. Si tam infelix unquam scriptiuncula illa fuit, ut in manus tuas incideret, non dubito ξυνιέναι σε ὃ, τι λέγω. Quamobrem, illustrissime Scaliger, si nos, si studia nostra, si salus 1600. denique mea ad curam tuam pertinet, noli, amabò, permittere, ut tam insignita injuria nobis isthic fiat. Sin minus, persuasum habeat tuus familiaris, omnia me experturum, qui ipsum inique adeò pœniteat incepti. Vale, τιμιὸν ἄγαλμα, & an superiores meas, ante mensem scriptas, acceperis, fac me certiorem. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* x. *Kalend. Novemb.* CIƆ IƆ C.

De rebus nostris, quia novi nihil est quod scribam, nihil nunc ad te: studia quidem planè languent adhuc, & ἐναλλαγὴν istud ob puriorem religionem odium non mediocriter nos sollicitat. *Ad hanc respondet Scaliger, Ep. 55.*

EPISTOLA CCXIX.

JACOBO LECTIO.

Ex novissimis tuis, Vir clarissime, quas mihi Brossæus noster reddidit, 1600. summam tuam cupiditatem mei isthuc reditûs cognovi: nec solùm cupiditatem, sed etiam operam in eo positam navatamque à te ὡς προθυμότατα, ut publicè vocatus, vester iterum fierem. Hoc ipsum literis accuratè scriptis amicissimus utrique vestrûm Violetanus mihi significavit. Brossæus verò rem omnem coram prolixè nobis aperuit. Ago tibi, Lecti præstantissime, non quas debeo, fateor, sed certè quantas possum maximas gratias, & quoniam ingrati animi crimen, victi tuorum in nos meritorum magnitudine, aliter amoliri à nobis nequimus; Deum Opt. Max. oramus supplices, rependeat ipse tibi tuisque, pro sua infinita benignitate, omnia illa tua beneficia, quibus & me, & omnes meos æternùm tibi devinxisti. Nam quòd exitum istud tuum, Vir amicissime, inceptum non habuit, nihil quicquam propterea me tibi minus debere judico. Tu, quod in te fuit, abundè præstitisti: & quod ad te, diu factum est cùm nos veterem patriam repetiimus. At viris optimis, & mei amantibus (sic mihi persuadeo) aliter visum: & his quoque magnam habeo gratiam; multumque me illis debere, seriò agnosco. Nam si meis tuisque illorum vota accessissent, non fruerer nunc iis commodis, quæ pax hæc alta ubertim nobis largitur. Omnino sive studia mea spectem, sive rem familiarem, alibi quàm Lutetiæ (dum quidem per temporum conditionem licebit) degendum nobis non fuit. Rex ipse, si maximè cupiam, ferat nunquam solum me vertere. Hoc ille nobis sæpe affirmavit. Et ut seriò nos illi cordi esse sciremus, misit nuper benignissimus Principum,

1600. cipum, & quidem ultrò misit codicillos, quibus ad Bibliothecæ curam designamur. Adjectum honorarium ducentorum aureorum annuorum. Ac ne quid liberalitatis deesset, in exactum propè jam annum hunc extendi jussit hoc beneficium. Quid dicam de optimis & rarissimis libris, quibus hîc fruimur? Censen' potuisse me alibi trimestri spatio tantos in Arabica Lingua facere progressus, ut jam ingentem sylvam observationum eo spectantium habeamus? Hîc, hic, mi Lecti, oportebat nos esse, ut Ducem Maurum nancisceremur. Quid multa? τὸ μέλλον quod in manu Dei, cui nos & nostros committimus, permittimusque. Cæterùm ut nunc res sunt, non possum, quin exclamem & dicam, ταὐτόματον ἡμῶν πολλάκις κρεῖσσον βουλεύεται. Nam equidem ingenuè fateor, post ἀποστασίαν veteris amici diu mihi exosam fuisse hanc urbem, & ingratam inter tot hostes veræ fidei habitationem. Ferebam animo iniquissimo, infaustos nescio quos & penitùs falsos jactari rumusculos. Itaque Genevam aut Sedanum, aut nescio quò terrarum cogitabamus. Haud ita superis visum: queis chariorem hominem esse, quàm sit ipse sibi, etiam Stoïci docuerunt: nedum dubitemus nos, καὶ θεοδίδακτοι ὄντες, καὶ ἀπὸ τῆς πείρας ἀπειράκις μαθόντες. Itaque immortali Deo toto pectore gratias agimus, nostramque illi naviculam permittimus. Sed abutor patientiâ tuâ, amicissime sapientissimeque Lecti: nisi quòd & res nostras pertinere ad curam tuam certus sum. Iterum iterumque ὑπὲρ τῆς σῆς ὁλοκλήρου εὐμοιρίας Numen supplex veneror. Vale cum lectissima tua conjuge, & omnibus tuis. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XIX. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCXX.

✠ JOHANNI ARCERIO.

1600. PEr mihi gratæ fuerunt, quas ad me scripsisti, Vir optime & eruditissime. Nota mihi pridem erat φιλοπονία tua in literis, & non vulgaris etiam cognitio: eoque nomine vel incognitum aliàs plurimum te diligebam. Ubi verò ex tuis literis singularem pietatem, probitatemque tuam pari erga nos benevolentiâ junctam cognovimus, etiam amare te illicò cœpi, & illud seriò optare, ut me posthàc in tuorum numerum adscribas. Testis mihi animi hujusce mei adversum te, spei optimæ juvenis Canterus, quicum memini non semel de te, & scriptis tuis verba facere. Quin etiam multò antè quàm tuas acciperemus, cum ipso egeramus, ut tibi significaret, si quando de altera Jamblichi editione cogitares, & nostras observatiunculas usui tibi putares futuras, lubentissimè eas nos missuros. Quod quidem eò studiosius nunc faciemus, postquam te quoque id vehementer velle significasti. Puto nondum inibi te esse, ut sub incudem illud opus revoces. Itaque facile me à te impetraturum confido, ut ex commodo meo ei opellæ vacem. Sin est aliter, & hoc solùm tuam editionem moratur, omnia postponam ut tuæ voluntati satisfaciam. Vale, Vir optime, & me constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XVII. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CI. 1600.

EPISTOLA CCXXI.

JOHANNI DRUSIO. ✠

AN' tu, Vir clarissime, venturum te brevi in has oras, & hanc ipsam urbem? O lætum non mihi solùm, sed & aliis multis amplissimis viris, qui te hic colunt, nuntium! Etsi enim jacet Academia hæc, extinctis prope jam in illa linguarum studiis; non tamen regiæ huic urbi sua desunt lumina, doctissimi videlicet viri, & literarum amantissimi. Possem nominare non paucos, & quidem τῶν ἐν πόλει, quos scimus esse tui nominis amantissimos; eximiè autem amplissimus Thuanus, cùm eruditissimis scriptis tuis delectatur, tùm etiam existimationi tuæ ac famæ plurimùm favet. Nobis autem quantum gaudii tuus adventus sit allaturus, rebus ipsis quàm verbis nostris malumus te cognoscere. Equidem in animum ita semper induxi meum, communione aut similitudine studiorum vix aliud esse firmius amicitiæ coagulum. Quod scribis de imposito tibi ab Ordinibus munere novo, beasti me eo nuntio. Puto enim eàdem operâ tuas observationes te fore editurum. Discam lubens, quid judices de novis istis interpretibus, quibus religio est cum vetere ullo in loco consentire. Mihi unquam φιλοκαινία hæc tanta certorum hominum probari potuit. Ab illo fonte illæ monstrorum plenæ in Tertullianum notæ prodierunt: quibus nihil aliud auctor, homo sanè doctissimus, est consecutus, quàm ut tali ipsius scripto amici dolerent, inimici gaudio triumpharent. Sed melius ista coram. Veni igitur, & vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XVII. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CI. 1600.

EPISTOLA CCXXII.

✠ SIBRANDO LUBBERTO.

1600. Magnum mihi gaudium literæ tuæ, Lubberte doctiſſime, attulerunt. Quòd enim valere te intelligo; quòd memoriam noſtri ſervare; ita vivam, ut mihi uterque hic nuntius accidit gratus. Sollicitudo verò illa tua de fortunis noſtris in magnam admirationem humanitatis tuæ nos rapuit. Itaque ago tibi eo nomine ingentes gratias, relaturus etiam animo lubentiſſimo, ſi ulla ſe olim nobis tibi gratificandi occaſio obtulerit. Vera autem ſunt, quæ ſuper noſtro, poſtquam huc venimus, ſtatu ſcribis inaudiſſe: neque illa vana fuit fama. Nam cùm benigniſſimus fortiſſimuſque Rex cupidè in Regiam hanc ſuam nos vocaſſet, delatâ literis non unis quàm honorificentiſſimè ſcriptis publicâ profeſſione; tamen ubi advenimus, longè alium illi eſſe animum, & re ipſâ, & ex ipſius ſermonibus cognovimus. Quod etſi ſuſque deque habeamus, ut qui ab profeſſione publica gravibus de cauſis ſemper abhorruiſſemus, ſubiit tamen animum juſtiſſima indignatio: tantumne ne poſſe Romanam illam Μορμὼ, ut ejus reſpectu Princeps tantus ſententiam mutare cogatur? Non enim diſſimulavit Rex ſecum per literas R. P. expoſtulaſſe, quòd obſtinatos hæreticos tam inluſtri loco iret collocatum. Enimverò ſi ſcirent auctores hujus conſilii, quàm lubenter hic quidem ſileam; qui eorum eſt animus, pœniteat ipſos proculdubio ſententiæ. Regis quidem erga nos animum nihil propterea eſſe immutatum, multa quæ deinceps ſunt ſecuta, palam fecerunt. Habes, mi Lubberte, rerum mearum ſtatum, ut quidem res nunc habent, haud fortaſſe pœnitendum. In poſterum pluſne metuere mali, an ſperare boni debeamus, pronuntiare non auſim. Optimum Principem ab omni vi alienum eſſe, certi ſumus: è contrariò πάντας τοὺς ἀμφ' αὐτὸν, odium noſtri ex R. P. mandatis vix poſſe jam continere, id quoque certò ſcimus. Sed erit, ſpero, ſalus piorum Deo Opt. Max. curæ. Vale, Vir clariſſime. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* XVII. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCXXIII.

✠ JOANNI KIRCHMANNO.

1601. Ante horas, opinor, ſex ſeptem, mi Kirchmanne, tuas accepi, quibus
jubeo te reſponſionem expectare bene 1601.
longam; & quæ, ut ille ait, utramque manum impleat. Sed dierum aliquot dari mihi veniam poſtulo, atque adeò flagito; ſum enim occupatiſſimus: neque moram negotia patiuntur, quæ me nunc cùm maximè διασπῶσιν ἔνθεν κἀνθεν. Non diu te traham; omnino enim proximâ hebdomadâ, σύν γε τῷ Θεῷ εἰπεῖν meas ad te ſolutiones, ad τὰς σὰς ἀπορίας, aut certè συναπορήσεις miſſurus ſum. Intereà pauca hæc tibi ſcribenda duxi, ut de conſtantia mei in te amoris non dubitares. Ego verò, eruditiſſime Vir, & amo te plurimum, & ſtudiis tuis planè ex animo faveo. Perge vera humanitatis ſtudia cum ſeverioribus Muſis, ἀγαθῇ τύχῃ, maritare: neque dubita, hanc eſſe unam, hanc ſolam viam, quam ſeniores illi, ἠ μὲν νέοι ἠδὲ παλαιοὶ calcarunt, quorum in omni genere literarum præſtantiam orbis miratur. De Mercero me vide, & factum puta. Is mihi amiciſſimus eſt. Vale, Vir eruditiſſime. *Lutetiæ Pariſiorum, Non. Mart.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCXXIV.

EIDEM. ✠

Et obrutus negotiis, & curis confe- 1601.
ctus, hæc ad te, Vir amiciſſime, ſcripſi; ut nihil mihi fide antiquius eſſe cognoſceres; quæ ut ſcis, ex eo nomen habet, quòd fiat id, quod dictum eſt. Ζητήσεων tuarum quadrigam priorem relegi hodie: ſimul quæ veniebant mihi in mentem, quo tibi ſatisfacerem, huic chartæ illevi. Quæris, quid ſit in Lege Numæ, *fulmine occiſum ſupra genua tollere.* Nobis quoque id loquendi genus negotium perſæpe fecit. Nam doctorum, quas affers, interpretationes planè ſunt ἀνερμάτιστοι. Sed non eſt dubium, ſignificari à Pompilio iis verbis, quod uſitatius & brevius dici ſolet, *juſta facere.* Eſt enim ἀναντιῤῥήτως mens Legis hæc: non licere τὰ νομιζόμενα illi ποιεῖν, quem occidiſſet fulmen. Putabat nimirum vetuſtas, τοὺς κεραυνοβλήτους Deorum odium eſſe promeritos: itaque ut ſuperis exoſos abominabantur; atque ut ſceleratis hominibus aquâ & igni interdicebant: ita illos fato functos funeris honore privabant: τόπερ θέμις ἐστὶ θανόντων. Sic ſuſpendioſis juſta facere fuit nefas; ſic etiam apud Lacedæmonios οὐκ ἦν θέμις ὁσίας τυχεῖν ἄνδρα νεκρὸν βεβλημένον τὰ ὀπίσω, ait Euſtathius. Hoc voluit Numa ἀναμφισβητήτως: ſicut etiam ſubjecta apud Feſtum verba declarant. Eſt igitur *ſupra genua tollere* φράσις ἀπὸ μέρους τοῦ παντὸς δηλωτική: hoc eſt, πάσης τῆς

περὶ

1601. περὶ νεκρῶν ὁσίας καὶ κηδείας. Propriè *supra genua tollere* iis convenit, qui corpus exanime nudabant, lavabant, ungebant. Mulierculârum ea fuit cura ut plurimum: quæ humi sedentes cruribus porrectis, tibiisque supra genua positum cadaver curabant. Omnino Legem Numæ explicant antiquæ statuæ, quas in hac urbe aliisque videmus. Mulieres sunt, habentes Christi τοῦ Σωτῆρος corpus cruci detractum, idque nudum, πρὸς τὸ ἐνταφιάζειν αὐτό. Si hujusmodi imagines vidisti, non quæres amplius, quid sit *supra genua tollere*. Nam ut dixi, ita fuit moris pollinctoribus aut mulieribus illis, quæ mortuorum corpora περιέστελλον, ut Græci loquuntur, & lavabant ungebantque. Nosti versum, *Tarquinii corpus bona fœmina lavit & unxit.* Morem cremandi mortuos non Imperatorum Constitutiones sustulerunt, sed religionis Christianæ πολιτεία. Sidonius Epist. III. lib. III. magis ad cremandi ritum allusit, quam significavit Christianis hominibus usurpatam fuisse ævo suo νεκροκαυσίαν. Et aliter rem habere certum est. Fuere autem Macrobius & Sidonius æquales. Ambos sub Theodosio Juniore vixisse constat. Plinii locum, de ignoratis Iliacis temporibus unguentis, attigimus in Animadversionibus in Athenæum, lib. XV. cap. XI. vide ibi Athenæum; nam Plinius Græcum scriptorem habuit quidem ante oculos, sed parum ex fide sententiam illius expressit. Inter summi viri παροράματα, quæ non parva sunt, nec levia, hoc quoque censeri debet. Quod de Anacreonte subjicis, mirum quo spectet; cùm aliquot seculis ejus ætatem τὰ περὶ τὴν Ἴλιον præcedant. Idem sentiendum de Legum XII. auctoribus. Non est neque obscurus, neque difficilis ὁ ἐπιλογισμός. Apud Servium lego, *moris fuit, ut noctibus efferrentur ad funalia*, nisi mavis natum errorem ab imperiti Critici emendatione, qui posteriori syllabæ vocis *noctu* superscripserat *te*, quasi egeret scilicet emendationis vox illa. Malo illud prius. Habes ad priorem quadrigam: neque nunc plura poteram, urgentibus molestissimis negotiis. Sed de cæteris jubeo te esse securum: non enim conturbabo. Vale, & me constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCXXV.

JOSEPHO SCALIGERO.

1601. HEri demum, magne Amice, tuæ literæ mihi sunt redditæ, quarum etsi diu me cruciavit exspectatio, opportunius tamen in meas manus venire non poterant. Eram enim, cùm illas accepi, animi æger, & curis confectus. At tuarum lectio omnem prope mihi doloris sensum abstersit: certè quidem lenivit mirum in modum καὶ κατεκήλησε. Omnium primùm, quòd vales & εὐημερῶν διατελεῖς, incredibili cum gaudio intellexi. Nam qui religionem tuam in scriptione literarum probè novi, diuturnius silentium tuum mirari jam incipiebam, eramque de tua valetudine anxius & sollicitus. Nosti vetus verbum, *Res est solliciti plena timoris amor.* Sustuli igitur in cœlum manus; & quòd læta omnia de te intelligerem, Deo Opt. Max. grates egi gratissimas: quem etiam supplices veneramur, ut tuum illud, quod scripsisse ais, testamentum per lustra adhuc multa maneat irritum. Diatribas nostras in Athenæum legisse te, sanè quàm mirati sumus vehementer. Quid? tantumne tibi ab rebus tuis esse otii. Quod autem non obscurè significas, multa tibi inter legendum in mentem venisse, quibus nostri conatus emendari & corrigi possint; ita vivam, ut mihi is nuntius fuit jucundus. Enimverò quid σοφίας ἀληθινῆς γνησίῳ ἐραστῇ gratius accidere queat, quàm ut errore liberetur, & in veritatis indagine adjuvetur? utique à te, divine Scaliger, cui ego μαθητεύειν gestivi semper; & ut aliquando possem, à Deo sæpissimè petii. Testis mei hujus voti amplissimus vir, & tuarum virtutum maximus admirator, Jacobus Thuanus: quicum seriò nuper egi, ut per Regis voluntatem liceret mihi isthuc proficisci, & per aliquot saltem menses tibi operam dare. Atque hujus rei facultatem cùm ab æquissimo Rege adhuc impetrare non simus quiti, ab iniquissimo Quæstorum Præfecto jam fermè consecuti sumus. Nam ut ne te lateat rerum nostrarum status, scito luctari nos hìc cum iis incommodis, quæ ante annum literis non unis ob oculos nobis posuisti. Itaque γῆν πρὸ γῆς non ex animi levitate, sed justis necessariisque de caussis, cogitamus. Omnino enim de studiis nostris est actum, si cum hoc genus hominibus diutius nobis res est futura. Et tamen de Principis benevolentia erga nos certi sumus. Sed longè nobis favor Regis, quoties ad illum accedendum est, qui in ærarii administratione omnes pariter, dignos, indignos; bonos, malos; bene, aut secus meritos; magnos, parvos, eodem loco habet, eâdem vultus truculentiâ excipit, aut fastidit potius. Quamobrem, nisi huic incommodo regii Consiliarii, qui & literas, & nos amant, brevi

Hæc est responsoria ad Scaliger. Epist. LVI.

1601. brevi prospexerint, certum est, studiis meis quietem alibi gentium quærere: & aliquò migrare, ubi quod superest vitæ, procul ab aulico strepitu possim exigere. Non dubitamus multis è Proceribus molestum hoc nostrum consilium futurum: sed enim, mi Scaliger, ex eorum numero qui nos amant, atque etiam fortasse æstiment, multi sunt: qui juvare nos aut possint, aut curent, pudet dicere quàm pauci. Trigam, opinor, verorum amicorum hîc habemus, Harlæum τὸν μέγαν, Thuanum, & Petavium: cæteri omnes ἐξ ὀνόματος φίλοι, linguâ factiosi, inertes operâ; omnium autem maximè is, qui Eusebium tibi . . . Sed continebo me, καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Eusebio tuo moram esse injectam, iniquissimo ferimus animo. Quod autem ais, non ex ullo MS. exemplari petendam esse illius operis illustrationem, equidem nunquam aliter judicavi, ac memini seriò me ante mensem cum nescio quo jurgatum esse verbis, qui absque libro optimi viri Petavii editionem tuam futuram prope nihil audebat dicere. Nos contrà, qui in legendis tuis scriptis operæ plus posuimus, constanter affirmabamus, nihil adeò exquisitum ex ullo MS. posse afferri, quod cum una, aut altera tuarum profundissimarum observationum mereretur comparari. Sed profectò ita est, qui magnitudinem ingenii tui, & præstantiam tuorum in Rempublicam literariam meritorum justis ponderibus æstimaret, & tuorum immortalium laborum sensum haberet, μονώτατον hîc adhuc reperi optimum, sapientissimum doctissimumque Thuanum; cui tamen illustrissimum Harlæum meritò adjunxero. Græcus χρονόλογος, de quo nuper scripseram, in Palatina Bibliotheca asservatur, nisi fallor; aut inter libros Sylburgii τοῦ μακαρίτου alicubi latet. Ante annos, opinor, octodecim, vivo adhuc parente meo, emeram eum codicem à Græculo quodam; qui nactus cupidum emptorem, non prius à me discessit, quàm aureis prope trecentis me emunxisset. Sed vitâ functo optimo patre, & per bellicos tumultus parte maximâ bonorum illius direpta, cùm ipsi intereà literas Græcas Genevæ nullis ὀλίγου δεῖν stipendiis publicè doceremus, ea mox tempora inciderunt, quæ me cogerent libris parum necessariis ad ea studia, in quibus tum eramus, alios libros planè mihi necessarios anteponere. Itaque χρονολογον & aliquot alios ad Fridericum Sylburgium misimus, qui eorum loco alios libros nobis Francofurti comparavit. Sed narrabat nobis idem Sylburgius, cùm paulò pòst animi caussâ in Germaniam essemus profecti, plerosque libros, quos à me acceperat, in Palatinam Bibliothecam esse conditos. Habes quid sit eo libro factum. Excerpta nostra ex illo propediem missurum me confido. Utinam & tu, quæ in Athenæum observasti; quorum cognoscendi desiderio vix est ut non tabescamus. Vale, magne Vir, & ἀδολεσχίαν mearum boni consule. *Lutetiæ Parisiorum*, *Eid. Mart.* CIƆ IƆ CI. 1601.

EPISTOLA CCXXVI.

JANO GRUTERO.

VAlere te, Vir eruditissime, & gratulor tibi, & magnopere ipse gaudeo. Nos quoque beneficio Numinis valemus μετρίως γοῦν· οὐ γὰρ ἁπλῶς γε, οὐδ' ἐξ ὁλοκλήρου. Opus veterum Inscriptionum, quod curari à te audimus, omnes hîc avidè exspectamus, quibus 1601.

De meliore luto finxit præcordia Titan.

Sed & observationes tuas cupidissimè omnes te poscimus. Quid? Adeòn' te inclementem esse adversus tuam prolem, ut tollere eam nolis? Si non moveris φυσικῇ στοργῇ, at solitudinem vide, quæ est in Musarum ædibus; specta ingeniorum infrequentiam, & paucitatem τῶν γνησίως αὐταῖς θεραπευόντων. Equidem haud scio, quàm isthîc caleant humanitatis studia: hîc illa non jam frigere, sed penitùs esse exstincta, possum tibi confirmare. Habet sanè urbs hæc non paucos, qui has literas & ament & æstiment, quum sint ipsi earum peritissimi. Sed hæc scito esse τοῦ χρυσοῦ γένους λείψανα: cui partim culpâ docentium, partim arcanâ lege fatorum, ætas successit ferrea, juventus nempe ἀμαθὴς, ἀψίκορος, δοκησίσοφος. Quamobrem, mi Grutere, stationem ne deseramus. Quin potius imminenti, & prope jam instanti Barbariei fortiter nos opponamus. Hoc agimus nos quidem pro virili nostra; assiduè in eam incumbentes curam, ut si possumus nihil aliud, at egregiam certè voluntatem nostram posteris probemus. Verùm de his ὁ πανίλεως Θεὸς ὄψεται, qui te, Vir eruditissime, servet. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XI. *Kalend. April.* CIƆ IƆ CI.

EPISTOLA CCXXVII.

DAVIDI HOESCHELIO.

HAve, Hœscheli eruditissime, & salve à me. Quid agas nunc rerum, 1601.

1601. rum, ut valeatis tuque & præstantissimus Velserus, scire vehementer cupio. Jam enim multi fluxerunt menses, cùm siletis vos. Ego scripsi intereà sæpius: etiam ante dies oppidò paucos ad vestrûm utrumque literas dedi, multarum aliarum comites, quas è Pictavis acceperam, ad vos mittendas. Eum fasciculum an acceperis, velim facias me certiorem. Jam enim mihi via Lugdunensis incipit esse suspecta. De rebus meis atque studiis satis nuper. Mitto tibi quas fidei meæ commisit homo, & de facie, & de nomine mihi incognitus. Vale, amicissime Vir, & amplissimo Velsero plurimam à me salutem, nisi molestum est. Iterum vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XI. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCXXVIII.

DANIELI HEINSIO.

1601. DE versibus Græcis, quos ad me misisti, & ago & habeo gratiam tibi. Sed ut quam commovisti ὄρεξιν, sedes, etiam atque etiam vide: magnam enim ex eorum lectione cepimus voluptatem, & statim ἐκ τοῦ ὄνυχος τὸν λέοντα, ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ λοιπὸν ἱμάτιον cœpimus æstimare. Itaque optamus mirum in modum cætera, quorum spem facis, quàm primùm videre. Constitueram, si fuisset otium, docti cujusdam viri emendationes in Nonnum tecum communicare: & faciam eis paucos dies; cupio enim extare illius viri sanè quàm docti, aliquam in tuis lucubrationibus mentionem: de hoc igitur aliàs. Hesychium si pergis recensere, & nostras in eum authorem observatiunculas fore tibi ex usu judicas, faciam tibi πρόφρονι θυμῷ earum copiam. Multa enim οὐδὲ πάρεργον emendavimus in ora nostri codicis, cùm aliquando eum Criticum ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς percurreremus. Breviter, hoc velim tibi persuadeas, nihil mihi posse jucundius accidere, quàm ut studia tua quâ potero cunque ratione adjuvem. Atque utinam sexcentas in optimos scriptores nostras observationes, quæ nobiscum interituræ sunt, tecum possemus communicare; ingens enim earum penes nos ὕλη. Obitus Raphelengii magnum mihi mœrorem attulit. Salus ab illius fratre mihi missa, gratissima fuit. Velim seriò illi affirmes, si quid possim ejus caussâ, planè me totum esse ipsius. De Artemidoro, ubi primùm erit otii plusculum, meminero. Vix enim unus & alter dies est, cùm tuas accepi; longo intervallo post epistolam Scaligeri, cui nuper respondi. Vale, eruditissime Heinsi, & me constanter ama. Meursio & Putschio amicissimam à me salutem. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VI. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CI. 1601.

EPISTOLA CCXXIX.

JOSEPHO SCALIGERO.

VIr illustrissime, constitueram viâ istâ mittere ad te excerpta nostra ex illo Græco Chronologo, de quo superioribus literis. Sed quia ipsum autorem malim te videre, censeo faciendum tibi, ut per Gruterum nancisci eum tentes. Puto futurum id non ita difficile: nam & nobis Athenæi MS. olim facta est copia ab illustrissimo Principe. Etsi autem non possum magnum aliquid de eo scriptore polliceri; non tamen affirmare dubitavero, ejusmodi esse, quem satius sit à te videri quàm negligi, ὁρᾶσθαι quàm παρορᾶσθαι. Itali fastographi ei scripto nomen fecerunt, Fasti Siculi: nos in exemplari nostro hanc solùm ἐπιγραφὴν invenimus. Ἐπιτομὴ χρόνων ἀπὸ Ἀδὰμ τοῦ πρωτοπλάστου ἀνθρώπου ἕως κ΄ ἔτους βασιλείας Ἡρακλείου τοῦ εὐσεβεστάτου καὶ μετὰ ὑπατείαν ἔτους ιθ΄, καὶ ιη΄ ἔτους τῆς βασιλείας Ἡρακλείου νέου Κωνσταντίνου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ ἰνδικτίονος γ΄. Liber est satis magnus. Nos præcipua tantùm excerpsimus: τὴν ἀκολουθίαν τῶν χρόνων, & annotationem Olympiadum, Indictionum, Consulum, & alia id genus. Sunt in his nonnulla, ex Eusebii χρονικῶν palam descripta. Si quidem igitur integrum librum potes consequi: sin minus, excerpta nostra, cuicuimodi illa sunt, statim missurus sum. De nostris rebus aut studiis nihil nunc: & verò satis nuper, hoc est, ante dies, opinor, octo. Si per inhumanitatem istorum γαζοφυλάκων licuisset, jam esset inchoata autorum τῶν μετὰ Suetonium editio: ad quam plurima nacti sumus è libris auxilia. Sed qui prævideam futuram brevi migrationem ex his locis mihi necessariam, quicquid temporis mihi aut negotia, aut amicorum officia vacuum relinquunt, totum colloco in lectione librorum alibi οὐκ εὐπορίστων. Vale, illustrissime Vir, & diu multumque vive beatus, atque ex omni parte felix, ô literarum τὸ σεμνότατον ἔρεισμα. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VI. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CI. *raptim.*

EPISTOLA CCXXX.

JUSTO LIPSIO.

NOvissimas, quas ad te scripsi, acceperis necne, Vir præstantissime, 1601.

1601. non ſcimus: diu enim eſt cùm ſiles: fuitque illa felicitas noſtra πρόσκαιρος & ὀλιγοχρόνιος, cùm binæ * menſe uno à te redditæ nobis ſunt literæ. Atqui ſpem prope certam animo conceperamus futurum omnino, ut, dum hic erimus, literarum commercium aſſiduè tecum exerceremus. Quid igitur? an hoc potius cenſes faciendum, ut de communibus ſtudiis per literas interpretes poſthàc conferamus? Equidem habeo quàm plurima, de quibus ſi iſthic ſim, ſententiam tuam libentiſſimè & ὡς προθυμότατα exquirerem. Nam etſi juſtis gravibuſque de cauſſis magis ac magis in dies marceſcit in nobis ſcribendi ſtudium; diſcendi tamen cupiditas nobis ἔμφυτος, & deſiderium bene de literis merendi adeò nihil proptereà minuit, ut contrà quotidie, imò in horas gliſcere videatur. Verùm deſino περιαυτολογεῖν: & te, mi Lipſi, oro, de tua valetudine præclariſque inceptis facias nos certiores. De rebus noſtris ſi quid eſt quod ſcire cupias, narrabit omnia tibi Baronius tuus, adoleſcens nobis eximiè charus; primùm quidem ex commendatione tua, poſteà vero ob ingenii dotes & τὸ εὐάρετον τοῦ ἤθους. Vale. *Lutetiæ Pariſiorum, propridie Kalend. April.* CIↃ IↃ CI.

* *Epiſt.* LXIV. & LXIX. *Centur. ad Germanos & Gallos.*

Ad hanc reſpondet Lipſius Miſcellan. lib. III. *Epiſt.* LXIX.

EPISTOLA CCXXXI.

✠ JOANNI KIRCHMANNO.

1601. NOn feram, mi Kirchmanne, ut in ære tuo ſim diutius. Atque utinam minus moleſtæ, minus graves occupationes eſſent, quæ nos aſſiduè tenent: non reſponderem ſolùm ad quæſita tua, verùm quæſtionibus ultro te fatigatum irem. Et erit fortaſſe brevi, cùm otii plus habebimus ad generis hujus meditationes. Intereà ad poſteriorem quadrigam tuarum ζητήσεων accipe, quæ veniebant nobis in mentem, cùm tuas legeremus. Scribit Feſtus: *Funebres tibiæ dicuntur, cum quibus in funere canitur: quas Flamini audire putabant illicitum.* Repugnat iſtis, inquis tu, Noctium Scriptor, cujus verba: *Flamini Diali funus exſequi non eſt religio.* Et habent re verâ contradictionis ſpeciem hæ aſſertiones: ſpeciem inquam, non ἀληθινὴν ἐναντίωσιν. Poſſunt autem variis modis hæc inter ſe conciliari. Non ineptè contenderit aliquis, de temporibus diverſis locutos Feſtum & A. Gellium: hunc de ſuorum temporum ſentire conſuetudine: illum de priſco, & vetuſtate ipſa obſoleto more. Ideò ait, *putabant*, non *putant*. Si dicas non Feſti eam eſſe vocem, ſed breviatoris: etſi nihil video, cur ita 1601. exiſtimare ſit neceſſe, non in eo tamen ſolutionis cardinem conſtituo. Negabo potius ſibi contraria eſſe, *funus exſequi*, & *tibias funerum audire non poſſe*. Primum quia non omnia funera ad tibiam ducebantur: ſcis enim in honeſtiorum funeribus tubam pro tibia eſſe adhibitam. Deinde illud poteſt dici: Pontifices rarò itaſſe exſequias: qui ſi quando eo venirent, habitum eſſe ipſis hunc honorem, ut eorum gratiâ tibiæ removerentur. De ſolenni mulierum laudatione, quid tibi reſpondeam, animi pendeo: per enim mihi mirum videtur, tam longo temporum intervallo poſt latam legem, ignoratam Romæ fuiſſe eam conſuetudinem. Sed & Marcum Tullium idem miratum eſſe non dubito: ideò de Popillia eſt ab illo adnotatum: ceu res obſervatu digna. Et tamen non audet Cicero affirmare, primam omnium mulierum eam fuiſſe laudatam publicè, verùm *ita ſe*, ait, *putare:* quaſi dicat, fieri poſſe, ut & aliis olim is honos eſſet habitus: ſed quarum nulla extaret in hiſtoriis memoria. Sciendum etiam, non ſtatim moribus receptum eſſe, quicquid per Leges licebat. Illuſtria exempla in Lege de Divortiis: & in illa, quæ malum debitorem ſecare μελέεσι permittebat. Quod autem mulierum ἐπιτάφιοι λόγοι Romæ non eſſent in uſu, etiam Polybius & Dionyſius Halicarnaſſeus indicant, qui de eo inſtituto multa ſcribentes, mulicbris laudationis nullam fecerunt mentionem. Orcinos libertos lectum dominorum defunctorum ſolitos antecedere, Livius ait, aliique è Latinis. Dionyſius Halicarnaſſeus: ταῖς κλίναις παρακολουθεῖν; hoc eſt, *lectos proſequi.* Aliud nihil τὸ παρακολουθεῖν ſignificat hoc loco. Quare irent præ, an pone ſequerentur, ex Dionyſii verbis cognoſci liquidò non poteſt. Propriè παρακολουθεῖν eſt honoris causâ latus tegere alicui: ponitur & pro, ſequi è veſtigio. Sed & in genere proſequi ſignificat, quod aliâ voce προπέμπειν dictitant Græci. Sic quod ait Capitolinus, *Verum Marcus Imperator Capuam uſque proſecutus eſt*, poſſis Græcè dicere τῷ Οὐήρῳ Μάρκος μέχρι Καπύης παρηκολούθησε. Hac notione apud Dionyſium capiam. Non aſſentior Rævardo, qui verba Legis XII. *Mortuo ne oſſa legito*, &c. ad morem illum reſtringit, de quo Feſtus. Aliud eſt *digitum abſcindere*, aliud *oſſa legere.* Etſi valde ſunt res affines, & ab eadem cauſa manantes. Sed videtur utrumque olim factitatum, augendo luctui, uti ait Cicero. Erant qui ante ἐκφορὰν mortuo digitum præciderent: ad quem ſervatum

1601. vatum justa fierent postmodum, quoties luctum vellent instaurare. Erant alii, qui ossa in condendis cineribus legerent, ac domum reportarent, fini eâdem. Ita exponenda esse verba Legis, exceptio illa arguit, quæ est apud Ciceronem: *Bellicam*, inquit, *peregrinamque mortem* excipit. Et scimus ita fuisse moribus receptum: nam peregrè aut militiæ defunctorum ossa legebant, & domum reportabant, inibique justum illis funus faciebant. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Quod superest, ubi primum erit otium, literas omnes tuas relegam; & si quid est, cui non sit responsum, erit illud proximæ epistolæ argumentum. Sequentur posteà, quæ ipsi observavimus: nam & illa cupimus omnia tecum communicata. Vale, Vir amicissime. Scripsi raptim, *Lutetiæ Parisiorum*, *Eidibus April.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCXXXII.

PATRIBUS,
AD SYNODUM GERGAVIÆ CONGREGATIS.

1601. ETsi facio invitus, Venerandi Patres, ut gravissimas curas & occupationes vestras interpellem; quia tamen ad Dei gloriam res, nisi fallor, nonnihil pertinet, faciendum omnino censui, ut testes animi mei literas hasce ad vos mitterem. Non enim dubito, pervenisse ad plerorumque è vobis, ac fortasse omnium aures, sparsum de nobis totâ Galliâ rumorem; quasi inibi essemus, (quod nec commemorare sine horrore possum) ut puriori religioni, quam ab optimis parentibus acceptam hactenus sumus professi, brevi cogitaremus renuntiare: hoc plenis buccis ubique locorum τοὺς ἐξ ἐναντίας scimus prædicare: hoc libellis editis, quos variis ex locis pii homines ad nos miserunt, vidimus non dubitanter affirmatum. Sed ante annum, amici, quos habemus in Germania quàm plurimos, per literas nos monuerunt, Gasparem Scioppium, juvenem amœniorum Musarum καὶ τῆς ἔξωθεν παιδείας amantiorem, quàm gloriæ Dei & veri Christianismi studiosum, Româ ad suorum multos scripsisse, quod religionem mutasset: plurimùm se in ea mente esse confirmatum, cùm & nos idem non multò pòst esse facturos cognovisset. Quid multa? tam constans fuit hic de nostra in re pietatis inconstantia rumor, ut non aliis tantùm in locis, sed & Genevæ, ubi lucem hanc primùm vidimus; ubi tot annos non obscuri, χάριτι τοῦ ἐλεῶντος Θεοῦ, atque omnibus bonis charissimi viximus; ubi denique liberos nostros etiam nunc in religione ac literis educamus, multi tamen sint reperti, quos non mediocriter ea res commoveret. Nuper verò cùm ad Pontificiorum partes vir magnâ autoritate *, magnisque in nos meritis, transitum faceret; quòd non esset obscura amicitia, quæ nos arctissimè prius jungebat, jactatum hic vulgò, & à multis etiam creditum, triste funestumque illius exemplum nos quoque propediem sequuturos, & ut vetus dictum est, ἕψεσθαι πέρκην μελανούρῳ. Tantum apud homines minimè illos quidem malos, sed nimis profectò ταχυπειθεῖς, ut modestissimè dicam, eorum callidissimæ technæ valuerunt, quos palam est τὰ ψεύδη τοῖς ψεύδεσι propugnare ὑπηρετοῦντας τι καὶ ὑπηχοῦντας τῷ πατρὶ τοῦ ψεύδους. Quasi verò nota jam orbi terrarum non esset istorum αὐτοκατακρίτων tenebrionum ἡ πανουργία πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης. Hosce igitur sermones, Venerandi Patres, licet integritate conscientiæ meæ fretus poteram negligere, cùm vel judicio Sapientum, vir bonus nihil præter culpam teneatur præstare; tamen nihil unquam prius habuimus, quàm ut Ecclesiæ Dei omnia nostra quà facta, quà dicta approbemus, ἀπερμολόγων istorum fraudibus, quâ poterimus cunque ratione, obviam ire constituimus. Quod si grandes non obstitissent caussæ, fuit animus isthuc me sistere, & dolorem meum in sinum vestrum effundere; quem ex nonnullorum simplicitate & credula nimis facilitate capio gravissimum. Nunc cùm mutare consilium fuerim coactus, oro vos, Reverendi Patres, atque obtestor per immensum Deum, & τὸν μονώτατον Σωτῆρα τοῦ κόσμου Jesum Christum, ut falsos esse fictosque hujuscemodi rumusculos ἀδιστάκτως, & constanter credatis, & aliis porro pro vestra autoritate ita esse persuadeatis. Est Deo gratia, quòd non adeò infeliciter in pietate fuimus à puero instituti, ut κλυδωνίζεσθαι καὶ περιφέρεσθαι παντὶ ἀνέμῳ διδασκαλίας ex ignoratione veritatis necesse habeamus. Accessit deinde & studium, quod in ea parte posuimus, & nunc cùm maximè ponimus impensius: quæ quidem opera nostra, ut promovendæ gloriæ Dei olim inserviat, & optamus toto pectoris affectu; & si cœptis divina clementia faverit, etiam speramus. Sed non morabor vos pluribus. Deum veneror supplex, det vobis laborum vestrorum, quos in tuitione orthodoxæ religionis sustinetis maximos, hunc exoptatissimum fructum, ut ad veritatis adquisitionem, & verè Christianam concordiam, Galliam universam 1601.

* Philippus Canaius à Fraxinis. Colomes.

1601. versam videamus tandem conspirare. Valete, Patres Venerandi; & me, Ordinis vestri observantissimum, vestrâ benevolentiâ dignum habete. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Nonas Majas*, CIↃ IↃ CI.

Epistola CCXXXIII.

✠ DANIELI TILENO.

1601. SIc est profectò, doctissime Tilene, ut ais: non fefellit te, non fallet unquam concepta de candore morum nostrorum opinio. Quod si verè dictum priscis Sapientibus, Vinculum amicitiæ firmissimum esse τὸ ὁμοιότροπον τῶν ἠθῶν, confido equidem, teque pariter jubeo confidere eâ lege, iisque auspiciis institutam hanc inter nos amicitiam, ut nullâ unquam vi, nullâ humanarum περιστάσεων περιπέτεια solvi metuat. Itaque, mi Tilene, non celabo te quod res est: quoties enim venit mihi in mentem, quæ nos maneat vita, si voluerit Deus, quod supplex illum oro σωσῶ ἡμᾶς, & in promovenda ejus gloria συμπονεῖν, vix contineo me, quin moras omnes abrumpam, & in tuum tuorumque collegarum sinum convolem. Nimis, ah nimis diu inter κοσμοπολίτας habitatum est, qui μόρφωσιν εὐσεβείας habentes, re illam aut oderunt, aut contemnunt. Quid hactenus nostra moretur vota, ex iis intelliges, quas ad Illustrissimum Principem scripsi. Sed dabit, spero, Deus Opt. Max. consilio huic exitum. In ejus manu sunt Principum corda. Ille Ducem Bullioneum, nisi fallor, impulit, ut hoc moliretur: ille idem Regem nostrum flectet, ut quod adhuc videtur nolle, quàm primùm velit. Tum ego, mi Tilene, è vestigio ad vos. Vale, Vir doctissime & amicissime. *Lutetiæ Parisiorum*, CIↃ IↃ CI. *Eidibus Junii.*

Epistola CCXXXIV.

✠ DESIDERIO HERALDO.

1601. ETsi dudum nobis perspectus exploratusque ἀκριβῶς tuus, eruditissime Heralde, in nos amor; suave tamen fuit, Petrum Chabaneum meum ἀδελφιδοῦν narrantem audire, quæ vehementia sit tuæ adversum nos στοργῆς. Scis quid ad te multos ante menses scripserim: cùm multa me ad vos allicerent, nihil tamen commovere nos vehementius aut violentius, mutuo isto amore qui nos jungit. Itaque, mi Heralde, confide, si mei arbitrii res est futura, tuum esse me καὶ συμβιώτην, καὶ συμμύστην sacrorum eorundem. Missionem impetrare adhuc à Rege non sumus quiti: sed movebimus constanter lapidem omnem, quò communi huic voto nostro quàm citissimè satisfiat: καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Opus nostrum in Athenæum lectitasse te non ὁδοῦ πάρεργον, narrabat idem Petrus. Nempe, ut video, otio hîc plus satis abundatis. Nam scis profectò, non tibi, nec tui similibus elucubratum id fuisse quicquid est operis. Non dubito autem, multa te in Athenæo, plura in nobis peccata observaturum: eoque nomine gaudio triumpho. Doceri autem quæ nescio, (quantulum est autem quod scio?) pars magna est votorum meorum. Tu nos multa, scio, docebis: non ille canis impurus, qui ex intimo spelæo suo nostrum nomen allatrare non cessat. Illum dico tenebrionem, telluris filium, cujus recentem in Persium commentarium vidisti. O malè, quòd indignus est indignatione nostrâ! Nam si ita esset meritus, responsum tulisset. Sed ἐρρέτω ὁ κακηγόρος. Tu autem, cum lectissima tua conjuge, vale, & longum flore. Uxor te & tuam salutat. *Lutetiæ Parisiorum, Eidibus Junii*, CIↃ IↃ CI.

Epistola CCXXXV.

DANIELI TILENO. ✠

SEriùs redditæ epistolæ tuæ, amicissime Tilene, seriùs respondere cogimur multis de causis. Nihil dicam de occupationibus istis, & gravissimis, & molestissimis, quæ à literis me multas in hebdomadas avocant. Qua ex re tantum capio dolorem, quantum neque verbis exprimere, neque sanè ferre possum diutius; ita me angit & cruciat temporis jactura, quam in hac infelici urbe facimus necessariò. Sed fuit & alia ratio, cur non statim tuis responderem. Cupiebam enim de exitu instituti negotii certa omnia & explorata posse tibi nuntiare; quod tamen præstare needum queo; adhuc enim voluntati nostræ Rex adversatur. Egi cum ipso primùm per Rosnium τὸν πάνυ· deinde per Colladonium, virum integerrimum: tandem ausus sum & ipse animi mei sensum indicare; orareque obnixè, daret facultatem ab ea urbe excedendi, ubi me cùm ipsi, tùm in universum omnibus libera purioris Religionis professio reddebat inutilem, & tantum non ἐπώσιον ἄχθος ἀρούρης. Adjiciebam multa in eam sententiam; quæ, ut opinio mea est, Principem aliarum rerum quàm literarum amantiorem de facili flexura fuissent, 1601.

1601. ferit, nisi esset incautius à non nemine injecta mentio. Tum verò Rex commoveri, & seriò negare missionem me unquam impetraturum: velle se operâ meâ in bibliotheca sua ornanda uti: postremò non obscurè significare, facturum rem ingratissimam, qui posthàc de ea re verbum mutiret ullum: non animus nobis, non voluntas defuit experiundi aliâ viâ, si quid fortè proficì posset. Sed mihi hoc consilium κατὰ θυμὸν ὁρμαίνοντι visum satius, rem in aliud differre tempus. Persuasissimum quippe habemus, ut sunt hujus benevolentiæ Regis erga nos causæ parum firmæ, ita & ipsam infirmam futuram atque ὀλιγοχρόνιον. Id si eveniat, confide fore brevi, ut ego & tu communis voti damnemur, si modò cœptis faverit ὁ ὑπὲρ ἡμᾶς ὑπεράγαθος Θεός. Atque hæc ad Illustrissimum Principem ante paucos dies scripta, ut rursus ex te cognoscat, & de nostri animi constantia ne dubitet, per ego te amicitiam nostram oro atque obtestor. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VII. *Kalend. Jul.* CIϽ IϽ CI.

EPISTOLA CCXXXVI.

✠ JUSTO LIPSIO.

1601. QUòd literis tuis serius respondeam, non negligentiâ meâ, Lipsi præstantissime, sed eorum culpâ factum, qui epistolam tuam, IX. Kalend. Maj. scriptam, ante dies demum quindecim nobis tradiderunt. Hæc fides est istorum vitiis aulicis innutritorum hominum. Antverpiensis via, nisi fallimur, est certior & expeditior. Eâ nos posthàc utemur; scribemusque ad te de studiis & inceptis nostris quàm sæpissimè. Nam quod antè existimabamus, fore brevi, ut Lutetiâ relictâ, Lares aliò, nescio quò, transferremus, omnino futurum non est, aut certè non tam citò. Missionem enim ab optimo Rege μηδεμιᾷ μηχανῇ impetrare sumus quiti. Et erant tamen graves caussæ, quæ me ut aliò cogitarem, impellebant. Sed rationibus meis omnibus clementissimi Principum voluntas præponderat: cui parere, & dicto esse obedientem, pars pietatis. Quamobrem id nunc agimus, ut stabilitis hac in urbe fortunis, nostris prioribus studiis nos dedamus, & illustrandis Veterum scriptis otium nostrum impendamus. Quo in genere habemus multa, de quibus sententiam tuam inquirere constituimus. Verùm de his tum agemus tecum, quando in gratiam cum Musis redierimus. Nunc ita sumus occupati, ut προβληθείσας ὑπὸ σοῦ locos Senecæ vix raptim potuerimus inspicere. Inspeximus tamen, & de iis quid nobis videatur, nisi grave est, paucis accipe. *Ingens Capitolii vectigal* puto scribi sine vitio: tibique assentior, dictum existimanti per comparationem. Non dubium est, consecrationi numinis cujuscunque comitem semper fuisse vectigalium attributionem, ad sacrorum sumtus necessariorum. Romæ Jupiter Capitolinus Deus habitus supra omnes Deos; ergo & vectigalia ejus Templi maxima. Eo Seneca respicit, quanquam & aliò referri posse non negaverim. *In quas per Templa aditur*, interpretor vel κατὰ τὸ ῥητὸν ἁπλῶς· quod nec tibi displicere video; & pluribus exposuerunt alii: vel hoc modo: In quas non prius aditur, quàm ab introituris orati Dii in Templis suis fuerint, ut institutum iter fortunare, & Cæsarem propitium præstare velint. Videntur & ipsis Imperatoribus sacra fecisse, qui erant eos adituri. Nôsti versus Ovidii in III. de Ponto:

Sed prius imposito sanctis altaribus igni,
Thura fer ad magnos, vinaque pura, Deos;
E quibus, ante omnes, AUGUSTI *numen adora.*

Translatus mos è Curia & Senatu ad defœdam Principum adulationem. Alexandrum cur Antigoni vocet nepotem Seneca, juxta tecum miror; neque interpretatione hic, sed excusatione opus illi esse existimo. De parmæ veteris magnitudine assentiri tibi non possum: obstat enim vox διάμετρος, quam ἀντὶ περιφερείας esse usquam ab eruditissimo scriptore positam, adduci nequeo ut credam. Obstat & res ipsa: cùm certum sit, πάρμην τρίπεδον, ex interpretatione ista, inutilem futuram, aut non magno certè usui: nisi putas, eruditissime Lipsi, de his locutum Procopium in Militiæ Romanæ descriptione: μικρὰς quasdam ἀσπίδας commemorantem, quæ faciei tantùm & collo tegendis essent. Locum adscribam, quia Græcum, opinor, non habes: sic autem ille in prioris τετράδος, hoc est, totius operis præfatione: Τοιαύτη μέν τις οὖσα ἡ τοξεία φαίνεται πρὸ ποσὶν· οἱ δέ γε τανῦν τοξόται, ἴασιν μὲν ἐς μάχην τεθωρακισμένοι τε καὶ κνημῖδας ἐναρμοσάμενοι, μέχρι ἐς γόνυ· ἤρτηται δὲ αὐτοῖς ἀπὸ μὲν τῆς δεξιᾶς πλευρᾶς τὰ βέλη· ἀπὸ δὲ τῆς ἑτέρας τὸ ξίφος· εἰσὶ δὲ οἷς καὶ δόρυ προσαπήρτηται, καὶ βραχεῖά τις ἐπὶ τῶν ὤμων ἀσπὶς, ὀχάνου χωρὶς, οἵα τά τε ἀμφὶ τὸ πρόσωπον καὶ αὐχένα ἐπικαλύπτειν. In notis ad Polybium pluribus ista disputamus; 1601.

1601. ubi etiam de altero loco, ubi *διάμετρον* exponis similiter, à te dissentimus: non contradicendi studio, quod hominis est aut improbi, aut invidi; desiderio veri cognoscendi, quod scimus esse in te maximum. Vale, doctissime & candidissime Vir. Scripsi raptim, & tumultuario stilo. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VII. *Eid. Jul.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCXXXVII.

✠ DESIDERIO HERALDO.

1601. DE rebus nostris ex iis, quas ad Illustrissimum Principem aliosque scripsi, intelliges. Novissimæ tuæ perculerunt nos: neque ea res nihil habet ponderis. Nam absurdum videtur, *τὰ ἀπόντα διώκειν, τῶν δὲ παρόντων οὐδεμίαν ποιεῖσθαι ὤραν· ἀλλὰ περὶ τ τοιούτων, βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ κεῖται μέγας.* Ut nunc res sunt, quid nobis sit futurum, juxta scimus cum ignarissimis. Rex *ἀπρὶξ* abiturientem retinet, sed retinet blandis verbis. Consilii nostri causæ dum manebunt, voluntas exequendi, quod orsi sumus, manebit. Quid igitur tandem statues? Hoc si me roget aliquis, jubebo pauxillum adhuc temporis expectare, & mecum *καραδοκεῖν τὸ μέλλον.* Deus, cui nos nostraque esse curæ toties sumus experti, hic quoque, spero, nobis aderit. Atque hæc una spes in tot adversis nos solatur. Vale, amicissime Heralde. Uxor te, & tuam amantissimè salutat. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Eid. Jul.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCXXXVIII.

✠ MARCO VELSERO.

1601. NOn dubito, Vir nobilissime, quin cessationem meam tacitâ cogitatione apud te reprehendas. Nam, quod ingenuè fateor, tertius jam, opinor, hic mensis est, ex quo nihil ad te literarum dedi: itane oblitus nostri? inquies. Tu verò *εὐφήμει ἄζων*, & tibi persuade, *πάντα ἔναλλα* prius *γενήσεσθαι*, quàm nos chari adeò *καὶ τιμίου* capitis oblivio capiat. Sed me per hos superiores menses ita anxium, ita sollicitum, ita denique occupatum nostra negotia habuerunt, ut de silentio nostro conqueri jure nemo queat. Scis tu, nobilissime Velsere, quæ sit eorum conditio, qui vel in *εὐτακτούσαις τὰ μάλιστα* aulis degunt: nostrum verò si modum teneas, si genus vitæ *τῶν ἐν αὐλῇ καὶ πάντων τῶν περὶ αὐλήν*, mearum infrequentiam mirari, atque eo nomine mihi succensere statim desinas. Inquies nimirum, & igneus planè heroïs hujus animus 1601.
neque ipsi, neque aliis laboris inducias concedat ullas. Atqui adeundus ille nobis sæpius fuit, ut ex ejus voluntate de futuro statu nostro aliquid tandem constitueremus. Nam etsi propter optimorum librorum copiam, & præstantissimorum virorum consuetudinem capit nos incredibiliter regia hæc urbs, præponderabant tamen ei multæ graves aliæ causæ, quæ mihi non tædium solùm, sed & odium præsentis conditionis afferebant. Itaque *γῆν πρὸ γῆς* cogitabamus. Aliter, credo, superis visum: neque enim missionem ab optimo Principe, cùm & ipsi, & per alios obnixè rogaremus, potuimus tamen impetrare. Ac consilium quidem fortunet Deus Opt. Max. Cæterùm eam scito rationem esse hujus aulæ, ut certior sit gravissimorum incommodorum ob certorum hominum *ἀπειροκαλίαν* metus, quàm ullius commodi ex benevolentia Principis benignissimi expectatio. Tantum ille unus potest, qui unus ac solus regiæ pecuniæ promus est ac condus. Hic ille est, qui invisam hactenus Lutetiam nobis reddidit. Hic etiam est, quo repugnante promoveri adhuc quicquam in tua causa non potuit. Frustra enim jus aut æquitatem rei allegis apud eum, cui ad omnium voces quacunque ex causa pecunias repetuntium, aut poscentium aures obsurdaverunt. Nondum tamen de tuo negotio omnem penitùs ex animo spem abjeci: adhuc superest una, quam heri primùm tentavimus, via. Admoniti enim ab amicis, venisse ad Regem Lugdunensium Legatos, qui de veterum quorundam nominum solutione agerent, & in eam rem *πόρους χρημάτων* novos aperirent; ad illos accessimus, deque tuo negotio cum ipsis egimus. Quid hinc nobis sit sperandum, brevi faciam te ut scias. Vale, Vir amicissime; tibique nulla in re operam nostram defuturam, firmiter crede. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCXXXIX.

DAVIDI HOESCHELIO.

NOn utar longiore excusatione apud 1601.
te, Vir amicissime, ut diuturnioris silentii culpam à me nunc amoliar. Confido enim, penitus tibi esse perspectum *τὸ ἀόριστον καὶ βέβαιον τ ἡμετέρου ἤθους.* Quare non dubitabis, vel si verbum non addiderim, quòd plusculos menses apud te siluerim, magnis & continuis occupationibus meis id esse feren-

1601. ferendum acceptum. Hæc maxima, ac prope unica est caussa meæ hac in parte indiligentiæ. Accedebat, quòd diu incerti de futuro statu nostro fuerimus. Itaque rerum nostrarum quis exitus futurus esset, priusquam ad te scriberemus, exploratum habere volebamus. Ac fuerunt quidem causæ graves, cur missionem à Rege posse impetrare optaremus; sed cùm omnia experti alienam ab eo consilio voluntatem illius esse cognoverimus, mutare sententiam planè ἑκόντες ἀέκοντι θυμῷ constituimus. Multum studiis nostris hæ cogitationes incommodarunt: absque quibus fuisset, absoluta jam foret, quæ necdum inchoata est, τὸν μετὰ Suetonium ἱστορικῶν editio; necnon alia item non pauca: quæ brevi, vitam atque otium præstanti Domino, emissuri sumus. Sumus nunc in Commentario de Lectis & Veste stragula: qui etsi majoris operis pars est, seorsim tamen οἷον γεῦμά τι τοῦ συντάγματος ὅλου edetur. Ita quidem constituimus nos, & jam per nos parata omnia. Cæterùm operarum nostrarum ignaviam præstare haud possumus. De Photio tuo satis superioribus literis, & quidem non unis. Utinam, quod videris polliceri, Procopium pari elegantiâ & fide susciperes edendum. Habeo regium exemplar in manibus meis: quod publici juris facere, si te alia studia sibi vindicaverint, pedibus manibus contendemus. Sed age, doctissime Hœscheli, subi huic quoque oneri, & me hac curâ leva. Equidem ita studiosus sum ejus scriptoris, ut editionem illius omni studio atque operâ procurare constituerim. Vale, amicissime Vir, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CI.

Quas accepi nunc ipsùm à nobili Pictavo, eccum tibi: quicquid viâ Lugdunensi missum à te fuerat post meam illa ex urbe profectionem, totum periit. Quæ jactura, si nullo tuo incommodo sarciri potest, quid codici meo desit, tibi significabo.

EPISTOLA CCXL.

✠ D. CONSTANTI.

1601. DUo mihi in Epistola tua, Vir amicissime, placuerunt eximiè: amoris notæ, quibus illa tota est conspersa; & τὸ στρογγύλον τῆς διανοίας. Horum prius illud facile mihi præstare, & quidem ἐξ ἴσου· posterius velim à me exigas: at non nunc certè. Scribimus enim ista inter plurimas occupationes; & scribimus more nostro, hoc est, ἐπισεσυρμένως ac sine cura. Non enim id agimus, ut rectè scribere tibi videamur, sed ut amari te à 1601. nobis ὑπερλίαν, & singularem pietatem tuam, tot præstantibus animi dotibus junctam, justis ponderibus æstimari mihi persuasum habeas. Quòd igitur in scribendi officio nos anteverteris, rem fecisti gratissimam; eoque nomine plurimum me tibi debere profiteor. Posthàc ne pudorem nobis tua diligentia incutiat, cautio erit. Quanquam, si quis, mi Constans, quam vitam post abitum tuum hactenus vixerimus, cessationem meam æquiore animo feras. Dum enim seriò id agimus, ut aulam hanc ὡς πορρωτάτω fugiamus, multas hebdomadas aulici, (ὦ Ζεῦ καὶ θεοί) aulici esse cogimur. O genus vitæ non ad gustum mihi! ô jacturam studiorum gravem! quæ quidem si diuturnior futura est, bonâ fide affirmo tibi, de amico tuo conclamatum est. Et erant tamen ferendæ arduæ istæ, si per has molestissimas molestias ad optatam quietem pervenissemus. Nunc spes meliorum relicta nulla. Detinemur enim, & sperato portu adhuc arcemur. At conditionem tuam fecisti meliorem, inquies. Testor æternum Deum, non curo taceri. Solo enim hic sumus corpore; animus quàm longissimè abest. Itaque languemus, & cùm nos humana deficiant prædia, expectamus divina. En epistolam bene longam, & tui dissimilem. Vale, Vir præstantissime, & me constanter ama, constanter futurum tuum. *Lutetiæ Parisiorum, propridie Kalend. August.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCXLI.

POMPONIO BELLIÆVRÆO, ✠ FRANCIÆ CANCELLARIO.

CUm nudius quintus adiissem ad te, 1601. ut hominis conjunctissimi causam tibi exponerem, quæ tua singularis benignitas est, jussisti me illicò domum pedem referre, & literulis meis vacare; nolle enim te, ut propter istius generis curas à lucubrationibus nostris avocemur vel tantillum. Utar, Illustrissime Domine, beneficio tuo; & ne quid nobis temporis pereat, brevi hoc schedio ad præcelsam & illustrem Amplitudinem tuam homini amicissimo aditum patefaciam. Deus Opt. Max. Illustrissime Domine, annos tibi Nestoreos, omni felicitate cumulatos, largiatur. Amplissimæ dignitatis tuæ observantissimus,

IS. CASAUBONUS.

De Paris à Paris, au logis de Mr. le Chancelier, *ce* VII. *d'Aoust* 1601.

Epistola CCXLII.

JOANNI MEURSIO.

1601. AIn' tu verò, nullas accepisse te à me literas post Exercitationum tuarum publicationem? Atqui scripsimus nos ad te, eruditissime Meursi, Lugduno Segusianorum non semel. Periisse autem literas nostras in itinere, neque tibi fuisse redditas, ex tua primùm epistola cognovimus. Nam si vel tenuis ejus rei suspicio ad nos pervenisset, officio, mihi crede, non defuissemus, quin iterum aut sæpius & de accepto munere te faceremus certiorem, & gratias pro illo gratissimas tibi ageremus. Puto cum illis melius actum, quas ad amicum illum tuum dedi, qui Aureliano Lugdunum & epistolam tuam, & librum simul miserat: cùm igitur quorundam, quibus meas commiseram, perfidiâ factum sit, ne tempestivas tibi gratias agerem, accipe nunc πρόφρονι θυμῷ, seram quidem, sed seriam, & ab animo proficiscentem verè grato, verè tuo, gratiarum actionem. Neque enim parum me tibi debere sentio, qui amoris tui adversum nos tot exstare in eruditissimis scriptis tuis expressa vestigia volueris. Persuade autem tibi, mi Meursi, ex omnibus, quos eruditio tua tibi conciliavit, esse omnino neminem, cui nos in amore tui & tuarum virtutum prædicatione concedamus. Librum de Gloria tuum, multò antè, quàm missum à te exemplar acciperemus, avidè, ut omnia tua, legeramus, & amicis ostenderamus. Nunc etiam quid moliaris, quid ab ingenio tuo exspectare habeamus, laboro scire. Quod sit nostrum de lucubrationibus tuis judicium, facile inde colligas. Audio editum pridem esse ab eruditissimo Heinsio Silium Italicum: & jam in Hesychio eum esse. Velim ex te scire, verè hæc, an falsò hic jactentur. Nam de Silio nihil nos docent isti Francofordiensium nundinarum catalogi, quos quidem viderimus. In Hesychio posse illius inceptum adjuvari nonnihil operâ nostrâ existimamus. Quanquam scio, qui magno Scaligero adeò familiariter utatur, posse eum non nostram modò opem, sed omnium ἁπαξαπλῶς quamlibet eruditorum contemnere. Proximis literis scribebat Scaliger, Heinsium aliquid ad nos literarum dedisse: quas vidimus adhuc nullas. Vale, amicissime Vir; & Grotio, Scriverio, Heinsio, adolescentibus supra suos annos doctis, plurimam à me salutem. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Eid. Aug.* CIↃ IↃ CI.

Epistola CCXLIII.

PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS. ✠

CUm nuper discederem à te, ad 1601.
Episcopum Ebroicensem profectus, convenire illum non potui. Pòst illa autem domi nos invaletudo multos dies continuit. Heri demum parantem iter ad te, certiorem me de tua isthuc profectione amicus fecit. Quando igitur præsens non possum, constitui per epistolam te orare, agas semel adhuc de negotio nostro cum Episcopo Ebroicensi, qui pro sua singulari humanitate opem operamque suam prolixè nobis est pollicitus. Scio multum te apud ipsum gratiâ valere: itaque si nostras ad ipsum literas commendatione tuâ adjuveris, non dubitamus, negotium, in quo tot jam menses frustra laboramus, & brevi, & de facili confectum iri. Æquitatem δεήσεως nostræ pluribus tibi exponere supersedeo: rem enim tenes omnem. Illud nempe unum agimus, ut nos Rex aut occupet, aut dimittat. Et optamus, nos quidem ne tanti Principis judicio inutilis opera nostra ad promovenda studia literarum censeatur: cæterùm si ita accidat, labentibus reculis nostris de amicorum sententia consulere pro virili conabimur. Verùm de his melius coram. Vale, amplissime Vir, & amicissime. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XVIII. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CI.

Epistola CCXLIV.

VINCENTIO PINELLO. ✠

ET quidem, amantissime atque offi- 1601.
ciosissime, planèque, ut est apud Poëtam, ἐξ ἄκρου μυελοῦ ψυχῆς. Ea namque est, Venerande Senex, virtutis tuæ præstantia; ea sunt tua in Rempublicam literariam merita, ut nemo hodie sit paulò saltem humanior, quin tuum illud Musis amicum nomen & nôrit, & suspiciat. Hoc facimus nos certè jam pridem, teque, etsi de facie ignotum, singulari tamen veneratione multos jam annos silentio prosequimur: prima nobis tua notitia ex doctissimorum hominum scriptis, qui præstantiam ingenii tui, & propensionem in literas, earumque amantes certatim dilaudarunt. Ferreus enim sit oportet, aut penitùs ἀπειρόκαλος, qui eum non miretur, in cujus laudes tot exquisitæ eruditionis viros, Italos, Gallos, Germanos videat consentire. Nos verò in ea mente non medio-

1601. mediocriter posteà confirmavit Petrus Galesius, Hispanus, ὁ μακαρίτης, tuus quondam, opinor, familiaris: quem de tuis laudibus multa sæpe audivimus prædicantem: cumulus demum ingens admirationi nostræ tuarum virtutum per eos sermones accessit, quos de Musis & earum alumnis, ego & amplissimus vir, omnique laudatione major, Præses Thuanus, quot diebus habemus. Sic enim tibi persuade, clarissime Pinelle, cùm multos ubique gentium doctrina moresque tui meritò tibi conciliarint; neminem tamen extare usquam, qui Thuano aut sentiat de te magnificentius; aut libentius, quoties de præstantibus Italiæ vestræ viris sermo incidit, tuum nomen laudibus in cœlum ferat. Idem sensus & cæterorum omnium, quos in hac urbe amor & notitia literarum supra vulgus extulit: eximiè autem Francisci Pithœi, cujus singularem eruditionem pari junctam probitate, pridem tibi esse notam scimus. Ab hoc doctissimo viro cognovimus, esse penes te Ἀνεκδότων Procopii manu exaratum Codicem. Cujus libri invisi adhuc nobis, exemplar sicundè possemus aliquâ ratione nancisci, faceremus libentissimè, ut cæteris ejus excellentissimi scriptoris libris, quorum editionem nunc paramus, eum adjungeremus. Quamobrem oro te, præstantissime Pinelle, atque adeò per tuum in literas amorem te obsecro, ut exemplaris tui, de quo solo nobis aliquod compertum est, copiam nobis quàm primùm facias. Poteris, si videbitur, amplissimo Regis Legato, qui nunc ad vos proficiscitur, viro excellentis doctrinæ, veterique amicitiâ mihi conjunctissimo, tuum librum committere. Ille summâ fide curabit, ut absque periculo ad nos perferatur. Feceris rem omnibus, opinor, literarum amantibus gratissimam, & tuis moribus καὶ τῆς προδεδωμένοις convenientissimam: me certè, incredibili quodam novem Sororum amore succensum, immortali beneficio tibi æternùm devinxeris. Vale, Senex venerande; & Nestoreos annos, faciente Deo, felix imple; meque tui nominis studiosissimum, tuâ benevolentiâ dignare. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IX. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCXLV.

✠ JANO GRUTERO.

1601. MAgnum mihi novissimæ, quas à te accepi, Vir doctissime, gaudium attulerunt, quòd de tua valetudine meliora expectatione significarent. 1601.
Scis, credo, qui meus sit erga Musas & omnes illarum ὑποφήτας amor: tu verò ita mihi charus, ut verè dicere possim, ex omni tuorum numero paucos esse qui aut commodis tuis magis ex animo lætentur, aut adversis doleant: quòd igitur videtur vetus illa tua infirmitas mutasse in melius, & gratulor tibi ὡς προθυμότατα, & summum παιῶνα oro atque obsecro, ut integram, numerisque omnibus perfectam sanitatem, & εὖ ἐσῶ tibi benignus præstet. De magno opere, cujus urges editionem, quid nobis sit sperandum, cupio ex te scire: nam angit me quod scribebas de operarum tuarum lentitudine. Burgundicæ illæ inscriptiones, quarum meministi in tua epistola, tanti non sunt, quæ morari te debeant. Nobis adhuc illas posse nancisci, datum non est. Ex omnibus regni hujus provinciis vix ulla est, in qua paucos æquè habeamus notos & familiares. Itaque opera mea minus hic tibi futura utilis: quanquam si ita lubet tibi, experiemur, quid possimus: fortasse enim ταυτί μαπν ἡμῶν κάλλιόν τι βουλεύεται: quod in rebus hujusmodi sæpe sumus experti. At superiorem æstatem ita habuimus duram & difficilem, ut alia omnia quàm studiorum amœnitates cogitare fuerimus coacti. Posthàc, siquid humanis rebus fidendum, rerum nostrarum & certior & melior futura conditio. Quantum enim molestiarum quorundam περιεργία, imò perversitas nobis exhibuit, tantum optimi & benignissimi Regis amor spondet in posterum præsidii. Deus nimirum est, Deus Opt. Max. qui sui timentibus opportuno semper tempore χεῖρα ὑπερέχει. Sed teneo te diutius, amicissime Grutere, & in publica pecco commoda. Vale igitur, & me constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCXLVI.

SCIPIONI GENTILI. ✠

MItto tibi, Vir clarissime, Syntagmatium super Satyrica Græcorum & Romanorum Satyra, simul & scriptum nobis, & editum: nam ut Horatiano præcepto pareamus, per occupationes nostras non licet nobis. Et profectò res non erat tanti. Equidem soleo invitissimus ad scribendum trahi, qui probè conscius ingenii, doceri à mutis magistris, quàm alios ipse docere præoptem. Sed mihi per amicorum celeusmata otioso esse non licet. Itaque excitati illorum prope convitio quoti- 1601.

1601. quotidiano, aliquid scriptitamus, quod prelis statim subjicitur. Hic genius meorum scriptorum, doctissime Gentilis: quæ si postulem tibi probari, jure exclames, frontem de rebus periisse. Nos certè tironibus scribimus: neque vos spectamus doctos, cùm commentamur. Velut nuper cùm Persium ederemus: nam etiam tirunculorum rationem habui tunc: nunc quoque propositum argumentum ita ubertim tractavimus, ut non multa desiderari putem, quæ eo spectarent. Cur succenseatis, vos docti? non enim parata vobis hæc mensa: exquisitiores epulas, scio, eruditum palatum vestrum requirit: nos has epulas iis instruximus, qui paupere cœnâ & simplici possunt esse contenti. Si tamen cùm à gravioribus studiis vacabis, διαγωγῆς χάριν libellum hunc inspexeris, peto à te per nostram amicitiam, censorem induas, & judicium tuum de ea scriptione, seposito affectu mihi aperias. Hoc ego à te sic contendo, ut nihil possim vehementius. Tuum enim est, mi Gentilis, de istiusmodi rebus judicium: qui ad exquisitam eruditionem & Juris civilis scientiam, studium Poëtices adjecisti. Poëtam autem de iis, quæ ad Poëticam spectant, judicem ferre, nulla est invidia. Da hoc igitur amicitiæ nostræ, ut non quasi amicus, sed quasi judex severus, in libellum hunc animadvertas, & liberè me de omnibus moneas, quæ improbaveris. De Judæo vestro gratissimum fuit quod scripsisti. Utinam unà essemus: sic agerem ejus discipulum, ut fortasse aliquid operâ meâ posset uti: non possum negare, amare me illas literas: etsi quantum adhuc profecerim, pœnitet me. Gratissimum feceris, si de ejus inceptis feceris me certiorem. Miratus sum in inchoato Dictionario cur tantum vacuæ chartæ interponeretur, inter auctorum τὰς χρείας· nam si ad hoc exemplum opus procedit, quis par erit tantis sumptibus? atque parci poterat dimidio hujus impensæ. Iterum te rogo significes mihi, quid paret, quid habeat præ manibus. Vale, & me constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Non. Septemb.* CIↃ IↃ CI.

Inscriptio.

Clarissimo Viro, Scipioni Gentili, Jurisconsulto celeberrimo, amico plurimum colendo. Altorfium, cum libro.

EPISTOLA CCXLVII.

JOSEPHO SCALIGERO.

ILlustrissime Vir, & literæ tuæ, quas 1601.
superioribus diebus Labbæi fratres mihi tradiderunt, & multò etiam magis sermones ipsorum τὸ ἐῤῥωμένον τῆς σῆς πρὸς ἡμᾶς φιλίας abundè testantur nobis. Agis nimirum, Vir sapientissime, convenienter moribus tuis: tibi, inquam, constas; & quem semel ornandum suscepisti, commendatione tuâ & patrocinio non desinis honestare. Quid ego nunc tibi pro tantis beneficiis tuis gratias verbis meis agere instituam? Me verò ita ament οἱ κρείττονες, ut quoties de tui erga nos amoris magnitudine venit in mentem, verba deficiunt: eò quidem magis, quòd caussam hujus tui affectûs in me scio esse aut nullam, aut non magnam. Equidem conscius mihi sum, in æstimatione & veneratione tuarum, quas stupet terrarum orbis, virtutum nemini me cedere. Sed non ita insanio, ut gratiæ id mihi apponi velim, quod tibi etiam cumulatius debeatur, quàm præstari à quoquam possit mortalium. Nam is demum admiratione suâ ingenii tui dotes æquabit, qui capiet. Quis autem ille est? aut in quo terrarum angulo nobis quærendus? Ego adhuc novi neminem. Itaque longè alia, Vir excellentissime, conditio tua est, quàm cæterorum, qui eruditione suâ atque ingenio admirationem sui in animis τῶν φιλομαθῶν (in queis & nos sumus) excitarunt. Illos non solùm ἐπαινεῖν, qui usum dicendi vel mediocrem habent, possunt; verùm etiam ὑπερεπαινεῖν: præstantiam verò animi tui nullus unquam Tullius satis laudaverit: nedum ut merita in Rempublicam literariam tua augere dicendo vel amplificare possimus nos. Vel hic Græcus Cato tuus, doctissime virorum, quem scimus non σπουδῆς, sed σχολῆς τῆς σῆς εἶναι τέκνωμα, quid habet in eo genere aut par sibi, aut proximum? σέβας μ' ἔχει εἰσορόωντα. Eant nunc Græci, & suum Planudem nobis ostentent. Sed de Planude minus sum miratus, quem ego scriptorem inter coryphæos habui nunquam. Gazam vero, Græcorum omnium, qui à multis sæculis vixerunt, longè doctissimum, longo adeò intervallo esse à te superatum, & quidem in vernacula sibi lingua, futura ætas mecum, scio, demirabitur. Hoc igitur tam eruditum carmen tuum, cum cæteris quæ illi conjunxisti, ut quàm emendatissimè & elegantissimè hic edatur,

1601. tur, ego & Labbæi fratres summo studio curabimus. Atque utinam, divine Scaliger, consuetudine tuâ frui aliquando possemus. Diem nullum intermitterem, quin è thesauris ingenii tui rarum aliquid, & præclarum, elicerem. Testor illum, qui omnia ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα habet nota, non aliâ viâ quàm tuorum inventorum publicatione, si mei sit arbitrii, ad tradendam posteris nostri memoriam fore grassaturum. Quod si per te licet, tentabimus posthàc, etiam absentes, fructum hunc amoris tui percipere, ut quæ nescimus per te doceamur. Dabis enim, spero, mihi hanc veniam, ut gravissima studia tua interpellare ne dubitem. Vale, Scaliger, meum decus, & me constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Id. Septemb.* CIↃ IↃ CI.

Memini superioribus literis, quas ante quatuor fermè menses ad te dedi, multis tecum egisse de loco Pauli *, ubi vulgò legitur, παραβουλευσάμενος; † nos tecum affirmamus scribendum, παραβολευσάμενος, [ut & in Puteani codice invenimus, cum hac interpretatione: *parabolantus fuit de anima sua*] & multos Chrysostomi locos similiter emendamus, ubi constanter hodie ου scriptum pro ο simplici. Nam quin ita scripserit Chrysostomus, non sinit nos interpretatio ipsius dubitare. Hæc igitur, & φιλολογικὰ alia nonnulla iis literis: quæ an pervenerint in tuas manus, scire velim: responsum certè accepimus nos adhuc nullum.

* *Philipp. cap.* II. *vers.* 30.

† *Scaliger. Epist.* LX.

Ζητήσει Διά.

Invenio apud Rambam in præclaro opere מורה הנבכים multam mentionem cujusdam populi, cujus alibi nomen non legi: *Zabios* ‡ vel *Zabeos* vocat. Plurima de istis libro III. cap. XXX. & XXXVIII. & XLVIII. Doce me, obsecro, quæ hæc gens fuerit. Ego Hebræum codicem ejus scriptoris vidi adhuc nullum. *Sabæos* esse non puto, qui Hebraicè סבאם per ס, non צ aut ש. Arabs tuus Geographus de istis fortasse aliquid.

‡ *De his fusè Salmasius Prolegom. ad librum de Annis Climactericis, & Pocockius Notis ad Specimen Historiæ Arabum Abul-Faraii, pag.* 138. *& seqq.* Colomes.

Etiam quæ de vocibus *Hacat* & *Hacaot* disputat idem Moses, cùm alibi, tùm libro III. cap. XLVII. & XLVIII. non assequor; & ut rationem harum vocum mihi explices, te oro. Videtur esse aliquid affine voci Hebraicæ חטאה; sed Interpretes Latini peregrinas voces, quas retinuerunt ut τεχνικὰς, mirè torquent: quod non semel observavimus.

Inciderunt in manus nostras octodecim paulò minus Mosaicæ Geneseos capita, Hebraicis characteribus scripta, sermone, ut existimo, puro puto Arabico. Eæ schedæ magno nobis ad- 1601. miniculo fuerunt, ἀραβίζειν tentantibus: cùm præsertim puncta essent adjecta, deessentque nobis omnia alia præsidia. Nam Romanæ editiones sunt ἄστικτοι. Cupio igitur, σεβασμιώτατε Scaliger, doceri à te, quantum istis ἀδεσπότοις chartis tribuere debeam. Eâ sine pauca inde hic descripsi, planè ut sunt à me inventa. Sic igitur illæ:

אול כא כלק אללה אל סמאוה ואל ארד
ואלארד כאנת גאמרה ומכהבחרה וצלאם
עליונה אל גמר
וריח אללה תהב עליונה אלמא
וקא אללה אן יכון כור פבאן נור
פלמא עלם אללה אן אל נור ניך ופצל אללה
בין אלנור ובין אל צלאם

Ad hoc exemplum cætera sunt exarata: bene an secus, scirem, si me Deus Opt. Max. tam voluisset esse felicem, ut vel pauculos solùm menses tibi, divine Vir, possem μαθητεύειν. En erit unquam ille dies, cùm voti hujus damnabor? Intereà per ego te supplex oro, βεβολημένον οἴστρῳ peregrinarum linguarum aut re juves, aut consilio. Cùm in eo libro, quem de Critica fecimus, omnem Hebræorum Κριτικὴν explicare sit animus, σὺν γε τῷ Θεῷ εἰπεῖν, velim indices mihi, si quem Rabbinorum vidisti, qui in eo argumento operam non pœnitendam posuerit. Ego præter notas Bibliorum Venetorum, & eruditissimi Eliæ libellum, novi nihil hujus generis.

Ad hanc respondet Scaliger. Epist. LXII.

EPISTOLA CCXLVIII.

THEODORO CANTERO.

ACcepisti, opinor, Vir amplissime, 1601.
quas ante mensem unum, vel alterum ad te scripsi. Ex iis rerum nostrarum statum omnem cognovisti. Ut nunc res sunt, incolæ hujusce urbis diutius quàm persuaseramus nobis videmur futuri. Sed non ignoras, & omnium quidem humanarum rerum ἐξόχως δὲ τῶν ἐνταῦθα τὸν σάλον, καὶ ἀκαταστασίαν. Simul nôsti, superiorum motuum vel caussas, vel certè τὰς προφάσεις, non esse sublatas. Itaque malis liberati, quæ regnum hoc prope jam pessum dederant, metu nihilominus & suspicione τῶν μελλόντων δεινῶν non caremus. Nos tamen ista mediocriter, atque adeò intra modum afficiunt: quippe longo usu jam doctos, unicum esse τ᾽ παντὸς ἀπειροδύναμιν κυβερνήτην, qui pro sua voluntate τὸ τ᾽ ἐξουσίας αὐτῷ λαοῦ πλοιάριον regat dirigatque. Sed & Regis maximi conversus ad otium & artes pacis animus,

1601. mus, læta & tranquilla spondet omnia; dum quidem tantus Imperator habenas tractabit: quod ut quàm diutissimè faciat, nemo est τῶν μισοπολέμων, quin precibus suis à Deo contendat. Quicquid sit, quod nos maneat, in eadem, nisi fallor animi, & nos, & vos sumus navi. Sic enim judico: neque nostram, neque vestram florere posse Rempublicam εὐημερούντων, quod omen abominor, τῶν κοινῶν ἐχθρῶν. Cæterùm τὸ μέλλον Θεοῦ κεῖται ἐν γούνασι. Quod scribis, paratos habere te de Veterum sacris opertaneis commentarios, ita nos Musæ ament, ut lætati sumus jucundissimo eo nuntio. Meminimus enim, multa inter lectitandos auctores reperiri, propter ignorationem illorum rituum caliginosa, & ad intelligendum difficilia: quibus omnibus opera & diligentia tua claram iri illatam lucem non dubitamus. Pertinet eò Clementis Alexandrini locus, de quo ad filium scripsisti. Sed malè in omnibus libris scriptum: Ἀλλὰ τὰ μὲν ἐπὶ Σάγρᾳ μυστήρια: cùm sit legendum, ἐπὶ τῇ Ἄγρᾳ. Agra & Alimus vicini Athenis δῆμοι fuere, ubi mysteria parva peragi solita. De Agra disertè Stephanus, esse τῆς Ἀττικῆς χωρίον πρὸ τῆς πόλεως ἐν ᾧ τὰ μικρὰ μυστήρια ἐπιτελεῖται. Quare omnino sic emendandum. Illa verò Ἀθήνησι προτέλεια habent hanc sententiam: Unius populi, Atheniensis nempe, finibus conclusa, minus nocent universo mortalium generi. Opponit sacra solis nota Atheniensibus, ludis sacris, qui celeberrimi erant, & maximo plurimorum populorum concursu celebrabantur. Hos vocat αἶσχος κοσμικὸν, & in publicos omnium fermè gentium mores corruptelam magnam ab eo fonte ait manasse. Quod quæris de ordine, qui tibi servandus in instituto opere, impræsentiarum quod tibi respondeam nihil habeo. Longioris epistolæ, & otii majoris ea quæstio est. Etsi autem non ita πτύφωμαι, ut operam aut consilium meum tibi hic censeam exspectandum: quia tamen ita vis, cogitabo ea de re attentius, & ubi primùm nactus ero plusculum otii, quid mei sit judicii faciam te ut scias. Vale, Vir amplissime, & me constanter ama. Ornatissimis filiis tuis, contubernalibus olim meis, & eruditissimo Werkhovio plurimam verbis meis salutem velim nuncies. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Eid. Septemb.* CIƆ IƆ CI.

Epistola CCXLIX.

ANDREÆ LAMO.

Gratæ mihi, doctissime Lame, multis nominibus, quas à te accepi. 1601.
Quòd reducem te in patriam, prosperâ frui valetudine, nostri memoriam simul & amorem servare intelligam, capio ex ea re gaudium, pro eo ac debeo, maximum. Illud vero longè jucundissimum, quòd de Regni vestri rebus, quà politicis, quà Ecclesiasticis, læta omnia, & literæ tuæ, & Vir ille optimus atque eruditissimus, qui eas nobis reddidit, nuntiaret. Fueram diu de te sollicitus; qui non ignorem, quot quantisque periculis capita sua objiciunt, qui itinera, adeò præsertim longa, suscipiunt. Sed me à te mensem unum aut alterum curâ de salute tua nescio quis liberaverat, visum te isthîc sibi salvum atque incolumem seriò affirmans. Publicum rerum vestrarum statum ad firmam & stabilem concordiam esse perductum, coaluisseque omnium animos, qui leviter saltem videbantur in re non levi dissidere, ex tuis primùm literis, deinde ex Spotisvodi tui, vel potius nostri, sermonibus cognovi. Egi statim, mi Lame, atque etiam nunc ago Deo Opt. Max. gratissimas grates, cujus immortali erga vos & universam ipsius Ecclesiam beneficio factum, ut erumpenti jam incendio, quod latè per regnum vestrum opinione hominum existimabatur grassaturum, iretur feliciter obviam, omnisque in posterum (sic enim speramus) fomes, omnia ἐναύσματα atque incentiva maturè subtraherentur. O lætum illum, & candido lapillo notandum diem, qui vestros omnium animos, non obscurè prius commotos, & magnum humanæ imbecillitatis, nisi affuisset Christus ὁ Σωτὴρ, exemplum daturos, unum sentire atque unum velle primus vidit. Iterum iterumque, vel μυριάκις potiùs agimus, Lame eruditissime, immortales Deo immortali gratias, qui hanc vobis piam mentem, hoc prudentissimum suggessit consilium. Sed & Serenissimum Regem vestrum plurimum pro sua pietate & prudentia ad tam præclarum facinus momenti attulisse, lætis auribus accepimus, cùm de tanti Herois præstantia multa Spotisvodus vester mihi narraret. Beatos vos! qui Regem nacti estis, qualem animo Plato conceperat, oculis nunquam viderat. Quid igitur ad consummandam omnibus numeris felicitatem vestram superest, nisi ut quàm diutissimè ille vos regat, vos illi secundum

1601. dum Deum ὡς προθυμότατα pareatis? Cætera quæ & Regem vestrum & vos manent, illi erunt curæ, à quo pendent omnia. Vale, eruditissime Lame, & de meo in te affectu securus, constanter me ama. *Lutetiæ Parisiorum, Id. Septembris*, ἀπὸ τῆς ἐν σάρκου οἰκονομίας, CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCL.

✠ ANDREÆ MELVINO.

1601. ET quidem amantissimè, planèque, ut est apud Poëtam, ἐξ ἀτρεκέος νόου. Ea enim est, doctissime Melvine, tua pietas, ea eruditio, ut neminem arbitrer hodie extare bonum, & literarum amantem, cui non sit nomen tuum eximiè charum, ne dicam notum. Genevæ primùm tua mihi virtus innotuit ex magnorum virorum Bezæ, & τοῦ μακαρίτου Στεφάνου, nec non eruditissimi Lectii, aliorumque sermonibus: quos omnes de tua integritate, probitate, ingeniique præstantia, quoties tui incidisset mentio, multa eximia memini solitos narrare. Scis tu, quos igniculos in animis τῶν καλῶν κἀγαθῶν excitare splendor virtutis sit solitus: ut mihi videatur sapientissimè Majores pronuntiasse, bonos omnes sibi invicem conciliatos, invicem amicos, quantumvis sæpe intercedat ὄρεα πολλὰ μεταξὺ καὶ κύματα μακρά. Qui igitur pridem in te, doctissime Vir, in pietatem & literarum peritiam (quæ duo flagrantissimis semper votis nobis quoque expetita) amem ac tacitus venerer; faciendum tamen duxi, ut affectus hujusce mei testes literas ad te mitterem. En igitur tibi leve quidem, sed certè ἀφιλὲς amoris illius testimonium, quem à me, hoc est, ab homine tibi ignoto, constans tuarum virtutum fama expressit. Simul accipe & meam, & omnium φιλομαθῶν, quibus de singulari tua eruditione compertum est, æquissimam querelam. Non enim dubitamus, multa in Sacris præsertim Literis tibi elaborata esse, quæ magno Ecclesiæ Dei bono in studiosorum manibus versarentur. Quid igitur est, cur illa tu premas, & vigiliarum tuarum fructus nobis invideas? At sunt nimis multi, inquies, queis hodie manus pruriunt. Sic est profectò, Vir eruditissime; qui scriptis suis innotescant, habemus hodie multos; at Melvinum tamen habemus, opinor, nullum; aut certè oppidò paucos. Tu prodi, sodes: & quam personam Deus tibi imposuit, eam sic gere, ut ad nos quoque tuorum studiorum fructus perveniat. Vale, doctissime Melvine: in tuorum nume- 1601.
rum me posthàc habe. *Lutetiæ Parisiorum, Eidibus Septemb.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCLI.

PETRO MATTHÆO.

SI quid ad curam tuam pertinet, Vir 1601.
amicissime, Lutetiam nos Θεοῦ χάριτι salvos pervenisse atque incolumes, scibis. Quindecim ipsos dies in itinere consumpsimus: cùm adversus nos omnia elementa conspirasse viderentur. Aqua nos deficiebat: aër turbidus semper, & contrariis ventis infestus. Quid quod incendii periculum semel adiimus? taceo difficultatem producendæ hucusque mulieris ἐν γαστρὶ ἐχούσης. Taceo frequentes λειποθυμίας Carolæ, fidei nostræ ab illustri matrona commissæ. Taceo alias ψαμμακοσιογαργάρους ærumnas, nobis in hoc itinere exantlatas. Cæterùm levia hæc fuerunt omnia præ Charitatensium calumnia, qui riscos uxoris, & librorum meorum fasciculos, merces esse causati, in jus nos vocarunt, & misellum nauclerum quatuor, & amplius, aureis mulctarunt. Hoc erat per alienum latus nos ferire: nam illi infelici nummulus fuit οὐδὲ εἷς, unde judicatum solveret. En fidem, en integritatem Judicum Charitatensium, quibus pro hac insignita improbitate aut meliorem Deus mentem duit, aut πανώλειαν παντὶ τῷ γένει εἰσενέγκῃ. Aureliæ primùm versa in melius fortuna nostra. Urbs pulcherrima & amœnissima, amici in ea nobis reperti multi, καὶ τῶν ἐν πόλει· libri denique aliquot λόγου οὐκ ἀναξίοι eo loci nobis dono dati. Itaque læti inde atque hilares profecti, Lutetiam nudius tertius εὐρούσης ἀποξαπλοῦς τῆς τύχης appulimus. Hic fuit peregrinationis nostræ finis: hic & epistolæ hujus finis erit. Non enim ex otii abundantia, sed amoris vehementia raptim ista exaravimus. Vale, amicorum intime, & me amare perge. Uxor pro tuo munere immortales tibi gratias agit. Vitam languentibus nobis inter navigandi molestias eo munere biduo ferè fovisti, servasti. Iterum vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XVI. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCLII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1601.

AMplissime Præses, tandem patuit nobis ad Regis Bibliothecam aditus: etsi propius nihil factum, quàm ut optimi senis * morositas inutile nobis

* *Johannis Gosselini, Bibliothecæ Regiæ Custodis.*

1601. bis beneficium tuum redderet, καὶ ἄχαριν χάριν. Jubebamur enim redire aliàs, & spem pro re domum reportare; quod eò futurum erat molestius, quia sæpius illuc veneramus ἀπρακτοι· sed bene quod exoravimus. Invenimus autem, non quod quærebamus, sed nescio quid aliud ejus generis: nam liber, qui Historias Monachi & Theophanis continet, de quo Scaliger ad te, & quem ajebat Faber, fuisse annos multos penes Franciscum Pithœum; is, inquam, liber οἴχεται, neque usquam hodie inter regios libros reperitur: quæsivi etiam an exstaret illius nomen in catalogo; inveni nusquam. Verùm id non miror: video enim, multos libros in album illud non esse relatos: neque est quicquam eo catalogo ineptius. Reperi χρονικὸν breve, cujus auctor dicitur Georgius Monachus: cum codicem ad dies decem utendum sumsi, ut inde excerpetem, quæ ad Scaligeri institutum facere judicarem. Sed non est hic ille Historicus, quem summus ille vir desiderat, quemque ipsi aliquando habuimus & legimus. Nos etiamnum habemus excerpta luculentissima, quæ ante multos annos è Græco illo Chronographo confecimus, quem Onufrius & Sigonius Siculorum Fastorum nomine indigetant. Liber magnus est, qui hodie in Palatina Bibliotheca asservatur: ex eo facile fuerit totum fermè Eusebii Chronicon in integrum restituere, quod non dubito Scaligerum ex ingenio felicissimè præstiturum. Constitui tamen illa ipsa, quæ sola in potestate nostra sunt, excerpta ad illum mittere. Perierius * autem Bibliopola in Bataviam certum hominem post biduum aut triduum missurus est. Utemur eâ viâ, nisi melior intereà se nobis ostendat. Tussis nostra adhuc nos vexat, cui curandæ post pharmacorum potionem & φλεβοτομίαν, rationem aliam inire suadet Medicus. Illo jubente, cœnare levissimè, vinoque in totum abstinere, nisi in prandio, instituimus: jamque meliusculè habere cœpimus. Vale, amplissime Vir, & nos ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IV. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CI.

* *Adrianus Perier fuit gener Christophori Plantini.*

EPISTOLA CCLIII.

EIDEM.

1601. ACcepi, Præses amplissime, utramque epistolam tuam, & quam ad Scaligerum, & quam ad me hanc legi lubentissimè, illam curabo diligentissimè. Sed quod scribis, ut fidei tuæ apud summum virum testimonium præbeam, næ tu, amplissime Præses, frustra es. Scit Scaliger, unum te, aut certè cum oppidò paucis; 1601.
unum, inquam, esse, qui præstantiam ingenii illius aut possis pro tua eruditione, aut velis pro candore tuorum morum ἀξίως æstimare. Ego memini, non unis literis familiariter cum ipso agentem scripsisse ipsi, vixdum esse mihi inventum, te uno excepto, qui in pendendis ipsius meritis mihi satisfaceret. De hoc autem officio tuo scripsi nuper adfatim, & iterum quoque scribam primâ occasione ubertim. Quod scribis de gaudio tuo ob natum puerum, nemo est bonus & Reipublicæ amans, quem is nuncius non compulerit manus in cœlum tollere, & Deo Opt. Max. gratias agere pro tanto hoc tamque insigni beneficio, quod utinam, iterumque utinam firmum præstet nobis ejusdem Supremi benignitas. Scis vetus dictum Sapientis: τὰ μεγάλα τοῦ Θεοῦ δῶρα μέγαν ἔχειν φόβον· nos autem qui sumus, aut qui vivimus; aut quotusquisque est, qui tantum bonum satis grato erga Deum immortalem animo prosequatur? Verùm hæc illi curæ, cui uni salutem suam servata Gallia toties debet. Librum tuum mitto tibi, quando sic voluisti: ego nondum absolvi ejus lectionem, factus lentior Patissonii nostri lentitudine, ut livorem uva ducit ab uva. Sperabam ruri per has vindemias hac oblectatione me fruiturum. Sed turbat valetudo: nondum enim febri caremus, quæ eò suspectior, quò remissior. Domi nos continemus; nisi quod heri maximum virum Florium Senatorem invisimus. O doctum solidè hominem! de quo plura coram: plura enim nunc febris non permittit, quam hac nocte solitò graviorem sumus experti. Deus te servet, amplissime Præses, & nos tecum. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCLIV.

CAROLO LABBÆO.

GRatum mihi etiam atque etiam, 1601.
eruditissime Labbæe, quòd de reditu in patriam tuo fratrisque fecisti me tuis literis certiorem. Posthàc de studiis & inceptis vestris cùm libebit, & quoties libebit, mecum δι' ἐπιστολῶν [ὥς φησι ὁ μέγας ἐν ἁγίοις Βασίλειος, δεινὰς τῶν ἀπόντων φίλων σκιαγραφεῖν τὴν παρουσίαν] pro necessitudine mutui inter nos amoris agetis. Mihi semper longissima quæque à te, aut fratre tuo epistola, sicut olim de Aristophaneis versibus dictum, accidet gratissima. Neque deero officio, quin rescribam statim, & paria vobiscum faciam. Amo enim vos

κηρόθι·

1601. χηρόθι μᾶλλον: & de utriusque vestrûm studiis nihil mediocre animo concepi. Pergite modò quo cœpistis pede: & laborum, quos Musarum amore alumni ipsarum sustinent, ne vos antè pigeat aut pœniteat, quàm μέγα τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι in lucem protuleritis. Locus Glossarii, de quo ad me scribis, alium Oedipum desiderat, aut tempus certè ad deliberandum. Æger enim ista scribebam è lectulo; cùm mensem totum, & quod excurrit, gravis διάῤῥοια nos vexasset. Accedit languor animi propter aulica negotia, quæ etiam sic affectum prodire cogunt in publicum, magno valetudinis incommodo, rei familiaris autem commodo planè nullo. Jure, mi Labbæe, indignamur: miramur etiam, quî hoc fiat, cùm nova quotidie testimonia non vulgaris benevolentiæ Rex nobis exhibeat. Sed omnino latet aliquid ἐνδομύχου. Itaque videbimus, & σὺν τῷ Θεῷ in posterum providebimus. Vale, & nos ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* III. *Eid. Novemb.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCLV.

DAVIDI HOESCHELIO.

1601. DE Phrynicho magnas & habeo, & ago tibi gratias. Næ multum tibi meliores literæ debent, qui ipsarum illustrationi tantum operæ impendas. Erat sanè ille Criticus & Nunnesii, & tuæ etiam opis indigus. Utinam ita res ferrent tuæ, ut omnes ejus generis Criticos veteres recensitos à te, atque isthic editos, beneficio tuo aliquando haberemus. Neque enim nescis quàm multa sint apud Pollucem, Harpocrationem, Hesychium τὸν πάνυ, & alios similes, quà corrupta, quà obscura. Tibi porro facile futurum, hac diligentiâ, hac eruditione viro, ea præstare in editione scriptorum ejusmodi, quæ temerè ab alio, οἷοι νῦν βροτοί εἰσι, si fortè unum aut alterum excipias, exspectari non queant. Aude igitur, mi Hœscheli, & fac, obsecro, ut immortalibus tuis in rem literariam beneficiis accedat hic cumulus. Quod tamen non eâ fine dico, ut ab editione Procopii, quam paras, te avocem; quin oro te potius, atque adeò obtestor, ut ab instituto consilio, nisi re confectâ, dimoveri te non patiaris. Ego cùm de illius nobilissimi scriptoris editione cœpi cogitare, idem & tibi venisse in mentem nescivi: simul ex Notis tuis ad Photium de voluntate tua cognovi, mutatâ sententiâ, & tibi, & magnis viris, quos ἀγαθῇ τύχῃ nactus es ἐργοδιώκτας, cedere constitui. Sive te intueor, & 1601. eruditionem, quæ in te est; sive elegantiam librorum, qui isthic eduntur, cur tibi statione illâ cedere debeam, justissimas caussas invenio. Satis hoc superque ad nominis nostri commendationem futurum, si observatiunculas nostras non censueris indignas, quæ operi tuo à te intexantur: καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Vale, amicissime & τιμιώτατε Hœscheli. Auctores post Suetonium dudum prælo subjectos, propridem à nobis exspectare te jubeo. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XV. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCLVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

MAgnum amoris magni erga nos tui, 1601. Vir inlustrissime, argumentum est, sollicitudo illa tua de rebus nostris, cujus mihi & nupera epistola tua testis, καὶ οὐχ ἥκιστα amplissimus Vir, Legatus Regius. Agerem hoc nomine tibi gratias, nisi ea esset dudum tuorum in nos meritorum magnitudo, ut quoties de iis cogitare incipiam, (quod facio & lubentissimè, & sæpissimè,) toties ὑπὸ ἀφασίας cogar obmutescere. Qui igitur ἀξίως τῶν σῶν εἰς ἡμᾶς εὐεργετημάτων εὐχαριστεῖν σοὶ οὐχ οἷός τέ εἰμι, in testimonium grati animi hoc unum afferre possum, quòd gratiis tibi agendis verba me deficiant tuis paria meritis. Sunt autem res nostræ nunc quidem paullo, quàm fuerunt hactenus, meliore loco. Auxit enim Rex stipendium nostrum aureis ducenis. Dedit etiam, & quidem non poscenti, ac ne cogitanti quidem, codicillos, quibus Bibliothecæ cura nobis mandatur: cum hoc tamen, ut morosus ille τυμβογέρων *, qui thesaurum illum obsidet, loco ne moveatur. Itaque codicillos non magni facimus: nisi quod benevolentiæ Regis erga nos non leve hoc testimonium. Quod si non obstaret P. R. † respectus, pridem factum esset, ut Regis jussu publicè doceremus. Sed mirum est, imò verò θαῦμα θαυμάτων μέγιστον, quantum in dies, ac prope dixerim, in horas adolescat in Procerum nostrorum animis illius reverentia, timor etiam & σεβασμὸς, quem certum est clarissimis notis ante tot sæcula fuisse demonstratum. Ergo etiam fidissimi illius emissarii brevi creduntur revocandi: sequetur mox Concilium Tridentinum, ut fama est. Quid post illa exspectare habeamus, quæ tua est prudentia, facile divinabis. Sed ista omitto. Eusebium tuum nullâ re amplius posse à nobis adjuvari; scito: nam ille

* *Joannes Gosselinus.* Colomes.

† Fortè, *Pontificis Romani.*

1601. ille liber, de quo scribis, in Bibliotheca amplius non reperitur. Excerpta quæ habui χρονολογικά, misi nuper ad te: miseram & paucos ante dies Rabulium amplissimi Memmii. Qui libri an tibi fuerint redditi, cupio ex te intelligere. Velim etiam excerpta illa quàm primùm remittas, futura nobis interdum usui in recensendis Augustæ Historiæ Scriptoribus, quorum jam ad umbilicum vergit editio. Induxeram in animum non antè ei operæ manus admovere, quàm prodiisset in lucem opus tuum, cujus exspectatione nimium cruciamur diu. Sed invitum ad editionem hanc amici compulerunt. Atqui alia studia nos habebant. Nacti enim ducem ad studia Arabica, incredibili quadam cum voluptate paucos menses illis literis impendimus. Dux ille fuit Hubertus *, Medicus; qui Arabicam linguam jussus à Rege in hac Schola profiteri, cùm à Quæstoribus nummum adhuc nullum potuerit extorquere, & Scholæ & urbi coactus est valedicere. Vir est optimus, & qui in Africa linguæ principia edoctus, alterum jam annum non infeliciter in eo studio est versatus. Ingratus sim, nisi me plurimùm illi debere agnoscam. Quanquam nonnihil & nos eum juvabamus, propter aliquem usum Hebrææ & Syriacæ linguæ; in quibus ipse operam adhuc non posuit. Ausi sumus συναγωγὴν vocum Arabicarum in usum nostrum tentare: jamque crescebat moles, cùm incepto desistere sumus coacti. Scimus quid in hoc genere sit à te præstitum, & stupemus, ac prope dixerim, ἐξιστάμεθα τῶν φρενῶν, cùm de præstantia divini ingenii tui cogitamus. Utinam isthic essemus; abiret nulla dies, quin & meliores & doctiores per te fieremus: quod si Deum exorare aliquando contingat nobis, non abibit, quin aliquando conspectu saltem tuo, δῖε ἀνδρῶν, fruamur. Oro supplex æternum Numen, servet te, & vividam hanc senectutem tuam omni bonorum genere cumulet. Vale, & me constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Eidibus Decemb.* CIↃ IↃ CI.

(* *Stephanus Hubertus, Aurelianensis.* Colomes. Gall. Orient. pag. 146. 147.)

Hæreo in sequentibus: tu, quæso, me doce.

Heligobali nomen aliter scribendum esse, didici ex nummis, lapidibus, & verbi etymo. Sed constantem scripturam omnium librorum Græcorum (Herodiano excepto) & Latinorum an sollicitare debemus? Ego putabam, Græcos homines in hoc nomine consuetudine suâ usos; qui soliti barbara vocabula sic efferre, ut ad suæ linguæ analogiam illa torqueant. Græcos Latini 1601.
sunt secuti.

Salambon, in vita Halagabali, est Adonis. Didici ex Hesychio, Venerem dictam fuisse Babyloniis Σαλαμβώ: inde ergo & hoc nomen. Sed quæ origo vocis? non enim me expedio.

Tiberius ille Africæ Proconsul, de quo Tertullianus, Apologetici cap. IX. an est Imperator Tiberius? Ita omnes sentiunt: ego non possum adduci, ut credam illis. Obstant sequentia verba; quibus ait Tertullianus, se rem didicisse ab iis ipsis militibus Afris, quorum operâ usus Tiberius: quod non ferat temporum ratio. Deinde Africæ Proconsulem fuisse Tiberium Imperatorem, nusquam lego. Falsissima & ineptissima sunt, quæ nuper prodierunt in illum locum *. O nugas nugacissimas! quod sanè invitissimus dico: sed non possum non σκάφην σκάφην. Putabam intelligi alium quendam Proconsulem Africæ, qui paullò ante natum Tertullianum, aut eo juvene Africam rexerit. Invenio in Fastis: Ti. Julium Candidum sub Trajano iterum Cos. An hic est ille Tiberius? Habeo in illum autorem plurima, de quibus tuum judicium aliàs σὺν Θεῷ sum exploraturus.

(* *Notata à Francisco Junio, edita 1597.*)

Intereà doce me verbum illud, quo utitur Arabs ἀντὶ τοῦ παραβολεύεσθαι, an sit à radice היבה *sprevit*, an thema potius sit יהבה? Doce etiam nos, si quid hactenus præter Postelli Grammaticam ejus generis editum videris. Iterum vale.

(*Ad hanc responsoria Scaligeri exstat n. 66.*)

EPISTOLA CCLVII.

DESIDERIO HERALDO. ✠

ERuditissimæ epistolæ tuæ, doctissime Vir, & serò, & parum seriò 1601.
responderem, occupationes istæ cogunt molestissimæ, αἵ με πολυμερῶς ἔνθεν κἄνθεν διασπῶσι. Dies totos aut literas scribimus, aut amicos visimus, aut ab amicis visimur: quod quidem longè nos habet deterius. Nam ipsi quàm rarissimè possumus, pedem domo efferimus. Accedunt typographicæ occupationes, vergente jam ad umbilicum editione τῶν μετὰ Suetonium. Erat animus, breves Notas adjicere, & levi operâ opus illud recensere. Ubi ad rem accessi, serio sensi τὴν ἐμὴν ἀβουλίαν. Negotium enim mihi accersivi multò quàm initio putabam difficilius, & temporis longioris. Itaque mala nomina imitamur, & urgentem Typographum ludimus, eludimus. Qui tuus est candor, amicissime Heralde, jam scio, longiorem ἀμοιβαίας ἐπιστολῆς exspecta-

1601. ſpectationem mihi condonaſti. Cupiebam ſanè de eo loco Athenæi fusè tecum agere: ſed fruſtrà tempus adhuc ei ſcriptioni captavi. Aliàs igitur, ſi per te licet, & quidem, uti ſpero, brevi. Intereà ſcito, eximiam videri obſervationem illam tuam: cui equidem ſimiles aliàs multas ſibi in mentem venire cupiam. Tu, ſi me amas, perge in inſtituto opere, & meos mihi errores animo benevolo indica. Ego mihi egregiæ in literis voluntatis ſum conſcius: quantum præſtiterim, aut omnino præſtare in literis poſſim, æqui Judices (tuque in his) æſtimabunt. Sed abit dies. Vale, Vir amiciſſime. *Lutetiæ Pariſiorum*, *a. d.* VI. *Eid. Decemb.* CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA CCLVIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1601. INluſtriſſime Vir, invenimus tandem quæſitum fruſtra hactenus librum, quem deſideras. Cùm enim hodie apud ampliſſimum Thuanum, audiſſem Franciſcum Pithœum affirmantem, viſum ſibi non ita pridem illum codicem in Medicea, quæ nunc eſt Regis, Bibliotheca; conſtitui egomet mecum, nihil inexpertum relinquere, neque ante rem penitùs exploratam conquieſcere. Inde igitur è veſtigio in Bibliothecam; ubi tandem πάντα διφήσαντες, latitantem iſtum Hylam invenimus, atque in lucem protraximus. Liber jam eſt in manibus τοῦ πάντα ἀρίστου Thuani; qui eò tandem inclinavit, ut ipſum exemplar ad te mittatur. Cras, opinor, aut poſt diem tertium fidei præſtantiſſimi Buſenvallii eum codicem ſumus commiſſuri. Intereà hæc ad te ſcribenda duximus, ut ſcires, δαιμονιώτατε ἀνδρῶν, neque Thuano facultatem, neque mihi voluntatem deeſſe, aut defuturam unquam tuis ſtudiis inſerviendi. Σοὶ δὲ Θεὸς τόσα δοίη ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς. Vale, & me ama conſtanter. *Lutetiæ Pariſiorum*, *a. d.* XIX. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CII. quem annum, cum aliis quàm plurimis, cupio & inchoari & exigi à te ὡς εὐτυχέστατα. Iterum vale.

An meas omnes acceperis, velim ſcire. Quinta hæc epiſtola eſt, quam duobus hiſce menſibus ad te ſcripſi. Dedi ante quatuor dies ampliſſimo Legato faſciculum, ubi fuerunt & ad Meurſium literæ. Ab Heinſio nihil accepi literarum; neque illas vidi, de quibus tu nuper. Auſus ſum etiam hæſitationes quaſdam meas tibi proponere: exſpecto quid ad utramque ὅλην προβλημάτων ſis reſponſurus. Vidimus hìc editum nuper Arabem Geographum, cujus verſionem, puto, adhuc editam nuſquam: neque hic eſt, opinor, ille, de quo multa Ramuſius Venetus, vir doctiſſimus. Comperi tamen hunc eſſe, quem laudas tu variis locis; atque eo nomine librum illum pereo. O ſi iſthìc eſſem! quod utinam concedat aliquando mihi ὁ μέγας ἐν οὐρανῷ Θεός.

EPISTOLA CCLIX.

GASPARI LAURENTIO. ✠

ACcepi, Vir clariſſime, munus tuum, 1601.
quod mihi abs te Concantius noſter reddidit. Innotuerat jam mihi è quorundam φιλομαθῶν ſermonibus ingenii tui felicitas: ipſum quidem etſi cupidè optaveram, nondum videram. Nunc vidi beneficio tuo, & totum ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς ſtatim legi. Utinam, mi Laurenti, quæ ſint à te piè, doctè & ſapienter obſervata, altè imbibant ii, quorum intereſt id genus præceptis eſſe quàm inſtructiſſimos. Nam ut in totum ab ejuſmodi diſputationibus abſtineatur, rectè judicas, fieri non poſſe. Et tamen quàm periculoſæ res ſit aleæ, temerè cum Sophiſtis λογομαχεῖν, & contentionis funem ducere, nimis, ah nimis frequens experientia palam fecit. Obſervatur adhuc animo triſtiſſimæ illius diei ſpecies, cùm de Veritate, æterni Dei filia, pompaticè adeò vidi triumphatum: quod profectò accidiſſet nunquam, ſi viri ſapientiſſimi & præſtantiſſimi omnia exactè ſervaſſent, quæ ſuper ea re prudenter à te ſunt paucis chartis comprehenſa. Certè multâ cautione opus, quoties id agitur, ut ὁ τῆς ἀληθείας ἁπλοῦς λόγος cum arte fucatis, & cholobaphinis rationibus committatur: quandoquidem ſatis jam compertum, non alio fine hodie, οἷοι νῦν βροτοί εἰσι, diſputationes inſtitui, quàm ut per altercationes de veritate veritas amittatur. Eximiè vero placuerunt mihi, quæ de auctoritate Verbi Dei præclarè diſputas. Quàm longè aliter vetus amicus noſter ſentit, qui ante aliquot menſes Venetiis ad me ſcripſit, & poſt longam obſecrationem, ut περὶ τοιούτου τρόπου ζητημάτων per literas vellem agere, hanc in extremo conditionem adjecit, ne ſe obtorto collo ad Sacras Scripturas traherem. Satis enim, inquit, magnus ille Epiſcopus Ebroicenſis faſtuoſam Scripturarum provocationem confutavit. Obſtupui, ſteteruntque comæ, & planè ἐξέστην τῷ θάμβει, cùm illa legerem. Itaque reſponſum à nobis tam portentoſum ſcriptum nullum tulit, nullum feret; cui enim bono? Illius miſereatur

1601. tur misericordiarum Pater: qui te servet, Vir amicissime, cum omnibus tuis. Venerandum Pastorum & Professorum Cœtum meis verbis quàm officiosissimè salutes velim, & nominatim D. Bezam, D. Pinaldum, D. Goulartium, & D. Colladonium, cui nuper scripsi. Filium meum tibi illique velim esse commendatum, ut officii sui eum moneatis. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIII. *Kalend. Januar.* CIϽ IϽ CII.

Epistola CCLX.

JOSEPHO SCALIGERO.

1601. Diu exspectatas literas tuas nudius quartus tandem accepi, quibus si putas mihi accidere aliquid jucundius, necesse est te lateat, qui meus sit & quantus adversus te amor, quæ gloriatio mea de tua erga nos benevolentia: parum, inquam, me nôsti, si non habes persuasissimum, pluris esse apud me vel brevissimam epistolam tuam, quàm ulla cujuscunque Principum diplomata. Sed de meo in te animo, & singulari admiratione tuarum tot tantarumque virtutum non institui nunc agere; & malo apud alios quàm apud te. De meis autem rebus agam tecum cis dies paucos uberius, cùm aliquid erit certi, & quid nobis sit futurum, habebimus exploratum. Nunc cùm maximè animi pendebamus, ἐν δοιῇ μένειν ἢ ἀποπλεῦσαι τῇ αὐτῇ. Habemus enim gravissimas caussas, cur mora in hac urbe diuturnior sit nobis suspecta: sive meas unius res privatim spectem, nihil est, opinor, quod me hic admodum detineat; piget enim vanas ἐλπίδας ἐξ ἐλπίδων ἀεὶ κυλίνδειν, ut taceam ἐνδομύχους alias gravissimas αἰτίας· sive rem specto publicam, omnia ὕπουλα, omnia μετέωρα, ut justissimi metus omnia sapientissimo cuique plena videantur. Verùm ista pluribus, uti spero, brevi. Nunc narro tibi, quod tu apud Paulum Apostolum censuisti legendum esse, παραβολευσάμενος, non ut editum est, παραβουλευσάμενος; reperisse me eam scripturam in antiquissimo codice τοῦ μακαρίτου Puteani. Liber est venerandæ vetustatis, majusculis literis exaratus: habens è regione versionem Latinam longè aliam ab ea, quæ est edita. Cujusmodi est quod hic invenimus: nam τὸ παραβολευσάμενος versum est, *parabolanus fuit de anima sua.* Nos autem priusquam de eo libro quicquam rescissemus, multos Chrysostomi locos correxeramus, ubi constanter editum παραβουλεύεσθαι; cùm constet nobis, Chrysostomum Pauli hanc vocem usurpasse, & scripsisse παραβολεύεσθαι. Asscribam ejus verba, ut judicio tuo sententia nostra aut corrigatur, aut confirmetur. 1601.

Primùm igitur, quod interpretatur eam vocem Chrysostomus, ἐκδιδόναι ἑαυτὸν κινδύνοις; non τῷ παραβουλευσάμενος, sed tuæ lectioni ea interpretatio convenit. Nam alibi dixit Chrysostomus: ὁ παραβόλως ἑαυτὸν τοῖς κινδύνοις ἐκδιδοὺς, & παραβάλλειν κινδύνοις. Perperam igitur in ea scriptum, αὐτὸς παρεβουλεύσατο καὶ ἐξέδωκεν ἑαυτόν. Malè etiam, ὅταν ἴδωμεν αὐτοὺς ἐν κινδύνοις παραβουλευομένους· & alibi, ὁ ἐξ ἑκάστου κινδύνου προσδοκῶν τεθνήξεσθαι, καὶ εἰδὼς ὅτι ζήσεται μὲν μὴ παραβουλευσάμενος, τεθνήξεται δὲ τοιαῦτα τολμῶν &c. Omitto similes alios ejusdem magni Patris locos, ubi constantissimè editum παραβουλεύεσθαι pro παραβολεύεσθαι, quod elegantissimum verbum videntur antiqui librarii quasi ex compacto voluisse de notione hominum tollere. Vidi antiquæ manûs Lexicon parvum, vocum apud Paulum obscuriorum, ubi similiter corruptè scriptum βου pro βο. Legi etiam incertum scriptorem, qui in τακτικῶν Regiæ Bibliothecæ volumine habetur, hæc verba: καὶ ὡσαύτως δεῖ μικρόν τι παραβουλεύσασθαι καὶ πρὸς μάχην ὁρμῆσαι. Non dubito, autorem aliter scripsisse. Quid sit παραβολεύσασθαι, satis tu, magne Vir, nos docuisti. Invenio pro eodem θεῖναι παραβόλιον, quod ἁπλῶς usurparunt pro ἀγωνίζεσθαι. Astrampsychus: θὲς παραβόλιον· νικᾷς· εὔθυμος ἔσο. Et sæpius idem scriptor, in libro, quem inscripsit: Λαξευτήριον Πυθαγόρου, ἤτοι Ῥαβούλιον Περσικόν. Veneritne is codex aliquando in tuas manus, haut scio: hoc scio, dignum esse quem lectione tuâ non dedigneris. Multa in eo vocabula Hebraica, plurima Persica. Autor dicitur Astrampsychus, librorum Bibliothecæ Alexandrinæ ἀποφραγιστής: sic enim ipse se vocat in titulo epistolæ προσφωνητικῆς ad Ptolomæum Regem. Sed videtur, è Persica aut alia lingua in Græcam opus translatum; nam sermo recentem Hellenismum sonat. Liber est in Bibliotheca Memmii: ubi alia multa præclara vidimus. Si hunc non vidisti, & putas esse tanti, (nam res sanè non magni momenti; γένος τι nimirum μαντικῆς ex positura signorum cœlestium) lapidem movebo omnem, ut ab optimo & amplissimo Memmio eum tibi impetrem. Enimverò, divine Scaliger, non contineo me, quin dolorem animi mei tibi aperiam. Cùm enim cogito, quantum studia mea semper infelicia fuissent adjuta, si vel paucos menses μαθητεύειν σοὶ potuissem; Proceribus nostris gravissimè succenseo, qui profectionem meam è Gallia manibus pedibusque impedierint. O invisum

1601. visum mihi diem, & nigro lapillo signandum: sed desino inutilium querelarum. Vale, δῖε ἀνδρῶν, & nos constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum*, CIↃ IↃ CI.

Legebam his diebus observationem tuam super loco Glossarii isto: *desiderata*, λειτουργία, πλειτή· refers ad vota τῶν μυστῶν, hoc est, Catechumenorum, & *desideratam*, explicas, τὴν εὐχαριστίαν. Næ tu homo divinus es: quis non demiretur ingeniosissimam conjecturam? Cùm ex Patrum scriptis certum sit, Catechumenos assiduas preces fundere solitos, quò liceret sibi ad beatissimum illum ἐποπτείας diem pervenire. Disertè Chrysostomus pag. 74. nuperæ editionis, δεήσεις κατηχουμένων commemorat ὥστε μὴ μεῖναι κατηχουμένους. Quæ ad amplissimum Thuanum de Josepho scripsisti, impulerunt me, ut tuâ ejusque gratiâ conferenda exemplaria MSS. Regiæ Bibliothecæ promitterem me susceptūrum, si ea mihi traderentur: quod etsi in ejus potestate debuit esse, non tamen puto tam facile futurum.

EPISTOLA CCLXI.

THEODORO CANTERO.

1601. Excusationem tuam de literarum infrequentia, nobilissime Cantere, eò admitto lubentius, quòd agnoscam ingenuè, eadem & mihi apud te opus esse. Facit enim hactenus multitudo occupationum nostrarum, ut non quoties vellemus, sed quoties possemus, literas ad te daremus. Scripsimus tamen, ex quo filius huc ad nos advenit, ternas. Quæ omnes an ad manus tuas pervenerint, nescio: ex tuis novissimis suspicari cœpimus, periisse unam aut alteram epistolarum nostrarum. Nam de præclaro incepto tuo illo, & sacrorum opertaneorum commentariis nuper affatim scripseramus. Aliâ item epistolâ de Clementis loco sententiam nostram tibi exposuimus. Sed perge, obsecro te, Vir clarissime, & observationes illas tuas de Eleusiniis sacris, aliisque hoc genus adhuc liquidò cognitis, in medium profer. Attuleris eâdem operâ & Ecclesiasticis multis optimæ notæ Scriptoribus lucem maximam. Nos in diversis studiis otium nostrum consumimus. Sed ante alia omnia observationes paramus in Spartianum, & reliquos illius comites Historicos. Tu si quid habes, quo possimus in hoc incepto adjuvari, quæso te, benignè imperti: feceris rem longè gratissimam. Studia filii tui mihi esse curæ, malo te ex ipsius quàm meis literis cognoscere. Omnino sic tibi velim persuadeas, & tui & omnium tuorum esse me quàm amantissimum. Vale, Vir clarissime. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIII. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CII. 1601.

EPISTOLA CCLXII.

DANIELI TILENO. ✠

Libellum tuum, Vir doctissime, accepi, legi, relegi. Potes inde colligere, quod nostrum sit de illo judicium. 1602. Non enim sanè ex otii abundantia, ut tempus falleremus, multi in eo fuimus; sed quia lectione elegantissimi & ingeniosissimi scripti miro quodam modo capti sumus. Itaque per multos dies ponere id de manibus non potuimus; cùm assiduè aut ipsi lectionem repeteremus, aut familiaribus & amicis invisum adhuc libellum magni loco beneficii traderemus legendum. Omnia me in eo delectabant: argumentum grave; dictio, suprà quàm de homine peregrino facile credi possit, pura, & minimè exotica: tum autem illi sales, quibus totum opus est tessellatum, quem non capiant? Mihi quidem (εἰρήσεται γὰρ τ' ἀληθές) in hoc genere solus prope videris regnare. Non enim è plaustro, aut è circo petiti, quales multos in gravissimorum ætatis nostræ Theologorum scriptis notavimus sæpe, prorsus, ut ille ait, è compito, è trivio, ἐκ τῆς κυριακῆς λαλιᾶς. Tui sales liberales sunt, in queis cum urbanitatis acumine certant eruditionis notæ. Quid multa? Iterum dico, & quidem ἐξ ἀφελεστάτης καρδίας καὶ φρενῶν ἀπὸ μυχοῦ, cepisti me, Vir eruditissime, & jam ex asse tuum, μᾶλλον καὶ μᾶλλον totum me tibi conciliasti. Utinam proficiat hoc catharicum illi ταλαιπώρῳ, cui est à te propinatum. Sed nimis vereor, ne vitales illas & καιρίας ipsius partes pridem gangræna serpens sit depasta; ut jam ne precibus quidem, ac ne συμπαθείᾳ quidem sit locus. Illum igitur sinamus tortori suo, quem dies noctesque inclusum in pectore gestat, & sine dubio experitur. Tu, amicissime Vir, vive felix, αἰὲν ἀριστεύων καὶ ὑπείροχος ὢν ἄλλων. Vale, & pro tranquillitate studiorum meorum Deum Opt. Max. interpella. Nos ista exaravimus inter summos dolores, cùm uxori τῇ τριποθήτῳ adessemus, acutissimis πλευρίτιδος vexatæ doloribus. Res est in summum periculum adducta: sed recreamur τῇ spe illâ, quam in Unius Dei ope positam, μυριομυριάκις sumus experti non vanam. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VII. *Eid. Januar.* CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA

EPISTOLA CCLXIII.

✠ STEPHANO HUBERTO.

1602. VIr amicissime, scripsi nuper ad te de tuis rebus adfatim, neque ex illo quicquam habeo novi, quod ad te scribam. Domi enim me ab eo tempore gravissimus uxoris morbus continuit, quæ & ante partum, & à partu pessimè habuit. Tandem etiam pleuritide correpta, æterno jam me luctu damnaverat, cùm adfuit Dei manus, quæ languentem liberavit. Illi honor, *κῦδος καὶ δόξα εἰς αἰῶνας αἰώνων.* Grassatur hic ille morbus *ἐπιδήμιος*, qui superioribus diebus Amplissimo Præsuli Bellovacensi matrem abripuit. Itaque Vir optimus in luctu miro & lacrymis. Nobis quoque multum per conjugis invaletudinem temporis periit. Semper tamen ad libros, delicias nostras, oculos referimus. Legi adeò nuper Rabbini cujusdam de Romanis Imperatoribus libellum; ubi exercuerunt me obscuri quidam loci. Duos ex illis selegi, de quibus in consilium ad te irem. Ait de Tito, Vespasiani filio, fuisse hominem valde eruditum, cùm aliis artibus, cùm eâ, quam ipse vocat חכמת אלמביק. Quæro, ista sapientia quænam sit, cujus nomen alibi in Romanorum scriptis aut non exstat, aut mihi non lectum. Puto esse artem distillatorum, quam iste vocat *doctrinam alambic*. Agnoscis articulum Arabicum. Si aliter judicas, fac, quæso, ut sciam. Alter est locus, ubi de Antonino Pio loquitur, quem ait incidisse in morbum הנקרא אלפ׳איה. Hic mihi planè sunt tenebræ, nisi quòd vocem esse Arabicam facile agnosco. Cætera tu doce me, Doctor meus. Atque utinam ex Avicenna tuo possis aliquid promere ei loco illustrando. Inseram illud laboriosissimis commentationibus nostris, quas scis esse nunc cùm maximè nobis in manibus. Vale, amicissime & doctissime Huberte. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* v. *Eid. Januar.* CIↃ IↃ CII.

Tuus toto pectoris affectu,

IS. CASAUBONUS.

Amplissimo Tiballerio plurimam, nisi grave est, à me salutem.

Inscriptio.

A Monsieur,
Monsieur Hubert, Medecin du Roi, & son Professeur és Lettres Arabes: étant à present
A ORLEANS.

EPISTOLA CCLXIV.

RICHARDO THOMSONI. ✠

TErtius, nec inficior, mensis agitur, 1602. amicissime Thomson, cùm tuas mihi literas nobilis quidam Gallus reddidit. Quibus dum uberius respondere cogito, & simul Regii Legati abitum præstolor, ecce tibi de improviso nuntius affertur mihi, esse illum profectum, & itineri pridem accinctum, illud tandem *ἐξ ἀπροσδοκήτου* inchoasse. Non facile dixerim, inopinatane ea res mihi acciderit magis, an molestior: *καὶ γὰρ ἦν ὄντως δεινὸν*, tam bonam & certam occasionem, adeo præter exspectationem, quasi de manibus esse mihi elapsam. Adde, quòd te quoque diuturnioris jam silentii mei causam desideraturum non nesciebam. In hoc igitur animi æstu unum illud fuit, quod curam & dolorem (ita dico, dolorem) levaret meum: cùm subiret animo, isthic jam esse eruditissimum, & utrique nostrûm amicissimum Baudium, quem neglecti officii culpam omnem procul à nobis amoliturum confidebam. Omnino sic persuasum habeo, si modò invicem conveneritis, nullo amplius aut patrono, aut deprecatore apud te mihi esse opus. Cupiditatis siquidem meæ dandi isthuc literas testis nobis locupletissimus ille idem, quem diximus, *μουσικώτατος* Baudius. Sed *ἀπολογίαν* tanquam *δρυὸς ἅλις*. De Epistolis ad Atticum ago tibi *πλεῖστον ἴσον* gratias. Scito tamen, hærere adhuc eum codicem in Labbæorum manibus, necdum oculis nostris visum, nedum manibus tractatum. Sed mittent, spero, brevi è patria, ubi tertium jam mensem agunt, reduces è peregrinatione sua. Si cessaverint *τὸ κατ' αἶσαν* exequi, non cessabo ego te certiorem facere: duntaxat ut sui illos officii comiter moneas. Multa ante hos sex septem annos in eos libros notavimus: multa etiam in Junianis Notis falsa deprehendimus, de quibus ex veritate illud possum dicere, *ἀνέγνων, ἔγνων κατέγνων.* Tuam fidem, Vir eruditissime, hoccine est corrigere libros, an corrumpere? Et tamen ista, cuicuimodi sunt, præ Notis in Cypriani Magistrum, laudem fortasse mereantur: adeo vir ille *δαιμόνιος* in illum infelicem Afrum est grassatus. Itaque ægrè contineo me, quin eruditum virum *τυφομανίας νόσῳ περιφαντὸν ἑαλωκότα* pro commerita noxa publico scripto castigem. Si vidisti Jesuitæ, nescio cujus, contra illas Notas, aliaque ejusdem scripta Diatribas, inceptum

1602. ceptum meum, scio, laudabis. Quàm enim turpe, nobis unius ob noxam Calvinistas omnes (sic passim impuræ illi Bestiæ vocamur) acriter adeò & acerbè vapulare? Et tamen quotam iste partem attingit Junianorum peccatorum? Si absim à te propius, utar in hac re consilio tuo lubentissimè. Nam planè mihi ὑπὸ φιλοτιμίας μὲν οὐχὶ, θεὸς δ' ἐπιμάρτυρος ἔστω· ἀλλ' ὑπὸ φιλαληθείας manus pruriunt. Verùm de his aliàs. Nunc autem in Historiæ Augustæ Scriptoribus & animo & corpore sum totus. Id opus eâ spe ante menses aliquot prælis subjectum, ut proximo mercatu Francofurtum deferretur; nihil jam, præter Notas meas, moratur. Sed neque per occupationum assiduitatem, neque per operis difficultatem tam citò eâ operâ licet defungi. Quid hìc præstiterimus, malo te ex lectione, quàm commendatione meâ cognoscere. Habes ibi οὐκ πάρεργον de proposita à te quæstione super Navigationibus Indicis judicium nostrum. Cætera de meis rebus, si Baudium vidisti, te non ignorare existimo. Ἑνὶ λόγῳ, si res in deterius non verterint, ὃ μὴ γένοιτο οὐδ' ἔσται, cur nos præsentis conditionis pœniteat, aut pigeat, nihil video esse causæ. Quod superest in dies vivimus, & τῷ πανοικτίρμονι Θεῷ nosque & nostros affectus animo æquissimo permittimus. Illius beneficio immortali (si quid hoc ad curam tuam pertinet) servata mihi superioribus diebus ἡ ἐπιπόθητος conjux, cùm illam recentem à filioli partu πλευρῖτις octavo ab hinc die occupasset, atque ipsis prope jam ᾅδου πύλῃ admovisset. Vale, amicissime καὶ τιμιώτατε Thomson. *Lutetiæ Parisiorum, Id. Januar.* CIↃ IↃ CII.

Accepi, non ita dudum, à Dunæo Epistolam Græcam, suavissimè juxta atque amantissimè, planèque Ἀττικώτατα scriptam. Tanta autem fuit indiligentia illius, cui ea fuerat commissa, ut vix post quartum, opinor, mensem, quàm literæ scriptæ fuerant, eas mihi reddiderit. Iis respondere impræsentiarum cùm non possimus, obruti curis & negotiis, peto à te obnixè, ut à doctissimo viro, & Græcarum Elegantiarum Patre brevis temporis moram mihi impetres. Velim sit hoc tibi curæ. Vale tu, mea cura.

EPISTOLA CCLXV.

✠ HENRICO SAVILIO.

1602. EGit mecum verbis tuis, Savili clarissime, nobilis Anglus amicus tuus, ut vellem ad te mittere catalogum omnium, quæ in Bibliotheca Regia servantur, B. Chrysostomi Operum. Dixi illi statim, multa esse, cur voluntati tuæ pro virili morigerari essem conatus. Nam & publicæ literarum προκοπῆς sum studiosissimus; & ille sanctissimus Scriptor, nescio quomodo, ex omnibus Patribus mihi acceptissimus. Te porro eum esse, cujus causâ nihil non sim facturus, possim modò. Pridem enim, nobilissime Savili, & innotuit mihi eruditio illa rara & alta, quæ in te est; & nos illius gratiâ amicitiam tuam ex illo semper ambivimus. Testes binæ literæ, quas ad te superioribus annis misimus: alteras Genevâ, alteras Roannâ ad Ligerim: cùm fortè se obtulisset occasio conscendenti jam navim, & oram solventi. Etsi autem nihil unquam abs te literarum accepi; tamen, quæ tua est humanitas, favere te nostris conatibus in literis, & egregiam saltem voluntatem hanc probare, persuasum habeo. De Chrysostomo sic habe. Extare in Regia Bibliotheca Opera illius prope infinita; sed quorum bona pars κακῇ τινὶ τύχῃ sit ἀκέφαλος καὶ ἀπελής: ut catalogum eorum accuratè conficere difficile sit, & longi temporis. Accedit alia difficultas: sunt enim illius Bibliothecæ claves penes hominem & ætatis vitio, (est enim τυμβογέρων,) & magis naturâ suâ morosum, δυσπρόσιτον, δυσέντευκτον, & qui Gratiis litavit nunquam. Itaque licet regio diplomate patefactus nobis eò aditus; non tamen dictu facile, quibus difficultatibus constiterit nobis hoc, quicquid est, quod tibi tantisper mittimus: dum accuratiorem & uberiorem Indicem scriptorum illius Patris per otium tibi parabimus. Vale, & nos ama. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Januar.* CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA CCLXVI.

LABBÆIS.

MItto vobis, eruditissimi Adolescentes, quas ex Anglia superioribus diebus accepi. Erat & in fasciculo eodem doctissimi Thomsonis epistola, ubi adscripta salus utrique vestrûm sanè quàm peramanter. Ille me judicium meum poscit super codice Epistolarum ad Atticum, qui adhuc penes vos. Respondi, non dubium esse mihi, quin primo quoque die eum missuri essetis; simul accepero, beneficio hoc illius usurum, & adfatim mox scripturum. Anni sunt, opinor, sex septem, cùm in eo Ciceronis opere, ut mea sententia est, præstantissimo, multi 1602.

1602. fuimus: latent enim in lituraris nostris observatiunculæ, quas raptim tunc temporis exaravimus. Quas fieri aliquando publici juris studiosorum, nonnihil fortasse intersit, utique si opis aliquid nobis Thomsonianus hic codex attulerit. Eum igitur etiam commendo vobis, ut ne quid depereat, & ex commodo vestro eum mihi transmittatis. Spartiani & ejus comitum inchoata dudum editio, cùm ad proximum mercatum Francofurti non possit perfici, lentius jam urgetur. Non accidit hoc mihi contra animi sententiam, cui perquam est volupe, in medio opere velut pausam facere, & ut in salebrosa scruposaque via interjungere. Quotidie adolescit in nobis ἴυγξ scribendi, & otii desiderium ad studia Sapientiæ & Philologiæ. Sed nobis non licet quietis esse, urgentibus subinde amicis, quibus denegare possumus nihil: sed de inceptis nostris plura aliàs, σὺν Θεῷ εἰπεῖν. Illum oro, ut præstanti viro, parenti vestro, vobisque liberali manu πᾶσαν παντοίων ἀγαθῶν ἰδέαν largiatur. Valete, Labbæi eruditissimi; & me, quod facitis, constanter amate. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XIV. *Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA CCLXVII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1602. UNicam, sed oppidò gratam mihi epistolam * à te, præstantissime virorum, multis jam mensibus accepi. Illam dico χρυσῆ ἀντάξιαν, quâ ζητήσεσιν meis adeò luculenter satisfecisti. Quo nomine nisi gratissimas agam benignitati tuæ gratias, bipedum sim ingratissimus. Docuisti me brevi chartâ, magne Scaliger, quæ neque ipse invenire, neque ab alio discere poteram. Perge verò, obsecro te, atque adeò obtestor, comitate hac erga nos uti: certè fores tuas pulsare constanter pergemus. Didici ex literis tuis, opus Rambanii מורה הנבכים Arabicè ab Autore fuisse scriptum: quod nos, cùm Latinum interpretem ante multos menses legeremus, vel non observaveramus, vel non memineramus. Posteà incidi in magni illius Magistri verba in epistola ad Massilienses, quâ non obscurè de se hoc ipse testatur. Puto enim חבור גדול, quod ait ibi se Arabicè scripsisse, de opere illo esse intelligendum. Gratissimum etiam fuit, quod de diversis paraphrasibus Arabicis Veteris Instrumenti me docuisti. Sciebam extare, atque adeò esse penes te Novi Fœderis varias interpretationes. De libris τῆς παλαιᾶς ante literas tuas nihil compertum nobis; nisi quòd Psalmos à Nebiensi * editos vidimus. Assentior autem tibi, verè pronuntianti, difficilius esse quàm videri voluerint nonnulli, vel mediocrem hujus linguæ parare cognitionem. * * * * * Quod eò ferimus in dies impatientius, quia videmus, θεοστυγεῖς homines de illorum erroribus, non secus ac de victa caussa veritatis, quotidie triumphare, τοῦτο μὲ λυπεῖ, καὶ ὀλίγου δεῖν εἰπεῖν, τῶν φρενῶν ἐξίστησι. Utinam viri optimi existimationi suæ consuluissent melius. Sed redeo ad Arabicas Musas, quarum amorem sine invidia, credo, profitebimur semper, notitiam verò tibi relinquemus; & si quis alius, tua vestigia procul adorans, tantum in eo studio profecerit, ut nos alibi occupatos suâ industriâ adjuvet. Vale, præstantissime Scaliger; & nos, quod facis, ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *Eidib. Februar.* CIↃ IↃ CII.

De Georgio Monacho non repeto, quæ scripsi jam toties, penes me illum esse; mittendum tibi, ubi primùm facultas fuerit oblata. Misi etiam ante multos menses excerpta quædam χρονολογικὰ, quæ an fuerint tibi reddita, necdum scio. Scripsi autem quaternas ad te literas ante has: de quibus non constat mihi, an ullas acceperis. Vidi, sed obiter, opus recens isthic cusum, Dactyliothecam: magnâ laude dignus illius Autor †. Nescio an inciderit aliquando in manus tuas annulus, cujus ἔκμαγμα mitto tibi: lapis est, quem onychem periti gemmarum vocant; opus solertissimæ manus. Vidi & alium hisce diebus, in quo sculptum caput hominis arietinum cornu gestantis. Simul vidi, venerunt in mentem, quæ de Alexandri appellatione Arabica ‡ à te didiceram. Sed negabant periti harum rerum, eam esse faciem Alexandri; Philippum ipsi indigetabant: tu quid censes? nam ecce & illius exemplum. Cùm hoc autem ex te scire cupio, tùm illud magis, quid de illorum Veterum scriptis judices, qui Alexandrum non Philippo satum, sed Rege quodam Ægyptio, qui ipsis dicitur Nectenabo, tanta cum asseveratione confirmant. Scio rem ridiculam; sed miror, quid fabulæ originem dederit; nisi fortè illæ ipsæ imagines, quæ ad Ammonem genus illius referebant. Fabulam illam legere memini apud Josephum Hebræum, editionis Italicæ; Callisthenem quendam ψευδώνυμον, qui in Regis Bibliotheca; itemque in alio scripto de vita Alexandri, qui Georgio Monacho & Theophani adhæret. Tangit & Cedrenus, & Hebræi quoque alii; sed quos

* Exstat n. 61.

* *Augustino Justiniano, Nebiensi Antistite, cujus vitam scripsimus in Italia Orientali, brevi ad umbilicum perducenda.* Colomes.

† *Abrahamus Gorlæus.* Colomes.

‡ *Fuit hæc* דו אלקרנין *hoc est,* Bicornis, *quia nimirum Alexander Imperium suum ad utrumque Mundi cornu (Orientem dico, & Occidentem) extenderat. Vel, quod vero propius puto, à cornuta Alexandri effigie, apud Fulvium Ursinum in numismate argenteo expressa.* Colomes.

1602. quos nihil moror. Nactus sum Arabicorum proverbiorum libellum oppidò elegantem: cujus exemplar, si ejus tibi copia non est, manu meâ tibi describam hac mercede, ut quæ in illo non capio, tu me doceas. Est quidem adjecta versio Latina; sed quâ sæpe nihil ineptius. Mense Decembri cùm ad te literas darem, adjeci epistolam ad Meursium, sed periisse naufragio tabellarium, narrabat heri nobis amplissimus Busenvallius. Sed quia mense eodem sæpius ad te literas dedi, scire ex te velim qui periit fasciculus? sitne is, in quo erant literæ ad Meursium? nam ille pridem silentium nostrum accusat.

Epistola CCLXVIII.

✠ RICHARDO THOMSONI.

1602. Amicissime Vir, per ego te τὴν φίλων θεῶν oro, ne propter diuturnius silentium succensere mihi velis. Liquidò affirmo tibi, neminem hominum multos jam menses impeditiorem curis aut molestis sæpe negotiis, quàm Isaacum tuum vixisse. Neque tu propterea putes, magnum aliquid moliri me in hac aula, aut aliquod à Principe beneficium captare. Nugæ sunt, quæ me occupant, & officia amicorum ac mutuæ plerumque ἐπισκέψεις, quas prætermittere οἷοι νῦν βροτοί εἰσι πάντως οὐ θεμιτόν. Itaque sic ferè hactenus viximus; ubi illuxit, patent fores, veniunt amici, (si tamen amici sunt dicendi, qui studiis meis tantam afferunt perniciem) alius officii causâ, alius ambitiosis precibus à me contendens, ut vel magno Thuano, vel alicui alii Procerum nostrorum, quos velut majorum Gentium Deos colunt, suam causam commendem. Quid facerem? nondum enim frontem potui obdurare, & seriò memet mihi & studiis meis vindicare. Verùm enimverò ὦ πὲν ἔχε θυμὸν ἀγαθόν. Nam certum est mores mutare, & omnes procul amandare, qui mecum alia de re quàm de literis sint acturi. Tum igitur, amicissime Thomson, ero tuus, cùm fuero meus: tum vocabo tibi, cùm & mihi: & frequentes & longas feres tum à nobis epistolas. Nunc ista pauca raptim, & horis quidem matutinis, quas scis esse Musis sacras. Quòd me ad libellorum editionem hortaris, de quibus obiter ad Athenæum; scito, doctissime Thomson, καὶ ἐνὶ φρεσὶ κάτθεο σῇσι non per inanem jactantiam illa nobis promissa, sed quia aut affecta, aut propè jam confecta penes nos, hoc est, in liturariis nostris ea habemus. Sed ad publicationem illorum non hoc est satis. Nolumus enim, si ulli σπουδῇ καὶ μηχανῇ possumus, ἀφειδεῖν τῶν ἀναγινωσκόντων. De Re Vestiaria opus ingens in manibus habemus: pars ejus libri est de Coloribus; quem tamen separatim animus est edere. Qui tuus est in nos amor, si acumen non laudabis, diligentiam tamen amabis in tam subtili argumento. Habemus item alia multa, olim, si Deus Opt. Max. voluerit, edenda; sin minus, nobiscum sepelienda. Illud διαῤῥήδην prædico tibi, temerè nihil editurum me; nisi vis quædam major coëgerit. De novo Persii interprete tibi assentior. Impurus Ludimagister, κενεῆς οἰήσιος ἔμπλειος ἀσκός, doctissimum se mortalium & putat, & prædicat. Cæteri præ ipso fungi, bardi, bestiæ denique, & vix λογικὰ ζῶα. Soleo dicere, nequissimum plagiarium uno beatum, quòd stomacho meo sit indignus. Nam si mereretur, & omnia illius essent tanti, non ferret inultum, quod in me, quod in magnum Scaligerum, & item magnum Cujacium, ut alios taceam, est ausus. Scis, opinor, ante decem annos exactissimæ diligentiæ Commentarium scriptum nobis in eum Poëtam. Eo quid facturi sumus, viderimus. Iste quidem nebulo observatiunculas nostras non præripuit nobis: quas tamen aspernari & facere non tanti, magis magisque indies assuescimus. Nunc in Spartiano, &c. sumus: de quo opere quid tu, quid docti gentis tuæ judicaturi sitis, aveo jam scire. Sed mensibus adhuc aliquot nobis opus. Eâ curâ defuncti aliud agemus, Θεοῦ γε διδόντος· cui volo te, amicissime Thomson, pro restituta mihi uxore ἐξ αὐτῶν τοῦ ᾅδου πυλῶν, & acutissimis πλευρίτιδος mox à partu doloribus, gratias mecum agere. Illa mecum amantissime te salutat. Vale, meus amor. Scripsi raptim, & incertâ spe, cùm fama esset prope constans, Perrottum, qui tuas miserat, jam ex Anglia discessisse. Illi tamen fasciculum inscripsimus; cùm nesciremus, an Baudius noster adhuc isthic esset. Velim amplissimo Legato, qui recens isthuc venit, innotescas, ut per illum nostris literis ultrò citròque tuta præstetur via. Et ad illum, & ad doctissimum Dunæum paucis diebus scripturi eramus. Iterum vale. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Non. Februar.* CIↃ IↃ CII.

Epistola CCLXIX.

DOMINICO BAUDIO.

1602. PRimum tibi, pro eo ac debeo, amicissime Baudi, ex animo gratulor, quòd ex ipsis penè Orci faucibus ereptus, salvus tandem atque incolumis isthuc perveneris. Habes igitur, ὦ τῶν νῦν ποιητῶν γονιμώτατε, luculentam materiam, in qua fœcundum illud tuum & μουσικώτατον ingenium exerceas. Nam si ἡδὺ σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων, quantò illud suavius, tantum Opt. Max. Dei beneficium fidibus tuis numerosissimis aptare, & memoriam illius posteritati consecrare? Deus bone, qui fluent numeri ex isto mellito planè ore tuo, si stylum semel in manus sumpseris? puto equidem, licet altè in animum tuum præsentis adeò periculi metum descendisse non dubito; longè tamen nobis, qui tua omnia miramur, descriptionem tui casûs fore suaviorem, quàm acerbum fuerit tibi frementis undique maris & indignantium undarum murmur. Excusationem tuam lubens accipio. Non commisissemus ut esset ea opus, si hospitium tuum habuissemus notum; quod cùm te sæpius rogarem, semper sum expertus inexorabilem. Constitueram nihil non tentare, quì possem officio fungi, & domum te visere; sed consilium meum præceps discessio tua antevertit. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτέτυκται ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Cùm præsertim in nobis sit mutuarum literarum commercium exercere, quas verè dixit ὁ μέγας ἐν ἁγίοις Βασίλειος, δεινάς εἶναι καὶ τῶν ἀπόντων τὴν παρουσίαν σκιαγραφεῖν. Vale, doctissime Baudi; &, si me amas, viro amplissimo Mæcenati tuo, quem ego juxta tecum & colo & observo, plurimam à me salutem. Equidem inter adversa mea refero, quòd proficiscentem illum à nobis cùm sæpius quæsiverim, invenire tamen non potuerim, ut præsens præsenti valedicerem, & veteri verbo rogarem, nunquid vellet aut juberet. Iterum vale. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Februar.* CIϽ IϽ CII. raptim, more meo, καὶ ἐπισεσυρμένως.

Ad hanc responsoria Baudii extat Centur. 1. n. 68.

Epistola CCLXX.

✠ CAROLO PERROTTO.

1602. SI plus esset otii, εὐσεβέστατε Perrotte, pluribus exponerem tibi, quàm gratæ mihi acciderint, quas à te Vassanus noster tibi reddidit. Sed nec verbis opus, cùm animi mei candorem penitus tibi esse perspectum confidam: & nos ita multa urgent negotia, ut vix exarare hæc paucula licuerit. Quod scribis, vivere in δέλτοις τῆς σῆς φρενὸς desiderium nostri; optasse etiam aliquando, ut publicè revocatus vitæ priori redderer; utinam quidem, amicissime Perrotte, is ego essem, qui operâ meâ & industriâ fulcire Scholam vestram possem. Verùm neque is ego sum, cujus absentis ratio haberi ab iis, qui summæ rerum isthic præsunt, debeat; neque ea nunc est temporum conditio, ut ei deliberationi queat esse locus: τὸ δὲ μέλλον παντὶ ἀνθρώπῳ φύντι ἄδηλον ὄν, Θεοῦ ἐνὶ γούνασι κεῖται. Illum supplices oramus obtestamurque, ut & nos fingat utiles promovendæ ὁπωσοῦν gloriæ suæ; & te, mi Perrotte, hac pietate, his meritis virum, quàm diutissimè, quàm felicissimè servet, omnique bonorum cumulet genere. Vale; & venerandum mihi Cœtum vestrum, nisi grave est, meis verbis ὡς προθυμότατα saluta; nominatim autem D. Bezam, cujus reverentia gliscit in animo nostro quotidie,

Quantum vere novo viridis se subjicit alnus.

Lutetiæ Parisiorum, pridie Kalendas Martias, CIϽ IϽ CII.

Epistola CCLXXI.

DAVIDI TILENO. ✠

CLarissime & amicissime Vir, posueram spem omnem inveniendi otii ad exaranda vel paucula hæc, quibus silentium meum diuturnius apud te excusem. Itaque egeram cum clarissimo fratre, ut meæ ignaviæ patrocinium apud te pararet. Posteà verò plusculum nactus temporis, hæc ad te ἐσχεδιασάμην; ut vel sic integerrimi animi mei, & summi erga te amoris leve aliquod tibi exhiberem testimonium. Librum tuum, etiam ante missum à te exemplar, devoraveram; posteriorem dico: nam de illo priore scripsi nuper τὰ φρενῶν κεῖται ἐν μυχῷ. Sales tuos epistola illa memini laudare: at in altero hoc plus eruditionis & illius γνησίας Θεολογίας inveni, quàm in priore leporis; etsi erat lepidissimus, &, si quid judico, εὐφυέστατα παιχθείς. Utinam, mi Tilene, hanc provinciam sumere velles, ut omnibus ἅπαξ ἁπλῶς, quæ parepiscopus iste hactenus tanto nisu foras emisit, responderes: faceres, mihi crede, rem Ecclesiæ Dei utilem, & omnibus bonis gratam. Non possumus negare, hominem esse semidoctum, & qui id agat summâ vi & conatu, ut acceptis 1602.

ceptis

1602. ceptis ἄνωθεν ingenii dotibus in contumeliam auctoris magnâ dexteritate abutatur. Miserum non τρὶς καὶ τετράκις, sed μυριομυριάκις! Quanto erat æquius, acumen istud & ingenium omne ad illius gloriam comparare, à quo acceperat? Sed purpurei pilei nulla, credo, οὐρανόθεν spes ostendebatur. Qui propius nôrunt, etiam non è nostris, hunc illi esse propositum finem ἀρχιτεκτονικώτατον affirmant. Itaque ὁ μὲν θρηνητέος τῆς μανιώδους προαιρέσεως· ἡμεῖς δὲ, ἄπ ἀξιωθέντες ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ ἀτιμασθῆναι felices & beati. Vale, Vir præstantissime. Uxor te salutat, redux ἐξ ᾅδου, Dei beneficio. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Nonas Mart.* CIƆ IƆ CII.

EPISTOLA CCLXXII.

DESIDERIO HERALDO.

1602. CUm ad conjunctissimum fratrem P. Perillæum isthuc necessariò literas darem, quia non putabam fore otii satis vel pauculis istis scribendis; cum eo egeram, ut meum silentium apud te seriò excusaret: sed vicit amor meus occupationes molestissimas, quæ me planè multos jam menses absumptum tenent. Itaque, mi Heralde, vitam vivimus prope ἀβίωτον, cùm vix unquam interjungentes studiis tamen non vacamus: quæ summa est infelicitas nostra. Quid ergo est, inquies? Audi, & miserere. Amicos visimus, ab amicis visimur: literas legimus, literas scribimus. Hæc summa est: hæ sunt diurnæ, imò & nocturnæ sæpe occupationes nostræ. Ita senescimus: ἤδη γὰρ, ut scis, πρεσβίβηκε πλέων νὺξ, verè νύξ. Quid enim aliud hæc vita quàm caligo quædam densa, in qua plurimùm offendimus, plurimùm erramus. Testor Numen, nunquam me ita cœpit vitæ contemptus atque nunc; nisi quod affectus meos cùm respicio, piam matrem, charissimam uxorem, suavissima pignora, dilectissimam sororem, sustineo lubens hoc quicquid est, ærumnarum; & me jam vitæ non pœnitet, ne illis ἄπαυστος καὶ ἄφευκτος crectur luctus. Verùm hæc nescio quomodo sub acumen styli venerunt: non enim id ago, ut dolore meo faciam te dolere. Opus à nobis inchoatum, causam non mutat: & pœnitet profectò temeritatis. Quæ enim imprudentia mea, non exspectasse editionem absolutam Scaligeri Notarum in Eusebii Chronicon, ubi omnia eadem? Utinam quod factum est, infectum fieri posset. Quod quia οὐχ' οἷόν τε, dabimus summâ curâ operam, ne illa tangamus, quæ virum divinum scimus tractare. Multa de illo habeo, quæ te 1602. scire velim: sed urgemur, mi Heralde: itaque de his aliàs. Vale, & me constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Non. Mart.* CIƆ IƆ CII.

EPISTOLA CCLXXIII.

CAROLO LABBÆO, ET FRATRI.

HOc primum à vobis peto, amicissimi & eruditissimi Labbæi, ut silentii diuturnioris mei caussam aliam ne putetis esse, quàm vel corporis languorem, vel continuas occupationes, quibus ἔνθεν κἄνθεν διασπώμεθα. Multos jam menses venit in parte curarum mearum opus institutum, quod non nescitis pridem esse subjectum prelis; sed illud ipsum quotidianis negotiis antevertentibus, ita lentè procedit, ut sæpe & me, & Typographum pœnituerit incepti. Adde quod institutæ ab initio breviores notæ, currente stilo prolixæ annotationes sunt factæ. Videbit Lector meus, si quam impensioris operæ gratiam mihi sit habiturus. Ego non possum à genio meo impetrare, ut studio brevitatis, quæ scio obscura, prætervolem. De Epistolis ad Atticum habeo gratias; quanquam simul in eum librum oculos conjeci, nescio quomodo spes, quam conceperam de illo codice, cœpit minuere. Sed expendam accuratius, & quid inde sit exspectandum, proximis, Θεοῦ διδόντος, literis significabo. Quicquid autem sit, eruditissimo Thomsoni certum est gratias agere. De notis Polybianis multum vos amo. Oro enim, ut si quid posthàc ejus generis in manus vestras inciderit, mecum velitis communicatum, eâ quidem lege, ut omnia mea sciatis esse in vestra potestate. Quod ex animo, & sincerè me loqui experiemini, cùm periculum facietis. Gaudeo venisse in tam bonas manus Eusebii illud Cujacianum Chronicum. Sed amabò, si quid est, quod τῷ μεγίστῳ Scaligero possit esse usui, omnibus modis in eam curam incumbite, ut quàm primùm ad ipsum mittatur. Nam vix longiorem moram res patietur, ubi semel, quæ nuper hinc misimus, receperit. Hæc raptim exarata boni consulite, & valete, amantissimum par fratrum. Charissimo Parenti vestro, Viro clarissimo, plurimam à me salutem. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIII. *Kalend. April.* CIƆ IƆ CII.

EPISTOLA CCLXXIV.

✠ JOHANNI SPOTISVODO.

1602. FElicem tuum in patriam reditum, Vir amicissime, etiam antequam tuas acciperem, ab aliis cognoveram. Sollicitus enim de tua salute, nihil prætermisi, quo possem æstu & curâ molestâ quàm primùm liberari. Sciebam quo anni tempore discessisses: nec clam me est, quæ sit inconstantia, imò quæ perfidia (sic Poëtæ, ut scis, vocant) vasti illius elementi, quod ubi semel est commodum, implacabile juxta & ineluctabile multi quotidie experiuntur. Tu quoque, optime & doctissime Spotisvode, ut ex tuis intellexi, jactatus vexatusque diu, summum vitæ periculum adiisti: cujus narrationem, cùm in elegantissima epistola tua legerem, sic me Deus amet, ut horror membra invasit: καί μοι ὑπὸ φόβου θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι παλάσθειν, ut ait Poëta. Sed magna τῷ πολυελέῳ Θεῷ gratia, qui te ex Orci faucibus reductum, amissæ prope jam vitæ restituit; & reliquum mox iter tuum εὐόδωσεν. Illi igitur καὶ νῦν, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων τιμὴ, καὶ δόξα, καὶ κράτος. Erant cætera omnia in tuis læta, non minus mihi, qui lubentissimè illa intelligebam; quàm tibi, cui contigerunt. Κοινὰ γὰρ, ut ajunt, τὰ τῶν φίλων καὶ εὐκληρήματα καὶ δυσκληρήματα. Veteri dicto fidem fecisti tu, qui tantâ fide tantoque studio meas ad maximum Regem vestrum curasti. Nam quòd benignissimus Principum adeò gratum officium hoc nostrum habuit; quòd humanitate suâ erga me, hominem peregrinum, ignotumque sibi, pietatem meam adversus ipsum, quem miratur hodie universus Orbis, superare sit aggressus; quod denique in eorum numerum nos dignatus sit recipere, à quibus coli propius & observari diligentius patiatur; totum hoc, mi Spotisvode, muneris est tui, non mei meriti. Ego verò toties erubesco, quoties venit in mentem, maximum Regem de nobis ea credere, non quæ insunt nobis, sed quæ tuus amor illi persuasit, esse in nobis. Qui si quando me, non qualis sum à te depictus, sed qualis re verâ sum, agnoverit; quid te, quid me futurum sit, vide. Equidem in magno periculo utrumque nostrûm versari, facile prospicio. Sed me conscientia mea solatur; qui non aliâ fine ad sapientissimum Principem initio scripsi, quàm ut operâ nostrâ intelligeret, esse & in his oris quàm plurimos, ad quorum curam res illius & gloria pertinerent. Tu, qui semel tanti Principis benevolentiam mihi conciliasti, ut eandem mihi in posterum conserves, oro te quæsoque πάσῃ σπουδῇ καὶ μηχανῇ, enitere. Sed de ea re, cùm erit plus otii, pluribus tecum. Eram enim, mi Spotisvode, cùm ista raptim exararem, occupatissimus. Nam posteaquam à nobis discessisti, tot adversa ἀθρόως in nos ingruerunt, ut illis tolerandis vix pares fuerimus, aut etiam nunc simus. Atque utinam hac fine stet Dei visitatio: imò verò, ut dicam melius, utinam & mea & meorum voluntas ex illius nutu semper pendeat. Hic certè quintus jam mensis est, cùm uxoris morbus, matris meæ tristissimi casus, & conjunctissimarum personarum mortes omnem ex animo alacritatem mihi excusserint. Sed hæret tamen animo firmiter illud Regii Vatis: *Si vel in Orcum Deus meus me detruserit, in bonitate tamen illius sperabo constanter; neque confundi unquam verebor.* Essem ingratus, nisi agnoscam præsentissimam illius opem inter hæc adversa. Vel illud quantum est, quod Rex noster non leve nuper suæ erga nos benevolentiæ testimonium nobis dedit? cùm, auctoribus multis, quibus nostra in vera pietate constantia per est molesta, ut nobis abeundi hinc faceret potestatem; ille verò non solùm facturum se negavit, sed arctiore etiam benevolentiâ nos est complexus. Et scis tamen, quàm parum mores nostri sint aulici; quàm alieni ab istis simus artibus, quæ opes & dignitates solæ propemodum conciliant. Me verò non pœnitet privatæ hujus vitæ: constet modò pax Reipublicæ, & Ecclesiæ Dei tranquillitas. Quod & futurum adhuc videtur; licet nihil ab illius hostibus prætermittatur concitando Principi, & ad sinistra consilia impellendo. Nos scimus illius voluntatem ad pacem & pacis artes penitus inclinatam. Sed tam multa parari quotidie videmus, ut περὶ τῶν μελλόντων aliquid certi sibi promittere, insipientis esse hominis judicemus. Si quid increpuerit, stat sententia inter primos, Θεοῦ διδόντος, solum vertere, & cogitare γῆν πρὸ γῆς. Quod si aliquis casus nos isthuc detulerit, confidimus paratum esse nobis in benignitate Regis Serenissimi perfugium. Sed tristia ominari nihil necesse; &, ut quidem nunc res sunt, metuendum videtur nihil: dies postera quid vehat, ὁ Θεὸς οἶδεν. Vale, amicissime & doctissime Vir. *Lutetiæ Parisiorum*, a. d. XII. *Kalend. April.* ἀπὸ τῆς τοῦ λόγου ἐνσαρκώσεως, CIↃ IↃ CII. Scripsi raptim, & in recenti luctu sororis charissimæ, & filii ipsius; qui major jam natu, studia

1602. dia mea non mediocriter solitus sublevare.

Cùm suppuderet Regi magno, vestro dico, diutiùs responsum debere, pauca ad illum inter hasce molestias meas exaravi; quæ tuæ fidei mando, ut non sine excusatione Majestati illius tradantur: simul verbis meis obsequium illi nostrum quàm humillimum, & à devotissima mente offeras. De nostris ad Melvinum literis quid sit factum, scire cupio. Iterum vale.

His scriptis, accepi ab amico viro integerrimo scriptum libellum adversus illos, qui de Servatoris nomine se appellant. Putavi lectionem aculeati & veri scripti Regi vestro fore utilem: misi igitur cum bona spe veniæ, si quid hic peccatur.

Epistola CCLXXV.

JOSEPHO SCALIGERO.

1602. ACcepi, magne Scaliger, epistolam illam tuam *, quâ ad ζητησείδια mea omnia luculenter adeò mense Januario respondisti. Quid prius in te admirer nescio, benignitatisne magnitudinem, an σοφίας βάθος. Fecit illa, ut etiam inter gravissimas occupationes tuas, ne mihi quidem incognitas, otium tamen iis literis τὸ μῆκος τηλικαύταις aut invenires, aut sumeres. Per hanc, quâ non me, qui tenuis & tenebricosi ingenii mei sum mihi conscius, sed verò omnes, qui ἀπ' αἰῶνος genus hoc literarum tractarunt, aut nunc etiam in eo studio versantur, longè superasti: plurima docuisti me unis illis literis, quæ neque ipse scivi, neque ab alio potui discere. Ago igitur tibi, divine Vir, pro hac tanta comitate tua non quas debeo; neque enim possum; sed certè quantas possum maximas gratias. Quantum autem gaudiorum epistola illa tua mihi attulerit, malo te ex nobilissimi & amplissimi Busenvallii sermonibus, quàm verbis meis cognoscere. Et scis tu, opinor, non remissiore nos flagrare discendi cupiditate, quàm fuere semper magna, & nunc cùm maximè sunt, illa impedimenta πολυειδῆ, quæ me in hoc stadium ingressum ἔβλαψαν τῆς προκοπῆς. Non igitur dubitandum tibi, σεβασμιώτατε Scaliger, quin hoc jucundissimi officii genere, velut adamantinis quibusdam vinclis, æternum tibi me obligaveris. Quòd autem lucubrationum tuarum in Martialem aliquam spem nobis commoves; utinam quidem à gravioribus tuis curis tantum esset tibi otii, ut perficere quæ video esse à te inchoata, posses. Cæterùm si hoc Deus sirit aliquando evenire, quid illo Bambalione infelicius? aut quis nobis felicior? nisi quod ille quidem κακοδαίμων ὑπὸ τῆς πωρώσεως τῆς καρδίας dedecoris sui probrorumque sensum habet nullum; ego magnitudinem quotidie reputans tuorum in me tot tantorumque beneficiorum, cùm ne testandi quidem animi mei adversum te grati rationem ullam inveniam satis idoneam, jure ἀδημονῶ τε καὶ συνεχῶς ἀγωνιῶ. De iis quæ impendere nobis scribis, eò facilius tibi assentior, quòd tumere jam negotia videntur. Possem de eo plura: sed malo ἐπέχειν, & melius ista coram prudentissimus Legatus. Ita autem est: non cessat in horas per literas, per ministros suos ὁ χξς τὸν ἡμέτερον † ἐπιστρέφειν, καὶ καθ' ἡμῶν παροξύνειν. Ille quidem fidei tenacissimus, otiique amantissimus; sed mira est ἡ τῆς μερίμνης ἐκείνης δεινότης, mira ἐνέργεια. Itaque, ut ais verè, in præcipiti stant res nostræ. Cujus rei quoties in mentem venit [venit autem, ut par est, sæpissimè,] aliud nihil minuendo meo dolori invenio, nisi hoc unicum, ut τὰ μέλλοντα τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς ἀναθεὶς, literulis me involvam meis. Quod tamen ne serio possim, multa obstant. Sum enim, mi Scaliger, occupatissimus, qui dies totos persæpe in nugis cogar ponere; maximo studiorum & inceptorum nostrorum damno, quorum propterea deserendi impetus nos sæpe cepit. Conatus nostros in Arabicis literis non tam rei difficultas, quàm Huberti mei discessio, & instituta editio Spartiani ac reliquorum hactenus interruperunt, ne dicam, abruperunt. Video longum esse iter, non dicam, ad cognitionem ejus linguæ perfectam, sed vel mediocrem notitiam. Nam quod venustè sic, ut nihil possit magis, scriptum à te, in aditu blandiri hanc linguam; cùm verò intus admissus fuerit aliquis, commendatitiis esse opus; id, inquam, experti reapse nos sumus. Initio cùm huic curæ primum adjecimus animum, comparationem quandam instituerámus Hebraicæ Arabicæque linguæ: quo incepto, fatebor enim ingenuè, visi sumus nobis per dies aliquammultos belli homines, qui eramus saperdæ meri. Fruantur illi sanè opinione suâ, qui ex aliquot pagellarum intuitu, non enim lectione, satis scio, repentè prodierunt Arabes. Tu, Scaliger, unus Europæorum, ne dicam, mortalium, eam linguam pariter cum tot aliis familiarem tibi reddidisti. Sed oro, obsecro te per Deum immortalem, ingens illud opus, quo dictiones Arabicas interpretatus es, publico ne invide diutius. 1602.

Nam

* Exstat n. 66.

† 666. Regem nostrum. Colomes.

1602. Nam te silente, quis tam temerarius qui mutire audeat? Inciderunt in manus meas chartæ quædam, in quibus principium est Dictionarii Gallici, Arabici, Turcici; quæ fragmenta si tuis studiis putarem aliquid profutura, omni ope contenderem, ut vel illas ipsas schedas, vel exemplar ipsarum manu meâ descriptum haberes. Initium infrà subjeci. Tu facile ex unguibus leonem. Scripsi etiam nuper de Arabicorum proverbiorum libello, sanè venusto. Eum nobis descripsimus; missuri ὡς προθυμότατα, si facis tanti, aut eo cares. Arabem Geographum à te versum non esse, per mihi dolet. Ego, si isthic essem, tuum agerem ὑποφήτην neque abiret, quin aliquâ μηχανῇ extorquerem tibi illius libri interpretationem. Nam etsi possumus jam ipsi nihil, mirum tamen quantos nos innocentissimorum horumce studiorum amor teneat. De *Tiberii Proconsule* omnino acquiesco sententiæ tuæ; quæ aut vera est, aut sic verisimilis, ut qui meliorem non attulerit caussam, dicere non queat, quin illa pro recta & certa sit nobis recipienda. Equidem nullus dubito ita esse, ut scribis; & Tiberii Proconsulem appellari, missum à Tiberio. Ergo etiam nomine hoc πολλάς σοὶ καὶ οἶδα, καὶ ὁμολογῶ χάριτας. Proconsulum appellatio, quæ Imperatoribus quibusdam tributa legitur in saxis, me quoque in admirationem rapit: nam Veterum, quod sciam, nemo causam aperit tam insolentis appellationis. Hariolabamur nos repetitum ad honorem cujusque istorum Principum Senatusconsultum vetus, quo perpetuus Proconsulatus Augusto fuerat decretus. Dio extremo libro LIII *: Dedit, inquit, Senatus Augusto τὴν ἀρχὴν τὴν ἀνθύπατον ἐσαεὶ καθάπαξ ἔχειν· ὥστε μήτε ἐν τῇ εἰσόδῳ τοῦ πωμηρίου καταθέσθαι αὐτὴν, μήτ' αὖθις ἀνανεοῦσθαι· & notat ibidem, cæteris quoque Principibus honorem eundem esse tributum. Omnes igitur Proconsules: sed cur titulus hic à quibusdam solùm, non in universum ab omnibus fuerit usurpatus, id verò dicere non possum. De Georgio Monacho velim scire, quid sis judicaturus cùm legeris. Ego mihi videor nonnulla observasse, in iis præsertim, quæ contra Eusebium disputantur, tuis eruditissimis oculis non indigna. Ad id tamen opus, quod nobis nunc in manibus, pauca inveni quæ essent usui; & præterea peccata non pauca in assignandis illorum Principum temporibus. Exspectabo tamen judicium tuum. Rabulium paucis diebus post novissimarum mearum scriptionem missionemque accepi. Quod tunc non significavi, nolim vitio mihi vertas. Nam etsi in urbe tum fuit, cùm illam epistolam scriberem, ego tamen id penitus ignoravi. Nam ille nobilis, cui deferendum mandaras, post suum in urbem adventum dies plusculos servavit apud se, ut complutum in itinere siccaret. Dein venit ipse ad me, & cum multis summæ tui observantiæ indiciis, librum reddidit, quod & meæ & illius quoque fidei caussâ volui te non nescire. Vale, magne Vir, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CII. 1602.

* Pag. 518. edit. 1606.

Initium Lexici Gallico-Arabico-Turcici, à Massiliensi quodam instituti, qui pueritiam & adolescentiam egit, minister filiorum Fessani Regis.

Aage, יאשי אלעאם
Abbaisser, אשני ספל
Abandonner, תרך תרך
Abandonnement, תוכלי מתרכאת
Abatre, נאינדר אהכט
Abbay, נאנרמק צארך
Abbaier, אנר צאריך erat subscriptum צרך
Abbregé, נרד נרד
Abbreger, מנרד נרדא
Abreuver des chevaux, אינדר אטלרי סקולי הסאו

Turcica ultra dimidium τῆς σ non sunt adjecta; hoc est, ultra vocem *Changeur*. Libellus proverbiorum, de quo dicebamus, dicitur collectus è scriptis cùm aliorum, tùm אבועביד Abuobed, * si fortè de hoc aliquid tibi compertum. Inveni in eo illud Pythagoricum, τὸ πῦρ μαχαίρᾳ μὴ σκαλεύειν· לא תחכש אלנאר באלסכין

* *Hujus Arabicæ linguæ idiotismi, metro comprehensi, ab Hottingero laudantur, Bibliotheca Orientalis pag. 261. Colomes.*

Epistola CCLXXVI.

JUSTO LIPSIO.

PAulus Prevotius, qui tibi has redditurus est, Lipsi præstantissime, disciplinæ tuæ cupidissimus ἱερεὺς, etsi jam tibi notus, commendationem tamen nostram, neque tibi ingratam, nec sibi inutilem fore judicavit. Egerunt igitur mecum rogatu illius magni, & præcipuæ apud nos dignationis viri, quos Prevotius cognatione attingit, ut meo & ipsorum nomine te orarem, velles ἔτι πρὸς τὴν σὴν διδαχὴν ἐρῶντι juveni ad familiaritatem tuam aditum patefacere. Puto & amplissimum Thuanum, pro suo in cognatum conjunctissimum adfectu, hac fine literas ad te daturum. Mihi verò rem longè gratissimam feceris, si commendationem hanc meam aliquid apud te ponderis habuisse 1602.

1602. se significaveris. Hoc volui hac epistolâ; nam de studiis nostris, etsi quod scriberem non deerat, otii tamen inopiâ cogimur ἐπέχειν. At Senecam tuum quando videbimus? jam enim præ desiderio & cupiditate ejus operis tui καταγηράσκομεν: sed non dubitamus, futurum hujus moræ pretium grande. Vale, præstantissime Lipsi; & me, quod facis, ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *Kalend. April.* CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA CCLXXVII.

✠ PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS.

1602. Nisi mihi certum conscientia mea testimonium suggereret animi in tui cultu, Amplissime Domine, firmi & constantis, verendum mihi putarem, ne diuturnius hoc silentium meum pristinum in nos amorem tuum immutarit. Nam defuisse me officio meo, adeò non nego, ut ultrò etiam profitear. Α'προσηγορία autem lentescere etiam bonorum, & ex virtute vitam agentium amicitias non nescio. Ut enim ignis, si fomitem subtrahas, non ὑπὸ ἀδρανείας, sed per Naturæ ipsius leges primò marcescit, deinde etiam extinguitur; sic omnes humani ingenii impetus, omnes animi adfectus cessatione minui, tandemque etiam desinere, & ratio evincit, & quotidiana experientia palam facit. Si quid igitur & de tua adversus nos benevolentia longiore taciturnitate nostrâ sit delibatum, ubi illius caussas acceperis, & diligentiam, quâ deinceps uti cogitamus, fueris expertus, non dubito, qui tuus est candor, Amplissime Vir, sarciri, & quasi in integrum restitui priorem posse gratiam. Quòd autem tot menses literis nostris carueris, per meam & meorum valetudinem, nonnullorum etiam obitus, quos necdum eluxi, scito accidisse. Nam à discessu tuo dies prope dixerim abiit nullus, qui novam subinde causam & materiem doloris non attulerit. Ita multa adversa ἀθρόως proximis mensibus in nos ingruerunt. Huic fortunæ meæ, non mihi condonare te æquum est, quicquid apud te culpæ indiligentiâ nostrâ fuerit admissum. Ipsi, audebo dicere, peccavimus nihil, qui dies noctesque etiam inter gravissimos mentis sæpius, interdum & corporis cruciatus de te assiduè cogitavimus, veteris amoris in nos tui memoriam sanctissimè summâque religione custodientes. An simus defuncti tot malis, novit Deus, non ego. Sed quicquid illud sit, quod nos maneat, priorem cessationem emendare certum est; neque committere, ut nostrum in hoc genere officium posthàc jure unquam, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, desideres. Felicem tuum isthuc adventum, quia serum & ἕωλον, gratulari tibi prætermitto. Sed quòd Venetus aër sanitatis tuæ rationibus parum sit accommodus, magno cum dolore meo intellexi. Fama fuit, cogitare te eo nomine de reditu, quem modis omnibus faustum atque felicem opto tibi quàm vehementissimè. Mitto ad te integerrimi & præstantissimi Thuani literas, à quo amari te, & pro tantis ingenii dotibus ἀξίως æstimari, planè mihi compertum est. Quare non dubito, daturum te operam, ut in eo, quod à te petit, votis ipsius fiat satis: eâdem me quoque, tot jam vinculis obstrictum, magis & magis tibi devinxeris. Nam etsi mens nostra, assiduis hisce casibus obtunsa, in fastidium sæpe studiorum venit, cùm tamen agere nihil non possit, urgere priora incepta, & nescio quæ parare, posteris fortasse profutura, perseverat. Quamobrem oro obsecroque te, Vir amplissime, quod fecisti hactenus, porro etiam velis facere; meos ut conatus adjuves, & libros, quorum nulla hic copia, ad magnum Thuanum, & ipsius, & meo etiam nomine, quàm primùm occasio dabitur, cures mittendos. Vale, præstantissime Domine, & me ama. Deus Opt. Max. te cum omnibus tuis servet beetque. *Lutetiæ Parisiorum*, *Kalend. Aprilis*, CIↃ IↃ CII.

Uxor, ex gravi & diuturno morbo nondum refocillata, & tibi, & nobilissimæ tuæ uxori læta omnia mecum precatur.

EPISTOLA CCLXXVIII.

HENRICO LINDENBROGIO.

Tu quidem, eruditissime Henrice, 1602.
sic ad me scribis, quasi nunc primum inter nos literarum institueretur commercium. Ego tamen videor meminisse, ante sex, credo, annos, antequam Genevam relinquerem, & accepisse literas à te, & statim respondisse. Perierunt, credo, meæ, neque tibi unquam visæ. At animo nostro jugis ex illo tui memoria hæsit, & eruditionis tuæ atque virtutum æstimatio. Quòd igitur κατὰ δεύτερον πλοῦν, τοῦ αὐτοῦ λόγου lacessis iterum, & ad scriptionem provocas, rem facis gratissimam: de notis verò, quas misisti, multum te amo. Sum sanè nunc in eo, ut operâ nostrâ lucis aliquid nobilissimæ Historiæ Scri-

1602. proribus accedat: sed me ἱεμενόν πυ destituunt multa necessaria præsidia. Et erat fortasse satius, Camarinam hanc non movere, nisi pudor vetaret inchoatum opus ἀτελεύτητον deserere. Piget certè incepti; cùm possemus studiis melioribus hoc temporis impendere. Nam in ea urbe me nunc esse, quæ invito licet ac reluctanti plurimum temporis suffuretur, scit optimè Fridericus, frater tuus, quicum mihi vetus & arctissima intercedit amicitia. Vale, eruditissime Vir, & me constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* I I I. *Non. Maj.* CIↃ IↃ CII.

Epistola CCLXXIX.

DAVIDI HOESCHELIO.

1602. DE Homiliis Chrysostomi magnas ex animo gratias. Legeram superioribus diebus plerasque illarum in Regis Christianissimi Bibliotheca, ubi beatissimi illius Patris scripta extant quàm plurima, antiquissimâ descripta manu, ut plurimum. Id eò dico, ut si quid posthàc ejus generis sis editurus, & Regiis libris uti velis, scias licere. Dabo enim operam, ut codices nostros, quoties postulaveris, non desideres. Sed de Chrysostomo minus te jam laborare opinor, qui totus sis in Procopii editione adornanda. Laudo consilium, teque hortor, ut non prius, quàm re confectâ, quiescas. Curaveram describendum è Regio codice elegantissimum illum scriptorem. Nactus enim semel tam insignem thesaurum, parum me putavi consecutum, nisi extra periculum ponerer ejus quandoque carendi. Si putas futurum è re tua, ut mei exemplaris tibi faciam copiam; ubi primum dabitur occasio, id ad te mittam. Scio Josephi Scaligeri codicem indidem esse descriptum, sed illum homo imperitissimus, ut à Thuano accepi, descripsit: meum non multum variare à Regio, possum tibi affirmare. Adjiciam & notas meas ad oram libri, si per tempus licet. Fac igitur nos de tua voluntate quantocius certiores. Ad autumnales nundinas, aut, si possum, maturius, Francofurtum mittam ad clarissimum Bongarsium, quem scio curaturum ad te antiquâ fide. Tuas igitur exspectabo. Vale, amicissime & eruditissime Hœscheli. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* I I I. *Eid. Maji*, CIↃ IↃ CII.

Epistola CCLXXX.

MARCO VELSERO.

DEsine, Vir præstantissime, Musas Arabicas incusare, quasi illæ à 1602.
prioribus studiis nos avocent. Utinam quidem ea felicitas fuisset nostra, ut quod ingenti voluntate in eo genere institueramus, ejus perficiendi data esset facultas. Sed qui fortunam in omnibus ferè meis conatibus expertus sim novercam, hic quoque nihilò indulgentiorem inveni. Incensum enim cupiditate earum literarum, spe etiam non levi inflammatum, in ipso propemodum primo conamine dux simul & otium destituerunt; duo sic necessaria præsidia, ut iis deficientibus animum velle obdurare, insani, meo judicio, sit hominis, & similis θεομαχοῦντος. Itaque inviti quidem nos & dolenter, sed fecimus tamen, ut saltem ad tempus novam hanc spartam relinqueremus, & quicquid nobis otii conceditur, veteri colendæ ornandæque bonâ fide statueremus impendendum. Quod si per mutatam dudum valetudinem & molestissimas curas licet, dabimus, spero, nostræ in his studiis constantiæ plura brevi tempore testimonia: multa enim simul paramus; si modò eorum detexendi, quæ sumus orsi, Opt. Max. Deus facultatem nobis est concessurus. Proximis Nundinis, ut Cæsareæ Historiæ Scriptores sex cum nostris Notis in lucem prodeant, sedulò enitemur: &, si quæ mea valetudo est, quæ negotii hujus pridem inchoati lentitudo, ne ultra dictum diem comperendinatione opus sit, nimis veremur. Planè etiam in hoc opere idem nobis, atque in Athenæo usu venit: breves, & ferè criticas ab initio notas institueram: ubi manum calamo admovimus, propè legitimus exiit commentarius: sed modum scriptioni imponam, & styli luxuriem seriò coërcebo. Quod quæris de Pompeji & Cleopatræ amoribus, cui potissimum tempori verba Plutarchi sint accommodanda, de eo sic nobis videtur. Cnejus Pompejus, Magni filius, cujus ἐρωτικὰ συμβόλαια cum Cleopatra magno illi scriptori narrantur Antonio, classi Ægyptiæ præfuit, bello civili Pompejano: quod scriptum est disertè in tertia Historia ejus belli Latina. Hanc classem Pompejus à Rege puero & Cleopatra per Legatos impetraverat, ut non obscurè significat Libro secundo Appianus. Nos autem putamus, legationem hanc non alium obiisse quàm Cnejum Pompejum Juniorem.

Tum

1602. Tum igitur Cnejus in Egyptum venit, & eam cum Cleopatra consuetudinem habuit, de qua loquitur ὁ Χαιρωνεύς. Tibi, Vir maxime, si aliter videtur, non præter opinionem acciderit. Meram enim, ut vides, conjecturam afferimus. Quare si quid habes super hoc exploratius, quæso te, benignus impertì. De Procopio, urge, obsecro te, propositum, & quod olim Ambasius Hermogeni, id tu, Vir amplissime, esto Hœschelio. Sic semper utriusque vestrûm votis Deus immortalis adsit benignus. Vale, & me ama: salve & à magno Thuano. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Id. Majas*, CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA CCLXXXI.

FRONTONI DUCÆO.

1602. SIc est profectò, ut scribis tu, eruditissime Ducæe: inter illos, qui de literis hac ætate bene merentur, non postremi, πολλῷ γε καὶ δεῖ, censendi sunt, qui in Græcorum Patrum illustratione operam ponunt suam. Quo in genere si nostrorum hominum præclara ingenia hodie occuparentur, haut paulò fortasse meliore loco Orbis Christiani res forent. Nunc tam honesti studii, tam utilis, tam denique suavis ac jucundi quàm paucos amor teneat, omnes videmus. Quo magis te ex animo, Vir doctissime, pridem amo; qui multorum beatissimi Chrysostomi scriptorum publicatione omnes meliorum literarum amantes æterno beneficio tibi devinxisti. Sed perge, obsecro te, in hoc præclaro incepto: & si quid aliud vel illius magni Patris, vel aliorum Veterum penes te latet, publicè adhuc invisum, id ne invide nobis. Narro autem tibi, si fortè nescis, Henricum Savilium, excellentis ingenii & admirandæ eruditionis virum, in eo nunc esse, ut omnia τοῦ χρυσοῤῥήμονος ἐκείνου καὶ πείθειν δεινοτάτου Πατρὸς Opera Græcè Latinèque in hac urbe edenda curet. Egit ille mecum per literas, ut si quid possim, ad tantum opus symbolam conferrem, seque aut re, aut consilio irem adjutum. Magna illi ex Angliæ, Galliæ & Germaniæ Bibliothecis parata subsidia. Tibi quoque si compertum fuerit, quod scire illum melius sit quàm ignorare, oro quæsoque velis ipsum admonitum. Feceris rem non minus publicè utilem, quàm illi gratam, & hac tuâ humanitate dignam. Vale, Ducæe eruditissime, καὶ ἡμετέρων διαφίλει. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Majis*, CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA CCLXXXII.

JOHANNI TORNÆSIO.

AIn' tu, quaternas te ad me literas dedisse? nam ita scribis in illis, quas nunc ipsùm Drovardus noster mihi reddidit. At ego sanctè tibi affirmo, Vir optime & eruditissime, unas solùm tuarum in meas venisse manus, ad hunc diem, ex quo Lutetiæ factus sum civis. Si fallo, tum me non ille fabularis Jupiter, sed ὁ ὄντως Θεός... Quid? tu me putas tamdiu tibi debiturum fuisse responsum? supra modum aut inhumanus sim, aut officii negligens; quorum neutrum verim posse mihi verè objici, & spero sic hactenus vixisse, ut non possit. Nam quod ad illas non tulisti responsum, quas fateor & ipse accepisse, causam dicet tibi qui eas discedens à nobis mihi reddidit, amicissimus Vilartius, qui & Concautius. Is cùm traderet, negavit responso opus, cùm aliæ tuæ essent in exspectatione, quibus simul commodius posset responderi. Fatebor ingenuè, nactus patronum meæ ἀπροσηγορίας, concessi occupationibus, quæ me assiduè distringunt. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Librum, de quo scribis, nondum vidi: cùm videro, consilium inibo, qui possit voluntati tuæ mos geri. Sed mihi videbatur mirum, Regi inscribi Historiam, quæ ad hostem ipsius pertinet, & hostem perfidiâ, scelere, immanitate ante alios notum. Vel nunc quid molitus sit, vides. Deus talem terris avertat pestem. Quid faceret, si vires magni nostri Regis haberet? næ, mi Tornæsi, pridem esset cùm non essetis. O bonum, ô justum Deum! ille suâ bonitate virtutem Principis nostri novis quotidie cumulat beneficiis: ille suâ justitiâ novum Salmoneum suo sibi jumento malum quærere finit; ridet, & cùm fatalis hora advenerit, κακὸν κακῶς perdet. O illius exspectationem longam! Sed viderit, qui omnia videt; qui te servet, mi Tornæsi. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* x. *Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CII. 1602.

EPISTOLA CCLXXXIII.

CAROLO LABBÆO.

MEnsis, opinor, est, cùm reverso mihi è Thuanæo prætorio, ubi dies aliquot cum illo Semone egeram, tuæ, eruditissime Labbæe, literæ sunt redditæ; quibus cùm αὐθωρεὶ respondere cogitarem, nescio quo tamen casu hactenus scriptionem distulimus. Atqui 1602.

1602. qui negotia excusare nolo, quæ huic curæ postpositurus fueram, nisi casus alius intervenisset. Hoc eo dico, ne tu me putes, charissime Adolescens, parum gratas habuisse tuas illas, eruditionis refertas notis, literas. Ego verò ita sum factus, ut nullum epistolarum genus præter hoc unum probem, hoc amplectar, in hoc libenter tempus collocem: utique cùm ad te scribo, charissimum mihi caput, καὶ ταῖς ἀγνεπέπλοις πεφιλημένον ἔξοχα Μούσαις. Quod igitur semel te volo monitum, quoties eveniet cumque, ut de literis interrogatus, responsum statim non mittam, persuade tibi, τύχης ἡμῖν οὐκ εὐροούσης τὸ σημεῖον εἶναι τοῦτο, ἀλλὰ τεκμήρεχεν. De incepto illo tuo sententiam nostram & audisti sæpius, & paucis nunc habe. Placet eximiè nobis, quòd paras in duo Glossaria omnes illas πολυσχιδεῖς Glossas conjicere. Levaveris studiosos harum literarum labore, quem sæpe experti sumus molestum, & tædii plenum. Rectè igitur feceris, si Latino-Græcum alterum, alterum verò Græco-Latinum concinnaveris; additis, ut ais, literis, quæ sint futuræ indices autoris cujusque ἐξηγηματικῶς, puta P. Philoxeni, C. Cyrilli; & ita in aliis: nam & hoc valde probo; nec cuiquam eorum, qui olim in hoc argumento operam posuerunt, fiat injuria. Non improbaverim certissimas quasque conjecturas statim repræsentari, cæteris in alium locum rejectis. Neque enim aut omnia margines capiant, aut in locis perspicuè mendosis exspectatione suspendere lectorem æquum fuerit. At cùm ad conjecturas, præsertim incertas, erit veniendum, notis, & quidem interdum uberioribus, erit opus. In hanc rem parata tibi scimus ea subsidia à divino Scaligero & propria industria, ut nostram operam non desideres. Si quid tamen est, quod à nobis expetas, nullius rei feres repulsam, quæ quidem in nostra sit potestate. Aliorum emendationibus præter Scaligeri quid fieri oporteat, quæris. Ego verò nihil putem prætermittendum, quod ad emendationem aut illustrationem suscepti operis pertineat. Laudo etiam consilium tuum de Lexico Græco recentioris ἑλληνισμοῦ: neque enim integrum cogitas Vocabularium Græcum, si rectè ego tuas capio; & post tot eruditissimorum hominum vigilias res minus jam necessaria. Recentior verò hellenismus adhuc, si pauca excipias, manet indictus & ἀνιστόρητος. Bene igitur de studiis nostris meritus fueris, si aut Zonaræ Lexicon, aut aliud τοιουτότροπον undeundè exuderis, & publici juris feceris. Exspecto quid ad tuas sit respon- 1602.
surus amicissimus Thomson; quem memini literis non unis spem fecisse nobis Zonaræi illius Lexici. Eustathii locus de Philoxeno ita habet: ὀδ. η. μέρος δέ ἐστι σώματος ἐπὶ τοὺς ἀγκῶνας, ὥς φασι Φιλόξενον εἰπεῖν ἐν τοῖς περὶ Ῥωμαίων διαλέκτου. Colloquia è Bibliotheca magni Thuani mittam, cùm voles, & quicquid meorum desideraveris; modò remittas cùm usus fueris, quia & nobis talia possunt, ἐστὶν ὅτε, esse usui. Ἀδελφανοῦ ἀποφάσεις laudavimus è libris editis, non MSS. Et vidisti, puto, nuperam Theodosii editionem, à juvene Helvetio profectam: aut si nec vidisti, faciendum tibi censeo, ut videas. Ille juvenis spem facit nobis diversorum Glossographorum, qui vix de nomine adhuc vel eruditissimis noti: ψεύσομαι, ἢ ἔτυμον ἐρέω; κέλεται δέ με θυμὸς, cùm prodibunt, inveniemus, quod est in proverbio, θησαυρὸς ἄνθρακες. Quare deterrere te nihil ea res debet. Macrobii locum * esse corruptum, judicas rectè; sed de ejus emendatione aliter nobis videbatur. Nam ut *lac* sive *lacte* proprium sit ficorum, nunquam evincet Macrobius. Scimus enim, Græcos Latinosque Sapientes in describendis plantis γαλακτώδη quendam succum *lac* appellare. Is succus manat è diversis, quà herbis, quà arboribus. Quare falsissimum, ficis ἴδιον esse vocabulum. Putamus è libri ora in textum hanc vocem irrepsisse, cùm studiosus lector paullò mox eam adnotasset ad sequentem versum: *sumas ab alio lacte diffluos grossos.* Cætera tu rectè. De vocibus πορφυροπώλης & ἀργυρόκοπος non dubium, quin rectè exposita sint in Glossario. Scimus, viros eximios recessisse à vulgata lectione sæpe levi, sæpe nullâ causâ. Nollem factum: ut taceam, quæ bonam interdum versionem non meliore, ne dicam aliud, mutarunt. Sed condonamus facile viris summis, qui profectò facile ἄλλοισιν ἐσθλοῖς τὸν δ' ἀποθῶνται ψόγον. Rectè tamen feceris, si talia, cùm se obtulerit occasio, notaveris, & lectorem tuum ὁδοῦ πάρεργον admonueris. Habes, opinor, ad omnia: finem igitur faciam, si te oravero, ut amplissimum parentem tuum, & charissimum fratrem meis verbis salvere jubeas. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Kalend. Junii,* CIↃ IↃ CII.

* *Saturnal. l. II. cap. 16.*

EPISTOLA

EPISTOLA CCLXXXIV.

✠ JUSTO LIPSIO.

1602. MUnus accepi, Vir præſtantiſſime, quod amoris tui pignus voluiſti me habere, Epiſtolarum tuarum recens Syntagma, vel Syntagmata potiùs. Neſcit enim modum tua liberalitas, adeò opes tuas non diſpenſas, ſed effundis χύδην & τὸ τῦ λόγυ αὐλῷ τῷ θυλάκῳ. Perge ſanè tuorum ſcriptorum ſtudioſos, hoc eſt, omnes qui literas & humanitatem amant, ἐπαοσοέροις numeris beare. Quod ut quàm diutiſſimè facias, & mortalitati quàm tardiſſimè renunties, ſupplex imo de pectore æternum veneror Numen. Sed quas ego tibi, mi Lipſi, pro tam grato dono aut referam aut agam gratias? Prius illud poſſem, ſi par eſſem ingenio tibi; poſterius, ſi linguâ & ἰυεπίῃ, quæ cùm in te ſint maxima, in nobis modica, noli, quæſo te, à me exigere, ut vel re, vel verbis paria tecum faciam. Nam quod in tam eleganti opere tuum de noſtris lucubratiunculis judicium palam feciſti, equidem ſic interpretor, ut immortalitatem nomini meo exiſtimem à te donatam. Quid igitur ἀντάξιον tibi rependam? quod ἰσοστάσιον ἀντίδωρον? Sed nullum eſt in rerum natura; certè in poteſtate mea nullum. Quantum eſt vigiliarum noſtrarum, ſi in unam contulero, & ἀθρόως tibi obtulero, non tamen hoc nomen expunxero. Non igitur ut obligatione me exſolvam, ſed quia videor facturus rem non ingratam, poſthàc ſi quid edemus, ſtatim ad te. Sunt autem quæ paramus ſanè multa, & diverſi generis. Verùm de aliis, cum Deo, aliàs. Nunc in Auctoribus ſumus Hiſtoriæ Auguſtæ; quos Scriptores cùm eo animo in manus ſumſiſſemus, ut brevi tempore & operâ levi eos recenſeremus, neſcio quomodo factum ſit, ut inter manus opus excreſceret. Quare mihi ipſi ſuccenſeo, & ſcriptionis hujus τὸ πολύστιχον offendit me. Quid facerem? αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος. Sed moderabimur, & ſtyli luxuriem moderabimur. Senecam tuum avidè ſic exſpectamus, ut nihil unquam avidius. Nam quod videris tu velle, noſtram de ſcripto illo tuo expectationem minuere, nos contrà perſuaſi ſumus, futurum omnino, ut in tam excellenti opere pandas vela, ac ſi quando aliàs, toto ingenio veharis; & ſcimus alioquin, à Lipſio nil niſi Lipſio dignum poſſe proficiſci. Vale, Vir clariſſime, & me conſtanter ama. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* IV. *Non. Jun.* CIƆ IƆ CII.

EPISTOLA CCLXXXV.

JOSEPHO SCALIGERO.

PLures * à te paucis diebus, præſtantiſſime Scaliger, literas accepi: ſed omnes breviſſimas, & quæ ad nullam trium epiſtolarum, quas ad te menſibus Martio & Aprili miſimus, reſponderent. Erant in illis pluſcula ζητησείδια, de quibus ſententiam tuam exquirebam. Cùm igitur nihil adhuc ad illa reſponſi à te tulerim, ut meæ fuerint tibi redditæ, vereri incipio. Sed nec de Georgio Monacho ex tuis adhuc potui cognoſcere, perveneritne is liber in tuas manus, an needum tui hujus voti ſis compos factus. Quia tamen affirmavit mihi Tardiæus † noſter, viſum ſibi conventumque Hagæ Comitatenſi ampliſſimum Legatum Buſenvallium, confidimus ego & ὁ κράτιστος, καὶ τὰ πάντα ἄριστος Thuanus, codicem illum pridem eſſe tibi redditum. Liberaveris utrumque noſtrùm ſollicitudine non mediocri, ſi ita eſſe, literis tuis nobis ſignificaveris. Scripſi nuper ad te de Priſciano tuo, fidei meæ à Franciſco Pithœo commiſſo, ut eum tibi deferendum curem. Quod & facturus ſum, ubi primum, cui tutò tradam, nactus fuero. Defunctum eo labore te eſſe, quem veteribus Inſcriptionibus impendiſti, narrabat mihi Tardiæus. Quare eo nomine tibi gratulor, teque etiam atque etiam oro, ſignifices mihi, ecquando tantis illis laboribus tuis ſimus fruituri. Stat enim ſententia, ſi modò ullâ ratione facere poſſumus, affanias noſtras in Spartianum, & reliquos Cæſareorum temporum Scriptores, non antè publicare, quàm tuum illud opus viderimus. Scimus probè, quantum Scriptores hi noſtri ab illis commentariis tuis poſſint claræ lucis ſperare. Quamobrem etſi urgemur νύκτας τε ἤματα πάντα ab amicis, ac multò etiam magis à Typographo, animum tamen obdurabimus, & quamdiu licebit, ad illorum querimonias aures obſtruemus. Accidit ſanè, haud ſatis ſcio quomodo, ut meditatus notas breves in eos Scriptores, prolixum oppidò commentarium ſcripſerim. Sed modum adhibebimus, & pleraque, niſi mutamus ſententiam, recidemus. Ne ſic quidem à calumnia erimus, ſcio, ſatis tuti. Utinam omnino liceret eſſe Harpocrati! Deus bone, quàm ægrè mihi eſt, quòd exiguum illud tempus, quod ab aliis curis reliquum ſit nobis, non licet totum impendere melioribus ſtudiis! Ariſtotelis Hiſtorias cum Se- monis

1602.

* Scilicet 67. 68. 69. 70.

† Ariſtarchus Tardiæus. Scalig. Ep. 71.

1602. monis illius tui parentis commentariis quando habituri sumus? per Deum immortalem, Vir magne, incumbe seriò in hanc curam. Sed & Eusebium tuum avidissimè exspectamus, atque utinam ne exspectemus diutius. Deus Opt. Max. te servet, ô salus literarum unica. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, prid. Eid. Jun.* CIↃ IↃ CII.

Accepi nuper Heinsii tui Tragœdiam. Miratus sum molitionem tuam, qui αὐτὴν τὴν ἐπ᾽ ὀλοφεν, non quæ nunc est, sed quæ olim, isthuc transtuleris. O elegantem gravitatem! ô dignum tanto doctore discipulum! Parabam ad illum literas, & nescio quæ in Nonnum & Hesychium, [sic enim vult ipse] item ad eximium Grotium tuum, & Meursium quoque. Sed impediit maturior quàm putabam, tabellarii profectio. Velim illis me excuses, si grave non est, & magis apud amplissimum Legatum Busenvallium.

EPISTOLA CCLXXXVI.

DANIELI HEINSIO.

1602. AUriacum tuam, eruditissime Heinsi, ex literis magni Scaligeri primum mihi notam, vidi, legi. Quæris quid sentiam? Ignosce mihi, dicere non possum: ἔτι γὰρ ἡμᾶς ἐκ τοῦ θάμβους κατέχει ἀφασίη. Planè quod iis solet, qui lupum priores viderunt, id mihi accidit, cùm Tragœdiam illam εἰς πόδας ἐκ κεφαλῆς percurrerem: tantâ enim admiratione defixus obstupui, ut hæreret vox faucibus. Tum demum cognovi, haud temerè ab illo semone scriptum, eam esse compositam à te Tragœdiam, cui scribendæ unus tu ex omnibus qui literas nunc colunt, par esses. Mirabar adeò ἀπέπεμψεν tanti viri ἀπόφασιν, & (fatebor enim) ægrè accedebam. Diffidebam enim non ingenio tuo, sed ætati ad quævis alia, ut rebar, aptiori quàm ad tragicas ὑποθέσεις & gravissimos cothurnos. At tu, doctissime Heinsi, non æquales solùm tuos, sed omnes omnino, si quid judico, longè à tergo reliquisti, qui à multis seculis in hanc arenam descenderunt. Omnia in tuo dramate ἄξια θαυμασμοῦ· argumentum magno judicio electum, & iis, quæ nunc geruntur, accommodatissimum: inventio totius διασκευῆς ingeniosissima: ἡ λέξις πάνυ μελισταγὴς καὶ ὡς ἀκριβέστατα ῥωμαΐζουσα· τῶν παθῶν ἡ δεινότης μεγίστη· καὶ ἵνα μὴ μακρολογῶ, δοκεῖς μοι ὄζειν καὶ τὰ νοήματα καὶ τὰς λεκτικὰς ἀρετὰς κατωρθωκέναι. Deus tibi, γονιμώτατε πινυτὰ, has dotes. Illi igitur honos, illi gloria. Ille te novis subinde benedictionum suarum incrementis augeat; 1602. ille servet, fortunet; & in omnibus, quæ instituis, quæ molieris, δοίη σοὶ ἐνοδουμένῳ ἐκτὸς πημάτων ἔχειν πόδα. Si quis est, qui gloriæ tuæ faveat, is ego sum: quod seriò persuadeas tibi velim. In Hesychio sedulam te ponere operam, vehementer gaudeo: neque video, ubi melius hæc tua industria possit occupari: cùm præsertim propè adsit Scaliger, quem non dubito vel propter barbaras voces sæpe tibi vocandum in partes. Hoc magistro, quid potes ignorare? Quia tamen ita vis, pauca è nostris in illum Glossographum observatiunculis describam, & ad te mittam. Subjeci infra illarum δείγμα. Scio posse te iis carere; sed mos gerendus est voluntati tuæ. Nonnum habeo in manibus, ab erudito quodam viro multis locis emendatum: quem esse penes te optarem; & mittam fortasse, cùm fuero nactus, cui tutò Priscianum τοῦ τρισμεγίστου Scaligeri committam. Theocritum ab aliquot annis non legi: itaque nihil hac in parte sperandum à nobis. Otio enim, mi Heinsi, in negotiosissima hac otiosorum matre destituimur. Quare lampada tibi cursu trado; unum illud à te petens, ut quotiescunque nostrorum scriptorum aliquid ob oculos tibi versabitur, nostræ in studiis infelicitatis veniat tibi in mentem: de qua memini aliàs ad te scribere. Vale, amicissime Heinsi, & vive quàm diutissimè, αἰὲν ἀριστεύων καὶ ὑπείροχον ἥλικον ἥβης. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Eid. Jul.* CIↃ IↃ CII.

Notas, quas eram adjecturus, cogit omittere tabellarius, horis aliquot opinione meâ citius discedens, & literas sine mora sibi dari jubens. Hoc apud te me velim excuset: non fallemus exspectationem, σὺν τῷ Θεῷ. Oro etiam te, apud amplissimum virum, D. Busenvallium, me excuses τὸ νῦν εἶναι· nam & ad illum scripturus fui, si per tempus licuisset. Etiam ad eruditissimum Meursium; quem meis verbis velim salvere jubeas.

EPISTOLA CCLXXXVII.

JOSEPHO SCALIGERO.

ILlustrissime Vir, ecquid futura mihi 1602.
apud te liberioris dicti parata venia? Spero equidem: novi enim & ἔμφυτον tibi bonitatem, & vehementiam tui erga nos amoris. Hac fiduciâ dico tibi διαῤῥήδην, nullis ambagibus, videri mihi te à moribus tuis discessisse, & οὐκ οἶδα ὅπως ἄλλον γεγονέναι ἐξ ἄλλου. An non ita est? planè ita; ἄφνω, inquàm

1602. quam, ἐξ εὐφυοῦς factus es. Videris ipse, quæ te mala Circe mutarit: ego rem factam queror, καὶ μάλα ἀχνύμενος. Crucior enim animi tam longa, tam insolitâ literarum tuarum expectatione. Atqui solitus eras hoc quoque officii genere diligentiam nostram longè superare. Quid igitur accidit, cur ad datas sub hujus anni principium literas à nobis, necdum sit responsum? Sed perierunt istæ fortasse. Illas certè accepisti, quas amplissimo D. Busenvallio discedenti in manus tradidi: quod tamen scire adhuc per te non potui. Binas omnino à quatuor jam mensibus accepi: alteras attulit Belga φιλάεργος; alteras, Tardiæus noster. Et hæ, & illæ paucissimorum verborum fuerunt; neque erat in illis quicquam, ex quo meas tibi fuisse redditas possem cognoscere. Quod si nobilissimi Busenvallii non esset fides nota, mirè solliciti essemus, ego & amplissimus Thuanus, libro Regio quid esset factum: nunc non sumus; sed de tua solùm valetudine, quam præstet tibi firmam & bonam, teque nobis & literis εἰς βαθύτατον γῆρας Deus immortalis servet; qui & te, & tua studia sibi curæ esse, tot argumentis approbavit. Vale, illustrissime virorum. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Eid. Julias*, CIↃ IↃ CII.

Scripturum ad clarissimum virum Bonaventuram Vulcanium, oppressit nuntius à tabellario, qui literas convitio poscebat. Volui illum monere, nuper cùm apud Episcopum Bellovacensem ejus Bibliothecam spectarem, casu incidisse in Cyrillum MS. Græcum, cui erat adjuncta Latina versio, itidem MS. Inspexi; vidi in ima cera ejus nomen. Exilui gaudio, egique cum Episcopo, ut faceret potestatem remittendi ad autorem, qui, ut videtur, pridem opus illud suum amisit. Magna profectò jactura, quam posse per me restitui seriò lætor. Sed fidem dedit Præsul optimus, impleturus, cùm primùm erit, per quem tutò mitti possit. Autor tamen sim clarissimo Vulcanio, ut literis suis beneficium ab illo postulet, quod scio facile impetraturum. Emit ille cum aliis libris, Basileâ allatis. Hoc, si placet, Vulcanio nunciabis, & amicissimam simul à nobis salutem. Iterum vale.

EPISTOLA CCLXXXVIII.

BONAVENTURÆ VULCANIO.

1602. VIr doctissime, diu est, cùm occasionem cupio mihi dari scribendi ad te, non ex otii abundantia, sed 1602.
amoris & honoris. Utrumque affectum largè pridem tibi exhibeo. Ita meretur singularis tua eruditio, & earum literarum notitia, quas plurimi semper fecimus. Indignus sit quem Musæ ament, qui Vulcanium, Ἑλληνικάδων Μουσάων τὰ παιδικά, non amet. Ego facio, & ex animo quidem. Accipe igitur non minus gratum mihi, quàm tibi futurum confido, εὐαγγέλιον de Cyrillo tuo, verè nunc tuo; erit enim, quando volueris. Allatus est is liber Basileâ in hanc urbem, ante menses duos aut tres. Factum est autem Θεοῦ οἰκονομοῦντος, & bono genio tuo, ut eum codicem Præsul amplissimus emeret, Bellovacensis Episcopus, mei amantissimus. In illius Bibliotheca cùm Græcè Latinèque descriptum nuper eum librum vidissem, etiam antè quàm in tuum nomen inciderem, suboluit mihi quod res erat. Memineram enim, commovisse te ante multos annos spem de Cyrilli editione. Ubi igitur nomen tuum legi, & nescio quo casu periisse tibi tantos labores cognovi, egi cum optimo Præsule, ut tuum librum tibi vellet donare. Non multum laboravi; est enim cupidissimus rei literariæ juvandæ, & tui quoque privatim amans. Omnia enim quæ hactenus edidisti, & habet, & legit. Quare si eo libro cares, neque aliud exemplar habes, scito licere tibi istud repetere. Censeo tamen faciundum tibi, ut ad illum scribas: cætera mihi erunt curæ. Vale, doctissime Vulcani, & ex his literis occupationes nostras agnosce. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIII. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA CCLXXXIX.

GEVERHARTO ELMENHORSTIO.

GRatæ mihi, eruditissime Vir, quas 1602.
à te accepi; ex quibus & eruditionem tuam, & amorem erga nos perspexi. Huic tuo affectui laudes fero acceptas, quas largâ manu in nos conjicis. Non negaverim, pro ea ingenii sanè modici copia, quod est in nobis, tentasse me omnia, quî posset opera nostra literis esse non inutilis. Sed hoc tanto studio quantum profecerim, non scio; illud scio, nulla ex parte egregiæ voluntati nostræ facultatem respondere. Taceo illa tot incommoda, quæ assiduè sumus experti vel maxima. Verùm ista mitto, & venio ad te, id est, Juvenalem tuum, quem edi à te quàm primùm cupio. Habeo aliquot manuscripta

1602. scripta exemplaria: quæ si propius isthinc abessem, tibi mitterem. Nunc cùm id commodè non potest, videbo, si quid λόγου ἄξιον in illis possit reperiri. Addam & nostras in aliquot locos notas, si modò per otium licet; sum enim occupatissimus; sed nitar, &, spero, efficiam, ne officium hac in re meum possis desiderare. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIII. *Kalend. Sext. Juliani*, CIↃ IↃ CII.

Epistola CCXC.

JOSEPHO SCALIGERO.

1602. *Responsoria ad Scaliger. Epist.* LXXII. VIr inlustrissime, nudius tertius cùm apud amplissimum Thuanum essem, redditæ sunt utrique nostrûm literæ tuæ, x. Kalend. Quintilis Juliani scriptæ; quæ cùm voluptatem incredibilem mihi, ut semper omnes tuæ, attulissent, cumulus heri accessit per aliam epistolam, III. Kalend. Jun. Julian. à te scriptam. Etiam ante paucissimos dies cùm ὑπό τι μεμψιμοίρους ad te literas exarassem, jamque illas complicarem, allatum est ab amplissimi Gillotti famulo ἐπιστολιδάριον quoddam tuum, VII. Kalend. Majas datum. Quod si omnes accepissem, quarum fieri à te mentionem video, & cumulatiore adhuc gaudio fruerer; & multa, quæ ignoro, ex tuis addiscerem: nondum enim illæ tuarum nobis redditæ, quibus ζητηματίοις nostris respondisti. Sed venient fortasse aliquando, nec tantus mihi peribit thesaurus. Quicquid tamen futurum sit, ago tibi maximas gratias, teque oro obtestorque, ut περιεργίαν meam æquo animo feras. Nam sanè suppudet me, tantum tibi negotii in tantis occupationibus tuis exhibuisse. Centesima pars tuarum curarum alium obrueret: me certè, qui studiis & officiis istis ἐγκυκλίοις jam par non sum: & profectò, misera conditio mea; qui dies noctesque occupatus, vix pauculas horas ex animi sententia quotidie colloco; sæpe nullas. Lucubrationes tuas in opus Inscriptionum avidissimè expeto. Illud nos superioribus diebus ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς percurrimus. Proverbia Arabica mittam, cùm nactus fuero cui rectè dem: mittam autem, si potest fieri, ἀντίγραφον, unde nos descripsimus. Sin illud non impetramus, tuâ gratiâ describemus; est enim liber non ita magnus. Mitterem quod habeo exemplar, nisi esset à nobis insertum majori volumini, quo nugæ nescio quæ nostræ continentur. Est in urbe juvenis ille φιλάγραψ *, qui tuas mihi nuper attulit. Huic copiam feci ejus libelli: sed ita, ut in meo Museo 1602. describeret. Cogito illum mihi in hoc labore socium adjungere. Quare confide, te brevi θεοῦ γε διδόντος hujus voti damnatum iri. Etiam de Lexicis operam dabo, ut tibi morem geram. Atque utinam esset ad manum, cui rectè darem. De Spartiano parebo tibi, & jam folium primum nostrarum Observationum est editum; etsi maluissem tua exspectare: sed ἐῤῥίφθω ὁ κύβος. En pro aureis tuis, plumbeas & scoriâ plenas literas: sed aliter mecum non potes. Vale, illustrissime & nobilissime virorum; Deus te servet. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIII. *Kalend. Sextil.* CIↃ IↃ CII.

* *Hadrianus Flessingensis.*

Proximè cùm ad te literas darem, adjeci & ad Grotium atque Heinsium, duos spectatissimos juvenes. Velim scire num ille fasciculus perierit, quod vereor ne in tuis meisque literis sæpe accidat.

Epistola CCXCI.

JUSTO LIPSIO. ✠

DE tuarum Epistolarum gratissimo 1602. munere egi tibi, & nunc quoque ago gratias immortales. An priores illas meas acceperis, nescio. Dedi quidem illas amico certò, & Plantinianis vestratibus probè noto: sed quia hoc rerum statu nihil satis certum, nolui committere, ut meum tu hac in parte officium & animi grati testimonium posses desiderare. Sperabam missurum me tibi proximis nundinis levidense ἀντίδωρον nostrarum in Spartianum & ejus socios Observationum. Et jam prælis subjectum est opus, & quidem multos ante menses; nondum tamen multum promovimus. Quod non meâ culpâ accidit, sed Typographi lentitudine. Etsi non nego, amore otii & tædio scriptionis non nimis vigere me. Nobilem adolescentem, quem posterioribus tuis mihi commendas, nondum videre mihi contigit. Dixi ei, qui tuas mihi reddidit, nihil esse tantum, quod propter te ejus caussâ non scripserim. Atque hoc tibi seriò velim esse persuasum. Vale, præstantissime Vir, & nos ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XII. *Kalend. Sextilis Juliani*, CIↃ IↃ CII.

Penè acciderat quod vehementer scire cupio, quis ille infrunitus lanapugnarius, cujus notæ in Tacitum vere tum nuper prodiêre. Putabam Italum esse, & ἁπλοϊκῶς omnia interpretabar. Sed injicit scrupulum dissimulatus editionis locus; nam Basileâ prodiisse comperior: aliud nihil expiscari adhuc potuimus.

1602. tuimus. Ne illud quidem prætermittam, quia commodum venit in mentem. Miratum me nuper non parum, illud tuum de literis Græcis judicium. Tene, hac eruditione virum, hac ingenii præstantiâ, hac denique in literis auctoritate, hodiernæ juventutis socordiæ patrocinium tuum commodasse? Ignosce mihi, irascerer tibi, si possem, & pateretur meus in te amor & cultus. Feram hoc in alio; in te non fero. Iterum vale.

EPISTOLA CCXCII.

✠ HENRICO WOTTONIO.

1602. QUòd silentium diuturnum excusas, nobilissime Wottoni, præis exemplo mihi, ut in pari caussa idem & ipse faciam. Nam & ipse, nec dissimulo, longum jam tempus silui. Faciebat enim me incertitudo tui statûs in scribendo ad te omissiorem. Nam cùm omnes diligenter, qui ex Italia ad nos venirent, percontarer, certè inveniebam nihil: aliis, Florentiæ in Italia; aliis, in aula Imperiali & ultima Germania degere te, affirmantibus. Quò igitur meas dirigerem? otio porro, ut tute scis, non abundamus nos. Itaque tacui, sed apud te; non de te. Habeo testes multos populareis tuos, quibuscum prope quotidianos de pristina consuetudine nostra sermones habere soleo. Cujus exstare in animo quoque tuo memoria οὐκ ἐπὶ τύχων, ita me Deus, ut maxima cum voluptate mea ex nuperis tuis cognovi. O mi Wottoni, quæ fuere tempora illa, cùm securi quid serus vesper veheret, dies totos liberatis fabulis transigeremus! cùm ex ore tuo, πολλὰ δ' εἶδες ἄστεα καὶ νόον οὐκὶ ἔγνως διεξοδικώτερον narrantis, ego penderem; tu de literulis nostris non junctis aliquid à nobis audires. O vitam verè vitam! ô delicias & voluptatem sinceram! Ita quidem, ut temporis illius sine suspiritibus recordari non possimus. Nam quæ post illa viderimus, quæ subierimus vel mala, vel extremorum malorum pericula, horret meminisse animus. Melior tamen tua quàm nostra conditio. Tu adversis tuis perfunctus, portum, ut videtur, nunc tenes. Nos, ut vides, in ipsis periculis cùm maximè nunc versamur. Nuper adeò, quàm penè absorpti sumus σφοδροτάτῃ quâdam τρικυμίᾳ, haud dubiè ipse nôsti: & magna quidem τῷ παντοκράτορι Θεῷ laus & honos, quòd ἡμῶν οὐ προσεχόντων τοῖς γινομένοις ἑωτὸς χρ' ὑπερέσχε κραταιὴν terrarum in ea tempora devenimus, ut necessariò nobis & omnibus bonis sit φιλοσοφητέον. Olim fuerit hoc otii honesti oblectamentum; nunc unicum, (divina semper excipio) hoc superest adversus imminentes verticibus nostris procellas præsidium ac solatium. Quò mihi gratius erit, ea videre, quæ sunt à te, doctissime Wottoni, super ardua quæstione disputata, quæ tot præclara ingenia omnibus retrò seculis habuit exercita. Durum profectò humeris tuis onus imposuisti; sed illorum valentiam & robur tum novimus nos. Prome igitur illa, sodes, & prome quàm primùm. Quod autem scribis, velle te nomine nostro eruditas lucubrationes tuas inscribere; equidem pro affectu hoc tuo in nos ago habeoque tibi gratias immortales λόγου παιδὸς πέραν. Sed unde hoc nobis, ut tu tanto nos honore digneris? Habes, scio, magnam amicorum copiam, virorum summorum, & omni laude florentium. Nos, qui, aut quid sumus? unica res est, in qua nemini tuorum concesserimus, magnitudine amoris erga te, & singularium tuarum virtutum admiratione. Verùm hoc imputare tibi non possumus; debeo enim affectum hunc illis ipsis, quas dixi, virtutibus, & tuæ adversum nos benevolentiæ: hanc tu mihi serva firmam & inconcussam. Deus tibi bonam valetudinem, omni felicitate cumulatam. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XII. *Kalend. Sextilis Juliani*, CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA CCXCIII.

JOHANNI CASELIO.

ANni sunt fermè viginti, αἰδεσιμώτατε 1602.
Caseli, cùm adolescente quodam è vestra gente perhonesto, disciplinæ tuæ alumno, familiariter sum usus: qui de tua singulari pietate, probitate, & eruditione multa quotidie commemorans, magnam in animo nostro tui admirationem, & ex admiratione amorem excitavit. Legi posteà varias, & diversi generis lucubrationes tuas, doctas, Deus bone! & elaboratas, planèque pro ea opinione, quam de tua præstantia antè conceperam. Nunquam ego ab illo tempore destiti de te rebusque tuis inquirere: & σιγῇ ἐπ' ἐμοῦ omnia tibi ac tuis studiis fausta & læta optare. Adfari etiam te, & literis, quia aliter non poteram, compellare in votis semper habui, nisi me olim quidem juniorem pudor ἔμφυτος, posteà verò ingens locorum, qui nos habebant, intercapedo, & literarum mittendarum difficultas ab incepto revocassent. Nam quod te fortasse non latet, relictâ ante annos sex septem suavissimâ

1602. vissimâ patriâ Genevâ, in remotissimam à Germania vestra partem Galliarum, otii desiderio concesseramus; ubi aliquot annos obscuri, & propè dixerim, ἄϊςοι ϗ ἄπυςοι transegimus. Neque longum adhuc est tempus, cùm optimi fortissimique Principum, Christianissimi Herois nostri jussu ex illis tenebris, & grato nobis secessu, in regiam hanc urbem, & clarissimam lucem transitum fecimus. Ita factum est, clarissime Caseli, ut licet nominis tui studiosissimi, nihil tamen adhuc literarum ad te dederimus. Quo in officio antevertisse humanitatem tuam cunctationem nostram, incredibiliter gavisus sum nuper, cùm ante unum alterumve mensem literas tuas accepi. Tune, præstantissime Vir, hac ætate, his in Rempublicam literariam meritis, ut me provoces, ut meam amicitiam expetas? sic enim scribis, & quidem literis non unis; nam & altera jam nobis diebus superioribus reddita est abs te epistola. Hæc nempe est comitas illa tanta, illa tam insignis benignitas, quam in te popularium tuorum multos memini prædicare. Nam in nobis quid est tanto hoc tuo dignum studio? literæ? καί κε τὸ βουλοίμην, καί κεν πολὺ κέρδιον εἴη. Utinam, inquam, venerande Senex, ii nos essemus, quos tuus amor nos finxit. Sed me judicio huic tuo de nobis, & lucubratiunculis nostris vetat assentiri virium ingenii tenuissimarum conscientia. Ut taceam de studiorum nostrorum infelicitate; cùm & sero ad literas accesserimus, & ferè αὐτοδίδακτοι magisterio nostro profecerimus; si modò aliquid profecimus. Nam optimi & eruditissimi parentis, quo jure gloriamur præceptore, operam diuturniorem statim initio publicæ curæ, quas ille, dum vixit, sustinuit gravissimas, nobis inviderant. Quatuor denique lustra ætatis nostræ præterierant, priusquam è regni hujus procellis evadere, & Genèvam, ubi nati, sed non educati sumus, studiorum caussâ possem repetere. Sed quid verbis opus? Ipsa, quod ingenuè fateor, scripta nostra ὀψιμάθειαν authoris sui, & desideratam semper ῥαςώνην, concessam vix unquam

Κύνδιος ἔπι ὅσον γεγωνότερον βοᾷ.

Magna igitur χρηςότης tua, Vir humanissime, & erga nos magna benevolentia, qui de nostris conatibus ea prædices, quæ sine rubore à nobis nunquam legantur, nedum agnoscantur, ut debita, aut ex vero profecta. Nam de Josepho Scaligero εὐφήμει ὦ τᾶν. Ille vir divinus, quocunque ingenium converterit, aquilæ instar cœlum petit: nos in aliqua literarum parte, ὅπῃ ἂν θεὸς διδῷ, πτερυξόμεθα. Illud unum non abnuo, enisum me semper pro mea virili, ut, si minus possem ingenio, at modestiâ certè bonorum judicia promererer. Sed de nobis nimium multa. Te verò, doctissime Caseli, ornare laudibus non aggredior. Nolo enim onus subire, cui me sciam futurum imparem. Quis enim, vel mediocriter eruditus, nescit non solùm, quàm eximia sit eruditio tua; sed etiam, quantis laboribus sit effectum, ut meliores literæ, Græcæ præsertim, illic floreant. Quis puriorem & veram Philosophiam per te maximè in illis oris conservatam ignorat? Audivimus enim agones tuos: pervenitque etiam ad nos ingens Principis vestri decus ac fama, qui pro sua prudentia ac sapientia Barbariem simul & τὴν σοφιςικὴν è suis terris eliminavit. Hujus facti, æternâ memoriâ dignissimi, prima laus Illustrissimo Duci vestro debetur, proxima tibi. Illius auspiciis, ductu autem tuo victi isthìc & triumphati duo illi τῆς γνησίας παιδείας hostes. Utinam hos animos & cæteri omnes Principes induant. Nam, ut nunc vivitur, mi Caseli, actum de literis: quibus nescio plus mali sit à neglectu Regum & Principum, an à perversis judiciis eorum, qui illas tractant. Sed longius abeo; quare desino. Deum Opt. Max. ut te quàm diutissimè incolumem præstet, oro atque obsecro: te, ut nos constanter ames. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XII. *Kalend. Sextil. Juliani*, ἀπὸ τῆς τοῦ λόγου ἐνσαρκώσεως, CIↃ IↃ CII. 1602.

Epistola CCXCIV.

DAVIDI HOESCHELIO.

Ternis tuis, unis meis respondebo; 1602.
non solùm, quia occupatissimi, ut semper, sumus; sed etiam quia propè ἀθρόας & tempore eodem illæ nobis redditæ. Gaudeo non mediocriter, perstare te in proposito tuo constanter; recentesque subinde animos adsumere, & novas quotidie palmas meditari. Deus tibi, mi Hœscheli, & magno Velsero, cæterisque tuis ἐργοδιώκταις longam firmamque valetudinem, & omnibus numeris perfectam felicitatem. Hadriani εἰσαγωγὴν Lugduni vidimus in Verderii Bibliotheca. Eo nuper defuncto, quid factum sit illo codice, non scio; sunt enim distracti omnes illius libri, & à pluribus Episcopis coëmti. Et hic liber, & cæteri, quorum spem facis, elegantiâ typorum vestrorum παρ' ἡμῖν κρατῇ sunt dignissimi.

De

1602. De Procopio per mihi gratum est, quòd longioris temporis moram nobis concedis: neque enim recuso in partem aliquam honestissimi laboris venire. Esto tu in hac militia tribunus; ego vel unius manipularium locum implebo. Sed tempore, ut jam dixi, opus nobis. Privilegium, spero, nullâ difficultate me impetraturum tibi: quod si in rem tuam extenderis, οὐκ ἂν ἁμάρτοις τοῦ σκοποῦ. Ipsi auctores Juris sic docent, sic jubent. De Epictetei si monitore opus haberes, instarem tibi, ut quàm primùm θησαυρὸν illum τῆς ἀνθρωπίνης σοφίας nobis proferas. Exspecto avidè quid eruditissimus N. * ad N. suum; nam habet sanè in illius scriptoribus, unde luculentas nobis dapes concinnet. Sed vidisti illius de literis Græcis judicium nuper in epistola quadam proditum? Decoras vult non necessarias esse. Hoc tu illi concedes? non facies: neque ego certè, qui de eodem atramento ante unam alteramve horam seriò illo nomine cum ipso expostulavi. Et vis dicam, mi Hœscheli, quod res est, μηδὲν ὑποστειλάμενος? Memini Plinium alicubi ἐπιστέλλειν sic: *Naturale est cuique, ut ea, quæ quis adeptus est, ipsa quam amplissima existimari velit.* Vir optimus, si quantum in Latinis operæ posuit, tantum & in Græcis sudasset, nunquam ita pronunciasset. Eclogas Πρεσβειῶν, oro te per Musarum sacra, ede quantocius. Memini ante viginti amplius annos videre illa ipsa Excerpta in Darmarii Græci hominis manibus. Non dubito, multa ibi latitare, quæ ad Cæsareos Scriptores meos pertineant; maximè in Dexippo, cujus mentionem toties Græci, Latinique Historici faciunt. Juvenis, quem mihi commendasti, si opis meæ ulla in re indigus ad me accesserit, faciam experiatur reapse, qui meus sit in te animus. Sed heus tu, de Herodoto, quis tibi hoc retulit? non enim memini scribere. Proximo Septembri, cùm amicorum rogatu in privatis ædibus ejus interpretationem suscepissemus horis succisivis, initio convenere sex septem, quorum gratiâ, atque adeò rogatu, ut dixi, res instituebatur: deinde ubi rumor emanavit, concurrere omnes, qui literas hic amant, etiam viri graves omnis & dignitatis, & ætatis. Sensi rem apud bonos gratam, apud malos invidiosam; qui prætextu Religionis non me, sed τρισμέγιστον Mæcenatem meum obtrectabant. Ille quidem, ut est benignissimus, & quod istis (de ludimagistris è trivio non loquor) dolet mei amans, meum arbitrium esse voluit, docerem an non. Sed caussas graves habui, cur valetudini meæ consulerem & abstinerem. Rex & Mæcenas clementissimus paullò pòst codicillos misit ad nos, quibus Bibliothecæ suæ curam nobis mandabat, non sine benevolentiæ testimonio haudquaquam vulgaris. Eos codicillos habemus nos, qui tamen onus illud hactenus subire noluimus. Ita nobis hoc ignavum otium placet, quod Dei benignitas & Regis liberalitas facit. Etsi quid dico otium? quo nunquam adeò carui. Cogor enim dies totos, ah miser! persæpe in nugis ponere. Adeò verum est, Πουλύποδος κεφαλῇ ἐν μὲν κακὸν, ἐν δὲ καὶ ἐσθλὸν· nam si Lutetiæ non essem, ea præstare non possem, quæ, spero, præstiturum per hanc optimorum librorum copiam: rursus alibi si essem, multa perficerem, de quibus in hac negotiosissima otiosorum matre ne cogitare quidem possumus. Locum Ciceronis, ab amplissimo Velsero indicatum, videbo; & si possum, satisfaciam: nunc ne id quidem poteram; nedum scribendi ad illum erat facultas. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XII. *Kalend. Sextil. Juliani*, CIↃ IↃ CII.

* Justus Lipsius. Vide suprà Epist. CCXCI.

EPISTOLA CCXCV.

ANDREÆ SCHOTTO.

Domum reversus ex itinere duorum mensium, binas tuarum, præstantissime Schotte, simul accepi. Ex posterioribus cognovi, frustra nos fuisse, cùm à Condolo tuum exigeremus librum, qui, uti narras, in ejus manus pervenit nunquam. Gaudeo non mediocriter ταὐτόματον in hoc negotio melius tibi quàm ipsum te consuluisse. Nam tuus ille Bellerus, cujus fidem secutus eras, parum se tibi præbuit fidelem; cùm te inscio, in remotas adeò oras, ut alia taceam, tuum codicem se missurum recepit. Quod quia aliter accidit, spero factum iri brevi, nisi jam factum, ut velut postliminii jure ad te redeat tuus hic fugitivus filius. At tu si me audis, nullâ morâ manu eum mitte, ne iterum publicæ lucis avidus foras aliquâ ratione te invito erumpat. Equidem si quid hic tuum hoc inceptum possum juvare, opem atque operam meam prolixè tibi polliceor. Sed qui habeas facultatem typorum Plantinianorum, cur alium requiras Typographum? Nostratium certè hic quanta sit negligentia, nuper sum expertus, cùm Scriptores post Suetonium curarem edendos: in quibus frequentes adeò mendæ sunt commissæ, ut me, verè dicam, editionis illius propè pudeat. Declamationes Quintiliani, 1602.

qua-

1602. quarum in tuis meministi, olim edidit Patissonius, homo eruditus, & in arte fide singulari uti solitus. Ille vir optimus, cùm ad plures ante biennium transiit, parem sibi fide, industriâ, & aliis virtutibus in eam rem necessariis, neminem reliquit. Si tamen ita lubet tibi, & codicem tuum ad nos mittere constituisti, omni curâ efficiemus, &, ut spero, præstabimus, ne te consilii unquam pœniteat. Vitam Demosthenis Augustæ Vindelicorum edi lætor: non enim dubito, opus quàm emendatissimè iri editum. Fidem & amorem in literas summorum virorum, Velseri & Hœschelii, satis perspectam habeo. Justum Lipsium post gravem morbum ῥαΐσαντα in tuos venisse amplexus, utrique vestrúm gratulor. Atque utinam tertius ego vobis accessissem: cupio enim, mi Schotte, & te, & illum præsentes aliquandò, si voluerit ὁ ὑπὲρ ἡμᾶς, tueri. Sed miror, nihil ad nos literarum Antwerpiâ dedisse clarissimum Lipsium: nam scripsi ad illum ternas post ejus novissimas; misimus etiam operis, nuper à nobis editi, exemplar unum per Plantinianos; quod an fuerit ei redditum, nescimus. Scribam ad ipsum, ubi primum nactus fuero, cui meas rectè tradam. Intereà si quid de illo, aut ejus cœptis novi habes, fac me, quæso te, ut sciam. Vale, Vir amicissime. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* x. *Kalend. Aug.* CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA CCXCVI.

DAVIDI HOESCHELIO.

1602. AD ternas brevi spatio mihi à te redditas, duabus epistolis respondi; quarum alteram ad Bongarsium misi, alteram hodie traditurus sum Mago mercatori, apud quem habitat adolescens Augustanus, quem mihi nuper commendasti. Hujus unicum argumentum est, ut honestissimo & eruditionis amantissimo callentissimoque Tardiæo meo isthàc proficiscenti aditum ad te patefaciam. Ille, quia literas amat, te quoque & amat, & colit. Tu cùm ipsum nôris, amicitiâ tuâ dignissimum judicabis. Hoc interim mihi accrede, & omni ex parte lætus ac fœlix per lustra multa ἔρρωσο καὶ εὐημερῶν μὴ διάλειπε. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* x. *Kalend. Aug.* CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA CCXCVII.

EIDEM.

OMnibus tuis respondi iis literis, 1602.
quas ad Bongarsium ante triduum misi; neque erat nunc, quod ad te scriberem, nisi mihi ab alio præbita esset occasio. Is est mercator ille honestissimus & probissimus, cujus fidei concreditus est adolescens Augustanus, quem mihi nuper commendasti. Venit ille nudius tertius ad me, consilium petens super eo juvene & ejus studiis. Post longam deliberationem de ea re, ita visum nobis, futurum è re hujus adolescentis, si ad Galandium, Gymnasiarcham notæ probitatis & eruditionis, demigraret, istiusque eximii viri hospitio, mensâ, & in studiis consilio atque disciplina uteretur. Cur illum omnibus aliis præferam, causas habeo multas, τὸ ἐλεύθερον τῆς ἀγωγῆς, τὰ καλὰ ἤθη, τὸ γνήσιον τῆς παιδείας· amor denique erga nos; ut videatur vel eo nomine studio non mediocri traditum sibi à nobis discipulum prosecuturus. Audio optasse adolescentis patrem, ut illi ipsi mercatori maneret συμβιώτης. Sed cùm longissimè à studiis absit ejus domus, nullâ hoc ratione fieri potest. Nôsti enim hujus urbis magnitudinem, ut taceam periculum valetudinis, si tam longum iter toties sit conficiendum. Habet illum adhuc apud se mercator, non dimissurus, nisi intellectâ patris voluntate. Ille igitur statuat, & suæ voluntatis filium admoneat; quem tuâ gratiâ, & quia meretur ipsius indoles, futurum nobis curæ debes confidere. Vale. Hoc ipso die ad amplissimum Velserum scripsi per alium, cui & ad te literas dedi. Vale iterum. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VIII. *Kalend. Aug.* CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA CCXCVIII.

EIDEM.

DOmum reversus ex itinere satis lon- 1602.
go, inveni tuas, cum foliis, quæ deerant integrando libro Eclogarum tuarum. Ex epistola autem tua cognovi, Notas nostras exspectari à te ad proximas nundinas: in quo vereor, ut expectationi tuæ possim omni ex parte satisfacere. Miseram enim prorsus vitam hìc agimus; non inter libros, sed inter occupationes nescio quas, quæ me vix interdum sinunt toto die librum aspicere; ut non possit mihi non acerba esse vita, eo solatio desti-

1602. destituta, quo unicè ac penè solo capimur. Quindecim jam lapsi sunt à reditu nostro dies; cùm tamen vix adhuc horas totidem studiis impenderimus: reliquum omne tempus quà amici, quà officia quædam humanitatis nobis eripuerunt. Itaque, quod in aurem dictum tibi volumus, non minimum ratione istâ impellimur, ut negotiosissimam hanc otiosorum matrem aliquando valere jubeamus. Verùm ea de re, volente & faciente Deo, aliàs plura. Constituimus sanè cæteris curis omnibus hæc prævertere, neque antè eum librum de manibus ponere, quàm voluntati tuæ omnino satisfecerimus. Nam etsi observationes nostras non magnifacimus, illud tamen vel maximi æstimamus jure ac merito, ne laborem ullum, quem imponere nobis volueris, detractasse possimus videri. Igitur ut de nostro animo melius tibi constet, quia opera nostra sæpe interrumpitur, quicquid in dies scripsero, id statim ad te mittam. Tu boni consule, & nos ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* v. *Kalend. Aug.* CIↃ IↃ CII.

* Habe hæc intereà, mi Hœscheli, dum cætera per otium parabo: etsi possem fortasse hoc labore supersedere, cùm & ipse meliora queas, & aliorum paratas jam, ut arbitror, observationes habeas. Pergam tamen, si ita tibi videtur. De Origene contra Celsum, hortarer te, si opus esset, σπεύδοντα καὶ αὐτὸν. Libanius hîc editur, & pars magna jam confecta. Editur & Dion ὁ Πρυσαεὺς †. Sed Libanii Epistolas nondum omnes congessit eruditissimus Morellius. Hæc alii: nos diversis curis intenti, otio indulgere aliquantulum optamus; ut tantò paratiores posteà ad nostra incepta accedamus; quod quidem Θεῶ ἐν γούνασι κεῖται. Vale, delicium Musarum. Notas viri inlustris vidi, & pro munere gratias ago maximas. Non difficilis fuit conjectura de auctore. Si existimassem libro edito locum esse nostræ diligentiæ, & meas tibi observationes misissem. Faciam cùm voles. Aretæum isthic editum vidi. Lib II. ὀξέων, cap. γ. corruptissima hæc esse, non vidit tuus civis, homo eruditissimus ‡: ᾧ κύφων, ὃ κακῶ ἐστι ὄνομα. Legendum, ᾧ ὠκυφόνου κακοῦ ἐστιν ὄνομα. Loquitur de nomine συγκοπὴ, & ait meritò sic morbum vocatum, qui συγκόπτει, & statim occidit. Lege, si lubet, sequentia. Talia nonnulla habemus, quæ alios fugerunt; sed hæc tu melius.

† *Seu potius, Dionis Chrysostomi Orationes.*

‡ *Georgius Henischius.*

EPISTOLA CCXCIX.

DANIELI TILENO.

Legi librum tuum, eruditissime Tilene, eoque nomine tibi gratias ago maximas. 1602. Vellem referre possem, & ἀντίδωρον mittere opus, in quo tot menses sumus: sed non patitur operarum nostrarum lentitudo. Quod malum aliud quoque est consecutum. Nam quia inter manus nostras tamdiu hæsit ista commentatio, factum est imprudentibus nobis, ut longè supra id, quod institueram, opus cresceret. Quid facerem? αὐτὸς γὰρ ἐφέλκει ἄνδρα σίδηρος. Nam quæ videbantur obscura & implicita, dissimulare, candoris nostri non erat. Sed de nostra opera aliàs. Tuus verò liber, amicissime Vir, incredibiliter me delectavit, ut omnia semper tua, à quorum lectione nunquam nisi melior discedo & doctior. An erit unquam illa dies, cùm τῇ σοφιστικῇ καὶ ταῖς ἀπὸ τῆς ἐπταλόφου ἐλπίσιν ἀποταξάμενος Antagonista tuus * veritati manus dabit? ὢ ἆθλον gloriosum, & quâvis melius victoriâ. Sed vetat nos hoc sperare ἡ τῆς καρδίας πώρωσις, πάθος ἤδη παλαιὸν eorum hominum, qui agnitam veritatem infesto animo persequuntur. Miseret me illorum, maximè autem veteris amici mei †, qui Venetiis nuper ad me literas dedit, accuratissimè scriptas, ut me ad suas partes traheret. Ibi vir ingeniosissimus & facundissimus multis disputat, extra Ecclesiam esse me, quæ una sit, Romana nempe, omnibus numeris perfectissima: hæc una Christo legitima sponsa; in hac una speranda salus; & hoc genus quisquiliarum. Nôsti enim repositam toties cramben. Ille autem non contentus immeritis laudibus Romanam Ecclesiam ornare, nostram insuper convitiis proscindit; & quantâ maximâ potest ingenii vi, nostros lacerat; improbos, impios, irrisores nominans, & turbarum auctores; & quid non? Heu miserum! οἷος ἐξ οἵου. Ita me Deus amet, charissime Tilene, ut ad lectionem illam totus cohorrui. Videbar enim videre imminentem Dei dexteram, & ultricem manum. Ne nunc quidem extra pavorem sum, & illud cogito, ὀψὲ θεῶν ἀλέουσι μύλαι, ἀλέουσι δὲ λεπτά. Det illi Deus rectam mentem. Idem te servet, & amorem tuum mihi. Vale. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Kalend. Sextilis Juliani*, CIↃ IↃ CII.

Galenum vocari ἄθεον miror, virum tam assiduum in Dei sapientia prædicanda.

* *Cardinalis Perronius.* Colomes.

† *Philippi Canaii à Fraxinis, qui post Plessiaci & Perronii colloquium, Pontificius factus est.* Colomes.

1602. canda. Ego illum eo maximè nomine dignum laude & æternâ prædicatione semper judicavi.

Epistola CCC.

JOSEPHO SCALIGERO.

1602. NUnquam ego ad libros confero me, quin multa statim occurrant, de quibus te, inlustrissime Vir, si liceat, velim consultum. Nam & multa ignoro, ne dicam omnia; & cum te scio esse, qui me non indignum judices, cui scientiæ tuæ facias copiam. Multa igitur habeo, de queis, ubi primum otii plusculum fuero nactus, per literas tecum agere constitui: quanquam, ut ingenuè fatear, non tam occupationes meæ impediunt, quàm terrent tuæ, quas scio esse gravissimas. Est mihi enim religio, vel ἀκαιρές τι τοῦ χρόνου à melioribus curis te avocare. Quamobrem cupiditati meæ fibulam imponam; si hoc tamen unum oravero, dicas mihi de Johanne Medico, qui Πρόχειρον τῶν Περσικῶν χρόνων Græcè scripsit, quid judices; puto enim sagacissimos oculos tuos non fugisse eum librum. Ait ille, προοιμιαζόμενος è libro Persico totam illam artem se didicisse & transcripsisse; quod magnis ipsi laboribus constiterit. Totius Operis capita sunt XLVII. Argumentum cognoscas ex paucis, quæ subjeci, lemmatis:

α. Περὶ τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτὸς, καὶ τοῦ μηνὸς καὶ τοῦ χρόνου.

β. Περὶ τοῦ ἔτους τοῦ μηνὸς καὶ τοῦ χρόνου· τί εἰσι καὶ πόθεν ἐγνώσθησαν.

γ. Περὶ τῆς καταλήψεως τῶν ἐτῶν γενομένων δήλων κατὰ τὸν ἡμέτερον καιρόν.

δ. Περὶ τῆς καταλήψεως τῆς ἀρχῆς τῶν χρόνων καὶ τῶν μηνῶν κατὰ ποίαν ἡμέραν εἰσέρχονται τῆς ἑβδομάδος.

ε. Περὶ τῆς εὑρέσεως τοῦ χρόνου τῶν μηνῶν, καὶ τῶν ἡμερῶν τῶν Περσῶν.

ς. Περὶ τῆς εὑρέσεως τῆς ἡμέρας τῶν Περσῶν κατὰ τὸν ζητούμενον μῆνα τῶν Ἑλλήνων.

ζ. Περὶ τῆς ἐναλλαγῆς τῆς ἡμέρας τῆς τοῦ χρόνου ἀρχῆς, ἥπερ κατὰ τέσσαρα ἔτη συμβαίνει.

Potes ex istis de operis universitate facere conjecturam. In fine sunt κανόνια quàm plurima, magno labore confecta. Habeo etiam Michaëlis Pselli libellum, nondum, ut puto, luce publicâ donatum, cujus est index: Κεφάλαια περὶ τῶν οὐρανίων σωμάτων καὶ τῆς τούτων κινήσεως. Sunt hic χρονικὰ nonnulla, sed pauca, & tuo conspectu parum, ut suspicor, digna. Hunc librum, quia meus est, si putarem tuis studiis aliquid profuturum, sine cunctatione ad te mitterem: illum, qui meus non est, ἀνενδοιάστως offerre non possum. Offero tamen; fac me tantùm de tua voluntate certiorem. Priscianus tuus in Puteanorum fratrum, tui observantissimorum adolescentium, manibus tam diu hærebit, donec erit, cui rectè dari possit. Scripsi nuper ad amplissimum Legatum, & ad clarissimum Vulcanium, cùm paucis antè diebus ad Grotium & Heinsium literas dedissem. An fuerint tibi omnes meæ redditæ, quas ab uno aut altero mense scripsi, velim fieri certior, & ut facias oro. Vale, æternum mihi & omnibus bonis observande ac suspiciende Scaliger. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XI. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CII.

Didici è tuis in Catullum annotationibus, discedere te à Budæi calculo in æstimatione veteris pecuniæ Romanæ. Cùm igitur tuam super ea re sententiam penitus cognoscere incredibiliter ardeam, oro te atque obtestor, proximâ epistolâ paucis illam mihi digneris indicare. Ignosce, quæso, cupiditati meæ; & seriò tibi gratulare, quòd longius absum à te. Deus te servet, æternum sæculi decus.

Ad hanc responsoria exstat n. 76.

Epistola CCCI.

CONRADO RITTERSHUSIO.

DE meo in te animo, Vir clarissime, malo ex sermonibus optimi & præstantissimi Gentilis nostri cognoscere te, quàm ex meis literis. Enimverò satis exorbitavimus; redeamus, censeo, in viam, τῶν δὲ πεπραγμένων ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν λάθᾳ πότμῳ σὺν εὐδαίμονι γένοιτ᾽ ἄν. Fidem fecerimus hactenus Tulliano dicto, * *Bonorum animos facile esse irritabiles:* nunc illud potius probemus, ἀκεσταί τοι φρένες ἐσθλῶν. Non clam me est, caussas habuisse te aliquas, cur existimationi τοῦ νῦν μακαρίτου † faveres minus: illum impurum, qui de magni Dei certissima sobole, Veritate, triumphos nunc agit, quid impulit, ut virum de literis optimè olim meritum, & vel parentis Roberti ‡ nomine præcipuo honore dignum, hac immanitate laceraret? Ingenuè fateor, amicissime Rittershusi, cùm illa primùm vidi, vehementer sum commotus. Atque is ego sum tamen, cui uni optimi senis morositas plurimùm displicuerit, plurimùm offuerit. Sed præponderabant apud me semper tot illa & tanta in rempubli-

* Cicer. ad Attic. lib. 1. ep. 17. (Optimorum.)

† Henrici Stephani. Colomes.

‡ Stephanus.

1602. publicam literariam merita, quibus commemorandis nolo vel patientiâ tuâ, vel otio meo abuti; & sunt omnia tibi, si cui aliî, probè nota. Omitto privatum hoc affinitatis vinculum *; quod si contemnerem, magno me scelere, vel judice te, impiatum putarem. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ. Quod superest, oro Deum Optimum Maximum, clarissime Rittershusi, ut pro tua singulari pietate & probitate omni bonorum genere te cumulet, firmamque tibi valetudinem, mihi amicitiam tuam præstet. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IV. *Non. Septemb.* CIↃ IↃ CII.

* *Uxorem duxerat Casaubonus* Florentiam, *Henrici Stephani filiam.* Colomes.

EPISTOLA CCCII.

DAVIDI HOESCHELIO.

1602. Παροιμίαν, quam postulasti, ecce habes, optime Hœscheli; neque est, quod eo nomine magnas mihi gratias agas. Vix unum ea de re cum amplissimo Thuano verbum commutaram, atque ille statim auctoritate suâ, nullo labore meo, rem confecit. Scis enim, qui ille vir sit, quantus literatorum amator. Tui verò ita studiosus est, ut tuâ caussâ omnia libentissimè sit facturus. Porro quantum ego & ille tua in literis merita æstimemus, scires, si præscripta à nobis verba formularii isti suis non mutassent. Historiæ Augustæ Scriptores nostri publicâ luce adhuc carent; non tam profectò culpâ aut cessatione meâ, quàm operarum nostrarum: nam equidem hac curâ vehementissimè cupio defungi. Procopium quia non urges, neque nos admodum urgemus; sumus enim impeditissimi: sed quod primum fuero nactus otium, id ponam in relegendo codice meo, quem statim sum tibi missurus. Deus modò te, amicissime Vir, & nos tecum servet, præstetque incolumes. Vale, & me ama. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IV. *Nonas Septemb.* CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA CCCIII.

✠ SCIPIONI GENTILI.

1602. UT vales, optime virorum? ut hoc iter tibi successit? Spero quidem, ex animi tui sententia: sed me tamen levabis curâ, si de tuis rebus ex literis tuis volueris me cognoscere. Ecce autem tibi ad clarissimum Rittershusium epistolam, quam ut verbis tuis ornes, pro meo jure postulo. Tu mihi scribendi auctor; non quòd non & ipse cuperem cum veteri amico in gratiam redire, sed me veternus quidam tenebat, cui tu morbo Æsculapius fuisti. 1602.
Peto enim abs te, ut de meo in ipsum animo ea referas, quæ accepisti à me; constantiam etiam amoris in posterum spondeas, & ab ipso vicissim meo nomine stipuleris. Ego faciam, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, ne aut te, aut illum possit unquam pœnitere. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IV. *Nonas Septemb.* CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA CCCIV.

PHILIPPO CANAIO A' ✠ FRAXINIS.

AMplissime Vir, quòd Epistolæ tuæ nuper non responderim, cùm Præses Thuanus literas ad te dedit, caussam cessationis meæ ex illis ipsis literis puto tibi cognitam. Quare aliâ excusatione non utar. Omni enim culpâ vaco; qui vix tertio demum die post tabellarii profectionem de elapsa jam occasione aliquid rescivi. Quòd autem ne nunc quidem justâ Epistolâ te compello, ignosce: δέομαί σου καὶ ἀντιβολῶ καὶ λιτανεύω· da molestissimis occupationibus meis, quibus nunc cùm maximè distringebar, ne fraudi mihi sit subita hæc & tumultuaria scriptio. Ego enim post amissam superiorem occasionem securus, illud tempus expectabam, quo præstantissimus Thuanus iterum tibi esset scripturus. Nôram quippe hoc esse illi in animo. Sed cùm fortè ad illum venissem, & acceptum à te Hebraicorum librorum Catalogum tibi scirem remitti, religio mihi fuit committere, ut Indiculus hic sine meis literis ad te perferretur. Accipe igitur, amplissime Domine, non responsionem ad illam tuam accuratissimè scriptam Epistolam; neque enim patitur τὸ ἔξω τοῦ καιροῦ· sed fidum planèque certum observantiæ pignus, ab eo profectum, qui cùm in omni officii genere candorem simplicitatemque suam ac constantiam tibi cupit esse probatam; tùm in eo maximè negotio, quo de tanta accuratione à te nuper est actum. Noli verò, per immortalem Deum te obtestor, hanc moribus meis notam inurere, ut alterplicum hominum more aliud me corde sentire, aliud fronte promptum gerere existimes: non facio, non feci unquam, neque unquam sum facturus: servet modò Deus Opt. Max. quam indidit nascentis animo φιλαλήθειαν· cujus ego vel præcipuum testem fueram te laudaturus, si fors tulisset, ut alieno testimonio τὸ στερρὸν τῆς ἡμετέρας γνώμης 1602.

1602. γνώμης καὶ ἁπλοϊκὸν haberem probandum. Putavi ego ſtultus, perſuaſiſſimum tibi eſſe ex veteris amicitiæ, quâ me dignatus es, longo uſu, tuum Caſaubonum cæteras quidem laudes, quas fortaſſe quorundam comitas illi adſcribat, ut alienas, aſpernari, & facere non tanti; cæterùm id unum ſummopere ſemper contendiſſe, ut vivus, nec vivus, veteris Poëtæ dictum tolleret, πᾶν ἐπ' ἀλαθείᾳ πεπλασμένον ἐκ Θεοῦ ἔργον. At tu, magne Vir, διαῤῥήδην illis me adnumeras, quos Pater ingeniorum ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν bonis ait exoſos. Scribis enim, ſatis te acceptum habere, nos in re omnium graviſſima ἕτερον μὲν κεύθειν ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζειν. Mene? διαμαρτύρομαι πάλιν αὖθις τὸν καρδιογνώστην Θεὸν, non ſcire me, unde iſta tibi de nobis nata ſit opinio. Convenio memoriam meam: ab illa omnes ſermones exigo & garritus noſtros: nihil invenio, niſi fortè juſtiſſimas querelas in tuum ſinum liberius olim effuſas, de certorum hominum ſiniſteritate, & in bona cauſſa animo, ut videbatur, non bono. Si alia ſit mens nobis, cur diſſimulem? cùm præſertim quod me hic teneat, nihil quicquam eorum inveniam, quæ in rebus expetendis ſolent ſpectari, præter cauſſæ juſtitiam. Quid? tu me adeò inſanum judicas, ut contra mea commoda & meorum, qui vitâ meâ mihi chariores ſunt, animum in diſſimulatione obdurem? O me vacui capitis, & judicii, ſi ita eſt, planè nullius! Sed & odio digniſſimus ſim tot Procerum & ſummorum virorum, qui pro ſua in nos benevolentia & in literas amore tantopere tam ſæpe idem quod tu, à nobis exegerunt. Omitto illius divini capitis πιθανάγκας, in cujus unius, ſecundum Deum, poteſtate ac nutu omnes ſpes, fortunæ, vita ipſa noſtra eſt poſita. Huic ego tam benigno, tam clementi hero meo, ſine ulla exceptione morem poſſe gerere, ipſâ, mihi crede, vitâ meâ vellem redemptum. Sed ſcit ipſe quid me impediat; & pro ſua æquitate facilis ignoſcit. Tu quoque, ampliſſime Domine, idem facias velim; tibique perſuadeas, neque in hoc negotio, neque in tui cultu & obſervantia aliud unquam mihi linguam eſſe profeſſuram, quàm quod φρενῶν κεῖται ἐν μυχῷ. Sed abeo longius, quàm initio propoſueram; neque enim tuis reſpondere nunc inſtitui. Vale, ampliſſime Domine, & me ama, qui pro tua & omnium tuorum perfecta omnibus numeris felicitate aſſiduas cum uxore, & tua quoque Philippa ad Deum immortalem preces dirigo. *Lutetiæ Pariſiorum*, *a. d.* IV. *Non. Septemb.* CIↃ IↃ CII.

Epistola CCCV.

JACOBO LECTIO. ✠

Modum tuum, clariſſime Lecti, accepimus, legimus; & quamvis vetabamur, laudavimus tamen ſine modo. 1602.
Nam quis in hoc modum teneat? omnibus Muſis inviſus ſit, quem non ſupra modum capit tam cultum, tam elegans, & quod nobis eximiè placet, adeò βιωφελὲς poëma. Acciderat, ut pridie quàm faſciculum tuum acciperem, amici beneficio in meas perveniret manus θαυμάσιον illud carmen. Fremere igitur & indignari, & tacitis querelis tecum expoſtulare, quòd per alios prius quàm per te tuorum aliquid eſſem nanctus. Sed venit ad me poſtridie Pariſienſis ille mercator, cui tuas commiſeris, lentitudinem ſuam excuſans; jam enim multum temporis eſſe lapſum, ex quo τὴν καλὴν Genevam reliquiſſet; verùm Lugduni neceſſariò opinione ſuâ diutius ſubſtitiſſe. Agnovi lætus errorem meum, & in amoris tui conſtantia, cujus teſtis erat luculentiſſima tua epiſtola, ſeriò triumphavi. Igitur pro tam eximio munere magnas maximas tibi gratias, non meo ſolùm nomine, ſed & incomparabilis illius viri, cui exemplar alterum fuit à te adjectum. Utinam plura miſiſſes: cupiebam ad Scaligerum, unum; alterum, ad Lipſium; quotidie enim ſcribimus invicem: ſed illud ipſum, quod dono à te acceperam, vetus amicus tuus Plumbeus Rupellenſis abſtulit non invito. Avebam enim volitare per noſtrorum hominum manus carmen tam bonum, tam comtum. Spartianus & comites ipſius Hiſtorici adhuc nos tenent; operæ enim Pariſienſes planè illud ſervant, σπεῦδε βραδέως· neque nos urgemus nimis: etſi mirificè diem illum videre optamus, quo moleſto operi gratum finem, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, imponemus: cogito enim è veſtigio ad vos, quò me pietas duplex vocat, ut piam matrem viſam, & ut res uxoris iſthìc, ſi poteſt, in tuto collocem. Addo & tertiam cauſam, ut te, τοὐμὸν μέλημα, diſſuavier, & aliquot tecum dies condam. O longum illud mihi tempus, quo te præſens præſentem videbo! Sed certè videbo, aſpiret modò votis qui ſolus facere ut poſſimus, poteſt. Ille te, amiciſſime virorum, ſervet, & quicquid tibi charum. Reverendo Seni D. Bezæ plurimam, niſi grave eſt, ſalutem. Vale cum tua, quam unà tecum ex animo ſalutat mea. *Lutetiæ Pariſiorum*, *a. d.* VI. *Eid. Septemb.* properante calamo, CIↃ IↃ CII.

Epistola

Epistola CCCVI.

✠ JUSTO LIPSIO.

1602. ET quòd Libellum inficetum, Musisque iratis natum, responsione sis dignatus; & quòd scripti illius tui feceris nos statim participes, utrumque juxta gratum. Ago igitur, præstantissime Lipsi, utroque nomine magnas maximas gratias. Erat omnino faciendum, ut semel saltem stili tui mucronem in istos verè λυσσώδας κύνας stringeres, quorum gregem Μαψιλάκας ille ducit; qui olim Epistolâ quâdam à te laudatus, cotidianos ex illo triumphos de te ducere intermisit nunquam. Illum dico γωνιοβέμβυκα, bipedem ὄντων ἐσσομένων πρό τ' ἐόντων arrogantissimum, peculatissimum, insulsissimum, qui Persium nuper impuris suis manibus conspurcavit. Decimus annus agitur, cùm gravissimum illum Poëtam publicè interpretati sumus haud mediocri diligentiâ; extantque in liturariis nostris quæ ad ejus lucem congesseramus quàm plurima: horum publicandi si impetus aliquando nos capiat, vix est ut contineri possumus, quin furiosum Magistellum pro suis meritis accipiamus. Sed ne illucescat ille dies, qui me exorbitantem à veræ virtutis semita, & eorum vestigia deserentem, quos πέρρωθεν quidem, sed tamen sequor, sit visurus: πρίν μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. Nam moderationem illam tuam, quâ in ista Pelusiotæ castigando æterna cum laude usus es, mirari facilius possim quàm imitari. Quis autem iste lucifuga tenebrio? Ego titulum totum puto falsum ac fictitium. Sed & hic, & quicunque alieni nominis obtrectationem gloriæ suæ segetem arbitrantur, ἐῤῥέτωσαν ἄϊστοι ἄπιστοι. Planè autem sic est, mi Lipsi, ut scribis; cùm primùm in lucem insubidus libellus ille prodiit, mirari multi, diripere & assiduè prædicare. Puto tamen, fore neminem adeò ἀμετάπειστον, qui post lectam dispunctionem tuam, priorem sententiam non sit mutaturus. Nos non mutabimus, qui insipidum illud scriptum ab homine erudito esse profectum, credidimus nunquam, palamque aspernati semper sumus. Vale, præstantissime Lipsi. *Lutetiæ Parisiorum, a. d. x. Kalend. Octob.* CIϽ IϽ CII.

Epistola CCCVII.

CAROLO LABBÆO.

NOn longior tibi, eruditissime Labbæe, mearum exspectatio fuit, quàm molestum mihi est, quòd tamdiu in ære tuo esse cogimur. Sed multitudinem occupationum mearum si habeas notam, aliâ apud te excusatione mihi opus non sit. Scis librum edi à nobis, haud scio quanti pretii, certè difficilioris & longioris operæ, quàm initio putabamus. Atqui illud etiam scito, minimam ferè partem nostri temporis hanc curam occupare. Potes ex eo conjicere, quantum nobis subcisivi temporis reliquum sit, quod scriptioni epistolarum impendamus. Venio ad tuas. In Regia Bibliotheca esse aliquid, quod tuo conveniat instituto, facile adducor ut credam; nondum tamen quicquam ejus generis in nostras manus incidit. Sed, mi Labbæe, in ea Bibliotheca, etsi regiis codicillis curæ nostræ commissa, peregrini adhuc sumus: optimum enim senem*, sed paulò morosiorem, offendere vitavimus, ac sponte hactenus nostro jure cessimus, ac porro etiam cedemus, nisi distinctè jubeamur à Rege, τοῦ γὰρ κράτος ἐστὶ μέγιστον. Si quando igitur in manus nostras ille thesaurus venerit, benevolentiam nostram experieris. De iis, quæ in nostra sunt potestate, nullam dico caussam, cur non illis utaris ut tuis; sed quid à me sperare possis, ipse nôsti. Omnia enim vidisti, quæ sunt penes nos. Placidius mihi est incognitus; quare ἄλλην δρῦν βαλάνιζε. Quòd editione Glossarii, quam parat ille juvenis Helvetius, ab incepto non deterreris, laudo constantiam, eoque nomine multum te amo. Fallor conjecturæ, aut non multum illi cucullati, quorum copiâ illum audio esse instructum, nos juvabunt. De Dionysio Gothofredo, εὐφήμει, ὅταν φίλος γὰρ ὁ ἀνήρ, & quod verè dicere possum, τὸ πᾶν ἄριστος. Quid videretur nobis de loco Macrobii, nuper scripsimus; nunc vel inspicere locum non licebat: si fallimur, & tua verior sententia, [movebamur cùm tuas legeremus] τὸ εὖ νικάτω. Placent quæ disputas de vocibus *ruma*, *rumus*, & θηλή. In voce κινέτης superest adhuc nescio quid scrupuli; sed cogitabimus. Cætera omnia, quæ apud Isidorum, aut alios emendasti, perplacent. Atque ego ab hoc velut gustu in spem magnam adducor, & toto corpore venio ad alteram epistolam tuam. Quòd putas, libelli, quem miseram è Bibliotheca

* *Joh. Gosselinum, Bibliothecæ Regiæ custodem.* Colomes.

1602. Thuani τοῦ πάνυ, auctorem esse Julium Pollucem, falleris, & cave credere. Ut Julius Pollux tam jejuni scripti sit author! at! recanta. Nam illa verba, quibus ait scripsisse, πλεῖστα ῥήματα κατὰ τάξιν τῶν διαφόρων πραγμάτων, non ad Julii Pollucis Onomasticum referenda, sed ad breves illos tractatus Glossis subjectos, ubi congeruntur rerum nomina planè κατὰ τάξιν τῶν διαφόρων πραγμάτων. Possum multis argumentis probare, multum distare à Pollucis sæculo, qui illa scripsit. *Superaria* scribas in Glossis an *superalia*, ciccum non interduim. Scis enim, duas has literas R. & L. in omnibus linguis in Manuscriptis esse permutabiles. *Plagiarius* & *Frogana* pro eodem posuisse Veteres, conjecturam facis è loco Glossarii. Ego non puto: monstrum hic latere, nullus dubito. Nôsti tamen, non pauca apud hunc Magistrum legi, de quibus jure illud Jurisconsultorum usurpaveris * [* Consti. tuta, lib. 10. ff. de Legib.], *Non potest omnium, quæ à majoribus dicta sunt, reddi ratio.* Hæc breviter & raptim ad tuas. Cùm eâ curâ, quæ me nunc exercitum habet, fuero liberatus, faciam libenter, ut si quid opera mea utilis tibi esse possit, tibi vacem. Vale. Amplissimo parenti tuo, & fratri optimo plurimam à me salutem. Etiam illud à te peto, ut virum eruditissimum Stephanum Claverium, à quo nuper literas accepi, meis verbis quàm amantissimè salutes. Scripsissem ad illum, nisi accepissem à Typographo, cujus operâ est usus, in itinere eum esse ut huc veniat. Quod petiit à me, id tulit. Velim hujus ne obliviscaris: πάλιν αὖ καὶ πάλιν ἔρρωσο. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IV. *Eid. Octob.* CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA CCCVIII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1602. AMplissime Domine, cùm nuper tui ad nos venerunt, ita curis eram non occupatus, sed confectus, ut gestienti ad te scribere otium defuerit & tempus. Ad quotidianum pensum operis jam molestissimi, & alia furtiva studia, quæ me devinctum tenent, accessit morbus uxoris vehementissimus. Dies enim decimus quintus agitur, cùm illam capitis vexat dolor planè capitalis, & prope ἄτλητος καὶ ἄφερτος, nisi dilucida quædam illi velut reparandis viribus darentur intervalla. Itum ad Medicos, & tentatum nihil non. Profecere tamen tot remedia ad hanc diem non multum. Sed bono animo sumus, quia μιᾷ φωνῇ affirmant nobis ἰατρῶν παῖδες, extra periculum rem esse. Exspe- 1602.
ctamus igitur τινὰ ἀπ' οὐρανοῦ βοήθειαν, certi, frustra futuram omnem θεραπείαν, nisi, quod nomen ipsum nos docet ἑλληνοεβραικὸν, humanis remediis Dei auxilium sit adjunctum. Ad hæc tot impedimenta cumulus ingens die illâ fuerat adjectus; jussi enim fueramus à Rege, Landgravium Hassiæ in Bibliothecam deducere. Diei ferè integri jacturâ constitit mihi illud obsequium. Sed erat tanti: dignissimus enim est ille Princeps, quem omnes colant, qui Musas amant. Venimus igitur ad librorum principalium gazam: mirari Hassus tantam tot codicum notæ tam bonæ copiam, & multa de nobis quærere; multa etiam ipse de suo in literas amore, & studio congerendæ Bibliothecæ. Ac congessit sanè prope jam μυριόβιβλον: quam tamen, dum tuâ licebit nobis uti, invisuri ipsi nunquam sumus: parare enim sibi vim librorum magnam multorum est, atque adeò omnium, qui à fortunæ opibus non sunt destituti; eligere & discrimen facere non omnium; conficere verò numeris omnibus absolutam qualem habes tu Bibliothecam, tua unius quod equidem sciam, Vir summe, laus est. Accepi ab illustrissimo Principe rem meâ tuâque admiratione dignam; nam cùm libros Mathematicos versaremur, dixit ille mihi, Josephum Scaligerum libellum de anno Persico ante annum scripsisse, atque ipsi nuncupasse: eundem cùm de peregrinatione Hassi brevi suscipienda inaudisset, obnixis precibus ab eo contendisse, ut cùm Lutetiam venisset, Commentarii de anno Persico, quem sciret esse in Regis supellectile libraria, usum sibi vel à te, vel si opus esset, à Rege impetraret. Obstupui, cùm hæc audirem, Scaligerum librum edidisse, & quidem ante annum, & id me ignorare; nihil ab illo, nihil à te, nihil à quoquam mortalium de eo libro me rescivisse? Verùm, nisi fallor, ne tu quidem oculatior heic quàm ego: itaque vix sum adductus ut crederem; sed ita esse, non semel atque iterum, verùm amplius decies sobrius Princeps affirmavit. De libro, quem petit, quid acturus sit, nescio: respondi illi, optare me prius de ea re tecum agere: nam si spes esset describendi ejus codicis, esset fortasse satius, rarum adeò κειμήλιον aleæ periculi eximi. Sed de his hactenus: nam de Hasso plura primo congressu; qui quidem iniquo animo ferebat, quòd tui videndi spem factam sibi à Rege frustra viderat cadere. Venio ad Indices tuos, quos curavi reddendos suis autoribus. Cùm libri venerint, dabo

1602. bo sedulò operam, ne quid eorum, quæ notasti, desideres. De Avicenna verò, quid ego tibi dicam, aut quibus verbis tibi gratias agam? Sed videris, amplissime Vir, superioris epistolæ meæ verba in aliam partem accepisse, atque ego scripseram. Neque enim ita projecti pudoris sumus, ut munus tantum à te petere sustineremus;

Non obtusa adeò gestamus pectora Pœni:

neque ita porro desipimus, ut magnitudinem tuorum in me ac meos beneficiorum non intelligamus. Quamobrem oro te atque obtestor, parce, Vir summe, verecundiæ nostræ, & tanto hoc munere noli nos onerare. Satis est quod jam apud te contraximus obligationis. Esto Avicenna tuus κτήσει· meus, si placet, χρήσει. Possum illo uti, sine ulla chartarum injuria: utar verò nunquam, quin tui memor & beneficiorum tuorum animum ad Deum convertam, & ab illo fausta tibi ac læta omnia, καὶ ἐν τῷ παρόντι, καὶ ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι supplex precibus petam enixissimis. Vale, & parcius nos ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* x. *Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA CCCIX.

JOSEPHO SCALIGERO.

1602. ADvenit tandem ille dies, cùm inlustrissima Princeps ad vos iter instituit. Exspectavi diu hanc occasionem, ut possem ad te mittere quæ paraveram pridem. Ea fuerunt hæc: Priscianus tuus, Pselli κεφάλαια ἀστρονομικὰ, Πρόχειρον annorum Persicorum, & libellus Proverbiorum Arabicorum. Ex his priora duo en habes in fasciculo: duo posteriora cur non sunt adjecta, æquo animo caussam accipe. Constitueramus ego & amplissimus Thuanus, si eum librum antè non vidisses, (quod heri demum ex tuis cognovi) nemine conscio, è Regia Bibliotheca, quæ fidei illius commissa, utendum tibi ipsum Regis exemplar concedere. Propterea cùm nuper binis literis de eo ad te scriberem, cujus esset is codex, aut ubi lateret, non adjeci: magni enim & Thuani & mea intererat, scire neminem missum ad te herilem librum: Νῷν γάρ ἐστι δεσπότης ἄγροικος ὀργὴν καὶ δυσκολώτατος· οἶδ' ἀμφ' αὐτὸν πάντες οἶγε ὅ, τῶν δυνάμενοι κατὰ τῶν μὴ παππομανέντων συνεχῶς αὐτὸν ἐρεθίζουσι. Quare cùm emanasset casu quodam nostrum consilium, quia hac non succedebat, aliam inire viam necessariò sumus coacti. Est hîc Medicus quidam, Græcè doctus, qui describendis Græcis libris misellus victum quæritat: cum eo amplissimus Thuanus, heri solum à rusticatione vindemiali reversus, acturus est hodie aut cras, ut summâ & fide & diligentiâ eum codicem tibi describat: ego futurus sum ἐργοδιώκτης· & ut quidque erit descriptum, statim ad te. Quare de hoc securus, aliud age: habes meam & ter maximi Thuani fidem obstrictam; quam profectò cis paucissimos dies, faciente Deo, liberabimus. Arabica Proverbia quòd nondum descripserim, oro te, ignosce mihi: occupatissimus enim sum, non in editione solùm Notularum in Spartianum, & comites ejus; sed & curis aliis multis, & molestissimis quidem; cùm præsertim menses jam aliquot ex gravi morbo decumbat uxor. Misissem quidem exemplar, quod mihi descripsi; sed neque illud est absolutum; & cùm ultrò adolescens Flessingensis ille φιλάραψ, quem mihi commendasti, onus describendi in se susceperit, peto à te, pauxillum temporis concedas adhuc nobis: tantisper dum nacti iterum illud autographum, quo ipse usus sum, inde potius quàm ex apographo meo libellum tibi describemus. Obsecro te, ne propter longiusculam hanc moram mihi succense. Juvenis ille, qui tuas heri mihi reddidit, non defuturam occasionem affirmavit, quoties vellem aliquid ad te mittere. Illi igitur, quem scio esse tui observantissimum, fasciculos meos posthàc sum commissurus. En etiam tibi primum Eusebii folium *, Burdegalâ ad me missum à certis hominibus, quos urit expectatio tui operis. Et ajunt illi, nihil esse caussæ, cur in hac palæstra amplius te exerceas, quod cùm Gurges tuus, ὁ πάντων καὶ ὄντων καὶ ἐσομένων λωιολικώτατος, mihi referret, penè in oculos involavi; à conviciis certè, etsi aderant magni & graves viri, non temperavi: erat enim indignum, instituì aliquam comparationem divinorum tuorum scriptorum cum iis, quæ ego aut Cluvienus præstare possumus, vel animo concipere. Sed negatur hodie, quicquam lectu aut fide dignum ab eo posse proficisci, qui palam veritati bellum non indixerit. Quare de tuo Eusebio comitia jam celebrata sunt, sententiæ dictæ. Quid quæris? Episcopus Vasatensis † si esses, omnes faterentur, quod res est, solum te in literis regnare; tuum unius esse, Eusebium redivivum præstare. Nunc dubitatur, an literas didiceris: nam Historiam Ecclesiasticam ut attingas tu, ingens nefas. O tempora! ô mores! Tu verò, magne Scaliger, cùm hæc vides, non rides? Non

* *Vide Epistolas Gallicas ad Scaligerum. pag.* 328.

† *Arnoldus Pontacus.* M. Velserus ad Joseph. Scaligerum. Epist. 26. pag. 802. Oper. *Colomes. Gall. Orient. pag.* 105.

1602. Non quò tendant illa, intelligis? Hortarer te, ut opus institutum acceleres, nisi otiosum putarem. σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνειν. Obtestor potius te, ut valetudinem tuam cures, & ad ridendum te pares, cùm illud ἔκτρωμα prodierit, si tamen aliquando proditurum est; nam ego non temerè dubito; & folium istud inane puto esse μορμολυκεῖον. Amicus Venetus * furit ἐλεαῖς μανίαις· urget nos epistolis; proponit gryphos; sic ipse vocat, & verè; sunt enim παιγνιώδη προβλήματα, etsi ut de re gravissima enixissimè petit à me, respondeam & solvam: *Eâ tamen lege*, inquit, *ne mihi satisfactum putes, si me ad Scripturarum tribunal obtorto collo rapueris.* Ipsa verba illius posui; quæ ut βλασφημίας γέμοντα, sine horrore non descripsi. Atqui ille addit, *pridem explosam penitus à magno illo Eboracensi* [Ebroicensem volebat dicere] *Episcopo fastuosam provocationem Scripturarum.* Judica nunc, & dic, quæso, mihi, potesne aliquid posse huic impietati adjici. Vale, illustrissime Vir; & quòd epistolam imprudens produxi, ignosce. Amplissimo Legato plurimam, nisi grave est, salutem velim nunties. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Eid. Novemb.* CIↃ IↃ CII.

* Philippus Canaius à Fraxinis.

Epistola CCCX.

DANIELI HEINSIO.

1602. Accepi ante mensem, opinor, quas ad me a. d. V. Eid. August. dederas. Longiores illas, quarum spem facis, vidi nullas; quæ si & scriptæ à te sunt, non promissæ tantùm; habeo quod cum fortuna expostulem, quæ literas tuas, rem mihi gratissimam, mihi invidit. Nam ut Aristophanis versum, sic epistolam tuam, quò longior fuerit, eò meliorem fuisse, qui notum habeam tuorum scriptorum genium, dubitare non possum. Sed nulla fortasse periit mihi tuarum; neque post illas, quæ redditæ sunt, quicquam ad nos scripsisti. Si ita est, noli longiore expectatione tuarum nos cruciare; cupio enim de te, & studiis tuis, atque inceptis omnia κατὰ λεπτὸν cognoscere. Novâ professione ornatum te, & Poëticam docere in Academia vestra, ex humanissimi atque eruditissimi literis Bertii primùm cognovi. Gratulor igitur tibi, mi Heinsi, & quidem planè ex animo. Simul magnum illum ἑῷον ἀστέρα veneror, fortunet benignus hæc auspicia; tibique ad maxima nato, ut maxima quæque donorum suorum largiatur, toto pectore ipsum oro. Hesiodi, quam curas, editionem cupidè exspectamus, 1602. vel propter notas tuas, quas fore eruditissimas, hoc est, Heinsio dignas confidimus. Hesychius, si nos audis, sequetur posteà; omnium veterum Criticorum, quos habemus hodie, longè, si quid judico, doctissimus, & seriò Græcantibus apprimè utilis. Multa obiter, ut fit, in eo scriptore emendavimus; quæ, etsi posse te operâ nostrâ carere scio, quia tamen ita vis, colligam simul ac otium nactus fuero: nunc enim sum occupatissimus; planè ut studia nostra diversis curis obruta jaceant. Etiam in Nonnum multa habemus; quæ ut describantur, brevi, cum Deo, curabimus, tibique mittemus. Vale, amicissime Vir. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* V. *Eid. Novemb.* CIↃ IↃ CII.

Quid de isto Hesychii loco censes? Εὔδοντι, δαίρει, πρῶτος &c. Scribimus: Εὕδοντι δ' αἱρεῖ [vel αἱρεῖ] πρωκτός· παροιμία ἀπὸ τῆς, εὕδοντι κύρτος αἱρεῖ· & καθεῦσιν· & κύρτος, non κύρτους. Et in fine: Κρατῖνος Ἀρχιλόχῳ. Elegantissimum proverbium est, εὕδοντι κύρτος αἱρεῖ; aut, si malis, αἱρεῖ· quod tamen minus probo. De iis dicebatur, qui viderentur ab omni parte beati, & qui perficerent quicquid instituerent. Scis quid de Timotheo, Duce Atheniensium, jactatum sit, quem æmuli sui pingebant κοιμώμενον, τὴν δὲ τύχην τὰς πόλεις αὐτῷ περιβάλλουσαν, ut scribit Plutarchus in Sylla. In libello autem de Malignitate Herodoti, idem narrans, vocem κύρτον usurpat.

Aliud etiam proverbium, in Hesychii Codice depravatum, ita scribendum: Ἐς πῦρ κορύζομεν, ἐς πῦρ ξαίνομεν: ex eodem in κορύζα. Sed hæc tu melius. Iterum vale.

Epistola CCCXI.

GEVERHARTO ELMENHORSTIO.

Accepi, eruditissime Geverharte, quas 1602. ad me dedisti, opinor, omnes. Primis respondi statim: alteris literis, quia eram, cùm illas accepi, ut ferè semper, occupatissimus, priusquam responderem, tertia tua epistola me oppressit in ipso articulo. Parabam enim isthuc fasciculum ad illustrissimum Scaligerum, ad te, & alios amicos meos, cùm tuæ mihi sunt redditæ. Quòd igitur diligentiâ tuâ officium meum antevertisti, velim persuasissimum tibi sit, nullâ meâ culpâ factum; sed per assiduas occupationes meas, quæ & plurimæ sunt, & molestissimæ. Quare neque de collatione exemplarium manuscriptorum

1602. ptorum fidem meam liberare adhuc possum; neque de poliendo commentario, quem scripsimus de Critica, vel cogitare. Urgemus enim nunc cùm maximè Auctorum post Suetonium novam cum uberioribus Notis editionem; quæ si ad umbilicum semel fuerit perducta, & vitam cum otio benignus Deus produxerit, multa, ut spero, quæ habemus non inchoata, sed affecta, brevi edemus. In his est prope jam absolutus commentarius de Lectis & Stragula Veterum Veste; qui liber non leviter nos aliquando exercuit. Sequetur posteà is, de quo nuper scripsisti; nescio an accuratior, sed prolixior certè, nisi fallor, expectatione tuâ futurus. Est enim pulcherrimum argumentum, & cujus notitia omnibus, qui in literis seriò versantur, sit necessaria. Verùm ista, quoniam tempore opus est, Deo permittimus. Vale, Vir eruditissime. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* v. *Eid. Novemb.* CIƆ IƆ CII.

EPISTOLA CCCXII.

ANDREÆ SCHOTTO.

1602. Binis tuis, Vir optime & eruditissime, unis meis respondebo; quando antevertit diligentia tua occupationes nostras. Ante mensem, & quod excurrit, quum mihi fasciculum tuum honestissimus adolescens traderet, spopondi illi, me statim librum à te missum esse lecturum, & brevi tuis responsurum; orare intereà illum, ut suis hoc tibi significaret, & nostræ fidei velut ἐγγυητὴς apud te intercederet. Quæ illius probitas est, amor in nos, in te etiam observantia, nòn dubito præstitisse quod prolixè receperat; ut valde miratus sim, cùm ex posteriore epistola tua cognoscerem, nihil horum adhuc te intellexisse. Sed fuerit fortasse in caussa discessus tuus ab Antwerpia. Quicquid hujus sit, oro te, Vir humanissime, cessationem meam ne sic interpreteris, quasi parum mihi gratæ accidissent literæ. Illæ verò, mi Schotte, longè gratissimæ; nisi quòd suppudebat, quòd non provocassem ipse prior. Tu enim major, & tibi æquum erat me in hoc officio præire. Nam merita in Rempublicam literariam tua quanti faciam, ne tu quidem nescis. Quò molestius fuit nobis, de tua oculorum ægritudine ea legere, quæ nuntiasti. Dicerem, factum malè, & non sic oportuisse; nisi certus essem, evenire omnia mortalibus, minima, maxima, ejus nutu & voluntate, qui sit non solùm *Maximus*, sed etiam *Optimus*. Non dubitas, illi te chariorem esse, quàm 1602. ipse sis tibi. Confide igitur, eruditissime Schotte, illius ἀφάτῳ καὶ ἀπεράντῳ, & παντοδυνάμῳ benignitati ac clementiæ, teque ipsi totum permitte. Sed quid ego γλαῦκα εἰς Ἀθήνας? quasi vel de robore animi tui dubitarem, vel professionem tuam & pietatem ignorarem. Venio igitur ad librum Vitarum comparatarum Aristotelis ac Demosthenis, quem misisti; ac primùm ingentes tibi gratias ago, quod usuram ejus, etiam antequam publicatus esset, mihi concessisti. Eram quidem, cùm illum accepi, occupatissimus; urgent enim nos operæ typographicæ, quas in editione Spartiani ac sociorum Historicorum occupamus; urgent & curæ aliæ molestissimæ: ut taceam assiduas amicorum ἐπισκέψεις, quæ me in hac negotiosissima otiosorum matre enecant: taceam etiam de gravissima uxoris valetudine, quæ menses jam duos corpus illi, animum nobis cruciat. Non tamen impedierunt ista, quin libellum tuum statim acceptum devorarem; quod cùm dico, simul & judicium meum de illo tibi ostendo. In tantis enim & otii & temporis angustiis nunquam lectioni ejus vacassem, nisi & argumenti genere, & tractandi modo mirificè & initio cepisses me, & captum tenuisses. Hortor igitur te, atque adeò oro etiam & etiam, utilissimi scripti editionem omnibus modis accelerес. Nemo Aristotelem, nemo Demosthenem amat, aut in illorum lectione seriò versatur, quin pro navata hac opera obnoxium se tibi sit agniturus. Sed, amabò, cui hunc ingenii fœtum sis commissurus, vide: fidelem & diligentem opto tibi Typographum. Levia sunt scripturæ peccata nonnulla, quæ emendanda prius quàm operis liber traditur. Si Plantinianis minus vacat, & Parisiensium operâ volueris uti, ego futurus sum ἐργοδιώκτης, neque aliter curaturus quàm si mea res ageretur. Utinam & Senecæ controversias ad nos misisses. Nam quid tibi cum Lugdunensibus Typographis? Equidem cùm nuper venisset ad me Candolus, & de tuo libro sermonem injecisset, vix illi fidem habere poteram. Illum nos & præsentem officii sui monuimus quàm diligentissimè, & absentem urgere literis non desinemus, priusquam res erit confecta. De fragmentis Polybii, etsi jam antè à Francisco Pithœo illa acceperam, immortales tamen tibi & habeo & ago gratias. Anni multi sunt, cùm eum Scriptorem nobilissimum magnâ diligentiâ recensuimus; sed quia versio à nobis exigitur, quæ nos à melioribus

1602. & gravioribus curis avocatura est, impetrare ipsi à nobis nondum potuimus, ut ei negotio seriò accingeremur: multa enim habemus in manibus, labore & industriâ nostrâ, si qua tamen illa est in nobis, fortasse digniora. Vale, Vir amicissime; & quæ obtemperandi tibi studio de libro tuo infrà subjecimus, eo animo accipe, quo scripsimus. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XV. *Kalend. Decemb.* CIϽ IϽ CII.

Epistola CCCXIII.

DAVIDI HOESCHELIO.

1602. VIr optime & amicissime, mitto tibi amici Pictonis tui literas, quas ab illo accepi; filii mitto nullas: caussam ex adjuncta epistola cognosces. Vellem, mi Hœscheli, & planè ex animo vellem, quod accidit, ne accidisset; neque enim futurum dubito, ut confundat te hic nuncius, & magno afficiat mœrore. Homo es, & homo humanissimus: pater eras; magna ista sunt luctûs incentiva, magna, fateor; sed aliis: tibi mediocria, aut potius modica; habes enim parata præsidia minuendo luctui, quæ nota sunt oppidò paucis. His, oro te, nunc utere, Vir doctissime; & literas, quarum tanta in te notitia, à vulgi calumnia vindica, quasi illæ nihil admodum cultoribus suis prosint. Tu verò proba exemplo tuo, τῇ γνησίᾳ καὶ μὴ ψευδωνύμῳ παιδείᾳ vim hanc inesse, ut eâ præditi non solùm de virtutibus disserere, verùm etiam præcepta illarùm καλοῦντος τοῦ καιροῦ possint exercere. Nemo est paulò saltem humanior Europâ totâ, quin sciat eruditissimum esse te, & omnia in numerato habere, quæ adversus luctum è veterum Sapientum scriptis solatia peti queant. Fac nunc experimento isto cognoscant tui familiares & amici, illa te non legisse, verùm imbibisse; non oblectationem ex iis quæsisse, verùm adversus omnia fortunæ tela certa inde remedia tibi comparasse. Super omnia veniat illius tibi in mentem, qui gravissima passus, auream vocem emisit: *Dederat Dominus; abstulit Dominus: sit nomen Domine benedictum.* τρὶς μάκαρας, mi Hœscheli, καὶ τετράκις, qui totos se cum omnibus suis providentiæ divinæ permittunt sic, ut quicquid eveniat, ita melius esse, persuasissimum habeant: ὦ τοῦ καλοῦ διδάγματος! ὦ νηπενθοῦς ὄντως φαρμάκου! Deum supplex veneror, det tibi hunc casum sic ferre fortiter, ut posthàc laude & omni genere bonorum florens inter florentes tuos, vitam producas quàm longissimè, quàm beatissimè. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XV. *Kalend. Decemb.* CIϽ IϽ CII. 1602.

Epistola CCCXIV.

MARCO VELSERO.

LIteras quidem abs te, præstantissime Velsere, superiore mercatu accepi nullas; sed librum accepi, mole non adeò magnum, existimatione meâ vel maximum. Habent igitur tandem Boji tui Historiam Rerum suarum, eâ diligentiâ è tenebris erutam, eâ stili felicitate compositam, ut quid amplius in ea quidem parte desiderent, reliquum sit nihil. Utri potius gratuler, illine genti, an tibi, nescio: sed gratulor certè utrique ex animo; tibi, quòd opus susceptum, ut erat te dignum, graviter & ex fide perfeceris; genti nobilissimæ & nostræ συγγενεῖ, uti probas, quòd virtutum suarum dignum tandem sit nacta præconem. Præses Thuanus, vir omni laudatione major, cùm ex Indicibus Francofordiensibus de libri hujus editione cognovisset, non quievit priùs, quàm totum εἰς πόδας ἐκ κεφαλῆς devorasset. Ex quo potes intelligere, quod sit ipsius de iis, quæ à te proficiscuntur, judicium. Nemo omnium mortalium est, qui majore judicio in literis versatur; & cùm subcisiva tempora non multa habeat, quæ musicis curis impendat, magnâ curâ quæ legit cumque eligit; ut qui δαιμόνιον virum nôrint, possint sine cunctatione pro optimo librum habere, quem ab eo sciant pellectum. Equidem munere tuo accepto, cùm ad eum accessissem, ut de mustei adhuc libri editione facerem illum certiorem, ita sum exceptus: *Vidisti ergo*, inquit, *Marci Velseri librum? ego verò ante aliquot dies totum legi.* Quid istis subjecerit, tacere malo, quàm in os tibi; & fortasse aliàs plenius de tota illa Historia quid vir summus judicet, prolixiore epistolâ sum expositurus. Nunc illud tibi narro, tristes me ad optimum Hœschelium literas mittere, ex quibus de obitu filii sui est cogniturus. Oro itaque te, nobilissime Vir, ut alloquio tuo minus illi gravem nuntium hunc efficias. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIV. *Kalend. Decemb.* CIϽ IϽ CII. 1602.

Epistola CCCXV.

JOSEPHO SCALIGERO.

ILlustrissime Vir, cùm de suo isthuc reditu Johannes Westhovius me fecisset certiorem, & operam suam ultrò mihi 1602.

1602. mihi obtuliſſet, ſi quid vellem ad te mittere, egi cum ipſo, ut faſciculum paratum multos ante dies, ut illuſtri matronæ, Auraici Principis viduæ traderetur, iſthuc deferendum vellet ſuſcipere; tædebat enim longæ adeò procraſtinationis. Accipies igitur, maxime Vir, quæ nunc mitto; & ad illa deſcribenda, de quibus alteris (eæ ſunt Priſciano tuo incluſæ) uberius ſcripſi, temporis paullò longioris uſuram nobis concedes. Non deerimus officio noſtro, neque ego, neque ampliſſimus & ſummus tui mirator, Præſes Thuanus. Sed per Deum immortalem, cura valetudinem tuam. Triſtiſſimum his diebus nuntium accepimus de obitu trium * luminum Academiæ veſtræ. Deus Opt. Max. ſervet quod ſupereſt, teque imprimis, Scaliger, decus ſæculi. Vale. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* XII. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CII.

* *Lucæ Trelcatii, Francisci Junii, Joannis Heurnii.*

EPISTOLA CCCXVI.

MOLÆIS FRATRIBUS.

1602. OMittite iſta, quæſo, chariſſimi Molæi; neque aggrediamini ea mihi perſuadere, *ἃ λέγοντες οὐ μή με πείσητε, οὐδ᾽ ἂν πείσητε.* Equidem voluntatis cujuſdam eximiæ erga utrumque veſtrûm teſtis ſum ipſe mihi: ſed veſtra ſtudia quàm parum pro illa infinita cupiditate mea adjuverim, id quoque probè ſcio. Accidit enim, ut meminiſtis, perincommodè, ut neceſſariis curis atque occupationibus penè ſemper, dum heic eſſetis, obruerer. Olim fortaſſe erit aliqua occaſio, re, non verbis ſolùm teſtandi, quantum ego ampliſſimum parentem veſtrum venerer, vos amem. Atque illuceſcat ille dies, cùm ſtudiis iſthic feliciter peractis, ſolidam *τῆς γνησίας νομικῆς*, cui nunc incumbitis, cognitionem, ceu ſpolia quædam opima domum deportabitis. Sic enim habete, *προσφιλέστατοι νεανίαι*, eſſe neminem qui vos nôrit, quin de veſtra indole rari aliquid ſibi ſpoponderit. Quò diligentius enitendum vobis eſt, magnâque animi intentione efficiendum, ut hanc expectationem tantam non ſolùm ne deſtituatis, ſed verò enim ſuperetis. Superabitis autem cum bono Deo facile, ſi adverſus omnes juventutis illecebras maturè animum obfirmaveritis, vobiſque ſeriò perſuaſeritis, *σὺν Ἀθηνᾷ δεῖν καὶ τὴν χεῖρα κινεῖν.* Nam quòd omnia abundè vobis, quæ natos ad magna adoleſcentes decent, contigerunt, genus, ingenium, educatio, alia; parum hoc tamen, niſi hiſce Dei donis tantis rectè utamini. Pergite igitur, optimi Adoleſcentes; & in ea vitæ ſecta, quam juſſu ductuque magni viri patris veſtri ingreſſi eſtis, conſtanter permanete. Scitote etiam, veræ laudis, quam aſſiduè expeti par eſt à vobis, unicam eſſe rectam ſemitam, quæ à principe Tragico certiſſimè demonſtrata, cùm dixit: 1602.

- - - - - Τῷ πονοῦντι δ᾽ ἐκ θεοῦ
Ὀφείλεται τέκνωμα τοῦ ΠΟΝΟΥ ΚΛΕΟΣ.

Valete, chariſſimi Molæi, & me *πάνυ ἐνδιαθέτως ὑμᾶς φιλοῦντα, ἀντιφιλοῦντες μὴ διαλείπητε· πάλιν ἔρρωσθε.* *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* XII. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CII.

Viro præſtantiſſimo Tibal. * niſi grave eſt, plurimam verbis meis ſalutem nuntiate. Cùm plus otii fuero nactus, ſeparatim ad utrumque ſum ſcripturus, *τοῦ Θεοῦ γε διδόντος.*

* *Fortè, Tiballerio.*

EPISTOLA CCCXVII.

JUSTO LIPSIO. ✠

VIx ſcripſeram quas ad te menſe ſuperiore miſi, præſtantiſſime Lipſi, 1602.
cùm redditæ mihi ſunt tuæ, a. d. VI. Kalend. Septemb. datæ. Eò fui in ſcribendo omiſſior; cùm præſertim curæ multifariæ & ſollicitudo de uxoris longa valetudine, ab accepta epiſtola tua, continuè hactenus me habuerint exercitum. Quàm autem jucundæ nobis literæ illæ tuæ fuerint, noli quærere. Equidem nunquam melius agi mecum arbitror, quàm cùm vel à te, vel à magno Scaligero literarum aliquid accipio. Sed hæ noviſſimæ tuæ eximiâ voluptate me perfuderunt, propter adſcriptum de literis Græcis judicium tuum †. O utinam nôrint omnes, qui tuam eruditionem, quanti par eſt faciunt, hanc tuam mentem & rectiſſimam *κρίσιν.* Ego certè dubitavi nunquam de tui judicii etiam in re iſta rectitudine. Sed ferebam impatienter, iſtos, qui *πᾶσαν τὴν Ἑλληνικὴν παιδείαν* faciunt non tanti, vel contra animi tui ſententiam verbis tuis poſſe abuti. De elegantiſſimo libello tuo ſcripſi nuper *τό γ᾽ ἐμοὶ δοκοῦν.* Omnino ſiquid in ea ſcriptione peccatum à te, illud eſt, quòd barbari hominis inſolentiam parum pro commerita noxa exagitaſti. Deum immortalem! Quantò melius cum humano genere ageretur, ſi parem modeſtiam ad docendum refellendumque afferrent omnes, qui Indices Francfordienſes bis implent quotannis: *Νῦν δὲ ὡς ὁρᾷς, ἔοικε τὸ τῆς εἰρήνης κήρυγμα· εἰς*

† *Conſer ſuprà, Epiſt. CCXCIV.*

ἔριδαν

1602. ἐρίδων ἱκανῶν, καὶ πολέμων ἀλλήλοις πεπλησθαι· ἀλλὰ τούτων ἡμῖν περὶ εὐσχήμως κείσθω. Vale, & nos ama, qui te ἐξ ἄκρου μυελοῦ ψυχῆς. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IX. *Kalend. Decembris*, CIↃ IↃ CII.

Epistola CCCXVIII.

DAVIDI HOESCHELIO.

1602. CLarissime Hœscheli, salve; ac scito redditum mihi tuum fasciculum; quo nihil gratius, nihil opportunius poterat nobis contingere. Nam eo temporis articulo ille advenit, quo facta à nobis erat in Notis ad Lampridii Alexandrum * tui mentio, cùm de Dexippo ali uid scriberemus. Olim ea fragmenta in nostras manus inciderant, sed tantùm ut oculis cerneremus, non frueremur. Cùm igitur toties Auctores, in quibus nunc sum, ejus meminerint, quo gaudio affectum me putas, cùm ea accepi, quæ fasciculo tuo continebantur? Perge verò, amicissime Vir, de studiis nostris, & omnium φιλομαθῶν sic mereri. Legam verò quæ misisti, & quicquid observavero, statim per literas communicabo. Opus nostrum fini jam proximum, beneficio Dei; qui si vitam & otium porro concesserit, & de Procopio fidem liberabo, & ita me comparabo, ut hujus honestissimi otii & Mæcenati magno meo, & omnibus bonis rationem reddam. Literas tuas curabo: sed jam non ignoras, opinor, quid acciderit. Scripsi nuper ubertim, & literas ad clarissimum virum Bongarsium misi, quas an acceperis, velim me facias certiorem. Scripsi & ad amplissimum Velserum, pro misso libro gratias agens, & de Privilegio scriptis nostris impetrando à sacra Majestate Cæsarea consilium petens. Oro te, & saluta illum meis verbis, & ex commodo ipsius tuoque appella. Scimus ab eo non insuper haberi nostras nugas: has certè Notas fortasse luce non indignas judicaturus est. Vale, charissime Vir, ac me ama. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CII.

* Cap. 49.

Epistola CCCXIX.

JOSEPHO SCALIGERO.

1602. SCripseram nuper ad te, nobilissime virorum, quasi literas meas alicui è familia Principis Auraicæ traditurus. Erat enim mihi pro certo affirmatum, post unum alterumve diem ipsam ab urbe profecturam: quod cùm aliter accidisset, paratum fasciculum Johanni Westhovio, Medicinæ Candidato, isthuc redeunti commisi commendavique. In eo δεσμιδίῳ fuit Priscianus tuus, cum Pselli libello quodam mathematico, quem visus eras ex postremis tuis videre velle. Liber de anno Persico cur non esset adjectus, rationes exposui necessarias; etiam de libello Proverbiorum Arabicorum, cujus utriusque exemplaris spem certam memini tibi fecisse eàdem illà epistolà. Intereà igitur, dum alter amplissimi Thuani mandatu tibi describitur, mitto Proverbia, amici manu descripta. Illius nempe juvenis † Flessingensis, quem ante sex, opinor, menses mihi commendasti. Is cùm Medicinæ professioni se paret, incredibili desiderio flagrat Arabicam linguam intelligendi: quo in studio tantum, meo judicio, jam profecit, ut spem eximiam de ipsius in hoc genere conatibus videamur posse concipere. Scio autem consilium ejus esse, cùm in his literis fuerit paullò versatior, de quibusdam difficultatibus ad te referre, teque obnixè orare, ut se illis solvas, velisque docere quæ nesciat: quod eò libentius te, illustrissime Scaliger, facturum confidimus, quia eadem me atque illum juveris. Sed hoc, postquam in lectione Avicennæ diutius se ille exercuerit. Nostræ in Spartianum Notæ fini jam, Dei beneficio, sunt vicinæ, quo in opere nihil mihi accidit jucundius, crebrâ tui nominis commemoratione; cui præbuerunt occasionem observationes in hos Scriptores tuæ, quas ante aliquot annos benignè mecum communicasti. O si possem à te idem beneficium in Athenæo quoque impetrare! Cur autem non impetrabo? aut cur tu cuiquam potius quàm mihi τοῦ περισσεύματος τῆς σῆς παιδείας copiam facies? Scimus quomodo nascantur tibi vel conclamatorum locorum emendationes. Scimus aliud agenti tibi solita in hoc genere venire in mentem, quæ nullo labore possimus ipsi excogitare. Quare oro te atque obtestor, quæ habes in Athenæum aut Polybium observata, ea velis nobiscum communicare. Adjicerem, & Strabonem; nisi puderet me, tantum oneris tibi imponere: neque enim nescio, quàm soleas esse occupatus, & quàm gravibus curis. Quod igitur commodo tuo fiat, petitionis meæ rationem ita habe. Super omnia illud à te contendo, ut difficillimis hisce temporibus, cùm isthìc pestilentia grassatur, valetudinis tuæ curam habeas, teque cum bono Deo nobis, imò Reipublicæ literariæ serves incolumem. Audivimus de Academiæ calamitate, & in obitu claris-

† Habianus.

1602. clarissimorum virorum * ex animo ingemuimus. Sed melioribus literis unicum est in te præsidium; tu solus earum dignitatem tueris. Faxit verò Deus Opt. Max. ut bono publico natus, vitam in studiis literarum & agas semper quàm beatissimè, & producas quàm longissimè. Vale, maxime virorum, & me semper ama. *Lutetiæ Parisiorum, prid. Non. Decemb.* CIↃ IↃ CII.

* *Vide suprà, Epist.* CCCXV.

Annus ferè est, cùm misi ad te expressas imagines aliquot gemmarum; tuam super illis sententiam exquirens. Eas literas, ut & aliquot alias mearum, periisse, eò suspicor, quia ad dubitationes meas nihil à te responsum tuli. Nunc verò mittit ad te vir nobilis Racassius de Bagarris plura id genus ἐκμάγματα, cum suis super illarum interpretatione conjecturis. Feceris verò & illi, & mihi rem gratissimam, si judicium tuum de illius suspicionibus nobis, cùm vacabis à gravioribus curis, aperueris. Vir ille & merito suo, (ἐστὶ γὰρ τῶν καλῶν, κἀγαθῶν, ἀρχαιολογίας τε σφοδρὸς ἐραστὴς) & quia magnus Thuanus vehementer illum amat, tuâ quoque amicitiâ dignissimus est. Rex illum elegit, quem præficeret suis antiquarum Rerum κειμηλίοις. Iterum vale. Amplissimo Legato Regio salutem hic adscribere per te liceat, oro.

EPISTOLA CCCXX.

THEODORO CANTERO.

1602. LIterarum infrequentiam mearum, Vir optime, si inconstantiæ meæ in tui amore & cultu putas esse argumentum, næ parum aut ingenium meum, aut præsentem statum nôsti. Nam animus quidem adversum te noster is est, eritque semper ὄφρα γούνατ' ὀρώρῃ, qui fuit hactenus; imò quem par erat, comitari opinionem, quam de tua virtute & singulari eruditione habemus. Sed ne faciam semper paria cum amicis in hoc scribendi officio, multa me impediunt. Valetudo toto fermè hoc anno adversa; deinde autem amicis dies solidos in hac negotiosissima otiosorum matre mihi solent adimere. Ut alia sexcenta occupationum genera taceam, quæ ad desperationem studiorum meorum quotidie me adigunt. Adde quòd verni & æstivi temporis partem in peregrinatione posui, quam ad piam matrem, in Delphinatûs remotissimis oris degentem, institueram. Ex eo itinere domum reversus, inveni quas ad me Majo mense dederas. Iis literis quòd non prius responderim, præter superiores causas, etiam illam possum afferre, quòd responsum à filio exspectavi, cui statim perferendas tuas curavi. Misi certè viâ tutissimâ Monspelium; quò ille se profecturum studiorum caussâ, novissimis literis scripserat. Ex Saumuro, quò è Pictonibus se contulerat, datæ erant, mihique ante profectionem meam fuerunt redditæ. Ex eo tempore nihil me ab ipso literarum accepisse, soleo mirari; sed multa potuerunt cadere, cur ille non scriberet, aut non inveniret cui sua rectè daret; maximè quidem ob absentiam meam ab urbe per aliquot menses. Scripsi tamen ad amicos Monspelienses, & rogavi, de eo significarent, si quid notum haberent. Est ibi Gigordius, Minister, vir pietate insignis, & mei amantissimus: est & Pacius, J. C. * cujus notum tibi procul dubio nomen: ad utrumque horum scripsi, & in dies literas ἀμοιβαίας exspecto. De carmine Nazianzeni, quod sub Amphilochii nomine publicatum est, dabo operam, si potest fieri, ut tuæ voluntati morem geram. Sed ne nos quidem, qui aliquot veteres codices ejus Patris tractavimus, Græcè id carmen legimus; nostrâ fortasse culpâ, qui aliud agentes, non attendimus. Soleo Regis Bibliothecam interdum adire; etsi, propter valetudinem, & loci distantiam, rarius. Cùm primùm ibo, meminero τῶν ὑποτχίσιων. Utinam aliud tuâ caussâ possim. Tu si me posse judicas, en tuus sum, & tuorum filiorum, quibuscum mihi vetus notitia, ut scis, intercedit. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XI. *Kalend. Januar. anno* τοῦ Σωτῆρος *Dionysiano*, CIↃ IↃ CIII.

* *Jurisconsultus. Vide infra, Epist.* CCCXXV.

EPISTOLA CCCXXI.

JOSEPHO SCALIGERO.

QUum ante dies quinque tuas accepissem, inlustrissime Vir, rescripsi statim viâ eâdem. Posteà venit ad me alter Puteanorum, qui adhuc in urbe sunt, rogans ut suas ad te curarem tibi perferendas. Etsi recens eram à scriptione, feci tamen lubenter, ut hanc quoque occasionem arriperem te appellandi. Nulla enim temporis pars est, quam tanta cum voluptate transigam, atque cùm ad te scribo, aut tuas lego: quanquam tu profectò, cui uni acceptum fero, si quid in literis didici, & vigilanti & somnianti ob oculos semper versaris. Quotidie magis magisque in tuis scriptis versanti nova subit admiratio tam altæ, tam abstrusæ eruditionis. Si per amicos liceret ex voto tempora mea disponere, constitueram 1602.

1602. Opus tuum non prius de manibus ponere, quàm eo penitus intellecto. Cùm à lectione Sacrorum Librorum discessi, nihil invenio, in quo majore cum fructu aut voluptate operam ponam. Christophori Laureti Chronologiam si non vidisti, faciam ut videas, & primâ occasione mittam. Interest veritatis, exstet de eo novo Chronologo judicium tuum. Non omnes, scio, illo stabunt; at illi certè, quibus cordi ἡ φιλαλήθεια. Eusebium tuum, per omnes te Musas oro, accelera. De Chronicis excerptis scripsi nuper: & scis tu, jus tibi esse in me & omnia mea; ut & mihi omnia imperare, & meis uti ceu tuis possis ac debeas. Sed optarem ipsum opus in tuas manus venire, unde nostras Eclogas excerpsimus. Gruterus posset id præstare tibi; qui haud dubiè vel in Palatina Bibliotheca, vel inter libros τῦ μακαρίτυ Sylburgii id opus reperiret. Nisi tu vetas, primâ occasione mittam nostras chartas, quas cur nuper non servaveris, miratus sum. Nos nescio quas veteres nugas recoquimus, & in Persium commentarium paramus, non sanè ad exemplum ullius Interpretum priorum. Si per valetudinem licet, & alia simul edemus πιϛοτροπα, quæ in liturariis nostris diu pro derelictis jacuerunt. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* x. *Kalend. Januar.* CIƆ IƆ CIII.

Est in hac urbe minister quidam *, è Provincia Narbonensi, qui librum à se compositum editumque Regi eâ lege obtulit, si præmium operâ dignum vellet rependere. Liber inscribitur, *Mecographie du Guide-Aimant*. Autor mirabilia promittit de inveniendis novâ arte locorum longitudinibus non per ecclipsium observationes, sed hujus inventi sui ope, certâque notione magnetici, ut loquitur, poli, & à mundi polo distantia. Cœli & nauticæ rei periti in consilium adhibiti, & autorem & inventionem μιᾷ φωνῇ dilaudarunt; quàm meritò, Hollandi tui judicabunt.

* *I. Nautonnerius à Castello-Franco. Colomes.*

Epistola CCCXXII.

DOMINICO BAUDIO.

1602. Legi, mi Baudi, quam misisti orationem, quæ vel si Ἰλιάδος μακροτέρα fuisset, tamen cupidos adhuc nos dimisisset, nec planè dum satiatos. Equidem hoc mihi non sumo, ut de talibus judicium putem ferre me posse: si quid tamen usu longo consecuti sumus, neque in totum linguæ Latinæ sumus ἀμύητοι, quid sit Latinè scribere, non scimus, nisi hoc est, ita loqui, ut tu loqueris. Sive versibus, sive τὰ καταλογάδην à te scripta lego, videor colloquentem mecum audire, sine fuco, sine cincinnis & meretriciis ornamentis, quibus insana hæc juventus τὴν τῦ λόγυ κομψότητα metitur. Quòd autem novum vitæ genus institueris, & ad colendas Musas, tam propitias tibi Deas, totum te contuleris, ita vivam, mi Baudi, ut ex ea re gaudium insanum magnum capio. Bene sit viris illis magnis, qui tibi isthic manum injecerunt, & in tua te castra, etsi fortasse obtorto collo, reduxerunt. Quantam enim passura fuit Respublica literarum jacturam, si tam excellens ingenium in tenebris & inter forenses rabulas, aut aulæ alicujus mancipia consenuisset? Scito vero, ex omnibus, qui rebus secundis tuis lætantur, neminem esse, qui magis ex animo tibi gratuletur. Vale, præstantissime Baudi, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* x. *Kalend. Januar.* CIƆ IƆ CIII.

Epistola CCCXXIII.

FRONTONI DUCÆO. ✠

Quòd serius paullò ad tuas respondeo, Vir eruditissime, eò factum, 1602.
quia expectabam Savilii ad tuas responsum. Sed illo cessante, pauca hæc ad te libuit scribere, ut scires, & quas ad me, & quas ad ipsum dederas, tutò fuisse curatas. Chrysostomus veteris Bibliothecæ vestræ, de quo mentionem facis, in cujus tandem manus venerit, nescio. Audire memini à multis, totam supellectilem vestram, etiam Librariam, miserè fuisse dilapidatam: ἀγόντων πάντων καὶ φερόντων φύρδην καὶ ὅπως ἕκαστος εἶχε δράστυς. Inde accidit, ut disjecta membra vix possint colligi. Equidem liquidò jurare possum, Bibliothecam meam ex casu illo incrementum nullum accepisse, ne pili quidem unius. Eusebius Scaligeri prelo jamjam subjiciendus erat, cùm ante mensem ad me scriberet. Opus est magnum, & tanto viro dignissimum. Pervenerunt in manus meas chartæ quædam, ex quibus dabitur fortasse mihi occasio scribendi ad Episcopum Vasatensem, qui isthîc aliam Eusebii editionem molitur. Sed ignarus morum hominis, adhuc supersedi. Curopalatæ codex Græcus non alius mihi visus, quàm τῶν ὀφφικίων & τῶν πατρίων τῆς Κωνσταντινυπόλεως· uterque liber editus posteà est. Sed aliquantò luculentius est exemplar meum. Panegyricos in Josephum & Susannam incidisse ἀγαθῇ τυχῇ in manus tuas, vehementer gaudeo.

1601. gaudeo. Non enim imitaberis, scio, infrunitos quosdam, qui ἐπὶ βιβλίων δυσεξευρέτων θησαυρίζει μέγα φρονοῦσιν, atque eorum usum nobis invident. Georgius, qui ad Scaligerum missus est, ille ipse est μοναχὸς Γεώργιος καὶ σύγκελλος, cujus meminit Cedrenus in ipso principio. In eodem Libro & Theophanes habetur, de quo etiam Cedrenus. Cave autem putes, quicquam ex omni vetustate extare cum Georgio conferendum, ἐν τοῖς περὶ τοὺς χρόνους. Codex vægrandis est, antiquæ manus, & characteris οὐ μάλα εὐαναγνώστου. Vale, Vir doctissime. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* x. *Kalend. Januar. anno* τοῦ Σωτῆρος Χριστοῦ *Dionysiano*, CIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA CCCXXIV.

✠ JOANNI A' WOUWEREN.

1602. Libros, quos misisti muneri, accepi superioribus diebus; cùm multò antè eos vidissem, & tuum in iis genium facile agnovissem. Gaudeo quod ad ornandas hujus generis literas videris te seriò contulisse, quæ & jam olim in deliciis mihi fuere; nunc autem ingravescente ætate, solæ, ἐλίγου θεῷ εἰπεῖν, cordi ac voluptati. Nos quoque ad illustrationem illius Historiæ symbolam fortasse non pœnitendam poteramus conferre, nisi animum & curas nostras multæ ac graves causæ aliò traducerent. Eæ cujusmodi sint, non difficile erit tibi divinatu, qui & nôsti me intus & in cute; & inter quos degam, non nescis. An enim putas, heic versanti fas fore, teneras quorundam auriculas mordaci radere vero? Nam quæ in eo argumento hinc inde prodière hactenus, negare non possumus, partim rerum ignoratione, partim auxiliandi videri vitiosa. O quando exorietur aliquis verè doctus, verè φιλαλήθης, & ab omni partium factione alienus, qui positam adhuc in medio palmam occupet? Equidem spero, te hoc animo & consilio isto ad hæc studia accessisse. Deum oro, hanc tibi mentem duit, & cœptis aspiret tuis. Quod superest, diuturni silentii mei causam paucis accipe. Cùm in hanc urbem secundùm veni ante annos quatuor, relatum mihi ab amicis familiaribus aliquando tuis, te, quandiu heic versatus es, solitum de me, de uxore, de liberis jocosos sermones cum nequissimo bipedum, qui Sidonio tuo tantum debet, habere. Non sum veritus virtute Dei, ne honestati domûs meæ talibus sermonibus posset noceri. Ipse virtutis & literarum amorem professus semper, cur riderer, materiam, quod 1602.
sciam, nemini mortalium dedi. Uxor pietate, probitate, & aliis muliebribus virtutibus conspicua: pudicitiâ autem adeò insignis, ut ne fabulæ quidem occasio vel minima sit ab illa data. Liberos vel ætas tam adhuc tenera ab eorum urbanis dictis, qui parentes parum amabant, tutos præstare debuit. Atque hæc eò tibi nunc aperio, non quòd aut novum, aut admodum mihi videatur δεινὸν extitisse, qui me riderent, aut mea; sed ut causam agnosceres, cur ad varias epistolas tuas, quas ex Italia & Germania ad me misisti, respondere hactenus supersederim. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IX. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CIII. *anno* τοῦ Σωτῆρος *Dionysiano*.

EPISTOLA CCCXXV.

THEODORO CANTERO.

EXspectavi diu occasionem scribendi 1603.
ad te, amicissime Cantere, quia uberiores filii tui literas incertæ fidei hominibus nolebam committere. Eas ille misit ad me è Pictonibus, profectus illic tuo, ut audio, nonnihil etiam meo consilio, non tam studiorum causâ, quæ parum ibi calent, quàm ἱστορίας χάριν καὶ θέας. Novissimis literis, quas ab eo accepi, cognovi cogitare ipsum in Narbonensem Galliam, habereque in animo, Monspelii aliquot menses subsistere. Laudavi consilium, cujus & auctor ei fuissem, si sponte suâ illud non cepisset. Inveniet ibi Julium Pacium *, qui ferè solus hodie in nostra Gallia cum laude Jus Civile profitetur; & est alioqui ea pars Galliarum, si qua alia digna, quam οἱ φιλοθεάμονες ἀρχαιολογίας ἐρασταὶ ducant visendam. Equidem in filio tuo eas pietatis & ingenuæ probitatis scintillas animadverti, ut non multò aliter ac si meus esset, fausta ipsi omnia optem, & læta. Libros tuos de Mysteriis & opertaneis Veterum sacris cupidissimè expecto: oro te & attestor, ne velis hanc operam publico diutius debere. Nos hisce diebus finem imposuimus notis in Spartianum & comites Historicos; quæ si politissimo judicio tuo & paucorum aliorum fuerint non improbatæ, erit cur me non malè tempus existimem posuisse. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *initio anni*, quem tibi tuisque felicem precor, CIↃ IↃ CIII.

* *Vide suprà Epist.* CCCXX.

Epistola CCCXXVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

1603. SPero tibi redditos omnes fasciculos meos, quos à tribus mensibus ad te misi; cupio tamen ex tuis literis id cognoscere; teque oro, ut me facias ejus rei certiorem. Misi autem ad te per quendam Medicinæ Candidatum Pselli, quem visus eras desiderare, libellum: deinde cùm Princeps Auraica isthuc proficisceretur, viro nobili Van der Mylio Proverbia Arabica, & aliquot veterum quà nummorum, quà gemmarum rarioris figuræ ἐκμάγματα tradidi, ut tibi deferret. Scripseram etiam aliquantò prius literas non unas; quas an acceperis, nescio. Novissimæ enim quas à te accepi, eæ sunt, quas Eremita tuus, adolescens eruditissimus, attulit. Is si ad te scripserit, quantum apud me συςατικὰ tua ponderis habuerint, significabit. Non enim prius conquievimus, quàm fuit ei optimè consultum. Liber de anno Persico in tuam gratiam jussu magni Thuani describitur. Constitueram, operis partem ad te mittere; sed consilium meum casus impediit. Sed brevi te habiturum librum integrum, cujus pars magna jam descripta, sanctè tibi polliceor. Διαγράμματα, quæ sunt quàm plurima, sollicitos nos habent: nam ille Medicus*, qui operam suam mercede addixit, τῶν μαθημάτων rudis, eorum transscriptionem in se noluit recipere. Cùm librum ipsum legeris, statues necessaria sint, an non, ea διαγράμματα: quæ si desideraveris, πάντα λίθον κινήσομεν, quo voluntati tuæ satisfiat. Tu modò, Vir illustrissime, ne tuarum desiderio diutius cruciemur, vide. Hoc mihi nihil jucundius possit accidere. Sum enim de te & tua valetudine non secus sollicitus, ac si pater sis meus: & meretur sanè summa in studiis præstantia tua, ut omnes, qui illas colimus, te amemus, te veneremur, ut communem & literarum & literatorum parentem. Ego faciam sedulò, dum spiritus hos reget artus. Vale, Vir maxime, & nisi grave est, amplissimum Legatum meis verbis salvere jube. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* v. *Eid. Januar.* CIↃ IↃ CIII.

* Vide supra, Epist. CCCIX.

Jacobus Lectius, Senator Genevensis, misit ad me carmen, meo judicio, non inelegans: ejus exemplum volui isthuc venire. En illud tibi. Quid nuper Genevæ acciderit, puto esse tibi notum. Deus certè est, qui illam servavit. Mitto etiam exemplum Psalmi, Arabicè hic editi, ipsius Typographi ἀνεγίδων: ab eo enim accepi, ut deferendum tibi curarem. Planè hic θαυμάσιος homo est, qui δημιουργὸς ὢν τὸ ἐπιτήδευμα prorsusque literarum expers, tanto exarsit tamen Musarum Arabicarum amore, ut curas omnes ei studio videatur postponere. Itaque tantum profecit, ut suapte industriâ characteres hosce ipse inciderit, & quandam etiam Grammaticen sibi collegerit.

Ad hanc respondet Scaliger. Epist. LXXVIII.

Epistola CCCXXVII.

BONAVENTURÆ VULCANIO.

1603. VIr clarissime, accepi literas tuas, quas mihi tabellarius hic reddidit: priores, quarum mentionem facis, vidi nunquam. Mirabar sanè quid esset, cur mearum tamdiu responsum nullum ferrem. Atque hoc silentium tuum non mediocriter sinistrum rumorem firmabat, qui de tua valetudine allatus ex Anglia in Galliam, diu tui amantes torsit: multos enim menses publica fama frequentavit, te gravi morbo implicitum, (ὃ μὴ γένοιτο, οὐδ' ἔσται) studiis & literariis curis in totum renuntiasse. Nec deerant, qui tristiora etiam loquerentur. Quamobrem post scriptas superiores meas, egerunt varii Typographi cum Episcopo Bellovacensi, ut tuum Cyrillum sibi traderet edendum. Erant in his Perierius quidam, Parisiensis, & affinis ille ὁ μακαρίτου Commelini, qui ei Typographio nunc præest. Erant & alii: sed omnibus restituimus nos; cùm facinus immane dictitaremus esse, cuiquam potius quàm tibi parenti hunc excellentissimi ingenii tui fœtum committi. Impetravimus verò non ægrè ab humanissimo viro, ut tuas exspectaremus. Idem cùm epistolam tuam legisset, & rescripturum se, & voto tuo, ubi primùm esset occasio, satisfacturum affirmavit. Cùm igitur ante triduum de tabellarii hujus opportunitate eum monuerim, & literas ab eo, & librum ipsum in horas jam exspecto. Nondum tamen, cùm hæc scribebam, quicquam ab eo acceperam: sed lentitudinem hanc excusavit nudius tertius, mandavitque puero meo, ut occupatum se in curando matris funere nuntiaret. Urgebo tamen, daboque operam sedulò, ne prius discedat tabellarius, quàm librum tuum abstulerit. Atque utinam aliud quid tuâ caussâ possem: scires, Vir doctissime & amicissime, ex omnibus, qui summam eruditionem tuam in Rempublicam literariam merita maximi, pro eo ac debent, faciunt, neminem esse unum,

1603. unum, cui ego in amore tui ſim conceſſurus. Tu viciſſim ut nos ames, te oro. Vale, præſtantiſſime Vulcani. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d. Eid. Januar.* CIƆ IƆ CIII.

EPISTOLA CCCXXVIII.

CAROLO LABBÆO.

1603. DIctum vetus eſt, humaniſſime Labbæe, moræ lenocinium eſſe magnum: quare non dubito, & meas, & τοῦ πάνυ Thomſonis, quas nunc mitto, literas eò gratiores tibi futuras, quò exſpectatiores venient. Qui faſciculum à Thomſone attulit, Photium idem mihi attulit. Quatuor, & quod excurrit, ſunt menſes, cùm amicus quidam Thomſonis & literas, & librum ab illo acceperat, ut ad me deferret: ſed cùm ille præter opinionem in Anglia remanſiſſet, neque ex ea Inſula pedem extuliſſet, poſt τελμένε expectationem ſuam repetiit ὁ καλὸς κἀγαθὸς Richardus; qui aliâ epiſtolâ, quam amiciſſimo Puteano oſtendi, moram longiorem excuſat. Habemus ergo tandem Lexicum illud τελπόθητον Photii; quod mittam ad te, mi Labbæe, ubi primùm occaſio ſe obtulerit bona & tuta. Qua in re tuum, & optimi Puteani conſilium ſequar. Velim autem cùm in tuas manus ille liber pervenerit, eo utaris ſtatim, & poſteà remittas. Nam ut ad ea, quæ nunc ſunt in manibus, parum ex uſu is codex nobis eſt; ſic ad proximas curas, quibus me jamjam, cum bono Deo, accincturus ſum, magnæ utilitati videtur futurus. Probo conſilium tuum de inſerendis Placidii Gloſſulis illis, quas edidit Vulcanius. Sed opus hic tuis Notis: nam pleraque eorum, quæ adſcripſiſti, ſine dubio detorta ſunt ex Varronis & Feſti libris; quod facilè, ſi attendas, obſervabis. *Actarii* ſunt *Actuarii*, de quibus in Jure, & ſæpe in Hiſtoria Romana. *Arſe verſe*, non eſt proverbium; ſed eſt formula averruncandi incendii, ut docet Feſtus. *Carminatores* à *carendo* dicti, de qua voce Varro, & magnus illius Interpres *. Quæ de vocibus *deribere*, & *deribitio*, & *deribitorium* ibi leguntur, non ſunt τελυβόλυ ἄξια. Sed notum eſt, quid ſit *diribere* & *diribitorium*. *Muſſus* ineptè pro *amuſſis*. Omitto reliqua, ad ſuos fontes à te in Notis revocanda. Chryſoſtomi τοῦ ὡς ἀληθῶς χρυσοῤῥήμονος πατρὸς εἰς τὰ Βάϊα, cùm libuerit mittere, utar gratus, & reddam fide bonâ. Scis omnia mea tibi patere: hoc volo tibi eſſe perſuaſum, & ut me ames. Deus Opt. Max. te ſervet cum venerando patre & chariſſimo fratre tuo. Vale. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* XI. *Kalend. Febr.* CIƆ IƆ CIII. 1603.

* Joſephus Scaliger.

EPISTOLA CCCXXIX.

JOANNI PORTHÆSIO.

EGo verò, mi Porthæſi, te conſulere, quàm à te conſuli malim. Tu 1603. enim major; tibi me eſt æquum cedere: quod & libentiſſimè facio: nec tibi ſolùm, vel propter ætatem, [ut de eruditione nihil dicam] viro venerando; ſed verò etiam cuivis è trivio, qui me aliquid docere fuerit paratus. Equidem non inficias eo, quantum per furores noſtrorum plus quàm civilium bellorum licuit, id ſedulò egiſſe me, ut aliquid addiſcerem; ſed omnium laborum meorum hic jucundiſſimus ad me redit fructus, quòd deſcendere in memet didiciſſe videor, & nôſſe, quàm ſit mihi curta ſuppellex. Ingentem enim & propè infinitam diſcendi cupiditatem, quâ flagramus, facultas comitatur oppidò quàm tenuis. De propoſita quæſtione ſic paucis habe. Planè divina res eſt Hebræorum Critica, quam ipſi Maſſoram vocant. Sepem Legis ſolent Rabbini hanc indigetare πάνυ εὐστόχως: quod tu non ignoras, qui, ut video, in hac palæſtra te exercuiſti. Originem Maſſoræ variè explicant Judæorum Magiſtri. Vidiſti, credo, quæ ſuper ea re ſcripſit Elias Levita, in Præfatione ſuæ Maſſoreth Hammaſſoreth. Vir ille doctiſſimus & acerrimi judicii haut dubiè ſenſit rectè hac de re; etſi ſcripſit non ſatis rectè. Videtur enim tandem eò revolvi, ut eorum accedat ſententiæ, qui putant traditam Maſſoram Librorum Sacrorum ab ipſis eorum Auctoribus: quod non ſolùm falſum, ſed & ridiculum eſt. Neque hoc non videbat Elias; quod facilè ex ejus verbis apparet: ſed nihil difficilius eſt, quàm uſu confirmatum errorem vel agnoſcere, vel liberè repudiare. Atqui omnino verum eſt, Autorem non eſſe Moſem τοῦ כתיב & קרי, eſtque παγγέλων exiſtimare, ab ipſis autoribus eſſe profecta, quæ in arte illa docentur. Similior veri eſt eorum Rabbinorum opinio, qui inventionem τοῦ כתיב & קרי ad ſapientiſſimum illum Legis Scribam Ezram referunt. Sed hoc verum fuerit in Libris duntaxat Moſaicis & aliis antiquioribus. Nam ut diſputat Elias rectè, in ſcriptis recentiorum Prophetarum vix opus adhuc fuit correctorum diligentiâ. Horum ſententiam putamus nos aut ve-

ram,

1603. ram, aut veræ proximam; neque dubitamus, vel Ezram, vel alios circa illa ferè tempora, initium dedisse huic Hebræorum Criticæ; quam posteà doctissimi quique è Judæorum Scholis tractarunt. Quemadmodum autem Philosophorum apud Græcos, atque etiam Grammaticorum Sectas legimus fuisse; ita & Massoretarum diversæ Scholæ, ac velut familiæ extiterunt. Nam quæ in Oriente remanserunt Synagogæ, præcipuum hujus eruditionis autorem secuti sunt Jacobum, Nephtali filium. Qui in Occidentem & veterem patriam redierunt, conditorem Massoræ suæ laudant Aaronem, filium Ascher. Ita scissa* est hæc disciplina in duas ὡς εἰπεῖν αἱρέσεις, בן אשר & בן נפתלי. Qui existimant, Massoram corruptorum Librorum τεκμήριον esse argumentum, næ illi magni criminis se obligant; cùm potius certæ fidei & integræ testimonium divino Verbo hæc ars præbeat. Quod aliquando, Θεοῦ διδόντος, nostro quodam exactæ diligentiæ commentario sumus probaturi. Orbiculi, de quibus scripsisti, nullum alium usum habent, nisi ut Lectorem admoneant, ut oram libri consulat, inventurus ibi notam Massoreticam. In magnis Bibliis tamen Venetiis notæ Massoretarum, non ut fieri amat, ad contextum in margine sunt adnotatæ: verùm partim in eo intervallo, quod est inter Hebraicum textum, & Chaldaicum Targum; partim utrique illi pagellæ subjicitur. Solent marginales Criticorum notæ singulis ferè literis scribi; ut videbis eo, quod diximus, interstitio. Exempli gratiâ: Circulus τῷ ב־א impositus rejicit ad notam, quam illo loco habes: quid autem illi numeri significent, declaratur in altero, quem indicavimus, loco. Cùm hic orbiculus duabus dictionibus interjicitur, scire licet, ad utrumque verbum adjectam notam criticam pertinere. Non minima sanè difficultas est, omnes has notationes ejus artis rectè intelligere: quâ re excelluit olim divinus vir Joannes Mercerus, omnium Christianorum nostri seculi sine controversia Hebraicè doctissimus. Speramus non mediocrem aliquando lucem operâ nostrâ accessuram huic studiorum generi: verùm hoc Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται, χρόνου γὰρ δεῖ καὶ σχολῆς. Nunc quidem aliæ curæ nos habent. Vale, & nos ama. *Lutetiæ Parisiorum, propridie Kalend. Februar. anno* ἀπὸ τῆς τοῦ λόγου ἐνανθρωπήσεως, CIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA CCCXXX.

JOHANNI VASSANIO.

QUàm gratæ mihi literæ tuæ fuerint, 1603. charissime Vassani, vel ex eo conjicere potes, quòd semi-æger hæc ad te exaro, postpositis aliis curis multis. Sed nolui tam bonam prætermittere occasionem tuis respondendi, ut & lætari me amore tuo intelligeres, & mutuæ benevolentiæ significationem à me vicissim acciperes. Gratiarum actionem, quâ apud me uteris, eatenus admitto, ut animi mei te potius rationem habere censeam, quàm meritorum: quæ agnosco & ipse tenuia, cùm esset ille magnus, & tuorum studiorum adjuvandi cupiditas vehemens. Sed incidit tuus ad nos adventus in ipsam negotiorum nostrorum ἀκμὴν, ut tute scis probè. Quare succisiva temporum, quæ tibi impenderemus, habebamus propè nulla. Nunc abundabimus, spero, otio, postquam ex hac valetudine vires receperimus; quod brevi confidimus futurum, ἐν τῷ Κυρίῳ. Opus institutum *, mediocri diligentiâ usi, inter curas plurimasque & molestissimas longumque τῆς φιλεργίας morbum, absolvimus tamen ante dies ipsos octodecim, eoque nomine Deo laudes diximus: non quasi aliquid μέγα καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι præstiterimus; sed quia scriptionem experti longiorem, quàm initio conceperamus animo, dici nequit, quoties prius quàm pervenimus ad umbilicum, tædiaverimus. Exspectari scimus eum librum à multis; quorum exspectationi si minus lectio responderit, eo nos solabimur, quòd bonâ fide τὸ καθ' δύναμιν in continuis interpellationibus ad ejus Historiæ lucem contulimus, quod ante nos fecerat nemo. Osores horum studiorum, de quibus aliquando garrire unà tecum memini, aut Marrucini obtrectatores nostri nominis quid judicaturi sint, ne curamus quidem. Verùm de his plura aliàs. Vale, mi Vassani, & silentium meum apud lectissimam matrem tuam patrocinio tuo subleva. Uxor illi tibique plurimam salutem. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IV. *Eid. Februar.* CIↃ IↃ CIII.

* Notas in Spartianum, &c.

Senem summoperè reverendum Bezam, & clarissimum virum, mihique conjunctissimum Lectium meis verbis salutes velim. Scripsi ad illum nuper: nunc quoque fui scripturus, si aliter habuissem.

EPISTOLA

Epistola CCCXXXI.

JOSEPHO SCALIGERO.

1603. ONerasti magno onere pudorem meum, divine Vir, literis iis, quas à te paucis diebus amplissimus Thuanus binas mihi reddidit. Equidem in animum induxeram, beneficiis illis immortalibus, quæ me tibi devinctum tenent, cumulum nullum posse tantum accedere, cur ego propterea fierem tibi obligatior: tantum enim debere tibi me intelligebam, quantum plurimum cuiquam deberi ab aliquo mortalium potest. Sed me ratio longè fugit, ut tùm primùm intellexi, cùm novissimas tuas accepi. Nam etsi & plurima, & maxima sunt priora tua in nos merita, unius tamen hujus accessione ceu vægrandi quodam cumulo, præterita omnia videris obruisse. Quare noli exspectare, ut munere tuo dignas tibi gratias agam. Superasti hac benignitate & insigni comitate non exspectationem solùm meam, sed & vota etiam. Nunquam enim venerat mihi in mentem, ut vel optarem beneficium à te tantum: occupationes enim tuas nôram; neque autem vel mea, vel omninò cujusquam privata studia esse tanti unquam putavi, ut eorum à te ratio haberi deberet. Quanquam si per te licet, non uni mihi aut alteri amico Flessingensi * eam operam navaveris, sed omnibus qui his literis delectantur. Habeo in adversariis meis Græcorum præsertim Proverbiorum non mediocrem sylvam. Est animus, si consilium probas, centuriam unam inde excerpere, & brevi publicare. Præponam meis tua hæc, & de collato in me beneficio publicè tibi gratias agam. Sed priusquam liber prælo subjicitur, proximis literis indicabo tibi, quomodo Maronitæ Romanenses illa verterint, quæ alibi negas tibi lecta. Habeo enim & illorum versionem; sed quæ, cum tua collata, vetus dictum tollat: ὁ Χῖος πρὸς τὸν Κῷον· nihil enim ineptius; addo etiam, imperitius. Hæc igitur proximis literis. Nunc mitto tibi librum de anno Persico, beneficio magni Thuani descriptum: ipsi cum vetere codice ἀπόγραφον comparavimus. Sed quia urgebat optimus & tui observantissimus Eremita noster, institutam collationem ad umbilicum perducere non potuimus. Diagraphas, quæ plurimæ sunt, non adjecimus; quia necdum repertus, qui illarum descriptionem vellet suscipere. Si eas desideras, ἐξαύδα μὴ κεῦθε νόῳ, nos jussa capessere fas est. Certè operam dabimus, atque adeò efficiemus σὺν Θεῷ εἰπεῖν, ne fidem, diligentiam, pietatem denique nostram tibi defuisse possis aliquando queri. Parabam alia multa, de quibus tecum garrirem. Sed adfuit hæc scribenti Eremita noster, qui propè convitio fasciculum poscebat. Vale igitur, illustrissime Scaliger, & diu vive quàm felicissimus. Si otii plusculum fuisset, ad amplissimum Legatum de furore amici Venetensis † ea scripsissem, quæ ille esset admiratus. Clarissimo viro Vulcanio, nisi grave est, salutem à me velim nunties; serióque illi confirmes, vel ipsius caussâ, quem amo & colo, vel quia tu jubes, cui non per omnia obsequi, impietati proximum ducam, curæ mihi esse & futurum ejus Cyrillum. Sed mira quædam est hominum improbitas: nam cùm rogatu Episcopi Bellovacensis ad illum de hoc negotio primùm scripsissemus ‡, posteà incessit hominem superstitio; & quod ultrò obtulerat, id nullâ adhuc vi, nullis machinis extorquere potuimus. Sed omnia experiemur; neque antè quàm re, ut spero, confectâ conquiescemus. Vale iterum. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIII. *Kalend. Mart.* CIƆ IƆ CIII.

* *Hadriano.*

† *Philippi Canaii a Fraxinis.*

‡ *Vide supra, Epist.* CCCXXVII.

Epistola CCCXXXII.

EIDEM.

CUm ante menses fermè duos munus incomparabile à te accepissem, divine Scaliger, Arabicorum Proverbiorum interpretationem, etsi jacebam tum ἑκταῖος ἤδη ἀπὸ τῆς νόσου κλινήρης, surrexi tamen, & quàm primùm fieri potuit, ad te scripsi, gratiasque tibi, pro eo ac debui, gratissimas egi. Adjunxi illi epistolæ librum de anno Persico. Atque hunc fasciculum Eremita tuus, si tamen tuus, Belgæ cuidam mercatori tradidit, isthuc è Sangermanica panegyri redeunti. Spero omnia rectè curata esse: literas tamen tuas, quæ sollicitudine omni me liberent, avidè exspecto. Διαγράμματα, quæ mitti tunc non potuerunt, si planè ita vis & jubes, faxo habeas: audebimus enim tuâ gratiâ καὶ τὰ ἀκίνητα κινεῖν: præsertim si aliquem tibi notum mihi indicaveris, cujus fidem habeas exploratam. Accepi ex eo tempore binas tuarum; alteras Bibliopola vestràs attulit, alteras ante septem dies ὁ πάντα ἄριστος Θουανὸς ad nos misit. Ex iis cognovi sollicitudinem tuam de valetudine nostra. Quid? tu ergo μάντις, & certus vates? Nam quis tibi dixit, parùm valere me? Atqui gravissimè tùm ægrotabam, cùm 1603.

illæ

1603. illæ tuæ mihi amoris ἐνδιαθέτου notis plenissimæ literæ redderentur: ut ingens θαυμασμὸς animo subierit, unde tibi hæc suspicio sit oborta: nam vicini mei de valetudine mea nihil dum cognoverunt; etsi dies jam viginti vel lecto, vel certè cubiculo continemur. Quamobrem hæc quoque μαντικὴ tua obstupefecit nos. Amoris verò tui vehementia πῶς, δοκεῖς, ἡμᾶς διέθηκεν. *Principibus placuisse viris*, inquit ille, *non ultima laus est*: amari verò à te, Literarum unico Rege & Imperatore summo, amore præsertim adeò vehementi, quantum est? Sed tu, qui morbum nostrum εὐστόχως conjecturâ divinasti, caussam tamen illius veram, mihi crede, assecutus non es. Nam studia nostra adeò non sunt immodica, ut per illa æternitatem nobis liceat sperare. Olim fortasse paullò vehementius aliquid conati sumus; sed δηὸν δὴ ἀκίχητα pridem desimus: nec jam aliter quàm διὰ γυγῆς χάριν Musas colimus. Si fidem mihi non habes, at operi novissimo, quod superioribus diebus ad te misimus, scio, credes. Sex enim Historiæ Augustæ Scriptores sic accepimus, ut corporis animique languorem, & hoc amplius τὸ ἀφρόντιστον scriptio ipsa primo aspectu prodat. Ajunt verò παῖδες ἰατρῶν morbum hunc, (ἴκτερος est vehementissimus & contumacissimus) non magis à contentione in studiis, quàm ab acrioribus curis & molestiis solere proficisci. Multa autem publica quotidie accidere, quæ virum bonum luctu & mœrore possint conficere, non clam te est; ut de sollicitudine εἰς τὸ μέλλον, tot imminentibus procellis, nihil dicam. Enimverò ad cæteras molestias nostras gravissimas superioribus diebus cumulus accessit per Eremitam, quondam tuum, nunc tuo & omnium, queis pietas cordi, odio dignissimum. Is juvenis insanum magno πλεονεξίας οἴστρῳ βληθεὶς, cùm prioribus conditionibus, quas studio & commendatione meâ nactus est, sanè luculentas, non acquiesceret, casu quodam non tam volente me, quàm non repugnante, in Vicquii Legati Helvetiensis domum εἰσέφρησεν. Est autem Vicquius optimus vir quidem, & ἐν τοῖς μάλιστα φιλόκαλος; sed superstitionibus τῶν ἐξ ἐναντίας supra fidem obnoxius. Monueram igitur Eremitam, videret quid ageret, & ad quotidianas velitationes se compararet; ante omnia animum obfirmaret, & ex constantia non solùm οὐρανόθεν mercedem certam; verùm etiam ab hominibus, & ipso imprimis Vicquio laudem ac certissimam gloriam sibi sponderet. Ille verò vix adhuc novum hospitium fuerat ingressus, cùm & puriori religioni, & amicitiæ meæ simul nuntium remisit; in quo tanto usus est astu, ut ante discessum ipsius cum uxore Vicquii tantum καινοτόμημα me latuerit: tanta item impudentia, ut semel à novo hospite admissus, post illa nos nunquam adierit, nobis insalutatis abierit: cùm tamen ipse Vicquius pridie quàm uxorem præmitteret, ad nos venerit, & de sua profectione nos fecerit certiores. Adde, quòd ipso, quo discedebat die, rogatus meis verbis ab uxore mea, & filia & aliis meorum, ut ad me accederet, & literas peteret, quas in ipsius commendationem Stuckio, & Polano scripseram, ad officium compelli non potuit. Et cùm in ipsis Vicquii ædibus uxor, quæ eò venerat officii caussâ, de ejus ἀποστασίᾳ aliquid inaudisset, ac statim vocatum gravissimè increpuisset, tui etiam nominis injectâ mentione, dissimulare ille, & quo poterat modo, factum excusare. Sed mox filia audivit, cùm Lusitano cuidam Franciscano, homini imperitissimo, impudentissimo, ochlagogo & plano insigni, gratias ageret, *quòd sibi oculos aperuisset*. Hæc sunt perditi juvenis verba. Habebam alia multa, quæ vellem super hoc ad te scribere; sed quia premimur quà angustiis temporis, cùm urgeat Plumbeus noster, quà languore corporis, parum adhuc confirmati, cogor finem facere, & aliud tempus exspectare. Vale, τὸ ὑμέτερον αὔχημα. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VI. *Eid. April.* CIↃ IↃ CIII. raptim, ut vides. 1603.

Quæso te, silentium meum apud amplissimum Legatum excusato. Tradidi Bibliopolæ vestrati, qui mihi tuas reddidit, exemplaria tria; unum tibi, alterum Legato, tertium Heinsio nostro inscriptum. Scribam, ubi primùm per valetudinem licuerit. Vale.

Epistola CCCXXXIII.

EIDEM.

HEri literas ad te dedi, inlustrissime virorum, ex quibus de valetudine nostra cognosces, & de perfidia Eremitæ tui in caussâ pietatis. Omnino vel modus ipse, quo usus est in hac mutatione facienda, tuo & omnium bonorum odio reddit illum dignissimum. Nam adolescentem πρὸς τὰ μαθήματα εὐφυῆ & benè doctum, ab imperitissimo plano, cui nullus inest melioris eruditionis sensus, primâ congressione devictum esse, indignissimè fero. Sed nimirum fecit iste, quòd ferè omnes, qui certo consilio veram religionem deserunt. 1603.

1603. runt. Victi enim à cupiditatibus suis, id agunt, ut vulgò credantur edocti quæ anteà nescivérint. Ita planè ante biennium Legatus Venetensis *; ita quotidie alii; in quibus utinam hic juvenis non fuisset. Ego illum semper, tuâ maximè gratiâ, habui charissimum, & quibuscunque potui officiis sum prosecutus. Sed erat mihi dudum hoc ingenium suspectum, propter incredibilem in ea ætate opum sitim, quam non levibus notis in eo deprehenderam. Collocaveram ipsum in honesta conditione, ubi præter victum quinquaginta annuos aureos habebat. Hoc ipsi initio magnum est visum, mox mediocre, posteà nihil. Itaque ante duos menses ægrè eum impedii, quò minus Ebroicensi Episcopo operam suam addiceret. Ab hoc incepto cùm eum avertissem, ecce alium Episcopum, cujus nomen scire potui nunquam, qui penè abduxit eum in Italiam. Tandem & hoc consilium nostrâ autoritate fractum est. Erat animus mihi, nobilissimi viri De Montarere liberos ejus fidei committere: jamque res erat propè confecta, cùm mala quadam scæva in ædes Vicquianas illum induxit. Quanquam non potuit tale ingenium diutius contineri; jam enim magna signa dederat hominis περὶ τὰ τοῦ παρόντος κόσμου θαυμάσια ἐπτοημένου. Vir fide dignus, & tibi notissimus, his diebus narrabat mihi, audisse se cùm diceret: *Omnia sibi quæ hodie disputantur, æquè & probari & improbari; paratumque se ad omnia pro tempore, & rerum suarum emolumento.* Cùm vir pius hanc vocem abominaretur, cachinno Eremitæ est exceptus, stultitiam eorum πικρῶς ridentis, qui nescirent τὰ ἴδια ἐν πήρᾳ. Hæc ante alterum ferè mensem. Eo ex tempore vix semel, aut iterum ad nos accessit: nos ad illum semel, cùm tuas illi deferremus, & amore quidem ipsius, sed multò magis nominis tui reverentiâ ducti, ut ejus gratiâ nihil non vellemus factum. Miseret me parentis ejus; qui si virum se præstiterit, nondum de salute filii spem omnem abjeci. Ego primus aurem vellam. Significavi etiam hesternis literis, tria operis nostri exemplaria vestrati Bibliopolæ fuisse à nobis tradita; unum tibi, alterum D. de Buzenval, tertium amicissimo Heinsio: quibus ne nunc quidem ut scribam, per valetudinem aut otium licet. Clarissimo Vulcanio velim significes, diligentiâ & operâ nostrâ tandem effectum esse, contra magni Thuani spem, qui conatum hunc meum ridere solitus, ut Cyrillum ipsius Bellovacensi Episcopo eriperemus de manibus: & Græcum & Latinum codicem dedimus eidem Bibliopolæ Vulcanio deferendum. 1603. Lex mihi libros recipiendi hæc imposita, ut operis quandoque editi duo exemplaria vel sumptibus meis tenerer dare partim Episcopo, partim Advocato cuidam L'Eschaslerio, qui componendæ huic inter me & Episcopum liti bonam operam navavit. Hodie tuas accepi, quibus de recepto libro facis me certiorem. Quòd de omissis schematibus quereris, obsecro, ne verbum posthàc: constitui enim voluntati tuæ morem gerere. Sed opus hic silentio: quare aliud cura, & me vide. De Eusebio tuo beasti me; atque utinam exstet opus quàm primùm. Etiam de Martiali jucundissimum est quod scribis. In extremis Notis * contineri non potuimus, quin nequissimum morionem † perstringeremus. Is nunc Iliada κακῶν, vel certè κακολογιῶν dicitur in nos meditari; & jam opus editur. Nobis certum est, furiosi Orbilii rationem habere nullam. De versione Maronitarum Romanensium plura proximis literis, si Deus volet, ut cum valetudine, quod sperare incipio, in gratiam redeam. De editione Proverbiorum eâdem epistolâ plura. Vale, unicum seculi decus. *Lutetiæ Parisiorum, a. d. v. Eid. April.* CIↃ IↃ CIII.

Nunc ipsùm venit ad me optimus adolescens Christophorus Puteanus, de Eremitæ fide conquerens, qui acceptum librum commodato, abstulisset ut proprium. Etiam ex eo cognoscere est τὸ τοῦ ἰτανίου ἦθος. Deus illi bonam mentem.

* Philippus Canains à Fraxinis.

* Ad Flavii Vopisci Carinum, cap. 16.

† Theodorum Marcilium.

EPISTOLA CCCXXXIV.

DANIELI EREMITÆ.

Defuisse te adeò officio tuo, ut nos parum dignos judicares, quibus discedens valediceres, miratus sum: sed multò magis, quod à profectione tua primùm cognovi, purioris Religionis professionem deseruisse te. Equidem affirmanti hoc mihi uxori non poteram adduci ut crederem: donec advenit meorum aliquis, qui tibi adfuit, cùm Monacho Lusitano gratias ageres, *quòd primus oculos tibi aperuisset.* Agnoscis ipsa verba tua, quibus apud illum es usus. Ergo, mi Daniel, Lusitanus iste mirabile aliquod pietatis arcanum te docuit, anteà tibi incognitum? Ego, qui hominem intus & in cute novi, satis acceptum habeo, non te ab illo, sed ipsum à te potuisse doceri: non acumen in eo tantum, non eruditio, non lectio Patrum, ut ad primum ejus con- 1603.

1603. gressum herbam porrigere cogereris. Victus igitur es, non quia resistere non poteras; sed quia volebas optabasque vinci. Si adeò erant valida argumenta illa Achillea, quæ ad nιu Lucilianum te adigebant, cur ad amicos non adibas? cur rem tantam iis inconsultis ἐκαινοτόμησας? cur denique consilium hoc tuum ita studiosè nos celasti? Sed mitto amicos, & in his ter maximum Scaligerum: patrem tuum, senem infelicem te filio, nisi resipiscis, cur in consilium non adhibuisti? Heri ostendit mihi pictor quidam Belga probè tibi notus, epistolam ab optimo parente tuo sibi scriptam, quam equidem cùm legerem, lachrymas vix tenebam; tanta apparebat probi & providi senis sollicitudo de te, & tua in virtute ac vera pietate perseverantia. Diceres vatem esse, qui imminentem mutationem tuam animo præsagiret. Cogito nunc quid animi futurum illi sit, postquam omnia intellexerit, quæ binis jam literis, etsi ægro corpore, prolixè ad Scaligerum scripsi. Oro te, mi Daniel, redi ad te, & ex lubrico, quem insistis, loco pedem refer, priusquam toto corpore concidas. Deus Opt. Max. στηρίξει σε ἐν ὁδῷ τῆς ἀληθείας. Vale. Præstantissimum virum, D. Riberium, meis verbis, quæso te, saluta. Scribam ad illum, ubi cum valetudine in gratiam rediero; quod videor brevi facturus, volente Domino. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Eid. April.* CIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA CCCXXXV.

CL. DOMINO, ✠ ISAACO CASAUBONO, D. EREMITA.

1603. *Quanquam & levitatis nomine, & imprudentiæ suspectum tibi me esse doleam, propterea quòd tantis abs te beneficiis affectus, malè gratiam retulerim, teque discedens insalutato parum sim visus tua in me officia recognoscere. Tamen cùm certæ me quædam causæ in peccatum impulerint, videbam mihi locum aliquem esse relictum excusationi, eamque ob causam Aureliis statim à discessu, ac subinde Lugduno literas ad te dedi copiosiores, quæ meam apud te causam agerent, testimoniumque meæ perhiberent simplicitatis. At quantò melius fuerat, benè egisse semper, quàm benè excusasse. Accidit intereà mihi, quod certe sine dolore immenso vix possum profiteri, ut ex tuis ad me datis etiam alienissimo tempore literis peccasse me demum gravius cognoscerem quàm putaram, doloremque conciperem plusquam humanum, cùm commotum te exacerbatumque, licet meritò, intelligerem; ac præterea illustrissimo Scaligero ante auditum me communicasse. Respondi tamen ad illas, prout tum res erat, & occasio ferebat, quæ utrum in manus tuas venerint, dubitare cogor, cùm sciam me incerto commisisse. Vix aliquot dies intercesserant ab hoc justo meo dolore, cùm novis obruor literis parentis, quem illustrissimus Scaliger hac de re tota fecerat certiorem; in eo tamen adhibito, ut nihil quicquam de religione, credo, satis sibi constans, vix in me tale quid posse cadere, cujus ipse ingenium cottidianâ penè consuetudine perspexisset, eòque calumniæ esse potius. Quæ quidem omnia inopinatum me ita commoverunt, ut etiam pœniteret vixisse. Eheu me miserum! quid agam nunc, aut quò me vertam! Itane tandem omnes illicò spes meas concidisse, ut ne apud ullum quidem profugium aliquod restet mearum miseriarum! Quid autem hoc? in quorum ego sinu spes omnes meas, quas in re percepi literaria, deposueram; quorum exemplo doctus, consuetudine instructus, officiis adjutus me æternum devinxeram, eos omnem omnino de me ejecisse animum, ut conciliari prorsus non queant! Quod quidem si merito meo accidisset, unum restaret, ut deprecer culpam; & certè deprecor, quia in crimen deveni, existimoque id mihi accersivisse vitio meo, à quo prorsus sum alienus. Nam ut tandem aliquando rem totam aperiam tibi, & ad singula tuarum literarum capita respondeam; ægrè te video tulisse, quòd te insalutato iter ingressus sim. Jam peccatum id quidem est, sed habet tamen aliquem modum: si rem ipsam spectes, maximum est; si animum, certè nullum: sed est aliquis error in causa, in re non est, quem priusquam declarem, deprecor, quæsoque te, ne propterea me damnes; nam non respondit eventus. Nôsti quo me loco constitueris, cui me Domino (ut duriusculè dicam) emancipaveris, cujus ut animus omninò esset in me, quem optarem, religionis tamen diversitas abalienaret. Hinc cùm ita compararem me, ut placere paulatim magis magisque inciperem, measque cuivis actiones probarem, monere quotidiè me, hortari, instare etiam, ut animum meum à religione averterem, & ineptissimas illorum & absurdissimas opiniones induerem. Nec caruerunt monita promissis; ipse mihi Dominus Legatus prolixiora spondebat. Ego, qui facilè à ratione persuadebar, quàm esset is religionis cultus rei veritate alienus, nunquam adducere animum potui ad illas partes. Nihilominus tamen cùm gratiam Domini mihi vellem mereri,* 1603.

1603. *ri, remisi animum, & moderatius paulò ut de illis rebus loquebar, ita auribus levibus illorum dicta excipiebam, atque id quidem ex consilio tuo, si meministi fortè mihi dixisse, ne partes ullas foverem, neque illis quicquam per asperitatem adversarer. Ita moderatum utrique, & spes favoris & gratiâ plenioris, & novitatis etiam studium, animum labefactatum cottidianis interpellationibus in Missæ auditionem pertraxerunt, non eo animo, ut reclamatâ alterâ parte, hanc profiterer, sed ut ista res importunas illorum hortationes componeret & inclinaret. Nec verò adeò abieram in partes, ut existimarem conscientia posse me prohiberi audire homines loquentes; nam certè alius rei causâ Missam non accessi, nisi ut rem incognitam explorarem. Casus etiam aliquis me impegit in Monachum Lusitanum; cujus ut imperitiam cognovi, memetipsum damnavi, quòd vel aures sordidis ipsius sermonibus præbuissem: in quo quidem si peccatum est, est certè ætatis: juveniliter lapsus sum; ut juvenis excusandus sum; præsertim cùm ita nunc mihi cum Domino Legato conveniat, ut arbitrio meo relinquat res religionis. Cæterùm cùm ita se haberent res, & jam nostris hominibus eam excitassem opinionem, ut existimarem nihil mihi prius fore, quàm ut me prorsus ad religionem, ut vocant, Catholicam traducerem; jamque dimanabat ista opinio, & abibat in homines. Ego itaque conscius mei erroris, quòd ita parum esset prospectum rebus meis, ut ista jam venirent in publicum, rebar etiam idem ad te, aut à Riberio, aut alio quopiam esse delatum. Ita cùm præsens judicii tui censuram subire non sustinerem, sperabam id fore tolerabilius, si absens tibi ejus rei rationem exponerem. Vides hìc candorem meum; quàm nihil dissimulem etiam, quod minus in rem sit meam, quique subterfugerim coram te præsente erubescere. Quare cùm peccasse me, inficias ire non possim, solum est in humanitate tua præsidium: oro te quæsoque, clarissime Casaubone, per humilem meam voluntatem, quæ tibi semper fuit expositissima; per sacras illas Musas, quas tu cum tanta tui nominis magnitudine ad nostri exemplum coluisti; per tua illa, quibus me devinxisti, innumera beneficia; per facilem denique tuam illam, suavemque naturam, oro atque obtestor, ne vitiis meis, in quæ ætatis vitio lapsus sum, adductus, pristinam tuam de me exuas voluntatem; sed eum, quo me meaque studia erexisti & incitasti, favorem in me continues. Ego, si quid de me habeam polliceri, velim existimes me esse planè eum, qui res, famam, me totum sim pro nominis tui dignitate ac incolumitate expositurus. Unus* 1603. *mihi restat scrupulus, ut eximatur hæc opinio magno Scaligero, quem cùm ita suspicerem, ut locum non existimarem esse relictum admirationi, tantò miratus sum magis, quòd ita temperavit justæ indignationi, ut ne patri quidem nisi obscurè perscripserit. Ad me quod attinet, facilè patri hanc eximam opinionem, & erit cùm satisfactis vobis, apud reliquos etiam hanc maculam deluam, nisi quòd ter maximi illius viri, Scaligeri dico, offensum animum non audeam etiam tentare per litteras; ne consopita illius mei malefacti memoria obstrepero meo interventu excitetur; tamen ubi conciliatum mihi aliquo, vel etiamsi libet, te ipso intercedente, paulum cognovero, non deero mihi, curaboque ut sim apud illum eo loco, quo fui. A te verò etiamsi quod peto obtinere non possim, ut redeam tecum in gratiam, tuumque mihi antecedentem favorem non intercludas, facere tamen non potero, quin tibi vel invito gratum me præstem de tuis meritis, quæ quotidie mihi ob oculos versantia, me erroris mei admonent: cùm namque otium contemplor meum, quod tua mihi gratia conciliavit; cùm libros meos inspicio, quos tuus labor mihi reddidit utiliores; cùm denique me ipsum intueor, omnia mihi clamant, me, quantus quantus sim, totum id esse beneficio tuo. Itaque iterum quæso te, respicias humilem tuum clientem, cujus verecundiâ interveniente adversa fortuna malo illi fuit; cujus imprudentia intempestiva actis rebus tuâ facilitate corrigi expetit; qui denique, quod jure obtinere non potest, à sola tua humanitate exquirit. Vale, Literatorum spectatissime.* Soloduri in Helvetiis, CIƆ IƆ CIII.

Tuæ Humanitatis addictissimus,
D. EREMITA.

EPISTOLA CCCXXXVI.

JACOBO, MAGNÆ BRITANNIÆ, SCOTIÆ, &c. REGI.

Rex Maxime,

SI Majestatem Tuam animum erga 1603. ipsam meum parum habere notum existimarem, totis ingenii viribus id nunc agerem, ut seriâ & accuratâ gratulatione meam tibi devotionem probarem. In tantis enim bonorum omnium, qui utique terrarum tibi gratulantur, adclamationibus faustissimis vocem nostram non ἐπισήμως audiri, turpe mihi, atque adeò impietati proximum censerem. Ego verò, Jacobe, Rex Maxime, & seculi τὸ μέγα ἄγαλμα, pro

1603. co ac debeo, piosque omnes decet, toto intimi pectoris adfectu planè sic medullitùs Majestati Tuæ gratulor, ut ne tuorum quidem subditorum quenquam esse contendam, cui majorem lætitiam imposita nuper sacratissimo Tuo capiti corona attulerit, quàm mihi. Sed gravissimarum curarum memor, quas nunc cùm maximè divina mens Tua necessariò sustinet, defungi apud me tacitus, Numine solùm conscio, hoc genere officii satius duco, quàm importunâ scriptione vel tantillum Majestatem Tuam à publicis negotiis avocare. Scit sanè vir eruditissimus, cui has tradituri eramus, quâ reverentiâ & veneratione cùm cæteras excellentissimas virtutes Tuas, tùm inprimis Orbi terrarum universo notam Pietatem, & in prioris Religionis amore constantiam Tuam, multos jam annos prosequar. Nam istos ex mendaciis consutos rumigerulos, qui candidissimam nominis Tui famam miris inventiunculis maculare conantur, non ego solùm, qui animi tui testes literas habeo, quibus anno me beasti; sed verò boni omnes incredibili consensu οἰμώζειν κελεύομεν. Oro obtestorque Deum Opt. Max. per μονογενῆ Filium suum, Dominum nostrum Jesum Christum, ut qui tot Regna tibi commisit, idem Spiritum illum suum τὸ ὄντως ἡγεμονικὸν magis magisque in dies Majestati Tuæ impertiat, Eam regat, & ab omni insidiarum, aut cujuscunque noxæ genere servet, diutissimèque præstet incolumem. Valeas, Rex Serenissime, Potentissime, & quod res arguit ipsa, θεοφιλέστατε.

- - - Quem si modò posse videre
Fata semel dederint, cœlum accepisse videbor.

Lutetiæ Parisiorum, a. d. x. Kalend. Maj. anno Juliano, CIↃ IↃ CIII.

Epistola CCCXXXVII.

MOLÆIS, Fratribus.

1603. CUm mihi amplissimus Præses, parens vester, eruditissimo Molæi, literas se isthuc die crastini daturum significasset; feci lubentissimè, ut hæc raptim ad vos exararem. Nam quòd longo adeò tempore nullas ad me dederitis, equidem quam in partem interpretari debeam, anceps animi interdum hæreo. Scio vix cadere in candidissimos vestros mores, ut quem adfectu non mediocri complexi aliquando estis, ejus memoriam ita repentè ex animis vestris deleretis: & tamen diuturnioris hujus silentii caussam aliam 1603.
non esse, μεμψίμοιρος aliquis, haut forsitan sine ratione, suspicetur. Ego non ita; qui, vel quòd mihi ipse blandior, vel quia de virtute vestra secius aliquid cogitare nefas duco, omnia alia fingere potius constitui, quàm de vestra in amore mei constantia vel mediocriter dubitare. Enimverò malè jacta sint oportet illius amicitiæ fundamenta, quæ propter intermissum scriptionis officium labefactari, nedum solvi metuat. Quamobrem, charissimi Adolescentes, etsi mihi semper literæ vestræ charissimæ sunt futuræ; hujus tamen officii ultrò gratiam vobis facimus, ne vel tantillum temporis, quod totum studiis vestris dicatum est, vobis pereat. Quin illud potius ab utroque vestrûm peto & contendo, ut temporis, rei pretiosissimæ, quantam maximam fieri poterit rationem habeatis. Rex Medicorum * dixit olim, ἡ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς. Verè prorsus, & pro sapientia illa sua divina! Neque sola est Asclepiadarum ars, cujus longitudo aut difficultas ejus studiosos reddere debeat temporis avaros: quod sapientissimus senex de sua dixit, de omnibus potest dici; maximè autem de illa, cujus nunc studium; mox, ut speramus, notitiam professuri estis. Porro autem generosi animi est, in ea quam profitearis arte, velle excellere; ἔμφυτον γὰρ, ut Aristoteles ait, τοῖς κρείττοσιν ἡ μεγαλοφροσύνη. Vos verò, quæ gloriæ hujus cupiditate incendant, multa sunt vobis, scio, probè nota. Hæc cogitate, optimi Adolescentes; hæc dies noctesque meditamini: ante omnia autem patris, viri præstantissimi, exemplum facite ob oculos vobis assiduè proponatis: illius eruditionem, probitatem, & παντοίαν ἀρετὴν si olim expresseritis, bonorum omnium votis & exspectationi, quam de vobis conceperunt, abundè satisfeceritis. Valete, eruditissimi Juvenes, & me planè medullitùs ὑμᾶς φιλοῦντα, ἀντιφιλεῖν μήποτε παύσητε. Scripsi raptim, & languido adhuc corpore è gravissimo morbo, qui viventium numero propè nos subduxerat, ni fuisset visum aliter Deo magno, penes quem unum sunt καὶ ζωῆς καὶ θανάτου τὰ πείρατα. *Lutetiæ Parisiorum, prid. Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CIII.

* Hippocrat. Aphor. l. 1.

Gravissimum & doctissimum virum Thebaltior meis verbis salutetis velim. Iter mihi necessariò instituendum cis paucos dies, cujus occasione fortasse & ipsum, & vos isthic visurus sum.

Epistola

EPISTOLA CCCXXXVIII.

CÆSARI BARONIO, CARDINALI.

1603. IMpulere nos amici quidam, inlustrissime Baroni, ut Historiæ Augustæ Scriptorum, qui Suetonium sequuntur, editionem concinnaremus, ipsosque cum observantiunculis redderemus ad intelligendum faciliores. Eram quidem & à scriptis codicibus [nam editos ἕλκεσι βρύειν, nôsti tu optimè] & ab aliis ei incepto necessariis præsidiis parum instructus, sed cùm hoc me ii viri rogarent, quibus denegare poteram nihil, voluntati ipsorum pro virili morem gessi. Contuli enim dictos Autores cum Regiæ Bibliothecæ exemplari, cujusmodi illud esset; ac Notas etiam in eosdem scripsi, illas quidem uberiores longè quàm ab initio cogitaram. Ac quoniam persuasi sumus, nostras te esse aliquid putare nugas, librum editum confestim ad te mittere voluimus, & ut possemus, occasionem hactenus studiosè quæsivimus. Verùm ea est locorum intercapedo, ut ejus rei aut nulla hic, aut oppidò rara facultas existat; nos certè invenimus adhuc planè nullam; deinceps si se aliqua fortè obtulerit, eâ utemur. Speramus enim, non involupe futurum tibi, si quando à gravioribus curis vacas, his literis otium tuum oblectare, quarum juxta amantem & peritum esse te, scripta tua loquuntur. Itaque profecisse nos per te, non semel sumus professi. Quod si leviter aliquando rationes aut expositiones nostræ à tuis dissident, modestiam in scriptis nostris desideraturum esse te, amplissime Baroni, non putamus. Errare, falli ac decipi facilè, ut homines & οὐτιδανοὶ μέροπες possumus; cognitæ veritati repugnare, neque in hoc, neque in ullo literarum genere unquam, cum bono Deo, convinci poterimus. Vale, præstantissime Vir. *Lutetiæ Parisiorum, Nonis Maji*, ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου τοῦ Λόγου οἰκονομίας *anno*, CIↃ IↃ CIII.

✠ EPISTOLA CCCXXXIX.

MUTIO RICCERIO*.

* *Forte*, Riverio.

1603. ET epistolam tuam, & quod ei adjunxisti, eruditionis ac λεκτικῆς καὶ ποιητικῆς δυνάμεως tuæ specimen utrumque accepi, Vir eximie: quæ omnia quàm mihi acciderint grata, literis meis statim significassem, nisi obstitisset hactenus valetudo, à tuis acceptis, semper adversa, & prope adflicta; ac, si Asclepiadis nostris fides constat, in 1603.
periculum adducta maximum. Quod eò scribo, ut ne silentium nostrum diuturnius aliorsum trahas, aut interpreteris secius. Equidem haud facile cuiquam sim concessurus, qui hoc officii genus aut diligentius, aut majore, quàm nos facimus, religione colat: & tamen ut hoc non esset, eam de ingenii tui præstantia opinionem dudum concepimus, ut amicitiam tuam, adeò præsertim humanè & benevolè oblatam, non mediocris beneficii loco ponam. Nos quidem tuorum scriptorum pauca adhuc vidimus: sed ea judicio omnium ita heic probata, ut facile sit nobis, leonem, quod ajunt, ex unguibus. Quòd Pauli Jovii Historias persequi paras, laudo inceptum, & τὸ μεγαλεπίβολον τῆς σῆς γνώμης: nam hujusmodi καθολικὰς ἱστορίας, ut cum Diodoro Siculo dicam, ab alio tentari nefas, nisi ab eo, qui ad φύσεως, παιδείας, ἀσκήσεως bona, doctis omnibus communes dotes, alia item multa & varia præsidia in eam rem necessaria comparavit, quibus te non dubitamus abundare. Sed nesciebas fortasse, mi Ricceri, cùm tantæ molitionis opus susciperes, ab amplissimo Præside, Jacobo Augusto Thuano, Galliarum nostrarum unico lumine, scriptionem eandem non tentatam, sed prope jam ex omni parte confectam. Hic quippe vir divinus, & πολυμαθέστατος, si quis mortalium, cùm multos jam annos in eo argumento occupatam habuerit industriam suam, ad umbilicum ferè universam post Jovium Historiam perduxit. Totum id corpus librorum futurum octoginta, ut ab ipso accepi; quorum jam septuaginta, & eo plures, sunt conscripti: pars etiam prælo subjecta. Quamobrem si res easdem oratione solutâ persecutus fueris, videndum ne actum agas: si numeris adstrictâ, ingentem video paratam tibi laudem; sed fidei, ut scis, minus. Verùm ipse pro tua prudentia melius statues. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, Nonis Maj.* CIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA CCCXL.

DANIELI HEINSIO.

QUas ad me XIV. Februar. dedisti, 1603.
eas accepi; priores, quarum mentionem facis, vidi nullus: quòd eò ad te scribo, ut si potes, repetundarum agas cum illo, qui curaturum se promiserat, & postliminio receptas, ad nos iterum mittas: nullius enim tuarum jacturam patienter ferimus. Quod si per valetudinem & has ἐγκυκλίοις occupa-

1603. cupationes liceret, quotidianis epistolis nostris lacesseretis. Orationem item illam & Odam, cujus spem commoves, nondum accepimus: quare oro te quæsoque, & hæc, & quicquid à te publicatum fuerit, quàm primùm tutissimâ viâ nobiscum communices. Theocritum autem tuum quando editurus sit Commelinus, scire percupio; novi namque hominis alioquin optimi ἀμβολιεργίαν· itaque opus illi monitore. Hesiodum confidimus esse jam ad umbilicum perductum. De Hesychio & Nonno quin expectationem, quam excitasti, superes, non dubito. In eos Authores missuri eramus aliquot notulas, nisi per valetudinem & curas assiduas fuissemus hactenus impediti. Genevâ reversi, quò proficiscebamur, cùm hæc raptim exararemus, promissorum memores erimus. Vale, præstantissime Juvenis, & nos constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VIII. *Eid. Maji*, CIↃ IↃ CIII.

Dies sunt sex septem, cùm eruditissimi Meursii eruditissima Poëmata accepi: quo nomine gratias illi acturus eram, si per otium licuisset. Quæso te, verbis meis illum salvere jube.

EPISTOLA CCCXLI.

JOSEPHO SCALIGERO.

1603. BInas paucis diebus, virorum inlustrissime, literas ad te misi; quas quoniam tibi fuisse redditas mihi persuadeo, non repetam ipsarum argumentum. Valetudo nostra, cùm diu etiam Medicos habuisset sollicitos, usu balneorum non parum videtur confirmata. Speramus etiam non mediocriter profuturum iter in Delphinatum, quod crastinâ die, volente Deo Opt. Max. suscepturi sumus, ut optimam matrem, & jam annis gravem visamus. Erant multa, quæ huic consilio adversarentur. Sed vicit facilè omnia ἡ φυσικὴ στοργὴ, aut potius, pietas. Est animus, & Genevenses amicos hac occasione salutare; vel eo nomine, ut urbem divino miraculo περιφανῶς servatam videamus. Mense uno, aut spatio non multò longiore totum iter confectum iri confidimus. Διαγράμματα quæ mitti cupis, si fuerimus nacti, cujus fidei rectè committantur, mittere constituimus: hactenus quidem inventus nemo. Plombinensis noster, tui vir studiosissimus, hoc negotium in se recepit. Verùm heic alto silentio opus, propter eas, quas antè significavimus, caussas. Eusebium tuum prælo esse subjectum, non dubitamus; atque ut ita sit, tuque clarissimum seculi sidus, ut 1603 longos annos inter mortales fulgeas, superos oramus, & ἐκ ψυχῆς veneramur. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VIII. *Eid. Maj.* CIↃ IↃ CIII.

Quia spes facta fuerat amplissimo Thuano alicujus adolescentis, qui Chrysococci κανόνια describeret, ideo adduci needum potuit, ut itineris periculo Regius ille liber committeretur, quare longiusculam moram, quæso, feras æquo animo: omnino enim de fide ejus constet oportet, cui hoc κειμήλιον sumus tradituri: sed confide, σὺν τῷ Θεῷ εἰπεῖν, voluntati tuæ morem iri gestum.

EPISTOLA CCCXLII.

PETRO JUNIO.

EGit mecum Joannes Pinaldus, vetus 1603. amicus meus, cùm nuper Genevæ essem, ut suas ad te curarem: quod eò libentius recepi me facturum, quia ex multorum sermonibus, literis etiam Spotsvodi nostri, viri præstantissimi, cognoveram, non innotuisse solùm tibi nostrum nomen, verùm etiam studiis conatibusque nostris favere te (quæ tua est singularis humanitas) non mediocriter. Ago tibi, amplissime Juni, habeoque grates gratissimas; oroque etiam & etiam, ut cui ultrò aditum ad amicitiam tuam visus es offerre, eum virtutes tuas admirantem, omnibus notissimas, qui rerum vestrarum non sunt planè rudes, & credas esse tui amantissimum, & mutuo amore tuo non penitùs indignum. Meæ erunt partes, si hoc abs te impetro, omni diligentiâ efficere, ne te judicii, quod de literulis nostris habuisti, aut comitatis, quam exhibueris, unquam pœniteat. Scripsit ad me Spotsvodus, esse in manibus tuis nonnulla, quæ ad illustrationem Strabonis pertineant; uterer, si modò vellem; paratum enim te omnia πρόφρονι θυμῷ communicare. En igitur supplicem me tibi, doctissime Juni: mitte, δέομαί σου καὶ λιτανεύω, si quid habes hujus generis; & simul confide, neminem esse mortalium, qui aut discat libentius ab aliis, aut qui magis ingenuè eorum, per quos profecerit, nomina profiteatur. Vale, & nos ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XV. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CIII.

Epistola CCCXLIII.

✠ JOANNI SPOTSVODO.

1603. QUod Epistolæ, quam à te novissimam accepi, seriùs respondeo, Vir præstantissime, non voluntate meâ factum, sed per impedimenta varia, quæ mihi semper hactenus sunt oblata, quoties aliqua extitit occasio literas isthuc mittendi: ut de valetudine intereà nihil dicam, quam ab acceptis tuis adversam ferè, interdum & afflictam sum expertus; quo maximè nomine iter in remotissimas Galliæ oras ad visendam piam parentem meam nuper institui: neque amplius sunt quàm tres dies, cùm ex eo itinere salvus, atque refectis non mediocriter viribus, benignitate Supremi Numinis, domum sum reversus. In reditu etsi multa me urgebant, non potui tamen temperare mihi, quin ὁδοῦ πάρεργον recenti adeò servatam miraculo Genevam viserem. Deum immortalem! quantæ mihi voluptati fuit, veteres amicos meos, pietate insignes viros, velut ex imis Orci faucibus virgulâ divinâ extractos, & luci redditos posse amplecti, & debitas Supremo Numini gratias communi cum ipsis voce, animo atque affectu reddere. Suave erat, singula civitatis illius loca oculis usurpare, insigni aliquo cœlesti benignitatis testimonio jam notabilia. Jam illa tot immanium & perfidissimorum hostium capita, quibus prætexta sunt mœnia, incredibili quodam cum gaudio, neque aliter, quàm sublatis in cœlum manibus, à nobis spectata. Unum tamen Bezam, mi Spotsvode, super omnia sumus mirati. Hic enim verè θαυμάσιος vir in hac decrepita ætate sua, (quintum siquidem supra octogesimum annum agit) omnibus humanis curis exutus, quarum etiam in totum fermè amisit memoriam, ita nunc vivit, ut futuram beatitudinem maturè inchoare videatur: omnis illi vita continua quædam concio est: Deum unum cogitat; de illo solùm loquitur; ad illius amorem ac timorem se continuò stimulans, alios hortans. Equidem nunquam ab eo discessi, non obstupefactus rei novitate, cùm viderem tam obliviosum in cæteris senem, tam recentem Literarum, præsertim. Sacrarum, servare memoriam. Loquitur Latinè ac Græcè, ut ante annos viginti: verborum ac textuum Sacræ Scripturæ, maximè autem Fœderis Novi, sic meminit, ut olim cùm doceret & concionaretur assiduè. Autor ei fueram, ut ad Serenissimum Regem vestrum literas daret; meam illi spondens operam, ut per amicos ipsius studiosos Majestati Regis ejus literæ offerrentur: sed ætatem homo modestissimus excusans, exorari adhuc non potuit. Urgebo tamen per literas, ut tibi, mi Spotsvode, & aliis piis viris, qui apud maximum Principem gratiâ & auctoritate valetis, detur occasio provocandæ erga venerandum senem regiæ liberalitatis. Hujusmodi subsidiis fulcitur ejus domus, alioquin brevi ruitura: nôsti, enim, credo, Ecclesiæ illius paupertatem. Sed hæc aliàs pluribus. De meis rebus, & incerto earum statu nihil scribam: omnia narrabit, si tanti facis, ut velis cognoscere, amicus hic noster. Ex tuis literis, & multorum sermonibus intellexi, multis isthic operâ tuâ nomen innotuisse nostrum. Itaque ago tibi non quantas debeo, sed certè quantas possum maximas gratias. Nam de Regis benevolentia, quam unus tu maximè mihi conciliasti, quid tibi dicam? Superat enim δύναμιν λεκτικὴν nostram magnitudo beneficii hujus tui. Oro supplex Opt. Max. Deum, & Regi, & regno vestro, aut regnis potius, cùm publicè, tùm privatim, modis omnibus benedicat. Vale, præstantissime Vir, & nos amare perge. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XV. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CIII. 1603.

Epistola CCCXLIV.

GUILIELMO BEDWELO. ✠

IGnotus fortasse tibi etiam de nomine, te appello, Vir doctissime. At tu non ignotus nobis: tuum enim nomen auditione pridem accepimus; cùm multi viri docti isthinc venientes, & de cæteris tuis virtutibus, & de peritia atque usu, quem habes linguæ Arabicæ, eximia quædam & rara prædicarent. Atque hanc famam confirmavit non mediocriter eruditissimus hic Lago, tibi probè notus, & tuæ in eo genere literarum præstantiæ μάρτυς ἀξιόπιστος. * Itaque certior ab illo factus de suo ad vos reditu, committendum non putavi, ut tempus aliud exspectarem adfectûs adversum te mei expromendi. Diu namque est cùm inire tecum amicitiam, eruditissime Bedwele, percupio. Meretur tua singularis doctrina, ut omnes te ament ac colant, qui virtutem ac literas, quos inter nomen nostrum ab ineunte ætate professi, sic vitam hactenus instituimus, ut eorum amicitiâ nihil antiquius duceremus, quos pietas eruditioni juncta commendaret. Quod si benevolentiâ tuâ non indignos nos judica-

* *Alii* Atque.

1603. dicaveris, de iis literis, in quibus tu cum oppidò paucis excellis, frequentibus posthàc epistolis tecum agemus. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IX. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA CCCXLV.

JOSEPHO SCALIGERO.

1603. ET cupienti tecum per literas pluribus agere, & habenti non pauca, quæ velim tecum communicata, unicum obstat τὸ νῦν ἄναι, temporis inopia & otii. Recens enim ex itinere satis longo reversi, variis curis & occupationibus sic distinemur, ut necessario exspectanda mihi sit alia occasio. Sed non diu exspectabimus: modò enim hinc abit nobilissimus Legatus, qui de suo ad vos celeri reditu spem injecit. Sustinebimus igitur nos, & his literis hoc solùm à te, illustrissime virorum, petemus, ut adolescentem hunc tuâ benevolentiâ ne putes indignum. Quis sit, & cujas, ex ipso melius scies. Ego hoc illi tantùm recepi, aliquem ad te epistolâ hac me ipsi esse patefacturum: cætera ipsum præstare, est æquum; ut tanto bono ne parum tibi videatur dignus. Hoc etiam addam: post eas, quas attulit Legatus, nihil me literarum à te accepisse: itaque an librum nostrum acceperis, nondum scio. Scripsit tandem ad me Eremita, & culpam deprecatur, petitque sibi ignosci. Spero equidem, nondum conclamatum esse cum adolescentem; sed ad frugem quandoque perventurum. Faxit hoc Deus Opt. Max. qui te servet, Vir divine, & mihi tuum amorem. *Lutetiæ Parisiorum*, *propridie Kalend. August.* CIↃ IↃ CIII.

Miseram & ad eruditissimum Heinsium, exemplar unum; de quo etiam intellexi nihil; sed neque de Cyrillo, quem clarissimo Vulcanio misi: de quo magis sum sollicitus, quàm de nostris libris; qui si perierint, jactura sanè levis. Velim facias me ut intelligam, eo fasce quid sit factum. Vale, τὸ μὲν αὔχημα.

EPISTOLA CCCXLVI.

EIDEM.

1603. LEgi modò quas ad me a. d. sexto Nonas Quintilis Juliani * dedisti; quæ etsi magnâ voluptate me perfuderunt, ut à te scriptæ, percepi tamen ex earum lectione non mediocrem dolorem, quod periisse videam librorum fasciculum, quem ante profectionem meam vestrati cuidam Typographo tradideram. Erant in eo Historiæ Augustæ, nobis nuper editæ, exemplaria tria. Sed horum jactura non nimis moveor; nam & mihi facilè erit, alia mittere, si tu & alii amici, quibus ea fuerant destinata, desideraveritis; & opus ipsum, scio, non est tanti, ut sui desiderium apud te possit concitare. De Vulcanii Cyrillo, quem tantis cum difficultatibus nupero emptori extorseram, & cujus caussâ graves inimicitias susceperam, quid factum sit, jure sum sollicitus. Ipsum Vulcanii silentium ut periisse existimem, me impellit. Sed oro te, si quid spei ejus recipiendi superest, fac me quàm primùm ut sciam. Mihi nomen excidit ejus sive Typographi, sive Bibliopolæ, cujus fidei & Cyrillum, & reliqua commisimus. Is mihi literas à te attulerat; quò fui pronior ad hæc illi committenda. Mitto nunc tibi & quos petis Fastos Siculos, & diu promissum Chrysococci librum. Præses Thuanus, etsi tui amantissimus, propter caussas tamen & graves, & multas ægrè adductus est, ut eum librum isthuc deferri pateretur. Tandem amor tui & publicæ utilitatis respectus omnia, quæ in hac deliberatione occurrebant pericula, pervicerunt. Adjeci Proverbiorum Arabicorum exemplar, ex autographo descriptum uberius multò & correctius. Latinam versionem hactenus describere non licuit. Ubi primùm fuerit otium, eam quoque ne desideres præstabo. Nunc ita sumus occupati, ut plura non possimus. De Geneva hoc solùm dicam, singulari beneficio Dei concessam illi superioribus diebus pacem. Debetur ea laus Helveticæ genti; illi namque, omissâ quæstione de religione, componendam pacem miro consensu susceperunt, neque antè quàm re confectâ quieverunt. Scio cum perfidissimo hoste nullam stabilem posse sperari pacem. Sed quid facerent miserrimi Genevenses? quos in summam inopiam redactos ubi videre Proceres nostri, per se ruentes conati sunt impellere. Scis quid velim. Scripsi ad te Genevâ, & iterum simul ac reversus sum ex itinere Lutetiam. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *Non. Sext.* CIↃ IↃ CIII.

De notis Dominicani Alcoranicis, quia oblitus sum in epistola, hic accipe. Chartæ sunt paucæ, eæque solutæ ac semiputridæ. Continentur iis aliquot Scharath versæ, nescio quâ fide, certè non ad verbum. Legi enim, & quædam studiosè comparavi. Cùm molem videas, putes magnam operis partem esse versam: quod non ita est; nam in

* Scaliger. Epist. LXXXII.

1603. in iis ſcidis, quas nacti ſumus, vix tertia pars aut quarta reperitur verſa; &, quod me deterius habet, ſeries paſſim interrupta, amiſſione foliorum. Sed auget libri molem textus Arabicus, è regione deſcriptus in multis. Ego & Fleſſingenſis amicus, ſive magiſter meus, conſtituimus, σὺν Θεῷ, omnia ἀκριβοῦν, ac referre ad te. Atque utinam interpellare mihi licentius tuas curas, fas eſſet; conſulerem te de multis, quæ mihi valdè magnum negotium faceſſunt: nam ſæpè in verbis non laboro; de mente non conſtat: adeò ξενίζομαι πρὸς τὸν ἀραβισμόν. Ne longè abeam, in Avicenna aliquid opellæ poſui; & tamen quàm multa ſunt in Præfatione, quæ non ſatis aſſequor? Quot quantiſque auri montibus anteponerem tuam ejus προοιμίου, vel dimidiati verſionem κατὰ πόδα? Porro in his ſcidis ne γρῦ quidem exſtat.

EPISTOLA CCCXLVII.

MOLÆIS, FRATRIBUS.

1603. GRatum mihi, eruditiſſimi Adoleſcentes, literas accipere, cùm præſertim non inanes, ſed ζητητικαὶ & πρὸς φιλολογίαν ξυντείνουσαι ſint; cujuſmodi erat epiſtola veſtra, quæ nudius tertius mihi fuit tradita. Quæritis ſuper iſtis Amorum Magiſtri verſibus ſententiam noſtram:

Porrige & ancillæ, quæ pœnas luce pependit
Luſa maritali Gallica veſte manus.

Quid ſi ego vos jubeam ἄλλην δρῦν βαλανίζειν? neque enim ita ſumus nos τὰ ἐρωτικὰ δεινοὶ, ut arcana ejus doctrinæ omnia calleamus. Scitè admodum ac verè ὁ θεῖος Plato in Poëtarum interpretatione περὶ τῶν περὶ ἁμάξαν τοὺς ἁμαξοποιοὺς cenſuit conſulendos: περὶ τῶν κεραμικῶν καὶ πηκτονικῶν τοὺς κεραμέας καὶ τέκτονας. Quin igitur potius de amatorio poëmate alium in conſilium adhibetis? Sed miſſo joco, non intellectum vobis eum locum Poëtæ ingenioſiſſimi, haud miror. Nego enim, ullam vel tolerabilem ſententiam ex edita lectione poſſe, quoquò te vertas, elici. Nos igitur ita ſcribendum emendandumque poſteriorem verſum judicamus:

Tunſa maritali Gallica reſte manus.

Jam pulſæ tenebræ, jam lux reddita. Omnes, inquit, τὰς περὶ τὴν ἐρωμένην demerearis officiis oportet: ancillam utique, quæ ſæpe heræ ſuæ ac tibi fideliorem quàm hero ſe præbet, dum penſum non explevit, aut neſcio quid aliud deliquit, flagellata à marito tuæ dominæ, tenuis alicujus munuſculi dono 1603.
ſolanda recreandaque à te eſt. *Gallica* nomen ancillæ eſt. Pro *veſte* omnino legendum *reſte*; & pro *luſa*, *tunſa*; niſi malis *cæſa*. Quoties apud Plautum & alios leges, *cædi reſte?* quod erat ſupplicium ſervile, modò gravius, modò levius: illud grave, cùm ſublimes columnæ alligabantur, & à conſervis domini juſſu cædebantur: hoc leve, cùm juſſi manum porrigere, eâ ſolùm corporis parte pœnas luebant. Utriuſque generis ſupplicia apud Comicos & alios Veteres non raro occurrunt. Poſſemus ſuper iſtis multa adtexere: ſed & hæc ne nimio plura ſint quàm oportuerit, vereor. Valete, & natalium veſtrorum memores παντοίων ἀρετῶν ἀσκεῖν. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* XV. *Kalend. Septemb.* CIƆ IƆ CIII.

EPISTOLA CCCXLVIII.

A MONSIEUR DE FRESNE, ✠
à Veniſe.

AMpliſſime Domine, etſi conſtitueram nihil ad te literarum dare, qui 1603.
certò ſcirem, non meâ, ſed alienâ culpâ alienatum à nobis animum tuum; quia tamen intellexi, epiſtolam, quæ mihi hodie à viro præſtanti Franciſco Maria Illyrico reddita ſit, certè cum tuis iſthuc fuiſſe miſſam; non potui reſponſionem earum literarum ad te mittere, quin ſimul pauca hæc raptim etiam ad te exararem. Primùm igitur tibi pro hoc officio gratias ago; teque oro, ut pro cætera humanitate tua cures ad eximium virum deferendas, quas hiſce adjunxi. Deinde illud à te etiam atque etiam peto, perſuadeas tibi, nullis machinis aut te, aut quenquam mortalium efficere poſſe, quò minus grata ſit nobis recordatio veteris amicitiæ tuæ, & meritorum in nos tuorum. Quod ſi in ea re, quam nôſti, aſſentiri tibi non poſſumus, multò minus in animum inducere, ut exemplum tuum ſequamur. Obteſtor fidem tuam, ne me pervicacem potius credas quàm ἁπλοϊκὰ, & earum, quas μετὰ πάσης πληροφορίας πέπειθα εἶναι ἀληθεῖς, ſententiarum tenacem. Cæterùm περὶ τῶν πιστοτροπῶν cum nemine velitari unquam, pridem κέκρικα. Vale, Vir ampliſſime. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* VI. *Kalend. Septemb.* CIƆ IƆ CIII.

Epistola CCCXLIX.

JOSEPHO SCALIGERO.

1603. PErcurrenti mihi nuper Johannis Chryſoſtomi Commentaria in Actus Apoſtolicos, occurrit non ſemel aut iterum, ſed ſæpius, vox Μονάδες, quam fateor non intelligere, ideòque ad te adeo, teque oro, eam mihi explices. Verba ejus ſunt, Homiliâ XI: Εἰ πάντες καὶ πᾶσαι τὰ αὐτῶν ἐνταῦθα ἐκένωσαν χρήματα, καὶ χωρία, καὶ κτήματα, καὶ οἰκίας, [ἀνδράποδα γὰρ οὐκ ἂν εἴποιμι, οὐδὲ γάρ πω τοῦτο ἦν· ἀλλ' ἐλευθέρους ἴσως ἐπέτρεπον γίνεσθαι·] τάχα ἂν ἑκατὸν μονάδες λιτρῶν χρυσίου συνήχθησαν, μᾶλλον δὲ καὶ δὶς, καὶ τρὶς τοσαῦται. Sequitur: Ἐννόησον γάρ μοι, ἡ πόλις ἡμῶν εἰς πόσων ὄχλων ἀριθμὸν συντείνει· πόσους βούλεσθε εἶναι Χριστιανούς; βούλεσθε δέκα μονάδας; τὸ δὲ ἄλλο Ἑλλήνων καὶ Ἰουδαίων· πόσαι μονάδες ἂν χρυσίου συνελέγησαν; πόσος δὲ ἀριθμὸς ἐστὶ πενήτων; οὐκ οἶμαι πλέον μυριάδων πέντε. His locis quid vox μονάδες ſignificet, planè ignoro. Erat facilis emendatio in μυριάδες, aut neſcio quid aliud; niſi moveremur autoritate codicis Thuanei, vetuſtiſſimi & prorſus τοῦ ἀγαθοῦ κόμματος. Etiam illa non ſatis capio, quæ de numero τῶν ἑξακισχιλίων philoſophatur idem Pater, Commentariis in Epiſtolam Pauli ad Timotheum II. editionis Comelinianæ, pag. 1676. Memini tamen, ſimilia quædam legere apud Anaſtaſium Sinaïtam. Nam is in quæſtionibus, vel potius ἀναγωγαῖς ὡραίαις εἰς τὴν ἑξαήμερον, poſtquam oſtendit, omnia Dei opera ad ſex claſſes poſſe referri, addit: Τούτου χάριν ὁ ἑξακισχιλιοστὸς ἀριθμὸς τῆς ἐν τοῖς γράμμασι λεγομένης μονά ἐστι πάσης ψήφου καὶ ἀριθμοῦ, καὶ μονάδων καὶ δυάδων καὶ τριάδων, ἐν τε τοῖς ἐπιγείοις, καὶ μετεώροις κτίσμασι περιεκτικὸς, πάσης ἀριθμητικῆς ἐπιστήμης καὶ ποσότητος σημαντικὸς ὤν. Ac quoniam cœpi tibi eſſe moleſtus, ὦ σεβασμιώτατε doctor meus, amabò, dic mihi quid judicii tui ſit ſuper Rabbino illo Haccados, unde probat Galatinus, omnia τῆς Χριστιανῆς θρησκείας μυστήρια, maximè autem τὰ περὶ τῆς μετασοιχειώσεως, atque id genus πρεπίσματα fuiſſe antiquiſſimis Judæis cognita. Ego rationibus ut exiſtimo non levibus adducor, ut & quæ ex hoc adducuntur, & quæ ex aliquot aliis τοιουτότροπα, credam eſſe ψευδεπίγραφα, non minus quàm τὰ τοῦ Τρισμεγίστου, quæ ab antiquiſſimo illo Ægyptio eſſe profecta, tùm credam, cùm τῇ κριτικῇ nuntium remiſero. De his ſi quid ſentias, hoc eſt, quid ſentiendum ſit, me docueris, cumulum vægrandem prioribus beneficiis tuis, quæ fateor eſſe maxima, adjeceris. De interpretatione Alcorani quòd me monueris, ago tibi gratias maximas. 1603. Inveni autem disjecta quædam folia, ſemiputrida, & prope ἐξίτηλα· quod utinam opus totum exſtaret! Sed pars maxima periit; paucula enim, ut dixi, inventa ſunt folia; quæ tamen alicui futura mihi uſui, reapſe jam ſum expertus. Itaque fateor, indicinam & μήνυτρον me tibi debere. Enimverò quicquid eſt in nobis melioris literaturæ, quod ſcio quàm ſit exiguum, ſed tamen quicquid id eſt, tibi, magne Vir, tibi uni à nobis debetur. Erant alia ſexcenta, de quibus tecum agerem; ſed pudet me τῆς μακρολογίας. Vale igitur, & diu vive quàm beatiſſimus, ac me ama. *Lutetiæ Pariſiorum, anno Dionyſiano,* CIϽ IϽ CIII. *a. d.* V. *Kalend. Septemb.*

Qui has tibi reddet, nobilis eſt, literarum amantiſſimus, quem ſi rogatu meo benevolentiâ tuâ fueris dignatus, & ipſum maximo, & me non mediocri affeceris beneficio. Sed & Vaſſanium Genevenſem, qui iſthuc brevi venturus eſt, etiam atque etiam tibi commendo. Mater, matrona lectiſſima, Pithœorum ſoror, tenuem fortunam cum libertate conſcientiæ magnis opibus anteponens, Genevæ ab anno ſeptuageſimo ſecundo habitat, & tres filios ab optimo marito ſibi relictos, ſummâ curâ educavit. Nunc eò loci fortunæ ipſius ſunt redactæ, ut ſublevanda ſit potius à liberis, quàm oneranda. Itaque ſi qua honeſta conditio offeratur, velim huic adoleſcenti eam concilies. Iterum vale. Narrabat quidem mihi non ita pridem, incidiſſe in ſuas manus Simplicii Epiſtolas, aut neſcio quæ alia fragmenta; quæ cùm ſint adhuc inviſa nobis, velim ex te ſcire, quid ejus rei ſit; nam libellum eſſe editum, ille ajebat. Atque hoc impenſius quæro, quia illuſtrem illum locum à te laudatum in divini operis, & verè ὑπερφυοῦς, pag. 345. non memini legere in ipſius Commentariis in Ariſtotelem, quæ tamen olim non negligenter lectavimus.

Epistola CCCL.

DOMINICO BAUDIO. ✠

BInas à te accepi, Vir eximie, poſtquam ex Anglia iſthuc trajeciſti: 1603. quòd ſerius reſpondeo, quæſo te, ne interpreteris ſecius. Multa enim quotidie impedimenta objiciuntur, quæ me in hoc officii genere obmiſſiorem planè ἀέκοντι θυμῷ reddant. Accedit morbus diuturnus, & peregrinatio eum inſecuta plurium menſium. Quod igitur hactenus non potui, nunc tibi,

præ-

1603. præstantissime Baudi, toto intimi pectoris affectu gratulor, non in patriam solùm reditum, sed etiam ad illud vitæ genus, quod nunquam à te fuisse derelictum, omnes, non dicam, tui, sed omnino literarum amantes magno vellent redemptum. Nemo est vir bonus, cui tuum excellentissimum ingenium innotuerit, qui non literarum caussâ, in quibus tantum potes, omnia tibi fausta ac læta optarit. Sed agimur nimirum arcanâ quâdam fatorum lege; neque est semper in nobis situm, ea eligere ac sequi, quæ ratio suggerit tanquam utiliora ac potiora:

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοι κὴρ.

Equidem non dubito, quò serius ad hoc vitæ genus accessisti, eò fore admirabiliores studii ac diligentiæ tuæ fructus; qui utinam in publicum brevi prodeant, cum studiosorum utilitate, & nominis tui æterna fama! Faxit hoc Deus Opt. Max. mi Baudi, tibique modis omnibus ὑπερπλησίως benedicat. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* v. *Kalend. Septemb.* CIƆ IƆ CIII.

Eruditissimo Heinsio plurimam meis verbis salutem velim nuncies. Hesiodum audio ab illo editum, & nescio quæ alia, quorum hic ne nomina quidem novimus. Si quid nunc ab eo paretur, me feceris certiorem, habebo gratiam. Nonnihil nisi exquisitum ab illius ingenio exspectamus.

EPISTOLA CCCLI.

JOHANNI VASSANIO.

1603. QUòd me rogasti, ut literis meis ad illustrissimum virum Josephum Scaligerum te ipsi commendarem, scito factum accuratè eâ epistolâ, quam amico huic meo tradidi. Itaque optarem, si fieri posset, ut ipsi adesses, cùm ad Scaligerum est venturus. Sed ut hoc non fiat, vereri non debes, quin memor commendationis meæ sit futurus, quotiescunque ad illum accesseris & quandocunque. Non semel aut iterum, sed sæpissimè experti scimus, eo viro neminem esse alium, qui amicorum preces plures faciat. Tantum illud vereor, ne raræ isthic conditiones reperiantur, quæ possint tibi esse commodæ. Hic certò ita difficile invenias, ut nihil supra. Itaque ubi fratrem tuum collocaremus, adhuc invenire non potuimus. Quæsivimus tamen, ut & porro quæremus: cupio enim quibus potero cumque rationibus honesta incepta vestra adjuvare, & lectissimæ fœminæ, matris vestræ, voluntati, quod in me erit, facere satis. Vale, mi Vassani. *Lutetiâ Parisiorum, a. d.* IV. *Kalend. Septemb.* CIƆ IƆ CIII. 1603.

Velim verbis meis salutem nuncies clarissimo viro, Paulo Merulæ; meque facias certiorem, sitne adhuc prælo subjectum opus insigne ab eo compositum in Geographia: sic enim accepi, & jam videndi ejus scripti cupiditate ardemus. Quid igitur spei sit, fac me ut sciam.

EPISTOLA CCCLII.

JOSEPHO SCALIGERO.

NArrabo tibi hesterni diei συγκυρίαν. 1603.
Rogatus ab amico, adolescente nobili, & literarum amante, literarum aliquid ad te dare; posteaquam μῆκος ἱκανὸν ἔχουσαν exarassem, eique statim tradidissem; ecce tibi παραχρῆμα, advenit Gallus quidam juvenis cum tuis, a. d. XII. Kalend. Sext. datis *. Lætatus sum, pleraque eorum, quæ mihi mandabas, jam esse expedita; nam & Chrysococci διαγραφὰς, & Fastos Siculos confido te pridem accepisse ab amplissimo Legato Buzenvallio. Quanquam velim, nisi grave est, id ipsum ex literis tuis cognoscere; ne etiam in hoc fasciculo idem usu nobis veniat, quod in alio ante quatuor ipsos menses isthuc misso, qui an pervenerit unquam in tuas, aut Vulcanii manus, scire adhuc non potui. De Dioscoride Regiæ Bibliothecæ scito sæpius nos cogitasse; & quod præcipis, aliquoties tentasse. Quòd necdum rem confecerimus, duo sunt in caussa; nam & scriptura est ἐξίτηλος, ac molestissima; & ex paucis, quæ sunt descripta, videmur olfecisse singularem imperitiam ejus, qui voces Arabicas apposuit. Cùm primùm erit otium, & morositati βιβλιοτάφου senis litaverimus, dabimus operam, ut voluntati tuæ fiat satis. De Eusebio tuo malè narras: sed benè tecum agitur, cùm naturam in omnibus aliis rebus expertus matrem indulgentissimam, in istiusmodi sentis novercam. Nobis potius hac ἀμβολιεργία dolenda; qui cupiditate ejus divini operis [ejusmodi sunt omnia tua] incensi, dies omnes hujus moræ pro annis totidem ducimus. De schedis Alcoranicis superiore epistolâ satis. Tu, oro, ne graveris illi respondere, & nos διεξοδικώτερον docere, quæ nescimus. Sed de Simplicio gratiam facio: neque enim jam dubito, Vindicinum illum, qui de fragmentis à se visis narraverat, vanum fuisse & ἀλαζόνα. Locus autem, cujus in

* Scaliger. Epist. LXXXIII.

1603. in epistola mentionem faciebamus, hodie inventus nobis, cùm secundum Commentarium εἰς τὸν περὶ κέρως percurreremus. De rebus Genevensium nuper ad te scripsi paucis verbis τὰ πάντα. Utinam stabilis sit pax, quam Dei beneficio, & Helvetiorum ministerio sunt consecuti. Etsi non est profectò Geneva, quod olim fuit; mihi tamen incredibili cuidam voluptati fuit, post insignem adeò casum, veteres amicos οἱονεὶ ἐξ ᾅδου πυλῶν reduces videre atque amplecti. Multus ibi cum Beza, cum Pinaldo, cum Goulardo de te sermo; qui non semel, sublatis in cœlum manibus, Deo Opt. Max. gratias egimus, quòd hoc potissimùm seculo, contra veritatem obstinatissimo, te voluerit nasci, bonis in exemplum, aliis εἰς ἔλεγχον. Quòd vehementer sum admiratus, non tacebo. Venerandus senex, Theodorus Beza, cùm per longinquitatem ætatis factus sit obliviosus adeò, ut post frequentes de novo Rege Angliæ sermones, subinde me rogaret de Regina, an verum esset, quod fama jactaret, illam fatis concessisse, idem tamen in literis visus nobis is esse, quem ante annos viginti noveramus. Loquitur Latinè, interdum & Græcè, ut anteà: audivimus de Historia veteri disserentem è re nata luculentissimè; ut videretur recens esse à lectione Plutarchi & id genus Autorum. Jam textus Biblicos, maximè autem Novi Fœderis, in numerato habet. Longùm sit omnia persequi, quæ sumus in optimo sene mirati. Vale, inlustrissime Scaliger, & nos constanter ama. Quas ad Buzenvallium scripseras, remitto ecce tibi. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CIII.

Epistola CCCLIII.

CONRADO RITTERSHUSIO.

1603. QUas ante annum scripsisse ais, scito, clarissime Rittershusi, eas numquam fuisse nobis redditas. Quod cùm admodum mirarer, quia meas fuisse tibi Francofurti traditas, ex literis communis amici Scipionis Gentilis didiceram, etiam antequam superiores tuas acciperem, cessationis hujus culpam omnem in tabellarii fluxam fidem conjiciebam. De illa igitur priore epistola tua quid sit factum, is viderit, cujus diligentiæ est à te commissa. Posteriorem ante paucos dies accepi, cùm ex Allobrogico itinere domum rediissem. Et literæ, & munus à te adjectum, gratissima fuerunt. Dedi amplissimo Thuano, quod fuerat illi missum, qui te salutat peramanter, & φίλου τε ὀλίγου τε muneris nomine gratias agit. Ex eo cognovi, posse te sine ipsius offensa, imò etiam cum bona gratia, quod cogitasse scribis, exequi, & tua cum ipsius Poëmatis sacris conjungere. Clarissimo Bongarsio inscriptum ei exemplar nondum dedi; abest enim ab urbe, Regem & Aulam comitatus, nec ante viginti plus minus dies ad nos videtur rediturus. Scripsi nuper ad præstantissimum virum, Scipionem Gentilem; à quo integro jam fermè anno literarum accepi οὐδὲ γρῦ, quod ajunt. Scripsissem nihilò tamen minus; nisi & otium defuisset, & argumentum. Oro te, plurimam ipsi & amicissimam meis verbis salutem nunties. Velim etiam, quid ille, quid tu paretis εἰς τὴν τῶν φιλομαθούντων ὠφέλειαν, ex literis vestris cognoscere. Nos quid primum edituri simus, nondum constituimus; discendi enim cupiditas à scribendo nos avertit. Vale, Vir clarissime. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Kalend. Septemb. anno Christi Dionysiano*, CIↃ IↃ CIII. 1603.

Epistola CCCLIV.

DAVIDI HOESCHELIO.

DE Origenis foliis magnas & habeo, & ago gratias: etsi inciderunt illa in manus nescio cujus, qui vecturam utriusque fasciculi tui πρὸς ἴσον ὀλίγου δεῖν ἀργυρῶν Lugduno Parisios æstimavit: nam qui Lugduni recipit literas vestras, sæpius oblatam à me pecuniam pro vectura accipere nunquam voluit: at quæ inde ad nos afferuntur per equos dispositos, interdum πρὸς ἰσόσταθμον ἄργυρον væneunt: quod ferè accidit, cùm aliàs in Photii aliquot foliis, tùm nuper in istis. Sed mandavi amicis Lugdunensibus, ut aliâ viâ tuos ad me fasciculos, præsertim si fuerint grandiores, mittant. Nondum contigerat mihi, ut ejus scriptoris Græcè quidquam legerem: quo majore cum voluptate tuas schedas statim devoravi. Inveni pauca, quæ vel tuam, vel meam operam desiderarent: quædam ab operis peccata, de quibus moniturum te non dubito. Heraclidis περὶ ἄπνου apud Veteres in magna fuit fama, ut olim notare meminimus ad Præfationem Diogenis Laërtii, qui libri ejus meminit. De Procopio integrum jam mihi non est, ut hoc mercatu voluntati tuæ morem geram: tuas enim multò pòst accepi, quum nostrates mercatores sua φορτία Francofurdum curaverant. Adde, quòd 1603.

si

1603. si notas scripturi sumus, vellem eas posse simul cum libro mitti. Cæterùm paratum est exemplar; &, si ita vis, ad Argentinenses nundinas mittetur. Notas ad Legationum excerpta, obrutus curis à reditu meo, non absolvi. Misi nuper ἀινεὶ γνῶμαί τι· quod an acceperis, velim scire. Sic est, ut ais, exculditur hic Origenes: at noli putare, ad ornandum opus tuum aliquod inde tibi esse sperandum præsidium. Ὀνειροκριτικὸν à Rigaltio impetrabo tibi hodie, aut aliunde faxo habeas. Liturgiarum exemplaria Græca difficillimè hic inveniuntur: sed attendendum erit ad occasionem. De Privilegio sic accipe: cùm ea de re amplissimum Thuanum convenissem, respondit, auctorem se tibi esse, ut aliud denuò impetrares, in quo libri omnes continerentur, de quibus quandocunque edendis cogitas. Mitte igitur ad nos Indiculum, & rem factam confide. Vale, amicissime Vir. *Lutetiæ Parisiorum, prid. Kalend. Septemb.* CIƆ IƆ CIII.

His scriptis Rigaltium vidi, qui se curaturum isthuc unum exemplar promisit.

EPISTOLA CCCLV.

✠ JOANNI MATTHÆO WACKERO.

1603. MAgnum prioribus suis in nos meritis cumulum vir summus Marcus Velserus adjecit, cùm commendatione suâ effecit, ut non innotesceremus solùm tibi, maxime Wackere; sed hoc ampliùs, ut eos esse nos judicares, qui benevolentiâ tuâ essemus non indigni. Testes mihi hujus animi adversum nos tui binæ tuarum, quas à te acceptas, nobiscum idem ille τὰ πάντα ἄριστος Velserus communicavit. Ex iis cognovi, quantum studii operæque impenderis, ut libellis nostris à Cæsarea Majestate privilegium impetraretur: quod negotium etsi exitum non habuit, ego tamen non ita sum imperitus rerum æstimator, quin plus consecutum intelligam, quàm optare ausus sim, nedum speraverim. Nam Principum diplomata scimus dignis indignis sæpe concedi; ut ad veram laudem non multum, aut nihil potius in eo sit positum momenti, sive quis impetraverit, sive repulsam tulerit. At de amore tuo cur lætemur, gloriemur, atque adeo seriò triumphemus, justissimam nos habere causam, nemo ambiget, qui tuas, excellentissime Vir, summas virtutes, pari dignitate junctas, habuerit notas. Ecquis autem est totâ jam Europâ paulò saltem humanior, cui tuum illustre nomen sit incognitum? Nihil igitur jam nos movent, qui nostris in promovenda Republica literaria conatibus parum favent. Nam istorum morosæ δυσαρεστήσει judicium tuum opponimus. Id verò nos tanti meritissimè facimus, ut hac propositâ mercede nullus queat esse labor tantus, quem pro facili ac levi non ducamus. Quod superest, te oro, obtestorque, præstantissime Wackere, quod cepisti ultro, aut rogatu alieno, ut me amares, id ipsum petenti mihi studioséque ambienti ita concedas: si prius tibi persuaseris, in tui cultu, observantia, ac reverentia neminem esse mortalium, cui simus concessuri. Vale, & quàm diutissimè terras colens, communem Literatorum omnium Mæcenatem age. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Kalend. Septemb. anno τοῦ Σωτῆρος Dionysiano,* CIƆ IƆ CIII. 1603.

EPISTOLA CCCLVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

DE Augusta Historia quæ dictavit 1603. amor in nos tuus, legi penè invitis, certè verecundis oculis; eò quidem magis, quod subiit animum metuere, ne superioribus meis aliquid ejusmodi exegisse tibi videar; quod ne in animum velis inducere, per ego te omnes Musas oro. Sed habui justam caussam, cur de clarissimi Vulcanii libro essem sollicitus, quem totius Reipublicæ literariæ intererat incolumem isthuc pervenisse. Quod ita accidisse, lubentissimè ex ipsius literis cognovi: nec minus jucundum, quod traditum amplissimo Legato fasciculum recepisti. Equidem præcipuam soleo voluptatem capere, quotiescunque aliquid ex animi tui sententia tibi evenisse intelligo. Gaudeo igitur mirum in modum, τῶν Περσικῶν κανόνων, quæ desideraveras tamdiu, potitum esse te tandem aliquando. Utinam detur mihi aliqua alia facultas voluntati tuæ & nobilissimis studiis inserviendi. Tuus is erit labor tantum, ut imperes: ego quicquid jusseris, sedulus exequar. Itaque de vocabulis Arabicis τῆς ἰατρικῆς ὕλης ne dubita, futurum iri, ξὺν Θεῷ εἰπεῖν, quod postulas. Sed moram feras oportet paullò fortasse diuturniorem; idque multas ob caussas, quas facilè tibi conjecturâ assequi. Scito pridem tentatum id ipsum à nobis: verùm præ rei difficultate parum hactenus promovisse, cùm judicaremus oleum & operam nobis peritura. Nam aut fallimur, aut valdè erat τῆς ἰατρικῆς imperitus, qui illa

1603. illa vocabula appinxit. Verùm hoc tu melius, vel potius, solus benè. De schedis Alcoranicis scripsi nuper, & scribam aliàs, ut spero, plura. Nunc mitto tibi vocabula quædam, mihi oblata, ut illa explicarem. Quod cum opis nostræ non sit, (multa enim ex illis ignoramus, peto à te doceas me, & operà eàdem, cùm amicum illum meum, qui & te veneratur, & me amat, tùm me veterem discipulum tuum hoc insigni afficias beneficio. Sunt penes me Hebraicæ quædam inscriptiones, quas, si facis tanti, mittam. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Septemb.* CIↃ IↃ CIII.

Epistola CCCLVII.

BONAVENTURÆ VULCANIO.

1603. QUòd de reddito tibi, clarissime Vulcani, libro tuo fieri certior optavi, nolim in eam partem interpreteris, quasi ego gratiarum actionem aliquam à te exspectarim. Debui hoc officium tibi, viro de literis adeò insigniter merito merentique: debui & literis ipsis, quas promovere instar triumphi mihi est, eritque porrò semper ζῶντί τι καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένῳ. Quare noli de moribus meis adeò malè existimare, ut ὑπὸ ψυχρᾶς ἤτοι φιλοτιμίας ἀλῶναι ἡμᾶς in animum inducas tuum. Sed expertus μυριάκις subdolam hominum fidem, jure de re tam chara tibi mihique fui sollicitus. Sed benè, quod omnia tutò sunt isthuc delata. Nunc tuæ erunt partes, Vir doctissime, ut quàm primùm cæteris immortalibus tuis in Rempublicam literariam meritis cumulum hunc addas, & pressum tamdiu Patrem illum manu tandem mittas. Καὶ δέομαι σοῦ ὦ τᾶν καὶ ἀντιβολῶ καὶ λιτανεύω. De foliis missis ago magnas gratias. Deum immortalem, quanta cum voluptate præclarum illud Cyrilli Prooemium legimus! Utinam ita hodiè sentirent isti, qui nihil nisi Cyrillos & Chrysostomos crepant. Verùm illi ἐναντι τῆς ἰσχυρογνωμοσύνης. Tu perge, per Deum, in hoc potissimum genere scriptorum industriam tuam occupare. Procopium quoque brevi ut absolvas, oro te: dignus planè liber tuâ operâ. Vale, & me ama æternum tuum. Doctissimo Heinsio salutem velim à me nunties. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Septemb. anno* τοῦ Σωτῆρος *vulgari,* CIↃ IↃ CIII.

Epistola CCCLVIII.

FRIDERICO LINDENBROGIO.

AMicus quidam meus, singularis vir 1603. probitatis & pietatis, cujus causâ fortunas suas omnes amisit in Lotharingia, homo & natalium, & facultatum honestarum; is igitur rogavit me, ut sibi de conditione aliqua prospicerem, ubi ministerio non prorsus vili occupari cum aliquo commodo suo posset. Recepi cum amicis ea de re acturum me, & pro virili operam daturum, ut illi aliquis alicubi pateat locus. Ea propter constitueram ad amplissimum Calignonem adire, ut egenum hominem, sed fidei plenum, ipsi commendarem. Cùm autem per negotia non licuerit isthuc venire, famulum ad te misi, qui rem omnem tibi aperiet. Oro autem te, si potes aliquid hujus causâ, velis & illum & me æterno beneficio tibi devincire: in primis autem illud, ut meis verbis hoc ipsum τὸν πάνυ Calignonem roges. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XVI. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CIII.

Epistola CCCLIX.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

AMplissime Domine, exspectatam 1603. diu lucubrationem tuam hodie, nescio an missu tuo, beneficio certè eruditissimi Rigaltii vidi, & aviditate magnâ statim percucurri. Qui sum aliquando in meis nugis expertus, hujusmodi præcentiones quàm sint molestæ, gratulor tibi, quòd hac curâ sis defunctus. Sed non puto ultimam adhuc manum ei scripto luculentissimo esse adhibitam. Narrabat enim Rigaltius, in animo esse tibi, copiam illius nobis per aliquot dies facere: quod etsi necessarium non putamus nos, qui beatissimi nobis videremur, si nostra omnia ad exactissimi judicii tui obrussam possemus exigere; si tamen ita lubet, dabimus sedulò operam, ut nostram de singulis sententiam exponamus; atque adeò ἀπειρίᾳ fortassean ista in re peccabimus. Unum intereà, amplissime Vir, pro mea in te pietate, ne dicam officio, tacere nequeo; etiam atque etiam diligenter videndum tibi, ne benevolâ adeò immerentis mei commemoratione certorum hominum sermonibus occasionem præbeas; qui, ut sunt hodierna plerorumque ingenia, optima quæque &

1603. & admiratione digniſſima traducere quoquo modo, in deliciis habent. Equidem ſcio hoc tanto honore planè indignam tenuitatem ingenii, cujus ſum ipſe mihi conſcius; ſed ut maximè ii eſſemus, quos tuus amor nos eſſe fingit, cauſſa tamen, ut ſcis, non deerit, cur multi factam noſtri mentionem tam illuſtri loco ſecius ſint interpretaturi. Quare te iterum oro atque obteſtor, nolis committere, ut amor, quo nos pro tua bonitate proſequeris, divino operi frigus aliquod conciliet; quod non tu vehementius optas quàm nos in publicum prodire omnibus acceptiſſimum. Vale. *Lutetiæ Pariſiorum*, *a. d.* IX. *Kalend. Octob. anno* τοῦ Σωτῆρος *Dionyſiano*, CIϽ IϽ CIII.

Epistola CCCLX.

EIDEM.

1603. AMpliſſime Domine, de Avicenna, quando ita κέχρικας, age, mos geratur voluntati tuæ. Ego, quod poſſum, animo gratus, τοῦ λοιποῦ debitorem tibi delegabo, qui non metus eſt ne decoquat, aut rationes conturbet. Deum dico Opt. Max. cujus naturam nullâ peræquè re ac τῷ εὖ ποιεῖν poſſe mortales imitari, conſtat inter Sapientes. Quantum utilitatis ſtudiis cœptiſque noſtris tuum hoc munus ſit allaturum, non ſcio; vix enim adhuc eas literas deguſtavimus. Quod tamen apud te liceat, ſi conatibus adfuerit Ille, quo ſine nil alti mens inchoat, his præſidiis ſubnixi ea videmur poſſe præſtare, quæ ab hoc Literatorum vulgo non poſſint expectari: ſed tardat vota noſtra inſtitutum opus, ad cujus finem totis ingenii viribus vehor. De libello Joſephi Scaligeri, idem quod tu, ego quoque conjiciebam, cùm primùm de eo accepi ab illuſtriſſimo Principe. Verùm ille rogatus à me ſexies ſepties, eſſetne typis editus liber, quem narrabat, conſtanter affirmavit, eſſe. Cùm ſollicitus quærerem, accepiſſet illum, an ſperaret? (nam initio miſſum fortè ſibi, non acceptum, dixerat) ille ad hæc verba, *Ego verò*, inquit, *accepi*, *legi*, *habeo*. Cùm quæſiſſem, haberetne inter viatorias ſarcinas, negavit, ſed domi reliquiſſe in Bibliotheca ſua. Quare de hoc nullum jam poteſt eſſe dubium. Quid cum Rege ſit actum ſuper libro mittendo, nondum habeo compertum: codex penes nos eſt; nec inſciis nobis negotium poteſt tranſigi. Iveram heſternâ die apud Principem Haſſum, & officii cauſſâ, & ut quid ſit actum reſcirem. Cubiculum ingreſſus, inveni ludentem aleâ; & quia 1603. πανημέριος dicebatur luſurus, ἄψορρος ποτὶ δῶμα pedem retuli. Accepi, diutius moraturum illum in hac aula; nec puto eſſe cauſſæ, cur de ruſtico urbanus fiat. Equidem ſic exiſtimo; rectam mentem ὁμιλίαις οὐ καλαῖς facilius poſſe corrumpi, quàm ut unius exemplo aſſueſcant multi, ſuum pretium virtuti & eruditioni ponere. Vale, Vir ampliſſime. *Lutetiæ Pariſiorum*, *a. d.* IX. *Kalendarum Octobrium*, CIϽ IϽ CIII.

Epistola CCCLXI.

EIDEM.

AMpliſſime Vir, ſcriptum tuum ad 1603. eruditiſſimum Fabrum, in ſuburbano prætorio adhuc ruſticantem, curavi perferendum. Literas etiam ad eum dedi, quibus illum moneo de eo, quod fieri voluiſti apud τὸν δεῖνα Epiſcopum. Non dubito, fore ei curæ, ut ex voluntate tua res geratur, ſi modò, quod non puto, ἐνδημεῖ τὸ νῦν εἶναι ὁ περιβόητος ἀνὴρ ἐκεῖνος. Puto narraſſe tibi doctiſſimum Rigaltium ſermonem, quem ſuper tuo opere nuper cum eodem illo Præſule habui. Nam cùm perbella ſe obtuliſſet occaſio, dixi illi, meminiſſe me audire à te aliquando, hærere etiamnum memoriæ tuæ infixa, quæ de concordia Eccleſiæ in Galliis ambo olim unà locuti eſſetis; teque dicere ſolitum, ſi qua operis tui pars unquam eſſet publicanda, præfationis tuæ non aliud argumentum futurum, quàm ut pium hoc tuum votum palàm faceres. Probavit hoc Epiſcopus; qui non obſcurè ſignificavit, magni ſe honoris loco ducturum, ſi quid fortè harum rerum ſibi abs te communicaretur. Quare conſilium, quod ſponte tuâ pridem cepiſti, laudo; teque oro, ſive ille adeſt, ſive abeſt, rem tamen non negligas. Non dubium eſt, invidiæ levandæ, οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν, non inefficax telum futurum tanti viri nomen. Libros Francofordo allatos vidi; ſed ſemel, & paucos; non enim licet nobis, niſi raròs, exire per διάῤῥοιαν, quâ menſem ferè integrum domi continemur: id niſi fuiſſet, hoſpitem omninò me habuiſſes. Tuum reditum eò cupidius exſpecto, quòd confido, in tuo Muſeo me viſurum aliquot libros, qui alibi nondum mihi reperti. Dionyſius Gothofredus ſcripſit ad me, ſe magnâ cupiditate patriam repetere cogitantem, mirificè conturbatum eſſe, cùm in eandem urbem Jeſuïtas brevi admiſſum iri intellexit: petere igitur à me conſilium. Reſpondi igitur, de Loyolitis nihil mihi adhuc conſtare: conſilium

lium

1603. lium non à me, sed à se ipso peteret, qui suum illic, ubi nunc degit, statum unus optimè nôsset: me, cùm ante aliquot annos in simili deliberatione versarer, tandem decrevisse, ἐπιθέσθαι τῷ Θεῷ· needum consilii pœnitere: cæterùm τὰ μέλλοντα in unius manu & notitia esse, qui solus πρόσω καὶ ὀπίσω τὰ πάνθ' ὁρᾷ. Vale, amplissime Domine. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* III. *Non. Octob. anno salutis Dionysiano*, CIↃ IↃ CIII.

Epistola CCCLXII.

EIDEM.

1603. AMplissime Præses, εὐαγγέλιον narro tibi; Avicennam Arabicè loquentem brevi habebimus: tu, inquam, habebis & frueris: ego, si per te licet, utar, & occasionem τοῦ ἀραβίζειν planè divinitùs oblatam nobis, non dimittam. Quanquam sumus occupatissimi, constituimus tamen, omnia temporum succisiva per hanc hyemem ei studio impendere: experti enim non semel jam sumus, quantum eâ re conatus in literis nostri possent adjuvari. En verò tibi recentium librorum Indicem, nunc ipsum mihi allatum à Drovardo. Percurri leviter; nec multa ad gustum meum inveni: πολεμικὰ pleraque omnia, & dissidiis nostris fovendis nata. Ergo finis malorum nullus? per istos quidem πάντα ἔναλλα γενήσονται priusquàm turbatæ res componantur. Agnovi ibi nuperum Arnaldi contra Loyolitas libellum. Fallor, an aliquid magnus Scaliger ad editionem ejus versionis contulit? Videbimus, cùm liber venerit. Meministi verò, dixisse me nuper tibi, cùm isthic essem, non satis capere me Pannoniæ descriptionem, quæ septimi libri initio habetur. Sperabam posse omnia facilè ex Bonfinii comparatione intelligi; sed non memineram, Bonfinium cum magna parte Bibliothecæ nostræ in Arecomicis Volcis adhuc esse. Qui igitur præsidio ejus libri destitutus, λύειν τὰς ἀπορίας non potui, paucula, de quibus dubito, huic chartæ illevi. Folii XXVIII. priore facie, *Mauromorusios* montes, alibi legere non memini. Ibidem, *Arrhabo* Ptolemæo semper Ναῤῥαβὼν. Cur mutemus? nam in XI. Strabonis Ἀῤῥαβὼν κάτω τοῦ Καυκάσου ῥέων alius est. *Mamorisus* videtur ejusdem folii postica in facie *Marusius* dici: cogitandum igitur. Fol. XXX. pro *sui*, scripsimus *omnes circa ipsum*. Displicebit fortasse ἑλληνισμὸς· sed ita Suetonius amat loqui. Fol. XXXII. in aversa pagina totum locum de vectigalibus salinarum non assequor. Hæc sunt, de quibus censui ad te referendum. In cæteris, si quid fortè occurreret, usi sumus eo jure, quod tuus amor nobis concessit. Legatum Helvetium, virum amplissimum, tuique studiosissimum, atque, ut ipse loquitur, observantissimum, semel vidi. Multa ille de tua valetudine nos statim percontatus, salutem suis verbis quàm officiosissimam tibi à nobis mandavit nunciari. Vale, amplissime Domine, & nos ama. Eruditissimum Rigaltium jubeo salvere, & seriò ἐναρεοπολεῖν. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IV. *Eid. Octob.* CIↃ IↃ CIII. 1603.

Epistola CCCLXIII.

CAROLO LABBÆO.

QUòd epistolæ tuæ, ante aliquot menses acceptæ, nondum responderim, eruditissime Labbæe, morbus primò fuit in causa; deinde iter, in quo plures fuimus menses; postremò ἐγκύκλιοι istæ occupationes, quæ nos assiduè hic enecant: ut sæpe mihi optare in mentem venerit, eveniret tale aliquid, quod me in negotiosa hac otiosorum matre ἐμπαροικεῖν non sineret. Non enim nobis vivimus, sed aliis; qui nullo studiorum nostrorum respectu, tempus omne sic nobis suffurantur, ut succisivas horas non multas habeamus, quas curis melioribus impendamus. Quod si studere, nobis vivere est, ut profectò est, cogita quantam quotidie faciamus vitæ jacturam; qui & matutini & pomeridiani temporis meliorem partem cogamur perdere miserrimè. Sed hæc mitto: οὐ γάρ τις πρῆξις κρυεροῖο γόοιο. Tu, mi Labbæe, fraterque tuus feliciores, qui, ut accepi hodie à charissimo Puteano, institutum Glossariorum opus ad umbilicum jam perduxistis. Mactè estote hac diligentiâ & φιλοπονίᾳ. Aveo, si quis alius, exactum & publicatum opus videre. Sed tamen illud occinere non desino, σπεῦδε βραδέως. Planè eximia provincia est, quam suscepistis; verùm ejusmodi, opinor, quæ properanter administrari nolit: quid enim latius fusum eo argumento? Video enim, vos non segniter & ἀφοσιώσεως χάριν eâ curâ velle defungi; quod consilium etiam atque etiam vehementer laudamus. De Isidoro, quæ communicasti, perplacent. Nos cùm olim eum Auctorem percurreremus, pauca ad oram codicis nostri adnotavimus verè ἐδὲ πάρεργον· quæ non dubitamus, vobis esse animadversa. Est quidem is Scriptor necessarius 1603.

rius

1603. rius potius quàm doctus; sed non malè de literis fueritis meriti, imò verò, ut judicium nostrum est, quàm optimè, si illum operâ vestrâ fueritis dignati. De oratione εἰς τὰ βάια magnas habeo gratias. Legi, sed quædam superant * adhuc excerpenda. Excerpam, & statim remittam. Vale, & meis utere, si quid est quod velis. Amplissimo patri & fratri multam salutem. *Lutetiæ Parisiorum, Eidib. Octob. anno τȣ̃ Σωτῆρος Dionysiano*, CIↃ IↃ CIII.

* Fortè, supererant.

Photio cùm usus fueris, ipse lubens utar.

EPISTOLA CCCLXIV.

ANDREÆ SCHOTTO.

1603. PEr mihi gratus fuit, Vir præstantissime, Anagnostæ tui adventus; quanquam longè gratius futurum erat, si venisses ipse, & tui amplectendi copiam fecisses. Quid vester Ordo de Gallia sit meritus, aut quæ sint vulgò hìc hominum de isto judicia, non laboro: hoc tibi omni asseveratione affirmo, & te, & tui similes, qui μεγάλην σπάρτην, καὶ ἐλάχιστι, κοσμεῖτε, omnibus bonis venerationi esse. Equidem ubi primùm tua scripta juvenis olim legi, de singulari morum probitate, quæ in te est, eam opinionem concepi, quæ posteà multorum sermonibus est confirmata. Itaque licet nulla mihi dum notitia esset tui, nisi quam lectio tuorum scriptorum mihi conciliaverat, jam ex illo tamen te amabam, & magni faciebam: quid censes nunc, cùm de tuo in nos affectu benevolo certi sumus? Magnam igitur voluptatem ex adventu cepissem tuo, si ita res tulissent tuæ: verùm istud quidem Θεȣ̃ ἐν γόνασι κεῖται. De munusculis verò, quæ misisti, magnas tibi ago gratias. Etsi accidit sanè quàm incommodè, ut Senecæ codex iste eo tempore mihi concederetur beneficio tuo utendus, quo eram ὅλος καὶ πᾶσι curis diversi generis occupatus. Unde factum, ut Tantalo similis delicias mihi appositas viderem, non gustarem; nisi quòd paucula quædam sublegi, velut canis è Nilo. Repetenti tamen librum Anagnostæ tuo lubens reddidi, ne rem alienam invito domino contrectasse dici possem; quod longè abest à moribus meis. Vellem, si fieri posset, paullò longiorem usuram ejus codicis impetrare à τȣ̃ μακαρίτȣ hæredibus: quod te facturum aut nunc, aut quando erit commodum, spero: sin alia mens illis, tibi tamen illibata παρ' ἡμῖν ἀποκείσεται beneficii hujus gratia. Nunnesii, viri doctissimi, scripta hic posse edi, tecum opto; & si quid ponderis in commendatione nostra futurum, scito eam rem, vel tuâ gratiâ, fore nobis curæ; aut potius, jam fuisse: nam heri Bibliopolas nostros, quod rarò facio, adii ob id ipsum, si quem fortè invenirem, qui voluntati tuæ faceret satis. Offendi adhuc neminem; sed nondum spem omnem abjeci. Hoc facilè video, prensandos fore illos nobis paullò diutius. De Plethone item curabitur à nobis diligenter; eò quidem impensius, quòd habemus nonnulla illius, nondum, quod sciam, edita. Misit enim ad me ex Italia Anglus quidam ante annos aliquot, Diatribam non indoctam Plethonis, in primos Strabonis libros. Habeo etiam penes me libellum hoc Indice: Πλήθωνος περὶ Θεσσαλίας. Sed liber est ψευδεπίγραφος. Strabonis enim est tota illa descriptio, non Plethonis. Videor mihi in Regis Bibliotheca nonnulla ejusdem vidisse ἀνέκδοτα. Quod si editorem invenero, omnia colligam, & in unum corpus congeram. Vale, Vir doctissime, & nos amare perge. *Lutetiæ Parisiorum, anno τȣ̃ Σωτῆρος Χριστȣ̃ Dionysiano*, CIↃ IↃ CIII. *a. d.* XV. *Kalend. Novemb.* 1603.

EPISTOLA CCCLXV.

JOSEPHO SCALIGERO.

INlustrissime Vir, quas ad me XIII. Kalend. Octob. † dedisti, eas accepi nudius tertius; illas nondum, quibus περὶ μονάδος καὶ τȣ̃ ἑξακισχιλιοστȣ̃ ἀριθμȣ̃ disseruisse ais. Opto illi adolescenti, cui eas tradidisti, fausta omnia, & celerem in hanc urbem adventum; ne mihi tuæ amicitiæ tam preciosum cimelium diutius sit exspectandum. Ipse an acceperis novissimas mearum, cupio vehementer scire; eas dico, quas scripsi statim lectâ epistolâ illâ tuâ, quâ de Historia Augusta scribebas. Scripsi tum & ad clarissimum Vulcanium; misi etiam tibi Sylvam quandam vocabulorum Arabicorum, de quibus erudiri à te cupiebam. Quare si eæ literæ tibi sunt redditæ, obtestor benignitatem tuam, ne molestiam docendi me velis defugere, nec te pœniteat facilitatis & χρηστότητος, quam hactenus sum in te expertus. Scito autem, in eo nunc nostram occupari industriam, ut divinum opus tuum de Emendatione Temporum possimus tandem intelligere. Jam in eo conatu menses aliquot impendimus, & multùm sudavimus. Quæris quid profecerim? Multum sanè, sed illud eximium, 1603.

† Scaliger. Epist. LXXXV.

1603. quod accuratâ tuorum, & parentis tui scriptorum lectione, mea & similium mei scripta disco κατ' ἀξίαν æstimare. Narro tibi quod res est, lectione ejus operis ita me perculsum, ut constituerim, cum bono Deo, non antè quiescere, quàm ea mihi comparaverim præsidia, quæ ad intelligentiam tuarum demonstrationum sunt necessaria. Nam ubi melius succisiva mea tempora locem? Quid possum discere, cujus utilitas latius pateat? Quid jucundius, quid nobilius earum rerum cognitione? Atqui non desunt, qui urgeant, ut in aliis potius operam ponam, & nescio quas nugas veteres meas edi, à nobis cupiant: sed quia tanta fuit studiorum meorum infelicitas, ut quæ puer scire debueram, ea nunc propè seni sint discenda, enitar, si potero, emendare quod peccatum est. Operarum in tuo illo aureo libro παροράματα alicujus momenti observavi; de quibus per otium alias ad te scribam. Legi etiam * Temporarii & † Laureti Chronologias; de quibus, si isthic essem, tuum judicium lubentissimè cognoscerem. Nobis nullæ hic judicandi partes; nisi quòd Temporarium βιβλιοκληπτίζειν, & tuis plumis dissimulanter se ornare, fero admodum impatienter. De Laureto quid dicemus, qui LXX. anteponit Hebraicæ veritati? Hæc feres tu, magne Censor, neque notam appones? O si mihi aliquando contingat quod opto! De Summatis epistola, miratus sum famam etiam ad te pervenisse, in quo verè possum affirmare, nullam meam esse culpam, qui ne tuas quidem, quas longè pluris facio, cuiquam solitus sum ostendere. Sed quas tibi gratias, δαιμόνιε ἀνδρῶν, præ ‡ tam salutari consilio referam? nam quæ scribis, ea nobis quoque suboleverant. Quis autem ille, quem designas? An conjecturâ sum assecutus? qui de illo docto viro accipio, quem non ignoras Chrysostomi editionem meditari. Quisquis ille sit, χαιρέτω. Ne dici quidem potest, quàm opportuna fuerit tua admonitio. Meritò igitur pridem ego te

* *Joannis.*

† *Christophori. Vide suprà, Epist.* cccxx.

‡ *Ferè, pro.*

parentis loco veneror. Venio ad Arabica studia, quæ mihi jam tecum futura, si cœptis faverit Numen, communia: verùm ita, ut cùm annos multos ei curæ impendero, vix tandem sim dignus futurus te magistro. Nunc quidem ἐν ταῖς σελίναις ἔτι ἐσμέν· nam errorem tuum multùm risi nuper, cùm tu me πλέως ἀραβίζειν argumento scripturæ divinabas. Non enim memineras, eam esse manum juvenis, omnium quos vidi, optimi & integerrimi, Hadriani Flessingensis, qui tantâ diligentiâ in Arabico Avicenna, & paucis aliis libris est versatus, ut profectum illius mirari satis nequeam. Is adolescens probissimus, & omni laude cumulatissimus, tantâ modestiâ est præditus, ut nullo hortatu, nullis precibus meis impelli potuerit, ut ad te scriberet: neque enim aliter te veneratur, quàm ut δαίμονα quendam inter mortales versantem. Cum hoc egi, ut ad Bibliothecam iret, & vocabula Dioscoridi adscripta describeret; quod & confectum jam esset, nisi repentinus quidam casus ante triduum penè illum nobis, quod Deus avertat, eripuisset. Fueramus unà totum diem; sub vesperam cùm domum repetiisset, invenit, in vicina domo quosdam pestilentiâ fuisse extinctos; duos in hospitio suo ægrotare: hoc ego nunc ipsum didici, eo narrante. Venit enim ad me, ut cessationem suam excusaret: quanquam omnia ab eo descripta, sed in liturariis, ut alius vix queat legere. Liber Regius neque perfectus est, neque rectè colligatus; chartæ enim, sive membranarum τὰ πτεράδια præpostero ordine collocata; quo nomine difficilior est collatio. Subjeci paucula, ex quibus facilè erit tibi, de cæteris facere conjecturam. Vale, inlustrissime Scaliger, & me, quod facis, ama. Amplissimum Legatum Buzenvallium, clarissimum Vulcanium, & τὸν θαυμάσιον Heinsium, salvere jubeo, & plurimum valere. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIII. *Kalend. Novemb. anno τοῦ Σωτῆρος Dionysiano,* CIƆ IƆ CIII. 1603.

שאטרך	Lepidium.
אלכניכג	Ranunculus.
שקאיק	Anemone.
נוע אבר אלשקאיק	Argemone.
ארן אלפאר כירי	Anagallis.
לבלאב אלעגרה וכרי	
אבלי אלמסאכין	Hedera.
ערוק אלצבאעין	Chelidonium.
רומי	Othonna.

* *Ita passim, opinor, cùm in Oriente voces Græcæ aut Latinæ usurpabantur.*

ארן אלפאר	Auricula maris.
שגרח אלניל	Isatis.
אצל אלסוס	Glycorriza.
סוס	γλυκύρριζα.
שגרח אלזופא	Hyssopus.
באדאורד	Spina alba.
קיסום	Abrotanum.
אכינוס	Acinus.
סראב	Ruta.
אלקרכן	Coccus baphica.
מחרות	Silphium.
שונן שונן	Melanthium.

Cætera

1603. Cætera quæ non explebunt, ſcio, tuam ſitim, proximis literis manu Hadriani mei. Audio parari iſthic Lexici Arabici Raphelengiani editionem; quod an ita ſit, & omnino an aliquid in eo genere literarum iſthinc ſperandum ſit, oro te, ſignifica. Sed ante omnia de Euſebio tuo, quæ res, quæ ſpes ſit reliqua: nam quamdiu κεχηνότες exſpectabimus? Editor Aquitanus *, Antagoniſta tuus, (εἰρήσθω γὰρ οὕτως) aliquot millia MSS. Euſebiorum congerit, & eorum diurnâ nocturnâ collatione ſuis perſuaſit unum ſe ſapere. Non rides?

* *Vide ſuprà, Epiſt.* CCCIX.

EPISTOLA CCCLXVI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1603. AMpliſſime Præſes, quòd vales, gratiſſimus mihi nuntius eſt; Deumque oro, præſtet tibi firmam valetudinem, & annos Neſtoreos duit. Novi quod ad te ſcribam, habeo nihil, præter hoc unum, Illuſtriſſimum Landgravium cùm à Rege multa de te cognoviſſet, itemque ab aliis, ægerrimo animo tuliſſe, quòd te inſalutato cogeretur hinc diſcedere. Sed eum repentina calamitas domum revocavit: cogitantem enim diutius hìc morari, atque hinc Britanniam petere & Belgium, nuntius de uxoris obitu ſententiam coëgit mutare. Statim enim audito morbo illius graviore, equum aſcendit, vix Rege ſalutato, ut mihi poſteà dictum eſt; nam ego illum non conveni à reditu è Bibliotheca. Sed narravit mihi nobilis Anglus, qui abſente Anglico Legato res heic agebat Reginæ, multa ſe ab eo audiviſſe de ſuo tui videndi deſiderio. Cùm nuper ad te literas dedi, jam ille in urbe non erat, itaque ſera erat tua conſalutatio. Hoc habui unum, quod ad te ſcriberem; quæ tecum garriam, ubi adveneris, multa. Veni igitur, ampliſſime Domine, quàm primùm. Equidem in eremo verſari mihi videor; ita ſolus ſum, quoties abs te diutius abſum. Scripſi raptim. *Lutetiæ Pariſiorum, pridie Nonas Novemb.* CIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA CCCLXVII.

DANIELI HEINSIO.

1603. QUæ in Theocritum ſcripſiſti, doctiſſime Heinſi, hodie vidi: nam cùm in tuum librum caſu incidiſſem, arreptum ſtatim devoravi. Non ego is ſum, qui præter animi ſententiam ſolitus ſim cuiquam ancillari. Sed me profectò tuum illum libellum legentem admiratio inceſſebat, cùm ætatem præſertim tuam cogitarem. O perge, magne Juvenis, & literarum ſpes altera, quo cœpiſti pede: nam quid ſperari à te viro, nedum ſene, queat, facilè iis æſtimare, qui eximiam eruditionem, quæ in iis, quæ edidiſti, hactenus apparet, non poſſunt ſatis mirari. Quòd autem operis partem † nomini meo volueris inſcribere, hoc eſt, immortalitate me donare, agerem tibi, ingenioſiſſime Heinſi, gratias pro tanto beneficio, ſi verba ſuppeterent, ὧν ὑπῆρξας, ἄξια. Quamobrem τὸ μὲν διὰ λόγου χάριν σοὶ ὁμολογεῖν, παρήσω: verùm illud à te contendam, ut confidas paratiſſimum me eſſe, πρὸς τὸ ἔργῳ ἀμείβεσθαι τὴν χάριν, εἴτις πότ' ἄρα τοιοῦτος συμβαίη καιρός, ut tu operâ meâ uti velis. Intereà quod unum poſſum, illud faciam aſſiduè, ut pro ſtudiorum tuorum εὐροίᾳ Deum orem, utque incepta omnia tua benignus ſemper ſecundet. Scripſi hæc μαλακῶς ἔχων ἐκ τῆς ἀσθενείας· cùm melius habebo, uberius ad te ſcribam. Vale. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* VI. *Eid. Novemb. anno* τοῦ Σωτῆρος *Dionyſiano,* CIↃ IↃ CIII.

† *Vide Daniel. Heinſii Notas in Theocritum, pag. 98. edit. Commel. 1603.*

EPISTOLA CCCLXVIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

HAbebam quæ ad te ſcriberem multa. Sed admonet me ſilentium tuum, ut occupationibus tuis parcius obſtrepam. Tertius hic menſis eſt, ex quo binas à te ſolùm accepi, etſi plures à te ſcio ſcriptas; nam illas τριποθήτους περὶ τοῦ ἑξακισχιλιοστοῦ ἀριθμοῦ ſcito necdum mihi fuiſſe redditas; quas tamen puto non periiſſe. Paratus ſum etiam in hac fortunæ mediocritate ἰσοστασίῳ χρυσῷ redimere. Meæ ſi parem fortunam ſunt expertæ, aliquot horarum jacturam lucrifeciſti: erant enim pleræque omnes ζητητικαὶ, & Platonis verbo μαιευτικαί. Illud doleo, ſi ita ſit, ſimul chartas Dioſcoridis periiſſe, quarum habendi deſiderium in te fuiſſe magnum, non unæ tuarum indicium fecerunt. Exſpecto igitur, quid ſis ad omnes meas reſcripturus. Scripſi nuper & ad doctiſſimum Heinſium, ſimul ac in manus meas ejus Theocritus incidiſſet. Exaravi iſta raptim ἐκ τριμήνου διαῤῥοίας ἀσθενῶν. Deus te ſervet, magne Vir, & nobis amorem tuum. *Lutetiæ Pariſiorum, a.d.* VI. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CIII. 1603.

Epistola CCCLXIX.

DAVIDI HOESCHELIO.

1603. Accepi, Vir clarissime, & quos viâ Francofordiensi, & quos Lugdunensi misisti fasciculos. Sperabam, me quas flagitas Notas citius missurum, quàm sim facturus; neque hæc meâ culpâ; sed valetudinis, quæ tertium amplius mensem sic affecta est, ut à severioribus studiis, & intentiore meditatione abstinendum mihi sit necessariò. Sub anni principium ictero molestissimo δίμηνον ferè χρόνον laboravimus: nunc cum διαῤῥοίᾳ nobis res est contumacissima, quam hactenus sistere αἱ παρὰ τῶν ἰατρῶν βοήθειαι non quiverunt. Sed jubent illi bono esse animo; & jam cum literis in gratiam incipimus redire. Itaque tertius hic dies est, cùm Persii editionem adornare, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, institui. Olim eum Poëtam publicè exposuimus: nunc ut juveniles nugas nostras ne contemneremus, efficit ἀλάστωρ ille impurus *, qui ante annum, opinor, alterum aut tertium eum Poëtam conspurcavit. O stolidum caput! O inutilem πολυαναγνωσίαν! Est animus, paucos dies huic curæ impendere. Ad nundinas Francofordienses, spero, opus editum iri. Velim hæc cum amplissimo & præstantissimo Velsero communices, & meam cessationem apud illum excuses. De Libanio, ego & Morellus magnas gratias. Utetur ille, nec abutetur. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Non. Decemb.* CIƆ IƆ CIII.

* Theolonus Marcilius.

Chartas Origenis accepi, ad pag. 248. Cætera velim mittas viâ Lugdunensi: providi enim, ne mea ibi non curarent, quorum de fide nuper sum apud te conquestus. Quare aliam viam eligere non debes.

Epistola CCCLXX.

JOSEPHO SCALIGERO.

1603. Quas ad me a. d. VIII. Kalend. Novemb. † dedisti, hodie accepi: illas nondum, quibus scripsisse ais περὶ μονάδος. Utinam veniat tandem qui illarum est bajulus! exspectatus juxta & gratus veniet, cùm propter commendationem tuam, tùm propter tuas illas literas, quarum exspectatio longior non parum nobis molesta. Intereà ago tibi gratias quantas possum maximas pro hoc beneficio: λύσιν, dico, τῆς περὶ τοῦ θείου ἀπορίας. Vides verò quàm benè tecum agatur, quod absum à te longius; nam si isthìc essem, dubitationibus meis tibi negotium assiduè facesserem. 1603. Lexicon Nebrissensis Hispano-Latinum neque habemus, neque unquam hactenus nancisci vel utendum potuimus. Collegimus non pauca id genus μιξομανερπτινοαραβικὰ vocabula è libris aliquot Hispanorum, quos eâ solùm fine legimus, maximè autem ex Historia de Arabico versa à Michaële Luna. Sed difficile est, quæ Hispanicè sunt scripta, etiamsi purè sint Arabica, cognoscere, & in ordinem cogere. Hoc potes tu præstare; nos ne conari quidem: itaque aliud curamus. Scripsi ad te nuper de morbo, qui multos menses studia nostra retardavit. Nunc cùm beneficio Dei meliusculè habeamus, constitui, impellente maximo Thuano, veteres chartas evolvere, & aliquid subindè publicare. Possum melius collocare bonas horas, quas invitum me ponere in talibus scit, qui nihil non scit. Sed infelicitatis meæ pars magna est, quòd ad aliorum potius, quàm meam voluntatem, studia mea cogor disponere. Eo factum, ut Persium nunc ederemus, qui in aliis libentius operam poneremus. Legi his diebus quæ in eum Poëtam ante biennium bipedum arrogantissimus, Ludimagister ‡ Parisinæ cujusdam Scholæ, effutivit. Equidem sciebam cùm librum in manus sumerem, nihil exquisiti ab illo morione esse exspectandum; sed tantam hominis esse imperitiam, & tam stupendam asinitatem (non enim possum aliter vocare) putavi nunquam. Miseram diligentiam κακοδαίμονος σοφιστοῦ! Atqui scito, ante mensem dedecus illud hominis in publicum fuisse productum, & in eam cathedram impositum, ex qua olim Turnebi, Merceri & alii summi viri oracula edere soliti. Beatum te, qui hæc non vides: quanquam jocus & risus hæc sunt præ aliis, quæ singulis diebus oculos nostros incurrunt; nam de Loyolitis puto accepisse te ab aliis rem omnem. Hem, Vir divine, quò tandem ista evadent? Audistine aliquid unquam πρατοδίστρον? incredibile enim dictu est, quàm sit in eorum potestate is, ὅπερ κράτος ἐστὶ μέγιστον. Fateor tibi, vix parem esse me ταῖς ἀναρπαστάταις ἀνίαις, quas ex impendentium malorum cogitatione præcipio. Quoties charissimam uxorem, quoties suavissima pignora, quoties denique libros meos inspicio, subit animo diei illius infausti species, quo furor Dei hostium ante annos triginta & unum in bonos crudelissimè est grassatus. Et avertent quidem superi, spero, tantam à nomine Gallico infamiam. Cæterùm, ut sunt ingenia hodierna, maximè

† Scaliger. Epist. LXXXVII.

‡ Theod. Marcilius.

1603. maximè autem τῶν δημαγωγῶν τῶν ἀχρειεστέρων καππομανέντων, οὐδὲν ἀπώμοτον. Verùm hæc τῷ ὑπὲρ ἡμᾶς καὶ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ μελήσει. Quod ad διαπέντιον ἀποδημίαν, omnem pone metum: consilio enim utemur tuo; neque committemus, ut illi κακονουστάτῳ δειχησισόφῳ nos objiciamus ἕλωρ καὶ κύρμα. Excerpta Chronologica nuper recepi; & sum miratus, cur tam citò remitteres. Si ita placet tibi, dabo operam, ut brevi ad te referantur. Utinam prodeat aliquando tandem Eusebius tuus! Utinam tuos illos Isagogicos Canones, priusquam supremum obeam diem, inspicere, & admirabilem doctrinam tuam percipere possim! Nos quidem animati egregiè, & παιδείας τῆς σῆς εἴσρῳ βεβολημένοι θαυμασίως· sed infelices conatus nostros cùm adversa valetudo, tùm istæ θυμοβόροι anxietates penitus frangunt. Unicum in malis solatium habemus non leve, quod de tuis scriptis & meritis in rem literariam divinis longè aliter quàm vulgus hominum & judicamus, & pronuntiamus. Chronicis Excerptis utere, abutere, ut voles. Vale, & me ama, ὦ ἀνὴρ σεβασμιώτατε. Deus Opt. Max. te servet omnibus modis ἀπήμαντον. *Lutetiæ Parisiorum*, CIƆ IƆ CIII.

Oro te, liceat mihi cessationem meam hic excusare apud Heinsium, cujus libellos nuper accepi, & maxima cum voluptate legi. Rescribam eis tres quatuorve dies, & gratias agam. Soleo de eo dicere, pusillus Scaliger hic est: olim si vivat, [& ut vivat oro] iturus per vestigia tua, præstiturus quæ aliis tentare nefas. Rescribam etiam ad Dominicum Baudium, qui Orationem suam * purissimæ Latinitatis misit. Et hi, & nobilis adolescens Henricus du Piu, cùm ad te accedent, ex istis, nisi molestum tibi, cognoscent suas mihi fuisse redditas. Novissimæ, quas ad te scripsi, ad Buzenvallium missæ sunt, cui etiam scripsimus. Is fasciculus habuit Lindenbrogii literas adjunctas. Iterum vale, tuque, & ὁ κράτιστος Buzenvallius, cum cæteris, quos nominavi.

* Auspicalem in Plinii Panegyricum. Colomes.

EPISTOLA CCCLXXI.

EIDEM.

1603. CUm nuper, post longam plurimorum mensium exspectationem, literas à te, inlustrissime virorum, accepissem, rescripsi paullò pòst, & Arsenio meas tradidi, qui se curaturum promisit. Nunc ista raptim exarabam, cùm isthuc Mauricius noster proficisceretur, ex quo de rebus nostris plura, si lubet, intelligere poteris. Omnino 1603. ἐν δοίῃ μοὶ θυμὸς, non ex levitate, sed propter multas gravesque causas. Quod si me vetus illud Viri sancti in monte, *Deus providebit*, non solaretur, tantæ sollicitudini par non essem. Scripsi nuper de obitu Gosselini: quæ posteà acciderunt, si referre incipiam, nimis te morer. Certum est, τοὺς Λοϊωλίτας omnem lapidem movisse, ut ejus ministerii, cujus codicillos ante triennium domum à Rege missos acceperam †, alius fieret successor. Quid objiciatur, non ignoras; neque nihil profecerunt, neque effecerunt tamen quod moliebantur. Adhuc sub judice lis est. Ego securus in Museo exspecto quid jussurus sit, cujus est imperium; nam ut ea de re verba cuiquam faciam, nemo à me impetraverit: πρὸς τοῦτο καὶ πικταινίδων, καὶ παλαμάδων εἰ ἐμπεπρησμένοι ὦ, πῦρ. Ego digitum non porrigam eâ causâ. Cæterùm quò hæc spectent, & quid rerum paretur, imprudentissimus sim, si non videam. Sed omnem mimum tempus aperiet; & quidem, ut arbitror, brevi discemus multa. Ego de vestris rebus, & tuo statu non minus sum sollicitus, quàm de fortunis meis. Deum veneror, saluti Ecclesiæ suæ velit prospicere; teque ut nobis quàm diutissimè servet, virorum maxime, & mihi amorem tuum. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIX. *Kalend. Januar.* CIƆ IƆ CIV.

Scripsi nuper ad clarissimum Heinsium, & de pridem tradito exemplari Dionis ‡ Beisio feci certiorem. Opto illi omnia læta & magna.

† Vide suprà, Epist. CCLVI.

‡ Chrysostomi.

EPISTOLA CCCLXXII.

FOPPIO AB AITSEMA.

ETsi gratum mihi fuit, cùm tuas heri 1603. accepissem, amicissime Foppi; dolui tamen, eo potissimum tempore tua Poëmatia mihi fuisse allata, quo minimè vacuum supererat tempus ad ea legenda. Nam etsi facilè intelligo, ejusmodi tua esse, ut censore opus non habeas; fecissem tamen lubentissimo animo, ut qui aliter nequeam, hoc certè officii genere amorem meum tibi testarer. Sed nos impræsentiarum cùm aliæ molestæ curæ habent exercitos, tùm etiam Regia Bibliotheca, cujus custodia superioribus diebus nobis fuit demandata. Itaque non voluntatem, sed otium defuisse nobis scito; cupidis alioquin voluntati tuæ morem gerendi. Epistolam verò super obitu Hadriani ‡ τοῦ μακαρίτου, quam ad Josephum Scaligerum scripsi, cùm non invenirem,

‡ Flessingensi.

1603. ut scires memorem me esse illorum sermonum, quos unà habuimus, cùm proximè unà essemus; raptim aliam exaravi argumenti ejusdem: quam si ejusmodi esse putas, ut amicitiæ nostræ testem apud posteros illam extare cupias, judicio tuo utaris per me licet. Ego neque eam, neque quicquam meorum facio tanti, ut dignum judicem oculis eruditorum. Verùm ipse pro tua prudentia statues. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XIV. *Kalend. Januar.* CIƆ IƆ CIV.

Epistola CCCLXXIII.

DANIELI HEINSIO.

1603. QUum in manus meas fortè Theocritus tuus incidisset nuper *, præstantissime Heinsi, non distuli, quin statim & gratias agerem meritissimas, & admirationis, quam exprimunt mihi tua scripta, testes literas ad te mitterem. Accepi posteà & epistolam tuam novissimam, & libellos, quibus me beasti. Quid tibi dicam, quibus incesserim lætitiis? quanta cum voluptate & Poëmata, & Orationes, & Epistolam tuam legerim. Næ tu merus Asteropæus verè ἀμφοτεροδέξιος, qui prorsa & vorsa æquè polleas. Cùm versus Græcos tuos lego, Homerum, non Heinsium puto me legere; cùm Latinos, Ovidium aut Propertium. In oratione, utrum potius admirer nescio, τὴν τῆς διανοίας γοργότητα καὶ τὸ στρογγύλον, an purissimam Latinitatem. O longùm fruaris, amicissime Vir, tantis hisce dotibus. Imò verò fruatur Ecclesia Dei hoc divino ingenio tuo. Audio enim, id te cogitare, eoque nomine immensum capio gaudium. Quod si quid apud te gratiâ possem, non desinerem molestus esse, antequam Davidis Psalmos Græcè versos tibi expressissem. Vides quàm multi nostro sæculo rem tentarint, & quàm vel infeliciter, vel ridiculè. Obtestor te, & obnixè oro, accinge te operi, cui secundum τὸν μέγαν ἥρωα † unus tu hodie par esse potes; imò, si pateris, quod sentiam, liberè dicam; haut scio an à plurimis seculis sit repertus, qui Græci Poëtæ titulum mereretur: ne Apollinarem quidem excipio, quem Nonnus in Paraphrasi sua, si quid judico, longè à tergo relinquit. Sed tuum hoc potius judicium est. Vale, προσφιλέστατε καὶ τριπόθητε Heinsi. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* x. *Kalend. Januar.* CIƆ IƆ CIV.

* *Vide suprà Epist.* CCCLXVII.

† *Scaligerum.*

Persium à nobis edi scito, non segni operâ post tot ineptias Interpretum illustratum. Non erat animus, veteres illas curas retractare; sed ita lubitum 1603. amicis. Legi quæ Marrucinus * iste, de quo elegantissimè scribis, ad illum effutiit. Moriar, nisi opinionem meam de hominis insania res ipsa longè superarit. Quando autem prodibit scriptum, de quo spem facis? velim de eo proximis literis aliquid.

* *Marcilius.* Colomes.

Epistola CCCLXXIV.

JOSEPHO SCALIGERO.

DE Autore operis novi περὶ τῆς χαλυβοδεικτικῆς, non meum, sed aliorum judicia tibi indicavi, missis ipsorum literis, qui rem ad te referebant. 1603. Atque illi sæpe me conveniunt, ut suas acceperis necne, cognoscant. Ego etiam valde sollicitus sum de hoc diuturniore tuo silentio. Sed bene erit, modò valere te intellexero; quod ut ita sit, pari affectu à superis peto, ac vota pro salute uxoris iisdem facio. Porrò mitto nunc tibi illum ipsum, de quo dixi librum, ab Autore tibi dona datum. Is mecum diligenter egit, ut rogarem te atque obtestarer, iis literis velles respondere, quas ad munus suum adjunxit. Omnino vir optimus est, & pietatis raræ: nam & κήρυξ τοῦ θείου λόγου ἐστί. Multa ille per tuum divinum parentem profecisse profitetur; te quoque reverentiâ, quâ debet, prosequitur. Spopondi illi, librum suum ab humanitate tua benevolè iri acceptum. Quod ut temerè affirmasse ne videar, per eam benevolentiam, quâ me complecteris immerentem, etiam & etiam te vehementer oro. Vale, illustrissime Scaliger. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* x. *Kalend. Januar.* CIC IƆ CIV.

Epistola CCCLXXV.

DANIELI HEINSIO.

PRimùm tibi pro eximio carmine 1603. gratias ago, quod in Commentarium nostrum Persianum scripsisti. Fateor equidem, id studio non vulgari conatum me, ut tenebricosum Authorem vel pueris clarum redderem: sed an quod volui, sim assecutus, tu judicabis, si tanti facis scriptum verbosissimum, ut pauculas horas in ejus lectione putes tibi esse perdendas; quod tamen ne facias, maturè te moneo: nihil enim eruditis tuis auribus dignum in eo libro te inventurum prædico, qui in tyronum gratiam & susceptus est & confectus. Ut taceam, quod verè possum dicere, eò jam pervenisse te eruditionis ac scientiæ, ut à lectione nostro-

1603. nostrorum librorum doctior non possis discedere: cùm contrà nunquam tuas lucubrationes de manibus ponamus nos sine ingenii & πολυμαθείας tuæ summa admiratione. De conditione quod nuper scripsi, ita res habet: posteaquam ex Foppii Sceltonis, familiaris tui, sermonibus cognovi, cogitare te brevi in Galliam, tantum ex nuntio concepi lætitiæ, ut non continerem me, quin apud amicos de tuo adventu multa loquerer. Est in urbe vir, pietate, doctrinâ, & magnis in Rempublicam meritis insignis, D. Caligno, Navarræ Cancellarius, qui hoc cognito, mecum egit, simul ac venisses, ad se te deducerem: facturum enim ne aut te pœnitere posset, aut me, cui tua commoda majori futura sunt curæ quàm tibi. Jam olim, hoc est, ante annos quinque commendatione nostrâ idem vir amplissimus in ædeis suas recepit N. N. exindeque eo loco semper habuit, ut nunc quoque lubentissimè ibi hæreat. Sed conditione illius, etsi oppidò lauta est & perhonesta, tua longè melior futura. Est enim Caligno æquissimus ingeniorum æstimator, τὰ τοιαῦτα κρίνειν ἱκανώτατος ὤν. Quare si nihil te moratur aliud, iter tuum diutius ne differ, securus omnium rerum: deerit enim nihil tibi, non magis quàm mihi. Sin commodiorem anni tempestatem mavis expectare, non diffido posse fieri, Deo Opt. Max. vota mea exaudiente, ut habeas me itineris comitem, quando à magno Scaligero revertar, ad quem vere proximo visendum jam parata mihi sunt omnia. Faveant modò cœptis Superi, & hujus voti me damnatum velint, quo nihil potest mihi aut optatius contingere, aut gratius & jucundius. De Loyolitis quod metuis, multùm te amo: sed libero te metu; nam illa μορμὼ, etsi meritò φοβερὰ, οὐκ ἔδακε tamen hactenus quidem: τὸ δὲ μέλλον Θεῷ ἐν γούνασι κεῖται. Ex iis, quas ad illustrem Heroëm scripsi, intelliges, quàm penè sit factum, ut in contumeliam nostram Grotius vester huc vocaretur, quod profectò si è re illius esset futurum, optarem esse factum: amo enim non minus quàm admiror stupendum illius ingenium. Verùm de his, ut spero, adfatim στόμα πρὸς στόμα. Vassani fratres de tua humanitate, quam isthic quotidie experiuntur, multa ad me scribunt: quamobrem illo nomine me tibi devinctissimum fatear necesse est. Dionem * an acceperis à Beisio, velim significes. Vale, meus amor. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IV. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CIV.

* Chrysostomum.

EPISTOLA CCCLXXVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

QUia persuasissimum mihi est, pertinere ad partem aliquam tuarum curarum, illustrissime Scaliger, reculas nostras; facere non possum quin fortunam meam hujusce diei tibi narrem. Gaudebis, scio, meo gaudio, & Deo Opt. Max. gratias mecum ages. 1603.
Angebar non mediocriter, atque adeò acrius quàm literis meis significarem, ob raritatem tuarum, quas multis jam mensibus unicas acceperam. Scis quàm sit amor, utique vehemens, solliciti timoris plenus. Itaque δυσθύμως vivebam; soleo enim, si quando molestioribus curis animum confectum velim reficere, tuarum lectione me oblectare. Jam verò ex postremis mearum, si modò eas accepisti, non clam te est, quo loco fortunæ nostræ heic essent: penè enim conflagravimus eo incendio invidiæ, quam nobis excitarunt boni viri illi *, quos nôsti. Atqui tempore ac propè momento eodem & literas à te juvenis quidam mihi attulit, & Perrotus, Regis Secretarius, cum regiis codicillis ad me venit; quibus non solùm in tuto fortunæ nostræ collocantur, sed etiam aliquantò meliore, quàm hactenus fuerint, loco. Scripsi nuper tibi de Gosselini tristi obitu. Id muneris quum ante triennium mihi esse à Rege ultrò demandatum, nos tamen, ne venerando seni dolori essemus, ne verbum quidem ullum unquam super eo cum ipso commutavimus. Accidit verò sanè quàm perincommodè, ut tunc ille fatis concederet, quando flamma illa cùm maximè ardebat, quâ propemodum ustulati sumus. Fremere igitur boni Patres, & clamare indignum fore facinus, si tantus thesaurus obstinatissimo Hæreticorum [sic enim vocitant] permitteretur. Est quidem Princeps noster fidei tenacissimus etiam erga humillimos; concussus tamen est illius animus istorum vocibus. Ac quoniam periculosi res exempli fore videbatur, si religionis caussâ delata semel provincia abrogaretur; exstitere homines ingeniosissimi, qui inventiuncula nova malo mederentur: fuere enim autores, ut ad cernendam hanc hereditatem Hugo Grotius usque inde ex Haga Hollandorum vocaretur: ut intelligerent omnes, non religionis, quam profiteor, sed mei privato odio hoc fieri. Cùm hæc agerentur, plures amicorum ad me venerunt, qui monerent, irem in aulam, & cum optimo Principe agerem;

* Loyolitæ.

1603. rem; quod cùm impetrare à me non possent, illud facilè obtinuerunt, ut literis de Gosselini morte amplissimum Villaregium facerem certiorem. Præterierunt septimanæ aliquot; cùm intereà alii gratiâ, alii pecuniâ rem tentarent. Post illa venit Rex in urbem; quem statim pro more & officio adii, quo loco Bibliotheca esset, aperui; de me ne verbum feci. Sensi voluntatem illius erga me non leviter immutatam; neque enim familiari illo vultu nos excepit, quo prius solebat, quæ singularis ipsius est comitas & benignitas. Postridie adiit ad illum magnus Thuanus; qui animum ejus cùm vidisset nutantem, nullo negotio firmavit. Non diu deliberatum est post illa; nam altero die venit ad me idem Perrottus, qui nuntiaret, placere Regi, ut pristinum beneficium ratum maneret; ut ejus rei testes codicilli, prout moris est, quàm honestissimâ formâ perscriberentur; atque adeò jussisse ipsum, ut Thuanus & Villaregius ei negotio finem imponerent. Erant meæ jam partes, ut ambitiosis precibus à summis illis viris obtinerem, quod Rex sponte suâ dederat. Sic enim in hac aula vivitur; ubi nulla unquam mihi fuit molestia, si quid vellem à Rege mihi concedi; plurimæ, si Procerum aliquem vellem conventum. Hac omni sollicitudine ὁ θαυμάσιος Thuanus sic me liberavit, ut rem prius confectam intellexerim, quàm in animum inducerem, cuiquam eo nomine supplicare. Hodie igitur cùm tuas, XII. Kalend. Novemb. datas, legerem, & de te fabularer cum illo adolescente, qui eas reddiderat, allatum diploma est, quo præter verborum honorem, quadringentarum librarum stipendium priori pensioni adjicitur. Id verò mihi eò gratius accidit, quia Villaregius nullo meo rogatu, imò verò nescio me, hanc συντάξεως προσθήκην mihi procuravit. Nunc si per Dei benignitatem liceat, constitui Bibliothecam illam propius inspicere; adhuc enim hospes in illa sum ac peregrinus. Hoc solùm vereor, ne quò paratior à libris ero, eò tempore atque otio magis deficiar. Ejusmodi sunt αἱ τῶν ἀνθρώπων εὐημερίαι, quibus semper plus aloës quàm mellis solet esse admixtum. Quò enim mihi illa librorum optimorum copia, si uti non datur? Conabimur tamen, neque nobis deerimus. Habes, illustrissime Vir, præsentem meum statum; qui nisi præsidio fulciatur divino, mutari in dies, in horas potest. Quicquid acciderit, feremus æquo, ut par est, animo, & te de omnibus certiorem faciemus. De profectione isthuc, consilio tuo utar; etsi 1603.
longum mihi est, Majum exspectare, ut te præsens venerer. Eusebium Burdigalensem sunt qui affirment sibi visum; ego non vidi, ne amplissimus quidem Thuanus, qui tamen studiosè quæsivimus. Utinam tuum brevi legere contingat nobis; possumus alterius illius desiderium patientissimè ferre. Dionem an acceperis, tandem nescio: ea scriptio ut repentina fuit, ita brevis. Nunc Commentarium edimus in Persium, iis scriptum, qui vix primas literas nôrunt. Itaque ἀπεραντολογίας meæ seriò me pudet. Addemus libellum de Satyrica Græcorum Poësi & Satyra Romanorum, quæ opella si tibi non displicet, satis justam μεγαλαυχίας ὑπόθεσιν nos putabimus esse consecutos. Vale, τοὐμὸν αὔχημα, & diu vive quàm felicissimus. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IV. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CIV.

Epistola CCCLXXVII.

DANIELI HEINSIO.

ACcepi, clarissime Heinsi, & quod 1603.
misisti, Theocriti folium, & quas scripsisti, literas. Hæ, quòd erant amoris notis plenissimæ, ut omnes tuæ, magno gaudio me affecerunt: illud, quòd spem faceret accuratæ editionis Poëtæ ejus, quem vehementer amo. Gratissimum etiam mihi, pervenisse ad umbilicum Hesiodum tuum; quem, si tuo missu brevi consequor, plurimum me debiturum tibi profiteor. Nam qui isthic eduntur libri, rarò admodum, nec nisi post περιπλόμενον ἐνιαυτὸν hìc inveniuntur. Itaque magni Scaligeri Proverbia, isthìc cusa, necdum nancisci potui, quamvis summâ & cupiditate & diligentiâ quæsierim. Memini etiam, questum nuper apud me amplissimum Thuanum, quòd Orationes tuas nusquam reperisset, quæ ipsi tamen famâ sunt notæ. Est ille vir tuorum omnium studiosissimus, neque ei quicquam, opinor, deest eorum, quæ à te sunt edita hactenus, præter Orationes, & si qua hoc genus ex ingenii tui fonte prodierunt mole minutâ, quantumvis re magnâ & verè θαυμάσια. Velim significes proximis literis, de Martiali Scriverii quid jam spei sit reliquum; nam annus, ni fallor, præteriit, ex quo scripsit ad me Josephus Scaliger, inchoatam ejus editionem. Nos Commentarium in Persium jamjam edituri, ξὺν Θεῷ εἰπεῖν, sumus. Vale, charissime Heinsi, & me ἀντιφίλει ἴσῳ ζυγῷ, ut tuus ait Poëta. Clarissimum Vulcanium, & præstantissimum

Bau-

1604. Baudium meis verbis salutes velim. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VIII. *Eid. Januar.* CIϽ IϽ CIV.

EPISTOLA CCCLXXVIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1604. VIr illustrissime, enecaverat me superior epistola tua, quâ omnem spem ferè videbaris amisisse de editione Eusebii tui; quem ubi prelo jam esse subjectum, ex novissimis tuis intellexi, incredibile dictu, quo gaudio exultaverim. Oro cœleste Numen, det tibi, quam orsus es, telam detexere feliciter, & debitâ summis tuis in rem literariam meritis laude frui in terris quàm diutissimè, αἰὲν ἀριστεύοντα καὶ ὑπείροχον ἔντα ἄλλων. De Excerptis Siculorum Fastorum miror adeò sollicitè ne semel à te scribi. Adeòn' ignotum esse me tibi, ut hoc nomine veniam tibi orandus? Tune fieri posse existimasti, ut quod te velle rescierim, id ego nollem? Utinam δέκα mihi sint γλῶτται, δέκα δὲ στόματα, ut quâ te veneratione colam, pietate amem, possem tibi significare. De Antagonistæ * tui cessatione non magis tu sollicitus es quàm ipse sum. Omnino cumulus aliquis gloriæ tuæ accedet, si præcedat ejus editio. Sed bono animo esto: nuntio tibi fervere opus Burdigalæ, nisi decepit me nuper nescio quis, à quo mihi communicati sunt loci aliquot in Eusebio conclamati, quorum restitutionem ostiatim totâ urbe petit per suos novus ille editor. Quid multa? cùm nullus esset Æsculapius repertus, ventum ad me. Erant quædam, de quibus non censui eundum in consilium. Pag. 3. editionis Basil. *Latona Jovis conjux tunc palitia fugit:* respondi statim, legendum esse: *conjux usurpatitia*, hoc est, παλλακή. De cæteris responsum à me, adiret ad alios, quibus otii plus quàm nobis. Sed quoniam tam bella occasio est oblata, volo eâ uti, ut penitius omne hoc negotium cognoscam, & tibi certò referam, quo loco res sit. Confide fore mihi hanc rem curæ, nec defuturas rationes omnia explorandi & certò cognoscendi. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VIII. *Eid. Januar.* CIϽ IϽ CIV.

* *Arnoldi Pontaci.*

EPISTOLA CCCLXXIX.

CAROLO LABBÆO.

1604. ETsi per mihi gratum esse solet, literas ad amicos scribere, eruditos præsertim, quo in numero tu, Labbæe doctissime; accidit tamen persæpe, ut 1604. eo in genere officii accusandæ cessationis meæ occasionem illis, quorum amorem plurimi facio, præbeam: ne aliis dicam, ipsum te expostulare σιγῇ ἐπὶ αὐτοῦ mecum, & quod novissimis tuarum adhuc non responderim, caussam requirere, nullus dubito. Ego verò multa habeo, atque adeò plura quàm vellem, non προφασίζεσθαι, sed verè αἰτιᾶσθαι· quæ cùm ex superioribus meis confidam tibi esse nota, iis repetendis supersedebo. Valetudo certè nihilò firmior; occupationes verò & ἐνοχλήματα legitimarum curarum adeò non minuunt, ut indies crescere videantur. Quid faceres? Θεοῦ ἐτελείετο βουλή· qui me nihil tale cogitantem huc migrare voluit, damno studiorum meorum haud scio majore, an commodo. Copia librorum ἀνεκδότων & δυσεξευρήτων alibi, hic verè πλεοναζόντων, animos mihi initio addiderat, & spem in animo meo excitarat magnæ cujusdam προκοπῆς, quâ nihil in rebus humanis possit accidere jucundius: rursus verò hæc tot & ferè continua impedimenta, quæ heic experior, incredibile dictu est, quantum animos mihi dejiciant & mœrore involvant. Quod igitur non statim, ut quæque tuarum mihi est allata, sed ex commodo meo tibi respondeo, æquum est te ignoscere, nec secius interpretari. Ego, si ita fors unquam tulerit, ut vel re, vel consilio tibi possim prodesse, facilè vincam, ex omni tuorum numero neminem esse unum, qui te κηρόθι μᾶλλον amet; rebus nempe, non verbis, aut literis, amor verus æstimandus. Dosirheum, si penes Lectium virum clarissimum, & mei amantissimum, esset, facilè eum tibi impetrarem: verùm quid heic aut ego, aut Lectius possimus, non video; si tamen jubes, tentabimus: πεῖρα θὴν πάντα τελεῦται, ait Siculus Poëta. Vale, amicissime Labbæe. Literas à magno Scaligero tibi mitto. Tu si quid ad illum, mitte, & factum puta. Patri, viro amplissimo, & doctissimo fratri salutem, amabò, verbis meis. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Januar.* CIϽ IϽ CIV. raptim.

EPISTOLA CCCLXXX.

CHRISTOPHORO PUTEANO.

GRatissimas accidisse mihi literas 1604. tuas, amicissime Puteane, etiam tacente me confido tibi esse exploratum. Præter arctissimæ amicitiæ, quæ mihi tecum intercedit, jus sanctissimum, sunt & aliæ plures causæ, cur iis ac-

1604. acceptis gauderem; sed illud eximium, & mihi crede, magnum, quòd post intellectum morbum, quo isthic laborasti gravissimè, sollicitus semper vixi: ut nihil fermè potuerit evenire mihi jucundius, nullum ἀκρόαμα suavius, quàm ut eâ curâ liberarer, factus de convalescentiâ tuâ certior. Ago, mi Puteane, ex animo, si quisquam tuorum, magno Deo gratias, qui te servavit, & porro etiam (sic spero & voveo) servabit. Tu quoque siquidem ἴσῳ ζυγῷ nos ἀντιφιλεῖς, meo nomine eidem Σωτῆρι vero σῶστρα debes. Nam si nescis, à tuo discessu vix unum egimus diem à morbo vel uxoris, vel amborum immunem: quin & nunc quoque jacenti, & tantum non conclamatæ adsumus, cùm has scribimus. Quintus hic est dies, cùm ἰατρῶν παῖδες, viri in arte sua excellentissimi, pro deposita eam habebant. Adfuit velut ἀπὸ μηχανῆς ὁ ἐπὶ πᾶσι Θεὸς, cujus ope effectum confidimus, ut jam spei non dubiæ sit aliquis locus. Nos ab eo tempore pedem extra cubiculum ipsius vix extulimus; quo factum ut apud amplissimum Præsidem tuam, sicut optare te scribis, causam agere non potuerimus. Verùm nostro patrocinio nihil opus tibi, cùm neque offensa sit ulla admodum contracta; neque, si maximè esset, alio deprecatore opus haberes, quàm lectissimâ matronâ, parente tuâ, quæ apud sapientissimum virum tantum potest, quantum & virtus ipsius meretur, & commune cognationis vinculum. Quod scribis, impetum cepisse te, noscendi propiùs & penitiùs Historiam Ecclesiasticam, laudo inceptum, atque adeò, qui meus est in te amor, seriò tibi gratulor tam generosæ mentis. Nam quotus quisque est ex hodierna juventute, ejus præsertim, cujus es tu, loci, eorum majorum, quem hæc tangat cura? Omnes ad forum properant, omnes illud χρυσοῦν θέρος τὸ βῆμα, ut nescio quis Veterum dixit, amplectuntur, mirantur; eò cruda studia deferunt, eo cogitationes omnes suas referunt. Melius tu, mi Puteane, qui animum tuum ad verè sublimia, verè cœlestia paras appellere, aut jam potius, appulisti: βάλλ' οὕτως· αἴκέν τι φόως Δαναοῖσι γένηαι. Quicunque ille fuit, qui tam salutaris consilii fuit auctor, hunc sequere, & propitio Numine aggredere studium utilissimum simul ac suavissimum. O mihi præteritos referat si nunc Deus annos! testor, nihil mihi eo genere literarum antiquius: sed nobis, cùm erat adhuc γόνυ χλωρὸν, dux defuit atque hortator. Tu i, cui virent genua; i bone, quò tua te virtus vocat. Spero equidem οὐκ ἀέκοντι obortum in animo tuo rei tam præclaræ desiderium. Amabo autem, serione an joco petis à me, ut rationem tibi aliquam indicem feliciter ingrediendi hujus studii? Ego ut in hoc genere aliquid præcipiam tibi? Ut obliviscar aut ipse qui sim, aut tu ubi sis? Ἀρχαδίην μ' αἰτεῖς; μέγα μ' αἰτεῖς, οὔτι δώσω. Prorsus sic est, rem magnam me rogas, & cui præstandæ parum sim idoneus. Quanquam si mihi ista scribenti pluscu-lum otii fuisset, nec tam gravis ærumna omnem animi mentem mihi excussisset, totis ingenii viribus in eam curam incubuissem, ut quâ ardeam gratificandi tibi cupiditate, non nescires. Nunc cùm ista raptim exarare cogar, in sponda lecti sedens, cui affixa est consors mea, acerrimis vexata cruciatibus, da, quæso, hanc dolori meo veniam, aut etiam si ita vis, me quoque, sed aliàs consulas. Si de lite, quamvis parvæ rei, in consilium ad te aliquis adiret, & multis & molestis districtum curis, huic tu consulendum te præberes? Non ἄλλην δρῦν βαλανίζειν juberes? Et meritò quidem: ἱερὸν γὰρ ἡ βουλή· Feres igitur animo æquo, Vir amicissime, si voluntati tuæ impræsentiarum non facio satis. Omnino ingens, immensum, vastum est pelagus illud, cui navim tuam cogitas credere. Sed nihil tam arduum aut difficile, quod labore & diligentiâ non sis superaturus: nihil est rerum omnium, quod non sit μελέτῃ ἁλώσιμον. Multum autem & operæ, & temporis periturum tibi, nisi maturè certam rationem inieris, quæ ad optatum portum te dirigat. Quænam autem illa? Nempe hoc est, quod tu me rogâs, de quo cùm jam non possim sententiam meam tibi aperire, non recuso quin liberatus hâc tantâ molestiâ voluntati tuæ morem geram. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XII. *Kalend. Februar. anno Messiæ* τοῦ Χριστοῦ CIↃ IↃ CIV. *Dionysiano.* 1604.

Si mihi librorum Indicem miseris, qui isthic Arabicè sunt editi, aut qui putentur brevi edendi, facies mihi rem gratissimam. Velim etiam, si tibi notitia cum D. Spondano intercedit, verbis meis illum salutes quàm officiosis. Accepi ante aliquot dies, illustrissimi Cardinalis, D. Baronii literas, quas curavit ipse: his nos respondebimus cis breve tempus, ξὺν γε τῷ Θεῷ εἰπεῖν.

Epistola CCCLXXXI.

ANDREÆ SCHOTTO.

Literæ tuæ, quas ante paucos dies accepi, non voluntatem, sed occupa- 1604.

pa-

1604. pationes meas anteverterunt. Diu namque est cùm scribendi ad te & otium, & occasionem capto. Nam donatus à Grutero nomine tuo Senecæ libro *, quem nuper publicasti, ingratus sim nisi gratias tibi agerem. Ego vero grates tibi, doctissime Schotte, & ago & habeo, quantas possum maximas; cùm propter munus, quo me privatim affecisti, tùm multò etiam magis ipsius Senecæ nomine, quem immortali esse affectum à te beneficio, nemo negaverit harum literarum intelligens. Perge sanè, Vir eruditissime, hujus generis monumentis decus & famam tibi parare. Quàm sis enim in utraque lingua exercitatus, satis superque probant, quæ sunt hactenus à te edita; eximiè autem, si quid judico, opus illud, quo duo illa Græciæ terræ lumina, Aristotelem & Demosthenem, descripsisti. Equidem pro mea virili multùm me tibi debere propter operam in in eo argumento positam, ingenuè profiteor. Exemplaria, quæ jusseras mitti Augustâ Vindelicorum, missa non sunt. Verùm nihil in eo peccatum; imò etiam pudori meo consultum, qui tot jam nominibus tibi obstrictus sum, ut ἀντ' ἀξίας ἀμοιβῆς rationem nullam inveniam: quid enim rependam? Meorum aliquid? Hoc quidem erit χάλκεα ἀντὶ χρυσῶν. Mittam tamen tuo amore fretus, quæ in Persium jamjam, σὺν τῷ Θεῷ, sum editurus. Expresserunt à nobis amici, ut quæ ante multos annos, cùm publicè eum ἡμέτερον Philosophum interpretaremur, nobis scripseramus, relegeremus, & publicaremus. Quid præstiterimus, judicium erit tuum. Marrucinus † quidem ille, qui ante biennium in hac urbe eum conspurcavit, non multò melius Persium intellexit, quàm aliquis de vervecum patria. Sed valeat τῶν δοκησισόφων ὁ κορυφαιότατος. Te, mi Schotte, Deus Opt. Max. servet, & felicem præstet. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IX. *Kalend. Februar.* CIϽ IϽ CIV. τοῦ Σωτῆρος.

* *Scilicet Notis in Senecæ Rhetoris Controversias & Suasorias.*

† *Suprà Epist. CCCLXXIII.*

EPISTOLA CCCLXXXII.

JANO LERNUTIO.

1604. ITa vivam, clarissime Lernuti, ut acceptis literis tuis, gestiente quâdam lætitiâ sum elatus. Ipsum primò nomen tuum non mediocri voluptate nos affecit, cùm missam ab eo salutem magni faceremus, quem inter præstantissima sæculi hujus ingenia meritissimè celebrari non nesciebamus. Ubi verò epistolam tuam amanter adeò scriptam legimus, tuumque adhuc adversus nos amorem; non enim dicam, benevolentiam, cognovimus, περιχαεῖς ἀπὸ τῆς χάρας, mihi crede, ἐγενόμεθα. Nam id si vetabat tenuitatis meæ conscientia eorum, quæ liberali manu nobis tribuis, quicquam agnoscere de amicitia tamen tua, unde hoc οὐκ ἀδίκαστον judicium intelligebam esse profectum, jure merito triumphabam. Quid ego tibi, Vir eximie, pro ista tanta humanitate possum rependere? Quid autem aliud nisi ipsum me? qui profectò & jam olim dulcedine carminum tuorum captus, nunc autem novâ hac tui erga nos adfectûs significatione ita sum tibi conciliatus, ut verè possim affirmare, sine fuco & fallaciis esse me jam tuum. Perge igitur, eruditissime Vir, quod ultrò cepisti tuo amore nos complecti; nos te semper fide summâ colemus, quodque unum possumus, fausta omnia tibi ac læta optabimus. Adolescenti nobili ac docto, quem mihi commendasti, & tuo nomine, & propter ipsius virtutem omnia officia mea libentissimè detuli, si quidem esset aliquid, in quo meâ operâ vellet uti. Lætatus sum, quod ex eo intellexi de tuorum Poëmatum editione sibi commissa. Nos si quid possumus, & tibi & ipsi luculenter satisfaciemus. Narravit ille mihi, incidisse in manus ipsius Plinii Historiam Naturalem, cum Victoris Giselini emendationibus ex antiquis Membranis; seque eum librum ad te misisse. Oro te, Vir præstantissime, facias me certiorem, illæ notæ cujusmodi sint. Nam viri magni, quorum petitioni ægrè resistimus, prope invitis nobis onus imponunt similis laboris. Quod si ὁ μακαρίτης Giselinus eam palmam occupavit, χαίροντες εὐφημοῦντες ejus vigiliis fruemur, teque per sacra Musarum orabimus, ut opus illud primo quoque tempore in lucem edatur: hoc nihil mihi facere possis gratius. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IX. *Kalend. Februar.* CIϽ IϽ CIV. τοῦ Σωτῆρος *Dionysiano.*

EPISTOLA CCCLXXXIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

VIr illustrissime, heri tuas accepi, quas mihi tradidit Pastor gregis Arausionensis. Omnes tuas statim reddidi; ac quoniam eodem temporis articulo, quo tuæ mihi reddebantur, admonitus sum de tabellarii hujus profectione, molestissimis negotiis, quæ me sibi totum vindicant, tantulum temporis suffuratus sum, quantum satis erat hisce exarandis; brevi, si Deus voluerit, uberius & animo tranquilliore scri- 1604.

1604. ptarus. Nunc illud tantùm significabo tibi, publicatum esse tandem Burdigalensem Eusebium, cujus editionis Autor duo exemplaria mihi cum primis tradi jussit: alterum eorum tibi ut curarem, obnixè sum rogatus; simul ut significarem, operis patrem & summoperè ingenii tui dotes admirari, & amicitiam suam offerre, si modò tu illam non dedigneris. Qui libros tradidit, & domum meam curavit afferendo, Fronto Ducæus, statim prolato indice, tanquam conscriptis tabulis, Pontaci judicium de tuis in Rempublicam literariam meritis, mihi probavit. De ipso quidem opere non adeò impudens sum, ut quid ipse sentiam, profiteri prius ausim, quàm à te doctus fuerim, quanti illud sit faciendum. Mitto etiam tibi Guilielmi Nautonerii, qui * Mecometriam edidit, epistolam; cui si respondere non fueris gravatus, non solùm ipsi, verùm & mihi rem feceris gratissimam; est enim vir bonus, & qui in magna felicitatis parte amicitiam tuam ponit. Quod superest, dum otii plusculum nanciscar, apud clarissimum Heinsium meum silentium ut excuses, te etiam atque etiam oro. Dionis exemplaria an vobis fuerint reddita, eò velim scire, ut si fraus mihi facta, injuriam hanc cum Drovardo & Beisio possim expostulare. Persii unicum superest folium; sed homo catus, ne judicia vestra isthic subeat, tuum potissimum, virorum maxime, non invitus in Typographio latitat: atque utinam semper latuisset; nos enim profectò prolixitatis seriò pœnitet pudetque. Vale, illustrissime Vir, & me amare perge. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d. Eid. Februar.* CIↃ IↃ CIV.

* *Venet. 1603. in fol.*

Epistola CCCLXXXIV.
DAVIDI HOESCHELIO.

1604. Accepi hodie utrumque simul fasciculum tuum. Gaudeo, impositum à te finem libris eruditissimis contra Celsum; quorum lectione mirum in modum sum delectatus, ut prioribus meis tibi significavi. Gregorii Thaumaturgi, quam adjecisti, Orationem, accuratè legam; & quæ videbuntur notatu digna, si qua illa sunt, statim ad te. Jam enim beneficio Dei Opt. Max. ex ærumna gravissima respirare incipio, meliusculè in dies se habente uxore, quæ ab octava hujus anni die periculosissimè & gravissimè ægrotavit. Equidem pro conclamata eam non semel habui, neque quicquam potest fingi afflictius, quàm fuimus nos ab illa die ad istam continuò ferè semper, cùm ab 1604.
ejus lecto non discederemus. Itaque Persius, quem Typographo jam tradideramus, jacet, & omnino mea languent studia. Nunc, si ita τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ fuerit visum, ad solennia redibimus, & brevi fortasse aliquid edemus. Verùm de his, & de tuo Privilegio, ac superioribus literis plura brevi. Vale, doctissime Vir. Amplissimo & nobilissimo Velsero salutem officiosam velim nunties. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XV. *Kalend. Martii*, *anno* τȣ̃ Σωτῆρος CIↃ IↃ CIV.

Epistola CCCLXXXV.
EIDEM.

Paucas hodie impendi horas lectioni 1604.
chartarum, quas ante triduum, ut statim significavi, abs te accepi. Incredibilem in modum delectarunt me cùm Origeniaca, quæ nondum legeram; tùm etiam εὐχαριστήριος ille λόγος, quem adjecisti, S. Patris Gregorii Thaumaturhi. Nondum, ut existimo, illa Oratio, cujus apud Veteres celeberrima mentio est, publicâ luce fuerat donata; etsi facis tu mentionem nescio cujus interpretationis, quam equidem vidi nunquam. Ne illi quidem, opinor, viderunt, qui de rebus Ecclesiasticis hactenus scripserunt, post literarum παλιγγενεσίαν. Diligentissimus certè vir, Cæsar Baronius, lectione hujus Orationis Annales suos poterat locupletiores reddere & emendatiores. Perge verò, mi Hœscheli, de literis, præsertim verò ejus generis, mereri benè. Quod ut perdiu facias, & μετὰ πάσης ῥαστώνης, Deum ex animo precor. An extet is liber in luculentissima Regis Christianissimi Bibliotheca, non scio: scirem, & diligenter inquirerem, si per gravissimum uxoris morbum, qui alterum ferè jam mensem me angit cruciatque, liceret. Abest enim longius Regia Bibliotheca, quàm ut illam adire post acceptas tuas adhuc potuerim. Accedit, quòd in tanta librorum copia pusillum adeò scriptum diu quærendum erit, priusquam inveniri queat. Indices quippe librorum mendosissimè facti sunt & negligentissimè. Meminero tamen, cùm primùm illuc veniam, & ut voluntati tuæ morem geram, πάντα, quod ajunt, κινήσω κάλων. Intereà quæ percurrenti mihi eam Orationem, in mentem venerunt, paucis accipe, & boni consule. Vale. Amplissimum & nobilissimum virum Velserum verbis meis, nisi molestum est, salutabis. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XII. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CIV.

* Hæc

1604. * Hæc ſunt, eruditiſſime Hœſcheli, quæ inter moleſtiſſimas curas, cùm uxori graviſſimè ægrotanti adſiderem, dum elegantiſſimam Orationem rogatu tuo percurro, obſervabam; quæ ſingulari tuo in his literis judicio fretus tibi mitto, ut illis arbitrio tuo utaris. Vale, & me, quod facis, ama.

EPISTOLA CCCLXXXVI.

✠ PETRO TERLONIO.

1604. QUod fieri ſolitum in ſtadio, non te latet, Vir eruditiſſime, ut σπεύδοντας καὶ αὐτοὺς τοὺς δρομεῖς ταῖς εὐφημίαις, & togarum jactatione, multiplicique plauſu ſpectatores incitarent; id ego nunc erga te accuratâ oratione facerem, teque in ſtudio virtutis atque literarum confirmarem, hortarerque ad perficiendum quod feliciter adeò cœpiſti; niſi idem me impediret, quem habeo conſilii hujus auctorem: patrem tuum dico, virum clariſſimum, & longè doctiſſimum; qui iſthuc rediens, pro ea, quæ inter nos recens inſtituta eſt amicitia, mecum egit, ut literis meis te appellarem, & ſponte ſuâ φιλομαθείας οἴστρῳ ſuccenſum animum tuum magis magiſque inflammarem. Feci lubens, ut optimo viro, quem multis de cauſis veneror, morem gererem. Sed ut tecum pluribus agam, utve longiore oratione literas tibi commendem, quas ſcio τὸ πᾶν eſſe μέλημα, neque nunc per occupationes licet; nec, ſi maximè liceret, facerem tamen; cui enim bono? cùm neque ipſe monitore opus habeas, & domi ſtudiorum tuorum auctorem eum habeas, & conſiliorum tuorum rectorem, eâ cùm eruditione, tùm prudentiâ, ut δευτεραγωνιστὴν non deſideret. Id unum dicam, quod diſſimulare non poſſum, & me, & omnes parentis tui amicos, qui de ejus laboribus in formanda juventute tua ac rectè inſtituenda mandavimus, ingentem quandam de te ſpem concepiſſe; quæ ſpes ne nos deſtituat, ſecundum Opt. Max. Deum in tua diligentia poſitum eſt. Nam ingenium & cæteras animi dotes, quales à Natura acceperis, ſcimus; quantum etiam hactenus profeceris, id quoque ſcimus. Quid igitur reſtat? nempe hoc unum, ut quam ingreſſus es viam, fortiter inſiſtas, neque unquam movearis tot æqualium tuorum exemplis, qui nomine literarum, aut πρὸς τὸ δοκεῖν, aut πρὸς χρηματισμὸν turpiter abutuntur. Dent hoc ſuperi, faxintque ut annis creſcentibus, ipſum, qui te bis genuit, parentem tuum, pietatis eruditioniſque laude ſuperes. Vale. *Lutetiæ Pariſiorum*, *a. d.* VIII. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CIV. ἐπὶ τοῦ ὑποσχεθέντος λόγου. 1604.

EPISTOLA CCCLXXXVII.

DAVIDI HOESCHELIO.

PRocopium dudum promiſſum mitto tibi: cùm uſus fueris, remittes; eſt enim mihi ille liber eò charior, quòd manu optimi adoleſcentis, ſororis meæ filii, Petri Chabanæi, ſcriptus eſt, paullò antè, quàm extremum diem obiret. Amavi vivum, luxi mortuum, & hoc velut pignus τῆς αὐτοῦ στοργῆς, ἣν πρὸς ἐμὲ διετέλει ἔχων, inter κειμήλια cupio ſervare. Notas non miſi neque in Legationes, neque in Procopium, quod velim mihi condones: enimverò ſi ſcires, quàm ſim quotidiè in nugis occupatus, quàmque miſerè dies, menſes mihi pereant in hac damnoſa ſtudiis meis civitate, tibi quædam mei miſericordia inceſſeret. Adde nunc valetudinem, tùm meam, tùm uxoris, quæ mihi vitâ meâ charior. Illa verò tertium jam menſem, imò ferè ſemper, ex quo huc venimus, lecto adfixa hæret. Quod eò dico, ut ſcias non deeſſe nobis voluntatem tibi obſequendi, facultatem hactenus defuiſſe. Quanquam nuper notas neſcio quas in Gregorium Thaumaturgum ad te miſi, de quibus exſpecto, quid ſis judicaturus; nam & raptim ſcriptæ ſunt, & Auctor ille mihi viſus eſt ἀπικῶς ſalebroſus. Perſium ante tres menſes Typographo dederam; ſed uxoris morbus alacritatem omnem ſcribendi nobis abſtulit. Scripſi tamen his diebus Diatribam in Dionem Chryſoſtomum, rogatu Morelli, qui eum Auctorem ediderat. Promiſeram pauculas notas ejus ſcholiis inſerendas; ſed dum illas deſcribo, librum imprudens feci, qui ſi in tuas manus venerit, velim memineris, eam eſſe lucubratiunculam αὐτοσχέδιον, quod & titulus præfert. De Privilegio puto τὸν πάνυ Bongarſium ſcripturum pluribus. Res erat impetrata Thuani ampliſſimi operâ: ſed repertus in aula, qui rem factam neſcio quâ ſimplicitate judicii redderet irritam. Hodie ad Cancellarium iveram, expoſtulaturus hanc injuriam; ſed per valetudinem conveniri non potuit. Cras manè ibo, & rem conficiam, σὺν Θεῷ. Vale, & apud ampliſſimum Velſerum ſilentii mei cauſſam redde. *Lutetiæ Pariſiorum*, *a. d.* XV. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CIV. 1604.

Amicum hîc habeo adoleſcentem, & magni Scaligeri γνώριμον, qui ingens volumen compoſuit ex omnibus antiquis

1604. quis Glossariis: hujus si potes cœpta juvare, feceris & mihi & illi gratissimum; nec facti, spondeo, unquam pœnitebit.

Epistola CCCLXXXVIII.

DANIELI HEINSIO.

1604. HEsiodum tuum quâ cupiditate expectem, puto, non ignoras; qui scias non obtusa adeò gestare nos pectora, ut de genio scriptorum tuorum judicare nequeamus. Magnus Scaliger, cùm paullò pòst acceptum à se librum illum literas ad me scriberet, non continuit se, quin suam tui admirationem indicaret. Cogita nunc quàm longum mihi futurum sit tempus expectationis hujus. Mitte igitur quàm primùm, si quid me amas, & mitte quàm tutissimâ viâ. Nos ἀντίδωρον missuri sumus non invenustum; Dionem Chrysostomum, magnâ formâ editum heic à Morello nostro. Adjecimus & nos Diatribam αὐτοσχέδιον, cùm opus consummatum ab editionis authore oblatum esset legendum. Erunt, spero, emendationes, quæ se tibi approbent: nihil prorsus quod mireris; raptim enim illa scribimus: nondum enim opus totum perlegi. Sed mitto ista. In ea epistola *, quam nudius tertius accepi ab illustri Scaligero, τὰ κεντηνάρια, quorum mentio in recentiorum Græcorum scriptis, redigebantur ad æstimationem hodiernæ pecuniæ nostræ. Revocavit id mihi in mentem, quod à multis acceperam, δαιμόνιον illum virum de toto illo argumento scripsisse aliquid. Vidi qui affirmarent, habuisse se illud scriptum. Ego scio sæpe factum, ut rogatu amicorum similes quæstiones & locos antiquitatis Scaliger tractaret. Quare te oro per omnes Musas, omnia conquiras ab eo perfecta, & nisi grave est, mecum communices. Ego nonnulla nactus sum, digna prorsus tanto Heroë, quæ si voles, curabo describenda, & ad te mittam. Vale, magne Juvenis. Amplissimo & nobilissimo D. Buzenvallio, itemque simillimo tui Grotio amicissimam salutem à me velim nunties. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VI. *Kalend. April.* CIƆ IƆ CIV.

* Scaliger. Epist. LXXXIV.

Persius noster Typographo jam traditus ob uxoris morbum periculosissimum excidit nobis de manibus, nec videmur repetituri, antequam promissis à te versibus fuerimus excitati. Studium ad illustrationem ejus Poëtæ attulimus sanè magnum; sed non tam nostra fortasse laudem merebuntur, quàm asinus ille † dignus omnium bonorum odio, qui eum Poëtam conspurcavit heic ante annos duos aut tres. Idem μυραλαζὼν in Horatium scripsit his diebus; quæ velim videas, præsertim ubi Græca attingit. Miraberis hominem τῆς φρενοβλαβείας· oro, lege. 1604.

† Theodorus Marcilius.

Epistola CCCLXXXIX.

JOSEPHO SCALIGERO.

ACcepi tandem, Vir illustrissime, quam putavi diu periisse epistolam tuam *, quâ petitioni meæ super Chrysostomi loco fecisti satis. Incredibili à te affectum me esse beneficio sentio, qui docendi mei laborem non sis gravatus: discipulum certè habes ingenuum, & cupidum sic, ut nemo queat magis. Omnino autem verum est tuum de optimo illo Patre judicium. Nos sanè multa in ejus scriptis adnotavimus, quæ τὴν οὐκ ἐμπειρίαν αὐτοῦ τῆς φιλοσοφίας τε καὶ τῆς φιλολογίας manifestò arguant: ut de Historia nihil dicam, in qua penè puer aliquando possit videri. Sed nos in viro sanctissimo hos nævos facilè ferimus, qui sciamus, omne illius studium in eo positum fuisse, ut sine jactantia, καὶ ἄνευ πάσης περπερείας τὸν σταυρωθέντα τοῦ κόσμου Σωτῆρα prædicaret. Longè diversis moribus coaxatores isti sunt, quorum tribunitiæ conciones plenæ ostentationis quotidie audiuntur. Etiam de Galatino judicium tuum accepi lubens; nam profectò non ferendi sunt, nec qui Rabbinis minus tribuunt quàm par sit, neque item illi qui minimas maximas ceremonias, quæ hodie obtinent, antiquissimis Judæis, & si fidem illis habemus, etiam ante τὴν τοῦ Λόγου ἐνσάρκωσιν notas, & multò antè descriptas, nedum cognitas fuisse volunt. Ex tuis literis primùm didici, Galatinum ex Raimundo Sebone multa esse mutuatum. Utinam extarent Sebonis Opera! Quædam illius esse edita accepi, quæ ex tua commendatione quæram & legam diligenter. Equidem non dubito, multa in Sacris Literis ex Judæorum scriptis posse, atque adeò debere illustrari. Sed quotusquisque nostrûm est, qui de eo vel cogitet, vel qui eum usum τῆς Ῥαββινικῆς διαλέκτου habeat, ut par sit tanto incepto? Olim in eo studio aliquid operæ atque olei consumpsimus, usi Magistro Petro Cevallerio Genevensi, quo nihil probius, nihil ἀπλοϊκώτερον. Verùm amisso morte immaturâ amicissimo Præceptore, non multùm post illa profecimus. Tu verò, illustrissime Domine, quem etiam in eo genere literarum excellere scripta testantur, & maximè illa Appendix divina;

* Scaliger. Epist. LXXXIV.

1604. vina; noli, per Deum immortalem, committere, ut in excolendo agro Dominico lentitudine usus possis videri. Fuit mihi aliquando familiaritas cum Santandreano Abbate, probè tibi noto. Is mihi solitus cum stupore magno referre de peritia tua id genus literarum. Et erat ille, si quid in his video, judex ἀξιόχρεως; homo, ut natalibus, sic etiam animo Judæus merus. Quare etiam amore τοῦ Ἰουδαϊσμοῦ Venetias aliquantò pòst se contulit. Ex illo nonnulla didici de aliquot ritibus, qui in Novo Testamento perstringuntur. Sed nôsti ineptissimas ineptias τῶν ἰουδαϊζόντων, quibus nihil persæpe stultius aut magis ridiculum posse fingi videtur. Equidem vel paucos dies tibi μαθητεύειν malim, quàm omnium, quotquot nunc vivunt, Magistrorum scientiam esse consecutum. Quamobrem te oro atque obtestor, studiosis Sacrarum Literarum tuas in hoc genere vigilias ne velis invidere. Vidi quæ super Decimis sunt à te scripta, & item alia quædam τοιουτότροπα, quibus mirandum in modum cupiditas mea incenditur. Eusebium tuum omnes arrectis auribus exspectamus, qui rerum veteris Ecclesiæ cognoscendarum studio ducimur. Episcopus Vasatensis * scripsit nuper, brevi se editionem suam missurum; quam ego statim ad te. Ejus literarum pars magna fuit de te, quem popularem suum appellat: sic autem magnificè de tua in literis singulari præstantia loquitur, ut ne ipse quidem, cujus interiorem animum confido esse tibi notum, possem magnificentius. Atque hoc volui nescius ne esses. Quæsivi de illo Medico, quem nuper scribebas ex sermonibus amplissimi Buzenvallii de Lexico Hispanico spem facere; adhuc tamen, quis ille esset, rescire non potui. Velim, nisi grave est, nomen significes: quod si semel notum habuero, quid sit inde sperandum, faciam te ut scias. De editione Fastorum Siculorum nihil adhuc cognoveram. Doleo te inanem sustinuisse laborem; cùm posses nostra servare, & tibi parcere. Heinsii Hesiodum valde cupio videre: non dubito ejusmodi opus esse, quod exspectationi nostræ facile respondeat; qui ab ejus ingenio nihil exspectamus nisi exquisitum, & magnum, τὸ καὶ ἱστο-μένον πυθέσθαι. Sed nimis te obtundo. Vale, unicum literarum lumen, ac decus. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CIV.

* *Arnoldus Pontacus.*

Johannes de Laet, quem mihi tanto studio commendasti, referet tibi cùm isthuc redierit, quâ comitate me ipsi obtulerim utendum fruendum. Etenim iis moribus, eâ pietate adolescentem esse video, ut merito suo amorem nostrum mereatur. Nunc cùm accessit toties repetita, tam accurata commendatio ejus, cujus in potestate omnes animi mei sunt motus; propemodum eò compellor, ut optem aliquid heic exhiberi ipsi negotii, quo possit operâ nostrâ uti. Nam ut nunc est, vereor ne prius hinc abeat * quàm fructum ullum tuæ commendationis percipiat; non quòd ipse officio meo, sed quia utrique occasio defuerit; quod ne mihi sit fraudi, te obtestor. Quia autem Eremitæ in hujus commendatione meministi, scito neminem hodie vivere Missarum inexplebiliorem, aut sitientiorem. Quare illa παλινῳδία simulata fuit, mendax & ὑποκριτική. In dies ejus herus † exspectatur; quô præsente, veram vocem audiet à me iste Proteus. Morellus Dionem edidit elegantissimè; Scriptorem, ut scis, elegantissimum: de Chrysostomo Dione loquor. Absolutâ editione ventum ad me, si quid fortè in eo Scriptore observassem. Promisi pauculas notas, quas dum describo, crevit earum numerus ad quindecim, aut plura etiam folia. Volo ad te Dionem mittere; sed velim indices mihi, si quem nôsti, cui tutò possit dari. Ego intereà omnia explorabo. Vale.

* *Vide Scaliger. Epist.* CCCCXXXVIII.

† *D. de Sicq. Vide Epist.* CCCXXXII.

EPISTOLA CCCXC.

EIDEM.

EX iis literis, quas mihi à te Medicus Supervilla reddidit, Vir illustrissime, & ex sermonibus illius de tua prospera valetudine cognovi. Nulla omnino res mihi potest nuntiari, quam lubentius audiam. Proximum verò illud, quòd Eusebii tui editionem diligenter isthìc curari intellexi. Non possum verbis exequi, quâ flagrem cupiditate illius libri, aut verius, thesauri. Opto tibi, illustrissime Scaliger, tot annos, quot opus futurum est, ut infinitam illam eruditionem, quæ in te est, expromas. Ita habebimus post Eusebium, Josephum; post illum item alios, quos illustrare potes tu solus, alius mortalium nemo. De opere τοῦ πεπαρῳμένου ‡ nuper ad te scripsi, & de singulari honore ac reverentia, quam ipse tibi præstat. Quin etiam de fato suo conqueritur, quod in mentem unquam sibi venerit, ut hanc subiret provinciam; nunquam facturus, ut sanctè affirmat, si de tuo consilio antè rescisset aliquid. Equidem ut ne dissimulem, misericordia me quædam illius incessit; nam ex paucis, quæ vidi, foliis genus scriptionis totum cognovi. Au-

1604. *Hæc est responsoria ad Scaliger. Epist.* XCII.

‡ *Arnoldi Pontaci.* Colomes.

1604. Ausim affirmare omni asseveratione, cùm in eundem Autorem scribatis, nihil tamen dicturos eodem modo. Quod si augurium me non fallit meum, æquè vitabitis uterque, ille, ne dicat aliquid non protritum; tu, ne aliquid, cujus antè notitiam vel doctissimi habuerint. Non istud minabatur tuus ille Gurges, cujus ὑπερχόμενοι λόγοι tibi non sunt ignoti. Sollicitudinem tuam de valetudine uxoris ademerant tibi superiores meæ literæ, si illas, ut spero, accepisti. Per mihi gratum, quòd etiam ea res ad tuam curam pertinet; amorem enim tuum ex eo μᾶλλον ἔτι καὶ μᾶλλον agnosco. Illa autem adeò ἐπικινδύνως ἐνόσησεν ab octava hujus anni die, ut ne nunc quidem priori valetudini sit restituta; πολλάγε καὶ δεῖ· ac valde vereor ne diuturna sit futura hæc illius ἀσθένεια. Morbus fuit vehementissimus: semel etiam per initia spes omnis præcisa à Medicis, viris suæ artis peritissimis. Sed ipsam forti quoque animo ἀποταξαμένην huic vitæ, vitæ restituit qui poterat solus, ὁ ἐκ τῶν ἀπόρων εὑρίσκων Θεός. Utinam tanti beneficii præstemus nos memores; ego, inquam, & liberi mei. Vale, & me, quod facis, ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *Non. April.* CIC IϽ CIV.

Amicus meus *, vir eruditus, cùm de Magnetis Directione sermo incidisset, optavit scire te, quid sperari posset de nupero inventore; & misit ad me chartam, quæ hic est adjuncta. Accepi nuper à præstantissimo Baudio, & aliis amicis literas. Ab Heinsio nullas accepi; cui tamen amantissimam velim à me, nisi grave est, salutem nunties: ego illum in oculis fero, & summoperè admiror. Dio Chrysostomus, de quo nuper scripsi, nondùm editus est: Autoris quidem pridem editio absoluta; sed nostræ notulæ adhuc eum morantur.

* *Guilielmus Nantonetus.*

Ad hanc respondet Scaliger Epist. XCIV.

Epistola CCCXCI.

EIDEM.

1604. VIr illustrissime, etsi vereri subit, ne te frequentiâ mearum obtundam; ternas enim paucissimis diebus tibi literas scripsi; non potui tamen differre, quin statim acceptam ab amico epistolam tibi deferendam tabellario traderem, & simul paucula hæc exararem. Qui epistolam scripsit, vir est tibi de facie notus †; fuit enim isthic cum Comite Saltensi ante alterum, opinor, annum. Si propius hominem nôsses, haud dubiè non minus amares, quàm te suspicit ac veneratur. Nullum est literarum genus, quod non attigerit; 1604. etiam Arabicas, & heic, & cùm Romæ esset. Ille imputat mihi libellum Proverbiorum Arabicorum. Sed præcipuum illius studium fuit περὶ τὰ μαθήματα· in quo multa ipsum scripsisse, testes nos sumus oculati. Archimedem etiam Latinum fecit & Gallicum, ut Nobilitati nostræ gratificaretur. Hic igitur, cùm apud me vidisset epistolam tuam περὶ χαλυβοδείξεως, eâ occasione utendum putavit, ut te appellaret. Spero fore tibi rem non ingratam. Ego affirmo tibi, & modestissimum virum esse, & tuâ benevolentiâ, si quid judico, dignissimum. Vale, illustrissime Vir, & nos ama. De nostris rebus, deque uxoris valetudine, parum adhuc confirmata, superioribus meis satis: eas dedi juveni cuidam, qui perferendas, credo, curabit; etsi vereor, ne paullò seriùs. Erat adjunctus fasciculus, quem tradiderant Labbæi fratres. Πάλιν αὖ καὶ πάλιν ἔῤῥωσθε, σὲ λέγω, καὶ τὸν μικρὸν Σκαλανὶν Heinsium τὸν θαυμασιώτατον. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* v. *Eid. April.* CIϽ IϽ CIV.

† *David Rivaltius à Florentia, de quo plura in Gallia Orientali, pag. 110.* Colomes. *Scaliger Epist. XCIII. malè* Rinaldus.

Non possum quin rem jucundam tibi narrem. Is, quem nuper in Historia Augusta ‡ perstrinximus, Horatium edidit, ubi multa in nos, etsi moderatius, audio; nam Rex ipse id sibi displicere significavit. Ille, inquam, heri suas in Catullum notas dono misit cum iis elogiis, quæ vel ab amicissimo viro profecta, odiosa fuissent. Adjecit mandata ei qui detulit, velle mihi amicum esse; pœnitere, quòd temerè lacessisset; orare, pateret mihi satisfieri; posthàc alium fore. Respondi, si mores mutaret, & bene meritos de literis, ut par est, coleret, me virum putaturum, & amaturum. Τὰ εἰς Catullum mittam, nactus cui dem.

‡ *Ad Flavii Vopisci Carinum, cap. 16. sc. Theodorum Marcilium. Vide Epist. 174. clarissimorum Virorum Epist. à viro clarissimo Petro Burmanno edit. pag. 247.*

Epistola CCCXCII.

EIDEM.

ILlustrissime virorum, non unis, aut 1604. alteris literis, sed quatuor, credo, vel etiam quinque epistolis te interpellavi superioribus diebus: ut jure nunc parcere verbis debeam, & tuarum occupationum rationem habere. Non potui tamen, cùm ad Heinsium tuum literas darem, non & ad te aliquid, τῆς αὐτῆς ὁδοῦ φασιν exarare. Exspecto Eusebium Burdigalensem, cujus nuper facta spes fuerat; qui si in manus meas venerit, enitar ut statim ad te perferatur. Mittam etiam Dionis exemplar nuperæ editionis, quam Fredericus Morellus curavit. Nos quoque in aliquam laboris

1604. laboris illius partem vocati sumus, & paucissimos dies impendimus Diatribæ componendæ, quâ totum Autorem εἰς πόδας ἐκ κεφαλῆς percurrimus. Opus est tenuissimæ indicaturæ, vel potius, nullius. Sed meretur elegantia editionis, ut tuo conspectu non censeatur indigna. Nostra dudum sunt edita; eodem enim tempore & scribebantur à nobis, & ab operis typographicis ἐτυπώθη. Ea fuit vel δυσωπία, vel temeritas mea: quamvis mœrore tunc cùm maximè occupatum animum haberemus, ἐπικινδύνως νοσούσης τῆς ξυγγάμου· cujus valetudo etiam nunc valde nos habet sollicitos. Cùm absolutæ fuerint Morelli notæ, quæram cui tutò possim tradere, quæ isthuc mittere constitui exemplaria. Mox ad Persium, εἰ γι βουλομένῳ εἴη τῷ Θεῷ, redituri sumus. Sed aveo prius videre Stoica Lipsii, quibus lucem ait fecisse cùm aliis Scriptoribus, tùm etiam Persio; sic enim ad me scribit. Intereà Ἀγροικισμῷ nos oblectamus, si oblectatio est, inter spinas versari & sentes. Sed reficimur cognitione plurimarum rerum, quas aliunde non erat reperitare. Itaque animum obduramus. Verùm quid ago? λακωνίζειν institueram, & ecce altera jam procedit pagina. Vale, illustrissime Scaliger. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IV. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CIV.

Amplissimo & nobilissimo Legato Buzenvallio salutem, nisi grave est, velim nuntiari.

EPISTOLA CCCXCIII.

DANIELI HEINSIO.

1604. ECce tibi à Brugensi quodam juvene literas, qui, ut audio, aliquâ te cognatione attingit. Dignus certè est, quem propter mores & eruditionem ament, quicunque probitatem & literas. Ex commendatione * Lernutii, viri clarissimi, ille nobis innotuit; sed posteà accessit usus aliquis & familiaritas, ut jam inter charissimos nobis censeatur. Cùm igitur de eruditione tua & scriptis ἀξιαγάστοις mentio incidisset, quod sæpe solet, ille de vestra conjunctione retulit. Ea fuit occasio literarum scribendarum, quas ad te mitto. Hesiodum tuum in Francofordiensi Indice vidimus adnotatum: ipsum avemus atque adeò gestimus videre, & legere; quod cis paucos dies futurum speramus. Diatribam nuper in Dionem Chrysostomum scripsimus, ac simul edidimus. Expresserunt à nobis amici, quibus negare nihil scimus, tenuem illam operam, in qua nihil invenies præter *Lego* & *Scribo*: quia tamen singularis est ejus editionis elegantia, exemplaria aliquot isthuc missurus sum, simul ac Morelli notæ erunt ad umbilicum perductæ. Mox ad Persium redibimus, si per Dei voluntatem, & mearum charitatum valetudinem ac meam ipsius liceat. Vale, & me ama, qui te planè κηρόθι μᾶλλον. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IV. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CIV. 1604.

* Jani.

EPISTOLA CCCXCIV.

JOSEPHO SCALIGERO.

ACcepi tuas, ὦ σεβασμιώτατον κάρα, literas; illas, dico, trium paginarum, a. d. VII. Eid. Januar. † datas; quarum lectione ita sum oblectatus, ut viderer mihi οὐκ ἀξιοῦ eo potissimum tempore, cùm propter uxoris periculosissimum & χρονιώτατον morbum mœstissimus essem, tanto munere abs te donatus. Itaque per multos dies illas in manibus, & ob oculos semper habui; cùm neque legendi, neque admirandi ullum finem possem facere. Jam primùm de consilio illo saluberrimo, quod non unâ jam epistolâ dedisti mihi, quas possum tibi satis dignas agere gratias? adfectum enim tuum, & amorem incredibilem erga nos, sic ea pars tuæ epistolæ exprimit, ut mihi videar hisce oculis te videre, de meis & meorum commodis non aliter sollicitum, quàm si tua res ageretur. Illud pietatis est tuæ, & cum admirabili prudentia conjunctæ sapientiæ, quod ab illo uno me vis pendere, in cujus manu sunt omnium ἔξοδοι βουλευμάτων. Te sequor, Vir divine; tibi parebo; & futuri securus, τῷ κρείττονι me ac mea permittam omnia. Quare de translatione fortunarum ne cogitamus quidem; ut nihil mihi metuere debeas ab * * * Eodem tempore ex tuis discebam, & ex Heroïs incomparabilis * * * πῶς δοκεῖς fuisse jucundum mihi, judicium & verba utriusque conferre, planè consentientia. Eusebium tuum sensim perfici, ego & magnus Thuanus mirificè gaudemus: equidem rarius nunc, quàm solebam prius, ad illum adeo. Sed quoties unà sumus, non alii ferè sermones nostri sunt, quàm de te & tuis stupendis scriptis. Omnino amplissimus ille vir unus adhuc mihi repertus, qui magnitudinem ingenii tui videretur capere. Vidisti, opinor, ejus Historiam, cujus fidem haud dubiè & φιλαλήθειαν, ac constantiam in dicendo vero, nisi fallor, miraberis. Quæ turbæ post editionem ejus libri illum excepe-

1604.

† Epist. Scaliger. n. XC.

1604. ceperint, malo ex aliorum sermonibus te agnoscere, quàm ex literis meis. Tantum quidem potuit odium veritatis, ut consilium reliqua publicandi repentè ac necessarias ob caussas mutaverit. Disputationem tuam de Magnetis Directione manu meâ descripsi, ut cum Mathematicis nostris de sententia tua agerem. Videro an æquiores sint futuri judices tuorum nobilissimorum inventorum, quàm illi, de quorum supercilio scripsisti. Ego ex diligenti tractatione librorum de Emendatione Temporum nescio quid ejusmodi suspicatus eram, cùm animadvertissem in Meridianorum certa constitutione vel præcipuum totius quæstionis cardinem verti. Eusebium Vasatensis Episcopi ad umbilicum esse jamjam perducendum, ex Ducæi Frontonis literis nuntio: constitui, quod primum nactus fuero exemplum, id statim ad te. Vale, meum decus, & felix Nestoreos annos imple. *Lutetiæ Parisiorum*, CIↃ IↃ CIV. *a. d. Non. Majas.*

Doctissimum & amicissimum Heinsium ὑγιαίνειν καὶ εὐημερεῖν διατελεῖν cupio, optoque.

Epistola CCCXCV.

EIDEM.

1604. NOn diu est, cùm ad te literas dedi; quod sæpius feci superioribus diebus, cùm nulla in re acquiescam lubentius ex hac ingenti ærumna, quam crudelissimus uxoris morbus mihi affert, quàm in tuo colloquio. Ita enim mihi videor te præsens alloqui, cùm ad te scribo. Sed quamvis ægrè occasionem tam bonam sine longioribus literis sinam præterire; plura tamen nunc non possum, obrutus dolore & luctu, propter summos cruciatus, quos multos jam dies experitur illa, de cujus valetudine te quoque sollicitum esse, ex postremis tuarum didici. Oro Deum immortalem, te servet παντὸς πήματος ἐκτὸς ἔχοντα πόδα· illam autem mihi & liberis nostris restituat salvam & valentem. Vale, inlustrissime Vir, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *Eid. Maj.* CIↃ IↃ CIV.

Qui has tibi redditurus est, frater est Vassani, illius juvenis, quem ante aliquot menses pluribus tibi commendavi. Meretur & indoles adolescentum horum, & singularis virtus Pithœæ matris, ut tuâ benevolentiâ indignos ne judices. Spero facturos ipsos, ut cùm propius nôris, illis etiam cupias. Atque hoc te etiam atque etiam oro.

Epistola CCCXCVI.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

CUm nuper Janum Gruterum per literas rogarem pro nostra vetere conjunctione, ut Codicis Arabici usum mihi impetraret, quem nôram in illa περιβοήτῳ illustrissimi Principis vestri Bibliotheca servari; quò minus etiam à te, Vir nobilissime & præstantissime, summis precibus id contenderem, non alia res me deterruit quàm pudor quidam & δυσωπία. Veritus enim sum, ne parum intelligere tuas gravissimas occupationes videri possem, si studiorum meorum causâ te interpellare sustinerem. Sciebam alioquin, tantum te isthic pro tua excellenti virtute gratiâ valere, ut unus omnium maximè posses, velles modò, conatum hunc meum adjuvare. Didici posteà ex iis, quas ad clarissimum Bongarsium misisti, benignitatem tuam antevertisse petitionem meam. Sic enim scribis, *daturum te operam, ut voti istius mei fiam compos.* Ago tibi, Vir sapientissime & humanissime, non quas debeo, fateor, certè quantas maximas possum gratias; teque etiam & etiam oro quæsoque, sic tibi de me persuadeas, humanitate hac tuâ adeò obviâ & prolixâ ita captum me, ut habeas heic neminem, qui plus se tibi debere agnoscat, quàm ipse faciam; aut qui lubentius prædicatione beneficii tui ingrati animi crimen amoliri conetur, quàm ego sim facturus, ὄφρα ζωοῖσι μετείω. Equidem si oratus à me passus esses te exorari, magni pro eo ac debeo æstimarem; meque eo nomine æternùm tibi devinctissimum futurum affirmarem. Quid nunc cùm ultrò benevolentiam tuam defers, & operam polliceris? Sive igitur quod peto, sum impetraturus, sive aliter eveniat, ὃ μὴ γένοιτο, advigilandum mihi intelligo, ne te judicii hujus tui unquam possit pœnitere. Adjicerem preces ἐκτενεστέρας, nisi confiderem favere te studiis nostris, & nobis cupere: simul vereor, ne longiore scriptione in publica peccemus commoda: hoc unum si dixero, finem faciam. Illustrissimum & omni laudatione majorem Principem, si petitioni meæ annuerit, fidem meam laudaturum. Deus Opt. Max. Celsitudinem illius quàm diutissimè τῷ περιουσίῳ αὐτοῦ λαῷ, cujus est μέγα ἕρκος, velit concedere: idemque te servet, & mihi amorem tuum. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XI. *Kalend. Jun. anno* τοῦ Σωτῆρος, CIↃ IↃ CIV. 1604.

Epistola

EPISTOLA CCCXCVII.

CAROLO LABBÆO, ET FRATRI EJUS.

1604. Viri doctissimi atque amicissimi, per mihi fuit heri molestum, quod in urbe cùm essem, vos non poteram videre. Sed vastitas negotiosæ urbis hac me voluptate privavit. Accessit & aliud præter voluntatem, quòd ἀδελφιδῷ meo, qui literas ad magnum Scaligerum mittendas vobis detulit, epistolam Gruteri non tradiderim, quam vestra interest, ut legatis. Eam igitur nunc mitto. Habeo verò aliquid non leve, quod vos rogem. Didici heri, versari inter Typographorum manus novum Commentarium in Persium: affirmavit Stephanus *, uxoris meæ cognatus, vir eruditissimus, per aliquam multos dies eum librum in sua potestate fuisse, jam non esse. Qui igitur nolim actum agere, oro vos atque obtestor per omnes Musas & amicitiam nostram, rimemini de hoc negotio τὰ καθ' ἕκαστα, quis Author, quæ res, quæ spes sit? Utinam quidem possetis librum ipsum videre: quod vestrum acumen est, spero, levi inspectione posse vos, quis sit genius scripti ac Scriptoris, deprehendere. Si quid igitur nos amatis, in hanc curam incumbite, & rem exploratam vel perscribite; vel, si hoc possum à vobis impetrare, ad philosophicum venite prandium, ubi fabularum literatarum plus futurum, quàm cibi aut vini. Valete, & συνημερεύτης ἀεὶ ἐν πᾶσι διαπλέῃ. Fasciculos Scaligerianos vobis etiam & etiam commendo. Πάλιν ἂν καὶ ἔρρωσθε. *Madriti, pridie Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CIV.

* Robertus Stephanus, Roberti filius, Roberti nepos.

EPISTOLA CCCXCVIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1604. Illustrissime Vir, post longiorem tuarum exspectationem, ternas tandem simul accepi; quæ etsi abundè cupiditatem meam explere poterant, huic tamen ἑρμαίῳ accessit insigne corollarium Græcorum Poëmatum tuorum; quem fœcundissimi ingenii tui fœtum divinum, quod προσφωνεῖν nobis volueris, tanti æstimo pro eo ac debeo, quanti à cordatis viris ὑστεροφημία & nominis immortalitas æstimari solet. Etsi autem nunquam eò dementiæ, aut typhi venimus, ut dignum aliquid notitiâ τῶν ἐπισταμένων posse à nobis præstari speraremus; quin tamen ejus voti cupiditate jam à prima ferè adolescentia titillati fuerimus, diffiteri non possumus: sive is est communis τῶν ἀνθρώπων μερόπων error, sive propria stultitia mea, qui licet spes omnis cessaret, desinere tamen τῶν ἀδυνάτων ἔρωτος nequibam. Nunc igitur cùm immortali munere tuo consecutum me videam, quod sperare ab ingenio meo non poteram, quâ fruar lætitiâ, quo gaudio triumphem, facilis tibi conjectura. Ago itaque tibi, virorum maxime, pro inæstimabili hoc beneficio, non quas debeo, (unde enim?) sed certè quas possum, & quantas possum maximas gratias, ἐξ ἄκρων ψυχῆς μυελῶν. Simul te illud oro atque obtestor, persuadeas tibi, nihil mihi in omni vita magis fore propositum, quàm ut quotidie vehementius te de me optimè meritum esse læteris. De præstantia autem aureoli muneris, quo me beasti, si dicere incipiam, dies me potius deficiat, quàm tuarum laudum argumentum. Etsi non is ego sum fortasse, qui τὸ ἐπαφρόδιτον τῆς σῆς Μούσης, καὶ τὸ ἐπιτυχὲς τῆς ἑρμηνείας plenè percipiam; si quid tamen supra vulgus earum elegantiarum sumus intelligentes, pronuntiare non vereamur, editione ejus libelli palàm fecisse te, nemini cuiquam illorum Veterum, quos jure omnes mirantur, de laude ingenii, & scribendi quicquid volueris facultate, te concedere. Est omnino is genius tuorum scriptorum, ut quicquid instituas, ita in eo excellas, quasi illud unum toto vitæ curriculo agere didiceris. Equidem cùm tuos versus lego, & simul cogito quâ facilitate velut διαγογῆς χάριν eos fundites, totus stupeo. Quid cùm cætera tua scripta lego, πῶς εἶναι τῶν φρενῶν ἐξίσταμαι ὑπὸ τοῦ θάμβους; ut sæpe in tuis libris versanti mihi, quod familiares mei sciunt, acciderit ut manus in cœlum tollerem, ac Deo Opt. Max. gratias agerem, quòd hac potissimum ætate sum natus, quâ poteram tantum naturæ θαῦμα non ignorare. O utinam faxit idem ὁ ἐπὶ πᾶσι Θεός, ut vitam in terris tantisper agas, donec omnia quæ orsus es, aut porro ordiri paras, detexueris, atque in commune contuleris! Permolestum fuit, quod scribis de operarum, quibus uteris, lentitudine. Tu tamen, τέτλαθι δὴ γέρον· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης. Sed ego eâ spe me solabar, quòd Commelinum, cujus res agitur, non commissurum existimabam, ut ejus officium hac in parte posses desiderare. Nostra longè durior conditio, qui partim ob valetudinem uxoris, partim ob nugatorias plerumque occupationes, maximam hujus anni partem amisimus; qua ex re intolerabilem dolorem perciperemus, nisi

 longâ

1604. longâ hujus mali patientiâ occalluissemus, propè jam τοῖς ἀπεψυγμένοις facti similes, qui ἐν ἐσχάτοις ὄντες malorum tamen sensum nullum habent. Quid facerem? Θεοῦ γὰρ εὖ οἶδ' ὅτι ἐπλείετο βουλή. De studiis quidem nostris, si nondum spem omnem posuisti, vereor ne in cæteris perspicacissimus, minus in hoc videas: sed experiemur quæ secessum hunc nostrum fortuna sit exceptura. Quia enim Medicis autoribus loci mutationem afflicta conjugis valetudo postulabat, Madritum, volente Rege, concessimus; quod consilium si ex voto cesserit, speramus paucis mensibus nos ea præstare posse, quæ aliquot annis in urbe nequissemus. Dionem, de quo nuper spem feceram, tenet adhuc captivum Morellus noster; qui cùm initio confirmasset mihi, se vix tres aut quatuor chartas notarùm meditari, postquam lucubratiunculam nostram vidit, quæ eò scripta fuerat, ut vir optimus labori suo parceret; ille contrà, sententiâ mutatâ, μακρὰν ἰλιάδα inchoavit, cujus principium habemus, chartarum, ut audio, jam ad quadraginta, vel amplius. Finem quando simus habituri, ne ipse quidem operis pater compertum habet, nedum sciamus nos. Suspicor tamen, vel ad has proximas nundinas aliquem illarum annotationum fore finem. Persium toties susceptum, quoties ab octo proximis mensibus respiravimus, serò pœnitet attigisse; magis, promisisse: μυρία ἐπὶ μυρίοις in eum Poëtam notata habemus, è quibus dum pauca eligere, & obscuro Autori lucem interpretationis afferre conamur, ita opus crescit, ut tædio ἀπεραντολογίας, quæ jam descripta erant ἐς κάλον, non semel consciderimus. Sed teneræ frontis sumus; neque audire sustinemus pollicitatores inanes. Itaque obdurabimus; & quod nobis ipsi intrivimus, exedemus. Moror te. Vale, illustrissime virorum ὄντων, ἐσσομένων, πρό τε ὄντων. *Madriti, propridie Kalend. Jul.* CIↃ IↃ CIV.

Velim scire an liber de Magnetis Directione, quem Autor tibi misit cum benè longa epistola, fuerit tibi redditus. Vir ille optimus tuas avidissimè exspectat. Florentius tuis acceptis gaudio exiluit, brevi gratias acturus.

EPISTOLA CCCXCIX.

DANIELI HEINSIO.

1604. MUnus à te missum, clarissime Juvenum, accepi superioribus diebus: Hesiodum dico tuum, de quo cùm salivam mihi commovisset semo noster *, ex lectione operis cognovi, 1604.
virum divinum non solùm ex animi sententia, ἄνευ ὑπερβολῆς quæ scripsit, scripsisse; verùm etiam ἀποστολῇ quâdam usum, nec planè quanti tuum illud scriptum faceret, indicasse. Equidem sic discessi à tuorum lectione, ut nondum constituerim, utrum prius mirari debeam, judiciumne supra annos, an exquisitæ eruditionis copiam, vel in sene admiratione dignam. Qui talia id ætatis præstas, obsecro, quid facturus es τελείας ἀνδροσύνης μέτρα πληρωσάμενος! Ergo extitisti tu, eruditissime Juvenis, qui post tot secula primus nos doceres, Ἔργα καὶ Ἡμέραι quid essent? Qui nugas Grammaticorum solidè confutares? Qui Proclum (at qualem & quantum virum!) de vicinia veritatis aberrantem, comiter in rectam viam deduceres? Liquidò constat mihi, virum magnum, si viveret, in disciplinam sese tibi traditurum: nedum id facere debemus nos, ἐτώσια propè dixerim, si cum tanto viro componamur, ἀρούρης ἄχθη· de me loquor, & mei similibus, qui tam multa, de quibus vix leviter cogitaveramus, cùm in tuis scriptis legimus doctè adeò observata atque exposita, quid aliud possumus, si grati sumus, quàm te magistrum agnoscere, & omnia læta ac fausta tibi optare. Viderint alii, quo animo tuis laboribus fruantur; ego prædicatione tuorum in Rempublicam literariam meritorum aliis fortasse, mihi certè ipsi satisfacere non possum. Dio † noster pridem frontem perfricuisset, & magnum censorem, teque ejusdem dignitatis candidatum adiisset, ni per Morellum staret; qui nescio quid magni καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι in eum Authorem molitur. De Persio quid scribam, nescio; ita multa impedimenta oblata sunt nobis, quoties vel ἄκρῳ δακτύλῳ veteres in eum, Philosophum nescio dicam an Poëtam, nostras curas cœpimus attingere. Nunc autem cùm in secessu hoc amœnissimo sumus, [Madriti enim habitamus, quod Regis suburbanum est Prætorium] videbimus quantum otii Dei benignitas sit nobis concessura. Quicquid illud erit, studiis certum est impendere. Vale, charissime Heinsi, & me ama. *Propridie Kalend. Jul.* CIↃ IↃ CIV.

Oro te meis verbis salutes virum clarissimum, & mihi amicissimum, Dominicum Baudium; quique ejus, nisi fallor, est συμβιώτης, Hailierium Pinæum, nobilem Gallum; nec non Vassanos fratres. Nobis ad eos scribere τί νῦν δυνατὸν οὐκ ἐγένετο.

* Josephus Scaliger.

† Chrysostomus.

EPISTOLA

Epistola CCCC.

✠ PETRO SCRIVERIO.

1604. Magni Scaligeri Græca Poëmata, tuâ curâ in lucem edita, doctissime Scriveri, superioribus diebus accepi. Nescio utri vestrûm plus debitura sint publica studia; illine, qui sine edendi voluntate illa scripsit; an tibi, qui parentem ἀστεργῆ coëgisti prolem agnoscere, dignissimam, ita me omnes Musæ, quæ tolleretur. Multùm sanè universum genus hominum, quibus cor ritè salit, tibi debet, quòd vel suasore, vel impulsore te, tantus elegantiarum thesaurus publicam lucem aspexerit. Equidem ejus levitatis non sum, ut de semonis illius scriptis judicium feram; quantulumcunque tamen est, quod in iis literis profecimus, videmur sine arrogantia id posse nobis sumere, ut quid inter Græcè loquentem, & βαρβαρίζοντα distet, agnoscamus. In quo si judicii non fallimur, ita excellit hic liber, ut mediis Athenis cum Aristophane, & Sophocle, atque Euripide Auctor vixisse queat videri. Enimverò intererat Reipublicæ literariæ, extaret ejusmodi aliquod exemplum, quod εὐφυὴς juventus ad imitandum sibi proponeret. Nam qui versus Græcos factitent, multos scimus & semper fuisse, & nunc esse; qui Græcè loquantur, à multis seculis repertos esse oppidò paucos. Quare pro opera tam bene locata immortales tibi ago gratias; cùm publico τῶν φιλομαθῶν, in queis nos semper optavimus censeri, nomine; tùm etiam privatim meo: quando illi ita placuit, ut summis suis in nos meritis hic accederet tam ingens, tamque insperatus cumulus, quo quidem munere nominis nostri immortalitatem, quam ab ingenio tenui nostro sperare non poteramus, nos confidimus esse consecutos. Tu quoque, doctissime Scriveri, eruditâ illâ tuâ epistolâ multum nos tibi devinxisti; qui eam benevolentiæ tuæ erga me significationem dedisti, ut facilè omnes intelligant, ab amoris abundantia, non à merito ullo nostro ea esse profecta, quæ nobis tribuis. Quòd me adeò obnixè rogas, ut de Critica quæ polliciti sumus, publicemus, agnosco etiam in eo affectûs tui vehementiam: neque enim ejusmodi nostra sunt, quorum causâ vos docti vadimonia deseratis. Illa autem lucubratio peculiarem habet difficultatem, cùm & spinosa sit tota, & quædam in eo contineantur liberius adversus eos disputata, qui scelere immani de Sacra Pagina audent detrahere. 1604.
Adde quòd otium desiderat adhuc is noster fœtus, si volumus ὑπαλγέμεν eum non esse. Lætatus sum nuper, cùm viderem Joannem Wouwerium, juvenem eruditissimum, ex parte idem argumentum suscepisse tractandum: magis verò lætatus essem, si, quæ paramus omnia, essent ab illo occupata, ut legitimam occasionem haberemus supersedendi ab eo labore; quod quia ab eo factum non est, dabimus, Θεοῦ διδόντος, operam, ut tuo desiderio quàm primùm satisfaciamus. Nunc Persii editionem parabamus, audebo dicere, penitùs novam. Vale, doctissime Scriveri. *Madriti ad Lutetiam, propridie Kalend. Jul.* CIↃ IↃ CIV.

Epistola CCCCI.

JOSEPHO SCALIGERO.

ILlustrissime Vir, scripseram ad te ante horam, & Illustrissimorum Ordinum Legato Arsenio meas tradideram, cùm advenit tabellarius hic, rogavitque nunquid vellem. Arripui statim calamum, & hæc exaravi; mihi enim religio est, ullum ad te sine meis dimittere tabellarium. Parem diligentiam à te non exigo; sed tamen oro te, ne sinas nos diutius ignorare, quo loco res tuæ sint; tu, ut valeas; tuus Eusebius quàm feliciter isthic procuretur. Omnes heic eruditi illum tantâ cupiditate exspectant, quantâ par est opus tuum. Deus Opt. Max. te servet, virorum maxime, & nobis amorem tuum. Vale. *a. d.* XV. *Kalend. Aug.* CIↃ IↃ CIV. 1604.

Epistola CCCCII.

EIDEM.

NOn dubito invitum esse te lecturum, quæ invitus & mœstissimus scribo. Nuntio enim tibi obitum Hadriani Gulielmi, Flessingensis; juvenis supra annos docti, supra fidem probi ac pii. Ex tua primùm commendatione innotuerat ille mihi; sed is posteà accesserat usus, ea inter nos familiaritas, ut hominem intus atque in cute nôssem totum. Quod sanè difficile mihi non fuit; nam apertior illo, aut ἀπλούστερος τὸ ἦθη nemo vixit unquam. Itaque ea coaluerat inter nos amicitia, ut cùm ego illum filii charitate complecterer, ille & me & uxorem non aliter quàm parentum loco amaret & coleret; quò fuit molestior utrique nostrûm hic casus tam inopinatus funeris tam acerbi. Sed me non tàm privata 1604.

 amicitia

1604. amicitia movet, quàm respectus publicæ rei literariæ; quæ in hujus adolescentis morte incredibilem, si quid judico, fecit jacturam. Ardebat ὁ μακαρίτης amore flagrantissimo cùm universæ τῆς ἐγκύκλου παιδείας, tùm illius præsertim partis, quæ in cognitione rerum naturalium est posita; quo in studio eos jam fecerat progressus, ut æquales suos sine controversia superans, paucos vel senes peritiores illarum rerum videretur posse invenire sibi magistros. Imprimis τῇ ἀνατομῇ & τῇ τῆς ἰατρικῆς ὕλης γνώσει operam impenderat; tantâ quidem felicitate, ut paucis antequam obiret diebus, præstantissimis Academiæ luminibus, Mareschoto, & Pietro, ipsius genero, miraculo esset, cùm in saltu Madridano, quò ad visendam uxorem meam convenerant, obvias omnes plantas agnosceret, & nominibus tàm vulgatis, quàm veteribus Græcis, Arabicis & Latinis designaret. Ego verò, qui studia illius nota habebam, longè majora & sperabam, & aliis recipiebam. Sciebam quâ diligentiâ Medicos Arabes, Avicennam, Serapionem, Rasis, alios legisset, ac cùm inter se contendisset, tùm cum Græcis comparasset. Testis eram pulcherrimarum observationum, quas in eo genere fecerat. Nam in Arabicis literis quantum profecisset, sine lacrymis recordari non possum. Tantùm affirmo tibi, magne Scaliger, eam ἕξιν fuisse adeptum, ut pauca legeret, quorum mentem non caperet, ubi paululum attendisset. Avicennam usu contriverat: Alcoranum ita familiarem habebat, ut cùm à te discessi, neminem Europæorum fuisse illi putem secundum. Sed quod maximè sum admiratus, præceptiones grammaticas ejus linguæ eximiè callebat. Nactus erat meâ, aut amicorum meorum, Huberti * & Florentii, virorum eruditissimorum, ope quatuor aut quinque Arabum Grammaticas manu exaratas; in his ille se anno exercuerat, ut exceptis oppidò paucis, cætera omnia posset ex tempore in Latinum sermonem vertere. Quod cùm sit per se difficile, & dignum admiratione, magis tamen mirareris, si scires quàm difficili charactere Africano, quàm corruptè scripti sint illi libri, unde hanc tantam ejus artis notitiam hauserat. Egeram cum eo persæpe, ut quæcunque legerat ejus argumenti, in unum colligeret, & postquam tuum consuluisset oraculum, cum studiosis ejus linguæ eam operam communicaret. Sed diu modestissimus juvenum consilio ac voluntati meæ reluctatus est; cùm diceret, rudem se omnium rerum, & me in ea opinione, 1604.
quam de ejus studiis conceperam, falli vehementiâ amoris, contenderet. Quid multa? adeò fui negligens & ταπεινὰ φρονῶν ἦν, ut literas ad te scribere, etsi cupidissimus, & tui, si quis mortalium, γνήσιος admirator, ausus tamen sit nunquam. Scimus paratam illi fuisse dubitationum sylvam, quas relaturus ad te fuerat; sed pudor adhuc inhibebat. Expugnaveramus tandem ejus modestiam; & assiduis hortatibus, ac propè dixerim, conviciis quotidianis impetraveramus, ut meum potius consilium quàm judicium suum sequeretur. Jam igitur ad Grammaticam Arabicam edendam animum appulerat. Itaque itineri Constantinopolitano, quod ante aliquot menses instituerat, profecturus cum regio Legato, cui de meliore nota ego, & amici illum commendaveramus, ea fine renuntiaverat: atque ut majore otio frueretur, in Regis Prætorio Madridano, quò propter uxoris morbum concesseramus, nobiscum venerat. In eo secessu cùm dies circiter quindecim jucundissimè inter libros egissemus, jamque operis istius ἰχνογραφία ei esset absoluta, quædam etiam capita diligentius polita; ecce tibi languor eum occupat, & ἀηδία potius quàm morbus; quo factum ut venienti mihi in urbem negotiorum caussâ, comitem se adjungeret; rediturus, ut existimabamus, vel mecum, vel biduo, aut ad summum, triduo pòst. Ita inter nos convenerat: sed [O cæcas hominum mentes! ô spes inanes!] non ita Illi visum, cujus nutu minima maxima geruntur. Lutetiam igitur hilares venimus, viæ laborem fabulis literatis levantes; hilares item apud amicum pransi sumus. Deinde cùm ego amicum Medicum vocassem, & mentionem suæ valetudinis Hadrianus, etiam tum meus, quasi aliud agens injecisset, jussus linguam ostendere, & manum præbere, gravissimè ægrotare statim à Medico judicatus est. Ridere ille, & negare ægrotum se; verùm levis tantùm θεραπείας indigere. Erat illi non multò antè conductum hospitium in altissima urbis parte, propè illius ædes, qui characteres sculpsit Arabicos, quibus se brevi usurum sperabat, ac propterea è Sangermanico suburbio illuc migraverat: eò igitur se recipit, me redeunte. Lapsi sunt dies pauci priusquam gravius quicquam Medici, quorum operâ usus est assiduâ & fideli, metuendum precisâ spe pronuntiarent. Ego tamen per sororis filium ferè quotidie curavi eum visendum; deinde ipse etiam veni. Hic me verba pœnè deficiunt, cùm illius diei venit in mentem, quando

* Fuit hic Hubertus Medicus, & in lingua Arabica Professor Regius.

1604. do illum gravissimè affectum vidi θερμότητος πυρετώδους, & tormina infra umbilicum acerrima perpetientem. Adii ad Medicos; consului de genere morbi: responderunt, aut longam fore ἀῤῥωστίαν, siquidem esset evasurus; aut citò vitam cum morte commutaturum: quod & accidit; sed velocius quàm vel ipsi Medici opinarentur. Postridie enim ejus diei, quo illum videram, & quo erat ille me amplexus quàm arctissimè, ut vix remissurus videretur, scripserunt Medici, & certum hominem miserunt, qui nuntiaret, si vellem vivum videre, accurrerem; jam enim in extremis eum versari. Conscendi equum sine mora, etsi alta jam vespera erat, & accurri. Inveni non mortuum, sed morientem; & dum preces Pastor funderet, animam beatam Deo autori suo reddentem. Aderant illi amici multi, viri pii, quibus ipse propter virtutem & eruditionem ac præcipuam pietatem fuerat charissimus. In his erant Molinæus & Desiderius Heraldus, quorum unum ex scriptis, alterum etiam ex vultu scio tibi notum. Hic fuit obitus juvenis optimi, & cum summis viris, si longiorem vitam fata indulsissent, merito suo mox comparandi. Nunc præclara omnia tanti ingenii incepta οἴχεται φροῦδα; nam qui lucubrationes suas non per simulationem, ut nonnulli, sed ex vera modestia, sperneret, solitus erat quæcunque observabat, in minutissimis scidis adnotare; quæ post ejus obitum collectæ sunt à nobis, verè sparsa Sibyllæ folia, & nullâ penitùs inter se connexione cohærentia. Hæc nos adeò chari capitis monumenta, cuicuimodi tandem illa sint, jure amicitiæ vindicavimus nobis, cùm cæteram ejus omnem supellectilem, quæ quidem variè sparsa potuit inveniri, coram amicis curaremus describendam, & amplissimæ dignitatis viro, Arsenio, Legato Illustrissimorum Ordinum, tradendam. Hæc autem eò pluribus ad te scribenda duxi, præstantissime Scaliger, quia fidei, quam præstare tibi debeo, interesse judico, ut scias nulla in re officia nostra ei defuisse, quem tua primùm commendatio nobis conciliaverat. Deinde illud cogitavi, fore isthic fortasse illius amicos, quibus volupe esset, τὰ περὶ αὐτὸν plenius cognoscere; sed de re tam tristi plus satis. Vale, illustrissime Vir, & me, ut semper, ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XIV. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CIV.

EPISTOLA CCCCIII.

DANIELI HEINSIO.

De præstanti munere, quo me donasti, egi nuper tibi, doctissime Heinsi, gratissimas gratias; etsi illis longè impares, quas animo habeo: sed & animum ipsum meum tibi confido esse notissimum. Nunc raptim hæc exaravi, ut per omnes Musas te orarem, atque obtestarer, veteris amici tui * memoriam versibus tuis ad posteros transmitteres. Quis ille sit, ex iis, quas ad τὸν ὑπέρμεγαν Scaligerum scripsi, cognoscere poteris. Ex eo intellexi, singulari amicitiâ vixisse vos aliquando conjunctos; neque illi ullum erat jucundius ἀκρόαμα, quàm cùm de tuis laudibus prædicantem me audiret. Paucis adeò diebus prius quàm fatalis hora illum corriperet, cùm in Hesiodo tuo penitùs defixum me videret, incredibilem ex ea re voluptatem capere se significavit; & de vestra conjunctione multa mihi tum narravit. Sæpe etiam audire memini, cùm disceret, se quicquid in Græcis sciret, tibi ferè uni acceptum ferre. Igitur qui te tantopere & amabat, & colebat, dignissimus est, qui præconem te virtutis suæ & incredibilis eruditionis habeat. Vale, amicissime Heinsi, & dolorem meum quàm primùm solare. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XIV. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CIV. 1604.

* *Hadriani Gulielmi, Vlissingensis. Ipsum verò carmen exstat, pag. 67. edit. 1640. Poemat. Danielis Heinsii.*

EPISTOLA CCCCIV.

CAROLO LABBÆO.

Languenti mihi è febricula, tuæ redditæ sunt, & magni Scaligeri literæ. Sensi non mediocriter sublevatum me utriusque epistolæ lectione; nihil enim mihi jucundius, quàm cum amicis colloqui; ambo autem amicissimi. Gaudeo tergeminum illum Heroëm valere, & opus institutum urgere. Scribere nunc ad illum non possum; & non valde opus; cùm pridie, quàm Lutetiâ exirem, binas eodem die dederim, quod velim tuis illi significes. Addas etiam, de Eusebii Chronico Burdegalensi planè inaudisse me nihil à tribus mensibus, & quod excurrit. Omnino suspicio illius de eo opere recta est. Convenêre & capita contulêre quàm plurimi, & communi operâ faciendum decreverunt, ne quid Respublica, hoc est, E. R. † detrimenti caperet, si ἐπρόδοξος aliquis ea præstaret, quæ non posset homo πεπαρῳχημένος. Id igitur est, quod 1604.

† *Ecclesia Romana.*

1604. quod paratam pridem & absolutam editionem moretur. Illi verò καὶ πελαμάδων, καὶ πικταινέδων ὅπων nunquam tamen efficient, ut non cæteris avibus aquila regnet. Sed hæc melius coram. Tunc & tibi satisfaciam de illius epistolis; quas daturum me, iterum iterumque confirmo: sed prius in ordinem eas redigere est animus; quod brevi faciam: si cessavero, en! veni huc, & illas aufer: non enim vacuus redibis. Vale, & fratrem tuum à me saluta peramanter. De carmine ago gratias: Autorem Scaligerum esse, nolim præstare: cujuscunque est, ἀγαθοῦ τεχνίτου est opus. Iterum vale. *Madriti*, *a. d.* XII. *Kalend. August.* CIƆ IƆ CIV.

De Glossariis melius coram: si de sententia Scaligeri vobis constat, quid vultis ἄλλην δρῦν βαλανίζειν; quæ tamen videbuntur, congressu primo dicam vobis, οὐδ' ἐπικεύσομαι.

EPISTOLA CCCCV.

JOSEPHO SCALIGERO.

1604. CUm ante menses ferè tres munus πολυτάλαντον à te accepissem, præstantissime Scaliger, egi tibi per literas non quas debebam quidem, sed quantas maximas certè poteram gratias: ut si nihil aliud possem rependere, in eo saltem officio meo non deessem, neve committerem, ut quanto honore essem abs te affectus, parum viderer intelligere. Opto scire, an tibi eæ fuerint redditæ; item aliæ, quas paullò pòst mœstissimus scripsi de re lugubri, cùm de obitu certiorem te feci adolescentis optimi & doctissimi, Hadriani Gulielmi, Flessingensis; in cujus morte quantam severiores Musæ fecerint jacturam, quàm magis cogito, tàm magis intelligo. Itaque non secùs affectus sum hoc casu, quàm si filius mihi aut frater periisset. Quàm incredibiles in literis Arabicis fecisset progressus, pluribus nuper significavi. Ego profiteor, eo magistro me multùm profecisse, aut ut verius dicam, potuisse proficere, nisi mens læva fuisset, ac κενεῶν ἐλπίδων plena; nam magisterio illius, quantum ipse cupiebat, usus non sum; cùm partim illi parcerem, partim alia studia me impeditum tenerent: ὁ μὴ ὤφελλε γενέσθαι. Amisi enim stultitiâ meâ occasionem, quam desideraturus sum æternùm, recuperaturus nunquam. Cœperamus Geographiam Arabicam vertere; quod, paucis locis exceptis, erat ipsi sanè facilè. Alia item multa aggressi eramus; quæ persequendi & facultas mihi nunc deest & animus. Tu quoque, illustrissime Vir, γνησιώτατον amisisti tuæ summæ eruditionis admiratorem. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Quod superest, te oro atque obsecro, digneris amicitiâ tuâ nobilissimum virum, qui tibi has reddet. Hic quoque eorum unus est, quibus *de meliore luto finxit præcordia Titan.* Cùm narrantem audies, πόσων ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω, miraberis tantum illi superfuisse otii ad disciplinarum & Historiæ veteris cognitionem parandam. Quod si quid in nobis judicii est, non multos hodie Germania ejus ordinis & nobilitatis viros habet, quorum amicitia possit tibi gratior esse aut jucundior. Eusebium tuum duobus prelis urgeri, suspicabamur ex novissima epistola tua. Atque utinam ita sit! bonorum omnium, & φιλομαθῶν desideriis satisfeceris. Nunc enim suspensi animi nostri sunt exspectatione tanti muneris; opes enim editoris, & in regia gaza μεγαλοπρέπειαν habemus satis notam. Burdegalensi editione quid factum sit, nescimus; & virum optimum (εἰρήσθω γὰρ οὕτως) non implesse quæ promiserat, miramur. Sed est profectò ita, ut tu conjecisti, μάλα εὐστόχως. Quasi summa Respublica ageretur, comparantur undique præsidia, & publicis consiliis privata res agitur. Illi verò καὶ παλαμάδων, καὶ πικταινέσθων ὅτιοῦν· nunquam tamen aquilæ in aves imperium abrogabunt. Nos quoque quid agamus, fortasse quæres: agimus verò nihil, quod quidem tuâ curâ aut notitiâ sit dignum. Persium nuper recensuimus, & libro commentario sumus interpretati. Sed dum rudiorum studiis consulimus, ita nescio quomodo opus excrevit, ut eâ lucubratione quid simus facturi, nondum constituerimus. Dioneas tandem notas absolvit amicus noster *. Agam cum hoc viro nobili, ut si potest fieri, ipsius operâ isthuc curetur tibi dicatum exemplar. Amplissimum Legatum Buzenvallium in aula esse multas jam hebdomadas, his diebus primùm didici. Heinsium quoque τὸν θαυμάσιον brevi venturum, affirmabat mihi quidam ejus familiaris nudius tertius. Ego illi de conditione prospexi, non minus lauta quàm honorifica, & cujus ipsum minimè pœniteat. Vale, illustrissime Heros, & nos amare perge. *Lutetiæ Parisiorum*, quò ex secessu suburbano veneramus, *a. d.* XV. *Kalend. Septemb.* CIƆ IƆ CIV.

Mathematicus †, qui de Magnete scripsit, te obnixè rogat, respondeas epistolæ ipsius.

* *Fredericus Morellus.*

† *J. Nautonnerius. Vide suprà. Epist.* CCCXXI.

EPISTOLA CCCCVI.

DANIELI HEINSIO.

1604. EX sermonibus amici illius tui, qui salutem à te nudius quartus mihi nuntiabat, cognovi multas epistolas meas, quas ad magnum Scaligerum & ad te scripsi, aut omnino periisse, aut in vestras manus serò pervenisse. Affirmabat enim ille mihi, te, cùm ipse discederet, nihil literarum pridem à me accepisse. Atqui superioribus mensibus sæpius me ad te scripsisse, sciunt Labbæi fratres, quibus meos ad Scaligerum fasciculos solitus sum tradere tabellariis deferendos. Sed posteà fortasse accepisti ἀθρόως plures simul epistolas meas. Quod quidem an ita sit, velim facias me certiorem, neque existimes potuisse in me tantam ἀπειροκαλίαν cadere, ut de luculento munere tuo non agerem tibi statim gratissimas gratias; quas equidem longè uberiores habeo, & porro semper sum habiturus. Audio te in eo esse, ut profectionem ad nos instituas. Utinam quidem quàm primùm ille exoriatur dies, quo tam charum mihi caput potero suaviari! Sed audin'? sive ego in urbe sim futurus, sive Madriti, rectà statim ad me: nisi vis reus fieri gravissimi criminis violatæ amicitiæ nostræ; quam injuriam quibus potero cunque modis ulturum me, pro certo habe. Est mihi amicus *, vir illustris dignitatis, sed pietate & eruditione longè major, apud quem hospitium tibi metatus sum, quamdiu volueris in urbe esse. Itaque veni ἀγαθῇ τύχῃ· spondeo fore, nunquam ut te consilii pœniteat; Θεοῦ μέν τοι βοηθοῦντος, cui te & studia tua curæ esse, nullus ambigo. Dionis notæ amici nostri † tandem ad umbilicum sunt perductæ. Itaque id nunc ago, ut inveniam, cui tutò tradam, quod tibi missurus sum, exemplar. Amplissimum Buzenvallium sine tuis ad nos venisse, [ita audimus; nondum enim vidimus] miramur. Sed eò suspicor illud accidisse, quia nihil à nobis pridem literarum acceperas, quod nollem ita accidisset. Vale, amice ποθεινότατε. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XIV. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CIV.

* *Sofredus Caligno, Navarræ Cancellarius.* Colomes.

† *Fred. Morelli.*

EPISTOLA CCCCVII.

JACOBO GILLOTTO.

1604. DE versione ‡ Turnebi ita sentio, ut videatur magis non indigna tanto viro, quàm satis digna. Fidelis est, & nihil peccat; sed minus exquisita & ornamentis carens quàm tibi assentior, amplissime Vir, & omnino faciendum judico, ut titulus præfigatur, qui quod res est, dicat. Audio nescio cujus operâ emendata quædam in illa fuisse. Ego verò malè vereor, ne παραδιορθώσεις illæ extiterint magis, quam διορθώσεις. Nam in Græcis palàm corrupta quædam, non casu animadverto. Si quid juvanda fuit Turnebi interpretatio, ut quæ ex tempore fusa erat, vellem ea provincia mihi fuisset demandata; non quia id mihi tribuam, ut acutius hæc videre potuerim quàm ille, quisquis est, qui eam recensuit; sed quia pro ea reverentia, quâ semonis illius manes prosequor, diligentius fortasse in eo negotio essem versatus. Ego enim Turnebum non γνησίως solùm, verùm etiam ἐμπαθῶς colo. Quidquid est, multum tibi posteri pro munere hujus editionis sunt debituri. Perge verò, amplissime Gillotte, & Musas demereri, & nos amare, qui te ex animo observamus. *Madriti*, *a. d.* IV. *Non. Septemb.* CIↃ IↃ CIV.

‡ *Epistolarum Synesii.* *vide* Epitres Françoises à Monsr. de la Scala, pag. 101. & 109.

EPISTOLA CCCCVIII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

NObilissime Vir, si quas habeo tibi gratias animo, agere verbis instituam, longùm faciam, & tamen minus omnino, quàm quod sentio, dixero. Tu me ignotum, nihil unquam de te meritum, non solùm tuâ benevolentiâ dignum judicasti; sed etiam effecisti, ut illius fructum perciperem, & ante meas preces ejusmodi beneficium mihi præstitisti, quod nullis precibus posse me à te impetrare semper existimaveram. Enimverò alii aliis capiuntur, & ut ille ait, *voto non vivitur uno*: tuum verò beneficium ejusmodi est, ut vix aliud videatur potuisse in nos à quoquam conferri adeò θυμῆρες ac gratum. In literulis enim nostris omnes nobis positæ sunt voluptates atque amœnitates; quibus ærumnosæ hujus vitæ τὰ πικρὰ edulcamus. Spero autem ad studia nostra non mediocre momentum esse allaturum illustrissimi Principis Codicem Arabicum, cujus usum tua mihi benignitas impetravit. Ex aliis Arabum libris pridem mihi illius Autoris nomen innotuerat, quod liber Palatinus fronte præfert; sed an ille sit, quem Abisenæ ‡ Interpretes passim laudant, nondum affirmare ausim; aliis enim studiis impeditus adhuc fui, neque cum Codicem seriò adhuc 1604.

‡ *Aliis Abensina: vulgò Avicenna vocatur.*

1604. huc versavi. Brevi faciam, propitio Numine, & statim illum ad vos; ut omnes intelligant, fide nihil mihi esse antiquius. Vale, præstantissime Vir, & me ama, qui & sum, & sum futurus æternùm tuæ virtutis admirator, dignitatis cultor. *Madriti, a. d.* III. *Non. Sept.* CIↃ IↃ CIV.

EPISTOLA CCCCIX.

CONRADO RITTERSHUSIO.

1604. HAvebam scire, ut valeres, & quid ageres, clarissime Rittershusi; mirabarque binis meis superioribus nullum à te responsum esse datum; ut nec à Scipione Gentili, Academiæ vestræ lumine, quicquam literarum accepi, postquam ex itinere Gallico isthuc est reversus: eramque adeò de utriusque vestrûm valetudine ac statu sollicitus, cùm misit ad me Bongarsius, ὁ τῶν ἐμῶν φίλων ἄριστος, epistolam illam tuam, quam utrique nostrûm communem esse voluisti. Gavisus sum non mediocriter, & quòd valentem te intellexi, & quòd ita in literas animatum, ut bene de illis merendi finem nullum facias. Nam quod scribis de repertis Beati Patris, Isidori Pelusiotæ, epistolis, & tuâ curâ descriptis, atque ad edendum paratis; beasti me, mi Rittershusi, hoc euangelio. Macte hoc studio atque hermæo isto. Multa quidem tibi jam Respublica literaria debet, propter egregia ingenii tui monimenta, quibus illam auxisti, ornasti; sed magnum cumulum prioribus tuis meritis adjeceris, si tam pium & eruditum Scriptorem ἐξ ἄδου παλίνορσον nobis dederis; quod quidem ut facias, non hortor te solùm, sed etiam rogo atque obtestor; eò quidem vehementius, quò pauciores hodie sunt, quorum palato dapes istæ sapiant. Sed malè sanorum hominum voces insanas, qui literas Græcas faciunt non nauci, pro tua prudentia facilè intelligis esse contemnendas; atque illud potius nobis, qui illarum præstantiam ac necessitatem intelligimus, esse enitendum, ut fugientibus manum injiciamus, & si possumus, suam æstimationem ac pretium illis apud τοὺς εὐφυεῖς γοῦν τῶν νέων vindicemus. Quod autem edi cupis Lutetiæ opus tuum, (verè enim tuum dixerim) de ea re quid certi spondeam tibi, non habeo; nam lentè heic Græcorum editio procedit; etsi non deest quibusdam nostrorum Typographorum animus, & Isidorum, & reliquos Patres Græcos edendi. Itaque cùm omnia à te fuerint parata, fac me ut sciam; & confide pari diligentiâ in eo negotio versaturum, ac si mea res ageretur. Vale. *Madriti ad Urbem, a. d.* III. *Nonas Septemb.* CIↃ IↃ CIV. 1604.

EPISTOLA CCCCX.

DAVIDI HOESCHELIO.

CUm superiore mercatu Francofurdiensi Procopium manuscriptum tibi misissem, Hœscheli clarissime, quia post illa nihil à te literarum accepi, fui aliquandiu sollicitus, eo libro quid factum esset. Posteà verò ex iis, quas ad τὸν πάνυ Bongarsium scripsisti, didici tutò illum ad te fuisse curatum; quod non mediocri me voluptate affecit: nam & exemplari, quod isthàc miseram, metuebam; & ne ea retardaretur tuum inceptum, anxius eram. Nunc spero brevi nos beneficio tuo optimum Scriptorem typis illis vestris elegantissimis editum habituros. Fallor, aut de Republica literaria mereri non potes melius, quàm editione cùm hujus, tùm aliorum similis notæ Scriptorum. Quod autem novissimis tuis me rogabas, de versione Gregorii Θαυματουργοῦ, puto Jacobum Bongarsium quæ illi super eo dixi, tibi significasse; fuisse me, quod petebas, facturum, nisi vidissem in Indice superioris πανηγύρεως Francofordiensis promissum à nescio quo vestræ gentis omnium eximii ejus Scriptoris operum versiones. Itaque actum agere non placuit; qui præsertim adeò essem occupatus, & variis distractus curis; de quibus apud te non semel queri memini. Omnino vivit nemo occupatior, quàm nos sumus. Ut taceam de charissimæ uxoris χρονιωτάτῳ morbo, qui etiam ab urbe me expulit, & in hanc regiam domum compulit sedere, ubi tertium jam mensem habeo. Atque ego initio mihi gratulabar, quòd relictâ urbe liberatum me crederem importunis visitatoribus, per quos nulla ferè mihi erant tempora succisiva; cùm totos dies persæpe in nugis ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ cogerer insumere. Sed jam me experientia docet, longius nescio quò in solas terras fugiendum mihi esse, si vivere cum Musis tendam. Veruntamen quicquid nobis vacui temporis conceditur, id totum in ornanda Sparta, ἣν ἐλάχομεν, ponimus. Quod si per Typographos licuisset, Persianum Commentarium isthuc misissemus, & simul alteram Suetonii editionem, priore aliquantò fortasse meliorem. Sunt & aliæ curæ graviores, quæ nos exerceant; sed quarum publicatio non est τοῦ παρόντος καιροῦ. Tu, Vir eruditissime, quid

1604. quid agas, quid jam edas, quid mox sis editurus, aveo scire. Nam qui à quinque, aut sex mensibus tuas non acceperim, quàm uberrimas cupio illas accipere, *ἐκλίνοντος σοῦ καὶ τὸ δάνειον καὶ τὸν τόκον ἅμα*. Vale. *Madriti*, quod regium est ad urbem Prætorium, *a. d.* III. *Non. Sept.* CIↃ IↃ CIV.

Amplissimo & nobilissimo viro, Marco Velsero, plurimam salutem verbis meis nunties velim. De Privilegio, quod à nobis petiisti, scito *τὸν σφραγιδοφύλακα* (hominem è senio propè jam obnoxium Græcorum proverbio, sed *ἀπὸ τῆς δεισιδαιμονίας* meticulosum, adeò ut omnia, etiam tutissima, timeat,) rogatum ab amplissimo & sapientissimo Thuano, ut Privilegium ejus meâque curâ conscriptum Regis sigillo firmaret; quia ego veniebam in partes, statim cœpisse suspicari, tot librorum editione, de quibus cogitare te significaveramus, culmen Romanæ Arcis peti, & hæresim [sic enim Veritatem Dei vocant] stabiliri. Risimus ego & Thuanus, cùm hæc nobis referrentur à Perrotto, Regis Secretario, nominis Germanici studiosissimo. Ivi igitur ipse ad *τὸν σφραγιδοφύλακα*, & quàm longè abessent tuæ curæ ab eo genere scriptorum, quæ orbem Christianum miserè lacerant, exposui. Adjeci, neque Thuanum, neque Velserum, duos summos viros ejus professionis, fauturos tuis cœptis, si eò spectarent. Quid multa? Pervici non tibi debere hoc negari. Promisit igitur, si per eundem Perrottum mitteretur, facturum, quod rogaremus. Ecce verò rem suavem; nam ubi venit Perrottus, responsum tulit ab optimo & alioquin venerando sene, permissurum se tibi, ut tua isthic ederes; at ut impediret, ne nostri possent edere cùm vellent, nullis conditionibus adductum iri. Quo quid magis *γεροντικὸν* potest fingi? quid enim Privilegium est eâ parte demptâ? Sed alia caussa est profectò, quæ illum terret. Ego certissimum habeo, simul ac Regi rem aperuero, jussurum, ut fiat. Sed vix in urbem ex eo tempore Rex venit, aut nos casu tum aberamus.

EPISTOLA CCCCXI.

JACOBO GILLOTTO.

1604. AMplissime Vir, non mediocriter gaudeo, quando studium & fidem cogito erga me τοῦ *μακαρίτου* Turnebi. Omnino autem faciendum videtur, ut ejus honori quàm commodè fieri poterit, hujus libri editione consulatur. Ego & illius causâ, quem valde colo, & tui, quem observo, unicè paratus sum 1604. ad omnia, quæ volueris, sit modo temporis pluscululum, ne urgeamur nimis: sed de his coram. Quod ut possimus, ultimâ hebdomadis die isthuc veniam, & te invisam. Tum quid opus factu sit, videbimus, & de communi sententia statuemus. Velim intereà de Josepho Scaligero aliquid addiscas; valde enim longum videtur esse tempus, cùm ab illo nihil literarum accepi. Opto servet Deus & te, & illum *ἐν πάσῃ βίου ῥαστώνῃ καὶ εὐμοιρίᾳ*. Vale, Vir amplissime, & me ama. *Madriti, a. d.* VII. *Eid. Septemb.* CIↃ IↃ CIV.

EPISTOLA CCCCXII.

FOPPIO AB AITSEMA.

HEri reverso mihi à Synaxi sacra reddita est epistola tua, eruditissime 1604. Foppi. Gaudeo non mediocriter amore tuo in nos; qui etsi vehemens, non tamen sinemus nos hac parte abs te vinci, parati de omni alia laude tibi concedere. Hoc verè tibi affirmo, simul innotuit mihi tuus ille verecundiæ virginalis plenus vultus, sensi captum me amore tui; hoc est, tuæ & modestiæ, quam præ se ferebat & tacentis vultus. Posteà verò quàm de pietate, de literis & virtute eos sermones habuimus, quorum ne te quidem video esse oblitum; tùm vero auxit adeò meus in te affectus, ut jam nihil mihi posset gratius accidere, quàm abs te amari. Enimverò delectant alios alia: nos secundum *τὰ πρὸς τὸν Θεὸν* in prima parte felicitatis ponimus amorem bonorum. Quare duobus nominibus gratissima mihi fuit epistola tua; & quòd me tibi charum esse abundè testares; & quòd memoriam τοῦ *μακαρίτου* Hadriani Guilielmi *, conjunctissimi, heu! nuper mihi & summè chari, eleganti carmine ornasti. Omnino dignus erat optimus ille juvenum, quem amarent vivum omnes, quibus sereniores Musæ sunt cordi; & quem nunc *ἄωρα* fato defunctum lugeant omnes earundem Dearum *γνήσιοι θεράποντες καὶ μύσται*. Literæ Arabicæ quantum in illo capite jacturam fecerint, nemo facilè dixerit. Pietas verò probissimi adolescentis quanta? quàm singularis? ut sine lacrymis recordari tristis illius diei nequeam, qui tantum thesaurum nobis eripuit. *Ἀλλὰ τί κεν ῥέξαιμι; Θεοῦ ἐπλήετο βουλή*. Verùm de his quando & quoties voles, plura coram. Unum te rogo, nobilissimum & generosissimum, & studiis melioribus accuratè excultum adolescentem, qui nuper ad me unà tecum venit, meis verbis quàm officiosissimè

* Flessingensis.

1604. sissimè salutes. Valete ambo, & me amate. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* v. *Septemb.* CIƆ IƆ CIV.

Epistola CCCCXIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1604. Illustrissime Vir, ex trinis literis, quas ad te scripsi novissimas, spero tibi notum esse nostrum secessum in regiam arcem, cui Madrito nomen. Tertium jam mensem ibi agimus, quo toto spatio temporis unicas à te accepimus: nos jam quater scripsimus, & quidem satis prolixas duas epistolas ad te misimus, quas an acceperis, velim, nisi grave est, ex tuis cognoscere. Priore illarum gratias agebam tibi de luculento munere, quo immortalitatem nomini meo tua illustris benignitas conciliavit. Erant in eodem fasciculo etiam ad clarissimos viros, Scriverium, Heinsium, & Joannem à Wouweren literæ, quæ si, ut vereor, interceptæ sunt, non possum effugere justam criminationem vestrûm omnium. Altera epistola tristissimum argumentum habuit, nuntium de obitu Flessingensis adolescentis, de quo cùm multa scriberem tibi, nullam tamen partem sum assecutus debitæ laudis ejus pietati, virtuti & summæ eruditioni. Ego, mi Scaliger, amisi socium ac ducem studiorum meorum in literis Arabicis. Quod eò mihi est molestius, quia præclarorum ejus inceptorum, de quibus ad te nuper scripsi, αἱ ἰχνογραφίαι, quæ ob oculos meos quotidie versantur, vulnus pridem acceptum coire non patiuntur. Ille nobis Arabicam Grammaticam brevi daturus fuit, ex multis Magistris improbo labore collectam. Ille in Medicinæ studiis ea fuit præstiturus, quæ omnes mirarentur. Quid faceret vir, qui adolescens eò pervenerat? Modestia verò doctissimi juvenis & respectus omnium, qui de literis essent bene meriti, fidem omnem superat. Te certè ita suspiciebat, ut sine stupore de tua in literis præstantia nunquam loqueretur. Itaque cupidissimus scribendi ad te, nunquam est ausus; cùm diceret, nendum eò eruditionis accessisse, ut deberet te interpellare. Inveni inter ejus chartas paucas omnino, quæ possint esse usui; quasdam tamen offendi γραμματικῆς τέχνης σημειώσεις verius quàm præcepta, excerptas ab eo, cùm Arabum Grammaticorum libros legeret. Ego constitui, volente Deo Opt. Max. & faciente, primo vere te invisere, & tecum omnia communicare, quæ futura sint alicui usui. Illud scio, & Caphiam & Giarrum jam potuisse ab illo edi, 1604.
cum non pœnitendis notis & versione Latina: nisi maluisset quicquid apud alios legerat, in unum corpus colligere, & digesta omnia simul edere. Sed studiorum ejus mira quædam fuit ratio; nam quæ inter legendum observabat, solitus in minutissimis schedis annotare; atque illa diu circumferre, deinde in cistam conjicere, atque inter sarcinas suas servare. Nos autem studio transmittendæ ejus memoriæ ad posteros, utilia ab inutilibus selegimus, & cùm tui videndi desiderium ferre diutius non possimus, cùm isthuc veniemus, consulemus oraculum tuum, num quæ possit iniri ratio, ut aliquod lucubrationum eruditissimi juvenis extet in publicum monumentum. Quare si nos servassit ὁ ἐπὶ πᾶσι, & cœptis faverit, ἅμ' ἦρι φαινομένῳ me exspecta. Quod si de profectione amplissimi Legati Buzenvallii aliquid rescissem, fortasse, quod mente paro adhuc iter, jam esset confectum. Sed venisse illum Lutetiam non antè scivi, quàm reditum ad vos iniisset, quod eò molestius fuit, quia simul erepta mihi facultas, exemplaria Dionis isthuc mittendi. Est in urbe Bibliopola quidam Beis, cui dederam id negotium ante mensem; atque ille se curaturum receperat, ut brevi & tu, & Heinsius dicata vobis exemplaria reciperetis. Hæc quoque spes decollavit; nam Beis, quia Morellus lentior erat me absente in tradendis libris, re infectâ Francofurdum abiit. Id cùm rescivissem, egi cum Drovardo, quando eòdem se accingeret, ut vestrati Typographo vel duo, si posset, vel unum saltem traderet tibi reddendum. Exspecto quid factum sit, ut aliâ viâ prospiciam, si & ille, quod vix futurum puto, fidem fregerit. Velim clarissimus Heinsius hæc ex te cognoscat. Accepi ex iis, qui Buzenvallium convenerant, libellum esse à te editum contra Serrarium. Opto ita sit, & ut brevi cùm illam lucubrationem tuam, tùm etiam Eusebium tuum videamus. Vale, illustrissime Scaliger, & ad nos scribe. Scripsi raptim, cùm Lutetiam casu venissem, *a. d.* III. *Eid. Septemb.* CIƆ IƆ CIV.

Epistola CCCCXIV.

FOPPIO AB AITSEMA.

Literas tuas, eruditissime Foppi, futuras per se gratas, reddidit mihi 1604.
gratissimas adjectum carmen, quod in Hadriani Guilielmi, Flessingensis; juvenis multis nominibus, dum viveret, mihi

1604. mihi chariſſimi, obitum immaturum ſcripſiſti. Nemo illum nôrat, quin iis laudibus fateatur digniſſimum, quibus eſt à te ornatus. Ego, quem ille heic unicum, ac propè ſolum teſtem habuit pulcherrimorum inceptorum, ad quæ dies noctesque ſe ſtrenuè comparabat, triſtiſſimo hoc caſu in tantum doleo, in quantum virtutem amo; & ſtudia literarum, quibus nihil mihi charius, induſtriâ felicium ingeniorum cupio promoveri. Quæ Belgicæ veſtræ propria quoddammodo videtur eſſe virtus, morum ſimplicitas, ea ſic in Hadriano excelluit, ut verè poſſim affirmare, neminem eo probiorem, aut magis ἄπλαστον καὶ ἄτυφον mihi fuiſſe unquam notum. Eruditio vero ſupra annos planè ſtupenda. Omitto Græcæ Latinæque linguæ ſummam peritiam, & omnium honeſtarum artium, quæ liberaliter, & quidem Lugduni Batavorum educatum doceant. At in rerum naturæ univerſæ & τῆς ἰατρικῆς ὕλης cognitione quos & quantos, Deus bone! fecerat progreſſus? Hoc tantùm dicam, Medicis excellentibus, qui præſtantiam ipſius in hoc genere animadvertebant, fuiſſe miraculo. Nos verò nihil impenſius in eo mirabamur, quàm literarum Arabicarum notitiam. Paucis enim annis ſtudio, labore ac diligentiâ eò jam pervenerat, quò vix tota Europa quemquam adhuc perveniſſe, ſi unum aut alterum excipias, notum habemus. En, mi Foppi, qualem quantumque juvenem Reſpublica literarum amiſit! Nam qui in ipſo adoleſcentiæ flore adhuc erat, & omnia, quæ diximus, fuerat conſecutus, quid cenſes facturum fuiſſe, ſi eum πρόωρος θάνατος non rapuiſſet? Lugenda ſanè publica ſors literarum, quæ in uno hoc capite tantam fecit jacturam. Ipſe verò non lugendus, ſed beatus potius prædicandus; qui onere τοῦ χοϊκοῦ φυλάκου maturè liberatus, caducam & malis obnoxiam vitam meliore mutavit. Sed redeo ad carmen tuum, mi Foppi, tibique etiam eo nomine gratias ago, quod exemplo tuo popularibus tuis, nobiliſſimi ingenii juvenibus, καὶ γονιμωτάτοις ποιηταῖς, præiviſti ad celebrandam poſteriſque tradendam Hadriani memoriam; quo nihil poteſt mihi gratius accidere. Vale, Vir doctiſſime, & quod ſupra omnia eſt, ἰυσεβέστατε. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d. v. Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CIV.

EPISTOLA CCCCXV.

DANIELI HEINSIO.

NOn dubitarem mirari te, quòd promiſſum pridem exemplar Dionis nondum acceperis, niſi confiderem, eas literas, quas ſuper ea re ſcripſi ad illuſtriſſimum Scaligerum, & acceptas ab illo, & tibi fuiſſe oſtenſas. Ex iis didiciſti, nullâ meâ culpâ accidiſſe, ut duæ occaſiones libros iſthuc mittendi, quæ ſolæ hactenus poſt abſolutam ejus Authoris editionem ſe obtulerunt, prætermitterentur. Una illarum fuit, cùm ad vos rediret ampliſſimus Buzenvallius; de cujus adventu in urbem, aut abitu tunc demum factus ſum certior, cùm ille propior vobis quàm nobis erat. Altera fuit, cùm Beis, Bibliopola Pariſienſis, φορτία βιβλίων quædam iſthuc mitteret. Ego verò ne ea occaſio mihi elaberetur, ſatis caviſſe videbar; cùm Morellum διαφερόντως juſſiſſem duo exemplaria ipſi tradere; quæ ſe ab illo exacturum, ille ipſe Beis ſanctè promiſerat. Uter eorum officio defuerit, neſcio. Ego faciam, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, ubi primùm data erit facultas, memorem me facto, non verbis tibi probem. Sed oro te per omnes Muſas, quid ſibi vult hoc tam diuturnum ſilentium tuum & magni Heroïs noſtri? Quinas minimùm ad te, ſeptenas aut eo plures ad eum literas dedi, ad quas reſponſum tuli nullum; & fuere bene longæ quædam illarum, quædam triſtiſſimi argumenti, quibus ſignificabam vobis Hadriani mei obitum; Hadriani, inquam, Fleſſingenſis adoleſcentis, quo nullum alium meliorem, aut majoris ſpei ſol videbat. Itaque ejus deſiderium amore literarum ferre non poſſem; niſi illud cogitarem, ὅτι Θεοῦ ἐτελείετο βουλή· item illud, ὃν Θεὸς φιλεῖ, ἀποθνήσκει νέος· hanc unam eſſe cauſam πρόωρου καὶ ἀώρου illius abitûs πεπληροφόρημαι. Ille te inter præcipua hujus ætatis lumina ſuſpiciebat; & tuo magiſterio in literis Græcis gloriabatur. Tu illum ne pro populari quidem tuo videris agnoſcere, qui ad frequentes adeò epiſtolas meas, luctûs mei teſtes, ne verbum ἀντιπιστέλλειν tot menſium ſpatio ſuſtinueris. An tu ad nos cogitas? & pro literis ſpectandum fruendum dare cogitas? Ita nuper Scel. * Phryſius, eruditiſſimus adoleſcens, cùm à te veniret, affirmabat. O illum diem ſuavem mihi ac jucundum, cùm ego te amplectar, ac vel in medio foro ſuaviabor. Veni igitur, mi Heinſi, neque dubita, etiam in media hac barbaria reperturum te paucos quidem, ſed tamen

* Foppius Scelto. Colomeſ.

1604. men reperturum, quibus tua commoda futura sint curæ; cui rei scito jam abundè esse à me prospectum. Quare aliud cura, neque de hoc sis sollicitus. Ego, si Deus faverit cœptis, primo vere ad magnum Heroëm sum excursurus. Persius seriò jam excuditur. Miraberis λογοδιάῤῥοιαν hominis fortasse τὸ πρὶν οὐ μάλα ἀκριτομύθου. Vale, & me ama. Vassanos fratres tibi cupio esse commendatos. Iterum vale, & aut rescribe, aut veni. *Lutetiæ Parisiorum, Non. Octob.* CIↃ IↃ CIV.

Epistola CCCCXVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

1604. Audi rem novam, illustrissime Vir, & assem para. Qui hactenus propter constantiam in purioris Religionis professione τοῖς ἐξ ἐναντίας, si quis alius, fui exosus, nunc Loyolitis ita charus sum, ut nihil supra. Sive nos urbs habeat, sive rus concedimus, non effugimus, quin sit nobis cum illis versandum, colloquendum. Nuper venit ad me Gonterius cum nescio quot Episcopis: postridie cùm in libris totus essem, ecce tibi Frontonem Ducæum. Deinde cùm ex negotio in urbem venissem, quin dies totos cum illis contererem, vitare non potui. Hæc quò spectent, non est quod exponam tibi pluribus. Fronto verò sanctè affirmabat post prima statim salutationis verba, se jussum à Rege id conari & urgere; hoc enim valde se cupere. Ego illis hoc unum respondi, φιλαλήθειαν ἀσκῆσαι ἡμᾶς semper. Veris argumentis locum daturos lubentissimo animo: gratiâ verò Principis, aut pollicitationibus nihil quicquam moveri: mirari tamen, cùm de animo nostro omnibus constet, quid esset cur toties sollicitatam constantiam nostram is vellet, à quo mittebantur. Hæc res quem exitum sit habitura, nescio: suspicor tamen haud temerè ista tentari, videturque is futurus eventus, ut alius Mæcenas nobis brevi sit quærendus, quod quidem cœlesti Providentiæ μέλοι τὶ καὶ μελήσει. A Frontone didici, Eusebium Burdigalensem ad finem esse perductum, & eis dies paucos in urbe futurum. Puto eum virum tibi vel de facie notum esse, vel è scriptis. Utinam hoc ingenio essent ejus Ordinis cæteri omnes! nam vir optimus præter editionem veterum Patrum Græcorum aliud nihil videtur curare. Utinam perficiendi, quod cupio, det facultatem ὁ ἐπὶ πᾶσι. Videro te brevi, & præsentem fuero veneratus: tum de multis tecum agam melius, quàm nunc possum per 1604.
literas. Dionem *, quem Francofordo jussi ad te mitti κατὰ δεύτερον πλοῦν, quia hinc non potuerat, confido te accepisse. Ego tuarum desiderio ἰλλὸς γεγένημαι, dum semper aliquem exspecto, qui earum fasciculos diu detentos (sic enim mihi persuadeo) tandem reddat. Vale, illustrissime Vir. *Lutetiæ Parisiorum, Non. Octob.* CIↃ IↃ CIV.

* Chrysostomum.

Literas, quas adjeci, commendo tibi. A. Bibran, Eques Silesius, isthuc aut venit, aut venturus est brevi: oro te, meas ad illum cures. Ego Deum venerabor, ut te servet.

Epistola CCCCXVII.

JACOBO DAVY PERRONIO, Cardinali.

Libros remitto tibi, illustrissime Cardinalis, quos nudius tertius commodasti; eoque nomine gratias ago gratissimas. Optarem, eo cimelio diutius frui posse; neque dubitarem, ξὺν θεῷ εἰπεῖν, fore non inutilem Reipublicæ literariæ, quam ibi ponerem, operam. Nunc pauculis horis, idque raptim inter negotiorum strepitus, ex Arabica Epistolarum Divi Pauli interpretatione quædam descripsi: nonnulla item cum editis Romæ Arabicis Euangeliis contuli. Ægyptiacæ verò linguæ miram observamus rationem: sic enim è Græca & vetere Ægyptiorum est conflata, ut puris putis vocabulis Græcis multa sint mixta, quæ neque Ἑλληνισμὸν sapiunt, neque ullam omnino earum linguarum, quæ sunt ab Hebræa derivatæ. Omnes Græcorum characteres in ea deprehendimus, & alios insuper quàm plurimos; ut necesse sit, illius linguæ τὰ στοιχεῖα esse oppidò multa. Equidem ædes Crassi, aut Licinii campos non meream, ut tantum thesaurum non tractarem, quamvis modico tempore. Sed tuum istud beneficium, illustrissime Cardinalis, prope nobis reddunt invisum rumusculi à tuis, ut audio, & aliis nonnullis dissipati. Viderint illi, qui tale nihil cogitantem, & studia longè diversissima omni contentione animi urgentem, φιλίας πρόφασιν interpellarunt, quàm sit professioni ipsorum ea jactatio & κομπασμὸς conveniens. Ego, qui vigilias omnes meas amori veritatis in quocunque genere literarum semper impendi, non λογομαχίαις πρὸς ἐπίδειξιν comparatis, re jam experior, quod apud gravissimum virum Gregorium Nazianzenum sæpe legeram; vix ac ne vix quidem hujusmodi συζητήσεων ullum unquam extitisse fructum. Mihi per-

1604. persuasissimum est, eam demum esse pietatem Christianam, quæ ἐντάλματα ἀνθρώπων insuper habens, ἀμεταπλάτως doctrinæ adhæret Divinâ Scripturâ contentæ. *Hæc una est*, *quæ doctrinæ regulam figit*, ut alicubi ait Augustinus; & *illa Ecclesia vera*, *quæ non est egressa de finibus suis*, id est, de Scripturis Sanctis, ut ait disertè Hieronymus. Porro autem ὁ βεβαιῶν ἡμᾶς Spiritûs Sancti efficacia, docente Paulo, Deus est ipse. Quæ enim adversus hanc ἐν Θεῷ πεποίθησιν disputari audivi, nuce cassâ viliora judico, quoties vel ad divina promissa, vel ad fidem antiquam oculos mentis refero. Hanc nostram πληροφορίαν si quis est qui labefactare cupiat, age, quod sæpe nuper dixi, rationes suas scripto complectatur: nos, freti virtute Dei, parati sumus ostendere, frustra antiquitatem ab illis jactari, qui Sacræ Scripturæ miris modis, ut quidem videtur nobis, detrahentes, vetustatis authoritatem pro ratione obtendunt. Nuper, non sponte quidem meâ, quod tute scis; neque enim eâ fine veneram, sed impulsu tuo quædam proposui οἱονεὶ γεύματος χάριν, quæ viderentur esse τοῦ πονηροῦ κόμματος. Idem nunc quoque affirmo; & doctrinam de sacra Eucharistia vestram cum aurea Veterum simplicitate pugnare, non disputandi gratiâ, quod semper sum aversatus; sed quia sic credo, πάλιν αὖ καὶ πάλιν confirmo. B. Augustini, & Theodoreti loca, quæ mihi nuper in mentem fortè venerant, & de quibus singulari subtilitate multa sunt à te disputata, ut amplius de iis cogitandum pro meorum morum candore dicerem, non temerè, neque contra Auctorum mentem à nostris laudari, eorum rationibus æquâ lance expensis, patebit. Jam de Imaginibus, & hodierno earum cultu, quid in me nuper receperim, quantumvis obstrepentibus cunctis, scio, meministi; non recusare me, quin ex Historia Ecclesiæ luce meridianâ probarem clarius, prodigio videri posse simile, quod quidam patrocinio veterum Orthodoxorum illas tueri sustinent. Dei hominumque fidem! hoccine est veritatem propugnare, an quod Philosophi ajunt, δουλεύειν τῇ ὑποθέσει· nam quæ in eam rem nuper afferebantur, solerter esse excogitata non negamus; cum Dei verbo, & quod toties assertum est, cum antiquæ Ecclesiæ usu convenire, hoc vero præcisè negamus. Quod non eapropter dicimus, ut tuum à nobis animum alienemus; magni enim facimus, pro eo ac debemus, amorem tuum: sed ut verissimum esse cognoscas, quod sæpe διεμαρτυράμην, unicam esse flectendi nos, atque aliò traducendi rationem, si Ecclesiæ, cui sum innutritus, doctrina αὐτοπίστῳ Dei Verbo & primævæ Ecclesiæ consensui, ad capita fidei quod attinet, probetur esse contraria: de quo cùm nullum unquam dubium animum mihi incesserit; cùmque ad alia omnia præclusas aureis nos habere, cunctis, qui me non ignorant, confidam esse notissimum; quid est, quod in eam spem quenquam mortalium adduxerit, quasi abduci ab accepta fide possemus? Illud equidem assiduis à Deo Opt. Max. precibus postulo, flagitoque, ut mentis meæ tenebras velit non ψευδοφαεῖ luce illustrari, sed verâ; hoc est, illâ, quam in Verbo ipsius lucere, tota vetus Ecclesia unâ voce pronunciat. Eò si quis ducem mihi se profiteri gestiat, maximam, testor τὸν καρδιογνώστην Deum, iniverit à me gratiam; præeat modò rectè, & itineri illi insistat, quod Sanctos Patres, quorum nomina vereor, esse ingressos, trivisseque, certissimum apud me est. Cæterùm, si quis me nonnullorum hominum similem arbitratur, ὧν νόος ἀκρόπλοος καὶ ἀβέβαιος καθέστηκε, neque ille me novit, & ego ejus amicitiam, liberè loquar, nihil moror. Quid multa? nemo, opinor, est, quin sciat quæ studia profiteamur, quarumve literarum notitiâ Regi Christianissimo innotuerimus. De his qui voluerit cumque mecum agere, gratissimus semper fuerit; nam neque ad discendum ullam ducimus ætatem seram, & ad docendum nulla potest cuiquam propensior esse voluntas, quàm mihi. Sed moror te. Unum illud adjiciam, teque per eam benevolentiam, quam ultrò (quæ est tua humanitas) & detulisti, & præstitisti mihi, obtestabor, ut scriptionem hanc æqui bonique consulas. Ego Dominum Jesum toto pectoris affectu veneror, ut quas in te collocavit ingenii dotes excellentissimas, eas ad conciliandam Ecclesiæ ipsius pacem constanter referas. Vale, illustrissime Cardinalis, & me, quod facis, ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* III. *Id. Octob.* CIↃ IↃ CIV. 1604.

EPISTOLA CCCCXVIII.

FOPPIO AB AITSEMA.

Occupatissimus eram, cùm tuas accepi; dictabam enim aliquid, quod jam ad Typographum erat deferendum. Sed nulla unquam fuerit occupatio tanta, quæ me à tuo colloquio avertat. Jucundissimæ igitur mihi fuerunt literæ tuæ. Atque utinam propius abessemus; 1604.

effu-

1604. effudissem in sinum tuum dolorem meum propter scelerata mendacia profligati pudoris hominum, qui astu me adorti sunt, ut facilitate ac modestiâ meâ abuterentur in detrimentum veritatis. Ego stultissimus & inconsultissimus fui, qui aliquid candoris putavi in illorum animis posse reperiri. Obstupui cùm mihi eorum sermones referrentur; neque silui: sed statim ad Cardinalem Perronium epistolam scripsi, cujus exemplum cupio dare, cùm primùm te videbo. Spero non ingratum fore. Hoc tibi erit ἀντίδωρον pro tuis elegantissimis versibus, quos legi magna cum voluptate inter has molestias. Eorum, quæ mihi de consilio tuo dixisti, meminero. Et forrasse tibi mihique simul prospiciam. Sed quoniam ex aliorum deliberatione res pendet, nihil addam de ea re amplius, nisi quod tibi persuasum velim, ardere me cupiditate eò veniendi & migrandi, ubi liberum erit putidissimis otiosorum hominum commentis respondere. De puero nihil adhuc constituimus; neque puto tuæ peregrinationis tempus adeò esse propinquum. Vale, & me ama. *Madriti, pridie Eid. Octob.* CIↃ IↃ CIV.

Epistola CCCCXIX.

A Monsieur DU PLESSIS.

Monsieur,

1604. *Par vos dernieres, que je receus il y a quelques mois, vous me semondés à vous escrire, en quoy j'employe le loisir que la bonté de Dieu me donne pour estudier. A quoy n'ayant eu loisir de vous respondre jusques à present, j'ay pris ceste occasion pour escrire cette-cy, & vous dire que je repute à beaucoup d'honneur que desiriés sçavoir, quelles sont mes occupations: mais je suis bien marri, que je ne vous puis par ma response donner le contentement, que peut-estre attendés. Car si je vous parle des Escrits que puis avoir faits dés que je suis icy, ou imprimés, ou à imprimer, je ne respondray, comme je croy, à ce que desiriés de moy. Aussi certes ne fais-je conte du temps, que je mets à tels subjets, sinon pour le regretter, estimant que je pourrois le mieux employer, pour le moins avec plus de contentement pour moy, qui plus je vais en aage, tant moins prens de plaisir à la curieuse recherche des choses, qui ne concernent le salut de mon ame. Et toutesfois telle est ma condition, qu'il me faut necessairement y mettre la pluspart de mes estudes, pour tesmoigner au Maistre que je sers, que je ne vis du tout inutile; & aussi pour satisfaire à la cupidité de ceux, qui m'importunent tous les jours de mettre quelque chose en lumiere. J'ay donc fait imprimer il y a quelque temps, tous les Autheurs qui suivent Suetone, avec asses amples Annotations; lesquels si n'avés encore veu, je vous envoyeray par la voye que m'adresserés. Morel aussi imprimant Dion Chrysostome, j'y ay adjousté* Diatribam in Dionem; *Ouvrage leger, & fait en moins de jours, qu'il ne contient de fueilles. Je fais maintenant imprimer un ample Commentaire sur Perse, qui sont des leçons qu'ay fait à Geneve, il y a passé dix ou douze ans. Et ainsi voyés, Monsieur, comme je reviens à ma jeunesse, lors que je suis avant en l'aage. Si tost qu'il sera fait, je le vous feray voir, si tant est que daigniés le voir en passant, pour la nouveauté des interpretations de ce difficile Poëte. Je suis sur le point de faire un Polybe, Grec-Latin. Mais je ne puis gagner sur moy cela, que* docere alios malim scribendo, quàm ipsum me erudire legendo. *Et outre l'aage, les assauts que je soustiens en ce lieu tous les jours pour ma Religion, me font juger tout temps perdu que je n'employe à des meilleurs estudes. Joint que l'obstination de nos adversaires & ingenieuses inventions à soustenir leur fausse & abominable doctrine, doit inciter une ame Chrestienne à apporter à la defense de la verité autant de zele, que ces gens icy en apportent à deffendre leurs puans mensonges. Que pleust à Dieu que nos Eglises eussent ou la volonté, ou le moyen de dresser en quelque lieu une Academie consacrée à la gloire de Dieu, & y voulussent retirer ceux qui desireroyent y servir. Certes si j'estois jugé capable de pouvoir apporter quelque pierre à ce bastiment, je me resoudrois de finir mes jours hors des tentes de Cedar. Mais si le Seigneur veut disposer de moy autrement, il est bien raisonnable de le laisser conduire, & vouloir tout ce qu'il luy plaira ordonner de nous. Je ne sçay si quelques faux bruits que nos adversaires ont feint de moy depuis peu, sont parvenus jusques à vous. C'est merveille de l'industrie de ces gens à procurer l'avancement de leur parti. Je ne veux vous amuser des merveilleux artifices, qui ont esté pratiqués envers moy depuis que suis en ce pais; mais je puis dire en bonne conscience, & comme Dieu l'oyant, que j'ay tousjours fuy telles compagnies, non pour peur d'estre seduit par eux; mais pour crainte de scandale. Que si je me suis trouvé entr'eux, je leur ay tesmoigné avec toute franchise, que j'abominois leur doctrine, contraire à la Parole de Dieu. Et quant aux*

1604. *aux grandes promesses qui n'ont jamais manqué, Dieu sçait que je n'ay permis entant que possible m'a esté, que mes oreilles en fussent polluées. Et quand on s'est addressé à ma femme, ce qui a plusieurs fois esté fait, ses oreilles n'ont esté plus ouvertes, que les miennes: de quoy je louë le Seigneur, lequel je supplie vous combler & toute vôtre maison de ses saintes graces. Tenés moy, s'il vous plaist,*

MONSIEUR,

Vostre très-humble & affectionné Serviteur,

IS. CASAUBON.

A Paris, ce 25. d'Octobre 1604.

EPISTOLA CCCCXX.

N. N. *

1604. NUper cùm ad te scripsi, etsi raptim atque inter colloquia variis amicis scribebam; tamen si tanti fecissem συζητήσεις, quas nôsti, quanti æstimatas esse ab aliis cognovi; non commisissem, ut ex aliorum sermonibus potius quàm ex literis meis aut ore etiam, quæ gesta fuerant, intelligeres. Sed ridiculum mihi videbatur, sermones ἐπιτραπεζίους inter res serias ponere; nam seriò quidem nihil actum esse, vel tu mihi testis es, qui intimorum animi nostri recessuum conscius, satis exploratum habes, si quis mihi in fidei rebus esset obortus scrupulus, non ad eos magistros fuisse me aditurum, quorum fides optimo cuique suspecta, & τοῦ ἐπιδακεῖν cupiditas notissima. Sed accidit nescio quo modo, ut ii, quos nôsti, dum meum de suo, fortasse veteris mei amici, Legati Venetensis †, ingenio metiuntur, in animum inducerent, vanis rationum coloribus & magnis pollicitationibus dimoveri nos facilè posse. Hinc illæ φιλικαὶ κλήσεις, & exquisitæ inventiunculæ, ut penè quotidie unà essemus. Quod equidem initio benè interpretabar, & Frontonis maximè caussâ non invitus συμπεριφερόμενον. Dissertationes de rebus ad Religionem spectantibus non aliter accipiebam, quàm ut è re natas, & nullo consilio certo institutas. Atqui falsum me fuisse, & ex compacto esse omnia illa gesta, atque, ut illi volunt videri, illius jussu τῷ τὸ κράτος ἐστὶ μέγιστον, exitus palam fecit. Nam cùm nuper à Cardinali Perronio ad prandium vocatus fuissem, & inter epulas de iis rebus velitatio esset instituta ab illo; [qui à quatuor aut quinque annis verbum nullum de Religione mihi fecerat; ut facilè intelligerem, aliorum, qui aderant, impulsu rem agi, & meæ simplicitati structas esse insidias,] vehemens fuit inter nos contentio: eò mihi molestior, quòd coronam corrogatorum eò hominum ignaram occasionis, quæ me eò detulisset, suspicabar credituram me illorum esse similem, qui certi mutare fidem, prætextum ex hujusmodi disputationibus quærunt, atque hoc prætexunt nomine culpam. Non fui augur vanus; nam simul ac pedem inde extuli, didita per urbem fama est, quasi omnia essent profligata, omnia debellata; alius me victum affirmare; alii, dedisse manus asserere, & statim alium futurum. Cùm hæc ad me referrentur, principio ridebam; nam profectò risu res erat digna: posteà verò cùm silentio meo existimationem meam prodi viderem, faciendum duxi, ut de ea re cum C. P. * expostularem. Scripsi igitur ad illum triduo post eas literas, quas tibi mitto. Cæterùm oro te, amplissime Vir, de ea re nemini potius credas quàm mihi, qui proximâ congressione omnia verissimè tibi narrabo. Quod si vel ille, ad quem scripsi, vel quiquis alius scripto nos provocaverit, rebus relictis conabimur, atque adeò, favente Numine, efficiemus, ut quantum intersit inter veram antiquitatem, & adulterinam ac spuriam, non ignorare nos, æqui homines cognoscant. Vale, Vir amplissime. *Madriti, a. d.* XIV. *Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CIV.

* *Ex hujus, & sequentium epistolarum non indiligenti lectione, conjicimus, N. N. esse Paulum Petavium, Senatorem Parisiensem. Perpendant sagaciores.* Colomes.

† *Philippi Canaii à Fraxinis.*

* *Cardinali Peronio.* Colomes.

EPISTOLA CCCCXXI.

DANIELI HEINSIO.

QUòd Dionis dudum promissum exemplar nondum acceperis, caussam ex iis confido tibi esse notam, amicissime Heinsi, quas nuper ad te scripsi: binis enim literis, ex quo facultas mihi est adempta, cui fidebam, de ea re tecum egi. Nunc autem Beis, Bibliopola nostrâs, jubet me sperare, brevi operâ suâ me, quod cupio, consecuturum. Quartus hic mensis est, cùm nullas ab illustrissimo Scaligero literas accepi; penè quintus, cùm nullas à te. Ego intereà non cesso meis vobis esse molestus. Sed movet me leviter hoc tam diuturnum silentium vestrum; cujus caussam gestio ex tuis cognoscere: simul illud, an meæ vobis fuerint redditæ: liquidò enim jurare possum, eo spatio temporis octies ad Scaligerum τὸν πάνυ scripsisse me, nec multò rarius ad te. De nostris rebus, quæ satis turbulentæ 1604.

 erant,

1604. erant, cùm ista exarabam, si lubet, ex eo cognosces, qui tibi tradidit. Proximè cùm ad vos scriberem, epistolam adjeci ad A. Bibranum, Equitem Silesium, quem sciebam isthuc iturum. Velim illi reddendas cures, quas jam mitto. Vale, & me ama. *Madriti, a. d.* XIII. *Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CIV.

EPISTOLA CCCCXXII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1604. INlustrissime Vir, etsi pridem nihil à te literarum accepi, ipse autem scripsi ad te penè singulis septimanis; erat tamen etiam nunc, quod ad te scriberem, & quidem magna de re, si per inopinatum tabellarii discessum liceret. Tantùm igitur te obsecrabo, significes mihi, measne acceperis, quas ad te scripsi diversis de argumentis à quinque mensibus diversas, & frequentes admodum. Multum tibi debebo, si, quas mearum acceperis, per te cognovero. Vale, & me ama. *Madriti, a. d.* XIII. *Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CIV.

EPISTOLA CCCCXXIII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1604. AMplissime Præses, mitto tibi Rittershusii librum, quem ab eo accepi, ut illum tibi ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα traderem; quod lubens fecissem, nisi longius abesses. Puto laudaturum te candorem hominis eruditi, qui cum universa gente sua virtutem doctrinamque tuam suspicit. Scio neque vino generoso opus esse hedera, neque viris gravibus τοὺς εἰκαίους καὶ χυδαίους ἐπαίνους probari; sed condonandum aliquid moribus nationis illius; cujus vitia si cum nostris conferamus, vereor ne levia admodum videri queant. Quæ de nova Epistolarum Isidori Pelusiotæ editione idem ad me scripsit, cùm unà erimus, ex me intelliges. Mihi tandem inventum hospitium; illud quidem angustum, & non nimis commodum; sed in quo tamen ego atque uxor, hoc præsertim rerum statu, acquiescimus. Dominus ædium est Senator Gallus, sive Coq, qui vastissimam domum sibi nuper ædificavit, & angulum quendam à reliquo corpore separavit, quod mercede locaret. Τὸ ἐνοίκιον est aureorum centum; non ulla contractui lex apposita, quam jure aliquis καλὸς καὶ ἀγαθὸς gravetur; sicut in illa fiebat, cujus caussâ tantum laboravit amicissimus noster Rigaltius. Nunc illud superest, ut per eos, qui me nimium amant, liceat mihi otio illo heic frui, quod Dei benignitas & Regis liberalitas mihi hactenus concesserunt. Vale, Præses amplissime. *Lutetiæ Parisiorum, propridie Kal. Nov.* CIↃ IↃ CIV. 1604.

EPISTOLA CCCCXXIV.

EIDEM.

AMplissime Domine, dolui nuper cùm te non inveni domi tuæ. Cupiebam enim tibi narrare de munere quodam, & datum & acceptum esse. Ausus sum appellare nobilissimam Dominam τὴν σὴν δέσποιναν, ut Veteres dicebant, & illam orare, ut referret tibi quod fui dicturus. Adjeci consilium, si modò tenuitatis meæ est prudentiæ tuæ consilia suggerere. Proximè cùm tuo conspectu fruar, referam tibi διεξοδικῶς τὰ περὶ τῶν ἐμῶν ἄθλων, quorum vereor ne is sit exitus, ut qui nunc mei sunt amantissimi, (volunt certè videri) mox animum mutent. Sed hæc melius coram. Nunc hæc ad te scribo, ut si quid potes optimi viri, à quo has accepisti, caussam juvare, auctoritate tuâ eum protegas. Omnino videtur rationi consentaneum, ut de ejus negotio non aliud quàm de Bibliotheca statuatur. Verùm metuo, ne hæc ad te, sit γλαῦκα εἰς Ἀθήνας. Si auctor es eundi Fontainebleuam, possum nullo meo incommodo cum Mercerio nostro ire, & salve Regi dicere, quem ab octo mensibus non vidi. Vale, Vir amplissime, cum Domina τῇ σῇ κυρίᾳ, & amicissimo Rigaltio. 1604.

EPISTOLA CCCCXXV.

CLAUDIO SALMASIO.

VIm amoris erga nos tui, eruditissime Salmasi, abundè cùm aliàs declarasti mihi, tùm vel maximè epistolâ illâ, quam ante paucos dies abs te accepi. Nam quas mihi laudes tribuis, nimis sim Suffenus ipse mihi ac βάκηλος, nisi quo ex fonte manent, agnoscam. Ego verò agnosco probè, & in te verum experior, quod dulcissimus Philosophorum dicebat, τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον cæcutire. Opto tibi, non ut minus nos ames, ὃ μὴ γένοιτο, οὐδ' ἔσται· sed ut brevi ad eruditionis id culmen pervenias, unde rudes conatus nostros liceat tibi rectè æstimare. Fallor, aut pretium illis non aliud pones, quàm quod ipsi facimus, qui egregiæ voluntatis nobis conscii, illud tamen non ignora- 1604.

1604. noramus, quantum inceptis nostris frigidus obstiterit circum præcordia sanguis. Sed hæc mitto. Tria ex me quæris, de quibus quæ nostra sit sententia, accipe. Locus Sulpitiæ Poëtriæ obscurus est; ut ferè sunt omnia μοναδικὰ dicta, ad quorum illustrationem nihil possis ex aliis Scriptoribus mutuari. Omnino ejusmodi est hic versus de Imperatore Domitiano per contumeliam factus: (vers. 36.)

Non trabe, sed tergo prolapsus, & ingluvie albus.

Apparet παροιμιῶδες dictum; sed cui simile alibi nihil memini legere. De eo igitur sic videtur nobis: alludit ad Græcorum proverbium: οὐκ ἀπὸ δοκοῦ ἔπεσεν, ἀλλ' ἀπὸ νοῦ, vel ἀπ' ὄνου· nam utroque modo urbani homines efferebant. Vis tota adagionis est in verbo πίπτειν· quod cùm propriè corpori conveniat, venustè ad animum transfertur, & de eo dicitur, quem rectâ ratione excidisse volumus videri. Simile est apud nos, quod de malè sano dicimus, mentem illi eversam aut subversam: ratio enim in summo capite, & cerebro collocatur: hac qui carent, jure dicitur istis excidisse ratio. Gregorius Nyssenus de vita Mosis: εἰ δὲ ἀποστραφείη τὸ σχῆμα, καὶ τὰ ἄνω γένοιτο κάτω, ὥστε κατὰ τὸ πατούμενον μέρος τὸν λογισμὸν πεσόντα ἄνω ἑαυτοῦ ποιῆσαι τὴν ἐπιθυμητικήν τε καὶ θυμώδη διάθεσιν, τότε ὁ ὀλοθρεύων εἰς τὰ ἐντὸς παραδύεται. Hanc parœmiam alludens Sulpitia venustate, ut mihi videtur, admirabili, dixit Domitianum *non quidem de trabe esse prolapsum, sed de tergo*; quod interpretor, pronum in os cecidisse, & quadrupedum ferarum esse factum similem, instar Nabuchodonosori illius, quem Literæ Sacræ narrant. Quoniam quæ cadunt alicunde, ea necessariò illud, unde ciderunt, supra se relinquunt; non malè usa est poëticâ licentiâ Sulpitia, cùm *tergo prolabi* posuit, pro πρηνῆ κατενεχθῆναι, καὶ τοῖς τετράποσιν ὁμοιωθῆναι· nam brutis quadrupedibus proprium, ut suprema eorum pars sit dorsum, cùm contra homini os sublime Naturæ Parens dederit. Aliter exponere hunc versum nequeo; & de hac interpretatione quid tibi videatur, cupio scire; judicium enim tuum pluris æstimo quàm pro ætate, in qua nunc es. Sequitur Juvenalis locus è Satyra VII. (vers. 86.) *Sed cùm fregit subsellia versu*, &c. ubi rectè judicas de interpretatione magni illius semonis Josephi Scaligeri. Olim ad Domitianum Suetonii * cum ex mente nostra exposuimus, atque expositionem nostram paullò pòst ipse Scaliger in opere magno † confirmavit. Utrumque librum, si lubet, consule; non enim repetemus quæ 1604. ibi scripsimus. Tertium ζητημάτιον erat super altero ejusdem Juvenalis loco è Satyra VI. (vers. 377.) in quo pro *tundendum* alii libri habent *tondendum*. Sententia est spurcissima, & nefandæ obscœnitatis plena, quam tamen in gratiam tuam, cujus caussâ omnia cupio, etsi ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ, pluribus persequerer; nisi animadvertissem, novissimum Interpretem ejus Poëtæ rectè illum versum esse interpretatum, certè quidem ex sententia mea. Ad illum igitur adeas, obsecro te. Vale, ac me ama. *Madriti, a. d.* III. *Non. Novemb.* CIↃ IↃ CIV.

* Cap. 4.

† De Emendatione Temporum, lib. V. pag. 484. Colomes.

EPISTOLA CCCCXXVI.

JOANNI MEURSIO.

ACcepi nunc ipsùm, quas XV. Kalend. Octobris scripsisti ad me, Vir eruditissime. Gaudeo valere te, & in literis αἰὲν ἀριστεύειν, ac nos amare constanter. Oro Deum Opt. Max. det tibi cum ætate majorem in dies & voluntatem, & facultatem literas ornandi, & ipsi serviendi; quod quia video te quoque seriò cogitare, tuaque studia eò te ferre, amo te, mi Meursi, etiam eo nomine θαυμαστὸν ὅσον. Equidem sic à puero sum persuasus, ut omnium laborum, quos studiis impendimus, nullum fructum alium optarem, quàm ut non planè inutilis promovendæ gloriæ Dei viverem. Sed nostra vota genus vitæ incertum, vagum & ἀπροαίρετον, quo hactenus sumus usi, impedit. Quò igitur vivo ipse inutilior, eò vehementius delectari soleo, si quos videam felicioribus auspiciis eandem viam esse ingressos. Cæterùm Meditationes ‡ tuas, diligenter quæsitas, nondum reperi. Videro, sicubi possint adhuc inveniri; sed necdum visus mihi, qui in eas incidisset. Et eum ingenii tui fœtum, & quicquid aliud à te prodibit, exspecto avidissimè. Nos nugas agimus; sic enim vocaverim jure Persianum Commentarium, olim à nobis scriptum, quem nunc edimus; quem, si invenero, cui tutò dem, tibi mittam. Doleo periisse, quas ante menses quatuor aut quinque ad te scripseram: sed illæ non perierunt solæ; nam ab illo tempore decem minimum fasciculos ad illustrissimum Scaligerum misi; qui obstinato silentio suo non mediocriter me angit: neque enim possum adduci, ut credam, è tot numero fasciculis non aliquos saltem fideles tabellarios esse nactos. Fuere in iisdem ad te, ad Scriverium, ad Heinsium, literæ: fuere 1604.

‡ In Psalm. CXVI. & CXIX. edit. 1604.

1604. re item ad alios: sæpe etiam libri fuere adjuncti, quos ab aliis acceperam ipsi mittendos. Unis mearum de obitu mihi tristissimo Hadriani Gulielmi, juvenis Flessingensis, certiorem illum feci: adjeci etiam ad te, ad Heinsium, epistolas, quibus petebam à vobis, ut adolescentem, omni majorem laude, næniis prosequeremini, ἣ θέμις ἐστὶ θανόντας· deinde eadem de re sæpissimè per literas ad eosdem, Scaligerum atque Heinsium, egi, cùm intereà verbum illi nullum. Itaque crucior animi; nam multa erant, de quibus cupiebam ad divinum illum virum scribere: sed ἐπέχω· & si ab illo nequeo, à te certè ut quàm primum literas accipiam, de ipsius valetudine ac statu, vehementissimè exopto; teque per amicitiam nostram oro, ut hac curâ me liberes. Vale. Scripsi raptim, statim à lectione tuarum. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IX. *Novembris*, CIƆ IƆ CIV.

Epistola CCCCXXVII.

PETRO BERTIO.

1604. PEr mihi gratæ fuerunt, eruditissime Berti, quas superioribus diebus à te accepi literas. Sed vellem tanti nos fecisset ille, cui eas tradideras, ut nos convenisset. Cognovissem ex ipso de tuis rebus plura fortasse, quàm ex epistola tua. Mihi autem nihil suavius solet accidere, quàm de iis, quos amo & colo, omnia cognoscere. Non enim dubito, quin hoc otio, quo frueris, utaris sic, ut eâ pietate atque eruditione virum decet. Itaque cupiebam animo præcipere gaudium illud, quod tua nobis afferent, cùm in publicum prodibunt. O fruere, mi Berti, hac felicitate tuâ, & ad gloriam Dei Opt. Max. aliquid pange τοῖς ἐσομένοισι πυθέσθαι. Nos iis in locis sumus, ubi bonis vivimus inutiles; &, quod me pessimè habet, per eos quiescere nobis non licet, qui omnem lapidem movent, quò abducant nos à recta fide. Longum faciam, si narrare tibi incipiam, quibus technis negotium nobis quotidie facessatur. Et tamen ferrem omnia facilè, nisi illud enecaret me, quod de futura apostasia nostra [πρίν μοι χάνοι εὐρεῖα χθών] novos subinde rumores alastores isti fingunt; tantâ quidem confidentiâ, ut, qui me non nôrunt, rem factam putent. Hæc maxima ratio est inter alias nonnullas, quæ me hinc expellent, & aliquem inter ὁμοδόξους locum quærere cogent. Verùm hæc τῷ ἐπὶ πᾶσι μελήσει. Illum dies noctesque veneror, ut veritatis suæ facem isthic, & ubique gentium, velit magis magisque lucere. Vale, amicissime Vir. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XVII. *Kalend. Decemb.* CIƆ IƆ CIV. 1604.

Peto à te significes mihi, quomodo valeant illustrissimus Scaliger & clarissimus Heinsius, quando à multis mensibus denis meis nihil literarum ab ipsis possumus exprimere.

Epistola CCCCXXVIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

ACcepi nudius tertius, illustrissime Vir, quas ante mensem ad me dederas. Perculisti me nuntio molestissimo tot adversorum, quæ te brevi tempore oppresserunt: atque ego supplex Deum veneror, velit ἐνδυναμοῦν σε, ut hæc omnia, & similia his inevitabilia τῆς παλαιπόρου istius vitæ stipendia eo animo feras, ut qui cæteras virtutes tuas stupent, fortitudinem etiam & ἐν δεινοῖς καρτερίαν jure mirentur. Vellem, si per fatorum legem licuisset, quod evenit in fortissimo tuo cognato, ne evenisset; utque ille vivus valensque eâ gloriâ frueretur, quam insitatæ fortitudinis exemplis editis, & toto vitæ suæ curriculo jure optimo erat consecutus. Nunc cùm aliter summo & clementissimo Parenti visum est, faciendum tibi censeo, ut Regem, Prophetam, Davidem illum ὑπέρμεγαν imiteris; cùm præsertim in ea tempora devenerimus, eaque jam parari videamus, ut sors illorum prædicanda videatur, qui maturè impendentibus malis eximuntur, de quibus ne cogitare quidem sine cruciatu animi possumus. De nobilissimo Dousa malè narras: ergone vir præstantissimus in vivis prius esse desiit, quàm ego præsentem præsens potui venerari? Amisisti, scio, antiquæ fidei amicum; eoque etiam nomine gravior mihi hic nuntius accidit. Literas verò vix reparabilem in ejus obitu jacturam fecisse nemo dubitat; erat enim, ut accepimus, Academiæ vestræ fulcrum ac columen eximium. Equidem eò gravius commotus sum isto casu, quòd recens hæc plaga vixdum bene obductam cicatricem refricuit, luctumque renovavit tot maximæ spei filiorum, quos ὁ μακαρίτης Dousa paucis annis amisit. Nam Jani Dousæ filii ne nunc quidem ἀδακρυτὶ queo meminisse; tanta spes fuit, quam de divino ejus ingenio conceperam: nunc verò quid spei supersit de superstitibus ejus fratribus, aveo ex te cognoscere. De meo isthuc itinere, quod das consilium accipio, eoque utar; si quidem dederit ὁ ἐπὶ πᾶσιν, ut quod 1604.

1604. quod constanter cupio, ac spero, etiam possim exequi. De hospitio, quod tua mihi singularis humanitas offert, immortales ago tibi gratias: etsi autem consilium meum est, nemini, nedum tibi, esse oneri; vereor tamen, ne faciliorem me sis in hoc experturus, quàm ut laciniam mihi frangere opus habeas. Verùm de his viderimus; det modò Opt. Max. Deus, quod totâ mente cupio, possim præstare. Ego si te semel amplexus fuero, Regem Regum me putabo. Habebam multa gravia, de quibus te consulerem, sed malo in illud differre tempus, quando unà erimus. Intereà scito, gravissimas esse obortas caussas, cur suspecta mihi & molesta in hac urbe mansio sit facta: tandem enim illud μυστήριον ἐφανερώθη, non amore literarum nos huc esse accersitos; verùm ut de veritate Dei per nos triumpharetur: ὃ μὴ γένοιτο, οὐδ' ἔσται. Intereà Gosselini tristissimo obitu [relictus enim à famulo decrepitus senex ante focum, semiustulatus & vitæ expers postridie est inventus] redit ad nos cura Bibliothecæ. Heic verò fremere multi, δεινὸν εἶναι, καὶ πάνυ δεινόν, εἴ τις ὁ παντομανὴς μέλλει προστῆναι θησαυροῦ τοιούτου· nósti cætera. Exspecto quid Rex jussurus sit; nam ut in aulam proptereà irem, aut omnino manum verterem, nunquam impetrare à me potuerunt amici. Sed moror te. Vale, illustrissime Vir, & Nestoreos annos felix imple. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* x. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CIV.

Eusebius Burdigalensis in dies, in horas exspectatur: acta transacta jam pridem omnia: quod seriò tibi confirmo; etsi nullum, quod sciam, in urbem adhuc est allatum exemplar. Eusebium tuum, & quæ scripsisti * in Serarium Jesuitam, exspectant arrectis auribus omnes boni. Dionem †, credo, habes: Persium mox missurus sum, faciente Deo; opus tyronibus elaboratum, nec dignum oculis tuis, aut cogitatione.

* *Elenchum Trihæresii Serarii, edit. Franeq. 1605. in 8.*

† *Chrysostomum.*

EPISTOLA CCCCXXIX.

DANIELI HEINSIO.

1604. DE Theocrito, quem accepi à te his diebus, agerem tibi, juvenum doctissime, gratias, si me verba non deficerent. Nunquam infantiæ meæ sum mihi magis conscius, quàm cùm ad gratias tibi agendas, quod sæpe mihi faciendum est propter crebra in me beneficia tua, accedo. Sanè si, prout sentio, me tibi obstrictum, & quas animo habeo, verbis agere gratias instituam, librum, non epistolam fecero; 1604.
& tamen ne sic quidem expressero, quanti te faciam, quantumque amore tuo gloriari soleam. Nam quòd nugas nostras in eum Poëtam fecisti tanti, ut cum tuis & magni Scaligeri Notis censueris edendas; fungus sim & lapis, nisi vim amicitiæ tuæ ἐπισκοτοῦσαν τοῖς ὀξυδερκεστάτοις τῆς σῆς διανοίας ὀφθαλμοῖς agnoscerem. Equidem si mihi ipse Suffenus vixissem hactenus, tamen ex comparatione tuorum facilè potui intelligere, quid distent æra lupinis. Dionem quòd nondum acceperis, amabò, ignosce; & mihi accrede, non meâ id factum culpâ, sed illorum, de quibus antè scripsi. Spero Beis, nostratem Bibliopolam, probè isthîc notum, quod à me accepit, exemplar cum fide curaturum. Persius brevi sequetur; jam ex parte editus, & quidem ita prolixus, ut jure optimo vestros doctorum oculos videatur jam horrere: ἀλλὰ τί κεν ῥέξαιμι; ἤδη γὰρ ἔρριπται ὁ κύβος. Tu quid jam pares, scire aveo: etiam illud, nisi grave est, an quas nuper ad clarissimos viros, Bertium & Meursium, scripsi, acceperint ipsi. Scripsi etiam ad Vassanos fratres, quorum miror silentium, etsi scripsisse audio, & Lipsii literas misisse, quas ego nullus vidi: solent enim eorum literæ quarto mense, postquam ab illorum amicis sunt acceptæ, nobis reddi. De epigrammate in Hadrianum olim meum multum te amo. Ego obitu tam chari capitis sic nunc quoque afficior, quasi fuisset hesterno tantùm die elatus. Sed de ejus virtutibus multa brevi, ut spero, opto quidem certè, coram. Deus te servet, maxime Juvenis, & quicunque isthîc cum literis veram pietatem colunt. Hugoni Grotio, adolescenti tibi simillimo, plurimam salutem à me nunties velim. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* x. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CIV.

EPISTOLA CCCCXXX.

NICOLAO VASSANO.

LIteræ, quas ante dies perpaucos à 1604.
te accepi, & mihi & uxori meæ fuerunt permolestæ. Sic enim scribebas, quasi de matris tuæ, fœminæ lectissimæ, valetudine aut nullam, aut oppidò tenuem spem haberes. Illa verò, sive terras adhuc colit, sive cœlo recepta est, beata potius prædicanda, quàm deflenda. Quid enim illi defuit eorum, propter quæ non κολακικῶς, sed verè μακαρίζεσθαι aliquis potest? Sed alias dotes omitto; pietate verò, quæ virtus est omnium virtutum mater, & ut

1604 ut ille ait, μητρόπολις, sic excelluit, ut vel exemplo sufficeret. Quanta enim illius constantia, cùm nullâ re potuit adduci, ut charissimam alioquin patriam repeteret, quòd auditione verbi Dei carere nollet? neque illam tot exempla etiam virorum, & quidem gravissimorum, qui præsentia bona futuris anteposuerunt, movère. Quid dicam de educatione tot liberorum, & studio optimæ fœminæ in eam rem adhibito? Itaque, mi Vassane, habes cur potius tali parente natum te glorieris ἐν τῷ Κυρίῳ, quàm cur lacrymis & lamentis te maceres. Qui eo etiam nomine habes cur Deo gratias agas, quòd te isthuc salvum atque incolumem pervenire eo maximè tempore voluerit, quo pietatis hoc officio posses defungi. Sed quia post tuas literas nihil de ea intellexi, nondum fortasse hujusmodi sermonum est tempus. Deum oro, universam domum vestram ab omni malo protegat, & vobis omnibus benedicat. Vale. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* x. *Kalend. Jan.* CIC IƆ CV.

Epistola CCCCXXXI.

CONRADO RITTERSHUSIO.

1605. PRimùm tibi, pro eo ac debeo, gratias agam, & meo, & magni Thuani nomine, de misso munere mercatu superiore; quæ duo maximi fiunt ab utroque nostrûm. Pietas & eruditio, ea in tuo munere, clarissime Rittershusi, eximia sunt; nihil sanctius argumento: tuis verò carminibus ea χάρις ὀπηδεῖ, is lepos, ut μωμᾶσθαι sit facilius, quàm μιμεῖσθαι. Utinam similibus curis industriam suam occuparent, qui suis de Religione scriptis id videntur agere, ne ulla brevi in animis hominum reliqua sint Religionis vestigia! Nam quò censeas tot πολεμικὰ & virulenta scripta spectare, nisi ut cœlum terræ misceatur, & irritatis omnium animis ad cædes mutuas, si qua adhuc restant pietatis ἐναύσματα, ea penitùs extinguantur? Equidem vates non sum, neque μαντοσύνην me pater, vel mater ἐδίδαξαν· & tamen affirmare tibi omni asseveratione non dubitem, nisi imminentem τρικυμίαν Deus averterit, præsentem rerum statum non posse diuturnum esse. Hoc quærunt, hoc pedibus manibusque agunt, qui hodie apud plerosque Principum possunt plurimum; tum autem nostræ ἀτασθαλίαι τὸν πανέλεον πατέρα ἱκανώτατα παροξύνειν. Itaque laudo consilium tuum, qui piis meditationibus ac studiis plurimùm tribuis. Deum oro, præstet tibi otium καὶ πᾶσαν ῥαστώνην ad id 1605. genus cogitationes: eidem egi, & nunc quoque ago gratissimas gratias, quòd te nuper è tanto periculo eripuerit. Multum tibi debeo, quod casum tam insignem ex tuis voluisti me cognoscere potius quàm ex aliorum sermonibus. Iterum, iterumque Θεῷ δόξα καὶ χάρις, qui te penè ἐξ ᾅδου παλινορσὸν in integrum restituit. Nos quoque in uxoris valetudine Numinis benignitatem ἄφατον sumus experti; quod futurum tibi jucundum ἀκρόαμα non dubito. Certè quicquid literæ nobis debent, aut debituræ sunt, illius virtuti, secundum Deum, jure potest adscribi. Vale, Vir clarissime. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IV. *Non. Jan.* CIƆ IƆ CV.

De Isidoro & locis à te propositis, nactus plusculum otii, scribam ad te; etsi quæ te lateant, si putas posse me non latere, ipse profectò neque te, neque me nôsti. Sed mos gerendus est voluntati tuæ; quod brevi, σὺν τῷ Θεῷ, sum facturus. Nunc absolvetur editio nostrorum in Persium Commentariorum; quos statim ad te mittam.

Epistola CCCCXXXII.

JOANNI CASELIO.

QUò rariores abs te literas accipio, 1605. optime & clarissime Caseli, eò magis exspectatæ veniunt & gratiores. Equidem cùm mihi nuper epistola tua traderetur, manu statim agnitâ, ingenti elatus sum lætitiâ. Quid censes, quum illam legi tot refertam notis, non dicam benevolentiæ tuæ, sed amoris cujusdam insanùm magni? Aliter interpretari non possum, nisi sum ipse mihi Suffenus, quas liberali adeò manu tribuis mihi, laudes; quæ quum in nobis locum non inveniant, ad autorem suum meritissimò se convertent. Si quis unquam mortalium verè potuit de se, ego possum illud de me prœdicare verissimè: Deum Opt. Max. ἕτερον μὲν δεδωκέναι, ἕτερον δ' ἀνανεῦσαι· ut literas amarem, & doctos viros ex animi interiore sensu colerem, hoc dedit; ut præstarem ipse aliquid dignum in arce poni, hoc verò nequaquam dedit. Itaque metimur nos nostro pede, nihil caventes diligentius, quàm ne de nobis cuiquam plus quàm τῷ ἡμῶν συνειδότι accedamus. Τὸ γὰρ γνῶθι σεαυτὸν, ait ille, ἀρχὴ καὶ πλεῖστος πάσης σοφίας. Atque utinam me probè nôrim; ardua enim res est, ut nôsti, sapientissime Caseli, & quæ ab omni ævo paucissimis contigit. Quæ scribis de summo viro, Josepho Scaligero, etsi gratissima sunt, (nullâ enim re æquè glorior,

1605. glorior, atque illius amore hoc tam insigni) magis sollicitudinem mihi augent, ut benevolentiâ ipsius præstem me non indignum, quam spiritus attollit, quasi judicium tanti Heroïs ullâ re promerito. Nempe illi accidit, quod & tibi, ut caligantibus amore oculis libellos nostros lectitaretis; ut non mirer, tanti fieri me à vobis non quanti ipse sum; sed quantus est, quo me amplectimini, amor. Ego verò, qui utrumque vestrûm pari affectu veneror, atque ipse me à vobis amari sentio, quî satis possim vestra in Rempublicam literariam merita prædicare? Plura fortasse, quàm tu, venerande Senex, scripsit Scaliger ὁ πάνυ· sed tua non minor laus, qui tot annos tam feliciter id egisti, ut exstarent in Germania vestra, qui scripta ipsius & æstimarent, quanti par est, & ad illa capienda eruditione necessariâ essent instructi. Ita mutuum facitis, ut equidem judico, atque præclarum uterque præbetis exemplum publicæ utilitatis procurandæ. Quod ut quàm diutissimè faciatis, meque constanter ametis vestri observantissimum, Deum venerari nunquam desinam. Vale, γέρον αἰδεσιμώτατε. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Nonas Januar. anno Dionysiano ἀπὸ τῆς τοῦ Λόγου ἐνσαρκώσεως,* CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA CCCCXXXIII.

SCIPIONI GENTILI.

1605. PErjucundæ mihi fuerunt, quas à te proximo mercatu Francofordiensi accepi. Nam ex eorum numero, quorum amicitiâ gloriari soleo, es profectò tu, mi præstantissime Scipio, merito tuo inter primos. Equidem singularem eruditionem tuam, & in utroque genere scribendi facultatem admirabilem pridem nôram: sed me ista minus afficiebant, quàm illa, quæ posteà summa in te esse deprehendi, cùm de facie te novi, & ut sermones tecum sererem, mihi contigit: pietatem dico, & elatum longè animum supra ista caduca & inania, quæ hodie quis non miratur, quis non sectatur? δεινὸς γὰρ τῆς ματαιότητος ἔρως ἐντέτηκε ταῖς ἁπάντων ὀλίγου δεῖν ψυχαῖς· itaque προσκόπτει τὸ ψεῦδος. Illa verò lux, quam Patres nostri videre immortali Dei Opt. Max. beneficio excitatam è densissimis tenebris, ne ingratis auferatur, cautio est. Quò ardentius conspirare inter se oportet eos, quibus dedit τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας υἱοὺς εἶναι τοῦ φωτὸς, ut mutuis allocutionibus se invicem solentur, & ad veram constantiam hortentur. Ad illorum numerum cùm & me & te pertinere confidam ἐν Κυρίῳ, clarissime Scipio, nihil potest mihi gratius contingere, quàm ut vel tuas legam, vel ipse ad te scribam. Atque utinam non essent ἔργα τόσσα μεταξὺ· non tenerem me, quin te aliquando inviserem, quò possemus unà de præsenti rerum statu quà gemere, quà lætari. Verùm id quia nobis ne sperare quidem licet, certè quod superest, ac licet, crebris literis σκιαγραφῶμεν, quæso te, τὴν παρουσίαν. Ex tuis didici, esse isthìc Judæum gente, professione Christianum *, qui edendis Rabbinorum libris det operam. Beasti me, mi Gentilis, hoc nuntio. Nam ego, qui in elencho Francofurdiensi libri ab eo promissi titulum legeram, cùm neminem invenirem, qui aut librum illum vidisset, aut de eo quidquam haberet compertum, miris modis angebar. Est enim ejus generis liber ille, ut nihil mihi possit ejus lectione aut optatius, aut jucundius contingere. Quare te per omnes Musas oro, obsecro, horteris illum meis verbis, ut quicquid nactus fuerit Magistri illius, qui ipsi Rabbenu Hackados nominatur, publici juris quàm primùm faciat. Sequantur velim R. Nechonijæ, filii Hakkanæ בהיר, & incomparabilis Rabbenu Mosis, Maimonis filii מורה נבוכים. Habet divinus Scaliger hoc opus & Hebraicum & Arabicum, quomodo est ab Autore editum. Horum, & similium Autorum editione mirificè literarum meliorum studia iri adjutum, nos quidem judicamus. Quòd me hortaris ad observationum sacrarum scriptionem, agnosco & pietatem erga Deum tuam, & amorem erga me. Nam quod tibi persuades, posse me in eo genere aliquid, benevolentiæ est tuæ adversum me, non mei meriti. Etsi non iverim inficias, plusculas vigilias nostras ei curæ fuisse impensas, atque adeò hoc unicum esse jam pridem studium, quo capimur, quo pascimur: sed ubi locorum sim vides, mi Scipio: neque ignoras, quàm odiosa res sit veritas iis, quibus ultrò se fecere obnoxios, qui nos alunt. Sed de hoc genere toto proximis literis, Deo favente, plura. Habeo enim quæ tecum velim communicata. Vale, clarissime Scipio. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* II. *Non. Januar.* CIↃ IↃ CV.

* *Julium Conradum Ottonem, prius vocatum R. Nephtali Margolith, hoc est, Margaritam, quo nomine plures fuerunt apud Judæos. R. David Ganz in Chronico, pag. 151. editionis Vorstianæ, meminit Isaaci Margolith, Pragensis Synagogæ Rectoris, anno 1530. & inter Epistolas Reuchlinianas una legitur Hebraicè scripta Jacobi Margolith, Judæorum Ratisponensium Primatis. His adde Antonium Margaritam, qui ad Christianismum conversus, Germanicè librum edidit de Fide, vita, & moribus Judæorum.* Colomes.

EPISTOLA CCCCXXXIV.

FOPPIO AB AITSEMA.

COmmodo cùm has ad te cogitarem exarare, & jam calamo manum essem 1605.

1605. essem admoturus, ecce tuas, ante diem III. Non. Januar. datas. Quis domum illas attulerit, nescio; sed miratus sum, tuis fuisse adjunctam epistolam Heinsii, de qua nullam faceres mentionem. Acceperam hisce diebus literas à fratre tuo, quibus orabat, curarem tibi deferendam, quam in hoc fasciculo invenies, epistolam. Ex omnibus cognosco magnitudinem tuæ erga nos benevolentiæ. Nam quod mihi aliquid te debere existimas, gratis profectò hoc facis. Nam quâ re ego te unquàm juvi? quid unquam tibi amicitia mea profuit? Ego, mi Foppi, te amare cœpi, ubi primùm te vidi, & de pietate ac literis loquentem audivi. Hoc si interpretaris beneficium, concedam; sed eâ lege, ut non minus ipse tibi debeam, qui non dicam ἀντιφιλεῖς, sed verè λίαν ὑπερφιλεῖς, οὕτως ὥστε ἐπισκοτεῖν τὸ πάθος τῇ ὀρθῇ κρίσει· non enim aliter de tuis literis possum judicare. De * * quæso te, bona verba. Amor noster ὐ τιάπεις ἁλίσκεται. Quod ut seriò dictum velim accipias; simul ut tibi persuadeas, nullâ re defuturum me tibi, quæ quidem in potestate fuerit. Vale, & me ex animo ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIX. *Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CV. raptim.

EPISTOLA CCCCXXXV.

JOSEPHO SCALIGERO.

1605. QUid factum sit Regiâ Bibliothecâ, nuper scripsi prolixè; & scire percupio, an illæ literæ tibi fuerint redditæ: totam enim historiam perscripsi tibi ab ovo: & profectò non invitus, qui tuus in me est amor, epistolam lecturus es; siquidem illa tibi est tradenda. Nunc reversus è Bibliotheca, cùm incidissem casu in librum, multa ac diversa complectentem, Græca, Latina, veterum, recentiorum, hæc raptim exaravi, ut facerem te certiorem, invenisse me in ea farragine tractatum Græcum ἀντίγραφον & ἀκέφαλον, De successionibus Regum ferè omnium, qui initio tui Eusebii leguntur, Sicyoniorum, Atheniensium, Cretensium, Persarum, & cæterorum. Hoc amplius, est in eo libro brevis enumeratio Olympiadum, à prima ad σμξ, & tempus Antonini, filii Severi; ita enim ait. Statim cùm librum aperirem, adnotavi hæc verba:

> Ἑξηκοστὸς ϛή Ἴσχυρος Ἱμεραῖος στάδιον.
> Ἑξηκοστὸς ζή Φανᾶς Πελληνεὺς πρῶτος ἐτριοστευσεν, στάδιον, δίαυλον, ὅπλον.

Venit è vestigio in mentem loci Artemidori è libro primo, ubi ὅπλον ponit inter ἀγωνίσματα· de quo nunquam dubitavi errare amicum nostrum, qui emendat ἆθλον. Lectis igitur quæ adscripsi, calamum arripui, ut significarem tibi, si illud fragmentum non vidisti, & utile futurum putas, nec serum jam est; omnem operam daturum me, ut omnia descripta manu meâ tibi mittantur. Hoc tantùm volebam; imò etiam illud, ut valeres, & meo nomine corculum meum Heinsium salvere juberes. De Mahomedis Albategnio nihil dum confeci, sed meminero. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Februar.* CIↃ IↃ CV. raptim. 1605

In eo, quem dixi, libello paucissimorum foliorum nulli ἄρχοντας adnotati; sed solùm οἱ ἱερονῖκαι. Misi tibi ante sex dies Chronicum Eusebii, donatum tibi ab Episcopo Vasatensi, quem paullò pòst obiisse supremum diem, heri intellexi. Eum fasciculum dedi cuidam Du Temi, qui negotia hîc agit amplissimi Buzenvallii Legati; cui opto omnia fausta, & mihi amorem ipsius. Iterum vale.

Ad hanc respondet Scalig. Epist. 101. & 102.

EPISTOLA CCCCXXXVI.

EIDEM.

VIr inlustrissime, quæ scripsisti in 1605.
scelestum hominem *, si homo est, accepi, & statim, quoad ejus fieri poterat, omnia percurri. Erat quidem liber parum aptus legi; utpote nondum compactus, & qualem acceperam; sed illectus paucorum lectione, in quæ fortè oculos conjeceram, imperare mihi non potui, ut semel in manus acceptum prius ponerem, quàm totum cognovissem, saltem ὁλοσχερῶς. Equidem cupiditate ejus videndi à multis mensibus incredibiliter ardebam; neque dubitabam opus te dignum futurum, hoc est, eo, cujus inexhaustam doctrinam, & animi ac styli parem δεινότητα, nemo unquam satis poterit mirari. Prætereà sciebam quid possis, quoties justa caussa te commovit, quæ etiam infantes solet reddere disertos: neque ignorabam, quàm benigna materia sit, in eos dicere, quos impudentia plus quàm canina omnibus bonis reddit exosos. Itaque impatientissimè ferebam longam adeò tui hujus scripti exspectationem. Sed enim, divine Scaliger, omne id, quod animo fingere potueram, longè superavit tuus hic ille admirabilis libellus. Quid prius mirer nescio, facundiamne an eruditionem? Liceat mihi, quæso, veram vocem apud te mittere, & quod sentio, πάντα τὰ σὰ τὴν ἀνθρώπων φύσιν ὑπεραίρει, & illam heroicam

* *Nicol. Serarium. Vide Scaliger. Epist.* 195. 196.

vir-

1605. virtutem redolent, quæ te vulgi mortalium numero exemit. Et ausi sunt isti τρισκατάρατοι te irritare? ausi sunt bilem tibi ciere? Sed fecerat longa tua patientia, ut licere sibi putarent stercoreis suis scriptis ex illustris tui nominis obtrectatione gratiam apud fatuos aut improbos, quibus solis probantur, conciliare. Quid nunc dicturi sunt? quid molituri? quanquam stultus sim, si frontem superesse illis aliquam, aut ignominiæ sensum, putem. Memini cùm ante annum ad Lipsium scriberem, graviter apud illum queri de injuria literis & virtuti facta ab impurissimo & deterrimo, atque imperitissimo mortalium, Del-Rio, cùm illa de te, & de Thuano scriberet. Ac licet ad alienum arbitrium vir optimus & facta & dicta omnia sua [tanta est hominis infelicitas] componere necessum habeat; quin tamen literis suis significaret, vehementer id sibi displicere, teneri non potuit. Ego quoties inter ejus sodales sum versatus, & sermo de illo incidit, nunquam sine detestatione τῆς μιαρᾶς κεφαλῆς ejus nomen usurpavi; neque honestius de illo sum locutus apud Gonterios, Frontones, & alios θιασώτας τῶν αὐτῶν ἔργων, quàm nunc ad te scribo. Ex eo conjicies, quanta cum animi lætitia illa legerim, quæ sunt abs te de monstro illo scripta. Sed quid ago? nam adest qui hasce poscit, & finem garriendi tecum facere jubet. Desino igitur, & Deum Opt. Max. supplex veneror, servet te literis, Reipublicæ & Ecclesiæ suæ. Γένοιτο, γένοιτο. De ὀλυμπιονικῶν catalogo securus esto: mei nominis oblivio me potius capiet, quàm ullam prætermittam tibi inserviendi, & mandata tua exequendi, occasionem. Quin id nunc ago, ut quæram sedulò, si quid lateat in nostris forulis, quod possit tibi esse usui. Vale, & me ama. Raptim, *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* X. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA CCCCXXXVII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEIMIO.

1605. QUantum sinceræ voluptatis tuæ illæ literæ, Vir præstantissime, mihi attulerint, quas ante menses aliquot accepi, puto non ignorare te. Nam qui sine gravi causa occupationes tuas vererer interpellare, & scirem τὸν τὰ πάντα ἄριστον Bongarsium brevi ad te scripturum, cum eo egi pro mutua necessitudine nostra, ut meis verbis quàm officiosissimè te salutaret, & quantum hoc tuo non vulgari amore gloriarer, 1605. tibi significaret. Ex tuis cognovi etiam isthuc famam pervenisse de temerario quorundam ausu, qui τὴν ἡμετέραν ὀρθόδοξον πίστιν σκευωρεῖν, & nescio quibus parùm validis machinis labefactare paulò antè fuerant conati. Equidem graviter accusarem ipse me, si ullius aut dicti, aut facti conscius mihi essem, quod facere posset ipsis animos, aut spem ullam afferre, quasi arte aliquà ἀλώσιμοι essemus. Nunc cùm testem Deum habeam παῤῥησίας meæ, quà semper usus sum, cùm apud Regem ipsum, quoties de eo negotio verba mihi ab illo facta; tùm apud omnes alios; demirari satis nequeo eorum impudentiam, qui flecti posse nos, persuadere sibi audent. Sed nôsti, puto, os atque ἰταμότητα illius familiæ. Accedit veteris cujusdam amici * mei exemplum, qui non contentus ire se perditum, de me etiam eos sermones ubique jactavit, quos nôrat fore gratos illis, quibus suæ non fictæ mutationis fidem facere cupiebat. Hic igitur non dubitavit & præsens, & posteà literis constantiam nostram persæpe sollicitare, aliisque auctor esse, ut idem assiduè facerent. Confido equidem in bonitate Domini Jesu Christi, non magis aut hunc, aut quemcunque alium profecturum in posterum, sive apud me, sive apud meos, quàm profecerunt hactenus. Sed fero tamen animo iniquissimo licentiam mentiendi istorum hominum, qui putant sibi licere quicquid libitum fuerit fingere, ac pro vero apud veritatis ignaros, & qui me non habent notum, disseminare. De potestate mihi à te facta utendi adhuc Arabico libro, quem beneficio tuo primùm vidi, ago tibi gratias maximas. Omnino remissurus illum fui hoc mercatu, nisi prorogatum mihi tempus fuisset: cùm usus fuero, statim remittam; aut si propter rei difficultatem & occupationes lentior fuero, admonitus à te, sine mora fidem præstabo pacto. Vale, nobilissime Vir. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VI. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CV.

* *Philippi Canaii à Fraxinis. Vide suprà. Epist.* CCLIX. & CCXCIX.

Veteres meas in Persium recitationes, quas in auditorio Genevensi habui, nuper edidi; opus tyronibus elaboratum, non doctis, nedum tibi, qui doctissimus es, quia tum nihil aliud ad manum erat, quod tibi mitterem, & ita moris est; accipe, quæso, πρόφρονι θυμῷ, quod mitto tibi exemplar, & æqui boni consule.

EPISTOLA CCCCXXXVIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1605. VIr illustrissime, cùm ex inopinato hæc mihi oblata est facultas, id agebam, ut aliâ viâ literas ad te darem; quod & facturus sum, Deo propitio, post duos ad summum dies. Tradam illas Temporario, qui regiam pecuniam isthuc mittendam curat, & amplissimi Buzenvallii negotia heic procurat. Accipies per illum cis dies paucos, Eusebium τοῦ μακαρίτου Episcopi *, qui hoc munere te donavit. Accipies etiam Persium nostrum, ante aliquot dies ad umbilicum perductum; de quo aliis literis plura: est enim ejusmodi hoc munusculum, ut tuum conspectum valde reformidet. Misi isthuc aliquot exemplaria, quæ, spero, brevi in manus tuas esse perventura. At Dionem Chrysostomum post longam adeò exspectationem an tandem acceperis, scire cupio. Et velim, nisi grave est, ejus me facias certiorem. Scripsi nuper de libello, à me in Bibliotheca invento, qui continet ἔλεγχον ὀλυμπιονικῶν, & quædam πιυτότροπα· de quo voluntatem tuam exspecto, & quid me jubeas facere. Ego his diebus cùm longo admodum intervallo Arabicos libros revisissem, impetum cepi, exercendi mei caussâ, transferendi in Latinum sermonem Geographum Arabem; & statim operi manum admovi. Itaque totum fermè primum clima absolvi; nisi quòd vacua multis locis spatia sunt relicta, ignorantiæ meæ μηνύματα· quam tu solus potes sanare, velis modò: quod si per te licet, de nonnullis tecum proximis literis agam; doceri enim cupio, & doceri à te. De Albategnio scito non cessasse me; sed extare nusquam apud Bibliopolas. Itaque cùm hac viâ non succederet, aliam sum aggressus; egi enim cum insigni Mathematico, & viro pio, Abelmio †, ut sui codicis copiam tibi faceret; quod sine ulla tergiversatione promisit facturum. Vellemus autem, & seriò curabimus. Vale, illustrissime virorum. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IV. *Non. Mart.* CIƆ IƆ CV.

* Suprà. Epist. CCCCXXXV.

† Lege, Abelmo. Colomes.

Ad amplissimum Legatum, & τὸν πάνυ Heinsium literas cum libris sum hodie, vel cras daturus. Equidem si paterentur gravissimæ occupationes tuæ, frequentiores tuas optarem, ut hoc unum intelligerem, valere te: quod ut facias, assiduè Deum Opt. Max. veneror.

EPISTOLA CCCCXXXIX.

CAROLO LABBÆO,

PRiusquam me totum accingo scriptioni illi, de qua heri locuti sumus, & quæ dies aliquot meas omnes horas occupabit, placuit, quod superest, de ratiuncula expungere, & fidem meam apud te liberare; memineram enim in tuo ære esse. Accipe igitur quod tibi debeo, aut ut melius dicam, quantum vires meæ ferunt, ut tibi nunc solvam; nam aliàs, ξὺν Θεῷ εἰπεῖν, meliora exhibebimus, & uberiora. Quæsisti à me, quid sibi divinus vir velit, cùm scribit, verba Apostoli Divi Pauli, ἐν μέρει ἑορτῆς, sic esse accipienda, ut vox μέρος significet *tractatum*, quod Perek, aut Chelek, id est, μέρος Thalmudistis dicitur. Ego verò non miror, facessisse hæc verba negotium tibi, hoc est, ei, quem meliora studia tenent, quàm ut in nugis R R *. tempus perdas. E quorum putidissimis scriptis [paucos Magistros excipio; & omnium maximum Mosem Rambam, quem ego cum paucis demiror sic, ut nihil supra:] si qua utilitas capi potest, (& potest sanè:) ad professionis tamen tuæ homines nihil admodum genus hoc literarum pertinet. Atqui etiam illorum, qui Hebraicè docti sibi videntur, multos scio fore, qui illa non capiant. Hoc autem vult noster magnus Doctor: cùm dicit Paulus †, μηδεὶς κρινέτω ὑμᾶς ἐν μέρει ἑορτῆς, idem esse ac si diceret: *Nemo de vestra pietate statuat è tractatu Magistrorum super observatione festorum.* Hoc autem est dicere: Nemo exigat à vobis observationem eorum præceptorum, quæ libris doctorum continentur, capite de Festo die. Hic sensus, quem indicat Scaliger, & qui mihi quoque perplacet, ut omnia illius. Ergo μέρος, ut scribit, erit פרק, vel חלק; sed illud potius; nam minores τοῦ Thalmud partes vocantur à Magistris פרקים: vocantur & *Halekim*, quod idem est; sed ἰδίως & magis usitatè *Perakim*. Longum faciam, si incipiam dicere, quid sit in Thalmud משנה sive Δευτέρωσις, unde δευτερωταὶ, in vestris etiam libris: aut quid סדר aut סדרים, quo nomine dictæ sunt sex partes, quæ totum illud corpus absolvunt: quid מסכתות, in quas dividitur vario numero una quæque partium, quas diximus. At Massachtoth secantur singulæ in sua capita, quæ ipsi, ut dixi, *Perakim* appellant. Quare Apostolus cùm dicit, ἐν μέρει ἑορτῆς ἢ νεομηνίας, alludit ad duo capita Rabbinicæ superstitionis, cujusmodi sunt hodieque

1605.

* Rabbinorum.

† Ad Coloss. II. vers. 16.

1605. dieque multa in septimam & octavam Massacthoth II. Seder relata; quarum alteri nomen est, מסכת יום טוב, Tractatus *de bono Die*, (ἑορτὴν ita vocant;) altera inscribitur מסכת ראש השנה, Tractatus de *Capite Anni*. Harum duarum Massacthoth, & reliquarum ferè omnium II. Seder capita, sive Perakim singula ritus explicant, ut plurimum πατροπαραδότους, quas vetustissimi Judæi Legi Dei, ut pannum purpuræ assuerunt. Quare nihil verius quàm quod observat eo loci Scaliger, B. Paulum eo allusisse, cùm illa scriberet. Ab eadem voce Perek, quod penè oblitus eram, nomen invenerunt illi Ἀρχιφερεκῖται, quorum meminit Justinianus in
* Cap. 1. Novella de Ebræis CXLVI.* quo ex loco apparet, inter Doctores, sive Expositores Legis fuisse, qui vocarentur Φερεκῖται, quasi dicas Μεριστὰς, quòd particulatim capita doctrinæ exponerent, aut coram populo legerent. Horum Decani vel Primicerii Justiniano dicuntur, Ἀρχιφερεκῖται. Ipse explicat, πρεσβύτεροι τυχὸν ἢ διδάσκαλοι. Pythagoræam legem, de qua alicubi mentionem fecimus, (nam & de hoc quærere te memini) in nostro de Critica tractatu fusè exponimus. Extat apud Synesium in Dione, quod pulcherrimum est illius mellitissimi Scriptoris opusculum. De subscriptione illius Critici, qui Vegetium recensuit, multum te amo. Disseremus in eodem opere de toto illo genere multa, & quæ observavimus eodem spectantia, in medium afferemus: velit modò ὁ ὑπὲρ ἡμᾶς, ut instituto pridem operi colophonem aliquando imponamus. Habes, credo, ad omnia. Nunc illud accipe οἷον ἐξ ἐπιμέτρου. Adeò verùm est, quod scribit Scaliger, pag. 102. בריאות vocem, quæ *creaturas* propriè significat, ex usu Hebræorum, *homines* signare κατ' ἐξοχὴν, ut manarit eadem phrasis & in alias Orientalium linguas. Nam in Geographia Arabica sexcentis locis frequentiam urbium ita designatam invenimus, ut dicat Auctor esse in eis multas בריאים κτίσεις, *creaturas*, hoc est, *homines*. Hinc illud etiam illustrandum Marci XVI. 15. *Annuntiate Evangelium* πάσῃ κτίσει. Atque hanc elegantiam vernacula nostra lingua, ut scis, retinuit. Poteram his alia adtexere, quæ strictim à maximo virorum indicata, non omnes, qui legent, intelligent. Sed de omnibus cùm voles, στόμα πρὸς στόμα. Vale, ὦ αὐτάδελφον ἐμοὶ κάρα. *In Museo, a. d.* V. *Eid. Mart.* CIƆ IƆ CV.

EPISTOLA CCCCXL.

DANIELI HEINSIO.

PErsium tandem mitto tibi, juvenum 1605.
doctissime: Persium, dico, eâ mole Commentarii à me oneratum, ut quod jam antè scribere memini, operis me seriò pudeat. Sed scito, ἀκροάσεις eas esse, quas ante multos annos in Academia Genevensi habuimus, cùm præclarum illum Poëtam frequenti auditorio exponeremus. Putabam, cùm illa prælo subjeci, viginti plus minus foliorum opus futurum; qui numerus præter opinionem meam mirè auxit. Quare hoc primùm te oro, liceat mihi de te vetus illud Lucilii usurpare; Persium mea nolo legere. Hac exceptione vos doctos summoveri comiter volo, ne hæc putetis esse vobis scripta, quibuscum nihil heic mihi negotii est. Quod nuper scripsisti de epistola ad Perronium *, vehementer sum admiratus, pervenisse eam usque ad vos, quæ non aliâ fine scripta esset, quàm ut uni illi, ad quem fuit missa, innotesceret. Qui nesciunt quæ mihi occasio scribendi fuerit, quæ bonis viris typis edendi, & quodammodo publicandi privatam scriptionem, ii non possunt non mirari factum, & fatuissimæ vanitatis nos accusare. Quid enim in illa infelici charta publicâ luce dignum? Itaque postquam scivi, ad magnum Scaligerum eam fuisse missam, tibique & aliis isthîc lectam, erubui & vehementer dolui. Te igitur etiam atque etiam oro, suavissime amicorum, ut patrocinio tuo sarta tecta existimatio nostra illthîc maneat; persuadeasque tibi, atque omnibus confirmes, invitum me gravissimis de causis ex Pastorum hujus Ecclesiæ consilio compulsum esse, ut illa tum ad Perronium exararem; quo semel omnem & Regi, & omnibus, qui summâ contentione id agebant, spem in posterum præciderem traducendi me aliò: de quo cùm ne per somnium quidem unquam cogitaverim, nescio quâ tamen infelicitate meâ factum, ut multis, qui de suo animo meum metiebantur, perquam facilè hoc mihi posse persuaderi, sæpe sit visum. Itaque spei hujus pleni ἀδιαλείπτως certi homines negotium mihi exhibebant: quâ molestiâ ut me semel liberarem, commodiorem aliam rationem inire non potui. Pastores verò nostri, cùm ne sic quidem os obturatum esse intelligerent istis σπερμολόγοις, qui de nobis miros toto hoc Regno rumores dissipabant, edendi eam epistolam consilium ceperunt. Volui hæc

* Vide supra, Epist. CCCCXVII.

1605. hæc nescius ne esses, ut te patrono, stultissimæ ambitionis isthic absolverer. Vale, mi Heinsi, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* v. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CV.

Quas ante mensem, & quod excurrit, ad te scripsi, an acceperis, scire cupio. Iis literis familiariter tecum agebam de Bibliotheca Regia nuper mihi demandata; nec non de illa conditione, cujus in prioribus meis feceram mentionem.

Epistola CCCCXLI.

JANO GRUTERO.

1605. PErsium heic à me editum, & meos in eum Commentarios mitto tibi, clarissime Grutere. Non dubito miraturum esse te, quòd tantulus Poëta tantam Commentarii libri molem pepererit: nos quoque, ne quid dissimulemus, sæpe nostram in hoc opere ἀπειροκαλίαν risimus, posteaquam seriò animadvertimus, plurium longè chartarum opus futurum, quàm initio cogitaveramus. Olim Genevæ cùm essemus, pulcherrimum eum Poëtam frequenti auditorio accuratè exposuimus: hinc illa scriptionis hujus prolixitas; quæ te profectò offendere non debet, doctissime Vir; quia non tibi, neque tui similibus, πολλὰ γὰρ καὶ δεῖ, ista scripsimus; sed tyronibus rudibus & indoctis: καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. De Chalcondyla quòd exspectationem commoves, vide, quæso, ne nos ea spes destituat: est enim Scriptor dignus qui Græcè legatur. Etiam de Tacticis consilium laudo; teque hortor, ne in eo, quod præstare ipse potes, delegatione utaris: nam noster quidem Rigaltius in foro regnum obtinere præoptat, quàm hederâ frontem præcingi: non quò literas non tanti faciat, quanti par est; est enim vir doctissimus; sed quia vulgò sic persuasum multis apud nos est, ταῖς ἀγνελάταις Μούσαις nihil commune esse cum caussidicina. De codice Arabico beasti me. Διαλέξεις tuas politicas avidè exspecto, ut omnia tua. Quæ ad nobilissimum Bibranum scripsi, fidei tuæ commendo. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* v. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CV.

Epistola CCCCXLII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1605. PAucis diebus multas epistolas ad te dedi, Vir maxime. Soleo enim, ut quæque offert se vel scribendi occasio, vel literas isthic mittendi facultas, operæ non parcere. Duos fasciculos dedi Arsenio, totidem Temporario; item alios aliis; unum ei, qui in ære tuo est, quem puto virum probum, sed in tenui re. Itaque flagitatore opus ne sit vereor. Ego tuas ita accipio, ut Dionem acceperis necne, adhuc ignorem: quod ideò solùm cupio scire, ut cum eo agam, cui est à me traditus, si fidem non servavit. Persium nunc mitto, non ut legas: οὐ γὰρ πτύφωμαι ἔτι· sed ne officio meo defuisse possim videri. Olim cùm Genevæ essem, non levi operâ eum Poëtam auditoribus meis exposui: inde illa tanta libri moles; quam nolim te offendere: non enim profectò tibi; quid dico, tibi? non mediocriter doctis eam operam navavimus: quare bonum factum, ne illa tu attingas, quæ nihil ad te. De itinere meo isthuc proximis literis plura, ξὺν τῷ Θεῷ, qui te servet, maxime virorum. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* v. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CV.

Peto à te, ut, quas Drusio scripsi, cures mittendas cum adjecto libro. Omnes heic tuam contra Serarium lucubrationem exspectamus. De Eusebio Pontaci, qui nuper obiit, sæpe jam scripsi. Paraveram libellum hoc titulo, *De Satyrica Græcorum Poësi, & Romanorum Satyra*; sed casu quodam dilata est ejus editio. Ex ipsa epigrapha satis intelligis, quantum ex tuis scriptis profecerim: nam unica tua admonitio excitavit me, ut illum librum scriberem.

Epistola CCCCXLIII.

CONRADO RITTERSHUSIO.

PUto accepisse te, Vir clarissime, 1605.
quas ante mensem unum aut alterum ad te scripsi. Respondi tum & iis, quas Francofurti scriptas à te acceperam; & iis, quas post casum illum tuum memorabilem ad me dederas. Agebam, quod & nunc quoque facio, planè ex animo, Deo Opt. Max. gratias, quòd te ex tanto periculo servasset. Sed quoniam nondum penitùs confirmato corpore eras, cùm illa mihi scriberes, cupio ex tuis cognoscere, quomodo posteà tecum sit actum. Non autem dubito, quin ea res inceptum tuum de edendo Isidoro Pelusiota tardaverit. Itaque hoc quoque negotium, uti se habet, ex tuis opto cognoscere. Ego Persium hìc edidi cum veteribus ἀκροάσεσι meis, quas Genevæ ante multos annos habui, cùm frequenti auditorio illum Poëtam exponerem: quod ideò commemoravi tibi, ut prolixitatem Commentario-

1605. tariorum ne mireris. Nôsti enim libertatem commentationum ejus generis, quæ non aliud spectant, quàm ut rudiorum studiis consulatur. Tale est nostrum hoc scriptum, quod ad vos doctos nihil pertinet. Quòd igitur musteum librum ad te mitto, non ita insanio, ut velim illum à te legi; sed ut memorem me tui & amantissimum tibi probem. Misissem & ad clarissimum virum Scipionem Gentilem exemplar, nisi intellexissem, factum id jam ab optimo & amicissimo Bongarsio. Velim, nisi grave est, illum verbis meis salutes; nunc enim scribere non poteram, facturus brevi, σὺν τῷ Θεῷ, qui vos servet Reipublicæ literariæ quàm diutissimè. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* v. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA CCCCXLIV.

DAVIDI HOESCHELIO.

1605. ETiam antequam tuas acciperem, Idibus Januarii datas, incogitantiam meam animadverteram; qui cùm eâ maximè occasione ad scribendum tibi appulissem animum, ut de recenti munere gratias agerem, propositi tamen essem nescio quomodo oblitus. Non dubito, quin hujusmodi μνημονικὰ ἁμαρτήματα familiaria mihi sint, cùm literas ad amicos exaro; cui negotio non aliud ferè tempus impendo, quàm quod curis aliis possim surripere. Itaque æquitate animi tuâ heic mihi opus, ne in crimen culpa mihi vertat, quam imprudens commisi. Nam equidem tuas in Syrachum vigilias tanti facio, ut autor tibi sim, teque adeò orem, ut parem diligentiam ad reliquos ejusdem generis libros illustrandos adhibeas; quæ tibi sententia si sedet, offero tibi Regiæ Bibliothecæ opes, quarum esse promum condum Rex optimus nuper me jussit. Quod si hoc otio (si tamen otium dici potest vita adeò quotidie occupata) diutius frui, Dei Opt. Max. benignitas nos sinat, dabimus operam, ut quæ adhuc latent, multa præclara Vetustatis χειμήλια in lucem proferantur. Procopium edi à te quàm primùm opto. De Polybio scripsi nuper ad nobilissimum Velserum, ad quem literarum nihil nunc dare possum. Tu, nisi grave est, meis verbis illum salutabis. Persii nostri unum tibi, alterum ipsi mitto exemplar, quæ velim ita accipi à vobis, non tanquam lectione vestrâ dignum existimem opus illud; sed ne officio meo hac parte vobis defuisse videar. Olim cùm Genevæ essem, impensiore curâ eum Poëtam publicè exposui: hinc illa Commentarii moles; quam apud 160
præstantissimum Velserum, si me amas, excusabis. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* v. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CV.

De Privilegio sic habe: Creatus est superioribus diebus à Rege non Cancellarius quidem, sed σφραγιδοφύλαξ tamen alius præter illum priorem, de quo antè ad te scripsi. Is est Silerius, apud quem videmur gratiâ aliquid posse. Ille igitur, cùm munere suo fungi incipiet, quod nondum facit, preces meas, scio, haud difficulter admittet.

EPISTOLA CCCCXLV.

DANIELI HEINSIO.

PRæstantissime Heinsi, accepi jam 1605.
nunc divinam tuam Orationem, quam misisti: quod si prius illam non legissem, quid de illa judicem, hoc est, admirationem meam de elaboratissima illa scriptione tua significare nunc non possem. Simul enim fasciculus ille est traditus, & hæc ἐξ ὑπογύου scribendi isthuc occasio est oblata. Sed jam aliquot dies sunt, cùm magnâ diligentiâ frustra quæsitam, ope Labbæi nostri tandem inventam, cupidissimè legi. Quid quæris? θάμβος μ' ἔχει εἰσορόωντα; nihil enim heic ab alio occupatum; omnia tua; qui mirus es artifex dicere κοινὰ καινῶς· nam ἐπιταφίους quidem λόγους scripsêre, & scribunt quotidie multi; sed ut tu scripsisti, hactenus profectò nemo. Sed de hoc scripto tuo & aliis brevi plura; nam nunc quidem iniquis excludimur temporis spatiis. Deus te servet, ô literarum spem alteram, & mihi amorem tuum. Vale. Raptim, urgente puero, qui literas flagitabat. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* x. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA CCCCXLVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

ILlustrissime Scaliger, mitto tibi pro- 1605.
missum ante aliquot septimanas veteris Scriptoris περὶ ὀλυμπιονικῶν libellum. Optavi posse citius illud ἕρμαιον tecum communicare; sed inciderunt caussæ graves, quæ me ἐπέδησαν τῆς ὁρμῆς. Spero non ingratam tibi, neque alienam ab incepto tuo fore eam scriptionem. Mihi quidem hoc gratius nihil possit contingere, quàm si ulla in re operam meam tibi esse utilem animadvertero. Velim certè persuasissimum habeas, non aliam fidem, imò pietatem in exequendis tuis jussis adhibiturum me semper, quoties aliquid imperaveris, quàm quæ eum deceat, qui te alterius parentis loco

1605. co pridem veneratur. Quare si quid est, quod curari heic velis, ἐξαύδα μὴ κεῦθε νόῳ, mihi jussa capessere fas est. Neque verò occupationum mearum rationem habueris; omnia enim lubentissimo animo δεύτερα τῆς σῆς κελεύσεως θήσω· qui non sunt hoc modo adversum te affecti, eos ego nunquam dignos putavero, qui inter γνησίας παιδείας ἐραστὰς nomen profiteantur suum. Utinam majus aliquid tuâ caussâ possem; scires quàm sis mihi ἀντίψυχος. De libris Bibliothecæ nostræ sedulò operam dabimus, ne cupiditatis tuæ parum rationem habuisse possimus videri. Id verò tantò facilius mihi futurum, quia præstò est Labbæus noster, ad omnia paratissimus, quæ tibi fore grata cognoverit. Exquisitam illius eruditionem testantur chartæ, quas tibi mitto: sunt enim manu ipsius è malo libro quàm fidelissimè descriptæ. Contulimus siquidem, & studiosè ἀπόγραφον ipsius cum autographo contendimus; ut de fide lectionis dubitare non debeas. Quod si quædam occurrent mendosa, [occurrent autem nonnulla] scito, non aliter in Regio codice esse scriptum. Stat verò sententia nobis; mihi, inquam, & optimo juvenum, & tui observantissimo Labbæo, communi operâ πάντα διφᾶν καὶ πάντα λίθον κινεῖν, quo aliquid inveniamus tuis inceptis accommodum. Hactenus quidem nihil ita exquisitum se obtulit, quod tua putem interesse, ut videres; nisi fortè quædam de ratione anni excipias, cujus generis multa offendimus. De tuo divino in Serarium libello egi nuper * gratias, non pro sensu quidem animi mei, sed quantas potui tamen maximas. Bone Deus, quàm sum ego captus lectione illius? & negabit aliquis, φρενοβλαβεῖς istos fuisse, cùm te provocarunt? negabunt θεήλατον τοῦτο πάθος esse? Quæ de Pseudo-Gorionide disputasti, saltem ex parte mihi quoque dudum observata: nam Munsteri error, sanè pudendus. Etiam de voce κείρα nunquam aliter sensi; & apud Græcos Conciliorum Interpretes memini eam vocem reperire explicatam: cui nescio an sit affinis Latina *Cura*, apud Corippum, & fortasse alios; etsi diversâ nonnihil notione. Sed Eusebium tuum quando videbimus? Nimium moror te. Vale, virorum illustrissime. Amplissimo Legato, & charissimo Heinsio, nisi grave est, plurimam salutem. Vale iterum. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Maj.* CIϽ IϽ CV.

* Suprà, Epist. CCCCXXXVI.

Proximè cùm ad te literas dedi, scripsi & clarissimo Baudio: nunc velim scire ipsum, Boisosam & Pinæum in eo nunc esse, ut certum hominem isthuc mittant. Ego verò id ago, ut idem ille, qui mittendus est, liberet te ejus negotii curâ, de quo ad Labbæum sæpius, ad me nunquam scripsisti: non enim mediocriter ea res me quoque pupugit. 1605.

EPISTOLA CCCCXLVII.

JOANNI MEURSIO.

ACcepi tandem, hoc est, ante paucos dies, quem misisti dono librum, & quam scripsisti epistolam. Videram pridem id syntagma tuum: neque enim potest me fugere quicquam tuorum, à quorum lectione nunquam recessi, nisi doctior. Itaque opto tibi omnia fausta ac læta; ut & quæ jam habes in manibus, detexas quàm primùm; & alia porrò suscipias perficiasque, cum publico bono literarum, & laude ingenii tui. Nos Persium nuper edidimus; cujus exemplar unum, tibi destinatum, nescio quo casu tam diu hæserit inter manus meas. Mittam verò eis paucos dies ad amplissimum Buzenvallium; quem confido curaturum, ut tibi tutò reddatur: etsi non tanti operam illam nos quidem facimus, ut legi nostra à te velimus; tyronibus enim illa scripsimus, non viris doctis; qui melius ista per se capient, neque operâ nostrâ habent opus. Cras Temporario, qui Domini Buzenvallii res heic procurat, eum librum, ξὺν θεῷ, sum traditurus. Tu ita accipe levidense munusculum, tamquam ab eo profectum, qui se à te amari maximi faciat. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VIII. *Eid. Maj.* CIϽ IϽ CV. 1605.

EPISTOLA CCCCXLVIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

TErnas jam scripsi tibi, virorum illustrissime, posteaquam libellum tuum accepi; cujus lectione adeò expleri nequeo, ut ponere de manibus non possim: ὦ τοῦ πλούτου τῆς παιδείας! ὦ τῆς τῶν ἐπιχειρημάτων δεινότητος! quàm magis lego, tam magis stupore & admiratione rapior: cogito enim quo ex fonte rivus hic manavit; neque dubito Eusebium tuum omnium mortalium spes & cogitationes longè superaturum. Opto, atque adeò assiduis precibus Deum veneror, det tibi, ut illi operi colophonem quàm primùm imponas. Equidem diligenti tuorum lectione hoc videor assecutus, ut animi tui mentem melius quàm vulgus hominum capiam. In hoc quidem certè libro tuo licet mihi περπερεύεσθαι, & me venditare: ago enim 1605.

1605. enim apud amicos ὑποδιδάσκαλον & Proscholum, qui τις ἀμύητος Mystagogum me præbeo τῶν σὺν πεποιημένων ὀργίων. En erit ille dies, cùm cupiditate operis, quod premis tamdiu, nos levabis? Puto accepisse te τὰ περὶ τῶν ὀλυμπιονικῶν· octavus hic dies, cùm Temporario fasciculus est traditus. Ego tuas exspecto, brevi plura scripturus, volente Numine. Vale, καὶ ὡς ἐρρωμενέστατος διαβιώης τῶν ἀνδρῶν τὰ πρῶτα. Heinsium, virum clarissimum, salvere jubeo. Scripsi raptim, *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VIII. *Eid. Maj.* CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA CCCCXLIX.

FOPPIO AB AITSEMA.

1605. SAlmurium te profectum esse intellexeram ex tuorum popularium sermonibus, qui nuper cùm inde reverterentur, salutem mihi abs te nuntiarunt. Deinde tuas accepi, quæ mihi, ut omnia semper, quæ à te veniunt, fuere gratissimæ. Gaudeo, atque adeò tibi gratulor, quòd familiaritatem consecutus sis nobilissimi illius, atque omni laude dignissimi viri, de quo ad me scribis. Nullus dubito, quin ex illius sermonibus doctior semper sis rediturus & melior. Itaque autor sum tibi, ut quantum res tuæ ferent, eam potissimùm Galliæ partem probes, eam inhabites, ubi nobilis ille, qui tuæ fidei creditus est, pietatem simul cum lingua possit addiscere; quod isthic commodissimè illum facturum esse, habeo persuasum. Sed hæc tu melius statues, doctissime Foppi; quem scio ego non minus à prudentia instructum, quàm pietate ornatum & doctrinâ. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IV. *Eid. Maj.* CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA CCCCL.

JOSEPHO SCALIGERO.

1605. HEri tuas accepi, a. d. v. Kalend. April. datas *. Jam ex aliis, quas ante paucos dies accepi, cognoveram, Persium, & quicquid est, quod tibi curandum Temporario tradideram, probè fuisse curatum; quod gratissimum mihi vel eo nomine fuit, quia Eusebium Aquitanicum video tibi non displicere. Doleo vicem illius viri †, qui magnam dubio procul percepturus fuit, si vixisset hactenus, ex æquitate judicii tui voluptatem. Equidem existimo, non infelicem ab eo positam in eo operam, ut Chronicum Eusebii legeretur, quale ab Hieronymo est olim publicatum: sed quale ab ipso Eusebio debuerat concipi, hoc verò est, quod à te uno exspectamus. Sed, bone Deus, quid est, quod scribis? longè adhuc abesse te ab operis fine? ut video, omnes omnium Bibliothecarum opes in hunc thesaurum paras conjicere. Quod etsi vehementer & probo, & laudo; exspectationem tamen adeò longam esse, fero molestissimè; sed animum, si possumus, obfirmabimus. Quæ scripsisti de Persianis nostris nugis, moverent me, ut à te profecta, nisi ipse justum pretium ei scriptioni multò antè statuissem apud me. Neque unquam à sententia mea dimoveri me patiar. Veterum notarum, quas adjeci, eclogarium te fuisse, non scivi; non dissimulaturus alioquin, si rem habuissem notam. De tuis Græcis versibus, quas agam tibi gratias nescio: rem certè fecisti mihi longè longèque gratissimam. Cupio iterari libri ejus editionem ἐμοῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο, ut sit locus meum de tuis versibus judicium exponendi. De tuo in Serarium libro scripsi nuper: sed quasi recens allatum adhuc habeo in manibus. Quàm magis lego, tam magis admiror. Abraham ille Judæus, quem laudas, & unde tam multa describit Drusius, ubi sit editus, velim significes; nam ego nescio, neque heic habeo, à quo discam. De Dione * tibi reddito cognovi jam ex ternis tuarum: vellem diligentiam tuam imitatus fuisset Heinsius ὁ περιβόητος νεανίας. Adhuc enim ignoro, quid eo exemplari sit factum, quod Beisio tradidi ipsi mittendum: ideò autem rescire id cupio, quia non ita ante multos dies narrabat mihi aliquis, hærere adhuc illum librum Rothomagi. Veterem libellum περὶ ὀλυμπιονικῶν scito pridem esse traditum Temporario, & puto jam tibi fuisse redditum. Descripsit Labbæus noster, qui in cultu & reverentia tui mecum certàt, ut περὶ πρωτείων videatur velle ἀμφισβητεῖν. Hæc una est inter nos æmulatio. Si quid invenero, quod tuis inceptis putem fore conducibile, confide eo te non cariturum. Clarissimi viri Vulcanii Cyrillum, & Procopii περὶ κτισμάτων quando habituri simus, velim à te certior fieri. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IV. *Eid. Maj.* CIↃ IↃ CV.

De schedis Latinis Alcorani, indicio tuo tandem majore ex parte inventis, proximè tecum agam pluribus. Deus te servet.

* *Exstat l.* I. *n.* 104.

† *Arnoldi Pontaci. Vide suprà, Epist.* CCCIX.

* *Chrysostome.*

Ad hanc respondet Scaliger lib. II. *Epist.* CVIII.

EPISTOLA

Epistola CCCCLI.

A Monsieur DU PLESSIS.

Monsieur,

1605. *Par vos dernieres & par le rapport de mes amis, je sçay qu'avés pris quelque goust au livre que vous envoyay dernierement. Ce que je n'attribue à autre chose qu'à la bonne affection qu'il vous plaist me porter, pour laquelle je vous remercie de tout mon cœur. Quant à ce que desireriés que j'employasse le temps en autre chose, qui servist à l'avancement de la gloire de Dieu, je vous supplie croire que je n'ay plaisir icy, contentement aucun en nul autre estude qu'à celuy-là, & particulierement ay employé du temps à l'Histoire Ecclesiastique, pour l'illustration de laquelle peut-estre pourrois-je quelque chose plus qu'autre du commun, si le lieu, où je suis, le me permettoit; mais n'ayant entretainement d'ailleurs, que de là ou sçavés, je ne puis faire ce que desirerois. Cependant je ne cesse d'y penser, estimant que, si Dieu le veut, il me donnera un jour autre commodité. Pour le moins ay-je ce contentement de descouvrir mille & mille signalées impostures de ceux qui nous appellent* Novatores, cùm sint ipsi veteratores vaferrimi, *comme les a nommés Mr. Scaliger, duquel je crois qu'aurés veu le livre très-admirable contre Serarius, Jesuite, qui l'a attaqué sans propos, mais comme je crois, non sans la Providence de Dieu, afin que luy & ses semblables fussent descrits de leurs couleurs par cest excellent personnage. Pleust à Dieu que j'eusse pareille liberté qu'il a; car je porte impatiemment tant de puantes mensonges, que je trouve en ceux qui ont tant travaillé pour nous faire croire, que de tousjours l'estat de l'Eglise a esté tel qu'il est aujourd'huy entr'eux. Mais ne pouvant ouvrir la bouche, je verray volontiers qu'un autre le face mieux que je ne le pourrois. Or nul ne le peut mieux, ny si bien que vous, qui desjà avés avec tant d'heur si long temps travaillé pour la gloire de Dieu, lequel je supplie de tout mon cœur vous donner en santé & tout heur très-longue vie. Tenes moy, s'il vous plaist,*

Monsieur,

Vostre très-humble & affectionné Serviteur,
IS. CASAUBON.

A Paris, ce 12. May, 1605.

Epistola CCCCLII.

JOSEPHO SCALIGERO.

De altero libri tui exemplari, quod missu tuo accepi, proximis literis gratias tibi egi, & nunc quoque ago. 1605. Est sanè æquissimum, ut qui aliquid discam à te quotidie, quàm sæpissimè fieri poterit gratum animum meum tibi tester. Scripsi & ad N. ut suum quoque librum à te sciret me accepisse. Miratus sum, adeò eruditum virum, & tibi familiarem, tanti Thevetum *, fungum illum, non hominem, fecisse, ut ejus potissimùm autoritate Ægypti probaret appellationem; de qua erat pridem à te scriptum adeò accuratè. Ego memini sæpe legere in Arabe Geographo eam vocem, quæ nullum mihi negotium facessit unquam; prius enim didiceram illius interpretationem è libris tuis, quàm de lectione illius Geographi vel cogitarem. Scripsi ad te non semel, ausum esse me studio ejus scientiæ, & amore linguæ aliquot horas ponere in ejus libri interpretatione, jamque adeò pars magna peracta est: si quidem hoc est interpretari, ad singulas prope voces hærere, & ibi fortasse, ubi plurimum sapere mihi videor, plurimum ineptire. Cùm exaudiet vota mea Deus Opt. Max. & præstabit tui visendi facultatem, quæsitis meis ac dubitationibus non verebor tibi esse molestus. Intereà oro te, nisi grave est, doce me, quî verti possit illa non infrequens in eo libro Θράσις, רוסית & עלי אלתקויר. Exempla sunt frequentia extrema pag. 96. 97. & 101. 102. & alibi. Facilè conjicio, ex ipsa sententia duplicem diversitatem denotari; alterius brevioris, alterius longioris. Neque me latet, ראס esse *verticem montis*, aut *promontorium*. Alteram vocem suspicor esse à קור, quod περᾶν, & περαίνειν, nisi fallor, significat. Sed neque rectam interpretationem utriusque vocis capio; neque rationem, quam analogiam vocant. Itaque iterum à te peto, ut hoc me velis docere. Beneficii præmium hoc feres, ut etiam de aliis non verear te consulere: quàm multa enim nescio, ac ne per somnium quidem capio in illo libro? Est ubi cùm verba teneam, insolentia locutionis me cruciat: alibi hæreo in verbo, aut penitùs ignoto, aut notione ignotâ. נבל scio esse *montem* Arabibus, & tamen quid faciam illâ voce statim initio sectionis II. clim. III. nescio: nisi quod hoc scio, etiam alibi ita positam legi in eodem libro. Sexcenta sunt talia. Sed moror te. Vale, τιμιὸν ἀνχήμα.

* *De hoc Andr. Theveto vide Thuanum lib.* XVI. *Hist. pag.* 335.

1605. ἀνόχημα. Deus tibi annos Nestoreos. *Lutetiæ Parisiorum, a. d. IV. Eid. Jun.* CIƆ IƆ CV.

Legebam superioribus diebus apud Baronium, in anno Domini CCCCXV. fabellam oppidò lepidam, in qua plura sunt vocabula Syriaca; quorum partem facilè assequor, partem non satis capio. Utinam in Eusebianis tuis locus occurrat attingendæ illius πρωτοτύπου Historiæ: sin est aliter, esto, δέομαί σου καὶ λιτανεύω, hoc argumentum unius epistolæ ad nos tuæ. Viden' os æneum, frontem ferream mihi esse? qui te tam multa non dubitem rogare. Tu vicissim jube, & si quid me vis tuâ caussâ curare, impera; potes enim.

Ad hanc respondet Scaliger, lib. II. Ep. 109.

EPISTOLA CCCCLIII.

FRANCISCO VERTUNIANO.

MONSIEUR,

1605. *CE mot est pour vous advertir, que j'ay faict tenir à Monsieur Scaliger celles, que m'avez envoyé. Je desire en chose plus grande pouvoir estre employé pour vostre service & le sien. J'ay esté grandement aise de voir ce que m'escriviez de luy, lors que m'envoyastes la vostre autre, me la recommandant fort. J'estois en peine, que ce pourroit estre, n'apprehendant moins ses incommoditez, que je fay les miennes & de ma famille; pour le respect, que je porte à son Auguste, non envers moy. Si j'eusse sceu le subject, duquel luy escriviez, je luy eusse escrit aussi de beaux contes sur ce propos. Car la partie a esté dressée pour luy & pour moy ensemble, & pour ce que j'estoy sur les lieux, on m'a attaqué le premier, comme pour sonder, quelle esperance il y auroit. Un des Lojolites vint à moy, il y a plus d'un an, me dit, Qu'il avoit proposé à sa Majesté de r'appeller mon dit Sieur; & qu'il estoit facile, pourveu qu'il creut conseil, & conclust se faire Chrestien.* Hæc sunt τοῦ θηρίου ῥήματα· ad quæ obstupui, neque dissimulavi, quid de tanta insolentia sentirem. Sed quæ posteà secuta sunt, magis eorum mentem mihi aperuerunt. Longùm sit narrare quid moliti sint homines confidentissimi, ut mihi persuaderent, meridie non lucere. Tandem sensère quàm fuerint impudentes, qui ausi essent σκινωφῶν ἡμῶν τὴν πίστιν, iis nixam radicibus, ut concuti nesciat, τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ. *Quant au tesmoignage que Monsieur Scaliger rend en ses lettres de mon âge & de mes estudes; pour l'un je l'avouë à demi; car un homme de mon âge n'est pas éloigné de la vieillesse, si il n'y est du tout porté. Je nasquis l'an 1559. 8. Fevrier, dans Geneve, où mes bons pere & mere s'estoient retirez de Gascongne, ayant failli d'estre bruslez à Bourdeaux. Mais quant à l'autre point, c'est à mon grand regret, que je ne puis advouër* vel millesimam partem eorum, quæ divini illius viri amor mihi tribuit. *Mais il fault se contenter de ce peu, qu'il a pleu à Dieu me donner, & de dons naturels, & de commoditez pour estudier. Car ayant esté instruit par mon pere, homme très-capable, mais très-occupé des affaires de l'Eglise, à laquelle, par la grace du Seigneur, il a servi heureusement en Dauphiné, & quelquesfois esté absent de sa famille deux ou trois ans, chassé, pillé presque toutes les années; je puis dire avoir commencé mes estudes, lors que âgé de vingt ans je fus par luy renvoyé à Geneve. Ainsi estant* ὀψιμαθής, & quasi αὐτοδίδακτος, *au lieu de l'erudition que la bonté de Monsieur de l'Escale m'attribue, j'ay cette consolation, d'avoir perdu le meilleur de mon âge par les persecutions pour la verité, la memoire desquelles m'est plus douce, que miel ny sucre. Ce m'est assez, d'avoir appris de mon pere, de ne juger mal des lettres, & admirer ceux qui excellent en icelles:* supra omnes verò, atque adeò supra omnia omnium ætatum ingenia, uno Aristotele, aut fortasse & altero excepto, Scaligerum utrumque. De quibus dum dies noctesque vigilans & dormiens cogito, hoc saltem consecutus sum, ut si quid scribimus, omni contentione ingenii caveamus, ne falsa pro veris scribamus; si modò possumus ad verum pervenire, neque fucum lectori facimus. *Mais c'est trop vous tenir sur un si maigre subject. Je finiray donc la presente, vous ayant recommandé à la garde du Tout-puissant, & offert mon humble service tant à vous, qu'à Monsieur vostre beau-fils, & aussi à Monsieur son frere, s'il est de par de là. Tenez moy, s'il vous plaist,*

MONSIEUR,

Vostre humble & très-affectionné Serviteur,

CASAUBON.

A Paris, ce 12. Juin, 1605.

EPISTOLA CCCCLIV.

DANIELI HEINSIO.

ANte horam cùm ad te scriberem, 1605.
coactus sum, adstantibus multis, quasi aliud agens, eam epistolam exarare. Unde evenit, ut de Maximo Tyrio,

1605. rio, cujus gratiâ scribere potissimùm institueram, nihil adjicerem. Ut igitur admissum peccatum emendarem, κατὰ δεύτερον πλοῦν hæc prioribus adjeci. Est in Bibliotheca, Maximus Tyrius antiquæ manûs, & admodum bonæ in speciem notæ. Pauca adhuc contuli: non inveni multas varietates, quasdam tamen. Ordo sermonum est alius. Si de edendo cogitas, brevi mittam collationem τῆς διαφόρου γραφῆς. Fac me tantùm ut sciam: de cætero vide. Sed ô quando illud erit, cùm hac tantâ librorum copiâ mecum frueris? Opto quàm primùm eum diem illucescere, qui te mihi sistet præsentem. Cætera partim scripsi ante horam, ut dixi; partim brevi sum scripturus, ut spero. Ad magnum Heroëm prolixè scripsi modò: si hæc epistola fasciculum priorem anteverterit, quàm officiosissimis illum verbis meis salutabis: itemque virum Poëtamque clarissimum Baudium, veterem amicum meum. Raptim, *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VI. *Eid. Jul.* CIↃ IↃ CV.

Epistola CCCCLV.

EIDEM.

1605. TAndem accepisse te Dionem gaudeo; sed interierat munusculi levidensis, (de meis loquor) ne longioris expectationis tædio gratia omnis consumeretur. Ego tuam στρατηγικὴν Orationem accepi, & simul legi. Non putabam, tibi tantum esse masculæ bilis, ut in hosticum venire auderes. Macte hac virtute, & γενναίῳ φρονήματι τῆς ψυχῆς. Censeo tamen, parcas tibi; quando in tuo capite propè unico omnes literarum Veneres periclitantur. Ego mittam tibi cis paucos dies, volente Numine, opellam librorum duorum, cujus titulum * ex Prolegomenis in Persium fortasse notum habes. Hui! dices, tantum verborum de re tam levi? Sic est: posteaquam enim persuasisti mihi, eam, quâ apud Persium usus sum, πολυλεξίαν tyronibus non fore inutilem, verbis non parcere constitui, & horum in scribendo rationem habere semper. Ita factum, ut ex argumento Prolegomenôn (sic enim initio constitueram) duo libelli nascerentur; quorum editio adeò elegans & venusta, ut lenocinio alio non sit opus. Amphitheatrum Honoris †, librum scelerrimum, non dubito vidisse te: de eo quæ sint isthîc hominum judicia, scire ex te cupio. Non dissimulabo apud te gaudium meum, cùm in tuum nomen incidi. Spero enim fore te memorem: sed de his brevi fortasse plura. De mea isthuc profectione scripsi nuper ad magnum Heroa; nempe sententiam mutare multis de causis sumus coacti, & iter differre, cui nos jamjam eramus accincturi. Aliquid Bibliotheca potuit, ne tam citò tam longè abirem: sed graviores aliæ causæ fuerunt; de quibus nunc scribere non vacat. Sperabam me in reditu ducem tibi futurum itineris in Gallias: nunc quid consilii tibi dem, non satis scio; cùm præsertim raptim hæc scribam: illud spondeo, adventu tuo nihil mihi posse aut gratius contingere, aut exspectatius: sin isthîc adhuc moraris, filium ad te mittere constitui, cum bono Deo. Sed de his brevi proximis literis. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* V. *Eid. Quint.* CIↃ IↃ CV. 1605.

* *Scriptum de Satyrica Græcorum Poesi, & Romana Satyra.* Colomes.

† *Caroli Scribanii.*

Epistola CCCCLVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

NUdius quintus accepi tuas: longè illas quidem, ut semper, gratissimas; sed in quibus tamen illud mihi molestum fuit, quòd te libellum περὶ σταδιονικῶν necdum accepisse significabas. Hoc me malè habet; quoniam cùm temporis rationem ineo, metûs caussam invenio. Quare si, quod opto, evenit, & voti hujus factus es compos, velim me hac curâ liberes. In re quidem non magnum periculum, si moram excipias, cujus tu in hoc negotio non es impatientior, quàm ipse sum; τὰ σὰ γὰρ πάντα ὡς ἐμὰ τίθεμαι. Sin aliter acciderit, dabimus operam, ego & πανάριστος Labbæus, ut tuæ quàm primùm satisfiat voluntati. In Bibliotheca nihil adhuc mihi inventum, cujus desiderio moveri te admodum putem debere, ad id præsertim opus, quod nunc paras. Mathematica nonnulla de anni ratione in aliquot libris offendi; & in his procùl dubio quædam non pœnitenda: sed tamen ejusmodi, opinor, quæ magno tibi esse usui vix queant. Si jusseris, agam tecum de illis accuratius, proximè cùm ad te scribam, σὺν γε τῷ Θεῷ. Vidisse te non dubito Stygii cujusdam canis Amphitheatrum Honoris. Eo Satanico libro nos quoque vocamur in partes: quanquam equidem, si maximè ambitionis fermento turgerem, non alium gloriæ cumulum optaverim, quàm ut dignus possem meritò videri, qui tecum nominarer: quem honorem scelestissimus ille Loyolita persæpe in ea scriptione mihi detulit: τῷ καὶ κύδει χαίρων αὐτῶν τοῦ κρανίου τῶν ἀντύγων προσψαύειν μοι δοκῶ· τὸ μὲν γὰρ ἀτιμασθῆναι μετὰ σοῦ, ὦ ἱερὰ κεφαλὴ, ὑπερβολή τοῦτο γ' ἐστι τιμῆς ἀκραιφνεστάτης· τὸ δὲ ἀξιωθῆναι ἀτιμίας τυχεῖν ὑπὲρ

τοῦ

1605. τοῦ Χριστοῦ, εἰ μὴ θρίαμβον ὡς ἐνδοξότατον νομίζω, πῶς τῶν φρενῶν εὖ ἔχειν δόξαιμι. Miror tamen quis sit hic furor, quæ rabies, quietos homines atque εἰρηνικοὺς sine caussa invadere, atque ad certamen provocare. Possem hæc facilè contemnere, nisi securo somnum adimat illa cogitatio: qui talia dicant scribantque, hos quid censendum est moliri? aut quis potest dubitare, homines Cerbereos nihil nisi flammam & ferrum meditari? Ego non dubito, omnia eorum consilia eò referri; id agere, id studere unum, id assiduè urgere, ut in bonos impetum faciant; piorum sanguine, quem pridem sitiunt, οἱ ἀλάστορες καὶ ἐναγεῖς proprias maculent manus; ἀποφράδος denique illius diei, quæ sola ipsis placet, lanienam instaurent. Scio tamen ab hoc consilio quàm alienissimum esse illum, cujus recenti beneficio ita feroces sunt facti: sed profectò in ea devenimus tempora, ut sit οὐδὲν ἀπόμοτον. Itaque fatebor tibi, quod res est; quotidie magis magisque commoveri me, ut non tam mihi, quàm meis metuam, & prospectum cupiam. Hoc cùm rescivissent Consules Nemausenses, certum hominem ad me miserunt cum mandatis literisque, scriptis quàm honestissimè, ut me suum facerent, persuaderentque mihi, ut penates meos in suam urbem vellem transferre. Offeruntur mihi in stipendium annui sexcenti aurei, quæ summa, ut quidem ipsi pertendunt, pluris isthic æstimari debet, quàm quicquid est, quod à Rege hic præstatur. Addunt insuper de hospitio, cujus gratiâ libras pendo annuatim in hac urbe quingentas. Nunquam adeò æstuasse me, recordor, atque in hac deliberatione multos jam menses ἔνθεν κἀκεῖθεν ὑπὸ ἀμηχανίας διασπῶμαι. Quoties studiorum meorum venit in mentem, hoc est, τῆς πυργώσης βιβλίων ἐμπειρίας, heic vivere, heic mori mihi suave est, & profectò tam longè à te abesse, mortis instar mihi futurum. Accedit magni Mæcenatis mei reverentia; nam ingratum me illi non esse, unicâ re exceptâ, certò scio. Thuanus verò ὁ ὑπέρμεγας quo animo abitionem meam sit laturus, satis declaravit superioribus diebus, quum pro nostra conjunctione æstum meæ mentis cum illo communicassem, & consilium ipsius experiissem: non enim dissimulavit, nullo modo sibi videri ferendum, ut de ea re vel cogitarem. Hæc ferè sunt ab hac parte: quæ etsi pro eo ac debeo, duco esse gravia; vereor tamen, ne si in alteram lancem contrarias rationes contulero, facilè sit præponderatura. Omitto justissimas metuendi caussas, de quibus antè dicebam: certè cùm liberos meos, 1605.
cùm uxorem respicio, quid est cur ἐμφιλοχωρεῖν ei loco debeam, ubi neque vivus consulere eorum possum commodis, & moriens in summa solitudine atque amicorum inopia afflictissimam domum sum relicturus? Magni enim illi amici, quorum gratiâ pollemus, altiore loco sunt collocati, quàm ut ἐμοῦ οἰχομένου meis ipsos conveniendi ulla sit futura facultas; nedum ut in ipsis fore ullum præsidium miseris paratum existimare debeam. Ego ipse duobus exceptis viris optimis maximis, cæterorum συκίνην ἐπικουρίαν esse, non semel sum expertus: οἱ μὲν γὰρ παρ' οὐδὲν εἰσι, τοῖς δ' οὐδὲν μέλει. Regis liberalitas etsi non contemnenda, propter loci tamen, ut scis, damnosissimi conditionem hæredes non multum est adjutura. Est mihi liberorum parvus quidam populus: filios heic in Dei timore, & literis curare instituendos, sine maximis impensis non possum; filias si sperem conditiones heic reperturas pro honestate familiæ nostræ, quod præfiscinè dictum sit, pro cerrito sim circumferendus: nam quæ alibi luculentæ censeantur dotes, cerdonum Parisiensium, & tomaclariarum filias vix deceant. Hæc me cogitare, & non minoris momenti quàm ista sint alia, quæ, ne longior sim, missa facio, pietas jubet & ἡ φυσικὴ στοργή. Te igitur convenio, sapientissime Scaliger, teque per hunc tantum, quo me dignatus es, amorem oro obtestorque, velis ad ἀκαρὲς punctum temporis fingere te, quasi hic sis, & agitatâ apud te deliberatione istâ, consilium mihi impertiri tuum; non enim vereor, ne cujus consilii te habuero auctorem, ejus me jure unquam pœniteat. Deus te servet, fortunetque etiam atque etiam, venerande Senex. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* v. *Eid. Quint.* CIↃ IↃ CV.

Eduntur heic aureola Opuscula tua, quæ Labbæis fratribus, quum à te discederent, tradidisti: eduntur autem studio, fide & diligentiâ Caroli Labbæi & Puteanorum fratrum; qui me quoque urgent, ut proverbiorum mihi observatorum centuriam aliquam eodem conjiciam: id enim vehementer cupere Typographum, cujus operâ utuntur. Ego vereor, ne arrogantiæ crimen incurram, si meas quisquilias tuis margaritis adjungere non erubescam. Quia tamen videtur mihi ratio habenda voluntatis optimorum adolescentum, si per te licet, frontem perfricabo. Iterum vale.

Ad hanc respondet Scaliger. lib. II. Ep. 111. & 112.

EPISTOLA CCCCLVII.

DAVIDI HOESCHELIO.

1605. DE libello Græco, quem dono à te accepi superioribus nundinis, ago gratias. Quàm autem mihi sint omnia grata, quæ à te proficiscuntur, non est, quod pluribus tibi narrem: nam amorem meum in literas, & te quanti faciam, confido esse tibi notum. Ego tibi mittam proximo mercatu libellos duos, *De Satyrica Græcorum Poësi, & Romana Satyra*, de quibus jam nunc tuum judicium opto cognoscere. Equidem si Dei benignitas nos propius junxisset, tu κόπις esses τῶν ἐμῶν λόγων· nam & ingenio parum fidimus, & ita distracti sumus quotidianis impedimentis, ut sanctè jurare possim, quæ edimus, citius propè prælo subjici, quàm sint à nobis mente concepta. Rapimur enim cupiditate discendi ad legendum potius quàm ad scribendum. De Procopio, gratissimum est, quod nuncias. Deus tibi, optime virorum, annos Nestoreos duit. Franciscus Pithœus habet excerpta τῶν Προκοπίου ἀνεκδότων, quæ in potestate olim fuerunt magni Pinelli. Utinam quidem librum integrum posset tibi parare nobilissimus Velserus: sed si id non potest, & Pithœana excerpta placet adjicere, promisit ipse missurum, quando velles. Inveni his diebus in Regia Bibliotheca alterum Procopii exemplar, nisi fallor, melius aliquantò illo, cujus exemplum misi. Bavaricum, puto, utrumque nostrúm superabit. Quicquid erit, in quo opera mea tibi poterit esse usui, ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ· omnia postponam, ut tuæ voluntati morem geram. Perge modò, ἣν ἔλαχες σπάρταν κοσμεῖν, quod fecisti hactenus. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XVI. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA CCCCLVIII.

HEBELO BRUNERIO.

1605. QUantæ voluptati mihi epistola tua fuerit, Vir doctissime, vel ex eo cognoscas, quod eidem lectæ statim responsum hoc exaravi, quamvis occupatissimus: sed facere non potui, quin grati animi hanc cuicuimodi significationem tibi darem. Ago igitur tibi gratias ex animo pro ista humanitate, quam mihi exhibes. Noli enim dubitare, fuisse mihi gratissimum, ea intelligere quæ scripsisti. Pervenerat jam ad manus meas inscriptio libelli adversus me scripti, quæ simul Autoris * nomen, & insignem ejus rabiem præ se ferebat. Miratus sum primò, potuisse reperiri hominem, qui nullâ injuriâ, non dicto, non facto à me provocatus, animi causâ stilum in me stringeret; tam violenter præsertim, tam furiosè, & διαβολικῶς. Mox tamen collegi me, & semel apud animum meum constitui, omnium canum latratus contemnere. Itaque neque legi, neque legam unquam scelesti illius vesana scripta: quid enim mihi cum illo? Seriò tibi confirmo, nunquam fore ut obliviscar, hominem me esse, illum canem; neque in certamen adeò turpe sum descensurus. Erunt alii, erunt scio, qui meam vicem & ipsum & eos, quorum ille est emissarius, suis coloribus depingant. Ego si ad pugnandum convertam animum, paratum jam habeo majoris dignationis † Antagonistam, quicum in rerum pulcherrimarum disquisitione me exerceam. Verùm hæc Θεῶ ἐν γούνασι κεῖται. De itinere, quod in Græciam & Asiam cogitas, gratum fuit ex te cognoscere: atque ego Deum veneror, ut te servet, & incolumem ad nos reducat. Non dubito, fore tibi aliquam vel Romæ, vel Constantinopoli occasionem proficiendi in Arabicis; si minus quantum cupis, certè quantum alibi non potuisses. Scis eo in genere nullam rem æquè desiderari ac Lexici alicujus auxilium: nullum enim adhuc est editum. Josephus Scaliger, vir divinus, & quem soli spernunt hostes literarum & veritatis, ingens opus confecit; sed de cujus editione quid sperare possimus, nescio: imò hoc potius metuo, nullam admodum tanti thesauri fruendi spem nobis superesse. Ego autem miratus sum persæpe, qui factum sit, ut viri magni, qui eam linguam illustrare isthic ceperant, ab incepto destiterint: quod sanè non oportuit factum: & oro te, si quid potes, accende viros doctissimos, quos tibi notos jam esse non dubito, cupiditate operis perficiendi. De Laurentio Archiatro, viro clarissimo, memor ero, ut si potest fieri, tuis commodis aliquo modo consulatur. Vale, & scribe, ut cœpisti. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VII. *Kalend. Sextil.* CIↃ IↃ CV.

De Hottomanno quæ isthìc jactantur, falsa esse scito. Ille in eadem mecum domo habitat, & mihi intus & in cute est notus.

* Scioppii.

† Baronium.

EPISTOLA

Epistola CCCCLIX.

CONRADO RITTERSHUSIO.

1605. Salvæ sunt, quas periisse putas, epistolæ ad me tuæ, quarum novissimis literis mentionem facis, omnes, ni fallor. Serius quidem, sed tamen accepi tandem: pro quibus omnibus satisfaciam tibi, ubi primum otii aliquid fuero nactus. Nunc enim raptim, & sanè quàm occupatus πλυτρόπως pauca hæc ad te exarabam. Ago igitur tibi magnas maximas gratias, pro jugi hac nostri recordatione & frequenti scriptione, quæ eò magis obnoxium tibi me facit, quò minus per occupationes hasce meas paria tecum in hoc officii genere possum facere. Mihi crede, si de tuis commodis ageretur, omnia missa facerem, ut animum meum tibi probarem: nunc quo sum de tua erga me benevolentia certior, eò minus laboro, ut scriptione literarum fidem meam tibi probem: quod semel dicendum mihi fuit, quia sæpe accidit, ut neglecti officii hujus jure me possis reum facere: καὶ ταύτα μὲν ταύτῃ. Carmina tua accepi, credo, omnia, legique magna cum voluptate: etiam illud, quod non ad me, sed ad communem amicum miseras εἰς τὲς θεοσυγεῖς Λωιολίτας. Vidisti, puto, Amphitheatrum, * quod aliquis eorum composuit. Non quæro de eo libro judicium tuum: non ita malè te novi, ut probari tibi posse putem ulla ex parte nefarii hominis [scimus quis ille sit] partum, blasphemiis in Deum & in constitutos à Deo Reges plenum, in omnes bonos contumeliosissimum. Hæ sunt artes Cerbereæ illius familiæ, quam non pudet τρισάγιον illud nomen usurpatione sua contaminare. Nam quid homines ἀλάστορας movit, cur in magnum Scaligerum tanta cum ἀναισχυντίας ὑπερβολῇ inveherentur? Me verò quòd nominatim traducere tanti putarunt, non pluris equidem facio, quàm olim Socrates asinum λακτίζοντα. Hoc doleo, non eo loco esse me, ubi possim μετὰ παῤῥησίας literarum causam adversus hanc pestem defendere. Est mihi cum Frontone Ducæo, ejus quidem φρατρίας viro, at non eorum morum; & præterea doctissimo, familiaritas magna. Is juxta mecum Auctorem libri, vel potius Auctores & approbatores abominatur execraturque. En, mi Rittershusi, infelicium temporum diram sortem! quando veritas non cuniculo, sed palam oppugnatur; mendacium publicos professores habet; maledicere Deo hominibusque; rixas serere in bella mox erupturas, pietas censetur; νῦν δὴ καιρὸς εἰπεῖν, Ναὶ ἔρχου, Κύριε· hæc enim sola bonis spes & consolatio relicta. Quam petis Thuanææ Historiæ partem, habebis cum mantissa: tota enim priore illâ formâ hic cuditur in folio, uti vocant. Totam mittemus mandatu Thuani, ubi fuerit editio absoluta. Cùm totam dico, omnia dico, non quæ scripsit Thuanus, sed omnia quæ sperare possumus, eo vivo editum iri. Multorum enim annorum Historiam prius editis nunc adjicit ὁ θαυμάσιος ἐτος ἥρως· annum tamen LXXII. non transcendit, ne absolvit quidem. Is te amicissimè salutat, & unà tecum clarissimum virum, Scipionem Gentilem, cui brevi & scribam, & opusculum mittam, in quo sum nunc totus, *De Satyrica Græcorum Poësi, & Romana Satyra.* Exspecta etiam tu exemplar unum, & me διαπλεῖ φιλῶν, μᾶλλον δὲ ἀντιφιλῶν. Scripsi raptim, *Lutetiæ Parisiorum, proprid. Eid. Sextil.* CIϽ IϽ CV.

* Henrici Caroli Scribanii.

Epistola CCCCLX.

JOSEPHO SCALIGERO.

Quod raro memini accidere, nunc evenit, ut ternas à te literas acciperem, priusquam ad respondendum me accingerem: caussæ cessationis insolitæ, plures ac variæ, quarum commemoratione supersedeo. Libellum χρονικὸν accepisse te cum aliqua voluptate, incredibilem in modum gratum mihi est. Scio, quantum tibi omnes boni, quantum omnes literarum studiosi debeant; postremò quantum ipse, qui si ætatem tibi inserviam, omnia tua jussa exequens, nullam tamen partem tuorum in me meritorum fuero assecutus. Denique quod pater filio, hoc tu mihi es; quod devinctissimus cliens optimè merito patrono, hoc ego tibi sum. Potest fieri, ut quod fui hactenus, inutilis tibi sim etiam porrò: ingratus ut sim, & parum intelligens officii mei, hoc verò, dicam audacter, fieri non potest:

Non obtusa adeò gestamus pectora Pœni.

De quæstiunculis meis, quòd illas mihi expedieris, immortales ago tibi gratias. Provocat me tua benignitas, ut ne dubitem tibi interdum esse molestus. Sexcenta sunt in Arabicis, in Annalibus mythistoricis, imò ubique, quæ leviter à te adjutus aut intelligere, aut emendare possim, nisi fallor. Nunc

1605. quia capitale illud ingenium, quo excellis, nobiscum non habitat, cum turba jactamur incertis opinionibus: sæpe etiam, de quo non dubito, decipimur specie veri. Judicio tuo de Theveti laudatoribus subscribo lubens: & profectò aliter nunquam judicavi. Quàm multa possem afferre argumenta? Neque de literis solùm loquor; in queis parum videre si crimen ducerem, miserrimum mortalium me crederem. Sunt alia, quæ facio longè pluris. Noli putare, offendi nos conviciis Loiolitarum; ut ex iis, quas hodie accepi, videor colligere à te judicari. Ego verò quid dicant homines θεοστυγεῖς, susque deque habeo; abstineant modò manus humani sanguinis avidas: quod quidem Deo Opt. Max. permittimus. De cognomine Burdenii, etsi legeram quæ scripta sunt in illa divina epistola de σεβασμιωτάτου parentis tui vita, lubentissimè tamen quæ à te sunt scripta, legi, & amicis ostendi legenda. Equidem vix putaram cadere in humanum ingenium tantum sceleris, & κακοηθείας διαβολικῆς posse: apparet enim studio plurium inventum, & sparsum id mendacium; cujus architecti illi Itali, aut Italici οὐκ ὀνόμαστοι omnes omnium sæculorum sycophantas malignitate longè superasse mihi videntur. Exstat in Bibliotheca, Pseudo-Callisthenis Historia Rerum Alexandri. Observavi hoc μύθευμα totidem ferè verbis in Ebræum sermonem versum à Pseudo-Gorionide, * & sanè cum voluptate quædam contuli, multaque in textu etiam Italico emendavi; præsertim virorum & locorum nomina. Admiror verò imposturam. Habeo librum, qui inscribitur, ספר חסידים † quem à te non invenio laudatum: puto tamen tibi visum; est enim Basileæ editus. Uteris meo, cùm voles: sed vereor ut sit tanti; pleraque enim alibi legi. Eusebiana tua propè jam conviciis à me flagitantur: atque utinam brevi tanto fruamur thesauro. Vale, illustrissime Scaliger. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XVIII. *Kalend. Septemb.* CIƆ IƆ CV.

* Suprà, Epist. CCCCXLVI.

† Liber Piorum, cujus Author R. Samuel. Claruit anno Christi 1180. Colomes.

Ad hanc respondet Scaliger, lib. II. Epist. 102.

Epistola CCCCLXI.

DANIELI HEINSIO.

1605. ITa planè est, suavissime Heinsi, εὐαγγέλια tibi debeo propter nuntiatam mihi editionem Canterianæ συλλογῆς. Deus bone, quem tu nobis eruditionis thesaurum dabis? Athenæum penè totum id opus continebit; sic enim, velitis nolitis, instituti ratio postulat. Oro igitur te, obsecro, obtestor, nihil prætermittas, quo possit optimo Scriptori consuli. Tres isthic viri estis, qui pares futuri vel singuli oneri, quamvis magno; nunc operis junctis quid non præstabitis? te dico, nobilissimum Canterum, & τὸν ὑπέρμεγαν Heroëm nostrum *, qui etsi gravioribus curis horas suas impendit; tamen vel succisivis temporibus ea inveniet, quæ omnes simus jure miraturi. Si quid igitur preces meæ apud te valent, editionem operis pulcherrimi urge, & omnibus modis adjuva. Posteà idem à te contendemus de opere à magno Dousa instituto; cujus manibus hoc officium debes, ut sis ipse ejus editionis ἐργοδιώκτης. Dum in his occupaberis, & consuetudine illius senonis, quem ego & tu pari reverentiâ colimus, frui poteris, non video, ut ingenuè & amicè, quod sentio, tibi aperiam, quid sit cur alibi quàm isthic esse malis. Et profectò longè falleris, si putas heic te reperturum aliquid, quod vel ad paucissimos dies levare tibi desiderium queat eorum, quæ domi reliqueris. Novit clarissimus Baudius, quàm hîc literæ frigeant; quàm pauci rectè de illis judicent. Unica est Regia Bibliotheca tuis oculis dignissima; quæ si heic sis, æquè patebit tibi ac mihi. Sed quoties venit in mentem, quàm utilem istic Reipublicæ literariæ operam naves, quà docendo, quà scribendo; etsi cupiditate tui videndi incredibili sum incensus; quia tamen ἱερὸν ἡ βουλή, non possum tibi author esse, ut prius istinc pedem efferas, quàm illa perfeceris, quæ præ manibus nunc habes. Sin aliter animo sedet, hanc meo quodam jure legem impono tibi, ut nullum aliud, Lutetiam ubi veneris, prius ingrediaris hospitium, quàm meum. Notissima est Franciscanorum λαύρα, in qua regione habito propè ædem illorum. Maximum Tyrium, ubi est otium, confero; & proximis literis quæ inveni, haud sanè ita multa, mittam. Vale, nobilissime juvenum, & me constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XVI. *Kalend. Septemb.* CIƆ IƆ CV. 1605.

* Josephum Scaligerum.

Epistola CCCCLXII.

CLAUDIO SALMASIO.

PRimæ, quas post tuum à nobis discessum accepi, illæ fuerunt, quas ante paucos oppidò dies mihi tradidit Gilbertus noster. Utinam verò possim verbis exprimere, quàm gratæ illæ mihi fuerint, & quia valere te, ex illis cognovi, & quia profectum in literis tuum ex iisdem magis magisque perspexi. Hactenus 1605.

1605. ctenus enim quid in pangendis Græcis Latinisque versibus posses, præclarè ostenderas; nunc verò ad solidiorem eruditionem accedere te, & jam aliquid meditari, quod posteri loquantur, incredibili cum voluptate ex tuarum lectione intellexi. Quæ de Callimachi editione scribis, nihil plebejum sapiunt: at quæ in Athenæum sunt à te animadversa, ita me Deus amet, ut mihi fuere grata, & δόκιμα sunt visa. Quare te hortor atque adeò obtestor, pergas in illa te exercere palæstra. Nec te moretur, quod aliquid ipsi occupavimus; plus enim veræ laudis ex spicilegio te manet, quam ipsi opere tam longo simus adepti. Ego ingenuè tibi fateor, emendationes tuas primâ specie statim mihi se probasse; magis autem, cùm ex intervallo illas relegi. At non est profectò cujusvis, Græcos Auctores emendare; nec omnes κριτικὴν ῥῖνα habent; sed pauci, quos Jupiter æquus amavit. Miserunt ad me multi suas observationes in eundem Auctorem, post nostrorum editionem. Sed, Deus bone, quàm frigida aut absurda nonnulli? Iterum igitur te convenio, & ut pergas, quo cœpisti, pede, etiam atque etiam te vehementer oro. Deus te servet, charissime Adolescens. Clarissimum parentem * à me jubebis salvere, ni grave est. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CV.

* *Benignum Salmasium, Senatorem Divionensem, cujus extat* Dionysii Periegesis, *carmine Gallico accuratè expressa.* Colomes.

Epistola CCCCLXIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1605. ** *Je ne sçay que diront les Doctes de par de là de mon livre:* † *mais pourveu que* in tam jejuna & scholastica scriptione, *vous y ayez trouvé quelque chose à vostre goust, ce m'est assez.* Unus enim tu mihi ἀντὶ μυρίων. *Si je jouissois de pleine liberté, vous sçavez, à quelles estudes je me plairois. Escrivant ce mot de preface qu'ay fait, je ne sçay comment ma plume s'est esgarée à dire un mot de ce Satanique livre* ‡ *que m'aviez donné, & qui est maintenant entre les mains de Monsieur de Rosny: d'autant que le Roy en ayant ouy parler, il avoit esté instruit par son Cotton, que tout ce qu'on en disoit, estoit faulx, & l'a hardiment soustenu* Jesuiticâ fronte *à Monsieur Servin en presence de sa Majesté. Tellement, que si mon livre, qui dès long temps crottoit par la ville, ne se fust en fin trouvé, la verité estoit mesme en cela triomphée. Tant ces bons peres ont familier de combattre pour le faulx; & qui pis est, vaincre en defendant le mensonge. Je n'ay voulu dire qu'un mot, & ce touchant les lettres,* 1605. *laissant pour le present ce qui est le plus abominable en cet escrit là, lequel je desire de sçavoir, si on a tellement supprimé, que les foires de Francfort ne doibvent rien grossir. Il importe, ce me semble, que ce monstre là soit veu de tous, pour faire cognoistre ces Peres. Je vous envoye une espreuve du Polybe, afin que sçachiez, que c'est à bon escient que m'y suis mis. Si Dieu me donne vie & santé, je ne cesseray, depuis qu'une fois il sera sur la presse, que n'aye achevé: ayant enfin resolu de devorer ceste fascherie de faire une version, laquelle j'espere donner fidele, si elle n'est* ornata aut calamistris inusta: *ce qui pourra se faire à une autre edition, si Dieu le veult. Je me remets du tout à vous, pour faire ma condition la meilleure que pourrez, avec Monsieur de Marne: le travail est grand à la version, plus grand sans comparaison aux annotations; ausquelles quittant presque tout ce qui est de Grammaire, je suis resolu de monstrer l'usage* scientiæ civilis *en la lecture des Histoires. Brief, si je ne me trompe, ce sera un livre de ce temps.* * De Paris, le XXXI. d'Aoust, CIↃ IↃ CV.

† *De Satyrica Græcorum Poesi.*

‡ *Amphitheatrum Honoris.*

Epistola CCCCLXIV.

EIDEM.

** *Nous n'avons veu icy encores aucun livre de ceste foire, si non la responce de Serarius, qu'avez envoyé à Monsieur de Bordes, qui a servy pour plusieurs communs amys. Je l'ay devorée soudain, non sans y apprendre des choses que je ne sçavois pas, desquelles la plus veritable & plus notable est, que* Henricus Stephanus fuit gener Casauboni: adeò fibulatis patribus etiam, ubi nihil intererat verum dicere, mentiri solemne est. *Ceux qui liront cela, me cuideront* plus quàm senem depontanum. *Je croy que tous ceux qui verront ce magnifique livre là, s'ils ne sont diaboliquement ensorcelez, come celuy, duquel m'avez escrit, ils jugeront aisément,* quid distent æra lupinis. *J'y recognoy une grande finesse: car afin que les livres de Monsieur Scaliger & Drusius ne soient leus par les leurs, il insere dans le sien tout ce qu'il a jugé de plus beau & rare. C'est un* λωϊολιτικὸν στρατήγημα, cæteris simile. *Je prie Dieu que ces bonnes gens là me laissent en repos: ou s'ils ont à m'attaquer, qu'ils me donnent loisir d'achever le Polybe, qui à present me tient tout occupé à soy. Croyez Monsieur, l'asseurez à tous,* quibus hæc curæ, *que je ne cesseray, si Dieu le veult,* 1605.

avant

1605. *avant que j'aye mis fin à ce labeur, duquel je commence à veoir la grandeur & difficulté, que certes nul devant moy, n'a, que je sçache, gueres amoindrie.* * Kalend. Octob. CIↃ IↃ CV.

Epistola CCCCLXV.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEIMIO.

1605. ESsem fortasse veritus, Vir sapientissime & nobilissime, eruditis oculis tuis librum ἀνέκδοτον objicere, quem heic recens edidi; nisi cùm ex aliis tuis, tùm maximè è novissimis, quas à te accepi, certò cognovissem, non improbari tibi genium scriptorum nostrorum. Nam qui Persianam lucubratiunculam facias tanti, ne hunc quidem, opinor, ingenioli nostri fœtum penitus aspernaberis. Eâ spe mitto tibi, quæ *de Satyrica Græcorum Poesi, & Satyra Romana* nuper scripsi; tenue, ut vides, argumentum, & scholasticæ doctrinæ; in quo tamen tractando mihi ipse indulsi, neque prolixitatis crimen reformidavi. Qui nomen oderunt nostrum, αὐθαδολογίαν esse hanc interpretabuntur; amici fortasse, ἀκρίβειαν. Id enim egimus, ut quantum per angustias temporis, quod nobis ipsi præscripseramus, liceret, non multa missa faceremus, quæ ad propositi argumenti illustrationem spectarent. Multi anni sunt, cùm multos Antiquitatis locos pari, aut majori etiam diligentiâ illustrare conati sumus: sed admonet nos hæc ætas, ingravescere jam incipiens, ut hoc genus amœnitates, quæ ne anteà quidem nimis me capiebant, nunc etiam fastidiam. Quod si stili libertatem haberemus, testor Deum immortalem, Vir nobilissime, nullum fore genus studiorum, quod meas omnes curas sibi vindicaret, nisi illud, ad quod gravissimâ oratione nuper me hortabaris. Memini audire sæpe à parente meo, viro insignis pietatis, optare se, minimum quid in eo genere potius præstarem, quàm aliud quidvis in aliis literis, quantumvis πελώριον, aut magnum. Hæc illius vox quotidie auribus meis insonat; gliscitque indies in animo meo ingens desiderium, symbolam aliquam eo conferendi; pudetque me, cùm videam, quâ contentione mendacium multi eant defensum, non parem alacritatem & animi contentionem ad veritatis propugnationem pro mea virili à me afferri. Quod si aliis prodesse ea in parte non possumus; nobis certè ipsi non desumus, neque quicquam lubentius facimus, quàm ut in cognitione τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀρχαιολογίας quotidie proficiamus. 1605. At vir divinus, Josephus Scaliger, quantus etiam in hoc eruditionis genere esset, edito nuper in Serarium libro luculentè probavit. Deum immortalem! quam multa tantulus liber rara, exquisita, ignota aliis continet? Quid igitur de Commentariis Eusebianis sumus dicturi? quo opere venerandus senex secum ipse certavit, & priores vigilias, si posset fieri, voluit superare. Et negabit quisquam mortalium οἷον πέπνυσθαι, τοὺς δὲ σκιὰς ἀΐσσειν? non tu certè negabis; cujus judicium de tanto Heroë lubens legi in postrema epistola tua. At isti Amphitheatrorum nuperi Scriptores, si veritatem non odissent, & ἄσπονδον πόλεμον illi non indixissent, Scaligerorum nomen venerarentur cum omnibus bonis. Deus & illum, & te Reipublicæ literariæ quàm diutissimè servet incolumes. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CV.

De libro Arabico * illustrissimi Principis, cujus usuram mihi impetrasti, quod id effeceris, ut prorogaretur ἡ προθεσμία, & præfixum utendi tempus, immortales ago tibi gratias. Utar, & bonâ fide reddam.

* *Vide Casaubon. ad Pers. Sat. IV. vers. 21.*

Epistola CCCCLXVI.

MARQUARDO FREHERO.

DE libro tuo eruditissimo super Re monetaria immortales tibi ago gratias. 1605. Sed Pomponium tuum scito nos exspectare quàm cupidissimè; atque adeò oramus te, ut cùm primùm nactus fueris otium, id opus cum studiosis nominis tui ac scriptorum communices. Nos superioribus diebus Commentarium scripsimus simul ac publicavimus, quo Satyricæ & Satyræ rationem ac differentias uberius, ac nisi fallor, ἀκριβέστερον, quàm esset à quoquam adhuc factum, explicuimus. Eum librum tibi mittimus, petimusque à te, ut semoto affectu, tuum de ea scriptione judicium nobis aperias. Habemus alios quàm plurimos Antiquitatis locos, pari, aut longè etiam majori diligentiâ tractatos, quos fortasse aliquando publicabimus, si tamen tanti facturi sumus, aut possumus à nobis impetrare, ut ad poliendas veteres illas curas meliora studia intermittamus. In Polybio nunc sumus, ad quem illustrandum eo animo accedimus, ut civilis scientiæ usum simul doceamus; hoc enim à me exigunt, qui jubere possunt, vel potius, quibus non parere nefas. Amphitheatrum Lojolitarum vidisti. Ego ita sentio, interesse Reipu-

1605. Reipublicæ, ne eximatur hominum oculis tam insigne monumentum Jesuiticæ impudentiæ, συκοφαντίας, impietatis erga Deum, contumeliæ in Reges ac Principes; furiosi denique odii, quo literas & virtutem persequuntur οἱ ἀλάστορες. Non dubito tibi quoque idem videri. Heic certè optimus quisque etiam inter Catholicos, uti vocant, plurimùm & librum, & libri patres abominatur. Itaque qui hîc sunt ex illa familia, mentiri nescia, deos deasque dejerant, * non se, neque suos tam abominandi libri esse Autores; verùm istos nequam Hæreticos, qui verecundæ familiæ atque probissimæ invidiam voluerunt conflare: & cùm astu illorum omnes libri essent subducti, tùm frontem perfricuerunt, & apud Regem fortiter negarunt, vel talem aliquem librum fuisse scriptum, vel in eo quicquam eorum legi, quæ vulgò jactarentur. Quid multa? θαυματοποιοὶ homines sunt: adeò facilè est ipsis efficere, ut ne sit factum, quod factum est. Hæc principia quò tendant, non te fugit: sed τὸ μέλλον Deo permittamus. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CV.

* Vide suprà. Epist. CCCCLXIII.

EPISTOLA CCCCLXVII.

CONRADO RITTERSHUSIO.

1605. NOn dubito accepisse te, quas ante mensem, & quod excurrit, ad te misi. Itaque de magni Thuani in te affectu, & desponso tibi exemplari ejus Historiæ, cùm fuerit absoluta, quæ nunc cuditur editio priore duplo auctior; de his, inquam, & cæteris, quæ proximè scripsi, nihil jam dicam. Te potius orabo, ut munusculum non magnæ rei, quod tibi mitto, Syntagma quoddam nostrum de Satyrica & Satyra, πρόφρονι θυμῷ accipias. Argumentum quàm sit jejunum vides; quod tamen prolixè & accuratè tractavimus. Non deerunt scio, quibus ἡ ἐν τοῖς τοιούτοις ἀκριβολογία videatur esse supervacua: ego tuam & paucorum solidè eruditorum sententiam exspectabo, assensurus haud dubiè, quamcunque in partem pronuntiatum à vobis fuerit. Sexcenta talia argumenta, sive Antiquitatis communes locos habemus affectos; qui modico labore poliri, atque in publicum protrudi quirent, si tanti mea facerem, ut illa publicari, Reipublicæ literariæ magnopere putarem interesse. Sed enim, mi Rittershusi, vita, quam hîc vivimus, propter frequentes occupationes, non multas horas ad studia succisivas nobis reliquas facit. Nos autem ita naturâ 1605.
sumus comparati, ut discere quàm docere, legere quàm scribere longè malimus. Verumtamen, quoniam per amicorum κελεύσματα nobis non licet esse negligentibus, excitabimus ipsi nos, & juventuti studiosæ prodesse contendemus. Nunc, quod Deus fortunet inceptum, in Polybio sumus; brevi, ut speramus, prelo magnum illum Scriptorem subjecturi. Dabimus hoc publicæ utilitati, ut Auctorem hunc Latinum faciamus; magno sanè aliarum nostrarum curarum haut paullò graviorum damno: sed obdurandum est; aleam enim jecimus. Fidei, credo, in hoc negotio litabimus, securi de elegantia & calamistris, quos ii curent, qui otio abundant, si volent: ego ad alia propero ἐπεὶ ὁ βίος βραχύς. Notæ uberiores erunt, & si possumus, non inutiles iis, qui notitiâ Antiquitatis oblectantur. Isidorum tuum strenuè edi, partim ex tuis cognovi, partim ex literis clarissimi viri, Georgii Remi. Is nuper scribebat, ita assiduum esse te in opere Musico, ut ἐπικεκυφὼς τοῖς βιβλίοις νύκτας τε καὶ ἤματα πάντα laborandi finem nullum facias. Quid tibi vis, mi Rittershusi; cur te is perditum? cur non te respicis? Quin exemplo utere potius meo, qui postquam huc veni, & minus in studiis assiduus esse cœpi, factus sum ἐρρωμενέστερος καὶ ὑγιέστερος quàm essem prius. Tu quoque, ut quod agis, diutius agas, age remissius, & valetudinem tuam sedulò cura. Scripsi nuper, nullas tuarum videri periisse, quas à mensibus sex septem mihi scripsisti: nam & illas accepi, quibus erant Oppiani flores adjecti, cum Latina interpretatione tua; qui liber tuus, si ullo modo heic edi poterit, non deero mihi, quando placuit tibi eam lucubrationem tuam pulcherrimam meo nomini inscribere. Sed ad talium editionem mirè hîc frigent Typographi nostri, quæ gens τοῦ καλοῦ πρόπαλαι ἀποταξαμένη, nisi lucrum præsens aliud nihil curat. Accepi verò à te multò antè literas, quibus de Isidori aliquot locis me consulebas: iis literis nunc, quia antè non licuit, paucis respondebimus. Rectè emendatum est à te frustum illud ex Epigrammate in Archidicen, quod in editione Parisiensi non semel corruptum legitur. Habetur integrum Epigramma apud Thucydidem, lib. VI. * unde disci potest, quod de Archidica ista scire cupis. Fuit & Archidica nobile scortum, de qua Herodotus † & Athenæus ‡; sed quæ nihil ad hanc tuam. Illud autem Epigramma esse à Simonide compositum, didici ex Aristotele,

* Cap. 59. Arthedice.

† Lib. II. cap. 135.

‡ Lib. XIII. cap. 7. pag. 596.

1605. stotele, Rhetor. lib. I. cap. IX. Quem vocas Hymnum in Plutum, Hymnus non est, sed Scholium συμποτικὸν, alibi quoque mihi lectum; etsi locus nunc non succurrit. Lex Solonis, quam quæris ad illustrandam Epistolam CCXV. lib. II. à Plutarcho tangitur in ejus vita; nam planè eadem est sententia istorum: τὸ πεισθῆναι παρὰ τὸ βέλτιστον οὐδὲν ἡγεῖτο τοῦ βιασθῆναι διαφέρειν· hoc solùm differunt, quòd minus dicit Plutarchus quàm tuus Scriptor. Quæ ad παιδείαν Persarum spectant, non dubito desumta è libris Xenophontis: quibus similia etiam apud alios de disciplina Persica invenias. Regis apophthegma, qui utilitatem ὀπίσω χωρῆσαι sequebatur, legisse memini: ubi legerim, nunc non memini. Hæc ferè erant, quæ ad ἐπιστόλια tua responderem. Vale, Vir eruditissime, & me constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA CCCCLXVIII.

GEORGIO REMO.

1605. THemistium esse tandem à te editum, Vir doctissime, majorem in modum gavisus sum, postquam ex tuis id cognovi. Amo illum Scriptorem propter eloquentiam, doctrinam & candorem erga Orthodoxos, quantumvis esset ipse à fide alienus. Utinam hunc animum afferrent ad controversias nostras, qui pietatis magni Magistri volunt haberi. Ego sic naturâ factus sum, ut cùm in omnibus veritatem solam putem spectandam, quæ omnium animi perturbationum est inimica; tùm in rebus Religionis pati non possum eos, qui dum studio veri se duci volunt videri, adversus verum portentosa fingunt mendacia: quo in genere quantum θεοστυγεῖς illi excellant, quos extremâ epistolâ tuâ designabas, nemo potest ignorare. Eosdem auctores esse harum turbarum, quæ Germaniam vestram nunc maximè agitant, facilè affirmantibus viris probis accredo. Qui illos Deus Opt. Max. aut ad meliorem mentem revocet, aut κακὸς κακῶς perdat. In notis tuis, quas non dubito eruditionis γεμούσας fore, si quid fortè invenero, quod negotium facessat, de eo scribam ad te seriò ac sine mora: non quia putem me aliquid inventurum, quod te fugerit; sed ut voluntati tuæ hac parte morem gerens, ad simile officium mihi præstandum, te provocem; quo nihil mihi gratius unquam fuerit. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* II. *Non. Septemb.* CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA CCCCLXIX.

DANIELI HEINSIO.

COnstitueram nihil ad te literarum 1605.
prius dare, quàm possem τὰς διαφόρους γραφὰς Maximi Tyrii mittere. Sed cùm nuper Beisio, nostrati Bibliopolæ, exemplar unum tradidissem libelli recens à me editi, quo illud tibi perferendum curaret, facere non potui, quin de ea re te certiorem facerem, ut si videbitur, à Raphelengio librum illum petas. Videbis, quod nuper scribere memini, nihil quicquam esse prætermissum à nobis, quod de proposito argumento notum haberemus. Et tamen sanctè jurare possum, nullam unquam scriptionem ita mihi inter manus crevisse, atque hanc: nam initio προλεγομένων in Persium eam fore existimavi hypothesin: deinde cùm sententiam mutassemus, unâ, & quidem mediocri, Diatribâ rem posse absolvi autumabamus: tandem quò processerit ἀδολεσχία nostra, vides. Utinam verè possem hoc abs te impetrare, ut tuum de ea lucubratiuncula judicium, & magni Heroïs nostri proximis literis mihi significares. Habeo quàm plurimos Antiquitatis locos, accuratiore diligentiâ in meis adversariis expositos, de quorum editione nihil adhuc constitui. Sed à vobis admonitus, judicium vestrum libenter sequar, sive authores fueritis, ut in hoc genere scribendi pergam, sive contrahenda nobis vela esse existimaveritis. Hoc igitur magni beneficii loco à te peto, ut eum me credas esse, qui non simulatè, verùm planè ex animo proficiendi caussâ doctorum de nugis meis judicia exquiram. Vale, & scito promissi memorem fore me, ubi primùm otii aliquid fuero nactus: nunc quidem occupatissimus eram. Raptim. *Lutetiæ Parisiorum, Non. Septemb.* CIↃ IↃ CV.

Tradita sunt Beisio sex libelli nostri exemplaria, quæ velim à Raphelengio recipias, & illis tradas, aut perferenda cures, quibus sunt inscripta. Ad Meursium nostrum scribere nunc non licebat; neque ad Johannem Drusium: verumtamen quæ missa illis sunt exemplaria, nisi grave est, curabis; & me apud doctissimos viros excusabis. Scribam proximâ occasione, volente Deo. Iterum vale.

Epistola CCCCLXX.

JOSEPHO SCALIGERO.

1605. Heri, cùm esset apud me Labbæus noster, tuas accepimus cum versione Mimorum Publianorum. Doluimus ambo majorem in modum, non aliquantò prius eum fasciculum fuisse nobis redditum; nam voluntati tuæ gestus mos esset à Labbæo, qui amore tui flagrantissimus, jussa tua exequi, instar putat esse regni. Sed vetus illud non te fugit:

> *Μόνου δὲ τούτου καὶ Θεὸς στερίσκεται,*
> *Ἀγένητα ποιεῖν ὅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα.*

Quare nolim te indignari, aut molestè ferre, in tuo negotio idem accidisse: nam aliquantò antè quàm de tua voluntate constaret, erat tuorum pulcherrimorum Poëmatiorum absoluta editio: neque hoc solùm; sed pars quoque Francofurdum missa; ut infecta fieri res non posset. Ego non video, cur de eo multùm debeas esse sollicitus; nam procul dubio brevi corrigetur, quicquid heic peccatum fuerit; si tamen peccatum dici potest, quòd Pithœanam potius quàm Gruterianam secutus sis editionem. Æqui judices nunquam plus à te exigent, quàm ipse ultrò offeras; & erit, si quid intelligo, in iis, quæ edita sunt, plus satis quod mirentur & stupeant harum rerum intelligentes. Equidem quæ heic cusa sunt, summâ attentione legi, ut typographica errata colligerem, in quo eâ fide sum usus, ut non putem apicem unum prætermissum, qui emendationis opus haberet. Sed vereor, ne diligentia mea Typographum offenderit; nondum enim potui impetrare, ut illa ederet, quæ adnotaveram. Heri ad ipsum adii, ut cum eo hanc injuriam expostularem; sed quid profecerim, nondum scio. Optarem placere tibi, ut omnium tuorum id genus Opusculorum accurata editio heic cuderetur: ego ἐργοδιώκτης ero, & ut cum dignitate opus prodeat, sedulò efficiam. Si placet consilium, leges præscribere, tuum erit, quas exactè servatum iri spondeo. Ingolstadiensem, quam narras, editionem nondum vidi; & miror, quî fieri possit, ut nihil te in literis fugiat. Gestit animus, si per te licet, posteris testatum relinquere, quanti ipse faciam tua hæc πάρεργα· nisi quod pudet me ingenii culpa tuas laudes iri detritum: itaque metui, ne περιεργίᾳ meâ te offenderem. Sperabam ex prioribus tuis, brevi Eusebiana tua esse prodituras: 1605. nunc, quum scribas, multum superesse viæ ad metam, vehementer doleo, adeò longè abesse me, ut exoptatissimo illo thesauro fruar. Deum oro, te servet incolumem, & pares tantis laboribus vires largiatur. De Vettio, Valente, quem ais * descripsisse manu propriâ, velim, nisi grave est, plura ex te cognoscere: nam hoc uno excepto, quòd Astrologicum scripsisse invenio observatum, cætera de eo Scriptore planè mihi sunt ignota. In Bibliotheca nihil adhuc occurrit dignum, quod tibi mitterem: non enim puto desiderare te κανόνια quædam de Ratione Anni, quæ nihil non plebejum continent. Eruditiora si quæ sint, quæram, & faciam te certiorem. Quæ scripsi *de Satyrica Græcorum, & Satyra Romanorum*, mitto tibi. Sex ejus libri exemplaria Beisio tradidi, qui confirmavit, paucis diebus te illa habiturum. Inscripsi amicorum nomine, quibus velim cures perferenda. Scio non solere tibi accidere ingratas nostras nugas; sed oro te & obtestor, maxime virorum, si oculos in eum libellum conjeceris, censorem age, & me mone; adjeceris prioribus tuis in me meritis summis ingentem cumulum, fecerisque mihi rem longè gratissimam. Constitueram extremo libro οἷον σφραγῖδα adjicere locum è tuis in Manilium Commentariis †, ubi de Satyra disputas, cujus suo loco facta est à nobis mentio: sed nescio quomodo id folium prius editum est, quàm ego animadverterem. Nunc ad Polybium animum seriò convertimus; si quidem ita Deo placuerit, ut ad operis illius absolutionem vita superet, & publica hæc tranquillitas maneat. Vale, illustrissime Vir. *Lutetiæ Parisiorum, Non. Septemb.* CIↃ IↃ CV.

* *Lib. II. Epist. 112.*

† *Pag. 450. edit. 1600.*

Oro te, judicium tuum mihi scribe de lacunis ab Ursino expletis in prima Polybii pagina. Optarem, si per gravissimas occupationes tuas liceret, versionem tuam Arabicorum Proverbiorum relegeres, & recensitam mecum communicares; nam posset hìc, cum bona venia tua, non inelegans ejus libelli editio curari.

Epistola CCCCLXXI.

CAROLO LABBÆO.

Dixine tibi, post nostrum discessum 1605. in solitudine me futurum? Ita planè evenit: non quia desunt, qui mea studia à mane ad vesperam interpellent; sed quia solus esse mihi videor, cùm te non habeo, quicum de literis fabuler.

1605. Cætera, postquam à nobis discessisti, in continuis terroribus scito nos esse versatos; quin superiorem noctem perpetem insomnem traduximus ego & omnes mei; cùm è variis locis accepissemus, cædem nostram parari, & veteris lanienæ instaurationem. Audisti puto de publico Programmate, & quidem typis edito & affixo V. D. P. L P. quo studiosi convocabantur ad necem Hablone redeuntium, è quibus unus saltem, etsi ab aliis, est occisus. Quid multa? Boni nihil πανικὰ ista præsagiunt. Deus consilia improborum frangat. Hodie accepi literas à magno amico *, qui incredibiliter me exhilaravit literis suis; & quia valet, & quia affirmat, proximis vernalibus nundinis absolutam fore editionem operis †, quod loquentur posteri. Mitto tibi, quas simul accepi. Deum oro, venerandum Senem, parentem tuum, fortunet, & te cum tuo fratre servet. Vale, & veni. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* x. *Kalend. Octob.* CIϽ IϽ CV.

* *Josepho Scaligero.*

† *Eusebii.*

Epistola CCCCLXXII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1605. BInas paucis diebus à te accepi: quæ posterioribus illarum fuere adjunctæ, omnes curatæ sunt probè, aut curabuntur; nam propter vindemiales ferias plerique urbe aberant, ut Gillottus, Petavius, Labbæus. Puto accepisse te, quem misi nuper, φαῦλον libellum de Satyrica, & Satyra; qui si in tuas manus pervenit, & oculos in eum conjeceris, censuram tuam ne mihi invideas, omni contentione à te peto. Pseudo-Callisthenes non est ille Scriptor, quem habes codici Monachi adnexum; sed alius haut paullo κωμῳδόπρεπος, & qui decenter ἐπιεικῶς mimum agit. Demiror impostores istos; nam ante multa secula prodiisse id figmentum, satis constat; etsi autem libro, quem habes, idem μύθευμα continetur: Pseudo-Gorionidem tamen, qui non semel Callisthenem laudat, hunc potius, qui penes me est, transcripsisse καὶ μεταφράσαι, non dubito; sive Græcè eum legerit, quod non puto; sive Latinè, aut Gallicè. Priora secula, cùm latè grassabatur ignorantia, incredibilem in modum fabulis hujuscemodi esse delectata, vel unica Regis Bibliotheca arguit, ejus farinæ librorum plenissima. Atque utinam eâ fine stetisset malum; neque pietas Christiana in fabulas plusquam aniles foret conversa. Sed quid hoc querimur? gravior & intolerabilior eorum amentia, qui veritatis doctrinam palam ab illo petunt, qui πατὴρ est τοῦ ψεύδους. Accepisti, credo, indiculum τῶν προβλημάτων *, ὧν πέρι τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἠρώτησεν ὁ τοῦ γοσσυπίου ἐπώνυμος. Historiam tibi nuper scripsit amicus noster Biturix; & simul quæstionum exemplum misit. Noli de re dubitare, ipse αὐτόγραφον vidi hisce oculis apud Gillottum; neque veritus est Autor, factum tueri apud Thuanum. Possem ea de re multa adjicere, quæ mirareris, atque adeò stuperes; nisi satius esset, tantum μίασμα λήθῃ παραδιδόναι; quemadmodum & de Panicis terroribus, qui nuper heic Orthodoxis oblati, nihil adjiciam, nisi hoc; per aliquot dies vulgatum fuisse rumorem, quasi instauranda esset per absentiam Regis laniena piorum. Programma etiam palam esse affixum, quo ad cædem redeuntium Hablone studiosi convocabantur: atque adeò die illâ unum saltem è nostris fuisse occisum; cæteros (& me in his) aliquot noctes egisse insomnes, dum percussores exspectantur. Autor Programmatis fugâ sibi consuluit; dimissi sunt circumcirca φυγαδοθῆραι, qui inquirant, & in urbem reducant. Is si captus fuerit, spes est, usque inde à stirpe prima autorem horum motuum iri exquisitum: nam, quod omnes bonos solatur, habemus & Regem, & Senatum, & omnes Magistratus bonarum partium defensores acerrimos. Itaque μετέωροι exspectamus exitum rei in speciem quidem jocularis; sed quæ, nisi Deus omen avertat, impendentium malorum certum sit indicium. Vides igitur, virorum optime, sapientissime, quàm longè ab eo sim, ut nuperam deliberationem abjicere penitùs debeam. Atqui animo ad editionem Polybii concinnandam seriò converso, nihil jam tale cogitabam: ingens enim cupido animum mihi incesserat, benè merendi de magno illo Scriptore, quem aliquando non somniculosè tractavimus. Ac licet non mediocriter conturbatæ sint consiliorum nostrorum rationes, sæpeque veniat in mentem, ab omni scriptione abstinere hoc rerum statu, peto tamen à te nihilominus, quæ habes in nobilissimum Historicum observata, ea velis impertire; & viam indicare, quam debeam insistere. Tandem imposui mihi hanc legem, ut novam conficerem versionem; quæ si elegans futura non est, ut certè non erit, at fidelis fortasse erit, & Græcis κατὰ πόδας adhærens. Perrottus enim Latinè quidem loquitur, sed longè ab Autore discedit: de Musculo nihil dico; in quo præter egregiam voluntatem nihil invenio, quod laudem. Habeo in manibus Pompilii Amasii versionem

* *Lege Thuanum ad annum 1604. & Gillotum in Epistolis Gallicis ad Scaligerum, pag. 422. & 432.* Colomes.

1605. sionem eorum, quæ ex interpretatione Musculi vulgò leguntur. Vellem vidisses, ut consilium dares, acquiescendumne in ea sit, annon. Elegans profectò est & compta; sed vir probus hac cautione usus est, ut obscurissimas quasque ϖθικοπὰς non attingeret; contentus Lectorem monere, peti posse eorum versionem à Musculo. Nobis verò non licet esse tam securis. Itaque ἐν δοίῃ θυμός; stat enim sententia, alienum opus nolle nos interpolare. Dic igitur, magne Cato, quid censes opus facto? quæso, da consilium, quod sequemur religiosè. Utique de Eusebio tuo quid jam sperandum sit, fac me ut sciam; nam spem ex prioribus literis conceptam propè ademit postrema tua Epistola; quod iniquissimo ferimus animo. Deus te servet. Scripsi raptim, oblatâ ex inopinato occasione. Vale, illustrissime Scaliger. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* v. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA CCCCLXXIII.

CAROLO LABBÆO.

1605. NIhil erat, quod ad te scriberem: nam quæ à discessu tuo acciderunt, sanè quidem nova & ἀπροσδόκητα, paucis diebus antè significavi, cùm Epistolam magni Herois * nostri tibi mitterem. Ex eo tempore fasciculum alium accepi satis grandem, in quo erant, quas jam mitto. Vides meam fidem & diligentiam. Itaque vel tuas; vel, quod malim, te ipsum jam expecto; non deerit, quod unà garriamus, cùm adveneris; atque utinam deteriora non contingant intereà, quæ nobis conveniendi facultatem eripiant: ὃ μὴ γένοιτο, οὐδ᾽ ἔσαι. In hoc omine desino, & Deum veneror, ut te cum clarissimo parente & fratre servet fortunetque. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IV. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CV.

* *Josephi Scaligeri.*

EPISTOLA CCCCLXXIV.

JOSEPHO SCALIGERO.

1605. MAgis pro more & amore has nunc tibi exaravi inter plurimas occupationes, quàm quod suppeditaret argumentum scribi dignum; præsertim ad te, illustrissime Scaliger. Sed quum domum è Bibliotheca reverso significatum esset, adfuisse paullò antè unum è Ministris Illustris Arausionensis Principis, qui moneret, esse aliquem in procinctu, ad vos tendentem; non potui non aliquid scribere. Simul faciendum esse duxi, ut te curâ & sollicitudine liberarem; cùm exploratissimum habeam, si postremæ mearum rectè fuerint curatæ, de me & rebus meis fore te sollicitum. Erat enim novissima Epistola mea κακάγγελος, & metûs plena; utpote scripta eo tempore, cùm mentes piorum nescio quis terror Panicus tenebat: non ille quidem sine aliqua caussa temerè conceptus; sed, quod omnino fatendum est, longius quàm oportuit progressus. Audisti, credo, de Programmate variis locis publicè affixo: id scriptum improbum adeò nostros terruit, quod præsertim eodem die aliquis Hablone reversus esset trucidatus, ut non dubitarent plerique, dici Bartholomeæ immanitatem per Regis absentiam repetitum iri. Fuit hactenus, & erit, spero, vanus hic timor noster: re enim ipsâ apparuit, publicæ tranquillitatis studiosissimos esse non solùm Principes, verùm & Magistratus quoque cæteros. Si quid igitur priores meæ te, qui tuus est in me amor immensus, commôrunt, nolo diutius angi te hoc nomine; quum Dei beneficio non jam deteriore loco res nostræ esse videantur, quàm prius fuere. Hoc volui nescius ne esses. Vale. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* III. *Non. Octob.* CIↃ IↃ CV.

Fui hodie in Bibliotheca cum Frontone & Fabro, viris eruditissimis. Multus ibi sermo de te, & nuper heic editis Poëmatiis tuis. Visus mihi Fronto καὶ πάνυ ἐν ἀμαθίαις tuas laudes fusè persequi; quum quidem mirari diceret se, *quis furor sui Ordinis homines in hanc dementiam impulisset, ut te irato, quàm pacato uti mallent. Se contrà acceptam ab suo parente * certam persuasionem de præstantia ingenii tui ac divini parentis, servaturum ad finem usque, neque adeò insanum fuisse unquam, ut aliter sentientibus ulla ex parte accederet.* Hæc ferè verba illius; quem doleo equidem in eo luto sic constanter hærere.

* *Senatore Burdigalensi.* Colomes.

EPISTOLA CCCCLXXV.

ANDREÆ MELVINO.

CUm percupidè tuas expectassem satis diù, doctissime Melvine, incredibili tandem affectus gaudio sum, quando illam Epistolam tuam accepi, quam adolescenti cuidam tuo populari tradideras. Gavisus sum valere te, & ἣν ἔλαχες σπάρταν hanc felicissimè ornare, ac simul nos amare; quò nihil mihi gratius, aut optatius: pridem enim est, cùm ad nos tuarum virtutum, atque inprimis tuæ singularis pietatis fama pervenit; quo efficacius nullum est amoris coagulum; inter bonos utique, & in 1605.

 eodem

1605. eodem pietatis sensu conspirantes. Quod cùm egregiè faciamus, Vir eximie, nihilque habeamus antiquius Dei gloriâ & veneratione eorum, quos hæc cura tangit; ne dicere quidem possum, quanto cum dolore ea de Ecclesiis vestris audiam, quæ vulgò heic jactat fama. Sed Deus meliora, quàm ut tantis ornatus virtutibus Princeps à se discedat, & temerarii erroris illos arguat, qui in prædicando ejus pietatem sinceram satisfacere sibi non poterant. Sanè amici viri graves, qui ex Anglia ad nos scribunt, pietatem ipsius & παντοίην ἀρετὴν tollunt in cœlum laudibus: vetantes quicquam eorum credere, quæ fidei orthodoxæ hostes multis non solùm suorum persuaserunt: ὃ μὴ γένοιτο, οὐδ' ἔστι: quinimo speramus, fore omnino, ut generosus animus, ac Dei plenus, irritatus his de se dissipatis de industria rumusculis αὐτὸς αὑτοῦ κρείττων, & in odio falsi, amoreque veri confirmatior in dies evadat; suique hujus sensûs ac studii ea monumenta ad posterorum memoriam transmittat; quæ καὶ πυρὸς καὶ στήλης τρανώτερον καὶ γεγονότερον invictum illius animi robur testentur. Hæc nos & optamus, & assiduè à Deo Opt. Max. exposcimus: nec minus illud, ut Ecclesiam ipse suam, tot hodie locis diffissam, in pace & concordia sibi grata, ab omni noxa, aut contagionis labe immunem servet, ac benignè protegat. Te quoque privatim valere, præstantissime Melvine, atque omni laude florere, ut meritum est tui, vota facio, quæ audiat ὁ ἐπὶ πᾶσι. Vale, & nos ama. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* III. *Eid. Octob.* CIƆ IƆ CV.

Inscriptio.

Præstantissimo Viro,
ANDREÆ MELVINO,
Theologo, amico plurimùm observando,
In SCOTIAM.

EPISTOLA CCCCLXXVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

1605. MItto tibi, quas accepi à Vertuniano & Labbæo, viris tui observantissimis, amantibus mei. Etsi autem non diu est cùm literas ad te dedi, quia tamen ab illo tuas accepi, non deerat quod ad te scriberem, neque quod ad amplissimum Buzenvallium aliosque amicos, nisi temporis premerer angustiis. Brevi igitur & ad te, & ad illos plura, σὺν γε τῷ Θεῷ. Nondum erant allati, cùm ista exararem, libri Francofordienses superiorum nundinarum; inter 1605. quos unum eximiè notavi, cujus desiderium ægrè ad hanc diem sustinui, Geographiam Pauli Merulæ, viri clarissimi ac doctissimi, ad cujus libellos ornandos te symbolam contulisse, fama jactat, quæ tuorum nihil patitur esse obscurum. Unicum adhuc ex istis nundinis librum vidimus, Mineral tibi & Drusio appensum à Serario; qui feræ intra retia captæ similis, fœdum in modum jactat sese, nodum magis etiam astringens. Deum immortalem! quantum ineptiarum, quantum λοιδορητικῆς ἀναισχυντίας, πανουργίας, συκοφαντίας, καὶ οὐκ οἶδ' ὅ, τι λέγω. Ut doctior, sic melior longè & ἐυγνωμονέστερος Balforeus*, qui nuper Cleomedem illustravit. Amavi eum Scriptorem propter judicium de te, & tuo parente, Heroë, absque te foret, incomparabili; cujus Commentarios in Historias Animalium, quæso te, quando videbimus? Utinam quidem me adhuc vivo opus illud in lucem prodeat! & si quid aliud tanti Philosophi adhuc usquam latet. Sed quid ago? nam vix tria verba initio instituerам. Vale, illustrissime Domine. Deus te servet quàm diutissimè. Nescio an sex, quæ isthuc misi ad doctissimum Heinsium, exemplaria libelli nuper à nobis editi, adhuc ei fuerint reddita: in his unum fuit tibi inscriptum. Iterum vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XIV. *Kalend. Novemb.* CIƆ IƆ CV.

* *Robertus*, *Gymnasiarcha Burdigalensis.* Scalig. Epist II.

EPISTOLA CCCCLXXVII.

DANIELI HEINSIO.

QUæ isthuc misi exemplaria libelli 1605. nuper à me editi, an reddita tibi fuerint, scire cupio, Vir amicissime. Ea inter alios libros mittebantur ad Raphelengium ab Hadriano Beisio, Bibliopola probè isthîc noto; ac puto equidem curata illa probè fuisse. Verumtamen propter incerta viarum, quas & hostis, & anni tempus reddunt infestas, aveo ex tuis cognoscere, acceperis illa necne. Omnia enim ad te direxi, ut tu amicis isthic nostris curares tradenda, quæ cuique erant inscripta. Etiam illud scire percupio, quid nunc pares, & quid proximè, quid mox sis editurus: tantum enim ingenium, bono literarum natum, quiescere nefas. Nos in Polybio sumus; quem ut vertamus, à nobis tandem impetravimus, postquàm nemo est inventus, qui hoc molestissimo onere nos vellet liberatos: dabimus, si modò possumus, loquentem Latinè; nam ut eleganter loquatur & disertè, hoc non recipimus. Etiam in Notis nostris si pro-

1605. protrita omnia ſcripſerimus, paratum habemus patrocinium N. N.*, qui hanc optimam eſſe viam interpretandi Auctores, acriter diſputat, & quidem tot locis, ut εἰρωνείας nulla ſit ſuſpicio: de quo tamen expecto τὴν ἀρεσκομένην σοι. Vale, & me ama. Scripſi raptim. *Lutetiæ Pariſiorum, pridie Non. Novemb.* CIↃ IↃ CV.

* Fortè, Frontonis Ducæi.

Cùm jam clauſæ hæ literæ eſſent, accepi nuntium de morte magni viri, Theodori Bezæ. Rogatus ſum à clariſſimis viris, qui Genevæ habitant, ut illuſtrem Heroëm noſtrum, & te, & Baudium, cæteroſque Poëtas, qui Hollandiam veſtram illuſtratis, ad ſcribenda carmina epicedia hortarer: quod ut facias ipſe, utque aliis author ſis faciendi, te oro quantâ maximâ contentione poſſum. Quæ ſcripſeritis, ſi ad me mittatis, rem gratiſſimam feceritis.

EPISTOLA CCCCLXXVIII.

JOANNI VASSANIO.

1605. BInas literas eodem ferè argumento abs te accepi; quibus reſpondiſſem prius, ſi per occupationes meas licuiſſet. Miratus ſum, quod ſcribis, veteres illos amicos noſtros, quorum imperium tam anguſtis finibus circumſcriptum eſt, uſque ad ultimum Rheni oſtium cognitionis ac juriſdictionis ſuæ terminos iviſſe extenſum. Hem! mi Vaſſani, quid eſt πολυπραγμονεῖν, ſi hoc non eſt? Ego memini audire multos viros graves, qui ne tum quidem eos laudandos ſemper fuiſſe dicerent, cùm autoritate ſubnixi virorum ſummorum, & Heroüm omni veneratione digniſſimorum, qui eum terrarum angulum quondam illuſtrarunt, aliena curarent, εἰς τὸ μηδὲν προσήκοντα ἴσθ' ὅτι ἐμβατεύοντες. Sed omnino præteritorum temporum alia ratio eſt: nam qui memoriæ non faveat illorum, quos dixi, Heroüm, παρ' ἐμοίγε κριτῇ, impius eſt, atque indignus cujus rationem boni habeant: nunc verò quo freti, quæ iſthic agantur ſatagant, & de clariſſimis viris, qui iſthic verſantur, ſuas edant ἀποφάσεις, equidem non capio. Atque utinam, mi Vaſſani, ab hoc principio majus aliquod malum non erumpat: nam ex minima ſcintilla ingens incendium ſolere excitari, nemo ignorat. Deum oro, det Eccleſiæ ſuæ φύλακας εἰρηνικούς, & publicæ concordiæ ſtudioſos. Recreaſti verò me poſterioribus tuarum, quibus narras, virum illum doctiſſimum & excellentiſſimi ingenii, qui iſthic docet, nullâ re à Collegis ſuis diſſentire; optimamque pacem eos inter ſe colere. Mihi cum illo nulla intercedit notitia; ſed poſtquam de 1605. ſummis animi dotibus, quibus ornatus à Deo eſt, ex fama publica & multorum ſermonibus cognovi, nunquam deſtiti læta illi omnia ac fauſta precari; quod nunc quoque facio planè ex animo; teque ſimul ut ſervet, & tuis cœptis benedicat, Deum oro atque obſecro. Vale. Scripſi raptim. *Lutetiæ Pariſiorum, pridie Non. Novemb.* CIↃ IↃ CV.

Virum clariſſimum, Baudium, à me ſalvere jubeas velim. Scripſi nuper ad illum, neque nunc ſuppetebat aut res, aut otium.

EPISTOLA CCCCLXXIX.

JOSEPHO SCALIGERO.

LEgi his diebus, quæ à te accepta 1605. edidit nuper vir clariſſimus, Carolus Cluſius *: itaque non poſſum facere, quin gaudium meum tibi aperiam, quod eorum lectio attulit mihi vel maximum; multa enim didici, quæ antè neſciebam; quædam etiam, quæ diu me torſerant, in iis expoſita inveni. Contulimus enim aliquando Garciæ ab Horto libellos cum editione Arabica Aviſenæ; in quo non fuit difficile nobis animadvertere, quod antè ad Manilium tuum nos docueras †, virum illum Arabiſmi penitùs imperitum fuiſſe. Jam verò in iis, quæ de Arabe Geographo vertiſti, quàm multa didici? pleraque enim illorum iis continentur, quæ Latina facere ſumus conati. Sed quod aliàs ſcripſi, noſtra interpretatio notis compuncta eſt multis, teſtibus ignorantiæ meæ; quam nonnihil adjuviſti illis locis interpretandis: illud certè effeciſti, ut infelicitatis meæ, quod μαθητεύειν tibi non poſſum, acrior me ſenſus pungeret. Tuam verò inexhauſtam rerum omnium ſcientiam, magne Heros, quis ſatis mirabitur? quis tua in Rempublicam literariam maxima merita ſatis dignè æſtimabit? & negabit aliquis, luce hac indignos eſſe, qui illuſtriſſimo SCALIGERORUM nomini obtrectant? At tu iſtos terræ filios irâ tuâ parum dignos aſpernare, virorum maxime; & quod feciſti hactenus, arcana literarum tibi uni nota pande mortalibus. Deum Opt. oro, annos det tibi Neſtoreos, & omnibus modis venerandam tuam ſenectutem fortunet. Vale. *Lutetiæ Pariſiorum, pridie Non. Novemb.* CIↃ IↃ CV.

* Exoticorum libros decem, item Petri Bellonii obſervationes.

† Pag. 440. edit. 1600.

Cœpi his diebus, quod fauſtum ſit, Polybium docere Latinè loqui, ipſe haud dubiè adhuc docendus. Sed vetus nomen expungendum tandem eſt. Peto

1605. to autem à te, si quid habes, quo auctior editio nostra prodire queat, id mihi benignus impertias. Typum Castrametationis, à te confectum, à multis accepi: quæso, communica, si est ad manum. Iterum vale. Penè eram oblitus, quod præcipuum fermè fuit, cùm hæc ad te scribere institui. Heri enim venit ad me Fronto Ducæus, dixitque nanctum se codicem Marcellini Comitis, notæ optimæ, & qui tibi, ejus editionem paranti, posset esse usui: eo consilio cœpisse conferre, ejusque operæ specimen velle tibi mittere, ut si è re putares, in cæteris pergeret. De moribus illius viri, planè alienis τῆς θεοστυγοῦς κακεντρεχείας Patrum ψευδωνύμου Societatis, nuper scripsi *; neque unquam cum illo fui, quin tuas laudes prædicantem audiverim.

* Suprà, Epist. 474.

Illustrissime Vir, clausæ erant literæ, quas tibi mitto, cùm allatus est nuntius de obitu venerandi viri Theodori Bezæ, de quo certiorem volui te facere. Historiam obitûs & mortis placidissimæ, quam longa dies attulit, naturâ repentè deficiente, & quidem inter pios sermones, ab aliis accipies, aut ipse aliâ Epistolâ scribam. Rogatus autem sum publicè per literas Jacobi Lectii, ut scriberem ad te, & carmen epicedium te poscerem, per jura amicitiæ illius, quæ tibi cum magno Sene intercessit. Ego testis sum ἀξιόπιστος, amisisse te in illo ex iis unum, qui tuam præstantiam, quod paucis datum est, rectè æstimare nôrant. Raro apud illum fuisse memini, quin de te multus nobis esset sermo; & ut ingenuè fatear, non vidi in illo tractu quenquam, illo uno excepto, qui satis intelligeret tuorum in Rempublicam literariam meritorum magnitudinem. Oro igitur te atque obsecro, ut testimonium hoc tuæ benevolentiæ illi ne deneges; atque insignes Poëtas, Baudium, atque Heinsium, horteris ad carmina epicedia scribenda, utque illa, nisi molestum est, mihi mittant.

Epistola CCCCLXXX.

PETRO BERTIO.

1605. Gratissimæ mihi tuæ literæ fuerunt, Vir clarissime, & quia amari me à te, tanti facio, quanti par est eum, qui tuas virtutes & egregias animi dotes inter seculi ornamenta ponat; & eo etiam nomine, quia dignus sum tibi visus, quem de præclaris inceptis tuis faceres certiorem. Cognoveram jam antè de iis, cùm ex publica fama, tùm ex literis eruditi, & mihi charissimi adolescentis, Vassanii: sed longè fuit mihi gratissimum, eadem ex tuis uberius & melius nôsse. 1605. Laudo verò consilium tuum & propositum illustrandi omnes ἀποῤῥώγας, & ut fibras universas periculosissimi erroris, quo multorum, & veterum, & recentiorum, mentes implicatæ miserabilem exitum fecerunt. Equidem ita pridem apud me statui, ac curatam cognitionem omnium hæresέων, quæ ad hanc diem emerserunt, suntque à piis hominibus damnatæ, ad veram pietatem sartam tectam tuendam, mirum quantum profuturam. Sæpe enim & olim, & nostrâ quoque memoriâ observo evenisse, ut ignoratione ejus partis Ecclesiasticæ Historiæ, homines minimè mali, in ejusmodi sententias, aut formulas loquendi incogitantes inciderent, quas defendere sine erroris contagione non possent. Heic enim verè & propriè locum illud habet, ἐσθλοὶ μὲν ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακοί, quum in talibus formulâ excidisse, persæpe idem sit, atque hæresin vel novam generasse, vel veterem revocasse. Sicuti autem dignissimi omnium odio sunt, qui scientes prudentesque falsum tuentur; quod multi hodie faciunt animo scelestissimo, καὶ τὴν ὁλοπέτλω ἐπιειμένοι ἀναιδείην· sic profectò qui ignoratione potius quàm voluntate offendunt, operâ atque industriâ bonorum, τῶν τὰ τοιαῦτα πεπαιδευμένων, merentur adjuvari. Non enim est omnium, sed oppidò paucorum, alicujus perversæ ac reprobæ opinionis cunctas intelligere τὰς παραφυάδας, καὶ ὡς εἰπεῖν τὰς πολυσχιδεῖς ἀτραπούς. Itaque perge, Vir doctissime, ut cœpisti, facem minus peritis accendere, quæ per brevia & syrtes navigantibus tutam ostendat viam. Nemo erit de propria salute sollicitus, aut rerum veterum Ecclesiæ studiosus, quin magno se beneficio abs te fuisse affectum, sit agniturus. Quod petis à me de Bibliotheca, velim sic tibi persuasum, nunquam officio meo defuturum me, si quam occasionem nactus fuero, doctorum virorum conatus adjuvandi. Quamobrem si quid in tractandis ejus gazæ librariæ codicibus invenero, quod possit esse tibi usui, dabo operam, ut quantus sim & literarum admirator, & Literatorum cultor, tuamque adeò amicitiam quanti pro eo ac debeo faciam, reapse experiaris. Sed non memini, in iis, quæ adhuc legi, quicquam observasse, quod propriè ad susceptum à te argumentum. Meminero tamen, & te faciam de omnibus certiorem. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Non. Novemb.* ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ Λόγου, CIↃ IↃ CV.

Epistola

Epistola CCCCLXXXI.

GOTHOFREDO JUNGERMANNO.

1605. QUòd superiore mercatu Francofordiensi nihil ad te literarum dedi, Vir eruditissime, non tam per occupationes meas factum est, etsi etiam per illas; quàm quòd ubi locorum esses, ignorabam; nam Heidelbergæ amplius non esse, intellexeram. Ex tuis de præsenti statu ac conditione tua cum gaudio cognovi: spero enim, & honesti otii copiam tibi futuram, & occasiones non defuturas benè illo utendi, & ex utilitate publicæ rei literariæ. Quod ut facias, & quidem ἀιὲν ἀριστεύων, pro meo in te amore, Deum veneror σὺν ἐπὶ πᾶσι. De nostræ Bibliothecæ scriptis codicibus Eustathii nihil scripsi ad te; quia recepit in se id oneris eruditissimus noster Rigaltius. Vocem Παρεμβολίτης non dubitamus patriam designare Autoris. Parembole, urbis in Ægypto nomen; cujus, præter Itinerarii & Notitiæ Auctores, meminit Beatus Athanasius Apologiâ II. καὶ Μακάριος πρεσβύτερος τῆς Παρεμβολῆς. In multis libris veteribus ita scriptum reperimus; in aliis, Μακρεμβολίτου· quod si verum putarem, similiter exponendum dicerem; nec deessent rationes probabiles: nam ut à castris Parembole est dicta, sic potuit alia urbs inde nomen nancisci, quòd esset sita ad τὴν μακρὰν τοῦ ποταμοῦ ἐκβολὴν, sive ἐμβολὴν εἰς τὴν θάλασσαν. Sed malo alterum, ac puto verum esse. Scito autem, extare Romæ ejus Auctoris codicem, ubi non solùm Μακρεμβολίτης pro Παρεμβολίτης scriptum; sed etiam Εὐμαθίου pro Εὐσταθίου; quod olim iis imposuit, qui Conrado Gesnero, viro maximo, auctores fuerunt, ut Eustathium & Eumathium duos diversos faceret Auctores. Nolo credas hoc mihi; at crede oculis tuis, & principium accipe Romani codicis feliciter descriptum. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Novemb.* CIↃ IↃ CV.

Epistola CCCCLXXXII.

DAVIDI HOESCHELIO.

1605. DE Origenis libro, quem recens misisti, magnas tibi & ago & habeo gratias. Non putabam tanti te facturum, quæ raptim scripseram in Thaumaturgum, ut luce digna censeres. Existimavi enim te ea demum, quæ judicio tuo probarentur, Notis tuis insertum. Nunc vereor, ne amore nostri minus perspicax fias, quoties αὐτοσχεδιάσματα nostra legis. 1605.
Ego nullam aliam ex illis laudem postulo, quàm ut omnes sciant, quanti te faciam, & amari me à te, quanti, pro eo ac debeo, æstimem. Locum Syrachidæ, de quo ad me scripsisti, diligenter inspexi: omnino placet versûs illius additio, quem tua primùm editio probavit. Utinam Hebræa extarent, unde ille liber est desumptus! haud dubiè magna deprehenderemus exscriptorum flagitia. Sed tua editio, omnium longè optima, longè præstantissima, multa meliora fecit, & in his hunc quoque locum. Τὰ πέντε ἐνεργήματα quid aliud sunt, nisi quinque sensus? quæ τοῦ Κυρίου dicuntur, vel ut à Deo accepta, vel quia etiam Deo ἀνθρωποπαθῶς, ut quicquid σωματικὸν, tribuuntur. Locus est illustris & philosophicus, ut alii in eo libello nonnulli. Procopius te, nos Polybius exercet; in cujus editione dabimus operam, σὺν τῷ Θεῷ, ut isti Amphitheatrorum Scriptores θεοστυγεῖς, si quid illis frontis superest, quod vix puto, egregiam nostram voluntatem cogantur agnoscere. Hoc satis magnum nobis est, neque aliud profectò unquam tot vigiliis quæsivimus, quàm ut studiosis literarum opera nostra posset esse utilis; quod si assecuti sumus, aut porrò assequemur, quid jurati hostes veræ eruditionis & omnis pudoris de nobis sentiant, quid loquantur, quid scribant, non curamus. Codicem Procopii, qui in Bibliotheca, conferemus cum tuis libris, si aliquot folia miseris. Cupio scire quid factum sit Indice Kircheri *, & quando simus illum habituri: plura volui; hæc potui, & quidem raptim. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIV. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CVI.

* Id est, Conradi Kircheri Concordantiis Veteris Testamenti.

Epistola CCCCLXXXIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

VIr illustrissime, exspectabam literas 1605.
tuas, quibus ad meas responderes, quas superioribus diebus ad te dedi. Scripsi verò tibi, à novissimis tuis, minimùm quater; jamque mihi longum esse tempus incipit, cùm de tuo statu ex tuis cognoscam. Orarem te, ut frequentius scriberes; nisi tuam etiam in hoc genere diligentiam prope ἀμίμητον notam haberem. Tantùm Deum supplex veneror, ut te præstet valentem, & quàm diutissimè servet incolumem. Eusebium tuum foras jam spectare, puto equidem, eoque nomine vehementer gaudeo. Quid dicturus est ille vetus tuus amicus, opinor & meus, qui

1605. nuper ad * tantum verborum perdidit, ut probaret eos demum scriptorum Interpretes cor habere, qui nihil saperent. Nescio an legeris Epistolas, quæ ad ipsum, si superis placet, probandum, plures jam dudum ab eo sunt scriptæ editæque. Quid illum movit? quæ hæc judicii sinisteritas? Deus meliora, quàm ut in literis quicquam mihi eximium arrogem: puto tamen paucos esse veterum Auctorum, in quos repentinâ operâ tales Notas effundere non possim. Sed fruatur ille suo judicio; quod tamen futurum multis pro lege, non est dubium. In Polybio jam esse me totum, non semel antè scripsi. Non fui profectò ἐυκαθεστὼς τῶν φρενῶν, cùm opus sum aggressus longum, molestum, & huic ætati jam ingravescenti parum aptum; erant enim alia studia, quæ me magis caperent. Sed si voluntatis habenda fuit ratio [ut sanè fuit] magni mei Mæcenatis, & τοῦ νῦν σφραγιδοφύλακος *, nihil potui melius. Quod igitur faustum esse Deus Opt. Max. velit, novam versionem Kalendis hujus mensis institui scribere; ac licet pars maxima temporis aut aliud, aut nihil agenti periit, primum tamen absolvi; perrecturus in cæteris ad finem usque, si per fata licuerit. Nihil adhuc memini invenire, quod negotium facesseret, hisce verbis exceptis: καὶ μᾶλλον ἐπὶ τὸν τῆς ἀναβολῆς ἐτρέπετο καιρὸν· quorum mentem nullus video. Si isthic essem, sine dubio ex te discerem, quæ nescio: & audebone tantum tibi oneris imponere, ut locum illum velis inspicere? Ἀτάρβαν esse *Adherbalem*, puto cum Perotto, viro non inerudito. Sed tu rationem nominis & hujus diversæ ἐκφορᾶς tenes. Ἱππακρίται, Perotto, *Hipponis incolæ*. Sanè etiam Latini veteres in ea Historia, in vita Hamilcaris id confirmant. Sunt majora alia, de quibus cùm vacare tibi sensero, ad te referam, qui mihi magnus es Apollo. Scripsi nuper de obitu optimi atque εὐσεβεστάτου Bezæ; in quo parentem ego alterum, tu amicum certum, & magnum tui admiratorem amisimus. Ecclesia Domini quantam jacturam fecerit, nihil attinet dicere. Petii à te proximis literis, ut memoriam τοῦ ὄντως μακαρίτου paucis versibus prosequi dignareris, & omnes Academiæ Poëtas ad simile officium excitares: idem nunc iterum peto, teque ut ita facias, vehementer oro. Scripsi eadem super re nuper ad clarissimos viros, Baudium & Heinsium; à quo nihil literarum per menses jam plurimos accepi: sed novi occupationes illius serias. Vale, Vir illustrissime, & nisi grave est, amplissimum Buzenvallium, Baudium, Heinsiumque salvere à me jubebis. *Lutetiæ Parisiorum, a. d. VI. Kalend. Decemb.* CIϽ IϽ CV. 1605.

* Fortè, Silerii: vide suprà, Epist. CCCCXLIV.

Ad hanc respondet Scaliger, lib. II. Epist. 117.

Epistola CCCCLXXXIV.

EIDEM.

Misi nuper ad te notulas quasdam in Marcellinum Comitem, eâ fine mihi à Frontone traditas, ut ad te mitterentur. 1605. Cupio scire, an is fasciculus mearum tibi fuerit redditus: & si putas tanti esse, ut cætera tibi describantur, certiores à te fiamus oportet: nam Fronto, penes quem est ille codex, ὁσονεὶ γεῦμα μόνον ad te misit. Nos jam non sine molestia tuas exspectamus; postremæ enim, quas à te accepi, ante menses ferè quatuor erant scriptæ. Quare diuturniore hoc tuo silentio valde commoverer, nisi cogitarem anni tempus & difficultatem navigandi. Ego sæpe ad te non ita multis diebus scripsi; neque ignoras, opinor, quibus in studiis nunc sim; & quâ diligentiâ in adornanda Polybii editione meum istud occupem otium. Utinam conatui respondeat eventus! dabo certè operam, ne operæ pepercisse videri queam. Tandem imperavi ipse mihi, & versionem à me expressi; vel potius initium versionis. Kalendis enim Novembris prima ejus ducta est linea. Scis quàm non contemnendus Perottus sit, qui vir, si Græcarum literarum cognitionem habuisset, in eo genere scriptionis penè mihi regnare videretur. Sed rudum fuisse τοῦ Ἑλληνισμοῦ, reapse deprehendimus: sic tamen, ut τὸν καλοκἀγαθὸν Musculum, qui fragmenta vertit, multis parasangis anteiret. Ego id præcipuè operam do, ut idem Latinus Polybius dicat cum Græco: proxima cura est, ut, si modò possum, Latinitati consulam. Jam notas ejusmodi paramus, ut studiosæ juventuti nonnihil profuturæ videantur. Sed moror te; hoc tantùm addam, incredibili cupiditate me flagrare tui Eusebii videndi, qui ut claustra brevi perrumpat, opto: illud etiam magis, ut valeas, illustrissime Senex, & me ames. De negotio tuo cum perfido & scelerato adolescente *, qui tibi os sublevit, non dubito accuratè ad te perscribere Labbæum, cui ea res unicè curæ est. Sed nolim putes defuturum me officio meo, si ulla in re utilis tibi opera mea possit esse: dolet enim mihi, non posse me idem in tua caussa, quod ipse olim in mea, qui, nisi re confectâ, non conquiêsti. Conveni jam aliquoties Illustrem Principem Arausionensem, quæ jubet bene spe-

* Scaliger. Epist. 334. & seqq.

1605. sperare: & profectò sententia mea semper fuit, ope Ducis Tremolliæ hoc negotium facilè posse expediri; quòd nuper recepit, se tentaturam Princeps Arausionensis; ad quam si de ea re scripseris, non malè, opinor, tibi consulueris. Vale, illustrissime virorum, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Decemb.* CIↃ IↃ CV.

Epistola CCCCLXXXV.

EIDEM.

1605. ILlustrissime Domine, diu tuas exspectavi: deinde eas * accepi, quibus adjunxeras notas in Cyclopem. Quid dicam? nisi quod æternis beneficiis ita me devinxisti, ut quantum me tibi debere sentiam, verbis explicare non queam. Nam quàm grata illa opera tua mihi fuerit, sciunt amici, quibuscum Notas περιχαρὴς ὢν communicavi. Si dabit Deus, ut me vivo libellus ille sub incudem revocetur, scient posteri, quanto soleam triumphare gaudio, quoties me docere aliquid dignaris. Mirum verò, tantopere libellum nostrum tibi potuisse probari, qui profectò scriptus non erat, ut oculis tuis objiceretur. Sed novi infinitum illum amorem erga me tuum ἐξ πολλάκις ἐμαυτὸν ἐμακάρισα, ἐπὶ τούτῳ μόνῳ τῶν ἐμαυτοῦ μέγα φρονῶν· aut, ut melius dicam, & verius, τῷ Θεῷ εὐχαριστῶν. In Polybio scis me nunc esse, cujus versionem ne me pœniteat fuisse aggressum, Perotti Interpretis fatuitas facit; qui mille amplius locis omisso Polybio, Livium descripsit nobis: quare meritò Itali tui Latinitatem hominis sunt admirati. Sed de fide illius, quod prædicat Jovius, quis ferat æquo animo? Irascor, & vehementer quidem. Gavisus sum, quòd me hortatus sis ad hanc versionem suscipiendam; quæ utinam satis Latina sit! paucorum enim est, Latinè scribere. Græco textui futuram ὁμόφωνον, penè affirmare ausim. Sed obtundo te, & otio tuo abutor, ipse nunc cùm maximè impeditus, & variè occupatus. Vale, illustrissime virorum. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VIII. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CVI.

Eusebium tuum exspecto in dies propè jam; & quòd jam tibi operæ satisfaciant, incredibiliter lætor. Deus te servet, δῖε γέρον. Quod scribis de Chronico hominis Germani †, mihi crede jurato, non majorem te ex ea re lætitiam cepisse, quàm ipse fecerim. Itaque crucior exspectatione ejus libri, quem semel nactus totum devorabo. Næ patrem illius juxta doctum, & probum esse oportet. Sed profectò, μεγάλη Θεὸς ἡ ἀλήθεια· nôsti cætera. Loyolitæ quid dicturi sunt? ἀλλ' ἀπόλοιντο κακοὶ κακῶς. Heic etsi plerique hostes tuæ doctrinæ, nemo tamen non abominatur Pædagogum Serarium. Bis scripsi de obitu magni Bezæ, & te & alios vestrates Poëtas, Baudium, Heinsium, alios epicedia poscens: si quid ejus factum, quæso, mitte.

* *Scaliger, lib. II. Epist. 115. & ad diversos, pag. 381. Opusc. varior.*

† *Sethi Calvisii, cujus Chronicon impensè laudat Scaliger, Prolegomenis in Canones Isagogicos & alibi, Epistol. 240. & 439.* Colomes.

Epistola CCCCLXXXVI.

DAVIDI HOESCHELIO.

GRegorium Thaumaturgum nuper editum, & nos vidimus. Apparet, eruditum Interpretem codice usum longè meliore, quàm tuus esset: itaque multa emendatè ibi scribuntur, quæ corrupta in tuo. Sed fallor, aut Interpres ille τὴν Ἑλληνικὴν παιδείαν ἄκρος non est; multa enim cùm obiter percurreremus, signa animadvertebamus τῆς ἀπειρίας· quod non dubito, multò melius esse tibi animadversum. Mihi gratissimum feceris, si & notulas meas, & illius interpretationem serio castigaveris; quo labore lubens te levarem, si isthic essem, aut omninò per occupationes liceret. De Legationibus narro tibi, quod fortasse nescis. Est in urbe vir, dignitate & cognitione literarum conspicuus, Cantoclarus *, qui olim Juliani quædam vertit: is Auctores aliquot è Legationum libro jam vertit; atque adeo jam, nisi fallor, prælo subjecit. Ab eo optimo & venerando sene sumus non semel consulti; etsi fortasse alienâ ope illi opus nihil erat. Origenis codicem per multos menses Heraldus habet, vir doctissimus, & singulari amicitiâ mihi conjunctissimus. Ostendam illi, cùm ad me veniet, [quod sæpe facit] Epistolam tuam, & rogabo, si quid habet, commodus impertiatur. Græcas enim literas exquisitè doctus est, ut te quoque scire confido. Beasti me nuncio illo de Fastis Siculis, quos Raderus convertit. Olim in potestate nostra fuit is liber: posteà, cùm τὰ χρήσιμα excerpsissem, aliis libris illum mutavi cum beatæ memoriæ viro, Sylburgio. Laudo consilium, quod clarissimo viro Grutero suggeris: ego per literas cum ipso agam, ut tibi obtemperet. De Dione agam cum Morello: si nihil perficio, dabo operam, ut meâ curâ tuæ voluntati fiat satis. De Privilegio meministi, quæ nuper scripsi: sed jam alia rerum facies; nam ὁ πρὶν σφραγιδοφύλαξ, vir integritate insignis, voluntate Regis, non dignitate, sed labore muneris sui alteri cessurus est cis dies paucos. Ille autem alter multùm nos

* *Carolus Cantoclarus, Consiliarius Regius, & in Curia Libellorum supplicum Magister.*

1605. nos amat, & literas colit: ὁ δὲ πρὶν οἱ καὶ τὰ μάλιστα, καὶ περὶ ἡμᾶς, καὶ περὶ τὰς Μούσας σπουδάζων ἦν, ὅμως διὰ τὸ γῆρας δυσαγωγότερός ἐστιν, ὅτι ἐγένετο. Nam præclari aliquid te præstiturum ope tuorum librorum, facilè conjicio ex iis, quæ ante plusculos menses scripsisti, super aliquot locis è Carmine aureo & Phocylidis. Quare da hoc mihi, ut liceat σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνειν. Vale, amicissime Vir. Amplissimum Velserum meis verbis salutes velim. Persium brevi ad utrumque vestrûm, volente Deo, mittam, & simul ad illum scribam. Iterum vale. *Lutetiæ Parisiorum*, ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας, CIↃ IↃ CV.

Epistola CCCCLXXXVII.

CLAUDIO SALMASIO.

1606. Binas post tuum discessum literas à te accepi: prioribus statim respondi, & meas Gilberto nostro dedi; posterioribus ne responderem hactenus, per illam spem tui adventûs factum est, quam ex tuis literis conceptam ἐνεχάραξατο καὶ παρεστήσατο τῇ ἡμετέρᾳ ψυχῇ idem ille utriusque nostrûm amantissimus Gilbertus. Non igitur potes jure de silentio meo queri: & profectò non is ego sum, quem eo nomine amici soleant incusare. Quod si quis est, quicum literarum commercium lubens exerceam, tu, crede, cum primis numeraris. Grata nobis, vel potius, longè gratissima, quæ de tuis studiis novissimâ Epistolâ scribebas. Cùm ad nos redieris, non prius hortari atque urgere te desinam, quàm à te impetravero, ut specimen aliquod tuarum lucubrationum edas in publicum. Callimachus, Petronius, itemque alii veteres Scriptores tuam operam deposcunt. Ego illorum vicem ἐργοδιώκτης ero; quia certus sum, ξὺν γε τῷ Θεῷ εἰπεῖν, quicquid institueris, publico bono & honori tuo cessurum. Sed ante omnia illud à te exposcimus, & si pateris, pro amicitiæ nostræ jure exigimus, ut cures valetudinem. Si te non respicis, at canos respice venerandi tui parentis, qui pro omnium suorum in te meritorum ἀντιμισθίᾳ hoc te rogat, tibi imperat, ut in studiis tuis memorem te veteris dicti probes, μηδὲν ἄγαν. Sic igitur animo indulge, ut corporis quoque rationem habeas. Hoc nihil gratius facere mihi queas. Vale, & amplissimum parentem à me saluta. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CVI.

Epistola CCCCLXXXVIII.

DANIELI HEINSIO.

Accepi proximis diebus, quas scripsisti ad me post acceptum libellum de Satyrica, eruditissime juvenum. 1606. Etsi autem nihil eorum agnosco, quæ tuus amor αὐτῷ τῷ θυλάκῳ, φασί, mihi tribuit; eâ tamen elegantiâ, eâ arte scripta Epistola tua mihi est visa, ut vereri subiret, ne si iterum eam legerem, plus tibi de me quàm mihi ipsi crederem. Omitte igitur, quæso, illud argumentum; & permitte mihi, ut meo me pede metiar. Sanè vel quod nunc in manibus est, opus, tenuitatis meæ satis me admonet: Polybium enim dum Latinè loqui docere cupio, quàm sim docendus ipse, quotidie magis ac magis agnosco: mirum enim, quàm sæpe levicula macula, aut ignota verbi proprietas impetum meum currentis remoretur. Quanquam nihil sanè nos remoratur, quando semel constituimus eâ operâ quàm primùm defungi. Itaque paucis diebus partem maximam absolvimus. Sed de hoc aliàs. De Maximo Tyrio, per Deum immortalem te oro, ignosce; non enim meâ adeò culpâ factum, ut tamdiu in ære tuo essem, atque eorum ignaviâ, quorum operâ in ea collatione utor. Vale, καὶ σύγγνωθι. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XVI. *Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CVI.

Amicissimo & clarissimo Baudio salutem ex animo, & Vassanio nostro, ad quem nuper scripsi, & nunc quoque scriberem, si esset otium.

Epistola CCCCLXXXIX.

JOSEPHO SCALIGERO.

Illustrissime Vir, accepi hodie literas 1606. è Narbonensi Gallia, quas tibi mitto, ac si per occupationes tuas licet, te oro, ut viro optimo *, tuique observantissimo, respondere ne graveris; eò magis, quòd neque à Plancio, neque ab aliis Belgis, ad quos literas dedit non semel, responsum ullum tulit. Orat igitur te, atque obsecrat, ut sis illi εἰς ἀντὶ πάντων. Nos heic in dies, ac prope jam in horas tuum opus exspectamus: neque memini facilè ullum unquam tempus tam mihi fuisse longum, atque hoc erit, donec voti hujus fiam compos. De illo scelerato, qui pecuniam tibi debet, nolim sis nimium sollicitus: nam etsi lentum nomen ille est, imò verò nullius fidei homo; quia tamen illustris Heroïna Tremollia in urbem

* *I. Nausenterio. Colomes. Scaliger. Epist.* 118.

1606. bem brevi est ventura, apud quam omnia potest ὁ τὰ πάντα ἄριστος Thuanus, non debes dubitare, quin brevi, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, ad tuum pervenias. Vale, illustrissime Vir. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XVI. *Kalend. Februar.* CIƆ IƆ CVI.

EPISTOLA CCCCXC.

EIDEM.

1606. Quas postremas à te accepi, eæ datæ erant Kalendis ipsis Januarii *. Ex iis cognovi, plurimas meorum aut periisse perfidiâ eorum, quibus fuerant traditæ; aut negligenter certè curatas; nam à Kalendis Septembris anni prioris decies minimùm scripsisse me ad te, liquidò jurare possum. Egi etiam pro munere tuo Notarum in Cyclopem suavissimo mihi, non quas quantasve debui, sed certè quantas poteram maximas gratias. Tu verò non credideris posse mihi aliquid gratius accidere, quàm cùm me docere aliquid dignaris. Sanctè autem affirmo tibi, in plerisque scopulis hæsisse cymbam nostram, quos tu in illis tuis notis attigisti & explanasti. Itaque expeto cupidissimè occasionem illas publicandi; quod quidem brevi facturum me confido, Θεῷ γε διδόντος. Balforius †, de quo nuper scripsi, Commentarium in Cleomedem edidit; nisi fallor, bonæ frugis plenum, & vel eo nomine dignum approbatione bonorum, quod tuam, & divini parentis tui præstantiam æquis ponderibus pensare videtur. Scio istis non moveri te; puto tamen vestra quoque Heroüm pectora gaudio aliquo tentari, quoties labores vestros paucis cognitos prodesse mortalibus, & omnem sequiorum ingeniorum invidiam superare intelligitis: propterea optavi de eo Scriptore judicium tuum cognoscere. De N. N. ‡ *homine*, uti vocas, *abreptitio*, nihil ante lectionem hujus tuæ Epistolæ didiceram. Auxit ea res cupiditatem, quâ totus pridem flagro videndi tui operis Eusebiani. Atque utinam superi faxint, ut brevi fiam voti hujus compos! utar verò, utar consilio tuo, quod super instituto à me opere dedisti; neque committam, si viam & vires ὁ ἐπὶ πᾶσι fuerit largitus, ut dignitatem literarum polluisse queam judicari. Quod quidem eò diligentius conandum mihi censeo, quia existimationis meæ vadem prædemque apud bonos te, virorum optime, illustrissime, habeo. Tu enim profectò es, qui amicis meis persuasisti nostras esse aliquid lucubratiunculas. Equidem in hac versione atque interpretatione magni Scriptoris quotidie experior, (cur dissimulem?) quàm habeam adhuc magistro opus. Quod si isthîc essem, Deus bone, quid non possem? quid tam altum, quò tuis sublevatus alis non facilè pertingerem? Tum verè liceret Polybium μακαρίζειν, quòd in nostras manus incidisset. Sed non capit tantum bonum fortunæ nostræ tenuitas. Itaque quod unum restat, in fide & diligentia & subsidio literarum tuarum [quas eliciemus crebras, ubi te arduo labore defunctum senserimus,] spem omnem ponimus. Una res est nostris conatibus perincommoda; quòd gravissimas causas habemus, cur ad operis finem, cujus in primordio vix stamus, πάσῃ σπουδῇ καὶ μηχανῇ contendamus: verùm de his aliàs, Deo volente, plura; juvat enim, in sinum tuum meas querelas expectorare. Heri venit Lutetiam illustris fœmina, Domina De la Tremouille. Illa sola efficiet, ut ad tuum pervenias, aut . . . sed ominari secius quicquam nolo; cùm præsertim in potestate magni Thuani sit totum negotium: nam ejus consiliis plurimùm regitur nobilissima Heroïna; cujus autoritate facilè compelli poterunt tui Cercopes, ut tibi satis faciant. Non peccaveris, neque operam luseris, si ad Thuanum ea de re scripseris. Epistolam tuam de Gallia vidimus; quæ si esset emendata, pluris à Thuano, alisque fit, quàm ingentes aliorum moliones. Vale, & me consuetâ benevolentiâ dignare. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIV. *Kalend. Fevruar.* CIƆ IƆ CVI. 1606.

Est in aula vir nobilitatis præcipuæ, M. De la Bourdaiziere, quicum mihi familiaritas & amicitia non vulgaris intercedit; est enim earum literarum amantissimus & intelligentissimus, quas pauci, non dicam è Proceribus ejus Amplitudinis, sed ex iis, qui literarum notitiâ sunt celebres, nôrunt, nedum tenent. Cum eo multus mihi de tua præstantia sermo: nuper vero, cùm mihi κειμήλια sua ἀξιάγαστα ostenderet, jaspidem unum inter cæteras antiqui operis gemmas spectandum exhibuit, itemque achatem unum, quorum lapillorum alterum ait tibi quondam fuisse visum, & prodiisse à te doctissimum scriptum ad illustrationem ejus gemmæ. *Falaiseau*, opinor, fuit Medicus Turonensis, cui illa scripseras. Is igitur vir nobilissimus te plurimâ salute impertit; oratque, ut si fortè in adversariis tuis vestigium aliquod superest ejus scriptionis, velis eam secum communicare; & hoc beneficio ipsum demereri. Idem nos quoque à te contendimus, quod tuo commodo fiat.

* Scaliger, lib. II. Epist. 117.

† Robertus Balforius, Gymnasiarcha Burdigalensis.

‡ Thomas Lydiat.

EPISTOLA CCCCXCI.

EIDEM.

1606. DEderam viro nobili, qui isthuc iturus me convenit, quæ est ejus humanitas, fasciculum tibi perferendum; cùm posteà Scotus quidam, vir eruditissimus, ostendit mihi Epistolam, Arabicè scriptam ad Antonium, Lusitaniæ quondam Regem. Hanc percurrenti mihi non omnia quidem negotium facessebant, sed certè plurima; adeò ut de sententia Epistolæ mihi non constaret; ac, nisi fallor, multa non vulgarem Arabismi dialectum præferunt; quæ longè discedunt ab Arabismo librorum editorum. Puto & multa scripta perperàm, non in apographo tantum, quod videbis; sed in ipso autographo, cujus mihi facta est videndi potestas. Ejus Epistolæ exemplum ad te misi, ut si per negotia tua liceret, doceres me, quid sibi illud velit; nam ego ne manum quidem satis assequor. Vale, illustrissime Heros. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XIV. *Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CVI.

Oro te, partem saltem aliquam digneris vertere; hæreo enim in plerisque, plurima penitùs ignoro, & quis ille sit Abloala: non enim satis scio, an qui temporibus illis regnabat Miremunim Scariphius, ita vocaretur.

Ad hanc respondet Scaliger, lib. II. Epist. 119.

EPISTOLA CCCCXCII.

EIDEM.

1606. QUàm crebas à me literas accipias, haud scio; puto tamen sæpe factum superioribus mensibus, ut oleum mihi & opera perierit. Multa enim de multis rebus scripsi; de quibus nihil possum cognoscere ex novissimis tuarum, ecquid reddita tibi illa fuerint, an non. In his fuit Diploma, sive Epistola quædam Arabica, à Rege Marroci, opinor, ad Antonium, Regem Lusitaniæ scripta, de qua dubitationes meas tibi aperui. Fuere in his & Notæ è vetustissimo codice Marcellini Comitis, quas à Frontone acceperam tibi mittendas: misi præterea & Epistolas amicorum, ut Vertuniani, Nautonerii, & aliorum. Nunc libellum tibi mitto viri optimi, qui in chronologicis te magistro aliquid sibi videtur supra vulgus didicisse; quod cujusmodi sit, ipse judicabis. Eusebium tuum ex iis literis, quas ante mensem acceperam, certâ spe jam penè devoraveram: nunc, quia in iis, quæ ante quatuor dies mihi abs te fuerunt traditæ ab eruditissimo adolescente Forestio, nulla illius fuit mentio, quid sperem nescio, scio quid metuam. Valde enim ἀγωνιῶ, ne spes nostræ in multos menses sint rejectæ. Quicquid hujus sit, Deum suppliciter oro, te servet, destinam & columen literarum unicum. Vale. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum*, *Non. Februar.* CIↃ IↃ CVI. 1606.

Clarissimo Heinsio amicissimam salutem mitto. Scripsi ad illum ante dies perpaucos.

EPISTOLA CCCCXCIII.

EIDEM.

MItto tibi, quas accepi à Vertuniano, tui, illustrissime Vir, studiosissimo. Adjeci libellum hominis optimi & probissimi; quem spero tibi non ingratum futurum. Is unus est ex eorum numero, qui te γνησίως colunt. Ut res heic sunt, mirum est, posse quenquam reperiri, qui super talibus liberam vocem mittere ausit. Ruimus enim, ruimus in servitium infame infamis illius Scorti, quod τὴν ἑπτάλοφον insidet; cujus monarchiam in temporalibus, ut loquuntur, novis subinde scriptis ex illa urbe, aut locis vicinis prodeuntibus, videmus confirmari: ut jam quid adjici possit, non intelligam. Eò spectant illi tot Annalium tomi; eò quicquid hodie ferè editur: denique hic est hodie ἔργον εὐσεβείας. Sed hæc mitto ἀχνύμενός περ. Quanta cum fame tuum librum exspectem, non dicam; & profectò, quicquid dixero, cupiditate meâ inferius erit. De tuo negotio scripsi nuper. Res in periculo quidem versatur, sed spe tamen non caret. Si Tremollia vellet negotium suscipere, sola potest illud conficere; qua de re plura nuper scribere ad te memini, neque sententiam muto. Vale, illustrissime Heros, & nisi grave est, salutem clarissimo Heinsio. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* III. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CVI. 1606.

Narro tibi, quotidie monstra in literis nascuntur, quorum nullum sæculum æquè ferax, ut hoc nostrum. His diebus liber Gallicus prodiit jocularis insaniæ, satis amplus. Conatur Autor omnes linguas revocare ad Hebraicam originem: ipse eam linguarum notitiam habet; quam potuit haurire è suis Lexicis, Calepinis, Dictionariis, quæ omnia ad unguem tenet. Mirum hominis inceptum, qui à ביצ *deducat ovum, & cætera ad hunc modum. Ferrem ægrum animi, nisi viderem studium dissentiendi à te, quanquam id quidem*

1606. dem modestè. Porro hujus monstri pater, vir est probus, pius, ὀρθόδοξος· quò mihi res molestior est.

EPISTOLA CCCCXCIV.

SCIPIONI GENTILI.

1606. ET literæ tuæ gratissimæ mihi fuerunt, ut semper, clarissime Scipio; & illæ quoque jucundissimæ, quas à Conrado Ottone *, viro eruditissimo, mihi misisti. Spero fore utilem Ecclesiæ Dei & Reipublicæ literariæ hominis tam docti conversionem ad Christianismum. Atque utinam ita viveremus nos veteres Christiani, ut probitas nostra miseram gentem ad expetendam veritatis notitiam alliceret! Huic certè viro optimo [è scriptis videor cognoscere] opto læta omnia, ut quæ orsus est ad illustrationem earum literarum, ad umbilicum brevi possit perducere. Scripsi ad illum sanè quàm παχυμερῶς, non ostentandæ eruditioni, sed benevolentiæ declarandæ. Eas literas tibi mitto, teque oro, ut de meo erga ipsum animo prolixè omnia pollicearis, quæ ab homine tanto intervallo terrarum separato potest exspectare. Amplissimus Thuanus te peramanter salutat. Is amari se & æstimari abs te, persuasissimum habet: quare illos sermones, de quibus ad me scripsisti, (scripserunt & alii) quæso, omittamus: satis enim compertum habemus, & illius, viri alioquin magni, genium atque ingenium quicum sunt habiti. Omnino veritati satis æquus esse non potest, qui istos illius hostes manifestos tanti faciunt. Ἀ᾽λλὰ περὶ τούτων ἐυστομά μοι κείσθω. Vale, Vir clarissime, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IV. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CVI.

* *Vide suprà, Epist. 433.*

EPISTOLA CCCCXCV.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEIMIO.

1606. PUdebat me nuper, nobilissime Lingelsheimi, cùm leviculum & penè nugatorium scriptum tibi mitterem. Cogitabam enim, qui & quâ gravitate vir esses; neque putabam posse fieri, ut ad Satyrorum spectaculum sine aliqua indignatione descenderes. Magis puduit me, cùm tuas legerem, quibus pro levidensi munusculo non secus mihi gratias agis, quàm si palmarium aliquid præstitissem, & opus edidissem dignum in Minervæ arce poni. Obsecro te, Vir nobilissime; quæ hæc tua comitas est? Ego spem omnem meam in tua ἀνεξικακίᾳ ponebam, quæ facilè veniam 1606.
indulgeret temporis fortasse non optimè positi; tu nos iis laudibus ornas, quas nullâ ingenii contentione sum unquam meriturus. Quid faceres, si ejusmodi esset argumentum, quod pro se placere tibi posset? Cujusmodi fortasse erit opus, quod præ manibus nunc habemus: Polybium dico; in cujus editione adornanda pridem sumus. Versio magna ex parte paucis mensibus jam profligata est. Cætera brevi expedientur, σὺν τῷ Θεῷ. Supersunt notæ, ad quas dudum nos comparamus. Scriptorem enim magnum magno studio illustrare aggressi sumus; modò vitam & otium Dei benignitas sit concessura. Nam quæ nos pericula circumstent, vides: & profectò, id agitur à nonnullis, ut clementissimi Regis beneficio uti diutius non possimus. Quod si aliquid ingruat, & pateat via, statui in Germaniam vestram me recipere; saltem ut Polybii editionem ibi curem, tantisper dum Deus Opt. Max. certam aliquam mihi, & meis sedem ostendit. Vale, amicissime Vir, & pusillum quendam libellum cis dies paucos à me expecta, quem vel propter genus argumenti non dubito fore tibi acceptum. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CVI.

EPISTOLA CCCCXCVI.

DAVIDI HOESCHELIO.

INfrequentiam mearum excusarem, 1606.
nisi considerem notas esse tibi occupationes, inter quas vitam heic traho. Possum hoc tibi verè & sanctè jurare, pestem hanc esse meorum studiorum, quibus nescio profueritne plus ob copiam ἄφατον librorum, an nocuerit ob jacturam ἄφυκτον temporis, mea in hanc urbem migratio: nisi quod illud melius esse credimus, quod Deo τῷ τὸν ἡμέτερον βίον οἰκονομοῦντι placuit. Scripsi anteà de acceptis Procopii chartis usque ad paginam sexagesimam. Cœpi cum altero MS. eas conferre, nec planè operæ pœnituit. Pergam igitur, σὺν τῷ Θεῷ, & quæ invenero, ad te mittam. Tu velim significes, quo tempore absolutam eam editionem fore putes; ne serum sit meum auxilium. Nos in Polybio vertendo pergimus; quâ molestiâ pridem defuncti essemus, si Monspelii, aut Genevæ viveremus. Nunc vix dimidia pars operis confecta; & supersunt Notæ, labor ingens, si Deo placuerit otium præstare. Non enim auscultabimus viro docto, qui nuper in editione magni Scriptoris id egit, ut

leviter

1606. leviter & ἐπιπολαίως tractandos esse magnos Auctores hominibus persuaderet. Damus hoc ejus ætati & meritis, ut hoc ipsi per nos liceat. At consilio illius in adornanda editione nostra non utemur. Quanquam, mi Hœscheli, nolim te fugiat, aliam esse potiorem curam, quæ mihi cor urat, cùm ea videantur imminere tempora, de quibus ne cogitare quidem sine horrore possumus. Verùm hæc τῷ ἐπὶ πᾶσι μελήσει· quem oro, ut tuam senectutem omnibus rebus fortunet. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CVI.

Doctissimum virum, Eliam Putschium, cujus ingenium & eruditionem maximi, pro eo ac debeo, facio, velim salutes meis verbis quàm amantissimè. Scripsissem ad illum, si mihi constitisset, ubi locorum nunc degat.

EPISTOLA CCCCXCVII.

CONRADO RITTERSHUSIO.

1606. NOn putabam fore mihi vel tantillum otii, ut te compellarem, Vir clarissime. Jamque egeram cum communi amico, doctissimo Gentili, ut patrocinium meum apud te susciperet. Sed ἐξενίκησε τὸ σφοδρὸν τῦ προθύμυ, effecitque ut quamvis occupatissimus, hæc pauca raptim ad te exararem, cùm præsertim à superioribus nundinis, neque scripserim ad te, neque tuarum quicquam acceperim. Cupio ex te de tuis rebus & præclaris inceptis cognoscere; non enim dubito aliquid moliri te ad publicam literarum utilitatem adjuvandam; quod cùm feceris hactenus magno cum fructu & publica utilitate, Deum oro, ut etiam porro εἰς πολλὰς πολλῶν ἐτῶν περιόδυς facias idem; & magis magisque in dies de posteris merearis. Isidorum nemo adhuc in hac urbe vidit. Eum librum ego & Thuanus ὁ ὑπέρμεγας quanta cum cupiditate exspectemus, ne ipse quidem nescis, nisi nos ignoras. Vale. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Kalend. April.* CIↃ IↃ CVI.

EPISTOLA CCCCXCVIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1606. EX iis, quas a. d. XV. Kalend. Mart. ad me dedisti, cognovi, redditas fuisse tandem tibi ἀθρόως multas Epistolas meas, quas pridem putaram periisse. Grata mihi fuere cum primis, quæ de Arabico Diplomate scribis; nam & ipse ἐκ τῦ εἰκότος στοχαζόμενος, non ex certa scientia, penè eadem responderam. Si quid posteà aliud inveneris, & id significare fueris dignatus, futurum id quoque longè gratissimum: nam etsi cura & sollicitudo περὶ τῦ μέλλοντος, ut studiorum obliviscerermur, prope jam effecit; cupiditatem discendi tamen non penitùs in animo nostro exstinxit. Quis jam sit heic rerum nostrarum status, neque tu nescis, & ego malo, ex aliorum te cognoscere, quàm ex meis literis: in posterum verò, quæ bonos maneant, scit unus Deus, cui & nos curæ fore confidimus. Epigrammata, quæ misisti, dudum me accepisse, opinor, te non latet. Amicis illa ostendimus τοῖς τῦ χρυσῦ γένυς λειψάνοις· qui tanti illa fecerunt, quanti omnia tua. Sed dolemus omnes seculi infelicitatem, quo illud maximè placet multis, quod maximè falsum. Hinc illa profanæ gentis fiducia, fabulam de Burdonio iterum ventilandi: nam ea de re librum abominabilem edi in Germania †, & Bongarsius noster literis suis nuper querebatur. Te verò, δῖε γέρον, si hæc moverent, equidem mirarer. Quid? potuisti in hoc fastigio virtutum & eruditionis constitutus, aliud tibi de scelestissimis hominibus ‡ polliceri; qui bellum atrox cum Deo palam gerunt; qui Reges ἀναπαισχύντως καὶ ἀναιδῶς in ordinem cogunt, & quoties lubet, occidunt; ii tibi parcent? Mihi crede, in eorum potestate si esses, dentes eorum σαρκοφάγυς non effugeres. Nunc quia Dei benignitas in tuto te collocavit, omnia exspectare ab illis debes, quæ ab hostibus veritatis crudelissimis possunt proficisci. Oro te, sapientissime Scaliger, moveri his contumeliis noli; non deerunt, qui tuâ & semonis illius tui parentis caussâ in arenam cum id genus monstris velint descendere: tuæ heic nullæ sunt partes; nisi ut, quod fecisti hactenus, pergas constanter de hominum genere bene mereri; quod ut perdiu facias, Deum Opt. Max. supplex veneror. Miratus sum, te in dubium vocare, quod legisti in literis hinc missis de colloquio Gossypieponymi cum τῷ δεῖνι ⸸: credideram te pro veris habiturum, quæ ego tibi confirmassem esse certa. Scripsi autem dudum ad te, his oculis vidisse me hominis αὐτόγραφον, quo nihil verius, nihil certius. Habebam multa, de quibus te consulerem; sed pudor vetabat: cùm non ignorem, quantam occupationum molem sustineas. Proximè, σὺν Θεῷ, de nummis Arabicis, quos vidi cum variis figuris, tecum agam. Vale. *Lutetiæ*

* Responsoria ad Scaligeri Epist. 118.

† Auctore Scioppio. Colomes.

‡ Jesuitis.

⸸ Patris Cottoni cum Hadriano Fraxineo. Colomes.

1606. *tiæ Parisiorum*, *Kalend. April.* CIↃ IↃ CVI.

Erat animus ad doctissimum Heinsium literas dare; sed id nunc minimè potui: peto à te, ut, nisi grave est, hoc loco fas mihi sit, salutem ei adscribere.

EPISTOLA CCCCXCIX.

CONRADO RITTERSHUSIO.

1606. SCripsi nuper ad te, Vir clarissime, viâ Francofordiensi, priusquam tuas acciperem, exeunte Februario datas; quæ cùm paullò pòst mihi fuerint redditæ, lætatus sum occasionem tam bonam mihi se obtulisse literas isthuc mittendi; quas equidem uberiores darem, multùmque de communibus studiis tecum garrirem, nisi otium deesset: eram enim, cùm ista exarabam, occupatissimus. Quare Μάλχου πέρι da mihi hanc veniam, ut diem diffindere liceat. Scribam enim brevi, θεοῦ γε διδόντος, & quidem οὐκ ἄνευ τύχης, ut puto. De Diogenis Codice & opera tua, beasti me hoc nuntio. Amabo, quæ inveneris, benignus imperti; amo enim illum Scriptorem, vel eo nomine, quia per eum mihi aditus primus ad doctorum amicitiam fuit; sed multò magis, quod meminisse illius non possum, quin parentis mei, viri, cui similem me liberosque meos esse opto, [ea fuit illius virtus, sapientia & eruditio,] jucundissima recordatio animum subeat. Quod si otium aliquando Deus fuerit largitus, posse videor editionem concinnare non pœnitendam. Sed hæc aliàs. Nunc scito, quæsiisse me diligenter de eo Germano, ad quem literas dederas, quem quia brevi isthuc intellexi rediturum, mitto tibi, quas scripseras, literas: sic enim jussisti, & ita est æquum. Vale optimè, doctissime Vir. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum*, *prid. Eid. April.* CIↃ IↃ CVI.

Exspectamus ego & ὁ θαυμάσιος Thuanus Epigrammata in scelestissimum librum isthic scripta, quorum in tuis meministi. Qui librum non oderunt, Auctorem non habent pro sacro & intestabili, bonorum odio dignos puto. Paratur nunc, ut audimus, Ingolstadii liber in magnum Scaligerum, quo nihil sol vidit scelestius, hoc est, iis hominibus dignus, quos Νὺξ ἐρεβεννὴ genuit, Ἅδης produxit in lucem. En magistros Romanæ pietatis! en Petri successores! Thuani Historia adhuc sub prelis est, quæ si fuerit absoluta, memorem agnosces, cum bono Deo. Clarissimos viros, Scipionem Gentilem, & 1606. Georgium Remum, nisi grave, è verbis meis salutabis; nec non doctissimum virum, Conradum Ottonem, ad quem nuper scripsi *. Iterum vale.

* *Vide suprà, Epist.* CCCCXCIV.

EPISTOLA D.

JOSEPHO SCALIGERO.

SI vales, bene est; ego valeo Dei beneficio, quem assiduè veneror, ut te præstet valentem, & annos Nestoreos tibi largiatur. Vidimus nuper carmen eximium, & verè χρυσοῦν ἔπος, quo memoriæ magni senis † parentasti. Non dicam tibi, quid mihi de illo videatur; sed præstantissimus Thuanus, ἀξιόχρεως τῆς ποιητικῆς judex, qui primus tuum mihi carmen ostendit, vix apud se erat, cùm illud legeret, ac penè totum memoriæ mandaret. Beatum te, cujus remissiones animi καὶ ἧς τινοσοῦν σπουδῆς τῶν ἄλλων ὑπερέχουσι. Vale, illustrissime Domine; plura enim nunc non possum. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VIII. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CVI. 1606.

† *Theodori Bezæ.* Colomes.

EPISTOLA DI.

DOMINICO BAUDIO.

PRimùm tibi de constantia, quam 1606. præstas in amore mei, gratias, pro eo ac debeo, gratissimas agam. Fateor enim, me in ære tuo esse, neque semper in scribendi officio paria tecum posse facere. Ut alia tempora omittam, nuper certè cùm novissimas tuarum accepi, & quos adjunxeras libellos, debitor adhuc tuus eram, neque iis dum responderam, quæ ante unum alterumve mensem à te mihi fuerant redditæ. Habes confitentem reum, cui te ignoscere candor postulat naturæ tuæ, & τὸ εὐγνωμονικὸν τῶν σῶν τρόπων. Accuses, per me licet, cessationem meam; & supinam, si lubet, appelles negligentiam; feram æquo animo quidvis, modò ne animum tuum ulla tangat suspicio amoris erga te mei imminuti: ὃ μὴ γένοιτο, οὐδ' ἔσται. Accepi ab eruditissimo Rutgersio Orationem tuam, ad Studiosos Leidenses habitam; cujus lectio quantæ mihi fuerit voluptati, verbis nequeo exprimere. Proprium hoc est omnium tuorum scriptorum, ut in animis legentium θαυμαστόν τι κέντρον ἐγκαταλίπωσι, adeò tibi τῇ Πειθοῖ θύειν familiare est καλλιερεῖν. Sed me nescio quomodo admiratione majore affecit, carmen illud tuum purissimæ Latinitatis, quo τῷ μακαρίτῃ N. ‡ parentasti. O Vene-

‡ *Theodoro Bezæ.*

1606. Veneres, mi Baudi, tuas! ô elegantiam pari gravitate conditam! Exſpectabam carmen à Poëta; inveni ſeverum judicium de viro longè graviſſimo. Revocavit mihi in mentem ejus carminis lectio, quæ nuper ſuper eadem re ad me ſcribebas; in quo miratus ſum, adeò immutatum tibi fuiſſe animum, ut quem tot literis mihi commendaras, nunc ultrò graviſſimis verbis accuſares. Equidem mutationis hujus cauſam è tuis literis parum capiebam, quam videor ex illo carmine luculento planè jam intelligere. Fraudi nimirum viro docto & pio (talem fuiſſe omnes narrant, neque tu negas,) fuit, ſciviſſe aliquid, quod priores Magiſtros noſtros fugerit. Jam enim, uti video, res eò rediit, ut in unius Doctoris verba omnibus ſit jurandum, qui pii volent audire. Meum non eſt, de tantis rebus ferre ſententiam: diſſimulare tamen non poſſum, rem videri mihi admiratione omni digniſſimam; neque ullo pacto mihi rationem illam ſatisfacere, quam ipſe non ſemel commemoras, lapidem, vel malè poſitum, non eſſe commovendum. Agnoſcis enim tua verba: *Toleranda ſunt adulta vitia temporum.* Enimverò iſta ratio, & axioma iſtud, quam vim habeat, & quid ex eo conſequatur neceſſariò, acumen tuum fugere non poteſt. Verùm de iſtis rebus plura, σὺν Θεῷ, aliàs: nam, quod nolo te neſcire, accidit mihi, dum cogente neceſſitate in lectione Patrum eo animo verſor, ut totis ingenii viribus noſtra placita propugnem, ut de nonnullis capitibus univerſæ Eccleſiæ antiquæ admirabilis conſenſus in ſtuporem me daret, ac figere gradum cogeret. Atque hoc nunc me ſtudium habet; quem ipſe nôſti à Romana tyrannide ſic averſum, ut nemo queat magis. Hæc raptim exaravi; plura, ut ſpero, brevi ſcripturus. Vale, pater Latini ſermonis, & omnium elegantiarum. *Lutetiæ Pariſiorum, Kalend. Maj.* CIϽ IϽ CVI.

Suetonium nuper editum in hac urbe, ſed nondum planè abſolutum, (deſunt enim Indices noſtrarum Animadverſionum) brevi à me exſpecta.

EPISTOLA DII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1606. TRiduum vel quatriduum eſt, cùm ad te literas dedi, Vir illuſtriſſime: eo nunc ero brevior; quum præſertim vir nobiliſſimus, cui has trado, nihil certi habeat de ſua iſthuc profectione. Is eſt Peireſcius * Provincialis, tui obſervantiſſimus. Oſtendit ille mihi tuorum majorum, qui Veronæ imperitarunt, monumenta, ſi quid judico, ἀξιάγαστα. Utinam poſſent illa iſthic edi, cum tuis Notis. Sperem τοῦ Πονηροῦ ὑποφήτας διαῤῥαγήσεσθαι ὑπὸ τοῦ φθόνου· digni profectò homines, quibus rumpantur ilia. Exſpecto, quid novi proferent hæ nundinæ. Sethum utique Calviſium habebimus, quem tibi adeò videmus probari. Sed illud potius opto, ut tuum opus quàm primùm abſolvatur, & ut frui illo nobis liceat. Γένοιτο, γένοιτο. Vale, illuſtriſſime Vir. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* VI. *Non. Maj.* CIϽ IϽ CVI.

* Nicolaus Claudius Fabricius de Peireſc,

Senator Aquiſextienſis, cujus Vita à Petro Gaſſendo accuratiſſimè ſcripta ubique proſtat. Colomeſ.

EPISTOLA DIII.

EIDEM.

OMnibus tuis Epiſtolis reſpondi, præter ultimam, quæ erat de Juſti Lipſii, viri clariſſimi, obitu. Gaudeo, te mihi ſemel aperuiſſe judicium tuum de illo viro; nam qui à multis annis ſic judicabam, nunc cùm tibi quoque idem videri intelligo, mirificè in ſententia mea confirmor. Omninò magnam literæ jacturam in eo fecerunt: majorem tamen facturæ, ſi quam verbis docuit conſtantiam, vitâ exhibuiſſet. Ego non dubito, verum eſſe, quod ais, pœnituiſſe ipſum levitatis ſuæ, quòd à Batavis, qui ceu numen aliquod διοπετὲς eum coluerant, unquam diſceſſiſſet. Habeo literas ipſius, & quidem ἰδιογράφους, quibus teſtatur, quàm alieno animo eſſet à Del-Riis, & id genus portentis & certiſſimis veritatis hoſtibus. De Del-Rio nominatim ſcribit, quum ad eum ſcripſiſſem de furore illius canis in te & magnum Thuanum; contemtu ulciſcendam eſſe impoſturam hominis; neque enim ad poſteros tam ſceleſta ſcripta eſſe perventura: & quum de paganico omnium Dæmonum Amphitheatro aliquid ſcripſiſſem, ſic reſcripſit, ut ſatis palam faceret, deteſtari ſe id genus ἀπονενοημένων ἀνθρώπων. Idem tamen cùm ad alios ſcribebat, aut in familiaribus colloquiis cum amicis, longè alium animi ſenſum præ ſe ferebat; & volitabat non ita pridem Epiſtola illius, poſt viſum Elenchum tuum ſcripta, quam ſine indignatione neque tu potuiſti legere, neque alii, qui te quâ par eſt reverentiâ, colunt. Hæc pridem adduxerant me, ut miſeram ſervitutem illum ſervire non dubitarem; quo quid miſerius? quid cordato homine indignius? Illud verò gravius, quòd dum ſuperſtitioſum ſe ſimulabat, planè occulto Dei judicio videtur eſſe factus.

1606. Reſponſoria ad Scaliger. Epiſt. CXX.

Vidiſti

1606. Vidisti quæ scripta sunt de illius obitu? Equidem obstupui cùm legerem, in ipso agone mortis vestem pelliceam B. Virgini dicasse, & statim jussisse afferri *. Deum immortalem, quæ hæc anilis superstitio! cùm intereà de Christo, qui solus & μονώτατος est Σωτὴρ, ne γρῦ quidem. Fateor tibi, magne Scaliger, terrent me hæc exempla eorum, qui veritatem semel agnitam posteà oppugnatum iverunt; quod partim ipse fecerat, partim facturus sine dubio erat. Equidem accepto de ejus morte nuntio, ubertim lacrymas fudi; nam & colui hominem, & ille me amavit. Amisi magnum testem mearum in Polybium vigiliarum, quas non dubitabam fore ipsi gratas: ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Vidi superioribus diebus recentem Scriptorem, cujus nomen ex tuis literis primùm mihi innotuit, Sethum Calvisium. Miratus sum, & magis magisque miror indies, qui potuerit hactenus tantum ingenium in tenebris delitere. Sed mihi videtur homo simplex, ὃ τὸ δοκεῖν ἀλλὰ τὸ εἶναι σπουδάσας, de nominis splendore parum cogitasse. Itaque totus semel in lucem prodiens, majore miraculo nos perculit. Sunt tamen nonnulla in ejus divino opere, de quo velim à te ipsum moneri: nam quid attinebat, Natalem à Comitibus, & reliquos id genus nuperos Scriptores, quorum pars etiamnum vivit, toties laudari? hoc nos iniquo animo ferebamus in tam erudito viro, & tam reconditæ doctrinæ; qui si nobis esset notus, per literas cum ipso ageremus, ut in proxima editione hoc ἀβλέπτημα emendaret. Scioppii τὸ ἀρχινέμημα in tuum illustre nomen ex catalogo cognovimus; neque adhuc editum putamus. Non committam, ut consilium tibi dem, quid sit opus facto: sed si ἰχνογραφίας Veronensium Mausoleorum, quas ipse vidi, accepisti, eaque monumenta publicaveris; aut fallor, aut ad restim pessimum quemque istorum ἀλιτηρίων καὶ ἐναγῶν compelles. Nos quoque primam faciem typis editam accepimus libri, quem idem ille μιαρὸς in nos evomuit; qui duram profectò suscepit provinciam, ut nos Thrasones probet atque Atheos. Enimverò si Athei essemus, Romæ essemus, quò magnis conditionibus ante hos septem annos ὑπὸ τῶν κρατούντων fuimus invitati. Demiror, quibus machinis sit probaturus, suspicionem ἀθεότητος in me competere: mihi facillimum erit palam facere, ipsum & πλάθεον, & ἄθεον esse. Itaque librum illum exspecto incredibili quadam cum cupiditate; sed longè tamen majore tuum Eusebium; quem si prius, quod opto, accepero, dubito an tanti prostituti pudoris nebulonem sim facturus, ut ejus causså oculos à tuis divinis scriptis velim tollere. Quod superest, peto à te, ut hunc nobilem adolescentem, qui militiæ causså isthuc proficiscitur, bonum bonis prognatum, benigno vultu digneris suscipere. Vale, illustrissime Heros, & coaxantes omnes ranas sperne, ut te dignum est. Deus Opt. Max. te servet. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Kalend. Jun.* CIϽ IϽ CVI. 1606.

* Miræus in vita Lipsii, pag. 60.

EPISTOLA DIV.

DANIELI HEINSIO.

PRo munere recens accepto tuorum pulcherrimorum Poëmatum ago tibi gratias; eò quidem impensius, quòd in tam venusto elegantiarum thesauro nomen meum τοῦ ἀμούσου extare voluisti. Non possum paria tecum facere, quem mirari queo magis quàm μιμήσασθαι· animum tamen si spectaveris, facilè impetrabo, ne parum gratus tibi videar. De Maximo Tyrio pridem esset transactum, si fides fuisset in certis hominibus, qui operam suam mihi occupatissimo in eam rem obtulerant: sed expertus sum verbis munificos, re fidei sublestæ. Oravi igitur κατὰ δεύτερον πλοῦν Vasanum nostrum, ut tuâ meâque causså negotium susciperet: is si petitioni meæ morem gesserit; sin minus, quæ habeo jam inchoata, proximo quoque tempore perficiam, & tibi mittam. Atque utinam esset ad manum tuta aliqua ratio, curandi isthuc exemplar ipsum! Sperarem enim, tibi rem fore non ingratam, optimæ notæ codicem tractare. Si viam aperuerit amplissimus Legatus †, idque consilium non divulgatum fuerit, mittam librum. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Kalend. Jun.* CIϽ IϽ CVI. 1606.

† Buzenvallius.

EPISTOLA DV.

BONAVENTURÆ VULCANIO.

GRatissimæ mihi fuerunt, quas ante paucos dies à te accepi. Gaudeo amari me abs te, quantum epistola tua humanissimè scripta testatur. Cyrillum verò tuum partim jam esse editum, partim brevi editum iri, etiam atque etiam vehementer lætor. Utinam de tuis annis pars magna posset tibi adimi: vereor enim, ut tantis laboribus senectus tua possit sufficere. Sed aderit divinum auxilium: ille te ἱκανώσει καὶ ἐνδυναμώσει 1606.

1606. μύσει ad tam egregium opus. Quæ nunc edidisti, apud magnum Thuanum vidi; & in ipso vestigio statim eruditissimas tuas Notas percurri. Quæ promittebas exemplaria, non accepi; neque tamen minus ex animo tibi gratias ago, & habeo. Erit, σὺν τῷ Θεῷ, cùm par pari referam; nisi potius hoc erit χαλκεία χρυσείων· sed quæ tua est ἀνεξικακία καὶ χρηστότης, voluntatem potius spectabis quàm munusculum, quod brevi sum missurus. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a.d.* III. *Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CVI.

Epistola DVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

1606. SPero tibi esse redditas, quas ante quinque, aut sex dies ad te scripsi; eas dico, quas accepit à me adolescens nobilis, qui militiæ caussâ isthuc ibat. Heri venit ad me honestus juvenis, S. Theologiæ candidatus, qui multò antè isthinc dicebat se esse profectum. Is narrabat, dixisse te petenti, nunquid velles; triduo antè tabellarium esse profectum, per quem ad nos scripsisses. Si ita est, scito eas literas non esse nobis redditas; quod eò molestius, quia de absoluta editione tui divini operis nihil adhuc certi habemus. Illud verò quanta cum aviditate à nobis exspectetur, ne tu quidem ignoras. Accendit cupiditatem meam tuus ille Sethus Calvisius, cujus ingenium quotidie magis me capit; in summa doctrina ἀπλήστατον καὶ ἀπανουργότατον. Ille quidem omnia tibi debet, quantus est; sed & tu, opinor, illi aliquid, quòd ad tua θαυμασιώτατα scripta rudioribus iter sternit. In Polybio, pag. 119. non nihil molesta mihi sunt illa verba, ὁ δὲ χρόνος αὐτῷ τῆς ἀρχῆς μάλιστα τότε πως διῄρητο· de Prætore Ætolorum est sermo; quem videtur dicere confecisse illo tempore semestre spatium annui muneris. Hoc quomodo sequentibus conveniat, non satis capio; teque oro, ut locum meâ caussâ inspicias; & tuam sententiam perscribas: hoc ego te vehementer oro. Deus te servet. Vale, illustrissime Domine. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VI. *Eid. Jun.* CIↃ IↃ CVI.

Scripsi per illum nobilem ad clarissimos viros, Vulcanium & Heinsium; quos unà cum eximio Baudio salutare heic, ut mihi per te liceat, oro. Eo Polybii loco * πλειάδος ἐπιτολῇ interpretamur de fine veris & initio æstatis, ut scribit alicubi Galenus. Pro αὐτῷ si αὐτῶν scriberetur, longè diversa esset sententia.

* *Lib. VII. mox in principio.*

Epistola DVII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEIMIO.

VIr nobilissime, musteum libellum †, 1606. & vix dum prælo excusum, tibi ausus sum mittere, amore tuo in me fretus; sed magis pietate, cui hanc qualemcunque opellam impendimus. Si alio loco essemus, & alia, & majora, σὺν Θεῷ, moliremur: nunc hoc saltem piæ oblectationis causâ tentavimus. Si conatus probetur tibi & piis, qui isthîc sunt, non pœnitebit operæ. Sed teneo generosissimos Barones abiturientes. Vale igitur, & me ama. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XIII. *Kalend. Quint.* CIↃ IↃ CVI.

† *Gregorii Nysseni Epistolam.*

Epistola DVIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

LIbellum ‡ tibi mitto, Vir maxime, 1606. per occasionem heic recens à me editum; qui si judicio tuo bonorum lectione indignus non est, gratulabor ipse mihi. Utut sit, tamen tuam de eo sententiam aveo cognoscere. Constitueram ad clarissimos viros, Vulcanium, Heinsium, & alios amicos exemplaria mittere; sed obstitit voluntati meæ casus quidam, per quem factum, ut plura nunc quidem exemplaria nancisci non potuerim. Sed brevi, spero, & habebo, & mittam. Tui operis exspectatione quantoperè ego, & Thuanus ὁ κράτιστος, & optimi quique viri excrucientur, nihil attinet pluribus dicere. Equidem iter ad matrem cogito ab aliquot jam mensibus; & illa quæ imperare suo jure potest, rogat: sed mihi durum, imò ἀδύνατον videtur, ut prius hinc pedem moveam, quàm tuum opus videro ac devoravero. Sed moror te. Vale. Scripsi properanter. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XII. *Kalend. Quint.* CIↃ IↃ CVI.

‡ *Gregorii Nysseni Epistolam.*

Epistola DIX.

A Monsieur DU PLESSIS. ✠

Monsieur,

L*Es grandes visitations, qu'il a pleu* 1606. *à Dieu vous faire experimenter* ‡ *en peu de mois, ont esté autant de temoignages de vostre constance & vraye pieté. Car vous les avez, selon qu'ay appris de plusieurs, & senties si tendrement,*

‡ La mort de son fils unique & de sa femme.

1606. *ment, & portées si genereusement, que vos amis & serviteurs, au nombre desquels je desire, s'il vous plaist, estre tenu de vous, ont eu plus d'occasion de louër Dieu, que de se mettre en peine pour vous consoler. Aussi nul d'eux n'eust peu éviter le proverbe des Grecs, γλαῦκα ἐς Ἀθήνας. C'est pourquoy je n'ay osé prendre la hardiesse de ce faire, quoyque je desirasse vous faire connoistre combien j'estois deplaisant, & attristé de vos grandes pertes. Les vostres dernieres m'ont tesmoigné, que ces grands accidens* non excusserunt ex animo tuo memoriam mei; *de quoy je vous remercie humblement. Par icelles, & les discours qu'ay eus avec Mr. Perillau, mon cher frere, & Mr. vostre Ministre, qui estoit avec lui, j'ay connu le desir pie & Chrestien, qu'auriez que je servisse à la gloire de Dieu, en faisant imprimer quelques Peres Grecs; & le Seigneur sçait* quantâ flagrem cupiditate id faciendi, atque adeò castigandæ eorum scelestæ pravitatis, qui impune jactitant, stare à suis partibus contra nos Vetustatem omnem, & Patres impotenter adeò jactant. Ego homuncio, & ut illi impuri occitant, Grammaticus Genevensis, possem sexcentas ipsorum fraudes, imposturas, portenta ignorantiæ in medium afferre. Sed vides tu, Vir nobilissime, ubi sim, & cur heic sim. Id enim actum est, ne mea opera nostris aliquo modo utilis esse possit, quanquam scimus, plerosque nostrorum aliter de nobis sentire, & studia hæc mirificè aspernari. Porrò editionem Patrum heic curare non possum; quia non permittitur homini hæretico (sic asini nos vocant) id genus librorum attingere; multò minus quicquam adjicere mearum observationum. Ut extaret tamen egregiæ voluntatis meæ aliquod testimonium, feci non invitus superioribus septimanis, ut pusillum libellum ederem, quem tibi mitto. Is si tibi non displicuerit, gratulabor ipse mihi; & ad ejusmodi meditationes non mediocriter accendar: quæ si non aliis sunt profuturæ, mihi certè, ut spero, non erunt inutiles. *Je vous supplie au reste, faire tenir à Mr. Perillau le livre que je luy envoye; & s'il vous plaist, m'excuser envers vostre Ministre *, qui a esté icy; auquel ayant promis un exemplaire, je ne puis à present le luy envoyer, ne l'ayant peu avoir de celuy qui l'a imprimé; homme fantasque, & qui fait des livres pour les garder,* & quidem sub clave; mira enim hominis morositas. *Ce que je vous supplie faire entendre au dit Sieur, duquel je connois, & la face, & l'erudition, sans sçavoir le nom. A la premiere occasion, je tiendray ma promesse, Dieu aidant, au quel je fais vœus pour vostre prosperité, vous demeurant à jamais, &c.* De Paris, du 20. Juin, 1606. 1606.

* Mr. Trochoreye.

EPISTOLA DX.

JOSEPHO SCALIGERO.

Diu est, cùm tuas exspecto; nec tamen miror: scio enim quàm sis impeditus; nunc utique, cùm ultima manus operi magno à te imponitur: quanquam speramus acta transacta jam esse omnia. Itaque exspectatione tam optati, & tam diu exspectati thesauri πάλαι μετωρισθέντος, mirificè nunc animi cruciamur. Oro, adoroque Deum Opt. Max. ut qui dedit tibi tanti incepti finem videre, det porrò alia feliciter ordiri, feliciter detexere. Nos in Polybio nostro strenuè pergimus per aliquot hosce dies; inter miseram enim nuper ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ. Dux Urbinas misit ad me scriptum manu codicem, notæ sanè optimæ; sed qui non Polybium, verùm Epitomen Polybii continet. Nihil in eo, quod non sit editum: & quamvis magnam vetustatem liber præfert, non multa tamen invenio meliora quàm in aliis. Exspecto nunc codicem Bavaricum, si tantum apud Marcum Velserum gratiâ possum, ut ejus operâ impetrare illum queam. Interim procedit versio, & alia præsidia necessaria comparantur: cupio enim, si Deus annuerit, non perfunctoriè eâ curâ defungi. Cæterùm mitto tibi Albategnium †, monitus ab Alealmo, te etiamnum eum librum desiderare. Annus est, & eo amplius, cùm traditus fuerat, ut tibi perferretur, diligentissimèque commendatus: culpâ eorum, qui acceperant, in urbe remansit: quum multò post in manus meas rediisset, putavi ἴωλον futurum ἀπόσκλημα. Simul mitto tibi amplissimi Servini libellum, ab eo acceptum, ut illum tibi curarem perferendum. Mitto & Capelli, viri optimi, opus novum ‡; quod & literas ejusdem habet adjunctas. Puto accepisse te libellum Gregorii Nysseni, quem superioribus diebus misi. Vale, illustrissime Vir. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum, prid. Non. Quint.* CIↃ IↃ CVI.

Clarissimos viros, Vulcanium, Baudium, Heinsium, nisi grave est, salute impertiri hìc mihi licebit. Scripsi nuper ad amicissimum Heinsium, cogitare me, illi utendum dare codicem ⸸, de quo non semel ad me scripsit: quoniam τῶν ἀδυνάτων ἦν fuit hactenus mihi repe-

† *Est hic Mahomet Albategnius, qui scripsit de Scientia stellarum.*

‡ *De Nummis.*

⸸ *Maximi Tyrii.*

1606. reperire, qui laborem conferendi ſuſcipere vellet. Erit occaſio tutò curandi, cùm novus Legatus proficiſcetur; ſi modò ſerum non eſt futurum; de quo certior velim fieri: cupio certè illius cauſſâ omnia.

Ad hanc reſpondet Scaliger, Epiſt. CXXIII.

EPISTOLA DXI.

✠ JACOBO GUIJONIO.

1606. SAlve à me, Vir doctiſſime; & ſi meam non aſpernaris amicitiam, accipe me in eorum numerum, quos tibi ſingularis tua eruditio conciliavit. Hanc primùm ex ſermonibus juvenis ſupra annos docti, Salmaſii, τῦ τὰ πάντα ἀρίστυ, cognovi; poſteà acceſſerunt alia, non σημεῖα, ſed luculentiſſima argumenta tuæ in literis Græcis & Latinis præſtantiæ. Audio etiam, in Hebraicis, Syriacis, Arabicis, Æthiopicis te magnâ fœlicitate verſatum; quæ cùm intelligerem, gaudium ſimul & dolor animum occuparunt; illud, quia literas amo, & omnes, qui earum notitiâ excellunt; hic, quia ægrè mihi eſt, quòd hactenus nullam tui notitiam habuerim. Non enim caruiſſem fructu amicitiæ tuæ, quam mihi non merita mea ſpondent, quæ nulla ſunt, ſed tua eximia virtus, quæ τὸν ἐξ ἄκρυ μυελῦ ψυχῆς σε φιλῦντα, non poteſt non ἀντιφιλεῖν. Quod ſi in eundem affectum te conſpirare mecum intellexero, non verebor poſthàc de ſtudiis tecum agere. Cupio enim ſcire, quæ præſidia habueris ad literas Arabicas intelligendas. Nos enim aliquid in eo genere conati, ſummam rei difficultatem ſumus experti; ac quum otio deficeremur, proficere adhuc potuimus non multum. Confecimus tamen nobis Lexicon, & non pauca lectitamus, & hoc ſaltem ſumus aſſecuti, ut amore illius linguæ accenderemur; ſed nos ἀλλὰ ἐξ ἄλλων ſemper remorantur, καὶ τὸ τῦ πικτῦ ἐπιδέυσι κελεύθυ. Urgent enim, qui multum ad ſcribendum compellant, qui tacere mallem, & τὴν ἄγνοιαν θεραπεύειν. Sed mihi jam non licet eſſe tam beato; Mæcenatem enim habeo, cui reddenda otii mei ratio. Itaque Polybium nunc habeo in manibus, quem divinum Scriptorem, paucis adhuc notum, verſum à me Latinè, ſiquid Latinè ſcio, & operoſis vigiliis illuſtratum, brevi, σὺν τῷ ὑπερραῤῥήτῳ Θεῷ, ſum editurus, & Regi oblaturus, ut beneficiorum, quæ ab eo accipio, ratio illi conſtet. Sed non morabor te pluribus; tantùm petam abs te, ut mutuum in amore facere mecum velis. Vale. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* VIII. *Kalend. Sext.* ἀπὸ τῆς ἐνσάρκυ οἰκονομίας τῦ Λόγυ, CIↃ IↃ CVI.

EPISTOLA DXII.

JOSEPHO SCALIGERO.

VIr illuſtriſſime, ſcio adverſis ventis 1606.
imputare me debere, quòd tot jam menſes nihil literarum abs te habeo; nihilo tamen minus hoc incommodum, & grave damnum fero iniquo animo: cupio enim de tua valetudine ex te cognoſcere: neque poſſum vel mediocrem ceſſationem tuam, aut quamcunque tandem remoram ſine magno cruciatu animi experiri: profectò enim in ſpiritu tuo ſpiritus meus vertitur. Itaque Deum aſſiduè veneror precibus, ut te quàm diutiſſimè ſervet incolumem. Narro tibi, quod miraberis: tuum illud malum, peſſimum, nomen repentè factum eſt optimum. Ecce habeo ipſe in manibus, quod tibi debetur; quam ſummam quum hoc ipſo penè momento temporis domum ipſe attulerim, certum eſt, non prius conquieſcere, quàm invenero cui tutò illam credam, & iſthuc deferendam tradam. Si nullam aliam invenio expeditiorem viam, Temporario tradam, ut ab ampliſſimo Legato eandem recipias. Vale, & diutiſſimè vive lætus, per quem omnes bonarum artium amantes lætantur. Scripſi raptim. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* III. *Kalend. Sext.* CIↃ IↃ CVI.

Aliàs narrabo tibi, quî perveneris ad tuum; nam ſceleſtus ille tuus debitor de malitia nihil remiſit; ſed ὁ ὑπέρμεγας Thuanus, ὁ καὶ χρήστ καὶ κτήστ σὸς, rem confecit. Viros clariſſimos, Vulcanium, Heinſium, Baudium, niſi grave eſt, verbis meis ſalutes velim. Scripſi nuper ad Vulcanium, & Heinſium, nec ſemel: poſteà libellos Cyrilli, à Vulcanio miſſos, accepi; pro quibus gratias acturus ſum, ubi primùm erit facultas mittendi ἀντιδώρυ, quod promiſi. Dedi, quæ miſit, exemplaria Thuano, Labbæo, & aliis amicis.

EPISTOLA DXIII.

EIDEM.

VIr illuſtriſſime, alteras jam ad te 1606.
ſcripſi hodie, & harum & illarum idem argumentum: ut ſcias, peſſimum illud nomen tuum derepentè optimum eſſe factum. Eſt in manibus meis, quod planè periiſſe videbatur, æs alienum tuum: perfecit enim negotium lentum magnus Thuanus; quanquam ille ſileri apud te officium ſuum percupit; neque ego plura ad te ſuper eo prius ſcribam, quam

1606. quàm pecuniam ipse acceperis. Deus te servet, virorum maxime. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Kalend. Sext.* CIϽ IϽ CVI. Raptim scripsi.

Oravi binis literis amplissimum Buzenvallium, ut eam pecuniam tibi numeraret.

EPISTOLA DXIV.

EIDEM.

1606. NOn deerat, quod ad te scriberem, cùm hæc pauca raptim exarabam; tempus & otium deerat. Accepi post diuturnam exspectationem, quas ante duos ipsos menses ad me scripseras. Ego ab eo tempore tot ad te dedi literas, ut me earum numerus fugiat; nihil enim adeò libenter facio, & ab humanitate tua veniam ἀκαιρίας meæ mihi spondeo. De illo scelestissimo Apostatarum *, placet consilium tuum; eò quidem magis, quòd libertas heic mihi non datur accipiendi hominis, prout furor hic tantus meretur. Quod ait provocatum injuriâ abs me, solens mentitur ὁ τρισκατάρατος· fateor necessariò mentionem illius me in quadam Epistola fecisse; sed honestiorem quàm debuerim: hoc unum peccavi. Accepi Româ ab amico Medico, vix mihi de nomine satis noto †, literas superioribus diebus. Is faciebat me certiorem de amentia hominis, qui in urbe aversa ab omni bono & vero, sua in te, & me scripta jactat incredibili insolentiâ. Hic Medicus, cùm de eo aliquid cognovisset, tanti odii causam propius cognoscere operæ pretium duxit. Hominem igitur adiit, & in eum sermonem induxit, quod fuit facillimum; te enim & me passim in ore habet. Vix aliqua nostri erat injecta mentio, cùm homo impurissimæ linguæ invehi in *Grammaticos asinarios* eâ truculentiâ vultûs cœpit, ut furere θεοβλαβὴς videretur. Scribit Medicus ille, palam hanc causam prætexere τὸν ἀλιτήριον, quòd jussus incumbere conversioni suorum Germanorum, animadverterit huic suo conatui multùm obesse opinionem, quam multi habeant de tua divina in literis præstantia: & hactenus quidem puto verum dicere. Quòd verò eidem albo nomen meum inscribit, σαφὴς hæc quidem μανία est: quid enim nos sumus? Addit Medicus, postquam omnia esset scrutatus, hoc comperisse, gloriolam inanem captari à nebulone impudentissimo; de cujus furore ea narrat, quæ si in malam manum incidissent, Inquisitorum manus Autor Epistolæ nunquam evitasset; quamquam audio, in comitatu Legati Gallici cum versari. Ipse cogitare se scribit in Græciam, & Asiam. Ego tacere constitui; aut si expugnatur patientia mea, (quod & Romam scripsi) alium deligam Antagonistam majoris dignationis †, quicum me exerceam; & scis, opinor, quem intelligam; de quo olim Douza filius elegantissimè & verissimè, scribendis Historiis id videri egisse, *Populo ut placerent, quas faceret fabulas.* Hic baro ‡ si mihi stomachum moverit, faxo ut intelligat, non profecisse multùm se subornando in me hoc Apostata. Sed hæc pluribus brevi, si Deus volet. Vale, meum decus. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Non. Sext.* CIϽ IϽ CVI.

Heinsio non possum scribere; librum mitto, quem petit, neque de ejus fide dubitavi. Scribam & clarissimis Vulcanio, & Baudio, cis dies paucos.

* *Scioppio.*

† Hebelo Brunerio. *Vide suprà, Epist.* CCCCLVIII.

† *Sic suprà, Epist.* CCCCLVIII.

‡ *Baronius.*

Ad hanc & binas proximè præcedentes Epistolas respondet Scaliger, Epist. CXXIV.

EPISTOLA DXV.

DAVIDI HOESCHELIO.

VIr clarissime, scripsi ad te ante aliquot menses, brevi missurum me 1606.
Notas in Procopium περὶ κτισμάτων uberrimas, è MS. codice, & τὰς διαφόρους γραφὰς alterius regii codicis: ne promissis hactenus starem, varia impediverunt. Nam & Notæ illæ serò, nec multos ante dies, mihi sunt traditæ; & instituta collatio nondum est perfecta: Habeo enim neminem, qui in ea opera me adjuvet. Constitueram ad Bongarsium Notas illas εἰς τὰ περὶ κτισμάτων mittere, ut tutò ad te deferendas curaret; sed ille maturius opinione meâ è Germania vestra est reversus. Itaque cogor exspectare solenne tempus nundinarum Francofordiensium. Si possum, adjiciam & alia; sed egregiæ voluntati meæ morbus reluctatur: in tertianam enim nuper incidimus; quæ neque acerrima est, Dei beneficio, neque rursus ita lenis, ut statim remissura videatur: ὅ δὲ Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Libellum à me accipies proximis nundinis; quem non dubito, fore tibi acceptum. Utinam de Velsero idem mihi possem polliceri: sed nos Deo & conscientiæ nostræ gratificari studemus, οὐχ ὑμεῖς ἀνθρώπων. Tu de illius judicio facias me certiorem velim; nam & illi unum exemplar sum missurus, ξὺν γε τῷ Θεῷ, qui te servet. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIV. *Kalend. Septemb.* CIϽ IϽ CVI.

EPISTOLA

Epistola DXVI.

JOANNI CASELIO.

1606. QUas ad me Nonis Maji dedisti, optime virorum, probè curatas scito; etsi paullò, quàm oportuit, serius: nam Fridericus Guntherus *, juvenis eruditissimus, uno aut altero die prius urbe erat profectus. Itaque mittendæ, quæ illi erant inscriptæ, Andes fuerunt; quod summo studio fecimus; partim, quia illum non mediocriter amamus; partim, quia nihil mihi gratius, quàm tibi gratificari, viro omnium bonorum & eruditorum non amore solùm, sed & observantiâ digno. Atque utinam, mi Caseli, majus aliquid tuâ caussâ possem, scires, quanti faciam amari me abs te, & studia mea probari. Itaque fremant, & ilia rumpantur οἱ πεπμανῦντες, Thrasones & Athei, ut ille Dæmoniacus Scioppius me nominat stultè & falsò: nam si Thraso essem, aliter scripta mea loquerentur: si Atheus, planè Romæ essem, quò non semel invitatum me fuisse, amici nôrunt, & habeo testes Baronii Epistolas. Sed mihi à puero fuit persuasum, eam sedem esse τοῦ μυστηρίου τῆς ἀδικίας. Itaque bonis, & suæ salutis amantibus nihil posse, aut debere esse commune cum illa ἑπταλόφῳ λυκιδέων matre. Sed de homine ἐναγεῖ nimium multa. Ego semel apud me constitui, conviciis ejus canis nihil moveri; neque illucescat illa dies, quæ me in arenam videat descendere cum tam infami gladiatore. Nos aliter educati sumus, Dei beneficio, in aliam spem literas docti ab optimo & sapientissimo parente. Quod si pergat homo amens in furore, & tandem mihi stomachum moveat; non ipsum quidem [τοῦτο μὴ γένοιτο,] sed alium majoris dignationis ex eadem urbe deligam mihi Antagonistam †, quicum componar. Et jam profectò pruriunt manus; ea cupiditas animum insedit tot mendacia arguendi, quibus veritas in ea urbe obruitur: ἀλλὰ ταῦτα ἐν Θεοῦ γούνασι κεῖται. Ad te redeo, optime, doctissime Caseli, qui ut rebus omnibus floreas, valeas, annosque impleas Nestoris, Deum supplex adoro. Vale, & pignus nostri amoris habe libellum ‡ nuper à nobis editum, in eo genere literarum, quæ nobis solæ sunt in deliciis. Leges, si vacat, & corrige, δύνασαι γὰρ, & ut facias, oro; mihique ut tuum judicium impertias. Πάλιν, αὖ καὶ πάλιν, μᾶλλον δὲ μυριομυριάκις ἔῤῥωσο. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IX. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVI.

* *Casaubonus ad Suetonium, pag.* 178. *hunc adolescentem vocat*, Fridericum Oveni Guntherum. *Colomes.*

† *Baronium.*

‡ *Gregorii Nysseni Epistolam.*

Epistola DXVII.

JOSEPHO SCALIGERO.

VIr illustrissime, quartus mensis est, cùm nullas prorsus à te literas accipio, unicâ epistolâ exceptâ, quam ante menses ferè tres scriptam, adolescenti cuidam, Juris studioso, tradideras. Minus mirarer silentium tuum, gnarus tuarum occupationum, nisi eo spatio temporis binas à nobilissimo Buzenvallio accepissem. Optassem scire, an omnes meas acceperis; plurimas enim scripsi. Varios etiam libellos misi, ab amicis acceptos, ut eos ad te curarem. In his unus fuit meus, hortatu amicorum & scriptus, & editus, Epistola nempe Gregorii Nysseni, cum Notis nostris. Misi & Leschasserii nonnulla; itemque alia, quæ omnia an acceperis, verbo significari abs te velim, nisi grave tibi est. Cùm nuper postremæ Epistolæ tuæ responderem, oblitus sum de Jesuita illo *, cujus benevolentiam erga te prædicare aliquando meministi. Hunc adversus te scribere, ajebas. Conjeci statim quid esset; nam quia breve Chronicon ab eo paretur, persuasum est nonnullis, adversum te eam machinam comparari. Et profectò cùm familiæ illius ingenium cogito, vix aliter posse fieri existimo: nam ut plurimùm hic te coleret, & ex animo veneraretur, liberum tamen ei non esset ex animi sententia, τὰ κέαται ἐν φρενῶν μυχῷ publicare. De hoc igitur nihil habeo affirmare, nisi hoc unum, palam ipsum admiratorem tuorum scriptorum se profiteri; prætereà de Chronico consilium mutasse, otii & librorum inopiâ: ita enim nuper mihi affirmabat; quæ an vera sint, tempus palam faciet. Cæterùm mœstissimus hæc tibi scribo, sub discessum in proximum pagum, Bretoneriam nomine; eò enim fugat nos ingravescens in dies pestilentia, quæ domum meam penè undique cingit. Molestum est, museum deserere, & simul susceptum opus intermittere; molestissimum, prius ex urbe proficisci, quàm de tuo statu ex tuis literis aliquid cognoverim, aut tuum Eusebium acceperim. Omitto alias doloris caussas. Deum oro veneror que, ut te nosque servet. Vale, & me semper ama. Scripsi *Lutetiæ Parisiorum*, sub discessum meum, *a. d.* VII. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVI. 1606.

* *Frontone Ducæo.*

Juvenem, qui mihi à te fuit commendatus, rus mecum abduco, ut in Mathematicis disciplinis filium meum instituat. Iterum te oro, scribas ad me de tuo statu, & quid jam moliaris. Sed

tuas,

1606. tuas, quæso, te nemini credideris, nisi Buzenvallio: alioquin satius est, te non scribere; prius enim quàm istas accipias, quintus agetur mensis, ex quo unas duntaxat à te accepi. Vale.

EPISTOLA DXVIII.

CONRADO RITTERSHUSIO.

1606. ISidorus * tuus, de quo sæpius scripseras, Vir clarissime, naufragium in terra fecit; ad nos certè non pervenit; quod culpâ Bibliopolæ non putamus accidisse, neque ego, neque ὁ κράτιστος καὶ μέγιστος Thuanus. Is tibi Historiæ suæ tomum utrumque mittit; ego, pusillum libellum, quem hortatu amicorum ante aliquot menses & scripsimus, & publicavimus. Spero, bonis non ingratam fore opellam: at οἱ παντομανθάνοντες quid de nostris in eo genere conatibus sentiant, non interduim. Mihi propositum est, ἀλήθειαν ἀσκεῖν, & pro ingenii copia illustrare; illis, veritatem obscurare, & sexcentis figmentis, aut potius μυρίοις ἐπὶ μυρίοις ex hominum memoria delere. Sed est in cœlis Deus, qui molitiones istorum baronum videt ridetque. Ille pro sua bonitate infinita viros excitare velit, scientiâ literarum, & amore veritatis juxta insignes, qui adversùs furiosos istos τερατολόγους stylum acuant. En erit unquam ille dies, cùm exorietur aliquis, qui patrocinium veræ ἀρχαιολογίας ἐκκλησιαστικῆς fortiter suscipiat? Me certè etiam vitæ piget tædetque, cùm triumphare impunè adeò conflatos ex mendaciis homines video. Atque hæc cura tàm me urit, quàm illius Scioppii amentiam facilè contemno, qui me Atheum & Thrasonem vocat. Homo impurus, si maledicere volebat, cur non aliquid fingebat, quod speciem veri haberet? Nunc ea mihi tribuit, quæ omnes sciunt esse à me alienissima. Enimverò si Thraso essem †, aliter mea scripta loquerentur; si Atheus, Romæ essem, quò optimis conditionibus fuisse me evocatum, multi nôrunt. Sed esto ea per me sedes Scorpiorum similium Apostatarum, mea certè nunquam erit, Θεοῦ θέλοντος. Sed de his plura aliàs. Vale. Scripsi raptim. *Bretoneriæ*, quò nos pestilentia secedere coëgit, *a. d.* v. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVI.

* Pelusiotes.

† Sic suprà, Epist. DXVI.

EPISTOLA DXIX.

CAROLO LABBÆO.

AMicissime, suavissime Vir, raptim 1606.
hæc scribo, ut diligentiæ exemplo tibi præeam: in solitudine ista, alioquin amœnissima, scito nihil mihi gratius fore, quàm si crebris literis tuis de tuo & amicorum bona valetudine factus fuero certior. Omnino sum auctor tibi, si latius malum grassetur, ne animum obdures, & pertinaciter in urbe maneas: scis periti gubernatoris esse, velificationem mutare pro flatu ventorum. Nos heic dabimus sedulò operam, Deo propitio, ut rusticationis hujus opus exstet; & Polybii versionem heic absolvemus, vel aliud quid moliemur, si minus illa opera potest procedere librorum inopiâ. De magni amici, Scaligerum dico, literis & libro, quàm sim sollicitus, noli quærere. Dum Lutetiæ fueris, in te spes mihi sita. Vale, & me ama. Uxor te ex animo salutat. *Bretoneriæ, a. d.* v. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVI.

EPISTOLA DXX.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEIMIO.

VIr nobilissime, nihil habebam, quod 1606.
ad te scriberem; nec potui tamen solenne hoc scribendi tempus silentio transmittere. Puto accepisse te pusillum libellum, quem adhuc musteum tibi omnium primo misi *. Dubitarem, essetne is liber cum meis tibi redditus, nisi affirmaret ὁ κράτιστος Bongarsius, esse illum à te acceptum. Spero non fuisse ingratum neque tibi, neque aliis bonis hoc velut δεῖγμα nostrarum in eo genere lucubrationum. Equidem illud certè sperarem me assecuturum, si quæ meditati sumus, ederentur, ut qui me Atheum vocat, Apostata ille τρισκατάρατος Scorpius †, Romanæ Meretricis leno impudentissimus, alium esse me cogeretur fateri. Enimverò si essem Atheus, Romæ essem, quò fuisse me optimis conditionibus invitatum, ne ipse quidem ignorat. Sed perditi pudoris & oris impuri nebulonem missum faciam. Polybius noster propter pestilentiam, quæ in urbe grassatur, serius prælo subjicietur: sed satis citò, modò satis benè. Est enim profectò dura provincia; & labor, ut quidem hæ sunt vires, planè magnus. Atque utinam det Deus Optimus Maximus, ut hâc curâ defuncti ex animi sententia, melioribus

* Suprà, Epist. DVII.

† Scioppius.

1606. literis & cogitationibus totos dedere nos queamus. Vale, Vir nobilissime, & me ama. *Bretoneriæ*, septimo ab urbe lapide, *a. d.* IV. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVI.

EPISTOLA DXXI.

JANO GRUTERO.

1606. Libellum tibi mitto, clarissime Grutere, oppidò brevem, sed quem tibi non ingratum fore confido. Non enim dubito, quin habeas in deliciis id genus Auctorum, Patres dico Græcos, inter quos splendet merito suo Gregorii Nysseni nomen. Ejus pulcherrimi Scriptoris libellum publicavimus, anteà non editum. Quod utinam opera ejus omnia edere possemus, & toto nos dedere huic generi literarum! Admonet enim nos ætas ingravescens, ut de meliore vita seriò cogitemus. Itaque sola sunt hæc studia, quæ nos hodie capiunt; etsi ea fortunæ nostræ conditio est, ut quæ in eo genere studiorum meditati sumus multa & varia, promere in publicum non possimus. Sed non deerunt, spero, feliciores alii, qui perficiant, quæ ipsi cogitamus. Nos interim dolium versabimus nostrum, & Polybium, si faverit Deus, brevi prælo subjiciemus. Verti nuper, quæ vir clarissimus † ***** fecit. Expertus sum, quod semper eram suspicatus, virum illum in Græcis planè puerum fuisse; qui si viveret, candorem meum in dissimulandis ejus peccatis amaret. Sed absit à moribus meis, ut propter ejusmodi observatiunculas viri benè de literis meriti manes lædam. Hoc ingenuè profitebor, & ut omnes intelligant, faciam, postrema illius scripta partim non magni æstimare me, partim etiam abominari. Interest enim Reipublicæ Christianæ, ut sciat juventus, in * ‡ scriptis hoc discrimen esse necessarium. Exspecto, quid è penu tuo hæ nundinæ proferant novi. Vale, Vir clarissime. *Bretoneriæ*, quò pestilentia migrare nos coëgit, *a. d.* IV. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVI.

† *Justus Lipsius.* Colomes.

‡ *Lipsii.*

EPISTOLA DXXII.

DAVIDI HOESCHELIO.

1606. NOtas ad *τὸ περὶ κτισμάτων* mitto tibi: habes eas beneficio Caroli Labbæi, Jurisconsulti, viri eruditissimi, & nobis amicissimi. Eram adjecturus *τὰς διαφόρους γραφὰς* ex altero codice MS. Bibliothecæ Regiæ; sed perficiendi opus institutum facultas adhuc mihi defuit; multùm enim temporis, ut scis, hujus- 1606.
modi librorum collatio postulat: accidit autem perincommodè, ut eo tempore, quod ei operæ destinaveram, morbus me haberet. Ex quo ut sum recreatus, rus secedendum fuit ob pestilentiam, quæ multos jam è vicinis meis *ἄϊδι προΐαψεν.* Accedit, quod experientià didici, ut non inutilem futuram illam operam, ita fortasse parum necessariam. Video enim, te plerasque lectiones ejus codicis ex aliis adnotasse. Utiliter observari quædam posse, non negaverim; cujus rei *δεῖγμα* tibi exhiberem, nisi casu relictus esset in urbe codex regius, cum acceptis à te chartis. Bretoneriæ enim ista, non Lutetiæ, scribimus. De versione quid constitueris, velim scire. Ego & maximus Thuanus eruditissimum Rigaltium penè compuleramus reluctantem, ut vertendi onus in se susciperet. Sed consilia nostra publica hæc lues conturbavit, quæ nos huc illuc divisit. Itaque de hac re nihil habeo certi polliceri. Mitto tibi libellum, de quo nuper scripsi; qui si tibi, viro doctissimo, & *τὰ ἄνω φρονοῦντι*, non displicuerit, omnium *τὰ χοϊκὰ φρονούντων, ἢ τῇ κτίσει δουλευόντων* judicia facile contemnam. Vale, & me ama, & pro incolumitate nostra vota Deo Opt. Max. facito, sicut nos facimus pro tua. *Bretoneriæ*, septimo ab urbe lapide, *a. d.* IV. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVI.

EPISTOLA DXXIII.

CASPARO BARTHIO. ✠

TUas accepi, Vir eruditissime, & simul amorem erga me tuum ex iis 1606.
cognovi, qui ut mihi gratissimus est, ita persuadeas tibi velim, paria me tecum facere, & semper facturum. Vivit enim nemo, qui amari se à bonis & doctis vehementius quàm ego cupiat. Soleo inter studiorum fructus hunc censere cum primis, neque ego aliam mercedem vigiliarum mearum mihi proposui, nisi hanc, ut Reipublicæ literariæ prodesse, & eruditorum hominum studia possem promereri. Et habeo sanè, cur Deo Opt. Max. gratias agam, qui in hac ingenii tenuitate, scientia mediocri, amantibus literarum probare conatus meos ut possem, dedit: non hoc eruditio mea facit, sed candor, & *ἀνεξικακία* Lectorum. Nam quas mihi tribuis laudes, si agnoscam, insanus sim. De locis Juvenalis gratum fuit, tuas conjecturas intelligere: cum Poëtam gravissimum, si superi annuerint, accuratè recensebimus. Vale. *Bretoneriæ*,

1606. *neriæ*, quò peſtilentia per urbem graſſans migrare me compulit, *a. d.* IV. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVI.

EPISTOLA DXXIV.

✠ JOANNI KIRCHMANNO.

1606. GRatum mihi fuit, Vir doctiſſime, poſt longi temporis ſilentium, tuas accipere, & de tuo ſtatu cognoſcere. Nam poſtquam ex Italia es reverſus, de te nihil certò potueram intelligere; niſi quòd ex eruditiſſimi tui libri lectione, quàm eſſes in amore mei conſtans, luculentè didiceram: neque ſanè ego tuas expectaſſem, ſi ubi locorum eſſes, aut quò meas mitterem, exploratum habuiſſem. Nunc cùm literis tuis amantiſſimè ſcriptis me laceſſiſti, dabo ſedulò operam, ut tuæ diligentiæ tibi fructus conſtet; neque ullam ſcribendi ad te occaſionem prætermittam, quam quidem ſatis tutam fuero arbitratus. De Mortualibus tuis quid ſentiam dicerem, niſi effeciſſes, ne liberum mihi eſſet de eo pronuntiare: non enim poſſum eum librum non ferre in cœlum laudibus, quo libro meæ laudes, & quidem immeritæ, tot locis attinguntur. Cum primis verò illud ſuave legenti erat, quòd me alicubi ad eas literas illuſtrandas hortaris, in quibus ſolis diu eſt, cùm ex omnibus vitæ hujus ærumnis animus conquieſcit meus. Quod nuper editione libelli cujuſdam Gregorii Nyſſeni videor mihi abundè eſſe teſtatus; facturus id ipſum longè luculentius, niſi ſederet ἐπὶ στόμα βοῦς; & præciſa mihi iſta in loco ejuſmodi ſcriptionis eſſet libertas. Sed de his aliàs fortaſſe plura: non enim facio quicquam libentius, quàm ut de ſtudiis cum amicis fabuler. Eum porro, quem dixi, libellum à Drovardis, mercatoribus noſtratibus, niſi longinquitas itineris impedierit, ſpero, te accepturum. De magni Thuani Hiſtoria, tecum planè ſentio, & omnes ſimul boni: quis enim ejus laudes ſatis dignè exſequatur? Quis non admiretur ſapientiam, conſtantiam, eruditionem? At non ita ſentiunt οἱ πανώλεις παπτομανοῦντες, quorum exarſit furor ad illius operis lectionem. Quid mirum? non enim aqua igni magis contraria, quàm horum palatum ἀντιπαθεῖ τῷ ἀληθεῖ, cujus ipſi ſunt hoſtes infeſtiſſimi. Quæ te nunc ſtudia habeant, quid pares, velim ſcire. Non in Polybio ſumus, quem præſtantiſſimum Scriptorem & vertimus Latinè totum, & exquiſitâ diligentiâ illuſtraturi ſumus, ſi dabit Deus, ea poſſe in publicum edere, quæ quotidie meditamur: ſed incredibile dictu eſt, quàm multa ſe ſubinde noſtris conatibus offerant impedimenta. 1606. Itaque ἐν τῇ τῶν ἀναγινωσκόντων ἀνεξικακίᾳ ſpes noſtras ponimus. Vale, Vir eruditiſſime, & me ama. *Bretoneriæ*, ſeptimo ab urbe lapide: huc enim migrare nos coëgit graſſans per urbem peſtilentia, *a. d.* IV. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVI.

EPISTOLA DXXV.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEIMIO.

SCripſeram paucis antè diebus ad te, 1606.
Vir nobiliſſime; ſed diſcedentem à me amicum * hunc meum, ut ſtudiorum cauſâ iſthuc ſe conferret, non potui dimittere ſine meis commendatitiis; eſt enim profectò digniſſimus, quem omnes boni ament. Omitto incredibilem eruditionem pari modeſtiâ conditam; illud equidem pluris facio, quòd puriorem Religionem palam non dubitavit nuper profiteri, patris voluntate inſuper habitâ, qui ἀνθρώπινόν τι παθὼν optabat tacito ſenſu veram pietatem coli. Non miror frigus optimi viri, qui multos annos βαστάσας τὸν σταυρὸν τοῦ Σωτῆρος, tandem ſuccubuit infami illo anno ſeptuageſimo ſecundo. At zelum pietatemque filii miror, & fauſta omnia illi precor à Deo Optimo Maximo. Is nunc, ægrè impetratâ à patre veniâ adeundi Academias Germaniæ veſtræ, & propriâ quaſi voluntate, ſed & ſuaſu etiam meo, ex omnibus veſtram potiſſimùm elegit, ad quam ſe conferret. Sponſor illi fui tuæ benevolentiæ; neque dubito, fore ipſi ad tuam Amplitudinem, vel meâ gratiâ, aditum: ea eſt fiducia mea de tuo amore. Vale, Vir nobiliſſime: niſi grave eſt, an acceperis puſillum libellum, quem nuper miſi, fac me ut ſciam. *Bretoneriæ*, *a. d.* IV. *Non. Septemb.* CIↃ IↃ CVI.

* Claudium Salmaſium. Colomeſ.

EPISTOLA DXXVI.

DANIELI HEINSIO.

BRevitati mearum ignoſcas oro; ra- 1606.
ptim enim ab urbe proficiſcens, iſta exaro. Profectionis cauſſa peſtis eſt, quæ eâ potiſſimùm regione urbis ſævit, quam habeo. Non tamen eram diſceſſurus, niſi ampliſſimæ familiæ ratio mihi fuiſſet habenda. Abduco mecum juvenem, qui συστατικὰ à magno Scaligero, te, & Baudio noſtro attulit. Viſus enim eſt καλὸς κἀγαθὸς νεανίας, καὶ μαθήματα οὐκ ἐν παρέργῳ ἀσκήσας. Huic igitur filium meum tradidi in Mathematis erudiendum tantiſper, dum hæc lues graſſa-

1606. grassatur. Maximum Tyrium puto accepisse te, & velim literis tuis statim significes. Sed quoties ad me scribere voles, amplissimo Buzenvallio tuæ sunt tradendæ; quod quia factum non est ab illustrissimo Scaligero, evenit ut per menses amplius quatuor literas illius desiderem: solas enim accepi, quas ille juvenis attulit; quum tamen & à D. Buzenvallio sæpius intereà literas acceperim, & ipse minimùm ter quater singulis mensibus scripserim. Vale, amicissime Vir. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VII. *Eid. Septemb.* CIↃ IↃ CVI.

Gregorii Nysseni libellum, nuper à nobis editum, tibi mittendum dedi fratribus Drovardis, Francofurdum euntibus.

Epistola DXXVII.

CAROLO LABBÆO.

1606. Vicit augurium meum; confeci enim iter, ne unicâ quidem guttâ complutus. Etsi autem jucundissimum erat futurum, quod supererat diei, tecum & cum amicissimo Rigaltio, quem volebam invisere, literatis fabulis transigere; pudebat me tamen ἀδεμίας πεζόμενον ὑπ' ἀνάγκης optimo viro esse oneri. Dolui, non fuisse occasionem compellandi Bellavenæi; ad quem scribo, ut vel prece, vel pretio libros recipiat. Sumptus, si qui erunt faciendi, eos meo nomine D. Magdalenus faciet; ipse omnia refundam. Orarem te, ut in eam curam incumberes, nisi certò scirem, σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνειν nihil esse opus. Si quid tamen meæ apud te possunt, rem suscipe unà cum Bellavenæo. Faber ὁ πολυμαθέστατος, καὶ τὰ πάντα ἄριστος, affirmabat heri mihi, apud Beys pridem visum exemplar optatissimi ejus operis. Sic enim ad te scriptum esse à doctissimo viro, qui viderat, legerat. Miserum me! quòd hoc nesciam; Lutetiæ enim fui. Sed omnes spes meæ in tua diligentia mihi positæ; quum præsertim tua, non minus quàm mea res agatur. Uxor te ex animo salutabat. Vale. *Bretoneriæ, a. d.* XII. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CVI.

Cura valetudinem, per Deum immortalem; hoc primùm, hoc postremùm à te contendo.

Epistola DXXVIII.

DOMINICO BAUDIO.

1606. Etsi Lutetiâ nuper discedens propter grassantem ibi luem, dedi ad te literas, Vir clarissime; tamen quia sciebam, Everwinum nostrum, quem mihi commendasti, ad te scribere, lubens pauca hæc exaravi; ut scires, me, ubicumque locorum tandem sim, tui memoriam jugem servare, te amare, te mirari, & illud præstantissimum ingenium, quo excellis. Legi his diebus incredibili cum voluptate carmen aureum, quo virum divinum, & novum ejus opus Eusebianum laudasti. Nihil poterat neque elegantius, neque Latinius. Jam sententiarum gravitas cum perspicuitate ita certat, ut nesciam utrum potius mirer; τὴν εὐφήνειαν τοῦ λόγου, quæ, meo judicio, præcipua virtus est; an τὸν ὄγκον τῆς διανοίας καὶ τὸ μεγαλόφωνον. Taceo pietatem ἐν διαθέσει, quam totum carmen spirat. Itaque meritò me rapuisti in admirationem tui; etsi jampridem gnarum τῆς σῆς δεινότητος. Nos paramus Polybium, quem Authorem si dabit Deus edere, ut est animus, non erit, spero, cur operæ nos pœniteat. Sed magnum opus futurum est; mole quidem certè; utinam & re ac legitimâ æstimatione. Sed de his aliàs, volente Deo, qui te servet. Vale, & me ama. *Bretoneriæ, a. d.* IV. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CVI.

Peto à te, ut clarissimum virum, Vulcanium, meis verbis salutes quàm officiosissimè. Scripsi nuper illi, & libellum misi, missurus etiam tibi, si fuisset ad manum exemplar; sed culpam emendabimus, σὺν Θεῷ, brevi.

Epistola DXXIX.

JOSEPHO SCALIGERO.

Tandem respexit nos melior Deus, & exoptatissimum illud opus θαυμαστότατον tuum tandem accepimus. Cruciaverat nos longissima illius exspectatio mirum quantum; planè ut animum desponderemus, & de fruitione tanti thesauri sæpe desperaremus. Sed erant ista majoris gaudii irritamenta, quo nunc fruimur tanto, tam cumulato, tam omnibus modis perfecto, ut vix capaces illius simus. Ergo habemus tandem Eusebium verum; imò Eusebios sexcentos pro uno: habemus verum παντοδαπῆς ἱστορίας thesaurum, verè thesaurum, & ἀμαλθείας κέρας· habemus divinum opus, Isagogicos Canones, clavem totius hujus doctrinæ pulcherrimæ, præstantissimæ, utilissimæ: habemus filum Thesei, quod per rerum antiquarum Labyrinthos tutò nos ducat: facem denique habemus & Pharum, cujus beneficio scopulos devitemus, ad quos omnium naves adhæserunt, qui ad hanc diem credere se illi ponto sunt ausi. 1606.

1606. ausi. O beneficium in Rempublicam literariam à te collatum prorsus admirabile, prorsus stupendum! imò verò, ut melius dicam, penitùs divinum, & à Deò profectum! Deus enim est, Deus profectò, qui igneum vigorem ingenii tui etiam in hac ætate mala, ab omnibus senectutis incommodis præstat tibi sartum tectum. Ille est ἡ ἀέναος πάσης σοφίας πηγὴ, μᾶλλον δὲ αὐτοσοφία, qui tot abstrusæ sapientiæ fontes tibi uni aperuit; qui ad illa adyta tot mysteriorum epoptam te admisit. Macte animo, magne Heros, habes ingens præmium ingentis tuæ virtutis, & vitæ sanctissimè, castissimè, ὡς εὐσεβέστατα actæ. Nam quòd res tam arduas, tam nemini dum mortalium ne tenuissimâ quidem suspicione notas, nôsti ipse; quodque illas tantâ dexteritate, tantâ felicitate, tantâ elegantiâ cæteros doces; duplex miraculum est, & duplex superum erga te benignitas. Quis tuos annos cogitans, subtilitatem argumenti, & tot supputationum laborem improbum non stupeat? Quis memoriam tot rerum diversissimarum, tot Autorum, tot linguarum non excedere humani ingenii fines dicat? Quid dicam de elegantia scriptionis? σέβας μ᾽ ἔχει εἰσορόωντα· καὶ ἀγρυξία τὸ στόμα δέδεταί μοι ὑπὸ τοῦ θαύματος· nam Præfationem in Isagogicos Canones tanta cum voluptate, tantaque cum admiratione legi relegique sæpius, ut non meminerim, pariter affectum me ab ullius unquam scripti lectione discessisse. Næ multum tibi fungi illi debent N. & N. quorum nomina divinis tuis scriptis toties inseruisti; at nos ipsis longè plurimùm, absque quibus foret, tam venustâ scriptione, tam doctâ, tam omni lepore conditâ hodie careremus. Mihi verò non minori fuit voluptati, elogia illa videre, quibus Pyriphlegethontes, Annalium Conditores, & similia portenta ornas; quam tot luculentis testimoniis vehementiam tui erga me amoris agnoscere; qui illas tibi expressit tam immodicas laudes, tam immeritas, quibus me tot locis afficis. Nimium de tua existimatione securus fuisti, cùm ea mihi tribueres, quæ scriptiunculæ nostræ frigidæ & jejunæ refellunt nimis. Verumtamen quo ardore penitùs cognoscendi doctrinam tuam fuerimus inflammari lectione tuorum χρυσοῦ χρυσοτέρων κανόνων, reapse, σὺν γε τῷ Θεῷ, nos tibi probaturos esse confidimus. Quod superest, Deo Opt. Max. gratias immortales ago, quòd molestiâ editionis hujus sis liberatus. Res ipsa arguit, cum hominibus rem tibi fuisse indignis, quorum nomen in ulla tuorum scriptorum parte extaret. Sed erit, 1606.
spero, brevi alterâ editione opus; quæ si per θεοστυγὲς γένος liceret, non alibi melius, quàm Lutetiæ curaretur. Iterum iterumque τὸν μέγαν καὶ μονώτατον Σωτῆρα veneror, ut Nestoreos annos tibi largiatur, & hanc ad miraculum usque viridem senectam tuam in dies reddat valentiorem, teque omnibus bonis cumulet: τόδε μοι κρήηνον ἐέλδωρ, ὦ μέγας ἐν οὐρανῷ Θεός. Idem mecum vovebat Josias Mercerus, hospes nunc meus, vir eruditionis & judicii præstantissimi; qui de tuo Eusebio ita sentit, ut nihil adhuc ei comparandum sibi visum, affirmare non vereatur. Iterum vale, & quid jam moliaris, nisi grave est, significa. *Bretoneriæ*, quo propter pestilentiam secedere sumus coacti, *a. d.* IV. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CVI.

EPISTOLA DXXX.

DANIELI HEINSIO.

EX iis, quas à magno Heroë accepi 1606.
novissimas, intellexi, Maximum Tyrium tuum ad umbilicum esse perductum: itaque frustra tibi missus fuerit liber regius, quem scio Lutetiæ unum alterumve hæsisse mensem, postquam Procuratori amplissimi Domini Legati *, Temporario, traditus à me fuerat. Dolet mihi, quòd maturius voto tuo satisfieri non potuerit: sed illud me recreat, quòd neque culpâ id factum est meâ; & tu eo ingenio es, ut defectum codicis οἴκοθεν facilè suppleveris. Si quid erit aliud, in quo opera mea utilis tibi queat esse, utere jure tuo, & θαῤῥῶν impera. Tandem sitim nostram explevimus lectione admirabilis παντὸς λόγου πέραν operis Eusebiani. Deum immortalem, οἷον τοῦτο πέφυκε τέρας! Non fuit, non erit par aliud ingenium; patrem unicum excipio, verè dignum tanto filio. Beatum te, qui tanti Herois consuetudine tot annos frueris; & longùm utinam fruaris; ille te. Polybius lentè procedit; sed non stertit tamen. Longus illi πρόκειται δόλιχος, priusquam perveniat ad metam: si modò dabit aliquando Deus, ut eò perveniat. Vale, & me ama. *Bretoneriæ*, *a. d.* III. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CVI.

* *Buxenvallii.* Colomes.

EPISTOLA DXXXI.

CAROLO LABBÆO.

TAndem aliquando nactus sum, quem 1606.
tamdiu exspectaveram, librum, vel potius παντοδαπῆς ἱστορίας uberrimum thesaurum. Non dicam, superatam esse ex-

1606. exspectationem meam; nam omnia summa ab illo exspectabam, ex quo nihil nisi admirandum proficisci posse nôram. Fatebor tamen, aliquid in illo opere invenire me, quod non putaram, illam dico scriptionis amœnitatem, τὸ γλαφυρὸν, τὸ ἡδὺ, τὸ ἐπίχαρι, τὸ μεμουσωμένον. Nam, per Deum immortalem! quis ætatis illius conscius, Præfationem illam stupendam in Canones Isagogicos ab eo vel exegisset, vel exspectasset? Quid illi lepori cum ætate mala commune? Parum abest, quin illos τοὺς πλαιστάρας fungos, Lydiaten *, & illum τὸν ἀπὸ τῆς ἐπιαλόφου prædicem beatos, quòd tanti Æneæ dextrâ cadant: sed nos fortasse rustici homines soli ita judicamus; vos urbani quid censeatis, scire ex te cupio; quid doctissimo Rigaltio videatur; quid illis, quos etiam sine nomine satis designare me intelligis. Sed Annalium Conditor †, cùm parem honorem sibi, ac Volusio esse habitum, & quidem διαῤῥήδην intelliget, quid dicet? Credo equidem facturum, ut de eo dici possit, quod olim de Pericle: ἤστραπτ', ἐβρόντα, συνεκύκα τὴν Ἑλλάδα. Sic ille profectò totam Italiam clamoribus miscebit; fortasse etiam fulmina è Tarpeio saxo conciebit; nam daturum manus veritati, stultum sit putare; non ea est hodie ingeniorum indoles; non utique illorum, qui anilibus fabellis pasci, in deliciis habent. Sed hæc inter nos πεπαίχθω. Vale, amicissime Vir. *Bretoneriæ*, *a. d.* III. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CVI.

* Thomam. Vide Scaliger. Epist. 117. 133. 140. 141.

† Baronius.

Scribebas nuper te D. Fabro Epistolam mittere, quam nulli vidimus; vide, oro te, ne perierit. Ille te amanter salutat. Quas ad magnum Heroëm scribo, tuæ fidei sic commendo, ut omnem cautionem à te adhibitum iri sperem, ne mihi opera, cùm illam scripsi, pereat; hoc ego à te vehementissimè contendo, eò magis, quia vereor ne D. Buzenvallius jam itineri se accinxerit.

EPISTOLA DXXXII.

✠ CAROLO LABBÆO.

1606. Iterum de te queror, qui fasciculum magni Herois ad me transmisisti, in quo tuæ erant inclusæ. Quid fuit cur non aperires? Velim agas aliter mecum, aut non manebo ἐν πίστει, qui te ἄλλον ἐμὲ duco. Ex ingenti numero Fasciculorum & Epistolarum, quas famulus attulit, solæ fuere Scaligeri sine argumento doloris; omnes aliæ tristes; quædam molestissimæ, plus etiam quàm exprimere verbis queam. Unis literis certior fio, matrem piam & ter venerandam, quæ me tandiu vocavit ad se, in morbum gravissimum incidisse; quo nisi Deus Opt. Max. illam levaverit, & præstiterit mihi hoc beneficium, ut illa me, ego illam videre amplexarique possim, acerba mihi futura omnis vita. Sed Deus meliora. Aliis literis de rebus meis apud Genevenses fio certior. Omnia me cruciant, quæ prætermitto, ne commemoratione tot tristium te quoque in mœrorem adducam. Unum est, quod te nolo ignorare, Paulum Stephanum, de quo scripsisti, abesse illum quidem Genevâ; sed non ob eam, quam existimas, causam; verùm ideò, quia dum satagit innocentiam ejus propugnare, quem nesciat esse perfidissimum & sceleratissimum, in fraudem incidit. Parum abest, quin dicam δικαιότατον εἶναι τοῦτον μισθὸν τῆς πολυπραγμοσύνης καὶ περιεργίας. Sed tamen hoc casu quin gravissimè angamur, ego & uxor facere non possumus. Et profectò melior hæc illi soror fuit semper, quàm ille ipsi frater. Sed lætiora inde speramus; teque oramus, ne tam infaustum rumorem, præsertim falsissimum, dissipari, quod in te erit, sines. Uxor te ex animo salutat. Vale. *Bretoneriæ*, *a. d.* III. *Non. Octob.* CIↃ IↃ CVI. Scripsi raptim.

EPISTOLA DXXXIII.

FRANCISCO VERTUNIANO.

MONSIEUR,

Je vous escris la presente de la Bretonniere, huict lieuës de Paris, estant icy retiré avec ma famille pour la contagion. J'ay eu cest heur de passer une partie du temps dès que je suis avec Monsieur Scaliger; c'est-à-dire, avec son Eusebe, lequel après longues attentes j'ay receu, & n'ay cessé, que n'aye devoré uno velut spiritu. *Ayant doncques joui d'un si grand bien, je vous ay voulu donner advis, qu'il y en a à Paris, si desirez en avoir, comme je m'asseure que ne voulez vous priver de ce grand Thresor* re & nomine; Thesaurum enim Temporum opus inscripsit. Quod si dicere incipiam, quantâ admiratione sim affectus, dum opus musteum lego, dies me prius deficiat, quàm millesimam partem cogitationum mearum καὶ τοῦ θαυμασμοῦ tibi indicavero. Duo tamen prætermittere non possum: prius, quòd tam abstrusæ eruditionis vir, tam alti ingenii, imperavit ipse sibi, ut Isagogicos Canones eâ methodo scriberet, quæ vel à puero posset 1606.

percipi,

1606. percipi, qui non sit penitùs τῶν μαθημάτων ἀνήκοος· posterius est παντὸς θαύματος πέρα, quod in tam grandi ætate non aliter scribit, quàm olim cùm τὰ μάλιστα ἤκμαζε· non loquor de doctrina, quæ cum annis crescere solet; sed de scriptione ipsa & inenarrabili vigore animi, quem oratio διοπετοῦς senis præ se fert. Oro te, ubi primùm fueris librum nactus, lege Prolegomena in Isagogicos Canones; certè mecum stupebis τὴν ἀνδρὸς δεινότητα, & illum ἐσχηματισμένον λόγον, in quo solus, meo judicio, regnat. Risi verò multum, cùm Annales, quos hodie fatui mirantur, Volusianos vidi appellatos. De scelestis verò illis capitibus, Feu-ardentiis, Genebrardis, & similibus ea scribit, quæ maxima cum voluptate sint lecturi, quicunque ad gloriam Dei & veritatis propugnationem, aut notitiam sua studia soliti fuerint referre. Sed abstineo, & te hortor, ut quàm primùm cures deferri tibi τοῦτον τὸν ὄντως φερώνυμον ΘΗΣΑΥΡΟΝ. Utor adhuc (si tamen hoc potius abuti non est) tuo libro *; de quo nuper cùm verba facerem magno Thuano, essemusque in ejus Bibliotheca, ille statim è forulis suæ illius opulentissimæ Bibliothecæ librum Capellani Archiatri promsit, & mihi ostendit. Inspexi obiter, & inveni multa, quæ in tuo legeram. Omnino comparandi sunt hi duo libri, & concinnanda editio, cujus neminem jure pœniteat. Verùm de his, in urbem reversi, σὺν τῷ Θεῷ, plura. *Je baise les mains à Monsieur vostre gendre, vous demeurant,*

* *Celso. Vide Epist. Gallic. ad Scaliger. lib. III. Epist. 98.*

MONSIEUR,

Vostre très-humble Serviteur,

CASAUBON.

De la Bretonniere, le 15. Octobre, 1606.

EPISTOLA DXXXIV.

CAROLO LABBÆO.

1606. VIr amicissime, nihil habebam, quod ad te scriberem; sed famulum isthuc iterum sine meis ad te dimittere non poteram. Jussi igitur, ut te viseret, & salutaret, & de tua valetudine nuntium referret. Constitueram isthuc cum familia reverti; & jam pars maxima est in Urbe: sed terrent amici novis nuntiis. Quid tibi videtur? An satis justa causa est, cur diutius absim à musæo? cùm præsertim & magnum opus maximi virorum †, & tua quoque eruditissima opuscula pridem devorar m. Itaque percupio veterem Bibliothecam repetere. Sed de hoc brevi στόμα πρὸς στόμα, διδόντος γε τοῦ ἐπὶ πᾶσι. Vale, & me ama. *Bretoneriæ, a. d. IV. Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CVI. 1606.

† *Scaligeri Eusebium.*

EPISTOLA DXXXV.

PAULO PETAVIO. ‡

‡ *Colomes. Clav. Epist. Casaub. pag. 174.*

NOn teram frustra tempus afferendis excusationibus, cur tamdiu nullas ad te literas dederim; non quia desint, 1606. quæ verè caussari possim, & quæ satisfacere tibi posse confidam; sed profectò silentii mei πρῶτον καὶ ἀληθινὸν αἴτιον fuit, quod ajebat Plato, cùm dicebat, οὐδὲν ζῶον λυπούμενον ᾄδειν. Nam quæ, & quàm gravis luctûs caussa mox à tuo discessu iis omnibus, qui bonarum in Republica sunt partium, præcipuè autem mihi, fuerit oblata, non clam te est. Fefellit enim nos, ὃ μὴ ὤφελλε γενέσθαι, vana spes, quam ambo conceperamus de salute viri optimi, sapientissimi, probissimi, & jam τρισμακαριστοτάτου, D. Calignonis. Perculit me, fateor, hic casus ita, ut acerbiorem mihi nuntium ad aures accidisse à multis annis, non meminerim. Pars solatii fuisset, si ægrotanti adesse, & gravissimis δαιμονίου ἐκείνου σοφοῦ sermonibus frui diutius per temporum conditionem licuisset: nunc verò hujus colloquii recordatione, quod mihi unicum & novissimum cum illo fuit, idque sub ipsam tuæ profectionis horam, magis magisque in dies excitor ad tanti viri desiderium, & increpationem mei ipsius, qui non omnia postposuerim, quo assiduus illi, dum licebat, adessem: quod sanè & factum esset, si impetrare ab uxore potuissem, ut rus proficiscens in urbe me relinqueret. Accepi ab iis, qui τὸν μακαρίτην ἐνοσήλευσαν, nullum ipsi in mediis ardoribus morbi, secundum Dei nomen jucundius aut gratius fuisse ἀκρόαμα, quàm si tui fieret mentio, ut facilè omnes intelligerent, unum te fuisse, quem vir candidissimus plurimùm & amaret, atque adeò in cujus salute non minimam publicæ salutis partem verti judicaret. Scio ego, vicissim, unum te esse, qui rectè æstimes jacturam à Republica factam in viri integerrimi amissione; quod & vidua, fœmina lectissima, non semel dixit mihi, cùm ad illam visendam, & pro mea virili solandam statim accurrissem. Illa enixè contendit à me, ut & memoriam mariti, & se liberosque tuos tibi commendarem: voluit etiam ad te proficisci, ut de suis rebus tecum ageret, &

1606. pro tuis in suam domum officiis gratias ageret: petitionem postremò adjecit, ut quem vivum amore tuo tanto dignum judicasti, mortuum eo digneris honore, ut tumulo, quem λιτὸν defuncto curatura est, ἐπιγραφὴν scribas. Non dubito, benè interpretaturum te hanc δέησιν, & piæ fœminæ morem gesturum: spero etiam paratam mihi à te veniam, si vulnus hoc animi fortasse jam coire incipiens, renovare literis meis sum ausus. Hunc porrò tantum luctum Dei benignitas non levi gaudio mox mihi temperavit, cùm exoptatissimus & exspectatissimus ille Eusebius tandem aliquando ad me pervenit, quem quidem, vel thesaurum potius, ut semel sum nactus, non prius posui de manibus, quàm totum percurri legendo. Nequeo verbis exprimere, quàm variè lectione illâ sim affectus: nam ad stuporem atque admirationem, qui sunt affectûs perpetui comites omnium, quæ ab illo Heroë proficiscuntur, accedebat etiam voluptas quædam ἄφατος καὶ ἀνεννόητος ei, qui non sit expertus. Omnino Sirenum cantus inefficaces autumo ego illecebras fuisse, præut illa θαυμασιωτάτη Præfatio est in Canones Isagogicos, planè divinum opus. Sensit magnus Senex, etiam præter solitum litasse se Gratiis, quando illa scriberet: non enim abstinuit, quin Lectoribus spem eximiæ cujusdam voluptatis in ipso Præfationis illius titulo excitaret. Quid dicam de altera Epistola longè gravissima & doctissima, quæ in compellatione summi viri desinit? Nam opus ipsum laudare, virium mearum non est: singulæ notæ, totidem θαύματα. Vidi qui ipsâ operis prolixitate senectutem Auctoris prodi dictarent; ego longè aliter sentio; video enim, semonem illum eâ ubertate esse ingenii, eâ eruditione redundare, ut exhaurire ipse se nequeat. Itaque postquam visus sibi est omnia expromsisse, quæ ad aliquod argumentum pertinebant; si deinceps offerat se occasio eadem de re agendi, non minus instructus accedit quàm initio fuerat. Possum hujus rei dare exempla non pauca, quæ mihi quidem summæ fuerunt admirationi. At, bone Deus! οἱ ἀπὸ τῆς ἑπταλόφου quid dicent, cùm illa legent, quæ adversus Clavios, Genebrardos, Feu-ardentios, & id genus Stygios Pyriphlegethontas variis locis scribit? Conditoremque Annalium, quâ modestiâ est, spero non iniquo animo laturum, quando obiter Volusianorum Annalium fieri mentionem videbit. Bellarminum quoque omne suum virus in Paulum Venetum, Heroëm magnanimum, & verè διοπετῆ, prius effusurum 1606.
non dubito, quàm ad nostrum amicum magnum * se convertat. Audisti, puto, quem in locum res nobilissimæ illius Reipublicæ pravis consiliis eorum, qui Ecclesiæ Dei volunt τυραννικῶς imperare, sint perductæ: nisi enim præter omnium opinionem aliquis ἀπὸ μηχανῆς Θεὸς affulserit, quin ad arma veniatur, fieri haud potest. Scribebat nuper ad me vir amplissimus, Legatus Venetensis †, hortans, ut quia lues publica esset mihi fugienda, Venetias excurrerem; reperturum ibi, quorum caussâ laborem itineris non pigeret suscepisse. Cum primis vero, *magnum Paulum visurum me*, ipsa verba illius ponam, *quem Deus necessario tempore ad magnum opus fortissimum athletam excitasset*. Rectè sanè & verè ille; nam ut principia se dant, ingens aliquid molitur ὁ ἐπὶ πᾶσι, quod providere mens humana liquidè satis non potest. Si editam ab eo considerationem super excommunicatione Venetorum legisti, non ambigo, quin de magnitudine illius ingenii satis tibi constet. Apologiam verò Gersonis, ab eodem publicatam, adversus συκοφαντίας teterrimi Sophistarum, Bellarmini, tanti equidem facio, ut in eo genere nihil adhuc simile putem legisse. Possem & aliud quid adjicere, quod demirareris, nisi esset consultius εὔστομα κεῖσθω ταῦτα. Quare in adventum tuum, aut reditum potius meum ab eo itinere, quod seriò nunc cogito, illa serventur. Ego interim, quod assiduè facio, Deum orabo & obsecrabo, ut & te, Vir amplissime, & nobilissimam δέσποιναν, δῖαν γυναικῶν, uxorem tuam, cum suavissimis pignoribus vestris, servet, fortunet, & omni genere benedictionum cumulet. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Nonas Novemb.* CIↃ IↃ CVI.

* Josephum Scaligerum. Colomes.

† Henricus Wotton, Britanniæ Regis apud Venetos Legatus.

EPISTOLA DXXXVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

ACcepisti, opinor, illustrissime Domine, quas ante mensem ad te dedi, paucis post acceptum Eusebium tuum diebus. Volui illis literis tibi significatum, quantâ sim admiratione tuæ eruditionis & præcelsi ingenii affectus, cùm tuum excellentissimum opus perlegi. Sed profectò si meum affectum ex verbis meis metieris, longè aberit, ut meos sensus intimos plenè perspectos habeas: millesimam enim partem ejus, quod ἐν μυχῷ φρενῶν μοὶ κεῖται non possum, quæ mea infantia est, tibi satis exprimere. Tamen scito, 1606.

1606. to, poſtquam librum tuum legi, gratias Deo Opt. Max. prorſus ex animo egiſſe me, quòd & tibi res tam abſtruſas docere, & mihi diſcere ipſius beneficio contigiſſet. Quot ſunt notæ, tot θαύματα mihi quidem videntur. Quis ante hunc diem de ſarciendo, quæ deerant illi Scriptori, cogitaverat? Cui de vera ſpecie operis Euſebiani venerat in mentem? Omnia tua nova ſunt etiam eruditiſſimis, nedum nobis, qui ἐκτρώματα quædam ſumus in re literaria. Exſpecto quid dicturi ſint illi θεοστυγεῖς, quibus bis duo non ſunt quatuor, ſed tria duntaxat. Fallor, aut inſigni aliquo facinore injurias ſuas perſequentur: τὸ γὰρ ἐξηγεῖσθαί τινα πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἐπίγνωσιν, ſuam injuriam οἱ παμμίαροι interpretantur. Româ ſcribitur ad me, furere Scioppium ὅλαις μανίαις· qui quidem illuſtre tuum nomen in ore ſemper habeat, neque de me taceat. Non dubito, aut jam eſſe edita, aut brevi edenda, quæ diverſis libris in utrumque noſtrûm effutivit canis immundus. Audio etiam, ſceleſtum Amphitheatri Autorem * nova convitia in te & me evomuiſſe ſuperioribus nundinis; quæ tamen ipſe non vidi. Sum omnino anceps animi, quid conſilii capiam adverſus iſtos ἀλάστορας· vereor enim ne probi viri & pii ignaviæ mihi vertant, ſi taceam: quum præſertim non noſtra heic cauſſa agatur; ſed Dei, cujus notitiam delere ex hominum mentibus videntur iſti velle, & pro vero numine τὸν τῆς ἑπταλόφου τύραννον ſubſtituere. Oro te, illuſtriſſime Domine, vidiſti, quæ abreptitius ille B. † nuper contra Venetos ſcripſit? Eam ſcriptionem ita concludit Sophiſta Satanicus, ut dicat, ſi quis putet P. ‡ eſſe Deum, nequaquam mirari quemquam debere. Tùm περθρείας putidas ſubjicit, cur id nemini debeat mirum videri. Hunc cenſen' aliud numen credere, aut colere, quàm illud ſuum idolum ἔμψυχον? Sed magna Deo gratia, quòd mediis Venetiis virum magnanimum, magnum illum Paulum ⫫, excitavit, qui teterrimi Sophiſtarum fraudes & paralogiſmos, quibus orbi Chriſtiano illudit, palam faceret. Puto vidiſſe te opuſcula hujus Pauli, meo judicio, præſtantiſſima, & digniſſima, quæ legantur à te. Lætaberis, ſcio, & magno Heroï votis favebis tuis. Quæ nuper ſcribebas de quodam, qui Romæ eſſet, non dubitavi ad Abbatem R. pertinere: & niſi vehementer ipſe fallor, veriſſima & certiſſima eſt tua illa conjectura. Verùm his miſſis, ad ſtudia noſtra redeo; teque oro, ut ſignifices mihi, verum ſit necne, quod clariſſimus

* *Carolum Scribanium.*

† *Bellarminus.* Colomeſ.

‡ *Pontificem.*

⫫ *Sarpium; ſcilicet, Sereniſſimæ Venetorum Reipublicæ Theologum, cujus vita à P. Fulgentio, Sarpii diſcipulo, Italicè ſcripta eſt.* Colomeſ.

Bongarſius nuper mihi affirmabat, Tacticorum omnium Græcorum editionem eſſe à te ſuſceptam; idque opus brevi à te iri publicatum. Exilui incredibili lætitiâ ad hunc nuntium; eò magis, quòd in militiæ veteris ſtudiis jam ſum totus. Cupio enim non imparatus ad Polybii mei, ſi tamen mei, illuſtrationem accedere. Rideas ſuaviter, ſi ſcias, quantum operæ in ea parte ἀρχαιολογίας nuper poſuerim. Quid facerem? non poſſum aliter ſuſceptâ provinciâ rectè defungi: atque utinam vel ſic aliquid præſtem bonorum exſpectatione non indignum! Quod ſi non vanus hic rumor ad noſtras acceſſit aures, putem haberi aliquid in noſtra Bibliotheca, quod uſui tibi ſit futurum. Id igitur vide; & quicquid volueris, jube atque impera. Amavi in noviſſima Epiſtola tua * ſollicitudinem illam tuam de mea valetudine, pro qua immortales tibi gratias ago. Nos verò diu eſt, cùm in urbem rediimus, idque multis de cauſſis neceſſariis, maximè autem, ut iter ad piam matrem inſtitueremus; ad quod cis pauciſſimos dies nos accingere, Deo propitio, ſtat ſententia. Aderit, ſpero, cœptis Dominus Jeſus; qui te ſervet, illuſtriſſime Domine. Vale. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* VII. *Eid. Novemb.* CIↃ IↃ CVI.

* *Extat n. 125.*

Clariſſimis viris, Baudio, Heinſio, & aliis amicis ſalutem ex animo. Scripſi ocreatus ad Regem proficiſcens, ut veniam ad iter impetrarem.

Ad hanc & DXXIX. reſpondet Scaliger, Epiſt. 127.

EPISTOLA DXXXVII.

CAROLO LABBÆO.

INvitus feci, quòd te inſalutato, itineri me accinxi; ſed adivi ipſe ad te pridie quàm proficiſcerer, nec domi offendi. Quod præſens non potui, per Epiſtolam facio, teque oro, ut ad illuſtriſſimum Heroëm ſcribas de profectione mea adeò ſubita, ut ne ad ipſum quidem literas dare potuerim, ut optabam. Scripſi verò nuper ſub ipſam meam profectionem in aulam, quod etiam ut ipſi ſignifices velim. Peto etiam à te, ut cùm vacabit, meam & meos οὐδὲ πάρεργον ſalutes, filiumque ad ſtudia literarum tuis verbis accendas; quo mihi nihil optatius poſſit contingere. Ego dabo operam, ut quàm primùm ad libros revertar, quibuſcum ut in gratiam redeam, durum mihi certamen propoſitum video: Μέγας γὰρ κίνδυνος ἐκβαρβαρωθήσεσθαί με ἐν τῇ ὁδῷ, τουτὶ κακὸν ἀπολαύοντα τῆς καλῆς συνοδίας ταύτας. Ἥγε ἐξ ἀνδρῶν σύγκειται ἐγκωμιαστῶν τῆς Λοϊολιτικῆς φρατρίας τῆς ἐμοὶ προσφιλεστά- 1606.

 της,

1606. της, τῆς ἠπιωπάτης, τῆς πάντα τὰ καλὰ σεβομένης. En! quibus oblectamentis nunc fruar. Sed Deus aderit, qui te servet. Vale, & me ama. *Bretoneriæ*, *a. d.* XIII. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CVI.

EPISTOLA DXXXVIII.

JOANNI KIRCHMANNO.

1606. QUod serius Epistolæ tuæ, Vir clarissime, respondeo, per valetudinem factum, quæ multos jam dies aut planè adversa, aut parum firma. Accedit occupationum nostrarum multitudo; quæ ejusmodi est, tantaque, ut nemo, qui eam nôrit, comperendinationem nostram sit miraturus. Salvum te isthuc venisse lætor, utque ea res tibi vertat benè, cupio atque opto. Gratum etiam, quod de tuis studiis mecum per literas agere instituisti. Hoc malo, quàm vel inanes & sine argumento literas mittas; vel inopiâ materiæ sileas. Scribe igitur, & inceptum opus tuum acriter urge. De numero dierum, qui à morte ἐκφορᾶν intercedebant *, frustra laboras. Nam congesti à te loci ad diversorum populorum mores spectant. Adde, quod plurimum interest, de legitimo funere loquantur Autores, an de eo, quod negligenter, aut parum benevolè fuerit curatum. In isto enim omnia raptim, καὶ ἐπισεσυρμένως, & ut ajunt, dicis caussa. Talia multa Suetonius, aliique commemorant. Præterea non clam te est, in populo eodem, urbe eadém, non eundem semper morem servatum. Quod in hac etiam re usu venisse scimus nos. Hæc si diligenter observaveris, multa in speciem pugnantia facilè conciliaveris. De tibiis & flamine Diali quod me rogas, habes super hoc Scaligeri sententiam, si memini, ad Festum; cui & nos accedimus. De laudatione muliebri proximis literis, σὺν τῷ Θεῷ, plura; eram enim impeditissimus. Vale igitur, amicissime Vir. *Lutetiæ Parisiorum*, *Eid. Decemb.* CIↃ IↃ CVI.

* *Kirchman. de Funeribus Roman. lib. II. cap. 1.*

EPISTOLA DXXXIX.

JOSEPHO SCALIGERO.

1607. VIr illustrissime, longiores literas te ad cogitabam; recens enim reversus ex nuper suscepto itinere †, argumento non carebam. Sed repentinus atque inopinatus tabellarii hujus discessus facultatem hujus rei omnem mihi adimit. Hoc unum igitur tantisper dum majus otium capto, scribam, re- 1607.
cepisse me & literas, & libros, quos amplissimo viro, Buzenvallio, commiseras. Ab optimo verò & doctissimo Heinsio cùm Maximi ‡ codicem receperim, literarum tamen ὐδὲ γρῦ accepi; quod quî factum sit, miror. Ex tuis æstum cogitationum tuarum videor cognovisse: verùm aderit, confide, ὁ μέγας τῶν πάντων κυβερνήτης. Ille & vestram & nostram naves ἤδη κυμαινούσας ὀλίγου δεῖν καὶ βαπτιζομένας sustentabit, & ad portum perducet. Inter te & nos hoc interest, quòd tu ἐγγὺς fortasse τὸ κακὸν ὁρᾷς· nos ἐν αὐτοῖς κακοῖς ὄντες, neque quid speremus, neque quid metuamus, satis compertum habemus. Omnino quidem illud non dubitamus, hanc μαλακίαν nostram diuturniorem per Loiolitas τὸ τρισκατάρατον καὶ θεοστυγὲς γένος esse non posse; nisi eorum conatibus ὁ ἐπὶ πᾶσι se opposuerit. Vale, illustrissime Domine. Raptim. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VI. *Eid. Januar.* CIↃ IↃ CVII.

† *Ad matr. m.*

‡ *Tyrii.*

Ad hanc respondet Scaliger, Epist. 129.

EPISTOLA DXL.

CLAUDIO SALMASIO.

REversus domum è longinquo itine- 1607.
re, tuas accepi non unas, quibus dum in dies responsum paro, ecce tertiam tuam Epistolam, quâ εὐαγγέλιον mihi narras de invento codice τοῦ Κύκλου τοῦ ὑπ' Ἀγαθίου ἐκδοθέντος. Deum immortalem, quibus ego lætitiis incessi, cùm illa legerem! Sed ringebar simul, quòd amœnissimis deliciis tibi soli frui liceret, non item mihi; qui si junior essem, & tot adamantinis vinculis heic non essem astrictus, isthuc advolarem, & me quoque in partem tanti ἑρμαίου admitti postularem. Id verò quia non possum, neque nobis licet esse tam beatis, ut opes illius περιβοήτου Bibliothecæ propius aspiciamus, per ego te Musas omnes, & quicquid tibi charum, oro atque obtestor, ut μερίδας saltem aliquas & apophoreta nobiscum communices. Tune solus cum Sapphone, cum Callimacho, cum Anacreonte colloqueris, & nobis ad illorum ἀκροασμοὺς admitti non licebit? Me cùm dico, omnes intelligo, qui Græcarum Musarum ταῖς ἐπῳδαῖς καὶ γοητείαις oblectamur. Iterum iterumque à te peto, doctissime, amicissime Salmasi, ut dum publico convivio omnes τοὺς φιλομαθεῖς ad has lautissimas epulas es invitaturus, privatim mihi partem aliquam earum velis impertiri. Si quis faciendus fuerit sumptus ad descriptionem, omnia quæ impenderis, statim refundam: ne-

1607. que hoc meo unius nomine à te peto, sed & amplissimi καὶ τὰ πάντα ἀρίστου Augusti Thuani, quo nemo vivit omnis eruditionis amantior, ut nec Scaligero magno intelligentior. Accepi & à D. * Guijonio literas, omni lepore & suavitate conditas. O factum malè, quòd tantum ingenium ita in tenebris delitescit! Sed de eo plura aliàs. Tu velim isthîc illustria illa nomina, D. Lingelsheimium, D. Gothofredum, & D. Gruterum à me salutes. Deus te servet. Vale, & festinationi ignosce; nam adest famulus clarissimi Bongarsii, qui urget. *Lutetiæ Parisiorum, Nonis Februar.* CIↃ IↃ CVII.

* *De Jacobo Guijonio vide P. Colomes. Gall. Orient. p. 168.*

EPISTOLA DXLI.

JOSEPHO SCALIGERO.

1607. HEri accepi, quas ante paucos dies ad me scripseras. Ex tuis, & ex sermonibus illius, qui à te acceperat, de tua prospera valetudine cognovi; & maximas eo nomine gratias Deo Opt. Max. egi. Dolet mihi, tantum molestiarum tibi ab iis esse exhibitum, qui veteri hospitio excedere, & Lareis aliò transferre compulerunt. Expertus sum meo magno malo, & studiorum detrimento, quid in ea re sit incommodi; neque puto esse aliquem hodie, cujus Bibliotheca majores mutationes sit passa, quàm sit nostra, cuicuimodi tandem illa est: ne de magnis & frequentibus mutationibus illis dicam, cùm ex alia in aliam provinciam sum translatus: heic certè spatio annorum vix septem, septies huc illuc libraria mea supellex est circumlata; ex quo factum, ut jam meos libros ὑπὸ συγχύσεως τῶν ἐναπομαχθέντων τῇ μνήμῃ σημείων, sæpe non agnoscam. Tibi nihil simile posse evenire scio; cujus firmissimam memoriam scripta omnis generis arguunt. Tuus quidem Eusebius ita me statim visus cepit, ut mox à reditu è longinquo itinere lectionem illius repetierim, & totum devoraverim. Sed ad Canones Isagogicos, opus, meo judicio, si quid tamen in his videmus, absolutissimum, captandum nobis est otium luculentius, ut fructum ex doctrina tua referam, cujus sum cupidissimus. Nunc quæ moliaris, quæ sint à te speranda, aveo scire. Jambicorum tuorum editionem vidi apud alios; ad me enim non misisti: & profectò ἀδικεῖς, ὦ σεβασμιώτατέ μοι ὄντων, ἐσομένων, πρό τ' ἐόντων, si quenquam mortalium lectione tuorum omnium plus me delectari existimas. Sunto qui Veneres tuæ Latinitatis, aut ἑλληνισμοῦ melius capiant; qui tua omnia sive, σπουδάζοντος, sive παίζοντος scripta, aut sæpius, aut diligentius triverit, est, mihi crede, nemo: eò confidentius peto à te, ut eum libellum mihi ne invideas. Martialem tuum heic edi, jam ex aliis te puto intellexisse. At divinis illis tui Parentis in Historias Animalium lucubrationibus quid tandem fiet? Adeòn' infeliciter cum melioribus literis agi, ut nemo adhuc sit inventus, qui publicandi ejus thesauri provinciam ambiret? Oro te, obsecro atque obtestor, illustrissime Domine, allabora, enitere, ac demum perfice, ut tot adoreis incomparabilis Heroïs, absque te foret, hic titulus laudis accedat. De Reipublicæ vestræ statu, vel tuâ & literarum caussâ vivere me sollicitum, ut si quem alium, credas velim. Cogito enim, quanta sit biennii spatio isthic facta fortunæ mutatio: οἷα γὰρ, πανάγρετε Θεὸς, ἀνθ' ὧν! οἱ πρὸ μικροῦ πᾶσιν ἐπίφθονοι, amicorum & inimicorum sermonibus nunc expositi, aliis commiserationi, aliis sunt contemptui: nôsti enim hominum judicia, aut levitatem potius, è præsenti semper fortuna pendentium. Quod si eorum aliquid eveniat, quæ videntur impendere, vereor ne tuorum studiorum tranquillitati is casus sit nociturus. Sed dabit meliora Deus; cui & publicum Reipublicæ vestræ statum, & tuum privatim curæ esse, superiora ostenderunt. Equidem gaudio triumpharem, si rediturum te in patriam hac occasione considerem. Sed me quo minus id sperare ausim, multa impediunt: quod si meum me non fallit augurium, pari intervallo nostræ vestræque res à ruina absunt. Et ô beatum te, qui illa non vides, quæ ipse video! quos enim faciant quotidie progressus οἱ μιαροὶ, οἱ θεοστυγεῖς, οἱ τοῦ ψεύδους πρόμαχοι γενναιότατοι, dictu mirabile est atque miserabile: qui si quæ moliuntur, facere permittantur, ilicet ἔρρει τὰ καλά. Verùm tristia mitto, & ad literas redeo. Accepi à Buzenvallio, edi isthic Paraphrasim quandam Nicomacheorum, quæ tibi mirificè placeat: si constat de Autore, ejusque nomen mihi indicare non fueris gravatus, videro an in Bibliotheca nostra, talium scriptorum non egena, aliud quid Scriptoris ejusdem possim invenire. Mirarer, nihil literarum à præstantissimo Heinsio me accepisse à septem proximis mensibus, nisi scirem, omnes ipsum horas & momenta sui temporis melius locare. Maximi Tyrii editionem profligatam esse non dubito. Ego scripturus ad ipsum fui, & ad clarissimum virum, Baudium, si per temporis angustias mihi licuisset.

1607. licuisset. Opto te, Vir illustrissime, valere, & unà tecum illos quoque. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XV. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CVII.

Misi nuper ad te Epistolam juvenis cujusdam Tolosatis, sanè quàm eruditi, qui te singulari reverentiâ colit. Ei nomen est Paulo du May. Pater illi Medicus est; sed juvenis hîc in aula locum honestissimum obtinet. Velim scire, an illas acceperis. Est alius quidam juvenis Divionensis, Salmasius, ad miraculum doctus; qui Heidelbergæ in Bibliotheca Palatina cùm alios ingentes thesauros reperit, tùm quoque Agathianam ἔκδοσιν τῶν ἐπιγραμμάτων κύκλου· ubi multæ latent Græcanicæ Musæ delicatissimæ deliciæ; sed & nequitiæ. Egi statim cum ipso, ut editionem procuraret τῶν ἀνεκδότων.

EPISTOLA DXLII.

EIDEM.

1607. Vir illustrissime, accepi per hos dies, quas tibi mitto literas: ipse tuas diu est cùm expecto. Accepi ab amplissimo Buzenvallio, te valere, & adversus nescio quem sciolum aliquid edere. Opto tibi quàm firmissimam valetudinem; ut monstra ignorantiæ, quæ caput exerunt in dies magis magisque, pergas debellare. Omnino de melioribus literis videtur esse actum; ita adversus illas conspirant hodie omnia. Sed vidistine, obsecro, quæ Venetiis prodière scripta * à paucis mensibus? Si vidisti, præsertim autem magni illius Pauli Veneti, de iis quid judices, cupio ex te intelligere. Ego enim cùm illa lego, spe nescio quâ ducor, futurum fortasse illic aliquando & Literis Sacris, & meliori literaturæ locum. Mirum dictu, quàm multi quàm brevi tempore animum ad scribendum applicuerint: atqui nemo erat, qui existimaret, in ea urbe unum aut alterum posse reperiri earum rerum intelligentem, quæ à doctrina Loiolitica abhorrent tantoperè. Exitum ejus controversiæ, cùm hæc scribebam, omnes μετέωροι in hac urbe exspectabant. Deus ad gratum sibi finem omnia perducat, qui te servet, illustrissime Vir. Vale, & me ama. Viris clarissimis, Baudio & Heinsio, salutem amicissimam, nisi grave est, velim à me nunties. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* v. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CVII.

* *Scilicet, Fr. Pauli Servitæ, Marsilii Neapolitani. Antonii Quirini, Patricii Veneti, &c.* Scaliger. Epist. 131. *Vide Jac. Aug. Thuani Histor. lib.* 137. 138.

EPISTOLA DXLIII.

CLAUDIO SALMASIO.

Tuas accepi, & quæ adjecisti, Epigrammata antiqua, pro quibus quas tibi gratias agam? certè quantas habeam, potes conjicere è petitione mea prope impudenti. Quare suppudet me, quòd tantum molestiarum tibi exhibuerim. Non intelligo, quæ sit tuorum studiorum ratio, & quæ contentio. Itaque, mihi crede, sum de te & valetudine tua solicitus: duco enim te loco fratris. Ætate antecedo ego; tu, aliis dotibus, quæ mirificam tui exspectationem mihi pridem conmoverunt. Tantùm moderare ingenio, habe curam valetudinis, fruere bono ætatis; & serva te in hac juventa, ut major annis ea præstare possis, quæ exigi, nisi à te, non possunt. Videor mihi videre te, in mediis aquis Tantalo similem; neque enim potes omnibus perfrui Palatinæ Bibliothecæ divitiis. Aviditatem tuam è literis cognosco; & alioquin scio, quo impetu feraris ad disciplinas. Hæc res facit, ut corpusculo tuo metuam. Cæterùm de versibus, quos misisti, pluribus scribam aliàs; nunc sum occupatissimus. Si videris τὸν πανάριστον Bongarsium, ex eo intelliges, quæ nunc sint meæ curæ; Polybium enim seposuimus τέως. Vale, Vir amicissime. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Mart.* CIↃ IↃ CVII. 1607.

EPISTOLA DXLIV.

FRIDERICO TAUBMANNO.

Qui factum sit, Vir clarissime, ut tot meæ Epistolæ, quas ad te scripsi, ad te non pervenerint, nescio: iis enim hominibus eas ipse tradidi Francofurtum deferendas, & ibi curandas, quorum in simili re fidem multis experimentis probatam habeo: qui si quid hac in parte peccarunt, non negligentiâ certè peccarunt, sed pravâ electione eorum, quibus meas commiserunt. Itaque peto à te ante omnia hanc æquissimam δέησιν, ne me tam barbarum, tantâ immanitate efferatum pectus habere, tibi persuadeas, ut adeò humanè à te provocatus, nihil responderem: οὐ τί γένοιτο ἂν ἀπηνέστερον; ἢ μιαρώτερον, ἀλλ' οὐχ οὕτω ἡμεῖς γε τῶν ἀνθρωπίνων θεσμῶν τῶν ὡς κάλλιστα κειμένων ἢ ἀναιδεῖς γινόμεθα ἢ ἐπιλήσμονες· οὐ μὰ τὸν μέγαν ἐν οὐρανῷ Θεόν· τῶν δὴ τῆς φιλίας δικαίων ὑβρισταὶ οὔπω πρότερον γεγονότες, οὐδὲ γραφὴν 1607.

1607. γραφὴν πώποτε τοιαύτην παρ' οὐδενὸς ἀπαιταθέντης, iterum iterumque à te petimus, Vir doctiſſime, ne alienæ culpæ à nobis pœnas exigas. Reſcripſimus certè tibi: Θεὸς δ' ἐπιμάρτυρος ἔστω· & priuſquam munus egregium tuum acciperemus, & poſteà etiam non ſemel; tibique quantas poteramus maximas pro tam propenſa voluntate erga nos gratias egimus. Nunc quoque idem facimus; verbis id quidem, ſed magna cum voluntate, rebus ipſis & omni officiorum genere gratum animum noſtrum tibi declarandi. Quod ſi viam certam indicaveris, efficiam profectò, ne poſthàc meum in ſcribendis literis officium poſſis deſiderare. Vale, Vir eruditiſſime; & me, ut cœpiſti, amare perge. Clariſſimis viris, qui iſthìc ſunt, & noſtrum nomen, ut ſcribis, non ignorant, plurimam ſalutem, niſi grave eſt, à me nunciabis. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* XV. *Kalend. April.* CIƆ IƆ CVII.

Clariſſimus Bongarſius, Regis magni ad Germaniam Legatus, te plurimum etiam ſalvere jubet.

EPISTOLA DXLV.

WOLFGANGO SEBERO.

1607. GAudeo ſuſceptam à te Pollucis editionem, Vir doctiſſime. Neque enim dubito fore utilem Reipublicæ literariæ, quam in eo poſuiſti, operam. Eſt ſanè Pollux, ſi quid judico, Scriptor optimus, eruditiſſimus, utiliſſimus; & eo ſæculo, quod tot claros in literis viros tulit, digniſſimus. Olim cùm in Athenæo eſſemus, multa obſervaveramus, quæ ſi tum ediḋiſſemus, aliquam fortaſſe gratiam ab eruditis hominibus iniiſſemus. Sed ab illo tempore ita diverſa nos habuerunt ſtudia, ut de eo cogitandi vix ocium aliquando fuerit. Verùm non dubito, & plura, & meliora eſſe, quæ obſervaſti, qui ex profeſſo eam provinciam ſuſcepiſti curandam. Itaque crucior exſpectatione editionis tuæ, cùm præſertim adſit tibi David Hœſchelius, vir Græcarum literarum peritiſſimus, & judicii recti. Symbolæ meæ, ſi quàm fortè nactus otium, quo nunc careo, poſſim conferre, non debes ita rationem habere, ut propterea ſtudioſorum vota putes tardanda, aut differenda. Vale. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* XV. *Kalend. April.* CIƆ IƆ CVII.

EPISTOLA DXLVI.

DAVIDI HOESCHELIO.

QUas miſiſti, chartas Procopianas, accepi, credo, omnes. Inſtitutam cum Græco codice Regiæ Bibliothecæ collationem nondum abſolvi; nam & afui magnam hyemis partem, ad matrem profectus, & amanuenſem meum Lugduno Genevam miſi negotiorum meorum cauſſâ; ubi nunc quoque hæret. Itaque ante ejus reditum habeo hìc neminem, cujus operâ uti ad eam rem poſſim. Accedit, quòd à paucis menſibus negotio magni momenti impedior dies noctesque; de quo, priuſquam erit confectum, σύν γε τῷ Θεῷ εἰπεῖν, plura ad te ſcribere non poſſum. Quare obſecro te, ignoſce lentitudini meæ, & ſortem meam potius miſerare, quàm mihi iraſcere: nam & Polybius adhuc in tenebris verſatur; idque non unam ob cauſſam. Si ab imminentis, ut affirmant ἰατρῶν παῖδες, luis periculo urbem Deus liberaverit, hæc æſtas cum proxima hyeme Polybianis curis me abſolvet. Ita velit Opt. Max. Deus, per τὸν μονογενῆ Filium ſuum exoratus. Audio, virum ampliſſimum *, tibi optimè notum, in nupera Gregoriana lucubratiuncula † multa improbaſſe. Ea ſi ad tuam pervenerunt notitiam, fac me, quæſo, ut ſciam. Equidem ſummum virum ex animo veneror. Sed cur mea εἰρηνοποιϊκὰ conſilia damnet, certorum hominum σαφῆ μανίαν, καὶ τὸ τῆς χριστιανικῆς ἀγάπης μῖσος ferat patienter, cauſſam non video. Demirari ſoleo, tantum virum, quò ſpectent hodie τῶν ἐκ τῆς ἑπταλόφου conſilia, parum attendere. Vale, præſtantiſſime Hœſcheli. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* XV. *Kalend. April.* CIƆ IƆ CVII. 1607.

* *M. Velſerum puto.* Colomeſ.

† *Gregorii Nyſſeni Epiſtola ad Ambroſiam, &c. cum verſione & Notis Caſauboni.*

EPISTOLA DXLVII.

SCIPIONI GENTILI.

CUm hæc ad te exarabam, Vir præſtantiſſime, ita curis variis diſtringebar, ut nemo magis: ſed hoc quaſi ſolenne tempus ad ſcribendum ſilentio tranſmittere, religioni mihi fuit, cùm præſertim faciam nihil libentius, quàm ut tecum per literas confabuler. Quod ſi non deficerer otio, amplum ſcribendi argumentum Italia veſtra ſuggerebat. Nam, obſecro, vidiſtine, quæ ſuperioribus menſibus Venetiis prodiêre ſcripta? Ego vidi, ſi non omnia, certè maximam partem. O viros! ô 1607.

1607. exactam earum rerum cognitionem, quas in illis oris nemini putabant plerique eſſe notas! Multa legi, imò penè omnia, & laudavi. Sed inter omnes mirum dictu quantum judicio Paulus * excellat, quem ſcimus virum eſſe doctiſſimum, vitæ innocentiſſimæ, judicii tenaciſſimi. Hujus ſi ſcripta legiſti, ecquid de veſtra Italia ſperare incipis? Videtur enim veri ſtrictura aliqua illic affulſiſſe, quæ, volente Deo, clarum lumen olim ſit ibidem accenſura. O ſi me vivo hæc fieri videam! τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. Sed obliviſcor occupationum mearum; quare deſinam, & ut ſilentium meum apud doctiſſimum Ottonem excuſes, te orabo. Vale, Vir clariſſime. *Lutetiæ Pariſiorum*, *a. d.* XV. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CVII.

* *Servita.*

EPISTOLA DXLVIII.

SEBASTIANO TENGNAGELIO †.

† *Fuit hic Juris Utriusque Doctor, & Bibliothecæ Cæsarianæ Præfectus.*

1607. UTinam, Vir præſtantiſſime, quanta mihi ineſt cupiditas tecum per literas de communibus ſtudiis confabulandi, tanta ſemper iſthuc meas mittendi eſſet occaſio. Non committerem, mihi crede, ut meam in hoc officii genere fidem, aut diligentiam poſſes unquam deſiderare. Nam ut primùm tuas legi, tam exquiſitæ eruditionis refertas notis, tantæ adverſùm me benevolentiæ indices, incredibili ſtatim ſum cupiditate incenſus; maximè quidem, ſi fieri poſſet, te videndi & amplectendi; aut certè, quia id fieri non poteſt, ſermones tecum quàm ſæpiſſimè ferendi. Quod ſi alia extra ordinem non ſe offerat ejus præſtandi facultas; bis tamen in anno per commeantes mercatores ad Francofortenſes nundinas id facere poſſe tutò videmur. Equidem ſegnis aut lentus hac in parte non ſum futurus; neque ſi velim, eſſe mihi liceat. Habeo enim hujus officii aſſiduum admonitorem & exactorem ſeverum; amorem dico ingentem, ſincerum, ἐνδιάθετον, quo te proſequor. Te oro, eodem ſis in me affectu, quo ipſe porrò ſemper, dum ſpiritus hos reget artus, erga te fore, me ſanctè tibi polliceor. De Proverbiis Arabicis ſic habe: Deſcripſi eum libellum mihi è codice, Româ in hanc urbem allato. Poſteà quàm ſignificaverat tergeminus Scaliger, eum libellum ſe needum vidiſſe, curavi è meo exemplari illius cauſâ deſcribi, quo munuſculo vir ingenuus non parum, ſcio, eſt delectatus. Niſi eſſem nunc impeditiſſimus, & ſexcentis curis variè diſtractus, aut omnia, aut eorum partem tibi deſcriberem; ſunt 1607. enim quædam in his oppidò venuſta, quorum copiam tibi ſi fieri cupis, ἔξαυδα μὴ κεῦθε νόῳ. Ego ubi primùm aliquid otii fuero nactus, voluntati tuæ morem gerere conabor. Nos quidem ingenuè fatemur, ad hæc ſtudia colenda non voluntatem nobis deeſſe, verùm otium. Nam quum pars magna temporis in hac occupatiſſima otioſorum hominum matre, Lutetiam dico, ab amicis nobis quotidie cum lacrimis & gemitu noſtro eripiatur, ſucciſiva omnia aliis ſtudiis cogimur impendere. Cœpimus Lexicon nobis conficere. Auſi & eramus Geographiam Arabicam, Romæ editam, facere Latinam. Poſuimus & in Avicenna aliquid temporis. Sed ubi ſocium laborum iſtorum amiſimus, adoleſcentem Fleſſingenſem, ad miraculum uſque in his literis verſatum, ſpes noſtræ retrò cœperunt labi; neque adhuc opportunum tempus indipiſci potuimus, ſitis hujus noſtræ explendæ. Utinam propius abeſſemus, haberes me diſcipulum, ut quondam ὁ μακαρίτης juvenis Fleſſingenſis, cujus meminiſſe abſque ſuſpiritibus non poſſum, neque unquam potero. Habeo ſanè magnâ curâ comparata præſidia non inepta ad hoc inceptum, ſi ejus, quod puto, perficiendi unquam futura eſt facultas. Ἀλλὰ τοῦτο μὲν Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Tu, Vir præſtantiſſime, ſi otio abundas, derelictam ab aliis provinciam honeſtiſſimam capeſſe, & de literis ac literatis benè mereri aggredere. Quòd me hortaris, ut quorundam improborum contumelias aſperner, qui ſine cauſſâ nomen noſtrum arrodunt; ego verò & faciebam antè ſponte meâ, & nunc tantò libentius & conſtantius faciam, quòd ita placet tibi. Spero quidem ita me vixiſſe hactenus, (laus Deo ſit Opt. Max.) ita ſtilum temperaſſe, ut ſi bonorum ſtudia promereri non potuerim, odium certè cujuſquam meritus non ſim. Iſti qui tam malevolè de noſtris libellis ſentiunt, & *imperitos Grammaticos* nos vocant, ſi, quibus in ſtudiis vitæ multò maximam partem poſuerimus, ſcirent, aliter fortaſſe pronuntient. Quanquam quid ego æqui mihi ſpondeam ab imprudentiſſimis illis nebulonibus, qui bonis omnibus obtrectare glorioſum ducunt? Sed canes mordaces mitto. Te iterum oro, Vir doctiſſime, ut quem ſemel tuâ benevolentiâ dignum judicaſti, poſthàc etiam amare redamantem, idque à te contendentem velis. Deus te ſervet. Vale. *Lutetiæ Pariſiorum*, *a. d.* XV. *Kalend. April.* ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας, CIↃ IↃ CVII.

EPISTOLA

EPISTOLA DXLIX.

JOSEPHO SCALIGERO.

1607. *Hæc est responsoria ad Scaliger. Ep. 129.* MIratus sum nuper, cùm tuas legerem, unas tibi mearum esse redditas post reditum meum à matre. Ego verò non binas aut ternas; sed jam quaternas scripsi: quod non ignorat nobilissimus Buzenvallius, cui omnes, unis exceptis, isthuc cum suis curandas dedi. Quare si Epistolas ipsius accepisti, meis quid sit factum demiror. Quod scribis de facilitate mea in tuis literis ostendendis, velim mihi hoc sanctè affirmanti credas, plures annos esse, cùm literas, quibus beare me soles, nemini mortalium soleo ostendere, magno Thuano excepto, & Labbæo. Sed ille paucas videt; hic suo quodam jure omnes exigit. Ille Apostata, qui tuas ad me prætexit, ut caussam videatur habere, cur nos oderit, perfidus perfidè & sceleste hoc comminiscitur. Neque enim de Purpurato illo altero Apostata verbum tu ullum unquam ad me; neque si tu maximè fecisses, quisquam mortalium hoc me jactante rescisset. Dicam verò tibi, quod res est: si quid ejusmodi unquam dixit novus Purpuratus *, non de te, sed de me solo questus est. Anni quatuor sunt, ex quo scripsi ad Sedanensem amicum † paullò liberius de ipso. Forte accidit, ut Mazerius quidam meas ad Legatum Venetensem ‡ mitteret, qui oblitus amicitiæ, ad αὐτὸ τὸ θηρίον, & omnes amicos meos magnos exempla illarum literarum misit. Quid multa? expostulavit injuriam à me sibi factam ὁ δεινὸς σοφιστής, effecitque ut displicere hoc sibi, Rex ipse mihi diceret; sed hoc tam comi, tam benignâ oratione, ut luculentius bonitatis ejus argumentum nullum unquam sim expertus: nam actum de me esse, multis jam erat persuasum. Ego verò neque negavi factum, ut de eo scriberem; & nihil scripsisse, cujus pœniteret, constanter affirmavi. Habes veram historiam, quæ fabulæ illi Romanæ occasionem præbuit. Vale, illustrissime Domine; ac tibi persuade, omnes Bibliothecæ forulos tuâ gratiâ, σὺν τῷ Θεῷ, brevi me διφήσειν. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* v. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CVII.

Everwinus noster θεωτικὸς cùm hæc scriberem, salutem tibi adscribi quàm devotissimo animo optavit: nihil eo adolescente probius.

* *Perronius.* Colomes.

† *Dan. Tilenum.* Colomes.

‡ *Philippum Canaium à Fraxinis.*

EPISTOLA DL.

EIDEM.

TUas accepi, a. d. IX. * Kalend. April. 1607. exaratas. Libellum adversus somnia † τοῦ χρονολόγου nullus vidi; exspecto eâdem aviditate, quâ cætera omnia tua. Martialis tuus lentum negotium est: nôsti enim, opinor, ingenium Typographi ‡. Sed amabis diligentiam, fidem, eruditionem illius, qui sæpe ob leviculum accentum ad consilium adit ad me; estque opus jam prope absolutum. Utinam omnia tua pari fide & elegantiâ essent edita! Videris, si quid aliud erit, quod hic velis à nobis curari, qui regnare nobis videbimur, si tibi ulla in re possimus inservire. Scripsi hæc raptim, & rogatus ab hoc honestissimo juvene, qui meâ commendatione tibi optavit innotescere. De Marcellini codice agam cum Frontone. Promisi nuper, excussurum me omnes angulos Bibliothecæ tuâ gratiâ, det modo otium & ῥαστώνην Deus. Nunc quid agam, quibus in studiis sim, scies cùm opus aliquod videbis ἀνώνυμον ‡; quod nullorum preces importunæ mihi expresserunt. Feci lubens, ut parasitos τοῦ Λατίνου flagitiorum suorum admonerem. Deus opus autori velit esse innoxium: quicquid erit, gloriosum est; Dei & Regum caussam tueri contra istas pestes. Moderatione in scribendo eâ usi sumus, ut quis sim τὴν θρησκείαν, non tam ex iis, quæ dicentur, quàm ex iis, quæ non dicentur, sint intellecturi. Hoc arcanum diutius continere in sinu non potui, quin ejus te, quem patris loco habeo, facerem participem. Clarissimis Baudio, Heinsio amicissimam, nisi grave est, salutem velim meis verbis nunties. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Eid. April.* CIↃ IↃ CVII.

Post scriptas hasce literas, accepimus, acta transacta omnia inter N. & τὸν τρίλοφον τῆς ἑπταλόφου τύραννον *. Ita exspectamus quid dicturi sint, quorum precibus manum calamo admoveramus; qui si, ut pro certo habeo, γνωσιμαχῶσι, capiam cum amicis consilium, quid opus facto. Baronii enim, & aliorum mendacia multa confutavimus; etsi non eâ, quâ par erat, acrimoniâ & vehementiâ: alienam enim personam sustinebamus.

* *Fortè* XI. *Vide Scaliger. Ep.* 131.

† *Elenchum Orationum Chronologicarum Parei.* Colomes.

‡ *Roberti Stephani, R. F. R. N.*

‡ *Librum de Libertate Ecclesiastica; de quo etiam infrà, Epist.* DLV. Colomes.

* *Venetos ac Pontificem.* Colomes.

EPISTOLA DLI.

DANIELI HEINSIO.

1607. RESpondi nuper iis literis, quas cum Maximo tuo acceperam, Vir clarissime. Auctorem quidem ipsum nondum ita tractaveram, ut, quid illi esset à te collatum, plenè intelligerem: nunc feci, & magis magisque doctrinam illam tuam altam & reconditam sum admiratus. Tu profectò, mi Heinsi, unus hodie videris esse, qui nôris quomodo Authores veteres sint illustrandi: divinum senem semper excipio; à quo cùm discessi, te solum habeo, quem in eo genere admirer. Hesiodus, Theocritus, & tot alia ingenii tui γεννήματα, in magnam spem nos evexerant de tuis studiis: ἀλλὰ ταύτην τὴν ἐλπίδα αὐτὸς αὐτοῦ ὁσημέραι κρείττων γινόμενος, εἰς καθ' ἑκάστην γραφῆς νικᾷς τι καὶ ὑπερνικᾷς· quò impensius Deum oramus, ut te servet, tua studia regat, & tam nobile ingenium omni indulgentiâ foveat. De Maximi præstantia nunquam aliter judicavi, quàm ut ipse pronuntiasti; & sæpe dolueram, tam bonum Scriptorem tam malum Interpretem esse nactum, qui nunc tuâ liberalitate civitatis Romanæ jus consecutus, legetur, suspicietur, amabitur. Utinam Polybio meo parem felicitatem spondere possem: multa vetant; ne de aliis dicam, hoc verè affirmo tibi, in aliis studiis nos esse jampridem: coacti enim sumus à magnis viris ad tempus curare alia *: ea, quæ sint, posteà intelliges, σὺν τῷ Θεῷ. Vegetium Scriverii † heic vidimus: & pro navata hac opera Scriptori optimo multùm illum amamus. Sed de Vegetio longè aliter sentimus nos, quàm olim ὁ πάνυ Lipsius, qui non semel mirùm quantum illi detrahit. Nos caussam illius agimus in Polybianis curis; sed eo candore ac modestiâ, ut manes viri magni nequaquam simus sollicitaturi, quod Loïolitæ faciunt. Velim meis verbis clarissimos viros, Grotium, & Scriverium, salutes, & me ames; utque meo nomine hunc charum meum tuâ benevolentiâ dignum putes. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XV. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CVII.

* *Tacitè indicat librum de Libertate Ecclesiæ.*

† *Ex Officina Plantiniana Raphelengii, 1607. in 4.*

EPISTOLA DLII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1607. VIr illustrissime, quas petiisti, Notas in Marcellinum, ecce habes: mittit illas Fronto noster, vir profectò melior, quàm ut pro germano Loïolita possit haberi. Is te singulari reverentiâ semper coluit, & præstantiam eruditionis tuæ cum omnibus bonis miratur; neque suorum sycophantias moratur; sed quo candore est, abominatur. Utinam hoc ingenio omnes familiæ illius sodales essent! firmiore heic pace uteremur; quam quotidie τὸ θεοστυγὲς γένος concutit, & novis subinde arietibus labefactat. Itaque noli dubitare, imminere aliquid novi; nisi conatus novatorum, qui solus potest, Deus immortalis fregerit. Redeo ad Frontonem; qui quum esset Agenni nuper, cum cura exploravit, pateretne tibi ad tua tutus & honestus reditus. Egit igitur cum Episcopo & sodalibus, ut quid facturi essent intelligeret. Sanctè affirmat vir bonus, Episcopo, delendæ infamiæ, quam illi inussisti, cupido, nihil posse gratius accidere; nihil quod Loïolitarum Collegium, quod illic vivit, magis optet. Quid multa? ego delectus sum, qui te ipsorum nomine hortarer, ut nidum senectæ velles repetere. Accedit, quod Raimundi quidam illic gratiâ & autoritate pollent; qui affinitate tuâ gloriantur. Habes legationem meam; quam utinam præsens obiissem, & quid ipse sentiam, possem tibi coram exponere! Sed neque tu is es, qui alieno consilio opus habes; neque propositum ejus est difficultatis, ut de eo multum tibi videatur esse deliberandum. Plura additurus eram; sed aderat, qui has reddidit, longioris moræ impatiens. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XV. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CVII.

EPISTOLA DLIII.

EIDEM.

MAne ad te scripsi; nunc scriptionem repeto. 1607. Ecquid tibi sum molestus? vereor sanè: eò brevior ero: tantùm petam à te, ut hunc juvenem eximiè charum mihi, benevolentiâ tuâ indignum ne putes. Cur ab extremis finibus Galliæ isthuc iter instituerit, caussa hæc fuit; quòd non parum se in literis profecturum credidit, si te posset videre, & loquentem audire. Idem quum in patria Eusebium tuum legisset, atque ex eo cognovisset de tuo erga me amore, faciendum omnino duxit, ut non alius quàm meâ commendatione ad notitiam perveniret tuam. Denique effecisti, ut ἄνευ τῶν παρ' ἐμοῦ συστατικῶν nemo jam adire ad te cogitet. Non morabor te nunc pluribus. De Bibliotheca securus esto: si nihil aliud possum; at libros certè mathematicos, in quibus est

1607. est nonnihil περὶ χρόνων, brevi, Deo volente, habebis. Nos tuum Elenchum adversus N. * adhuc exspectamus: epicedia quoque Lipsiana; sed hæc patientius jam; quia illa legimus, simul ac sunt allata in urbem. Beatum Lipsium, qui tantum laudatorem meruit! nihil enim poterat augustius ad ἀποθέωσιν Manium illius. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XV. *Kalend. Maj.* CIϽ IϽ CVII.

* Pareum.

EPISTOLA DLIV.

DANIELI HEINSIO.

1607. Miror silentium tuum; nam septem minimùm lapsi sunt menses, à quo tuas novissimas accepi: ego interim non unas ad te dedi. An nostri oblivio te cepit? Nunquam putabo: quid igitur est? unum habeo, in quo acquiescam, ita te ἐγκυλινδεῖσθαι τοῖς βιβλίοις, ut nullum omnino tempus perire tibi patiaris. Laudo: etsi nolo imitari. Vale, & nisi grave est, viros clarissimos, Vulcanium, atque Baudium, à me saluta. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Kalend. Maj.* IϽ IϽ CVII.

EPISTOLA DLV.

JOSEPHO SCALIGERO.

1607. POstquam compertum mihi est, amplissimum Buzenvallium isthuc rediturum, inquisivi satis diligenter pro copia temporis & otii mei, ecquid lateret aliquid in Bibliotheca nostra, quod tibi, illustrissime Domine, posset usui esse. Inveni non pauca Mathematica, quæ fortasse non sine aliquo fructu à te legerentur, de quibus memini non semel ad te scribere: ad quas literas meas, quia nihil unquam respondisti, suspicor minus te id genus Scriptores τὸ νῦν εἶναι desiderare. Nullus est certè illorum, qui de eo argumento, in quo tantum tam feliciter ipse laborasti, ex professo scripserit, ut noster Chrysococces. Sed nonnulli illorum, quos habemus, observationes suas astrologicas interdum χρονικοῖς θεωρήμασιν accommodant. Si ita velle significaveris, aut specimen aliquod, aut ipsos Autores mittemus. Accipies nunc ab amplissimo Legato ἀνώνυμον χρονικὸν, non optimum illud quidem; quod facilè intellexi, cùm leviter percurrerem; ejusmodi tamen, quod malis, nisi fallor, visum tibi, quàm invisum. Sed ut scires, quæ cupiditas mea sit benè de Republica literaria merendi, dum voluntati tuæ morem geram; mitto tibi Indicis librariæ nostræ exemplum, ab homine literarum ignaro descriptum; quod ubi legeris, velim remittas, & eos mihi libros notes, quorum te aliquod desiderium tanget. Nam virum maximum, Thuanum tuum, τὸν τὰ πάντα ἄριστον, facilem ad hujusmodi δεήσεις se præbiturum, & tuâ, & literarum caussâ, non dubito. Sint modò, quibus tutò demus, quæ tibi mittentur, & quæ à te nobis remittentur; in quo tuam fidem integerrimam felix adhuc comitatus est eventus. Elenchum tuum proximis demum diebus accepi; quo nomine ago tibi gratias magnas. Demiror ingenii inexhausti fœcunditatem: nam post tam multos de eo argumento libros scriptos, novus tamen semper, & ὑπερχειλὴς accedis: & cùm eadem doceas, omnia tamen nova dicis, omnia aliis ignota, præter unum te: τοῦτό με εἰς ἀφασίαν ὑπὸ θαύματος ἄγει· τοῦτό με ὑπερθαυμάζειν τὴν ἀγαθήν σου φύσιν ποιεῖ. Utinam hoc animo tua legerent omnes, qui te docente quotidie proficiunt! Utinam nostri saltem æquos se adversum te præberent, & intelligere tua prius, quàm vel imitari, vel carpere conarentur! Tacuisset, opinor, N. * tuus, & severissimi censoris notam ignominiosissimam lucrifecisset. Ego verò non vicem ipsius tam doleo, quicum nulla mihi unquam intercessit notitia; quàm fero impatienter, culpâ unius malè conciliati datam esse occasionem ἐκ τῶν τυχόντων hostibus veritatis, triumphandi de tota caussâ: omnibus enim illius scriptis, quæ audio multa esse, (ego nullum unquam vidi) fidem censura hæc ademit. Equidem fateor, dignissimum fuisse, qui pro commerita noxa, pro stultissima sententia, quam tuetur, etiam durius abs te acciperetur: quid enim est perniciem literarum moliri, si hoc non est? Intererat Reipublicæ literariæ, tam perniciosum errorem, tam exitiabilem temeritatem severissimè castigari. Unicum hoc, ut dixi, me malè habet, quòd ad N. N. pars magna ejus ignominiæ redundatura est. Sapiet fortasse, & à scribendo posthàc abstinebit: hoc solum haberem consilium, quod ipsi suggererem, si vel leviter hominem nossem. Si aliter faciet, morbum animi magis magisque patefaciet; seque indignum probabit, cujus nugis divinæ lucernæ tuæ horas impendas. Vidimus in Catalogo † librum τοῦ τρισκαταράτου ἀποστάτου ‡ adversum te scriptum. Nondum in quemquam incidi, qui perditissimi nebulonis, imò canis Tartarei 1607.

* Parens. Colomes.

† Nundinarum Francofurtensium.

‡ Scioppii.

1607. ἀπόνοιαν non detestaretur. Qui te magis ex animo venerantur, in quibus ego principem locum mihi deberi contendo, τὴν ἐπὶ πᾶσι δυσωπῶσι, ne te ista gravius, quàm par est, afficiant. Puto tamen, cùm bestiæ indolem consideraveris, cùmque lustrum, ubi cubat, ad animum revocaveris, æquiorem te illi futurum; & facilè permissurum, ut συνηκειωμένην τῇ ἑαυτοῦ φύσει κακίαν expromat. Nam ut tibi benè mereri de humano genere, σύμφυτον est; ita illi Stygio cani, bonos allatrare. Demiror quid caussæ sit, cur nomini meo parcere velle simulet scelestus hypocrita; nam adhuc liber in me scriptus supprimitur, cujus primum folium, Moguntiæ editum, vidi ante annum. Significaveram tibi nuper de scriptione *, quam à me certi homines exegerant; qui cùm in gratiam nunc redierint cum Romuli nepotibus, φροῦδα γίγνεται τὰ μέχρι δεῦρ' ἐκδοθέντα. Sed si erit justa occasio, redibimus ad priores curas: non ut cum isto caligato & hordeario manus conseramus; sed ut arcem ipsam tyrannidis, τὴν ἀρχὴν ἐλπίδα προσβαλλόμενοι invadamus. Hoc statuimus, σὺν τῷ Θεῷ· hoc præ nobis ferimus, & Cancellario, aliisque Magnatibus prædiximus. Pudet me, tamdiu vixisse Ecclesiæ Dei inutilem; qui videor mihi posse fastum immanem τοῦ ψευδογράφου illius baronis † certissimis rationibus retundere. Tu autem, Vir illustrissime, quid nunc pares, scire velim. Deus te servet, ac mihi amorem tuum. Notas Marcellini à Frontone missas, accepisse te, non ambigo. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Non. Maj.* CIƆ IƆ CVII.

* *Intelligit librum de Libertate Ecclesiastica.*

† *Baronii.*

Est isthìc juvenis quidam Aquitanus, Vigierius ‡, Theologiæ studiosus, quem de meliore nota cupio tibi esse commendatum: idque à me petierant pater ipsius & frater, ambo singulari virtute præditi. Si potes de ætate libri, quem mitto, aliquid conjicere, velim significes, nisi grave est: habeo enim ejusdem characteris, & ut sic dicam, τοῦ αὐτοῦ κόμματος alios codices, de quorum vetustate ex illo potest fieri conjectura. Petunt à te viri boni & magni, ut cùm recudetur Eusebius tuus, verbis ornes Regiam Bibliothecam, quæ & τοὺς πρὶν suggessit libros, & posthàc suggeret, quos voles. Non sine caussa hoc à te peto, neque meo unius nomine, verùm multorum Francici nominis studiosorum.

‡ *Japhetus Vigierius, Dominus du Montié, Ecclesia, quæ colligitur in urbe D. Johannis Angeliaci Pastor, octogenario major hoc anno 1666.* Colomes.

EPISTOLA DLVI.

EIDEM.

ILlustrissime Vir, diu est, ex quo nihil à te literarum accepi. Opto, ut quàm optimè valeas, & valere confido, σὺν Θεῷ εἰπεῖν· cupio tamen ex tuis literis id intelligere. Vidisti quæ superioribus nundinis prodièrunt adversus te: equidem digna non puto, quæ te vel levissimè commoveant; nam canes illi Antverpienses *, Moguntini, & Romanus Apostata †, quid aliud faciunt, quàm, quod unum possunt & nôrunt? latrant, canes sunt, & quidem Stygii: veritatem mendaciis obruere conantur? υἱοὶ γάρ εἰσι τοῦ πατρὸς τοῦ ψεύδους· nobilitatem tuam obscurare nituntur? non aliud exspectes à terræ filiis, quorum nomina nihil è tenebris vindicat, nisi virtutis, honestatis & omnis decoris Vatinianum odium. Me certè quòd vituperent, qui te non amant, pluris ego facio, quàm ludis Olympicis coronatum fuisse contra quemvis τῶν ἀλήπτων ἀθλητῶν. Exspecto proximis nundinis proprium in me librum; qui si in meas manus inciderit, fortasse inspiciam in eo aliquid; non quæram certè; quia constat mihi, neque doctiorem, neque meliorem posse me ab ejus lectione discedere. Ne Italis quidem, scio, persuadebit, Atheum me esse, vel arrogantem. Accepi his diebus à Cardinali Borromeo ‡ literas, incredibili humanitate conditas; quem virum literarum amantissimum, &, ut audio, peritissimum τῆς ἀρχαιολογίας, scio ego, ψευδορωμαίου illius, καὶ παρεγγράπτου ἀποσίτου scriptum, quod in te evomuit, ex animo detestari. Scripserunt & alii viri pereruditi τῶν ἀμφ' αὐτὸν, Latinè, Græcè, Ebraicè, solutâ & astrictâ metro oratione; ut satis mirari nequeam tantam hominis comitatem & honorem, quem non mihi, verùm literis, quas putat in me esse, exhibet. Hoc volui nescius ne esses; quò minus dubitares, superesse adhuc etiam in illis oris λείψανα quædam τῆς προτέρας γενεᾶς, τῆς πρὸς τὴν τῆς ἀρετῆς, καὶ ὀρθῆς παιδείας ὑπόκρισιν ἀδικάστου. De inscriptione, quam tibi mitto, tuum judicium te posco. Mitto aliquot amicis exempla: ad nobilissimum Legatum, quem in dies exspectamus, non misi. Viris clarissimis, qui te colunt, me amant, amicissimam, nisi grave est, salutem: nominatim verò τῷ προσφιλεστάτῳ Heinsio. *Lutetiæ Parisiorum, prid. Kalend. Jun.* CIƆ IƆ CVII.

* *Carolus Scribanius, Martinus Del-Rius, Herib. Rosweidus.*

† *Scioppius.*

‡ *Ad hunc scripsit Lipsius, Epist. Miscell. Cent. v. Epist. 88. & ad Italos Cent. Epist. 19. 73. 92.*

Mar-

1607. Martialis tuus propemodum est absolutus. Ego si per occupationes licuisset, hodie scripturus eram quædam πολλεγόμενα, utinam te digna; certè bonis, ut spero, futura non ingrata.

Epistola DLVII.

 * * *

Monseigneur,

1607. *Je viens tout presentement d'entendre que Sa Majesté avoit receu grandes plaintes de Rome contre moy, pour quelque livre qu'on feint que j'ay faict contre le Pape; & m'a-t-on adverti que Sa dite Majesté estoit grandement indignée contre moy. J'ay eu desir de porter mon excuse à ses pieds, & par mesme moyen faire cognoistre mon innocence, & la lascheté de ceux qui taschent à irriter Sa Majesté contre moy. Je vous eusse franchement dit, d'où peut estre procedé ce faux bruit: brief j'eusse faict voir clairement à Sa Majesté, & à vous, Monseigneur, que après le devoir envers Dieu, je n'ay aucune affection qu'à servir, obeïr, & executer tous les commandements de Sa dite Majesté: & entant qu'en moi sera, me faire cognoistre au tant desireux de paix & concorde, que certains boutefeux desirent noise, que depuis deux ou trois ans & notament je suis descript le plus meschant, impie, Athée qui fût jamais; car quant à la prodigieuse ignorance qu'ils disent estre en moy, j'en laisse le jugement aux autres; ne recognoissant en moy que peu de fruict de mes longues veilles. Mais aussi certes ne m'attribuant rien du tout qu'un desir passionné & infini d'apprendre. Et si les mesdisans avoient le mesme desir, j'ose dire qu'il en seroit mieux à la Chrestienté. Le seul respect que je porte à Sa Majesté, m'a contenu jusques à present; m'estant au reste très-facile, Dieu merci, de faire cognoistre à toute l'Europe mon innocence & leur enragée imposture. Et d'autant, Monseigneur, que par le dernier livre composé à Rome, imprimé à Maience, ils disent faire un particulier escript contre moy, plain de toute vilainie, comme j'ay veu par le premier feuillet que j'ay, imprimé, je vous supplie faire envers Sa Majesté, que si la patience m'eschape, ne pouvant souffrir estre appellé Athée, & voir des lettres contrefaites soubs mon nom pour avoir occasion de mesdire, que Sa Majesté ne s'offence contre moy, ou me permette me retirer ailleurs, si-tôt que mon grand ouvrage de Polybe, qui s'imprime, sera achevé. Aussi ay-je beaucoup d'autres raisons, qui me necessitent du tout de ce faire. Derechef je vous en suplie, demeurant,* 1607.

Monseigneur,

Vostre très-humble & obeïssant Serviteur,
CASAUBON.

A Paris, ce 8. Juin, 1607.

Epistola DLVIII.

CHRISTOPHORO JUSTELLO.

Mirificè delectatus sum literis tuis, Vir eruditissime. Amavi ingenium & doctrinam exquisitam; amavi & manum admirabilem: nam quid pulchrius? quid aspectu suavius? Me certè ita cepit tuus character pari eruditione junctus, ut, quò plures à te literas accipiam, responsionem ad propositam quæstionem differre statuerim. Eris fortasse mei memoriam positurus. Inveni hoc λήθης φάρμακον· non enim vereor, ne tibi excidam, quamdiu in ære tuo ero. Sed misso joco, ad ea, de quibus quæsiisti, pluribus parantem respondere otium deficit ac tempus. Ubi primum otii plusculum fuero nactus, dabo operam, ut cupiditatem saltem meam tibi satisfaciendi agnoscas. Sanè cùm nuper ea de re ad me eruditissimus, atque amicissimus Labbæus retulisset, respondi eadem penè omnia, quæ sunt in tua Epistola. Sed jure quæris, quoniam sacer esset Persis, imò verò Deus magnus, *Ignis*; qui eo potuerunt uti ad supplicia? Ego memini, in Martyrologiis legere aliquot exempla, quæ probent τὸ ὅτι, evincant, inquam, id solitum fieri, ut igne uterentur, tanquam κολαστηρίῳ ὀργάνῳ· velut, quod dicebam Labbæo, de crematis super craticula in Perside: cujus supplicii etiam Beatus Chrysostomus meminit. Quare si constat τὸ ὅτι, non multum περὶ τοῦ διότι debemus esse soliciti, utique in talibus, quæ, ut erant vanissimis rationibus introducta, ita facillimè potuerunt mutari. Sed ἐπέχω, & otium majus exspecto. Vale, Vir doctissime, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIV. *Kalend. Quint.* CIↃ IↃ CVII. 1607.

EPISTOLA DLIX.

DANIELI HEINSIO.

1607. Iratus sum paci vestræ, quæ facultatem mihi adimit sæpius isthuc literas mittendi: nam equidem ex omnibus meis molestiis acquiesco in tuo, & illustrissimi Heroïs (si tamen placet Scioppio) colloquio; nihil certè majore cum voluptate facio, quàm cùm vestras lego, aut ad vos scribo. Accepi superioribus diebus Panegyricum tuum *, ὦ θαυμασιώτατε ἀνδρῶν. Eram tum recens à lectione Latinorum, qui in eo scribendi genere se exercuerunt; ad quorum illustrationem cùm multa alia posse afferri cogitabam, tùm illud inprimis, ut de virtutibus, aut vitiis eorum Auctorum sententia feratur, & via muniatur juventuti ad rectè æstimandum totum illud scriptionis genus. Nam aut fallor vehementer, aut in plerisque ἐπιδείξεσι non pauciora sunt censurâ criticâ digna iis, quæ veram laudem merentur. Hæc meditanti mihi allatus est liber tuus, in quo omnes, quæ capiebat argumentum & genus, καὶ ἡ ἰδέα τοῦ λόγου, virtutes videor mihi luculentè observasse. Sed eminet in primis πυκνότητα καὶ γοργὸν τῶν νοημάτων καὶ ἐπιχειρημάτων· nam, Deus bone! quàm multa, quàm paucis! Quot verba, tot sententiæ: neque eæ affectæ; sed graves, ac prorsus μεγαλοπρεπεῖς καὶ δειναί· ut mihi videaris λίαν σφόδρα πρὸς τὸν ὑψηλὸν χαρακτῆρα εὐφυῶς διακείμενος, ἐν τῷδε τῷ λόγῳ αὐτὸς αὑτοῦ κρείττων γεγενῆσθαι. Itaque quomodo tui libri lectione sim affectus, noli quærere. Unica res fuit, quæ me vehementissimè offendebat, scripti brevitas: quod tamen repetitâ lectione longius fecimus. Neque hoc meum judicium est unius; sed Thuani τοῦ κριτικωτάτου· item magni Fabri, καὶ ἐν ὀλίγοις omnium bonorum & eruditorum, qui legerunt. Beatum igitur prædicare omnes τὸν ὑπέρμεγαν senem †, qui immotus & κύδεϊ γαίων, hostem suum scelestissimum αἰκισθέντα confici videt. Te quoque beatum, mi Heinsi, qui capitale ingenium istud ad tam bonæ caussæ defensionem tam alacriter confers. Expecto Menippeam tuam adversum παλαμναῖον ἐκεῖνον καὶ ἀλιτήριον· μᾶλλον δὲ τὸ ἐξωλέστατον καὶ ἀγριώτατον θηρίον ‡. Sed bonâ fide, nùm invides mihi, quòd nullo meo merito cum tanto viro ad vapulandum jungor? Isti si scirent, quantum ipse eo nomine glorier, καὶ μέγα φρονῶ, numquam eò amentiæ venissent. Sed de his fortasse aliàs plura. Polybii folium quotidie scito edi. Erat fortasse consultius, non provocare latratus canum hac novâ operâ: sed jacta alea est. Baudii & Grotii, virorum clarissimorum, carmina adversus Apostatam teterrimum avidissimè heic omnes expectamus. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Eid. Quint.* CIↃ IↃ CVII.

* Dictum Josepho Scaligero. Exstat in Oration. Danielis Heinsii, n. 28. ed. 1627.

† Jos. Scaligerum.

‡ Scioppium. Colomes.

EPISTOLA DLX.

JOSEPHO SCALIGERO.

Ea est ingenii tui magnitudo, ea nominis fama, summis in Rempublicam literariam meritis quæsita, Vir illustrissime, ut jam Scaligeri nomen sublimis cujusdam, & numeris omnibus absolutæ eruditionis, non hominis appellatio esse, vulgò putetur; raròque in eruditorum circulis, & fabulis literatis habeatur de studiis sermo, ut non & tui statim occurrat mentio. Sic enim jampridem omnibus bonis & verè doctis est persuasum; salutem, dignitatem, decus, majestatem denique meliorum literarum, in tua propemodum unius salute verti; in tua industria & præsidio niti. Ac licet lucubrationum tuarum is ferè sit genius, utique earum, in quibus vela pandis, & toto ingenio veheris; ut imperitos ab se abalienent, solos eruditos in familiaritatem admittant: quorum ut quisque plurimarum est literarum, ita plurimùm illis delectatur, maximèque illa miratur: omnium tamen, indoctorum pariter & doctorum, qui modò non planè depuduerint, constans & consentiens hæc opinio est, unum te nostro seculo extitisse, qui omnes literarum partes ingenii beatissimâ ubertate non solùm sis amplexus, verùm etiam mirificè excolueris; unum, cui tota Musarum sacris operatorum cohors assurgat; cui principes Musici cœtûs fasces submittant; quem propter inexhaustam, & tantùm non humanum captum superantem, reconditæ doctrinæ copiam orbis terrarum mirabundus suspiciat. Quippe ignorat nemo, paullò saltem qui sit humanior, quàm multa, quàm præclara ad utilitatem & gloriam rei literariæ promovendam sint à te profecta; quæ propterea à nemine alio sperari poterant; quia nemini ante te de iis ulla suspicio erat oborta; quum ea primus præstiteris,

Avia Pieridum peragrans loca, nullius ante
Trita solo,

1607. Hæc præmissa est Jos. Scaligeri Florilegio Epigrammatum Martialis, edit. Paris. 1607.

quæ

1607. quæ præstari posse in literis, nemini hactenus in mentem venerat; & fortasse absque te foret, nemini mortalium erat venturum. Ut mirum non sit, tuorum præstantissimorum scriptorum eâ cunctos bonarum artium amatores admiratione teneri, eo desiderio flagrare, ut neque legendo quæ sunt edita, expleri mentem queant; neque eorum, quæ affecta multa habes penes te, & publico debes, exspectationem sine impatientia sufferre valeant. Quemadmodum enim singuli solent, quibus ad tuam amicitiam patet aditus, quoties dubitatio molesta incidit, vel dignus Heroë vindice nodus apud Scriptorem aliquem Latinum, Græcum, Hebræum, Syrum, Chaldæum, Arabem, aut alius linguæ ex iis tam multis, quarum notitiam, intelligentiam, atque usum Dei Opt. Max. benignitas tibi largita est, hæsitationes suas ad te referre, & τὸν ἀτρεκέστατον μάντιν, Tripodem tuum consulere; sic quoties inter studiosos & humanitate præditos de arduo aliquo in literis incepto existere sermo cœpit, omnes tuam industriam respiciunt, tuam opem implorant, & omnibus votis te certissimum Μουσαγέτην, auxilium poscunt; neque ulla tam perplexa, tam difficilis, aut intractabilis provincia Reipublicæ literariæ, quam tibi, δῖε γέρον, ultrò communis vox non decernat, & extra sortem despondeat. Nam ut propter ætatem, in qua nunc es, cessatio & quies à prioribus laboribus tibi concedatur; id verò ne te quidem postulare, persuasum cuncti habent; qui divinitùs contigisse tibi nôrunt senectutem prorsus τῶν πρεσβευομένων ἀξίαν, & ei temperantiæ congruentem, atque à voluptatibus etiam licitis rigidæ abstinentiæ, quam tui æquales in te quondam adolescente, mox viro, cum immortali tua laude, uno semper ore deprædicarunt. Qua ex re illud consecutus es, ut nunc senex, senectutis incommoda, vulgò aliis Ætnâ graviora, vix ac ne vix quidem sentias. Equidem non sine stupore magno nuper narrantem audire memini virum nobilissimum & amplissimum, Paulum Choartum Buzenvallium, Regis Christianissimi Legatum, quæ tua esset hodieque in studiis contentio; quæ diurni laboris & nocturnarum vigiliarum patientia; quas perferres ærumnas tot codicibus Autorum nondum editorum, Græcis, Hebraicis, Arabicis, maximè autem Syriacis describendis, quibus tuam Bibliothecam, jam instructissimam, facis in dies auctiorem: easdem enim te, etiam in hac ætate mala, corporis vires retinere, quibus in florentissima pollebas. De acerrimi verò ingenii vigore igneo, de subtilitate mentis, de memoria pariter nunc atque olim fideli, & ad omnia respondente, ne aliorum fide standum nobis esset, abundè cavisti, edito nuper EUSEBIO & EUSEBIANIS tuis, opere, Deum immortalem! quàm vario, quantæ, quàm profundæ, & uni tibi notæ eruditionis pleno, atque ut paucis absolvam, quàm te digno! hoc est, eo viro, cui an ullum prius seculum parem aliquando viderit, linguarum, Antiquitatis & scientiarum notitiâ, haut promptum dicere. Sed de Herculeo hoc labore tuo ita Sapientes judicant; quum sint omnia in eo admiratione dignissima; acumen inventionum, lectio infinita, tot supputationum labor improbus, stili splendor ac γλαφυρότης incredibilis, & illa naturalis orationis tuæ gravitas: nihil tamen magis esse stupendum, quàm quòd senex illa scripseris, in quibus præter judicii maturitatem, nullum prorsus ætatis senilis vestigium queat deprehendi. Mirati eramus paullo antè, & meritissimè quidem, viri præstantissimi, longèque doctissimi, Arnaldi Pontaci, Episcopi Vasatensis, fidem, industriam, & in affecta pariter ætate diligentiam prope sine exemplo, in tot conferendis antiquis membranis, ex quibus pulcherrimam illam suam ejusdem Eusebii editionem concinnavit; quæ prius ab ipso suscepta, quàm de tuo consilio quicquam rescisset, [ut sæpius ipsum mihi literis significasse, teneo:] eodem ferè tempore edi cœpta est, cùm tua. Sed Præsulis amplissimi immaturus obitus, & tibi fructum vel jucundissimum amicitiæ, quâ eratis invicem juncti, & ipsi gaudium ademit, quo nunc fungeretur inæstimabili, cùm videret opus à se feliciter inchoatum, felicissimè à te esse consummatum. Constat mihi, ipsum, si jam viveret, quâ eruditione fuit, quo erga te affectu, & candore in æstimandis tuis virtutibus, non minus acrem operis tui adversus invidos & obtrectatores vindicem futurum, quàm assiduum tuarum laudum apud bonos præconem. Nunc igitur, nobilissime Scaliger, postquam, Dei virtute, provinciâ tam durâ & arduâ es defunctus; quid jam pares, quid moliaris, quæ te curæ exerceant, non ego cupidius scire aveo, quàm omnes faciunt viri graves & sapientes, qui in hac civitate, bonarum artium & disciplinarum matre, istius vitæ amara studiis literarum solent καταμελιτοῦν, & ut veteris Poëtæ vocem usurpem, *edulcare*. Ac quoniam satis ostendisti multis indiciis, quàm tibi ac- 1607.

1607. acceptus charusque sit cognominis tibi Scriptor Josephus; ne dubitant quidem plerique jam, quin eximii Autoris, quem fœdissimis ante mille ducentos annos mendis esse deformatum, neque Rufino, veteri Interpreti, neque ulli recentiorum suboluit, tu sæpe demonstrasti; emendationem atque illustrationem & tu debeas suscipere, & nos exigere à te possimus. Sunt alii viri optimi, & cognoscendarum Antiquitatum Ecclesiæ veteris cupiditate accensi, qui ad Epiphanium te potius vocent; cujus maximi & doctissimi Patris scripta verissimo elogio à te ornata meminerunt; cùm πάσης τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀρχαιολογίας ταμιεῖον illa dixisti. Porrò quàm familiarem illum Patrem habeas, quàm multa in eo desperantia ulcera sanaveris, quàm modico labore nitori suo pristino eum queas restituere; etiamsi aliundè nesciremus, neque à multis tuorum studiorum consciis accepissemus, Elenchus & Eusebiana tua argumento esse poterant. Animadversiones tuas in Septuaginta Interpretes, quarum in Eusebianis facis mentionem, & alias librorum θεοπνεύστων versiones, præsertim recentes, incredibilem in modum videre gestiunt, quicunque illud seriò imbiberunt; cognitionem linguarum, & reliquas artes universas ac scientias illi Reginæ & Dominæ ancillari, quæ verè est apex & θριγγὸς disciplinarum. Age igitur, Vir summe, capesse hanc provinciam, verè tuam; cujus enim potius? quum certissimum sit, à magno Hieronymo, incomparabili, ut rectè tu quoque judicas, viro, neminem unum ad id negotium se accinxisse, iis præsidiis, quibus ipse abundas, æquè instructum. Noli ergo, obsecro te, venerande Senex, adeò bonam occasionem prætermittere, de studiosis literarum simul egregiè merendi, & æquissimis eorum postulatis satisfaciendi, qui inusitatam hanc eruditionem non alio fine ab ingeniorum Parente in te collatam esse contendunt, nisi ut tuæ industriæ fructus, velut προσφορὰν καὶ θυσίαν εἰς ὀσμὴν εὐωδίας Christo & Sanctæ ejus Ecclesiæ, pro ea, quæ in te est, pietate, animo devoto conferres. Arabicæ verò linguæ Thesaurum, cui solus dudum incubas, quamdiu studiosis Arabismi invidebis? Ecquid metuis, ne coitionem adversus te faciant ejus studii candidati, & in tuas fortunas aliquando irrumpant? Decem anni sunt, ex quo supra triginta millia dictionum Arabicarum ex Paraphrasibus variis Fœderis utriusque, Alcorano, Avisena, Geographo, aliis innumeris Philosophiæ, Medicinæ, Mathematum & Historiarum Scriptoribus, primus Christianorum congessisti, digessisti, exposuisti:

Cur tua tam laxas arca flagellat opes?

Aut quò tuus hic labor ὑπερφυὴς, si ejus fructum τοῖς φιλαράβοις eras invisurus? Scio quid dicas, & quâ exceptione meas aliorumque preces soleas summovere, Exspectandum nempe esse, donec illis locis, ubi cum æterna gloria maximorum Principum literæ Arabicæ excoli sunt cœptæ, aliquid prodeat, quo uberiora & unctiora fieri tua queant. Benè sanè; sperandum enim est, magnam ei studio lucem inde aliquando affulsuram: idque ut quàm primùm eveniat, diu est cùm vehementissimè exopto. Sed ut ipse aliorum τριβὴν εὔλογον magni facis, ita μεθοδικὴν ἐμπειρίαν tuam, quanti par est, æstimant, quicunque aliquam in ea lingua operam posuerunt; quo in albo principem apud nos locum obtinet Stephanus Hubertus *, Aurelianensis, Regis Medicus, vir doctissimus, & qui tuas hoc genus vigilias juxta mecum sitit: quum præsertim Syllogen quandam vocabulorum Arabicorum Latinè versorum, & quorundam libellorum interpretationem iisdem ex locis allatas eximius Mathematicus, & linguarum etiam exoticarum apprimè peritus, David Rivaltius † à Florentia, nobiscum communicaverit; quas experti sumus esse ejusmodi, ut si tua haberemus, facilè illis carere possemus. Quod si de publicatione tui Thesauri stat sententia nolle flecti, dares hoc saltem petitionibus nostris, ut qui Caroli Clusii, Viri clarissimi, gratiâ tam multa è Geographo Arabe Latina fecisti; nostrâ quod reliquum est, absolveres, & in commune bonum edi patereris totum, qui partem es passus. At tui parentis Commentarios in libros Philosophi, *De Historia Animalium*, quando luce publicâ donatos videbimus? aut quamdiu operis divini desiderio sapientiæ studiosis erit languendum? En unquam ille dies illucescet, qui nos voti hujus damnabit? ἔξεχε, ἔξεχ', ὦ φίλ' ἥλιε. Per ego te paterni nominis reverentiam convenio, atque obtestor, nobilissime Scaliger, per amorem tuum in literas, per quicquid denique tibi charum est, ut inæstimabilem thesaurum, non librum, Heroïs θεοεικέλου, primo quoque die in vulgus edas; & hoc munere optatissimo, quod jam manu Francisci Douzæ, nobilissimi adolescentis, descriptum, & editioni paratum, te habere scimus, τοὺς ἁπανταχοῦ τῆς γνησίας παιδείας ἐραστὰς tibi devincias. Verùm enimverò,

* Vide Colomesii Galliam Orientalem, pag. 146.

† Colomes. Gall. Orient. pag. 110.

1607. verò, quum ea hactenus memoraverim, in quibus ferias tuas horas occupari optant, qui de literis optimè judicant; accipe nunc, mi Scaliger, gravem eorundem querimoniam, ut equidem arbitror, justissimam. Quum enim animus inquies tuus etiam ubi videtur cessare, opere pascatur, & oblectamenta tua sint opera; quid caussæ esse dices, cur περιέργοις tuis, quæ plerorumque ἔργοις sunt potiora, frui nobis per te non liceat? Scimus, Atticas Leges in unum corpus animi caussâ jam olim esse à te digestas. *De Re nummaria Veterum* Diatribam accuratissimam in scriniis tuis exstare, à multis didicimus, qui viderant. Libellum tuum super Plinii loco, ubi de papyro tractat, pauci è curiosis heic sunt, qui non legerint, aut non habeant. Dissertationem tuam *de Judæorum Decimis*, & tota illa antiquitate, ipsi dudum nacti sumus, & in cimeliis nostris, ut & alia non pauca, quæ rogatu amicorum scripsisti, servamus. *Proverbiorum Arabicorum libellum* elegantissimum postquam à me accepisses, versionis tuæ & Notarum ἀντίδωρον tertio vel quarto pòst die remisisti: quorum tamen publicandi potestatem ut mihi concederes, frustra adhuc te rogavi. Carmina verò, sive Græca, sive Latina, quis vel ex istis μουσοπατάκτοις, hoc unum agentibus, plura te scripsit? aut quis, etiam Antiquorum, meliora te unquam fecit? Sed nullum tam bonum carmen Camœnæ & Apollo semper tuus tibi dictarunt, quod non statim, ut natum erat, pater ἄστοργος καὶ ἄπηκτος exponeres, pro derelicto habendum, & velut è censu rerum tuarum expungendum. Quantâ felicitate Græcorum Poëtarum monumenta in Latinum vertere soleas, si quando interjungere juvat; per Ajacem Lorarium tuam è Sophocle expressam, Lycophroneæ Cassandræ nunquam satis laudatam interpretationem, cujus editionem non tibi, sed Gulielmo Cantero, viro eruditissimo, debemus; ne osoribus quidem elegantiarum pariter & nominis tui, licet ignorare. Melius tamen hoc ipsum sciremus, & fructum è tuis uberiorem caperemus, si Æschyli Diras, Orphei Initia, & id genus alia in manus hominum dedisses; propter quæ jam olim Florens Christianus, vir Græcè & Latinè sine controversia facundissimus, & rectissimi judicii, publicè profiteri non dubitavit, in hoc exercitationis genere ita feliciter te versari, ut tua legentibus illud esset usurpandum, οἷος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι. At Romana quàm benè Græcè exprimas, vix sciremus, nisi Puteani fratres, Claudii τοῦ μακαρίτου filii, morale Poëma Dionysii Catonis, & Publii Syri aureas Sententias, dudum à te munere acceptas, anno superiore publicassent. Quâ editione, ut magna accessio gloriæ tuæ facta non sit, quæ graviorum lucubrationum vario & multiplici genere fulta, inde spernit crescere, unde plerique hodie castellanos nescio quos triumphos ducunt; ita profectò cumulus quidam prioribus tuis in Rempublicam literariam meritis est adjectus. Sic enim omnes harum rerum periti æstimatores sentiunt, duo ea opella simul te præstitisse, ad studiorum profectum longè utilissima. Nam & quàm arduum, paucorumque hominum esset, Græcè loqui castigatè, καὶ τὸ γνησίως ἑλληνίζειν, præclarè omnes admonuisti, cùm Planudem & Gazam, Græcos homines, neotericorum, de quo dubitat nemo, doctissimos, tam multa contra Hellenismi leges peccare ostendisti, & rectæ interpretationis absolutissimum exemplar dedisti; futurum posthàc omnibus cordatis, qui hoc pulcherrimo atque utilissimo exercitationis genere uti vellent, quod Polycleti Doryphorum sibi Lysippus ajebat fuisse. Nolo apud te dicere, quo favore, quibus εὐφημίαις tuus ille libellus heic fuerit exceptus, ab iis maximè, qui in orchestra sedent. A cujus lectione ubi me primùm vidit Fronto Ducæus, Theologus, doctrinâ & candore morum vir insignis, non abstinuit, quin eleganter simul & verè exclamaret: Οὐκ ἔστιν ὁ ποιήσας Αἰγιναῖος, ἀλλ' αὐτόχρημα Ἀθηναῖος. Fridericus verò Morellus, qui Græcarum literarum professione regiâ tot jam annos hanc Academiam ornat; aliique item multi, summâ & ipsi eruditione viri, Græca tua quantoperè admirentur, & verbis sæpè, & re etiam probarunt; cùm Florilegium hoc tuum è Martiali, fortè apud me visum, ut eliminarem, quotidianis propè conviciis me perpulerunt. Quartus enim jam annus, ut scis, agitur, postquam munere hoc pulcherrimo, & quo ne Athenæ quidem ipsæ magis Atticæ, à te, Scaliger illustrissime, sum donatus; cujus publicandi provinciam nisi jam tum eruditissimus Scriverius suscepisset, non horam prius quiessem, quàm rem confectam dedissem. Neque verò ut id negotium curarem, aliorum hortatu mihi opus fuisset. Audiat namque invidia licet; dicam liberè, quod judico, imò quod judicare omnes bonos doctosque, compertum habeo. Ut gravioribus literis melius consuli non potest, quàm si earum studiosi omnibus 1607.

1607. bus illis fruantur, quæ vel tu, vel tuus parens in eo genere multifariam commentati eſtis; ſic linguarum & politioris literaturæ ſtudia nullum incrementum capere queant majus, quàm ſi illis deditos nihil eorum fugerit, quæ utrique veſtrûm, non ſeriis dierum partibus, ſed inter remiſſiones exciderunt. Planè, quod de Catone olim dictum, Verſatile ingenium ſic illi pariter ad omnia fuiſſe, ut natum ad id unum diceres, quodcunque ageret; id veriſſimum in te reperiri, non ſeria magis tua, quàm luſus evincunt. Vel hic Martialis tuus, quam admirabilem ingenii tui felicitatem oſtendit? Nam quum difficile ſemper ſit, quæ in aliqua lingua venuſtè dicuntur, pari venuſtate in aliam vertere; tum in argutiſſimo hoc Poëta longè difficillimum; tu tamen lectiſſimis verbis, & dictione puriſſimâ, abſque ullo penitùs ſententiæ damno id aſſecutus es, ut ipſum, quem ſequeris, Autorem eruditâ quâdam elegantiâ antecedere videaris. Nihil in tua verſione coacti; nihil quod ex alio verſum putes; nihil in quo vernaculus ille ſapor Græcæ Poëſeos non ſtatim peritis deprehendatur: adeò emicat ubique incorrupta quædam Græci ſermonis integritas. Quid dicam de perſpicuitate orationis? quæ quidem tanta eſt, ut multis in locis, de quibus inter ſe Critici digladiantur, pro commentario tua verſio & mediocriter eruditis ſit futura. Hujuſmodi ſunt tui luſus, præſtantiſſime Scaliger; quos poſtquam aliud agens effudiſti, ut pro tuis agnoſcas, aut velis ipſe publicare, nullis amicorum precibus adduci potes. Sed nihil agis. Ut vinum generoſum, etiam nullâ appenſâ hederâ, facilè emptorem invenit; & bona forma neque commendatitiis, neque conciliatore opus habet: ita, quicquid erit ab ingenio tuo profectum, licet à te exponatur, inveniet tamen, à quo tollatur. Equidem quoties ferè ad Danielem Heinſium, admirandæ doctrinæ, & ingenii maximi virum, ſcribo, monere, orareque non prætermitto, ut pro ſumma illa gratia, quâ apud te valet, omnibus πειθοῦς artibus te aggrediatur; duritiem tuam in proprios fœtus molliat; efficiat demum, ἢ δόλῳ, ἢ βίηφι, quo deſcripta ex autographis tuis hoc genus opuſcula, vel ut ipſe mavis, ludicra tua, foras emittantur. Etſi enim non metuo, ut tuis deſit vindex, qui liberali cauſſâ ea aſſerat; non tamen deeſt, quod illis & ab amicis, & ab inimicis tuis metuam; illis, ne, ſicut toties jam accidit, parum emendatè ipſa edant; his, ne ſi quid tuorum ἀνεκδότων nacti fuerint, vel alienas culpas crimina tua faciant; vel turpi plagio pro ſuis tua oſtentent. Viden' quàm multi quotidie illiberalis ingenii homines ſubtiliſſima tua inventa certatim ſibi vindicant; & iis, quæ non capiunt, tanquam domi natis, utuntur pro ſuis, etiam cùm adverſus te ſcribunt? Scias eandem manere fortunam etiam illa ſcripta, quæ ipſe pro nihilo ducis. Illi ipſi Ariſtarchi, qui nuper, ut audio, ſedere judices de tua Latinitate ſunt auſi, & tanquam emotâ mente Critici, ut quidque exierat exquiſitius, ὀβελίζειν· ſi vel Epiſtolam aliquam è tuis, vel elegiam, vel aliud carmen ſublegere potuerint, quod pro ſuo venditent, quàm ſuperbè, quàm impotenter, ut eſt miſerorum ambitio, ſe jactabunt? Nam quod tibi obtrectant, tibi inclementer dicunt, tibi probra ingerunt, quibus ſunt ipſi digniſſimi, non eſt is contemptus, à quo inſignis virtus ſemper eſt tuta; ſed livor, & alienorum proceſſuum averſatio, ex ſuorum deſperatione nata. Ut ſol vi eâdem alia indurat, alia liquefacit; & unde ſalutem boni petunt, mali perniciem ſibi acceerſunt; ſic præſtans virtus, velut ex alto inter mortales refulgens, in aliorum animis admirationem & amorem incredibilem, ut ajebat Plato, ſolet excitare; alios odio honeſti inflammatos, in furorem agit, & quum oculos deflectere à laudatiſſimis quibuſque viris non queant; miſeri pœnæ incubant ſuæ, dum tædet ſui pigetque. Veriſſimè enim Satyricus Philoſophus * dicebat, nullum eſſe dirius tormentum, quàm ſi qui 1607.

Virtutem videant, intabeſcantque relictâ.

Vis ſcire, quàm te non contemnant, qui maximè videri volunt facere? Poſtquam infra Vatinium te dejecerunt, è veſtigio id à te exigunt, quod unius Dei eſt præſtare, ut nihil pecces: & quum maximi quique tuarum lucubrationum admiratores nihil amplius tibi tribuant, quàm quod ingenioſiſſimo quidem, ſed tamen homini, conveniat; iſti adeò magnificè de te ſentiunt, ut ſicut Alexander Severus, optimus Imperator, gloriabatur, Imperium ſuum fuiſſe ἀναίμακτον· ita ingenium tuum poſtulent eſſe ἀναμάρτητον· tanta illius admiratio eos inceſſit. Eſt ſuperis gratia, quòd non id tibi ingenium dederunt, ut Plinii Secundi † vox de quodam ſuo amico in te locum habeat: *eò peccare ipſum, quia nihil peccaret.* Communis & penè plebejæ indolis eſt τὸ ἀδιάπτωτον εἶναι· quod de Apollonio Rhodio

* Perſius Satyr. III. verſ. 38.

† Lib. IX. Epiſt. 26.

1607. Rhodio Critici pronuntiarunt, quum denotare vellent, plus studii & curæ in eo fuisse, quàm ingenii. Igitur, magis vitiis carere, quàm ut aliquam magnam laudem esset adeptus. Tenue sanè præmium assiduarum vigiliarum; sed quod, si assequantur modici ingenii homines, benè secum actum putent. Mentis altæ, & naturæ inusitatæ, cujusmodi nascuntur paucissimæ, alia ratio est. Sublimia quippe ingenia, dum priorum inventis multa superstruunt, multa subinde nova, prius inaudita, eaque longè præstantissima in medium proferunt, humanitùs interdum & falluntur. Quid mirum? aut quis ita væcors, ut ignoret, Dei unius esse in nullo errare? μόνος γὰρ, κατὰ Σιμωνίδην, τοῦτό γε ὁ ΘΕΟ'Σ ἔχοι τὸ γέρας, τὸ τῆς ἀναμαρτησίας. Quis facundior unquam fuit illo viro divino, cui aureum eloquentiæ flumen nomen dedit? Quis eo vehementior, aut sublimior, & magnificentior fuit Orator? Et tamen fuere tam fatui, quibus Chrysostomus, propter nescio quæ levia, parum dicendi peritus videretur: & τὸ δωδεκάκρουνον ἐκείνου στόμα, τὸ οὐδέποτε κατὰ στράγγα ῥεῦσαν, homilià integrà reprehensoribus respondere fuit coactum. Nesciebant enim obtrectatores tanti viri, naturæ legem esse, ut maxima quæque ingenia veniâ interdum opus habeant, propter illa, quæ dubitant sapientissimi Criticorum, utrum ἁμαρτήματα ἑκούσια appellent, an παροράματα δι' ἀμέλειαν, εἰκῆ που καὶ ὡς ἔτυχεν ὑπὸ μεγαλοφυΐας ἀνεπιστάτως παρενηνεγμένα. Quid? quòd etiam in me stomachum erumpunt, qui tibi sunt irati? Nempe inde est, quòd non temerè ex istorum officina liber ullus ab aliquot jam annis prodire solet, ubi postquam adversus genus & nomen illustre Scaligerorum caninâ eloquentiâ declamatum est, totum quod superest virus, in me postremò non effundatur. Quæreres ab iis, Quid Casaubonus commeruit, cur eum ne mediocritas quidem ingenii sui ab invidia præstare queat immunem? Non aliud responderent, si modò semel in vita verum dicere vellent, præter hoc unum: Scaligeros colo; eorum stupendam doctrinam suspicio; vestigia, longo quidem intervallo & reptabundus, sed tamen sequor. Ita quum sit crimen tuum, ac tui parentis, virtutis possessio, & literarum scientia; meum erit, virtutis veneratio, & literarum amor. Adeò verum est, quod nobilissimus Annalium Conditor, Polybius, præclarè disputat: Ita naturâ comparatum esse, ut non solùm corpora hominum aliquando efferentur, & omnem humanæ speciei similitudinem amittant; sed multò magis hoc ipsum animis interdum usuveniat: ταῖς γὰρ ψυχαῖς, inquit, τοιαῦται πολλάκις ἐπιφύονται μελανίαι καὶ σηπεδόνες, ὥστε μηδὲν ἀσεβέστερον ἀνθρώπου, μηδὲν ὠμότερον ἀποτελεῖσθαι τῶν ζώων. Omnino θηριωδίας hujus & efferati animi certissimum argumentum præbent, qui nullâ re unquam lacessiti, propter animi dotes, quas tu obtines, ego in te veneror, adversus utrumque nostrûm in modum arenariarum ferarum ad ultimam rabiem sæviunt; qui literas, fundamenta virtutum omnium, modestiæ, mansuetudinis & comitatis magistras, inauditi furoris instrumenta faciunt; qui denique scelestissimæ immanitati caussam Religionem prætexunt; & libidinem maledicendi, omnia væsaniæ exempla supergressam, zelum Christianæ pietatis, proh scelus! nominare sustinent. Ego verò persuasissimum habeo, istos, si mentis essent suæ, & nisi pœnas Deo immortali, quæ sunt gravissimæ, furore atque amentiâ penderent, nunquam profectò talia ausuros. At nos, mi Scaliger, horum ægrorum rabiem humaniter feramus; & phreneticorum insaniam, quia videntur nescire quid faciant, veratro curandam, non responso ullo irritandam statuamus. Ego certè majorem bonorum, & totius posteritatis reverentiam habere me ostendam, quàm ut infami id genus scriptione nomen meum apud præsens, aut futurum sæculum velim traducere. Et quum indubitata res sit, publicorum malorum caussas in privatorum delictis esse inclusas; non committam, ut perditorum colluviem imitando, morbum hunc ingeniorum alere exemplo meo videar maluisse, quàm verè piorum & εἰρηνοποιῶν acquiescere judiciis, quos talia monstra cum suis latratibus scimus abominari. Πρὸς ταῦτα καὶ παλαμάσθων, καὶ πικταινέσθων πᾶν ὁτιοῦν isti Cleones, alieni nominis obtrectatores, sui decoctores. Mentiantur quæ volent; fingant Epistolas, quas pro meis publicent; evomant in me, quicquid alicui pannuciæ Baucidi, aut rixanti meretriculæ ira, vel capturæ cupiditas potest suggerere; ego animo tranquillissimo istos floccifaciam, & à nebulonum oris impuri contumeliis, non aliter quàm generoso contemptu, atque eâ, quam Christus Dominus à suis exigit, animi magnitudine me vindicabo. Denique, non si omnia fecerint, assequentur tamen, ut scelestissima sua scripta, lectione, nedum responsione digner. Hoc pietas jubet; hoc ego semel κέκρικα· idque jam nunc apud te, Scaliger illustrissime, subsigno, ut 1607.

1607. si me aliquando parum mihi constare contigerit, in jus ad hanc Epistolam voces, & quiescere jubeas. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, a. d. VIII. *Kalend. Sextilis*, CIↃ IↃ CVII.

EPISTOLA DLXI.

EIDEM.

1607. CONstitueram nihil ad te literarum prius dare, quàm possem libellum tuum *, qui hic est editus, mittere. Sed tam bonam occasionem prætermittere nolui, quin hoc saltem significarem, valere me, & tuas, ut semper, vehementer expetere. Habeo, quas petis, Frontonis Notas. Habeo item alia, quæ in unum fasciculum conjiciam, & mittam ad te, ubi primùm nactus fuero, cui tuto dem. Videbis Præfationem benè longam, quæ istos latratores tui illustrissimi nominis malè uret: non quia te digna est; πόθεν γάρ· sed quia ex ea cognoscent, quâ veneratione omnes boni tuum heic nomen colant. Panegyricum τοῦ θαυμασίου Heinsii † aliquot ex istis sceleratis ad restim esse redacturum spero; & jam miseret me illorum. Eram apud Legatum Anglicum, quando oblata mihi est hæc scribendi facultas. Ille oravit me, ut tibi significarem, petere hoc à te eruditos & bonos viros ex ea gente, ne de se judicium faceres ex captu τοῦ πλαυτάτου N. cujus temeritatem omnes abominantur cordati Angli. Postremò petit vir amplissimus, & sapientiâ, & eruditione, atque pietate præstantissimus, ut se in tuorum numerum referas. Gratum mihi erit, si hoc tibi officium virtuti tuæ debitum non accidisse injucundum, ex tuis intellexero. Scripsi hæc raptim, & plura eis dies paucos, σὺν Θεῷ, scripturus. Deus te servet, Vir illustrissime, & clarissimos, Baudium, atque Heinsium. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, a. d. III. *Non. August.* CIↃ IↃ CVII.

* *Martialem Græcum.*

† *Vide supra, Epist.* DLIX.

EPISTOLA DLXII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEIMIO.

1607. NOn dubito, nobilissime Lingelsheimi, quin Dionysius Gothofredus, vir optimus, & omni laude dignissimus, postquam istthuc à nobis est reversus, eos sermones tibi ex parte retulerit, quos de te & multos, & crebros, dum heic versatus est, habuimus. Nam & ille libentissimè faciebat, ut tuas laudes, & amorem in me commemoraret; & ego non minus libenter, 1607. quâ te observantiâ colerem, quoties erat occasio, significabam. Ex eodem etiam, opinor, didicisti, hæc præsens ἠρεμία, quâ aliquot jam annos, Dei beneficio, heic fruimur, quàm sit ὕπουλος, & omnibus suspecta, qui ἐκ τῶν γενομένων τεκμαιρόμενοι τὰ μέλλοντα sciunt ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω ὁρᾶν. Nuper adeò cùm titubasset optimi Principis valetudo, in magno metu boni omnes fuerunt. Ego verò γῆν πρὸ γῆς cogitare jam incipiebam; sed affuit mox Deus, & salutem illi attulit, in cujus unius salute nostra omnium vertitur. Spero equidem adeò funestum Galliæ diem nunquam me visurum; veruntamen, si (ὃ μὴ γένοιτο οὐδ' ἔσται) secus evenerit, jam penè constitutum habeo ad vos, si modò possum, confugere, & meo ac meorum periculo prævertere. Sed ἀπευκτὰ mitto. Accipe vero, præstantissime Lingelsheimi, pusillum oppidò libellum, sed elegantiarum ingens ταμεῖον. Polybium non tam citò missurus sum, quàm vellem, & tu fortasse non nolles; non cessant tamen operæ: ego vero etiam sudo, qui describo ipse omnia propriâ manu, & omnia, quæ eduntur, folia corrigo. Quid prodest? postquam liber fuerit editus, reperientur harpyæ genus Stygium, qui peccata mea annotent, & nihil vidisse contendant. Utinam paucis eruditis candorem meum & φιλομαθείαν probem: hoc si assequor, satis est. Te certè cum paucis aliis, nobilissime Lingelsheimi, mea & σφάλματα, & κατορθώματα benignè esse interpretaturum, non dubito. Deus Opt. Max. det illum diem videre, cùm tu pro consummata editione totius operis mihi gratulaberis; idemque te servet, & omni bonorum genere cumulet. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, a. d. X. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVII.

EPISTOLA DLXIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

TAndem, illustrissime Scaliger, mitto tibi exemplum unum libri tui, 1607 hic apud nos editi; in quo si quid erit, quod non displiceat, gratias agam superis: nihil enim potest mihi accidere gratius, quàm si ulla in re voluntati tuæ morem geram. Usus sum libertate, quam mihi dedisti, ut tuam purpuram meo panno prætexerem. Initio fuerat consilium, de recta interpretatione disserere, & caussas exponere, cur tua tantoperè mirer. Sed ubi calamo admovi manum, Libellus pro Epistola est natus; qui in Prolegomenis Polybianis melius,

1607. melius, nisi fallor, locum habebit: ibi tum denuò orsus novum argumentum, ea scripsi, quæ videbantur loco & tempori convenire. Poteram de tuis laudibus uberius dicere: sed caussas habui graves, cur intra modum orationem cohiberem. Erit, spero, alius locus & occasio alia idem argumentum μεγαλοφωνότερον tractandi: etsi post Heinsium tuum * quid possumus nos? Ignosce igitur, si majora viribus ausi sumus tentare; ac tibi persuade, multa nos, vel potius plurima prætermisisse, non quia illa nos fugerent; sed propter alias caussas, quibus commemorandis impræsentiarum supersedebo. Vale, δῖε γέρον. Mittam primâ occasione plura exemplaria, Deo volente, qui te servet. Iterum vale. *Lutetiæ Parisiorum, prid. Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVII. raptim inter negotia ψαμμακοσιογάργαρα, & Polybianas curas.

* Id est, Heinsii Panegyricum.

EPISTOLA DLXIV.

CLAUDIO SALMASIO.

1607. Ex iis, quas ad me isthinc dedit clarissimus Gothofredus, de tua prospera valetudine cognovi. Opto fruaris illâ perfectè bonâ, ut ea, quæ moliris in literis, possis perficere. Stephano tuo quid factum sit, discupio scire; nam is liber nobis nunc cùm maximè esset usui: multa enim, ut scis, Polybiana ille Auctor attingit; in quibus si quid à te fuerimus adjuti, antiquâ fide profitebimur, per quem profecerimus. Est sanè is liber admodum depravatus; ut non mediocris laus cum videatur secutura, qui meliorem saltem publicaverit, quàm priores διορθωταὶ fecerunt. Hoc ego à te spero, & certò scio, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, ita fore. Sed amabò, si quid γεωγραφικὸν, aut affinis argumenti inveneris nondum publicatum, id omne studiosis communica. Non semper Heidelbergæ futurus es, neque semper integrum tibi erit, hæc studia tractare. Fac exstet luculentum aliquod tuæ adolescentiæ monumentum. Quod tamen non eò dico, ut tuam in studiis diligentiam intendam; moneo potius, & oro, atque obsecro, ut corpusculum hoc respicias, & ejus præcipuam semper rationem habeas. Tantum illud opto, ut & quàm primùm editionem matures, & ut nihil eorum omittas, quæ videntur nostris studiis posse conducere. Polybius neque dormit, neque currit; sed βάδην procedit. Mitto tibi librum elegantissimum, & te dignum, qui nuper heic editus. Accipies eum à Drovardo, cui tuas dabis, si quid ad me 1607. ex ipsis nundinis es scripturus. Vale, clarissime Vir, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVII.

EPISTOLA DLXV.

CONRADO RITTERSHUSIO.

Non distulissem ad hanc diem tuis 1607. respondere, clarissime Rittershusi, si esset hìc inventus, qui eruditissimos tuos libellos vellet edere, de quibus nuper scripsisti. Equidem simul tuorum capitum indicem à te missum legi, cupiditate exarsi operis ipsius videndi. Sed nostrates Typographos id ferè unum ab illius editione suscipienda avertit, quod vel maximè, si saperent, debuit allicere: *Sacras* enim tuas *Lectiones* nuncupas; qui titulus in homine tui meique simili statim suspectus. Quid faceres? Iis moribus hic vivimus, & hæc fatua sententia multorum animos insidet, de rebus sacris nemini hiscere licere, nisi τοῖς παππομανοῦσιν, aut etiam τοῖς ἀπὸ τοῦ Λωϊόλα. Nam hic est ἀκριβέστατος hodie τῆς ὀρθοδοξίας κανών. Quod si eadem scribens, titulo illo formidoloso abstinuisses, fortasse nihil fuisset, quod editioni impedimentum afferret. Hoc igitur videbis. Ego certè quibus potero cumque rebus, enitar ea præstare, quæ tibi fore grata cognovero. Mitto tibi libellum, hic editum †, à magno Scaligero scriptum; eò magis confido fore illum tibi gratum. Quia autem ejus muneris editores nos eramus, placuit eâ occasione uti, ut semel de sceleratis calumniatoribus nostris aliquid dicerem. Polybius strenuè hìc editur, Dei beneficio; qui si dederit, instituti operis finem videre, spero fore, ut & bestiarius Scribanius, & Apostata Scioppius non minorem ex ea editione molestiam capiant, quàm boni lætabuntur, nobilissimum Scriptorem velut ex orco παλίνορσον aliquâ saltem sui parte vitæ esse restitutum. Sed hoc Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται· est enim opus magnum. Vale, Vir clarissime. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVII.

† Martialem Græcum Scaligeri. Colomes.

EPISTOLA DLXVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

Illustrissime Vir, tertium ‡ hoc ha- 1607. bes libri tui heic nuper editi exemplar: quia enim non est ad manum, qui plura simul deferat, cogimur ca-

‡ vide Scaligeri Epist. 134.

1607. ptare occasiones singula mittendi. Utinam alia, quæ heic ederentur, velles mittere. Daremus operam, ut posteriora cum prioribus elegantiâ certarent. Si possem à te librum *de Re nummaria* extorquere, equidem rex mihi viderer. Sed de hoc plura brevi, σὺν Θεῷ. Amicissimo Heinsio ex animo salutem. Deus te & illum servet. Scripsi raptim, oblatâ præter spem occasione. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IV. *Non. Septemb.* CIƆ IƆ CVII.

Misissem ad amplissimum Buzenvallium & literas, & librum tuum, nisi intellexissem, ipsum in itinere esse, & cis dies paucos hic futurum: sic enim ex ejus literis amici affirmant. Francofurdo ut plura ad te exemplaria curentur, efficiam. Iterum vale, meum decus.

EPISTOLA DLXVII.

DAVIDI HOESCHELIO.

1607. MItto tibi, Vir optime & doctissime, libellum heic nuper editum, cujus parens quidem ὁ μέγας Scaliger; editor verò & οἱονεὶ μαῖά τις, ego. Poteram ante multos annos idem facere, sed dum aliqua fuit spes, hoc officio alium esse functurum, abstinui. Nunc, cùm alii cessant, & isti canes ob Scaligeri amorem in me furore perciti, allatrare meum nomen non desinunt; id libenter egi, ut & ipsi, & omnes scirent, quanta mea esset summi illius viri veneratio. Cupio scire, an Græcam Inscriptionem, heic editam nuper, acceperis, & de illa quid tibi videatur. Ego didici, te quoque in eadem palæstra sudasse, & interpretationem scripsisse; quam, si me amas, fac videam. Polybius noster strenuè procedit, ut rarò dies prætereat, quin folium integrum absolvatur. Ego, qui omnia manu meâ describo, omnia folia corrigo, quàm sim occupatus, facilè intelligis. Sed bene mecum agitur, cùm horas matutinas habeo liberas ad illud pensum: nam reliquus dies variè mihi ferè inter amicos perit. Opus futurum est foliorum amplius trecentorum & quinquaginta. Adde huc ferias & legitimas, & quas sibi largiuntur istæ operæ. Ex his colligere potes, quàm procul à fine absim; quem Deus det videre. Idem te servet, optime, amicissime, doctissime Hœscheli. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IV. *Nonas Septemb.* CIƆ IƆ CVII.

Gaudeo operam à te positam, ut liber Epithetorum correctior & melior prodiret. Pergè porro de literis Græcis, quæ tantùm jam tibi debent, 1607. mereri. Quid porro pares, scire cupio.

EPISTOLA DLXVIII.

CAROLO LABBÆO.

TAndem ab amico magno nostro * 1607. literæ advenerunt. En quas tibi scripsit. Epistola, quâ me beavit divinus senex, eò gratior mihi fuit, quò longior. Apparet, gravissimum concepisse ipsum mœrorem ex obitu τοῦ μακαρίτου Buzenvallii †. Næ funestus hic annus est clade summorum virorum! Nam de Abbate Vulcopio, & D. Mossæo non ignoras. Obiit & Merula apud Batavos, vir & doctus & probus. Utinam tantis viris suppares sint, qui in vacuas illorum sedes succedent. Polybius noster nec dormit, neque currit. Opus erit longum, ut jam me hujus molestiæ capiat tædium. Cui enim laboramus, aut quotus erit quisque è Lectoribus, qui conatus meos æqui boni interpretetur? Olim dixit Cicero ‡: *stultorum plena sunt omnia:* hodie ego non minus verè: κακίας, κακοηθείας, κακεντρεχείας, καὶ κακογνωμοσύνης πάντα γέμει· paucos excipio, verè eruditos & viros bonos, hoc est, tui & amplissimi tui parentis similes. Deum veneror, vos servet, & optimum fratrem vobiscum. Vale, & redi. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VII. *Kalend. Octob.* CIƆ IƆ CVII.

* *Josepho Scaligero.*

† *De ejus inopina & subitanea morte vide Jos. Scaligeri Epist.* 355.

‡ *Ad Famil.* IX. *Epist.* 22.

EPISTOLA DLXIX.

VIRO CLARISSIMO, ISAACO CASAUBONO, LUDOVICUS TRIBALDUS. ✠

QUi causam bonam quærit, Casau- 1606. bone doctissime, ut virum omnibus in literis numeris absolutum, sibi vel ignotum oculis ferendum existimet, is eam in te uno, vel nusquam alibi, inveniat, necesse est. Adeò enim doctrinæ præstantiâ, eruditissimorum scriptorum varietate magni & excelsi ingenii splendore jam pridem effulges, ut non solam Galliam universam (quæ tuis natalibus felicissima est) illustraveris; sed Angliam, Belgium, Germaniam, Italiam, ac denique Hispaniam nostram tui nominis gloriâ compleveris, atque omnem eruditorum Senatum, cujus tu Præses nostris temporibus es; in tui amorem rapueris. Non possum igitur, qui mirificè humanioribus hisce disciplinis ab ineunte ferè ætate delecter, occasionem se ultrò offerentem non avidè arri-

1606. arripere, & tantam virtutem, quantovis locorum intervallo à te disjunctus, non vehementer amare, editis præsertim à te monumentis jam diu summa cum voluptate deditus, ac veluti mancipatus; eorum autem, quæ propediem expectantur, desiderio penè confectus. Addidit prætereà sponte ad cursum incitato calcaria Roberti Schilderi, Juvenis Belgarum eruditissimi, & optimarum artium cognitione præclari, mihique amicissimi, cui tu inprimis charissimus es, crebra tui, eaque valdè honorifica commemoratio, quo hortatore hujus ad te scribendi audaciæ pœnas dare non abnuam. Libenter enim de præstanti tua Philologia, & exacta rerum omnium peritia multos cotidiè ultrò citròque sermones habemus, candorem planè & constantiam admirati, quòd ne læsus quidem verbis de vindicta unquam cogitaris, sed imprudentum convicia ingenti animo despexeris; tum prudentiam, quòd nil hactenus scriptis tuis asperseris, quod pietati apud quosdam præcipuè nostrates offendiculo esse possit: id quod plerique vel magni nominis viri cum magno existimationis dispendio, & aperto abolendorum, quæ in vulgus edidere, operum discrimine facere solent. At tu perge iter inceptum, & non bonam tantùm, sed optimam semper causam aliis dabis, quâ meritò quovis tempore te summis in cœlum laudibus evehant. Neque verò velim putes me hoc auribus tuis dare, cùm, etsi quos amore prosequar, unicè colam, plus tamen assiduè veritati tribuendum censeam. Sed me ratio ipsa, verumque judicium in hanc mentem impulit. Atque utinam eâ pollerem eruditione, ut possem aliquid tuarum laudum pro dignitate attingere, quamvis id (eâ es modestiâ) minimè postules. Nunc autem satis mihi est, si tuam humanitatem exorarim, ut me in eorum numero habendum curet, qui te tuaque omnia religiosissimè colunt, suspiciunt, admirantur: deprecorque ut in hac Regia Hispaniæ Curia versanti, & ad nutum paratissimo, fidenter & pro tuo jure utaris: nihil enim, quantumvis labore & curis anxium, tuo nomine subire recusabo. Vale. *Matriti*, ex ædibus Joannis Tassii, publici Cursûs Præfecti, & Comitis Villamedianæ, ubi jam diu diversamur, *a. d.* VII. *Id. Novemb.* CIↃ IↃ CVI.

EPISTOLA DLXX.

LUDOVICO TRIBALDO.

EGo verò, doctissime Tribalde, quas tibi grates agam, nescio; adeò 1607.
mihi impar videor judicio de me tuo. Sed quicquid tu de me sentis, id ego totum humanitati & benignitati tuæ acceptum ferri debere scio; non meritis ullis meis, quæ nulla ex parte encomio respondent, quo me liberali adeò manu ornasti. Unica planè res ex omnibus, quas solent amici ἀπὸ τῆς ἄγαν φιλίας nobis tribuere, quam jure agnoscam, & salvo pudore; incredibile quoddam & discendi, & bene de literis merendi studium. Cui cupiditati si pares Deus Opt. Max. vires ingenii dedisset, tum ego fortasse non essem ab iis laudibus alienus, quibus tua Epistola, præstantissime Tribalde, me onerabat. Nunc tenuitatis meæ probè conscius, quæ scribis, ita interpretor, ut magnitudinem tui erga me amoris illa esse mihi persuadeam. Itaque pro hoc affectu tanto ago tibi quantas possum maximas gratias; teque oro, ut quem ultrò amandum tibi judicasti, eundem rogatus pari semper benevolentiæ tenore prosequaris. Ego, quod in me erit, dabo operam sedulò, ne hujus tui judicii pœnitere unquam possit. Quod si fuit aliquid in nostris scriptis, quæ adhuc vidisti, tuâ approbatione utcunque dignum, spero facilè me, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, obtenturum, ut quæ jam edidimus, aut deinceps, propitio Numine, sumus edituri, studii & diligentiæ non minus præ se ferant, judicii verò etiam fortasse aliquid amplius. Polybium nunc in manibus habemus, ejusque editionem quantâ maximâ fide, curâ & industriâ curamus. Ac, ne quid prætermitteremus, quod ad nobilissimi Scriptoris illustrationem posset à nobis desiderari, ad Commentarios sanè uberes versionem adjecimus, si quid Græcè & Latinè scimus, fidelem & Romanam. Nam priorum Interpretum flagitia tibi quoque, viro doctissimo, esse non dubito comperta. Rem militarem nostris observationibus, nisi fallor, multifariam illustravimus. Opus erit mole magnum; & cujus editio ante quatuor menses inchoata, vix ante menses quindecim, aut octodecim ad metam perducetur. Vale, præstantissime Tribalde, & me, ut cœpisti, ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CVII.

EPISTOLA DLXXI.

✠ DOMINICO BAUDIO.

1607. ACcepi, quæ misisti, tuorum pulcherrimorum carminum exemplaria; in quibus quum unum mihi inscriptum invenerim, quas tibi pro tanto munere grates agam, non invenio. Quid enim ego sum de te unquam meritus, ut tam exquisito munere, tam omni ex parte polito, me beares? Nec te paupertas mei censûs movit, unde nihil possum promere, quo paria tecum faciam. Scis enim, præstantissime Baudi, quàm parum amicæ nobis illæ Deæ sint, quas à pueritia tua ipse semper in potestate habuisti. Nos tantum profecimus, ut capi tuis deliciis, si quis mortalium, possimus; felicitatem ingenii tui admirari, & illam incredibilem in summa facundia facilitatem dicendi, quicquid lubet. Itaque semel acceptum librum vix de manibus ponere prius quivimus, quàm totum devorassemus. Quid dicam nunc, quàm multa invenerim, quæ sæpe legendo penè memoriæ mandavi? Vel illa, quæ ad defensionem magni Scaligeri scripsisti, quanta cum voluptate me legisse putas? Quid illa, quæ de magno Beza, aut similibus aliis pietate & probitate viris insignibus? Memini, Franciscum Pithœum dicere solitum, *Musas esse hæreticas*, quum significare vellet, maxima quæque ingenia ineptias τῶν ἐπροδοξένλων non pluris facere, quàm par sit. Hujus mihi sæpissimè venit in mentem, tua legenti; maximè cùm illam suavissimam ad magnum Heroëm, & rei literariæ Atlantem, legerem Præfationem; cujus gratiâ si statuam deauratam in Capitolio positam iri tibi putas, næ tu multùm falleris. Nam quid de Romanis exspectes, cùm multos gentis nostræ tua divina παῤῥησία offenderit. Hoc ego statim prævidi, cùm tua exemplaria iis reddebam, quibus erant inscripta. Accidit autem, nisi fallor, peropportunè, ut liber Cancellario inscriptus, pluviâ corruptus esset; nam ille vir, alioquin maximus, haud scio quomodo libertatem tuam dicendi esset interpretaturus, si ea legeret. Omnia igitur scito reddita præter illud unicum. Miratus sum nullum fuisse, quod magno Thuano daretur: sed aliâ fortasse viâ misisti. Non injucunda fuit mihi illa narratio de itinere tuo in Angliam. Diu tecum multis rationibus adducor, ut non aliter de illis sentiam, quos describis, quàm ut te nunc video sentire. Sed de hoc pluribus aliàs; nam hæc scripsi sub ipsum discessum viri nobilis, cui eas tradebam; qui paucis ante profectionem horis me invisit, & statim se profecturum significavit. Vale, Vir præstantissime, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CVII. 1607.

EPISTOLA DLXXII.

JOHANNI VASSANIO.

SI prius datum esset aliquid otii, responsionem ad tuas non tamdiu distulissem. 1607. Sed me curæ assiduæ ita conficiunt, ut nullum supersit vacuum tempus, quod amicis impendam, nisi illud ἐγκυκλίοις occupationibus surripiam. Ad proposita à te ζητηματίδια, accipe quæ veniebant in mentem tuas legenti. Λευκὸς χρυσὸς, quid sit, accuratè disputamus in Monobiblo de Coloribus. Auri bonitas tùm aliis notis declaratur, tùm vel maximè coloris genere: nam ἄπεφθον & obryzum colorem præ se fert πυρρὸν vel χλωρόν. Hieronymus alicubi dixit, *virorem auri*, quum intelligeret χλωρότητα· sed pace tanti viri dictum sit, aliâ ratione atque notione χλωρότης herbæ tribuitur, aliâ auro. Cæterùm notæ secundæ aurum dilutioris est coloris, quod videtur *albumaurum* appellasse Herodotus, ex idiotismo vulgi: neque enim ea est vera λευκότης. In libris Græcis Chymicorum, quales multos legimus è nostra Bibliotheca, λευκοῦ χρυσοῦ fit mentio, de quo plura dicendi nunc non est otium. Tibiarum apud Veteres ut plurimus usus, ita differentiæ multiplices. Potes eas legere apud Scaligerum Patrem in aureis libris de Poëtica*. Inter alias differentias erant, * Lib. I. cap. 20.
quas vel ætates, vel sexus faciebant. Inde igitur γυναικεῖοι καὶ ἀνδρεῖοι αὐλοὶ, de quibus quæris: viriles fortius inflabantur, & sonum masculum edebant; fœmineæ, contrà. Potuerunt & aliæ esse differentiæ vel à longitudine, vel à numero foraminum, vel à materia. Et sanè videntur fœminarum tibiæ comptiores aliquantò fuisse virilibus. Sed hæc magis conjecturâ possumus assequi, quàm testimonio Auctorum firmare, quæ nulla sunt. Noster Athenæus de tibiis affatim. Περὶ θηλείας νόσου τί δεῖ καὶ λέγειν· is est morbus, quem Philoctetæ tribuit Martialis, versu primo Epigrammatis LXXXIII. Lib. II. Vide, si lubet: nam quòd ea sit θήλεια νόσος, non alia, audi ἀξιόχρεων testem, Scholiastem Thucydidis, ad Lib. I. cap. I. Φιλοκτήτης διὰ τὸν ὑπὸ Πάριδος θάνατον θηλείαν νόσον νοσήσας, καὶ μὴ φέρων τὴν αἰσχύνην, ἀπῆλθεν ἐκ τῆς πατρίδος ἔκτισε πόλιν, ἣν διὰ τὸ πάθος Μαλακίαν ἐκάλεσε. Apud Ctesiam † corrupta † Pag. 637. Herodot. ed. 1608.

1607. rupta vox est χειτοκράνοις· si legas κιονοκράνοις, vocem habebis Græcam, sed de qua adhuc dubitem; ita enim appellatur pars superior columnæ, non columna integra: atqui de totis columnis videtur loqui Ctesias, cujus mentem illustrabunt tibi, quæ fusè disputat Cujacius in Observationibus * de eo, qui dicitur in jure *latere post columnam*. De supplicio τῶν εἰς σποδὸν ἐμβαλλομένων poteram multa commemorare, quibus nunc supersedeo: tantùm moneo, ut compares diligenter inter se, quæ de ea re scripserunt Autor Maccabaïci lib. II. cap. XIII. & Valerius Maximus, lib. IX. cap. II. Vale, eruditissime Vassani, & festinationi meæ ignosce. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Non. Octob.* CIↃ IↃ CVII.

* *Lib. I. cap. 13.*

EPISTOLA DLXXIII.

DANIELI HEINSIO.

1607. VIr clarissime, quum esset mihi hodie renuntiatum, allatum esse in urbem Interpretem Nicomacheorum †, à te editum; non prius conquievi, quàm librum vidi, & quædam in eo aspexi. Etsi autem de præstantia illius è tumultuaria paucarum paginarum lectione pronuntiare liquido non possum; tamen vel ex paucis illis, quæ adhuc legi, facilè adducor, ut magni Scaligeri testimonio, & Heinsii operâ dignum illum putem. Itaque, præstantissime Vir, de ejus publicatione multùm te amo. Multùm tibi graviores illæ literæ hoc nomine debebunt. Nam Eustratius, meo judicio, persæpe friget. Latinorum Interpretum duplex est secta; Scholastici, quos vocant, rem aperuisse contenti, de verbis Authoris parum sunt solliciti; recentiores contrariam planè viam, nisi fallor, institerunt. Nam quasi philosophari nihil esset aliud, nisi ἀκανθολογεῖν, aut γραμματικῶς νοεῖν, in verbis plerumque hærent, res parcius attingunt. Perge verò, mi Heinsi, de Philosophia benè mereri. Campus quidem, ut tute melius intelligis, patet amplissimus: in eo te exerce, ea esto tua palæstra. Vindica è tenebris Theophrastum. Platonis latifundia excole. Aristotelis mysteria divina profanis pande. Profanos appello omnes, qui sine ea cognitione literarum, quæ in te est, pulcherrima Philosophi illius scripta tractant. Si quid erit in nostra Bibliotheca tuis inceptis accommodum, ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω. Vale, charissimum mihi caput. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIV. *Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CVII.

† *Andronicum Rhodium, vel potius Olympiodorum; talem enim appellationem in posteriori editione ab Heinsio habuit.* Colomes.

Scripsi nuper ad clarissimum Baudium, cui salutem ut meis verbis nunties velim. 1607.

EPISTOLA DLXXIV.

JOSEPHO SCALIGERO.

ILlustrissime Vir: venerat in hanc urbem adolescens Aquitanus, Sacræ Theologiæ studiosus, qui isthuc cogitans, cùm domo proficisceretur, literas à tuis acceperat, tibi reddendas, quas istis adjeci. Nam quia sinistri admodum rumores passim dissipati sunt de vestratibus Theologis, nupera Synodus Rupellensis, quod hunc juvenem fugerat, expressè cavit, ne quis studiorum caussâ Theologiæ candidatus isthuc proficisci vellet. Hoc nempe supererat, ut hac novâ σχίσει Ecclesia Dei scinderetur. Quis piorum ἀδάκρυτι hæc audiet? Sed accipe rem mihi privatim funestam & exitiosam, publicè primùm lætam. Ego nunc in eo sum dies noctesque occupatus, ut apud Regem, & τοὺς ἀμφ' αὐτὸν de injuriis Genevensium, quas mihi fecerunt, conquerar. Barbari homines, scelerati prædones, postquam ego ab iis discessi, nullum temerè diem prætermiserunt, quo non mihi, aut meis aliquâ nocerent. Sororem meam, mediocribus facultatibus præditam, longæ litis sufflamine, annorum spatio duodecim, aliisque nefandis iniquitatibus, ita attriverunt, ut hodie misella ne unum quidem obolum in bonis habeat. Iidem nuper me, reliquias hæreditatis Stephanicæ colligentem, inaudito scelere, magnâ pecuniæ summâ defraudarunt, ita ut fraude nequissimorum Pharisæorum omnia mihi perierint, quæ post naufragium clarissimæ domûs, magnis impensis meis servaveram. Color fraudi quæsitus è Testamento Roberti Stephani; quod non magis ad rem pertinuit, quàm folia Sibyllæ. Sed erat aliquid prætexendum. Amisi aureos mille trecentos; quorum pars in commodum anteriorum creditorum cessit, pars maxima Diaconorum usuris est exhausta. Quod supererat, sententiâ perditissimorum Judicum, quà Diaconis iisdem, quà Scholæ est adjudicatum. Hæc pietas Genevensis: imò hæc impietas, hic Pharisaïsmus: quem ego retegam, & scelestissimos homines suis coloribus depingam. Nunc id ago, ut Regi causam meam probem; quem spero patrocinium meum, & sororis, quam cum liberis suis ego alo, suscipiat. Quid profecerim, scribam aliàs ad te, illustrissime Vir. Vale, & me

1607. me ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIV. *Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CVII.

Clarissimis viris, Baudio & Heinsio, plurimam, nisi grave est, salutem.

EPISTOLA DLXXV.

PETRO SCRIVERIO.

1607. MUltùm tibi debeo, doctissime Scriveri, propter illud munus eximium, quò sum nuper à te donatus; Στρατηγικὰς tuos * dico Auctores, quos ante mensem unum aut alterum accepi, tuo nomine à clarissimo Baudio mihi missos. Parum me tibi videlicet obstrictum putasti eâ obligatione, quæ mihi cum omnibus bonarum literarum studiosis est communis; nisi ad id vinculum aliud insuper adjiceres, quo me tibi privatim redderes obnoxium. Benè de me, benè de publico meritus es. Qui plus in literis intelligunt, quàm ipse faciam, ii melius æstimare poterunt tui excellentissimi muneris præstantiam. Ego, qui neque omnia in editis à te Scriptoribus capio, (& capio tamen, nisi fallor, aliquid in ejus argumenti libris plus quàm vulgus,) ita statuo, id beneficium collatum esse à te in Rempublicam literariam, ut vix gratia par referri queat. Dedisti enim nobis ea Vetustatis monumenta, quibus nullum aurum, nullæ gemmæ possint comparari. Nihil dicam de Scriptore Coloniarum, à multis jam pridem expetito; sed ille de Castrametatione Tractatus, quàm insignis, quàm dignus lectione omnium eorum, qui rerum antiquarum cognitione delectantur? Sunt quidem in eo multa obscura, multa deplorata & conclamata; nos tamen assiduâ illius tractatione tantùm profecisse videmur, ut operæ in eo positæ minimè nos pœniteat. Itaque iterum ac tertiò, vel potius μυριάκις grates gratissimas tibi agimus. Quod si per te liceat, constituimus in Appendice Polybiana locum illi dare; & quædam in tam raro Vetustatis monumento explanare. Quod tamen ita facturi sumus, si veniam abs te prius impetraverimus. Veremur enim, ne περιεργίαν nostram sis improbaturus, qui in alienam messem falcem non vereamur immittere. Movet tamen nos similitudo argumenti, quum Græca quædam nondum edita de re eadem simus edituri. Peto igitur à te, doctissime Scriveri, ut bonâ tuâ gratiâ id mihi in re tua usurpare juris liceat. Me certè juvabit publicè profiteri, quid quantumque tibi ego, & omnes studiosi debeamus. Polybii nostri pars major jam est edita, Dei Opt. Max. beneficio; qui si finem 1607. operis suscepti dederit videre, non dubito, quin candidi Lectores φιλοπονίαν nostram sint amaturi. Maximum enim Scriptorem non vulgari diligentiâ conati sumus seriò illustrare. Sed exspectabo judicium tuum, Vir eruditissime. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIV. *Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CVII.

* Scilicet Vegetium, &c. edit. anno 1607.

EPISTOLA DLXXVI.

PAULO DU MAJO.

MAgnam iniit à me gratiam adolescens ille, qui me hodie tuo nomine appellavit, &, si quid vellem literarum ad te dare, tutò se curaturum promisit. Id vero longè mihi fuit gratissimum, & quia in ære tuo eram, Vir doctissime, provocatus à te humanissimè scriptâ Epistolâ, quam ante unum, aut alterum mensem accepi; & quia habebam à magno Scaligero literas ad te, quas fore tibi confido gratissimas. Scio enim, quâ veneratione Heroëm illum, Heroë natum prosequaris; de cujus studiis Epistolam nuper edidimus *, quam nescio an videris. Magnitudinem divini ingenii conati sumus εἰονεὶ τύπῳ σκιαγραφεῖν· nam suis coloribus depingere Scaligerum, solus mortalium Scaliger potest. Nos, qui minores tibias inflamus, virium nostrarum modum non ignoramus. Sed redeo ad te, cujus reditum jam exspecto. Videbis Polybium nostrum magna ex parte jam typis expressum; quanquam neque textus Auctoris adhuc est absolutus; & Commentarii nostri intacti supersunt, opus longum, & sanè quàm molestum. Librum, quem mihi dedisti dono, legi, & cum alio contendi, quem in Bibliotheca Regia inveni. Delectatus sum amœnitate ingenii Auctoris illius; qui si politiore seculo vixisset, inter eruditos tueri suum locum videtur potuisse. Unum aut alterum inveni locum, qui futuri sint usui. Utar lubens eâ occasione, ut amicitiæ nostræ memoriam ad posteros, [si qua tamen erit posteris nostri cura,] transmittam. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CVII. 1607.

* Intelligit Epist. DLX. quæ est Præfatio, Martiali Græco Scaligeri præmissa.

EPISTOLA DLXXVII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEIMIO.

NEque mihi otium superest ad longiorem scriptionem, neque profectò opus est, ut pluribus te nunc morer; habes enim virum clarissimum atque 1607.

1607. que optimum, Bongarsium, à quo omnia de nobis poteris intelligere, si quid nostra ad curam tuam pertinent. Probari* tibi τοῦ τρισμεγίστου Scaligeri nuperum opus, non sanè miratus sum: videor enim tui palati aliquam habere notitiam. Exspecto cupidè, quid parient novi vestrates nundinæ adversus magnum Heroëm: nam cessare τοὺς τοῦ ψεύδους ὑποφήτας ἢ ὑπερασπιστὰς οὐ θέμις. Diu est, cùm persuasi mihi, nullum ad hanc diem fuisse seculum, quo æquè illustratæ essent omnes artes ac disciplinæ; neque rursus, quo ita apertè veritas oppugnaretur. Priorum seculorum miseranda erat barbaries & imperitia; nostra hæc ætas, ut scientiâ, ita malitiâ abundat: ignorantiâ enim peccare Bellarminos, Baronios, Serrarios, nunquam adducar, ut credam. Illud potius existimem, cæcitatem hodie plerorumque θήλατον esse πάθος, & malæ mentis justissimam ἀντιμισθίαν. Sed moror te, Vir amplissime. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XV. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CVII.

EPISTOLA DLXXVIII.

DANIELI HEINSIO.

1607. TU quidem rarò ad nos scribis, optime ac præstantissime Heinsi; sed raritatem tuarum ingens aliquis semper τόκος Πινδαρικὸς compensat. Mirabar, tot jam menses silere; accepi tandem & literas tuas, & usuræ nomine, Maximum Tyrium, à te editum, versum, emendatum. Perge sanè, θαυμασιώτατε juvenum, omnium studia, qui literis delectantur melioribus, hac instantiâ & φιλοπονίᾳ indefessè tibi demereri. Hesiodum excepit Theocritus; hunc, Maximus. Quis scit, an de Platonis, aut Aristotelis editione posthàc sis cogitaturus? Hoc unum scimus, quo te cunque impetus tulerit, excellenti ingenio tuo omnia fore facilia & expedita. De versione pulcherrimi Scriptoris, multùm te amo; neque enim cum iis sentio, qui perire omnem operam arbitrantur, quæ in Græcis vertendis ponitur: atque audi lepidum acroama, quando ejus mihi nunc in mentem venit. Accepi nuper ex Italia literas viri cujusdam, ingenii præstantiâ & calamitate insignis; qui ante viginti annos usum manuum ac pedum amisit; ante decem, oculorum: est tamen adeò eruditus, adeò eleganter Latinè loquitur, ut inter eruditissimos, si quid judico, censeri mereatur. Is mihi Scaligerum τὸν μέγαν sic laudat, ut de meliore luto fictum ipsi cor esse, non dubitem. Scribit autem doctissimus ille vir, contentionem sibi fuisse super meis scriptis (vide otium Italorum) cum doctissimo alio quodam Italo, Vaticanæ à paucis mensibus Præfecto; atque hanc disputationem ait, se scriptis mandasse, ejusque diatribæ copiam brevi se mihi facturum. Monet interim, unum è capitibus reprehensionis meæ esse, quòd Græca Latinis immiscens, illa non vertam; hoc sibi, hoc universis Italis mirum quantum improbari. Quid quæris? penè victus sum; jamque apud me constitui, Italorum & Hispanorum aliquam posthàc rationem esse habendam. Exspectabo tamen judicium tuum; nam illustrissimo Scaligero persuadere velle, ut vulgi hominibus stylum sublimem accommodare velit, ineptum sit postulare. Ego non dubito, quin vir ille eruditus, qui ad me scripsit, judicium suum & suorum popularium brevi sit aliquo scripto publicaturus. Nôsti ejus gentis φιλαυτίαν· quæ alienorum spernax, sua tantùm miratur. Sed viderimus. Vale, clarissime juvenum; & apud clarissimum virum, Vulcanium, silentium meum excusa; eram enim, cùm ista exarabam, occupatissimus. Gregorianam Epistolam * vobis non esse redditam, demiror; Drovardo enim tradideram, cujus in multis fidem sum expertus. Videbimus, & medebimur. *Lutetiæ Parisiorum*, CIↃ IↃ CVII.

* *Gregorii Nysseni Epistolam.*

EPISTOLA DLXXIX.

EIDEM.

DE Maximo Tyrio, qui vitam à te 1607. accepit, Vir clarissime, egi nuper tibi, quas poteram, maximas gratias. Accepi posteà Lipsii Epicedia; parvum opus, sed planè Autoribus suis dignum: ne quid dicam de carminibus vestris πλεῖον ποιητῶν· ipsum πρόσωπον non solùm τηλαυγὲς, ἀλλὰ καὶ πάμπαν τηλαυγέστατον. Utinam incessat te libido excipiendi istos Anubinos latratores, prout merentur! Sed fallor, & revoco; neque enim profectò digni sunt, quibus defricandis horas tuas impendas. Nos ad Polybium longo quidem intervallo, sed seriò redimus; & eo quidem animo, ut ante absolutam editionem, brevi, σὺν θεῷ, inchoandam, ab eo non abscedamus. Fateor tibi, quàm magis eum Authorem lego, tam magis eo me capi; ut jam non pœniteat eorum voluntati morem gessisse, quibus suasoribus opus istud suscepi. Habeo multos τακτικῶν καὶ στρατηγικῶν Scriptores, qui non parvo fuerunt mihi usui. Quod si res tulerint, cogitamus partem illorum publicare.

1607. blicare. Sunt enim, nonnulli præsertim, lectione τῶν φιλομαθῶν dignissimi. Utinam ea mens tibi esset, ut venire in societatem hujus laboris unà mecum velles! Equidem te Magistro, nedum socio gloriarer; neque dubitarem, oneri pares humeros tuos fore, quod mei posse ferre negant. Mitto ad magnum Scaligerum exemplum Indicis, qui libros nostræ Bibliothecæ continet. Si quid erit, quod te alliciat, ut fieri ejus tibi copiam optes, ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, experieris studium meum tibi gratificandi. Vale, Vir doctissime; & clarissimos viros, Vulcanium, Merulam, Baudium ac Grotium, meis verbis, nisi grave est, quàm officiosissimè saluta. *Lutetiæ Parisiorum*, CIƆ IƆ CVII.

EPISTOLA DLXXX.

PETRO JUNIO.

1607. RESponsum, quod ais misisse ad veterem Epistolam meam, Juni clarissime, nullus accepi; eò gratiores accidère, quas mihi abs te filius tuus, Johannes, adolescens doctissimus, superioribus diebus reddidit. Lætor plurimùm hac tuà erga me benevolentià, quam & ipse humanissimà scriptione declarasti, & tuus gnatus verbis prolixè mihi exposuit. Pro notis in Strabonem τοῦ μακαρίτου, longèque præstantissimi Scrimgeri, ago tibi & habeo grates gratissimas; teque adeò velut ex syngrapha convenio, id summoperè contendens, ut fidem quàm primùm, nisi grave est, liberes. Olim adolescentes nescio quid in Scriptorem nobilissimum sumus conati; sed neque ætas sinebat, neque molestissimæ curæ, quibus tum obruebar, ut dignum aliquid eruditorum oculis præstarem; & ita parum instructus necessariis præsidiis ad inceptum me accinxeram, ut non semel posteà facti pœnituerit. Est animus, si dederit Deus, finem videre Polybianæ editionis, revocare sub incudem priores notas, & tentare, si quid fortè hac diuturnà lectione studia nostra in eo genere literarum promoverimus. Quantum ad eam rem adjuvare nos tuæ illæ notæ Scrimgerianæ queant, ne dici quidem potest. Nobis res futura est jucundissima, per eum virum proficere, cujus memoriam magnà veneratione colimus; neque tu, opinor, nescis, Henrico Stephano, patri uxoris meæ, aliquid intercessisse affinitatis cum illo tuo avunculo. Filio tuo omnia officia nostra detulimus; qui, si ad Plessæum sese contulerit, dabimus operam, ut quanti te, atque ipsum adolescentem faciamus, ex nostris literis Plessæus intelligat. Vale, & nos ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XVIII. *Kalend. Januar.* CIƆ IƆ CVIII. 1607.

Vidimus hic nuper librum, à Torto * quodam scriptum, adversus libellum gravissimum, & summæ pietatis, *Triplici nodo* †, &c. Nunc omnes boni responsum ex eadem officina exspectant. Nemo certò est literis illis melioribus excultus, qui tali Rege in exemplum genito, ceu sydere quodam novo illustrari seculum nostrum, non agnoscat, non gaudeat.

* *Bellarmino sub Torti nomine.* Colomes.

† *Hujus operis Auctor est serenissimus Jacobus, Magnæ Britanniæ Rex.* Colomes. *Vide Joh. Deckherum de scriptis adespotis, sect. IV. pag. 93. ed. 1686.*

EPISTOLA DLXXXI.

DANIELI HEINSIO.

SI meas literas accepisti, quas à tribus mensibus plures scripsi, quæ me sollicitudo habeat, quæ anxietas animum premat meum, non ignoras, præstantissime Heinsi. Posteà enim quàm de morbo, periculo divini senis ‡ ad nos est allatum, ita sum, pro eo ac debui, perturbatus, eo mœrore affectus, ut ex illo vix mihi mens constet. Quod unum possum, Deum Opt. Max. assiduis sollicito precibus, orans, obsecrans, servet orbi terrarum, etsi parum grato, φωσφόρον hunc ἀστέρα· qui si semel occubuerit, ilicet, de literis & omni meliore eruditione est actum. Equidem silentium istud tuum qui interpreter, non scio; illud non dubito, si meæ fuerint tibi redditæ, aut illis esse à te responsum, aut magnum aliquid accidisse, quod ejus rei facultatem tibi adimeret. Sed oro te, Vir præstantissime, da hoc amicitiæ nostræ, ut ex tuis literis cognoscam, quis jam sit status illius δίου γέροντος, cujus de valetudine adversa sine lacrymis cogitare non possum. Postremæ, quas ad te, & ad ipsum venerandum senem scripsi, Johanni Wouwerio, Antwerpiensi, sunt à me traditæ, qui sanctè promisit, se viâ tutissimà curaturum: alias aliâ viâ direxi. Non scribo nunc ad ipsum; sed quas accepi, tibi mitto, ut cùm erit opportunum, ei tradas. Simul confirmes, non posse fieri, ut ullus mihi prius illucescat dies jucundus, quàm de recuperata ab ipso priore valetudine optatissimum nuntium accepero. O det mihi Dominus Jesus illum videre diem, qui hoc εὐαγγελίῳ me beabit! Γένοιτο, γένοιτο. Intereà in luctu & squallore scito me semper futurum. Vale, & nisi me odisti, tandem rescribe. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* X. *Kalend. Januar.* CIƆ IƆ CVIII. 1607.

‡ *Jos. Scaligeri.*

EPISTOLA

EPISTOLA DLXXXII.

✠ JOSEPHO SCALIGERO.

1608. RESpondi omnibus tuis, illustrissime Vir, quas quidem hactenus accepi: nam illis, quibus de caussa præstantissimi Theologi agebas, statim eâ Epistolâ respondi, quam illi ipsi tradidi, à quo tuam acceperam. Conjeceram in eundem fasciculum & Molinei nostri literas, eadem, opinor, de re scriptas. Satisfeci & de exemplaribus tui Martialis; quæ non fuisse isthuc perlata, ut jusseram, magno meo cum dolore intellexi. Id quomodo acciderit, ex illis literis intellexisti; si modò illæ sunt ad te perlatæ: quod ut ita sit, plurimùm sanè interest mea. Eram nunc missurus responsum Huberti, & aliquam ex Alcorano schidam: sed neque ille rem confecerat; & ego aliam exspectare malui occasionem, quàm hunc adolescentem onerare. Habebam enim in manibus Cleomedem, à Belforeo Scoto editum, & ad me missum, ut illum tibi curarem. Illustrissimam Principem audiebamus brevi profecturam; & alter jam erat mensis, ex quo fasciculum, in quo aliquot Catonis exemplaria continentur, nobili virgini Bricomotiæ tradidimus. Per illam pluribus ad te, σὺν τῷ Θεῷ, scribemus, & de omnibus rebus certiorem te faciemus. Ego tuas illas cupidissimè exspecto, quas Buzenvalida abs te habet, cum indice & libro. Quicquid jusseris, statim curabitur, propitio Numine. Deus te servet, illustrissime virorum. Vale. Raptim, inter multas curas & vehementissima frigora. *Lutetiæ Parisiorum*, a. d. VI. *Eid. Januar.* CIↃ IↃ CVIII.

EPISTOLA DLXXXIII.

EIDEM.

1608. ILlustrissime Vir, postquam de tua valetudine anxius perdiu, & supra modum sollicitus fuissem, quùm nihil certi de ea haberem compertum; sed incertis rumoribus, qui de gravi tuo morbo erant sparsi, aures meæ quotidie personarent; accepi tandem Heinsii nostri literas; quæ majorene dolore me perculerint, an virtutis tuæ admiratione affecerint, nondum equidem constitui. Illam sanè partem, quæ de languore tuo erat, nobilissime virorum, siccis oculis, & sine ingenti animi cruciatu non legi. Neque verò meo privatim periculo magis moveor, quàm universæ Reipublicæ literariæ, quam tu, magne Senex, solus propè mortalium, tot jam annos dignitate ornas, & divini ingenii tui luce illustras. Cogito dies noctesque, quantum in uno capite literæ omnes meliores periculi adeant. Sed Deus meliora: neque verò ad ultimum adhuc periculi esse ventum, Heinsii Epistola narrabat. Oro, venerorque supplex Dominum Jesum, ut Reipublicæ literariæ misereatur, tuique usuram diuturniorem bonis, & veræ doctrinæ studiosis velit concedere. Nemo hic est, qui literas amet, quin pro tua salute superos mecum fatiget. Omnes interim tuum illud animi robur, & piam in morbo constantiam, quam ex literis Heinsianis cognovimus, miramur, eoque nomine Deo Opt. Max. gratias agimus, & tibi gratulamur. Hoc est, verè pium esse, id velle, quod magnus Imperator jusserit; non trahi, sed duci; &, quod pauci facimus, hominem se natum, tempore necessario meminisse: nimirum hoc est ἀξίως τῶν προβεβιωμένων τὴν περίστασιν φέρειν. Enimverò non poterat Scaliger, Scaliger non esse. Quàm semper hactenus supremo Numini fueris charus, quum sciant omnes mortales, ipse non potes ignorare. Confide, Senex venerande, proprium & perpetuum hunc superum erga te favorem futurum; ἀμέλητα γὰρ τοῦ Θεοῦ χαρίσματα· bonum certamen certasti; fidem servasti; restat nunc illa ἀμάραντος corona, in cujus spem tulisti tam multa. Iterum iterumque τὸν Σωτῆρα τοῦ κόσμου obtestor, ut tibi adsit; dolores tuos suavissimâ crucis suæ recordatione leniat; pristinam tibi valetudinem restituat; te faciat ex animo velle, quod ipse voluerit. Parce affectui meo, & ἔρρωσο, sapientissime Scaliger. *Lutetiæ Parisiorum*, a. d. XV. *Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CVIII.

EPISTOLA DLXXXIV.

CLAUDIO SALMASIO.

ACcepi nudius quartus, quas anni novi Kalendis ad me dederas. Accidit mihi eas legenti, quod nunquam non, quoties aliquid à te accipio literarum, ut à tuarum lectione doctior semper discedam. Nam de Periplo Mæotidis, quàm mihi gratum illud acroama fuisse censes? quum præsertim Auctoris nomen simile quid polliceatur iis Periplis, qui jam sunt editi. Itaque te hortor, atque adeò obtestor, ut opus integrum tibi describas, & tantum thesaurum tibi perire ne sinas. Ubi ad nos redieris, speramus ejus inspi- 1608.

1608. ciendi libri fore aliquando nobis copiam. Neque enim te fugit, eo genere argumenti semper nos esse delectatos. Poteras cum Stephano tuo eum simul edere, nisi te graviora, ut video, tenerent occupatum. De Epigrammatis mira sunt, quæ narras: etsi equidem non dubito ita esse, uti scribis. Opto tibi sic læta omnia, ut brevi omnia, quæ meditaris, perficere ex animi sententia queas. Ego certorum hominum ἀβελτηρία, multis repentè calamitatibus obrutus, animum penè despondi ταῖς καλαῖς Μούσαις ἀποταξάμενος. Deus, spero, mihi meisque aderit, quos multiplex fraus & iniquitas nonnullorum proximè ad inopiam redegit. Vale, optime & eruditissime Salmasi. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IV. *Eid. Februar.* CIↃ IↃ CVIII.

EPISTOLA DLXXXV.

JOSEPHO SCALIGERO.

1608. ILlustrissime Vir, quum spes nostras diu frustrata esset toties dilata profectio Illustrissimæ Principis, erat jam mihi aliisque persuasum, non ante Pascha ipsam hinc discessuram. Ecce verò, nihil tale cogitanti significatur, in procinctu esse, & currum jam conscendisse. Raptim igitur hæc exaravi, ut simul Huberti * literas mitterem. Volui & interpretationem τοῦ Zohar †, quam petis, mittere: sed quia incertus sum, an fieri id nunc queat, aliud nihil possum in præsentia, nisi quòd me eum librum polliceor missurum primâ quâque occasione. Tandem enim libros, quos remisisti, & adjunctas literas tuas accepi. Dabo operam, quod in me fuerit, ut tuæ voluntati morem geram. Te scio effecturum, σὺν τῷ Θεῷ, ne quid detrimenti B. R. capiat eorum negligentiâ, quibus ea committes, quæ à nobis acceperis. Accepi & munus Heinsianum, pro quo ne gratias quidem illi agere nunc possum: faciam, ubi primùm potero. Doleo etiam, non potuisse me exemplaria tui Martialis adjicere, quæ perfidiâ D. mercatorum non accepisti Francofurdo. Quæso, ignosce; sarcietur, si quid est peccatum. Deus te servet. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIV. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CVIII.

* *Stephani Huberti, Aurelianensis.*

† *Super III. libros Mosis.* Scaliger. Epist. 132.

EPISTOLA DLXXXVI.

DAVIDI HOESCHELIO.

1608. QUum superioribus nundinis nihil à te, neque ab amplissimo Velsero literarum accepissem, præstantissime Hœscheli, accepi posteà vestras amborum literas, longè mihi illas quidem, ut semper, gratissimas. Itaque etsi eram quotidianis curis non mediocriter districtus, constitueram tamen, ubi primùm occasionem essem nactus, respondere utrique vestrûm. Sed me primò insitati frigoris vehementia τὰς χεῖρας ἐν τῷ κόλπῳ continere, vel ad ignes porrigere, perdiu compulit; deinde ut hoc ἐλώφησε κακὸν, ecce κύντερον ἄλλο, quod me dolore vehementissimo perculit. Amisi enim, mi Hœscheli, vel præmisi potius εἰς τὸν τῶν εὐσεβῶν χορὸν, (ita confido in Dei clementia, & merito passionis Domini Jesu,) filiam, quam habui ex omnibus liberis meis natu maximam ‡, cujus desiderium propter amabilem ipsius idolem, & τὸν τῆς ὀρθοδοξίας ζῆλον vix ferimus nos parentes; ferimus tamen, Dei virtute, qui pro sua illa ἀφάτῳ benignitate dabit mihi & meis omnibus, id serio vellè, & gaudere etiam, quod ipse nobis ostenderit, se velle. O beatos, qui hoc re possunt præstare! ἡμεῖς δὲ ἀκμὴν ἐσμὲν ἄνθρωποι, καὶ τῆς φυσικῆς στοργῆς ἥττους. Polybium adeò propterea non intermisimus, ut multò quàm antè acrius opus institutum urgere voluerimus, ut à tristi cogitatione animum abduceremus. Sed nobis res cum miri ingenii operis, quibus dies totius anni sunt alternatim festi, aut profesti. Itaque Callipidæ similes sumus. Accedit operis longitudo; haud paullò majoris, quàm multi putent. Tu quid agas, scire cupio. Notas in Procopium non sum oblitus; sed otium hactenus ad eam opellam mihi defuit. Mihi crede, non sunt tanti mea, ut vestras operas morentur. Et semper erit opportunum, mea attexere iis, quæ fuerint à vobis edita. Deus te servet, Vir doctissime. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VII. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CVIII.

‡ *Philippam, natam annos* XVIII.

EPISTOLA DLXXXVII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEIMIO.

AMplissime Domine, ex sermonibus optimi & clarissimi Bongarsii non semel didici, quæ tua esset in suscepto semel mei amore constantia: nam & mentionem benevolentiæ plenam nostri facis, quoties ad illum scribis; & quantæ tibi sint curæ meæ fortunæ, clarissimè demonstras. Ago tibi, Vir nobilissime, quantas possum maximas gratias pro tuo hoc in me animo; quem ego nullâ re esse unquam promeritum, nisi 1608.

1608. nisi agnoscam & ingenuè profitear, planè ingratus sim. Sed non sum, mihi crede, ingratus; scio enim, quòd me honore hoc tanto digneris, tuæ hoc totum esse χρηστότητος, non meriti mei: scio quàm sit mihi suppellex curta, quàm denique alius sim, atque tu me putas esse. Deum oro, obsecro, ut hanc naturæ tuæ bonitatem perpetuo suo favore prosequatur; teque inter tuos omni bonorum genere cumulatum quàm diutissimè præstet incolumem. Nos in suscepto opere, quo possumus modo, pergimus: etsi ab aliquot mensibus alacritatem illam prorsus amisimus, quæ studia nostra plurimùm sublevabat. Habuimus partem magnam fortunarum nostrarum Genevæ collocatam, quò etiam post obitum τοῦ μακαρίτου mei parentis, sororem adduxeram, & dotem illi quingentorum aureorum dederam. Sperabam enim non posse melius illi esse prospectum, quàm si in ea urbe ipsam collocarem, quæ mihi videbatur pietatis & charitatis esse domicilium. Dico invitus, sed verè; expertus sum, non potuisse me deterius consilium inire. Nam & fortunas omnes meas amisi, & illa, relicta vidua ab optimo marito †, & de civitate Genevensi, patria sua, benè merito, iniquissimis litibus per annos duodecim exagitata, tandem rebus omnibus suis nudata, & ad mendicitatem, quod ad * attinet, redacta, cum filia ad me perfugit. Homines ἄστοργοι & feri, postquam omnia misellæ bona absumserunt, me quoque vanâ spe lactarunt; qui, dum exitum infaustarum litium soror exspectat, aureos ferè trecentos illi suggessi. Non potuit inhumanius, crudelius, iniquius cum illa agi. Jam mihi privatim factas injurias si aggrediar narrare, longùm faciam; & animus meminisse horret. Sed hæc profectò non accidunt ἀθεεί· quod eventus me docuit. Nam quum eâ tantâ jacturâ rei familiaris gravius commoveremur ego atque uxor, non adeò propter pecuniam amissam, ut propter filiam, quam habebamus supra modum nobis charam, cujus ætas nos admonebat, ut dotem illi seriò pararemus; hæc, inquam, cura post tantam cladem fortunarum nostrarum, quum nos ureret, eâ nos Deus liberavit, ereptâ nobis filiâ natu maximâ, quam propter singularem pietatem & eximiam indolem (ignosce affectui paterno) parens uterque vehementissimè adamabamus. Deo filiam nostram fuisse curæ, ex eo colligimus, quòd maturè ex hac fæce vitiorum illam ad se recepit: ὃν γὰρ ὁ Θεὸς φιλεῖ, ἀποθνήσκει νέος, ait vetus verbum, quod nos in ea verum extitisse, confidimus in Dei clementia infinita, & merito passionis Domini Jesu. Sed moror te, amplissime Domine. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VII. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CVIII. 1608.

† *Johanne Rigotio. Vide suprà, Epist.* CXXXI. *pag.* 71. *& Epist.* CXLVII. *pag.* 79.

EPISTOLA DLXXXVIII.

JOHANNI DRUSIO.

Ternas omnino literas à te accepi, eruditissime Drusi. Primis respondi statim, easque literas ad clarissimum parentem tuum misi. Alteris quò minus responderim, fecit dubitatio mea de loco, ubi esses; quum præsertim dictum mihi esset à nonnullis, qui erant te familiariter usi, cogitare te in Galliam. Quod si à te fieret, non dubitabam, rectà in hanc urbem esse te venturum; & nos statim invisurum. Haberes hic profectò neminem, cui gratior esset tuus conspectus, nec qui advenientem συνοικωτέρᾳ διαθέσει te exciperet, atque amplecteretur. Debeo hoc eximiè de literis melioribus illis merito, patri tuo, viro præstantissimo: debeo & tibi, mi Drusi, cujus eruditionem si non amarem, non magni facerem; literas ipsas, mihi crede, non amarem. Ex novissimis tuis didici, reversum te ex Anglia, & apud patrem jam esse. An igitur de invisenda Gallia sententiam mutasti? Sed non dubito, de parentis voluntate tua omnia, ut par est, consilia pendere. Non is ego sum, qui sententiæ meæ in hac deliberatione ullam à vobis habendam rationem putem. Existimo tamen, cupientibus Gallias videre opportunissimum esse hoc tempus; propter eam, quæ jam toto Regno obtinet, publicam tranquillitatem, ἐπεὶ ἐλαχίστη καιροῦ ῥοπὴ πάντα συγχεῖν τὰ νῦν καθεστῶτα δύναται. Si veneris, omnia mea officia tibi fore parata, confidas velim. Opto tibi, charissime Adolescens, læta omnia & fausta. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Eid. Mart.* CIↃ IↃ CVIII. 1608.

EPISTOLA DLXXXIX.

JANO DRUSIO.

Accepi, clarissime Vir, quem dono misisti, Commentarium in Sulpitium. Bene locasti operam; nec est, quod te pœniteat. Doctissimi viri, qui hactenus cùm librum suâ diligentiâ juvant expolitum, plus egregiæ voluntatis, quàm peritiæ illarum literarum ad susceptam provinciam ornandam attulerant. 1608.

1608. lerant. Tibi neque illa desunt præsidia, quibus ipsi præstabant; & eâ, quæ ipsis deërat parte, quæque omnium erat maximè necessaria, ita es instructus, ut ne Serarius quidem fuerit negaturus, eam tibi propriè convenire Spartam. Multùm tibi omnes debent, qui non ἀκροθιγῶς, sed accuratè in Historia Sacra volunt versari. Ego privatim me præclara multa tuis observationibus didicisse profiteor. Itaque & publico, & privato nomine ago tibi, quantas possum, maximas gratias. Relaturum me dicerem, si esset aliquid ad manum, quod tibi mitterem τῶν σῶν ἀντάξιον· sed nos in Polybio occupati, aliud nihil prius edemus, quàm ad umbilicum fuerit suscepta magni ejus Scriptoris editio. Deum veneror, præstantissime Drusi, ut te servet, & quicquid tibi charum. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Eid. Mart.* CIↃ IↃ CVIII.

Epistola DXC.

CLAUDIO SALMASIO.

1608. Respondi nuper iis literis, quas à te mihi paucis antè diebus reddiderat Gilbertus noster. Eò nunc breviores istæ erunt; quum præsertim à nonnullis acceperim, te Heidelbergæ amplius non esse. Pars repetiisse patriam affirmabat; quidam, ad virum clarissimum, & amplissimum Præsidem, Janninum, in Hollandiam esse profectum; hoc mihi nuper quidam affirmabat è tui parentis familiaribus. Ego cupidissimè tuum Florum exspecto, quem prelis dicebas jam subjectum. Atque utinam, mi Salmasi, priusquam isthinc pedem moveres, præclaras tuas vigilias nobis, & omnibus harum literarum amantibus communicasses! Meum semper fuit consilium, huic tuæ ætati hoc studiorum genus optimè convenire. Vereor enim, ne ubi ἀνδρωθεὶς aliò animum converteris, nobis juveniles tuas curas invideas. Ne feceris, per Deum immortalem te oro; quem supplex veneror, ut te servet ἐκτὸς πημάτων ἔχοντα πόδα. Nos gravis casus nuper afflixit, obitus filiæ natu maximæ, utrique parentum suo merito & singularem ob pietatem charissimæ. Θεοῦ δ' ἐτελείετο βουλή· cui sit honos & gloria εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Vale, charissime mihi Adolescens, καὶ θαυμασιώτατε. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Mart.* CIↃ IↃ CVIII.

Epistola DXCI.

JOSEPHO SCALIGERO.

Illustrissime Vir, multi præterierunt menses, ex quo nihil à te literarum accepi; quum tamen scripserim ipse persæpe. Nec verò scripsi tantùm; sed etiam multos fasciculos misi; quos an acceperis, scire vehementer laboro; & ut sciam, interest mea. Tres vel quatuor librorum fasciculos Illustrissimæ Principi, isthuc eunti, ipse tradidi. In his erat unus, qui Zoharis versionem, quam petieras, continebat. Hæc igitur omnia an probè fuerint curata, ut me certiorem facias oro; magis tamen, ut de tuo statu & valetudine aliquid scribas. Neque enim ea cura mediocriter sollicitum me habet; qui alioquin tot adversis obruor, ut ægrè spiritum traham. Ne alia commemorem, & recentem matris venerandæ obitum, ac fortunas meas funditùs eversas scelere N. taceam; amissa superioribus diebus filia natu maxima, eo me luctu affecit, ut nunc demum, quàm parum insit mihi roboris adversus id genus casus, agnoscam. Sed ignoscent parentum lacrymis, qui probitatem, generosam indolem, & firmam in pietate vera constantiam τῆς μακαρίτιδος habuerunt notam. Mihi certè secundum ejus matrem nihil fuit, nec potuit esse charius: qui tamen facilè consolor ipse me, quoties privatum, aut publicum omnium bonorum in hoc Regno statum intueor. Sed mitto tristia: ἅλις γὰρ ἐγὼ δυστυχῶν· neque æquum est, ut te à gravibus tuis curis mea adversa vel tantillum avocent. Te quæ studia occupatum habeant; quæ virum clarissimum, Danielem Heinsium, aveo scire. Peto à te, ut meum apud ipsum silentium excuses: non enim possum nunc ad illum scribere. Vale, illustrissime Vir. *Lutetiæ Parisiorum, prid. Kalend. April.* CIↃ IↃ CVIII. 1608.

Fasciculus, in quo erant novem aut decem Martialis exemplaria ante multos menses Drovardo commissus, tandem Beisio traditus est, quum dixisset, præsentem sibi esse occasionem ad manum ejus curandi. An acceperis, quæso te, fac ut sciam; item illos alios multos fasciculos, de quibus jam dixi. Iterum vale. Deus te servet.

EPISTOLA DXCII.

DANIELI HEINSIO.

1608. PUderet me diuturnioris silentii, nisi haberem, quas afferrem, caussas illius & gravissimas, & justissimas: nam ab aliquot mensibus in luctu & mœrore continuo ita vixi, ut mirari nemo debeat, scribendi officium minus diligenter fuisse à me cultum. Ne alia commemorem, obitus filiæ natu maximæ eo me angore nuper affecit, ut nunc primùm expertus mihi videar, ἡ φυσικὴ στοργὴ quàm violenta res sit. Ea certè fuit charissimæ filiæ meæ indoles, ut non solùm uterque parens, sed & quicunque mores & pietatem singularem ipsius nôrant, fato functam nobiscum luxerint. Ego illam Deo non dubito fuisse charam, qui maturè ad se recepit, & peccandi necessitate absolvit; nec te fugit vetus dictum, ὃν ὁ Θεὸς φιλεῖ, ἀποθνήσκει νέος. Accepi tandem Paraphrasten tuum, de quo judicium meum anteà ad te scripsi: legeram enim multò antè, quàm tuum munus ad manus meas perveniret. Agerem tibi pro eo gratias, nisi deficerent me verba tuis meritis ἰσοῤῥοπα. Satyram tuam * quâ cupiditate expectem, vel sitiam potius, exprimere verbis non possum. Polybius noster, quod ad Authoris textum attinet, jam penè ad umbilicum est perductus: sed longè adhuc à meta absumus. Quod superest, peto à te, ut præstantissimum virum, & omni laude majorem, qui has tibi reddidit, eâ comitate excipias, quam excellens ejus virtus meretur. Vale, & nisi grave est, D. Baudium à me saluta. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. April.* CIↃ IↃ CVIII.

** Menippeam. Vide suprà, Epist. DLIX.*

EPISTOLA DXCIII.

JOSEPHO SCALIGERO.

Hæc est responsoria ad Scaligeri Epist. 135.

1608. POst gravissimum casum, qui me nuper afflixit, & de quo ante aliquot dies scripsi plura ad te, literis primùm tuis nonnihil sum recreatus. Nam ad cæteras meas ærumnas gravis cura accedebat de tua valetudine & statu; quòd nihil à te literarum ab aliquot retrò mensibus acceperam; & inaudita frigoris asperitas non mediocri de te metu me afficiebat. Heic certè plures sævitiâ hyemis sunt absumpti, quàm pestilentiâ illâ, quæ ante biennium urbe nos expulerat. Neque sanè dubito, quin ea ex causa morbus ille fuerit ortus, qui me filiâ natu maximâ, utrique parenti longè charissimâ, longè dignis- 1608.
simâ amore nostro, orbavit. Ago Deo Opt. Max. grates gratissimas, quod meus de te metus fuit inanis; oroque illum, ut te, δὶς γέρον, ultra Nestoris annos servet ἀπήμαντον. Zohar te accepisse gaudeo. Confidas velim nihil futurum in potestate mea, quod non tecum, si voles, communicem. Quæsivi, & quæram adhuc diligentius, si quid eorum invenire potero, quæ indicasti †; tum, si quid erit, statim ad te; sit modò, cui tutò dem. Miratus sum quæ scribis de amicis Heidelbergensibus. Inaudiveram equidem aliquid; sed seriò id agi, neque putabam, neque adhuc puto. Quid enim sumus? aut quid ibi acturi? Itaque non raro cùm imminentem procellam cogitamus, ἐκπλαγεὶς τῷ δέει stuperfieremus, nisi repentè oculos cœlum versus attolleremus. Ea nostra patria est, quam nullus Loïolita nobis eripiet. Libellus *de Libertate Ecclesiæ* neque absolutus est, neque heic potest absolvi: disertè enim rogatu τοῦ τριγκαρήνου vetuit is οὗ κράτος ἐστὶ μέγιστον. Accedit, quod tempus præteriit: & Autor ita festinatò partum illum, vel potius ἔκτρωμα effuderat, ut vehementer ipse gaudeat, ejus deformitatem perpetuis tenebris esse damnatam: qui si alibi esset, atque id seriò ageret, in eo argumento nonnihil posset. Porrò has traditurus eram viro summo, qui tui maximè videndi desiderio iter instituit. Is est, qui omnium optimum Eusebii codicem tibi commodaverat. Quo loco hîc sint boni, ex eo potes colligere, quòd tantus vir, tam benè de Republica meritus, omni jam publicâ curâ est liberatus. Vale, Vir illustrissime, & me semper ama. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. April.* CIↃ IↃ CVIII.

† Epistoli 132. scilicet Alcoranum in Latinum translatum cum Arabico textu; Vocabularium Arabicum.

Fasciculum, in quo novem, aut decem Martiales inerant, an acceperis, cupio scire. Traditus est Bibliopolæ Parisiensi, qui librorum fascem isthuc mittebat, cui nomen Beisio. Novissimum fasciculum meum an acceperis, in quo erant literæ & chartæ quædam ex Aquitania ad te missæ, scire cupio. Tradidi eum Johanni Meursio.

EPISTOLA DXCIV.

DANIELI HEINSIO.

SOmnium tuum, clarissime Heinsi, 1608.
vidi, legi, relegi. Sciebam quantus esses in serio tractandis literis; quantus in omni genere seriæ scriptionis: tantum inesse tibi leporis, tantum amœnitatis ac venustissimæ venustatis, neque

1608. que ego sciebam, neque fortasse quisquam alius eorum, qui è tuis scriptis te nôrunt. Deum immortalem! quàm ingeniosa ἡ τ̃ μύθȣ διασκευή, καὶ διάθεσις! quàm non è trivio, sed nescio unde ex abdito petiti joci! quàm docti & salsi sales! quàm alta denique, & profunda, atque effluens eruditio tua in singulis propè verbis apparet! Itaque etsi ἐν δεινοῖς ὢν καὶ γλυκυθυμίας πάσης ἀποσεζάμενος, abstinere tamen non potui, quin lepidissimum scriptum sæpe legendo producerem. Placuit etiam, filium meum natu maximum * ad epularum tuarum delicias admittere; ac propterea Satyram tuam cum eo relegi, ut quæ minus assequeretur, ea ipse interpretarer. Sed accidit perincommodè, ut præter illa quatuor exemplaria, quæ à venerando & illustri Scaligero sunt missa, nullum aliud in urbe reperiatur; eò namque factum, ut illo libro, quem acceperam, frui diu mihi non licuerit. Intelligo etiam non deesse, qui curandam hic ejus libelli editionem suscipiant. Potes inde conjicere, quos plausus heic tulerit Somnium istud tuum. Omnium communis vox est, somniando te vel eruditissimorum virorum vigilias, & ad Cleanthis lucernam elaboratas lucubrationes superasse. Macte, Vir doctissime, hac pietate, hac generositate mentis, hac denique capitalis atque ignei ingenii beatissimâ copiâ. Equidem in eorum numerum adscribi postulo, qui propter hanc μεσονυκτίαν scriptionem multùm se tibi debere, ingenuè profitentur. Deum veneror, mi Heinsi, ut tuum hoc pietatis officium benè tibi velit evenire. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VI. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CVIII. Scripsi raptim per occasionem.

* Joannem.

Epistola DXCV.

JOSEPHO SCALIGERO.

1608. Illustrissime Vir, qui frustra hactenus conatus sum, virtutes tuas imitari; nactus tandem sum, quod imitari possem. Accepi enim abs te paucis diebus tria ἐπιστολιδάρια, quorum brevitatem ad exemplum mihi proponere constitui. Libellus Heinsii me καὶ ἐν κακοῖς ὄντα supra modum exhilaravit. Moriar, si legere quicquam simile in eo genere memini. Euphormionem geminum οἱ χυδαῖοι mirantur: habeo, quod illis opponam. Si quid judico, neque lepidius, neque doctius scriptum ullum à multis annis prodiit. At ὁ τρισκατάρατος † Ratisbonæ triumphum agit de veritate Dei ‡, & virtute tua ac parentis tui triumphata. Non puto eum esse, qui *Tres capellas* edidit, scriptum (Deus bone!) infacetum, impium, diabolicum. Symmachum ejus vidisti, & quomodo Lectium, & Juretum, virum de literis optimè meritum, excipiat. Habes, quod gaudeas: nemo inimicum se tuum profitetur, qui omnibus bonis & doctis bellum non indixerit: καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Polybii editio, ad textum quod attinet, prope jam ad metam est perducta. Superest Commentarius noster; ad quem priusquam me accingo, lectionem Diatribæ tuæ *de Re nummaria* vellem redemisse parte dimidiâ omnium bonorum, quæ mihi τῶν N. N. ἡ παρανομία reliqua fecit. Plura ne addam, pudor vetat. An literas meas acceperis, quas Bongarsio dedi, cupio scire. De fasciculo Martialis exemplarium, Beisio traditorum, pudet toties scribere: sed quiescere non possum, priusquam intelligam, rectè illum esse curatum. Epistolam τ̃ χρονολησογράφȣ N. ⸸ ἔγνων, ἀνέγνων, κατέγνων. Vale, illustrissime Vir. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VI. *Eid. Maj.* CIↃ IↃ CVIII.

Ad clarissimum Heinsium, quia otium non dabatur, non jam scribo; neque ad præstantissimum Grotium, cujus auream tragœdiam accepi. Scribam ad utrumque intra biduum, σὺν Θεῷ εἰπεῖν. Utrumque, nisi grave est, & τὸν πάνυ Baudium, salvere à nobis jubebis.

† Scioppius. Colomes.

‡ Vide Scaliger. Epist. 135.

⸸ David. Parei. Scaliger. Epist. 131.

Ad hanc Epistolam respondet Scaliger, Epist. 139.

Epistola DXCVI.

PETRO FABRO. ✠

Vellem sanè, præstantissime Faber, ita tulissent fata, ut quemadmodum ais optasse, suavissimâ consuetudine tuâ in gravissimo casu meo frui potuissem. 1608.
Ea res ad leniendum dolorem meum quantum fuisset valitura, facilè vel ex eo intelligo, quòd unius Epistolæ tuæ lectione non mediocriter sensi, me isto Ætnâ graviore onere levatum. Quæ duo plurimùm possunt ad minuendum dolorem, τὸ ἀληθινῶς συμπάσχειν, καὶ τὸ ὅλως ἤπια φάρμακα πάσσειν, ambo eximiè abs te sunt præstita. Igitur quòd te quoque non perfunctoriè mea mala tangunt, agnosco pietatem, probitatem & amorem in me tuum. Ago tibi, venerande Senex, pro hoc affectu, proque officio, quod necessario meo tempore mihi exhibuisti, grates gratissimas. Omnino si unquam mihi fuit optandum, tui & similium tui virorum alloquiis posse frui, tùm certè fuit, cùm recenti matris obitu, & aliis malis gravissimis, quorum commemorationem supersedeo, propè confectus, alio insuper telo, ceu ful-

1608. fulmine quodam cœlesti sum repentè obtritus; amissâ filiâ natu maximâ, cujus ne nunc quidem sine lacrymis parentes meminisse possumus. Nam ut taceam τῆς φυσικῆς στοργῆς vim illam ἄφατον, ea fuit filiæ nostræ τῆς μακαρίτιδος (sic spero in Domino, & propter meritum Domini Jesu) indoles, ea constantia in puriore Religione, is zelus, ut amore utriusque parentis esset dignissima. Accedit quòd morbi insidiosi ac fallacis violentia eam nobis penè inopinantibus rapuit. Fateor tibi ingenuè, venerande Senex, dolorem huic similem nunquam doluisse me; nunquam ita expertum, quàm parum firmus adversus hujus generis πειρασμοὺς essem. Ignoscat mihi Deus Opt. Max. scio nihil gravius esse ferendum, quod ipse nobis immittit; scio esse partem impietatis, non ita affectibus moderari nostris, ut appareat ex animo quotidiè nos dicere, γενηθήτω τὸ θέλημά σου. Sed enim, mi Faber, homo sum, εἷς ὁ τυχὼν τῶν ἠπεδανῶν μερόπων, imò lutum, non homo, qui tam parum ad hanc diem profecerim in Ecclesia Dei: piget enim pudetque me infirmitatis meæ. Faxit Deus pro sua ineffabili clementia, ut ego & omnes mei melius posthàc proficiamus, neque aliud quid unquam velimus, nisi quod ipsum velle cognoverimus. In hoc voto desino, eundem supplex venerans, ut te servet quàm diutissimè, & senectutem tuam magis magisque fortunet. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum, a.d. v. Eid. Maj.* CIↃ IↃ CVIII.

EPISTOLA DXCVII.

✠ HUGONI GROTIO.

1608. PUto jam accepisse te, præstantissime Groti, quas ante dies paucos ad te dedi. Eas literas isthàc curavit clarissimus Meursius: qui quum repentino consilio mox profectionem ad vos instituerer, sine meis ad te, hominem utriusque nostrûm amantissimum dimittere non potui. Ago igitur tibi πάλιν αὖ γὰρ πάλιν pro recenti tuo munere gratias gratissimas; Tragœdiam dico tuam, verè tuam, & eo viro dignissimam, cujus olim pueri, & adhuc πτερυγίζεται rudimenta doctos omnes stupore perculerunt; ut magnum videri non debeat, si quæ hac ætate adultiore scribis, nemo sanus & intelligens sine admiratione tui possit legere. Poëmatis vero hujusce tui peculiaris caussa est, in quo tu Lectoribus, ut incertum esset, effecisti, pietatemne tuam prius, an δύναμιν μιμητικὴν admirentur: utraque enim istâ dote Auctorem suum *Christus patiens* tuus commendat. Opto tibi, clarissime Hugo, omnia læta & fausta, ut & operâ tuâ forensi quàm diutissimè patria utatur, à quo recens novo hoc honore es auctus; & nos, qui literis delectamur, scriptis tuis subinde beemus. Vale, & me amare perge. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Maj.* CIↃ IↃ CVIII. 1608.

EPISTOLA DXCVIII.

DANIELI HEINSIO.

DE Satyra tua Menippea egi nuper tibi gratias, doctissime Heinsi, & quàm grata ejus lectio mihi fuerit, significavi *. Omnino, si quid mei judicii est, omnes à tergo reliquisti, qui nostrâ, aut patrum memoriâ simile quid sunt aggressi. Ne hostes quidem literarum, & Scaligerici nominis, sine admiratione summa altæ hujus doctrinæ tuæ illa legent. Me verò quòd inserueris tam ingenioso scripto, quas ego possum condignas tibi grates agere? Sed diu est, cùm in ære sum tuo, sine ulla spe paria unquam tecum faciendi; quanquam animo certè faciam, etsi re non possum: καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ· οὐ γὰρ δὴ ἕδρας νῦν ἀκμή· urgent enim Polybianæ operæ, & aliæ curæ μυρίαι ὅσαι. Sed quum ad vos rediret clarissimus Meursius, facere non potui, quin hæc pauca exararem. Vale, præstantissime Heinsi, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Maj.* CIↃ IↃ CVIII. 1608.

* Epistolâ DXCIV.

Virum clarissimum, Dominicum Baudium, meis verbis, nisi grave est, salvere jube; non enim vacat nunc mihi ad eum scribere; neque ita diu est, cùm scripsi.

EPISTOLA DXCIX.

JOSEPHO SCALIGERO.

DEderam paulò antè eruditissimo Meursio literarum fasciculum, quem ad te curaret; mox venit ipse ad me, suum isthuc reditum nuntians, & numquid vellem rogans. Etsi nihil erat novi, quod scriberem, facere tamen non potui, ut sine meis eum ad te redire paterer. Ille tibi nuntiabit, quo loco sint nunc res meæ. Nam in illo gravissimo casu, qui ante menses ferè tres me perculit, assiduè mihi vir hic doctissimus adfuit, neque ab eo quicquam prætermissum, quo summum & propè ἄτλητον dolorem meum mihi redderet leviorem; quo nomine quantum ipsi me debere sentiam, verbis expri- 1608.

1608. mere non possum. Per eam occasionem quùm unà multùm essemus, multùm etiam de te, & tuis in Rempublicam literariam ingentibus meritis loquebamur. Erat mihi suave, etiam in recentissimo luctu, de te & tuis studiis atque institutis novi subinde aliquid addiscere, quod mirarer. De Satyra Heinsiana nuper gratias egi, & quanta cum voluptate ac stupore lepidissimum libellum legerim, ostendi *. Martiales tuos an acceperis, nondum scio; eâque re animi crucior: recens editos commiseram fidei Drovardi. Monitus à te officio illum suo defuisse, quum quærerem, quâ tutissimâ viâ fasciculum à Drovardo receptum ad te curarem, obtulit se Beisius, Bibliopola isthîc probè notus; qui sanctè confirmavit, intra dies quindecim te, si operâ ipsius uti vellem, eos libros accepturum. Quid ex eo tempore illis sit factum, nescio. Ita rem esse gestam, mihi accredas velim. Si periit etiam ille fasciculus, mittam confestim alios. Polybii contextus cum Legationibus jam ad umbilicum vergit. Superest Commentarius, qui in lucem prodiret confidentior, si quam abs te impetrare plumam posset, quâ se ornaret; atque utinam tantum tibi abs re tua esset otii! Deum oro, ut te servet, illustrissime virorum, & mihi amorem tuum. *Lutetiæ Parisiorum*, *Eid. Maj.* CIↃ IↃ CVIII.

* Suprà, Epist. DXCIV.

Epistola DC.

✠ JOANNI DEODATO.

1608. NUper cùm tuis literis, amantissimè scriptis, respondi, præstantissime Deodate, munus verè divinum, quo me beasti, nondum acceperam. Itaque pro illo sic tibi gratias egi, ut qui illud necdum vidissem, neque meam illius fruendi sitim lectione diligenti, quod posteà facere conatus sum, explessem. Etsi autem ne nunc quidem tantum temporis in eo posui, quantum ponere constitui, qui non prius desinam, σὺν Θεῷ φάναι, quàm totum opus ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς diligenter legero; non potui tamen debere tibi diutius hoc grati animi qualecunque testimonium. Ego enim, Vir doctissime, ubi primùm in Versionem tuam & Notas, haudquaquam sanè translatitias, oculos conjeci, ita captus sum, ut è vestigio constituerim totum opus perspicere, quantâ maximâ fieri poterit diligentiâ. Quod si per susceptam maximi Historicorum editionem licuisset, poteram diebus oppidò paucis, quæ erat alacritas mea ad id studium, negotium hoc profligare. Nunc quia curis aliis, 1608.
iisque diversis, ὀλίγου δεῖν, obruimus, lentius quidem, sed & attentius, in suscepta lectione pergemus. Atque id eò constantius sumus facturi, quia sæpius jam sumus experti, quo & quanto cum fructu sive in Versione, sive in Notis simus versaturi. Quin etiam si quid erit, de quo dubitemus, de eo per literas tecum agemus. Solet enim mihi interdum accidere, ut dum plures Versiones, Veterum præsertim, inter se contendo, ecquæ potissimùm sententia sit amplectenda, subdubitem. Equidem operæ illius, quam in discendis linguis hactenus posui, hunc, sine controversia, maximum fructum duco, diversarum linguarum interpretationes posse invicem comparare. Atqui utinam omnes hodie extarent Versiones, aut Paraphrases, quas eruditi homines, vel Græci, vel Latini, vel Syri, vel Arabes, diversis temporibus & occasionibus procuderent. Nam licet persuasissimum habeam, nullam omnium earum posse reperiri, quæ cum nostra Gallica, aut tua Italica fide, καὶ τῷ γνησίῳ τῆς ἑρμηνείας mereatur comparari; puta tamen, nullam adeò negligenter aut infeliciter fuisse curatam, quæ non alicubi esset adjutura. Scimus superiore anno institutam Romæ editionem Librorum Sacrorum, quæ Origenis Hexapla longo intervallo sit superatura. Omnes enim nobiliorum linguarum Paraphrases, aut Versiones στοιχηδὸν digestas exhibebit. Est præterea unicuique è linguarum exoticarum Versionibus sua interpretatio Latina apposita. Dignum planè opus immortali laude, si cum fide & diligentia curaretur; nunc enim, ut de utroque addubitem, causas habeo gravissimas. Josephus Scaliger, cujus scripta quanti facias, ex Notis tuis eruditissimis cognoscent omnes, libri gemmei Psalmorum pentaplam editionem erat pollicitus; qui utinam vel nunc posset impelli, ut priora sua in Rempublicam literariam merita hac ingenti accessione cumularet. Saltem daret nobis vir summus tres illas inter se diversas Paraphrases Arabicas, quas in scriniis cimeliorum suorum multos jam servat annos. Inciderunt in manus nostras viginti admodum Geneseos capita, Arabicæ cujusdam interpretationis; quæ ita se mihi probarunt, ut plura in eo genere legendi magnâ me cupiditate inflammarint. Nam Psalterium Nebiensis ἀποβολιμαῖον esse, nullus dubito; est enim expressum non è fonte, verùm è Latina interpretatione, quam hodie Romanenses in Hebraicæ veritatis locum imperitis obtrudunt, quum sit

1608. sit depravatissima, & sæpe absurdissima. Sed quò abeo? neque enim id à principio instituceram, qui hoc duntaxat proposito ad hoc familiare tecum per Epistolam colloquium accessi, ut scires, non pessimè locatum esse beneficium abs te, cùm excellentissimo me donasti munere. Audebo dicere, ex omnibus, qui per te sunt profecturi, neminem unum futurum, qui aut ferventiore animo ad discendum se componat, aut candidiore mente tuas laudes, quantum mea tenuitas capere illas poterit, apud omnes bonos sit prædicaturus. De meis rebus quæ scripsisti ad ornatissimum virum, cognatum tuum, vidi, pro quibus si pares meritis tuis grates tibi instituam agere, frustra sim; nullam enim unquam partem tuorum meritorum possim assequi. Sed me tot mala circunstant conserta invicem, & inter se concatenata, ut queri possim, & id quidem justissimè; aliud verò nihil impræsentiarum possim, quum præsertim ita me occupatum studia teneant, ut seriò adhuc cogitare de meorum malorum remediis per illa non sim quitus. Sive domum Stephanicam respicio, omnia sunt conclamata; sive negotia sororis, omnia acta transacta. Erat quidem facillima via & expeditissima funestæ contentionis semel sopiendæ, si certis hominibus posset probari, fore olim vindicem Deum injuriarum, quas viduæ & pupilli acceperint. Sed hæc jam vetus cantilena est, & quæ videtur pro anili fabula à multis hodie haberi. Scito autem, præstantissime Deodate, verè illud queri me, Θεὸς δ' ἐπιμάρτυρος ἔστω, quæ isthic perperam, & contra jus, adversus me, aut sororem miserrimam meam, non semel decreta sunt, ea gravius damnum fortunis meis intulisse, quàm isthic vulgò putetur. Quod quia paucis exsequi non possum, missum in præsentia facio: querelarum enim ἄλις, inutilium præsertim. Scripsi quædam ea de re ad D. Gasparem Laurentium, Rectorem vestrum, quæ esse verissima, amici hic mei sciunt. Qui isthic blaterant de re nihili, aut sine causa, tantum à me fundi querelarum non debere; ii, si meo loco sint, cœlum profectò miscerent terræ. Et oratos velim ἀεργοὺς homines, ne adigant me ad necessitatem cum auctoribus tot injuriarum scripto expostulandi. Uno verbo, reculæ uxoris, eversione domûs Stephanicæ, & multò magis detentione characterum, quando potui mihi consulere, sunt funditùs eversæ. Ego si quid habui, ejus magna pars ab iis absumpta, qui sororem per annos duodecim litibus continuis exagitarunt: nam ad aureos ferè quadringentos accedit summa, 1608.
quam intereà temporis, dum aliquem litium infaustarum spero in diem exitum, subministravi. Sed abrumpo ingratos tibi mihique sermones. Deus te servet, charissime Vir, & quicquid tibi curæ. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Eidus Junias*, ἀπὸ τῆς τοῦ θεοῦ λόγου ἐνσαρκώσεως, CIↃ IↃ CVIII.

De libello Alberii promisso gratias magnas tibi illustrissimus Præses, & ego cum illo. Sed non is est, quem ipse optat; diu nimirum est, cùm illum habet. Is, quem petit, est à D. Faio editus Gallicè.

Inscriptio.

A Monsieur,

Monsieur Diodati, Professeur en la S. Theologie, & és Lettres Hebraïques,

A GENEVE.

EPISTOLA DCI.

DANIELI HEINSIO.

ACcepi nunc ipsas, quas decimâ hujus mensis die ad me dedisti, optime & suavissime amicorum. 1608.
Miratus sum, de meo silentio te queri, quum paucis diebus ternas aut quaternas ad te dederim. Unas Bongarsio τῷ πάνυ tradidi, binas Meursio; quem ego virum non magis literarum scientiâ præstare scio, quàm fide, probitate, pietate, καὶ παντοίαις ἀρεταῖς. Huic ego paulò antè quàm à nobis discederet, fasciculum dedi isthuc curandum, in quo tres erant Epistolæ, una ad reverendum senem, altera ad te, tertia ad Grotium: deinde certior ab eodem factus de subita profectione sua, alterum fasciculum totidem Epistolarum ipsi commendavi. Amissas incuriâ, aut aliquo casu meas putarem; nisi ex tuis discerem, clarissimum Grotium accepisse, quas ipsi scripseram. Oro te, dulcissime amicorum, inquiras ab Meursio, quid illis sit factum fasciculis: quos non esse amissos, mea plurimum interest. Ante omnia illud tibi persuade, ne fieri quidem posse, ut tam crassa, tam supina, & planè ἀπροφάσιστος negligentia in eum hominem cadat, qui te & illustrissimum Heroëm dies noctesque cogitat, & in recordatione vestri ex gravissimis ærumnis solet acquiescere. Noli igitur, per Deum immortalem, gravissimis doloribus & curis meis, quibus assiduè conficior, hunc cumulum adjicere, ut propter diuturnius meum silentium, quod nullâ meâ culpâ intervenit, tuum erga me animum esse immutatum experiar.

1608. Τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. Deus te servet. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, statim post tuas acceptas, *die Junii* XVI, CIϽ IϽ CVIII.

* Suprà. Epist. DXCIV. & DXCVIII. Pro tuo divino libello binis * illis literis egi tibi gratias, non quantas debebam, scio; sed quantas poteram maximas. Aperueram tibi non judicium, sed stuporem meum ad tantæ doctrinæ tantulum scriptum. Quæso te, repete meas à Meursio, & illi, nisi grave est, salutem meis verbis nuntia; nec non viris clarissimis, Baudio & Scriverio.

Epistola DCII.

✠ SAMUELI NÆRANO.

1608. Vellem tantum mihi esset aut facultatis aut otii, quantum est animi & voluntatis tuo desiderio, Vir eruditissime, satisfaciendi; non dubitarem, quin si minus re, certè benevolentiæ significatione, essem tibi vel cumulatè satisfacturus. Nunc adeò curis variis, & diverso studiorum genere sum impeditus, ut diem diffindere ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ, cogar. Quanquam, mi Nærane, si non penitùs fallor, rem supervacuam à me petis. Quid enim tibi, hac doctrinâ viro, monitore opus? Qui tantum profecisti in itinere suscepto; potes mihi persuadere, viam rectam te ignorare? Ego non puto, & non dubito, si ut cœpisti pergas, eò quò tendis, esse te perventurum. Longum sanè iter ad doctas Athenas es ingressus; sed amœnum, Deus bone! & oppidò fructuosum. Nam qui sine literis Græcis aliquid se putant in literis posse præstare dignum in Minervæ arce poni, eorum fatuitatis, stuporis καὶ κακογνωμοσύνης me sanè pudet. Sed de hisce pluribus aliàs, σὺν Θεῷ φάναι. Gaudeo tibi esse commissam Sedanensis Scholæ curam; idque munus bene tibi Reipublicæ literariæ evenire opto. Constituimus, si dabit Deus ὁ ἐπὶ πᾶσι, unum è meis filiis isthuc mittere; ubi confido amicos me habere; quorum numerum per te factum esse auctiorem, non parum lætor. Ea est futura occasio mutuæ scriptionis inter nos sæpe repetendæ. Ita velit, qui solus, quicquid vult, potest. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XIII. *Kalend. Jul.* CIϽ IϽ CVIII.

Epistola DCIII.

✠ JACOBO CAPELLO.

1608. Responsum ad binas tuarum tibi debeo, optime Vir & doctissime. Puderet me diuturnioris cessationis, nisi cum benigno creditore mihi res esset, qui animum, uti spero, non ignorat meum. 1608. Quòd meis adversis tangi te ostendis, & pervenit etiam ad te dolor aliquis ex obitu τῆς προσφιλεστάτης, καὶ σωφρονεστάτης, καὶ νῦν μακαρίτιδος mearum Philipparum; agnosco probitatem, pietatem, & benevolentiam erga me tuam. Est hoc quidem naturale omnibus parentibus, ut liberos ament suos: sed illius φυσικῆς στοργῆς, quæ τὴν μακαρίτιν utrique parenti quàm arctissimè alligabat τὸν ὑπέρμεγα, non est adeò res communis. Nulla vixit unquam parentibus obsequentior filia, aut quæ unicè dilecta, & liberaliter habita, majore metu offendendi patris aut matris teneretur. Omitto ingenium ad omnia Minervæ opera εὖ πεφυκός· pietatem certè omittere non possum: quando ea vel præcipua fuit causa, cur ipsam præcipuâ charitate complecteremur. Si scires, Vir præstantissime, quàm ἐνδιάθετον odium mendacii, & τῆς κακοθρησκείας ejus animo fuit innatum, nostris fortasse lacrymis non invitus ignosceres. Memini, cùm soliti ventilare ad me οἱ Λωϊολῖται πρὸς τὸ σκευωρεῖν τὴν ἡμετέραν πίστιν, quos sermones ab ea audiverim: nam neque ipsa, neque mater manserunt ἀπείραστοι. Deum immortalem! quâ pietate, quo zelo, & illo tempore, & sæpe aliàs ἡ μακαρῖτις animos mihi addidit, & generositate suâ, penè dixerim, mihi præivit ad fortem mundi contemptum. Jam ex quo Genevenses inauditâ παρανομίᾳ & me, & sororem nostris fortunis nos spoliarunt, quoties illa me, ipsius potissimùm causâ mœrentem, est solata? quum negaret, de se sollicitum esse me debere; sibi omnes spes suas non in paternis bonis esse repositas, non in sua industria; verùm in unius Dei Opt. Max. benignitate, clementia, & providentia: illum aviculis necessaria omnia suppeditare; sibi quoque eundem, quæ forent ex usu, suppeditaturum. Quid multa? & nos eo ingenio filiam educasse lætabamur; & amici, qui pietatem & dexteritatem, καὶ τὴν φιλόκαλον ἄνευ χαυνότητος nôrant, τοὺς φίλους ἐμακάριζον. Ejus verò amissæ (præmissam volui dicere) luctus eò gravior nobis accidit, quòd penè citius nobis est erepta, quàm periculosè ipsam ægrotare suspicabamur. Hoc nos malè habuit; hoc nos propemodum ἐξέστησε τῶν φρενῶν. Sed feramus, quod Deo placitum; neque enim dubitamus, τὸν Σωτῆρα τοῦ κόσμου, Dominum Jesum, suo sanguine ipsam abluisse, & nostris suisque peccatis mundatam εἰς τὸν εὐσεβῶν χῶρον transtulisse. Tu verò ignosce, Vir optime, atque humanissime, quòd querelis meis diu-

1608. diutius te moror. Equidem de industria diu me continui, & respondere ad tuas distuli, si fortè longa dies aliquam rerum præteritarum oblivionem induceret. Sed quotidie videtur dolor crescere: nunc utique absente uxore, in qua una ex humanis rebus, curarum mearum est solatium ac levamen. Illa, necessitate rerum nostrarum coacta, longum iter in Delphinatum, & quidem ἐν γαστρὶ ἔχουσα, instituit, quæ res adeò solicitum me habet, ut nunquam æquè fuerim. Unica res est, quæ εὐθυμίαν mihi affert; certa spes & fiducia καὶ πεποίθησις ἐπὶ τῷ Κυρίῳ, qui te, eruditissime atque amicissime Capelle, servet. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XIII. *Kalend. Jul.* CIϽ IϽ CVIII.

EPISTOLA DCIV.

JOSEPHO SCALIGERO.

1608. ILlustrissime Vir, ex iis literis eruditissimi Heinsii, quas modò accepi, cognovi, non esse tibi traditas Epistolas duas, quas ad te paucis diebus scripseram, & Joanni Meursio, patriam repetenti, dederam. Demiror, quî sit hoc factum; neque possum aliud nisi infelicitatem meam agnoscere; cui ab aliquot mensibus nisi ingratum, & contra animi sententiam, nihil fermè evenit. Egi per literas cum nostro Heinsio, ut eas Epistolas duobus fasciculis inclusas à Meursio repeteret. Puto etiam, accepturum te brevi, aut jam potius accepisse, quas clarissimi Bongarsii, isthuc cogitantis, fidei commisi. Ego à multis mensibus tuas vidi nullas, præter Laconicas, opinor, ternas, paucissimorum verborum. Optarem uberiores; sed & sic scriptæ, gratissimæ semper erunt, modò valere te intelligam, & me amare. Deum veneror, magne Heros, ut te servet. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* X. *Kalend. Jul.* CIϽ IϽ CVIII.

Pudet scribere toties rem eandem; sed tamen cupio scire, an illum fasciculum acceperis, quo Martialis exemplaria continebantur. Meursius unum habuit à Stephano * in cœrulea charta tibi missum. Optabam aliquid à te mihi suggeri, quod Polybianis meis insererem: inveni tandem, opinor, ejusmodi aliquid: nactus enim sum Polybii codicem τοῦ μακαρίτου Buzenvallii, ubi criticas aliquot notulas offendi, quas non dubito esse à te profectas. Quicquid erat exquisitius, id sub nomine tuo apparebit; ut omnes intelligant, prius vitam me positurum, quàm discendi te magistro cupiditatem.

* *Roberto Stephano, R. F. R. N.*

Ad hanc respondet Scaliger, Epist. 141.

EPISTOLA DCV.

JACOBO LECTIO. ✠

SIc est profectò, Lecti clarissime, homini nato nihil est ἄελπτον, nihil ἀπώμοτον. Quis olim mihi persuasisset, posse fieri, ut literis ad te, τῆς ἐμῆς ψυχῆς τὸ ἥμισυ, scribendis invitus accingerer? Ita accidisse tamen, & diuturnum meum silentium arguit, & hujus quoque ad novissimas tuarum responsionis τὸ ὑστερήμερον. Ratio autem est, quia scribere ad te non possum, ut non refricetur mihi memoria ante malorum, quæ isthic passus sum indignissimè: horret animus ærumnæ illius meminisse, cujus memoriam esse mihi ereptam, magni æstimarem. Et si videri me scio isthic hominem ἀπόσθαλον, non is sum tamen, qui non assiduè gemam, atque adeò acerbam mihi vitam putem, ob toties offensum à me magnum Numen ex iræ vehementia; quoties subit animum, ab iis tot factas esse mihi meisque injurias, pro quibus mortem oppetere, suave mihi atque εὐκταῖον fuisset; ab iis, quorum urbem veræ pietatis ἑστίαν; justitiæ, & omnis æquitatis sedem esse, & credideram semper, & prædicaveram: ab iis, quos si nihil aliud, certè τὸ ὁμόδοξον ἐν τοῖς περὶ θρησκείας, καὶ τὸ ἐν συνέχεσι πειρασμοῖς ἀνένδοτον, (Deo uni sit laus & gloria) conciliare mihi debuerat. Saltem illud cogitarent auctores injuriæ; si mihi meisque omnia adimerent, quæ poterant isthic adimi; at vocem tamen superfuturam & gemitus ad gravissimè conquerendum de gravissima injuria; cogitarent pertinere ad Dei gloriam, ne tanti ἀδικήματος, quò mihi bona mea nefariè eripiebantur, fama ad τοὺς ἐξεναντίας perveniret. Memini, Scholarcham vestrum bis ad me de eo, quod moliebatur, literas prius dedisse, quàm illud iniquissimum decretum ederetur; quod quia hodièque suos isthic patronos invenit, τοῦτο με τῶν φρενῶν ἐξίστησι. Nondum equidem satis capiebam, quid ageretur: illud jam videbam, homines, quos minimè oportebat, oculos cupiditatis rei prorsus alienæ adjecisse: at eò ventum iri, ut in fraudem uxoris meæ, & quò ne illi pars saltem aliqua dotis suæ salva restaret, & de eo, quod scis, cimelio lis mihi moveretur; idque tam absurdo, tam iniquo prætextu; hoc verò fieri posse, animum ipse inducere non poteram: ἀφρήτωρ ἀθέμιστος ἀνέστιος ille mihi æternum erit, qui hoc primus consilium sceleste, nefariè, impiè excogitavit. Postquam igitur Scholarchæ literas accepissem, per ipsa Domini Je- 1608.

sit

1608. lu τὰ σπλάγχνα sum illum obtestatus, ne me tantâ, tam manifestâ injuriâ ultrò iret lacessitum; mihi nihil posse acerbius contingere, quàm si ea ex re discordiæ principium inter nos oriretur. Seriò etiam monebam, si pergeret in fortunas meas invadere, tacitum me tantam injuriam non fore laturum. Cogitaret etiam & etiam, quid aggrederetur: non enim prudentis esse, aliquid committere, cujus posteà caussâ illud sit usurpandum, *Non putabam.* Testor Deum immortalem, jam tum animo cohorruisse me, cùm aliquid eorum conjecturâ olfacerem, quæ deinde magno cum piorum scandalo acciderunt, quæque possunt accidere. Eò impensius Dei hominumque fidem apud Laurentium literis illis meis sum testatus. Quid profeci? ille nihilo secius rem iniquam à Senatu vestro postulavit; postulatam abstulit; & quidem μέτρῳ καὶ λώονι, ne quid ad summam deesset injuriam. Neque est repertus in urbe vestra, qui dolore & jacturâ meâ, tantâ præsertim, non gauderet; paucos, hoc est, unum aut alterum excipio, qui præter dolere nihil poterant. Laurentius verò ille meus quondam conjunctissimus sodalis, quasi victo insultaret, (nam quomodo interpreter, si hoc non est?) de exitu judicii literis suis ἐπιχαρτικῶς me primus fecit certiorem. Scit Montignius, Pastor hujus Ecclesiæ venerandus, quâ die nuntius ille mihi est allatus, in ipsius sinum effudisse me dolorem omnem meum. Qui eâ fine illum conveneram, ut si seriò injuriam meam vobiscum suo & συνελέγχων nomine vellet expostulare, paratum me ostenderem eo stare, quod jus & æquum esse, ipse pronunciasset; idque facturum me, sanctè recepi. Quid posteà acciderit, neque tu nescis, & ego si commemorare voluero, longum fecero. Hoc tantùm dicam, quia juris speciem inusitati iniquitati videbam obtendi, rem detulisse me ad viros prudentissimos, probatissimos, & professione religionis nostræ nobilissimos, Josiam Mercerum, Desiderium Heraldum, Diodatum, civem Genevensem illum quidem, sed probitate virum insignem, alios caussarum in hac Curia patronos eximios; qui lecto & diligenter expenso testamento τοῦ μακαρίτου Roberti Stephani, sine ullo dissensu judicarunt, facinus esse indignum, & exquisitæ ἀδικίας exemplum, quod isthic erat factum. Daniel quoque Chamerius disquisitioni illi interfuit; neque aliter judicavit. Et obsecro te, Lecti, putasne tu, adeò impium fuisse Robertum Stephanum, ut cæteros, & nescio quos Laïco-Ecclesiasticos sanguini suo anteponeret? Putas tantum virum ignorasse, deteriorem infideli illum dici D. Paulo, qui suorum curam negligit? Putas ignorasse, abominandum esse Pharisaïsmum, pietatis obtentu suos spoliare? Quis vestrûm hoc in se velit admissum? Quis tam barbarus, qui velit in suos admittere? Egone Legatorum, quæ pia vocantur, usuram tocullionibus ad stivam natis pendam, (scis ita esse factum) & uxoris dotem scelere eorundem amittam? Ubi pietas istorum Laico-Ecclesiasticorum? ubi judicium? Et tamen vulgo isthic laudatum esse inceptum, & nunc quoque laudari, non nescimus. Quin etiam ubi isthuc renuntiatum est, liberam adversus auctores atrocis injuriæ vocem hic mittere me, priori immanitati hic additus est cumulus, ut, quo uno modo poterat in absentem sæviri, sæviretur: publicè enim sunt immissi homines armati in ædes sororis, ut chartæ meæ explorarentur. Sciant qui tam iniquè de me censuerant, non apud me, sed apud ipsos quæri debere furtiva scripta, quæ publicam lucem metuant. Nostræ chartæ ferunt, & ferent, σὺν Θεῷ, Judicum æquiorum publicam βάσανον· nihil in illis clandestinæ molitionis; nihil cur quisquam doleat. Sciant etiam, beneficio Dei Opt. Max. eo loco esse me, ejus Mæcenatis benignitate foveri, ut à vi injusta nihil metuam. Sed video quid sit: quod semel isthic factum est, eo ipso, quòd isthic factum est, justum, æquum, ὅσιον denique ab omnibus existimari debet. Istâ persuasione isthic vivi, & fortasse vixisse me aliquando, non negaverim. Sed magnæ superis gratiæ, quòd tandem ἀνέβλεψα, & res, non personas didici æstimare. Næ catus erat, qui dixit, παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω. At, inquis, si quam hoc loco fecisti jacturam, non nos, sed affinis tuus culpari debet. Imò enimverò, & de vobis, & de affine cur querar habeo. Ille fatali circa rem familiarem negligentiâ, & aliquid necessariò esset mihi perdendum, effecit: vos, ne quid servarem, certo proposito, & animi destinatione effecistis. Quoties ego vobis significavi, aureos quingentos, ex Anglia missos, per annum integrum apud illustrem Legatum hæsisse, pro illo, quod scis, cimelio mihi numerandos? Hanc summam isti mihi de manibus extorserunt, & meos liberos hoc gravi damno pro sua pietate effecerunt. Adde aliam querelam: nam si illi cimelio boni viri inhiabant, quid malùm oportuit meâ pecuniâ illud redimi? Agerent, ferrent omnia, & maturè procuratorem meum facef- 1608.

1608. facessere juberent. Nunc exspectatum ab illis est, donec ad pignoris liberationem aurei ducenti Clerico essent numerati: par summa alia cogeretur eidem præstanda, nisi à sorore mea (postquam simili æquitate viduæ misellæ omnia isthîc fuerant adempta) me inscio esset interversa. Quis vestrûm hæc ita esse gesta ignorat? Quis malis meis ingemuit? Quis meam παῤῥησίαν severus patruus, non accusavit? Nec defuere, qui joculari officio erga me fungerentur, & longè adeò per literas monerent, parcerem verbis, ne fortè acerbiora dicta mea ad aures eorum pervenirent, qui rerum isthic potiuntur. Adeòne infelicem esse me, ut post tantam injuriam acceptam, etiam in media Lutetia, potentiâ Judicum Genevensium terreri debeam, quò minus liberè conquerar? Hæc quidem vis est, mi Lecti: atqui ne illi quidem ipsi monitores mei nesciunt, amplissimi Senatûs vestri dignitatem ante hoc tempus, vitâ meâ fuisse mihi chariorem. Nunc quoque pro salute vestra mortem pacisci non dubitem. Neque Deus sinit, illum diem videam, quo inimicis vestris aliquid in vos sit juris; quod totâ mente abominor. Cæterùm si in privata mea caussâ auctores injuriæ pro hostibus, aut potius inimicis meis habui, rem, credo, novam feci. Quod ais remisisse tandem jus suum Scholarcham, & Diaconos; idque magno tuo factum esse studio & labore: etsi nihil, jam amissâ occasione, ea res mihi prodest, habeo tamen gratiam, & id officium aliis adnumero, quæ sunt abs te in nos, dum isthic essêmus, collata. Sed fidem tuam, amicissime Vir, convenio, & quid jus appelles, scire cupio; ego hoc scio, hoc semper prædicabo, nullum illis exteris in rem meam jus potuisse competere. Illa vestra carmina, auctoritatem rerum judicatarum, fata caussarum, & similia his alia, equidem nihil moror. Nam si hæc idonea tibi videntur, propter quæ jura naturæ convellantur; at mihi idonea non videntur, cur de tam manifesta injuria, uxori, liberis facta, tanquam ἀπαθὴς Stoicus, aut ἄστοργος atque inhumanus parens, & maritus sileam. Nolo detrahere quicquam officiis erga me tuis: sed hac in re operam, si quam insumpsisti, petitoribus iniquis illam te imputare, non mihi, verum est: ego ex ea re nihil prorsus capio commodi: illorum intererat, ne quod perperam orsi erant negotium, ad exitum perducerent. Quod scribis, viros graves, ad quos querulæ meæ voces deferuntur, libertate nimiâ dictorum offendi meorum; nimirum id tacitè significas, debuisse me aliquo scripto jura hujus caussæ illos docere. Quod sanè pridem esset factum, nisi illud ipsum, quod initio dicebam, impediisset, & sæpe gestientem id facere inhibuisset. Fateor, quoties sermo incidebat, aut aliqua necessitas cogebat, liberè me, sive in colloquiis, sive per literas, apud amicos dolorem meum expromsisse: ut verò criminationibus inimicorum refellendis, quas ex urbe vestra passim disseminari audiebam, aliquid ex professo scriberem, hactenus impetrare ipse à me non potui. Videro in posterum, quid sim facturus. Nam quid ego commerui, cur isti post eversas fortunas meas, etiam existimationi meæ maculam velint inustam? Ego verò opum jacturam possum pati; nomini meo inuri notam apud bonos, pati non possum. Nemo quæ isthic acta sunt, defendet, qui me summæ iniquitatis non accuset; hoc ego non feram, neque bonam caussam silentio meo prodam. Hoc ut bona cum tua gratia mihi liceat, amicissime Lecti, per ego te veterem amicitiam nostram, tot publicis monumentis testatam, oro, obsecro, obtestor. Noli, per immortalem Deum, amicum tuum, quo pluris nemo te facit, in eas angustias cogere, ut vel amore tuo ei sit carendum, quod mortis instar fuerit; vel boni viri existimatio decoquenda, quod & morte ipsâ tristius sit futurum. Ego Deum precibus meis δυσωπεῖν non cessabo, quo te, charissimum mihi caput, servet incolumem, & omni bonorum genere magis magisque indies cumulet. Sic te Dominus adjuvet, & hac liberet molestiâ, ut hoc tibi ex animo opto. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* III. *Non. Jul.* CIↃ IↃ CVIII. 1608.

EPISTOLA DXCVI.

JOSEPHO SCALIGERO.

ILlustrissime Vir, occupatissimo mihi oblata est occasio ad te scribendi: itaque habebis longè breviorem Epistolam hanc, quàm fuisses habiturus, si otium scribendi suppeditasset. Ex iis, quas à te novissimas accepi, quantam ceperim voluptatem, dici non potest. Ostendebas enim luculentissimis indiciis atque argumentis, & quantum me amares, quæ summa est gloriationis meæ, τὴν γῆν καὶ ἄνθρωπον, & quàm acriter mea adversa te pupugissent. Anno exeunte, qui proximè est elapsus, quum de sceleribus in me & meos à paralimnitis quibusdam tyrannis admissis, questus essem apud te, sensi ingemuisse 1608.

1608. muisse te malis meis, neque certorum hominum fuisse similem, qui impudentissimè, inhumanissimè, falsissimè disputare audent, ut probent, illos ἀτασθάλους nullam mihi fecisse injuriam: quos ego possum probare multis ipsorum literis, culpam hodie deprecari, & παρανομίας suas agnoscere; verùm eo animo, ut rapto nihilò secius gaudeant. Initio hujus anni quum repentino quasi fulmine erepta mihi esset filia charissima, & utrique parentum non vulgarem in modum dilecta; quantum ex ea re dolorem ipse ceperis, testes habeo literas hasce tuas, quibus luctum meum consolando monendoque ivisti levatum *. Non malè operam posuisti, δὶς γέρον· lectione enim gravissimæ Epistolæ tuæ sensi me non mediocriter levatum. Itaque pro hoc pietatis & sinceræ amicitiæ officio quas tibi gratias agam, non invenio. Accipe nunc aliam non fabulam, sed rem gestam, & recentis casûs historiam, qui minimo minus curis & angoribus omnibus me ἀθρόως liberavit. Scito igitur accidisse τῇ κυριακῇ proximè elapsâ, (is erat dies hujus mensis vigesimus,) dum ad sacram συνάξιν adverso flumine deferimur, ego, uxor, duo natu maximi filii, & soror cum parte familiæ, ut scaphâ fluviatili, quâ vehebamur, ictu repentino & inopinato magnæ navis percussâ, & statim aquâ oppletâ, ὑποβρύχιοι penè diem ultimum vitæ clauderemus. Longùm faciam, si κατὰ λεπτὸν quomodo res acciderit, exponere aggrediar: maximum certè periculum omneis adiimus; sed uxor longè præsentissimum, ego illi proximum. Nam cùm majoris navigii marginem jam prehendissem, viso ejus periculo, mei immemor, dum illam jacentem supinam attollo, & porrigentibus brachia admoveo, cum sidente scapha penè eò sum delapsus, unde vix potuissem servari. Omnino quod servati sumus, ego præsertim atque uxor, singularis benignitatis Dei Opt. Max. erga nos & nostros est argumentum. Atque hoc te non nescire volui: neque enim dubito, & te, & præstantissimum Heinsium, Autori salutis nostræ gratias nobiscum esse acturos. Scriptum, quo fabula Burdoniana refutatur, cupidissimè exspecto. N. † rediisse ad se, & insanam Epistolam damnasse, gaudeo illius causâ magis quàm tuâ. Polybii textus, beneficio Dei, superioribus diebus est absolutus. Restant nostræ observationes, quæ me diu multùmque & tenebunt & exercebunt. Vale, illustrissime Scaliger, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IX. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CVIII. Ignosce festinationi.

* *Vide Scaliger. Epist. 139.*

† *David. Pareum, uti patet ex Epist.* DXCV. & *Scaliger. Epist.* 139.

Qui tibi has reddidit, tui nominis, si 1608.
quis alius, cultor est insignis & devotus.

Ad hanc respondet Scalig. Epist. 142.

EPISTOLA DCVII.

DAVIDI HOESCHELIO.

QUas ad me Idibus Quintilis dedi- 1608.
sti, eas ego ante dies, opinor, quinque accepi: quæ si maturius mihi fuissent redditæ, potuissem certius & exploratius de Arriani codicibus tibi respondere. Nunc enim brevitate temporis exclusus, aliud nihil queo præter hoc unum, quod ἀσφαλῶς καὶ βεβαίως, ξὺν Θεῷ δ' εἰρήσεται, tibi recipio, omnia me cis dies paucissimos in Bibliotheca excussurum, πάσας τὰς γωνίας διφήσειν, ut voti tui compotem te faciam. Scio esse ibi nonnulla ejus argumenti, sed quæ nunquam hactenus cum editis contulerim. Habes hic virum optimum, tui amantissimum, Frontonem Ducæum, cujus operam hac in parte confido mihi non defuturam. Fuit olim in potestate mea Simplicius, à Nicolao Fabro, viro clarissimo, cum scriptis collatus: sed is liber Monspelii turpi furto mihi est ereptus. Sed de Bibliotheca iterum confirmo tibi, nihil tibi defuturum eorum, quæ in ea fuerint reperta. Inscriptionem veterem isthic esse recusam, lætor. Ego, quæ mihi iterum atque iterum illam percurrenti in mentem venerant, raptim exaravi, lubentissimo animo gratias iis acturus, qui me certiora & meliora docuerint. Tu fecisti ex parte; cujus judicio mea omnia semper, pro eo ac debui, permisi. Quod si meâ operâ unquam ea opella heic recudatur, videbis, quàm non gravatè errores meos corrigam. Polybii textus, Dei beneficio, est absolutus. Superest Commentarius; longus, ô Musæ! labor, & à cujus meta procul adhuc absum. Nam quod sæpe queri apud te memini, in ea urbe sum, ubi non malè mecum agitur, si paucas horas diurni temporis studiis possim impendere: sæpe enim ne id quidem licet. Spero tamen cis dies paucos principium me edendi nostra Polybiana esse facturum. Nam absoluto contextu paucos dies interjunximus. Vale optimè, doctissime Hœscheli. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IV. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVIII.

Epistola DCVIII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEIMIO.

1608. PAucis diebus priusquam tuas acciperem, præstantissime Lingelsheimi, fuit mihi super eo, quod tute scis, negotio * cum insigni viro, Buwinckhausio †, serium colloquium. Didici ex eo, ad aureis usque Serenissimi Electoris & aliorum Principum summorum rem pervenisse, neque ab eo consilio ipsos abhorrere: sic enim ille mecum eo de negotio est locutus, tanquam de re minimè dubia ac planè certa, & jam decreta. Respondi viro nobilissimo pro eo ac debui, non adeò Suffenum memet esse mihi, ut honore hoc tanto quàm parum essem dignus, non probè intelligerem. Satis mihi exilis atque angusti ingenii mei modum esse notum. Scire probè, opinioni huic de meis studiis concipiendæ quinam Illustrissimis Principibus auctores extitissent. Vereri me etiam atque etiam, ubi ad rem fuerit ventum, ne prædicationi virorum mihi amicissimorum opera nostra parum omnino respondeat. Optare igitur, atque adeò orare me viros illos præstantissimos, videant diligenter, quid agant, quòve, aut quorsum me vocent, neque committant, ut sui posteà consilii ipsos pœniteat. Mihi quidem certè neque optatius, neque utilius temerè quicquam posse contingere: unum namque illud esse studiorum genus, in quo solo jamdudum animus acquiescit meus; etsi perincommodè illud acciderit, ut otium & occasio dedendi me totum iis literis, hactenus mihi defuerit. Fide, diligentiâ & ingenii contentione daturum sedulò operam, ut piorum & bonorum omnium judiciis, quantum Deus dederit, satisfaciam. Rerum porro nostrarum cum statum heic esse, ut honestam conditionem inter ἐμεσδόξας oblatam nullo modo repudiare debeam. Deo igitur Opt. Max. & eorum prudentiæ, qui rem inchoassent, totum hoc negotium me permittere. Hæc summa est colloquii cum viro nobilissimo tunc habiti; à quo ita tum discessi, tanquam post paucos dies iterum de re eadem collocuturus: ita enim ille tunc temporis existimabat, ex eo itinere, ad quod postridie se accincturus erat, post dies sex septem sese rediturum: quod longè aliter accidit; nam hic jam alter mensis est inchoatus, ex quo sumus unà confabulati. Volui autem hæc te scire unum ferè mortalium, ut quid actum esset mecum, & quo loco res 1608. essent, quidve à te, Vir excellentissime, & cæteris ejus consilii auctoribus & suasoribus expetam, non nescires. Nam equidem non sustineo conscius mihi esse dissimulanti studiorum meorum, in eo præsertim genere literarum, infelicitatem; qui nescio quo fato semper hactenus, ne melioribus & nobilioribus curis ὅλος καὶ πᾶς, ut optabam, incumberem, fui impeditus. Videte igitur, ac seriò cum omnibus vestris expendite, hujus incepti quis sit futurus fructus. Cæterùm de conditionibus, quæ visa fuerint, post alterum meum cum viro nobilissimo congressum, faciam te ut scias. Familiam mihi peramplam esse, ne te quidem, opinor, fugit: sunt mihi, & sint, precor, tot liberi, quot Thebarum portæ. Accedit nuperum onus sororis, & filiæ ex ea natæ; quando ita placuit perfidis * ‡ immanibus παρανομίαις bonis omnibus suis spoliatam, planèque nudam ad me remittere: ut taceam mihi atque uxori meæ factas ab iisdem illis injurias; quarum utinam ponere memoriam aliquando possimus. Vale, nobilissime atque amplissime Lingelsheimi, & me, quod facis, ama. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Septemb.* CIƆ IƆ CVIII.

Polybii nostri contextus Græcus pariter ac Latinus, ante mensem, Dei beneficio, est absolutus: nunc supersunt observationes nostræ, quarum editio multos menses nos exercebit; multùm enim sudavimus, ut duas nobilissimas disciplinas, τὴν πολιτικὴν, καὶ στρατηγικὴν, novâ diligentiâ illustraremus; det modò ὁ ἐπὶ πᾶσι, de absoluto opere gratias illi posse agere.

* *Scilicet ut Casaubonum vocarent Heidelbergam. Vide* Scaliger. Epist. 135. *Huic autem Benjamino à Buwinckhausen inscripsit Gregorii Nysseni Epistolam, edit.* 1606.

† *Quare hic in Galliam fuit missus, vide* Lingelsheimii Epistol. ad J. Bongarsium 92.

‡ *Genevensibus. Vide suprà, Epist.* DLXXXVII.

Epistola DCIX.

MARCO VELSERO.

AMplissime Vir, non dubito, quin 1608. Epistolam acceperis, quam ad te novissimam dedi. Erant illi adjuncta duo exemplaria editæ heic nuper Inscriptionis, de qua tuum judicium discupio scire. Audio, clarissimum Hœschelium isthîc eandem ἐπιγραφὴν, sive potius καθηκόντως στήλην, fuisse interpretatum; qui si lucubratiunculam suam mihi inviderit, aut tu ejus vicem non suppleveris, parum me ab utroque vestrûm amari putabo. Accipe nunc libellum, recens hîc publicatum, quem ut à magno Scaligero profectum, scio fore tibi gratum: ego eâ occasione usus sum, ut meis canibus semel responderem; si respondere est, profiteri me nunquam responsurum. Equidem ne-

1608. que ita otio abundo, neque ita prostituti sum pudoris, ut descendere in arenam cum feris istis sustineam. Sunt alia, quæ potius curem. Polybii editio omittenda foret, si pessima capita, & ex Orco emissa, accipere vellem uti merentur. Ego verò ne meminisse quidem illarum pestium posthàc volo. Erit Deus vindex meæ innocentiæ adversus istos calumniatores. Illi spei incumbens, latratus istorum ne pili quidem unius faciam. Inchoata editio strenuè urgetur superûm beneficio. Sed multi menses labentur, priusquam perveniamus ad metam; quam det videre ὁ ἐπὶ πᾶσι, qui te servet, Vir amplissime. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVIII.

Quum hæc scriberem, venit ad me Theologus Nuntii Romani Pontificis, illustrissimi Cardinalis, qui monuit me ejus nomine, in nupera Inscriptione versum deesse in nostra editione, qui reperiatur amplius in exemplo ad se Romam misso: cupio scire an in tuis idem reperiatur. Literas, & librum, quem tibi mitto, fidei tuæ commendo. Fato quodam accidit, ut audio, ut omnes, credo, meæ perierint, quas ad virum clarissimum, Taubmannum, scripsi sanè multas. Literis, quæ Vratislaviam diriguntur, respondeo homini, cujus neque manum possum assequi, neque nomen unquam audivi. Itaque conjectans scripsi nomen, quod vides.

Epistola DCX.

✠ GUILIELMO CAMBDENO.

1608. Accepi, præstantissime Vir, & Epistolam tuam, & quod illi fuit adjunctum, munus à te longè pretiosissimum. Eram tibi dudum illâ communi obligatione obstrictus, quâ omnes literarum amantes & veteris Historiæ cupidos (in quibus ego quoque nomen profiteor meum) immortali cum tua laude tibi devinxisti: sed tu præter hanc obligationem, quæ mihi cum cæteris erat communis, novo hoc insuper captum vinculo me tibi privatim asseruisti. Ego verò, mi Cambdene, in ære tuo esse non recuso; etsi expungendi hujus nominis apud te contracti non magnam, ne quid dissimulem, spem habeo. Quid enim mea tenuitas munificæ liberalitati tuæ ἀντάξιον potest rependere? Istud ego non magis sperare debeo, quàm præstare aliquid in literis valeo, cum absolutissimo, & numeris omnibus perfecto opere tuo dignum componi. Sed bene est, quòd cum eo mihi creditore est, cui gratâ voluntate magis, quàm lance & 1608.
librâ possum satisfacere. Hac fiduciâ Polybium meum post aliquot menses, si Deus dabit, tibi mittere non verebor. Si rem spectes, χρυσέων χαλκεῖα, ad laborem quidem meum quod attinet; sin vires meas, quod poteram, maximum munus, ut ab ingrati animi vitio me vindicem. Est jam, Dei beneficio, ad umbilicum perducta contextûs Polybiani, cum nostra versione, editio; sed restat adhuc longè difficillima pars operis; nostras dico in illum incomparabilem τῆς Πολιτικῆς καὶ Στρατηγικῆς Doctorem observationes; quibus utramque illarum disciplinarum sumus conati illustrare. Itaque procul adhuc à meta absumus, quam det consequi ὁ ἐπὶ πᾶσι, qui te, Vir clarissime, servet, atque omni bonorum genere cumulet. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Non. Septemb.* CIↃ IↃ CVIII.

Epistola DCXI.

CONRADO RITTERSHUSIO.

Dolui dolore tuo, quem novissimis 1608.
literis mihi significabas, Vir præstantissime. Neque enim dubitabam, tibi acerbissimum eum casum fuisse, viro præsertim humanissimo & optimo: quo ingenio qui sunt, eos suorum obitus graviore solent dolore afficere. Morum verò tuorum candorem, καὶ τὸ ἄγαν φιλόστοργον, vel ex scriptis tuis videor mihi satis certis signis collegisse. Tuli igitur permolestè, tanti & tam justi mœroris causam tibi esse oblatam. Quin tamen necessario tuo tempore virum te & verè Christianum præberes, dubitavi equidem nunquam. Nôram, mi Rittershusi, tuæ virtutis aut pietatis non esse, ut ad instar χυδαίου τινὸς ἀνθρώπου remedium à longa die potius quàm recta ratione exspectares: eruditionis quoque tuæ non esse, ut qui præclarè alios solari posses, tibi ipsi deesses. Cui enim bono literæ, quæ hanc nominis celebritatem tibi pepererunt, si aliis, non autem tibi, quæ didicisti, prodessent? Didici posteà ex amicorum literis, ita planè accidisse, ut ipse mihi persuaseram, teque in adversis non minus fortem atque constantem esse visum, quàm rebus lætis moderatus ac compositus semper fuisses. Nos quoque nuper, quæ esset literarum utilitas ἐν τοῖς περιστάσεσιν, ostendere exemplo nostro sumus conati, cùm fallaci genere morbi nobis esset erepta filia natu maxima, cùm aliis nominibus multis, parentibus charissima, tùm maximè propter

1608. propter singularem pietatem, & adversus illecebras τῦ νῦν αἰῶνος firmam constantiam. Sed me in eo agone vehementiæ doloris interdum succubuisse, non possum negare: nunquam enim magis sum expertus, quàm essem τῆς φυσικῆς στοργῆς ἥττων. Gratia Deo Opt. Max. qui nunquam ita me dereliquit, ut non statim me colligerem, & in ejus voluntate acquiescerem. Juvit me non mediocriter, quòd per inchoatam dudum Polybii editionem cessare mihi non licebat: est enim, ut tute scis, melius φάρμακον ἄλγους præsentissimum, aliò curas & cogitationes suas transferre. Pergimus igitur in suscepto opere, nihil prætermissuri, si vitam & otium Deus dederit ad ea perficienda, quæ instituimus. Jam totus ferè Polybii textus, cum nostra versione, est editus: sed longè adhuc absumus à meta, quam det videre ὁ ἐπὶ πᾶσι, qui te servet, Vir amicissime. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VII. *Eid. Septemb.* CIↃ IↃ CVIII.

EPISTOLA DCXII.

DANIELI HEINSIO.

1608. MUltum debeo vestrati Typographo, Paetzio, qui simul ac in urbem venit, memor acceptorum à te mandatorum, & tuo nomine me invisit, & simul libri, istic editi, aliquot exemplaria mihi dedit. Nihil poterat neque opportunius, neque gratius, aut optatius mihi contingere; nam novissimis τῦ σεβασμιωτάτυ senis *, editum istic esse eum librum cognoveram. Expectabam igitur in dies, in horas, qui munus τριπόθητον afferret. Sed Paetzius tuus spem meam antevertit, qui sæpe expertus sum, quanta cum difficultate aut nostra ad vos, aut vestra ad nos transferantur. Quantis incesserim lætitiis, cùm illa legerem, quæ adversus nefarium sycophantam † Heros noster ‡ scribit, malo te conjecturâ tuâ assequi, quàm verbis intelligere. Planè, si quid intelligo, ita oportuit cum illo monstro agi. Non deerant, qui absurdum figmentum silentio τῦ συκοφαντηθέντος affirmari putarent: hoc amici dolebant; inimici lætabantur. Vidistin' facerrimum scriptum *De Tribus Capellis?* Rursus ferebant animo iniquo viri præstantes sapientiâ, tantum honoris tributum iri vespillonis filio, ut existimare quisquam posset, summum Heroëm aliquam ipsius habuisse rationem. Nunc ratio inita est, quâ & huic incommodo obviam itur, & ille alastor condignè pro commerita noxa castigatur. Omnino tantum id τέρας erat, ut ad illud conficiendum clavâ Herculis esset opus: nam sceleratissimos fabulæ Burdoniæ authores, quis præter eum, cujus res agebatur, potuit confutare? Etiam illi, qui toties tam enixis precibus cum ipso egerunt, ne responsum ullum ederet, hoc genere scripti ita afficiuntur, ut ejus suscipiendi fuisse authores & suasores velint videri. Sed & Somnii tui additamenta, quæ novæ editioni accesserunt, ut quæ venustate cum prioribus certent, nobis sunt gratissima. Scribebat nuper ad me illustrissimus Scaliger, urbe te abesse, & ad concelebrandas clarissimi Grotii nuptias nescio quò esse profectum, unde non esses rediturus, nisi gratâ vinctus compede. Id si ita evenit, gratulor scilicet tibi, & εὐφημίᾳ, quod factum est, prosequor: sin aliter accidit, opto tibi virtuti tuæ parem conditionem. Atque in hoc omine desinam, teque orabo, ut clarissimos viros, Dominicum Baudium, & Grotium, meis verbis salutes. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *Eid. Septemb.* CIↃ IↃ CVIII.

* Scaligeri.

† Scioppium.

‡ Scaliger.

Clarissimum quoque Meursium, si isthic est, à me, nisi grave est, salvere jubebis.

EPISTOLA DCXIII.

SCIPIONI GENTILI.

MIhi quoque, præstantissime Gentilis, luctus tuus super obitu fratris, viri clarissimi, mœrorem affert: κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων. Puto accepisse te, quæ nuper ea de re scripseram. Est adhuc in urbe vidua fratris, fœmina lectissima, cui nuper alius dolor est objectus, cùm in æquissima petitione sua apud tribunal τῶν παμπονηροτάτων caussa cecidit. Omnes fatebantur judices, caussam esse justissimam: sed addebant iidem, publicæ rei interesse, ne jus illi redderetur. Ego, quæ mea tarditas est, istud non capio tam subtile. Simul ac tuas accepi, sine mora lectissimæ fœminæ de tuo adventu, quod scribebas, significavi. Ac quoniam vix puto futurum, ut Altorphii hæ literæ te offendant, plura nunc non addam. Veni igitur, & de illo, qui martyrii coronam affectat, para te, ut suaviter rideamus. Est enim res urbanitate ingenii tui dignissima. Vale. Clarissimo atque optimo viro, Rittershusio, plurimam, nisi grave est, salutem. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XV. *Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CVIII. 1608.

Epistola DCXIV.

✠ SAMUELI NÆRANO.

1608. QUod dudum optabam, effeci tandem, ut filium meum studiorum caussâ isthuc mitterem. Si mihi satis compertus fuisset tuus status, rectâ ab urbis porta illum ad te proficisci jussissem. Nunc quia neque de voluntate, neque de facultate tua satis liquet, egi cum amicis, ut tibi quid animi esset viderent. Spero si tuæ res ferunt, non deteriore loco illum apud te futurum, quàm cæteros, si quos fortè habes. Tradita est vectori pecunia ad menses aliquot; neque est quod verearis, ullam, Deo bene juvante, moram in eo futuram. Non delicatè illum haberi volumus ego & mater, sed commodè & mundè. Sed multò magis de studiis ejus sumus solliciti. Itaque, si ita evenit, ut tecum habitet, peculiari curâ ut ejus studiis invigiles, obnixè à te contendimus. Pietatem imprimis doceri illum optamus, & cum pietate bonos mores. Est nobis alius minor ætate filius, quem vere ineunte, si Deus dederit, & hujus educationi benedixerit, eodem mittere cogitamus. Ita velit, ita faxit ὁ ἐπὶ πᾶσι. Vale, Vir eruditissime; & si me amas, novum discipulum habe commendatum. *Lutetiæ Parisiorum*, a. d. XV. *Kalend. Novemb.* CIϽ IϽ CVIII.

Epistola DCXV.

✠ JOANNI STANISLAO SAPIEHÆ.

1608. ILlustrissime, amplissime Domine, cùm mihi literæ illæ redditæ sunt, quas pro insignita humanitate tua dare ad me es dignatus, & vidi nomen illustre Amplitudinis tuæ, ut erubui. Pudebat me, & meritò quidem, quod commisissem, ut scriptione literarum prius à te provocarer, quàm officio meo essem ipse functus; quem antevertisse, & mea dudum obsequia tibi detulisse, verum erat. Non enim possum negare, ejus præstandi datam mihi tum fuisse occasionem, quando generosus Dominus, filius tuus, certum isthuc hominem misit. Sed me nimirum ingenita verecundia, & pudor quidam subrusticus. Nôram fortunæ tuæ celsitudinem; nôram meam tenuitatem. Cur igitur seria tua meis frivolis interpellarem, & in publica commoda peccarem? Hæc cogitatio, Vir illustrissime, cupientem literis te affari, hactenus inhibuit. Nam alioquin optasse me persæpe, ex quo filii tui familiaritate sum usus, dari mihi aliquam ad tuam præstantiam aditum, scit ille, quem ne intimæ quidem mortalium curæ fallunt. Postquam enim gnatus tuus, juvenis ad exemplum probitatis, modestiæ, atque omnis virtutis naturâ comparatus, studiorum suorum rationem nobiscum cœpit communicare; quum ejus indole mirandum in modum caperer, volui persæpe fortunam tuam tibi gratulari, qui tantæ spei adolescentem, haud dubiè spem alteram patriæ, genuisses. Nihil dabo auribus tuis; sed planè ex animi sententia, quod videor mihi certis indiciis cognovisse, dicam. Nam aut me omnia fallunt, aut eo ingenio, iis moribus, eâ virtute filium habes, ut gaudendi ipse luculentam in eo materiam habeas; amici, gratulandi. Equidem illum diem albo notavi lapillo, qui eum mihi conciliavit. Itaque ejus caussâ, & alterius nobilissimi, præstantissimique adolescentis Poloni, studia mea, vitâ ipsâ mihi chariora, lubens intermisi; & ad civilis doctrinæ notitiam comparandam, ipsorum conatus honestissimos pro mea virili sublevavi. Ejus operæ nostræ si quis ad filium tuum, ut spero & opto, fructus rediit, feci quod volui. Tibi certè, amplissime Domine, atque illi, quæ vestra est benignitas, potius satisfacero, quàm ipse mihi. Quod superest, Deum Opt. Max. veneror, ut & tibi filium, & illi parentem suum incolumes quàm diutissimè servet, vestrisque cœptis propitius semper, & favoris sui auram aspiret. Vale, illustrissime Domine, & felix vive. *Lutetiæ Parisiorum*, a. d. XV. *Kalend. Novemb.* CIϽ IϽ CVIII.

Epistola DCXVI.

DAVIDI HOESCHELIO.

CLarissime Vir, aderam uxori graviter laboranti, cùm allatæ mihi tuæ literæ sunt, a. d. XIII. Kalend. Novembris datæ, quibus erat adjectum σύγγραμμα hominis ἀμούσου, τῶν τε πολιτικῶν ἅμα, καὶ τῶν στρατηγικῶν ἀπείρου, τ' ἄλλα δὲ παντόλμου. Non continui me, quin è vestigio ad amplissimum virum literas exararem, testes judicii mei de illo scripto & Scriptore Thrasonico. Quod rogas de Arriani codicibus, scito esse quidem unum aut alterum ejus libri exemplar in Regia Bibliotheca; sed ejus notæ, ut nullum sit futurum operæ pretium contulisse: itaque frustra in eo operam non perdam. Si tanti facerem illa exemplaria, & aliter desiderio tuo satisfacere non possem, mitterem illa ipsa 1608.

1608. ipsa ad te, & tuæ fidei dudum mihi perspectæ ea committerem. Faciam idem in aliis Scriptoribus, quos præ manibus te scivero habere. Nisi me curæ sexcentæ impeditum & variè districtum tenerent, aut absoluta esset nostra hæc Polybii editio, aut à mera certè optatissima propius abesset. Sed nostri Commentarii crescit difficultas in dies: atque utinam det Deus incepti operis finem videre! Jam certè εἰς τὸ κάλλος quædam sunt descripta, ex quibus, etiamsi cætera non sequerentur, de nostro conatu poterit constare. Verùm hæc, σὺν Θεῷ, pluribus eis dies paucos. Audivi ab optimo Frontone, periisse meas, quas isthuc miseram, & ante nundinas Francofurdienses, & ipso nundinarum tempore per nostros Bibliopolas. Nollem factum; sed mutare non possum. Te oro, de mea in te voluntate securus semper vivas, neque de animo meo ex frequentia literarum aut raritate statuas. Juvenis Augustanus, quem ais χαρῆναι, & ignorari, ubi lateat, mihi quoque est ignotus. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CVIII.

Epistola DCXVII.

JOSEPHO SCALIGERO.

1608. Illustrissime Vir, si vales, bene est, & Deo Opt. Max. gratias ago. Me certè sollicitudo ingens de tua valetudine mirificè dies noctesque cruciat: postquam enim perlatus est ad nos de tua infirmitate rumor, non hora, non momentum ullum temporis præteriit sine suspiritibus, aut lacrymis meis; neque enim aliter eo nuntio sum affectus, quàm si parentis mei salus ageretur. Spero non cecidisse irritas tot bonorum & piorum virorum preces, qui vota assiduè faciunt pro tua, illustrissime Scaliger, sanatione. Supplex Deum veneror, audiat nostras preces, efficiatque pro sua infinita bonitate, ut ex hoc morbo brevi convalescas, & pristinis viribus receptis, ut quàm diutissimè, quam felicissimè, ad promovendam ejus gloriam, & labentem Rempublicam literariam fulciendam, inter mortales agas. Γένοιτο, γένοιτο. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VIII. *Eid. Decemb.* CIↃ IↃ CVIII.

Epistola DCXVIII.

DANIELI HEINSIO.

1608. Mi Heinsi, tene adeò mei esse oblitum, ut tot mensium spatio ne verbulo quidem uno nos iis dignatus? 1608. Scripsi ante menses ferè tres, postquam editionem alteram tuæ Satyræ accepissem, & magna cum admiratione legissem. Scripsi item posteà, & meas literas Illustrissimorum Ordinum Legato, Arsenio, tradidi. Quid commerui, cur tu silentio hoc tam obstinato me crucies? Audivimus dudum, quàm periculoso implicitus morbo fuerit magnus Heros, quem ego & tu pari veneratione colimus. Posteà meliusculè eum habere rumor fuit; sed parum constans. Nunc planè quis sit illius status, quæ valetudo, nescimus; eoque nomine acerba mihi vita est, ac propè jam non vitalis. Te oro, Vir præstantissime, liberes me hac curâ, & quid agat senex noster, literis tuis mihi significes. Nisi me totum ignoras, non potes nescire, quæ mea nunc sit anxietas mentis, quis animi cruciatus. Deus Opt. Max. tantum scientiæ & virtutis thesaurum mundo, etsi ingrato atque immerenti, conservet. Vale, Vir præstantissime, & si me amas, citò rescribe. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VII. *Eid. Decemb.* CIↃ IↃ CVIII.

Epistola DCXIX.

CLAUDIO SALMASIO.

Exanimarunt me literæ, quas à clarissimo viro, Bongarsio, nudiusquintus accepi: cognovi enim ex illis, nutare valetudinem tuam, parumque firmam esse. 1609. Equidem meliora spero, neque, ut tua est ætas, illud ultimum tibi metuo: sed dolet mihi, tam infirmo te esse corpore, ut ingenio indulgere sine detrimento valetudinis non queas. Quoniam tamen ita placuit τῷ ἀρχιτέκτονι Θεῷ, ut minus commodè habitet divinus animus tuus, ferendum æquo animo & hoc incommodum, & quæcumque alia idem summus Imperator ferre nos voluerit. Scit ille, quid nobis expediat; nos magis quàm pueri bimuli nescimus: illi igitur nos, nostraque omnia permittamus. Plura in eam sententiam adjicerem, nisi te quoque idem sentire, persuasum haberem. Opto tibi, præstantissime Salmasi, læta faustaque omnia, quæ ut tibi à Deo Opt. Max. contingant, supplex ejus numen veneror. Mihi certè longum erit tempus, donec intellexero, te ῥαΐσαι & ad pristinam sanitatem rediisse. Auget sollicitudinem de te, quia magnum Scaligerum morbo difficillimo esse implicitum intelleximus; qua ex re quantum doloris percipiam, omnes sciunt, qui me nôrunt. De libellis, quos

 nuper

1609. nuper à te editos miſiſti, gratias agam pluribus, ubi te rediiſſe in gratiam cum bona valetudine cognovero. Unum ſcito, ita mihi placuiſſe hoc γεῦμα tuarum lucubrationum, ut neminem totâ Europâ tuorum æqualium putem tibi comparandum. Parum dixi; ſed nolo in os. Iterum Numen convenio, & pro tua ſanatione vota facio. Vale, mi Salmaſi, & mei memor vive. Scripſi per occaſionem. *Lutetiæ Pariſiorum*, *pridie Non. Januar.* CIↃ IↃ CIX.

EPISTOLA DCXX.

DANIELI HEINSIO.

1609. TAndem tuas accepi, amiciſſime virorum: ita dico, tandem; hoc eſt, tertio ferè menſe poſtquam ipſe ſcripſeras. Accepi autem binas ſimul, quarum poſteriores, a. d. IX. Kalend. Novemb. fuerant datæ. Mirabar equidem, & ſi fas dicere, indignabar tacitus apud me de re tanta nihil me à te cognoſcere: nam rumor de morbo magni ſenis multos ante menſes ad nos pervenerat. Atque ego quum ex eo nuntio dolorem tantum caperem, quantum ipſe per te facilè æſtimas; quia tamen nullum à te verbum veniebat, inani ſcilicet ſpe memet lactabam, & famam ex vano multum hauſiſſe, mihi perſuadebam. Tuæ literæ, mi Heinſi, me primùm exanimarunt, & νεκροὺς ἐνάριθμον propè reddiderunt. O triſtem mihi nuntium! ô caſum bonis, qui ubique ſunt, luctuoſum! ô fatum literarum! Erat certè dudum tantâ luce indignus mundus, qui falſi amore tantum προφήτην ἀληθείας ferre non poterat. Deum immortalem! quæ nos nunc, amiciſſime Heinſi, vita manet? Quis noſtrûm, (meum certè mihi) languorem excutiet? Quis errantes reducet in viam? Me fateri non pudebit, ſi quid paullò accuratius unquam eſt à me ſcriptum, magno Scaligero id totum deberi; de quo nunquam cogitabam, ubi in manus calamum ſumpſeram, quin totus quaſi contremiſcerem; ea reverentia hominis animum mihi inſederat. Et ô beatum te, qui cygneas τοῦ σοφοῦ voces audis, dieſque totos illi ades, & de loquentis ore pendes! Oro Deum immortalem, ut quantum vulnus animo meo tuæ noviſſimæ impoſuerunt, tantum gaudii illæ mihi afferant, quas proximè à te me accepturum ſpero. Ita velit, ita faxit Dominus Jeſus, qui te quoque ſervet. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* XV. *Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CIX.

An meas acceperis, quas ſcripſi ad te perſæpe ſuperioribus menſibus, velim ſcire. Quæſo te, de ſtatu reverendi ſenis facito me certiorem. Hoc & Thuanus te rogat. 1609.

EPISTOLA DCXXI.

EIDEM.

CLariſſime Heinſi, quid ego commerui, cur tamdiu expectatione tuarum me torqueas? Binas, eaſque junctas à te accepi, ex quo cœpit ægrotare ὁ νῦν μακαρίτης, hei mihi! noſter Heros; qui plures menſes quum ægrotaverit, non defui mihi, quin & ſcriberem ſæpe ad illum, & ſæpius ad te, orans, obteſtanſque, ut de eo morbo ſigillatim omnia perſcriberes. Neſcio an meas acceperis: ego certè nihil à te literarum habui poſt illas primas. Didici verò tandem ex literis Raphelengiorum, fruſtra me Deum orare aſſiduè pro ſalute ejus, qui jam deſiiſſet in vivis. O triſtem mihi nuntium! ô incomparabilem Reipublicæ literariæ jacturam! Præ magnitudine doloris vix ſum apud me. Secundùm parentes, & quam nuper amiſi primogenitam filiam, nemo obiit unquam meorum, qui me ſimiliter afficeret. Cogito literarum damnum inæſtimabile, irreparabile: cogito meam calamitatem, qui alterum parentem amiſi. O dulce mihi nomen! O gaudia mea nunc ἐξίτηλα καὶ φροῦδα! Tu reſtas, mi Heinſi, qui non merito meo, ſed ex illius Herois commendatione cœpiſti me amare. Perge, obſecro te, etiam poſt illius fata, qui nos conjunxit. Quod ſi quid apud te poſſum, de morbo & fine illius fac me κατὰ λεπτὸν certiorem. Scripſi raptim, quum ad Legatum Ordinum per occaſionem veniſſem. Vale, & me ama. *Lutetiæ Pariſiorum*, *a. d.* VII. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CIX. 1609.

EPISTOLA DCXXII.

PAULO DU MAJO.

POſtquam à nobis diſceſſiſti, plures à te literas accepi, partim è Burgundia, partim ab urbe, quaſdam ſuperioribus diebus Toloſæ datas. Quod non omnibus reſponſum à me ſit, non occupationes duntaxat meæ fecerunt, quamquam etiam illæ; ſed etiam ignoratio loci, quò meas mitterem, & tabellariorum inopia. Accedit, quòd ex Italia ad nos rectà venturum te, perſuaſum prius habebam, quàm intelligerem ad penates tuos eſſe te reverſum. Primùm igitur tibi, pro eo ac debeo, felicem reditum gratulor, Deo Opt. 1609.

Max.

1609. Max. qui te servavit ἐξ ὅλης τῆς καρδίας εὐχαριστῶν. Deinde quod & longè adeò positus, memoriam tamen mei, hoc est, unius τῶν ἠπεδανῶν μερόπων, qui tuum hoc tantum studium nullâ unquam re promeruit, servasti. Eo nomine πάλιν αὖ καὶ πάλιν πλείστας ὅπως ὁμολογῶ σοι χάριτας, petoque à te, ut sic de me statuas, tibique semel persuadeas, officiis quidem, ἃ πολλάκις οὐκ ἐφ' ἡμῖν, vinci posse me, sinceritate verò affectûs & candore nemini concessurum. Non clam te est, opinor, magni Scaligeri obitus, quo equidem nuntio sic sum afflictus, ut vix tristiorem, aut molestiorem accipere potuisse videar. Colebam illum pro summis ipsius in Rempublicam literariam meritis, & insigni erga me benevolentiâ, pari pietate, ac si meus parens fuisset. Ille me, quæ fuit ipsius ἄφατος humanitas, semel complexus, constanter porrò semper non dilexit, sed amavit. Ille mihi dies noctesque ante oculos abversatur. Quòd meas nugas timidè ac propè invitus in publicum proferrem, reverentia illius fuit, cujus eruditos oculos mirum in modum reformidabam. At rursus ille erat, qui languentem excitabat, qui cessantem increpabat, qui pro suo jure quidquid vellet, humeris meis imponebat. Nunc οἴχεται φροῦδα τὰ πρὶν χάρματα. Nam quo gaudio solitum me affici putas, cùm tantus vir quisquilias meas boni consulebat, & ad majora animos faciebat? Sciebam, multum dare ipsum amori mei; sed hoc quoque sciebam, genus studiorum nostrorum etiam seposito affectu illi non improbari. O illum propè mihi funestum diem, qui tantum amicum mihi eripuit! Sed feramus, mi Paule, quod mutare non possumus, & Heroïs incomparabilis memoriam sanctè colamus. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, raptim, a. d.* XVI. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CIX.

Epistola DCXXIII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEIMIO.

1609. REdeunte ad vos Serenissimi Principis Legato *, viro præstantissimo, etsi otio non abundabam, quin tamen te compellarem, clarissime Lingelsheimi, facere non potui. Nam etsi diu admodum est, ex quo nihil à te literarum accepi, non tamen de tua in amore mei constantia propterea dubito. Silentii verò tui quæ sit causa, ex illa Epistola tua intellexi, quam nuper ad eundem virum eximium scripsisti. Et didiceram jam paucis antè diebus ex sermonibus excellentis viri, D. à Buwinkhausen, quo loco esset negotium ante annum ferè institutum *. Nec me sanè fugit, quàm difficile sit eò rem perducere, quò spes erat posse perduci. Video enim, quæ id inceptum circumstent impedimenta. Itaque Deo Opt. Max. rem permitto. De meo Polybio piget verba facere; sed operarum lentitudinem accusent oportet, qui procrastinatione meâ offendentur. Spero tamen, cum bono Deo, non multò post Paschalem πανήγυριν priorem Tomum in manibus hominum fore versaturum. Quod si obtulerit sese occasio, non expectato altero mercatu, ut inter primos novum opus videas, pro viribus enitar. Utinam modo tuis oculis eruditis dignus labor noster videatur; nam sive cùm me respicio, sive cùm ærumnarum venit in mentem, quas intereà loci pertuli, dum hoc inceptum urgeo, subit vereri, ne infelicitatis meæ in meis scriptis nimis multa vestigia altè impressa appareant. Quicquid hujus sit, animus certè bonus fuit, & cupiditas ingens benè de literis merendi. Inter adversa mea pono cum primis nuncium prope mihi funestum de obitu τοῦ τρισμεγίστου Scaligeri. O tristem & luctuosam mihi mortem! Amisi amicum, aut parentem potius alterum, mei amantissimum: amisi & præsidium & dulce decus meum. Vix sum apud me præ doloris magnitudine. Itaque non is sum profectò, qui prius eram; neque eâ alacritate, quâ prius solebam, literas nunc colo, aut curo. Accedunt aliæ item curæ & solicitudines longè gravissimæ, quas te sermonibus D. Legati, quàm verbis meis malo cognoscere. Unum hoc addam, teque orabo, ut ita de me tibi persuadeas, nihil unquam, faciente Domino Jesu, commissurum me, quo meam conscientiam putavero esse me offensurum. Sed moror te. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XIV. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CIX.

* Buwinkhausio.

* Vide supra, Epist. DCVIII.



Epistola DCXXIV.

A MONSIEUR DU PLESSIS.

MONSIEUR,

1609. *LE present porteur est fils d'un très-docte personnage, qui a grand credit envers le Roy d'Angleterre*, quo utroque nomine confido ipsum tibi fore acceptum & gratum. *Que si outre ce il est besoin d'aucune recommendation, je vous puis attester, que le fils suit de près les traces de son pere. Et pour cest effet s'en va il par de là, afin de s'employer*

1609. *ployer aux estudes à bon escient. Par vos dernieres me demandiés des nouvelles de Mr. Scaliger, lequel aujourd'huy je croy que n'ignorés avoir esté retiré de Dieu, pour se reposer de ses grands travaux. Cette perte des lettres m'a causé un incroyable regret, ayant en particulier perdu un autre pere. J'avois l'honneur d'estre aimé de luy, & le venerois selon son merite. Ces chiens *, qui ont tant abbayé depuis quelque temps après luy, jetteront maintenant leur rage, & feront leurs efforts pour deschirer sa memoire. Mais il ne manquera de deffenseurs*, dum quidem literis melioribus suus honos stabit. *J'ay perdu par sa mort tout le courage de rien faire; aussi ne puisse rien, ou comme rien. Depuis ma derniere, j'ay veu par occasion, & à cause de la Bibliotheque, Mr. le Cardinal de Perron, qui dit avoir respondu à vostre livre de la Sainte Eucharistie fort amplement. Et comme j'estois chés luy ces jours passés pour mesme occasion, (iceluy estant premier Chef de la Bibliotheque,) je le trouvay dessus, & me monstra sommairement quelques passages, comme deux jours après je racontay à Mr. Martault, le rencontrant chez Mr. l'Ambassadeur du Prince Palatin. Je sçay que luy & d'autres ont mal pris mes propos, qui en simplicité ay dit ce que le dit personnage disoit. Je vous prie estre assûre, que nul de vos serviteurs ne vous honore plus que je fais. Et pour le reste, ma vie passée par la grace de Dieu, doit assûrer un chacun que moyennant la mesme assistance de Dieu, je ne feray jamais rien contre ma conscience.* Sed de his nimium multa. *Je vous demeure tousjours, Monsieur,*

* *Les Jesuites.*

Vostre très-humble & obeissant Serviteur,
CASAUBON.

A Paris, le 20. Mars 1609.

quietum ago. Urgeor enim dies no- 1609.
ctesque ab iis, qui me propter nescio quid literarum amant, & qui operâ meâ in hac Academia uti avidissimè cupiunt. Quid ego commemorem, quibus machinis maximi viri negotium sint aggressi? Nec desunt ipsis post argumentationes alias etiam rationes ἰνόφθαλμοι, quas ipsis suggerunt ζηλῶται illi, qui meas fortunas diverso injuriarum genere attriverunt. Vident ærumnas, quas ea res mihi quotidie recentes parit: vident & probè cognoscunt meas difficultates omnes, & quàm sim ab omni spe auxilii nudatus: hoc illos in spem erigit; cùm præsertim certò sciant, in suo favore omnes, secundùm Deum, spes mihi esse sitas. Adfuit hactenus pugnanti Deus, &, spero, aderit: quem equidem ἀδιαλείπτως oro, ut priusquam adversus conscientiam aliquid audeam, (ὃ μὴ γένοιτο, οὐδ᾽ ἔσται) ex hac mihi ærumnosissima miseriarum valle me auferat, & in libertatem asserat. Oro eundem, Vir præstantissime, ut te servet, & annos tibi largiatur Nestoreos. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d. x. Kalend. April.* CIↃ IↃ CIX.

EPISTOLA DCXXV.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEIMIO.

1609. DIu est, cùm nihil de te, Vir amplissime, intellexi: ego quoque ne ad te scriberem, per varias occupationes meas factum. Nam si nescis, hiems mihi per summos cruciatus transacta, non corporis quidem, sed animi: adeò gravia mihi certamina pro ea re, quam omnium habeo charissimam, fuere subeunda. Planè singulare fatum meum est. Altâ pace fruuntur omnes ad unum, credo, Galli: ego unus diem nullum

EPISTOLA DCXXVI.

CLAUDIO SALMASIO.

LIteræ tuæ, quas ante menses ferè 1609.
duos accepi, etsi non ἀκραιφνὲς gaudium mihi attulerunt; magno tamen solatio mihi fuerunt πικρῶς στένοντι propter nuntium de tua afflictissima valetudine, paullò antè allatum. Meministi, doctissime Salmasi, quoties tecum per literas egi, ut te respiceres, & corpusculi tui valetudini consuleres. Nôram animi tui impetum, quem sciebam corpori plura imperare, quàm vires ejus ferrent. Itaque quoties tui recordatio animum subibat, (subibat autem sæpissimè) metuens valetudini tuæ, tibi tacitus apud me irascebar. Nam qui nihil mediocre de tuo excellenti ingenio sperarem, iniquo animo ferebam non id agere te, ut Respublica literaria quàm diutissimè industriâ & laboribus tuis fruatur. Utinam fidelissimis meis consiliis esset à te obtemperatum! caruisses, opinor, illis cruciatibus, quos hic tibi morbus attulit. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτέτυκται, ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Ego spero ἐν τῷ Κυρίῳ, defunctum jam te omni periculo; nihil enim νεωτερὸν Epistola nupera tua præ se ferebat. Opto certè ita esse; & ut voti hujus damner, δέομαι τοῦ Θεοῦ καὶ εὔχομαι ὡς ἐκτενέστατα. Censeo tibi faciendum, ut quàm primùm, quod valetudinis tuæ commodo fiat, aërem

1609. aërem repetas & cœlum, cui es innutritus. Si hoc feceris, spero te Lutetiam brevi esse venturum, quo nihil mihi futurum sit jucundius. Non nescis, magnum Scaligerum mortalitatem exuisse. Scito, tam gravem ac molestum accidisse mihi hunc nuntium, ut nihil suprà. Magnitudinem jacturæ, quam in illo uno capite Respublica literaria fecit, nemo melius intelligit, quàm ipse facis. Ego privatim amisi non amicum, sed parentem alterum. Itaque luctu & dolore conficior. Levabor non mediocri parte hujus ærumnæ, si te valentem de reditu cogitare intellexero. Omnia igitur depone; corpori servi. Quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri à te putabo. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VIII. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CIX.

EPISTOLA DCXXVII.

DAVIDI HOESCHELIO.

1609. QUum ante aliquot menses συγγράμματι nescio quæ hominis Itali missu tuo accepissem, respondi statim, & Epistolâ, si bene memini, satis longâ, quid de illo judicio judicarem, significavi. Eam Epistolam Lugdunum misi, ut inde per amicos isthuc curaretur. Sed neque literarum quicquam posteà accepi abs te; & amplissimus Velserus novissimâ Epistolâ, quæ mihi ab eo reddita heri fuit, an illum fasciculum accepisset, non docebat me. Fuerat animus, in Præfatione, quam scripsi de Historia & de Polybio, tam absurdæ sententiæ auctorem traducere. Sed mutavi, & tenebris oblivionis dignam opinionem εἰς φῶς ἄγειν οὐχ ὅσιον ἡγησάμην. Velim tamen scire, docti Itali quid super eo problemate sentiant. Johannes Nauberger, de quo ad me scripsisti, mihi prorsus est incognitus; qui si ἐμοναχίσθη nomen, ut scis, mutaverit, nec libenter prioris recordetur. Quod scire potuerim, Lutetiæ is non est: an sit ad urbem, adhuc pervestigare non potui. Sunt sanè Cœnobia hic nonnulla, in quibus amicos aliquot habeo: cum Augustinianis verò sodalibus nulla unquam mihi notitia intercessit. Polybium, si Deus vitam produxerit, ad paucos menses videbis publici juris factum: de priore Tomo loquor; nam alterum figuræ & alia quædam morantur. Ad πανήγυριν Argentoratensem, cum propitio Numine, munus id à me exspecta. In magni Scaligeri morte quid Respublica literaria damni fecerit, quid ego privatim, sine lacrymis non queo meminisse. Amisi parentem 1609.
alterum, qui me unicè amabat; quem ego, pro eo ac debui, semper unicè sum veneratus. Θεοῦ δ' ἐτελείετο βουλή· & erat profectò ὁ κόσμος illâ luce indignus. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VIII. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CIX.

EPISTOLA DCXXVIII.

JOANNI KIRCHMANNO. ✠

LIteras tuas, & quam adjecisti Orationem, accepi. Nôram ex scriptis 1609.
& communi fama τὸν μακαρίτην Merulam: nunc ex laudatione, quâ illi parentasti, merita hominis novi, & melius æstimo. Magnum in ejus morte res literaria damnum fecit: Academia verò Batava maximam. Nuper verò eadem τὸν ἐν βροτοῖσιν ἀρίζηλον, μᾶλλον δ' ἀστέρα φαεινότατον, magnum Scaligerum amisit. Quis satis jacturam illam deflere valeat? Quæ lacrymæ huic luctui sufficiant? Nam illi viro parem nulla prior ætas unquam vidit, nulla fortasse ἐπιγιγνομένη videbit. Quò majorem usum in literis quisque habet, eo melius & magnificentius de illo Heroë incomparabili, & de ejus scriptis necesse est sentiat. Ego verò pietatem Scaligeri, probitatem & παντοίην ἀρετὴν non minus, quam τὸ τῆς παιδείας βάθος solitus sum demirari. Sed hæc omnia confido fuisse tibi notissima, qui, nisi fallor, etiam de facie ipsum nôras, quo ego bono carui; nec tamen eò secius amissum desidero, defleo, lugeo: colebam enim illum eâdem pietate, quâ olim meum parentem: ipse me non multò secus, quàm si filius fuissem, amabat. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Tuum de Annulis Commentarium, ut omnia tua, perexspecto cupidè. Perge igitur ἀγαθῇ τύχῃ, & rem auge literariam; δύνασαι γάρ, ut si quis alius. Polybium, à nobis Latinè versum & recensitum, videbis, σὺν Θεῷ, post mensem unum aut alterum, vel ad summum, tertium. Sequetur, faveant modò superi, Commentarius in gratiam τῶν τὰ πολιτικὰ καὶ πολεμικὰ ἀσκούντων scriptus, opus laboriosum & longum. Adjectæ sunt figuræ, quibus prælia καὶ τοῖς γνησίοις κεραμικοῖς opus probetur; operæ certè sedulò impensæ conscii nobis sumus. Vale, Vir doctissime, & me ama, qui te ex animo. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VIII. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CIX.

EPISTOLA DCXXIX.

FRIDERICO TAUBMANNO.

1609. CONstantiam tuam in semel suscepto amore mei literæ omnes tuæ, Vir doctissime, palàm faciunt. Quò magis verendum mihi est, ne quantum eo nomine tibi debeam, parum videar intelligere. Mihi verò longè suavissimum est, iis in locis amicum, & quidem talem amicum habere, quo vel nomen nostrum potuisse penetrare, jure magnifaciam. Tua hæc insignis humanitas est, clarissime Taubmanne, & mirifica χρηστότης· qui præ insita bonitate ultrò amare nos cùm cœpisses, ὑπὸ τοῦ πάθους δεκασθεὶς muscam elephantem esse, (ô vim amoris!) & persuasisti ipse tibi, & aliis quoque idem credendi autor fuisti. Primus Josephus Scaliger, ille mortalium illustrissimus, de nostris studiis eam spem olim concepit, cui respondere mearum non erat virium: sed nescio quomodo ille quoque δαιμόνιος ἀνὴρ, amore nostri occæcatus, omnia in majus solitus interpretari. Itaque si quid famæ per Europam sumus consecuti, secundùm Deum, id totum Scaligero ferimus acceptum. Ille me paternâ charitate complectebatur; ego ipsum pietate, quâ deceret, colebam & venerabar, qui nunc eo mortuo vitam acerbam duco, & propè non vitalem. O irreparabilem Reipublicæ literariæ jacturam! Quò plus proficio, si quid tamen adhuc profeci, eò magis ingenii illius stupendam magnitudinem admiror. Non fuit prioribus seculis, nec fortasse unquam erit, in quo ingenium, judicium, industria & φιλοπονία, dotes, ut scis, multùm diversæ, & rarò in unum convenientes, sic ἀθρόως & ex æquo excellant; tum autem pietate & παντοίῃ ἀρετῇ nemini mortalium fuit secundus. O virum in exemplum natum. Sed desino lacrymarum. Deum oro, Vir clarissime, ut te servet, & magis magisque tuis cœptis indies pergat benedicere. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CIX.

Gregorii Nysseni Epistolas & Florilegium Epigrammatum Martialis meo & Scaligeri nomine mitto.

EPISTOLA DCXXX.

SCIPIONI GENTILI.

1609. PAuci dies sunt, ex quo literas tuas accepi, quas anni novi initio ad me dederas. Dolui tibi redditas non fuisse, quas super obitu τοῦ μακαρίτου fratris tui ad te scripseram *. Hæc scilicet fides est persæpe etiam illorum, qui officia sua prolixè nobis deferunt. Nam memini in fasciculo illo curando hominis operâ usum me, qui omnia se meâ causâ cupere, sanctè jurabat. Et tu miraris, viduam fratris tui jus suum consequi hic non potuisse, qui videas etiam in literis, re sacra, fraudes quotidie nullo more committi. Vellem ita res tuæ tulissent, ut optimæ lectissimæque fœminæ, tempore ipsius necessario, cùm ejus res agebatur, affuisses, aut gratiâ, aut consilio aliqua juvisses. Ipsam quoque hoc idem optasse, sed petere à te non ausam, certò scio. Quæ quidem tua commoda & valetudinem pluris quàm Crassi opes æstimat. Ego magnam spem tui adventûs conceperam, quam nunc è literis tuis & sermonibus illius penè totam amisi. O illum diem videam, cùm de publicis privatisque rebus unà tecum garrire licebit, & omnes meas curas & cogitationes in sinum tuum effundere! Cognosces, quàm vanus sit rumor, quem accepisti de N. N. ****** Nugæ, nugæ: ἰσχά-λεται μὲν γὰρ, οὐ μέντοι βασιλικῶς, ac prorsus aliter quàm isthic nuntiatum. De Germaniæ vestræ nonnullis Principibus possum ferè idem dicere: ἀλλὰ βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ. Fateamur liberè, nostris Magnatibus non inest is ζῆλος, quo flagrant οἱ τῶν ἐξ ἐναντίας. Itaque velimus nolimus, ἐμφιλοχωρεῖν ἡμᾶς δεῖ, qui fortasse alibi poteramus, certè optabamus ἐπιθυμίᾳ τῇ μεγίστῃ, Ecclesiæ Dei prodesse. Sed mihi omnem alacritatem nuper ademit tristissimus de illustrissimi viri, Josephi Scaligeri, obitu nuntius, quem bonis doctisque omnibus luctuosum accidisse, non dubito. Verùm ipse præter communes omnibus probis alias privatas causas habeo, cur νύκτας τε καὶ ἤματα πάντα tantum virum, parentem alterum meum, defleam & lamenter. Ad graves alias curas molestiasque meas hæc accessit ærumna omninò gravissima, quæ me ὀλίγου δεῖν enecat. Ferendum τὸ ὑπὸ Θεοῦ κρανθὲν, & in illius voluntate acquiescendum; quum præsertim noster ille Heros, neque moriens, neque vivens lacrymis suorum ullam occasionem justam dederit. Vale, Vir clarissime, & si me amas, veni. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. April.* CIↃ IↃ CIX.

* *Exstat suprà, Epist.* DCXIII.

Epistola DCXXXI.

DANIELI HEINSIO.

1609. NOn possum in animum inducere, præstantissime Heinsi, ut credam nihil te literarum ad me dedisse, ex quo divinus vir, ὁ μακαρίτης Scaliger τὰ χοϊκὰ reliquit. Affirmo tamen tibi, super re tanta nihil me ex te didicisse; quum ex illo tempore ne minimum quidem epistolium à te acceperim. Itaque de obitu tam chari viri tantum scio, quantum fama ἀδέσποτος & incerta nuntiavit. Scripsere quidem Raphelengii fratres super ea re nonnihil; verùm id eâ brevitate, ut cupiditati meæ ipsorum literæ non satisfacerent. Te, mi Heinsi, tacuisse si possem credere, possem illud quoque credere, ὃ μὴ γένοιτο, οὐδ᾽ ἔσται, planè ex animo & memoria tua meum nomen excidisse. Hoc quum nihil jam tristius evenire mihi queat, ut liberem tuam fidem, alienam accuso. Persuadeo enim mihi literas periisse, quas super tanto casu ad me scripseras. Ac fortasse meæ quoque parum benè curatæ, quas & ante obitum, & post obitum divini Herois ad te exaravi. Peto igitur à te, suavissime amicorum, & quantâ maximâ contentione possum, te oro obsecroque, historiam illam totam brevi compendio mihi narres; neque patiaris, me, qui tanti amicitiam tuam æstimo, sic neglectum à te videri posse, ut ne rogatus quidem desiderio huic meo satisfacere volueris. Qui has tibi tradet, vir nobilissimus est, & dignissimus tuo amore: potes per illum me beare uberiore scriptione. Scio curaturum probè, quicquid ei tradideris. Ego multa poteram de meo statu narrare; sed eo sermone supersedebo, donec tuas acceperim. Vale, mi Heinsi, & me saltem propter magnum amicum nostrum, τὸν νῦν μακαρίτην, amare perge. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XIII. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CIX.

Epistola DCXXXII.

EIDEM.

1609. VIr clarissime, post longam & molestissimam tuarum exspectationem, tandem χρυσοῦ ἀνταξίαν Epistolam accepi, quæ super obitu τοῦ μακαρίτου ἥρωος ad nos scripta est. O quas ego tibi gratias referam pro tali officio! Quid rependam tibi ἀντάξιον unius illius Epistolæ? Quicquid à me fuerit profectum, minus erit tuo munere. Gratias igitur agam tibi quantas possum maximas: illum verò divinum parentem nostrum μακαρίζω τῆς τελευτῆς· in qua veræ pietatis & constantiæ tot edidit testimonia. Plura tecum de rebus meis cupissem; sed narrabit tibi vir honestissimus, quanta cum celeritate ipso præstolante hæc mihi exaranda fuerint. Plura igitur aliàs, σὺν Θεῷ, qui te, & omnes amicos servet, imprimis Dominicum Baudium, cujus Epistola de rebus Theologicis isthic turbatis magno mihi dolori fuit. Deus omnia componat, & vos servet. Vale, & me ama. Raptim. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VI. *Eid. Maj.* CIↃ IↃ CIX.

Epistola DCXXXIII.

EIDEM.

VIr clarissime, qui tibi has reddidit, 1609. amicus meus est; adolescens pietatis & literarum amans. Is studiorum caussâ isthuc proficiscens, commendatione meâ optavit tibi innotescere. Mihi magnæ voluptati est, ita persuasum esse omnibus, qui utrumque nostrum nôrunt, gratiosum apud te nostrum nomen esse. Fit enim φυσικῇ τινι ὁρμῇ, ut ab iis, quos plurimùm admiramur, amari nos plurimùm optemus; & si ita contingat, plurimùm lætemur; quod ego in te, mi Heinsi, mirificè experior; qui etsi τοῦ ἀντιφιλεῖν ἡμᾶς parem caussam in nobis non habes, non eò tamen minus, spero, nos amabis; qui memineris, summum virorum, τὸν μακαρίτην ἥρωα, paria facere nobiscum, non fuisse dedignatum. Puto accepisse te eam Epistolam, quâ egi tibi gratias pro uberioribus illis literis, quibus obitum illustrissimi Herois exposuisti. Non possum verbis exprimere, quantum gaudii, ut in re tam tristi, eruditissima & pulcherrima illa Epistola tua mihi attulerit. Exspecto Epicedia tua, & quicquid aliud vestra Academia protulerit ad memoriam τοῦ μακαρίτου ornandam. Ego præter lachrymas, quarum brevi meus Polybius testis erit, conferre nihil possum. Ex tuis didici, esse penes te Polybium, ejus manu adnotatum, & librum τοῦ δεῖνα * de Militia Romana, pariter ab eo pellectum, & Notis inustum. Puto me non pauca similiter, ac fortasse eadem notasse: sed Scaligerum ignorarem, neque me nossem, nisi persuaderem mihi, multa in utroque libro eum vidisse, quæ nos fugerint. Itaque postquam editionem meam videris, petam à te, ut hac in parte me adjuves; δύνασαι γάρ. Videbis autem, σὺν Θεῷ, proximis nundinis, aut etiam si possum, citius:

* *Justi Lipsii.* Colomes.

1609. citius: dum Commentarii parantur, & figuræ sculpuntur, textum publicari patiemur, quia sic volunt illi, quorum sumptibus liber editur. Adjecimus vetustissimum Scriptorem *, cujus publicatione vel solius non dubito, quin apud candidos Lectores gratiam sim initurus aliquam. Sed ipse melius statues; qui primus ante omnes, (modò possum ullâ ratione id consequi) nostrorum conatuum censor eris. Quare velim mihi significes, si quam nosti expeditam viam ejus libri ad te mittendi. Quæ de pili Romani figura à Scaligero accepisti, ea ut proximis literis mecum velis communicare, vehementer etiam atque etiam te oro. Cupio etiam ex te scire, in quorum manus devenerint Strabo, Athenæus animadversionis nostræ, & similes libri, quos à nobis acceptos ὁ μακαρίτης suis obelis compunxerat, aut Notis illustrarat. Ubi didicerimus, penes quos illi hodie sint, nihil intentatum relinquemus, quò impetremus, ut ea nobis communicentur, per quæ possumus proficere. Si quid igitur nos amas, effice, quod in te erit, ut voti hujus damnemur. Ego, sive libri redimendi fuerint, sive describendæ illæ Notæ, nulli pecuniæ parcam. Vale, optime amicorum. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Jun.* CIϽ IϽ CIX.

* Æneam. Culomes.

Viro clarissimo, Dominico Baudio, ad quem nuper scripsi, plurimam à me salutem nunties velim. Quas ad Raphelengios scripsi, tibi commendo; qui si potes in eo negotio me adjuvare, rem feceris gratissimam: cupio enim illud πολυτάλαντον κειμήλιον propter memoriam τοῦ δωρησαμένου ad me perferri.

EPISTOLA DCXXXIV.

EIDEM.

1609. JAm te non ignorare puto, Vir clarissime, eam Epistolam fuisse mihi redditam, quæ de obitu maximi virorum abs te mihi scripta est. Ego iis literis de ea re feci te certiorem, quas uxori Arsenii, Legati Illustrissimorum Ordinum, isthuc proficiscenti, dedi: simul gratias tibi pro eo officio egi gratissimas. Posteà alias brevissimas accepi, quibus τὸν μακαρίτην tueris à calumnia τῶν βλασφημησάντων ὡς οὐ βεβαίως ἐμμεμενηκότα τῇ πίστει. Ea quoque Epistola longè mihi fuit gratissima, qui sensus intimos nosse illius viri divini περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων, magni æstimarem. Vidi enim qui negarent, de omnibus cum vulgo nostrorum illi convenisse; sed pro sua pietate & prudentia abstinuisse ab earum rerum tractatione; quod cujusmodi sit, si fas esset, scire vellem; eò magis, quòd virum summum isthîc esse audimus, qui de nonnullis ἀλλοφρονεῖ· quem mirificè cùm alii, tùm ipse Scaliger, nobis commendarunt. Si viveret magnus Heros, meum illud decus, omnino absoluto Polybio, te atque illum vidissem; sexcenta enim erant, de quibus sententiam illius præsens cognoscere avebam: video enim ἐπιφυομένην ἀρχὴν μεγάλων κακῶν· ἀλλὰ περὶ τούτων εὔστομα κείσθω. Mihi gratissimum fuit, constantiam ἐν τοῖς τῆς ὀρθοδοξίας illius sermonis cognoscere; de quo tamen nunquam dubitaveram. Nuper de scriptis illius quædam tecum egi: rogavi etiam te, ut mihi significares, quid libellis illis esset factum, quos à nobis acceperat: neque enim dubitamus, multa eum peccata nostra correxisse, quæ scire nostra intersit. Quæso te, adjuva me in hac parte. Equidem sive illi libri redimi potuerint, sive aliquid fuerit describendum, nulli pretio parcam. Iterum te obtestor, faveas mihi in hoc proposito. De silentio meo desine queri; omnibus enim respondi fide bonâ. Quod autem scribis, dubitare te, an ideò literarum nihil à me accipias, quia contemnaris: ô mi Heinsi, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων. Ego te contemnam, qui te unum hodie admiror; qui tuam eruditionem pluris facio quàm opes Crœsi, aut omnium Liciniorum? Malè mecum agitur, si nondum illud sum assecutus, ut de me aliter sentias. Vide num æquius sit, metuere nos, ne ingravescens ætas nostra à te cùm maximè florente contemtui habeatur. Sed bona verba: aliter enim sum de tuis moribus persuasus; tu de meis esse debuisti. Accepi Orationes tuas, & Virgulam Divinam. Si expectas, ut pro dignitate munerum tuorum gratias tibi agam, longè falleris. Æstimare fortasse possem illa melius, quàm ὁ χυδαῖος ὄχλος· laudare pro merito non queo. Legeram illa omnia dudum, & apud amicos admirationem meam effuderam. Pindarica illa interpretatio spondet opus integrum, neque aliter accipio. De libro περὶ κόσμου planè tecum sentio: sed accurata illa argumentorum explicatio doctrinam tuam arguit, me judice, insignem. Quid dicam de illa divina Apotheosi? Perge, magne Athleta, & bonas partes semper propugna. Cæterùm adversus canes & Cerberos animum maturè obfirma: citius enim sol luce suâ carebit, quàm hæc inusitata virtus obtrectatoribus. Deum oro, vires tibi largiatur ad literarios labores, quos video tibi fore subeundos maximos 1609.

1609. mos. Τέτλαθι δὴ φίλε τέκνον· maxima gloria è maximis provenit laboribus. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, Non. Quint.* CIↃ IↃ CIX.

Dominico Baudio, viro clarissimo, velim significes, me literas ipsius gravissimas de negotio Hermodori accepisse. Optarem scire, quid id rei sit; quis futurus sit finis. Non possum nunc rescribere, vergente ad finem opere instituto, quod isthîc brevi, σὺν Θεῷ, exspectate, & me ambo amate.

EPISTOLA DCXXXV.

PETRO JUNIO.

1609. QUas ego tibi gratias, Vir doctissime, pro misso nuper munere agam? Legeram equidem jam antè librum * nunquam satis laudatum serenissimi sapientissimique Regis vestri, sed legeram cursim & beneficio alieno; nunc beneficio tuo, & lego ipse, ac relego divinum opus, quoties lubet: lubet autem quotidie, & legerunt porrò alii plures, primores dignitate viri, beneficio meo. Nam cùm fama ejus scriptionis ad omnes jam pervenerit, ipse verò liber ad manus adhuc paucorum, & Princeps Senatûs, Harlæus, & alii præcipuæ nobilitatis viri, quem à te accepi, codicem legere. Utinam quem sperat fructum operæ suæ Rex potentissimus, cum percipiat; percipiet autem, σὺν Θεῷ, si potest ab iis obtineri, quibus præcipuè scribitur, ut sincerum judicium ad illius operis aurei lectionem adferre malint, quàm notiones anticipatas & προλήψεις ἐφθαρμένας. Mira planè res, Reges & Principes non posse adduci, ut piâ libertate frui, quàm turpiter servire, satius & honestius esse ducant. Quem tantæ rei miraculum non advertat? Quis neget, aut dubitet, θήλατον esse πάθος? Beatum ter amplius Regem vestrum, qui hoc à Deo Opt. Max. beneficium accepit, ut in fatali aliorum cæcitate oculis ipse uteretur. Sunt qui dicant, Reges & Principes ad lectionem libri sibi inscripti potuisse facilius pellici, si Rex magnus jura Principum asserere contentus, τὰ θεολογούμενα alibi quàm in Epistola illa tractasset. Hæc audio quosdam dicere: sed Deus meliora, quàm ut meas hîc judicandi partes ullas esse credam. Mihi quæ istis delicatis non sapiunt, perplacent; neque mediocriter illius disputationis subtilitatem sum miratus. Redeo illuc, unde sum orsus, & pro tanto munere, quia rependere aliquid ἀντάξιον, tenuitatis nostræ non est, quas solùm possum, gratias ago immortales. Vale, & me amare perge. *Lutetiæ Parisiorum, a. d. v. Id. Jul.* CIↃ IↃ CIX.

* Vide suprà, Epist. DLXXX.

EPISTOLA DCXXXVI.

SCIPIONI GENTILI.

VIr clarissime, inter summas occupationes & molestissimas hæc raptim exaravi, magis instituti tenendi causâ, quàm quod opus esset; nam de nobis omnia narrabit, qui has reddidit. Nos Polybium ad nundinas properantem paulatim dimittimus; sed tantis cum molestiis, ut nos respicere non possimus. Non dubitas, credo, habiturum te, cum primis, tibi destinatum pridem exemplar, σὺν γε Θεῷ. Potes idem confirmare doctissimo & clarissimo Rittershusio. Valete ambo, & me amate, qui vos æternùm. *Lutetiæ Parisiorum, Non. August.* CIↃ IↃ CIX. 1609.

EPISTOLA DCXXXVII.

DANIELI HEINSIO.

VIr clarissime, tres postremæ tuarum de meo silentio querebantur. Planè, ut video, mutuum facimus: nam paullò ante de tuo ipse vehementer eram questus. Satisfecisti tu illâ longâ Epistolâ, cujus argumentum abominor, elegantiam admiror. Satisfacerem ipse quoque non minus prolixâ scriptione, si esset otii copia. Multa enim habeo de studiis, quæ tecùm velim communicata: sed ignosce occupationibus meis, quarum multitudinem ex eo conjicere potes, quòd tempus instabat, quo nostri mercatores Polybium ad nundinas erant delaturi. Nos tamen τὰ παραλειπόμενα nondum absolveramus, pridem inchoata, sed posteà casu quodam omissa. Accedunt aliæ curæ gravissimæ. Iterum igitur oro te, brevitati ignoscas, & ad cognoscendum atque ignoscendum te pares. Quod superest, quantum me amas, tantum ames cupio doctissimum adolescentem, qui tibi has tradidit. Plura addere de summa illius eruditione, hoc verò esset operam perdere: nôsti enim tu melius. Addo etiam illud, ut de observationibus τοῦ μακαρίτου ἥρωος in nostras nugas voto meo, si potes, facias satis. Ego nulli pecuniæ parcam; ut jam non semel scripsi. Quæ isthic pronuntiata & scripta sunt in obitum maximi virorum, necdum videre nobis contigit. Tui amoris erit, cogitare atque adeò efficere, ne illa diutius nobis sint exspectanda. Ad Polybium tuum curan- 1609.

1609. dum utemur viâ Francofordiensi, quam & tutissimam, & omnium expeditissimam sumus non semel experti. Vale. Clarissimum virum, Baudium, à nobis, nisi grave est, salvere jube. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IV. *Eid. August.* CIↃ IↃ CIX.

EPISTOLA DCXXXVIII.

✠ JOANNI RUTGERSIO.

1609. ETsi nunc primùm literas à te accepi, eruditissime Adolescens, non tamen nunc primùm tuum mihi nomen innotuit: nam quum in titulo Confutationis literas illas vidissem, J. R. ac scire vellem, quid illæ significarent, adfuit quidam vestras, qui te mihi, & singularem tuam doctrinam indicavit. Itaque tuum statim nomen ad oram libri mei adscripsi, semperque ex illo omnia de te inquisivi, & Deum Opt. Max. oravi persæpe, ut spei tuæ benediceret, & omni bonorum genere te cumularet. Quæ quum ita accidissent, quàm gratæ mihi literæ tuæ acciderint, dubitare jam non potes. Næ benè dictum est, bonos, etiamsi sese invicem ignorent, esse tamen sibi invicem conciliatos: nam ut ex tuis didici humanissimè scriptis literis, dudum est, cùm etiam taciti in mutuo amore consentimus. Primùm coagulum, ut sic dicam, hujus inter nos amicitiæ fuit ὁ ἐν ἄνοις θεῖος ἀνὴρ, Scaliger, ὁ νῦν μακαρίτης μακάρτατος· nam & mihi ut de te sollicitè inquirerem, liber ab eo missus occasionem dedit; & tibi ut ad me scriberes, causa oblata est, ut quædam illius mitteres. Non poterat meliore omine, aut melioribus auspiciis, adire noster hic amor; quem spondeo mihi ab hoc principio fore in dies valentiorem, & firmiorem. Salve igitur, Vir eruditissime, amice προσφιλέστατε, & me, quod facis ama, de meo affectu pari securus. Possum vinci à te officiis, benevolentiâ non possum, neque voluntate tibi gratificandi. Quoniam autem visum tibi, semel insigni officio me tibi demereri, te oro, ut nisi re confectâ non quiescas. Scis quanti divinum illum virum fecerim. Nulla unquam illi excidit litera, quam non magnifaciam me legisse. Non dubito autem, multa illum in libellis nostris & reprehendisse, & correxisse; quæ omnia si operâ tuâ fuero consecutus, sublimi feriam sidera vertice. Intereà pro illis, quas misisti Notis, quantas possum maximas ago gratias. Non potui nunc illis uti, quia omnia erant confecta prius quàm illas acciperem. Video multa mihi similiter esse observata, ac penè omnia: sed 1609. ne sic quidem operæ tuæ fructus tibi perit; nam & nonnulla sunt, de quibus in mentem nobis non venit; & suspiciones meas judicio Scaligeri confirmari, id verò longè mihi est gratissimum; quod ut omnes intelligant, & simul sciant quantum ego tibi eo nomine debeam, sedulo operam dabimus. Non debes autem vereri, ne beneficio tuo abutar, & summi virorum σχεδιάσματα impiâ manu contrectem. Non adeò rerum imperitus sum, ut quid & quantum repentinis id genus scriptionibus tribui debeat, ignorem: neque verò ita Scioppius sum, ut lædere existimationem velim ejus viri, cujus manes penè dixerim religiosè colo. Cùm Historiam Augustam edebam, misit ad me Petrus Faber, Curiæ Tolosanæ Princeps, librum observationum suarum, quem mihi elegante epistolâ inscribebat, & cum meis Notis edi volebat. Non erat accessurum nomini meo parvum decus ex illa dedicatione viri tam illustris dignitatis, & quidem Pontificii: sed quia erant illæ Notæ indignæ, meo judicio, tanti viri famâ; editione libelli illius abstinui, & pauca selegi, ut haberem occasionem faciendi mentionem Fabri honestissimam. Hoc volui commemorare, ut omni dubitatione & te liberarem, & clarissimum Heinsium, qui etiam ea super re nonnihil ad me scripsit. Perge igitur beare me, & fore me accepti beneficii memorem, certò tibi persuade. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* IV. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CIX.

Viro clarissimo, Petro Bertio, nisi grave est, amicissimam meis verbis salutem nunciabis.

Inscriptio.

Eruditissimo Viro,
JOANNI RUTGERSIO,
amico singulari,
LUGD. BATAV.

EPISTOLA DCXXXIX.

JANO GRUTERO.

TAndem, mi Grutere, tandem aliquando ad finem perducta est inchoata dudum Polybii editio: quo nomine quas agam Deo Opt. Max. gratias, illi soli nôrunt, qui sciunt, quantum ærumnarum passi simus, dum in opere illo versamur. Confido, aliquam earum partem tibi esse notam; quo confidentius te orabo, ut exemplar εὔφρονι θυμῷ accipias, quod tibi mitto; neque illo tetrico vultu, qui summam doctrinam 1609.

1609. ctrinam qualis in te est, solet comitari. Si voluntati par facultas responderet, veniâ doctorum opus non haberem, nunc quoties venit in mentem incommodorum, quæ mea studia quotidie experiuntur, adeò longè absum ἀπὸ τῆς οἰήσεως, ut penè pigeat aliquid scripsisse. Tua, mi Grutere, æquitas apud iniquiores judices mihi patrocinabitur. Accipe igitur, quod jussi tibi dari, exemplar, & conatibus meis fave. Ita vivas lætus, καὶ ἐν πᾶσιν εὐημερῶν multa annorum lustra. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, prid. Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CIX.

EPISTOLA DCXL.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEIMIO.

1609. POlybium & Æneam, meâ operâ hîc editos, tibi mitto, Vir præstantissime. Spero fore munus non ingratum; nisi tamen ἀδέσποτοι quidam rumusculi, isthuc, ut audio, delati, tantum apud te valuerunt, ut tuum à me animum abalienarent. Dolebo, si ita est, & jure optimo sortis meæ infelicitatem prædicabo; qui fortunas meas scelere quorundam è nostris amiserim; amicos autem astu, aut vanitate τῶν ἐπιρροθούντων. Quis me vivit infelicior? *** † & Romanenses variis artibus ex æquo me infestant; sed isti digniores veniâ, quos in me nihil irritat præter caussam religionis. Non puto ita leviter in animo tuo fundatum amorem mei, ut futiles rumores de me sparsi potuerint eum labefactare. Moveor tamen silentii tui diuturnitate, quod vereor ne aliam præter occupationes tuas causam habeat. Ego, Vir clarissime, à puero sic vitam institui, ut bonis probatum esse me cuperem, malis ne notum quidem. Ad hoc propositum cùm omnia semper mea dicta factaque retulerim, si effugere tamen calumnias non possum, solabitur me conscientia mea, & multorum probitate excellentium virorum exempla, qui malevolorum virulentas linguas vitare non sunt quiti. Sed redeo ad Polybium; quem velim sic à te legi, ut ab eo profectum, cui dolor ex variis causis ortus, ἥμισυ τῆς ἀρετῆς ἀφείλετο. Si vitam, si otium & præsidia necessaria fuerit deinceps largitus ὁ ἐπουράνιος πατὴρ, meliora & emendatiora non veremur polliceri. Illa erunt, ut potuerimus, hæc sunt, ut potuimus. Me jactura rei familiaris ** accepta ita affecit propter φυσικὴν στοργὴν in meos, ut etiam studia literarum aliquando averser, & odio habeam; quæ me sibi mancipatum penitùs dum tenent, injuriis hominum πλεονεκτῶν faciunt opportunum. Vale, Vir nobilissime. *Lutetiæ Parisiorum, Non. Septemb.* CIↃ IↃ CIX.

† Protestantes. Colomes.

EPISTOLA DCXLI.

GUILIELMO CAMBDENO. ✠

EN tibi, Vir præstantissime, promissum ante aliquot menses Polybium, 1609.
qui simul ac fuit absolutus, habui nihil antiquius, quàm ut tibi memorem me probarem. Nolo in solutum munusculum hoc accipias, quod non esse idoneum agnosco, ut cum tuo munere comparetur. De iis loquor, quæ sunt à me profecta: nam ipsum quidem Polybium non dubito magni à te fieri. Adjecimus Polybio comitem Æneam, Scriptorem, ut nostra opinio est, vetustissimum. Qui si alicubi in Britanniæ vestræ Bibliothecis posset reperiri, rogarem te, ut vestrum exemplar cum mea editione curares conferendum: multa enim pessimè affecta erant in eo libro, quo sumus usi; uti mirari nemo debeat, non omnia esse nos assecutos. Restat operis, à nobis suscepti, pars altera, Commentarii in Polybium; quos sperabamus unà cum ipso Auctore nos daturos: sed ea intervenerunt, quæ studia nostra non mediocriter interturbarunt. Verùm hæc Θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Te oro, me constanter ames, qui te nunquam non colam, dum ero. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, Nonis Septemb.* CIↃ IↃ CIX, raptim.

EPISTOLA DCXLII.

DAVIDI HOESCHELIO.

EN tibi tandem, Vir optime & do- 1609.
ctissime, Polybium nostrum, & cum eo Æneam. Quis iste? inquies. Si lubet scire, potes Notas consulere; & postquam cognoveris, quæ fuerunt mihi de pulcherrimo Auctore comperta, tui erit amoris, si quid amplius ipse nôris, id me facere ne sim nescius. Ego caussas habere me credidi idoneas, cur vetustissimum eum Auctorem esse crederem. Tibi si aliter videbitur, vehementer mirabor, & id quoque scire docerique abs te expetam. De Commentariis, quorum titulus libri spem facit, noli aurem mihi vellere; memorem enim monueris; sed me plenis velis currentem ὑγρὸς ἄνεμος defecit: adhæsit igitur ad scopulos nostra navicula. Deus, spero, aderit, & me gravissimâ liberabit molestiâ. De Apollinari,

1609. nari, quòd me sententiam meam rogas, (etsi nihil erat necesse; nam quis ista melius διευκρινῆσαι, quàm tu?) non verebor tamen judicium meum breviter ostendere. Judico autem de ejus Psalterio non aliter, quàm ut tibi quoque placere video. Opus esse planè haud indignum, quod juventuti φιλέλλησι proponatur: nam & Græca est oratio, & satis poëtica; imò interdum ποιητικώτητι. Illud credo, non negabis, cum veritate Hebraica sæpe illi parum convenire; sæpe etiam Græcæ poëseos genium in eo desiderari. Neque enim nescis, aliud esse, versus facere; aliud, Poëtam agere. Quod quum in vertendo sit perdifficile; non desunt tamen è recentioribus, quos anteponam Apollinari; quo in numero sunt Florens Christianus, Zanutius, & qui omnia omnium seculorum ingenia obscuravit, Josephus Scaliger, ὁ νῦν μακαριώτατος μακαρίτης. Sed hæc, ut dicebam, tute melius. Vale, & me ama. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum*, *Non. Septemb.* CIↃ IↃ CIX.

Epistola DCXLIII.

CONRADO RITTERSHUSIO.

1609. NUperas nuptias, de quibus cognovi ex literis clarissimi Gentilis, benè tibi cedere, ex animo cupio, præstantissime Rittershusi. Dolueram tædio χηρείας esse interturbata studia tua, quæ nunc spero in pristinum statum esse restituta. Quamobrem quid jam pares, & tuis illis observationum libris quid sis facturus, scire cupio. Epicedia in Lipsium memini te aliquando ad me misisse. In Scaligerum nihil vestram Academiam scripsisse, poterone credere? Ego solus hìc sum, qui publicâ voce ausus sim τὸν μακαρίτην deflere: nam ὁ μέγας Thuanus justissimam silentii causam habet; qui tamen unus omnium maximè & amavit virum, admiratusque est, & nunc quoque fato functi memoriam religiosè colit. Cæteri Loïolitis hunc respectum habuere, ut ipsorum in gratiam eum ne laudarent, quem ipsi quoque laude omni majorem fatentur. Nos voluimus, scirent omnes mortales, virtutis admiratione nihil nobis esse antiquius. Itaque etiam in libro, quem Regi Christianissimo dicabamus, judicium nostrum de Scaligero extare voluimus. Reperies, si facis tanti, in Notis ad Æneam; quem vetustissimum Scriptorem, à me recens editum, accipe unà cum Polybio, mi Rittershusi; & si me amas, quascunque hallucinationes meas deprehenderis, & stili festinantis παροράματα mecum πρόφρονι θυμῷ communica. Vale, Vir clarissime, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *Non. Septemb.* CIↃ IↃ CIX. 1609.

Epistola DCXLIV.

SCIPIONI GENTILI.

NUper cùm isthuc proficisceretur fratris tui τοῦ μακαρίτου filius, dedi ad te epistolium, raptim exaratum. Accipe nunc istud non multò majus: nam ne nunc quidem major otii copia suppetit. Instar longioris Epistolæ erit Polybius meus, quem tibi mitto μνημόσυνον φιλίας. Non commendabo munus, nisi ab affectu mittentis; quem si spectas, næ verendum mihi non erit, ne parvum tibi videatur, quod à voluntate maxima proficiscitur. Gratum tibi accidisse hoc, quicquid est, muneris, tunc seriò cognoscam, cùm meorum me errorum admonueris. Per ego te Deum immortalem oro, ut si tanti facis nostra, ut lectione tuâ illa digneris, diligenter omnia observes, quæ meliora posse fieri judicabis, & mecum, nisi grave est, tuas deinde notulas miniatulas communices. Sciunt amici & familiares mei, quàm vera sit illa excusatio, quâ sum usus in finè illius Diatribæ, quæ est de Interpretibus Polybii. Si dabit Dominus Jesus, alteram editionem curare saltem Latinam, fidem meam omnes agnoscent. Prolegomenωn prolixitatem noli accusare: nôram Mæcenatis mei benignitatem, & erga me facilitatem ac benevolentiam; cujus grande monumentum essem consecutus, oblato hoc munere, si per religionem non stetisset: nam si pati potes semel apud amicum καυχώμενον ἐμὲ, Proceribus nostris ea pars, quâ Regem laudavimus, ita probata est, ut ad suscipiendum ejusdem argumenti Panegyricum, & Cancellarius noster, vir illustrissimus, & omnes certatim me hortentur; qui debuerant potius Regi auctores esse, ut jacturam rei familiaris, quam * † accepimus, iret sartum. Sed obstat id, quod dixi. Itaque illo nos solabimur, virtutem amplam sibi ipsam esse mercedem. Vides quàm familiariter tecum agam: fretus enim amore tuo, sic cum absente loquor, ut si præsens esses. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *Non. Septemb.* CIↃ IↃ CIX.

† *Fortè.* Genevæ. *Vide suprà, Epist.* DLXXXVII.

EPISTOLA DCXLV.

FRIDERICO LINDENBROGIO.

1609. POstquam Lutetiâ discessisti, neque quò esses profectus, neque ubi locorum ageres, scivi; neque quicquam omnino literarum à te accepi: ante paucos menses enim eæ sunt mihi redditæ, quas superiore Aprili ad me dederas. Ut valde mihi illius tuæ Epistolæ principium mirum sit visum. Sic enim scribis, quasi defatigatus tot literis ad me exarandis, quarum nullum responsum tuleris. Ego iterum tibi sanctè & liquidò juro, ut semel hinc abiisti, neque Epistolam tuam mihi esse ullam allatam, ac ne salutem quidem unquam abs te nuntiatam. Denique planè ignorasse me, quæ te haberent terræ, quidve consilii cepisses. Meministi enim, accidisse casu nescio quo, ut ne de profectione quidem tua prius quidquam cognoscerem, quàm urbe excessisses: quod ego sic sum interpretatus, ut vel mea negotia, vel tua accusarem, per quæ factum esset, ut vale mihi dicere non posses. De animo quidem tuo in me nunquam dubitavi: qui conscius mihi sim, sedulò cavisse me semper, ne de meo posses dubitare. Itaque gratæ mihi supra modum tuæ literæ fuerunt, quas longo intervallo tandem accepi. Scito, mi Friderice, semper in amore mutuo paria me tecum facturum. Pars probitatis est, me judice, in suscepto semel amore præbere se constantem; quod ego faciam, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, dum terras colam. Ad ζητημάτια tua, quia jam serum est, & tuæ Notæ jam, ut opinor, prodierunt, nihil respondebo. Fecissem autem, si vel tantillum vacui temporis habuissem. Polybius, quem videbis, de meis occupationibus tibi testimonium dicet; etsi quota pars mei temporis est, quam studia sibi vindicant? Sed in hac urbe, ut scis, non aliter vivitur. Calignonii fratres te salutant; quum paucos menses apud me fuissent rogatu meo, hodie ex ædibus nostris discedebant, & in Delphinatum se conferebant. De viro clarissimo, N. N. nihil te scripsisse, miratus sum. Ille per aliquot annos siler. Tu de eo ne sile, & meis verbis ipsum saluta. Vale, eruditissime Vir. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Eid. Septemb.* CIↃ IↃ CIX.

EPISTOLA DCXLVI.

PATRICIO JUNIO.

QUas ad me Kalend. Augusti dedisti, superioribus diebus accepi, 1609.
eruditissime Juni, libros etiam accepi, quibus Epistolam tuam adjunxeras. Ago tibi & pro literis humanissimè scriptis, & pro missis libris grates gratissimas. Dicerem, relaturum me, si putarem posse aliquid à me proficisci, quod cùm tam excellentibus scriptis ulla ex parte posset comparari. Accedit difficultas vecturæ, quæ me absterret, ne mearum lucubratiuncularum aliquod ἀντίδωρον ad te mittam: vereor enim, ne eveniat in meo fasciculo, quod evenit in tuo, cujus vecturam æstimavit quatuor libris, qui tradidit: quum minore pretio & Româ, & Constantinopoli onera majora quotidie Lutetiam advehantur. Virum clarissimum, parentem tuum, in Scotiam esse profectum, ex tuis didici. Deum oro, ut & reducem illum ad vos sistat χαίροντα πρὸς χαίροντας, & ut universæ domui vestræ magis magisque indies benedicat. De Strabone gratissimum est, quod polliceris. Adhuc me alia studia habent; spero tamen brevi veteres curas in illum Scriptorem me sub incudem revocaturum, sic auctas, ut novum opus possit videri. Sed hoc prius fieri non potest, quàm dederit Deus Opt. Max. negotia quædam perficere, quæ me occupatum nunc habent. Tum ero tuæ promissionis memor, & te appellabo; qui etiam sedulò cavebo, ne collati beneficii te possit unquam pœnitere. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Eid. Septemb.* CIↃ IↃ CIX.

EPISTOLA DCXLVII.

GOTHOFREDO JUNGERMANNO.

JAm exaraveram literas ad amicos per 1609.
Germaniam mittendas, cùm tuæ mihi sunt redditæ, optime & eruditissime Jungermanne. Quia nihil responsi acceperam ad postremas mearum, incredibilem in modum eram de te sollicitus. Ago Deo gratias immortales, quod melius tecum agitur, quàm suspicabar. Eundem supplex oro, ut quod incepit in te, perficiat, & priores vires tibi reddat ὁλοκλήρους. Mihi ægrè erit, donec te planè convaluisse intellexero: neque enim mediocris est meus in te amor; quanquam etiamsi id non esset, non poteram tamen literas amare, ut

1609. te non vehementer amarem, bono illarum natum. O illum diem videam, cùm tu me beabis illo εὐαγγελίῳ de recuperatis pristinis viribus ἐξ ὁλοκλήρου! Interim bono animo te esse jubeo: afflictorum non minus quàm καλῶς ἐχόντων pater est, qui nutu cœlum & terras temperat. Ejus arcanâ providentiâ omnia accidunt, quæ accidunt; & quod caput est, ita nobis expedire statuere debemus, quoties aliquid etiam τῶν ἀτυχτῶν nobis evenit. Quod si verè Christiani sumus, ea demum vera sapientia est, velle quicquid Deus vult. Sed spero de te omnia læta. In Harpocratione te versari, gaudeo, & te hortor, ut & illum brevi edas. De locis propositis scribam alio tempore; nunc enim raptim ista exarabam, postquam omnes meas tradidissem, incertus cui traderem. Notas Loiolitæ * in Epistolam Nysseni, à nobis editam, vidi, & ingemui, non eo loco esse me, ubi respondere possem liberè: nam tacere malo, quàm non vela pandere orationi. Evincerem istos nebulones, quicquid prætexant, λατρεύειν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα· evincerem illum asinum calumniari scire, idque insulsè; aliud nihil: pudorem denique illi aliquem expressissem, nisi planè depuduit. Sed hæc aliàs pluribus. Vale, corculum meum. *Lutetiæ Parisiorum, a. d. v. Eid. Septemb.* CIↃ IↃ CIX.

* Jacobi Gretseri.

EPISTOLA DCXLVIII.

✠ A MERIC CASAUBON.

1609. MEric, *Je suis bien aise que tu m'escris asses diligemment, & je serai encores plus, quand tu le feras plus souvent. Pourveu que toujours par tes dernieres je puisse cognoistre, que tu ayes profité quelque chose despuis les precedentes.* Video te jam incipere themata Latina componere; sed non sine gravibus erroribus. Fac quotidie aliquid addiscas. Exerce memoriam assiduè. Si isthic docetur Terentius, volo ut eum librum à principio ad finem mandes memoriæ. Nemo Latinè loquetur bene, qui Terentium non contriverit. *Escris moi si par de là on lit Terence, & qu'est ce que on te lit. Sur tout sois sage; crains Dieu: prie le pour tes pere & mere, & freres & sœurs. Honore tes precepteurs, & leur sois obeissant. Garde toi de perdre le temps.* Si ita feceris, Deus tuis studiis benedicet. Scripsi ad tuum Præceptorem atque hospitem, ne quid tibi deesset. Mater te salvere jubet, *& vous commende de baiser les mains à Madamoiselle Capel en son nom: comme je fais aussi. A Paris, ce 18. Septemb.* 1609. CIↃ IↃ CIX.

Ton Pere,

IS. CASAUBON.

Saluta meis verbis Hottomannos, fratres.

EPISTOLA DCXLIX.

THEODORO CANTERO. ✠

VEreor ne literis, quas à te novissimè accepi, doctissime Cantere, serum jam sit respondere. Oblatam tamen ἐκ τοῦ παρατυχόντος occasionem prætermittere non potui. Scito illam Epistolam tuam incidisse in ipsam ἀκμὴν negotiorum, quæ Polybiana editio mihi exhibuit. Itaque quum respondere non vacaret, aliud tempus expectare sum coactus. Post absolutam editionem, aliud genus curarum nos excepit, ut etiam abesse ab urbe plures septimanas nobis contigerit. Ne nunc quidem valde otio abundabam; quo tamen si vel maximè abundarem, vereor ut quæstionibus tuis possim unquam satisfacere. Scis multa esse in illis Scriptoribus, ad quorum illustrationem, aut emendationem expectandus est, quod Hebræi dicere amant, *Heliæ adventus.* Quid verò mirum, multa nos in libris Veterum ignorare, qui tam multa scripta Veterum amiserimus? Nos quando dico, me & mei similes intelligo ἀνθρώπους ὀψιμαθεῖς καὶ ὀλιγομαθεῖς. Planè μορφὴ πρυμνίδι quid sit, nescio; & pag. 267. apud Theophilum non probo, ut pro Σίμυλος scribatur Εὔβουλος· nam Σίμυλος sine dubio legendum. Id nomen est veteris Comici, ex quo versus elegantissimos describit Stobæus, λόγῳ νη. Sed locus hic allatus à Theophilo, valde est corruptus. Melius ita concipietur: Καθὼς καὶ ὁ Σίμυλος ἔφη:

Κοινῶς ποιηταῖς ἐστιν ἔθος ...... καλ
Καὶ τοὺς περιττοὺς τῇ φύσει καὶ τοὺς καλοὺς·
Εὖ δ' ἐστὶ κρίνειν καθάπερ ἐξ οὐ τινί.

Postrema ita possunt emendari, ut sit aliquis sensus, & stet metrum, καθαπερεὶ ἔργῳ τινί. In lacuna deest vox aliqua, fortè Θεοὺς aut καλοὺς, cujus vocis variam acceptionem Poëta notabat. Habes repentinam conjecturam meam: tibi si aliud videtur, τὸ κοινικάτω. Vale, & me ama. Filios tuos, hospites quondam meos, salvere à me jubeo. *Lutetiæ Parisiorum, a. d. VII. Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CIX.

EPISTOLA

EPISTOLA DCL.

ANDREÆ SCHOTTO.

1609. QUi per se futurus erat gratissimus, ὁ πολυμαθέστατος Miræus, eò tamen gratior advenit, quia literas à te, præstantissime Schotte, mihi attulit. Egi Deo gratias, quòd te præstet valentem, & quidem αἰὲν ἀριστεύοντα. Nam quod scribis, in eo te esse, ut Ciceronem juventuti commendes, & vel aversanti eum obtrudas, moriar, nisi is mihi longè fuit jucundissimus nuntius: amo enim illum Scriptorem ἐκπαθῶς, & stultitiam eorum demirari satis nequeo, qui Latinam linguam & facundiam ab alio potius sibi putant esse quærendam. Inter morbos ἐπιδημίους nostri sæculi hunc recenseamus licet. Quis igitur propositum tuum satis laudaverit? Quis tam Marrucinus, qui παντὶ φιλολογίας εἴδει esse te dignissimum, non pronuntiaverit? Ego si quid in literis videor mihi posse affirmare, vix potuisse à te, hac authoritate viro, aliquid institui Reipublicæ literariæ magis utile, imò magis necessarium. Perge igitur, mi Schotte, & pænè jam exulantem è scholis Marcum Tullium in pristinum siste locum. Civicam omnes tibi debere se fatebuntur, qui veræ eruditionis sunt studiosi. Themistii Orationes, quas doctissimus Miræus attulit, vidi, & summa cum voluptate legi. Bene meretur de Republica literaria, qui earum editionem parat *: sunt enim pulcherrimæ, elegantissimæ, lectu dignissimæ, καὶ ἐν λόγῳ Themistio dignissimæ. Sed parum accuratius illas esse descriptas optarem, priusquam Typographo tradantur: sunt quippe in iis mendæ non paucæ, quæ eruditissimum Interpretem non fugerunt. Videbis quæ in illas adnotavimus ὁδῷ πάρεργον, inter legendum: loca enim aliquot sanavimus, in quibus aut ipse fallor, quod potest fieri; aut ille doctissimus, & ut audio, reverendissimus tuus amicus, est deceptus. Sed vos judicabitis: mihi satis est, si animum meum vobis deditissimum fuero testatus. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VII. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CIX.

* *Petrus Pantinus, penes quem extitisse varias Themistii Orationes ἀνεκδότους, scribit Andreas Schottus ad Photium Cod. 74.* Colomes.

EPISTOLA DCLI.

THOMÆ ERPENIO.

1609. VIdes, charissime Erpeni, quàm sim datæ fidei memor, qui prius te lacessam, quàm de tuo isthuc adventu fuerim factus certior: sed volui scires, non mediocriter esse me sollicitum de tua valetudine & rebus tuis. Simul significari volui tibi, me fasciculum ex Hollandia accepisse, in quo literæ erant, quas tibi mitto. Inerat & liber, de quo non dubito quin ad te scribatur. Scito igitur, non esse ausum me istum codicem prius ad te mittere, quàm de tuis rebus omnia haberem comperta. Est enim liber ejusmodi, quem periculo exponere temerè equidem nolim. Servavi illum igitur, donec didicissem à te, quid esset opus facto. Simul ac voluntatem indicaveris, fiet uti voles. In eo libro manum Scaligeri τοῦ μακαριωτάτου μακαρίτου statim agnovi & amavi. Mea studia Arabica post tuum discessum frigent: jam enim in Bellarmini seria lectione occupamur, & aliis curis. Scis quod genus hominum me cogat dare operam studiis Theologicis: illi nempe, de quibus sæpe me conquerentem audisti. Sed narro tibi: benè meriti sunt illi homines de me, atque adeò optimè. Exegerunt ut Bellarminum suum legerem; invitum compulerunt: vix adhuc attigi, & tot monstra horrendorum inveni mendaciorum, ut operæ non pigeat. Sed hæc aliàs. Exspecto literas tuas. Vale, optime amicorum. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CIX. statim post acceptas literas, quas mitto.

Nobilissimum Dominum de Plessi, & Dominum Trochoregium meis verbis salutes velim.

EPISTOLA DCLII.

RICHARDO THOMSONI.

GAvisus sum, non displicuisse tibi Polybium nostrum, quamquam scio, 1609.
quid intersit amorem inter & judicium. Ubi seriò legeris, quæ sunt à nobis profecta, invenies, scio, quæ reprehendas multa & gravia. Sed memineris, in ea urbe illa me scripsisse, ubi alia omnia mihi curanda potius sunt quàm studia. Scit hoc Tomkys noster, qui aliquot jam menses apud nos agit: ille in patriam reversus tibi narrabit, quibus machinis, quàm assiduâ operâ, quàm variis artibus mecum ab iis agatur, qui traducere me ad alia castra conantur. Feci, & facio quotidie omnia, ut me semel liberem; scit hoc quoque ille idem amicus noster: sed frustra. Itaque velim nolim Theologiæ studiis cogor ἐνδιατρίβειν: quid proficiam, scirent οἱ ἐξ ἐναντίας, si liberum mihi esset, scripto persequi cogitationes meas. Nunc, quod unum superest, id

facio

1609. facio assiduè, ut quantùm τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐντάλματα, μᾶλλον δὲ τοῦ υἱοῦ τῆς ἀπωλείας aversér atque abominer, palàm & altâ voce quotidie in os declarem. Quid mihi ex ea re sit metuendum, satis intelligo; & fungus sim, si non videam. Sed nos dudum & nos, & nostra omnia Deo Opt. Max. permisimus. Ille, spero, ἐν πᾶσι τοῖς πειρασμοῖς aderit, & adversus πάντα τὰ δεινὰ nos firmabit. De Polybii Commentario si quæris, ille verò jacet, & æternùm jacebit, dum mihi cum Purpurato, viro maximo *, assiduæ de Religione contentiones erunt. Is est, qui omnibus in hoc Regno Literatis, ac nominatim τοῖς ἀμφὶ τὴν βιβλιοθήκην τοῦ βασιλέως præest. Non puto, majus extare hodie ingenium. Cum hoc viro assiduè versans propter munus meum, assiduè dimico: ἀλλ' ἴσθι γίνεσθαι ταῦτα οὐκ ἄνευ κελεύσεως τοῦ Ἀγαμέμνονος †. Quare post absolutam versionem Polybii, illa studia ne salutavi quidem πόῤῥωθεν, & omninò pessimo loco res studiorum nostrorum sunt positæ. Deus nos respiciat; συνοχωρούμεθα γὰρ καὶ σφόδρα λίαν. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d. v. Kalend. Januar.* quas Kalendas opto tibi felicissimas. CIↃ IↃ CX.

* Cardinali Perronio. Vide Merici Casauboni pietatem, pag. 56.

† Regis.

EPISTOLA DCLIII.

DANIELI HEINSIO.

1610. ANgit me tuum hoc silentium, Vir amicissime, & ut aliquando tandem id rumpas, te oro. Sextus propè est mensis, ex quo nihil à te literarum accepi: novissimæ enim tuæ fuere, quas libro adjeceras de vita & obitu magni Heroïs nostri ‡: illas dico eximias Orationes, quæ sunt à te publicatæ. Ex eo tempore & scripsi ad te non semel, & Polybii exemplar ad te misi; quod probè curatum fuisse, è literis cognovi, quas doctissimus Rutgersius ad me misit. Quòd non è tuis id potius didicerim, ea res facit, ut de tua valetudine non mediocriter sim sollicitus, qui præsertim sciam, iter abs te fuisse susceptum, & eo confecto in patriam istam alteram tuam esse reversum. Omnino malè me habet tuum silentium hoc tam diuturnum, cujus causam priusquam cognovero, non constitui longioribus Epistolis πράγματα σοὶ παρέχειν. Scripsi nonnulla ad τὸν πολυμαθέστατον Rutgersium, quæ ipsum tibi fore communicaturum confido. Vale, & me constanter ama. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Non. Januar.* CIↃ IↃ CX.

‡ Scaligeri.

EPISTOLA DCLIV.

JOANNI RUTGERSIO. ✠

BInas tuarum simul ante paucos dies 1610.
accepi. Unis earum erant adjectæ Notæ τοῦ μακαρίτου Heroïs, ex illius codicibus operâ tuâ descriptæ. Nequeo verbis tibi significare, quantum eo officii genere me tibi in ævum devinxeris. Gaudeo sanè, hâc occasione amicitiam nostram coaluisse. Meæ jam sunt partes, postquàm à te sum provocatus tanto beneficio, cavere, ne in dolium pertusum id videri queas effudisse. Spero non defuturam occasionem testandæ rebus ipsis benevolentiæ & grati animi: nam equidem ingrati animi vitium φύσει καὶ πάνυ μισήσας ἔχω. Illud certè, σὺν Θεοῦ παλάμῃ faciam, ut per quem profecerim, sciant posteri. Neque enim ignoras, quanti ipse vel levissima magni Heroïs σχεδιάσματα semper fecerim, qui quidem etiam in iis, in quibus aliter sentio, magni æstimem scire, quid ille existimaverit, & caussas ejus sententiæ expendere. Nos jam à Polybio planè discessimus, cùm aliis gravissimis curis mirificè occupati, tùm etiam recensione Animadversionum in Suetonium, & Commentarii in Theophrasti Characteres. Utramque hanc operam penè convitiis extorserunt à me Typographi, prorsus alieno meo tempore, qui longè diversis studiis meas horas, quas habere hîc possum, succisivas, addixeram. Suetonium Parisienses edunt, aut potiùs inchoatam dudum editionem Genevæ perficiunt. Characteres Lugduni Seytesianorum brevi, ut spero, edentur, non negligenter recogniti: nam Fortlanus, homo Græcus, atque is doctissimus, qui in eandem arenam post nos descendit, stomachum mihi movit: qui mihi fermè persuasit, etiam Græcos homines in sua lingua posse aliquid à nobis discere: φθόνος δ' ἀπίστω τοῦ λόγου καὶ Νέμεσις. Sed ejus Versionem & Notas si vidisti & expendisti aliquando, non aliud, nisi fallor, senties. Ex tuis didici, Polybium, quem ad clarissimum Heinsium misi ante sex menses, probè fuisse curatum. Ipsum ex illo tempore nihil ad me scripsisse, demiror; itaque de ejus valetudine incredibilem in modum sum sollicitus. Beaveris me, si hanc mihi curam exemeris. Sunt hîc Puteani fratres memoriæ τοῦ μακαρίτου cultores magni. Unus illorum variis Scaligeri scriptis collectis, dare illa in lucem constituit, jamque adeò editio est inchoata. Non est, quòd verearis proditurum aliquid, quod

tanti

1610. tanti viri famam aut existimationem lædat. Nihil enim publicabitur ὅπερ ἄρρητον ἄμεινον· nihil non ex ipsius autographo descriptum; nihil denique ipso indignum. Adde, quòd præfatione munietur ea editio contra Theoninos dentes τῶν ἀλαστόρων. Scio esse isthic multa, quæ nos desideramus: ut de Nummis doctam Diatribam; Leges Atticas, alia. Cur illa vos non editis? Cur nobis eorum lectionem invidetis? Obsecro te, hanc partem Epistolæ ostendito amicissimo Heinsio, & quid illius sit judicii, fac me quàm primùm ut sciam. Quæ ad Erpenium nostrum misisti, ea scito ritè curata. Vale, & rescribe. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Non. Januar.* CIↃ IↃ CX.

Inscriptio.

Eruditissimo & ornatissimo Viro,
JOANNI RUTGERSIO,
Jurisprudentiæ Candidato,
amico intimo.
LUGD. BATAV.

EPISTOLA DCLV.

EIDEM.

1610. RESpondi nuper duabus Epistolis tuis, quas simul acceperam. Eæ literæ an fuerint tibi redditæ, scire cupio. Scripsi enim de variis rebus, super quibus responderi à te mihi, vehementer opto. Monebam te, edi hìc à Puteanis fratribus posthuma quædam magni Scaligeri scripta, ex ipsius autographis desumpta. Orabam, si quid esset isthìc, quod deberet edi, ut vel ipsi ederetis, vel nobiscum communicaretis, ut editioni Parisiensi, quam spondeo fore non inelegantem, adjiciatur. Querebar etiam de silentio clarissimi Heinsii, & meam de ejus valetudine sollicitudinem ostendebam; atque ut me eâ curâ liberares, obnixè rogabam. Nunc quoque idem à te peto, & prioribus tuis beneficiis hic accedat cumulus, etiam atque etiam à te peto & contendo. Vale. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum, Nonis Januar.* CIↃ IↃ CX.

Inscriptio.

Viro ornatissimo & doctissimo,
JOANNI RUTGERSIO.
amico honorando.
LUGD. BATAV.

EPISTOLA DCLVI.

DANIELI HEINSIO.

CHarissime virorum, Tu quidem imperare tibi potes, ut me silentio 1610.
crucies tuo; ego verò non possum. Nam qui paucos ante dies literas ad te dedi; qui binis ad Rutgersium scriptis de tuo silentio sum questus frustra; non possum tamen nobilissimum D. Legatum ad vos dimittere, quin hæc verba inter summas occupationes meas exarem. Si quid igitur me amas, fac de valetudine tua aliquid intelligam; nam sextus, opinor, hic mensis agitur, ex quo nihil à te literarum accepi. Ego cùm alias Epistolas ex illo tempore scripsi; tùm unam, quâ significabam, edi hìc à Puteanis varia Opuscula τοῦ μακαρίτου Heroïs nostri. Quæ potuere inveniri manu ejus scripta, placuit edere, ne vel perirent, vel malè publicarentur. Scimus isthìc vos habere multa lectu dignissima; quæ vel ipsi edite, vel nobiscum communicate. Hoc Præses Thuanus te mecum rogat: at scin' quomodo? ut nihil magis obnixè queamus. Plura de nostro incepto, cùm plus erit otii. Vale, & meis verbis, nisi grave est, saluta clarissimum Baudium, & doctissimum Rutgersium. *Lutetiæ Parisiorum, prid. Eid. Januar.* CIↃ IↃ CX.

Polybium te accepisse existimo: cupio tamen ex literis tuis hoc cognoscere.

EPISTOLA DCLVII.

THOMÆ ERPENIO.

UTinam, Vir doctissime, possem ver- 1610.
bis declarare tibi, quàm gratum mihi acciderit munus illud χρυσοῦ χρυσότερον, quo me donasti. Sed quia desunt verba affectui meo paria, satius fuerit, ut tu ex animo meo, quem puto tibi non esse ignotum, facias conjecturam. Scis certè, amore ejus linguæ, in qua magis magisque in dies admirabilem te præbes, non mediocriter me jam olim fuisse inflammatum; qui inceptum studium deserere ducis inopiâ cùm fuerim coactus, in tantis præsertim meis occupationibus. Quòd nunc tam benevolè operam tuam mihi commendas, & tuâ singulari industriâ meum laborem sublevas; hoc ego quanti æstimare debeo? Essem profectò bipedum ingratissimus, nisi te, meum εὐεργέτην, omni laude prosequerer, & memoriâ tanti beneficii accensus, desiderio referendæ gratiæ flagrarem. Ego verò, doctissime

1610. ctissime Erpeni, non prius benè agi mecum putabo, quàm data mihi fuerit occasio significandæ erga te voluntatis meæ. Equidem qui heri tantùm chartas tuas acceperim, pauca adhuc in illis legi, ex quibus tamen præstantiam scriptionis tuæ non difficulter cognovi. Deum oro, det tibi otium ad studia illa, in quibus tantum potes, seriò ac feliciter urgenda. Dabo operam, quantum ejus fieri poterit, ut utar beneficio tuo: utar autem solus, neque committam, ut te hujus facti queat pœnitere. Nemo, crede mihi, id munus à me extorquebit; nemo leget, nisi tu jusseris. Facerem tibi injuriam, si aliter facerem. Puto non nescire te, D. Vander Mylium Venetiis redeuntem, hàc transisse. Fuimus unà sæpius. De Heinsio à sex mensibus nihil intellexi; nisi quod scripsit Rutgersius, Polybium, quem Heinsio miseram, probè esse curatum, eoque se usum. Heinsii silentium demiror. Vale, Vir eruditissime, & nisi grave est, nobilissimum Dominum de Plessi meis verbis saluta; nec non Trochoregium, & Græcum Professorem, * Benedictum. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Februar.* CIϽ IϽ CX.

* *Joannem.*

Epistola DCLVIII.

✠ SCIPIONI GENTILI.

1610. NEque erat, quod ad te scriberem, neque otio sanè abundabam: non tamen potui, præstantissime Gentilis, pauca hæc ad te non exarare. Scito memorem amicitiæ nostræ vivere me, & semper victurum, dum spiritus hos reget artus. Nostra studia, superiore hyeme penè intermissa, aut instaurabimus hoc vere, Deo propitio, aut amplius differemus, si iter susceperimus, de quo pridem cogitamus: id quale sit, scies, si futurum est aliquid. Recensuimus tamen etiam inter curas maximas, Suetonianas Animadversiones, ac multa adjecimus: perducta est ad umbilicum ferè editio; quia tamen & Indices, & alia quædam deerant, non curavi ad te mittere, neque ad clarissimum virum, Rittershusium nostrum, quem ut meo nomine salvere jubeas, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* x. *Kalend. April.* CIϽ IϽ CX.

Inscriptio.

Viro clarissimo,
Scipioni Gentili,
Jurisconsulto celeberrimi nominis,
& amico plurimùm colendo.
Altorphium.

Epistola DCLIX.

GOTHOFREDO JUNGERMANNO.

ETsi de studiis tuis omnia libenter de- 1610.
te cognosco, quid agas, quid pares; me tamen cura de tua valetudine multò magis afficit, atque adeo sollicitum habet. Video enim morbi magnitudinem ex iis, quæ scribis: etsi omnia jam melius habere spero. Opto quidem certè, ut ita sit; Deumque oro supplex, ut pristinam εὐεξίαν omnium corporis partium tibi per meritum Domini Jesu τοῦ μονωτάτου Σωτῆρος restituat: magnâ me curâ liberarit, qui hunc mihi nuncium attulerit. Tu interim, charissime Jungermanne, animum obdura; & æterni Patris voluntati hic acquiesce, ut confidas non posse tibi melius consuli, quàm ab ipso aut jam consultum est, aut consuletur. Plura adderem in eam sententiam, nisi scirem, veris consolationibus abundè tibi pectus esse instructum. De Harpocratione gratissimum fuit, quod narrabas. Opto quidem, ut emendatior aliqua editio alicundè prodeat; quæ non potest gratior mihi aliundè accidere, quàm à te profecta: sed malo valetudinem tuam nunc cures quàm literas. Erit, spero, tempus, cùm corporis viribus recuperatis, & Harpocrationem, & alia plura nobis dabis. Jam Deus Opt. Max. velit, ut te nobis servet, ad nominis sui gloriam & literarum utilitatem promovendam. Γένοιτο, γένοιτο. Vale, *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* x. *Kalend. April.* CIϽ IϽ CX.

Epistola DCLX.

ANDREÆ SCHOTTO.

ACceperam librum tuum in Marcum 1610.
Tullium, & jam percurreram, cùm posteà literæ mihi tuæ sunt redditæ. Utrumque mihi fuit gratissimum, & epistola & liber. Illa testis tuæ erga me benevolentiæ; hic tui in literis recti judicii, & immensæ cupiditatis bene merendi de literarum studiis & studiosa juventute. Macte hoc animo, mi Schotte; Dominus tibi det Nestoreos annos, ut & operâ & exemplo Reipublicæ literariæ possis quàm diutissimè prodesse. Sed noli existimare, te nostris desideriis satisfacturum, nisi tuis in Ciceronem vigiliis seriam cohortationem adjeceris, quâ probos adolescentes ad bonam mentem revoces. Vides enim, quàm frigeat hodie, & quàm parum vulgi

1610. vulgi palato sapiat ille admirandus Scriptor. Te oro, incumbe in causam: gloriosum erit tibi, aliis cessantibus occupasse hanc palmam. Omnes, quibus de meliore luto Titan præcordia finxit, laudibus te in cœlum ferent. Ego eruditorum postremus, amore erga te inter primos, tuum triumphantis currum sequar, πάσαις εὐφημίαις σε εὐλογήσων. Nos per aliquot menses Suetonius habuit, quem inter gravissimas curas recensuimus, uti poteramus. Adjecimus in Grammaticos, &c. Notas. Mittam exemplar, si erit, cui tradere queam. Vale, mi Schotte. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CX.

EPISTOLA DCLXI.

✠ GEORGIO UWENO.

1610. QUàm gratæ mihi literæ tuæ acciderint, doctissime Uwene, vel illud declaraverit, quòd simul ac illas accepi, statim ad respondendum me atque ἀμελλητί comparavi. Gaudeo, te honore auctum; quem opto benè ac feliciter tibi evenire; atque ut ita sit, Deum Opt. Max. non alio precor affectu atque obsecro, quàm si res mea ageretur. Et vero igitur nisi per ludibrium illud veteris Sapientis quotidie usurpamus, κοινὰ τὰ τῶν φίλων. Nunquam equidem dubitavi; quin vel ad præcipuas dignitates pronus & facilis tibi aditus tempore suo esset futurus. Ita natus es, ut vel mediocris virtus te potuerit promovere: ita moratus es atque eruditus, ut vel sine meritis præstantissimi parentis, Senatoris integerrimi, etiam in hac juventa omnia magna κατὰ τοὺς πατρίους νόμους sperare debueris. Equidem utri gratuler nondum constitui; tibine, qui in adolescentia locum adeò honestum in tam illustri civitate sis adeptus; an patriæ, quæ tanto judicio te elegit inter æquales tuos, futurum haud dubiè (ita voveo, ita spero) magnum sibi ornamentum. O beatam civium virtute Antwerpiam! O cives, prudentiâ eorum, qui civitatem regunt, beatos! Det vobis Dominus, ut longùm fruamini, patria te, tu patriâ. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CX.

EPISTOLA DCLXII.

✠ THOMAS ERPENIUS ISAACO CASAUBONO.

1610. LIteras tuas, Vir clarissime, a. d. VII. Idus Februar. datas, post integras tres septimanas quàm scriptæ essent, accepi, tabellarii, ut credo, negligentiâ, 1610. qui post adventum suum non rarò integram adhuc septimanam, & amplius, ea, quæ transferenda accepit, sibi servat: quod & postremis meis cum tabulis istis accidisse video, quippe quæ cùm circa Idus Januar. datæ fuerint, circa Nonas Februar. primùm sunt traditæ. Quod autem meum illud munusculum gratum tibi acciderit, mirum in modum gaudeo: utinam tanta solùm sit ejus efficacia, ut tibi persuadeat, auctorem suum tuam erga se humanitatem & beneficia in memoria habere, & nihil magis in votis quàm gratitudinem suam posse declarare. Valeant verba tua, quibus id gratiam vis mereri. Studia mea quod attinet, varia tracto; potissimùm tamen literas Arabicas, in quibus, divinâ gratiâ, solito verior successu. In grammaticis autem istis nugis seriò laboro, quòd videam, solidam earum cognitionem ad hujus linguæ intelligentiam magis quàm ad ullius aliæ esse necessariam; ita quidem, ut absque ea nemo facilè hic quicquam fideliter intelligere, aut in aliam linguam transferre possit: cujus rei abundè fidem faciat vel solius Avicennæ Latina translatio, in qua post tot tantorumque virorum recognitiones tam enormia passim adhuc occurrunt errata, causata non tam ex ignorantia significationum, quàm flexionum & constructionum vocum, quæ profectò in hac lingua sunt admirabiles; certæ tamen & determinatæ, adeoque ad regulas reducibiles, etsi non sine labore & attenta speculatione. Ego ex assidua Alcorani, Avicennæ, Geographi, & quatuor Evangeliorum lectione præstabo, quantum potero, adjutis Arabicis istis Grammaticis, quibus beneficio tuo utor. Spero autem, à doctissimo Bedwello me & alias quasdam accepturum; siquidem jam diu est, quòd mihi significavit, se tres aut quatuor habere, inter quas non dubito quin saltem quædam sint aliæ ab iis, quas habeo: nondum tamen eas ab ipso petii; nam post Arabicas meas, jam ante sex menses datas, nihil ad ipsum literarum misi, quòd hactenus singulis septimanis avidè responsum ipsius exspectaverim; at frustra, ob adversam ipsius, quantum ex aliis intelligo, valetudinem. Alcorani seriam lectionem nondum sum aggressus, (etsi eum aliquoties regularum indagandarum gratiâ percurrerim) quod antè mihi sit describendus, quò omnia in eo observanda commodè in Dictionarium meum referre possim, citatis paginis &

1610. & lineis; nam azoararum citatio non potest mihi sufficere, cùm quædam nimis prolixæ sint, & versuum, (quos ايات, id est, *signa*, vocant,) ratio ita incerta & varia, ut de ea ipsi مسطين nihil possint certi statuere, licet singulis azoaris eorum numerus superscribatur. Itaque necesse est, ut proprium aliquem habeam, & quàm primùm fieri potest, eum describam; etsi vix tantum otii sim nacturus. Etenim mox post caniculares Gallia mihi relinquenda est. Quocirca eis quatuor menses isthîc cogor adesse, siquidem ante discessum meum septimanas adhuc aliquot tecum cupio esse, & pro viribus meis, ut Græci tui dicunt, ἀντιπελαργεῖν. Quod si tibi tunc otium fuerit & animus ad Arabicandum, minimè mihi dubium est, quin exiguo tempore plerasque ejus linguæ difficultates etiam sine tædio sis superaturus; hac tamen conditione, ut ante adventum meum, quas misi tabulas conjugationum, probè calleas; nam istæ ita subitò benè edisci, & memoriæ imprimi non possunt: sunt tamen ad linguæ cognitionem imprimis necessariæ, & basis, cui tota reliqua Grammatica superstruitur; unde mirum non est, quòd plusculum difficultatis & tædii habeant; quod rogo, ut ante adventum meum devores. Reliqua nullo tædio, nullo labore, vel ex ore meo facilè disces. Nec hæ etiam conjugationes usque adeò tibi laboriosæ & tædiosæ futuræ sunt, si consilium meum nuperum sequaris, id est, paulatim in iis progrediaris, & posteriora ne legas quidem, antequam priora bene memoriæ mandaveris. Sicubi vel minimam invenis difficultatem aut obscuritatem, mihi id indica; quàm primùm tibi succurram. Ubi eas noveris, aut etiam dum eas discis, autor tibi sim, ut facilè aliquod caput Alcorani in manus sumas, & sola verba ad tabulas istas revoces, reliquis omnibus neglectis. Si Alcoranus displiceat, sume Evangelia, aut caput aliquod ex Geographo nostro. Conjugationum cognitio facilè tibi puncta suppeditabit. Mihi crede, tantum videbis te proficere paucis septimanis, quantum etiam multis mensibus fortassis putas impossibile, & solidam tibi comparabis linguæ istius intelligentiam; nam his incognitis in Arabicis sudare, laterem lavare est. Mirum fortassis tibi videri potest, verissimum tamen est, solas istas chartas, quas habes, utut sunt imperfectæ, ex doctissimi Bedwelli Dictionario millia aliquot erratorum delere posse. Quocirca, mi Casaubone, per ipsas Musas Arabicas te oro, ut otii tibi aliquid sumas ad eas legendas, ut possis eas novisse 1610. ante adventum meum, qui futurus est, ut jam dixi, ad initium dierum canicularum, quibus elapsis Genevam sum discessurus; inde post paucarum septimanarum moram, Venetias; unde Deo volente, Constantinopolim; ubi octo aut decem septimanas solùm sum commoraturus. Adhucne, inquies, iter istud in animo habes? Ecce, mi Casaubone, hæc mea insania est, huc me literæ Arabicæ adigunt: solùm nimirum librorum Arabicorum comparandorum gratiâ, & dubiorum aliquot in hac lingua ex doctis inquirendorum, molestiam istam suscipiam; nisi fortassis animum adhuc mutem, & studiis Arabicis, quamvis non usque adeò infeliciter ceptis, valedicam; quod parum abfuit, quin nuper fecerim; certè fecissem, nisi id mihi hic omnes amici mei dissuasissent. Etenim cùm video, studia ista vix mihi permittere, ut seriæ alicui scientiæ, quæ me meosque cùm necesse erit, alere possit, incumbam, incipiunt mihi displicere; quippe quæ non ob alium finem suscepta sunt, quàm ut utilioribus & magis necessariis servire possint: unde illis tantum inhærere velle, ut ad hæc persequenda tempus vix sit superfuturum, insania esse videtur; quocirca ad me redire, & ardorem hunc meum literarum, quo ab utilioribus studiis detineor, si non penitùs extinguere, saltem temperare cupio. Hanc itaque æstatem seriò literarum Orientalium studio adhuc destino, & coronidis insuper loco iter istud in Orientem: quo peracto amplius in eo laborare non est mihi animus: laborare dico, id est, seriò studere: omnino nimirum ab eo abstinere non est consultum, ne quæ tanti mihi constat scientia, negligentiâ meâ detrimentum capiat; sed potius subcisivarum horarum studio interdum aliquantulum adhuc augmenti. Theologiam, & quæ ei plurimùm inserviunt, totis viribus urgere statui, quo Reipublicæ Christianæ fructum aliquem afferre, mihi autem viaticum in hoc itinere terrestri comparare possim. Etsi nimirum bonus Deus tantum parentibus meis benedixerit, ut etiam absque munere aliquo & stipendio satis magnificè vivere possum, ipsique id ultrò mihi permittant; rerum tamen humanarum vicissitudo, & varii casus, qui rebus mortalibus incidunt, ulterius me faciunt prospicere: quàm nimirum facilè & multis modis bona ista caduca amittuntur? Huc accedit, quòd Christianum non sit, sibi soli vivere, & cum servo isto inutili argentum acceptum sepelire. At, inquies,

1610. inquies, & literarum studia tibi & publico prodesse poterunt. Certè, mi Casaubone, maximi facio literas, ac naturali quâdam inclinatione mihi videor ad illas ferri. Sed quid est literator, nisi excellat? Quàm paucis autem id datum est! Quàm rari sunt Scaligeri & Casauboni! De me autem nihil magni sperare possum; quippe qui sciam, vel mediocritatem supra vires meas esse, nec omni conatu vel hoc me consequi posse, لاكون ذنبا ذلك الاسد. Sed & quid si id possem, imò verò & excellere, quàm adhuc mihi incerta foret etiam post multorum annorum diligens studium, honesta aliqua conditio! Profectò si ejus vel exigua quædam spes affulgeret, totum me ad annos adhuc multos literis darem, non Orientalibus modò, sed & Græcæ & Latinæ: (in quibus, proh dolor! parum præstiti, imò verò prorsus nihil sum conatus, ex quo scholam trivialem reliqui; adeò ut etiam literarum mearum ad te non parum me pudeat) at nunc, cùm nullam videam, aliter studia mea instituere videtur consultum. Sed ut ad iter meum Constantinopolitanum redeam (quod velim nemini indices, ne fortè divulgetur, & consilium meum irritum fiat) id mihi non dissuadet, imò verò assuadet nobilissimus Plessæus, qui & literas mihi ultrò offert, plurimùm mihi in eo profuturas. Ejus itaque consilium sequens, Venetiis Ragusium navigabo; inde terrestri itinere cum mercatoribus Constantinopolin perrecturus. At quando id sit futurum, incertus adhuc sum, quia ignoro quando mercatores soleant ire: velim occasionem sese offerre mox post adventum meum Venetias, id est, mense Novembri; siquidem cogor, reducem me sistere ad parentes meos ante Julium anni sequentis: unde, si multos menses mihi Venetiis sit exspectandum, metuo, ut de isto itinere aliquid fiat. Quocirca plurimùm te rogatum volo, mi Casaubone, ut, nisi grave sit, cùm literas ad familiarem aliquem tuum Venetias mittis, paucis simul ab ipso petas, ut te velit certiorem facere, quando iter istud futurum sit commodissimum, & quando mercatores id potissimùm soleant facere, adeòque ego me Venetiis debeam sistere. Optarim quoque scire, quanto tempore id soleat confici, & quibus sumptibus, & an post octo aut decem septimanas, quàm Constantinopoli commoratus fuero, satis commodam Venetias revertendi occasionem sim nacturus. Hæc nimirum omnia mihi cognoscenda sunt, antequam Venetias concedam. Quocirca, mi Casaubone, iterum te etiam atque etiam rogo, ut si me, si literas Orientales, quarum amore hæc suscipio, amas, in hoc mihi velis gratificari; & quàm primùm aliquid intellexeris, id me certiorem facere. Vale, Vir clarissime, & me tui amantissimum, ut cœpisti, perge amare. Salutant te plurimùm, quibus tuo nomine salutem dixi, nobilissimus Plessæus, D. Trochoregius, & D. Benedictus. *Salmurii, Kalend. April.* CIↃ IↃ CX. 1610.

Sed heus, mi Casaubone, oblitus sum monere, الم istud, quod in Alcorani initio & passim alibi occurrit, & in quo doctissimum Adrianum perpetuò hæsisse mihi narrasti, absque dubio esse jurandi seu asseverandi particulam, & significare, *certè*, *profectò*; quod tum ipse contextus passim clamat, tum Hebraicum אבל sufficienter comprobat: quomodo ab Interprete Latino Alcorani sit redditum, nescio; cùm eum non habeam; memini tamen me ex te audire, quodam loco id ab ipso explicari. Quotidie mihi apparet major Arabismi cum Hebraismo affinitas; ac tanta quidem, ut arbitrer totum penè Hebraicum sermonem secundum quasdam leges in Arabicum transformari posse, etiam ubi nulla interdum videtur esse convenientia. Credalne articulum ال ex Hebræorum ה emphatico desumptum esse? Certè est; & quidem perexiguâ mutatione, eâque ipsâ gravibus de causis institutâ. At nunc id longum foret declarare: coram, Deo volente, id cum aliis multis fiet commodius. Opusculum aliquod de Linguarum Hebrææ, Aramææ, & Arabicæ affinitate meditor, in quo multa in singulis observatu dignissima notabuntur, & plurima Veteris Testamenti loca dubia determinabuntur, & obscura explicabuntur. Dabo operam, ut antequam hinc discedam, totius Grammaticæ Arabicæ compendiosum aliquod σύστημα, præcepta maximè necessaria breviter & methodicè comprehendens, conficiam; quod si luce judicaveris dignum, dabimus id Lebæo, qui id à me petiit imprimendum, unà cum libro Proverbiorum & Scholiis grammaticis in eundem, ut habeant studiosi ejus linguæ, quos multos ubique esse comperio, omnes de defectu Grammaticorum conquerentes, quò se promoveant, donec à me, aut aliis me peritioribus absolutius aliquid accipiant. Non nimirum est mihi animus, in illud compendium omnia præcepta grammatica, ne ea quidem, quæ

1610. nunc in promptu habeo, referre; sed generalissima solùm, & maximè necessaria; reliqua omnia ipsi operi grammatico, in quo universalia & particularia quæque diligenter sum expensurus, reservans. Nunc nimirum ea omnia ob temporis angustiam expedire vix queam: nec etiam consultum videtur, principio tam multa discentibus proponere, ne absterreantur: præstat, generalia & magis necessaria primo proponi; quibus bene cognitis, posteà specialia & subtiliora subjungantur, ut prudentiores in Hebraica & Græca facere solent. Velim autem, cùm Lebæum videris, nisi molestum est, ex eo quæras, quando putet se impressionem posse inchoare. Optarem ego id fieri posse mox post adventum meum, id est, ad initium Augusti: citius nolim, quòd ad orthographiam absolvendam libri quidam isthic mihi adhuc consulendi sint. Nescio autem, an typos notarum arithmeticarum habeat, quæ quidem non videntur negligendæ; quod eum mone, si placet. Tabulas istas conjugationum, si avet videre, potes ei ostendere: nolim tamen, ut ille, aut quisquam alius eas describat; quia imperfectæ adhuc sunt & recognoscendæ, & ne fraus mihi aliqua fiat. Iterum vale.

EPISTOLA DCLXIII.

THOMÆ ERPENIO.

1610. Mirabar nihil me literarum à te accipere, & verebar ne meæ periissent, quibus de misso munere gratias egeram. Itaque scripturus iterum eram, cùm mihi tua Epistola redditur, eò gratior mihi, quò prolixior, hoc est, amoris prolixioris testimonium. Rem mihi gratissimam facis, charissime Erpeni, cùm de tuis rebus & studiis eâ familiaritate mecum agis. Omnium amicitiæ fructuum, qui multi sunt & luculenti, hic mihi videtur esse vel suavissimus, habere quicum consilia tua communices. Mihi verò longè fuit, & semper erit jucundissimum, qua in re tuum occupes ingenium, ex literis tuis cognoscere. Video autem te consilium, quod multò antè suscepisti, fortiter urgere, neque propositum mutare. Laudo constantiam, & quantum possum, te hortor, ut maneas in sententia, neque ab illa te avelli ullâ ratione sinas. Debes certò statuere, ἐκ ϑεοῦ factum, ut ad hoc genus literarum appelleres animum: facit fidem operis successus, & illa ipsa, quam ex his literis capis, voluptas. Nemo dubitat sanus, rem esse omnium φιλομαϑῶν votis expetendam, ut ad linguæ Arabicæ illustrationem aliquis se accingat, cujus opera τοῖς φιλαέγγλοις possit esse usui & emolumento. 1610. Conjice oculos in quamcunque volueris orbis Christiani partem, neminem invenies, qui in iis literis eam viam sit ingressus, quæ sola ad finem propositum perducere est idonea: de Christianis hominibus loquor, quorum nomina & conatus nobis innotuerunt. ὁ τρισμέγιστος Scaliger nos simul & spem nostram destituit. Bedwellus, vir doctissimus, ita lentè procedit, & cursum studiorum cum tenuit, ut quid de eo sperare queamus, nesciam. Ille Germanus, qui tanto cum strepitu se commovet, συκίνη est ἐπικουρία, quod tu omnium optimè nôsti. Itali postquam in spem magnam nos erexissent, repentè nos deseruerunt. Tu unus es omnium, qui futuri, volente Deo, ædificii fundamenta jecisti firma & solida. Noli spem nostram fallere; neque dubita, vel alibi terrarum oblatum iri aliquam occasionem cum publica utilitate & tua, hæc nobilissima studia excolendi. Denique Spartam ἔλαχες, ταύταν κόσμει, aderit Deus inceptis. Quòd spem celeris reditûs facis, beas me; atque utinam Dominus daret, non paucos menses, ut ais, sed plures annos unà vitam posse degere. Spero, te, cùm venies, intellecturum, quanti tuum nuperum munus fecerim. Etsi ita occupati vivimus, adeò vexati, καὶ ὑπὸ ὁμοδόξων, καὶ ὑπὸ ἑτεροδόξων, ut amici & familiares affirment, in dies me canescere. Omnino propter multas caussas acerba mihi vita est. Si unà essemus, effunderem in sinum tuum, quæ me angunt. Unicâ spe sustentamur, quam in Dei Opt. Max. bonitate, benignitate, & clementia semper posui, & nunc cùm maximè pono. Quæ scripsisti de voce Alcorani אלם, lubens legi; neque adducor difficile, ut tibi assentiar: neque longè abest אלם ab אולם. In Latino Alcorano quædam de ea voce notata sunt, quæ puto πάρεργα potius quàm certa. Si quid isthic scripseris, quod editum velis, spero Lebæum votis nostris satisfacturum. Sed valde cuperem, de Proverbiis Arabicis te cogitare; nam in editione variorum Scaligeri libellorum, qui hîc cuduntur, constitui fidem tuam pariter & meam obstringere. Tuæ partes erunt, videre ne homo falsus jure dici queam. Opto scribas ad me, quàm sæpissimè facere poteris. Sunt in hac urbe, qui de instauratione literarum seriò cogitent: poteram in eo negotio magnum locum obtinere, nisi ea caussa obstaret, quam nôsti. Sed poterit fortasse fieri, ut tuis literis

1610. literis honestus sit in hac Academia locus. Verùm hæc nondum parata sunt. Vale, amicissime Erpeni, & bene rem gere. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VI. *Eid. April.* CIↃ IↃ CX.

Agam cum Lebæo de iis, quæ desideras.

EPISTOLA DCLXIV.

JACOBO,
MAGNÆ BRITANNIÆ,
SCOTIÆ, &c. REGI.

Rex Maxime,

1610. ET ex sermonibus multorum, & nonnullorum etiam literis cognovi, Majestatem Tuam adeò mei memoriam in sublimi fastigio suo, & diuturno meo silentio non posuisse, ut nonnullam etiam aliquando significationem dederit, si me casus aliquis isthuc deferret, non ingratam sibi eam rem futuram. Agnosco etiam hîc, Rex maxime, divinam illam Majestatis Tuæ benignitatem, & omnibus numeris absolutam virtutem, quæ etiam apud exteras gentes immortale gloriæ decus nomini tuo pepererunt. Tantum enim Principem, tam admirabili doctrinâ instructum, tantâ doctissimorum virorum copiâ circumfusum, etiam mei, propter nescio quid literularum, dignari meminisse, & rationem aliquam habere, χρηστότητος cujusdam propè inauditæ mihi quidem specimen videtur. Utinam superi faxint, contingat aliquando mihi facultas, luculento aliquo testimonio declarandi, quâ devotione animi, quâ admiratione Tuam ipse Majestatem venerer, & tacitus apud me, apud omnes prædicatione assiduâ multos jam annos colam! Si nihil possum aliud, illud unum constanter usurpabo, ut Deum Opt. Max. obsecrare pergam, quò magis magisque imperium tuum in dies firmet; ac laboribus, quos pro ipsius Ecclesia generosissimâ mente sustines, propitius benedicat. Macte animi, Rex sapientissime & θεοφιλέστατε· ingens & arduum tu quidem certamen certare instituisti; sed majus te operæ tuæ & omnium ærumnarum manet præmium. Habes brabeutam Deum ipsum; habes spectatores omnes Europæ viros bonos; quorum alii palam, alii in sinu faustis ominibus tua incepta prosequuntur; cuncti, ut Ecclesiæ caussam semel susceptam ne deseras, omnibus votis optant. Quo super negotio quia diu multumque propter præsentem conditionem meam fuit mihi cogitandum, & cum multis utriusque hominibus gravissimis agendum, optavi persæpe, Majestatis Tuæ sensus omnes propius cognoscere, & quæ mihi in mentem veniebant, posse eidem communicare. Feceratque adeò ista cupiditas, ut excurrendi isthuc consilium ante aliquot menses inirem. Quod in præsentiarum exequi quum non possim, exspectabo occasionem aliquam, si quam fortè Dominus mihi fuerit daturus. Atque interim pro ea benevolentia, quam erga me non semel, ut audio, declarasti, gratias Majestati Tuæ, si minus, quas debeo, (neque enim possum) certè quantas possum maximas & habeo, agoque, & dum ero, habebo, atque agam indesinenter. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XII. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CX. 1610.

EPISTOLA DCLXV.

DANIELI HEINSIO.

POstquam Polybium ad te misissem, 1610. præstantissime Heinsi, quinque ipsi menses sunt elapsi, priusquam aliquid literarum à te acceperim. Non negabo, mirum mihi esse visum istud longum adeò silentium. Erras enim profectò, si putas, literis tuis posse aliquid mihi accidere jucundius. Amo te, & semper amavi medullitùs, ex quo tuorum scriptorum gustum primùm cepi: tum autem candor ingenii tui ita me delectat, ut soleam ex recordatione mutui nostri amoris incredibilem quandam percipere voluptatem; quum præsertim Heinsii mei in mentem venire nequeat, ut non simul augusta magni Scaligeri species mentis meæ oculis sese offerat. Juvat meminisse, quod ne te quidem oblitum puto, tanti Heroïs auspiciis nostram amicitiam & primùm coaluisse, & incrementa etiam posteà accepisse. Quare vel hoc solo nomine certum apud me est, in conjunctissimi fratris loco te mihi semper esse habendum; neque aliter de tuis studiis mihi fas esse judicare, quàm ut ille vir divinus præivit. Hæc, mi dulcissime Heinsi, ratio est, cur soleat mihi exspectatio tuarum longior molestiam afferre οὐ τὴν τυχοῦσαν. Ipse, si isthîc essem, dies totos tecum ponerem: nunc à te disjunctus, si occasiones suppeterent, quotidie ad te scriberem: tu enim mihi jam Scaliger & Heinsius es: καὶ τοῦτο μὲν ταύτῃ. Polybium tibi non planè displicuisse, miror; qui sciam, quantis conflictatus doloribus & ἀμηχανίαις fuerim, dum id opus habui præ manibus. Equidem ad Commentariorum novum genus, audebo dicere, me comparaveram, & de eo incepto spem non mediocrem conce-

1610. ceperam; nisi vis major ab iis studiis me planè depulisset, & in diversissimo genere literarum omnem me operam meam, omnem industriam & omne tempus meum collocare compulisset. Itaque jacent Polybianæ μελέται· de quibus post ejus Auctoris editionem an semel, aut iterum cogitaverim, non satis scio. Nuper etiam à Typographo coactus Suetonianas Animadversiones recensere, vix paucas nancisci horas potui, quas illi curæ impenderem. Nondum ea editio est absoluta; quæ si ad umbilicum fuerit perducta, mittam ad te unum exemplar, magis adeò instituti tenendi caussâ, quàm quod tuis oculis dignum opus censeam: etsi non pauca sanè à nobis sunt adjecta. Ego verò quas tibi pro tuis muneribus gratias agam? Horatium simul acceptum statim devoravi. Non possum verbis exprimere, quantæ voluptati mihi fuerit illa eruditissima dissertatio, quâ τὰ ἀρχαῖα tuo Poëtæ ivisti assertum. Per me quidem, τὸ εὖ καὶ τὸ ἀληθὲς νικάτω· neque ego is sum, qui meas sententias κυρίας δόξας putem: quin potius scito, ac tibi persuade, ὅτι ἐμοὶ εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ ἀληθείας. Hanc ipse neque in magna re, neque in parva sciens prodam unquam. Quæ de transpositionibus apud summos Scriptores commissis primus observasti, Lectoribus tuis conjiciendum relinquent, quàm multa à te, nemini dum mortalium observata, possint sperare. Det tibi, Vir eximie, Dominus Jesus & vitam longam, & omnia vitæ ac studiorum necessaria subsidia ad illam ornandam Spartam, ἣν λελογχέναι σε θεόθεν· certa res fidem facit. Accepi & tua Poëmata, δῶρον τιμαλφέστατον, pro quo ingentes ago tibi gratias. Legi etiam, quæ in Nonnum scripsisti; legi, & judicium probavi: ut de eruditione taceam, quæ in omnibus tuis scriptis admirabilem se prodit. Vale, suavissime amicorum, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Maj.* CIϽ IϽ CX.

Doluit nobis, quod ad editionem libellorum & epistolarum Josephi Scaligeri nihil conferre volueris. Ipse scripsit olim ad me, sibi consilium esse, edere aliquando disputationem *de Re nummaria.* Aut mitte, aut ede. Hoc ego per omnia amicitiæ jura à te peto. Poëmata si miseris cum tua Præfatione, curabuntur: sed habenda fuerit loci ratio.

EPISTOLA DCLXVI.

JOANNI RUTGERSIO.

PRioribus tuis in me beneficiis ma- 1610.
gnum addidisti cumulum, Vir eruditissime, missis muneri imaginibus elegantissimis Julii Cæsaris Scaligeri, & filii Josephi; quos ego viros quantâ veneratione colam, quum non ignores, simul illud per te intelligis, eo munere nullum potuisse mihi accidere gratius, aut τιμαλφέστερον. Ago tibi, & pro hisce imaginibus, & pro facundissimi Baudii pulcherrima Oratione, grates gratissimas: dicerem me relaturum, si possem ex meis copiis paria tecum facere. Sed novi ego memet, neque eorum pretium ignoro, quæ ab ingenio meo proficiscuntur. Quanquam ne planè ingratus audiam, mitto tibi, aut mittam certè cis dies paucos, Animadversiones in Suetonium meas, nuper hic editas, & quantum per gravissimas curas licebat, non parum auctas. Liber dudum est absolutus; sed Indices restant edendi. Ipse Auctoris contextus ante multos annos Genevæ fuerat impressus; sed à Parisiensi mercatore emptus, ut possent hîc meæ Animadversiones edi. Spero me aliquot exemplaria Suetonii venerando Pastori, qui illustrissimos Legatos vestros comitatur, esse traditurum: neque dubito, ipsum illa cum fide esse curaturum. Characteres Theophrasteos curatè recensere instituеram; sed me ab eo incepto & ab uno isto genere literarum cura gravior revocavit, per quam neque Polybium attingere mihi licuit multos jam menses, neque ad amœniores Musas vel saltem obiter oculos deflectere. Omnino vis major fuit, quæ me consuetum studiorum cursum mutare ἐξ ἀνάγκης compulit; qua de re scribam ad te, uti spero, plura aliàs. Beasti me nuntio de opere à te instituto, quo vitam & obitum τοῦ μακαρίτου Scaligeri suscepisti explicandam. Non potuisti argumentum eligere, hoc elegantissimo tuo ingenio magis dignum. O perge, amabò, & quod instituisti, perfice. Sed me illud malè habet, quod neminem video, qui in hoc proposito possit te adjuvare. Nam quum partem vitæ majorem ὁ μακαρίτης in Gallia egerit, optarem tibi penitùs esse nota atque perspecta, quæcumque eò pertinent; sed cujus operâ id consequi possis, equidem non video. Thuanus ὁ μέγιστος multa poterit, opinor, suggerere; quæ, si vis, exquiram diligenter, & tecum statim communicabo. Egi etiam cum Putea-

1610. Puteanis fratribus, ut de ea re seriò cogitarent, & quæ nota habent, in chartam conjicerent: eo quidem magis, quia pater eorum cum Scaligero ita familiariter vixit, ut nemo magis: quin etiam habent illi ingentem Epistolarum numerum, quas ad ipsorum parentem ipse scripsit, ex quibus videretur nonnulla ἀξιομνημόνευτα posse cognosci. Ea ne te fugiant, per me sedulò curabitur: neque sanè quisquam est ex omnibus mortalibus, qui memoria τῶν Σκαλανιδῶν plus faveat, quàm Puteani omnes fratres, doctrinæ & probitatis eximiæ viri, faciunt. De loco Horatii quòd monuisti, gratum est; & in meo codice adnotabo, quæ scripsisti. Nos scito nihil mediocre à te expectare; eò impensius Deum oramus, ut te literis & Reipublicæ servet. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CX.

Nisi grave est, peto à te, ut D. Petro Scriverio, viro doctissimo, meis verbis salutem nunties.

Inscriptio.

Ornatissimo, & longè eruditissimo Viro,
JOANNI RUTGERSIO,
amico honorando.
LUTET. PARIS.

EPISTOLA DCLXVII.

JOANNI MEURSIO.

1610. BOnorum amicitias debere esse æternas, scitum est τῶν πάλαι σοφῶν. Mihi tecum, Vir doctissime, à multis annis amicitia est instituta, quam cupio perennem manere; & te idem quoque non nolle, singularis tua mihi spondet virtus. Eò magis sum equidem admiratus, te, postquam isthuc rediisti, nihil quicquam literarum ad nos misisse; certè nullas ipsi accepimus: quod non excusandi mei causâ dico, qui in eadem culpa versor; sed quia reverà ita est. Ego sedulò omnia de te percontari non desino; qui etiam Deum oro obsecroque, ut te servet incolumem, & omni bonorum genere cumulet. Quod si aliquam mei rationem tibi esse habendam putes, opto de tuis rebus & studiis ex literis tuis cognoscere; quid edideris, postquam domum es reversus; quid mox, quid posteà sis editurus. Equidem Glossarium μιξοβάρβαρον tuum quàm primùm à te publicari, vehementissimè cupio: deinde quæcunque habes, quæ ad Tacticos Scriptores pertinent. Sed non est mei pudoris, leges tuis studiis ponere. Vale, 1610. & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CX.

EPISTOLA DCLXVIII.

PETRO CUNÆO.

DIu est, Vir eruditissime, ex quo 1610. tuum mihi nomen innotuit, & singularis doctrina καὶ τῆς Ἑλληνικῆς παιδείας ἀκριβὴς ἐμπειρία. Nam quùm aliquot Græca tua epigrammata in oculos meos incurrissent, advertit me singularis elegantia & puritas dictionis, ut non antè quiescerem, quàm de te & tuis studiis eos, qui isthinc veniebant, sedulò essem percontatus. Omnes ea narrabant, quæ me facilè tibi conciliarent: neque enim dubitabam, ut sermones eorum erant, præclarum aliquid in literis esse ab hac indole tua sperandum. Itaque ut primùm in manus meas liber tuus * pervenit, quem muneri ipse misisti, dici nequit, quantâ cupiditate ejus lectionem inchoaverim; cupiebam enim mirificè cognoscere, ecquid falsus judicii fuissem, an conjecturam animi mei exitus comprobaret. Non diu anceps fui. Ipse titulus operis tui ad majora etiam speranda me statim erexit. Nam versus facere, libros Veterum interpretari, aut simile quid præstare, (quæ hodie juventutis studiosæ solent esse specimina,) longè minus est, quàm de magni nominis Vate sedere judicem, & quæ alii in eo miracula, culpas meras esse, rationibus evincere. Planè rem magnam ausus es, mi Cunæe; qui si efficere, quod institueras, non potuisses, vel egregiæ tamen voluntatis causâ & exempli, omni laude dignus eras futurus. Nunc, re adeò feliciter gestâ, quæ mereris encomia? quas εὐφημίας eorum, qui tam eruditum scriptum cum fructu suo legent? In his ego nomen profiteor meum, qui ingenuè profiteor, à tuorum lectione & meliorem me discessisse & doctiorem. Perge, quo cœpisti, pede; & magnum Scaligerum pro tua virili redivivum nobis præsta: nam illius te secutum esse judicium & exemplum, non ambigo. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CX.

* *Petri Cunæi Animadversiones ad Nonni Dionysiaca.* Colomes.

EPISTOLA DCLXIX.

JOANNI MEURSIO.

CUm ante dies ferè tredecim literas 1610. ad meos isthic amicos darem, à quibus acceperam, etsi nullæ mihi fuerant

1610. rant à te redditæ, non abstinui tamen, quin aliquid ad te exararem, saltem ut constaret tibi de mea in amore tui constantia. Iisdem literis te hortabar, ut Glossarium μιξοβάρβαρον, quod sciebam à te parari, ederes in vulgus, & nos tanto munere beares. Accidit post tertium quartumve diem, ut è nundinis Francofurdiensibus qui revertebantur, non spem tui libri, sed rem in hanc urbem afferrent. Quod ubi rescivi, nihil habui antiquius, quàm ut unum mihi exemplar compararem; atque illud statim etiam inter gravissimas, & toto genere diversas curas devorarem. Vix me voti mei compotem feceram, cùm illustris Legatus, Dominus Mylius, jam propè ad reditum accinctus, misit ad me tuum luculentissimum, clarissime Meursi, munus; pro quo gratias & habeo, & ago tibi immortales. Satis erat, quòd me, ut τῶν πολλῶν ἕνα, cum cæteris omnibus literarum studiosis, æterno devinxeras beneficio, editione tam præclari operis. Sed hoc parum tibi visum, nisi publicæ obligationi adjiceres & privatam. Dabo operam, σὺν Θεῷ, ne ingratus moriar; & jam exspecta novam Suetonii editionem cum Animadversionibus nostris. Volui tradere aliquot exemplaria venerando Utenbogardo: sed nondum extrema manus erat libro imposita, licet Francofurtum fuerit delatus. Habebis, spero, brevi. Scito autem, incredibili voluptate me esse affectum, quando vidi, voces Ecclesiasticas à te esse & collectas & expositas. Utinam de hujusmodi rebus tecum possem colloqui! Sed de his aliàs. Deus te servet. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Maj.* CIↃ IↃ CX.

EPISTOLA DCLXX.

✠ JOANNI UTENBOGARDO.

1610. Cum à nobis discessisti, erat mihi constitutum, Vir venerande, quia nullum mihi in urbe datur vacuum tempus, rus secedere, & sacra studia seriò aliquantisper meditari. Scis enim quæ me cura exerceat, & somnos mihi eripiat. Vix cœperam otio jucundissimo frui, cùm perculit me horribilis nuntius de parricidio, quo Rex maximus, Mæcenas meus optimus, benignissimus & clementissimus, terris est ereptus. Incredibile dictu est, quantum ille teterrimus casus doloris, mœroris & luctûs mihi attulerit. Si non tangeret me, quæ maximè tangit, publica hæc calamitas; propria certè, quam ipse feci jactura, tanta est, ut videar posse dicere, omnes mihi candidos occidisse soles; amisi enim, quod nunquam οὐδ' ἐν ὀνείροις sum 1610. recuperaturus; herum, dico, bonitate, comitate, humanitate inter omnes Principes insignem & admirabilem. Ille me multos jam annos ita indulgenter habuit, ut prædicare ipsius merita erga me satis nequeam. Quod si per Religionis causam non stetisset, magnis opibus ab ipso fuissem donatus. Has ego quum forti animo, (Deo sit laus,) semper repudiarim, non propterea destitit benignissimus Princeps, & amare me, quod sæpe verbis est professus, & concessâ semel liberalitate me fovere. Sed hæc prius fuerunt: nunc quis me status sit excepturus, Θεῶ ἐν γούνασι κεῖται. Ego certè quid facturus sim, nondum constitui: illud unum certum est, Deum sequi præeuntem; neque ab ejus voluntate, quæ quum cognita mihi fuerit, unquam recedere. Scito autem, in eo studio me nunc esse, de quo tecum egi; sed quæ promiseram me missurum, non possum adhùc mittere. Faciam brevi, Deo propitio; quem toto affectu veneror, ut mala Ecclesiæ suæ, qui potest solus, velit sanare. Me, ne quid dissimulem, hæc tanta diversitas à fide veteris Ecclesiæ non parum turbat. Ne de aliis dicam in re Sacramentorum à majoribus discessit Lutherus; à Luthero, Zwinglius; ab utroque, Calvinus à Calvino, qui posteà scripserunt. Nam constat mihi & certissimum est, doctrinam Calvini de Sacra Eucharistia longè aliam esse ab ea, quæ in libro viri observandi Molinei nostri continetur, & quæ vulgò in Ecclesiis nostris auditur. Itaque Molineum qui oppugnant, Calvinum illi non minus objiciunt, quàm aliquem è veteribus Ecclesiæ Doctoribus. Si sic pergimus, quis tandem erit exitus? Jam quòd idem Molineus, omnes Veterum libros suæ doctrinæ contrarios respuit, ut ὑποβολιμαίους, cui mediocriter docto fidem faciet? Falsus illi Cyrillus, Hierosolymorum Episcopus; falsus Gregorius Nyssenus, falsus Ambrosius, falsi omnes: mihi liquet, falli ipsum, & illa scripta esse verissima, quæ ipse pronuntiat ψευδεπίγραφα. Sed hæc pluribus aliàs; raptim enim ista exarabam, datâ repentè occasione. Vale, præstantissime Vir, & contractæ nuper inter nos amicitiæ memorem te præsta. Amplissimum virum, Dominum Mylium, & amicos, quibus literas à me attulisti, verbis meis, nisi grave est, saluta. Scito me tuas exspectare, & quidem uberrimas literas. Iterum vale, & festinationi meæ ignosce. *Ad urbem, a. d.* VII. *Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CX.

EPISTOLA

EPISTOLA DCLXXI.

CORNELIO VANDER MYLE.

MONSIEUR,

1610. *CElui qui vous rendra la presente, est un mien amy**, *homme docte, fils d'un Conseiller de Toulouse, grand personnage: icelui allant voir vostre pais, a desiré avoir accés aux gens d'honneur par ma recommandation. C'est pourquoi je lui ay donné ce mot de lettre, pour vous prier que* vel meo nomine amicitia tua dignum ipsum judices. Spondeo, fore nunquam, ut te humanitatis tuæ pœniteat. Is tibi narrabit & publicum rerum hîc statum, & meum etiam privatim, si facis tanti, ut scire velis. Ego post obitum optimi Principum, Mæcenatis mei indulgentissimi, mœrendi & lugendi finem nullum facio. Deum immortalem, in quæ tempora incidimus! Princeps mortalium clementissimus, optimus, tanto scelere potuit perimi? Vix præ dolore sum apud me. Oro venerorque Deum Opt. Max. ut auctores immanitatis hujus malos malè perire velit faxitque. *Je le supplie aussi qu'il veuille garder les gens de bien, & vous, Monsieur, particulierement, à qui je suis, & serai toute ma vie,*

* *C'est Philippe Jaques de Maussac, President en la Cour des Aydes de Montpellier, decedé l'an 1650. fils de Mr. Jaques de Maussac, Doyen des Conseillers du Parlement de Toulouse.* Colomes. *Vide ejusdem* Biblioth. choisie, *pag.* 117.

MONSIEUR,

Vostre humble & affectionné Serviteur,

IS. CASAUBON.

A Grigni, près Paris, ce 27. *May,* CIↃ IↃ CX.

Avec vostre permission, je salueray icy Monsieur Utenbogard, auquel j'escrivis il y a cinq jours, & baillay les lettres à Monsieur Aarsen.

EPISTOLA DCLXXII.

DANIELI HEINSIO.

1610. QUi hasce tibi reddidit, præstantissime Heinsi, amicus meus † quum sit, venire isthuc sine meis ad te noluit. Existimat enim, posse me illi ad tuam amicitiam fores aperire; atque adeò me, ut id facerem, opere magno oravit. Non utar longis ambagibus, illud seriò tibi confirmabo, dignum esse tuâ & omnium eruditorum amicitiâ, qui amplissimo patre prognatus, eruditionem tanti facit, tantum amat, ut notitiâ virorum doctorum nihil habeat vel optatius, vel charius. Is te propter merita in Rempublicam literariam tua ita colit, ut nihil suprà. Quare non dubitabis, si quid mihi tribuis, tuâ dignum esse amicitiâ. Ex eo intelliges, quàm nunc afflictus sit meus status; qui Mæcenatem amisi, cui parem nullum unquam sum habiturus. Itaque, mi Heinsi, occiderunt omnes mihi candidi soles; neque aliud mihi restat, nisi ut squallidus & φαιὰ ἀμφιεννὺς mei optimi, clementissimi & indulgentissimi Mæcenatis mortem lugeam. Lugebo certè & mœrebo tanti Principis casum, dum terras colam. Omnino par scelus nunquam est editum. Cæterùm arcana Dei scrutari desino. Vale, & me ama; ac brevi exspecta editionem libellorum ȣ μακαρίτȣ semonis *. *Gryniaci, a. d.* VI. *Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CX.

† *Philippus Maussacus.* Colomes.

* Scaligeri.

Clarissimos viros, D. Baudium, Bertium, Scriverium, Rutgersium, & Cunæum meis verbis salutes velim. Mittam brevi ad omnes exemplaria libri Scaligeri. Opto etiam scire, uti valeat, & quid agat clarissimus & longè doctissimus D. Vulcanius; cui salutem meis verbis nunties velim. In hoc secessu scito comitem te adesse mihi; attuli enim inter paucos libros Horatium tuum; quem, id est, quæ in eum scripsisti, ego & Josias Mercerus, Joannis filius, vir maximus, magna cum admiratione doctrinæ tuæ legimus, relegimus.

EPISTOLA DCLXXIII.

ISAACO CHABANÆO.

NOn malè nuper, cùm ad te scripsi, operam posui: videor commovisse te, & diligentiam tuam excitasse. Hoc mihi testata est tua Epistola, & Latinè scripta, & non invenustè. Gaudeo, tibi grata esse mea officia. Qui te complectar charitate patris, video lubens te mihi præstare officium filii. Scit ὁ καρδιογνώστης Θεὸς ὅσα ἐμοὶ χάρματος ὑπόθεσις γίνεται ἡ σὴ προκοπή· ἐπεὶ μὲν γὰρ ἐπιθυμία μεγίστη καὶ σὲ, καὶ τὸν ἐμὸν Ἰωάννην, καὶ τῇ πρὸς τὸν Θεὸν εὐσεβείᾳ, καὶ παντοδαπῇ παιδείᾳ ἐν τοῖς ὁμήλιξι διαπρέπειν· τί γὰρ ἐν τοῖς ἀνθρωπίνοις θεοσεβείας σεβασμιώτερον· τί σοφίας καὶ πολυμαθείας ποθεινότερον· οὐχ ὁρᾷς ὅπως εἴ τις ἐπὶ τρόπων ἁγνείᾳ, φόβῳ κυρίου, καὶ τῶν μαθημάτων γνώσει ἐπίσημος εἴη, τοῦτον καὶ οἱ λαοὶ δακτυλοδεικτοῦσι, καὶ ἐρχόμενον ἀνὰ ἄστυ Θεὸν ὡς εἰσορόωσι· τὸ δὲ μέγιστον, μισθὸς βέβαιος ἐν οὐρανοῖς ἀπόκειται τοῖς εὖ καὶ καλῶς βιωσαμένοις. Sed hæc obiter. Unum est, quod te volo, mi Isaace. Non clam me est, multos isthîc multa de me garrire, & amicos & inimicos. Scis quid intelligam. Volo tibi sit persuasum, eum esse me, qui sermonibus im- 1610.

1610. imperitorum non movear: constat mihi facti mei ratio. Testor Deum immortalem, nullâ me levitate ad has cogitationes impelli. Una est, sola est, μονωπάτη, inquam, est veritas, cujus studiò ducor: hoc exitus, volente & faciente Deo, certò probabit: res ipsa pudorem incutiet temerè garrientibus, hominibus imperitissimis earum rerum, de quibus loquuntur. Hoc unum peto à te, ut cùm erit occasio, affirmes, tibi satis exploratum esse, τὰ χοϊκὰ καὶ κοσμικὰ nihil apud me valere; valere veritatem, cui det Dominus Jesus litare. Vale. *Gryniaci*, *a. d.* VI. *Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CX.

Vide, ut libri, quos peto, & inveniantur in museo, & contra pluviam muniantur. Epistolas sepositas obsignabis, & reddes illi, qui veniet quæsitum. Eæ sunt sex.

Epistola. DCLXXIV.

CLAUDIO SALMASIO.

1610. Tarditatem responsi hujus, doctissime Salmasi, excusabunt apud te partim occupationes meæ, partim, si quando vocabam, tabellarii inopia. Nam Gilbertus noster, ut scis, longè cubat; neque occurrebat temerè alius, qui id oneris in se reciperet. Ita evenit, ut qui tunc siluerim, cùm minus tristis eram, nunc cogar inter gravissimos animi cruciatus te compellare. Caussa infandi doloris mei est parricidium nuper admissum in sacro capite *. O scelus! ô technas diaboli! ô maculam nomini Gallico inustam! Adeòne ἔῤῥει τὰ καλὰ, ut reperiri potuerit tantæ immanitatis homo, aut monstrum potius hominis, qui tanti parricidii crimine sese impiaret? En, mi Salmasi, in quæ tempora devenerimus! maximus Principum, qui terras colunt, à vilissimo & nequissimo bipedum est terris ereptus. Patria infelix quantam acceperit plagam, omnes intelligunt, mœrent omnes boni: ego hoc amplius, Mæcenatem amisi, herum amisi, cujus benignitatem, indulgentiam & comitatem adversum me satis prædicare, ne si maximè quidem velim, queam. Itaque angor, mi Salmasi, atque animi vehementer crucior. Te quoque non dissimili dolore affici, nullus dubito. Gemunt in urbe omnes ordines, omnis ætas, omnis domus: nemo tam rudis est rerum, quin acceptæ calamitatis magnitudinem sentiat. Aderit tamen, spero, Dominus, & labantem patriam præsidio suo fulciet: magnum benignitatis divinæ pignus habemus, cùm omnes Principes & Proceres ad salutem 1610.
Regni procurandam videmus consentire. Omnino παρὰ τοῦ Κυρίου ἐγένετο αὕτη· respondeant modò posteriora primis, quod & futurum confidimus, Deo propitio. De erudita Epistola, quam à te accepi, noli expectare, ut gratias tibi agam: publicè id libentius faciam; si tamen dabit Deus, aliquid amplius edere: nam status meus nunc quidem incertissimus; sed Deo me totum permitto, qui te servet, doctissime & amicissime Salmasi. Patri tuo multam à me salutem. *Lutetiæ Parisiorum*, *Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CX.

* *Rege Henrico IV.*

Epistola DCLXXV.

DANIELI HEINSIO.

Ita vivam, suavissime amicorum, ut be- 1610.
nignitatem naturæ tuæ sum admiratus, quando literas legerem, quas ad me scripsisti post funestum de morte magni Regis nuntium acceptum. Ita enim in illis tui erga me amoris vehementia, tua de me & meis sollicitudo sese prodebat, ut etiam inter dolores meos gaudium ex ea non mediocre viderer mihi capere; cepisse enim non audeo dicere, qui post illud teterrimum parricidium dolendi, gemendi, flendi nullum finem facio. Nam quis luctui mederetur, amisso Mæcenate; sed privatam caussam omitto, Rege amisso, cui nescio an ulla ætas ventura similem unquam sit visura? Non si omnia maxima ingenia concurrerent, & vires suas experirentur in laudando eo Principe, ad veram tamen & debitam laudationem exprimendam non suffecerint. Fateantur hoc omnes, qui viderunt, necesse est; nos utique, qui tot annos illo Mæcenate usi sumus, aliter neque sentire, neque loqui possumus. Et est tamen inventus parricida tantæ immanitatis, qui Patrem Patriæ perimere sustineret? O tempora! ô mores! Quod maximè doleo, illud est, tanti Regis mortem non vindicari, ut par erat. Scitur, quorum doctrina fatalis illi fuerit: scitur, quorum consiliis Reges & Principes occidi soleant: scitur, quid in posterum ab eodem genere hominum sit expectandum: & stertimus tamen, neque, ut par erat, excitamur. Angor animi, & plus quàm exprimere verbis queam, mens mihi cruciatur. Neque verò putes meæ salutis & fortunarum mearum respectum me habere: non illud est, quod me sollicitat, & noctes insomnes cogit agere: sed publicâ moveor calamitate, & metu ac sollicitudine pro domo regia, quæ si cui vi-

1610. tâ suâ charior non est, illum ego bonum civem nunquam habebo. Scito autem, afuisse me urbe, quando horrendus ille casus accidit; qui ubi primùm rem cognovi, (cognovi autem post paucas horas) non adeò de uxoris charissimæ & liberorum salute fui sollicitus, ut non mens tota in cogitatione de Rege occuparetur. Veni mox in urbem, ut quicquid bonis futurum esset, sors illorum mihi cum ipsis esset communis. Inveni sic pacata & tranquilla omnia, ut nulla videretur accidisse mutatio. Miratus sum rerum faciem; quæ ex eo tempore semper duravit eadem. Credo, æternum Numen, peccatis nostris offensum, quod unicum habebamus præsidium, & Reipublicæ fundamentum, auferre nobis voluisse, ut eâ spe destituti de emendatione vitæ seriò cogitemus, sine qua illius auxilium frustra speravimus. Cæterùm an mansura sint hæc alcyonia, scit unus Deus, qui solus præstare potest: ἐπεὶ τὰ ἐνδόμυχα ἐὰν σκοπῶμεν, εἰπεῖν πάρα, ἔῤῥει τὰ καλά· ὁ μέγας Ἑῤῥῖκος ἀπέσσυα. Verùm ista omittamus, καὶ ἀχνύμενοι κῆρ· certè enim fata viam invenient. Suetonius ægrè tandem est absolutus; qui prostare nudius tertius hîc tantùm cœpit. Absoluta est Opusculorum Scaligeri τοῦ μακαρίτου editio. Restat sola Præfatio, quam nos ante biduum aut triduum orsi, abripiente animi dolore θρῆνον ἐνεστησάμεθα, non ad amicum Præfationem. Videbis, & fortasse dolebis, non fuisse mihi plenam libertatem invehendi in sicarios, zelotas, parricidas, aut parricidarum magistros. Ego possum, Dei gratiâ, omnia pericula contemnere pro veritate & salute publica: sed amicis parendum, qui libertatem meam subinde castigant. Eâ Præfatione editâ, habebis simul, volente Deo, & Suetonium, & τὰ τοῦ μακαρίτου, cum exemplaribus, quæ amicis isthîc promisimus. Tu, qui omnes nôsti, atque inprimis clarissimum virum, Grotium, meis verbis salutabis, nisi grave est, & meum illis dolorem ἄφατον, καὶ ἀπαρηγόρητον significabis. Habetis & vos, quod doleatis, amico tanto, tam fideli, tam potente amisso. Vale, τὸ ἐμὸν μέλημα. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VII. *Kalend. Jul.* CIƆ IƆ CX.

Amicis promissa exemplaria mittam, cùm tua tibi: hoc volo illis meo nomine significes.

EPISTOLA DCLXXVI.

CLAUDIO SALMASIO.

EX iis literis, quas nuper accepi, non 1610.
cognovi, an postremæ mearum tibi fuissent redditæ. Intererit tamen mea scire, an constet mihi apud te officii ratio. Tu verò ita statuere debes, neminem hodie vivere, quicum per literas, quia nequeo aliter, libentius quàm tecum sim semper de communibus studiis collocuturus: atque utinam det Deus, ut omnis ejus rei facultas nobis non eripiatur; quod me plures causæ cogunt malè metuere. Nam quod sine lacrymis dicere non possum, amisimus, mi Salmasi, auctorem pacis, patrem concordiæ, monstrorum domitorem, quæ jam caput attollere incipiunt, & bonos terrent, & cogunt ἀμηχανεῖν. Ego igitur tam sum incertus, quid me futurum sit, quàm qui maximè. Det mihi, det tibi, & omnibus τοῦ ἀγαθοῦ κόμματος consilium, qui solus potest, Deus Opt. Max. καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Suetonium, hic nuper editum, tibi mitto, missurus brevi, σὺν Θεῷ, Opuscula Scaligeri, in quibus & tuum nomen legitur. Ego de eodem oleo Regum maximo parentavi, & maximo doctorum postremum officium præstiti. Videbis & judicabis. Exspecto musas tuas lugubres in tam lugubri argumento. Cave autem, alii cuiquam prius illas mittas, quàm mihi: nemo tua leget sinceriore affectu. Vale. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum, Nonis Jul.* CIƆ IƆ CX.

Parentem tuum, Senatorem clarissimum, salvere à me jubeas velim.

EPISTOLA DCLXXVII.

SAMUELI NÆRANO.

VEllem, doctissime Nærane, & valde 1610.
vellem, ita res meæ ferrent, ut isthuc Lares meos transferre quàm primùm possem, & dulci otio frui, quo tu & alii amici mei isthîc fruimini: esset id mihi perquam gratum ἐγγήραμα, cujus desiderio à multis annis teneor. Sed nimirum fata nos, mi Nærane, trahunt sæpius quò nolebamus, quàm ducunt quò optabamus. Fata appello Dei Opt. Max. providentiam, in cujus decretis acquiescere nos, verum est. Quid igitur de nobis ὁ ἐπὶ πᾶσι decreverit, nondum planè scimus. Illud videmur intelligere, placere illi, ut Lutetiâ relictâ, aliò cogitemus. Sed quò nobis sit tendendum, adhùc exploratum non habe-

1610. mus. Anglia, opinor, exilii nostri sedes erit, nisi vehementer animi fallor. Nam & Regem maximum, & illustrissimum Archiepiscopum Cantuariensem id optare, certò scimus. Adhùc tamen id negotium, propter certas causas, manet suspensum & ἀπλεύτηπν. Det Dominus consilio huic lætum exitum: erit autem mihi lætissimus, si facultas obtigerit inserviendi gloriæ ipsius, & literulas nostrás colendi. Nobis longè gratissimum est futurum, quod inter homines videmur victuri, qui aliquam & olim fuisse Ecclesiam Dei, non planè vituperabilem, persuasum habent. Quod cur dicam, exponerem pluribus, si præsens tecum loquerer. Arminium τὸν μακαρίτην, cujus ipse facis mentionem, virum magnum fuisse, non dubito: etsi nostrorum Pastorum nullum adhuc inveni, qui pro infami Hæretico illum non haberet, ut quibus ὁ κανὼν τῆς ἀληθείας sit sententia Calvini, quem ego virum vehementer suspiciens, eos tamen ferre non possum, qui omnes ab eo dissentientes malè oderunt; neque item illos, qui, ut probent, veteres pios idem nobis credidisse, scripta ipsorum miserabilem in modum torquent, magno cum intelligentium & serio eruditorum scandalo. Sed hæc mitto, & Deo Ecclesiam suam curæ esse opto. Tu me ama, & vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d. v. Kalend. Aug.* cIↄ Iↄ cx.

De Epigrammatis tuis noli exspectare, ut tibi gratias agam. Sunt illa quàm elegantissima; sed quæ salvo pudore de me esse scripta, existimare non possum.

Epistola DCLXXVIII.

ANDREÆ SCHOTTO.

1610. EXpectabam ad novissimas literas meas tuum, doctissime Vir, responsum; cùm ex inopinato affertur mihi liber tuus *, recens Antwerpiæ editus, te authore ad me missus. Gavisus sum, desiderii nostri habitam esse abs te rationem, & munus pulcherrimum maluisse te repræsentare, quàm diutius differre. Benè meritus es de sæculo tuo, benè de juventute, benè de Latinis literis; quæ omne suum decus, & veram gloriam videbantur brevi amissuræ, nisi extitisset aliquis exquisitæ eruditionis vir, qui bonos juvenes, inopiâ judicii, & culpâ doctorum suorum errantes, in viam rectam reduceret, & in studio eloquentiæ ὀρθοποδεῖν doceret. Id tu cùm hac operâ abundè præstiteris, quo honore esse dignus debes censeri? Redibit igitur, redibit in pristinum locum Marcus Tullius authore te; & illorum 1610. sententia veris rationibus victa explodetur, qui Patrem Romanæ facundiæ parum idoneum Latinitatis authorem existimabant. Viderint alii, quantum tibi se eo nomine putent debere; ego agendis tibi, aut habendis gratiis satisfacere mihi non queo: nam qui à primis annis divinum Marci Tullii ingenium semper suspexerim & amaverim, nunc senex, aut senectuti proximus ita ejus scripta admiror, ita eorum lectione delector, ut nemini hac in parte eorum, qui Ciceronianos sese dici volunt, sim concessurus. Et olim quidem facundiam atque doctrinam in illo sum miratus; nunc etiam probitatem, prudentiam, & alias magno Politico proprias virtutes. Sed moror te. Vale, Vir venerande. *Lutetiæ Parisiorum, a. d. v. Eid. Sext.* cIↄ Iↄ cx.

* *Intelligit Schotti Tullianas Quæstiones, sive de instauranda Ciceronis imitatione libr. ed. 1610.*

Epistola DCLXXIX.

JOANNI BRANTIO.

BEasti me, Vir eximie, eo munere, 1610. quod authore venerando Patre, Andrea Schotto, ad me misisti. Id verò eò mihi gratius accidit, quòd in illius exspectatione eram dudum. Sciebam enim, doctissimum illum amicum nostrum in eo argumento esse versatum, avebamque mirum in modum, quæ essent in eo genere ab ipso scripta, legere: nam & illum plurimi facere me, ne tu quidem, ut video, ignoras; & Ciceronem semper mihi fuisse in deliciis, ingenuè profiteor. Itaque subiit sæpe mirari stultitiam nostrorum hominum, qui unicum germanæ Latinitatis auctorem scholis propè jam expulerunt. Quin eo insaniæ multos venisse videmus, ut ille censeatur disertissimus, qui ab illo dicendi Magistro absolutissimo abierit quàm longissimè. Omnino inter sæculi nostri morbos hic, meo judicio, ponendus est non postremo loco. Deus benefaciat Schotto nostro, qui sui judicii authoritatem publico errori ivit oppositum. Vix poterat homo eruditissimus de juventute & re literaria melius mereri. Spero fore, ut candidati eloquentiæ Latinæ ad bonam mentem redeant, & quem stultè spreverunt Magistrum, moniti à tanto viro requirant, & cum eo in gratiam redeant. Ego hortari familiares meos non desinam, ut novum opus sibi parent, & viri optimi atque doctissimi consilio utantur. Tibi verò, eruditissime Joannes, pro munere egregio, & ea benevolentia, quam humanissimè scriptis literis abundè mihi declarasti, magnas, maximas

1610. mas gratias & habeo, & ago. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d. v. Eid. Sext.* CIƆ IƆ CX.

Epistola DCLXXX.

✠ THOMAS ERPENIUS. ISAACO CASAUBONO.

1610. NOn dubito, clarissime Domine, quin literæ meæ postremæ, jam ante duos menses per studiosum quendam missæ, bene tibi sint traditæ: ex eo tempore nihil à te literarum accepi, quod solis curis tuis & assiduo studio asscribo. Me quod attinet, studia Arabica hactenus adhuc urgeo; at propediem ea intermissurus, quia tempus aliò me vocat: gratias interim agens Deo Opt. Max. quòd labori meo tantum benedixerit, ut videri possim exiguo isto tempore, quod sum in Gallia, plerasque difficilis istius linguæ difficultates superasse. Bonam Alcorani Arabici partem jam attentè legi, & diligenter examinavi, nullius omnino puncti consideratione neglectâ; quod agendo multùm didici, ac eò usque rem deduxi, ut vix putem in integro Alcorano punctum aliquod occurrere, cujus exactam & dilucidam rationem reddere non queam. Grammaticam integram jam composui; nondum tamen exactè disposui & polivi, quod exiguo tempore fieri poterit. De Proverbiis Arabicis nuper seriò cœpi cogitare, quò ea, quàm fieri poterit, explicatissima & politissima propediem tibi queam offerre, ut facias iis כַּאֲשֶׁר טוֹב בְּעֵינֶיךָ. Multa omnino occurrunt in iis mutanda & corrigenda, tum in textu Arabico, tum in translatione Latina & notis Domini Scaligeri. Nam textus Arabicus pessimè est punctatus, ac ita quidem, ut in compluribus proverbiis tot errata sint, quot syllabæ. Rationem ejus esse puto, quòd is, qui puncta apposuit, literalem Arabicam non novit, sed vulgarem tantùm, secundum quam ea punctavit; etsi subinde paulò ulterius progredi voluerit, & doctorum punctationem adhibere, quam tamen infeliciter, aut non, didicerat. Itaque omnino statui etiam exactè secundum Grammaticam, & rationem Alcorani punctare (ita tamen, ut ea puncta, quibus mutatis sensus aliquomodo mutari queat, intacta relinquam) quò libellus iste commodus queat esse prælectioni; nihil enim tale hactenus impressum est: scelestissimus autem Alcoranus id non meretur, nec ejus etiam exemplar quilibet habere potest. Translationem Domini Scaligeri quod attinet, vix alteram partem benè videtur vertisse: interdum ab 1610. unius & alterius verbi; interdum à totius proverbii sensu aberravit; & certè quædam sunt, quorum ne unum quidem verbum benè transtulit; cujus caussa est proculdubio, quòd pessimè scriptum exemplar habuerit, & festinando & aliud agendo ea verterit. Ista itaque omnia, ut honori ipsius consulatur, corrigi necessè est. Ego id eâ ratione statui facere, ut ubi manifestè erravit in voce una aut compluribus; ita tamen, ut sensus proverbii salvus & integer maneat, simpliciter ea corrigam, nec dicam ea à me correcta esse. Ubi verò toto cœlo erravit, & à sensu proverbii aberravit, quod non rarò contigit, aliam quoque versionem & explicationem ejus loco substituam, quæ notâ aliquâ cognoscatur non esse illius: cujus ratio dicetur esse in Præfatione, quòd non omnia proverbia ei missa sunt, & quædam ex missis ita malè descripta fuerunt, ut ex illis sensum nullum convenientem elicere potuerit. Reliqua, quæ notâ istâ non insignientur, dicentur esse illius, & à me intacta mansisse; quippe qui manum in alienam messem mittere noluero; qui dolus, ut non percipiatur, interdum, ubi scilicet sensus à Domino Scaligero expressus aliquâ ratione tolerari poterit, nec ita graviter ab eo peccatum erit, quæ posuit, integra relinquam, additâ tamen aliâ explicatione, quam dicam, meo judicio, saniorem & convenientiorem esse. Obscuriora quoque quædam proverbia, quæ quidem satis benè transtulit; sed notis nullis illustravit, quòd fortè eorum usum non intellexerit, ego paucis explicabo, usu eorum, quem sæpè satis feliciter conjecturâ aliquâ mihi videor assequi, indicato. Cæterùm noli putare, me temerè aliquid immutaturum, divinam divini tui judicii normam ubique adhibebo; qua de caussa jam cœpi proverbia ista ordinatè in librum aliquem digerere, sed jam dicto modo emendata, addens è regione cujusque proverbii quid emendaverim, & qua de caussa, quidque Interpreti ansam errandi dederit; examinans simul alteram istam interpretationem Latinam, (quæ quidem non ita Latina, sed plerumque multò felicior est quàm ea, quæ Domini Scaligeri,) ut rationes meas legens & examinans, videas & judices, num sufficientes eæ sint necne. Absit nimirum à me, ut in correctione opusculi tanti viri solo meo judicio immaturo & rudi nitar. Impressionem eorum quod attinet, necesse est, ut videas, utrum futurum sit commodius, separatimne impriman-

1610. tur, an cum Grammatica mea Arabica. Si posterius, oportebit me in ea, aut saltem bonam eorum partem, analysin grammaticam scribere: sed tum fortassis libellus iste non ita conveniens est futurus prælectioni, quippe satis explicatus. Quocirca fortassis præstabit prius, & ut Grammaticæ subjungatur analysis Historiæ alicujus egregiæ, ex Geographo nostro exactè punctatæ. Quæso, mi Casaubone, delibera de hac re, & confer cum Lebæo, ut & ipse dicat, quid malit: nam si proverbia jungantur Grammaticæ, opus futurum est magnum ob magnitudinem characterum Lebæanorum: sola Grammatica futura est ad minimum viginti & quatuor, aut viginti & quinque chartarum. Deinde si separatim imprimenda sint, velim scire, utrum sit prætermittendum, quò res meas melius queam componere. Scripsi ad Lebæum de Grammaticæ impressione: latius rogo te, ut consilia cum illo velis communicare, & me quàm primùm de judicio vestro certiorem facere. Sed heus, mi Casaubone, aliud adhuc te rogo. Si fortassis Alcoranus aliquis Arabicus venalis in manus tuas incidat, velis eum pro me emere; modò tersus sit, & utcunque bene scriptus: de pretio nihil possum determinare, melius id me nôsti. Valde optarem quàm primùm unum habere, antequam scedulas meas in Dictionarium reponendas dissecem, quo cuique voci paginam & lineam Alcorani mei possim assignare. Hactenus nimirum non nisi azoaras notavi, quia proprium Alcoranum non habui. Cœperam eum describere; sed labor & amissio temporis ab incepto me revocavit. Si auderem, rogarem te, ut illud exemplar, quod hic à te habeo, mihi venderis; si quidem alia exemplaria habeas, ita ut hoc sine incommodo magno carere queas; aliàs nollem. Loquor de nudo exemplari Arabico; nam quod ad annotationes Domini Adriani attinet, eas tibi essem relicturus, & quò eis commodius uti possis, ad paginas alterius cujusdam tui Alcorani convenientissimè notis arithmeticis & lineis applicaturus. Quod si mihi hac in re gratificari velis, aliud adhuc agam. Ea, quæ Adrianus explicatione suâ non illustravit, quæ ferè quartam Alcorani partem constituunt, ego conformiter reliquis illustrabo; quin & Adriani Notas, ubi id requiretur, augebo, corrigam, illustrabo; & sicubi hæsit & dubitavit, modò possim, explicabo & determinabo, ita ut Alcoranum egregiè illustratum sis habiturus, quod valde necessarium illi est, qui in ea lingua studet proficere. Nec tamen facilè puto futurum, ut aliquis Christianorum Latinum Alcoranum emendatum & illustratum evulget. Quod si conditionem hanc accipias, fac id me quàm primùm certiorem; nam tempus meum in Gallia breve est, & multa mihi adhuc sunt agenda; plura, quàm nôsti, ut coram ex me intelliges. Pro Alcorano tuo ego aut argentum tibi restituam, aut librum aliquem, quem voles, emam; si, inquam, illo carere potes, & jam propositam conditionem accipias. Neutiquam autem volo, ut si ea res incommoda ullo modo tibi futura esset, eà mihi gratificeris. Mitto tibi quatuor aut quinque proverbia, ut specimen aliquod meæ emendationis videas, sed valde negligenter & festinanter ea recensui & scripsi: longè exactiora & solidiora videbis, cùm totum opus tibi obtulero. Miror à Bedwello me nullas accipere literas: nescio an ad te scripserit: puto eum adhuc febricitari. Vidi nuper initium secundi libri Avicennæ, cum versione Latina & notis Kirstenii. Quàm iste homo est nugator! quàm parum peritus Arabismi, & cœptis suis impar! Finem tandem facio, Deum Opt. Maximum orans, ut te, mi Casaubone, diu servet incolumem, concedatque tibi requiem ad studia tua requisitam; fortem & robustum animum ad resistendum instrumentis istis Diaboli, quæ fidem tuam labefactare, & conscientiæ tuæ quietem turbare student. Vale. *Postridie Kalend. Julii*, CIↃ IↃ CX. *Salmurii*. 1610.

Cupio quoque scire, an interdum in Arabicis aliquid agas, nec ne. Valdè certò id cuperem: tu nimirum unus hinc studio aliquantulum incumbens, plus in eo illustrando præstare queas, quàm reliqui omnes Christiani ei operam dantes. Quæso, mi Casaubone, da ei interdum horulam. Ubi isthuc venero, quoties tibi placuerit, unà conferemus. Iterum vale, & parce, quæso, maculis meis; carius nimirum mihi est tempus, quàm ut descriptioni Epistolarum id dare possim.

Inscriptio.

A MONSIEUR,

Monsieur DE CASAUBON,

Conseiller du Roi, *&* *Superintendant de sa Bibliotheque.*

A PARIS.

EPISTOLA

EPISTOLA DCLXXXI.

THOMÆ ERPENIO.

1610. Amice suavissime, accepi tuas longè mihi gratissimas literas, quibus ne pluribus respondeam, caussæ faciunt diversæ. Tantùm monebo te, de profectione in Angliam certam stare mihi sententiam, si Dominus Jesus, pro sua inexhausta misericordia, cœpta secundare fuerit dignatus. Verum est, quod dicis, scripsisse ad me super ea re Archiepiscopum Cantuariensem, Præsulem illustrissimum, & omni laude majorem. Ego verò quâ flagrem cupiditate eò veniendi, ubi libertate plenâ possim frui, ne dicere quidem possum. Scit ὁ ἐπὶ πᾶσι, Θεὸς καρδιογνώστης, nihil aliud me spectare, nisi ut quod reliquum vitæ superest, gloriæ ipsius consecrare possim, & impendere: quod ô utinam mihi, iterumque utinam contingat. Sed non facilè credas, quæ & quantæ difficultates huic consilio meo sese opponant. Ne te multis morer, charissime Erpeni, res eò demum devenit, ut obtinendæ veniæ à Regina spes tandem aliqua mihi sit ostensa; & quidem, ut spero, non una. Proximâ, si Deus volet, hebdomade, quid me futurum sit, sciam. Tum si, ut spero, quod peto fuero consecutus, non multò post itineri cogito me, cum bono Deo, accingere; eâ tamen lege, ut ad dictam diem sim huc reversurus, pro eo tempore, quod mihi fuerit definitum. Convenit autem inter me & amicos Anglos, ut regionem illam prius viserem, & præsens cum præsentibus agerem. Itaque paucorum dierum mora in Anglia suffecerit. Oro Deum, cœptis benedicat. Vides, si huc ante meam profectionem pervenire cupias, οὐκ εἶναι ἕδρας ἀκμήν· sed velis remisque huc esse contendendum. Mihi nulla res gratior possit accidere, quàm si priusquam pedem hinc commoveam, te videro, & vel in medio foro fuero suaviatus: sed de eo quid sperare ausim, non satis scio. De toto negotio melius, si superi faverint, στόμα πρὸς στόμα. Vale, & me ama; qui ista raptim & semisomnis exarabam, fretus benevolentiâ tuâ. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* IV. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CX.

EPISTOLA DCLXXXII.

JOANNI VASSANIO.

Fratrem tuum nuper heic vidimus, 1610. eruditissime Vassani, multùmque ejus adventu gavisi sumus. Nam quantum in studiis profecisset isthic *, primo statim congressu satis ostendit, cùm cœpissemus de literis colloqui. Itaque magnam voluptatem capio, cùm venit in mentem, autorem me lectissimæ fœminæ, matri vestræ τῇ εὐσεβεστάτῃ fuisse, ut vos isthuc mitteret; cujus consilii fore nunquam, ut vel vos pœniteat, & prævidi antè, & nunc certum atque exploratum habeo. Multum verò te amo, quod de clarissimi viri, Merulæ Geographico Opere illa ad me scripseris, quæ pridem scire cupiebam. Opto illi & vitam longam, & valetudinem firmam, atque omnia læta & fausta, ut institutum opus perficere, & alia porro moliri queat. De Bertio grata sunt, quæ scribis. Confirma illi meis verbis, si quid unquam ejus caussâ potuero, nulla in re meum officium fore ipsum desideraturum. Quod igitur scribis de Pelagii dogmate, si quid invenero, quod putem illi fore utile, dabo operam, ne eo careat. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *Nonis Sept.* CIↃ IↃ CX. raptim.

* *Lugduni Batavorum.*

EPISTOLA DCLXXXIII.

DANIELI HEINSIO.

Scito, post adventum amplissimi Mylii, qui nuper Legatus ad nos venit, 1610. nihil me literarum à te accepisse. Ego ad te, cùm idem ille isthuc rediret, abundè scripsi de meis rebus, quæ te optare scire non dubitabam. Post illa silui, non solùm quia λόγου ἄξιον nihil erat, quod scriberem; verùm etiam, quia de lustranda Anglia dies noctesque cogitans, ex itinere commodius me isthuc literas daturum credidi. Quoniam tamen id iter diutius aliquantò differtur quàm putabam, amico adolescenti, ad vos se conferenti, hæc pauca dedi, ut quo loco res meæ sint, nescius ne esses. Nam si faverit cœptis ὁ ἐπὶ πᾶσι, hujus autumni bonam partem in Anglia sum acturus. Quæ me rationes impulerint, ut hoc consilii susciperem, malo ex Anglia tibi significare, quàm ex isto loco. Et quis scit, an in reditu per Hollandiam iter sim instituturus? Certè viveret ὁ τρισμακάριος Heros noster †, in itu, non in reditu tui videndi cupiditatem meam explessem.

† *Josephus Scaliger.*

1610. Quicquid constituero, faciam te statim, ut scias: nam tibi quoque volenti id eventurum facilè mihi persuadeo. Cætera ad iter dudum parata: sola superest discedendi venia, quam adhuc impetrare non potui: sed impetrabo, σὺν Θεῷ εἰπεῖν. Vale, τἀμὸν μέλημα. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VIII. *Eid. Septemb.* CIↃ IↃ CX.

Epistola DCLXXXIV.

EIDEM.

1610. Binas de eodem oleo ad te scripsi: duo enim erant amici, qui sine meis isthuc proficisci nolebant. Scripsi igitur per utrumque: priores cuidam Genevensi dedi; has nobili Germano, tui videndi cupido. Habet ille comitem, sive Præceptorem, hominem eruditum, ut ex sermonibus cognosces. Per eos intelliges de rebus nostris πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. Verbo tibi dicam, in eum locum esse res redactas, ut videantur brevi omnes Galli fore mancipia Loïolitarum. Scio equidem, eo ingenio esse meos Francos, ut ἄνευ σφαδασμοῦ jugum non sint laturi; quin tamen admissuri sint, non dubito; urget enim vis major. Itaque malo loco res nostræ sunt. Dominus Jesus hoc Regnum respiciat, & vos quoque. Vale, & meas, si Deus volet, ex Anglia exspecta. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VIII. *Eid. Septemb.* CIↃ IↃ CX.

Viros clarissimos, amicos meos, salvere jube meis verbis, quæso te.

Epistola DCLXXXV.

JOANNI CASELIO.

1610. Si vales, præstantissime Caseli, bene est; ego uti valeam, dicere non possum. Corpus sic satis, Dei gratiâ, valet; animus curis & ægritudine fessus jacet. Nam post illud horrendum parricidium, quo Rex maximus, Mæcenas meus indulgentissimus, est è vivis sublatus, nulla dies, nulla hora, nullum momentum abit, quo non defixus in ejus recordatione animus meus stupeat. O diem, Senex venerande, ὡς ἀληθῶς ἀποφράδα, quæ Heroëm tantum terris eripuit! Solet fama Principibus, alioquin magnis, multùm addere; & sæpe factum, ut Reges ac Dynastæ venerationi longinquis populis essent, quos qui nôrant propius, non tanti faciebant; major enim plerumque ex longinquo majestas: de Henrico IV. nostro nuper Rege, cave tale quid arbitreris; cujus interiorem notitiam nemo unquam habuit, qui majorem famâ suâ 1610. ipsum non judicavit: iis namque virtutibus, quas regias κυρίως vocant, sic excelluit ὁ δαιμόνιος ἀνὴρ ἐκεῖνος, ut paucos ex omni memoria Principes sit reperire dignos, qui cum ipso contendantur. Ego verò in illius obitu quantum vulnus acceperim, illi soli possunt intelligere, qui sciunt, tanti Principis benevolentia quanti sit æstimanda. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Te, mi Caseli, opto valere, & omnibus numeris absolutâ frui felicitate. Scripsi raptim, non satis securus, an hæ ad te essent perventuræ. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VIII. *Eid. Septemb.* CIↃ IↃ CX.

Epistola DCLXXXVI.

CLAUDIO DAUSQUEIO. ✠

Quàm variè sim affectus lectione literarum tuarum, Claudi doctissime, non facilè verbis tibi significavero. 1610. Gavisus sum accessione nominis tui, viri in Græcis Latinisque literis, & vario genere doctinarum excellenter versati, amicorum meorum, (hæ meæ sunt opes) album fieri auctius. At doluì & vehementissimè quidem, Epistolam, quam à te accipiebam primam, æquissimæ, vel judice me, querelæ plenam esse. Non enim ibo inficias, οὐδ' ἔξαρνος γίνομαι, caussam habere te, cur, si moribus alienis potius quàm tuis uteris, aliter longè mecum ageres. Ego verò, quod accidit, factum nollem; neque effectum sanè esset, si tuæ singularis virtutis, καὶ εὐγνωμοσύνης vel tenuissima notitia ad me pervenisset. Enimverò, qui mores mihi tuos narraret, nemo tum adfuit; qui me adversus te stimularet, non defuit; aut ut verius dicam, non defuere viri, magnâ familiaritate mihi juncti. Horum caussâ commotus fuisse me, ne tu quidem ignoras, qui profectò οὐ πότ' ἐμὰς βοῦς ἤλασας, οὐδὲ μὲν ἵππους. Ita non meo nomine simul concitatus, verùm humanâ quâdam συμπαθείᾳ erga amicum, qui se injuriam à te gravissimam accepisse dictitabat. Itaque oro te, mi Claudi, sicut memorabili exemplo fecisti hactenus, etiam porro, δάμασον θυμὸν μέγαν· οὐδέ τί σε χρὴ Νηλεὲς ἦτορ ἔχειν· στρεπτὸς ἢ τι καὶ Θεὸς αὐτός. Certè si tum mihi tua singularis virtus, pari eruditione juncta innotuisset, οὐδ' ἄν σοι τι ἐγίνετο commisissem, ut vel levissimam tibi de me querendi occasionem præberem. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ· quum præsertim ita de me jam meritus sis, ut celebrandi humanitatem tuam nul-

1610. nullum finem, dum spiritus hos regit artus, sim facturus. Neque hoc dico, ut censoriam notam lucrifaciam, aut tuum retardem impetum publicandi, quæ adversus notulas meas in Spartianum, & ejus socios, sunt à te animadversa. Tu verò ede quàm primùm illam opellam tuam, (sive id magnum opus est) & quæ peccavi, corrige. Spondeo affectu sincero nihil eo mihi optatius posse contingere; multa enim, quæ nescio, è scriptione me docebis. Quid autem viro cordato accidat gratius, quàm ἀεὶ γηράσκειν πολλὰ διδασκόμενον. Ego à puero ad hanc diem sic vitam institui, ut cupiditate cognoscendi, quæ ignorabam, nihil secundum pietatem haberem antiquius; sed illa mea aviditas, quàm multis, quàm gravibus, & assiduis impedimentis fuerit retardata, scit Deus, cujus nutu & ὑπεραρρήτῳ providentiâ maxima peræquè administrantur. Nolo historiam vitæ meæ hoc loco memorare, & tua morari tempora. Breviter dicam, quod scio te miraturum. Anno ætatis nono, quam emendatè scriberem, curâ optimi parentis educatus, undecimo vix literas nôram; afuerat enim domo parens meus, propter conditionem temporum, & infelicia illa bella, quæ per annos ferè quadraginta continuos Regni hujus incolas miris modis & afflixerunt, & efferarunt; per quæ etiam factum est, ut doceri literas iterum ceptus ab eodem illo æternùm mihi venerando patre, per varios casus, varia & discrimina rerum jactatus, ad annum vigesimum prius pervenirem, quàm vel nomina veterum Scriptorum nota haberem. Omitto cætera meorum studiorum impedimenta tibi commemorare, quæ me ingenti quâdam alacritate ad cognitionem honestarum artium contendentem ὑπεδήσαο κελεύθου. Hujus igitur tantæ in studiis literarum infelicitatis meæ quum sim ipse mihi probè conscius, si tu, Vir doctissime, aut quivis alius ἄκρως πεπαιδευμένων in scriptis quædam carpatis, vel etiam universa parum vobis placere ostendatis, adeò non indignabor, ut miror magis, si quid meorum vobis placuerit. Fruor interim, & semper fruar illo solatio, quod nullus Alastor, ne Scribanius quidem, Alastorum infandissimus, conscientiæ meæ unquam eripiet; voluisse me de studiosis literarum mereri; fecisse non quod volebam, sed quod poteram. Quamobrem si in meorum scriptorum suscepta censura fuerit animus tibi pergere, scito καὶ πληροφορήθητι non solùm bona cum mea gratia, & salvâ amicitiâ nostrâ, id facere te posse, 1610. verùm etiam ingentes ex animo gratias me & acturum tibi fore, & habiturum. Ego in una tua Epistola tantum candoris videor mihi deprehendisse, ut reprehendi à te, quàm laudari à multis malim. Risi verò suaviter, cùm illa legerem, quæ de scelestissimo Amphitheatri Scriptore narrabas. Ille impurus si parem tibi eruditionem esset nactus, & mihi, & omnibus bonis molestus esse non desineret; qui nunc aliud nihil potest, nisi furorem suum & animi virus palam facere. O te, Vir candidissime, beatum! qui ejus portenti societatem ejurasti. Verùm de tota illa re aliàs pluribus tecum agam. Quod nunc superest, Deum Opt. Max. oro veneror que supplex, ut te prioribus malis defunctum servet, porro incolumem, & honestissimis tuis studiis benedicat. Vale, & me semper ama; qui te vel invitum nunquam non amabo & colam. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum, propridie Eid. Septemb.* CIↃ IↃ CX.

EPISTOLA DCLXXXVII.

JOANNI LYDIO.

PEr mihi gratæ fuerunt literæ, quas 1610. à te nuper accepi. Neque enim ignotum tuum nomen mihi erat; quò gratius accidit, cùm te mei adeò studiosum esse cognovi: hoc enim Epistola illa tua amantissimè scripta abundè significavit. Atque utinam, Vir venerande, mei vicissim affectûs tibi testandi detur aliqua occasio, experieris non indignum amicitiâ tuâ, quam ultrò; quæ tua est humanitas, prolixè mihi obtulisti. Age, fac periculum; & si quid tuâ caussâ possum, Ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω. Quod ad juvenem illum attinet, de quo scripsisti, dixi patri, quo essent apud nos loco studia philosophica: quanquam ego res Academiæ hujus non magis attingo, quàm vel tu, vel quicunque alius hinc abest, ὡς προσωτάτω. Accedit huc, quòd quamdiu in hac urbe sim futurus, non scio; postquam enim immani parricidio Rex gloriosissimus, Princeps clementissimus, meus Mæcenas indulgentissimus, fuit exstinctus; ita mihi Lutetia, imò patria universa mea facta est invisa, ut ex illo tempore nihil aliud nisi γῆν πρὸ γῆς cogitarim; ubi Pelopidarum facta non audiam. Sed me impræsentiarum tenet hic uxoris morbus, qui me habet mirum in modum sollicitum. Spero tamen meliora

1610. ἐν τῷ ὑπεραγάθῳ Κυρίῳ, qui te, Vir doctissime, servet. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XII. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CX.

Epistola DCLXXXVIII.

JOANNI A' WITTEN.

1610. UT qui peregrinatione longâ & molestâ defuncti domum ad suos redeunt, incredibili quodam gaudio perfundi solent; ita planè mihi evenit, longo adeò intervallo literas à te accipienti, Vir præstantissime atque amicissime. Nam qui te ab illo tempore constanter amaverim, & tacitus coluerim, quo primùm tua mihi virtus innotuit, cùm post tot annorum silentium amicissimè scriptâ Epistolâ sum abs te provocatus, & de rerum tuarum florente statu factus certior, mirificam ex ea re percepi voluptatem. Ago igitur Deo Opt. Max. gratias, qui te servavit hactenus, & dignitate eâ te ornavit, quam tua singularis virtus merebatur: didici enim, cùm ex literis tuis, tùm ex aliorum sermonibus, quem gratiæ locum apud Principem omni laude majorem, Serenissimum Ducem Megapolitanum, obtineas. Utri prius gratuler, nescio; Principi, an tibi: nam & tu illâ statione es dignissimus; & Mæcenas tuus, ut fama est hominum, iis præstat dotibus, quas jure omnes boni, etiam longè positi, omni veneratione debeant prosequi. Quare ex animo tibi gratulor, qui Principi inservias, quem sine adulatione etiam admirari cogeris. Nos simili felicitate nuper excidimus, amisso Mæcenate nostro, Henrico IV. magno, Deus bone! Principe & incomparabili; de cujus admirabili præstantia quicquid dixero, minus erit. Itaque meminisse jam illius, immani nuper parricidio interempti, neque debeo, neque possum sine lacrymis. Illa verè atra dies res meas ita afflixit & perculit, ut jam omnia consilia mihi sint incerta, ipsa quin etiam vita exosa: nam quid bonis in eo Regno sperare jam licet, ubi optimi duo Reges religionis obtentu parricidarum sicis sunt confossi? Quem Gallia Regem, quâ piùm est, animi devotione colet, quæ suum σωτῆρα & εὐεργέτην, autorem suæ salutis & omnium bonorum largitorem, ingrata, scelere nefario, vitâ privavit. Quanquam non universa Gallia in hoc parricidium consensit, verùm oppidò pauci superstitione depravati, & omnis legitimæ potestatis osores acerrimi. Qui utinam mali malè pereant, & qui fuerunt parricidii illius 1610. conscii, & quicunque illi sint, quorum doctrina instar equi Trojani est, unde tot jam Tartarei parricidæ manarunt. Quod me hortaris, ut in eruenda è libris Ciceronis doctrina politica operam velim ponere, etsi morem gerere voluntati tuæ hoc mearum rerum statu, non queo; laudo tamen judicium tuum, & consilium remitto, si otium ad id genus curas Dominus Jesus aliquando dederit. Nunc enim in incerto fortunæ meæ nutant, prius stabiliendæ, quàm aliquid operis serii aggrediar. Accedit, quòd in Commentariis Polybianis concinnandis proximum, quod Deus dederit, otium necessariò mihi est ponendum. Polybium quidem ante annum edidimus, & simul interpretationem nostram Latinam; sed is labor nihil est præ opere, quod molimur; in quo doctrinam politicam & militarem ita illustravimus, ut earum disciplinarum studiosos meam operam probaturos esse confidam. Imprimis illud operam dedimus, ut viam indicaremus, & rationem legendi cum fructu Historicos omnis generis. Sed otio nobis est opus ad perficiendum, quod dudum inchoavimus. Nunc autem quis me status sit excepturus, quantum otii denique sim habiturus nescio; multas enim habeo causas, cur hoc in loco mihi metuam. Unicum est, quo fruor, solatium, spes in Domino Jesu, qui suâ inexhaustâ benignitate inopem consilii me non deseret: hæc mea spes summa est, hæc certa anchora. Uxor, cùm hæc scribebam, ægra decumbebat in lecto, quæ te ex animo salutat, & optat bene rem gerere & valere; quod & meum est votum, & quod à Deo Opt. Max. peto, & contendo. Vale. Scripsi raptim. *Lutetiæ Parisiorum*, . . . *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CX.

Epistola DCLXXXIX.

DAVIDI HOESCHELIO.

ITane est, ut scribis? ὁ καλὸς κἀγαθὸς 1610.
Fronto tibi significavit, habuisse me Alexiadem Annæ Comnenæ? Miror planè; nam ego illum librum in mea potestate habui nunquam. Vis certum ejus rei argumentum? Legi nunquam: lecturus profectò, qui meus est amor in literas, si ulla unquam data esset facultas. Videor quidem apud virum amplissimum, Memmium, cùm in ejus Bibliotheca essem, illam Historiam inter alios libros MSS. vidisse; sed ut illam in mea ipse potestate habuerim, hoc

1610. hoc verò accidit nunquam. Itaque ἄλλω δρῦν βαλάνιζε· nam à me auxilium nullum potes sperare. At tu perge nos beare hujus libri editione; cujus jam ab illo tempore magnâ exspectatione teneor, quando operam dans Juri civili Romanorum, in scriptis magni Cujacii fragmenta quædam illius adnotavi. Nostra studia quo loco sint, piget dicere. Illud scito, post Magni Henrici, Mæcenatis mei, cædem, nullum temerè diem sine gemitu egisse me; qui tam immanis parricidii recordari sine lacrymis ne nunc quidem possum. Multa hic possem commemorare, quæ me angunt; sed partem eorum conjecturâ assequi, non erit tibi difficile. Ego in Angliam excurrere, cum bono Deo, constitutum habeo; jamque adeò itineri me accinxissem, nisi ὁρμῶντι morbus uxoris detinuisset. Spero melius ipsam valituram; itaque eo impedimento sublato, nihil me morabitur. Cæterùm τὸ μέλλον Deus unus scit, cujus providentiæ nos & nostra permittimus. Epitomen Athenæi redditurus fui, & reddam, quando jusseris; nisi eodem tempore rogatus essem à Typographo, Curas Athenaicas sub incudem revocare; quod si futurum est, tuo adhuc libro uti, si licet, lubet. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CX.

Epistola DCXC.

JOANNI CASAUBONO, Filio.

1610. QUàm grave mihi fuerit, te isthic remansisse, me proficiscente, non facilè dixerim; & persuadeo ipse mihi, στοργῆς illius φυσικῆς vim, quam in me experior cottidie vehementissimam, non esse tibi incognitam. Nam ut ego subinde ad animum revoco, patrem esse me, ita tu filium te esse meum, nunquam non meminisse debes. Sed nôsti quid nos diviserit. Etenim quoties subit animum meum recordatio eorum, quæ gesta sunt, toties precibus enixè à Deo contendo, ut suæ voluntatis notitiam salutarem tibi inspiret, & tua consilia atque studia velit fortunare. Faciet verò dubio procul, si in voluntate ipsius inquirenda diligentem operam posueris, & spretis humanis rebus, de spe futuræ vitæ seriò cogitandum tibi esse, in animum induxeris. Dominus Jesus tibi adsit, & te sinceræ veritatis amore inflammet. Matris obsequium nolo tibi commendare, ne videar de tua erga ipsam pietate dubitasse; scis quàm ea res sit mihi cordi. Exspecto tuas literas de 1610. omnibus, quæ putabis mea interesse ut sciam. Salutabis amicos meos omnis generis, quorum nomina recensere parcam, cùm sint illi tibi notissimi. Vale. *Samarobrigæ* * *Ambianorum, a. d.* VI. *Eid. Octob.* proximâ à discessu meo die κυριακῇ, CIↃ IↃ CX.

* Hodie Amiens.

Epistola DCXCI.

EIDEM, et ISAACO CHABANEO †.

† Isaaci Casauboni sororis filio.

QUum in hanc urbem heri appulissem, maximis defunctus periculis, nihil habui antiquius, quàm ut partem malorum, quæ passi sumus, uxori per literas exponerem, ut illa Deo Opt. Max. gratias ageret, & vos omnes hortaretur, idem ut faceretis. 1610. Quò me aliquis vehementius amabit, eò impensius illi gratiæ agendæ sunt Domino Jesu, qui me servavit, non solùm à præsentissimo periculo mortis, quam per multas horas exspectavi animo constante; sed etiam à plerisque malis, quæ navigantes pati solent. Denique scitote, integrum νυχθήμερον nos fuisse jactatos; cujus spatii primæ quatuor aut quinque horæ fuerunt mihi permolestæ propter nauseam, & stomachi dolorem. Reliquum tempus sollicitudinem habuit de vita; sed doloris nullum ferè sensum; quo nomine & me, & vos gratias agere Numini gratissimas oportet: nam cæteri omnes, paucis exceptis, magnis interim doloribus cruciabantur; mihi verò οἱ φθεῖρες magnas molestias præbuerunt, dum jaceo ἐν ταῖς ναυτῶν χαμευνίαις. Et Dominus *, qui socius meus [famulum enim non habeo; sed ἑταῖρον] de vino Hispanico, & id genus aliis sibi prospexerat & mihi, sumptu meo: sed mihi illis uti non fuit necesse. Ille usus est, qui toto itinere non minore sumptu sibi consuluit quàm mihi; nam manum operi admovere, si quid fortè curandum sit vel minimum, hoc non est ejus, qui, ut nuper scripsi, ἀκραιφνὴς sit Theologus, & qui tantum sapiat: est alioqui de me non parum sollicitus. Sed de eo plura, σὺν Θεῷ, aliàs. Peto à vobis iterum atque iterum, ut pro hoc tanto beneficio gratias τῷ ἐπὶ πᾶσιν & habeatis, & supplice animo reddatis. Nam etsi planè naufragium non fecimus, navis tamen nostra fracta est, & nautæ nostri, quod in extremis periculis faciunt, fecerunt, ut sibi diffidentes vocem in cœlum tollerent, & magno clamore auxilium à Domino peterent. Cæterùm & hanc, & alias iti-

1610. neris totius molestias facilè abstersit mihi comitas, benignitas, & amor erga me, tàm illustrissimi Legati *, quàm uxoris illius, Heroïnæ omni laude dignissimæ. Nunc Cantuariam cogitamus, σὺν τῷ παναρίστῳ Θεῷ· ibi dies paucos subsistemus, ut puto; deinde Londinum proficiscemur; quo in loco si uxoris & vestras literas invenirem, beatum me prædicarem: sum enim de ejus valetudine supra modum sollicitus. Vos, si me amatis, & mea præcepta tanti facitis, date operam, ut certior de ea re & aliis omnibus quàm primùm fiam. Libros meos & chartas omnes vobis esse curæ maximæ, & spero & cupio; & ut ita sit, mando vobis atque præcipio. Si Dominum Thuanum videritis, narrate illi de libro non tradito, quam scitis, historiam: illum verò librum ne quis me absente attingat, nisi ipse jusserit, videte. Bibliothecam tibi, Isaace, curæ esse volo, & vide ne te nimis facilem præbeas in deducendis eò hominibus, præsertim pluribus simul, quod omnino fieri non debet. Scribite etiam ad me, quomodo uxor absentiam meam ferat. Dicite illi, me pecuniam Anglicanam, quam factâ permutatione dederat Domina Gentilis, quamque me reliquisse in museo nuper scripseram, invenisse in parte arculæ, ubi eam ipse reposueram. Amicos meos, qui vobis noti sunt, salutate; cum primis Medicos, Dominum Guerinum, & Dominum Arbaldum, quibus valetudinem τῆς φιλτάτης curæ esse percupio. Ego non prius animo quieto ero, quàm significatum mihi fuerit, febris ista recens quem exitum habuerit: memini enim, tertianæ aliquot ἐφόδους illam esse expertam prius quàm proficiscerer, quod me malè habet. Scribite etiam ad me, quàm benè suo officio defungantur Gentilis, Joanna, & Anna: nam Paulum jam evasisse doctum, ex quo discessi, ferè mihi persuasi. Scribite & de Maria, quam ipse discedens non sum amplexatus, ut cæteros liberos; & de tota domo D. des Bordes †; nec non, an rus uxor iverit; de villico quid fecerit, cujus ego improbitatem odi. Postremò sive publicè, sive privatim acciderit aliquid meâ cognitione dignum, facite me ut sciam. Orate pro salute, consiliis & reditu meo, ut facio ipse pro vobis omnibus. Valete. Scripsi in celeberrimo Anglorum portu *Douvres*, quem *Doroverniam* quidam dicunt, postridie adventum meum in hanc beatam Insulam, qui est dies XIX. *Octob.* CIↃ IↃ CX.

* *Wotton, Legatus extra ordinem, qui Casaubonum in suum comitatum recepit.*

† *Josias Mercerus, Joannis filius.* Colomes.

Scripsissem ad Dominum Heraldum, virum clarissimum, & negotium Lotharingicum nostrum ipsi commendassem. Salutate ipsum & uxorem amantissimè verbis meis. Ego priusquam Regem convenero, ad amicos non scribam. Iterum valete. 1610.

Epistola DCXCII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

FElicitatem itineris mei terrestris, & periculum in mari ex uxoris meæ sermonibus puto te cognovisse, Præses illustrissime: fuit sanè & illa magna, & hoc maximum. Per horas quatuor & viginti inter Caletum & Doveram, sive ea Dovoernia est, sumus jactati; & quamvis naufragium planè non fecimus, (Deus enim adfuit, qui nos servavit) navem tamen ad extremum ex parte saltem fregimus. Equidem licet domi sedens universâ hac molestiâ poteram carere, quia tamen Regis tanti conspectu, tam diu mihi optato, aliter frui non poteram, haut muto factum; neque me consilii pœnitet. Vidi enim tandem & præsens veneratus sum Serenissimum καὶ γαληνότατον ὄντως Regem illum, cujus de laudibus quicquid dixero, minus erit. Est ita comparatum naturâ, ut de magnis Principibus multa fingat fama, & si quæ illis insunt bona, veris falsa affingens in majus extollat: ego verò Magnæ Britanniæ Regem ut veni, ut vidi, & de rebus diversis disserentem audivi, majorem famâ suâ inveni, & quotidie magis magisque invenio. Crede mihi, amplissime Thuane, nihil hodie sol videt hoc Principe humanius, nihil benignius, nihil literarum & omnis virtutis amantius. Adde eruditionem, quæ vel in privato homine ad veræ laudis adeptionem poterat sufficere; in Rege autem tanto, hisce præsertim temporibus, magni, si quid judico, instar miraculi queat censeri. Quid nunc commemorem ingens illud studium veri in omni re, & amorem omnium, qui eodem studio ducuntur? Quæ quidem res ita tibi, Præses illustrissime, Principem φιλαληθέστατον conciliavit, ut nulla de re mecum sit frequentius adhuc locutus quàm de te & tuis Historiis; de quibus si pari candore Romanenses judicarent, nihil opus fuisset aureo illo carmine ad castigandam malorum Aristarchorum censuram. At Rex te amat, te unum in eo genere scriptionis probat, & solum regnare cum paucis Veterum affirmat. Quid multa? audivi non semel dicentem, multis se Thuanum anteponere Tacitis: nam quod

1610. quod scire te volo, de Tacito non aliter sentit Rex prudentissimus, quàm ut anno pronuntiavimus in Præfatione Polybiana. Itaque triumpho gaudio, & mihi jam aliquid in literis videre videor, qui in judiciosissimi Regis sententiam mihi ignotam casu inciderim. Omitto de ingenio, memoria, & singulari facundia, etiam in sermone Gallico, plura commemorare. At pietatem & incredibilem quandam propensionem ad consilia pacis & concordiæ, nequeo prætermittere. Sanctè affirmo tibi, cætera ferè omnia, quæ agit, ut aut loquitur, instar παρέργων illi esse, quum hoc unum ἔργον assiduè animo volvat, ut, si quâ ratione potest, dissidia pro sua virili minuat, & publicæ tranquillitati consulat. Non is est Rex serenissimus, qui nihil nisi quod inter suos sit receptum usu, rectum putet. Scit ille, & sæpissimè profitetur, unicam ad conciliationem patere viam, si positis affectionibus, fides asseratur antiqua, & in hoc omnes seriò consentiant; id esse verissimum, quod certò constiterit esse antiquissimum, & fuisse à principio. Quod autem aliquis existimet, Regem acerbitate aut furore potius eorum, qui adversus ipsum scripserunt irritatum, à concordiæ consiliis factum esse alieniorem, id verò longè secus est: quippe animi Princeps maximi, malevolorum convitia, quum ad se nihil pertinere existimet, ne attendit quidem, qui si existimaret, furiosorum hominum habendam sibi esse rationem, facilè obtineret, ut malo suo tandem docti, scirent longas Regum esse manus; nimirum eos esse væsanos, qui conviciis Principem appetunt, tot legionibus, tot classibus instructum. Enimverò Cardinalis Bellarminus, & quicunque illud argumentum pari protervitate urgent tractantque, quid aliud agunt, nisi ut Princeps benignissimus patientiam tandem rumpat, & suæ Majestatis atque adeò omnium Regum ac Principum juratissimos hostes, quique cum ipsis sentiunt, flammâ ac ferro persequatur. Afferuntur mihi quotidie in hoc loco nova scripta, Romæ, ut plurimùm, edita, quibus Majestas Regum infandum in modum pedibus calcatur. In his nuper fuit liber Cardinalis Bellarmini adversus Barclaium; quem toto animo boni in his regionibus viri sunt abominati. Ego nondum legi; sed non dubito, quin sit planè ὃ πατρὸς τὸ παιδίον. Verùm de his aliàs. Quod superest, Deum veneror, ut te, Præses illustrissime, & nobilissimam conjugem, cum liberis vestris servet, magisque ac magis in dies beet. Vale, & me ama, ac plura de me proximis 1610. literis exspecta. *Londini, a. d.* XV. *Kalend. Decemb.* CIϽ IϽ CX.

Scripseram has literas, cùm Legatus Christianissimi Regis ad me venit, & dixit, Serenissimum Regem sibi mandasse, atque adeò se orasse, ut apud Augustissimam Reginam veniam mihi impetraret manendi in Anglia saltem ad tempus. Scito, illustrissime Præses, nullâ meâ τέχνῃ hoc esse factum, nullâ arte: nam equidem mecum de ea re agentibus respondi, me in potestate Reginæ & esse, & semper futurum: itaque illa statuet, illa jubebit, ego parebo. Puto equidem si ad Dominum Sully res referatur, actum transactum esse negotium. Exspectabo, quid divina providentia de me statuerit; cui me totum permitto. Hodie Rex optimus me jussit suam benevolentiam tibi testari, & se missurum ad te rerum ad se pertinentium ὑπομνήματα. Deus te servet. Vale.

EPISTOLA DCXCIII.

JOANNI CASAUBONO, FILIO.

Filli, vestras post meum discessum li- 1610. teras à te accepi: eæ quum per mihi placuissent, sperabam officio scribendi te diligenter functurum; sed falsus sum, & vehementer quidem. Quæso te, quid accidit, cur officio deesses tuo? nam ipse quanto literarum desiderio tenear, non nescis; quum præsertim matrem tuam reliquerim ægrotantem. Scito igitur, mirè hîc anxium me vivere, vestrâ culpâ: nam Dominus Gentilis quotidie huc ad sororem dat literas: itaque crucior animi; & quid dicam, nescio. Ego apud Regem sum, qui me, si fas dicere, in deliciis habet; qui omnia prolixè pollicetur; qui primum advenienti duplum stipendium obtulit ejus, quod habeo Lutetiæ; cum certa spe fore, ut liberalitatem ejus sæpe experiar: non enim leviter illi cordi sumus; utut homines amici traducere me apud ejus Majestatem sint conati longâ historiâ, neque nunc narrandâ. Spero ἐν Κυρίῳ fore, ut omnes calumnias vincat integritas mea: sed tu occasionem illis maximè dedisti. Scit Rex, quod est à te factum *; sciebat ὁ μακαρίτης Archiepiscopus †, in cujus obitu parentem alterum amisi: de his, ut spero, aliàs. Volo legas Epistolam ad matrem à me scriptam, ut scias, quo loco res sint meæ: interest enim mea, ut rei veritatem omnes intelligant, ut de mea fide

* *Scilicet quòd ad Pontificiam Religionem transierat.*

† *Cantuariensis, qui diem obiit supremum, Eid. Novemb. 1610.*

1610. fide erga regiam Majestatem constet; nam scito, meis studiis longè alia parta hic esse præmia quàm hactenus sim nactus. Adi Dominum Cardinalem Perronium, ad quem scripsi; &, quæ legeris in Epistola ad matrem, * illi. Ego hoc unum laboro, ut simplicitas animi mei non sit obscura: nam pertinet hoc ad existimationem fidemque meam, & præterea mihi ac liberis meis volo esse consultum. Adi etiam ad clarissimum virum, Dominum † Fabrum, & officiosissimè illum verbis meis saluta. Fac pendeant tibi studia ex ejus consiliis. Frontoni Ducæo significabis, nondum me Savilium vidisse; sed chartam ipsius pridem ad illum esse missam. Pietatem erga Deum, studium virtutis & literarum, fili, tibi commendo. Fratres Puteanos, Magnum, & alios mihi notos saluta. Vale. *Londini, a. d.* XV. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CX.

* *Forte deest* dic, *vel* nuncia, *aut simile verbum.*

† *Nicolaum.*

EPISTOLA DCXCIV.

PETRO JUNIO.

1610. QUando in Angliam veni, nobilissime Juni, habui nihil antiquius secundùm officium erga Regem serenissimum, quàm ut te inviserem è vestigio, & meum erga te amorem summum atque reverentiam coram probarem. Vivit enim in animo meo atque uxoris, suavissima recordatio nominis Scrimgeri, avunculi tui, & ejus affinitatis, quæ viros præstantissimos τὰς πάλαι μακαρίτας, Scrimgerum & Stephanum, olim inter se conjunxit. Itaque per mihi molestum accidit, quòd in ea potissimùm tempora incidit meus in hoc Regnum adventus, quibus tu, Vir clarissime, hinc aberas. Mollierunt tamen meum istud tui desiderium filii quatuor, quos hic habes, qui me omnes salutarunt, & pro sua humanitate officia sua mihi non solùm obtulerunt, verùm etiam detulerunt. Ab illis accepi, non ante primum ver te huc fore rediturum; quo tempore an hic sim futurus quum ignorem, faciendum duxi, ut cupiditatem tui videndi, quâ dudum sum incensus, literis saltem meis tibi significarem, oraremque te etiam & etiam, ut me, in tuorum numerum multò antè (spero) receptum, amare porro pergas, tuique vivere studiosissimum, ac læta omnia tibi à Deo optare ac tuis, constanter credas. Ego, ubi sim futurus, te amare, & summâ observantiâ colere nunquam desinam. Vale. *Londini, a. d.* VI. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CX.

EPISTOLA DCXCV.

JACOBO, MAGNÆ BRITANNIÆ, SCOTIÆ, &c. REGI.

Serenissime, potentissime REX,

ACcepi hodie literas è Gallia, jussu Reginæ ad me scriptas, planè quales optabam. Fit enim mihi potestas Tuo in Regno manendi, & serenissimæ Majestati Tuæ inserviendi; quin hoc Regina prudentissima voluit additum, eò me sibi fore in posterum acceptiorem, quò diligentius id operam dedero, ut meum humile servitium charo suo fratri, (sic enim est scriptum) gratum accidat. O salve igitur, mi Rex, mi Mæcenas, mi Here! Patietur enim, spero, immensa illa clementia, bonitasque Tua, ut ego jam Majestatem Tuam non ut advena & peregrinus salutem; sed verò, ut αὐτοχθὼν subditus, & servus domesticus. Et fui certè jam à multis annis totâ voluntate servus tuus, Tuæ Majestati devotissimus. Enimverò, Domine, quas ego Deo Opt. Max. gratias agam, nescio; qui meum inenarrabilem luctum ob cædem nefandam prioris Mæcenatis mei, gloriosissimæ memoriæ Principis, sic dignatus est solari, ut spe, atque adeò votis meis major felicitas mihi jam obtigerit. Meæ nunc sunt partes, in eam curam dies noctesque incumbere, ut ejus otii, quod beneficio Majestatis Tuæ me spero consecuturum, eidem possim rationem reddere; quod præstare, ac ne conari quidem potero, quandiu meâ carebo Bibliothecâ; oro supplex Majestatem Tuam, ut de futuro meo statu semel velit statuere. Gestit enim mihi dudum animus, effectum jampridem opus, & longis vigiliis elaboratum, primo quidem die publicare; futurum, propitio Numine, Tuæ singularis erga me benignitatis & liberalitatis apud omnes Europæ Nationes, absit verbo invidia, vocalem præconem. Promisit mihi amplissimæ dignitatis vir, Thomas Laec, tempora se Majestatis Tuæ capturum, ut cùm fuerit opportunum, memoriam mei illi refricet; qua etiam de re cum reverendissimo Episcopo Bathoniensi ‡ per literas egi. Utinam hoc tribuat mihi clementia Tua, Domine, ut postquam fuero in Musæum meum abditus, per alterum horum mea desideria Tuæ Majestati exponere mihi liceat! non enim convenit humilitati meæ, ad tantum Regem aliter quàm per interpretem, accedere. De aureolo opere præstantissimi viri, Episcopi Eliensis, quid mei

‡ *Montacuto.*

1610. mei sit judicii, jam antè significavi. Nunc in iis versamur, quæ à serenissima Tua Majestate sunt profecta; laudatione, & approbatione omnium, non cujusquam censurâ, dignissima. Una est generalis quædam observatio, non magis mea, quàm doctissimi viri, Decani Paulini; de quâ melius coram; aut si jussus fuero, aliâ Epistolâ. Veneror supplice voto Deum immortalem, ut spiritu suo verè ἡγεμονικῷ Tuæ Majestatis consilia semper dirigat, omni suarum maximarum benedictionum genere magis magisque indies beet, mihique benevolentiam servet, det mereri. Γένοιτο, γένοιτο. *Londini, pridie Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CX.

Tuæ serenissimæ Majestatis humillimus Servus, devotissimus Cultor,

IS. CASAUBONUS.

Inscriptio.

Serenissimo, potentissimo REGI,
JACOBO,
Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Irlandiæ Monarchæ, &c.

EPISTOLA DCXCVI.

✠ JACOBO MONTACUTO.

Reverendissime Domine,

1610. TAndem advenerunt è Gallia literæ, & quidem planè ex animi mei sententia. Nam sine metu offensæ, imò cum spe gratiæ apud Reginam fit mihi potestas, Regi serenissimo serviendi. Quare inter fidelissimos Regiæ Majestatis subditos & servos me quoque jam licet numeres. Det mihi Dominus Jesus, ut quantum ex ea re gaudii jam ipse capio, tantum adsit virium, ut sincerum studium meum Regi primò, deinde omnibus bonis possim probare. Est certè animus non cessare, neque labori parcere, ut officio meo ne possim videri defuisse. Vide verò, reverendissime Domine, quantum mihi sit fiduciæ in tua benevolentia: ausus enim sum rogare serenissimum Regem, ut vel te, vel Domino Laec interprete mihi uti liceret apud ipsius Majestatem, si quid mihi eâ conventâ fuerit opus. Nam ubi semel in Musæum me abdidero, in Aulam nisi jussus non veniam; neque enim temerè tanti Principis curas ausim interpellare. Nunc te oro, ut de meo futuro statu, quæ intellexeris ex ore serenissimi Regis, mihi significes. Cupio enim familiam quàm primùm accersere, aut saltem Bibliothecam, quâ vix possum diutius carere. An mentio de viatico apud aures Regiæ Majestatis sit facienda, tui judicii facio; nolo enim ullâ re esse molestus. Vale, & festinationem meam boni consule. *Londini, pridie Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CX. raptim. 1610.

Tuæ Dignitatis & Reverentiæ Cultor sincerus, & θεράπων,

IS. CASAUBONUS.

Inscriptio.

Reverendissimo Viro, Domino,
JACOBO MONTACUTO,
Episcopo Bathoniensi & Wellensi.
IN AULAM.

EPISTOLA DCXCVII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

ETsi magnitudo mihi nota est tuarum 1610.
occupationum, Præses illustrissime, non possum tamen abstinere, quin vel uno verbo (quod ajunt) te compellem. De meo huc adventu scripsi pluribus nuper, & de summo Principis maximi amore erga te. Me verò Rex, literarum amantissimus, eâ benevolentiâ est complexus, ut suos mihi portus ad reditum neget patere. Ego sanctè affirmo tibi, Præses amplissime, quoties mentio mihi facta est de mansione in his locis, non aliud respondisse me, nisi hoc unum, in potestate Reginæ esse me; facturum quicquid illa jusserit. Scriptum igitur ad Reginam super eo negotio; & ita scriptum, sicut audio, facilè ut appareat, Regem hoc valde cupere. Exspecto responsum illud, ex quo mearum fortunarum pendet ratio. Deo interim me & omnia mea permitto. Postquam erit certum, quid me sit futurum, spero isthuc me mox rediturum: tum colloquio tuo fruar, Præses illustrissime, à tua consuetudine nunquam sine gemitu divellendus. Oro interim Deum Opt. Max. ut te, cum nobilissima conjuge, & luminibus vestris, omni bonorum genere cumulet. Γένοιτο, γένοιτο. Vale. *Londini, Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CX.

Dabis mihi, si placet, hanc veniam, ut virum clarissimum, Nicolaum Fabrum, Puteanos fratres, & Rigaltium tuos hic salvere jubere mihi liceat.

EPISTOLA DCXCVIII.

RICHARDO MONTACUTO. ✠

CUm mihi est nuntiatum, serenissi- 1610.
mi Regis Majestatem Urbe esse profectam, neque ante Natalem Domi-

1610 ni redituram, dolui non fuisse me prius facultatem nactum ipsius conveniendæ. Jussus enim fueram legere, quæ à viro præstantissimo, D. Eliensi, adversus Bellarminum sunt scripta, ut quid mihi de ea scriptione videretur, serenissimæ Majestati exponerem. Ego verò & adfui D. Eliensi, sua legenti D. Decano, hospiti meo doctissimo, mihique; & posteà domum allatas easdem chartas legi ipse, & quantâ maximâ poteram attentione singula expendi. Ac licet non ita insaniam, ut de tanti viri scriptis judicare me posse existimem; quia tamen jussus eram, optavi sententiam meam apud sapientissimi καὶ εὐσεβεστάτου Regis Majestatem exponere. Cujus voti quoniam facultas non contigit, ad te, Vir reverendissime; ut per te, nisi grave est, Rex cognoscat, me, quod fueram jussus, incredibili quadam cum voluptate animi partim esse executum, partim quotidie exequi. Legi enim, & lego quotidie opus, in quo pietas sincera cum eruditione varia, & suavissima quadam elegantia sic certant, ut quid prius laudes, aut mireris, non facilè scias. Miserum verò Cardinalem, qui in hac effœta sua ætate Antagonistam sortitus sit, ingenii copiâ, doctrinâ exquisitâ, & dicendi facultate cùm maximè florentem, & omnibus planè rebus ad hujusmodi certamen necessariis longè superiorem. Quod si quid pudoris in fronte Cardinalis salvi superest, non puto ipsum cum hoc adversario in arenam unquam descensurum; certè enim impar congressus Achilli. Sciat verò per te, obsecro, Regia Majestas, ita me in hoc negotio esse versatum, ut hominem φιλαλήθη & candidum decebat, nam qui omnia tribuam D. Eliensi, atque ipsum admirer summoperè, sic ejus legi scripta, atque omnia expendi, quasi Auctori nihil tribuerem. Quare etiam dubitationes meas, si quid fortè incidebat, de quo dubitarem, chartæ illevi, & ad ipsum retuli. Sed nihil fuit ejusmodi, in quo non inter nos conveniret; neque hoc, quia auctoritati viri tanti modestè cederem; sed quia ex animo penitùs cum illo sentio: nam & ipse cum antiquis Patribus consentit; quorum doctrinam, ubi consentire ipsos inter se video, probare & Religione quâdam me colere, adeò me non diffiteor, ut præ me feram. Utinam, reverendissime Domine, iterum utinam, qui in nostra Gallia Theologica tractant, D. Eliensem vellent imitari! Ausim affirmare, uberrimos fructus suæ moderationis eos fore percepturos: nunc utique cum bonorum omnium animi à manifesta tyrannide Romani Pontificis abalienati, defensores illius 1610. cane & angue pejus oderunt, & perditos cupiunt. O illum diem det nobis videre Dominus Jesus! Ego literas è Gallia de meo negotio cupidissimè expecto; miro flagrans desiderio serenissimæ Majestati inserviendi, si ita Deo & ipsi fuerit visum: nam post Christianissimi Regis, mei quondam Mæcenatis indulgentissimi cædem, sordet mihi patria, & ingratus est mihi ejus conspectus. Cæterùm divinæ providentiæ me & mea permitto. Vale, & me ama, qui te animo colo. *Londini, Kalend. Decemb. stylo Gregoriano*, CIↃ IↃ CX.

Tuæ Dignitatis observans,

IS. CASAUBONUS.

Qui tibi has reddidit, negotiùm isthic aliquod cupit perficere. Scio ego serenissimam maximi Regis Majestatem cupere nomini Juniano, & privatim illius πολυκλάδου arboris ramo huic. Sed tu quoque, reverendissime Domine, multum hîc quum possis, pro ea, quâ polles apud Regem, gratiâ, si quid hunc juveris, beneficium in me collatum putabo, & cæteris tuis meritis apponam.

EPISTOLA DCXCIX.

JOANNI RUTGERSIO. ✠

HEri tuas accepi, Dordrechti IV. 1610. Novemb. scriptas. Etsi eram admodum occupatus, omnia tamen posthabui, ut pauca hæc ad te exararem. Scribis multas te ad me literas dedisse, quarum nullum tuleris responsum: at scito, idem me quoque ex parte posse dicere; nam etsi pluries non scripsi, semel tamen scripsi, neque aliquid à te posteà accepi. Misi & exemplar unum τῶν τοῦ μακαρίτου, quod an acceperis, ne nunc quidem scire possum. Nam ὁ πάνυ Heinsius delitias facit, & longâ expectatione suas Epistolas mihi reddit gratiores. Quanquam nescio, an post meum ex urbe Lutetia discessum aliquæ à vobis literæ ad meos sint perlatæ. Jam hic tertius incipit mensis, ex quo ab uxore, ab liberis discessi, ut Regnum hoc, imò Regem hunc inviserem. Habui ejus consilii caussas gravissimas, quibus explicandis nunc supersedeo. Erat animus, mox in patriam reverti, qui aliter à Regina veniam impetrare non potueram, quàm de reditu fidem meam adstringendo. Sed me Rex serenissimus, sapientissimus, & quod super omnia est, εὐσε-

βέστα-

1610. βίαιος, eâ benevolentiâ, statim ut vidit, est complexus, ut repentè negaret, suos mihi portus patere. Optare se, ut hîc manerem, beneficiis ipsius non vulgaribus fruiturus. Quid multa? Ita permovit me tanti Principis tanta benignitas, ut sine cunctatione me totum illi dederim; cum hoc tamen, si bonâ gratiâ Reginæ meæ fieri id possit, id ipse curaret, de meo animo securus. Dictum, factum. Per duos Legatos, suum & Regis Francici, id suscepit Rex serenissimus se confecturum. Ego me divinæ providentiæ totum permitto; facturus, quod honestas & fides postulaverint. Nam ut Christianissimi Regis & augustissimæ Reginæ offensionem suscipiam, neque consultum est, neque vel Attalicis conditionibus adducerer, ut facerem. Sin autem bonâ eorum gratiâ libertatem possum consequi de meis rebus statuendi, ilicet, mi Rutgersi, Anglus sum, vicinus tuus sum: nam patria, etsi multis nominibus charissima, post maximi Regis, Mæcenatis mei indulgentissimi, cædem, ingrata atque invisa mihi est reddita. Non enim possum pati conspectum eorum, quorum doctrina Principem admirabilem terris eripuit. Oro obtestorque Dominum Jesum, ut auctores parricidii pessimos pessimè perdat, & nomen eorum velit delere atque ἄϊστον. Γένοιτο, γένοιτο. Habes de præsente meo statu, quem amicis, quos isthîc habere me scis, velim significes: nam mihi jam occupatissimo scribere non vacat; scripturus, σὺν Θεῷ, ubi erit aliquid certi. Redeo ad tuas literas. Ἐφήμερον βροντοσκοπίαν, quam nactus es, an ipse legerim, non scio: legi certè ejus argumenti non pauca. Variarum Lectionum librum esse à te editum, & me nondum illum perlegisse, hoc verò non sine indignatione ferre possum: nam aviditate discendi, & cupiditate omnium, quæ à te proficiscuntur, nemini mortalium facilè concessero. Si est liber ille in hac urbe, dies non præteribit, quin situm meam expleam. De mendis posthumi operis noli mihi esse, obsecro te, molestus. Scio quid sit, & doleo; sed aliud nihil potui. Vos docti, agite; & quod peccatum est, corrigite. Quicquid in me erit, symbolam paratus sum conferre. Nunc longè à Bibliotheca mea positus, longè ab amicis Parisiensibus, nihil possum. Videro quid me * Deus Opt. Max. fieri volet. Jam enim miserè animi pendeo, non mediocriter de futuro meo statu sollicitus. Sed hæc proximis spero literis διὰ πλειόνων. Scripsi raptim. *Londini*, *a. d.* v. *Eidus Decemb. stylo Juliano*, CIↃ IↃ CX.

* *An mihi.*

Filius meus, cujus mentionem facis, 1610.
non hîc est, neque meorum quisquam. Cupio illum recipi à te in tuorum numerum, & quis scit, an simul patrem & filium visurus sis, ex Anglia ad vos animi causâ profectos. Det modò ὁ ἐπὶ πᾶσι vitam & otium, ac mare pacatum, quod me inter Caletum & Dubrim penè submersit. Horas viginti & quatuor sumus jactati; navem ex parte fregimus; sed adfuit Christus.

Inscriptio.

Doctissimo ornatissimoque Viro,
JOANNI RUTGERSIO, J.D.
Amico optimo, & plurimùm colendo.

DORDRECHTUM.

EPISTOLA DCC.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

ILlustrissime Domine, quid responsum 1610.
sit à Regina ad petitionem Regis Magnæ Britanniæ, non te, credo, latet *. Manebo hîc, volente ejus Majestate, quamdiu eadem ipsi manebit sententia. Nam si exoriatur occasio, cur mea opera isthic desideretur, simulac augustissimæ Reginæ jussu id mihi fuerit significatum, fidem, quam discedens dedi, Θεῷ δίδοται, præstabo, & me subditum fidelem, veracemque, & patriæ amantem civem probabo. Utinam verò ea deinceps tempora existant, ut de promovendis literarum studiis tibi, Præses amplissime, & illustrissimo Cardinali Perronio liceat cogitare! Quod si futurum est, vestris ego votis pro mea virili conabor respondere. Interim quo loco meæ isthîc fortunæ sint futuræ, in tua & ejusdem Præsulis præstantissimi manu est. Audio Reginam jussisse, ut regiâ liberalitate etiam absens fruar. De Bibliotheca quid sit tantisper faciendum, vos statuite. Ego illam hactenus fide integerrimâ curavi, neque quum huc veni, vel literulam inde abstuli. Certus sum, Isaacum Chabanæum, meum ἀδελφιδοῦν, postquam ego sum profectus, pari fide esse usum. At in restituendis tibi libris, quos è Bibliotheca tua habui, memoriâ me lapsum scio, & quosdam reliquisse inter meos, quos jussi inquiri, & tibi reddi. Amo equidem libros, ut si quis alius; sed magis fidei & integritatis opinionem. Deum veneror, Præses amplissime, ut te servet. Vale. *Londini*, *a. d.* v. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CXI.

* *Responsum Reginæ accepit Casaubonus. a. d. iv. Kalend. Decemb.*

Scripsi

1610. Scripsi nuper, quo in te esset affectu Rex hic optimus, & bonorum amantissimus.

Epistola DCCI.

EIDEM.

1610. ILlustrissime Vir, rediens ex Aula didici à D. * Legato discedere certum hominem, qui meas ad te esset tutò laturus: scripsi igitur raptim hæc pauca, ut scires, paucis diebus ternas me ad te dedisse. Animi mei τὸ ἀμήχανον ex iis intellexisti. Neque facilè dicere possim, quæ suspiria quotidie edam, dum cogito perire mihi omne tempus, quod scis esse πολυτελέστατον ἀνάλωμα, & cujus unius est honesta avaritia. Ego verò annum integrum libris careo, & aulam sequor, hoc est, nugas ago. Misit quidem uxor chartas meas; sed plerasque adhuc desidero; & si omnes haberem, quid illæ mihi sine libris meis prodessent? Omnino aut revocate me seriò, aut permittite libros afferri*, ne malè tempus omne perdens malè peream. Uxorem in itinere esse, conjecturâ quâdam adducor ut credam. Utinam ita sit! utinam Dominus Jesus fortunas meas ex hoc salo recipiat tandem in aliquem tranquillitatis portum! alioquin φροῦδα sunt mea omnia incepta. Rex spem facit mittendi, quæ exspectas brevi. Oro supremum Numen, ut te servet, Vir amplissime. Vale. In ipso discessu tabellarii, qui literas Domini Legati tibi reddidit. *Londini... Januar.* CIƆ IƆ CXI.

* Bandertiano.

Epistola DCCII.

EIDEM.

1610. ILlustrissime Domine, novissimæ tuarum necessitatem mihi imponunt meis de rebus agendi tecum pluribus verbis. Jubes enim, ut semel tibi significem, de reditu in patriam quid constitutum habeam. Utinam, Præses amplissime, ea esset temporum conditio, ut à voluntate mea deliberatio illa penderet! Non hærerem animi dubius οὐδ' ἀκαρῆ τινα χρόνον, qui nunc in quo acquiescam, vix certi aliquid invenio, ne tùm quidem, cùm diu multùmque apud me ea de re cogitavi. Hoc primùm scire te, & firmiter credere cupio, τὴν φυσικὴν στοργὴν τῆς πατρίδος ἐν τῇ ἐμῇ ψυχῇ ἐνιζάνειν ὡς σφοδροτάτην. Nam quod dici solet, Sapienti omnem terram esse patriam, id nihil utique ad me pertinet, qui à sapientia absum quàm longissimè; neque tanto animi robore sum præditus, ut exilii, quamvis ἑκουσίου, mala sine 1610. aliquo doloris sensu possim perferre. Fateor, Serenissimi Regis singularem benignitatem, quam hactenus mihi constanter præstitit, patriæ desiderium non parum mihi lenire. Verùm ego non adeò mei in hac deliberatione rationem habendam puto, ac conjugis, liberorum, studiorum denique meorum. Uxori aër inclementior, linguæ imperitia, & non parum diversa ratio administrandæ familiæ, stimulorum instar sunt, qui oblivisci patriæ ei non permittunt. Filii ætate maximi respectus parentem utrumque impellit persæpe, ut isthîc mallemus esse, quò illum consiliis rectis in hoc flexu ætatis juvaremus. Duo alii, qui hîc sunt, institui in literis, σὺν Θεῷ, facilè hîc possunt; sed cui bono? Medicina hîc non sanè viget: Jurisprudentia illa vetus & vera planè jacet, vix de nomine paucis nota: denique literis hîc solis Theologicis præmia sunt posita; ad quæ peregrini, & ii quidem Galli, vix possunt aspirare, ac ne vix quidem. De studiis verò meis quid opus est verba faciam? neque enim ipse ignoras, id omne, quod hactenus elaboratum nobis fuit ad publicam utilitatem studiosorum, ἁπαξαπλῶς periisse: de iis loquor vigiliis nostris, quæ ad literas illas pertinent, in quibus aliquid nos posse multi existimant, tuque in his, amplissime & doctissime Præses. Hîc omnis mea industria, omnes vigiliæ in eo solo occupantur, ut Regis voluntati satis faciamus. Quum igitur maximi hujus Regis mens tota in hodiernis de Religione controversiis occupetur, nos quoque τοὺς ἀμφ' αὐτὸν in iisdem studiis esse oportet, easdem curas suscipere. Quod etsi eò libentius facio, quia ingravescens hæc ætas & parum firma valetudo dies noctesque me admonent, ut de vera pietate ac futura vita seriò cogitem; non possum tamen sine cruciatu animi tot inchoatos labores sinere ἡμιτελέστους nunquam perficiendos. Accedit illud, quod tibi uni dictum cupio; τοῖς ἄλλοις ἅπασιν εὔφημα κείσθω, in tanta animorum distractione, & opinionum super Religionis rebus varietate tam multiplici, ægrè facere me, ut me istis controversiis immisceam; idque multis de caussis minimè nunc commemorandis. Habes, Vir illustrissime, rationes breviter expositas, quæ mihi reditum in patriam præcipuè suadent: sed me ab hac voluntate longè aliquando rationes aliæ revocant, quas ut nunc enumerare longum esset, σὺν Θεῷ, pluribus tecum acturo. Ut paucis absolvam, summa consiliorum meorum est, quietem & necess-

1610. necessaria ad vitam præsidia optare me, ut quod supererit vitæ, studiis possim impendere, & de eorum studiosis pro virili benè mereri. Hoc posse me isthic melius, rebus pacatis & tranquillis, certum est: καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Quod superest, te, Præses amplissime, consilium peto atque opem; quid mihi studiisque meis sit optabilius, non erit tibi difficile statuere hoc usu rerum viro, & πρόσσω καὶ ὀπίσσω ὁρῶντι. Da igitur hoc mihi, veteri tuo clienti, ut expendere rationes dubitandi meas digneris, & ad extremum pronuntiare τὴν ἀρέσκουσαν. Mihi id videbitur optimum & tutissimum, quod tibi fuerit probatum. Quare in hoc negotio à tuo judicio posthàc pendebo. Epistolam ad τὸν πάνυ Cardinalem nuper jussu Regis misi ipsi: illud unum exemplar adhuc è manibus meis exiit, nisi quod Rex alterum describi curavit, & ad Legatum suum mitti. Optavi unum ad te; sed non ausus sum, ne animum τοῦ πάνυ Καρδ. offenderem, qui fortassè copiam sui tibi faciet, si putas esse tanti. Mihi ejus scripti causâ sexies minimùm fuit petenda Aula, unde nuper sum reversus οὐ καλῶς ἔχων. Primo simplicior erat manus; sed posteà multa sunt adjecta. Utinam non planè sit inutilis Ecclesiæ Dei hic serenissimi Regis labor! Plura de id genus rebus olim, si Deus voluerit, coram. Duo tantùm breviter dicam; si quis putat, Magnæ Britanniæ Regem in ejus generis scriptis alienâ industriâ opus habere, fallitur: ipse harum controversiarum peritissimus est, & in Sacris Literis versatissimus. Etiam illi falluntur, qui scissuræ hujus causas aliundè repetunt, quàm ex horribili depravatione omnium ferè rerum ante Reformationem institutam. Quæ si non probatur, age, melior instituatur. De opinionibus recentiorum οἱ εἰρηνικοὶ non contendent. Concedatur modò, Reformatione esse opus, atque illa præstetur. Qui hac viâ omissâ eò vires ingenii conferunt, ut quicquid fit hodie, defendant, & cavillis tanquam præstigiis oculorum usum hominibus eripiant, ii frustra laborant, & tandem experientur, quod Polybius ait, μεγίστην Θεὸν εἶναι τὴν ἀλήθειαν. Equidem dum attentius lego id genus scripta, hoc assequor, non ut doctior ab eorum lectione discedam, sed ut peritior fraudum stupendarum, quibus illi utuntur, ut simplicium animos à veritatis notitia quàm longissimè arceant. Vale, Vir illustrissime, & me ama. *Londini, pridie Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CXI.

EPISTOLA DCCIII.

DANIELI HEINSIO.

Sextus, opinor, mensis est, ex quo nihil à te literarum accepi, Vir clarissime atque amicissime. Ego verò & priusquam Lutetiâ proficiscerer, semel atque iterum ad te scripsi, & nuper cùm Rutgersio nostro rescriberem, ut meum apud te silentium excusaret, rogavi. Misi etiam ad te exemplaria aliquot τῶν τοῦ μακαρίτου *, quæ Parisiis sunt edita. Et hæc & Epistolas meas an acceperis, nescio; equidem nihil prorsus literarum à te accepi ab illo tempore, quo amplissimus vir, Mylius, Legatus in Galliam venit. Te oro, nolis veteres amicos despicere; eos præsertim, quos negligere non potes, ut manes magni Scaligeri non lædas. De meo in hanc μακάρων νῆσον adventu ex aliorum sermonibus, puto, audivisti. Veneram cupidus Regis videndi, quem dudum admirabar. Ille pro sua incredibili humanitate, ut me semel est nactus, dimittere noluit. Quum dicerem, in potestate Reginæ me esse, statim apud illam egit Rex maximus, ut per Heram meam liceret mihi hic manere, quamdiu ipsi libitum fuerit. Ex eo in Anglia sum, ubi fruor duplici solatio: nam & conspectu scelestissimorum ἀλαστόρων & parricidarum non crucior, & cùm Regis benignitatem, tùm doctissimorum virorum eam experior humanitatem, ut videar etiam patriæ posse aliquando oblivisci, licet Thuani magni, & quorundam aliorum desiderium vix feram. Etiam illud solatio mihi est, quòd in hoc Regno speciem agnosco veteris Ecclesiæ, quam ex Patrum scriptis didici. Adde, quòd Episcopis ὁσημέραι συνδιάγω, doctissimis, sapientissimis, εὐσεβεστάτοις, & quod mihi novum est, priscæ Ecclesiæ amantissimis. Satis vel in hac una re fuerit momenti ad dolorem exilii spontanei leniendum, mihi quidem; nam eorum judicia, quibus in Religione nihil sapit nisi novum, nihil moror. Verùm hæc ὁδοῦ πάρεργα. Vale, amicissime Heinsi, & τὸν σὸν ἑταῖρον ἐλέαιρε, qui quartum agit mensem procul à Bibliotheca. *Londini, a. d. VI. Eid. Januar. stylo Liliano*, CIↃ IↃ CXI. 1611.

* *Josephi Scaligeri.*

EPISTOLA DCCIV.

JANO RUTGERSIO. ✠

Cum tuas accepi, die XXVI. Decembris scriptas, Vir eximie, quò minus 1611.

1611. nus ſtatim reſponderem, juſtam habui cauſſam; quod eæ mihi ſunt redditæ proficiſcenti ad ſereniſſimum Regem, procul Londino tunc agentem. Erat verò animus mihi, ſimul ac ex illo itinere eſſem reverſus, ſuaviſſimam Epiſtolam tuam ſtatim in manus ſumere, & ſine mora reſponſum exarare. Sed non te latet, quàm ſit ἀπροαίρετος vita aulica, & ſuſceptis conſiliis ſæpe contraria. Mihi profectò contigit, ex quo in hanc nobilem Inſulam veni, ut vix ullum temerè diem otioſus duxerim. Ignoſce igitur, quòd ſerius exſpectatione fortaſſe tuâ reſpondeam; & certus eſto, Epiſtolâ illâ tuâ nihil potuiſſe mihi gratius, nihil ſuavius contingere; eò quidem magis, quia videbantur omnes mei iſthic amici omnem mei poſuiſſe memoriam: mirum enim omnium ſilentium à menſibus quàm plurimis. Poſteà à Dominico Baudio, viro clariſſimo, Epiſtolam accepi; ſed à præſtantiſſimo Heinſio nihil ne nunc quidem; quum tamen etiam poſt meum huc adventum ipſe ad eum literas dederim, quas confido probè fuiſſe curatas. Tu verò perge, optime & doctiſſime Rutgerſi, literis me beare tuis: ego ſedulò operam dabo, ne officium in ea parte meum poſſis deſiderare. Quod ſcribis, opinari te, Reginam ſapientiſſimam Regi ſereniſſimo hanc χάριν non denegaturam, ut hic mihi cum bona ipſius gratia manere liceat; næ tu ἔτυχες οὐκ ἤμβροτες, & μάντιν ἄριστον te probaſti. Ego vix putabam futurum, memor eorum ſermonum, quos Regina auguſtiſſima mecum diſcedente habuit. Sed quum urgeretur quà literis Legati ſui, quem hic habet; quà verbis Legati Angli, qui agit Lutetiæ, noluit conjunctiſſimo & potentiſſimo Principi aliquid videri denegaſſe, quod in ſua poſitum eſſet poteſtate. Sed ſcito, neque Regni Cancellarium, neque Præſidem Thuanum, neque alios ejus Aulæ illuſtriſſimos Proceres in conſilium fuiſſe adhibitos; qui mox re cognitâ, indigniſſimè tulerunt, quod factum erat, & ad tempus mihi datam eſſe veniam ſignificarunt. Atque hic jam eſt meus ſtatus, quem velle cognoſcere te ais. Ego neque prædicandi benignitatem & alias excellentes virtutes hujus ſummi Principis finem unquam ſum facturus; neque porro oblivisci patriæ ſuaviſſimæ & mei amantiſſimæ facilè poſſum, qui præſertim negotia habeam gravia illic curanda. Accedit linguæ difficultas, quam etſi minimo labore videor poſſe diſcere, ut libros Anglicè ſcriptos intelligam; loquentes tamen poſſe me intelligere, niſi longo uſu, vix ſpero. At facultatem τοῦ Ἀγγλιστὶ λαλεῖν adepturum 1611.
me unquam deſpero; nam neque nôram ei rei operam dare, & tam grandem natu id curarum vereor ne putidum ſit, & riſu dignum. Turpis enim profectò res eſt, ſenex elementarius; nos autem, qui annum jam vitæ quinquageſimum tranſcendimus, (Dei ſit gratia) alia æquum eſt curare. Poſſum hoc negligere incommodum; ſed an uxor hanc moleſtiam æquo animo ſit latura, id ego neſcio. Eſt verò æquiſſimum, ut potiſſimam illius rationem habeam. Exſpecto illam brevi, σὺν Θεῷ εἰπεῖν· cui aſſiduè vota facio, ut faciliorem maris tranſitum velit eam experiri, quàm mihi contigit. Cras, ſpero, me illi Doveram uſque obviam proceſſurum, ut è navi exeuntem excipiam; quod det mihi atque illi Deus Opt. Max. Habes de meis rebus uberius etiam quàm petebas. Sed fallor, aut ingratum tibi non erit, mea omnia cognoſcere: ego viciſſim τὰ περί σε κατὰ λεπτὸν doceri aveo. Varias tuas ſcito exſpectari à me incredibili cum aviditate; quæ ſi unquam in manus meas venerint, ſitim meam cupidiſſimè explebo. Opto tibi ex animi ſententia omnia contingere, ut quæ moliris in literis præclara, ad exitum perducas, & nos doctrinæ tuæ cupidos quàm primùm ſcriptorum tuorum editione bees. Βροντοσκόπιον Nigidii collatione multorum ſimilis argumenti librorum poſſem illuſtrare, ſi in veteri meo Regno (Bibliothecam dico Regis Chriſtianiſſimi) verſarer; aut ſi meos libros hîc haberem. Nam & inter regios plures non diſſimilis argumenti; & inter meos unus extat, quem ſi eſſet ad manum, tibi mitterem. Certum eſt, id genus libellos etiam Chriſtianis hominibus ante multa ſecula cœpiſſe eſſe in uſu. Matthæi Pariſienſis verba ſunt in anno Domini CIↃ CC LII. de Conſtantia puella, filia Archiepiſcopi Athenienſis. Hæc puella peſtilentias, tonitrua, eclipſin, & quod mirabilius fuit, terræ motum prædicens, omnes ſuos auditores infallibiliter præmunivit. Plura adderem, niſi omni librorum præſidio meorum deficerer. Quare etiam de Commentariis Polybianis noli meminiſſe; quando rationes priorùm meorum ſtudiorum hoc iter mirificè conturbavit, ut vix ſine ſuſpirio ejus incepti poſſim meminiſſe, quod tot vigiliis mihi conſtitit. Sed neque adeſt mea Bibliotheca, neque ea ſtudia multùm ſunt ad guſtum illius, cujus ſolius, quamdiu hîc ſum futurus, habenda mihi ratio: equidem perficiendi operis incredibili cupiditate ſum incenſus; id tamen quando futurum ſit, Θεοῦ ἐν γού-

νασι

1611. ναπ κάτωι· qui me ô utinam damnet hujus voti! idemque te servet ἄνοσον καὶ ἀπήμαντον εἰς πολλὰς κυλινδομένων ἐνιαυτῶν περιόδους. Vale, & me ama. *Londini, a. d.* III. *Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CXI. *stylo in Gallias recepto.*

Viro doctissimo atque ornatissimo,
D. JANO RUTGERSIO, J.C.
amico plurimùm colendo.
DORDRECHTUM.

EPISTOLA DCCV.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

1611. DIu est, cùm cessat inter nos mutua scriptio, præstantissime Lingelshemi; atque ego fateor, à me principium cessationis extitisse; qui acceptis à te literis de gravissimo argumento, dum occasionem capio seriò respondendi, ecce de repente nefario parricidio tollitur magnus Henricus. Me vero is casus ita perculit, ut in ejus recordatione & doloris sensu perdiu animi mentem totam habuerim occupatam. Secuta est mea in hanc nobilem Insulam profectio; cui cùm paucos menses destinassem, evenit longè aliter. Quid multa? permissu Christianissimi Regis & Reginæ matris vel penitùs, vel certè ad tempus non exiguum factus sum Anglus. Credo equidem, Θεῷ ἐπλείετο βουλή· non enim sine Numine profectò Rex serenissimus, sapientissimus, doctissimus, &, quod supra omnia est, εὐσεβέστατος suâ me benevolentiâ est complexus *. Scio, & fateor ingenuè, in me nihil esse hac illius dignum gratiâ, his beneficiis; quò magis Deo Opt. Max. omnia fero accepta; cui honos sit & gloria εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ille est, qui me Regi, qui omnibus doctis & piis gratum reddidit. Faxit idem, ut meæ in his terris moræ exstet olim monumentum ipsi gratum, bonis omnibus acceptum. Cæterùm in rebus alioquin lætissimis (φθόνος δ' ἀπίστω καὶ νέμεσις) illud me enecat, quòd à libris meis tamdiu absum; & spero quidem, illos huc allatum iri; sed multis de causis spissum hoc negotium est. Jacent igitur curæ Polybianæ, & fortasse æternùm jacebunt. Neque enim hic satis commodus ad illa studia est locus: itaque tot vigiliis exantlatum opus in magno jam periculo versatur, ne perpetuis damnetur tenebris. Hoc me angit supra modum. Fiat tamen etiam in hac re Dei voluntas. Interim ne planè stertérem, per Jesuitas est factum, qui occasionem mihi præbuerunt publicè illos brevi scripto † compellandi: id scriptum scito brevi proditurum in lucem, Θεοῦ διδόντος, atque idem statim ad te, si ullâ ratione possum. Vale. *Londini, a. d.* VII. *Kalend. Mart. stylo Liliano,* CIↃ IↃ CXI. 1611.

* Vide Georg. Michaelis Lingelshemii Epistolam ad Goldastum, n. 389. 392. & 397.

† Vide Georg. Michaelis Lingelshemii Epistol. ad Goldast. n. 397.

EPISTOLA DCCVI.

CAROLO LABBÆO.

NEque optatius mihi tuis, quarum spem facis, poterit quicquam contingere, Vir eruditissime; neque ego, qui te prior lacessivi, officio meo hac in parte unquam, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, decero. Erit suave mihi, dum procul absum à suavissima patria, missas è patria amicorum literas quàm creberrimas accipere, & hoc κατὰ δεύτερον πλοῦν solatio frui. Mihi cùm omnia in hac florentissima regione ex animi sententia, benignitate Numinis, fluant; hæret tamen animo & patriæ & amicorum, quos in patria reliqui, γλυκύπικρος quædam recordatio; non enim ferreus sum, quem hæc φυσικὴ στοργὴ non tangat. Unica est, in qua toto pectore acquiescam, divina Providentia, quæ Regis maximi animum & omnium bonorum in me inclinavit. Itaque in φίλῃ πατρίδι qui eramus τὸ μηδὲν, hic locum honestissimum obtinemus: φθόνος δ' ἀπίστω καὶ νέμεσις. Rectè mones me de fraude mihi facta in libro contra Anti-Cottonem. Atqui impunè non ferent, me vide. Exspecta à me breve scriptum, quo τὸν δεῖνα compellabo; placebit, spero, palato & tuo, & bonorum omnium, quod sum responsurus, ubi primùm ex curis nonnullis respiravero. Si me amas, integritatem meam protege. Scripseram Frontoni Ducæo sic: *Tu non dixisti; socius tuus dixit.* Priorem partem publicarunt; posteriorem dissimularunt. Hæc est fides. Sed plura brevi. Vale, & me ama, vel propter communem amicum, quem ex æquo sumus venerati. Narro tibi: Præfatio in Opuscula τοῦ μακαρίτου ita placuit Pragæ Legato Regis Hispaniarum, ut non abstinuerit statim, quin per virum eruditissimum animi sui sensum literis humanissimè scriptis declararet. Hoc præmium meæ in Scaligeri manes pietatis. Iterum vale. *Londini, a. d.* VI. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXI. 1611.

Epistola DCCVII.

✠ JACOBO AUGUSTO THUANO.

1611. QUas ad me nuper scripsisti, Præses amplissime, eas ego serenissimo potentissimoque Regi ostendi, & Majestati ipsius legendas exhibui. Cupiebam jamdudum mirificè, ex ipsis literis tuis posse Majestatem ipsius cognoscere, quo tu animo erga ipsum esses; quâ observantiâ, quâ veneratione excellentissimas ejus virtutes & literarum doctrinarumque omnium notitiam prosequeris ac coleres. Atque hoc ego, quia compertissimum exploratissimumque habebam, non dubitavi, postquam veni in hanc Aulam, quoties tui acciderat mentio, clementissimo Regi omni asseveratione confirmare, neminem hodie mortalium vivere, qui aut sentiat de ipsius Majestate magnificentius, aut ejus laudes libentius usurpet, quàm solitus sis ipse facere. Itaque tua illa Epistola, quâ hoc ipsum constantissimè asserebas, & tuis verbis serenissimæ Regis Majestati confirmari petebas, nihil ipso tempore opportunius, aut mihi gratius poterat contingere. Placuit Regi, veritatis amantissimo, tuus ille, quem iis literis abundè testaris, ejusdem veritatis amor. Placuit candor, quem profiteris, cùm scribis, te si quid malè doctus narrasti secius, ubi melius doctus fueris, mutare & corrigere paratum esse. Facis, Præses amplissime, quod te dignum est, hoc est, eo viro, qui professionem veri, cùm in cætera vita, tùm in Historia scribenda vel maximè, rebus omnibus semper duxit antiquiorem. Enimverò cùm ita sis ipse animatus, iniquissimo fert animo Rex, alioquin æquissimus, te in opere contexendo à certis hominibus deceptum, & extra veri regionem longè abductum, de gloriosissimi nominis Regina, semper veneranda sibi parente, ea persæpe in literas retulisse, & quidem accuratâ diligentiâ κατὰ λεπτὸν commemorasse, quæ scit ejus Majestas, & scit certissimè, falsa esse, atque ab illis excogitata, quos universa novit Scotia perduelli animo erga τὴν μακαρίτιν fuisse, illi dum vixit, quibus poterant cumque modis & rationibus incommodasse, ac tandem consilia omnia sua, studia, industriam, operam ad miserandæ bonis Reginæ perniciem retulisse. Posteà enim quàm semel in factiones Scotia fuit divisa, dictu incredibile est, & memoratu horribile, quo furore pars serenissimæ Reginæ contraria in ipsam & 1611.
eos, qui illi adhærebant, sit grassata: οὐ γὰρ μικροῖς αὐλίσκοις, ἀλλ᾽ ὅλοαις μανίαις est insanitum. Quid verbis opus? reperti sunt in illa διχοστασίᾳ, qui regii nominis Majestatem in ordinem cogere; qui dictis, scriptis, factis Reginæ serenissimæ, meliori certè fortunâ dignissimæ, res, famam, nomen, postremo vitam appetere, lædere, opprimere, pietatis officium esse ducerent. Solet serenissimus Rex, cui cognomen Optimi sui mores jure vindicant, de immanitate temporum & rerum omnium confusione multa narrare & mira. Nos plura & magis mira ab integerrimis viris sæpe audivimus, qui reformationem tum in Scotia institutam cæterà probantes, factiosorum ἄγη sine horrore commemorare non queant. Georgium Buchananum, virum insignem literarum laude, sed meliorem profectò Poëtam quàm subditum, factiosis consensisse, & de Regina benignissima, Hera sua, atque ipso regio nomine pessimè fuisse meritum, nemo potest ignorare, qui scripta hominis non ignoret. Unicus de Regno Scotiæ liber habitum animi illius palam facit. Quis civis bonus, quis subditus fidelis, quis regii nominis amans sine odio & exsecratione dissertationem illam legit? Contendunt hodie boni omnes, & verè piéque contendunt, tot in varios Principes nostrâ memoriâ admissorum parricidiorum auctores censeri debere, non magis illos, qui manum nefariam sceleri nefario admovent, quàm illos, qui pravæ doctrinæ traditione animos facinerosis addunt, & specie quadam ψευδωνύμου justitiæ mentes eorum confirmant. Quid igitur de Buchanano & Scotis aliquot aliis dicemus, qui disertè verbisque expressis, (horresco referens!) legitimos Reges, quos ipsi Tyrannos appellant, vel publico supplicio afficiendos pronuntiant, vel privati cujusvis manu esse occidendos? Porro hunce animi habitum ad scriptionem Historiæ suæ Buchananum attulisse, & queritur Rex, & ipsa res arguit. Ut morari non debeas, Majestatem ejus ferre non posse, quòd in Reginæ matris rebus exponendis Buchananum tanto studio sis secutus, & malevoli hominis maledicta calamo digna censueris. Neque verò est, quod existimes, Præses amplissime, id poscere à te Regem, ut in suam gratiam, vel transversum, quod ajunt, digitum à vero discedas: hoc poscit, & suo jure exigit ab omnibus rerum Scriptoribus, ne falsæ narrationes, à perfidis subditis immani ausu concinnatæ, pro veris crimi-

nibus

1611. nibus posteritati obtrudantur. Jam si quid paulo liberius, aut etiam licentius à Principibus fuerit admissum, quod scire posteros nihil eorum intersit, proferri id in publicum, & ad memoriam posterorum transmitti, nulla, opinor, Historiæ lex jubet. Non hæc φιλαλήθεια profectò est, sed hominum odio flagrantium mera & certa κακοήθεια. Cujus vitii si quis nobile quærat exemplum, legat, quæ vel Buchananus, vel alii quidam malè feriati Scriptores de eadem nobilissima Regina sceleste literis mandarunt: quantò prudentius tu, Præses amplissime, & humanius, qui in componendo Æmari Ranconeti elogio, quàm esses alienus ἀπὸ ταύτης τῆς κακοηθείας clarissimè demonstrasti; per te enim ignorabit ventura ætas ἀτυχήματα, καὶ ἐλαττώματα viri sine controversia maximi, cujus divinum ingenium & stupendam doctrinam nemo satis unquam poterit mirari. Hac igitur plenâ prudentiæ & humanitatis reticentiâ, & honori memoriæ viri doctissimi consuluisti, & operâ eâdem omnes tibi devinxisti, qui literas, & literarum peritiâ excellentes venerantur. Cur verò & in summorum Principum rebus explicandis huic moderationi non sit locus? Humanum est, ajunt, peccare: atqui Reges & Principes non solùm homines sunt, sed etiam homines in terris ἀνυπεύθυνα, cum irritamentis peccandi luctantes assiduè; quo in certamine si aut propriæ naturæ infirmitate, aut suorum familiarium culpâ sæpius vincantur, miserari vicem eorum fideles subditos, non autem cupidè calumniari, æquum, nisi fallor, est justumque. Non enim de illis Principum peccatis loquor, quæ publicari gloriæ Dei intersit, aut conscientiæ scribentis. At non ea mens factiosis Scotis fuit, qui nihil cùm prætermittant eorum, quæ ad gloriam Dominæ suæ obnubilandam putant pertinere; quæcunque laude digna ab ea Principe sunt gesta, improbo silentio oblivioni tradunt. Nam quis istorum felicem aliquot annorum Regni administrationem, postquam Regina è Gallia redierat, commemorat? quis eo nomine ipsam laudat? Ut igitur tot calumniis semel respondeatur, aut potius quò memoria earum ex animis hominum deleatur, visum est Regi piissimo faciendum, ut accuratam, certam, & verissimam Historiam rerum illarum curaret componendam, & ad te mittendam. Sperat enim Majestas illius, non invitum facturum te, ut vera falsis secernas, certa incertis, mendaciis αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν. Sperat hoc, inquam, de te Rex serenissimus, atque adeò ut 1611.
id facias, à te contendit. Est in hac urbe nobilis Eques, homo pereruditus rerum vetustarum, & omnis Historiæ, sive priscæ, sive recentis, studiosissimus; qui ex ipsis monumentis publicis & Epistolis duarum Reginarum Angliæ & Scotiæ veram eorum, quæ gesta sunt, Historiam didicit, & jam Regis jussu eandem componit, digeritque in ordinem. Rex ipse, quo nemo est hodie callentior istarum rerum, singula recenset, atque ad exactissimam veritatis trutinam exigit, missurus statim ad te, ut veram narrationem tuæ Historiæ inseras, falsam & calumniarum plenam rejicias. Neque autem verendum tibi est, ne propterea levitatis ullam apud bonos suspicionem incurras. Laudabunt quinimò æqui & docti judices omnes, quòd ubi veritas primùm affulsit, καὶ τὰ ἴυγα ἀναιρῶν, quod Philosophus ait, non sis cunctatus. Existimat Rex serenissimus, è re futurum, si cùm novam narrationem publicabis, Lectorem feceris certiorem, quos olim, quos nunc fueris secutus Auctores. Non erit longa promissorum ὑπομνημάτων expectatio; neque differeris ultra paucos à Paschali solemnitate dies; seriò enim & sedulò Rex eam curat curam. Vale, Præses illustrissime, Historiæ recentis Pater unice. *Londini, a. d. v. Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXI.

Epistola DCCVIII.

JACOBO, MAGNÆ BRITANNIÆ, SCOTIÆ, &c. REGI.

Serenissime, potentissime Rex,

Ut auderem jam Majestatem Tuam 1611.
interpellare, fecit reverendus vir, Dominus Episcopus Bathoniensis. Accepi enim hoc ipso momento Epistolam illius benevolentiæ, quâ me Tua Majestas dignatur prosequi, testem luculentam. Narrat incidisse Majestatem Tuam in Posthuma Josephi Scaligeri, & quæ ibi sumus præfati; atque adeò legisse illa, neque improbasse. Equidem, Domine, ut quæ scriberem, bonis ne displicerent, optâsse me semper, idque operam dedisse, conscientia mea testimonium mihi dicit: sed posse aliquid à me proficisci dignum oculis Regis, & quidem Regis tam impensè docti, tanti in literis judicii, hoc verò vel optare, nedum sperare, memor summarum difficultatum, quas in studiis meis sum à puero semper expertus,

1611. pertus, & tenuitatis ingenii mei, sum ausus nunquam. Quo impensius gavisus sum (cur enim dissimulem?) & superis gratias egi, cùm illa legerem, quæ scribebat Dominus Bathoniensis. Utinam & quæ nunc paro, & quæ deinceps, σὺν Θεῷ, sum elucubraturus, limatissimo Tuæ Majestatis judicio possim probare! Sed mihi nunc spissum & difficile in manibus negotium est. Neque enim cum hominibus certamen instituisse mihi videor; verùm cum aliquo Geryone tricorpore, aut tricipiti hydra. Nullus viperearum distinctionum finis; nullus exitus è labyrinthi illius gyris & Mæandris, quò se isti recipiunt. Omnia, cùm lubet, negant, omnia, cùm lubet, affirmant. Denique Sisyphis istis & Autolycis mentiri est verum dicere; tremendum Dei Opt. Max. Numen ludibrio habere, supremus est, proh scelus! apex pietatis. Artes porrò ad fallendum planè admirabiles ac stupendæ. Observo aliter Italos loqui sub umbra urbis ἑπταλόφου deliciantes, & cogitata animi liberè proferentes; aliter Gallos, quos aliquis adhuc à Senatu metus comprimit. Quid multa? putet aliquis scripta illorum contendens, Italos à Gallis corrigi, neque satis inter ipsos convenire. At non ita est. Planè enim in istis Sophistis verum est vetus proverbium: *Sardi venales, alius alio nequior.* Semper ad manum est aliqua distinctio, quæ bellum inter ipsos dirimat. Quæras ab iis, An Rex, qui fuerit excommunicatus, Rex est? negant præcisè, qui mysteria sectæ Satanicæ non verentur enunciare. At meus Cotton disertis verbis contrarium affirmat: Non, inquit, desinit Rex esse; & qui occiderit, Regem occiderit. Quis neget esse vocem viri boni? Quis non credat hunc à suis dissentire? At esse in cauda scorpionis venenum: Rex, ait, est; sed caret jurisdictione. Hoc nempe vult, quod alii; sed hoc amplius, simplices vult decipere. Sexcenta sunt hujusmodi. Mihi, Domine, propositum est, scripto modestiæ pleno, sed acri tamen, Frontoni Ducæo hasce ob oculos fraudes ponere; & causas illi exponere, cur nemo civis bonus, nemo subditus fidelis, nemo humanæ societatis studiosus, postremò Dei timens nemo scelesta id genus scripta non potest non execrari. Et quoniam in omnibus illorum libris nihil occurrit magis abominandum, quàm Garnetus Martyr; fert animus, volente Deo, facienteque, quantum hoc sit istorum scelus, quàm pestilens dogma, cum cura aperire. Itaque velim, si possum à Majestate Tuâ impetrare, etiam il- 1611.
las Garneti Epistolas, manu ipsius scriptas videre, quarum Dominus Eliensis in *Tortura Torti* meminit. Spero autem, daturum Te mihi veniam, Domine, si adversus personas non fuero invectus, neque fecero, quod Auctor Anti-Cottonis fecit; qui omnes rumusculos etiam ἀδεσπότους collegit, & pro certis criminibus ei Societati objecit. Ego non amo scribere, quæ facilè sit refellere; aut quæ viri boni inter Pontificios sine stomacho non sint lecturi. Monitorem quippe agere benevolum satius duco, ut nunc res sunt in Gallia, quàm malevolum accusatorem. Morem tamen geram, cùm in hac re, tùm in omni alia semper Majestati Tuæ, quam ut novâ semper laude florentem, & rebus omnibus felicem servet Dominus Jesus, oro ipsum assiduè, & supplex veneror. *Londini, prid. Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXI.

Tuæ Majestatis humillimus Subditus, & æternùm devotissimus Servus,
IS. CASAUBONUS.

Inscriptio.
Serenissimo potentissimoque Regi,
JACOBO I.
Magnæ Britanniæ Regi, item Franciæ & Hiberniæ optimo & clementissimo Principi.

EPISTOLA DCCIX.

RICHARDO MONTACUTO. ✠

NE dici quidem potest, quanta cum 1611.
animi lætitia è literis tuis cognoverim, serenissimum Regem, tuum meumque Dominum, illam, de qua loqueris, Præfationem non improbasse. Jam calamo manum admoveram, cùm immani parricidio ὁ μακαρίτης Rex noster est occisus: abjeci ad infelicem nuncium calamos, & post unius mensis languorem, ægrè urgentibus amicis, sum ad institutum revocatus. In ἀκμῇ recentis doloris effudi illa, potius quàm scripsi. Non ausim dicere, accidisse mihi, quod vetus verbum ait, *Dolor facit disertum:* certè non sine lachrymis illa mihi scripta. Placuit, credo, Deo Opt. Max. affectus meus. Nam ut de aliis taceam, possum ostendere Epistolam, Pragâ ad me missam à viro nobili, quem Legatus Regis Hispaniarum jusserat mihi suo nomine significare, gratissimam sibi eam Epistolam fuisse. Tu verò literis tuis planè me beasti; non quia mihi propterea aliquid tribuam; sed quia nihil magis in votis

1611 votis habeo, quàm ut sereniſſimo & ſapientiſſimo Regi me & mea omnia probem. Dabit, ſpero, Deus, cujus unius bonitati confido, ut Majeſtati ipſius fidem meam ſinceram, humile obſequium, & ardens inſerviendi deſiderium, non uno genere meorum ſcriptorum palam poſſim facere. Certè eò jam vota omnia mea tendunt: cæterùm eventus, ut Poëta ait, Θεῶ ἐν γούνασι κεῖται. Vide verò, Præſul præſtantiſſime, quantum fiduciæ Epiſtola illa tua mihi attulerit: auſus enim ſum repentè ſereniſſimam Regis Majeſtatem compellare, & meum illi gaudium narrare. Meminiſti illud,

Principibus placuiſſe viris, non ultima laus eſt.

Quid, tanto Regi? tam pio, tam literato? Narro autem tibi, me hic variis modis exerceri. Corpus tuſſis querquera dies noctesque vexat; animum, morbus uxoris; quo illa multos jam dies laborat. Sed hæc, utut moleſta ſunt, non adeò me vexant, ut illi τερατοκατάρατοι, quorum in ſcriptis jam verſor. Semper deteſtatus ſum prava illorum ingenia, dolis amica & fraudibus: ſed me quotidiana lectio ſic afficit, ut nunc primùm videar mihi eos odiſſe. Nihil tamen impatientiùs fero, quàm novum Martyrem, qui proditione in Regem ſuum cœlos meruit. Puto enitendum mihi eſſe, ut quanto cum ſcelere hæc fiant ab illis, omnes boni intelligant. Scio præſtitiſſe hoc abundè D. Elienſem; ſed quando iſtos necdum pudet, omnia conſtitui tentare, ut rei veritas magis magiſque illuſtretur. An non enim portento ſimile eſt, auſum eſſe unum ex illa Societate me rogare, ut Regi maximo æquitatem cauſæ ſuæ ex illo libro, qui adverſus Anti-Cottonem ſcriptus eſt, commendem? Sed & vidi literas Cottonis ad D. de la Bauderie, quibus hoc ipſum ab illo petebat, & librum egregiè compactum, Regi, credo, offerendum mittebat. Ille verò negare, & dicere, non eſſe ſe tam ſtultum, qui Regi librum commendaret, erga ipſius Majeſtatem adeò iniquum. Eſt verò animus mihi, in hac ſcriptione ita ſtylum temperare, ut perſonas non offendam, rem ſeriò & acriter urgeam; facilèque in ſpem adducor, ſereniſſimum Regem, qui moderationis laude omnes mortales ſuperavit, hoc meum conſilium non improbaturum. Verùm de hac re tota plura coram. Te rogo etiam atque etiam, meas ad Regem, non aliter Majeſtati ipſius tradas, quàm ſi judicaveris, nullum eſſe periculum offenſionis. Vale, Præſul reverendiſſime, & 1611. mihi æternùm colende. *Londini, pridie Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXI.

Tuæ Reverentiæ obſervantiſſimus Cultor,

IS. CASAUBONUS.

Inſcriptio.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, Domino MONTACUTO, Epiſcopo Bathonenſi & Wellenſi.

IN AULAM.

EPISTOLA DCCX.

PATRICIO JUNIO. ✠

HEri accepi literas à reverendiſſimo 1611. Epiſcopo, Domino Bathonienſi. Eæ literæ occaſionem mihi præbuerunt ſcribendi non ſolùm ad Dominum Epiſcopum, verùm etiam ad ſereniſſimum Regem. Quoniam autem accidit mihi, ut quas ad eundem Epiſcopum ſcripſeram, ipſe non acciperet, niſi poſt aliquot hebdomadas; peto à te pro noſtra amicitia, ut faſciculum, quem mitto, cures in Aulam tutò deferendum, & vel Domino Bathonienſi tradendum, vel etiam Regi, ſi ille abſit Aulâ. Hoc mihi nihil gratius poſſit accidere. Jam pridem neque te, neque fratres tuos vidi. Si propius abeſſemus, inviſerem vos ſæpe. Saluta ipſos meo nomine, ac vale. Uxor tibi fratribuſque tuis ſalutem adſcribi optavit. *In Muſæo, Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXI.

EPISTOLA DCCXI.

THOMÆ ERPENIO.

VIr amiciſſime, tuas modò mihi tuus 1611. affinis attulit. Ac quoniam reſcripturum ſe ad te adfirmavit, ipſe quoque raptim hæc exaravi. Alcoranum meum tibi dono πρόφρονι θυμῷ, & ut amicitiæ noſtræ hoc μνημόσυνον ſerves, rogo. Ο' μακαρίτης *, à quo habui, popularis erat tuus: æquum eſt, ut illi quoque gratiam aliquam habeas, & memoriam ejus ad poſteros tranſmittas. Quæ meâ cauſſâ deſcripſiſſe ais, gratiſſima ſunt mihi futura. Utinam tuis obſervationibus poſſem frui! Dolet mihi ex animo, non poſſe te iſthic, quæ habes parata, edere. Dixeram tibi, non placere mihi illius fatui ingenium, quem ais nos cenſere Hæreticos: μωρῷ φωτὸς ἄδε βουλά. Valeat, & res ſuas ſibi habeat; mihi poſthàc cum

* Procul dubio Hadrianus Fleſſingenſis.

1611. cum homine tam infrunito nihil unquam rei erit. Quæ habes à me, præsertim si quid ad Bibliothecam spectat, ea, spero, te sororis meæ filio Chabaneo esse traditurum. In meis tamen plenâ libertate volo utaris. Tu nostrâ omnium caussâ laboras; omnes tuis commodis tenemur inservire. Bedwellus Lexicon urget suum. O virum bonum, doctum & simplicem! De Grammatica Romana si quid didiceris, fac me ut sciam. Iter tuum ut feliciter suscipias, feliciter conficias, & perficias, supplex Deum Opt. Max. veneror. Vale, doctissime Erpeni. *Londini, a. d.* IV. *Non. Mart.* CIϽ IϽ CXI.

Epistola DCCXII.

✠ RICHARDO MONTACUTO.

1611. Accepi à Domino Eliensi, & quas scripsisti ad me literas, & chartas simul nonnullas ad meum propositum spectantes. Eæ quum sint scriptæ Anglicè, danda mihi opera est, ut alienâ operâ adjutus, ipsas perlegam & intelligam. Non est futurum in eo parum ponderis, quod liquidò & sanctè potero affirmare, ipsas me Garneti literas legisse. Video conspirationem Jesuitarum stupendam, ut totius illius historiæ veritatem sceleste pervertant. Quò magis laborandum bonis est, ut furori huic Satanico sese opponant, & fraudes impudentissimorum nebulonum aperiant, qui novam in cœlos viam repererunt per Principum parricidia. Accepi etiam superioribus diebus, missu Senatoris cujusdam Veneti, viri præstantis, & bonarum partium, Capelli cujusdam librum adversus serenissimum Regem, & Dominum Eliensem. Credo Majestatem ipsius scriptum illud jam vidisse, &, de quo non dubito, contempsisse. Quid enim misellus novi affert? Hic est ille Capellus, qui ante paucos annos causam Venetorum contra Reverendos Patres non ignavè tutatus est. Narrat verò mihi Epistolâ suâ Senator ille, duos fuisse omninò, qui à Republica sua ad τὴν ὁδὸν τῆς ἀπωλείας transitum facerent; Fulgentium, qui laqueo & igne vitam finivit; Capellum istum, quem fame, inquit, perdere vult Papa: deseruit enim omni spe atque præsidio nudatum. Itaque ut vitam infelicem sustentet, malæ causæ patrocinium cogitur suscipere.

ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅ τις τοιαῦτά γε ῥέζοι.

Audio serenissimum Regem brevi ad nos rediturum; qui mihi nuncius eò gratior est, quòd non dubitem, Majestatem ipsius, pro sua sapientia, harum rerum notitia, & acri judicio, monita quædam utilia mihi suggesturum. Vale, reverendissime Domine, & me constanter ama, qui te colam sincerè semper. *Londini, a. d.* VIII. *Eid. Mart.* CIϽ IϽ CXI. κατὰ Διονύσιον τὸν Μικρόν. 1611.

Inscriptio.

Reverendissimo in Christo Patri,
Domino MONTACUTO,
Episcopo Bathoniensi & Wellensi,
summâ reverentiâ colendo.
IN AULAM.

Epistola DCCXIII.

JANO RUTGERSIO. ✠

Binas, postquam in hanc Insulam veni, literas à te accepi, Vir doctissime, quibus ipse binis meis respondi. 1611. Posteriores an acceperis, nescio; nam menses jam aliquot præterierunt à mearum missione. Equidem graviores tuas curas insiticio hoc labore scribendi ad me, interpellari nolim. Si tamen habes vacuas aliquot horas, aperio tibi ἀφελεῖ νόῳ desiderium meum subinde intelligendi, uti valeas, & quid in literis moliaris. Jam illa, quæ parata scio te habere, an lucem viderint, amo scire, si quis alius mortalium. Mox etiam illa prolixè cupio, quæ ad memoriam ornandam maximi virorum, τοῦ μακαρίτου Scaligeri, scio te cogitasse. Nos hic pingui otio fruimur, Dei Opt. Max. beneficio, & maximi Regis liberalitate singulari. Sed libris adhuc caremus nostris, quæ maxima est studiorum nostrarum pestis. Caussas exequi nunc non possum, qui per occasionem hæc raptim scribo. Vale, Vir doctissime, & me ama. *Londini, a. d.* XIII. *Kalend. April.* CIϽ IϽ CXI.

Inscriptio.

Ornatissimo Viro, longèque eruditissimo,
JANO RUTGERSIO, J.C.
amico observando.
DORDRECHTUM.

Epistola DCCXIV.

RICHARDO MONTACUTO. ✠

Spero te pro tua erga me benevolentia memorem fuisse ejus, quod à te 1611. discedente petii; ut apud serenissimum Regem me excusares, quòd rariùs ejus Majestati

1611. Majeſtati adfuiſſem. Nunc mitto ad Reverentiam tuam, quæ ſcripſi ad Frontonem. Ac dolet quidem mihi, quòd melius literas pingere neſciam: ſed non aderat mihi ad manum, cujus operâ uterer. Utêris judicio arbitrioque tuo, & Regiæ Majeſtati, ſi videbitur, oſtendes, aut non oſtendes. Frontonem, quem ſcio virum bonum, honorificè compello: de re verò quid ſentiam, ſatis videor oſtendiſſe. Odi certè, cùm alios Pontificiorum errores, tùm iſtud dogma de tyrannide Pontificis vel maximè: ea enim ſcaturigo eſt, unde omnia in Eccleſiam manant mala. Si placuerit Domino Regi, paucas horas illis chartis impendere, da, quæſo, hoc mihi, reverendiſſime Domine, ut quid Majeſtas illius mutandum, detrahendum, aut addendum judicet, per te cognoſcam. Ego animo alacri ſemper juſſa capeſſam, & meum obſequium humile Hero & benigniſſimo Mæcenati meo probabo; conabor certè probare. Cupio verò hâc opellâ defunctus, ſerium aliquid aggredi, in quo induſtria noſtra (ſi qua eſt in nobis) deſudet. Itaque licet reclamantibus amicis Gallis, qui hactenus voluntati meæ ſe oppoſuerunt, ſtatui tamen totam Bibliothecam curare afferendam, & reliquam partem familiæ meæ accerſere. Sed quoniam negotia varia præſentiam uxoris aut meam deſiderant, cogor illam ad menſem unum aut alterum dimittere, ut rebus compoſitis Larem heic figamus. Non dubito, Jeſuitarum viperеam ſobolem illi omnibus rebus pro virili incommodaturos, ubi præſertim hanc opellam meam viderint. Multùm me & meos ſereniſſimus Rex adjuvaret, ſi Legato ſuo mandare dignaretur ejus Majeſtas, ut meos Lutetiæ protegat, quod à Rege per literas petiiſſem, ſi auſus eſſem. Ego cras, Deo dante, ad Savilium ſum excurſurus, ac die altero, aut tertio, ut ſpero, rediturus. Chartas iſtas ut tua Reverentia ſtatim remittat oro; nullum enim habeo exemplum aliud. Vale, reverendiſſime Domine. *Londini*, *Kalend. April.* CIↃ IↃ CXI.

Tuæ Reverentiæ humilis Cultor,
IS. CASAUBONUS.

Inſcriptio.

Reverendiſſimo & ſummâ obſervantiâ colendo in Chriſto Patri,
Domino MONTACUTO,
Epiſcopo Bathonienſi & Wellenſi.
IN AULAM.

EPISTOLA DCCXV.

DANIELI HEINSIO.

VIde quid poſſit occaſio: nam cùm paucis ante diebus ad te ſcripſiſſem, & pro recenti munere gratias egiſſem, nactus occaſionem iterum ſcribendi per veterem amicum, Syndicum Middelburgenſem, non potui manum à calamo abſtinere, licet eſſem occupatiſſimus. Neque vero quid ſcribam, ſuppetit; nam præſentem meum ſtatum hic vir optimus narrabit. Ego ſi quid vacui temporis habeo, totum pono in libris tuis legendis, quos etſi habeo domi tuo beneficio, heic tamen mihi comparavi, dum Bibliothecam exſpecto. Relegi igitur his diebus Notas in Horatium, & novâ admiratione ſum affectus. Deus tibi det, mi Heinſi, ætatem longiſſimam, felicitatem quanta maxima poteſt ἀνθρώπῳ φῦναι contingere. Vale, & me ama: & ſi amas, ignoſce feſtinationi. *Londini*, *Kalend. April.* CIↃ IↃ CXI. 1611.

EPISTOLA DCCXVI.

JACOBO, MAGNÆ BRITANNIÆ, SCOTIÆ, &c. REGI.

ETſi magnitudinem non ignoro negotiorum, quibus Tua nunc Majeſtas occupatur; differre tamen non poſſum, quin ſignificem, literas à Præſide Thuano me accepiſſe; quibus ſuam magis magiſque cupiditatem declarat, Tuæ Majeſtati, quam ſincero animo ſingulari cum admiratione veneratur, obſequendi. Itaque nuncium de chartis, quarum ſpem illi juſſu Tuo, Domine, feci, exultabundus accepit; paratus, hoc illuſtri exemplo candorem ſuum in errore agnoſcendo, palam facere: longè utique illis tenebrarum filiis diſſimilis, qui veritatem in mendacium convertere, gratum eſſe Deo opus, docent. Ipſas Thuani literas è pluribus, quas ad me ſcripſit, hiſce adjeci, ſi fortè Majeſtati Tuæ legere vacaret. Opto perduci quàm primùm ad finem Opus à Domino Cottone ſuſceptum; ut deſiderio Thuani ſatisfiat, qui Loiolitarum factione pulſus, privatam in ſuis jam prædiis vitam degit, ut ex ipſius didici literis. Accepi & aliam Epiſtolam ab homine Pontificio, ſed viro bono & erudito, qui librum Majeſtatis Tuæ dono nuper à me acceptum, ita laudat ſcribens ad me, ut ſatisfacere 1611.

1611. ipse sibi non queat. Ille genus dicendi, & sententiarum gravitatem tanto Rege dignam, sic admiratur, ut pietatem tamen supra omnia suspiciat. O utinam ejusdem animi essent plures in nostra Gallia! & verò sunt quàm plurimi erga Majestatem Tuam non aliter animati; sed prodere animi sensum, metu malorum, non audent. Crescit enim indies, quod gemens dico, Loïolitica factio in patria; sed & bonorum crescit indignatio: bonos appello, subditos fideles suorum Principum. Quæ scripsi ad Frontonem, non displicuisse Tuæ Majestati, magno cum gaudio intellexi: dabo operam, faciente Deo, ut quæ sum additurus, ne displiceant. Tuum erit, Domine, statuere, putesne eam Epistolam publicâ luce dignam, & editione. Ego cùm in hoc genere literarum, tùm in aliis majora habeo, quæ receptâ Bibliothecâ meâ, brevi cupiam publicare. Dominus Jesus Majestatem Tuam, Rex serenissime, protegat, & omnibus semper rebus præstet florentem. Scripsi *Londini*, *a. d.* IV. *Eid. April.* CIϽ IϽ CXI.

Tuæ Majestatis humillimus Subditus, & Servus sincerissimi affectûs,

IS. CASAUBONUS.

Inscriptio.

Serenissimo potentissimoque Principi,

JACOBO,

Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regi, Fidei Defensori, &c.

EPISTOLA DCCXVII.

RICHARDO MONTACUTO.

Reverendissime Domine,

1611. PErgemus igitur alacres in proposito, quando non displicent Regi maximo, quæ scripta sunt. Dabit, spero, Deus Opt. Max. ad cujus gloriam meos omnes conatus semper retuli, ut non videar lusisse operam: utut alii sentient, mihi Dominus Rex satis amplum futurus est theatrum; cujus unius Majestati ut me probem, unica hodiè cura mihi est; atque ea ita magna, ut in parte pietatis ponam, jussa Regis adeò pii esse exsecutum. Præcepta, quæ das mihi, observabo. Sed noli existimare, admonendum me fuisse ejus, cujus potissimùm gratiâ hanc scriptionem institui. In cæteris causam Principum agam; in narratione colloquii mei cum Jesuïtis, causam meam. Id præcipuè spectavi cùm ad hanc Epistolam scribendam animum primò appuli; & ut novo cœliti Garneto gratularer. 1611. Meminero igitur. Quanquam puto faciendum esse omninò, ut libro Eudæmono-Joannis, contra Acta publica scripto, serio respondeatur & accuratè. Interest salutis Principum omnium, ne tam perditæ audaciæ liber careat responso; & ut nemo ignoret, quàm acres, quàm effrontes omnis veritatis hostes sint Romani. Librum Anglicum non habeo, quem jubeor consulere. Opto habere, ut lectione ejus proficiam. Unus est, qui habeat, serenissimus Rex; alius prætereà, quod sciam, nemo. Dignari Regem maximum aliquâ suarum curarum parte fortunas meas & meorum, grande mihi argumentum est bonitatis, ejus Majestati ingenitæ, cujus tot jam extant erga me luculentissima testimonia. Veneror Deum immortalem, & supplex oro, ut tam inexhaustæ benignitatis Regem, omni maximarum benedictionum suarum genere semper prosequatur. Ego non dubito, si hic libellus fuerit tanti, ut edatur, Jesuïtas omnem lapidem esse moturos, ut mihi noceant: me verò ope Dei fretum, & benignitate clementissimi Heri mei, nihil quicquam ea res movet. Accepi hodiè, nondum metu ab hoste liberatos esse Genevenses; quos ego scio serenissimum Regem, si majus malum ingruat, non esse pro sua pietate derelicturum. Quod si acciderit, spero commendatione ipsius consequi me posse, ut ærumnâ liberer, quæ plures jam annos miserè me cruciat. Sed de his coram, si per tuam Reverentiam mihi licuerit. Vale. *Londini*, *a. d.* IV. *Eid. April.* CIϽ IϽ CXI.

Tuæ dignitatis humilis Cultor, multis nominibus tibi obstrictus,

IS. CASAUBONUS.

Inscriptio.

Reverendissimo in Christo Patri, Domino MONTACUTO, Episcopo Bathoniensi & Wellensi, Patrono summâ observantiâ colendo.

IN AULAM.

EPISTOLA

EPISTOLA DCCXVIII.

CORNELIO VANDER MYLE.

MONSIEUR,

1611. *JE veux vous tenir la promesse que je vous fis à Paris il y a quelque tems, de vous escrire, & vous tenir aaverti de mes nouvelles; lesquelles j'espere vous estre agreables, pour l'affection qu'il vous plaist me porter. Peu après vostre despart ae Paris, j'en partis aussi pour venir voir cest heureux pais, & ce grand Roi; lequel tout aussi que j'eusse eu l'honeur de luy faire la reverence, me tesmoigna tant d'affection, que je ne sçaurois le vous dire; & au lieu de me congedier, comme je pensois, pour le moins pour aller querir ma famille, il moyenna avec la Royne que j'eusse congé de demeurer pres de Sa Majesté. Ce que la Royne luy a accordé pour le tems qu'il luy plairra, pensant que ce feut pour quelques mois; mais le Roy ne l'entend pas ainsi: il en sera ce que Dieu voudra*, cujus inexhaustæ bonitati acceptum fero, quod neque bonis in Gallia sim ingratus, & heic tum Regi, tum omnibus Ecclesiæ Præsulibus & omnibus doctis charissimus. Illi sit honos & gloria. Uxor quinto ferè mense, postquam ego Luteriâ discesseram, ad me venit; sed mox reditura, ut de communi sententia res nostras in Gallia componat, & statim cum tota familia & Bibliotheca huc revertatur; quod det illi Deus posse feliciter præstare. Hic est jam rerum mearum status, quem volui te non ignorare. Quod si meas tibi gratas futuras intellexero, scribam sæpius, ut hac saltem ratione meum animum tibi significem, & quantoperè te colam. *Tenez moi donc, si il vous plaist,*

MONSIEUR,

Vostre très-humble Serviteur,

CASAUBON.

A Londres, ce 11. Avril, CIƆ IƆ CXI.

J'eusse escrit à Monsieur Grotius, & Monsieur Meursius, si j'eusse eu loisir. Je vous supplie, Monsieur, qu'ils lisent ici mes humbles recommandations à leurs bonnes graces.

EPISTOLA DCCXIX.

THOMÆ ERPENIO.

SCripsi nuper ad te statim postquam 1611. tuas accepissem. Nunc quia suspicor, te abitum ex urbe Lutetia parare, has raptim exaravi, ut te rogarem, ne peregrinationi diutius indulgeres, quàm par esset. Scis pericula viatorum: scis quantum temporis in lustrandis regionibus amittatur: neque nescis, quæ hactenus didicisti in linguis exoticis, ea te in museo tuo abditum didicisse, & quidem brevissimo tempore. Ecqua peregrinatio tantum docere te potuisset? Non tamen penitùs damno consilium tuum; modò tempori parcas, ἀναλώματι πλεῖστῳ, & te brevi nobis reddas. Cupio enim mirificè te videre, & feliciter confecto itinere reducem amplecti salvum atque incolumem. Det tibi mihique Deus immortalis, illum diem videre, albo lapillo mihi profectò notandum. Exspecto Epistolam à te sub discessum tuum de tuis consiliis. Vale, charissime Erpeni. *Londini Angl. a. d.* VIII. *Eid. April.* CIƆ IƆ CXI. *stylo novo.*

Peto à te, significes Chabanæo, meo ἀδελφιδῷ, valere nos, Dei beneficio; mirari quòd neget, se ullas literas accepisse à Bauderiano, cui ego duos satis grandes fasciculos tradidi. Etiam amplissimum Thuanum salutes à me velim, & petas, an binas Epistolas acceperit, quas ego per eundum Bauderianum illi scripsi. Iterum vale. Arabs tuus Magister olim est in Anglia, nec malo est loco.

EPISTOLA DCCXX.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

MIratus sum, quòd nuper ad me 1611. scripsit sororis meæ filius, neque te, Vir amplissime, neque se quicquam literarum mearum à Domino Bauderiano, Legato hîc nuper Regis Christianissimi, accepisse. Atqui binas illi dedi ad te; unas, quas jussu Regis scripseram, & Regi ostenderam; alteræ familiari παῤῥησίᾳ erant exaratæ. Exspecto ad illas responsum; neque possum adhuc in animum inducere, periisse eas Epistolas. Rei veritatem è proximis meorum literis spero me intellecturum. Interim quia se offerebat occasio, pauca hæc scripsi; ut scires, non cessasse me, neque officio meo defuisse; utut literæ fortasse perierint. Ego verò multò

1611. tò antè scripturus fui, nisi perdiu abitum Domini Bauderiani essem præstolatus. Novissimis literis * spem tibi feci Commentariorum, quos Rex ad te mittere cogitat, rerum ad matrem pertinentium. Non fallet Rex tuam exspectationem. Vidi partem Operis, quod ita contextum est, ut ad legitimam Historiam rerum Elizabethæ quid in eo desiderari possit, vix intelligam. Per annos narratio est distincta à principio regni Elizabethæ. Vidi adhuc paucos annos; sed ex quibus de Operis pretio feci conjecturam. De meis rebus multa haberem, quæ ad te scriberem; sed exspectabo reditum ad vos uxoris, quæ brevi isthuc reditura, ut nostras reculas componat, σὺν τῷ Θεῷ. Vale, Vir amplissime, & me ama, qui te æternùm colam. *Londini*, *a. d.* v. *Eid. April.* CIϽ IϽ CXI.

* *Suprà. Epist.* DCXCII.

EPISTOLA DCCXXI.

DANIELI HEINSIO.

1611. VEnit ad me nunc ipsùm nobilis hic Anglus †, vetus amicus meus, Vir clarissime, nuntians cogitare se ad vos, & nunquid vellem rogans. Etsi & ego eram occupatus, & ille jam itineri accinctus, non potui tamen hæc pauca ad te non exarare. Quid autem putas me ad te scripturum? quod unum possum, querimoniam de tuo silentio acerrimam. Cùm Lutetiâ sum profectus, jam plures menses tuas ἀμοιβαίας exspectaveram frustra. Jam hic ferè sextus est mensis, ex quo me Anglia habet; neque tu id ignoras: nam & monui ipse te per literas paullò post meum adventum; & clarissimus Baudius, à quo semel saltem literas accepi, id te non fuerit passus ignorare. Obsecro igitur te, amicissime Heinsi, cur annum ferè integrum apud me siles? an te inimici mei potuerunt à me abalienare? Sed novi simplicitatem generosæ mentis tuæ; neque antè persuadebo mihi, te erga me esse immutatum, quàm ipse literis tuis hoc mihi significaveris. De meo in hac μακάρων νήσῳ statu ne plura narrem, multa impediunt, ipsa imprimis amici hujus mei festinatio. Ille tibi de me, si curas scire, omnia narrabit. Tu, si me amas, literis tuis me beabis, & curas literarias tuas mihi indicabis: hoc nihil mihi gratius queat contigere. Vale, & ignosce festinationi. *Londini*, *a. d.* XIII. *April. stylo Liliano*, CIϽ IϽ CXI.

Viros clarissimos, D. Baudium, & D. Bertium meis verbis salutes velim.

† *Joannes Boisius, Ecclesiæ Cantuariensis Præbendarius, vir Græcè doctissimus, cujus super alia scripta, extant Notæ in quatuor Euangelia, non multis abhinc annis Londini excusæ. In his Pontificiorum Helena passim defenditur. Quod ante Boisium ferè præstiterat Albericus Gentilis in libro de Latinitate vulgatæ Versionis malè accusata.* Colomes. *Verus libri titulus est:* Veteris Interpretis cum Bezæ aliisque recentioribus Collatio in IV. Euangeliis & Apostolorum Actis, &c. *Londini* 1655. *in* 8.

EPISTOLA DCCXXII.

EIDEM.

TAndem tuas accepi, hoc est, post 1611. menses amplius octo, ex quo nihil quicquam à te literarum acceperam. Mirabar silentium tuum, & querebar: atqui tu quoque silentium meum miraris & quereris. Sed eamus ad calculos, & rationes ineamus. Ego scripsi ad te Lutetiâ sub abitum meum *, & profectionem in hæc loca, & simul Scaligeriana misi; deque meo consilio, cur hoc iter susciperem, te monui. Posteà verò quàm huc veni, provocatus à clarissimo Baudio, de eodem oleo & illi rescripsi, & ad te scripsi. Is fasciculus Thorio †, Medico, viro optimo, est à me datus, qui se curaturum spopondit. Deinde cùm nobilis Anglus, D. Bois, ad vos cogitaret, dedi illi ad te literas, & ad nostrum Rutgersium, à quo ternas jam in Anglia literas accepi. Exposui caussam meam sincerè & verè; nunc fluat tibi ἡ κλεψύδρα. Ego, si per te licet, hujus litis καθίζω δικαςὴν τὸν πάνυ Baudium. Omisso joco, gaudeo quòd meas Epistolas desideras. Moriar, si vix quicquam gratius facio, quàm ut ad te scribam: recreor enim tantisper suavissimâ recordatione non tui solùm, qui mihi charissimus; verùm etiam τοῦ μακαρίτου Scaligeri, quem non nescis quantâ reverentiâ coluerim. Itaque noli putare, si officio ipse fungaris, fore me lentum aut remissum. Ego verò non ibo, sed curram. Una in re semper me vincas oportet, quòd video te vix ullas ad me literas dare, quibus non sit adjunctum insigne aliquod tuæ liberalitatis monumentum, & exquisitæ doctrinæ μέγα τεκμήριον. Ego, amicissime Vir, cæterà beatus Dei immortali beneficio, hac re miser sum, quòd à libris meis tot jam menses absum; neque adhuc possum illos recipere: nam neque me in totum dimittere vult augustissima Regina, neque de reditu meo magnam spem habet, si semel Bibliothecam omnem meam hîc habuero. Uxor, quæ suo adventu me beaverit, eadem nunc reditu in Galliam me magnâ sollicitudine afficit. Deus immortalis, qui venienti primùm per obscœnissimam tempestatem mediâ hyeme ‡ adfuit, aderit, spero, etiam redeunti. Dum meis libris & chartis omnibus planè careo, datâ occasione scripsi hîc Epistolam ad Frontonem Jesuïtam, quam Rex maximus vult edi. Argumentum sine dubio probabis: mittam igitur exemplar unum statim, & alia ad

* *Vide suprà. Epist.* DCLXXXIII. *&* DCLXXXIV.

† *Is est Raphaël Thorius, Angliæ Poëtarum, Jacobi Regis judicio, Antesignanus; de quo adi Vulcanium ad Aristotelis, vel Theophrasti libellum de Mundo, pag.* 259. Colomes.

‡ *Mense Januario.*

1611. ad amicos isthîc meos; quo in numero sunt clarissimi viri, Vulcanius, Baudius, Bertius, Scriverius, & Cunæus: nam Meursium Hagæ puto habitare. Omnes si meis verbis fueris dignatus salutare, maximè autem omnium τὸν πάνυ Grotium, feceris mihi rem gratissimam. De tribus libris, quos misisti ad me, immortales tibi ago gratias. Duos minores non antè videram. Senecam videram, & tuas Notas diligenter legeram; doctam, ita me Deus, opellam, & cujus doctrinam non omnes capient. Tu verò quam artem apud Aristotelem didicisti, eamdem usurpas in sententia ferenda de aliis. O vive diu, mi Heinsi; & quia omnes æquales tuos jampridem superasti, quod solùm restat, te ipsum indies supera. Ita faxint Superi! Vale. *Londini*, *pridie τὸ ἑορτάσιμον πάσχα*, CIↃ IↃ CXI. raptim.

EPISTOLA DCCXXIII.

✠ JANO RUTGERSIO.

1611. PRo literis illis prolixis, quas te à me exspectare dicis, accipe pauca verba, raptim exarata. Ac scito, meam Bibliothecam nondum esse in Anglia, idque ob caussas, quas nunc omitto. Uxor quidem mei desiderium longius non ferens, per obscœnissimam tempestatem, infirma licet ac parum valens, ad me venit; sed libros & liberorum maximam partem domi reliquit. Caussa enim veniendi præter illam, quam dixi, fuit, ut de nostris negotiis unà conferremus, & in posterum de communi sententia statueremus. Nunc igitur eadem reditum parat, ut quæ placuêre nobis, efficiantur. Exspecto celerem reditum, faciente & adjuvante Deo Opt. Max. qui in priore itinere sic illam benignè habuit, ut gratiis ejus bonitati, clementiæ, & majestati habendis nunquam pares simus futuri. Tunc videbo optatissimam Bibliothecam meam, σὺν Θεῷ· ac statim βιβλιολόγιον ad te mittam, & si quid aliud habuero, quod tibi putem fore gratum. Interim de hospitio, quod offers, quas tibi agam gratias? Tune Crassus es, qui venientem ad te exercitum velis excipere, & τὰς χρείας præbere? Ego, mi charissime Rutgersi, si isthuc irem cum liberis & tota familia, te terrerem: nec eò tamen minus, si detur aliqua occasio, cum uno aut altero filiorum terras vestras invisam, dum superant adhuc vires ad labores itineris aut navigationis. Interim tibi & parentibus tuis, & habeo, & ago gratias gratissimas. Vale. *Londini*, *pridie resurrectionem Christi*, *Domini nostri*, τοῦ Σωτῆρος τοῦ κόσμου, CIↃ IↃ CXI. 1611.

Exspecta brevi à me, σὺν Θεῷ, libellum, quem hîc scripsimus, sive prolixam Epistolam ad Frontonem Jesuitam.

Inscriptio.

Ornatissimo Viro, & longè doctissimo, JANO RUTGERSIO, J.C. amico plurimùm colendo.

DORDRECHTUM.

EPISTOLA DCCXXIV.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

AMplissime Præses, etsi magno repentè affectus sum dolore, qui 1611. meus in te amor est & observantia, cùm intellexi, non eam esse habitam tuæ dignitatis rationem, quam tua in Rempublicam summa merita postulabant haberi, & boni omnes cupiebant ac sperabant; mox tamen, ubi ex illa indignatione colligere me cœpi, & præsentem rerum in patria statum apud me reputare institui; rationibus, ut mihi quidem videbantur, non levibus sum adductus, ut tecum actum non malè putarem, & dictum vetus usurparem: ταὐτόματα ἡμῶν πολλάκις κάλλιον βουλεύεται. Fateor durum esse, eâ spe excidere, quæ non ex inani arrogantia, sed ex merito concepta primùm fuerit; deinde ab iis toties firmata, quorum in potestate erat efficere, ne verba viro gravi videri possent dedisse. At non clam te est, Vir sapientissime, rerum humanarum eam esse conditionem, ut ea sæpius eveniant, quæ nemo futura, aut fieri debere putaverat, quàm quæ ὁ ὀρθὸς λόγος suadebat eventura. Hoc cùm in aliis vitæ partibus potest observari, tùm in honorum vel maximè tributione, qui ad Aulicorum sæpius voluntatem, quàm Principum, qui ferè in suorum potestate sunt, certo judicio deferuntur. Ut igitur nemo prudens mirabitur, hisce præsertim moribus, caculam aliquem militarem, cocum, aut lenonem, vel etiam archilenonem ad amplissimam fortunam & Provinciarum etiam Præfecturas potuisse pervenire; ita profectò mirari nemo debet, bonis, integris, doctis, aut quâvis aliâ virtute excellentibus ad summas dignitates aditum non patere, & debita ipsis præmia terræ filiis deferri. Quid querimur, aut miramur? ἐπὶ τούτοις, hac, inquam, lege & conditione nati sumus, neque huic

1611. malo remedium, dum ſtabunt res humanæ, unquam afferetur. Feramus, Vir ampliſſime, & feramus æquo animo, quod per rerum humanarum naturam emendari non poteſt. Simul Providentiam divinam ἧ θέμις ἐςὶ contemplemur & admiremur. Nam quum ſuſque deque ferri omnia forte fortunâ videantur, Deo tamen Optimo Maximo ſingulorum, quæ fiunt, ratio conſtat, neque aliquid fit, quod non ei ſit multò antè prævisum, & ἀνεξιχνιάςῳ πνὶ σοφίᾳ decretum, ut fieret. Sic igitur κακῶν κακὰς βȣλὰς oderimus, ut in ſapientia imperveſtigabili ȣ̃ ἀριςοτέχνȣ Θεȣ̃ acquieſcamus. Tu verò, illuſtriſſime Vir, tot veris bonis, quæ nulla vis auferre unquam tibi poterit, à ſuperis ornatus, ſi te ipſum potius quàm patriam; ſi tuos; ſi ſtudia, quibus delectaris; ſi denique rem familiarem tuam reſpicis, cur magnoperè gaudeas, juſtiſſimam, niſi fallor, cauſſam habes. Quid? putaſne te eo loco poſitum, vel unum diem quietum fuiſſe habiturum, quum ad te vexandum omnes certatim operam ſtudiumque ſuum conferrent, qui te propter pietatem, φιλαλήθειαν & cæteram virtutem tuam cane & angue pejus oderunt? illine permitterent, ut moribus tuis Rempublicam regeres, quibus eſt propoſitum, quocunque tandem pacto eos de medio tollere, qui nefariis ipſorum conſiliis ſeſe oppoſuerint? Quod equidem eò confidentius dico, quòd recens ſum à lectione multorum librorum, ab illis peſtibus profectorum, hac Satanicâ doctrinâ plenorum. Horret animus meminiſſe eorum, quæ legi, quæque pro fidei articulis docentur. Et creſcit tamen furor quotidie, creſcit audacia, quam alit ſucceſſus. Ea doctrina Regem maximum nuper nobis eripuit; eadem tamen doctrina & ejus defenſores in illa ipſa urbe, ubi tantus Rex χθὲς καὶ πρώην eſt occiſus, propugnatores eſt nacta, qui libris editis, vobis omnibus conniventibus, qui ad clavum Reipublicæ ſedetis, Marianam quidem verbo tenus damnant; at reliquos omnes perfidiæ, rebellionis & parricidii magiſtros palam laudant, ne dicam, excuſant. O tempora! ô mores! Et erit aliquis vir cordatus, qui pro magno ducat, principem locum inter eos obtinere, quibus hæc ſunt ferenda, & ſuo ſilentio comprobanda! Platonem ferunt dicere ſolitum, cùm apud bonos excuſaret, quod Rempublicam non attigiſſet, certo conſilio ſe à publicis curis abſtinuiſſe, ubi animadvertiſſet, iis legibus & inſtitutis patriam regi, quibus mores ſui congruere non poſſent. Enimverò contra torrentem jugiter niti, quis ſine certa pernicie 1611.
diutius poteſt? Hæc, & ſimilia his alia, ſive exempla, ſive documenta, ut revocares ad animum, te rogarem, Vir ampliſſime, ſi quod ſæpe multis viris bonis accidit, ab omni cura Reipublicæ eſſes ſummotus. Nunc quid opus? Nam ſi vera ſunt, quæ mihi narrantur, κατέβας ἀνέβης, & meliore loco res tuæ jam ſunt, quàm eſſent futuræ, ſi aliter contigiſſet. Opto ita eſſe; & Deum veneror, ita velit eſſe faxitque. Binas tuarum nudiuſquartus accepi; alteras earum ad Regem miſi, & de tua integritate prolixè ad ipſum ſcripſi. Cottonus, nobilis Anglus *, in Hiſtoria pergit ad te mittenda. De meis rebus nihil jam ſcribam; omnia enim narrabit uxor, quam, propitio Numine, brevi iſthic videbis. Vale. *Londini*, *a. d.* XI. *Kalend. Majas*, CIↃ IↃ CXI.

Puteanos fratres, & Rigaltium, viros optimos & eruditiſſimos, hîc ut ſalvere mihi fas ſit, te oro.

* *Eſt hic Robertus Cottonus, Eques Auratus, & Baronettus, cujus vitam accuratè deſcriptam unà cum Catalogo Bibliothecæ Cottonianæ edidit Thomas Smithus, vir clariſſimus, Anglicanæ Eccleſiæ Presbyter, anno 1696.*

EPISTOLA DCCXXV.

FRONTONI DUCÆO.

Binas à accepi, poſtquam huc veni, 1611.
clariſſime Fronto: priores attulit uxor †, alteras Savilius miſit. Reſpondiſſem jam dudum ad priores, niſi gravis cauſſa moram attuliſſet. Eam cauſſam exponam tibi ſimplici animo & ἀφελῶς, ſicut meus eſt mos. Tu, quæſo, bonam in partem accipe quæ ſum dicturus; tibique perſuade, non alium mihi heic animum eſſe, quàm fuit in Gallia. Amo Antiquitatem, colo veritatem: quicquid aut huic repugnat, aut ab illa damnatum eſt, deteſtor & abominor. Quare aut ſilendum mihi eſt, aut danda mihi hæc venia eſt, ut quæ neque vera eſſe credidero, neque Antiquitati σύμφωνα, de iis liberè, quid mihi videatur, dicam. Scis te diſcedenti mihi Pariſiis per Epiſtolam & verbis etiam ſignificaſſe, rem me tibi & omnibus tuis eſſe facturum gratam, ſi Regi Magnæ Britanniæ auctor eſſem, ut crederet, neminem veſtrûm erga ejus Majeſtatem malè eſſe affectum; optare quinimo læta ei omnia, atque illud inprimis, ut facilem ſe præberet in hac Eccleſiæ Dei ſciſſura tollenda. Quò etiam Epiſtola illa ſpectabat, quam mihi à te mei attulerunt; quâ agis mecum, ut de veſtræ Societatis integritate verba Regi faciam: quando omnibus, quæ nonnullis veſtrorum ſcriptorum objici ſolent, plenè per eum eſſet reſponſum, qui famoſum libellum Anti-Cottonem novâ apologiâ refutavit. Hæc cùm

† *E Gallia redux menſe Februar. 1611.*

1611. cùm ita sint, postquam ego tua mandata serenissimo Regi exposuissem, evenit non ita multò pòst, ut Rex Apologeticum vestrum nactus, me statim vocaret, & coram multis Episcopis ac Proceribus diceret: *En tibi, Casaubone, librum cum Patris Frontonis professione bellè congruentem: invenies in eo defensionem Auctorum, qui istam Principibus perniciosam doctrinam docent: invenies nuperum Bellarmini scriptum Satanicum non obscurè defensum: invenies auctorum proditionis pulverariæ, quâ tetrius quicquam fingere ne Diabolus quidem potest, acriter defensam innocentiam, & ipsos glorioso Martyrum choro adscriptos: invenies denique*, ait Rex, *omnia contraria verbis Frontonis.* Quin etiam jussit me ejus Majestas librum auferre domum, & rationes expendere, quæ ad defensionem novæ doctrinæ afferebantur. Præcipuè verò jussus sum iis attendere, quæ de rebus Anglicis Apologista ille narrat. Quod ubi fecissem, & sincerè Regi exposuissem quid mihi placuisset, quid displicuisset; placuit illi, ut hæc omnia tibi significarem, quò semel efficerem, ut intelligeres, à quo sermonum genere esset iis abstinendum, qui benignè excipi à Majestate ipsius postularent. Se quidem huic Ecclesiæ scissuræ ingemiscere; sed omnia tamen potius esse facturum, quàm ut iis aures præberet, qui novam hanc doctrinam de regno temporali Papæ, de cædibus Regum excommunicatorum, de martyrio proditorum, &c. aut palam defenderent, ut multi Alastores; aut per circuitus, ut Bellarminus, & Apologista hic, & sexcenti alii. Quod jusserat Rex, feci, & Epistolam ejus argumenti ad te scripsi, quam dudum misissem, nisi quædam adhuc deessent, ex Epistolis Garneti manu scriptis adjicienda. Brevi, ut spero, eam Epistolam ad te mittam; teque rogabo, ut jam nunc rogo, afferas æquum animum ad cognitionem ejus caussæ; nam ego te ubique judicem fero. Neque verò timeas aliquid ibi côntineri contra τὰ τῆς πάλαι ἐκκλησίας δόγματα, aut omninò contra τὰ παρ' ὑμῖν νομιζόμενα. Nihil reperies ejusmodi; quod seriò tibi confirmo. Permitte verò mihi, doctissime & amicissime Fronto, ut candidè apud te agam, &, quod sentio, aperiam. Existimo enim, nihil posse hoc rerum statu perniciosius fieri, quàm fit ab iis, qui eam doctrinam nunc ἄνω κάτω θρυλλοῦσι, qui fictitium illud & ridiculum Romani Pontificis regnum temporale dum tanto conatu eunt stabilitum, universo mundo declarant, Ecclesiam Dei viventis nihil se curare; neque recusare se, quin simplices Catholici malè pereant, dum modò ipsi regnent. Cogita, quot mala & jam olim à Gregorii VII. temporibus ab hac doctrina in Ecclesiam exundarint, & quot jam sint metuenda propter eandem caussam. Cogita proditiones horrendas, cædes & parricidia; non quidem eorum manibus, qui hanc doctrinam scriptis tuentur, patrata; sed eorum certè manibus, qui Reges pro Regibus non habent, ubi parum sese Papæ morigeros præbuerint. Cogita, & certo tibi persuade, aut nullum unquam verbum apud prudentes Principes de concordia Ecclesiæ esse faciendum; aut huic monarchiæ & omnipotentiæ temporali bonâ fide esse renuntiandum. Quod si aliquam vel levissimam eorum curam habetis, qui in hoc Regno vobiscum sentiunt, & sub imperio clementissimi, benignissimi, & optimi Regis hujus vivunt, liberate eorum stultam simplicitatem ab iis opinionibus, quas ex istiusmodi libris hauserunt; alioquin sanguis eorum super capitibus auctorum pestilentis adeò doctrinæ. Sed hæc ex ipsa Epistoia melius cognosces. Quod superest, Savilium vidi Etonæ; ubi sumptibus ingentibus & regiâ magnificentiâ τοῦ μακαριστοτάτου πατρὸς editio curatur ab homine privato. Haberem multa tibi dicere, quæ malo in familiare colloquium servare, ubi dederit Deus, ut te isthic videam. De meis rebus omnia mei narrabunt, si laboras scire. Scito, in Reginæ potestate me esse ac semper futurum, dum spiritus hos reget artus. Patribus Sirmondo & Cottoni plurimam, nisi grave est, à me salutem. Vale, & me ama. *Londini, propridie Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CXI. 1611.

EPISTOLA DCCXXVI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

ILlustrissime Vir, quæ nuper ad te scripsi, cùm tuis respondi, puto esse tibi reddita. Ex iis dolorem meum cognovisti, quia dignitatis tuæ ratio non est habita; quod tamen οὐκ ἀθεεὶ factum putamus, & magno tuo bono. Nam si tu illo dignus eras loco, & eras profectò dignissimus; haut tamen scio, an ferreum hoc seculum satis esset dignum, quòd te videret ad clavum illum Reipublicæ sedentem. Omnes hic boni, qui tuam excellentem virtutem nôrunt, tibi gratulantur, & cum bonarum partium hominibus, quibus eum casum scimus accidisse molestissimum, gemunt. 1611.

Ac

1611. Ac Deus quidem benè vertat! multi tamen putant, majorum malorum hæc eſſe præludia. Rex ſereniſſimus literis meis factus certior de tuo conſilio, privatam in prædiis tuis vitam degendi, Deum ſtatim oravit, ut aliam tibi mentem daret; meque juſſit te hortari, ne Rempublicam, ne patriam deſereres, in hac præſertim tanta virorum inſignium penuria. Cogita, non eſſe te natum tibi ſolùm, ſed patriæ; quam difficili tempore derelinquere, prodere eſt. Cogita, omnium bonorum oculos in te eſſe conjectos, quibus ad deſperandum de ſalute patriæ noli, per Deum immortalem! exemplo tuo præire. Spero equidem, nondum omnes patriæ noſtræ occubuiſſe candidos ſoles. Si tamen peccatis noſtris exigentibus, aliter ſuperi ſtatuerint; at magnos viros, ut de Imperatoribus olim dictum, ſtantes mori oportet. Tu verò mihi ignoſce, qui tam liberè de his apud te. Meas fortunas tibi eſſe curæ, & meis ſtudiis bene te velle, & ſcio ipſe optimè, & nemo neſcit. Quò confidentius te rogo atque obteſtor, ut uxori meæ conſilii tui copiam facias. Illa narrabit tibi præſentem rerum mearum ſtatum, quem ubi cognoveris, quid in poſterum ſit opus facto, pro tua prudentia ſtatues ipſe, & niſi grave eſt, uxori ſignificabis. Mihi non abs re futurum videbatur, ſi mora mea in hac Inſula adhuc produceretur; quod vehementer optat Rex ſereniſſimus, neque auguſtiſſima Regina, opinor, non vult. Nam ſi ea tempora futura ſunt, quæ optamus, erunt fortaſſe iſthic, qui de meo reditu φίλην εἰς πατρίδα γαῖαν ſint cogitaturi; ſin τὰ χερείονα νικᾷ, quod omen abominor, videor poſſe hîc ἐγγήραμα & tutum & honeſtum habere. Utrovis modo eveniat, libris meis carere diutius non poſſum; & carui profectò nimis diu: ὁ μὲν βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρά. Ne dici quidem poteſt, quàm me hæc res angat. Itaque niſi aliter tibi videatur, juſſi ſororis filium curare, ut hac me liberet ſollicitudine. Scito verò, Præſes ampliſſime, mihi ſcriptum eſſe libellum, ſive Epiſtolam ad Frontonem, in qua fraudes multæ aperiuntur eorum, qui iſthic doctrinam Hildebrandicam tuentur; & item illorum, qui proditores patriæ novos cœlites indigitant. Ego Acta publica inſpexi, literas manu Garneti ſcriptas in Muſeo habeo, quæ mendacium horribile refellunt. De his breviter quædam ſcripſi, brevi iſthuc miſſurus. Iterum ſanctè polliceor, nihil eſſe, quod ad τὰ δόγματα pertineat: neque in hanc veni Inſulam, ut novorum hominum novas ſententias defenderem. Regi ſcriptio hæc 1611. perplacet; Proceres verò noſtri ſi Gallis imponunt hanc neceſſitatem, ut adverſus ſceleratam doctrinam non ſit muticndum, malè Regibus noſtris, malè exiſtimationi ſuæ conſulunt. Poſtquam omnia deſcripſero, mittam ad te exemplar unum. Vale, Vir ampliſſime, & diu felix vive cum tuis omnibus. *Londini*, *propridie Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CXI.

Epistola DCCXXVII.

EIDEM.

VIr illuſtriſſime, heri tuas accepi, & 1611.
quas ad me ſcripſeras, & quas ad ampliſſimum Legatum *, nec non ad Emanuelem Demetrium. Illas ſtatim reddidi; has ante diem craſtinum non queo: tu tamen factum puta. Video te in prædiis tuis adhuc hærere; de quo tuo conſilio quid videatur Domino Legato, ex ejus literis intelliges; nam ego περὶ τῶν τοιέτων συμβουλεύειν οὐχ ἱκανὸς εἰμι· qui auſus tamen ſum binis literis de eo negotio tecum agere. Sereniſſimus Rex è venationibus reverſus, ut me primùm vidit, de tuis rebus ſollicitè interrogavit; nec obſcuram ſignificationem dedit ſuæ erga te benevolentiæ. Hiſtoriam, cujus ſpes eſt facta †, ſcito quotidie conſcribi. Sed quum inſtituiſſet Auctor brevem in tuam gratiam ὑπομνηματισμὸν, exiit Opus grande, & ferè juſta Hiſtoria rerum Elizabethæ: nihil ibi ſtudio partium datum. Urget Rex propoſitum; ſed tempore eſt opus. De meis rebus omnia, ut ſpero, jam narravit uxor, cui dedi in mandatis, ut tuo conſilio ſe regeret, ſi modò tu, ampliſſime Præſes, ejus copiam illi facere fueris dignatus. Poſtquam ab illa literas accepero, pluribus ad te de meis conſiliis ſcribam. Deum veneror te ſervet, Vir illuſtriſſime, & unà tecum nobiliſſimam conjugem cum pignoribus veſtris. Scripſi raptim. *Londini*, *a. d.* IV. *Non. Maj.* CIↃ IↃ CXI.

* *Dominum Bauderianum.*

† *Suprà Epiſt.* DCXCII. & DCCXX.

Epistola DCCXXVIII.

EIDEM.

VIr illuſtriſſime, qui has tibi tradi- 1611.
dit, vir bonus eſt, profeſſione Theologus & Sacerdos. Is in patriam cogitans, quò poſſet tibi innoteſcere, exegit à me pro ea, quæ intercedit inter nos, notitia, ut hæc ad te ſcriberem. Puto accepiſſe te, quas ante diſceſſum uxoris, quas eà diſcedente, quas

1611. quas post discessum ad te scripsi. Ego ex literis meorum cognovi, te ad Fontem Eblaudi esse profectum. Utinam illud iter felix & faustum fuerit! Hoc velim tibi persuadeas, meam fortunam ex tua pendere; tuis enim consiliis regi εἰς τὸ μέλλον cupio, qua de re plura uxorem tibi puto dixisse. Promissum à Rege Commentarium noli adhuc exspectare: magnum enim id futurum est Opus, ut Rex mihi non semel significavit, & ipse judico ex iis, quæ vidi. Vale, amplissime Præses, & quàm diutissimè vive felix cum nobilissima uxore & liberis. *Londini*, *Eidibus Maj.* CIↃ IↃ CXI.

EPISTOLA DCCXXIX.

EIDEM.

1611. Illustrissime Præses, quia non constat mihi, an meas omnes acceperis, ideò crebras ad te mittere non vereor, ut scias respondisse me ad omnes tuas; nam post uxoris discessum ad te jam ternas dedi. Tuæ ad Demetrium probè sunt curatæ, & ipsi in manus traditæ. Filium meum ut auctoritate tuâ in officio retineas, & lascivientem in studiis & vita, neque certum ullum sibi scopum proponentem, jubeas meminisse sortis suæ & voluntatis meæ, supplex te oro. Vale, Vir amplissime, & me ama, qui dies noctesque tibi, & universæ domui tuæ læta omnia opto, & à Deo Opt. Max. peto. *Londini*, *a. d.* XVII. *Kalend. Junias*, CIↃ IↃ CXI.

EPISTOLA DCCXXX.

FRONTONI DUCÆO.

1611. Legi superioribus diebus, Fronto Ducæe, Vir eruditissime, librum Apologeticum, nuper isthic ab uno * Patrum Societatis vestræ scriptum, & de communi omnium sententia publicatum. Legi autem eò diligentius & accuratius, (præter morem sanè meum, qui nullius cujusquam mortalium famam solitus appetere, in polemicis hoc genus scriptis operam non amo abuti meam;) non solùm, quia in magna exspectatione eam Apologiam, priusquam prodiret in lucem, fuisse intellexeram; verùm etiam, & multò quidem magis, quia Epistolam non ita pridem à te acceperam, quæ Responsionis ejus legendæ cupiditate non mediocri me accenderat; quippe quâ ita ajebas esse confutatas famosi cujusdam libelli calumnias, ut jam multorum animi à Societate vestra prius admodum alieni, ejus lectione pacati, & vobis penitùs sint conciliati. Quin etiam literis iisdem, si meministi, me pro ea consuetudine, quæ 1611.
plures annos Lutetiæ Parisiorum inter nos intercessit, rogabas, ut serenissimo potentissimoque MAGNÆ BRITANNIÆ REGI, omni maximarum exquisitissimarumque laudum genere Principi dignissimo, hoc ipsum significare vellem; & postquam per novam hanc Apologiam caussæ vestræ æquitatem cognovisset, id agerem apud MAJESTATEM ipsius, quò Religionis vestræ hominum persecutioni, (sic enim dicebas, & ita multis credere lubet,) finis tandem aliquis imponeretur. Atque hæc eadem alium etiam Societatis vestræ non obscuri nominis Patrem à spectatissimæ virtutis & integerrimo viro, Domino Fabricio Bauderiano, Christianissimi Regis Legato, qui munere suo felicissimè hic perfunctus, in Galliam ante paucos dies est reversus, per literas enixè petiisse, (& erat literis adjectum Apologetici exemplar,) non clam me erat. Itaque nihil mediocre jam de eo libro mihi spondebam, cujus freti genio & tu, doctissime Fronto, & ille alter tuus οὐχ ὁ τυχὼν συμμύστης Regi maximo, literatissimo, judiciique acerrimi, cujus offensum erga Societatem vestram animum reformidare poteratis, probari ipsum tamen posse, nihilò secius consideretis. Mirificè verò gestiebat animus mihi ex ejus lectione cognoscere, quid Auctor ad illa responderet, quæ à gravissimis viris atque inculpatæ vitæ, eandem vobiscum Religionis formam profitentibus, multis ex Ordine vestro solent passim objici; quasi erga Reges & Principes præpostero quodam Religionis zelo parum æqui essetis, & jura ipsorum ac dominationem alienæ potentiæ amplificandæ studio, multimodis, quoties se daret occasio, scriptis, factis, iretis imminutum. Equidem persuasissimum habebam, fieri vix aut ne vix quidem posse, ut quæ tibi scriptio tantoperè probaretur, [vide quanti te faciam,] cujus effectus adeò insignes prædicares, de qua tantam spem concepisses, quicquam eorum affine contineret, propter quæ non Magnæ tantùm Britanniæ optimi clementissimique Regis offensionem incurristis; sed & multis aliis illustrissimis Principibus, multis Rebuspublicis prudentissimis, universo etiam Ordini amplissimo Senatûs Parisiensis, & [de quo vos video non dubitare, ac multùm queri,] omnibus Politicis Societas vestra dudum gravis evasit & suspecta, ne dicam, ingrata & invisa. Quò magis sum demiratus, & stupore

* *Bellarmino, uti constat ex Thuani Continuat. Histor. Lib. II. pag. 51. & 52.*

1611. quodam inter legendum defixus, cùm exſpectationi meæ adeò pleraque animadverterem non reſpondere, ut cauſſam dicere aut comminiſci nullam poſſem, cur tibi, viro intelligenti & perſpicaci; cur cuiquam alii, non planè Mamacutho & communis etiam ſenſûs experti, eos facere animos ſcriptum ejuſmodi potuerit; quod rectè æſtimantibus non cauſſæ veſtræ juſta proferre in lucem queat videri; ſed illam potius opinionem de vobis, quæ plurimorum mentes occupavit, (ſcitis ipſi, & in HENRICI MAGNI morte experti eſtis) voluiſſe confirmare, & magis magiſque in legentium animos defigere. Atque ego jam hîc profiteor, de iis duntaxat loqui me, quæ ad Principum jura, dignationem, ſecuritatem, ſalutem denique & vitam pertinent. Nam ſi quæ alia veſtris hominibus à quoquam objecta, eâdem Reſponſione diluuntur, ea nihil ad hanc cauſſam; neque ego jam illa quicquam moror. Opto magis, eam ut veſtri Ordinis Theologis mentem Deus immortalis inſpiret, ita det ſe gerere, ita faxit ipſos ἀγάπην, ἥτις ἐστὶ σύνδεσμος τῆς τελειότητος, ἐνδύσασθαι *· nihil ut poſthàc inimici veſtri præter calumnias & ficta crimina habeant, quod vobis objiciant.

* Coloſſ. III: 14.

Καί κε τὸ βουλοίμην, καί κεν πολὺ κέρδιον εἴη.

Scio quem hodie in multis orbis Chriſtiani regionibus locum Societas veſtra obtineat; quid quantumque valeat: quæ ſi à defenſione doctrinæ Hildebrandicæ & Bonifacianæ, animique rigore illo præfracto, quem in pleriſque veſtrûm homines εἰρηνικοὶ obſervant, ad æquitatem, lenitatem, & illam, quam pii Patres Græci appellant συγκατάβασιν, Latini *condeſcenſionem*, animitùs traduceretur; magnum haud dubiè ad communem Chriſtianorum concordiam & re & exemplo momentum afferretis. Me ut hæc ad te ſimplici animo ſcriberem, Vir amiciſſime, non odium aliquod impulit, aut obtrectandi cuiquam prurigo; à quo peſtilente morbo, nimis hodiè latè graſſante, mores meos abhorrere, τὰ προβεβιωμένα, niſi fallor, vel tacente me, fidem fecerint; ſed illa ipſa, quam dixi, Epiſtola petitioque tua, ab optima quidem, credo, voluntate profecta; verùm quæ malè poſito prorſuſque ruinoſo nitens fundamento, planè mihi viſa eſt parum æqua & ἀπροσδιόνυσος, ac proinde ſupervacua & ἀδύνατος. Magno enim in errore verſati eſtis, & tu, optime Ducæe, & tuus ille συμμύστης, cùm putaſtis, ejuſmodi Apologiam, eo filo contextam, eo ſcopo ſcriptam, & Principibus ita apertè inimicam, non dico Magnæ Britanniæ ſapientiſſimo Regi, aut ulli alii Principi, cui ſalus ſua non fuerit vilis, placere poſſe; ſed cuiquam omnino, qui Principi ſuo, & dignitati ſecuritatique ipſius optet eſſe conſultum. Equidem ſic à libri illius lectione diſceſſi, ut pro ſatis comperto haberem, te, cùm illa ad me ſcriberes, aut ipſum non legiſſe, aut non tam judicium fuiſſe tuum ſecutum, quàm alienæ voluntati obſecutum. Novi enim te, & quàm miti ingenio ſies; neque memoriâ mihi crebri illi in mutuis colloquiis noſtris ſermones tui exciderunt, omni moderatione & manſuetudine conditi, in quibus te ſemper publicæ tranquillitatis ſtudioſum, ſubditum φιλοβασιλεία, & in natis ante pauca ſecula controverſiis, noſtro hoc acerrimè agitatis, quæ ad jura Principum pertinent, pleriſque aliis animadverti multò æquiorem; deque auctoribus & defenſoribus doctrinæ adeò exitiabilis ſanè, pièque & liberè non ſemel audivi judicantem. Quò diligentius faciendum duxi, ut non magis meum, quàm Regis ipſius & aliorum virtute præſtantium virorum, qui ἔμιξαν τῇ περιστερᾷ τὸν ὄφιν, de illa Apologia judicium & judicii potiſſimas cauſſas indicarem; ſi fortè multarum rerum, præſertim Anglicarum, quæ ibi ceu veriſſimæ produntur, & tanquam indubitatæ fidei affirmantur, horribili falſitate cognitâ, impetrare, quâ auctoritate es, à Sociis tuis poſſes, ut poſthàc falſas narratiunculas ſpernerent; veris, certis atque adeò publicis Actis fidem ne abrogarent, & ad neceſſarium, nedum juſtum ſui odium Regem φιλαληθέστατον, ac ſimul omnes veri amantes provocare deſinerent. Quod ſi fecerint, honori ſuo, mihi crede, & totius Societatis veſtræ melius in poſterum conſuluerint. Enimverò quàm parum candidè parumque aptè ad conciliandam vobis Principum benevolentiam Apologeticon illud ſit ſcriptum, non eſt difficilis demonſtratio. Nempe hoc agitur magnâ totius libri parte, ut dicta quædam & ſententiæ defendantur nonnullorum è veſtris, eruditorum quidem hominum, fateor; ſed quorum opiniones non paucas Principibus & Rebuſpublicis eſſe pernitioſas, magno conſenſu prudentes contendunt, & triſtiſſima confirmat experientia. Et appello conſcientiam tuam, mi Fronto, num judicio tuo omnia probentur, quæ in tuorum libris de hoc argumento legiſti? An paratus ſis, omnes illorum ſententias, ceu κυρίας δόξας defendere? Quod tamen ſine ulla exceptione Auctor Apologiæ facit. Omnia defendit, omnes tuetur, omnes laudat, uno Marianâ 1611.

1611. nâ ægrè excepto. Equidem is non sum, qui, si quid fortè incautius aut inconsultius viro docto in scribendo exciderit, protinus in deteriorem partem id velim interpretari, & in malæ mentis argumentum rapere. Bonum virum hæc κακοήθεια & malignitas non decet; Christianam vero charitatem multò minus. At quoties salus Principum agitur, quoties publica res, cujus incolumitas in Principis incolumitate vertitur, sive apertâ molitione, sive per cuniculos in discrimen adducitur; tum enimverò longè alia res est, alia ratio; neque jam ulli ἀνεξικακίᾳ aut molliori interpretationi quærendæ locus; quin immò haud secus ac si esset Pyrrhus aut Hannibal ad portas, commoveri tum bonos cives, contremiscere totis artubus; dirissima quæque exempla ob oculos sibi ponere, & præ anxia sollicitudine omnia etiam tuta timere; non dico, fas, sed omnino necesse est. Omnis hìc honestus pavor; omnis trepidatio, fortis & laudabilis; omne durius dictum factumve justæ suspicioni movendæ idoneum est judicandum; in patria præsertim nostra, mi Ducæe, & hoc maximè tempore. Quid enim? Vidit Gallia non ita multos ante annos, quia jura principalia violabantur, divina humanaque jura fœdum in modum subverti, omnia susque deque misceri, homines hominibus, cives civibus lupos fieri. Vidit Gallia, postquam Majestas Unctorum Domini in animis civium malorum, & pravâ doctrinâ corruptorum eviluit, duos optimos & fortissimos Reges suos teterrimo parricidio (& quidem eodem ferè pacto utrumque) sibi esse ereptos; vidit & luxit, ac nunc etiam luget. Et erit aliquis tamen in Gallia, qui cæde tam recente Henrici Magni, Regis heu nuper nostri, bonis omnibus acerbè gementibus, patrocinium eorum Scriptorum securus suscipiat, quos novit Orbis terrarum Principibus omnibus esse infestos, eorum coronas imperio Jovis Capitolini * totis viribus ire subjectum, Majestatem modis indignis minuere; & clarâ jam atque altâ voce, *Cornua quæ vincatque tubas*, contendere, unicum esse mundi universi Dominum; unicum, ut ipsi appellant, Vice-Deum; unum Imperatorem, unum Regem, unum verè Principem, Pontificem nempe Maximum; cujus imperio si quis Regum aut Principum parum se præbeat morigerum, sive in spiritualibus, ut multi sæpe; sive in temporalibus, ut superiore seculo Joannes, Rex Navarræ, hunc illâ etiam falsâ imagine Principatûs, quam doctrina ista Regibus concedit, ipso jure, etiam ante prolatam à Pontifice sententiam, ut multis placet, vel certè statim à prolata sententia, excidere; ejus subditos omni vinculo naturalis subjectionis esse solutos; ipsum vel subjectorum populorum viribus, vel aliorum Principum solio detrahendum, & tanquam piacularem victimam finibus ditionis, aut etiam è numero viventium, si opus sit, esse exterminandum. Non ignota loquor, neque tibi incomperta. Teruntur omnium manibus Doctoris Martæ Neapolitani libri, quibus hæc omnia totidem ferè literis, & quidem potissima horum in Epistola ad ipsum Pontificem, Paulum V. cui Opus nuncupatur, & cujus privilegio est editum, continentur. Neque vero infrunitus hic Marta quicquam dicit, quod alii multi & ante ipsum, & post ipsum, ore pleno non dixerint, & voce scriptisque docuerint. Nisi tu fortè ignoras, quæ super hac quæstione nostris temporibus (ne vetustiora attingam) ab Alano, Sandero, Andrea Philopatro †, Treshamo, Carerio, Boziis fratribus, Mosconio, Mancino, Pesantio, Constantino Veruna, Simancha, & innumeris aliis, quà Juris Canonici Interpretibus, quà Theologis, sunt scripta. Omnium instar esse queant duo illustrissimi Cardinales, Baronius & Bellarminus; quorum ille, cùm Ecclesiasticos Annales, ingens opus & laboriosum, susciperet contexendos, id unum emunctæ naris hominibus videtur negotii sibi dari credidisse, ut hanc de infinita Summi Pontificis potentia mirificam doctrinam, per totam seriem temporum εὐκαίρως, ἀκαίρως confirmaret: qui etiam Paulo V. Pontificatum ineunti, Gregorium VII. ceu perfectam aliquam ideam legitimæ administrationis cùm proposuit, hoc videlicet non obscurè significavit, eum demum se judicare laude dignum Pontificem, qui dominationis suæ caussâ cœlum terræ miscere, & universam Europam cædibus & parricidiis implere non dubitaret. Cardinalis verò Bellarminus quantum in simili proposito urgendo sudarit, quantâ contentione & studio negotium gesserit, tot editæ ab ipso lucubrationes, tot libri nuper in caussa Veneta contra Patrem Paulum, excellentis doctrinæ virum, & alios scripti abundè testantur; omnium verò maximè qui postremus eo super argumento ab illo est paullò antè publicatus, liber adversus virum doctissimum, Gulielmum Barclaium, Jurisconsultum; de qua scriptione quod debeat eorum esse judicium, qui publicas res suas cupiunt esse salvas, ne vel ego aut tu, vel quisquam alius posset ignorare, Senatus pri- 1611.

* *Id est, Pontificis Romani.*

† *Josepho Creswello, qui sub Andreæ Philopatri nomine scripta quædam vulgavit.* Colomes.

1611. mùm Venetus [nam ad hos liber prius pervenit] deinde Parisiensis Curiæ Patres, quibus salus nostrorum Regum propriâ salute charior, satis caverunt. Sed quid verbis opus? Idem ille Cardinalis Bellarminus in illo suo infausti nominis *Torto* *, & aliis adversus serenissimum Magnæ Britanniæ Regem scriptis hoc unum habet, cur Jusjurandum Fidelitatis nolit à Regis subditis Regi præstari; quia id illi videatur aliquo pacto (obliquè sanè & indirectè, quanquam ne sic quidem; & sunt vel rei ignari, vel meri sycophantæ, qui hoc dicunt) Summi Pontificis omnipotentiæ repugnare; in quo peccasse, ut quidem illi placet, fidem Catholicam sit abnegasse, & appellatione Christiani sese indignum reddidisse. Hinc videlicet illæ lacrymæ, & labor ille vestrorum præsertim hominum; qui ita persuasi, nunc cùm maximè, quia vident ferrum suum in igne esse, ut aliis quoque idem persuadeant,

* *Id est, libro, quem edidit sub nomine Matthæi Torti. Vide* Eman. van Meteren, Nederl. Geschied. XXXI. Bock. *Thuan. Contin. Histor. Lib. II. pag. 51. 52.*

> *Pro se quisque viri summâ nituntur opum vi.*

Atqui doctrina hæc quàm sit Principibus metuenda, evidentissimè docent tot intra paucos annos aut patratæ Principum maximorum cædes, aut tentatæ; tot proditiones novæ, inauditæ, quibus nihil simile priora ulla secula viderunt. Quem verò esse existimas γνήσιον Gallum, cujus intimis præcordiis non hæreat infixa, & æternùm sit hæsura parricidæ, qui τῷ μακαρίτῃ Regi nuper vitam eripuit, vox observatione & acri Politicorum omnium meditatione dignissima? Qui à supremæ auctoritatis Judicibus de caussa suscepti parricidii interrogatus, quum more patrio in reorum sellula sederet, non per ambages aut ænigmata, sed liquidò & disertè respondit, Ideò se, quod fecisset, fecisse, quia Rex Protestantibus Germaniæ Principibus opem ferre parans in caussa Clivìensi, Pontifici Maximo rem faceret ingratam; ac proinde dignus esset, qui periret: Deum enim se in terris Romanum Pontificem agnoscere, cujus voluntati, qui sese quovis pacto opponeret, eum se habere αὐτοκατάκριτον, & exitio devotum. Ipsissima feralis illius prodigii verba sunt: *Papa est Deus, & Deus est Papa.* Tantos iste parricida in hac nova doctrina, quæ Papam facit in terris Deum, fecerat progressus. Quæ quum ita sint, nemo, opinor, sanus cerebri dicat, parricidarum sicas magis Principibus metuendas, quàm venenata Alastorum scripta, quæ doctrinâ Satanicâ infectas mentes ad parricidia ducunt. Non enim tunc incipit aliquis esse parricida, cùm ad scelus patrandum manum expedit. Tunc, tunc scelus contrahitur, quando incipit mens doctrinâ Marianæ, aut similium illis corrumpi; & parricidii horror ac detestatio, omnium hominum mentibus à Deo indita, minuitur paulatim & labefactatur; quando, mutatis rerum appellationibus, quod prius existimabatur, ut est reverà, ἄγος inexpiabile, jam facinus laudabile, aut etiam meritorium (dictu horribile, sed multos ita hodie sentire infanda scripta faciunt fidem) incipit videri. Scias hunc certum esse parricidam, cujus animus doctrinam, parricidiorum magistram, semel imbibit. Præclarè, ut semper, B. Ambrosius Sermone primo in Psalmum CXVIII. libidinosum compellans, *An putas, inquit, tunc primùm te intrare meritorium, cùm fornicem meretricis ingrederis? Intrasti jam, quando cogitationes tuas meretrix intravit. Intrasti jam, quando ad potiendam prostibuli cupiditatem gressu mentis intrasti. Pulsasti lupanaris fores, quando ad mulieris concupiscendæ decorem oculos mentis aperuisti.* Nihil hoc verius, nihil certius. Sed & Stoici rectè docent, probatque multis sapiens Epictetus; facta mortalium, quæ mirari vulgò solemus, ex alta firmaque persuasione mentis [πρόληψιν ipsi appellant] proficisci; neque aliquid posse fingi tam arduum, tam durum aut dirum, quod non alacriter suscipiat; &, quod in se fuerit, intrepidè ac constanter det effectum, sive vir, sive etiam puer, cui fuerit mens firmiter persuasa, sic esse opus facto. Igitur omnem laborem & difficultatem esse in persuasione illa informanda & παγίως constabilienda; quo semel facto, nihil jam mirum videri debere, si Calanus aliquis Indus, si multæ Græcorum civitates, si plurimæ hodieque mortuis maritis mulieres barbaræ, incendio voluntario vitam finiant: si Mutius † aliquis, aut Theodotus, sui periculi oblitus, per medios hostiles exercitus perrumpat; & per tela, per hostes haud dubiam in mortem vadat, quo Duci inimico jugulum petat, & morti illius ipse quoque immoriatur: si Herostratus ‡ aliquis cupiditate famæ, quàm levis, Deus bone! rei & frivolæ, ædem sacram nobilissimam, futuri securus, incendat: si aliqua Arria ⸸ viro suo ad mortem sibi consciscendam præeat exemplo, & simul dicat, *Pæte, non dolet:* si alia fœmina, quò sibi gravem vitam adimat, aut caput in parietes impingat, quia alia ad letum nulla patet via; aut prunam candentem in 1611.

† *Flor. lib. I. pag. 10.*

‡ *Strabo lib. XIV. pag. 640.*

⸸ *Martial. lib. I. Epigr. XIV.*

1611. in os immittat: si Castellus aliquis (ut de hodiernis exemplis unum ponam) ætate penè puer, malitiâ senex recoctus, in Regem suum, Regem gloriosissimum & optimum, nullâque re quàm clementiæ laude magis admirabilem, audeat conspirare, audeat exitium illi machinari, audeat sacram ejus Majestatem pro nihilo ducere; audeat denique securi & Procerum suorum coronâ cincti, os augustum cultro temerare. O vim admirabilem persuasionis! Mihi hæc scribenti, & magnitudinem sceleris animo reputanti, totum horrore corpus perfunditur; vix manus officium facit; vix oculi lacrymas tenent: illi ephebo, rerum imperito, nullo usu docto, aut firmato, ad patrandum, quod destinarat, scelus prodigiosum mens constitit; vultus non concidit, neque refugit manus, quod mens conscelerata jubebat exequi. Omnino res admiranda: sed memores tamen ejus, quod modò dicebamus, admirari desinamus. Nam ubi semel honestatis, nedum pietatis veræ an falsæ, specie mens est occupata, ilicet; periculorum respectus omnis cessat mortis, & cruciatuum, quamvis quæsitissimorum, metus. Quid autem non potest, qui perfectam mortis ἀφοβίαν inducere in animum potest? Dominus est alienæ vitæ, quisquis prodigus suæ. Nôsti vetus verbum:

Τίς ἐστι δοῦλος τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν.

Quamobrem malè rationem subducunt, si qui existimant, securitati Principum suorum fore abundè consultum, ubi in parricidas novis & inauditis suppliciorum generibus fuerit animadversum. Atqui parum est, jam consummatum scelus ulcisci & punire, nisi ἄνωθεν τὴν πηγὴν διορύττομεν, ut Græcorum habet proverbium; & ad fontem ipsum, unde scaturiit malum, ascendimus; nisi omnes aditus, omnes viæ, omnes semitæ, quæ sive recto, sive obliquo tramite eò ducunt, sollerter investigatæ, & maturè fuerint obstructæ. Quis porrò sanus cerebri ambigit, novam hanc doctrinam & libros ei afferendæ conscriptos, quibus hodie nihil frequentius, ad Principum contemptum viam munire? Ex contemptu autem facilè homines impelli ad prava quævis consilia, rebelliones, conspirationes, cædes denique & parricidia, omnes intelligunt. At quorsum hæc? inquies; nemo enim eorum, qui in Apologia hac defenduntur, Principum occidendorum auctor unquam fuit. Viderimus posteà, num alicujus Galli innocentia hic defendatur; num aliquis Anglus dilaudetur, & cœlis inseratur, qui ejusmodi criminis fuerint affines. Interim hoc dico, & eò confidentius dico, quia apud te, quem videor nôsse: etsi nemo eorum, quibus Apologia ista patrocinatur, ad Principum mactationem disertè Lectorem instigat; multa illos tamen docere, ac velut è sacro tripode pronuntiare; quæ parricidium meditantibus animos facere, & in nefando incepto confirmare sint idonea. Itaque talia scripta, & quidem ea ipsa illorum loca tam accuratè defendere, an in eo sit ferendum, qui se bonum civem, subditum fidelem, & Domini Jesu discipulum ac sectatorem haberi postulet; te, mi Fronto, judicem fero. Simul velim illud cogites, quàm sit periculosum, docuisse aliquid virum insignem, puta aliquem è vestra Schola Theologum, quod per πορισμάτων & consecutionum mysteria, consilia dira animo volventibus videatur favere. Sæpe enim, quod dicitur, exiguum est; quod è dicto sequitur, magnum. Hoc quam vim habeat, & habet, meo judicio, maximam, peto à te etiam atque etiam, ut mecum heic æquo placidoque animo velis expendere. Nam & operâ eâdem cognoscemus, quo candore Apologiæ Auctor in hac defensione sit usus; Principibus æquum, an iniquum se præbuerit; spes denique illa vestra an ex merito venerit. Primus, de quo agitur, est Petrus Ribadeneira, Scriptor de nomine satis mihi notus; de scriptis non adeò. Nam præter libellum, *De tribulationibus hujus seculi*, sanè pulcherrimum, pauca illius adhuc vidi; & ille ipse liber, unde sunt desumpta verba, quæ in controversiam veniunt, ad manum mihi non est. Sequar igitur Apologistæ fidem, & concedam illi non invitus, venisse nunquam in mentem Petri Ribadeneiræ facinoris tam execrandi, ut parricidia Principum suaderet, aut etiam laudaret, per se quidem & ἁπλῶς· quia tamen non obscuram significationem dedit, Henrici III. dirissimam cædem se probasse; quia etiam parricidæ tartarei sic meminit, ut propius multò absit à laudante, quam à detestante, quod in Sectatore Jesu non immeritò aliquis demiretur, negari non potest, datam esse occasionem suspicioni haut injustæ, quasi eorum saltem Principum cædem non improbaret, qui gratiâ Pontificis Maximi quoquo modo exciderint; quum præsertim pessimo exemplo Principi, quem perditissimus Monachus, proprius subditus, per immane scelus occiderat, ipse professione Theologus, maledicat; Princi- 1611.

1611. pi, inquam, mortuo, quod vix ab immanitate barbara queat excusari; & quidem ejusmodi Regi, qui vel fatente Apologistâ, utut illi cum Papa tunc non conveniret, semper tamen, dum vixit, & re & nomine fuit Christianissimus. Sed excusat Ribadeneiram Auctor, & furore illorum temporum ait abreptum. Quasi nihil peccaret, qui furorem aliorum sequitur: præcipuè is, qui Theologus audiat; non unus è multis, sed primarius, & quidem è Societate Jesu: immò vero in peccato eodem non par culpâ eorum, qui ducere docereque debent, & eorum, qui duci & doceri. Nam ἐὰν τὸ
* Math. v: ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται *. Lau-
13. do interim Apologistam, & quod dat, accipio. Nam is ingenuè hìc confitetur, rebellionem adversus Henricum III. furorem merum fuisse temporum; quam verissimam sententiam suam nescio an Cardinali Bellarmino sit probaturus, qui Lutetiæ egit per illos annos publici furoris, totius conjurationis (Ligam vocant,) approbator, fautor & fax præcipua. Nam de Papis duobus, à quibus profectæ excommunicationes funestissimum illud patriæ furentis [ut hic fatetur] incendium conflarunt, nihil dico. Ribadeneira igitur, expressis ille quidem verbis parricidia Principum non laudat; quem tamen probavimus, videri posse non absurdâ consequentiâ quasdam Regum cædes non improbasse. Hoc verò quid aliud est, nisi animos potius addere parricidia meditantibus, quàm à scelesta cogitatione scelestos avertere? Istud autem peccatum Apologistæ videatur an bonum factum, equidem nescio; verùm scit Deus ὁ καρδιογνώστης. Omnes certè Principes, omnes Politici; omnes non ficti, neque artibus corrupti exoticis subditi, Regum præsertim Christianissimorum, gravissimè Ribadeneiram peccasse contendent. Atque hoc si candidè, ut bonos decet, Apologista esset confessus, ingenuo candori debitam laudem merito suo tulisset.
† Carolus Scribanius. Sequitur Auctor † Amphitheatri Horroris, Honoris volui dicere; quem librum Apologista cùm laudat, tanquam exquisitæ eruditionis plenum, suo ipsiusmet indicio sorex se prodit. Nam totius literaturæ melioris rudem esse oportet, ac planè quid sit Latinè loqui, aut saltem, ut vetus Poëta ait, ἀνθρωπίνως λαλεῖν, ignorare, cui nævosus ille liber & κώθωνας ἐξημμένος, atque, ut cum
‡ 2 Pet. 2: 18. Petro Apostolo dicam ‡, ὑπέρογκα ματαιότητος φθεγγόμενος, potest placere. Næ illis, qui amphitheatralem illam & histrionicam verborum ampullatorum congeriem ex Apuleji Asino, & aliis 1611.
præcipuè Africanis Scriptoribus nullo judicio collectam admirantur, oleum miserè periit & opera, si quam in libris veræ Latinitatis evolvendis aliquando posuerunt: nam παιδείας quidem Ἑλληνικῆς & omnis solidioris eruditionis ipsos esse πλέως ἀμυήτους, & mediocriter docti possunt animadvertere. Sed hujus litis ipsum te, Fronto eruditissime, καθίζω δικαστὴν, & unà tecum, si lubet, Andream Schottum, virum in his literis insignem, & Tullianæ eloquentiæ strenuum vindicem. Verùm hoc fortasse leve: illud ego non concoquo, & homine candido indignum judico; quòd dissimulat Apologista scire se, *Clarum Bonarscium* per anagrammatismum esse ipsissimum *Carolum Scribanium.* At quid illi sciunt, qui hoc nesciunt? an verò est aliquis vestrorum in Republica literaria adeò hospes & peregrinus, ut hoc ignoret? Statim ut in lucem τέρας illud prodiit, jactatus est Lutetiæ Parisiorum liber musteus non una ex caussa: docti prodigiosum dicendi genus mirari; magni viri, qui ad clavum sedent Reipublicæ, doctrinam Principibus perniciosam detestari; omnes Auctorem velle cognoscere & quærere. Quæsitus est, & nullo negotio statim inventus; neque dubitavit postmodum quisquam, scriptum esse librum τεράστιον à Carolo Scribanio, Collegii Jesuitici in inclyta Antwerpia Rectore; de quo homine quum amicos Flandros, viros ob doctrinam & simplicitatem morum mihi charissimos, interrogarem, nemo unus est inventus, qui vel specie saltem tenus negarent, ipsum esse Scribanium, qui se Bonarscium dici maluisset; virum cæterà non inhumanum, [sic enim ajebant] & lectionis multæ; virum, qui ubi de hodiernis in negotio Religionis controversiis ageretur, aut de Romani Pontificis potentia, soleat δαιμονίως ἐνθουσιᾶν καὶ κορυβαντιᾶν,

Quælibet in quemvis convitia figere sævus.

Quod & verissimum est, & cuivis compertissimum, qui vel semel & in transcursu ejus Amphitheatri infames Ludos spectaverit. Neque hoc nescit Auctor Apologiæ; verùm dissimulat & tergiversatur. Parum ingenuè hoc quidem: nam si librum probabat, cur tam seriò negat esse τοῦ πατρὸς παιδίον? Si non probabat, cur Operis ἀδοκίμου, cui ne ipse quidem ejus pater præfigere nomen suum apertè est ausus, defensionem suscipit? Audiamus verò præclaram defensionem. Negat, Carolum Scribanium libri primi

1611. mi capite XII. quicquam dixisse, quo Regum Christianissimorum Majestas sacrosancta, & jura antiqua minuantur. Deum immortalem! adeòne frontem periisse de rebus, ut hoc dicere, hoc publicare in Urbe regia, vix dum peracto Henrici Magni funere, certè τ̃ πένθευς ἔτι ἀκμάζοντ@-, nec dum positis lugubribus, aliquis sit ausus? Scilicet injuriam Regibus nostris nullam facit, qui non obscurè Romanis Pontificibus ita eos subjicit in temporalibus, [nam de his est quæstio] ut si eorum administratio fuerit culpabilis, in potestate sit Papæ, non dico, spirituali gladio, paterno affectu in viam rectam revocare; sed temporali gladio, tanquam esset Papa Rex Regum in terris, Dominus dominantium, in ipsos sævire, eos deponere & solio deturbare. At quid est Majestatem gloriosissimorum Regum lædere, & nova jura in eos statuere, si hoc non est? Non sunt igitur, uti video, Reges Francorum sui juris; neque ab unius Dei, sicut hactenus est certò creditum, pendent nutu; sed precario regnant, & vicariam, nescio quam, potestatem habent, à Romano Pontifice, vero Gallorum Rege, ut Canonici sentire nos volunt, sibi demandatam. O Gallia, ô patria mea, quàm tu alia longè nunc es, atque olim fuisti! Sed ignoscamus Apologistæ: credamus, eum non perfidiâ in Reges suos, verùm ignorantiâ peccare; nescit enim, credo, Regum Christianissimorum jura, quæ nemo tamen germanus civis & cordatus Gallus aut potest, aut debet ignorare. Nescit, quid Papæ Bonifacio VIII. Rex Philippus, Philippi Audacis filius, Pulcher, rescripserit. Nescit, quid ejusdem Regis magnanimi auspiciis Sarra Columna, & Nogaretus Narbonensis fecerint. Adiret igitur Sorbonam, & celeberrimæ illius Scholæ Doctores consuleret. Doceret eum Sorbona, quàm fuerit hactenus in Galliis periculosum, hoc nescire. Narraret, quoties ipsa Ordini amplissimo assensum præbuerit, severè in eos animadvertenti, qui mitiora longè quàm Scribanius dixissent. Commemoraret eorum exempla, qui vel prioribus seculis, vel hoc nostro, ut Joannes Tanquarellus, Florentinus Jacobus, & Thomas Blanzius *, quòd de temporali potestate Papæ ausi essent mutire, pœnas meritissimas luerunt. Omitto recens exemplum in thesibus de Jure Canonico editum, à viro docto, & aliàs optimo, utrique nostrûm notissimo, bonarum literarum Professore Regio publicatis. Sed nihil agimus: negat enim Apologista, de Gallorum Regibus loqui pseudonymum 1611. Bonarscium, verùm de immanibus Tyrannis, quales olim fuisse accepimus Dionysios Syracusis, & alibi alios. Negat? hoc vero mirum & portenti simile mihi videtur; virum gravem, genere vitæ Theologum, adeò sine ullo pudore esse, ut, quæ verissima sciat esse, & omnium legentium oculis exposita, negare sustineat; quæ nôrit esse falsissima, ea affirmare non vereatur. At quid igitur sibi vult, ô te appello, quisquis es, Apologiæ hujus Auctor; te appello, & conscientiam tuam convenio, quid (inquam) sibi vult lemma hoc capiti illi ab Auctore præfixum? *Societas, inquit Calvinista, evertit Galliæ Regnum, cùm docet, Pontificiam excommunicationem in Galliæ Reges esse validam.* Hæc est thesis, adversus quam totius illius capitis disputatio est instituta. En Galliæ Regnum; en Galliæ Reges. Quorsum autem, si de Galliæ Regibus non agitur? Ubi Apologistæ candor? ubi sinceritas? ubi conscientia? Res ita habet. Scopus Bonarscii eo capite est, disertissimum virum, Arnaldum, Advocatum Parisiensem, refellere, & plures alios, qui scripserunt, Jesuitas contraria dogmata legibus Regni Gallici tueri, cùm docerent, illam Paparum excommunicationem Regum nostrorum debere esse validam; quæ non sacris arcere, verùm Regno; non emendare vitam Regum, sed tollere, nisi cedant imperio, propositum habet. Adversus hæc majorum nostrorum indubitata axiomata pertendit Bonarscius, Romanum Pontificem habere potestatem, si quis legitimus, verus, certus Rex Galliarum, jure suo abutatur, subditos vexet, denique Regni formam in tyrannidis speciem mutare videatur; hunc ut possit, non dico, Ecclesiæ communione privare, quod olim fecit Ambrosius in Theodosio; nam de eo genere excommunicationis litem Arnaldus nullam moverat; sed deponere, dejicere, & in illius locum Regem alium instituere. Inde ista verba in ejus capitis contextu: *Nihil tamen Pontifex in Galliæ Regem?* Audin'? Regem. Et paulò post: *Vestigia P. Tarquinii in Collatini lecto sat justam causam dederunt: nulla justa est Gallum abrogandi?* Deinde: *Dices neminem retrò Gallorum Regem anathemate percussum.* Quid apertius? quid clarius? Ecquid Apologistam pudet? opto magis quàm spero. Nam qui æquivocationis emplastro fraudes, mendacia, perjuria tegere nôrunt, his frontem æream licet habere, cor involutum & multiplex. Notum verò

* *De his vide sis J. A. Thuanum Histor. lib. CXIV. mox in initio.*

1611. verò jam omnibus, quàm lubrica vox sit apud doctrinæ istius auctores, TYRANNUS; neque jam hoc verbo aliud aptius ad κρησφύγετα distinctionum & æquivocationum præstigias. Apologista igitur, cùm dicit, Bonarscium non de Regibus Gallorum, sed de Tyrannis loqui; etsi manifestissimè, ut probavimus, falsò loquitur; non tamen mentiri, sed æquivocationis beneficio uti dicendus. *Tyrannus* enim publicâ notione in Schola Sorbonæ & aliis antiquæ simplicitatis legitimo Principi opponitur, & eum significat, qui imperium non suum per vim aut malas artes invasit. In doctrina verò Hildebrandica Tyrannus audit, quamvis legitimus Rex, qui à Pontifice fuerit excommunicatus. In hac ambiguitate ludere Apologistam, & ferè omnes hujus doctrinæ auctores, cæci sunt, qui non vident; Principum suorum hostes sunt professi, qui vident, & negare tamen sustinent. Par omninò & similis Apologistæ ingenuitas, cùm aliquantò post negare non reformidat, eundem Bonarscium octavo capite libri primi Guignardum designasse, cum totis ingenii viribus quendam Ordinis Jesuitici deprædicat, & in cœlitum refert numerum, qui propter scripta seditiosa, (furore illorum temporum hic quoque abreptus, cujus equidem doleo vicem; sincerè loquor, καὶ οὐκ ὀνειδίζω τύχας) & contra Regum nostrorum jura, supplicio fuit Lutetiæ affectus. Minus miror, Apologistam ingenio heic uti suo. Nam Scribanius, cùm illa scribebat, Ordinem amplissimum, cujus decreto supplicium illud fuerat exactum, reveritus, nomen ejus, quem cœlo donabat, non est ausus enuntiare. Voluisse illum, sed magno aliquo metu fuisse impeditum, declarant hæc ex illius capitis indigitamentis verba *: *Tenebris ego te nunc condam, amica lux: patere; fors dabo te aliquando, clarissimum sidus, liberiore campo.* Iterum: *Recludam te, illustris urna, clarissimi sideris fida custodia.* Apparet voluisse, & vehementissimè quidem voluisse nominare, nec ausum tamen; alio tempore constituisse nomen sideris novi effari, & quidem, sicut olim Pindarus fecit, σὺν τόκῳ τὸ χρέος καταθεὶς, præsens silentium fœnore luculento velle pensare. Metûs autem caussam fuisse hanc, nemo ambigit; ne fortè ea res Societati vestræ, ante paucos tum menses Lutetiam admissæ, fraudi esset; & hoc Bonarscium ipsum significare voluisse, non ausim quidem pro certo affirmare, qui oraculorum interpretem non profiteor; suspicor tamen ex istis verbis: *Tegat illa membrana dignitatis.* Et statim: *Satis magnam carnificinam tenue velamentum tegit.* Quicquid hujus sit, Guignardum certè sequens disputatio de caussa supplicii, ita perspicuè demonstrat, ut ne sol quidem meridie claro sit clarior. 1611.

* Pag. 70. edit. 1606.

Nam suaviludius est Apologista, cùm argumentatur, non sentire Auctorem illo capite de Guignardo, quia illum, de quo sentiebat, appellet *ultimum nihil amplius doliturae domûs innocuum piamentum.* Non enim posse nominari *ultimum*, qui solus ex illo Ordine pœnas in Gallia luerit. O argutias! Jam primum istud falsum est; nam & alii sententiam passi, ut Alexander Hajus †, qui perpetui exilii damnatus. Deinde quàm nugatorium est, exactam verborum proprietatem ab eo Scriptore exigere, cui nihil placet nisi novum & insolens? Sed injuriam facit Bonarscio Apologista, ignorans cum Jurisconsultis ipsum esse sic locutum, qui ultimum posse dici non abnuunt eum, quem sequitur nemo, etiamsi præcedat nemo. Si per graviora tua studia licet tibi, inspice, sodes, duo illa Amphitheatralia capita; non dubitabis, hoc sentire Auctorem, hoc docere: nostros Reges, Francorum, inquam, Christianissimos Reges, non minoris duntaxat excommunicationis telo peti posse à Papa; verùm etiam majoris illius fulmine afflari; quæ Principes aut mente, aut viribus destitutos, (nam his solis metuitur id fulmen) Regnis verè suis exuit, & subditos impiâ audaciâ armat in Christos Domini, Dominos suos: quod si propter doctrinæ hujus assertionem, legibus antiquis & piissimis pœnæ à quoquam fuerint exactæ, hunc in beatorum Christi Martyrum, [ô novam & doctrinæ Christi contrariam doctrinam!] numerum esse referendum, pro Martyre colendum. Hæc ubi cognoveris, non peto à te, ut facias, quod ante paucos annos Joannes de Roa fecit in Hispania, qui Jesuita quum esset, professionem mutavit, & factus Augustinianus, librum scripsit, *De Juribus principalibus defendendis & moderandis justè:* quem librum ait Baronius Annalium Tomo sexto, Romæ se exspectare incredibili cupiditate, ut statim publicè cremandum curet. Hoc ego à te non peto; illud te vehementer rogo, ut de Apologistæ fide & sinceritate erga Reges Christianissimos, quid sentire nos oporteat, ipse statuas. Nam equidem inter pestilentis alicujus doctrinæ auctorem, & ejusdem defensorem, quid admodum intersit, non video. Sed omittamus Amphitheatralem

† J. A. Thuanus, Historiar. lib. CXII. anno Christi 1595.

1611 lem istum Scriptorem, melioris omnis doctrinæ pus atque venenum. Tertius ordine Cardinalis Bellarminus sequitur; in cujus crebrò repetita defensione vellem Apologistam, quàm acrem se suorum Symmystarum, & nominatim hujus propugnatorem ostendit; quod in caussa justa justè in eo reprehendere nemo posset; tàm civem bonum & dignitatis securitatisque Regum nostrorum, ac Principum etiam aliorum à Deo institutorum studiosum, probasset; quod pietas, quod fides subditi, quod imitatio Jesu, quod recens Regis nostri cædes, exigebant ab illo, ut seriò faceret. Nunc quis Principum suorum amans, & de salute eorum sollicitus, patienter ferat, eum sine exceptione Auctorem defendi & laudari, idque Parisiis, cujus doctrinæ, ceu Principibus inimicæ, exitiabilis & funestæ, Ordinis amplissimi Patres nigrum theta nuper adeò præfixerunt? Quid? An illi Senatus Parisiensis inane nomen sine re videtur? & nihilne sibi metuit, qui tam manifestò Patrum amplissimorum auctoritatem aspernatur? At vir magnus est Cardinalis Bellarminus, & de Romana Ecclesia benè meritus. Non jam disputo, benè an secus de Ecclesia Romana esse meritus dici queat is, cujus scripta tantum justissimæ invidiæ Sedi illi & Pontifici, nihil tam insolens sibi fortasse vindicanti, conflarunt: poterat certè Bellarminus & de Romana Ecclesia, & de universo nomine Christiano mereri haut paullò melius, si ingenium, quo excellit, & doctrinam, pio charitatis fervore succensus, ad tollendam potius quàm augendam Ecclesiæ scissuram contulisset; si quanto studio & diligentiâ non jam τῦφον κοσμικῆς ἐξουσίας, quem Patres Ephesini Concilii olim fugiendum in Ecclesia monebant, ut & Patres Carthaginenses, typhum seculi; sed Principibus terribilem Papæ omnipotentiam, & spiritum superbiæ, Ecclesiæ exitiabilem, tot lucubrationibus suis acerrimè propugnavit; tantum studii & diligentiæ impendisset, ut malis Ecclesiæ, per aliquot jam secula assiduè gementis, & ad pristinam disciplinam revocari gestientis, aliquod pro sua virili remedium procurasset. Tunc verè magnus Bellarminus ab universi Orbis Christianis audiret; tunc unanimi concentu, Principes pariter & Principum subditi, laudes ejus nomenque celebrarent. Nunc quo pacto sine perfidiæ nota fideles Principum subditi laudabunt, quæ contra Regum jura, & in Principum certam perniciem Cardinalis Bellarminus scripsit tam multa?

quæ tibi quum sint non incognita, eorum commemoratione hoc loco supersedebo. Quare desinat, moneo, Apologista, piis & prudentibus hominibus, quos salus & securitas Regis Christianissimi & θεοσεβοῦς Ludovici XIII. & augustissimæ Principis, Reginæ matris, habet sollicitos; quorum oculis mentis observantur quotidie, tot horrenda bella, jam inde à temporibus Hildebrandi ex hac caussa in Europa exorta & crudelissimè gesta; tot rebelliones, proditiones, cædes & parricidia, nostro seculo ab hoc fonte profecta; qui denique Gallici Imperii Majestatem illibatam & sartam tectam conservari, & ad posteros transmitti cupiunt: desinat, inquam, nominis Bellarminiani μορμολύκειον & inane terriculamentum objicere. Ad populum phaleras, ad pueros hanc μορμώ. Viri graves sunt, qui se huic doctrinæ opponunt, pietate erga Deum, fide erga suos Principes, constantiâ in dictis factisque, admirabiles. Hi doctrinam Gregorii VII. & Bonifacii VIII. gravissimis Edictis sæpe olim, & nuper admodum à se damnatam, semper exsecrantur, semper exsecrabuntur. Neque verò indignari debet Cardinalis Bellarminus, hanc in Gallia prodigiosam doctrinam improbari, rejici, explodi; quam constat neque fuisse hactenus unquam in Regno Francorum probatam, neque antiquis Ecclesiæ Patribus, per longam plurium seculorum seriem, fuisse cognitam; & cum disciplina atque exemplo Domini Jesu è diametro manifestissimè pugnare. At per Deum immortalem! quid illis venerat in mentem, qui sibi tibique, mi Ducæe, persuaserant, Apologiam istam, quæ tot locis Bellarmini scripta adversus serenissimum Magnæ Britanniæ Regem tuetur, & quæ Garnettum Martyrem toties dilaudat, eidem Regi prudentissimo ratione ullâ posse probari? Existimarunt illi videlicet, Regem JACOBUM, multorum aliorum Principum similem, susque deque illa habere, neque ad ipsius cognitionem libros ejus argumenti pervenire. Itaque facilè esse, Majestati illius persuadere quicquid luberet. Qui si Regem nôssent, tantæ temeritatis nunquam sese obligassent. Nihil enim illum fugit eorum, quæ à vestris hominibus, aut quibusvis aliis de hac Pontificis temporali potestate scriptitantur; adeòque Majestatem ejus nihil istorum latere patiuntur sui ministri, quos habet ubique fidissimos; ut hanc ipsam Apologiam ante plures menses, vix dum absolutâ ejus in Galliis editione, & nactus sit, & percur- 1611.

1611. rerit, si quam fortè ingenuæ mentis & sinceræ notam observaret; ac mox cognito, cum hoc elogio rejecerit: *Qui hostes meos defendunt*, inquiens, *hostes mei sunt. Qui proditionis manifestæ compertos, ac voluntate saltem parricidas laudant, & Martyres faciunt, pro communibus omnium Principum proditoribus & parricidis haberi digni sunt.* Rectè sanè hoc & prudenter, ut omnia, Rex maximus: nam quid aliud de eo libro Majestatem ipsius par erat judicare, cujus pars magna Bellarminum hostem ipsius manifestum, & novos cœlites, Garnettum atque Oldcornum, tuetur, & beatos prædicat? Ac de Bellarmino quidem plura nunc non addemus; qui suum illum librum contra Barclajum, à Barclaji filio, memoriæ & doctrinæ patris strenuo vindice, & à pluribus aliis, videbit brevi soricinâ næniâ confossiorem redditum. Porro pergamus. Cardinalem Cardinalis excipit, Bellarminum Franciscus Toletus; Societatis quidem ejusdem; at mentis, ut verè affirmare posse videor, non ejusdem: multa enim Toletus scripta edidit; multos in Sacras Literas eximios Commentarios conscripsit, in quibus nullum, quod sciam, doctrinæ Hildebrandicæ vestigium, nisi fortè leviter impressum, apparet. Memini, cùm ante annos viginti, & quod excurrit, Toleti in Euangelium Joannis Commentarii ad Theodori Bezæ manus primùm pervenissent; qui tum fortè eundem divinum Euangelistam in publicis Lectionibus exponebat; virum illum, ut erat doctissimus pariter, & doctorum candidissimus æstimator, impensè Toleti illud Opus mihi in privato colloquio laudasse: & meritò. Nam in ejus scriptis, quæ legi, cum excellente rerum Philosophicarum & Theologicarum notitia par certat modestia; quæ, judicio meo, tum in alio quovis Scriptore, tum in Theologo potissimùm, laus est vel præcipua. Ac licet non negaverim, Toletum in ornando Romano Pontifice admodum liberaliter aliquando agere; nova tamen portenta sententiarum, qualia Bellarminus è fœcundo suo pectore multa promsit, apud illum non invenies. Nihil dicam de libro contra Barclajum, qui quantus quantus est, totus est, non περάσιος, verùm τέρας & portentum novi generis: sed vel unicus Recognitionum pusillus libellus, in quo Bellarminus κριτῶν αὐτὸς αὐτοῦ scilicet γνώμων, scripta sua recensuit, quàm fœtus est novarum & mirabilium sententiarum? Unam aut alteram, exempli gratiâ, afferam. *Pasce oves meas*, hoc est, ait Bellarminus, *Regio more impera.* Et hæ sunt Cardinalis illustrissimi δευτέραι φροντίδες, quibus nihil melius ab eo possumus exspectare. 1611.
Tale & illud: *Paulus de jure Cæsari subjectus non fuit; nec ad eum appellavit, tanquam ad Superiorem suum.* Item illud ex eodem libro: *Pontifex olim de jure Imperatori subjectus non fuit:* & id genus alia multa, ad Romani Pontificis, in terris degentis, ἀποθέωσιν novo audaciæ exemplo excogitata: quæ aliquis fortasse credat Judæus Apella; at nemo credet gnarus veteris fidei, veteris disciplinæ & Historiæ. Dolebunt potius veri Christiani omnium novitatum aspernatores, per istiusmodi novas inventiunculas ad priscam fidem abolendam (Deus omen avertat!) viam muniri. Enimverò Cardinalis Toletus, etsi eruditissimus, & Bellarmino, uti dicebamus, longè moderatior, homo tamen erat, & falsas opiniones cùm suscipere ipse, tùm aliis tradere poterat; quum præsertim in ea civitate & inter eos versaretur, qui dissentientes à se, in iis maximè capitibus, quæ ad potentiam Pontificis amplificandam faciunt, haut facilè, sicut accepi, essent laturi. Quæ igitur ex illo afferri solent, de vi majoris excommunicationis in tollenda Principibus jurisdictionis exercendæ facultate; quæ item de usu æquivocationis & retentione mentali, ea quocunque tandem auctore prodantur, explodenda, & cum detestatione Christianis omnibus censeo despuenda; & eò quidem vehementius, quò majore probitatis opinione fuerit, qui illa docet. Quare Toletum nos quidem hic non defendimus; quod solito candore facere Apologista conatur: miramur magis, virum, aliàs probum, adeò abominandis dogmatis & nomen suum, & scripta maculasse. Nam & Jesuitas nominare possum, quibus illa perfidiæ magistra æquivocatio, humanæ societati perdendæ inventa, non probatur, ut quidem in ea disputatione Toleti explicatur. Sed non sine caussa dubitare hic animadverti viros graves; fueritne illa verè Toleti sententia, quæ hodie in illius instructione, sive Summa Casuum, legitur. Liber enim ille post mortem demum Auctoris, nisi fallor, est editus; & quidem sine ulla Præfatione, quæ fidem faceret, omnia esse Toleti genuina. Tum autem editiones illius circumferuntur ita variæ, & invicem discrepantes, ut suspicio sit, multa γνησίοις adjecta esse, quæ Auctor fortasse, si viveret, obelo transfoderet: atque inter illa hæc duo forsitan loca fuerunt, de quo tamen nihil affirmamus. Sanè etiam in Maldonati Jesuitæ scriptis, quæ postquam ipse diem clausit

1611. clausit supremum, sunt edita, nonnulla auctoritate quâdam censoriâ fuisse mutata, & temporis præsentis opinionibus accommodata, audivi qui affirmarent, viros fide dignos. Transit deinde ad Marianam Apologista; cujus Institutionem Principum occidendorum [sic jure appello eam Marianæ disputationem] cùm damnat, facit, quod virum probum decet. Sed an seriò damnat ἐκ ἄκρου μυελοῦ ψυχῆς, ut ait Euripides, an extremis labiis, & cum aliqua subtilitate, non abs re dubito. Video enim, non esse vestræ Societatis hunc morem, ut quod alii laudant, alii vituperent. Marianam autem partim apertè laudant, partim hanc ipsam illius disputationem defendunt P. Ribadeneira, Scribanius, qui se mentitur Bonarscium, Gretserus, Martinus Becanus, & plures fortasse alii, quos non vidi. Cur hoc vehementer magis magisque indies suspicer, accipe. Allatus est non ita pridem ad serenissimum Regem liber Anglicus, hic deprehensus, nescio unde è regionibus transmarinis in hanc Insulam ad eos missus, qui Romano Pontifici adhærent. Suspicari licet ex Epistola Auctoris, scriptum esse librum in Italia; quem etiam ibidem fuisse editum, nonnulla suadent; non minimè autem illa verba, PERMISSU SUPERIORUM, quæ imâ paginâ primâ habentur. Ejus libelli duæ partes sunt: prior Epistolam continet P. Cottonis declaratoriam ad Reginam, in sermonem Anglicum versam; posterior, Dissertationem adversus eos, qui post Henrici Magni cædem accusare doctrinam vestram sunt aggressi. In hac parte, ubi primò doctrinam de occidendis Principibus Ordini vestro non probari testatus est; ubi etiam multa narravit (sed ficta omnia & falsa) de præmiis, à Ludovico XIII. Rege Christianissimo, & augustissima Regina in vos collatis, pensandæ injuriæ, quam ab osoribus vestris accepistis: mox ad Marianæ seriam defensionem anonymus ille Scriptor se accingit; præfatus, propterea id à se fieri, quia P. Cotton in Epistola sua, sive modestiæ, sive brevitatis caussâ, vel potius tempori serviens, Marianam reliquerit indefensum; velle itaque se, quod Epistolæ illi deest, supplere; & operâ eâdem cùm Jesuitas, tùm Ecclesiam Catholicam à suspicione pravæ doctrinæ liberare. Affirmat igitur, Marianam totâ illâ disputatione non de Regibus loqui, sed de Tyrannis. Quod diabolicum esse mendacium, affirmamus nos; nam de Henrico III. Rege legitimo, non de aliquo invasore Mariana loquitur.

Tum addit, tractari eo loci quæstionem 1611.
à plurimis agitatam; quos omnes quum moderatione superaverit Mariana, non ausus liquidò affirmare, quod alii certò definiunt; satis ex eo posse intelligi, illos, qui Marianæ librum ejusmodi doctrinæ obtentu Lutetiæ condemnarunt, non Marianam, sed Jesuitas; immò non Jesuitas, sed ipsum Jesu Christi sanctissimum nomen, (ô blasphemum os!) odisse. Ipsa Auctoris verba hic subjiciam, ut per eos, qui isthîc Anglicè nôrunt, intelligas, nihil me comminisci: *They are enemies of that holy name of* JESUS, *that condemned Mariana for any such doctrine.* Hoc est, ad verbum: *Illi sunt inimici sancti nominis JESU, qui condemnarunt Marianam propter talem doctrinam.* En tibi, mi Fronto, unius Jesuitæ; aut è magnis Jesuitarum patronis unius, sed non solius, judicium de prudentissimis Senatûs Parisiensis Patribus, qui illam Institutionem Marianæ ultricibus flammis meritissimè addixerunt. Quod si huic Scriptori fidem habemus, ne P. quidem Cotton aliter sentiebat, quando Epistolam illam ad Reginam matrem scribebat; sed animum dissimulans, Phocylidæ præceptum usurpabat, Καιρῷ λατρεύειν, μηδ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισι. Ego malo credere, magnam istum terræ filium P. Cottoni injuriam facere: vides tamen, mi Fronto, quàm longè absint ab eo multi hodie, ut Marianæ illam dirissimam Diatribam detestentur. Et quare, obsecro, parricidarum magistrum exsecrarentur, quibus parricidia placent, parricidæ laudantur, & beatitudine Martyrum digni censentur. Planè ejusdem hominis est, Marianæ probare judicium, & proditores ac parricidas consecratione dignos judicare. Nam Sixti V. Orationem, ut puto, non ignoras circumferri, verè an falsò, in Consistorio Romano post Henrici III. cædem habitam. Neque fugit Romanorum Censorum judicium, qui alia quædam Marianæ scripta nuper notarunt, illud non notarunt, in quam partem à rerum peritis sit acceptum. Nam in hac re, si unquam in alia, jure licet de illis Aristarchis regulam Juris civilis usurpare: *Qui tacet, consentire videtur.* Excusat tamen illos Apologista alicubi, & nihil pronuntiatum Romæ adversus parricidialem Marianæ Instructionem ait, propterea quòd nemo fuerit, qui eo nomine Auctorem deferret & accusaret. Mirum verò, quum de Marianæ libris instituta semel esset cognitio, nemini Censorum illorum venisse in mentem hujus disputationis, illâ,

1611. illâ, quam notabant, millies, imo μυριάκις millies perniciosioris. At latebat eos liber ille Marianæ. Hoc verò quis credat? Quis non videat, dictu esse ridiculum? Nisi quod aliis utuntur oculis, cùm res Papæ agitur; aliis, cùm res Principum: in illis Argo oculatiores sunt; in his talpâ cæciores. Marianæ igitur disputationem, quæ Lectores ad Principum suorum parricidia instituebat, non viderunt: sanctissimum Senatûs Parisiensis Decretum contra parricidam Castellum, quia in eo pauca verba erant Papæ ingrata, viderunt, & æternùm detestando exemplo, Censuræ suæ illud subjicere non dubitarunt: ὁδηγοὶ τυφλοὶ, καὶ διϋλίζοντες τὸν κώνωπα, τὸν δὲ κάμηλον καταπίνοντες *. Sed neglectis rationibus omnibus, quæ suadere contrarium valerent, agamus cum Apologista benignè, & credamus ipsum verè ἀπὸ εἰλικρινείας, sine fuco & fallaciis, simplicitate Gallicâ, non levem aliquem hiantis & malè parati calami errorem in Mariana damnare; sed totam illam ejus Dissertationem detestari, sicut locis aliquot profitetur: adhuc tamen hæret in luto; nec qui se expediat, honestam satis rationem video. Nam quare aliorum caussam tuetur, qui adversus Protestantes Germanos Marianam magno studio defenderunt? Ego non capio, quomodo possit Apologistæ constare facti ratio; cùm defendi aliis probat eum Scriptorem, quem ipse non semel gravissimis verbis detestari se ostendit. Jam quod in illo sermone pronuntiat, libros alios reperiri, de quibus omnes sileant, millies Marianâ periculosiores; quos libros intelligat, aut quorum accuset silentium, multi, opinor, juxta mecum ignorabunt. Quibus autem periculosiores? Non sanè Principibus, quorum Majestas minuitur, dominatio destruitur, vita petitur per Marianæ doctrinam. De animarum fortasse periculo dicet se locutum & hæresi; sed de eo nunc quæstio non est: neque vero si id ageretur, difficile esset, quà rationibus, quà Patrum testimoniis probare, pestilentissimam hæresin esse doctrinam Hildebrandicam. Fallor verò, aut non defuturi sunt, qui ex illis Apologistæ verbis conjecturam faciant, necdum satis intelligere eum magnitudinem criminis à Mariana admissi, quando parricidam Henrici III. Regis Christianissimi, non secus ac διογενῆ aliquem Heroëm, laudibus in cœlum tulit, & alios ut similia susciperent parricidia, diligenter instituit. Vide verò ingenium hominis & candorem! Wecheli hæredes gravissimè accusat, quorum sumptibus posteriorem Marianæ editionem curatam dicit; eos non 1611. accusat Jesuïtas, qui Wecheli hæredibus ejus consilii fuerunt auctores, qui Moguntiæ Typographo, Balthazari Lippio, potestatem imprimendi fecerunt; qui singula folia cùm ederentur, videre potuerunt, & silentio saltem suo factum probarunt. At quæ hæc est iniquitas? quæ προσωποληψία? aut quid est nocentem absolvere, innocentem premere, si hoc non est? Wecheli hæredes mercatores sunt, neque literarum ullam peritiam profitentur; & Francofurti ad Mœnum degunt. Significatum est illis à Jesuita non vulgaris existimationis, allatum esse ex Hispania Marianæ librum; semel jam Toleti editum cum approbatione Superiorum Societatis Jesuïticæ, & Regis Catholici privilegio; eum, novâ limâ perpolitum, bono publico in Germania editum iri. Ab illis nihil amplius petitum, nisi ut sumptus facerent; de cætero ne solliciti essent; Moguntiæ enim curâ Patrum Societatis Jesu librum iri editum. Ita dictum, ita factum est: ἅμ' ἔπος, ἅμ' ἔργον. Wecheliani pecunias, ut quidem iste ait, dederunt; cætera omnia Jesuïtæ administrarunt, idque Moguntiæ; ubi Wecheli hæredes, aut quosvis alios Protestantium gratiâ multum pollere, audivi hactenus nunquam. At Jesuïtæ quid ibi possint, & Patres Archiepiscopalis Collegii, Christianus orbis jam novit. Et non pudebit Apologistam, ejus editionis culpam omnem in Wecheli hæredes transferre? Non pudebit, palam, ut Poëta ait, ἀναίτιον αἰτιάασθαι? Parricidam Henrici IV. † lectione Marianæ ad scelus concipiendum fuisse stimulatum, alios affirmare scio, alios negare. Literarum nullam cum habuisse cognitionem, à pluribus accepi; quare concedamus Apologistæ, quod scribit, nihil parricidæ illi cum Mariana fuisse commercii. Sed quod addit idem Auctor Apologiæ, non solùm falsum fuisse eum rumorem; verùm etiam quodammodo esse optandum, ut ille Alastor Marianam legisset; nos ejus voti gratiam illi facimus, & mecum, scio, omnes subditi fideles. Est enim fallissimum, eos, qui cædes Principum suorum cogitant, lectione Marianæ ullo pacto ad mutandum propositum posse adduci. Nam quid invenient, quod eò ducat? Videbunt Theologum è Societate Jesu certo consilio hanc quæstionem tractare, *An liceat Regem legitimum, puta Henricum III. Regem Galliarum Christianissimum, postquam à paucis seditiosis, sed doctis* (nam his arbitrium permittit Mariana, ut de capite Principis sui statuant) *cœperit Tyrannus appel-*

* Matth. xxiii: 24.

† Franciscum Ravaillia-cum. J. A. Thuan. Histor. Contin. lib. III.

1611. *appellari, occidere?* Videbunt concludi ad extremum, licere; videbunt infandam Satanæ progeniem, fraterculum Jacobum Clementem *, ob patratum parricidium magnificis verbis in cœlum tolli. Hæc scilicet prodigium hominis, Ravailliacum dico, adduxissent, ut scelus detestaretur. Velim igitur doceat me Apologista, quibus verbis Marianæ utendum fuerit, quibus argumentis, ut scopum assequeretur suum; & subditis persuaderet, pium esse facinus, Regem suum, cùm opus foret, occidere. Admirantur Græcorum Critici maximum Poëtarum, qui Agamemnonem inducit, suis reditum in patriam suadentem, oratione quâdam miro artificio figuratâ, & verbis, si accipias simpliciter, planè contrarium suadentibus. An existimat Apologista, Marianam eodem artificio in illa disputatione usum? Hæc quidem mira Philosophia est, paucis nota; cujus si Ordinis amplissimi Patribus venisset in mentem, in Marianæ sacerrimum librum nunquam, credo, adeò severè animadvertissent. At ne sirit Deus immortalis; Deus, per quem regnant Reges, ne sirit, ut qui malo erga Principes suos animo sunt, [ecquis autem Principum tam felix, adversus quem nemo subditorum malè sit animatus?] in Marianæ librum incidant, & cum similemve alium Scriptorem in consilium adhibeant. Emanuëlem Sa defendit post hæc Apologista; in quo miseret me hominis frustra laborantis, ut qui ὀδὲ παρ᾽ ὄνης ἄτρακτον ζητεῖ. Vera defensio erat unica & sola hæc; ut fateretur Auctor, multa Emanuëlem, si minus animo malo, certè per imprudentiam scripsisse, & suis illis Aphorismis inseruisse, Principibus nimis periculosa, & proinde bonis omnibus detestanda; verùm ista in postremis editionibus Lutetiæ fuisse sublata. Hujusmodi oratio & speciem aliquam ingenui candoris præ se ferret, & spem nonnullam Lectoribus relinqueret, posse olim fortasse, etiam aliorum è vestra disciplina hominum similes sententias emendari à vobis, aut tolli. Nunc fatetur quidem Apologista, esse nonnulla sublata ex illis Aphorismis; sed errasse tamen Auctorem, cùm illa scriberet, hoc verò negat & pernegat. Quidni autem? aquam è pumice citius expresseris, & Herculi clavam prius extorseris, quàm ex ore Apologistæ erroris alicujus confessionem elicias, quoties de Jesuïtarum aliquo agitur. Nam in fide quidem Jesuïtam errare non posse, atque adeò esse hoc unicum τῶν ἀδυνάτων, cæteris, quæ solent à Poëtis plurima commemorari, posthàc adnumerandum, si nescis, mi Fronto, & puto 1611. nescire, docebo te, ab Apologista doctus, hoc ipsum disertis verbis affirmante. Sic ille capite tertio, ejus exemplaris, quod ad serenissimum Regem fuit missum, paginâ CXIX. *Jungantur in unum*, ait, *dies cum nocte, tenebræ cum luce, calidum cum frigido, sanitas cum morbo, vita cum morte; & erit tum spes aliqua, posse in caput Jesuitæ hæresin cadere.* Magnum hoc, Deus bone! & singulare Societatis vestræ privilegium. Loïola nimirum, Auctor vester, suis omnibus, ut jam disco, præstat beneficium, quod Jesus Christus ὁ φιλάνθρωπος, & ipsa bonitas, singulis Christianis absolutè nunquam promisit. Enimverò Apologistæ parum est visum, si tantum Societati vestræ tribueret, quantum Patribus in Concilio congregatis, & ut Scholastici loquuntur, repræsentativæ Christi Ecclesiæ tribui vulgò solet; nisi etiam singulis Jesuïtis ἀναμαρτησίαν περὶ πίστεως largiretur; quod peculiare Papæ, & quidem in Petri sella sedentis, (nam alióquin & Papas errare in fide, docuerunt satis Marcellinus, Liberius, Felix, Honorius Primus, Joannes duo, XXII. XXIII. atque alii) privilegium esse, hactenus audiebamus. In quo an summum Pontificem Paulum σύμψηφον & consentientem sit habiturus, non est meum quærere; ipse viderit. Gratulor interim Apologistæ, quod tam inusitatæ insolentiæ dictum ei non exciderit, sedente Romæ aliquo Sixto V. qui si jam viveret, doceret illum (nisi falsa sunt, quæ de ejus animo erga Ordinis vestri Patres narrantur) Petri successor, Petri Apostoli verbis, τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, ὅτι ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν *. doceret ipsum, † ἐν φόβῳ καὶ ἐν τρόμῳ assiduè cogitare, *Evenire cuique posse, quod cuiquam potest.*

Τοῖος γὰρ ἀνθρώποισι θυμὸς Γλαῦκε Λεπτίνεω παῖ,
Θνητοῖς ὁποίην Θεὸς ἐφ᾽ ἡμέρην ἄγει.

Sed nihil humilis, nihil mediocris spirat hic Scriptor; qui etiam alio Apologiæ istius loco, vocem docti viri & magni Poëtæ laudat hujusmodi: *Imperium literarum est penes Jesuitas.* Scire, credo, voluit Apologista, celeberrimæ Academiæ Parisiensis eruditissimos Professores, & inclytam Sorbonam, omnesque adeò, qui literas ubique colunt, quâ jam conditione viverent, sub quorum imperio militarent, & quos Imperatores colere ipsi manipulares aut gregales deberent. Nimis hoc quidem profectò candidè; at quàm pru-

* *Hic Dominicanus occidit Henricum III.* Thuan. Histor.

* 1. Petr. 5: 5.

† 1. Cor. 11: 3.

1611. prudenter, hoc rerum statu, idque Luteriæ, haut scio; illud scio, in ipsa Lutetia, ne alia loca commemorem, viros extare doctrinâ & dignitatibus præstantes, qui hanc adeò ambitiosam jactationem, & ridiculum non minùs quàm superbum, φρύαγμα μεγαλαυχήματος, sibilo sint excepturi; quique imperare se Jesuitis, non Jesuitas sibi, æquum esse sint dicturi. Verùm è diverticulo in viam. Quæro ex te, eruditissime Fronto, nihilne Sa peccaverit, cùm hæc scriberet, hæc Confessarios doceret? *Clerici rebellio in Regem non est crimen læsæ Majestatis, quia non est Principi subditus.* Nihilne etiam, cùm ista? *Tyrannicè gubernans justè acquisitum dominium, non potest spoliari sine publico judicio: latâ verò sententiâ, potest quisque fieri executor. Potest autem à populo, etiam qui juravit ei obedientiam, si monitus non vult corrigi.* Nimis scire velim tuum super his judicium. Nam equidem cùm è nuperis Parisiensium Typographorum editionibus ista animadverterem esse sublata, putabam inter vos constare, nequiter ea ac perniciosè dici scribique. Sed errasse me, ex Apologia hac didici; cujus Auctor in Aphorismis Sa nullum observat vitium, nisi quòd homines quidam infirmi, ait, malè ejus verba interpretabantur. Quinam autem, obsecro, isti sunt infirmi & ὀλιγόπιστοι? Ii nimirum, qui in doctrina Hildebrandica nondum satis magnos progressus fecerunt; qui tenerioris adhuc frontis sunt, quàm ut palàm profiteri audeant, Regem suum alii, nescio cui, Regi subditum esse, in temporalibus pariter ac spiritualibus, jus in illum habenti vitæ & necis: qui inducere in animum nondum possunt, rebellionem in legitimum Principem à Clerico profectam, læsæ Majestatis crimen dici non debere. Isti procul dubio sunt, quorum imbecillitati & tenellæ adhuc conscientiæ à correctoribus Parisiensibus est consultum; sceleratis quibusdam Aphorismis è conspectu eorum ad tempus sublatis, qui propter infirmitatem scientiæ & conscientiæ suæ, sine gravi scandalo legere eos non poterant. Planè ut in Eleusiniis olim sacris & opertaneis non statim ad arcanorum omnium notitiam tyrones admittebantur; sed per gradus & longa temporum intervalla, epoptæ ad percipienda τὰ ἄῤῥητα σύμβολα, & sanctiora sacrorum accedebant. Ita doctrina Hildebrandica temporibus est divisa, neque ἀθρόως & semel tota solet tradi; tempore siquidem opus est, ut ingenitam omnium etiam Paganorum animis opinionem de reverentia & fide Principibus debita, etiam dyscolis, 1611. etiam persecutoribus, homines Christiani paullatim deponant; ut Regnum Christi non esse hujus mundi Regnum, (quod Christus ipse dixit) dediscant: & contrà, Regnum Vicarii Christi Regnum esse hujus mundi, atque adeò mundum universum complecti, (quod Papæ multi dixerunt, & hodie plurimi acerrimè defendunt) discant sibique persuadeant; ut *Pasce oves meas*, doceantur esse, *Regio more impera*; ut Clericos omni Principum jurisdictione, in quorum terris nati sunt & degunt, esse penitùs exemptos credant; atque hanc esse veram Libertatem Ecclesiasticam, ut omnes, sive privati, sive Principes, soli Papæ & ejus ministris humilem servitutem serviant. Hæc theoremata, & similia his, quæ tantâ contentione Romæ à Bellarmino, & passim ubique locorum à Bellarmini consecraneis, Hildebrandici dogmatis assertoribus, pro fidei Catholicæ articulis, proh dolor! obtruduntur; sunt illa μικρὰ μυστήρια, quibus longo tempore initiari eum oportet, qui sit futurus εἰκαῖος ἀκροατὴς capiendo magno arcano de Romani Pontificis omnipotentia in Regibus deponendis, & Regnis auferendis, atque ad alios ex utilitate Ecclesiæ, hoc est, Papæ voluntate, transferendis. Apologista verò cùm Sa excusat, & ait, eum, quando negat, Clericos rebellione crimen læsæ Majestatis incurrere, non id agere, ut Clericorum crimen hoc pacto minuat; sed contrà potius, ut multò id reddat atrocius; seriòne loquitur, an ludit? Ludit certè, & simplicitati Lectorum illudit. At tu mone illum, sodes, quærat Marrucinos, fatuos, stultos, & ἀνάγυρους καὶ φρένας ἐκπεπταμένους, quibus tam lepidum commentum narret. Serenissimus Rex hujus sermonis fraudulentam vanitatem & intelligit, & ejus auctorem detestatur. Ecquis verò puer fraudem non deprehendat, qui modò non ignoraverit, quid in vestrorum Scriptorum libris hodie Libertas Ecclesiastica nuncupetur, & quam vim habere illam Hildebrandicæ disciplinæ Doctores contendant? Sciat Apologista, non ignorare sapientissimum Regem, quid de exemtionibus Clericorum Cardinalis Bellarminus, quid de vi mirifica Libertatis Ecclesiasticæ, cùm aliàs sæpe, tùm nuper in controversia serenissimæ Reipublicæ Venetæ cum Pontifice maximo, Joannes Antonius Bovius, Carmelita *, & plurimi alii Romæ, in oculis ipsius Papæ, scripserint & docuerint. Sciat, non latere Regem, ausum esse Marianam in illius ipsius Operis, de quo antè

* Thuan. Histor. lib. 137.

1611. tè diximus, lib. I. cap. x. hoc præceptum Regi Catholico dare: *Neminem*, inquit, *ex sacrato Ordine supplicio*, QUAMVIS MERITO, *subjicito*. Est & illud frivolum ac ludicrum, quod pro magno tamen ab Apologista jactatur; verba, quæ suprà retulimus, ex Aphorismis Sa fuisse detracta. Nam hoc simpliciter ita dictum, nego esse verum, immo falsissimum esse pertendo: extant enim hodieque illa omnia in editionibus, Antwerpiæ & Coloniæ curatis. Quòd autem in iis, quæ Lutetiæ à paucis annis prodierunt, non compareant, quis fraudem non suspectet? aut quis tam εὐήθης & fungus intelligat caussam, cur illa Parisiis omitterentur, quum alibi retinerentur, fuisse aliam nullam, nisi hanc, quòd Henrico Magno Regni habenas tractante, exitialis hæc Principibus doctrina non tam liberè ab ejus assertoribus Lutetiæ docebatur, atque fit alibi? Sunt, qui dicant, etiam Româ prodiisse eorundem Aphorismorum quandam editionem, locis aliquot emendatam. Verùm id quoque jure merito cordatis fit suspectum. Nam quare Romani in Aphorismis Emanuëlis quicquam mutarent ejusmodi, qui dies noctesque id agunt, ut ea dogmata probent esse Catholicæ fidei vel præcipuum caput? Certè tanti momenti articulum, ut qui aliter sentiat, Christianus esse nequeat. Proferatur vel Papæ, vel Aristarchorum sententia, adversus hanc illorum Aphorismorum doctrinam, palam, & quantâ par est, severitate pronuntiata. Tunc credere incipiemus, bonâ fide, non ad fucum faciendum, fuisse illa sublata. Tunc viri pii, qui pro Ecclesiæ pace & concordia Deo Optimo Maximo preces cum gemitu & suspiriis assiduè fundunt, mutare sententiam incipient, & credere desinent, quod ferè jam ipsis est persuasum; frustra aliquid moderationis ab illa civitate exspectari, in qua illustrissimus Cardinalis Bellarminus, & tot alii minorum gentium Scriptores, jussu Pontificis, ut multi existimant, aut permissu saltem, quod negari non potest; jura Principum & Regum Majestatem γυμνῇ κεφαλῇ, quod ajunt, novis quotidie paradoxis, ceu machinis quibusdam & tormentis bellicis oppugnant & funditùs nituntur evertere. Venimus ad Andream Eudæmono-Joannem Cydonium è Creta, simul ad res Anglicas, in quarum mentione fidem illius Apologista sequitur, devenimus. Ergo de rebus Magnæ Britanniæ, quarum præcipuè gratiâ, occasione è literis tuis natâ, ut initio dixi, hæc mihi scriptio est instituta, si lubet, mi Ducæe, paucis agamus. Quanquam quid opus jam de 1611. istis? aut quid de illis dici potest, quod non dictum sit prius, & sæpe repetitum? Cui autem bono toties eadem? Video enim, certum hoc esse fixumque, non dicam huic Apologistæ, aut Germano Cretensi Andreæ; sed omnibus omninò partium vestrarum Scriptoribus, ùt rerum, quæ hic contigerunt, veritatem ægrè admittere ad aures velint; cognitam verò ut palam agnoscant & fateantur, nullo pacto posse adigi. Placet, veras narrationes animis obfirmatis repudiare; placet, falsas fictasque consectari; mentiri denique sine ullo existimationis saltem suæ respectu, aut mentientibus assentiri, placet ac lubet. Deum immortalem! quis vestros homines ἐνέκοψε τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι? aut quis illos fascinavit, ut prudentes scientes veritati, vinci ad extremum nesciæ, filiæ Solis, Naturæ sorori, ut est apud Tertullianum, tantâ pertinaciâ cornua obvertant? Est pretium operæ, hominum ejusmodi spectare iniquitatem & amentiam. Nam cùm de rebus Moschorum, Moschis non inviti omnes credamus, Turcis de rebus Turcorum, Japonibus de rebus Japonum; neque ulla tam barbara gens est aut fera, cui propriam suarum rerum Historiam narranti, non plus fidei simus habituri, quàm cuivis extero & alienigenæ; de rebus tamen Anglorum isti veris Anglis fidem omnem abrogant; aliis credunt, nescio quibus, longè remotis, odio & malevolentiâ corruptis; postremò Græcis, & quidem Cretensibus. Jam cùm sit scriptum, *in ore duorum aut trium stabit omne verbum* *, istis nulla copia testium, nulla dignitas personarum, non privata scripta, non publica Acta; ac ne ipsa quidem Regis optimi, quo veritatem nemo pluris æstimat, quo nemo illi magis devotus; tamen ne hic quidem efficere potuit, ut redire ad sese, pudori suo consulere, & desinere falsa comminisci aut probare propterea velint. Quid agas? stat sententia adamante fixa: in eos, qui de Religione non eadem per omnia sentiunt, convitia & maledicta oportet congerere. Hoc pietatis officium; hæc laude digna & officiosa sunt mendacia; si tamen dicenda mendacia. Pontifex, qui, docente Bellarmino, potest efficere, ne peccatum sit peccatum, ne Cæsar sit Cæsar; cur non id quoque efficiat, ne mendacium sit mendacium? Et hoc scilicet est Dominum Jesum, qui audit ipsa Veritas, cui nihil falsum potest placere, imitari; & quidem non cæterorum hominum Christianorum more, sed peculiari instituto, & religione sanctiore: id

* Matth. XVIII. 16.

1611. id agere, id totis ingenii viribus contendere, ut veritas; veritas, inquam, certa, explorata, omnibus nota; de qua vel dubitare, insania sit; cui se opponere, furor est, artificio narrandi, constantiâ in mentiendo, & consensu mentientium obscuretur, ac de memoria hominum, si pote, tandem funditùs deleatur. Nam quid aliud illi volunt, qui Elizabetham, gloriosissimæ memoriæ Principem, & dum vixit, Deo charissimam, Reginam prætensam, [barbarorum enim hominum hæ sunt elegantiæ] crudelem, immitem, cruoris avidam, Christiani nominis hostem acerrimam & persecutricem; Lupam denique Anglicanam, passim hodie appellant, & ut talis fuisse ab omnibus credatur, quantum ingenii viribus valent, annituntur? Texuntur multis paginis, sed magna ex parte vacuis, eorum catalogi, qui toto regni ejus tempore, quod longissimum fuit, vel ob proditionem, vel ob nefas aliud Regni vetitum, supplicio sunt affecti. Deinde istud esse Anglicanum Martyrologium, miseris populis, & rei veritatem ignorantibus persuadetur. Quin etiam ad conflandam Elizabethæ majorem invidiam, simplici narrationi pictura est adjecta; hoc est, mendacia mendaciis sunt cumulata, scelera sceleribus, portenta portentis. Videre est in eorum libris de persecutione Anglicana, Catholicorum alios ferarum pellibus insutos à rabidis canibus dilaniari; alios ad equorum præsepia alligatos, fœno ibi pascendos. Cernas alibi glires pelvibus inclusos Catholicorum viscera exedentes. Omitto alias suppliciorum diras & horribiles species, in cerebris fingentium pingentiumque impiè & scelestè natas, neque in hoc Regno visas unquam, aut videndas. Dicas, cùm scripta istorum legas, quamdiu ἡ μακαρίτις Elizabetha regnavit, vicos urbium Anglicarum sanguine Catholicorum inter dira tormenta effuso semper maduisse. Adeò, ne ad tentandam quidem inter membra Ecclesiæ Dei concordiam, locum relinqui ullum voluerunt, neque spem ullam bonis superesse. Enimvero non semel, aut iterum; sed sæpissimè, idque à viris optimis responsum est; mitissimæ Reginæ & omnibus piis voluptatem nullam; verùm contrà, dolorem longè gravissimum mortes Catholicorum Pontificiorum solitas afferre: cæterùm omnia ista supplicia, de quibus tantæ tragœdiæ excitantur, partim falsissima esse; partim, si quæ vera sunt, (& sunt nonnulla; pauciora tamen per totum spatium Regni Elizabethæ, quod fuit annorum quinque supra quadraginta, quàm per quatuor annos Reginæ Mariæ) ea horribili carmine Bullæ Pii V. duobus annis minimum esse posteriora: illum esse fontem proditionum penè quotidianarum, quæ in caput maximæ Reginæ ope Diaboli sunt contextæ, ope Dei immortalis sunt detectæ. Porro ex proditionibus leges natas esse, multò quàm priùs severiores. Harum legum pœnas, qui posteà subierunt, de fulmine Pontificis & dura necessitate, quæ ab invita Regina & prudentissimis ipsius Consiliariis eas leges expressit, cur jure merito quererentur, habuerunt: de ipsa autem Regina, aut illis, qui fuere tum illi à Consiliis, cur quererentur? Licuit Romano Pontifici Pio V. Reginam diris devovere; omnes sibi morigeros Reges, Principes, populos, in ipsius perniciem & ruinam universi Regni excitare, in eamque rem omnem lapidem movere? Reginæ & Proceribus ipsius, quò pestem impendentem averterent, leges ferre, quæ sunt latæ, non licuit? Quondam Romanus Senatus, postquam patresfamilias aliquot servorum suorum conspiratione periissent, Senatusconsulto, quod Silanianum esse dictum, servos omnes sub tecto heri occisi repertos, nullo sontis aut insontis discrimine, capitis damnavit. Non defuerunt in Ordine amplissimo, quibus ea lex durior videretur. Sed erat tanti salus & securitas civium Romanorum; cui ut consuleretur, ne illa quidem ratio est repudiata, quæ aliquid ex iniquo trahebat; quòd existimarent magni illi prudentiæ civilis Antistites, paucorum privatorum injuriam publicâ utilitate abundè compensari. Legerunt dubio procul in antiquis Historiis & legitimæ severitatis exemplum, & plura alia non minus memorabilia inimici hujus Regni: legerunt, inquam; & si quid in illis est æquitatis aut disciplinæ politicæ, probarunt. Quare igitur latas pro securitate Elizabethæ leges damnant? Cur tantoperè quiritantur? Si fateri verum licet, tot clamorum hæc vera caussa est. Ut sicariis Cornelia lex non placet, neque Remmia quadruplatoribus; ita illis, qui Principum alicujus vitam habent invisam, quive aliquid de Marianæ doctrina degustarunt, leges illæ supra modum displicent, quæ ipsum præstant innoxium & securum. Jam, quod dicitur, Religionis suæ caussâ Catholicos morte affici solitos, regnante Elizabethâ; gravissimum id quidem esse crimen, si verè objiceretur; libenter fatemur: sed qui sciamus falsò objici, meram esse calumniam, meram sycophantiam affirmamus. In hoc Regno, mi Ducæe, legi- 1611.

1611. legibus vivitur, legibus in sontem animadvertitur. Quomodo igitur Religionis caussâ morte affici Catholici in Anglia potuerunt, quum nulla unquam in hoc Regno lex fuerit rogata, quæ Religionis Catholico-Romanæ modestam sine factione, aut res novandi cupiditate, professionem morte afficeret? Quin ea fuit Reginæ Elisabethæ clementia, ut multos sæpe legibus Regni damnatos, ipsa absolutos dimitteret; si modò agnoscere ejus legitimum imperium, & Hildebrandicæ doctrinæ magis pernitiosis capitibus vellent renuntiare. Hac moderationis prudentiâ, non autem Religionis mutatione, Joannes Hartus, Jesuïta, post longam cum Joanne Rainaldo, viro eruditissimo, disputationem, & vitæ suæ consuluit, & libertatem sibi peperit; magnâ vel eo nomine dignus laude, quòd damnatâ Edmundi Campiani obstinatione in asserenda Pontificis Romani potestate temporali, sive potius omnipotentiâ, aliis bene sentiendi exemplum, quod sequerentur, præbuit. Et verò secuti sunt, cùm Jesuitæ nonnulli, ut Bosgravius; tùm alii plures, ut Risthonus & Hortonus; omnes eo nomine vitam & libertatem nacti. Qui si adhuc vitali aurâ apud vos fruuntur, & liberè loqui audent, verbis sine dubio; sin autem, silentes, præsentiâ suâ mendacii omnes arguunt, qui Catholicos vestros solius Religionis caussâ solitos in Anglia tradi carnifici, impudentissimè dictitant. Atenim nemo ignorat rerum hujus Insulæ peritus, non in odium Religionis Catholicæ, quæ in Ecclesia Anglicana paucis emendatis, & ad pristinam simplicitatem revocatis, quoad ejus fieri poterat, cùm maximè viget, leges latas fuisse, quæ ab aliquot annis obtinent; sed temporum necessitatibus eas fuisse expressas adversus Romanos Pontifices, potestate suâ licenter nimis abutentes; & tunc quando illæ ferebantur, Reginæ Elisabethæ, fulmine à se afflatæ, vitam eripere cupientes, atque omnia in ejus Regno sursum deorsum permiscere satagentes. Si Pii V. Bullam infaustam, quæ ἀρχέκακον πῆμα jure dici queat, legisti; & quæ deinceps ad sententiam atrocem executioni mandandam cogitavit, paravit, quantumque in ipso erat, effecit apud Gabutium & Catenam, Scriptoresque alios Italos, & ipsius Pii encomiastas, aliquando observasti; non potes dubitare verissimum esse, quod jam dixi. Ut interim nihil hoc loco referam, quod facillimum esset, de antiquis Romanæ Curiæ in Reges Angliæ, Ordinem Ecclesiasticum, & cùm Proceres, tùm populum injuriis, vexationibus & angariis, alibi locorum nunquam 1611. auditis, & modum fidemque superantibus rapinis; quorum malorum tot hodieque exstant testes locupletissimi, quot rerum Anglicarum ab annis sexcentis supersunt Scriptores; tot testimonia ineluctabilia, quot ferè paginis constant Matthæi Paris Historiæ, viri omnium citimæ ætatis Historicorum Anglorum (nisi cui placeat Willielmum Malmesburiensem excipere) eruditissimi, & Romanæ alioquin Sedis acerrimi defensoris. Equidem postquam hoc genus Auctorum diligentius versavi, satis intellexi, Angliam, quando rerum potiente Henrico VIII. Pontifici Romano nuntium remisit, grande illud, & æternùm memorabile facinus ad extremum peperisse, quod dudum malis victa, per aliquot secula maximis cum ærumnis suis parturiebat. Possem hoc tibi sexcentis argumentis demonstrare, si id nunc agerem. Adferam huc tantùm prophetiam cum primis memorabilem viri pietate & doctrinâ maximi, Roberti, Lincolniensis Episcopi, qui sub Pontificibus Gregorio IX. Cœlestino IV. Innocentio IV. vixit, ac denum sub Alexandro item IV. moriens, ante annos CCCLVIII. posteaquam illâ ipsâ, quâ obiit, nocte & præcedente, longam querimoniam apud circumstantes Presbyteros ac Monachos de infelicissimo Ecclesiæ statu effudisset; Papam omnium malorum caussam esse confirmans, eumque propterea Hæreticum, & eatenus Antichristum appellans, tandem in his verbis beatam animam Deo reddidit: *Non liberabitur* [inquiens] *Ecclesia ab Ægyptiaca servitute, nisi in ore gladii cruentandi.* Nôrat videlicet sanctissimus Præsul, & verè Dei plenus, non solere eos, qui sive jura, sive injurias Pontificum defendunt, quicquam remittere, aut querimoniis cujusquam, licet æquissimis, vel tantillum moveri. Itaque multò antè futurum in Anglia divinavit, quod tandem aliquando factum videmus; ut Reges Angliæ cum universo Clero, & cunctis Laicis, è dura ac longa captivitate, atque ut ipse loquebatur, *è servitute Ægyptiaca*, vi & armis sese in libertatem assererent. Non ignoro, varias esse hominum sententias de occasione, quam arripuit Henricus VIII. magni incepti perficiendi; sed mihi gravissimè errare videntur, qui in Henrici facto hærent, neque ad priora tempora animum revocant. Quemadmodum enim mortis caussam nemo sapiens ultimæ, quæ hominem rapit, horæ tribuit; sed prioribus vitæ temporibus, per quæ moriendi caussæ paullatim sunt contractæ: sic, repudiatæ, & tanto

1611. cum omnium Ordinum applausu rejectæ auctoritatis Pontificiæ, altius repeti caussæ debent, in antiquis Anglorum Historiis inveniendæ. Quare, etiamsi Henricus VIII. non fuisset, viam tamen fata invenissent, & quod factum est, futurum fuit; quodque in Anglia videmus accidisse, etiam in aliis Regnis, ne dubita, eveniet, cùm erit mensura plena, & Deus volet. Nam οὐκ ἀθεεὶ mutationem hanc Anglicanam esse factam, longa pax insecura, quies publica, inaudita felicitas primò Elizabethæ, deinde serenissimi Regis Jacobi, videntur probare. Atque has Anglorum veteres Historias si isti adeò animosi Curiæ Romanæ Patroni, quantâ par erat diligentiâ, evolverent; si candidè res memoriâ patrum, & heic & Romæ gestas, æquis ponderibus examinarent, atque iidem Summo Pontifici eorum, quæ legissent, veritatem simpliciter exponerent; næ illi rem facerent cùm Ecclesiæ universæ utilem, tùm ipsi Pontifici Maximo apprimè honestam. Sperarem facilè eo pacto futurum, ut caussas rerum in Anglia novatarum melius & οἱ ἀπ' αὐτοῦ caperent; prorsusque fore considerem, ut de Elizabetha Anglorum honestius sentirent; & rationes ad defensionem illius à fidelibus ejus subditis sæpissimè allatas, quas modò breviter attigimus, non adeò superciliosè & malignè rejicerent. Verùm age, Elizabetham mittamus, Principem, vel fatente invidiâ, illustrissimam, & cuivis priorum Regum, vel nominatissimorum, comparandam. Quid? an cum serenissimo Rege JACOBO, nunc, Dei gratiâ, felicissimè regnante, [qui utinam regnet quàm diutissimè, bono suorum subditorum natus, Regi Christianissimo conjunctissimus] multò aliter hodie agitur? An illi sua virtus admirabilis, & illa divina in negotio de Religione moderatio, quicquam apud vestros profuit? An caussæ Pontificiæ patroni, inter lenitatem æquitatemque tanti, tam eruditi Principis, tam paci studentis, & præfracta atque ἀνάγωγα quorundam δοκησισόφων ingenia discrimen ullum statuerunt? Nihil minus; totum enim, quod postulant, aut nihil auferant oportet isti homines, si volumus Catholici aut Christiani dici; minoris non impetraveris ab illis earum appellationum usuram. Omnia sine exceptione probanda sunt, etiam quæ priora secula ignorarunt. Alioquin statim audies: *Qui peccat in uno, reus est omnium.* Nec refert, si illud unum neque Sacris Literis fuerit contentum, neque priorum seculorum Conciliis cautum; cujusmodi illud est, famosum & funestum Ecclesiæ (sic mens 1611.
ominatur, neque aliter judicant prudentes πρόσω καὶ ὀπίσω ὁρῶντες) dogma de temporali Pontificis potestate, & jure deponendi Reges, ac Regna dandi. Serenissimus itaque Rex Jacobus, qui hanc doctrinam, ut priscæ Ecclesiæ inauditam, respuit; ut perniciosam suo aliisque aliorum Principum imperiis, Ecclesiæ vero exitiabilem, detestatur, exsecratur; Cardinali Bellarmino Catholicus non est, ne Christianus quidem. Quid igitur est? Juliano similem appellat Cardinalis, cum suo diri ominis Torto; ipse torquendis Scripturis, quo ambitioni serviat, tam Juliano apud B. Cyrillum similis, quam Rex Jacobus est dissimilis. At enimverò testis est universa hæc Major Britannia, & hoc nôrunt etiam in cætera Europa quàm plurimi, serenissimum Regem, quando voluntate Dei & legibus Regni ad hanc, virtuti ipsius non minus quàm generi & sanguini debitam, Coronam ejus Majestas est accita; inter reliquas animi dotes verè regias, infinitum etiam quoddam desiderium secum attulisse, (non temerè profectò in illo horridiore axe conceptum; sed cœlitùs à Deo infusum) concordiæ in Ecclesia Dei omnī ratione honestâ procurandæ. Et quum Majestati ipsius persuasissimum esset, nullam se Deo immortali victimam gratiorem, nullum ὁλοκαύτωμα acceptius posse offerre, quàm si subditos suos à varietate opinionum ad mentium unionem, à dissensionibus ad consensum in verè antiqua fide primævæ Ecclesiæ traduceret; ut hujus, alteri Josiæ convenientissimi, voti compos fieri posset, quid ille statim initio Regni sui non fecit? Quid comitatis, humanitatis & benignitatis desiderari potuit, quòd non abundè ejus Majestas illi parti subditorum suorum obtulerit, præstiterit? Non ad aulica ministeria, amicitiam & familiaritatem cum ipsius Majestate, non ad honores aditus, nullum denique beneficentiæ genus est illis denegatum. Videres brevi spatio temporis multos ex Romana formula Catholicos, ad Dignitatem Equestrem per Regis munificentiam conscendere. Videres derepentè, nescio unde ex ignotis locis, agmina Catholicorum vestrorum prodire, versari in luce, in ipsa interioris admissionis cubicula Palatii sine difficultate ventitare atque admitti. Et quum multos quotidie Rex pietate admirabilis, de controversiis hujus temporis cum illis sermones haberet; erant, qui ultrò manus darent; erant, qui à proposito non dimoverentur; omnes suâ libertate utentes, omnes religiosum animum

1611. mum Principis sui, & in tam alta fortuna adeò exquisitam omnium hodiernarum controversiarum peritiam & facundiam attoniti stupentes. Restabat una nota, quæ Catholicos Pontificios, & Catholicos Protestantes (ò quando hæc distinctio cessabit, & fiet unus grex, unum ovile!) invicem separaret; mulcta quædam florenaria, per superiorum temporum turbas vestris imposita. Hanc differentiam ὁ θαυμάσιος Rex Jacobus non patiens, statim sustulit; mulctam vetuit exigi; exactam jussit restitui. At scin' quomodo? non obiter, aut dicis caussâ, more Principum, quos non voluntas facit liberales, sed frontis infirmitas, chrestologos; verùm planè seriò; ita ut magna pecuniæ vis, (duo & quinquaginta millia florenorum semel sunt relata,) ex ea caussa collecta, eo rediret, unde fuerat ablata. Quid multa? Sola ferè jam erat virtutis aut vitii nota, quâ cives à civibus, qui non parum diversâ conditione prius vivebant, distinguerentur; cætera pari conditione inter se agitabant. O verè tum beatos partium vestrarum Catholicos, sua si bona nôssent, & suo se pede metiri didicissent. Nam præter publicam professionem & παῤῥησίαν τῆς ἰδίας θρησκείας, quam sperare in hoc Regno eo tempore, magna fuisset stultitia; quid restabat, quod possent viri prudentes jure desiderare? At dices, scio, mi Ducæe, non fuisse diuturnum hunc vestrorum in istis regionibus statum. Et verè dices. Neque enim clementissimo Regi suâ clementiâ, quamdiu optabat, uti licuit. Optabat autem semper uti; fecissetque adeò, nisi per illos ipsos stetisset, ad quos hic tantæ bonitatis fructus perveniebat. Fictæ & simulatæ virtutes stabiles non sunt, & temporibus metuunt mutari. Serenissimi Majoris Britanniæ Regis excellentissimæ virtutes, atque illa cum primis bonitas, χρηστότης & benignitas, quas in ejus Majestate vel ipsi hostes prædicare coguntur, naturæ ipsius, non minus quàm spirandi & respirandi facultas, sunt coalitæ, nunquam nutaturæ, cum bono Deo, nunquam mutandæ. Non igitur Rex animum priorem erga subditorum suorum illam partem mutavit; sed illi subditi erga suum Regem, suum εὐεργέτην, fidem perfidiâ mutantes (de parte loquor, non de omnibus Catholicis vestris; ne hoc sirit Deus!) vim indoli naturæque ipsius attulerunt, & ad repudiata prius consilia invitum traxerunt; neque prius à furore destiterunt, quàm indulgentissimi Domini sui Majestatem coëgerunt, si se, si suos, si publicum statum vellet salvos, legibus, 1611. quarum vim hactenus inhibuerat, vim suam permitteret. Cùm quidem & Rex, & omnes patriæ suæ amantes, sunt coacti summæ prudentiæ testimonium Reginæ Elisabethæ Consiliariis reddere; qui solam hanc impediendi vestros, ne res novarent, & Rempublicam à fundamentis verterent, rationem expeditam & efficacem, nec minus necessariam esse judicarunt, si aliquantò durius haberentur. Nam quis jam consilium hoc damnare audeat, aut mitius aliquid Regi prudentissimo suggerere? postquam vestrorum adeò multi, simulac mollius à benignissimo Principe sunt habiti; καταπέπτειν μέγαν ὄλβον, & *æqua commodâ mente pati*, vitio humani ingenii non valentes, melioris se fortunæ capaces non esse, rebus ipsis comprobarunt. Regi enim, à quo beneficia, ne spe quidem unquam anteà sibi concepta, acceperant, eam gratiam retulerunt, ut ad delendam è memoria hominum ipsius Majestatem, unà cum affectibus ejusdem omnibus, Regina conjuge, Principe Henrico, & cætera sobole tota, nec non Proceribus Regni universis, ingenii vires omnes conferrent. Equidem invitus facio, quòd malorum præteritorum memoriam hoc loco renovem; qui potius optarem, aut nunquam vestros ea hic tentasse, quæ scelestissimè tentarunt; aut, quia facta infecta fieri nequeunt, posterioribus saltem consiliis & fidelitatis argumentis à se editis, contractam ignominiam penitùs delêsse. Verùm cogit me instituti ratio, pauca hoc loco de rebus, à vestris Catholicis hic gestis, disserere. Novi enim & te, & multos alios viros probos certorum hominum veteratoriâ malitiâ deceptos, de rebus, quæ sunt hìc gestæ, & quæ geruntur quotidie, falsa credere, falsa opinari; & quum mentiendi animum non habeatis, sæpe tamen in earum rerum mentione falsa dicere. Video Apologistam, quum plus fidei tribueret mendacissimo nebuloni, portentosissimo falsarum rerum hamaxario, certo & germano Cretensi Andreæ Eudæmono-Joanni, οὗ τὸ στόμα ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμει *, quàm publicis Actis, quàm Regis veracissimi affirmationi constanti, quàm testimoniis sexcentorum fide dignissimorum virorum, de præsenti Catholico-Romanorum in Anglia statu, deque persecutione Religionis caussâ hic eum maximè vigente, multa pro veris narrare, quæ ficta sunt & falsa; Pulverariæ Conjurationis, cui par immanitas ne inter paganas quidem & feras gentes prioribus seculis unquam fuit audita, manifestissimè convictos, eoque

* Rom. III. 14.

1611 que nomine δικαιωθέντας, pro insontibus habere & veris Christi Martyribus; multas item alias ineptas & cassas veritate nugas libro suo inserere. Video denique plerosque omnes vestros Scriptores, quoties Anglicana attingunt, ita palàm ὁμόσε χωρεῖν τῇ ἀληθείᾳ, ut spem omnem rei bene gerendæ in strenuè mentiendo videantur locare. Ridiculè istud quidem & stultè,

> Οὐ γὰρ ἐπὶ ψευδέσσι πατὴρ Θεὸς ἔσσετ' ἀρωγὸς *.

* Homer. Ἰλ. Δ. v. 235.

Propterea rem me tibi non ingratam existimavi facturum, Fronto eruditissime, si veram caussam hoc loco tibi exponerem, cur vestri duriore aliquantò conditione in isto Regno sint hodie, quàm essent primis Jacobi Regis temporibus. Nihil autem tibi ex me dicam, qui sum in Anglia, ut scis, ξένος καὶ παρεπίδημος; sed ea dicam, quæ ex ore serenissimi æquissimique Regis persæpe accepi; quæ Proceres illustrissimi, & omni reverentiâ dignissimi Præsules, aliique ex omnibus Ordinibus viri graves & moderati, non semel mihi dixerunt. Postremò ea dicam tibi, quæ Anglos multos partim hîc, partim in Gallia mihi notos viros, cæteroquin vestrorum omnium dogmatum tenacissimos, animadverti sentire. Et sunt horum nonnulli, quod fortasse miraberis, qui Romam eo proposito profecti, ut rei veritate expositâ, præcipitia & παρακεκινδυνευμένα certorum hominum consilia, patriæ exitiabilia, & Religioni Romano-Catholicæ ἐπονείδιστα megistanibus ibi probarent, & omnes violentas rationes deprecarentur: deinde cognito, plus Romæ antagonistas suos quàm rectè monentes valere, reversi in patriam mœsti & gementes; acquiescere præsenti statui ac conditioni, satius duxerunt, & Christianæ professioni convenientius, quàm turbulentis Tribunis, aut perditissimis Catilinis potius, socios sese adjungere. Quid quod ausus est non nemo Anglus Romæ P. Personio, Jesuitæ, quem superiorum omnium ab annis fermè triginta susceptarum proditionum & conscium & architectum fuisse credebat, diem dicere, & in jus ad Patrum, Inquisitioni præfectorum, consessum vocare, rationem ibi rerum à se, aut consiliis suis gestarum, redditurum? Hoc, inquam, Anglus est ausus, vir bonus & cùm Sacris, tùm aliis omne genus Literis apprimè eruditus: sed generosæ mentis incepto defuit successus; sicut ipse mihi sæpe narravit. Igitur mutationis paullò antè memoratæ, quæ altero demum anno Regni Jacobi contigit, caussam esse comperior, non mutatum Regis animum, in clementia & benignitate constantissimi, (appello testes omnes, qui nôrunt) sed præposterum nonnullorum è Romano-Catholicis zelum & immoderatam cupiditatem, Romanam fidei formulam, sive bonis, sive malis artibus; patere, quæso te, dicere me, quod res est; promovendi, & liberam ejus professionem passim toto hoc Regno instaurandi: quod zelotæ isti, quum sibi persuaderent, aliâ fieri ratione nullâ posse, nisi eversâ funditùs Republicâ; quò destinata perficerent, omnia sibi fas esse tentare, & nullum non scelus experiri, pium opus, & Deo gratum fore, in animum induxerunt. Hic nimirum est ille malè sanarum mentium dirus morbus, quem jam olim nonnullos è Christianis legimus invasisse, & ad rixas in Ecclesia Dei ciendas transversos egisse. Gregorius Nazianzenus, quod te non latet, quodam loco pronunciat, fœdam illam Ecclesiarum lacerationem, de qua toties & ipse, & magnus Basilius conqueruntur, ab hoc potissimùm fonte manare. Multos enim pietatis zelum obtendentes, pietatis arcem, metropolin omnium virtutum Christianarum, charitatem perdidisse; & in studia varia, partes & factiones Ecclesiæ membra distraxisse, 1611.

> - - - ζῆλος δὲ Θεοῦ, inquit, λῦσε δεσμὸν ἀθέσμως
> Ἁρμονίης τ' Ἀγάπης, ἧς τοὔνομα μοῦνον ἐλείφθη.

Hæc Theologus de suis hominibus; qui si ad novissima hæc tempora pervenisset, quas, Deus bone! querelas instituerct; cernens hodie multos, præpostero isto zelo percitos, Religionis & pietatis obtentu, impiè & irreligiosissimè, non, ut olim, verbis tenus lites serere, & umbratilibus velitationibus invicem decertare; sed rebelliones, proditiones, cædes & lanienas innocentium populorum crudelissimas, legitimorum Dominatuum eversiones, ac Principum suorum teterrima parricidia ausos esse suscipere. Paulus quidem Apostolus, quem zelo sanctissimo pariter & ferventissimo flagrasse, ac fide in Filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum, omnes, qui nunc vivunt, mortales longè superasse, nemo gravatè, opinor, concedet; monitus, esse qui jactarent, probari ipsi verus dictum, *Faciamus mala, ut bona eveniant*; clamat blasphemiam istos loqui; esseque eorum τὸ κρίμα ἔνδικον *; quasi anathema maranatha adversus profanos * Rom. III. 8.
homines pronuntians. At zelotæ hodierni, licet eandem cum Paulo Christi

1611. isti doctrinam profiteantur prædicare; quoties tamen ejus aliquò inferendæ voluntas eos cepit, Deum immortalem! quàm B. Paulo sunt contrarii? & severissimè ab illo damnatam sententiam ut probant? ut libenter usurpant? Quid in aliis Europæ partibus nostrâ & patrum memoriâ ab ejusmodi zelotis in eum finem sit factum, non est instituti mei commemorare. In hoc verò Regno quæ facinora designarint, quibusve sceleribus suos huc ritus introducere sint conati, quoniam ad rem facit, & tua id scire te interest, paucis indicabo. Ut igitur omnes illas tam frequentes, adeòque exsecrabiles proditiones missas faciam, quibus Reginæ Elizabethæ charum superis caput est appetitum; adversus hunc optimum & verè γαληνότατον Regum Jacobum, ut Regno ipsum aut initio excluderent, aut admissum deturbarent, homines τῷ πνεύματι ζέοντες *, sed non secundum Pauli doctrinam, quas fraudes non excogitarunt? quas nocendi artes siverunt intactas? Id egisse omnibus viribus zelotas Anglos, ut Regem à debita sibi jure majorum & Regni legibus successione, multò ante legitimum tempus excluderent, pactiones clarissimè arguunt, cum Hesperiæ Rege ab illis factæ, & potentissimi illius Principis universo mundo notissimus conatus, Reginam Elizabetham armis expellendi, & Regni hujus occupandi. Posteà verò quàm periculum illud ingens Dei Opt. Max. virtute, & gloriosissimæ Reginæ felicitate admirandâ, erat depulsum & profligatum; Cleones iidem in scelere semel suscepto obstinati, Brevia duo à Clemente VIII. impetrarunt, quibus jubebantur omnes Romano-Catholici operam dare, quantum in ipsis esset, ut post Elizabethæ obitum, *Rex eligeretur, omni sanguinis propinquitate spretâ, ad Religionem Catholicam bene affectus.* Henricus Garnettus, Jesuita, in Anglia Provincialis, de quo plura nobis paullò post erunt dicenda, duo in eandem sententiam Brevia sub extrema tempora vitæ Elizabethæ, ut posteà ex ipsiusmet confessione voluntaria liquidò constitit, Româ accepit; quorum alterum Archipresbytero, & reliquo Clero Anglicano erat inscriptum; alterum, Principibus & Nobilibus Angliæ Catholicis; ut communi omnium Ordinum operâ negotium procuraretur, si quâ fortè perduci ad exitum posset. En ergo tibi novam, & Apostolis atque omnibus priscæ Ecclesiæ Patribus inauditam Religioni consulendi rationem. Qui sedentem in solio avito Reginam dejicere frustra toties tentaverant, ne idem solium tempore 1611.
suo hæres legitimus occupet, jubentur cavere; & privatis hominibus, ut Regnum, cujus nascuntur Reges, non fiunt, suâmet ipsorum auctoritate & electione proprii, cui velint, deferant, modò sit Pontificius, sit potestas. Vestrorum nempe Catholicorum istud hodie est privilegium admirandum, ut, non dicam, graves cives & Senatores illustres in unum congregati, (quamquam ne hoc quidem licitum) sed retrimenta hominum, sine ullo publico consilio, Regna auferendi, & ad quos voluerint cunque transferendi; leges denique omnes & jura specie pietatis abolendi, potestatem sibi vindicent: quod nulla, opinor, Religio, quamvis profana atque impia, præter vestram, (vestram dico, quam multi è vestris sibi fingunt) aut jam concedit, aut prioribus seculis unquam legitur concessisse. Neque mirum. Nulla enim est, nulla unquam fuit Religio, quæ Pontificem, unde hæc omnis potestas πρωτόδης derivatur, ceu διοπετὴς Numen coleret, mundi totius Dominum, solum Imperatorem & Regem verum Orbis terrarum; cui fas sit, cæterorum omnium Regum ac Principum capitibus ludere; deque eorum Imperiis, & vita pro libidine sua statuere, *sive directè, sive indirectè, in ordine ad spiritualia.* Agnoscis novam atque barbaram locutionem, novæ prorsusque barbaræ disciplinæ. Sunt tamen, qui negent, Brevia illa eo consilio fuisse impetrata, ut Regi Jacobo præjudicium ullum fieret. Verùm hæc major profectò amentia est; ne dicam, impudentia, quàm ut ita scribentium ratio ulla haberi debeat. Nam cujus igitur latus mucro ille petebat? Puerile, insipidum & ridiculum mendacium. Porrò hæc lutea Brevia, magnas ad excludendum Jacobum turbas excitatura, si petitiones ἱκετικὰς Zelotarum Anglorum per Christophorum Wrightum ipsi delatas, (quum statim à Reginæ morte eo fine in Hispaniam fuisset missus) non esset piè & sapienter Rex Hispaniarum aspernatus; mox ad suadendam ejusdem serenissimi Regis dejectionem, quam vim habuerint, paullò pòst videbimus. Risit enimverò Deus immortalis ex alto impias impiorum molitiones; & pro sua providentia atque justitia ita res disposuit, ut simul ac Regina Elizabetha fatis concessit, Rex legitimus legitimè à prudentissimis Regni Proceribus accitus, imperii hujus hereditatem cerneret, populi totius votis expetitus, incredibilique omnium alacritate exceptus. Ostendimus verò

* Rom. XII. v. 11.

1611. verò jam antè, auspicia Regni Jacobi qualia fuerint, & quantam Romani Catholici occasionem tum habuerint, Regis optimi clementiam incomparabilem prædicandi; & ἐκ τῶν παρόντων τεκμαιρομένοις τὰ μέλλοντα, meliora indies sperandi. Verùm quid profuit? Docuit enim paullò post experientia, humanitatis officiis velle certare cum hominibus zelotis; hoc verò nihil esse aliud, nisi operam ludere, & littus infelix arare. Nam quum beneficiorum hæc natura sit; præsertim autem eorum, quæ inopinata aut exspectatione majora obveniunt, ut dantem accipienti concilient; & vel infensissimorum hostium odia atque inimicitias minuant; (sic leones tigresque, & quasvis alias feras animantes, escâ porrectâ, mansuetudinem aliquam videmus induere, & positâ feritate, ita cicurari, ut societatis speciem quandam cum hominibus colant) vestrorum tamen Catholicorum; vel, ut melius dicam, Zelotarum Anglorum animos insperata Regis indulgentia, antè nobis exposita, adeò non mitigavit, ut non secus ac si beneficiis irritarentur; quæ, auctore Polybio, immanitatis ultima linea est: eo ipso tempore, quo melius cum ipsis agi incipiebat, de auctore felicitatis suæ perdendo; (ô feras indomitas atque intractabiles!) cœperint cogitare. Nisi tamen verior est eorum sententia, qui feralia consilia non tunc primùm, sed multò antè fuisse suscepta existimant; idque animis ita obstinatis, ut ne inopinata quidem Regis benignitas revocare ipsos à diro proposito potuerit. Quicquid hujus sit, Watsonus & Clercus, duo Sacerdotes, uti vocant, seculares, Regem vix in Angliam ingressum, nondum certè coronatum, anno CIↃ IↃ CIII. machinatione clandestina tollere de vivis sunt aggressi. Prima hæc conspiratio in Regis perniciem, postquam in Angliam appulit, in apertum & hominum cognitionem venit; sed alias quoque tempore eodem fuisse texi cœptas, & monuerunt iidem Watsonus Clercusque, & quæ deinceps sunt secuta, comprobarunt. Dixerunt illi, sæpeque ac constanter affirmarunt, se quum sua consilia Jesuitis in Anglia tum degentibus communicassent, petiissentque ab iis, ut tam præclari scilicet incepti participes esse vellent; responsum tulisse, non posse Jesuitas illis sese adjungere; ut qui suam ipsi quoque parilem telam orsi, memorabilem in ævum technam pararent, tempore opportuno exitum habituram. Et omnino ita erat. Nam etsi anni demum CIↃ IↃ CV. mense Novembri patefacta est sequens Conjuratio, quam 1611. è re, Pulverariam vocant; prima tamen ejus initia anno primo regni Jacobi, & secundi principio jacta esse, ex illorum Presbyterorum testimonio constat liquidò; tum multò magis ex iis, quæ infandæ proditionis hujus Rei apud Judices, rebus perditis, sunt confessi. Planè ex indubitatæ fidei Actis, quæ de hac tota Conjuratione publicè sunt edita, potest intelligi, Catisbejum, hujus dramatis primum actorem, statim ut de Rege armis pellendo, & auxiliis Hispanicis spes est amissa, [altero autem tertiove mense à Regis adventu ea spes decollavit] ipsum nullâ interjectâ morâ, à vi aperta ad dolos & Sinonias artes sese contulisse. Neque multò post, cùm machinationem per pulverem tormentarium, ipso haut dubiè Satanâ, qui à principio homicida est, suggerente, idem excogitasset; aliis deinde, ut sese dabant opportunitates, horribile secretum indicasse, & incepti socios sibi acciviße. Scitum est, rerum magnarum tardas esse molitiones; ut mirandum non sit, Proditionem Pulverariam, quâ majus ausum haut temerè sit invenire, anno CIↃ IↃ CIII. delineatam; sequenti, rebus necessariis adornatam, usque ad anni CIↃ IↃ CV. mensem Novembrem fuisse tractam. Quin illud potius omni admiratione dignissimum, inter homines natos esse aliquem repertum, qui scelus ita inhumanum, ita impium, excogitaret; semel excogitatum, probaret; adeòque ad facinus patrandum animo obstinato pergeret, ut ne tam longi quidem temporis intervallo, morsus conscientiæ ullus, aut pœnitentia aliqua mentem subiret. Quid loquor de pœnitentia? Certum est, plerosque complicum ad suscipiendum scelus persuasione meriti esse impulsos; quum nihil dubitarent, rem se aggredi, non dicam, levis apud Deum offensæ; sed contrà, meriti ingentis. Itaque Joannes Grant, perduellium unus, quo die supplicium de ipso ad portam occidentalem Ecclesiæ Cathedralis Sancti Pauli erat Londini sumendum, monitus à Sacerdote, viro pio & erudito, rediret nunc saltem ad se, & magnitudinem sceleris reputans, veniam delicti à Deo, seriò pœnitens peteret; alacris & fiduciæ plenus respondit, satis se acceptum habere, in suscepto negotio adeò nihil fuisse delicti, ut è contrario confideret, generosi incepti id esse meritum, quod pro satisfactione omnium suorum in cætera vita peccatorum abundè sufficeret. En Religionis præposterus zelus quid possit! En Zelotæ homines Principibus & Rebus-

1611. buspublicis quàm sint metuendi! Nam quid satis tutum ab iis esse potest, qui cædes infandas & detestanda parricidia diffidentium à se in Religionis caussa, viam esse in cœlos & sedes beatorum compendiariam autumant? Ut propter hujusmodi exempla, adeò præsertim crebra hodie, rerum imperiti, & sanctissimæ atque innocentissimæ Religionis Christianæ imperiti, non immeritò sint illud usurpaturi,

Tantum relligio potuit suadere malorum *.

* *Lucret. lib. I. vers.* 102.

Nam obsecro te, Fronto humanissime, ecquod post homines natos Conjuratione Pulverariâ majus aut horribilius scelus fuit unquam susceptum? Ecquod ferinæ crudelitatis tetrius exemplum legisti unquam editum? Ut populus Romanus unam cervicem haberet, Caligulæ, Principis furiosi, & humani sanguinis avidissimi, narrant Historiæ votum fuisse; sed votum duntaxat, prætereàque nihil: Zelotæ Angli, non voverunt illi quidem fortasse, ut universa Major Britannia cervicem unam haberet, uno ictu præcidendam; sed quod longè majus est, subtilissimam rationem novi Sisyphi vel Autolyci excogitarunt, quâ id ipsum ferè in Anglia effectum darent, quod Romæ Caligula voluit, nec potuit. Regem enim, Reginam, Principem Henricum, cum fratre, Eboracensi Duce; item cunctos Regni Proceres, cunctos Episcopos; cum ipso flore cæteri Ordinis Ecclesiastici; Magistratus prætereà majores omnes, minores plerosque omnes, nec non aliam populi multitudinem infinitam, uno impetu difflasse, & in aërem impulsos, (ô crudelitatem inauditam!) membratim ac frustillatim discerpsisse; quid futurum erat aliud, nisi Magnæ Britanniæ Caput unà, veluti cervice nixum, amputasse, & reliqui corporis trunco vitam eripuisse? Et Caligulæ quidem votum, ut erat temeritate subitaneâ conceptum; ita fortasse, si ejus exsequendi potestas ex inopinato esset ipsi facta, pœnitentiâ fuisset emendatum: Zelotæ Angli, non repentè neque temerè, sed destinato consilio parricidium, omnia prioris ævi exempla supergressum, susceperunt; semel susceptum jugi meditatione concoxerunt, & ad consummationem illius cupiditate summâ anhelantes, integrum fermè triennium in tanta immanitate obfirmati, duraverunt. Tum autem quæ comparatio Imperatoris Pagani, & mente capti, cum optimi Regis subditis, cum hominibus, qui se Christianos dici haberique vellent, denique cum salutaris Christi doctrinæ præconibus, & iis 1611.
quidem Jesuitis; Nam quod negat Apologista, teterrimæ huic proditioni fuisse quenquam immixtum è Societatis vestræ Patribus; vellem ita esset. Non enim tam multi hodie dira illa consilia amplecterentur, si vestra Societas ἥτις νῦν, ὡς ἀκριβεστάτη αἵρεσις ἐκεῖ ἐπιπολάζει, illa se ex animo detestari seriò ostendisset. Sed longè aliter vestros esse animatos, facta, ut de scriptis taceam, evincunt. Quare sive prudens, sive imprudens, errat turpiter Apologista, & quicunque idem cum illo sentiunt. Enimvero Conjurationis Pulverariæ negotio Jesuitas minimum quatuor intervenisse, certo certius est †.
Quatuor illorum nomina fuerunt hæc: Henricus Garnettus in hoc Regno ab annis novemdecim Provincialis; Hallus, qui & Oldcornus; Oswaldus Tesmondus, sive Grenwellius; & Joannes Gerardus. Ac cæteri quidem, pro sua quisque virili, singula quæ res aut tempus postulare viderentur, exsequentes, negotium per partes curarunt: Henricus verò Garnettus, ut qui dignitate supra alios emineret, magnæque auctoritatis homo esset, propter longum rerum tractandarum usum, prudentiæ & solertiæ laude inter Anglos Pontificios longè clarissimus, de universo negotio cum unico ferè duntaxat Catisbejo solitus fuit communicare, cæterorum omnium conscientiam refugiens, quod non semel in Epistolis ipsius, propriâ manu scriptis, legere memini. Rationem hujus consilii infrà exponemus. Ad hunc in rebus dubiis, ceu ad oraculum, Catisbejus, doli totius architectus, ventitans, aut Grenwellium suam vicem missitans, oracula petebat. Et erat is Garnettus, in quo, si Hildebrandicæ disciplinæ amorem excipias, neque rectum judicium, neque doctrinam, πρακτικὴν præsertim, desiderares. In Actis condemnationis ipsius lego hoc illi tributum elogium, *Quòd à Deo & meliore naturâ dotibus fuerit ornatus multis; quòd fuerit arte eruditus, linguarum usu peritus.* Postremò, *præstantes ejus dotes, si à proditionis scelere separatæ seorsim expenderentur, misericordiam posse commovere.* Meretur hic candor illustrissimorum Heroum & æquissimorum Judicum, qui de Garnetti caussa cognoverunt, ut etiam in cæteris, quæ de eodem pronunciarunt, & mox scriptis prodiderunt, fides eis ab omnibus habeatur. Nam insulsus planè est Andreas Eudæmono-Joannes ὁ Κρὴς, qui prolatis superioribus elogiis, probare nititur, Garnettum nullius sceleris convictum, odio duntaxat Reli-

† *Vide Tortura Torti pag. 280. & seqq.*

1611. Religionis, aut Jesuitici nominis, fuisse damnatum. Ea hominis sinisteritas est, ea vecordia & malitiæ furor. Sed de isto Cretensi, patre mendaciorum pariter ac patrono, paullò post. Interim ad sermonem institutum revertamur; si prius tamen testificati hoc loco fuerimus, testem Deum ipsum appellantes, nihil quicquam nos studio calumniandi de hoc viro dicturos esse, aut quod non liquidò nobis constet esse verissimum. Nam præter Acta publica, inconcussæ fidei monimentum, quicquid mendax Cretensis allatret, illas quoque Garnetti Epistolas diligenter legimus, quas de se & rebus suis in Arce Londinensi scripsit plurimas. Poteramus quidem hoc labore supersedere, quum ex iis literis τὰ καιριώτατα dudum descripserit & publicaverit integerrimus reverendissimusque vir, Dominus Episcopus Eliensis *, Auctor Torturæ Torti; de cujus alta doctrina in omni genere disciplinarum, quicquid dixero, minus erit: sed ut scires, non alienis testimoniis, verùm propriis oculis credidisse me, feci non invitus, ut dictas Epistolas inspicerem, & quæ in illis scribebantur, diligenter observarem. Apparet verò ex universa narratione, quæ Actis publicis continetur, & ex illis ipsis Epistolis, Henricum Garnettum, zeli præposteri fervore sideratum, & cæco studio Romanæ Religionis promovendæ accensum, ea gessisse, aut geri permisisse, quæ nemo verè Christianus & pius ab honesto viro, nedum primæ notæ Theologo, exspectaverit; sed ab homine potius omni planè probitatis, humanitatis & sinceræ pietatis sensu destituto. Pulverariæ Conjurationis fuisse ipsum conscium, ne illi quidem negant, qui pro Martyre haberi volunt. Nos autem certò scimus, & sine ulla hæsitatione affirmare audemus, P. Garnettum sceleris illius non tantùm fuisse conscium; verùm etiam approbatorem, & genere quodam auctorem. Nam etsi principem illum proditorem Catisbejum, doli totius primarium architectum, initio machinationis ipsum consuluisse, non satis constat; non tamen rationes desunt evidentissimæ, quæ id ipsum penè evincant. Illud certè liquet, mox cùm facinoris socios idem quæreret, eas difficultates incidisse, quarum gratiâ adire ad Garnetti oraculum oportuerit, ut rem esse licitam cunctis persuaderetur. Ipse quidem Catisbejus, pro ea consuetudine & familiaritate, quæ illi cum Garnetto intercedebat, non ignorans ad excludendum Regem Jacobum Brevia duo ipsum Româ accepisse; nihil hæsitans in hac ratiocinatione acquiescebat: *Quem voluit Papa aditu prohiberi, eum sine dubio vult admissum deturbari.* Sed quum non jam dubitaret Catisbejus, ad Regem dejiciendum omnes sibi licitas esse fraudes, κακουργήματα ac dolos; quia tamen placitæ machinationis ea ratio erat, ut Rex cum Protestantibus tolli aliter non posset, nisi ut multi Pontificii eodem γαγγάμῳ ἄτης involuti simul perirent; super hoc dubio Catisbejus, ut & se, & alios scrupulo molesto liberaret, non multò post anni CIↃ IↃ CIV. initium, ut Acta insinuant, Garnettum consuluit. Non dico, quid Theologus Jesuita responderit; nam id jam non ago: sed hoc volo, tam ex hoc colloquio & pluribus aliis Catisbeji cum ipso, quàm ex Grenwellii sæpe repetitis sermonibus, de quibus & Acta, & plurimas Garnetti Epistolas testes habemus; luce clarius probari, Patrem hunc Jesuitam Conjurationis nefariæ non minus conscium fuisse, quàm alium quemvis complicum. Neque verò solùm arcani conscius Garnettus; sed plerisque conjuratorum, ut Wintero, Rookwodo, & ipsi Fauxio incendiario, quâ fuit auctoritate, audendi auctor exstitit, cunctantibus & horrescentibus, priusquam probari rem tanto viro, ex verbis Catisbeji cognôssent; sicut fusè narratur Actione in proditores priore. Iccircò ubi tempus advenit, dolum, quem diu Zelotæ isti foverant, excludendi; quum inter conjuratos convenisset, Coughtonam omnes convenirent, de rebus necessariis in commune consultaturi. Inter cæteros adfuit Garnettus, omniaque ibi egit, quæ à Conjurationis conscio, suasore & cupidissimò incentore agi par erat. Omitto alia ejus rei indicia, in Actis diligenter exposita; posteà verò ab Episcopo Eliensi ita perspicuis argumentis demonstrata, ut ne ipsi quidem hostes professi veritatis possint jam de eo dubitare. Tantùm afferam huic, quò res sit testatior, apertissimam ipsius Garnetti Confessionem, ex literis propriâ manu scriptis Dominicâ in Ramis Palmarum; quarum est inscriptio, *Ad dilectissimos Patres & Fratres.* His graviter ipsi succensentibus, quòd proditionem sibi innotuisse confessus esset, ita respondet: *Nam quid facerem? Primò accusabant me reliqui omnes conjurati. Secundò, Catisbejus usus semper apud eos fuerat auctoritate meâ, quâ adduxit benè omnes, ut benè sentirent de negotio; quo factum, ut ad unum omnes me haberent pro reo. Tertiò, duo quidam Corycæi inaudierant me cum Oldcorno colloquentem, atque tota de re apud* 1611.

* *Lancelottus Andrews.*

1611. *apud eum differentem, quid ad objecta singula responsurus essem? Quartò, literæ etiam à me aurantiarum succo scriptæ ad D. Annam, nescio quomodo in illorum manus pervenerant; quibus sententiam meam non obscurè confeâus sum.* Plura, si lubet, ex eadem Epistola descripta, quibus idem confirmatur, legere potes in Tortura Torti. Prætermitto similes confessiones, partim pro tribunali, partim aliâ occasione factas, ut legere est in Actis, & in eadem, quam modò nominavi, Tortura Torti, exactissimæ fidei & diligentiæ scripto. Quamobrem hoc primum esto crimen Garnetto objectum, quòd Pauli Apostoli doctrinam aut oblitus, aut insuper habens, ut bonum, quod existimabat, eveniret, malo consenserit, atque adeò totis viribus malum procurarit, quo majus aliud non temerè à conditu mundi Sol adhuc vidit. Non utique hoc facturus, si Jesu Christi, à quo appellationem sibi acciverat, verum esse imitatorem voluisset præstare. Nam ubi benignissimus Dominus noster Garnetto stragem horrendam molienti, vel exemplo præivit, vel præcepto? Aut quis putet, Filio Dei, Agno illi ἀμώμῳ, qui pro sua inexhausta misericordia, tollit peccata mundi, diras ejusmodi cædes & parricidia, è præpostero zelo ortum habentia, placere posse? Qui meminerit, Jacobum & Joannem Apostolos, propter similis nonnihil zeli votum, ut Samaritas, Regem Messiam non recipientes, ignis de cælo cadens consumeret; graviter à Christo fuisse reprehensos, zelum legitimum ab illegitimo verbis illis, si attendimus, distinguente: οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς*: quo spiritu, inquit, ducamini, nescitis. Bono zelo agi vos creditis, cùm Samaritas dedi exitio optatis: ego verò zelum illum crudelem, sanguinarium & destruentem à meis non exigo; charitatem exigo, patientem, peccata tegentem, ædificantem: hanc probo, hanc præstari ab iis volo, quibus pacem meam sum relicturus, τὸ γὰρ ἀγαπᾶν τὸν πλησίον ὡς ἑαυτὸν πλεῖόν ἐστι πάντων τῶν ὁλοκαυτωμάτων καὶ τῶν θυσιῶν †. Non, inquam, facturus, quod fecit, Garnettus fuit, si satis meminisset gravissimæ sententiæ, quâ Dominus Principem Apostolorum Petrum severè castigavit, postquam zelo percitus, æquissimo illo quidem, sed non secundum scientiam, Malchi auriculam præcidisset; πάντες, ait Servator mundi, οἱ λαβόντες μάχαιραν ἐν μαχαίρᾳ ἀποθανοῦνται ‡, peribunt quicunque pietátis obtentu aut zelo præfervido impulsi, perdere alios aggredientur. Garnettum igitur & cæteram

* Luc. IX: 55.

† Marc. XII: 33.

‡ Matth. XXVI: 52.

conjuratorum manum, qui præpostero 1611.
istiusmodi corrupti zelo, cædes, tam atroces præsertim, parabant, quis dubitat justissimas pœnas Deo & hominibus pependisse? De supplicio corporis loquor; nam verè pœnitentibus, sicut ad extremum visus est pœnituisse Garnettus, Dei misericordiam speramus non fuisse præclusam. Hoc verò Garnetti crimen quàm grave assertoribus doctrinæ Hildebrandicæ videatur, non scio: omnibus pietate non fucatâ piis & bonis civibus, ac Principum subditis fidelibus, inexpiabile scimus videri; planèque ejusmodi, cui neque nomen satis aptum, neque par supplicium ullum queat inveniri. Accipe nunc, Fronto eruditissime, Garnetti ejusdem crimen aliud, aut crimina potius varia; ei, de quo diximus, connexa. Non enim virtutes solùm consertæ sunt invicem, mutuòque sese consequuntur; sed & vitia quoque nexu adeò arcto inter se colligantur, ut non facilè cuiquam ad insignitum aliquod scelus, nisi per plura alia scelera, pateat via. Scias, in Garnetto hoc apparuisse verissimum; qui illud unum scelus quum intenderet, ut Rege & Regiâ Domo extinctâ (quod Deus omen avertat!) sublatisque omnibus, qui credebantur ipsius conatibus posse obstare, res in Anglia novaret; quò sui hujus voti posset compos fieri, quot quantisque sceleribus aliis se obstrinxit? Nihil hîc fingimus, nihil hîc studio partium damus; multò minus mortuo, & sententiam passo insultamus. Apage hanc plus quàm barbaram inhumanitatem; licet multis hodie falsò creditis Christianis nimis usitatam. Quin potius, sicut affectu sincero sortem hominis miseramur; ita & vicem nostram dolemus, qui ut veritati adversus prodigia hominum patrocinemur, inquirere accuratius in defuncti facta; & peccata illius (quæ melius premerentur silentio, si per hostes veritatis liceret) proferre in lucem vel inviti cogimur. Ita verò mihi sit Deus propitius in die illa, ut hoc non odio cujusquam, sed solo amore veri impulsus facio! Quare de hoc viro non omnia, quæ sunt mihi comperta, commemorabo; sed ea solùm, quæ ad caussam proditionis faciunt. Quod dixi, Garnettum unius sceleris patrandi studio multis sese contaminasse, tam facile probatu id mihi jam est, quàm fuit ipsi difficile & ἀδύνατον illam abyssum evitare, ubi semel zelus Religionis præposterus à recta consiliorum via abduxit. Quid faceret? Posteaquam enim ἀναγκαίαν ἑαυτῷ, ut contra Julianum ait Gregorius

1611. gorius Nazianzenus, τὴν ἀπόνοιαν ἐκ τῶν ἤδη πεπλημμελημένων ἤδει πεποιηκὼς, exedendum illi erat, quod ipſe ſibi intriverat. Serò enim, ubi jam longè à portu profecti ſumus in altum, ea conſilia reſpicimus, quibus erat in terra locus. Non ſolent verò Zelotæ à ſcopo, quem ſibi ſemel propoſuerunt, ullo, ſive divini, ſive humani juris reſpectu revocari; facilèque omnes, ſi opus eſt, ad finem optatum per pietatis & humanitatis leges calcatas pergunt; quod utinam patria noſtra ſuperiore civili bello minus eſſet experta! Quid magis inhumanum aut belluinum, quàm præ ſtudio vindictæ in amicos & inimicos pariter ſævire? omnes nullo diſcrimine velle perdere? Atqui Garnettus veſter à Catisbejo conſultus, eſſetne licitum, ſontes inſonteſque perdere, ſi alteri ſine alteris extingui non poſſent, ſemel ita reſpondit in privatis ſuis ædibus: *Licere, ſi tantum ex ea re boni proventurum eſſet, quantum aliquot inſontium necem compenſare poteſt.* Iterum in Campis ſuburbanis, quibus à Palude nomen, in hanc ſententiam: *Et poſſe & licere, cum ſontibus inſontes exſufflari; magnique adeò meriti rem fore, ſi id magno alicui bono Catholicis cederet.* Conſtat de veritate hujus reſponſionis primùm ex Actione in Proditores poſteriore, & brevi oratione illuſtriſſimi viri, Domini Comitis Northamptoniæ; qui inter Primores Regni ſedens, & Garnettum ipſum compellans, hiſtoriam omnem hanc fuſè narravit; quæ ſi parum certa eſſet, aut aliquid dubii contineret, cur tacuit Garnettus? cur ſilentio ſuo rem approbavit & faſſus eſt? Sed & ratione aliâ clarâ ejuſdem rei veritas eſt comprobata. Servantur enim duæ ἰδιόχειροι ipſius Epiſtolæ, quibus res omnis ingenuè exponitur. Scripta eſt earum Epiſtolarum altera pridie Nonas Aprilis, altera III. Eidus menſis ejuſdem. Poteſtne verò aliquis me docere, quânam è Schola Theologus hic iſtam doctrinam hauſerit? Certè quidem, ſi aliqua eſt, quæ ita doceat, & ad hanc rabiem homines incitet, Chriſtiana illa non eſt; Antichriſtiana eſt; Satanica eſt. Homicidia namque Satan & nunc, & à principio, verus certuſque Abaddon & Apollyon *. At Domini noſtri Jeſu Chriſti doctrina, toto genere ab hac diverſa, apertè cum ea pugnat. Scilicet tam diris cruciatibus deartuari diſcerpique innoxios cum noxiis vellet Filius Dei, Deus ipſe æternus, qui olim impiorum Sodomitarum integræ urbi veniam ſe indulturum promiſit, ſi vel decem in univerſo populo probi & Dei timentes potuiſſent reperiri; qui in Evangelio ſuo zizaniis jubet parci, 1611. ne cum mala ſemente aliquid fortaſſe bonæ ſimul evellatur; qui in eodem illo Salutari Nuncio, vindictæ cupiditatem ſeveriſſimè ſuis interdicens, exemplum manſuetudinis per totam vitam præbuit: λοιδορούμενος γὰρ οὐκ ἀντελοιδόρει, πάσχων οὐκ ἠπείλει, παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως †· neque aliud remedium adverſus omnes injurias ſuos docet, niſi fugam, patientiam & preces; ut ſpe gaudentes, quod ait Apoſtolus, in tribulatione patientiam præſtantes, aſſiduèque orantes, victoriam de inimicis ſuis reportent. His ſolis armis Apoſtoli ſunt uſi, cùm prædicationis Evangelii prima per Orbem terrarum fundamenta jecerunt. Hæc ſola nôrant veteris Eccleſiæ Patres, cùm opus, ab Apoſtolis inchoatum, feliciſſimè urgentes, *ullius ſe miſcere morti* [nôſti verba Gregorii Magni] ne tum quidem fas duxerunt, quando ad Chriſtianos ſumma jam rerum pervenerat. Nemo illorum Religionem Chriſti aliquo inferre cupiens, armis rem geſſit temporalibus, aut pulverem tormentarium ſibi paravit; nemo bellum cum ullo Principe ſuſcepit; nemo dixit, Ut hoc Regnum ad rectam fidem convertam, Regem & univerſum nomen Regium inaudito proditionis exemplo occidam; tum autem quicquid in eo Regno eminet ἀΐδῃ προϊάψω, ac ſi ita res popoſcerit, in amicos pariter ſæviam; id namque Deo gratum eſt futurum, & facientibus meritorium. Hæc non Chriſti, aut priſcæ Eccleſiæ placita ſunt; ſed hujus ſeculi aut proximorum exitiabilia inventa. Hi fructus Hildebrandicæ doctrinæ; quæ Imperatorum, Regum ac Principum petens capita, multis perſæpe Europæ Provinciis ferro flammâque ſæviens, quod ex Hiſtoriis ſcimus, horrendam vaſtitatem intulit. Quòd autem Catisbejus rem primò ſic propoſuit θετικῶς, ut ad hypotheſin non deſcenderet, eſſet hoc alicujus fortaſſe momenti ad minuendum Garnetti crimen; niſi & voce in judicio apud Dominos Delegatos, & ſcripto in Epiſtolis, quæ exſtant illius, ſæpiſſimè faſſus eſſet, Catisbeji hæc verba ſtatim perculiſſe animum ſibi, ut repentè conjiceret, magnum aliquid, hoc eſt, nefariam aliquam proditionem ipſum cogitare. Deinde jam probavimus, totius fraudis conſcium fuiſſe Garnettum, non minùs quàm complicum quemlibet. Quum igitur in ſententia ſemper ipſe manſerit, neque reſponſum unquam revocaverit; ſed contrà, conſummationem incepti omnibus ſemper viribus procuraverit; nullum eſt dubium, quando ita primùm reſpondit, rei ipſum fuiſſe

* Apocalypſ. IX: 11.

† 1 Petr. II: 23.

1611 fuisse intelligentem, neque ullo errore lapsum. Mimus autem ille quò pertinuerit, inferius ostendemus. Et de crudelitate quidem immani Garnetti, postquam Zelota est factus, hæc dicta sunto. De Æquivocatione verò, hoc est, mentiendi & pejerandi arte, quæ eidem tantoperè est probata, quid dicemus? aut quid pro rei magnitudine dici potest? Æquivocandi scientia, ætate nostrâ inventa, (quæ & maledicendi artem, huic affinem & geminam, prima protulit) quos auctores habuerit, non facilè dixerim. Constat, multos vestri Ordinis Theologos, fortasse & alios; verùm illos ego non vidi, eam artem magnâ curâ & explicuisse, & asseruisse. Sed qui præcipuè Æquivocationem excoluerunt, eos video fuisse Anglos. Exstant Jesuitæ Pearsonii, Angli, qui Romæ diu vixit, & mortuus est, Disputationes ejus argumenti acres & prolixæ, à doctissimis hujus Regni Theologis, præsertim à Thoma Mortono, Decano Wintoniensi, moderatissimi ingenii viro, confutatæ & jugulatæ. Exstat etiam libellus, ab eruditis Pontificiis in hoc ipso Regno scriptus, & hoc titulo publicatus, ac typis expressus: *Æquivocationis Tractatus*; Blackwelli, Archipresbyteri, & Henrici Garnetti suffragiis, *ut valdè doctus*, (verba sunt Archipresbyteri) *& verè pius & Catholicus* comprobatus. Nam Apologista, qui negat in secunda Apologia, ullum unquam ejusmodi tractatum in rerum natura fuisse; & qui ejus meminerunt, vocat impostores; quantus & quàm insignis ipse est impostor? Si sexcentorum Anglorum testimoniis credere non vult, qui partim viderunt legeruntque eum librum, partim hodieque servant; si Actis publicis, ubi res fusè exponitur, fidem vult abrogare; at suo saltem consectaneo, Andreæ Eudæmono-Joanni, scio, credet. Cujus Apologiam si inspexerit capite secundo, levitatem & imprudentiam suam, ne quid gravius dicam, velit nolit, cogetur agnoscere. Quod autem Apologista idem, *Solos esse* dicit *homines Dei amantes, quibus Æquivocatio placeat*: & aliquantò prius, cæcitatem eorum Catholicorum è vestris lamentabiliter deflet, (putes cùm legas, de primario aliquo fidei nostræ articulo agi) qui persuaderi sibi non patiuntur, boni viri esse, nedum Christiani, æquivocare; videndum est, quo jure hæc dicantur. Nam si appellatione Æquivocationis simplicem quandam & modestam reticentiam significet, aut dissimulationem consiliorum, in hac misera vita sæpe necessariam, planè cum ipso sentio; qui multa alibi 1611.
de ista simulatione aut dissimulatione, quam magnus Auctor *πολιτικὴν συνυπόκρισιν* nominat, disputo, ejusque fines & legitimum usum ostendo. Verùm hæc *πολιτικὴ* prudentia nihil quicquam prorsus commune habet cum nuper nata mentiendi arte, quam Æquivocationis auctores docent, & mordicùs tuentur. Naturam hujus Æquivocationis paucis hoc loco juvat explicare; idque non è tractatu solùm, de quo diximus, aut Pearsonii scriptis; sed ipsius Garnetti verbis, quæ fideliter ex illius autographo descripta sunt, & in Latinum sermonem versa. Is enim vir, quamdiu in Arce Londinensi mansit captivus, hac consuetudine est usus; ut sive Rex juberet, sive Domini Delegati exigerent, aut etiam occasio alia existeret, sine ulla difficultate sententiam suam scripto consignaret; unde illa copia chartarum manavit, manus ipsius exaratarum ac subscriptarum, quæ in Archivis hujus Regni diligenter servantur. Garnettus igitur de toto hoc argumento quid sentiret, explicare jussus, die Martii vicesimo anni CIↃ IↃ CVI. hoc responsum dedit: *De Æquivocatione ita censeo. In rebus moralibus & communi usu vitæ, quando veritas inter amicos requiritur, uti Æquivocatione haut licet; id enim societati hominum magno malo cederet: quare huic remedio in istis nullus locus. Quoties verò de necessaria defensione agitur, deque injuria aliqua evitanda, aut damno, aut de consequendo aliquo non parvi momenti bono, sine ullo cujusquam periculo, tum licita est Æquivocatio.* Attende mirabilem distinctionem. Inter privatos non licet æquivocare, hoc est, mentiri & pejerare; apud Magistratum licet, modò id sit utile. Deum immortalem! quæ hæc nova Theologia est? Nam illa, *sine ullo cujusquam periculo*, videbimus deinceps, quàm vim habeant in hac arte: reverà enim non nisi ad speciem adjiciuntur. Subjicit deinde Garnettus Æquivocationis exemplum Coventriense, sermonibus multorum in Anglia jactatum, ex illo Æquivocationis Tractatu, ubi sic narratur, & defenditur: *Grassante per Angliam pestilentiâ, quidam Londino ubi vis maxima erat mali, Coventriam venit. Ad portam urbis occurrit Magistratus, qui delato jurejurando ipsum interrogat, veniat necne Londino? Ille negat strenuè, & dictis jurejurando fidem facit.* An peccavit? Negant Magistri in illo Tractatu. Caussam afferunt hanc: *Principali enim*, ajunt, *& finali propositæ quæstionis scopo, scilicet, an sic venit, ut civi-*

1611. *civitati pestem afferret*; *responsum dedit, licet immediatus quæstionis sensus fuit, scire, utrùm Londino sit profectus necne. De hoc bonâ conscientiâ jurare ut posset, persuasio præstabit, aut scientia certa, quam jurans habuit, vel pestem non jam esse Londini, vel aërem non esse ibi infectum, neque prætereuntes inficere; vel se equo vehentem citato cursu absque noxa transiisse.* Hæc est decisio illorum Magistrorum; qui ut illustrent novam doctrinam, admirabilem proferunt theoriam, non planetarum quidem, sed nescio cujus abstrusioris doctrinæ, de differentia *propositionis verbalis*, & *reservationis*, sive *retentionis mentalis*; item de *propositione scripta* vel *mixta*. Nam hæc sunt artis mirificæ vocabula ἔντεχνα, nondum apud veteres Philosophos, aut beatos Patres, quod meminerim, mihi inventa. Appellatur autem in hac arte, ut hoc quoque addam, Propositio mixta, quæ partim vocis prolatione, partim silentio constat; quando animi sensum partim verbis exprimimus, partim silentio premimus, & in mente reservamus. Ridere licet Veteres, qui crediderunt boni viri & amantis veritatis orationem cum mente debere consentire, & simplicem esse: quoniam Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. Homerus etiam, quem omnium ætatum Sapientes sunt demirati, pueriliter cum vulgo erravit, cùm sub Achillis persona gravissimè hominem detestatur, qui aliud in mente celat, aliud lingua loquitur:

> Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλησιν,
> Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

Sed & Regius Vates, cùm inter notas perditissimorum hominum hanc etiam ponebat, *quòd unusquisque ad proximum suum corde & corde loquantur* *, parum attendebat. Ignorabant videlicet Antiqui hanc de propositione mixta & reservatione mentali doctrinam, apud Magistratum præcipuè usurpandam; de qua Philosophum in Περὶ ἑρμηνείας nihil scripsisse, (is erat locus proprius, ubi natura propositionum omnium explicatur) non est mirandum. Adhuc enim tantum arcanum homines latebat, de cujus revelatione est, quod seculo nostro gratulemur. Redeamus nunc ad Garnettum; qui in illo, de quo diximus, scripto, post allatum hoc exemplum, cum superioribus Magistris consentiens, rationem decisionis ita explicat: *Possum eo casu*, inquit, *jurare. Pono enim, rem mihi fore commodissimam, ut in urbem admittar; ex eaque re nullum damnum aut noxam posse ad Coventrienses pervenire. Nam civitas quidem Coventria aliud nihil spectat, quàm ut à morbo sit immunis; quæ si exploratum haberet me valere, & à pestilentia esse liberum, sine mora me admitteret.* Hæc P. Garnettus: ubi vides cautionem superiorem non esse neglectam, ne cum alieno periculo fiat Æquivocatio. Sed quid, si fallatur æquivocans, & inscius pestem secum gestet? Nam hoc sæpe evenire, ne pueri quidem ignorant. Quare res nugatoria est ista cautio. Nam exempli gratiâ: Fur quidam in jus vocatus est, & an sit fur interrogatus, negat se esse furem. Quidni enim? faciet namque periculi vitandi caussâ. Quare ex superiore doctrina dicet, *Non sum fur:* cum hac tamen, aut simili reservatione mentali: *ut in hac urbe furtum faciam:* simul enim apud se statuet, urbe illâ excedere; ut sine alieno periculo possit beneficio Æquivocationis frui. Sed hac cautione quàm benè cavetur urbi? Nam fieri potest, ut simul ac dimissus à Magistratu fuerit, oblatâ occasione ad ingenium redeat: αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος †, & ipsâ olera ollâ legit, quod ajunt. Iterum dico, futilis, fallax & nugatoria est illa cautio. Proferamus aliud exemplum ex eodem Tractatu. Quidam post contracta sponsalia per verba *de præsenti*; mox ad alias nuptias convolans, fidem suam alteri sponsæ similiter per verba de præsenti obligat. Vocatur in jus ad Episcopi Consistorium, & præstito jurejurando verum dicere jubetur; deinde interrogatus, annon priori sponsæ per verba de tempore præsenti sese obstrinxerit; negat ille, & pernegat. Quærunt Magistri, an hoc sit peccatum, & respondent sic: *Judicis quæstio eò tendebat, ut justum necne esset prius matrimonium, cognosceret. Quum igitur reus id matrimonium pro irrito & illegitimo haberet, nullo conscientiæ periculo, jurare potest, non fecisse, quod fecerat; cum hac utique retentione mentali, eo animo, ut id esset legitimum matrimonium.* Quis negabit mihi, quantivis pretii esse hanc Æquivocationis doctrinam? quæ ut his quidem subtilissimis Doctoribus placet, tam facilè omnia secus admissa aut scelera potest excusare. Sed illud quoque fateantur omnes oportet, per hanc novam disciplinam ad omnia quamvis execranda μιάσματα latam patefieri non fenestram, sed januam; ut meritò facturi sint homines facinorosi, & ad omnem impietatem projecti, si assertores Æquivocationis pro benè meritis patronis habuerint, & omni observantiâ colue- 1611.

* Psalm. xii: 2.

† Homer. Od. Π. vers. 294.

1611. coluerint. Hoc melius sequentia demonstrabunt. Est & scitum ejusdem disciplinæ, ab Auctore libelli defensum, & à Garnetto ipso cùm verbis, tùm scriptis, quæ ipsi vidimus: Licere criminis alicujus reo pejerare, & omnimodis factum negare, si ab eo interrogetur, qui auctoritatem legitimam non habet: etiam apud legitimum Judicem licere; non tamen ἀδιορίστως, sed cum hac exceptione, *tantisper dum probationes deficiunt*. Atque illud axioma egregiè in rem suam vertit P. Garnettus toto judicii sui tempore. Nam ex ejus ore nulla unquam fuit prius expressa veritas, quàm teneri se ἀφύκτως indubitatæ fidei testibus, aut testimoniis cognosceret. Quoniam autem Rex clementissimus quæstionem de eo per tormenta haberi vetuerat; ut aliquid fieret, nec semper lateret veritas, excogitatum est à viris prudentibus, ut Garnetto & Oldcorno, Jesuitis, qui in eadem Arcis parte vicinis cubiculis servabantur, sermones unà serendi potestas fieret, quos exciperent viri honesti ad id ministerium electi, in proximo latentes. Post hæc jussus Garnettus pro tribunali sese sistere, & an ullum sibi cum Hallo sive Oldcorno fuisset colloquium interrogatus, petitione etiam adjectâ, ut sine Æquivocatione verum diceret; *pertinacissimè per animi sui salutem jurans, negavit, idque toties cum tantis tamque horrendis exsecrationibus repetiit, ut audientium animis grave vulnus infligeret*. Non mea sunt hæc verba; sed viri illustrissimi Domini, Comitis Salisburiensis, ipsum Garnettum compellantis, cùm inter quinque illustrissimæ dignitatis Comites unà cum aliis primariis totius Regni viris Judex in ea caussa sederet. Mox ut Halli confessione, & testimoniis eorum, qui sermones exceperant, irretitum undique se teneri Garnettus animadvertit; pudore suffusus, miser senex, veniam delicti sic petiit, ut beneficio Æquivocationis id sibi licere contenderet. Nam dixit: *Cùm aliquis de crimine à Magistratu interrogatur, is Magistratui respondere, antequam testes fuerint producti, non tenetur; quia nemo tenetur prodere seipsum.* Atque hæc constans fuit illius sententia, in qua semper mansit, omnia pernegans, & facti rationem hanc posteà afferens. Quâdam etiam die Magistratum ultrò accusare ausus est, quòd legitimis probationibus instructus, non esset veritus ipsum interrogare. Rem exponam pluribus ex scriniis publicis. Die vicesimo septimo Aprilis interrogatus per Presbyteratum suum, rectène fecisset, quando coram Magistratu negavit, manibus etiam appositis (nempe sacro Euangelii codici) se neque nuncium misisse, neque scripsisse ad Tesmundum, sive Greenwellum, Jesuitam, ex quo unà fuerant Coughtonæ; quum sciret id esse falsum? Respondit, *Nihil se fecisse non legitimum; sed Magistratus rem illegitimam fecisse & malam; qui de ejusmodi rebus se interrogarint per Presbyteratum suum, quando ipsi literas à se scriptas haberent. Neque enim fuisse animum sibi, eas denegare; siquidem scivisset, eas in potestatem Magistratûs devenisse. Nunc quia crederet, illas literas non esse interceptas, rem negasse, idque fieri à se legitimè potuisse.* Ecce rem novam, nova jura. Reus Majestatis Magistratibus præscribit, quo pacto de sceleribus suis debeat interrogari: & si non pareatur à Magistratu, gravissimè cum eo expostulat. Satis istud quidem pro imperio; nisi quòd per hanc præstigiarum plenam doctrinam *novus scelerum nascitur ordo*, ac propterea ἄνω ποταμῶν χωροῦσι πηγαί. Legi etiam scriptum aliud Garnetti, responsiones quasdam continens ad varias ipsi propositas quæstiones die decimâ Aprilis, ubi leguntur hæc ipsius verba: *Si quis suscepit, aut suscepturus est consilium Regis occidendi; is non tenetur verum fateri, licet adducatur ad legitimum Magistratum, donec probationes exstiterint ad convincendum ipsum idoneæ.* Credo, te, mi Fronto, pro tua humanitate inhorruisse; doctrinâ enim istâ ne excogitari quidem alia efficacior videtur posse ad tollendos Principes, & universæ hominum societatis jura conturbanda. Existimo etiam, satis te jam ex iis, quæ diximus, cognoscere, quale genus monstri sit illa Æquivocatio, quam Theologi Pontificii, ac præsertim Jesuitæ in hoc Regno tam acriter defenderunt. Unum tamen adhuc cum primis memorabile exemplum afferam; ut eò melius intelligas, defensores & approbatores æquivocantis doctrinæ quale sit hominum genus, quàm veritatis & fidei inimicum; & Dei, qui est ipsa veritas, in ipso etiam mortis articulo contemnens. Accipe igitur veram historiam, & ex uno disce omnes. Franciscus quidam Treshamus fuit, inter proditores non obscurus; qui post Conjurationem Catisbejanam captus, & à Magistratu jussus dicere, si quid de conjurationibus adversus Regnum sciret, respondit, Sibi hoc compertum esse, conspirationis sub mortem Elizabethæ initæ, quâ Regis Hispaniarum copiæ advocabantur contra serenissimum 1611.

1611. mum Regem Jacobum, Garnettum fuisse cum primis auctorem. Neque hoc Magistratus nesciebat; nam Garnettus ipse, diplomate fretus, quo priorum delictorum omnium veniam mense Januario anni CIↃ IↃ CIV. à Regia Majestate impetraverat, non gravatè & Dominis Delegatis, & aliis etiam id ipsum erat confessus non semel. Sed id Treshamus ignorabat; qui paullò post naturali morte publicum supplicium lucrifaciens, tribus duntaxat antequam ageret animam, horis, suasu, ut creditur, uxoris, famulo scriptum dictavit, atque ipse manu moribundâ subscripsit; quo priorem Confessionem verissimam, & ex certa scientia profectam, antiquabat; perque salutem animæ suæ jurans confirmabat, se Garnettum ipsis sexdecim minimùm annis proximis non vidisse. Mandavit etiam, ut hæc charta se mortuo ad Dominum Comitem Salisburiensem deferretur. Uti jusserat, factum est, & delata, eaque per eundem illustrissimumque Comitem Garnetto pro tribunali ostensa, qui sæpius jam, ut modo dicebamus, coram illo maximorum virorum consessu fassus, negotii illius Hispaniensis participem se fuisse, novo casu deprehensus hæsit, judicium suum silentio tegens. Sed non est passus solertissimæ industriæ Comes, ipsum tacendo Dominis Delegatis illudere. Itaque Garnettum interrogavit, de Treshami facto quid judicaret? qui respondens, *Verisimile est*, ait, *Æquivocationis beneficio ipsum uti voluisse*. Et hæc quidem de ista re in Actis. Sed nolo prætermittere uberiorem ejusdem super hoc Treshami facto responsionem, quam inter chartas, quæ mihi, jubente Rege, sunt communicatæ, inveni. Ait ibi, Videri quidem sibi exemplum Treshami non temerè esse imitandum; putare se tamen ignorantiam hominis excusare ipsum posse. Nihil enim fecisse, nisi quod ritè se facere posse existimaret. Non probare se, quod nullâ necessitate exigente, ultrò ad Æquivocationem tam abruptam prosiluerit; quum præsertim de proditione, re gravissima, ageretur: *Verùm si quis quærat*, inquit, *an liceat in ipso mortis articulo Treshami æquivocantis exemplum imitari, urgente aliquâ necessitate, ut periculo amici; sane licet: idque probare possumus argumento à Confessionibus ducto. Nam Theologi consentiunt, posse quædam in Confessione omitti, quoties notabile aliquod periculum immineat, si confitens omnia sigillatim exposuerit, quorum est sibi conscius, atque hoc jus*, ait, *quum durante vitâ unicuique fas sit usurpare, cur non etiam à moriente usurpetur?* Vides quàm non ægrè potuerit hic Pater adduci, ut in ipso momento, quo ad judicium Dei se sisteret, Æquivocatione homines falleret; atque ut ego interpretor, veritati simul, & Præsidi veritatis, Deo, renunciaret. Nam quia commune nihil habent veritas & mendacium; qui ludicris fretus argutiis ad ejus castra palàm transit, de quo scriptum est, ψεύστης ἐστὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ *, an non manifestè à Domino nostro Jesu Christo desciscit, qui est αὐτοαλήθεια, & qui ut suos amori veri assuefaceret, præceptum dedit: *Sit vester sermo, Est, est; Non, non* †. Porro æquivocandi disciplina non hoc solùm permittit hominibus, ut simplici affirmatione mentiantur; sed etiam ut fidei faciendæ gratiâ nihil eorum prætermittant, quæ inter mortales eo valere censentur. Jurabunt igitur, Sacra Euangelia tangent, & quidvis aliud facient; atque adeò si opus sit, sumptione corporis Christi (horresco referens!) mendacium firmabunt. Quo auctore hoc probabis? inquies. Illo ipso, de quo nobis sermo; vestro, inquam, Garnetto; qui die quâdam convictus, multa apud cognitores suæ caussæ esse mentitus, reductus in Arcem, & posteà ibidem interrogatus, ecquid pœniteret artis infamis, & an id seriò licitum crederet? An pro tempore, necessitate premente, illa diceret? ipse manu suâ responsi loco in charta quadam hæc scripsit, ut erat illi mos, & interrogantibus tradidit: *This I acknowledge to be according to mine opinion and the opinion of all the Schoolemen; and our reason is, for that in cases of lawfull Equivocation, the speech by Equivocation being saved from a lie, the same speech may be without perjury confirmed by oath, or by any other way, though it were by receiving the Sacrament, if just necessity so require.* HENRY GARNET. Hæc sunt ipsissima Garnetti verba, quæ ex autographo ipsius descripsi, & fidei meæ caussâ hìc apposui. Sonant autem hæc, si Latinè reddantur, sic: *Hoc ego agnosco esse consentiens opinioni meæ & omnium Scholasticorum:* [vidi aliud autographon Garnetti in eandem sententiam, ubi erat, *of all Divines of our side*, *Omnium Theologorum partium nostrarum*, quod nomen multò est augustius, quàm *Scholasticorum.*] *Et ratio eorum est, quòd ubi de legitima æquivocatione agitur, sermo, qui per Æquivocationem liberatur à mendacio, idem etiam per jusjurandum sine perjurio potest confirmari, & per quemvis alium in eam rem usitatum modum; quamvis id fuerit per sumptionem Sacramenti, si justa necessi-* 1611.

* Joh. VIII: 44.

† Matth. V: 37.

1611. *cessitas ita requirat.* HENRICUS GARNETTUS. Habes quam Æquivocationem Garnettus defenderit, & quàm præfractè illam defenderit. Apologista verò, & mendax Cretensis, qui Æquivocationem prolixè defendunt, & ejus exempla etiam in Sacris Literis conantur invenire & in Patribus; si de ea, quam hactenus exposuimus, mentiendi apud Magistratum & pejerandi nova arte intelligunt; eos ego non dubito, nisi maturè pœniteant, impietatis suæ & manifestæ blasphemiæ pœnas Deo Opt. Maximo, & veritatis acerrimo vindici esse olim daturos. Optarem posse hîc desinere, & ingrato mihi sermoni finem imponere. Sed non possum. Restat enim crimen aliud Garnetti omnium longè gravissimum. Nisi quis fortasse pro levi ducendum putet, rerum sacrarum profanationem adeò horrendam, ut Sacramenta, quæ divinitùs ad salutem hominum sunt instituta, ut essent gratiæ instrumenta, canales & σφραγῖδες, ad scelus inexpiabile confirmandum, & Regni hujus eversionem sanciendam adhiberentur. Quid sanctius Religio Christiana habet sacrosanctâ Eucharistiâ? de qua pii Patres Ecclesiæ veteris pariter & Latini, ne mentionem quidem facere paullò apertius unquam sunt ausi; nisi omnes prius exclusissent profanos homines, aut non Christianos, vel etiam Semi-Christianos, id est, Catechumenos. Hæc tamen res tam sancta, & mysterium οὔτω φρικτὸν, οὔτως ἄχραντον, ad Conjurationem Pulverariam promovendam, & fidem complicum adstringendam, passim à Jesuitis, totius negotii administris, est adhibitum. Certissimum est, & principio statim, ut quisque ad Societatem infandi criminis est admissus, eum sumptâ Eucharistiâ ad servandum silentium fidem suam obstrinxisse; & posteà non semel in eundem finem hoc Sacramentum esse repetitum. Extant probationes in Actis; quas prætermitto. Garnettum autem hoc non ignorasse, sed potius, ut rem piam imperasse; vel proxima verba, quæ ex illius manu descripsimus, clarissimè evincunt. Nam qui ad mendacia & perjuria apud Judicem stabilienda corpus Christi sine periculo sumi posse δογματικῶς definit; cur ad silentii fidem faciendam idem nolit fieri, ratio nulla dici potest. Hæc verò plusquam barbara immanitas quàm è diametro pugnet cum doctrina Evangelica, quid attinet dicere? Dominus quidem noster Jesus Christus, ut extaret in Ecclesia sua semper recens & viva eorum memoria, quæ pro sua inenarrabili bonitate in gratiam humani generis passus est εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, quando 1611.
peccata nostra sustulit in crucem, & τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον ἐξήλειψεν αὐτοῖς δόγμασι *· reatum, inquam, nostrum * Coloss. 11: 14.
unà cum Legis sanctionibus, quæ nos peragebant reos, peremit; sacramentum hoc augustum & ζωοποιὸν instituit: isti verò Zelotæ, quasi esset Cœna Domini symbolum furoris & sceleris, & incentivum ad cædes & parricidia; à participatione divini mysterii diabolicam Conjurationem sunt auspicati; atque ut Regem, Regiam Domum, & non pauca millia hominum innocentissimorum, in commune congregatorum, animosius delerent, ad altare convenerunt, sacra peregerunt, Communionem sumpserunt. Jam quum tantâ curâ doceat nos Apostolus †, ut severo † 1. Cor. XI: 27.
peccatorum nostrorum examine, & non fictâ pœnitentiâ præparati, ad Sacram Mensam accedamus, nisi velimus pro Pane benedictionis pignus æternæ damnationis nostræ comedere; Zelotæ isti, quasi vellent Dominum nostrum in partem sceleris vocare, (absit vero blasphemia,) per ipsum mystici hujus Panis interventum novæ & inauditæ feritatis novo reatu sese obligarunt. Hoc videlicet est, quod Paulus præcipiebat, συνέρχεσθαι εἰς τὸ κρεῖττον, non autem εἰς τὸ ἧττον ‡. Tu, Fronto eruditissime, ‡ 1. Cor. XI: 17.
qui Theologus es, & in Patrum, præsertim Græcorum, lectione versatissimus, impietatis hujus magnitudinem, quam nulla vis humani ingenii, nulla verborum facundia satis expresserit, optimè omnium intelligis. Quod si posset aliquid ex universa Historia Ecclesiastica aut Patrum monumentis proferri ad nefariæ hujus profanationis defensionem; tu profectò, si quis alius, posses Zelotarum caussam hac in parte adjuvare. Sed non vereor, ne id vel tu sis facturus, vel quisquam mortalium. Novum hoc quoque inventum est: Hildebrandicæ doctrinæ hîc quoque est surculus. Quid nunc commemorem preces & supplicia, Catholicis à Garnetto sub tempus perficiendæ proditionis indicta, ut magnum inceptum, promovendæ Religioni Catholicæ susceptum, ad felicem exitum produceretur? Scilicet verè Catholica Religio; hoc est, vera, scelere tanto ut promoveatur, opus habet. Pudeat Christianos impietatis tam manifestæ, tam projectæ. Turcas, non Catholicos, decet hæc sententia. Sanè ipse Garnettus, cùm posteà à Magistratu interrogaretur, quâ fronte ausus esset ad precationem adeò detestandam ovibus sui gregis præire? facti pudendi infamiam se amoliri quoquo modo est conatus. Dixit enim, se orationes illas

1611. las fieri jussisse, non eo animo, ut ex sententia proditorum; sed potius, ut contra proditorum mentem res eveniret, utque eo pacto saluti Regis ac Regni consuleretur. Puerile illud quidem commentum fuit; sed quo tunc maluit tamen uti, quàm fateri, usque adeò abominandæ rei auctorem se fuisse. Apologista verò, qui factum negat, solennia delirat, & de re sibi incomperta temerè affirmans, ridiculè sibi credi postulat. Legat Torturam Torti, à viro maximo * conscriptum Opus, & sibi responsum putet. Venio nunc ad genus aliud profanationis rei sanctæ; certè ad finem sanctum ab Antistitibus Religionis Catholicæ ante plura secula institutæ: Confessionem dico; cujus rigidam necessitatem, quæ apud vos obtinet, Ecclesia Anglicana molliendam sibi certo consilio putavit; rem quidem ipsam neque sustulit ullâ unquam lege, neque damnavit. At vos, qui Sacramenti loco eam habetis, non minùs quàm Baptismum, aut Eucharistiam, magnâ omnino reverentiâ eam tractare, & finis semper meminisse oportuit, cujus gratiâ fuit inventa; neque quicquam committere, cur homines sibi persuadeant, alio fine eam hodie à vobis exerceri, quàm fuerit olim instituta. Nam si hodierna Confessio modo & fine diversa est ab antiqua, qui potest, salvo pudore, ut antiqua defendi? Hac tamen in parte quàm graviter, quam odiosè peccari hodie à vestris soleat, nemo jam ignorat; quippe eò dudum est ventum, ut Confessio multis telum sit ad mala peragenda efficacissimum. Quamobrem hocce animarum pharmaco malè utendo (bonos & pios semper excipio) id assecuti estis, ut non dicam, αὐθάδεις quidam & δύσκολοι, quibus vinum vetus præ novo haut sapit: sed præcipui admiratores antiquorum institutorum dubitant, sitne Ecclesiæ conducibilius futurum necne, Confessionem illam arcanam penitùs esse sublatam, quàm ita exerceri, ut à non paucis sit hodie factiosis & malè curiosis. Causas hujus dubitationis gravissimas possem commemorare hoc loco, & illustribus exemplis confirmare, si à proposito vellem digredi. Nunc, aliis omissis, ea duntaxat commemorabo, quæ ad institutum sermonem faciunt. Spero autem, si me non fallit judicium de tuo candore meum, non magis tibi, quàm serenissimo Regi probatum iri, quod ex simplici & vera narratione mea hic gestum esse intelliges. Apologistam etiam, scio, & alios tenebriones damnabis, quos non pudet scribere, Garnettum non aliam ob caussam supplicio 1611. fuisse affectum, nisi quia sigillum Confessionis violare noluerit. Nam ille quidem, nullâ vi corpori ejus adhibitâ, violavit; si violare sigillum est, rem, quam in Confessione te dicas accepisse, efferre; quod fecisse ipsum sæpius, atque omnia esse confessum, anteà probavimus. Sed non in hoc peccatum illius consistit: peccavit enim Garnettus etiam circa Confessionem, primo profanatione nominis, quod in magna veneratione, utpote Sacramenti [sic enim docetis] esse debuerat; deinde falsæ doctrinæ & periculosissimæ assertione. De utroque paucis dicam. Quemadmodum igitur si quis communes epulas, aut convivium à facinorosis hominibus ad statuendum de patrando scelere conditum, Eucharistiam appellet, ac κυριακὸν δεῖπνον, caussa dici non possit, quin profanatione nominis sacrosancti reatum magni criminis & ingentis impietatis sit contracturus: ita Garnettum, qui sermones inter se & Greenwellum de conjuratione habitos, & consuetudines crebras Confessionis nomine vocabat, nemo pius profanationis crimine absolverit. Nam quid Confessioni commune cum deliberatione plures dies continuata, & sæpius repetita, super modo & rationibus Pulverariæ Conjurationis ad finem optatum perducendæ? Confessio, quod equidem sciam, enumeratione seriâ constat præteritarum offensarum, & Confitentis pœnitentiâ non fictâ, nec non consolatione & absolutione Confessarii. Horum ubi nihil interveniat, quis eam dicere ausit esse Confessionem? Quam vocabat illo nomine Garnettus, eam consultationem potius fuisse, de patrando scelere, quàm religiosam Confessionem noxæ præteritæ, ordo gestorum luculentissimè ostendit, ut aliâ probatione nihil sit opus. Is à Dominis Delegatis interrogatus, unde, & quo pacto modum Pulverariæ Conjurationis, & τὰ καθ' ἕκαστα de illa cognôsset? respondit primò, à Greenwello se illa in Confessione accepisse: deinde verò, seu quòd puderet ipsum mendacii; seu potius, quod convinci metueret, sæpius super eadem re interrogatus; ita variè, ita perplexè, ita trepidè semper respondit, ut nemo audientium dubitaret, quod initio responsum fuerat, fuisse falsissimum. Exstat autographum illius, mensis Martii die ultimo scriptum, cujus initium est: *Rogatus veritatem exponere & dicere, utrum Dominus Greenwellus proditionem mihi in Confessione declaraverit, an extra Confessionem? respondeo: Nos tum obambulasse; verùm esse consuetum,* si

* Suprà, pag. 408.

1611. *si longam deliberationem negotium aliquod desideret, vel si libris inspectis sit opus, ut vel ambulando, vel sedendo Confessio peragatur. Quod autem quæritur, Esset necne Greenwellus pœnitens? Respondeo; Illum non quasi culpam suam hoc mihi dixisse, verùm ut rem sibi probè cognitam, atque hoc per viam consultationis.* Exstat aliud quarto Aprilis die scriptum autographum, cujus initium est: *Interrogatus per fidem meam erga Regiam Majestatem, an quod à Greenwello de Pulveraria Proditione primùm cognovi, in Confessione dictum mihi fuerit, an extra Confessionem? Respondeo: Inambulasse nos, & Greenwellum enuntiasse mihi rem totam sub Sigillo maximo; quod ego de Sigillo Confessionis accepi; quamquam ille fortasse de minore aliquo intelligebat.* Præter ista habeo in potestate adhuc mea schedam aliam, sexto die Aprilis manu propriâ Garnetti exaratam, quæ ita incipit: *Ut satisfaciam Regiæ Majestati quantum per memoriam meam licebit, declaro hic.* Et post pauca: *Quod ad colloquii illius modum attinet, quo Pulverariam Conjurationem Greenwellus mihi aperuit; equidem pro certo affirmare non possum, animum illi fuisse ea narrandi tanquam sub Confessione. Ipse tamen credidi, debere me sic illa accipere. Nam Greenwellus offerebat se ad Confessionem; sed ego nihil opus esse dixi; me enim sic accepturum, tanquam si confitens rem indicasset.* Dicere etiam solebat, *Non Confessionem quidem eam fuisse, verùm habuisse relationem ad Confessionem posteà futuram.* Quid? quòd habentur aliæ ejusdem literæ ad D. Annam tertio die Aprilis scriptæ, in quibus Confessionem quidem eam fuisse narrat; sed quam non aliâ lege à Greenwello acceperit, nisi ut integrum esset eam revelare, si quæstio unquam de eo haberetur. En latebras, en hæsitationem & in defendendo mendacio miseram fluctuationem! En novam doctrinam! Ubi enim aut in Sacris Literis, aut in scriptis Patrum, ubi denique in ullo Doctorum, qui ante hoc seculum vixerunt, mysterium illud invenias? *Non est Confessio, sed habet relationem ad Confessionem.* Item istud: *Non ut culpam suam dixit mihi, sed per viam consultationis inter ambulandum; & tamen est Confessio.* Quàm verò absurdum, ridiculum, & ejus auctoritatis viro indignum, sermonem inter duos habitum, unà modò ambulantes, modò sedentes, sæpeque repetitum, uni collocutorum Confessionem esse, qui tamen exploratum non habeat, alterum congerronem de Confessione cogitâsse? Dicerem ridendam hanc amentiam, nisi tremendum potius ducerem, de rebus 1611. Religionis ita ludere. Adde quod magnitudini rei, qua de agebatur, lacrymæ potius conveniunt & justa indignatio, quàm risus. Agebatur Regis & Reginæ mors crudelis, totius Regiæ Domûs miseranda pernities, Procerum, Præsulum, Equitum & floris omnium Ordinum internecio, & universi Regni eversio; cùm interim Garnettus & Greenwellus Conjuratione probè cognitâ, ut hominibus persuadeant Religione se impedire, quò minus viri boni, & cives probi sint, puerilia sophismata nectunt, & ut leonem excipiant, subulâ se instruunt. Hoc placet? Hoc Religio vestra hodie suadet? At quis adeò ab omni humanitatis sensu est alienus, qui vel solâ recordatione harum rerum non afficiatur? Impius verò sit oportet, cui non doleat pietatem Christianam, & Domini nostri Jesu Christi præcepta fuisse illis ludibrio, qui de nomine ejus adorando propriam sibi appellationem vindicabant. Nec multò minus nova aut minus detestanda doctrina est, de Confessione non detegenda, ne in caussa quidem Majestatis, & præsenti Regis ac Regni periculo; quam Garnettus idem animosissimè defendebat: immò verò cujus gratiâ fabula illa ficta est de Greenwelli Confessione. Nam eò totus hic mimus spectabat, ut colorem saltem dicere aliquem Garnettus posset, si quando esset ab ipso quæsitum, cur in tanto Regis & patriæ periculo siluisset. Quia enim nôrat Garnettus, simplices Catholicos, & minimè factiosos consilium proditionis non probaturos; non dubitabat futurum, ut multis daretur occasio secius de Religione Catholica vestra existimandi, & Societatem cum primis Jesuiticam detestandi; si esset evulgatum, ipsum sceleri consensisse, & participem omnium fuisse: cùm liber erat, summâ semper diligentiâ cavit, (sicut ipse in multis suarum scriptionum locis narrat) ne quisquam è populo resciret, suis consiliis proditores uti. Ideò Catisbejus coram aliis rem in abstracto (ut loquuntur) proponit: ideò etiam simulatur Confessio, multaque alia per simulationem geruntur. Posteà verò quàm doli omnes patuerunt, observatum est, Garnettum non adeò de vita servanda fuisse sollicitum; ac de damno, quod vestram & Religionem & Societatem non dubitabat accepturas, si semel quæ ipse in hoc negotio & alii Jesuitæ gesserant, palàm essent facta. Ut igitur aliquid haberet, quod apud simpliciores prætexeret, tuebatur totis ingenii viribus, Sigillum Confessionis ne in tam

1611. enormi quidem proditione esse violandum; neque ullam posse existere satis justam caussam, cur accepta in Confessione ullo pacto indicarentur. Acta narrant, illustrissimum Comitem Nottinghamiæ die quodam Garnettum pro tribunali ita interrogasse: *Si quis mane apud ipsum confiteretur, se die sequenti Regem pugione transfixurum, an putaret rem sibi occultandam?* Garnettum *affirmasse, neque aliud quicquam addidisse.* Sed in scriptis schedis invenio eundem super hoc ipso interrogatum, plenius responsum dedisse, hoc pacto: *Quod quæritur, si in Confessione proditio fuerit detecta, cum præsenti periculo Regis & Regni conjuncta, nisi confestim provideatur, quia confitens neque pœnitentiâ ullâ tangitur, neque propositum velit mutare, an possit Presbyter eam revelare? Respondeo: Non poterit quidem absolvi, qui confitetur; verùm sic clavibus Ecclesiæ idem se subjiciat, tunc obligat Sigillum Confessionis. Tenetur tamen Presbyter omnes rationes mali impediendi tentare.* Quid hic appellat *Clavibus Ecclesiæ se subjicere?* quum ponatur, confitentem non pœnitere, & omnino velle scelus perficere. Nam si Ecclesiæ obsequi paratum se ostendat, pœnitebit utique, & ab incepto desistet. Neque enim cædem, opinor, Ecclesia suadebit; tunc autem nullum periculum. Quare aut ego non capio hoc tam subtile, aut hic Doctor respondere ad propositam quæstionem astu declinavit. Et esset quidem aliquid, quod hic dicitur de cura diligentissimè adhibenda à Presbytero, quo ne malum eveniat: [neque enim confitentem indicari περιηγημένως, & simpliciter petimus; sed ut destinato sceleri obviam eatur] nisi constaret certâ experientiâ, Zelotas hodiernos non solùm confitentem non indicare, sed etiam scelus ipsum adjuvare potius quàm impedire. Appello testem Garnettum ipsum. Nam hic non è plebe homo; sed Theologus, & Pater Jesuita, quid fecit, quid vel solùm tentavit, quò minus execrabilis Conjuratio exitum haberet? Enimverò hoc quoque paradoxum, de Confessionis sigillo, ne in caussa quidem Majestatis, & præsentissimo periculo Regis & Reipublicæ non resignando, novum est, & Hildebrandicæ doctrinæ appendix non pœnitenda. Dogma esse novum, liquet ex eo, quòd neque in scriptis Prophetarum aut Apostolorum, neque in Patribus antiquis aut priscis Conciliis, ullum ejus vel tenuissimum vestigium reperitur. Posterius autem esse doctrinâ Hildebrandicâ, claret; quando ejus assertores nullum possunt laudare auctorem suæ sententiæ, Gregorio VII. non posteriorem. Sanè vetus Ecclesia, quæ summorum Pontificum Manliana in Principes imperia penitùs ignorabat, dogmate isto opus non habebat. Hodierna vestra, quæ Imperatores, Reges & Principes cogit in ordinem, & excommunicatos à Papa vult occidi, aut dominationibus suis spoliari; hoc quoque adminiculo persæpe opus habet. Fatemur alioquin, scitum esse Ecclesiæ vetustum, pietatis & prudentiæ plenum; ne auditam Confessionem liceret Confessariis enunciare. Sed nemo piorum illorum Patrum hoc Ecclesiasticæ disciplinæ præceptum tantâ necessitate sancivit, ut ejus gratiâ τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ ἀκυροῦν *, & Legem Dei viventis æternam vellet negligi, ridiculis sophismatis vafrorum hominum illudi, denique violari. Sciebant, quoties aliquis evenit casus, ut locus sit contentioni officiorum, hinc lege Ecclesiasticâ silentium suadente, inde lege divinâ rumpi exigente; Deo potius parendum esse, quàm hominibus. Sciebant, Davidem laudatum esse à Filio Dei †, cujus est, Legem interpretari, quod tempore necessitatis Panes Propositionis comederit, [quos non erat illi fas comedere, ait Christus,] potius quàm inediâ sese enecaret. Sciebant, Dominum nostrum in Evangelio hypocrisin Pharisæorum damnare, cùm mandata hominum Legi anteponentes, & miserum populum specie pietatis decipientes, sinebant esse impium, atque ut Christus ait ‡, labiis Deum honorare; nihil interim curantes; quod cor haberent ab ipso remotissimum. Nunquam igitur pii Patres occidi Reges & Reginas, exsufflari Regiam progeniem, Regnum integrum everti, satius esse pronunciassent, quàm aliquid detegi in Confessione auditum. Nunquam dixissent pii Patres, quod mihi Lutetiæ dixit Binetus, Ordinis vestri Theologus, in Bibliotheca Regis Christianissimi, altero tertiove mense post Henrici Magni cædem, cùm de Garnetti supplicio (ipse martyrium vocabat) loqueremur: *Præstaret Reges omnes perire, quàm si vel semel Confessionis Sigillum violaretur.* Et caussam simul addens: *Regum enim*, ait, *imperium, juris humani est; Confessio, juris divini.* Obstupui, fateor, ad hanc vocem,

> - - - *steteruntque comæ, vox faucibus hæsit.*

Qui postquam vestrorum hominum doctrinam lectione accuratâ librorum ab ipsis editorum didici, desii admirationis, & meam imperitiam damnavi. Nihil

* Matth. xv: 6.

† Marc. II: 25.

‡ Matth. xv: 8.

1611. hil enim mihi ille dixit, quod non alii multi, etsi verbis fortasse non iisdem, docuerint, & quotidie voce scriptisque doceant. Et erat tum Binetus, ut mihi quidem videbatur, recens à lectione Apologiæ pro Garnetto; cujus Auctor, Andreas Eudæmono-Joannes, capite XIII. disertè pronunciat: *Nullum tantum posse esse malum, cujus vitandi caussâ Confessionem prodere liceat.* Et affert ibi Andreas Auctorum recentiorum tantam catervam, ut nudis eorum nominibus & librorum ab ipsis editorum paginas impleat: *Si prorsus nullum malum potest esse tantum*, ut ait Andreas; ergo ne omnium quidem Regum interitus erit tanti, quæ est affirmatio Bineti. Regum verò imperium esse juris humani; at Confessionem, divini, plerorumque è vestra Schola, & aliorum etiam opinionem esse hodie, quis ignorat aut ambigit? Docet hoc Sanderus, docet Bellarminus, docent alii plurimi. Quare sine caussa miratur, & non credere se fingit Apologista, Binetum illa mihi dixisse. Cur miratur dixisse illum, quod ipse dubio procul credit, & tot novi Doctores credi ab omnibus volunt? Dixit vero, dixit illa mihi Binetus, quæ modò retuli, totidem verbis Latinè versa. Testem advoco Deum immortalem, nihil fingere me. Et aderas tu quidem, mi Fronto; sed aliâ parte Bibliothecæ, in libris Græcorum Patrum evolvendis occupatior & remotior, quàm ut nostros sermones audire posses; nedum ut ipse mihi ea verba diceres; quod temerè quidam*, nescio unde acceptum, affirmarunt. Si Epistolam super ea re meam ad te, aut alteram ejusdem argumenti ad P. Cotonem, quibus vestris respondebam, totam descripsisset Apologista, nec partem alteram, quæ erat de Bineto, reticuisset; candorem illius laudarem, qui nunc fidem cogor desiderare. Sed ut scias, quàm sint hoc tempore multi Scriptores Regibus iniqui, audi novam Theologiam, & seculi perversi infelicitatem mecum agnosce. Nam ubi semel inter disputantes de Summorum Pontificum potestate super Reges amplificanda, æmulatio est accensa; quo furoris nonnulli in contumeliam Regum sint progressi, dictu mirabile est. Exemplo sit M. Antonius Capellus, Franciscanus conventualis, qui nuper admodum in Italia adversus serenissimum Regem, & reverendissimum Episcopum Eliensem scribens, capite sexto probat, indignos esse Reges, qui Ecclesiis suarum ditionum ullo modo præsint; *quos Deus*, inquit, *in Moise sibi displicere, apertè commonstravit.* Et statim: *Ecclesia, cùm ædificatur, de Regibus & Principibus seculi nulla ratio habetur.* Huic enim Franciscano, neque Magi Reges fuerunt, neque Abgarus Edessenus; ut de Candace Regina nihil dicam. Tanti facit iste πατροπαραδότους traditiones. Bene speremus;

Lux fulsit mundo, concedit Roma Gebennæ.

Jocari enim tecum, mi Fronto, lubet, καὶ παίζειν εἰ καὶ ἐν οὐ παικτοῖς, quod tuus ille Pater aureus * dicere solet. Posteà subjicit idem: *Et hi, qui negliguntur, qui respuuntur, erunt Ecclesiæ Principes?* Vide mihi acumen hominis. Quia Christus, pro sua ἀνεξιχνιάστῳ prudentia, ad primam Euangelii prædicationem & potentiam Verbi divini rebus ipsis demonstrandam infirma mundi elegit, non autem Romanum Imperatorem, aut nescio quem alium Regem; ergo contemnuntur, negliguntur, respuuntur à Deo Reges. O Logicum eximium! ô disputatorem subtilem! Nam pari ratione aliquis dicat: Dominus noster Jesus Christus in stabilienda initio doctrina Salutaris Nuncii nullo Pontifice Maximo usus est, nullo Episcopo Romano, qui temporali potestate præditum se diceret, sive directè, sive indirectè; qui Reges infra pedes suos poneret; qui Imperatoribus coronas suas pedibus imponeret, pedibus decuteret, ut in Henrico VI. Papam Cœlestinum fecisse, probatissimi Auctores scribunt; qui solus Imperator, solus Princeps à suis dici se compellantibus pateretur; quod suprà dicebamus, non ita pridem essem factum: ergo Jesus Christus contemnit, negligit, respuit Pontifices, terrenum imperium sibi vindicantes: fallor, aut hæc consequentia illâ priore Franciscani nihilo deterior est. Quid? putatne hic Magister, Deum, quando inter alias factas Abrahamo promissiones hanc ponebat, *fore ut ex semine ejus multi Reges orirentur*, maledictionis loco hoc ei esse pollicitum? qui si Pontifices ibi Regum loco nominasset, gloriam Pontificum procul dubio videretur ivisse auctum. Certè non contemsit Deus Opt. Max. Regem Jacobum, servum suum, quando nefariæ Conjurationis obscurâ suspicione injectâ, nemine tam arcanum mysterium conjecturâ assequi valente; solus ipse extitit, qui rem totam planissimè divinaret. Quod sine Numine factum non esse, & credit Rex serenissimus, quæ est ejus pietas; & omnes, qui viderunt, persuasissimum habent; illi præcipuè, qui futuri alioquin ejusdem exitii (Deus meliora!) cum Majestate ipsius participes, Regi soli secundum Deum salu- 1611.

* Notat Anti-Cotonis Auctorem, qui Bineti dictum Frontoni Ducæo asseruerat. Colomes.

* Joan. Chrysostomus, quem edidit Fronto Ducæus.

1611. tem suam ferunt acceptam. Porrò quod diximus de Sigillo Confessionis, ubi Regum aut Regni agitur salus, resignando, non Protestantium duntaxat eam esse sententiam; sed multorum etiam è vestris, aut Juris Canonici Interpretum, aut aliorum, atque inprimis inclytæ Sorbonæ, aut etiam nunc esse, aut olim certè fuisse; quia multi graves Theologi probarunt, & in his nuper D. Episcopus Eliensis * in Tortura Torti ubertim hoc demonstravit, verbum de eo non addam hic amplius.

* Suprà, pag. 408.

Habes, Fronto eruditissime, de rebus Anglicis, & nominatim de Henrico Garnetto, quæ tua & tuorum interesse ne nesciretis judicavi. Atque ea verissima, & hìc omnibus compertissima quum sint; tuum erit jam, pro tua prudentia, æquitate & φιλαληθείᾳ statuere, utrùm malis veræ narrationi, quàm ex ore ipsius Regis, Procerum, qui judicii Garnettiani pars magna fuerunt, Actis Publicis, è Garnetti denique ipsius scriptis autographis hausi, & fideliter exposui, fidem habere: an illi anonymo scripto Apologiæ vestræ, cujus Auctorem, quicquid ferè de iisdem rebus scripsit, vel ex fictis rumoribus, vel ex fallacibus Scriptoribus, aut proditorum, qui evaserunt, sermonibus accepisse, sacramento, si opus sit, non dubitaverim contendere. Nam Garnettum Religionis, non autem immanis Conspirationis caussâ pœnas dedisse, Zelotæ primùm Angli rumoribus incertis distulerunt; deinde eos rumusculos alii præ magnitudine zeli inconsulti ita ἀβασανίστως & cupidè amplexi sunt & propalarunt; ut quod initio, fatuis duntaxat aut osoribus Regni & Religionis Anglicanæ vix ac ne vix quidem persuaderi poterat, jam ubi fama vires acquisivit eundo, etiam libris ex professo ea super re editis verissimum esse, impudentissimè quidem & sacerrimè, sed tamen disputetur: & Garnettus è manipulo proditorum per hos expunctus, in Martyrum Christi numerum sit transcriptus. Prima, quâ usi sunt Zelotæ isti techna, ut veritatem mendacio obruerent, & de Garnetti supplicio, quæ volebant, hominibus persuaderent, stramentitium nescio quod fuit spicæ miraculum; quod ab impostoribus lepidè excogitatum, etsi parùm venustè à malo pictore concinnatum; mox cum testimonio Joannis cujusdam Wilkinsoni, Angli juvenis, rerum imperiti, superstitiosi, fanatici & deliri publicatum, fidem nihilo secius apud non paucos invenit. Adeò absurda, ridicula, fallax pariter & falli facilis, atque ut uno verbo omnia complectar, veritati inimica res est zelus iste præposterus. 1611.
Propter hanc maximè spicam miraculosam, puto, factum, ut Garnettum recens extinctum plurimi Scriptores, quà Ordinis vestri, quà alii, certatim dilaudarent, & martyrium illius obiter in suis libellis celebrarent. Itaque Martinum Del-Rio vestrum, scis qualem virum, non piguit Dionysium Areopagitam, cœlestis Hierarchiæ mirificum ἐκφάντορα, & Henricum Garnettum, ceu par nobile virorum maximorum & invicem ἀνταξίων, inter se comparare. Sed neque rumoribus incertis, neque spicæ miraculo, neque etiam scribentium laudationibus, (nam isti quidem tanquam cæci de coloribus, de re sibi penitùs ignota, pronunciabant) satis erat factum eorum desideriis, quibus omninò placebat novo Martyre numerum augere Cœlitum. Neque enim ipsos latebat, esse hic Acta, publicâ auctoritate edita, ex quibus liquidò & sine ullo dubio constaret, Garnettum, non ut scelesti quidam deploratæ caussæ patroni dixerunt, proditionis aliquo rumore fuisse aspersum; sicut verè atque eleganter adversus Tortum à viro summo scribitur, veritatis voce & vi tabularum, testium, probationum luce, soliditate, pondere convictum, ore proprio, manu propriâ fuisse confessum. Unica igitur restabat consecrandi Garnettum spes & ratio; si Acta illa, per quæ stare consecratio non poterat, infamarentur, & fides eorum convelleretur. Erat hoc quidem ridiculum, & desperatæ vecordiæ inceptum; quòd hominem desideraret non usitato more veritati inimicum, naturâ & arte factum ad mentiendum. Sed nihil volentibus difficile. Ne te longis ambagibus morer, post diuturnam inquisitionem ægrè tandem repertus est Andreas nescio quis Eudæmono-Joannes, Jesuita, qui veritatem oppugnare, mendacium stabilire, & veteri Sophistarum instituto, τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν, palàm atque alacris susciperet. Benè habet; invenit tandem patella operculum *, ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει Θεὸς, ὡς τὸν ὁμοῖον. Pseudo-Martyri destinatur patronus, homo Græcus origine, domo Cretensis, professione Rhetorculus. Græcis Veteres multa vitia, (ignoscat mihi natio, aliàs, ut scis, amica; sed nulla suis peculiaribus vitiis gens caret) dixerunt esse propria; ingenium leve, vafrum & versipelle, fidem etiam in testimoniis fluxam, aut potius nullam; Cretensibus mendacitatis palmam tribuerunt. Sed mendacitati addit feritatem & malitiam vetus versus, etiam apud Paulum Apostolum: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται,

* Od. Homer. P. vers. 218.

κακὰ

1611. κακὰ θηρία *. Iste verò Andreas & Græcus & Cretensis est; & hoc amplius, Sophista, sive disertulus Orator. Quid spectarint, qui hisce potissimùm dotibus instructum, inter aliquot millia præstantiorum ingeniorum elegerunt, cui hanc provinciam mandarent, neque debet ambigi, neque potest. Rectè enim judicarunt homines solertes & similium negotiorum τρίβωνες, ad labefactandam fidem verissimorum Actorum, & Garnetti, rei proditionis peracti, martyrium asserendum, quas diximus dotes esse aptissimas, atque adeò omninò necessarias. Græcorum quidem vitia à natura sibi insolita tantò facilius Andreas iste retinuit, quia doctrinam Græcorum, peculiarem olim nobilissimæ illius gentis laudem, parum ut videtur, curavit. Nulla certè in scriptis solidior eruditio apparet; nulla veterum Auctorum, nisi M. Tullii lectio accuratior, ne Historiæ quidem Ecclesiasticæ, aut Patrum, vel institutorum decretorumve priscæ Ecclesiæ, ullam deprehendas saltem tolerabilem in eo viro cognitionem. Græcæ quin etiam linguæ ipsum esse imperitissimum, quæ legi illius, mihi dudum persuaserunt. Neque aliter te quoque judicare confido; si tamen fecisti illa tanti, ut vel obiter aliquando inspiceres. Cretensium verò mentiendi artem quàm probè calleat, quantus sit in illa artifex, & cæteri quidem libri ipsius de rebus Anglicis non obscurè declarant; sed omnium maximè & insignissimè, quæ est ab illo scripta, atque inscripta, *Apologia pro Garnetto*. Hìc mendacitatis & impudentiæ vela panduntur; hìc obtrectationi, maledicentiæ, virulentiæ, & harum virtutum matri, calumniæ egregiè litatur. Volo ejus libri gustum aliquem tibi exhibere; sed paucis, ne tua morer tempora. Capite primo negat, mirari quenquam debere, quòd de rebus Anglicis scribere non vereatur; multa enim etiam arcana Regni hujus longo usu didicisse ab Anglis, quibuscum vixit: qui autem fuerint illi Angli, ne verbo quidem significat. Sed dubium non est, Societatis vestræ aut aliarum Sodales fuisse, vel Monachos, qui Romæ, aut alibi in Italia sunt non pauci; nec non perduelles, qui res hìc frustra novare conati, ne pœnas proditionum suarum luerent, Romam ad asylum commune, [sic multi existimant] confugerunt; ut Tesmundus fecit, sive Greenwellus, & Gerardus; quos nonnulli è Cardinalibus, sicut audivimus, parum amico vultu initio exceperunt. Quis verò non videt, Andream nostrum de proposito ipsi ad scribendum argumento ab illis quidem 1611. prioribus, Scholasticis hominibus, & qui ferè multò antè solum verterant, nihil admodum potuisse discere; à posterioribus verò nihil nisi falsi? Quare siquid illi restat ingenui pudoris, fateatur liberè, quod res ipsa arguit; de Conjuratione Pulveraria & Garnetti caussâ pleraque ipsum necessario ignorasse; plura, quæ falsa erant, pro veris credidisse. Capite secundo, ut novam de Æquivocatione doctrinam defendat, quantum illi temporis in captiosa disputatione perit? Nam qui tam multa dicit, quod ad rem faciat, nihil quicquam dicit. Ut præstigiatores, quos psephopæctas olim vocabant, acetabulorum & calculorum subtili transpositione spectantium oculis illudunt; ita ingeniosus hic Cretensis, dum Æquivocationem tuetur, vocis ambiguitate fucum facere Lectoribus conatur. Profert loca nonnulla Scripturæ cum interpretationibus Patrum; quæ ubi legeris, intelliges nihil ex iis posse evinci, nisi hoc duntaxat; non omnia Sacræ Paginæ verba simpliciter accipi debere, ut sonant. Quis nescit? aut quis ignorat, multa occurrere in utroque Fœdere & dicta figurata, & facta παράδοξα, mysteriorum plena, quæ non sint secundum literam pingui Minervâ accipienda? Scimus etiam multa, sæpe de toto Christo dici, in quo est ἀσυγχύτως ἄλλο καὶ ἄλλο, ut in sacrosancta Trinitate, ἄλλος, ἄλλος, ἄλλος; quæ alteri tantum naturæ propriè conveniant, propter illam, quam appellant Theologi, ἰδιωμάτων κοινωνίαν. Sed illas sententiarum Theologicas figuras & obscuriores enunciationes, quis veterum Patrum dixit esse Æquivocationes? Quis in illorum locorum explicatione hoc corollarium inde elicuit, ut per illa artem mentiendi pejerandique apud Magistratum, qualem antè descripsimus, diceret stabiliri? Perperam igitur putat Andreas, esse hæc Æquivocationis in Verbo Dei exempla. Apologista verò multò magis ridiculè, Christum ipsum quinquies Æquivocatione usum: (si Personium diligenter legisset, poterat numerum ponere multis partibus majorem, hoc est, impietatem suam augere) & adfert hujusmodi exempla; ut cùm Lucæ capite altero, Doctoribus quæstiones proponit solvendas, quasi ignorans; & cùm alio loco velut nescius ficum explorat, an ficus habeat. Non exagitabimus hanc insaniam, quæ summa cum impietate est conjuncta; rogabimus tantùm, ut nos doceant, quid loca hæc similia habeant commune cum ea, quam descripsimus, Æquivocatione? Hoc doceat

* Tit. 1: 12.

1611. ceat nos Apologista; & per nos Rex esto. Etiam illud fraudem habet apertam; quod & Andreas iste & ferè omnes, qui de Æquivocatione hac scribunt, multa prius de Romano-Catholica Ecclesia præfantur; quæ, ut ait Eudæmono-Joannes, *mendacium omne, quamvis leve, quamvis jocosum, quamvis officii humanitatisque plenum, abominatur.* Aurea hæc quidem verba sunt, nec minus Ecclesiæ verè Catholicæ, quæ audit columna veritatis, convenientia, quàm praxi quotidianæ multorum Catholicorum è vestris manifestò contraria. Quare aut Garnettianam Æquivocationem isti pro mendacio non habent; quam probavimus, exquisitissimam & ἰλωνί-τλω esse mentiendi rationem, aut apertissimè, cùm ista dicunt, mentiuntur; nisi præstò sit illis, quo suam nuditatem tegant, beneficium Æquivocationis, verè συχνὴ ὀπικεϱία. Eodem capite narratam superius de Treshamo historiam non veretur in dubium vocare. Sed quem jam reperiet, qui fatuas ipsius conjecturas non irrideat, postquam illa, quæ antè scripsimus, legerit? Capitis tertii disputatio ita palàm falsa est, & toties à magnis viris confutata, ut ipsum Andream sine risu illa non arbitrer scripsisse. Itane verò de Papæ in Principes omnipotentia nihil docent Jesuitæ, quod non pariter defendant omnes Catholici? Diceret, aliquos Catholicos vestros, & verum diceret. Nunc falsum est, Catholicos omnes, sive antiquæ, sive præsentis Ecclesiæ in illo dogmate consentire; falsum est, omnes vestros. Si nescit Andreas, legat Torturam Torti, nec pudeat à tam exquisitæ doctrinæ viro discere, quæ ignorat. Ibi etiam inveniet solidè confutatum, quod eodem capite malis avibus conatur demonstrare: Nihil esse in Religione Catholica, cur metuere Principes debeant. Hoc de hodierna vestra tam falsum est, quàm de antiqua fuit verissimum. Fraudem & illud continet, in excommunicato Rege expressam sententiam necessariam esse, ut nocere illi quisquam jure queat. Nempe hoc eò pertinet, ut horribilis doctrinæ invidiam minuat; & serenissimi Regis fidos Consiliarios reddat otiosiores. Sed operam miser abutitur suam. Nôrunt enim, Zelotas hodiernos sine ullo dubitatione Thomæ assentiri, qui disertè pronunciat, *ipso facto excommunicati subditos esse absolutos à dominio ejus & Juramento Fidelitatis:* quod & alii multi sentiunt. Nôrunt, cujusmodi doctrina eo libro doceatur, cui titulus est, *Directorium Inquisitionis*; & quid juris in Reges, qui vobis sunt Hæretici, 1611. Inquisitores Romani sibi vindicent. Nôrunt praxin Zelotarum Ecclesiæ vestræ; & hæret memoriæ vox Catisbeji: *Quem Papa voluit excludi, eum procul dubio admissum vult detrudi.* Sic etiam, de expressa excommunicatione, an sit necessaria, varias esse vestrorum sententias, non ignoramus: sed quid Zelotæ probent, doceant, sequantur, ne id quidem ignoramus. Prophetarum imperium in Reges Judæorum, & jus eos deponendi, de quo capite eodem, profanorum hominum stultum & ridiculum est commentum. Deinde ut ita esset, quid hoc ad Pontificem? Nam Prophetæ quicquid gerebant, expressa Dei jussione gerebant, tanquam illius Ministri extraordinarii. Utinam placeret Papis Prophetarum exemplum; & quoties fulmine suo temporali sævire in aliquem Principem cogitant, vocem Dei, & jussionem expressam sibi ducerent exspectandam! Piget pergere ulterius; nam ad hoc instar totus liber est compositus; & vel novæ doctrinæ immanitas cautè dissimulatur, vel Confessiones Garnetti & cæterorum proditorum impudentissimè negantur. Invehitur etiam singulis ferè paginis in virum Regni hujus primarium, D. Edoardum Coquum, nunc supremum communium Placitorum Judicem; tempore verò judicii de Conjuratis celebrati, Generalem Fisci Regii Advocatum. Quumque ipse sit mortalium mendacissimus, audet tamen viro in maximis Reipublicæ negotiis spectatissimo, qui in illo judicio nihil propriâ auctoritate gessit; nihil, quod non ab ipso ratio officii exigeret; qui nihil dixit, nihil fecit, quod non quivis alius ex illo virorum illustrissimorum & amplissimorum Consessu fuit dicturus, si partes Regii Advocati sustinuisset; audet, inquam, Cretensis fraterculus, quantus quantus est, totus ex mendaciis conflatus, viro tanto mendacium objicere; idque tantâ protervitate & inverecundiâ, ut videatur existimasse, cum aliquo Cretensi sui simili rem sibi esse. Sic lupæ castissimas matronas vocitare lupas amant; merobibæ & multibibæ abstinentissimas quasque, ebriosas & temulentas. Sic etiam Proceres Regni hujus & Ecclesiæ Anglicanæ moderatissimos Præsules non dubitat idem hic Andreas, ejus libri capite secundo, appellare *homines Catholici sanguinis avidissimos*; sæpeque alibi crudelitatem eis exprobrat, ipse eo elogio dignissimus, ipse crudelissimus, ipse cædium & parricidiorum defensor & auctor teterrimus. Nam qui lanienam

1611. lanienam dilaudat, in plerisque omnibus Galliæ urbibus anno CIↃ IↃ LXXII. furore inaudito patratam; hunc quis ambigat cædibus delectari, cædes spirare, cædes optare, & sanguinem Christianum sitire? Laudat autem Cretensis noster Bartholomæjanum facinus in *Anti-Cotonis Confutatione* capite tertio. Nec enim puduit Theologum, & quidem Jesu imitatorem peculiarem, tantæ immanitatis facinus commendare. Non puduit animum suum patefacere, cruoris Christiani avidissimum. Ipsi, qui exoticis consiliis corrupti lanienam illam probarunt, qui imperarunt, mox à patrato facinore, atrocitatem illius & sceleris magnitudinem tum demum intelligentes, ejus consilii auctores sunt detestati; ac pœnitentiæ suæ certis testimoniis editis, à cædibus perpetuò deinceps abhorrentes, Christianorum sanguini parcere studuerunt. Huic Theologo, huic Jesuitæ semel facta laniena non est satis. Idem in alio libro, quem *Parallelum* * appellavit, filium Henrici IV. Imperatoris laudans, quòd in patris mortui cadaver sævierit; annon clarissimè docet, dirissimum quodque scelus se facilè probaturum & laudaturum, quod specie pietatis fuerit admissum? Apage Theologum sanguinarium, & cruoris humani avidum. Non hoc Domini Jesu doctrina suadet; non doctrina Pauli, vetantis malum fieri, ut bonum eveniat; non exempla piorum Patrum. Romæ quid hodie suadeatur, nescimus; ad nuncium infamis lanienæ quid factum sit, quid dictum, scimus; & illorum furorum memoriam ut longa dies aboleat, optamus. Et miraris, mi Fronto, vestram Societatem Regi serenissimo & omnibus prudentibus Politicis esse exosam cane & angue pejus, quæ talia monstra pariat? Avertat verò Deus Opt. Max. talem pestem terris; neque permittat ejus bonitas, ut Principibus Europæ adsint Consiliarii huic homini similes; vel potius feræ belluæ, & ut agnoscas germanum Cretensem ex superiore versiculo, κακῷ θηρίῳ. Hæc si doctrina est vestræ hodie Ecclesiæ Catholicæ, protinùs

Exeat illâ,
Qui volet esse pius.

* Scil. Torti.

Sin pauci mali totum corpus infamant, & scimus ita esse, cur feruntur, cur laudantur isti Alastores, hostes humani generis? Redeo ad Andream, cujus ut hoc etiam addam, totus ille liber *Parallelus*, quid aliud est, nisi fœtidissima conviciorum & impudentissimorum mendaciorum cloaca? Nam qui rationibus viri sine controversia maximi, integerrimi, & undequaque doctissimi, respondere non magis posset, quàm Pygmæus aliquis aut Thiodamas Lydius Herculi clavam extorquere; ne ad libri conspectum factus esse repentè mutus suis ἐγχειδιώκταις videretur; rationibus calumnias opposuit, argumentis convitia, doctrinæ stupendæ detestandam maledicentiam. Accusat gravissimum Præsulem, quòd Terentium & Plautum legerit juvenis in Academiis; nam ex eo tempore, hoc est, ab annis triginta, Plautum vix in manus aliquando meminit sumsisse; Terentium ne semel quidem attigit. Si qua igitur veteris lectionis vestigia in scriptis senis venerandi apparent, accuset felicem illius memoriam, & cum Deo, ejus beneficii auctore, expostulet. Sed quid sibi novi Critici volunt, & Andreas iste & Capellus Franciscanus †, qui stylum Plautinum vel Terentianum auctori illi objiciunt? Nos, qui Plautum non semel legimus; qui Terentium plurimùm amare profitemur, nihil ejusmodi animadvertimus. Nimirum ita est: Capellus, ut fatetur ipse, literarum imperitus, ad sententiam de stylo ferendam planè albâ lineâ est. Andreas verò, in colligendis è Cicerone flosculis hactenus occupatus, quicquid in Tullio non observavit, putat Plautinum esse vel Terentianum. Accusat Præsulem, quòd non alienus sit à doctrina Catholicæ Ecclesiæ in non paucis; & homo amens persuasurum se Regi serenissimo putat, melius se, qui Romæ est, quàm Majestatem ipsius Episcopum nôsse, cujus intimi sensus ex quotidiano usu Regi omnes patent. Nos verò hoc scimus & affirmamus; si cætera Ecclesiæ vestræ omnia illi probarentur (quid autem probet, quid improbet, scripta faciunt fidem) vel unicum tamen de Papæ omnipotentia & tyrannide in Reges dogma ita ipsum abominari, ut Ecclesiam, in qua ea doctrina vigeat, pro vera & incorrupta nunquam sit habiturus. Desinat verò Andreas Regi sapientissimo palpum obtrudere, quamdiu Episcopo obtrectabit, cujus innocentiam, integritatem & παντοίην ἀρετὴν, nemo novit melius, nemo prædicat libentius, quàm serenissimus Rex Jacobus; qui judicii maximi Princeps quum sit, quò hæc Cretica techna spectaret, statim animadvertit, & ejus auctorem multis adstantibus, & me quoque præsente atque audiente, piâ oratione est detestatus. Quare si sapit, ἄλλην δρῦν βαλανιζέτω. Rex Jacobus ὑψιπέτης & sublime volans Aquila est, cui non benè hæc retia tenduntur. 1611.

† vide supra, pag. 419.

1611. duntur. Si pateretur instituti mei ratio, disertuli hujus vanitatem & mendacia impudentissima spectanda tibi, & quasi manibus palpanda exhiberem. Sed neque mihi id propositum est; & hoc melius præstabunt Angli, viri doctissimi, quos scimus in eo suam nunc occupare industriam, ut & Apologiam pro Garnetto, & *Parallelum* veris argumentis confutent; & vestram Societatem doceant, quàm sæpe Cretensis Andreas caussam Ecclesiæ vestræ malè agendo prodat, & vobis omnibus odium bonorum conciliet. Mihi satis erit, indicasse tibi paucis, qualem Garnettus martyrii sui assertorem sit nactus; & quàm erret Apologista, cùm Κρητὶ κρητίζοντι fidem habet, cum laudat, & sequitur. Nos in caussa Garnetti, & quæstione hac decidenda, Sitne ipse Martyr, annon censendus; magnum & omni exceptione majorem habemus arbitrum, quem omnibus Cretensibus, omnibus Apologistis, omnibus Zelotis fortiter opponamus; quo nemo liti huic terminandæ magis idoneus inveniri possit, ac ne cogitari quidem. Nam quis de Garnetto melius judicet, quàm ipse Garnettus? Audiamus igitur hominis, mortem meditantis, veram vocem, & de ipso secundum ipsum pronunciemus. Paucis diebus priusquam ultima lux Garnetto illucesceret, venêre in Arcem & cubiculum ipsius, ut omnia humanitatis officia ei præstarent, aliquot è præcipuis Regni totius Theologis, unà cum viro nobili, Arci Præfecto; quos inter hi quoque erant. Doctor Jacobus Montacutus, Decanus tum Regii Sacelli, nunc Episcopus Bathoniensis & Wellensis; Doctor Neilus, Sacellanus tum Regius, Regiique Oratorii Clericus & Westmonasteriensis Decanus, nunc Episcopus Lichfeldensis, & Doctor Joannes Overalus, Decanus Ædis Paulinæ Londini; doctrinâ, humanitate & pietate viri omnes præstantissimi. Hi unà cum Garnetto multa quum essent locuti, fortè evenit, ut unus ipsorum quæstionem hanc illi proponeret: Si post supplicium Ecclesia Romana Martyrem ipsum declararet, ecquid factum laudaret, & verum Martyrem futurum se crederet? Tum ille ex alto suspirium trahens, humerosque adducens: *Martyrem me!* inquit; *ò qualem Martyrem! Sed neque Ecclesia hoc faciet, & ego Deum oro, ne hujus unquam illi in mentem veniat. Equidem si pro Religione Catholica mortem obirem, neque aliud infelix servissem præter illa, quæ per viam Confessionis scivi; poteram fortassis honore martyrii non indignus videri, & judicium Ecclesiæ promereri.* 1611. *Nunc ego peccatum agnosco meum, & sententiam, quæ adversus me est pronuntiata, fateor esse justissimam.* Deinde iterum atque iterum suspiria ingeminans, & pœnitentiæ non simulatæ signa exhibens: *Utinam*, inquit, *quæ facta sunt, possem infecta reddere! Utinam quivis alius mihi potius accidisset casus, quàm ut nomen meum proditionis infamiâ deturparetur; quod tamen peccatum, etsi gravissimum, per veram pœnitentiam spero delendum, & Christum mei misertururm! Ego certè si vel universum Orbem terrarum in potestate mea haberem, universum lubens darem, ut à proditionis crimine, quod conscientiæ meæ impressum est, quodque in elogio meæ condemnationis extabit, purus mori possem.* Hanc ego historiam, scitu dignissimam, quum à Decano Paulino, antiquæ pietatis viro, Angliæ suæ singulari ornamento, in familiari colloquio didicissem; eademque mihi postea ambo reverendissimi Episcopi, quos interfuisse colloquio ostendimus, narrassent; putavi faciendum, ut illam tecum communicarem. Utinam verò & Andreas Eudæmono-Joannes, & Apologista, & quicunque alii è vestris de rebus Anglicis hactenùs scripserunt, Garnetti exemplo admoniti, errorem suum agnoscere, veritati manus dare, & candidè posthàc velint agere! Utinam seriò tandem aliquando vellent cogitare, quàm fœdam Ecclesiæ Catholicæ notam inurant, qui viam in cœlos per proditiones, nefaria facinora, cædes & parricidia docent patere. Egerat Garnettum præcipitem zelus præposterus, ut hanc etiam ipse insaniam insaniret: pœnituit, mutavit factum, damnavit, & seriò est detestatus. Laudent vestri pœnitentem, & sequantur potius, quàm ut insanientem cum proditoribus per mendacia defendant, & supplicium ex ea caussa passo martyrii coronam induant. Martyrem non pœna facit, sed caussa: quum igitur meritas dare se pœnas toties ille sit confessus; quæ insania, immò quæ impietas est, pronunciari à vobis eum Martyrem, qui justissimâ se damnatum sententiâ agnovit? Et de his quidem hactenùs. Superest, ut de persecutione vestrorum in hoc Regno, cujus in Epistola tua facis mentionem, pauca respondeam. Est verò facilis responsio, & ea quidem vera & certa: Nullam fuisse unquam in Anglia, nedum nunc esse, sub Principe tam miti & benigno, vestrorum Catholicorum ex caussa Religionis persecutionem. Nam quum, ut suprà verè dicebamus, nulla hic unquam

1611. quam lex lata fuerit, quæ pœnam capitalem vestris ob id solùm irrogaret, quòd ex formula Romana Catholici essent, quî potuit adversus illos persecutio institui? Quo jure actor niteretur? Quâ Judex lege in eos animadverti juberet? Nulla igitur est, nulla prius fuit Catholicorum Pontificiorum, ἢ πίστει, persecutio in his regionibus. Quare ego, qui tot jam menses in Anglia hæreo, quum sedulò inquirerem, nunquam vidi, nunquam audivi, quenquam eo nomine fuisse in jus vocatum, nedum capitis periculum subiisse, quòd de Religione idem vobiscum palàm sentiret. Amplius dicam, & verè dicam; Θεὸς δ' ἐπιμάρτυρος ἔστω· noti mihi sunt in urbe Londino nonnulli, quos nemo ignorat è vestris esse, neque ipsi dissimulant, neque propterea minus aut conspiciuntur in publico, aut ad domos aliorum civium liberè minus ventitant. Quænam igitur hæc, rogo te, persecutio est? aut cui dicemus similem ex illis decem, quas B. Augustinus & Orosius observant accidisse, post Christi mortem ad tempora Constantini? Hæc ita esse quum ne ipsi quidem ignorare possitis, restat, ut persecutionem appelletis minus liberam vestrorum rituum celebrationem, & necessitatem præstandi Jusjurandum Fidelitatis. De libertate hoc tantùm dicam. Nôrunt omnes Angli, quibus hodie legibus in Anglia vivatur; quas si parum probant, liberum illis sibi consulere & suas fortunas, si ita malint, aliò transferre. Utantur libertate hac suâ, & sibi consulant; at de libertate Religionis ne querantur moneo: periculum enim est, ne querimoniis suis leges excitent, quas Regis clementissimi bonitas penè jam dormire finit. Metuant igitur, ne irritata patientia in severitatem mutetur, & voluntatem imitandi exempla, quæ in Italia, Hispania atque alibi inter vos quotidie eduntur. De Fidelitatis Juramento, cui occasionem præbuit Pulveraria Conjuratio, & quod ne cui sit fraudi, in potestate est Summi Pontificis, miror, cur querantur Angli Pontificii. Quererentur potius de Cardinale Bellarmino, & nonnullis aliis, qui Paulum V. initio renuentem (non temerè dico; sed quia magnos auctores habeo) obdurare animum coëgerunt; ut quantum hic est vestrorum, perire potius sineret, quàm ut rem æquissimam & justissimam illis permitteret. Quid justius, quàm ut Regi suo subditi fideles se futuros polliceantur? post Conjurationem præsertim adeò barbaram, adeò immani crudelitate insignem. Oro, quæsoque te, mi Fronto, positis affectibus, rem velis paulò accuratius expendere. Respublica, ut scis, domus magna est: Rex in Republica, quod paterfamilias in domo privata. Putasne igitur fore consultum patrifamilias alicui, si in familia sua famulos habeat, de quorum fide erga se non ipsi constet? immò quorum fidem meritò suspectet? Nemo, opinor, non insanus hoc dixerit; nedum tu, hac probitate vir & doctrinâ. Quamobrem aut Regi Jacobo in Regno suo non licet, quod privato cuivis in sua domo, aut hæ de Juramento Fidelitatis subditorum ipsius querelæ inanes sunt & injustæ. Equidem multos, partim in Gallia, partim in Anglia, Pontificios conveni, multorum scripta legi; qui hoc Jusjurandum non solùm æquissimum, verùm etiam sanctissimum esse judicant. Quare etiam multi è vestris Catholici, quidam etiam Presbyteri, ipseque adeò Archipresbyter Blackwellus, sine ullo conscientiæ scrupulo præstiterunt jam illud non inviti, & aliis ut simile facerent, auctores fuerunt. Sunt tamen nonnulli, apud quos plus Bullæ Pontificis & Bellarmini Epistolæ valent, quàm Lex Dei, jus naturæ & omnium gentium, aut etiam exempla sapientiorum. In hos si lex vim suam exerat, quis locus est querelæ? Et vos, qui persecutionem Catholicorum hoc vocatis, quo jure, quo Vetustatis exemplo hoc faciatis, ne ipsi quidem dicere possitis. Nunquam enim factum, nunquam auditum, ut populus aliquis Christianus persecutionem pati se diceret, si legitimo Principi suo Fidelitatis Jusjurandum præstare juberetur. At contrà legimus, in Conciliis Anathema pronunciari in eos, qui Sacramentum fidei suæ temerassent, quod pro patriæ statu, vel conservatione Regiæ salutis essent polliciti; eosque ab Ecclesia Catholica effici extraneos declarat Concilium, ut scis, Toletanum quartum. Adde, quòd legis hujus executio ita lentè à Regiis Ministris exercetur, ita molliter & per intervalla, ut vel illud ipsum fidem facere vobis debuerit, invito Rege optimo, dolente ac gemente, fundi sanguinem, si quis fortè aliquando ex ea caussa fundatur. Quàm multis in recusando Juramento obstinatis semel, iterum, sæpius pro graviore pœna indictum exilium? Testis sit ille Presbyter Robertius, qui sæpius vitam cùm accepisset, donante Rege; & quidem semel petente nomine Regis Christianissimi, Henrici IV. ipsius Legato, viro præstantissimo, D. Fabricio Boderiano; accepisset autem eâ lege atque omine, ut vel in An- 1611.

1611. gliam rediret nunquam; aut si reverteretur, sciret sine ulla spe veniæ legis pœnam sibi fore subeundam; mox contra fidem datam utriusque Regis ministris, viris amplissimis, reversus, & in pervicacia sua etiam confirmatior repertus, tandem cum altero ejusdem sententiæ & meriti Presbytero, legi, quam toties violaverat, satisfecit. Hic est ille Robertius, qui nuper à Dominicano quodam isthic, ut audio, sine suffragiis consecratus, & edito libello verus ac sanctus Martyr est declaratus. Equidem non crederem, hominibus è superstitione insanientibus tantum isthîc licere, ut ejusmodi figmenta impunè publicarent; nisi ipse mihi Rex serenissimus eum libellum se vidisse ac legisse confirmasset. Quid? an id ergo agitis, ut omnes, qui ubique gentium sunt, intelligant, viam vos novam in cœlum & χῶρον μακάρων aperuisse per rebellionem erga Principes, perfidiam, cædes, parricidia? At quantò major laus vos maneret, si id potius ageretis, ne illis perire esset necesse, quos ubi perierunt, magni honoris specie, magna cum omnium indignatione, afficitis. Hoc potius curaretis; & infelicium Anglorum conscientias liberaretis adstrictas vinculis ἀραχνώδεσι, quæ ipsis Cardinalis Bellarminus magis quàm Pontifex Maximus, nexuit. Agite, probate hoc argumento, non esse vobis Christianorum, fratrum saltem vestrorum, sanguinem vilem. Probate, pertinere ad vos alienas miserias. Probate, veram charitatem & σπλάγχνα οἰκτιρμῶ vobis non deesse. Postremò, nolite pati, ut Rex serenissimus, quem ipsi Hæreticum dicitis, & Juliano comparatis, frustra vobis ad humanitatem viam præivisse queat videri; cùm in Monitoria dudum sua non alienum se ab eo fuisse ostendit, ut quo saluti suorum paterno affectu consuleret, quæ in Juramenti formula duriusculè sonare viderentur, ea aut deleret planè, aut benignâ interpretatione molliora redderet. O bonitatis admirandæ Principem! cujus sinceram charitatem & συγκατάβασιν si vos quoque imitaremini, fructum vestræ pietatis longè maximum sine controversia Ecclesia Dei ferret. En erit unquam ille dies, cùm vestrorum Præsidum coryphæos, penes quos est summa rerum, hæc pia cogitatio occupabit? Enimverò satis, ah! plus satis studio partium utrinque hactenus est datum. Satis turbarum in Europa excitatum. Non hoc nobis Dominus noster cœlum repetiturus dedit mandatum. Pacem ille nobis reliquit, pacem suam. Cur rejicimus? cur jurgia è jurgiis serimus, & de concordia Ecclesiæ 1611.
ne cogitari quidem patimur? Quin potius ad Filium Dei, omnis boni auctorem, totis animi viribus seriò conversi, supplices illum veneremur, ut quam nobis peccata nostra ademerunt Ecclesiæ pacem, ipsius ineffabilis misericordia nobis restituat, restitutam servet, atque in æternum firmam præstet. Γένοιτο, γένοιτο. Vale, Fronto Ducæe, Vir eruditissime; & meum hoc de Apologia vestra judicium, ut à sincero affectu est profectum, æquo animo accipe, & in bonam partem interpretare. Tum autem responsi hujus tarditatem occupationibus, valetudini & cupiditati meæ fer acceptam, omnia, quæ hic scripsi, accuratè cognoscendi. Πάλιν αὖ καὶ πάλιν ἔρρωσο. *Data ad Londinum, metropolin Anglorum, a. d.* VII. *Non. Julii*, CIↃ IↃ CXI.

EPISTOLA DCCXXXI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

OMnes, quas ab uxore accipio, literæ, de tua humanitate, quam ipsi præstas, & assiduis officiis certiorem me faciunt. Quod etsi mihi ita gratum accidit, ut gratius nihil queat, percipio tamen in summo gaudio hunc dolorem, quod eo ipso admoneor, à quo & quanto amico sim divulsus. Nam etsi laudare comitatem illorum, inter quos hodie versor, jure possum & debeo, non tamen ita sum amens aut εὐήθης, ut Thuanum aliquem me hîc fore reperturum autumem. Itaque tui desiderium vix jam ferrem, nisi putarem, οὐκ ἀθεεὶ contigisse quicquid contigit. Illi ego me totum permitto, & divinæ ejus Providentiæ, quæ non dicam, πολλάκις, ut est in proverbio de casu; sed semper κάλλιον ἡμῶν βουλεύεται. Non potest malè nobiscum agi, si ut speramus, Deum consilii hujus auctorem habemus. Cæterùm περὶ τοῦ μέλλοντος scito planè certi constitutum nihil nobis esse, ut qui secundum Deum Opt. Max. à tuis fidelissimis consiliis pendeamus. Quò vehementius peto à te, Vir amplissime, ut nos in clientelam tuam dudum receptos, tuâ curâ digneris, & quæ futura sint ex usu, monere ne graveris. Spero, uxorem cùm adveniet, multa mihi monita atque præcepta esse allaturam. Nos enim, qui patriâ procul absumus, veritatem de plerisque rebus patriæ ignoramus, ac proinde quid porro sit aut sperandum aut metuendum, nescimus. Scito autem, librum πρὸς τὸν Φρόντωνα simul ac convalui,

1611. lui, esse absolutum. Habet illum Rex, à quo postquam recepero, videro quid sim acturus, & cum Domino Legato consilium capiam. Serenissimus Rex, audito accepisse te Historiam à se missam, lætus eo nuncio, jussit serio tibi confirmare, omnia esse vera, quæ decem illis libris continentur. Cætera brevi promittit se missurum. Deus te servet, Vir illustrissime, & quicquid tibi charum. *Londini*, *a. d.* v. *Eid. Jul. stylo Galliarum*, CIↃ IↃ CXI.

EPISTOLA DCCXXXII.

✠ DOMINICO BAUDIO.

1611. QUando mihi novissimæ tuarum sunt allatæ, præstantissime Baudi, æger eram, & Thorii nostri imperiis obtemperare, non autem literas curare cogebar. Diu enim me tertiana habuit, sanè quàm molesta; in hæc præsertim solitudine, uxore absente & omnibus meis. Venerat quidem uxor mediâ hyeme superiore, ut me inviseret; sed quæ res domi incompositas reliquisset, Lutetiam ad negotia perficienda reverti est compulsa. Reversam penè detinuit Regina; vetuit certè, redire in Angliam. Sed mox consilium de me revocando aut omissum est, aut intermissum. Hoc potius. Nam etsi serenissimus Rex per Legatos seriò de me egit cum Regina; aliud tamen non impetravit, nisi ut rediret uxor, & ego hic aliquamdiu manerem; atque interim maneret mea Bibliotheca Lutetiæ, quod mihi longè acerbissimum est; qui ab optimo Rege nunquam, nisi gemens, sum discessurus; nunquam, nisi vis major compulerit. Clarissimum Heinsium ita credo in literis esse occupatum, ut nostris respondere ei non vacet. Opto & illi, & tibi omnia læta & fausta. Vale. Scripsi raptim. *Londini*, *a. d.* v. *Eid. Jul.* CIↃ IↃ CXI.

Joannem Meursium, Virum clarissimum, salvere meis verbis ut jubeas, rogo te quæsoque.

EPISTOLA DCCXXXIII.

✠ JANO RUTGERSIO.

1611. LIteris, quas à te accepi heri, scriptas ultimâ die mensis prioris, quereris de me, & meum silentium graviter accusas, ὦ φιλοσοφιλεςάτη κεφαλή. Vellem, si ita Deus voluisset, occasionem non esse mihi datam silendi, vel potius caussam justam de tua querimonia querendi. Nam tu ita mecum agis, charissime Rutgersi, quasi semper valuerim; qui toto illo ferè tempore & corpore & animo æger fui. Corpus tertiana & κεφαλαλγία acriter vexarunt diu: animum cruciavit, & nunc cùm maximè cruciat desiderium meorum, & in tam frequente urbe, ubi tam multos amicos habeo, tristis solitudo. Solus enim mihi videor esse, cùm ab uxore absum, à liberis & Bibliotheca. Scripsi nuper tibi, conjugem, quia res domi reliquerat incompositas, coactam fuisse à me discedere, ut negotia nostra Lutetiæ conficeret; ac mox, cum bono Deo, ad me rediret cum liberis & libris. Hæc nostra erant consilia: sed scis, verè scriptum esse: *Homo proponit*, *Deus disponit*. Illa igitur, ut Lutetiam venit, longè aliam rerum faciem invenit, atque ipsi opinabamur. Quam ubi Regina primum vidit: Opportunè, ait, rediisti; nam ego marito tuo scripsi, ut statim rediret; neque volo, ut ipsa in Angliam revertaris. Hæc & uxori, & mihi valde nova acciderant: sed caussam puto me antè tibi significasse. Nam animadverti, à principio versari errorem in meo negotio inter Reginam Galliæ & Regem Magnæ Britanniæ. Hic putat me sibi ἁπλῶς concessum: illa ait, ad tempus. De hoc scito, necdum inter eorum Majestates convenire. Itaque urgente serenissimo Rege, mihi quidem facta est facultas manendi hic diutius, & uxori redeundi; sed librorum afferendorum negata illi est potestas. Caussa redditur in scriptis ad me literis: Ne semel nactus meam Bibliothecam, patriæ obliviscar. Vide mei statûs incertitudinem; qui nunquam, nisi gemens, ab optimo Regum sum discessurus. Jam detinet uxorem Lutetiæ morbus filiolæ, utrique parentum charissimæ. Nunc judica, habuerim necne, justam silentii causam. Mea isthæc profectio, ut omnia mea consilia adhuc incerta. Turbas novas esse exortas Lugduni Batavorum, doleo. Ego libellum κατὰ τῶν Αἰσωλίτων absolvi dudum; & Rex habet, qui valde probat. De editione, dum mei erunt Lutetiæ, hæremus. Vale, & festinationi ignosce. *Londini*, *a. d.* v. *Eid. Jul.* CIↃ IↃ CXI. 1611.

Inscriptio.

Ornatissimo doctissimoque Viro,

D. JANO RUTGERSIO, J.C.

amico conjunctissimo,

DORDRECHTUM.

Epistola DCCXXXIV.

DAVIDI HOESCHELIO.

1611. QUi tibi has reddidit, cùm de suo discessu ex his locis me certiorem fecit, & nunquid vellem rogavit, simul adjecit, se per Belgium iter habiturum, & aliquam in illis locis moram facturum. Itaque veritus, ne gradu plus quàm testudineo meæ ad te deferrentur, aliud nihil jam scribere constitui, nisi valere me, Dei Opt. Max. gratiâ; cujus ope nuper è morbo convalui, illo quidem non admodum gravi, [tertiana quippe erat] sed quem reddebat gravissimum hæc solitudo, quæ me enecat. Nam postquam Lutetiâ discessi, à meis absum; nisi quod uxor mediâ hyeme nuper me invisit; sed mox, quia res domi reliquerat incompositas, repetere Galliam coacta, ne nunc quidem rediit. Et sunt multæ graves caussæ, quæ illam detinent. Interim Bibliotheca mihi carendum, & omnibus chartis meis: nihil enim præter Hebraïcum Psalterium, & duos aut tres alios libros huc veniens mecum attuli. Itaque conficior mœrore, & Chrysostomi lectione assiduâ animum recreo. Sed scribam ad te, & ad nobilissimum Velserum plura eis dies paucos per mercatores, qui Francofurdum sunt ituri. Saluta, nisi grave est, magnum illum virum meis verbis. Vale. Scripsi raptim. *Londini*, *a. d.* XV. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CXI.

De Vita Antonii, quam nuper accepi à te missam, gratias ago, quantas possum, maximas. Perge, Vir clarissime, de literis benè mereri. Ego Deum oro, ut tuis omnibus inceptis benedicat.

Epistola DCCXXXV.

THOMÆ MORTONO.

1611. ETsi gratissimæ mihi literæ tuæ fuerunt, Vir præstantissime, mallem tamen, si ita rerum tuarum rationes ferrent, te & consuetudine tuâ longè mihi gratissimâ frui, quàm tuarum lectione oblectari. Sed quando tu, uti video νένικηκας, & te mihi necessariò carendum; superest, ut κατὰ δεύτερον πλοῦν tui desiderium frequentiâ literarum levemus. Ego, qui jam bis à te sum provocatus, mearum partium esse intelligo non cessare, ne tuâ tantâ illâ humanitate possim videri indignus, quam mihi ipsi præsens, absens luculenter præstitisti. Unica res est, quæ me possit, quandiu quidem valebo, reddere omissiorem, inopiâ tabellariorum, quibus dem meas. Nam mihi peregrino homini non sunt notæ opportunitates literarum isthuc mittendarum. Dabo tamen operam, ne propter illam caussam diligentiæ meæ fructus mihi pereat: cupio enim hoc saltem genere officii, quia aliter non possim, testatum tibi facere, suavissime amicorum, quantum me tibi debere sentiam. Utinam tibi intimum pectus meum pateret, scires quanti te facerem, & quàm me tibi gratum probare cupiam. Καὶ ταῦτα μὲν ταῦτα. Libellum, quem nôsti, paucis diebus absolvi post tuum à nobis discessum. Scis, τὸ σχῆμα τοῦ λόγου esse ἐπιστολικόν· sed bene grandis profectò ea Epistola est. Reverendus vir, Dominus Episcopus Eliensis, operâ sui amanuensis uti me voluit, ut quæ properans chartis illeveram, describerentur εἰς τὸ κάλλιστον, ut Veteres dicebant. Ita liber est descriptus, & serenissimo Regi statim traditus, qui nondum reddidit. Ac licet amici dissuadeant editionem, quia adhuc Lutetiæ sunt uxor, liberi, libri, hoc est, omnes opes meæ, parebo tamen prudentissimi Regis voluntati, & si jusserit, Typographo dudum petenti sine mora tradam. Cur enim metuam, qui Deum à partibus meis habeam? Ego verò conscientiâ meâ fretus, nihil quicquam timeo, ut qui omnes spes meas habeam in Dei providentia & inenarrabili misericordia collocatas. Neque tamen diffiteor propter illam, quam dixi, caussam, eo temperamento esse me usum, ut præter homines θεοστυγεῖς, adversus quos scribo, jure possit nemo queri. Optarem, ut libellum ipse vidisses, idque magno redimerem; nam, quæ tua est humanitas & doctrina, aut re, aut consilio me juvisses. Si differtur ejus editio, quod volunt reverendissimus Eliensis, & præstantissimus Decanus, hospes meus, conabor efficere, ut aliud exemplar describatur, quod possim ad te mittere. Sin autem accelerabitur editio, non solùm mittam ad te unum exemplar, sed etiam per te, ad reverentiâ omni atque observantiâ mihi colendum virum, Dominum Episcopum Wintoniensem, quem ex tuis primùm & aliorum sermonibus cœpissem venerari, posteà è scriptis & familiari colloquio Domini Eliensis sic sum admiratus, ut priusquam σεβασμιώτατον senem viderim, eximium Angliæ decus me non vidisse sim semper existimaturus. Oro, venerorque τὸν μονώτατον Σωτῆρα, ut & illum, & te, Vir doctissime, Ecclesiæ suæ quàm diutissimè servet incolumes. Vale, & me ama.

1611. ama. *Londini, a. d.* XV. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CXI.

Uxor te ex animo salutat per suas ad me literas. Detinuit eam aliquandiu Lutetiæ voluntas Reginæ, quæ mei revocandi imperum ceperat; sed hanc mentem Deus & Rex serenissimus fecerunt, ut mutaret: deinde filiarum una nostrarum in morbum incidit gravem & longum. Ea nunc causa est, cur non veniat uxor: at veniet, spero, brevi, cum bono Deo. Non esse te otiosum in illo tuo otio honesto, certò scio. Quid igitur moliaris, scire aveo. Iterum vale.

EPISTOLA DCCXXXVI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1611. Illustrissime Vir, scripsi nuper ad te, renuntiasse me Regi serenissimo, quæ ex tuis didiceram de accepto libro, quem miserat ipsius Majestas. Spero, te post menses oppidò paucos Tomum alterum, qui pertingit usque ad cædem Mariæ, esse habiturum. Nam & Rex id me jussit ad te scribere; & Auctor ejus Historiæ, vir nobilis Cotton, confirmavit, penè jam ad umbilicum eam partem esse adductam. Tuæ posteà partes erunt, postquam omnia consecutus fueris, quæ hinc sperare potes, ita rem temperare, ut neque veritatem prodas, & ostendas tamen habuisse te magni hujus Regis rationem. Is mihi non semel sanctè affirmavit, non permissurum se, ut aliquid hinc ad te mittatur, de quo non constet sibi liquidò, id esse verissimum. Memini tamen eorum, quæ nuper in quadam familiari Epistola scribebas; neque dubito, plus satis fore tibi negotii, ut στοργῇ φυσικῇ υἱοῦ fiat satis. Sed facilè invenies, quâ prudentiâ es, ἐκ τῶν ἀπόρων πόρον. Ego in ea ἀπορίᾳ incidi, unde nullum video exitum; neque putes, hoc me dicere præ animi mollitie, quòd meis tam diu caream, quorum desiderium, modò intelligam valere omnes patientissimè, ut si quis alius, fero, & semper feram. At libris meis carere me tam diu, hoc ego nullâ ratione pati possum. Itaque dies noctesque angor, dum cogito, quantum mihi temporis pereat, quod melius potuit collocari in perpoliendis tot inceptis, quæ alioquin futura sunt me mortuo Ἡφαίστῳ βορά. Utinam potuissem ὁρᾶν πρόσσω καὶ ὀπίσσω! Non hoc dico, quia de Principe omnium optimo possim ullo pacto conqueri; sed amor literarum & cupiditas perficiendi quæ institueram, miserè me excruciant. Nam dum libris careo, nihil possum. Itaque verè ἀβίωτος ἐμοὶ ὁ βίος ἔστω. Oro 1611. Deum immortalem, liberet me ab hac anxietate & inopia consilii: non enim statuere possum, quid agere debeam, incertus quàm diu hic sim futurus. Sed de meis rebus brevi plura. Quod superest, te rogo, Præses amplissime, cures hunc fasciculum uxori per aliquem tuorum famulorum reddendum. Ego, sit ipsa in urbe, necne, ignoro. Filium in Navarreno Collegio habitare, didici ab aliis: curarum mearum pars non minima is filius est, qui nisi tuis salutaribus consiliis morigerum se præbuerit, nulla de eo spes mihi reliqua: ὃ μὴ γένοιτο. Veneror Filium Dei, τὸν Θεάνθρωπον, Dominum nostrum, ut tibi, Vir illustrissime, omnia læta largiatur. *Londini, a. d.* VII. *Kalend. August. stylo Liliano,* CIↃ IↃ CXI.

EPISTOLA DCCXXXVII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

Quod tuis serius respondeo, præstantissime Lingelshemi, partim inopiâ tabellarii factum, partim occupationibus & morbo, qui me aliquandiu vexavit. Augebat vim morbi ægritudo animi propter diuturnam solitudinem meam. Solus enim meorum cum parvo filio, qui literis dat operam in Gymnasio Etonensi, in Anglia adhuc sum. Uxorem, postquam omnia ad iter præparasset, morbus filiæ * longus & difficilis detinet. Accedit alia calamitas, quòd Bibliothecam meam huc transferri, nisi ex parte, Regina Galliarum non patitur; quæ sic me concessisse ait serenissimo Regi, tanquam aliquando repetitura. Ita mihi & libris & chartis carendum meis; quod mortis instar mihi est. Nam quid Commentariis Polybianis fiet, quid aliis tot vigiliarum lucubrationibus? Omnino res meæ ita impeditæ sunt, ut solus Deus illas sit expediturus. Detinent me hîc causæ gravissimæ. Rex sapientissimus, eruditissimus, qui suâ benevolentiâ non vulgari modo nos est amplexus: amicitia & consuetudo cum maximis Theologis, quos hic inveni mei amantissimos: metus, ne artibus Loïolitarum res turbentur in patria. Omitto alias causas istis non leviores. Sed rursus amor inceptorum operum, quæ nulla spes est posse hic perfici, angit me dies noctesque, nisi quod ἐν τοιαύτῃ ἀπορίᾳ ἀμηχανῶν cogitationes meas in Deum rejicio, & illius divinæ Providentiæ me totum permitto. Est hîc votum & spes bonorum, posse fieri, ut brevi, occa-

1611.

* Anna.

1611. occasione quâdam insigni multi huc veniant ex illustri Senatu nostro *, & serenissimi Principis Palatini Consilio. Ego huic publico bonorum voto privatum hoc meum adjicio, ut inter mittendos tu quoque censearis. Qui si huc veneris, & ego tuo colloquio frui potuero, cœlum mihi adeptus videbor. Scripsi nuper de libello à me componendo †; cum scito pridem fuisse Regi maximo traditum; qui nunc quoque in venationibus suis comitem ipsum habere voluit: spero te, cùm leges, non improbaturum. Vale, nobilissime Vir, & longè præstantissime. Scripsimus raptim, *ad Eliam*, in suburbano Episcopi Eliensis, qui Torturam Torti ‡ scripsit, & alia; cui viro utinam Ecclesia Dei plures similes haberet Præsules! Iterum vale, & me ama. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CXI.

* An non legendum, vestro.

† Vide supra, Epist. DCCV. Intelligit Epistolam ad Frontonem Ducæum.

‡ Vide supra, pag. 408. & 416.

Epistola DCCXXXVIII.

DAVIDI HOESCHELIO.

1611. Ante mensem unum aut alterum, cùm essem in Aula, accepi literas à te exaratas ante annum ferè tertium: nam is, cui tu eas tradideras, per Hispanias, Italiam, & Galliam eas circumtulit; deinde quum in Aula fortè nomen meum audivisset, illas mihi reddidit. Idem cùm ad vos redire se diceret, meas tibi, Vir clarissime, adferre voluit; quas spero probè curaturum. Ego postquam huc veni, sæpius ad te scripsi, & de meis rebus certiorem te feci. Ad magnum Velserum non scripsi, quia de iisdem rebus ubertim scripseram Lutetiâ discedens; neque ex eo tempore quicquam ab ipso literarum accepi. Quod si meas ipse accepisti, scis in omnibus fecisse me ipsius mentionem pro nostra veteri amicitia. Hoc ideò tibi narro, quia idem vir amplissimus ad Savilium in Angliam scribens, gravissimè de me est conquestus, quasi ex arrogantia & contemptu (ὃ μὴ γένοιτο, οὐδ' ἔσται) hoc officium neglexissem. Miratus sum illarum literarum vehementiam, & nonnihil etiam dolui. Spero si dignatus fuerit legere, quæ scripsi, fore, ut aliter de me sentiat. Ego, mi Hœscheli, postquam huc veni, diem nullum à gravi sollicitudine aut curâ liberum habui. Nam quòd à meis absim tam diu, quodque libris meis caream, instar mortis hoc mihi est. Uxorem in Gallia morbus filiæ detinet. Libros nisi ex parte, & quidem ægrè sinit Regina augustissima deferri. Planè enim me dimittere sine spe recipiendi non vult. Ita omnia mihi sunt incerta. Interim perit mihi tempus 1611. omne, & facultas mihi eripitur pupublicandi meas vigilias, quæ fortasse Reipublicæ literariæ non erant futuræ inutiles. Sed hæc Θεῷ ἐν γούνασι κεῖται. Tu, doctissime Hœscheli, orna Spartam, quam nactus es, sicut fecisti hactenus felicissimè. Vidi nuper, quæ sunt à te missa, Vitam Antonii, Græcè & Latinè, cum tuis Notis. Vellem omnium veterum Patrum scripta simili diligentiâ curarentur: sed meliorum illarum literarum mirum quoddam est fatum; nam eorum, ad quos propriè illa cura pertinebat, alii oderunt omnem Antiquitatem, alii sic illam amant, ut de ipsius seria illustratione parum sint solliciti. Hic Chrysostomus à Savilio editur, privatâ impensâ, animo regio. Ejus ferè lectione ærumnas meas levare soleo. Utinam isthìc existant, qui in simili opere velint tuam industriam occupare. Vale, Vir optime & doctissime. *Londini*, in prætorio Episcopi Eliensis, admirandæ doctrinæ & pietatis viri, & mei amantissimi, *Kalend. August.* CIↃ IↃ CXI.

Epistola DCCXXXIX.

Domino OVERALDO, S.Th.D. Decano Paulino.

Vide rerum mearum τὸ ἀβέβαιον ϗ ἀστάθμητον, Vir præstantissime. Nam 1611. cùm sic à te discesserim, tanquam mox Londinum rediturus, vigesimum jam diem hîc hæreo, neque tamen de reditu certi aliquid adhuc habeo constitutum. Putabam omnino, quando huic itineri memet accinxi, fore ut altero tertiove die pòst meus ἀδελφιδοῦς me sequeretur, ut Academias vestras unà lustraremus. Itaque discedens mandata reliqueram, quibus ipsum jubebam, simul ac Londinum venisset, ad me velis remis contenderet. Sed me hactenus spem aliquam foventem expectatio illa ad extremum destituit. Nunc postquam ejus spes decollavit, videro quid sim facturus. Etsi enim reverendissimus Dominus Episcopus suâ ingenti humanitate me quasi vinculis quibusdam astrictum hic detinet, cogito tamen Londinum proximâ hebdomade, aut ad summum, alterâ, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, redire; ut omnia experiar, quo de uxore & meis aliquid rescìscam. Accedit & causa alia; quòd hic in summa ferculorum & omnium ἐπιτηδείων copia, librorum subsidio planè destituor: quippe celerem reditum cogitans, vix unum aut alterum mecum attuli. Quod si Dominus Richardsonus & Thomsonus noster suâ copiâ

1611. copiâ meam non sublevassent inopiam, literas, credo, jam πλέως dedidicissem. Multus mihi cum utroque illorum de te sermo, & cùm eramus Cantabrigiæ, & posteà, cùm illi huc ad Dominum Episcopum venissent. Te non esse Londini, ex binis famuli mei literis cognovi; quò tamen secesseris, neque ille significat, neque ego aliundè didici. Opto, Vir præstantissime, ut omnia tibi, lectissimæque fœminæ, Dominæ uxori tuæ, læta contingant, & ex animi sententia. Ego quantum tuæ benignitati τῆς σῆς οἰκοδεσποίνης debeam, cogitandi finem nullum facio; neque adeò dispudet, quòd grati animi nullum adhuc testimonium vobis exhibuerim. Verùm de his, cum bono Deo, aliàs. Vale, optime virorum, & amantissimam salutem Dominæ conjugi meis verbis, nisi grave est, nuntia. *Dunaniæ*, *Non. Augusti*, ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας, CIↃ IↃ CXI.

EPISTOLA DCCXL.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1611. ILlustrissime Vir, etsi vereor, ne mearum ἀμέσων literarum frequentia, siquidem illæ isthuc omnes perferuntur, tibi jam incipiat esse molesta; dabit tamen, spero, mihi humanitas singularis tua hanc veniam, ut vel solatii mei caussâ liceat te affari in hac mea solitudine, & à meis separatione: quæ res quantum mihi dolorem afferat, nihil necesse est pluribus hoc loco exponere. Ego ut valeat uxor, ut liberi, à duobus ferè mensibus ignoro: à libris autem meis abesse me tam diu, vix sine lacrymis recordari possum. Uxor se partem aliquam librorum missuram, spem fecerat; cujus promissi exspectatione quum recreassem me aliquamdiu, nunc eâ spe missâ, nec quid dicam scio, nec quid metuam aut sperem. Certè mea studia non jacent; sed extincta sunt. Quid facerem? γένοιτο τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ. Me in tanto dolore hoc unum aliquo modo solatur, quòd sciam, οὐδὲν εἰκῇ οὐδ᾽ ἀθεεὶ miseris mortalibus evenire. Quæro avocamenta à sensu doloris, quæ nisi in meditatione de voluntate divina & precibus ad τὸν ἐπὶ πᾶσι, nulla invenio. Est in hoc Regno admirandæ vir pietatis & doctrinæ Episcopus Eliensis, & magnus Regis Eleemosynarius. Hic Præsul optimus, & mei amantissimus in hæc loca sui Episcopatûs me adduxit, ubi sermonibus cum ipso, & librorum, quos hic nancisci possum, lectione me sustento. Heri perlegi vitam Melanchthonis, à Camerario scriptam; eò quidem libentius, quia subinde tui memoriam ea lectio in animum mihi revocabat. 1611. Quæris quomodo? non sanè quòd illarum rerum, quas ipse describit προηγμένως, aliquid ferè in tuis Historiis legissem; sed quia solet Camerarius in contexenda illa vita omnium doctorum meminisse, qui iisdem floruere temporibus; quod etiam à te factum, lætantur boni, improbi dolent. Quas his adjeci, velim, nisi grave est, illustrissime Præses, ad uxorem cures deferendas. Ego pro hac benignitate tua & tot beneficiis, quibus me tibi æternùm tenes obstrictum, debitorem tibi Deum Opt. Max. delego, qui te servet cum illustri fœmina, Domina uxore tua, & quicquid vobis charum. Vale. *Ad Eliam*, in ædibus Domini Episcopi, qui te summoperè veneratur, *a. d.* VI. *Eid. Aug.* CIↃ IↃ CXI.

EPISTOLA DCCXLI.

EIDEM.

ILlustrissime Vir, heri Londinum redii ab Elia & Episcopi Eliensi, qui 1611. ipsos dies quadraginta & octo me tenuit, & vix tandem discedendi à se potestatem fecit. Est omnino vir ille ejusmodi, quem si notum haberes, vehementer adamares. Dies totos cum illo de Literis, præsertim Sacris, sæpè disserui; neque possum verbis exprimere, quantum probitatis & veræ pietatis in eo Præsule observaverim. Utinam & vestri, & Protestantes ejus ingenii & doctrinæ plures haberent Episcopos! sperarem ad concordiam fore viam planam & facilem, quæ nunc culpâ hominum non dicam difficilis, sed planè jam patet nulla. Τὸ κατ᾽ ἀνθρώπους λέγω· Θεῷ γὰρ πᾶν ἄπορον πόριμον. Dum eram Eliæ, ne sederem semper otiosus, regionem lustravi, multaque observavi, quæ cogito, si Deus animum aliquando dederit ad studia tranquillum, integrâ Epistolâ tibi exponere. Ibi etiam alia quædam sum meditatus, quæ ubi prodierint, [si tamen hoc Deus dabit,] spero tibi non ingrata, neque viro optimo & doctissimo, Domino Fabro. Quod miraris, nec dum misisse me isthuc τὴν πρὸς τὸν Φρόντωνα ἐπιστολὴν, scito, Præses amplissime, nullâ id accidisse culpâ meâ; qui ubi primùm tertiana me reliquit, paucissimis diebus ei libello finem imposui, eamque συγγραφὴν accuratè descriptam manu Sacellani Domini Episcopi Eliensis, serenissimo Regi tradidi; qui altero ferè mense pòst Salisberiâ per certum hominem Eliam usque mihi remisit, jubens id agere, ut liber sibi,

1611. sibi, ut quidem scribebatur ad me, mirificè probatus, quàm primùm ederetur. Erat animus, & nunc quoque est, tibi & aliis è Procerum Ordine copiam ejus scriptionis facere, ut si quid minus commodè dictum esset, judicio vestro emendaretur: neque enim improbabit, credò, quisquam, me in causâ regiâ liberius aliquanto versatum, & φενάκην parricidiorum auctoribus detraxisse. Hoc si mihi conceditur, nihil erit, spero, quo offendantur οἱ ἀπὸ τῆς ὑμετέρας αὐλῆς· sin aliter ipsis placet, ego tamen honesti facti conscientiâ solabor. Volui, inquam, hoc facere, & cupio etiam nunc; sed me describendi labor terret; qui postquam aliquâ defunctus sum curâ, ægerrimè ad illam redeo. Sperabam, Chabanæum venturum, & operâ ejus me usurum. Sed vides, Vir maxime, calamitatem meam, qui totum jam annum libris careo, & familiâ meâ; neque tamen certi aliquid habeo, quod de uxoris adventu & librorum mihi spondeam. Itaque angor animi, ac dies noctesque crucior, ut olim Bellerophon ἐμὸν θυμὸν κατέδων, & ut Turnus apud Poëtam, amissâ pugnandi facultate, imam sibi optat tellurem dehiscere. Sic ego, quoties subit animum cogitatio meis prioribus inceptis & studiis, vitæ hujus lucem propè jam habeo exosam; vivere enim, cordatis hominibus agere est: ego autem nihil ago, & vivo tamen. Quid uxorem jam isthic detineat, non scio, & moram illius incipio mirari, etsi scio, culpam illius nullam esse; mitteret saltem libros, quibus carere diutius, instar mortis mihi est. Finem faciam, si hoc unum addidero, post longam expectationem allatam mihi esse à Domino Cardinali Perronio Epistolam multarum chartarum, & doctè & eleganter scriptam. Eam ubi Regi ostendero, si ejus Majestas jusserit, respondendum * mihi fore video: quod si acciderit, enitar ea scribere, quæ bonis partis utriusque sint futura grata, ac ne ipsi quidem τῷ πάνυ Cardinali ingrata: admiror enim virum illum, & colo summoperè. Deus te servet, Præses amplissime, cum universa domo. *Londini, Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XI.

* *Respondet ad eam v. Eid. Novemb. 1612. Vide infrà.*

EPISTOLA DCCXLII.

JOANNI LYDIO.

1611. RESpondebo paucis Epistolæ tuæ, Vir doctissime. Gaudeo, edi à te Opera Clemangis. Benè operam locabis; benè de Ecclesia Dei mereberis. Si ejusmodi scripta pudorem non exprimunt τοῖς παμπαμμαγεῦσι, næ frons illis ærea. Perge igitur in proposito, & citò nos 1611. bea ejus libri editione. Jure quereris de licentia nostri seculi in proferendis novis subinde dogmatis. Nova & impia sunt, quæ nuper apud vos quidam * de natura Dei ausus est proferre in lucem. Ego librum non legi; sed Rex, qui legit † diligenter, mira mihi narravit & detestanda. Audio tamen, plerisque isthic eum librum probari: credo, quia nova sunt, quæ dicuntur: φιλόκαινοι enim plerique sunt è nostris; καινοφωνίας amant. Pelagianismum quòd detestaris, laudo, & ego tecum sentio; sed videndum nobis etiam atque etiam, ne dum hæresim illam vitamus, in Manichæismum incidamus, & fatum nescio quod stabiliamus. Denique sic existimo, veterem Ecclesiam, quæ utramque hæresin piè damnavit, non temerè esse pedibus calcandam, quod multi hodie faciunt. Errores Papisticos detestor, si quis alius; sed dum tendimus in contrarium, excedi modum nolim. Miratus sum, displicuisse tibi, viro optimo, mentionem concordiæ in Præfatione Polybiana obiter factam. Quid? ergone optare quidem licebit finem discordiæ? Sed fortasse aliâ mente illa sunt à te scripta. Mihi animus fuit, Regem maximum laudare, quòd conciliatâ civili pace inter cives, visus esset viam patefecisse aliquam ad consensum in negotio Religionis; & ita est omninò. Illud non dixi, probaturum me, si contra doctrinam Sacris Literis comprehensam fieret aliquid. Malo ego dissentire membra Ecclesiæ, quàm in malo consentire. Sed de his, cùm voles, plura. Vale; & ad illa, quæ nunc paras, scito nihil tibi sperandum à me auxilii; facturus alioquin, ubi fuerit facultas, tuâ caussâ omnia. Scribam Oxonium, ut voto satisfiat tuo, & bene sperare te jubeo. Vale iterum, Vir eximie atque optime. *Londini, pridie Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CXI.

* *Conradus Vorstius. Vide 149. Epist. Ecclesiasticar. & Theologicarum, ed. 1684. in fol.*

† *Uti ipse testatur Epistolâ 171. & 172. Epistol. Ecclesiasticar. & Theologicar.*

EPISTOLA DCCXLIII.

PETRO BERTIO.

VIde quàm benè conjeceris, cùm 1611. rem gratam te mihi facturum credidisti, si librum tuum ad me mitteres: nam ego frustra conatus eum reperire Londini, in eo eram, ut precibus eum à te extorquerem. Nonus jam mensis agitur, cùm in rustica domo Magnatis cujusdam Diatribam illam tuam ostendit mihi Richardus Thomson, vir doctissimus, & mihi amicissimus; ac licet animi caussâ festo die eò diverteram, percurri tamen Dissertationem tuam ic

nidas

1611. πόδας ἐκ κεφαλῆς. Si quæras, quid sentiam, respondebo tibi, Theologum me non esse, & nôsse ἱμᾶ τὰ μέτρα. Pronuncient igitur, quorum est ea cognitio. Non negabo tamen, multos annos id agere me, ut τύπον veteris fidei penitùs cognoscam. Capior lectione Patrum; admiror pietatem; novitates non sapiunt palato meo. Tua quæstio pendet ab alia, vel aliis, de quibus video nostros contraria docere antiquis Patribus. Ridiculè faciunt, qui hoc negant. Multa in eam rem haberem, de quibus tecum agerem, si unà essemus; quæ scribere non est è re. Pelagianismum sunt qui fugiunt, quum non animadvertant, se transire in partes Manichæorum palàm & manifestò. Fugiamus illa abrupta. Non solùm moralis virtus; sed etiam vera pietas posita in medio. Qui deserunt, incidunt in Scyllam, cupientes vitare Charybdin. Ego ita comparatus sum, ut consensum primævæ Ecclesiæ magni faciam; illis longè dissimilis, qui sceleratè Cyprianum Anabaptistam vocant; & dum petunt hodiernos Pontificios, veterem Ecclesiam feriunt. Inde igitur novæ quotidie sententiæ; donec eò tandem ventum est, ut Deus negaretur esse infinitus, æternus, omnipotens, futuri gnarus *. Quid miremur? Postquam reverentia sublata est, quæ debetur primis Ecclesiæ Doctoribus, non potest evitari, quin novæ subinde pullulent opiniones τερατώδεις. Non enim hodie creditur Petro, qui negat τὴν γραφὴν esse ἰδίας ἐπιλύσεως. Quoties audivi concionatores, qui dicerent: *Omnia pervia esse; omnia cuivis aperta; omnibus petentibus aspirare Spiritum Sanctum?* Audivi Parisiensem Ministrum † centies defendentem hanc thesin: Sacram Scripturam nullâ cujusquam interpretatione opus habere; quod etiam obiter significat in libro *de Eucharistia*. Quum objicerem periculum ei insanæ sententiæ conjunctum, nihil egi. At quæ hæresis non admittitur, si hæc doctrina admittitur? Talia multa istorum placita sunt, à quibus animus abhorret meus. Liber Richardi Thomsonis ejusdem argumenti cum tuo mihi lectus est. Eum puto jam editum in Germania, & tibi visum. Si meo consilio usus esses, tuum librum ad Præsulem illum non misisses. Is vir summus est, & εὐσεβέστατος· sed, ut multi credunt, alterius sententiæ. De me volo tibi notum esse & persuasum, licet Sacræ Paginæ lectioni, quâ possum diligentiâ, incumbam; non tamen id mihi tribuere, ut putem, in summa fidei aliquid vel minimum ingenio meo esse mihi indulgendum. Sed de his, cùm voles, plura: sit modò 1611. certa ratio literas mittendi. De munere tuo gratias ago tibi gratissimas. Vale. *Londini, propridie Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CXI.

* *Tacitè carpit Conr. Vorstium, cujus defensionem lege Epist. 175.* Epist. Eccles. & Theolog. *ed.* 1684.

† *Petrum Molinæum.*

EPISTOLA DCCXLIV.

DANIELI HEINSIO.

UTinam, clarissime Vir, possem ex- 1611. primere tibi, quantæ voluptati fuerint mihi tuæ literæ, a. d. III. Jul. scriptæ, quas nudius tertius accepi! Mirabar silentium tuum, & ad cæteras ærumnas meas, quas fero gravissimas, dolebam hunc accessisse cumulum longè molestissimum. Accepi à multis, nihil esse facilius, quàm Londino Lugdunum literas mittere, vel contrà; singulis enim hebdomadibus naves ultrò citròque commeare, eamque esse viam tutissimam. Si ita est, cur silemus? Cur, dum studiosis nostras committimus, alter alterius spem frustramur? Ego feci in istis periculum; quæ, si rectè fuerint curatæ, assiduus in scribendo sum futurus, ἐάν γε ἐπιτρέπῃ ὁ ἐπὶ πᾶσι. Risi, cùm legerem in tuis, me in partes Loïolitarum transiisse. Expecta paululum, & videbis, quàm benè mihi cum illis pestibus conveniat. Epistola ad Frontonem mea, judicio Regis, & Archiepiscopi Cantuariensis, & plurium doctissimorum virorum mirificè probata, docebit meos sycophantas, aliud esse, pietatem veteris Ecclesiæ admirari, abhorrere à novitatibus, & optare concordiam in Ecclesia Christi; aliud, perditissimæ factioni sese adjungere. Ea Epistola dudum scripta, penè jam edita est. Itaque mittam ad te ejus libri exemplar cis dies paucos, ut spero ἐν τῷ Κυρίῳ. Sed, mi Heinsi, quas ego tibi gratias referam, quòd meam existimationem tantâ diligentiâ isthic defendis? At scito, eos mihi maledicere, qui Patres priscæ Ecclesiæ ludibrio habent, imò oderunt cane & angue pejus. Est enim genus hominum, qui se putant solos sapere, solos intelligere S. Scripturam, solos esse Ecclesiam Dei, & illum ἀπειρέσιον λαόν. Isti unius viri, maximi illius quidem; sed errori tamen obnoxii, authoritate freti, ne pati quidem possunt illorum sanctissimorum Patrum nomina, quorum operâ Deus immortalis olim usus est felicissimâ. Istorum unus est Molinæus, Minister Parisiensis, quem non puduit in quodam scripto suo Beatum Cyprianum appellare Anabaptistam; ut recentis hæreseos infamiâ Martyris Christi memoriam macularet. Quid commemorem ausa aliorum, similis temeri-

1611. meritatis plena? Volunt enim isti, Patres fuisse Semi-Paganos, imperitos Scripturarum, fatuos, stultos, bardos, impios. Hinc est, quòd errores Papisticos ita oppugnant, ut sæpissimè per illorum latera jugulum priscæ Ecclesiæ petant. Mihi hæc lascivia, aut potius detestanda impietas non placet: video enim, istos, dum superstitionem oppugnant, latam profanationi rerum sacrarum, & totius Religionis Christianæ fenestram aperire. Clamant igitur, Pontificium esse me, qui errores Pontificiorum acrius quàm ipsi faciant, paratus sim confutare. Est verò hæc mea sententia: quum una sit futura, atque esse possit vera Ecclesia, non temerè recedendum esse ab iis dogmatis fidei, quæ consensu omnium vetus Catholica Ecclesia probarit; & quum basin veræ Religionis præter S. Scripturam τὴν θεόπνευστον nullam agnoscam, opto cum Melanchthone & Ecclesia Anglicana, per canalem Antiquitatis deduci ad nos dogmata fidei, è fonte Sacræ Scripturæ derivata. Alioquin quis futurus est novandi finis? aut φιλοκαίνοις ingeniis quod frenum poterit imponi? Poteram & cupiebam multa in hanc sententiam differere; sed melius hoc fecero, si de certa ratione literas isthuc mittendi constiterit. Equidem magno redimerem, te, suavissimum mihi caput, videre posse, & in tanta varietate opinionum de istis rebus ubertim tecum communicare. De me velim credas, etsi omnis mea voluptas est & sola, versari in lectione Sacræ Scripturæ; nullam tamen inde me hausisse propriam sententiam, nullam habere, neque unquam, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, esse habiturum. Magni Calvini hæc olim fuit mens, cùm scriberet Præfationem suam in Commentar. Epistolæ ad Romanos: Non debere nos ἐν τοῖς κυριωτάτοις à consensu Ecclesiæ recedere. Sequor hunc Ducem; & istos novos Doctores, qui negant, Deum esse infinitum, æternum, omnipotentem, detestor, abominor. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Tuam ad Baudium nostrum lucubrationem cupio videre. Si prodiit, beaveris me, si eam miseris, aut de illa accuratius scripseris. Si unà essemus, symbolam fortasse ad illud scriptum conferrem; nisi tu me dedignaveris συμφράδμονα. Theologi sunt in Anglia, viri quidam admirandæ & pietatis; ut Episcopus Eliensis, Episcopus Vintoniensis, Decanus Paulinus *, alii. Horum ut quisque est εὐσεβέστατος καὶ μάλιστα πεπαιδευμένος τὴν γνησίαν παιδείαν, cum scito φιλαρχαίων maximum. Vellem illos nôsses. Age, veni ad nos; paratum tibi erit cubiculum apud me. Spero enim fore, ut interim Dei benignitas uxorem 1611. & liberos mihi reducat; quorum & librorum desiderio τήκομαι φίλας, & lamentabiliter crucior animi. Planè non vivo; sed ægrè vitam traho; quantumvis maximi Regis & omnium bonorum gratiâ floream. Sit Deo τῷ πολυελέῳ laus & gloria, qui te servet, Vir clarissime. *Londini*, *Non. Octob. styl. Jul.* CIↃ IↃ CXI.

* Is tunc erat Joannes Overallus, Lichfeldensis postea Episcopus.

Theophrastum à te edi audio; si optasses, communicassem subsidia è MS. nonnulla. Si me amas, & levare cupis dolores meos, rescribe quàm primùm.

EPISTOLA DCCXLV.

EIDEM.

SCripsi nuper ubertim de rebus meis. 1611.
Paullò post venit uxor cum parte librorum. Ita meæ fortunæ divisæ dividunt animum mihi. Sed de ea re aliàs. Nunc mitto tibi librum, à me scriptum adversus Jesuitas. Utinam arrideat tibi illa scriptio! Utinam exstaret isthìc, qui vellet illam edere! Cupio enim hoc exstare testimonium judicii mei de illa Societate; quæ si mihi fuerit molesta, adfuturum spero, Deum conatibus meis, & vires daturum, ut fortiter veritatem pro virili tuear. Tuum de hoc scripto judicium κατὰ λεπτὸν exspectabo quàm primùm. Misissem plura exempla D. Baudio, D. Bertio, & aliis, nisi parcere eorum pecuniæ voluissem, propter vecturæ caritatem. Tibi non peperci, quia videbaris impensè eum librum desiderare. Vale, præstantissime Heinsi. *Londini*, raptim, *a.d.* XV. *Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CXI.

EPISTOLA DCCXLVI.

FRONTONI DUCÆO.

QUam promiseram Epistolam, mit- 1611.
to ecce tibi, Vir clarissime. Mitto autem editam; non, ut constitueram, manu meâ descriptam. Hoc non voluntate meâ, sed jussu serenissimi Regis, in cujus potestate sum, esse factum, si mihi seriò affirmanti credere non vis, candorem meum utique non nôsti. At scit Deus ὁ καρδιογνώστης, hanc fuisse & initio, & semper mentem mihi. Neque verò te fugit, eos, qui apud Reges vivunt, non ex suo pendere arbitrio; sed alieno. Κἂν γὰρ ἐλεύθερος μόλῃ, ut ait vetus Poëta, δοῦλος γίνεται. Quum igitur ea scriptio mihi esset absoluta, & Regiæ Majestati ostensa, statim jussus sum id agere, ut quàm primùm typis vulgaretur. Deinde, ubi

cessare

1611. cessare sum visus, iterum atque iterum repetita jussio est, datumque negotium illustrissimo Præsuli, Domino Archiepiscopo Cantuariensi, ut perficeret, quod Rex cupiebat. Ita liber est editus, in quo nihil te reperturum confido, quod queri possis cum aliqua tua injuria esse conjunctum. De re acrius fortasse dictum videbitur; sed cogita rei atrocitatem, & quid sibi velint exitiabilis doctrinæ auctores. Mihi illa scribenti ob oculos semper est versatus Henricus Magnus, cujus cædes est fructus ejus disciplinæ. Apologetici vestri Auctorem prorsus ignoro. Quisquis sit, sibi imputet, si quid inclementius putabit dictum. Nam quare defendit tam perniciosum dogma? Nulla mihi cum vestra Societate privata simultas intercedit. Colo doctos in illa viros: Bonarscios non amo, neque ab illis amari laboro. Si nemo præter te mihi responsurus est, extabit exemplum controversiæ inter amicos modestè agitatæ. Si fuerit Bonarscius, qui tantâ petulantiâ in me est invectus tot locis, paratum est telum, quod magnâ vi retorqueam. Sed meliora Deus immortalis! Tuam amicitiam cupio mihi manere sartam tectam: manebit autem, si scriptum meum comparaveris cum † * * * & id genus aliis hominum, qui, ut olim Augustinus dicebat, *destruunt aliena melius, quàm propria tueantur.* Vale. *Londini, a. d.* VIII. *Kalend. Novemb.* CIƆ IƆ CXI.

† Anti-Cottonibus, Theatris Antichristi, Mysteriis Inquisitatis. Colomes.

EPISTOLA DCCXLVII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1611. ILlustrissime Vir, librum tibi mitto, sive Epistolam, de qua anteà scripsi. Utinam qui rerum isthic potiuntur, ex rei veritate judicent, non ex anticipatis opinionibus! Sed ut nunc vivitur, vereor ne malè omnia interpretentur. Ita mihi dulcissimâ patriâ fuerit carendum. Omen avertat Deus Opt. Max. Si tamen id acciderit, dabo operam, ut exilii mei caussam omnes intelligant. Pacis amantissimus, ut spero te nôsse, semper fui: si ad defensionem tam justæ causæ arma mihi expedienda, ῥίψασπις profectò non ero, neque veritati per meam ignaviam deerit patronus. Utinam tuo, Vir maxime, & præstantissimi Fabri judicio libellus hic approbetur. Vos duo mihi eritis ἀντὶ μυρίων. Misissem ad illum exemplar, nisi defuisset cui darem. Plura brevi scribam; nunc occupatissimus sum. Vale, & me ama. *Londini, a. d.* VIII. *Kalend. Novemb.* CIƆ IƆ CXI.

EPISTOLA DCCXLVIII.

JOANNI MEURSIO.

DAmno utriusque nostrûm silentium: 1611.
non stabit per me, quin posthàc frequentia literarum sarciamus præteriti temporis jacturam. Tua studia magnæ mihi curæ sunt: multa enim à te exspecto, quæ ut quàm primùm edantur, cupio; teque, ut ita facias, oro quæsoque: Leonem inprimis, quem hic non habeo. Itaque mea in eo genere studia οἴχεται. Tu præstabis, quod nos optavimus. Ego nunc quid agam, docebit te hic libellus, quem ad te mitto, & legi à te cupio. Iterum peto à te, ut mutuam porrò exerceamus scriptionem. Vale, doctissime Vir, & mihi προσφιλέστατε. *Londini, a. d.* VI. *Kalend. Novemb.* CIƆ IƆ CXI.

EPISTOLA DCCXLIX.

DOMINICO BAUDIO. ✠

VIr clarissime, ut scias, quibus in stu- 1611.
diis nunc sim, mitto ad te libellum, à me hic scriptum. Argumentum scripti, & τὸν σκοπὸν, scio, probabis; τὴν ἰδέαν τοῦ λόγου an sis probaturus, nescio. Ego relictis omnibus meis libris in Gallia, dum subinde Londino in Aulam excurro, hoc assecutus sum, ut videar mihi jam ἐκβεβαρβαρῶσθαι. Et est quidem pars librorum allata; sed non multùm eâ re studia mea sunt sublevata. Omnino rerum mearum rationes mirificè sunt perturbatæ: nondum enim à Regina plenam missionem impetravi. Atque ut ingenuè tibi dicam, etsi supra modum capior humanitate tanti Regis, tamque insignium Præsulum; multa sunt tamen, quæ desiderium patriæ in animo meo excitant: sed nihil magis, quàm amor pristinorum studiorum, quæ hîc persequi nullo modo possum. Sed de his aliàs. Te valere, & bene rem gerere, ex animo opto. Vale. *Londini, a. d.* VI. *Kalend. Novemb.* CIƆ IƆ CXI.

EPISTOLA DCCL.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

ILlustrissime Præses, beasti me tuis 1611.
Epistolis, quibus tamen adhuc respondere non parabam, tertianâ impeditus, quæ magnum mihi affert languorem. Sed venit nunc à serenissimo Rege, qui librum promissæ Historiæ, vel

1611. ejus partem deferret, ut illum ad te curarem. Simul jussit, ut te verbis suis monerem, atque adeò rogarem etiam atque etiam, huic Historiæ fidem tribueres. Non potes ullâ ratione tuum erga Regem optimum, atque tui amantissimum probare animum, quàm si ejus Majestati in hac re morem gesseris. Exspectabo literas à te de eo argumento, quas ipsi sim indicaturus. Pervenit rumor ad Regis aures, velle Reginam ἀτίμως me revocare; quod ille statim in contumeliam suam fieri dixit. Suspicatus est tamen posteà, malevolos meos id consilium Reginæ suggessisse, de me, opinor, ne cogitanti quidem. Multa haberem, quæ tibi scriberem, si nunc haberem tempus. Ego sanctè juro, me in potestate Reginæ semper futurum: oraturum tamen, ne velit esse κυσὶν οἰωνοῖσι κύρμα. Nam ut illi doctrinæ consentiam, aut desinam detestari, nulla vis me adegerit. Verùm de his aliàs. Quod superest, commendo tibi, Vir illustrissime, non aliquem amicorum meorum, quod sæpe feci; sed uxorem, omnium mearum ærumnarum fidelissimam consortem. Non deerunt illi, scio, doloris causæ, dum isthic erit. Tu, quæso te, fœminam, rerum aulicarum rudem, subleva, quod in te erit. Ita Filius Dei viventis tibi benedicat. Vale. *Londini, pridie Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CXI.

Epistola DCCLI.

✠ THOMÆ MORTONO.

1611. NUper cùm in Aulam jussu serenissimi Regis properarem, egi cum Bilio, ut meas ad te curaret, quas ipsi tradebam. Literis duo exemplaria jussi adjungi libri, nuper à me hic editi, quorum alterum servares tibi pignus qualecunque meæ in te observantiæ; alterum reverendissimo Domino Episcopo Wintoniensi meo nomine, nisi tibi aliter videretur, offerres. Itaque miratus sum, cùm tuas ante triduas acciperem, tam negligenter illud negotium à Bilio fuisse curatum. Nunc ut existimo, & ille affirmat, fasciculum illum accepisti. Itaque judicium tuum de illa scriptione expecto, idque ut mihi πρόφρονι θυμῷ impertiaris, te rogo. Erunt, qui lenitatem meam accusent, aut nescio quid aliud: ego doctorum & piorum judiciis cognitis, quanti illi faciam, jam re ipsâ ostendam. Quum autem nuper otium suppetiisset scribendi ad reverendissimum Præsulem vestrum, atque uti ingenuè tibi fatear, appellare tantæ dignitatis virum non essem ausus, nunc postquam ex tuis didici, benevolentiam illius tuâ operâ mihi esse conciliatam, deesse officio meo nolui, & literis meis ipsum affari non dubitavi; sed quòd mentionem injicis nescio cujus muneris, rogo te & obtestor, ne oneres verecundiam meam; neve mihi necessitatem imponas subeundi criminis ingrati animi. Nam quid ego de tanto viro aut meritus sum, aut mereri possum? Satis bene actum putabo mecum, si notitiâ & benevolentiâ suâ indignum me reverendissimus Antistes non judicaverit. Hoc quoque tibi debebo, non meritis meis. Vale, amicorum suavissime atque integerrime. Uxor, tuæ singularis humanitatis memor, te ex animo salutat, & unà mecum læta omnia tibi precatur. Vale. *Londini, pridie Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CXI. 1611.

Epistola DCCLII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

ILlustrissime Vir, accepisti jam, opi- 1611.
nor, meam ad τὸν Φρόντωνα Epistolam. Ego certè simulac liber fuit editus, quatuor exemplaria in unum fasciculum conjeci, & Præfecto Equorum dispositorum statim tradidi. Audivi, non confestim fuisse eum fasciculum missum; esse tamen missum, seriò affirmat, qui accepit à me, Præfectus. Tuo exemplari tria erant adjecta; duo ad illustrissimæ dignitatis viros, Dominum Cancellarium & Dominum de Villeroy; & tertium ad ipsum Frontonem. Jam igitur ego pendens animi magnâ aviditate exspecto, quis futurus sit ejus scriptionis eventus. Non desunt, qui dictitent, omnia isthic τὰς Loiolitas posse, quibus facilè sit futurum, & Augustissimam Reginam, & multò magis Regem Christianissimum in me irritare. Omninò igitur futurum, ut gratiâ Majestatis utriusque excidam, & spe omni beneficiorum ab illo fonte manantium. Ego nondum in animum induxi hoc credere; qui tamen velut ἐκ περιουσίας paro me ad durissimum quemque nuntium; non minus propterea futurus & Regis, & Reginæ, quos Dei benignitas servet, humilis & totâ voluntate addictissimus subditus servusque. Hanc mihi mentem, imò hanc pietatem, nemo eripere mihi potest. Fremant, & proscindant conviciis nomen meum, qui volent cunque; nunquam efficient, ut pro salute patriæ suavissimæ, & servitio Regis ac Reginæ vitam ponere non sim paratissimus. Opto petoque à superis, ut de mei animi integritate constet Ma-

1611. Majestatibus ipsorum. Sin aliter evenerit, (ut sunt res humanæ, præsertim verò aulicæ) ipsa mihi pro solatio erit mea conscientia. Putant etiam nonnulli, atque ego ita credo, extiturum aliquem ex ea Societate Bonarscium, aut Græculum ῥήτορα, qui plaustra conviciorum in me evomat, & ut Grammaticum infelicem exagitet. Id si evenerit, dabimus operam, Deo propitio, ut rebus & veris argumentis maledicta refellamus. Quicquid futurum sit, te, magne Thuane, spero animum erga me non mutaturum, & quo loco meas isthic res posthàc futuras prospicias, sine fuco & fallaciis expositurum. Omnino, ut verè nuper scribebas, fortunarum mearum hæc erit quædam κρίσις, cujus eventum eò patientius exspectabo, quia spes omnes meas in Dei immortalis providentia & bonitate habeo sitas. De responsione ad illustrissimum Cardinalem ne sis sollicitus. Erit, spero, eâ modestiâ temperata, ut ipsum illum virum maximum nihilò propterea minus fore mihi confidam amicum. Filium meum ut ad virtutis amorem tuis exhortationibus accendas, supplex à te contendo. Deus studiis illius benedicat. Qui te, Vir amplissime, servet, & omni genere suarum benedictionum cumulet. Tuas exspecto. Vale. *Londini, a. d.* VI. *Eid. Novemb.* CIↃ IↃ CXI.

Epistola DCCLIII.

CAROLO LABBÆO.

1611. Quòd silentium excusas, Vir amicissime, est id mihi gratissimum; atque ego non invitus excusationem tuam accipio. Scribo tamen, ita esse planè, uti scripsi, nullas tuarum, quas ais scripsisse, ad me pervenisse. Nam ad hanc diem binas, postquam huc veni, à te accepi. Si lubet tibi, posthàc erimus officii observantiores. Mihi nihil jucundius accidere potest, quàm ut veteres amicitias colam, & sanctè, quod in me erit, foveam. Laudo consilium à te susceptum, de Historia Regum nostrorum illustranda. Vellem aliquid possem conferre. Sed in hoc Regno nihil adhuc inveni ejus generis: unicam excipio Bibliothecam Nobilis Angli, Roberti Cottoni *, ejus notæ libris instructissimam. Invisam illum, est enim amicus mihi; & sciscitabor, an possit laudabile propositum tuum adjuvare? Ego quid hìc agam, si cupis scire, hoc unum respondebo, omnia priora studia mea funditùs interiisse. Nam maximus Rex & literatissimus unico genere literarum sic capitur, ut 1611. suum & suorum ingenia in illo detineat. Non temerè dies præterit, quo ad Majestatem illius non adferatur novus aliquis liber, ab aliquo, ut plurimùm, Jesuita conscriptus, de martyrio Garnetti, aut de suppliciis Catholicorum in Anglia, & id genus argumentis. Ejusmodi libri nobis legendi sunt, & nostrum judicium illi exponendum. Utinam optimum & potentissimum Principem sinerent quiescere diabolicæ doctrinæ propugnatores! Nuper jussu Regis quædam in eo genere scripsi †, quæ ejus Majestati sic sunt probata, ut statim juberet edi. Si sit cui tradam, mittam ad te unum exemplar, ut & tuum & aliorum de ea scriptione judicia intelligam. Si aliquis extiterit Amphitheatralis Scriptor, qui solito furore in me insurgat, exspecta neque furiosum, & acre tamen responsum. Vides, quæ jam me habeant curæ: γενηθήτω τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ· qui te servet, doctissime Vir. Vale, & me ama. *Londini, a. d.* VI. *Eid. Novemb.* CIↃ IↃ CXI.

* *Vide supra, pag.* 382.

† *Epistolam ad Frontonem Ducæum.*

Epistola DCCLIV.

DANIELI HEINSIO.

Clarissime Vir, etsi negotiis obruor, 1611. & nutat valetudo, non possum tamen diutius differre, quin tuis proximis respondeam. Illas dico tuas, XXII. Octob. datas, quæ ante dies ferè quindecim mihi sunt redditæ. Casu acciderat, ut illâ ipsâ die juberet me Rex se Londino proficiscentem sequi. Eò factum, ut respondere tuæ illi Epistolæ non statim potuerim; facturus utique, si causa sontica non intervenisset. Dolui equidem, auferri mihi facultatem per literas tecum colloquendi, saltem ut ex me scires quàm ingenti lætitiâ sim affectus tuis legendis: nam de libro à te misso, cavi satis, ne imperatum iter ejus lectionem impediret. Abstuli enim mecum, & quicquid datum est vacui temporis, in ea lectione & admiratione tuæ doctrinæ consumpsi. Cæterùm in hoc commodo illud sum consecutus, quod longè fuit gratissimum; ut abundè suppeteret facultas mentionem de te faciendi apud Regem sapientissimum. Aderant tum Episcopi cùm alii, tùm etiam Eliensis, Auctor Torturæ Torti ‡; vir, mihi crede, pietate, probitate & doctrinâ maximus. Et Rex, & hic Episcopus, atque alii, quum partim à me audissent, quæ sine crimine tacere non poteram; partim etiam literas tuas legissent, non solùm μιᾷ

‡ *Hunc librum contra Bellarminum scripsit Lancelottus Andrews, Eliensis primùm, dein Wintoniensis Episcopus.*

1611. φωνῇ laudarunt te omnes, ut virum doctissimum; sed etiam adamarunt propter singularem, etiam ἐν τοῖς θεολογουμένοις, prudentiam & sinceritatem. Bis, ter illa pars Epistolæ tuæ lecta est, quæ γραφικώτατα τὴν ἄνισον ἰσότητα nuper exortam describebat. Erat omnibus gratissimum, tibi illuxisse τὴν περὶ ταῦτα ἀλήθειαν. Ne te diutius morer, potes confidere, te & Regi maximo de meliore nota esse commendatum, & à multis antiquæ fidei & pietatis viris hîc non mediocriter amari. Ipse D. Archiepiscopus, qui tuas legit, magnam ex illis voluptatem accepit. Eliensis verò Episcopus *, ut te verbis suis salutarem, obnixè rogavit; & quum multi te hic optent videre, maturè stipulatus est à me D. Eliensis, suo te hospitio esse usurum; eâ tamen lege & conditione, si tu meas ædes fastidieris. Mihi cum illo Præsule quotidiana consuetudo intercedit; atque ille vir mihi in hoc loco magni Thuani desiderium cum oppido paucis aliis lenit: nam & profundâ hominis doctrinâ capior, & comitas incredibilis in summa dignitate mirificè illum mihi commendavit. Venio ad tuarum principium. Ago tibi gratias, clarissime Heinsi, & longè mihi charissime, quod adversus meos calumniatores firmus semper steteris. Sed, amabò, sine illos latrare quantum volent. Quicquid hostes professi antiquæ Ecclesiæ dicant, ὁ φόβος τοῦ Κυρίου τῇ ἐμῇ καρδίᾳ ἐπιζάνει, quod Deo propitio dicere liceat impunè. Planè scire te volo, & quòd Jesuitæ me oderint, & quòd isti κακόδοξοι ab eodem fonte utrorumque odium proficisci, amore nempe veritatis, quem & hi & illi in me deprehendunt. Non dico, me aliquid sapere eximium ἐν τοῖς τοιούτοις· illud gratiâ Dei verè possum dicere, quum nullam habeam mihi propriam opinionem, id agere me quotidie, ut in S. Scripturæ lectione, & monumentis primævæ Ecclesiæ magis magisque proficiam: πρὸς ταῦτα παλαμάσθων & fremant, quicunque me oderunt; certum mihi, à cursu instituto nunquam revocare gradum, σὺν τῷ πανυελεῖῳ Θεῷ. At reditum in patriam cogito; sic enim ais istos garrire. Magnum verò crimen, si patriam civis amat. Tamen quod isti ajunt de reditu, vellem scire, à quo mea consilia acceperint. Quis hoc illis arcanum indicavit? de quo ne mihi quidem, aut uxori meæ aliquid hactenus inauditum. Ego, mi Heinsi, à teneris annis ita me divinæ Providentiæ regendum permisi, ut totus ab illa pendeam. Deus est, qui me huc adduxit; qui si planè solutus essem à vinculis, quæ 1611. me Reginæ Galliarum tenent adstrictum, non dubitarem affirmare, ossa mea in Anglia post obitum meum quietura, Deo cœptis meis aspirante. Cæterùm super ea re plura scribam, cùm ipse plura scivero. Pro libris, à te missis, quas ego tibi gratias agam? quas referam? Sed hujus quidem facultas neque mihi nunc adest, neque fortasse unquam est adfutura. Animum igitur vide, plenum εὐχαριστίας, plenum admirationis doctrinæ tuæ. Valeant jam tot Interpretes aureoli libelli Aristotelis †: tu solus mentem es assecutus, solus exposuisti. Legi illam tuam Diatribam diligenter & attentè, non solùm quia omnia tua mihi sunt gratissima, sed etiam quia sentiebam eâ lectione multum me proficere. Aristarchum verò tuum quando videbimus? Age, libera fidem tuam, & nos bea. Benè verò sit amplissimo viro, D. Honerdo ‡, qui te ad illa scribenda impulit. Miratus sum elegantiam ejus Tragœdiæ, quam ipse edidit, tu ad me misisti. Quæso, pone me in gratiam apud tantum virum; ut hoc saltem sciat, me præstantem ipsius virtutem & doctrinam atque pietatem summoperè venerari. Epistolam nostram ad Frontonem acceperis necne, scire velim. Nuper Regis jussu aliam Epistolam ‡ scripsimus, quam ut ipse videas, mea non parum interest: occasionem ex ipsa cognosces; argumentum scio piis fore gratissimum. Non potest edi illa Epistola; sed dabo operam, ut descriptam tibi mittam. Notas in Theophrastum meas possem mittere non paucas, si esset ad manum meus codex; qui adhuc Lutetiæ hæret, cum duabus partibus meæ Bibliothecæ. Interim mitto Notas è libris MS. excerptas, & ad exemplar, opinor, Aldinum adnotatas. Utinam meum ipse librum haberem! Memini, magnum Scaligerum patrem in prima periodo ἀστείων hallucinatum esse, nisi me fallit mea memoria. Characteres Theophrasti an es additurus? Puto te non prætermissurum. Itaque volo mittere ad te unius, aut alterius loci correctionem elegantem, quæ me fugerunt, cùm Notas scribebam. Habeo paratum exemplar, ubi multa adjeci. Multa feci meliora: sed ubi editurus sim, nescio; nam hic frigent meliores literæ. Tuis erant adjunctæ literæ à clarissimo viro, Bertio, & illius Epistolæ inclusa erat alia Dom. Vorstii *. Quæso te, significa illis, non vacasse mihi ipsis respondere. Rex, qui Dom. Vorstii Epistolam vidit, paullo accuratius jussit

* Lancelottus Andrews.

† De Poetica.

‡ Huit Rocho Honerdio, in Supremo Hollandiæ Curia Senatori, librum de Constitutione Tragœdia dedicavit Daniel Heinsius.

‡ Ad Cardinalem Perronium. Colomes.

* Fortè illa, quæ exstat n. 175. inter Ecclesiastic. & Theologic. editas anno 1684.

1611. jussit me respondere. Quod, volente Deo, facturus sum, ubi primùm & otium, & meliorem valetudinem fuero nactus. Scripsi enim ista non ἀπύρετος· sed ut tecum loquar, etiam morbi possum oblivisci. Deus maximus te servet, & tuis conatibus benedicat. Vale, Vir clarissime, & festinanti calamo & manui infirmæ ignosce. *Londini, die* XXVI. *Novembris*, ut hic numerantur tempora, CIↃ IↃ CXI.

Libellum Notarum, postquam eo fueris usus, velim cures referendum.

EPISTOLA DCCLV.

THEODORO CANTERO.

1611. ET voluptatem magnam ex primo aspectu tuarum, venerande Cantere, accepi; & mox ex earundem lectione dolorem longè maximum. Sciveram, aliquid molestiarum tibi esse obortum, nescio ex qua causa: de carcere, exilio, jactura bonorum, nihil adhuc audiveram. Itaque perculit me is nuncius. Atque utinam, Vir optime & amicissime, quantâ afficior tuæ calamitatis συμπάθεια, tantum in me esset virium afflictis rebus tuis opem ferendi; experireris animum meum in amore constantem, & à charitate, quæ verum Christianum χαρακτηρίζει, Dei gratiâ non alienum. Quod me rogas, ut serenissimum Regem appellem, petamque ab ejus Majestate, ut gratiâ suâ apud Ordines te sublevet; id verò ego, rei gestæ penitùs ignarus, qui satis commodè possim, non video. Accedit illud incommodum, quòd frigusculum quoddam intercedit inter ipsum Regem & Ordines. Videbo tamen, si quid tuâ causâ potero, & ad omnes occasiones ero intentus, ut quibuscunque modis, si non possim commodis tuis consulere, existimationem tamen, quod in me erit, tuear sartam tectam. Non committam modò, ut longiori oratione te consoler; nam & raptim has scribo, statim post tuas lectas. Et eâ doctrinâ te scio esse instructum, ut domi tibi nascantur, quæcunque solent aut possunt in eam rem afferri. Instar omnium consolationum esse debet Dei Opt. Max. voluntas; qui suos durius aliquando exercet, quàm ipsi vellent. Omnia tamen piis cedere in bonum, Sacra Pagina docet. Neque possumus dubitare, Deum, qui Pater est, non solùm Creator noster, filiis suis optima quæque largiri, etsi non suavissima. Oro illum & supplex veneror, te servet, soletur, & in pristinum locum restituat. Vale, Vir cla- 1611.
rissime. *Londini, a. d.* XV. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CXI.

EPISTOLA DCCLVI.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

QUum mihi significasset Dom. Le 1611.
Sieur *, scripturum se isthàc, & meas simul curaturum; noluit committere, quin ad te pauca, Vir amplissime, exararem. Scito igitur, tuas, Kalendis Octobris datas, nudius quintus mihi esse redditas; easque me summa cum voluptate legisse, & quia læta de te narrabant, & quia tuæ constantiæ in suscepto dudum amore mei testes luculentæ erant. Oro Deum immortalem, ut te quàm diutissimè servet incolumem, tuumque hunc erga me animum velit esse perpetuum. Mihi bonorum, doctorum, & quod supra omnia est, verè piorum amicitiâ nil quicquam potest accidere jucundius. Te verò, præstantissime Lingelshemi, quanti ipse faciam, & mutuus noster amor quantam mihi jucunditatem afferat, omnes mei familiares nôrunt. Utinam existat occasio, quæ tibi huc veniendi necessitatem imponat †. Scis quid intelligam. Ego multos hic singularis pietatis viros novi, qui id vehementer cupiunt. Verùm id Θεῷ μελήσει. Ex tuis cognovi, de meis studiis sollicitum te esse; quo etiam nomine ago tibi gratias immortaleis. Omnino postquam huc veni, priora mea studia jacuerunt. Annum amplius integrum familiam & libros expectavi. Tandem venit uxor, cum liberis, & librorum tertia ferè parte. Totam Bibliothecam meam auferri non permisit Regina: ita partem aliquam habeo; plures desidero, & ferè magis necessarios. Accedit, quod vita, quam nunc vivo, aliis me curis occupatum tenet: plerumque enim Regem sequi cogor, & alia meditari. Edita nuper est Epistola nostra ad Frontonem, quam dudum misissem, si fuisset, cui darem. Nunc aliud scriptum ‡ absolvi, quod si tuas in manus veniat, gratum erit sine dubio: sed ea scriptio, jussu Regis suscepta, vix edetur. Occasionem & argumentum aliàs tibi exponam. Vale, Vir præstantissime, & me ama, qui te ex animo veneror. *Londini, a. d.* V. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CXI.

* *Lesierius vocatur à G. M. Lingelshemio in Epist. ad Bongars. n. 127. 132. 135.*

† *Vide supra Epist.* DCCXXXVII.

‡ *Epistolam ad Cardinal. Perronium.*

EPISTOLA

Epistola DCCLVII.

JOANNI CASAUBONO, Filio.

1611. FIlli, heri reverso mihi ab Aula mater tui amantissima literas à te reddidit, quas illa quidem pro suo jure aperuerat; sed quia Latinè erant scriptæ, parum intellexerat. Dum has illi κλινήρει οὔσῃ è morbo pedis, assidens lego, & de te sermones cum ea habeo, & communibus votis Deum pro tua felicitate, hoc est, pietate & virtute oramus, ecce à cursoribus affertur fasciculus, quem ipsis tradideras mihi afferendum. Etsi immani pretio redimendus fuit mihi ille fasciculus, lætatus sum tamen diligentiâ tuâ, cujus adhuc nullum par exemplum edideras: binas enim tuarum, satis copiosè scriptas, eodem die me accepisse, gaudeo equidem; teque oro non jam, ut alios; sed ut te ipsum imiteris, & hac in parte sis semper diligentissimus. Me ut vincas diligentiâ, tibi contendendum erit strenuè: nam ego me vinci in eo genere, ne à filio quidem patiar. Faxit ὁ Θεάνθρωπος Christus, ut semper occasionem habeas lætam scribendi ad lætos parentes. Quòd quereris, non eum honorem esse tibi à me habitum, ut Epistolæ nuper editæ exemplar ad te mitterem, laudo cupiditatem, probo querimoniam: nolo enim aliquid committere, cur possit quisquam existimare, quicquam in rebus humanis secundum matrem tuam mihi esse te carius. Sed debes, fili, hanc opinionem de me sic fovere, ut quicquid eveniat, benignè interpreteris, & semper in partem meliorem. Noli credere, officio meo unquam me, σὺν Θεῷ, defuturum: tu vide, ne desis tuo. Scripsi verò ad te jam antè, propterea me ad nullum amicorum meorum isthuc exemplaria misisse, ne pro vectura cursores duplum aut triplum exigerent ejus quanti liber potest æstimari. Semel tibi exponam quid gestum sit. Tu, ut me apud amicos tuearis, vide. Quâ ferè die ad serenissimum Regem librum misi post absolutam editionem, eâdem quatuor exemplaria cursoribus regiis tradidi, inscripta D. D. D. D. Cancellario, Thuano, Villaregio, & Frontoni. Putavi officii mei esse, ut & Magnatibus illis facti rationem redderem; & Frontoni hunc honorem haberem, ut primo illi è privatis omnibus amicis meis mitterem. Postridie quum esset data occasio duorum cursorum, misi unum exemplar ad illustrissimum D. Cardinalem Perronium, alterum ad Legatum 1611.
serenissimi Regis Magnæ Britanniæ. Postremò, quia Drovardus significaverat, velle se ejus libri exemplum habere, quod amicis ostenderet, unum illi misi per alium cursorem, parum sollicitus quantum esset pro vectura exacturus. Habes, fili, historiam omnium librorum, quos ad hanc diem in Galliam misi. Volui ad te & amicos mittere; sed putavi exspectandam facultatem mittendi sine ulla cujusquam graviore impensa. Hinc excusationem volo te probare, & aliis, quæ dixi, narrare. Venio ad colloquium illud, cui te ais interfuisse. Narras, clarissimum Frontonem & Peleterium cum nobili Anglo, te præsente, de illo scripto sententiam tulisse; & quidem Peleterium plenis velis in me esse invectum; *Grammaticum* vocasse, stylum damnasse, *virum nullius judicii* appellasse. Primùm tibi de Frontone respondebo: si ita ille animatus est, ut doctrinam parricidialem aut palàm aut clam probare queat, non mirari debere me, si ei parum probatur ea scriptio, quæ tota adversus Satanicam & novam doctrinam est suscepta. Ego adhuc de illo sensi melius. Si non respondet, & veritati assentitur, faciet quod verum Theologum decet. Si tacet ipse, & alios submittit, è re nata consilium sumemus; neque caussam Dei aut Principum unquam prodemus. Scribant quicquid voluerint Bonarscii, Gretzeri, Andreæ Græculi, & quicquid est turbonum; non magis movebor, quàm si musca in me involaret. Deus Opt. Max. à me stat; veritas à me stat. Caussa Regum agitur, & quidem contra parricidas inauditos; & ego timebo? aut deerit mihi animus? Deus meliora! Peleterii verò judicium non magis reformido quàm par est. Illene me Grammaticum vocat? Ille meum stylum damnat? Asinus, stultus, imperitus, nebulo, vappa; de eo viro sine honoris præfatione loqui non debet, quem scit orbis terrarum (absit verbo invidia) non sine aliqua utilitate publica literas Græcas & Latinas excoluisse. Abeat Peleterius ad lustra & popinas; ibi judicet de forma scortorum, & vini saporibus; de literis abstineat judicare ὄνος περὶ λόγων. Taceo quam tota Lutetia novit in rebus Religionis indifferentiam, quæ ab Atheismo quot gradibus differat, ipse viderit. Et his notis insignis nebulo de me graves sententias dicet? Ego verò Deo gratias ago, quod ea scripserim, quæ illi displiceant: bonis sine dubio placebunt, quæ pessimo viro non placent. De stylo

1611. stylo quidem judicare meo adeò non potest, ut priusquam intelligat mea scripta, multi illi anni in Scholis sint ponendi. Si ausus sit in me aliquid, erit unus è meis famulis, qui illum excipiat, ut meretur ipsius detestanda malignitas. A me responsum ne exspectet; tuus fortasse cognatus *, aut certè unus famulorum meorum illum depinget suis coloribus. Tu verò, fili, maledictis impurissimi nebulonis ne movearis. Ut nulla sine crista nascitur galerita, sic nemo aliquam ex his studiis gloriam consecutus, quem non comitetur invidia. Scis, fili, meam ταπεινοφροσύνην, qui si quid scio, & non multa sanè scio; sed tamen si quid scio, Deo Opt. Max. id totum fero acceptum. Illi honos, illi laus, illi gloria εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. Moneo te, fili, abstineas à societate id genus hominum. Novi illum, de quo loquor, intus & in cute: acta, verba ingenium produnt in causa Religionis profanum; neque hoc te potest fugere. O fuge tales, abhorre, odi, ac detestare: sæpe hoc te præsens monui; nunc absens moneo, quia est data occasio. Oro Deum immortalem, & quotidie orat pia mater tua, ut tibi adsit, te servet, tibi benedicat. Vale. *Londini, a. d.* IV. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CXI.

* Fortè, Isaacus Casaubonus.

EPISTOLA DCCLVIII.

HUGONI GROTIO.

1611. VIr magne, ex quo me Dei voluntas & admiranda providentia in hoc Regnum traduxit, volui sæpe commercium literarum tecum instaurare: nam & amo te dudum sincero affectu, & tuam virtutem pari pietate junctam summopere, pro eo ac debeo, veneror. Sed me hactenus vel otium defecit, vel te dignum argumentum. Quod quidem etiam nunc cùm maximè mihi deest: ne tamen perpetuò silerem, usus sum occasione oblatâ. Nam quum libellum hic ediderim Regis sapientissimi jussu, cujus argumentum scio tibi non improbatum iri, placuit eum ad te mittere, si nihil aliud, saltem ut scires vivere me tui memorem & planè amantem. Rogarem te, ut mutuum facias, nisi certo confiderem, fore te in suscepto semel amore mei firmum ac constantem. Deus immortalis te servet. Vale, Vir præstantissime. *Londini, Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CXI.

EPISTOLA DCCLIX.

DANIELI HEINSIO.

VIr clarissime, heri prolixas ad te literas dedi: simul Notas in Theophrastum è MSS. adjeci. Cupio scire an acceperis. Miseram ante aliquot septimanas & tibi, & paucis aliis amicis exemplaria libelli cujusdam, nuper hic à me jussu Regis editi. Etiam ille fasciculus an tibi fuerit redditus, scire aveo. Plura scribendi nunc otium non habeo. Exspecto tuas, valdeque opto, ut sæpe ad me scribas: ut sis diligentissimus, non tamen diligentiâ me vinces, cum bono Deo; qui te servet, & tuis studiis magis magisque in dies benedicat. Vale. *Londini, a. d.* V. *Eid. Decemb.* CIↃ IↃ CXI. 1611.

EPISTOLA DCCLX.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

ILlustrissime Vir, tuas hodie accepi, sub finem superioris mensis datas. Beasti me, quod varia hominum judicia de nupero libello significasti. Vir amplissimus, Villaregius, super eo argumento literas scripsit ad me, politicæ prudentiæ & integritatis plenissimas, prorsusque tanto viro dignissimas. Non malè operam posui: hoc assecutus sum, ut boni intelligerent, adversus impiæ doctrinæ auctores scriptum esse, quicquid ibi est scriptum. Sed me tua Epistola, Vir amplissime, in suspicionem adducit, voluntatem mei revocandi mutatum iri in nonnullorum animis propter illius libelli editionem. Ego verò constitui, cum bono Deo, semel huic hæsitationi, quæ pestis est studiorum meorum, finem imponere. Constitui igitur prolixè de ea re tecum proximâ Epistolâ, σὺν τῷ παναγίῳ Θεῷ, agere μετὰ παῤῥησίας. Non possum diutius carere libris, quos isthic habeo: planèque aut mihi ad Bibliothecam meam accedendum; aut, si aliter ferant fata, curandum, quò ne diutius illis caream. Hæc deliberatio difficillima est, & fortasse in mea non est potestate; quasi esset tamen, aperiam tibi meas in utramque partem rationes, & pro tua erga me benevolentia consilium à te petam. Deus Opt. Max. te servet, Vir maxime, cum tuis. Vale. *Londini, a. d.* V. *Eid. Decemb.* quæ nobis hic sunt *Kalendæ*, CIↃ IↃ CXI. 1611.

Epistolam & chartas Rigaltii accepi:

1611. pi: respondebo post alterum tertiumve diem, ut spero. Mensis jam ferè alter est, cùm scripta est Epistola ad τὸν μέγαν Καρδ. * sed Rex illam secundò apud se habet, qui longè hinc abest. Epistola de peregrinatione Eliensi † otium exspectat, quo hactenus carui. Nunc jussus sum Vorstio, καινοφώνῳ Theologo Leidensi, qui ad me scripsit, respondere. Horret animus ad has καινοδιδασκαλίας. Deus nos respiciat.

* Perronium.

† Vide supra Epist. DCCXLI.

Epistola DCCLXI.

JOANNI CASAUBONO, Filio.

1611. HEri accepi à Rege Epistolam ad illustrissimum D. Cardinalem, cum expressâ jussione, ut statim mitterem. Missuro, ut Regis voluntati etiam æger satisfacerem, in ipso articulo afferuntur tuæ literæ longè mihi gratissimæ: quanquam ex iis, quas ad piam matrem scripsisti, didici te parum valere. Doleo, fili, & Deum supplex veneror, ut tibi adsit, te servet, & ψυχὴν καὶ σῶμα præstet valentem. Volo cures valetudinem: nolo ulli pecuniæ parcas, quoties postulabit ratio valetudinis. Imprimis Deo Opt. Max. te supplex quotidie commenda, neque obliviscaris disciplinæ domûs, in qua es educatus. Per mihi fuit molestum, quod scribis de editione Epistolæ nuperæ isthic curata. O tetrum genus hominum, unius sui lucri studiosum! Quid faciam? Ita vita est hominum; multa ferenda sunt dura & molesta. Sed, obsecro, nôstin' D. Blakvodum, Advocatum, Medici filium? Alter jam ferè mensis est, ex quo ille à nobis discedens, crassum fasciculum à me accepit, cui multæ inerant literæ ad te, & amicos alios. Inerant & piæ matris Epistolæ ad te: inerant & novem aut decem exemplaria ejus Epistolæ. Illa omnia te non accepisse demiror, & stupeo. Quæso te, scribe quid sit factum; nam ego summoperè confido benevolentiæ Blackvodi. Scribis, Dominum Cancellarium velle me revocare; & hortaris, ut mihi constem, simque in potestate Regis & Reginæ. Agnosco, fili, tuam στοργὴν φυσικήν· sed vide ne reversum pœniteat. Scis irritatos adversus me omnes Jesuitas, & eorum fautores, ut multi judicent, ab illis mihi esse metuendum. Scis honesto loco me hic esse. Lutetiæ quo loco sim futurus, nescis. Tum autem stipendia hìc honestissima, ne dicam amplissima, possum consequi. Lutetiæ quis status rerum me maneat, quæ fortuna, neque ullâ possum conjecturâ assequi. Hæc tibi familiariter scribo, fili, ut prudenter apud eos te geras, penes quos est mei revocandi potestas. Equidem in potestate Regis & Reginæ sum futurus, si ea fuerit Majestatis ipsorum voluntas. Sed cogita tot filias, tot naufragia rei familiaris, & senectutem meam. Ante omnia Deum ora, ut præsit huic negotio. Inquire, quæ sit Procerum voluntas, & statim significa. Narro tibi, misi tandem ad illustrissimum virum, Dominum Cardinalem Perronium, responsionem Regis ad ipsius Epistolam. Ego Regiæ Majestati fui Secretarius. Observa, quæso te, an scriptionis modus summi illius Præsulis animum à me alienarit. Certè id cavi, ne ipsum offenderem, & Rex ipse cum ipsius honore totum hoc negotium curavit transigi. Ego nullum in Gallias, aut usquam terrarum misi exemplar, nisi ad ipsum Dominum Cardinalem: sed Rex sua interesse putavit, ut unum ad suum Legatum mitteret. Aliud nullum est in Gallia, neque futurum est, nisi Rex jusserit. Si essem ausus, tibi unum exemplar misissem, & alterum viro illustrissimo, Domino Thuano. Nuper scripsi ad te iratus contra Peleterium, vappam hominem, qui si mihi bilem moverit, faxo pœniteat impudentiæ suæ. Illæ sunt litteræ, quas Blackvodo dedi. Fac quàm primùm sciam, quid illis literis & libris sit factum. Scripsi hæc languente manu è morbo: sed cùm ad te scribo, finem facere non possum. Scribo autem meam & matris tuæ vicem, quæ sine lacrymis de te nec loqui potest, nec cogitare. Tanta est vis φυσικῆς στοργῆς. Illa scribet otium nacta, σὺν Θεῷ· qui te, fili, servet, ac spiritu suo regat, & dirigat in viam operum sibi gratorum. Vale. Raptim, *die* XXVIII. *Decemb. stylo Gall.* CIↃ IↃ CXI.

Epistola DCCLXII.

JOANNI LYDIO.

HEri tuas accepi, Vir doctissime. 1611.
Gaudeo, meas priores tibi fuisse redditas; tum autem eas tibi accidisse non ingratas, id quoque gaudeo. Veneror studia Literarum, præsertim Sacrarum, ut si quis alius: quare præstantes earum cognitione viros non ignotos mihi reverenter colere soleo. Scires seriò me hæc dicere, si ulla existeret occasio, per quam animum meum possem tibi probare. Sed quod scribis de serenissimo Rege Magnæ Britanniæ, non ita se res habet, ut putas: πολλά-

γε

1611. γε καὶ δεῖ. Neque enim hic admittuntur ad Eccleſiaſticas dignitates alii, niſi Angli αὐτόχθονες· & eſt in Anglia Theologorum ingens copia; eo enim ferè omnes ſua ſtudia referunt. Belgica autem Eccleſia, quæ Londini eſt, non magis ad curam Regis pertinet, quàm Lugdunenſis in Batavia, aut Hagenſis. Si in hoc Regnum aliquando veneris, quod equidem vehementer opto, ſcies quantum inter peregrinas Eccleſias Gallicam & Belgicam interſit & Anglicanam. Hanc, ut ſuam, Rex εὐσεβέστατος agnoſcit, & curat, ſi opus eſt: illas ad ſe pertinere non putat, niſi ut Majeſtatis ſuæ præſidio illas protegat. Quare non eſt, quod putes, Regem ea in parte poſſe aliquid adjuvare. Videris an aliud ſit, in quo operâ meâ uti velis: ego ad omnia ſum paratiſſimus, quæ juſſeris, εἰ δυναίμην γε εἰ καὶ πεπλεσμένον ἐστί. Vale, Vir doctiſſime. *Londini, a d. v. Eid. Decemb.* CIↃ IↃ CXI.

Epistola DCCLXIII.

✠ SAMUELI COLLINO.

1611. INſpexi, ut petiiſti, Vir eruditiſſime, loca à te indicata in Paralello Andreæ Eudæmono-Joannis, quæ ad noſtram Galliam pertinent. Quæris, quid invenerim? Planè τὸ κατὰ λόγον· imo, quod erat neceſſe, hominem, videlicet peregrinum in regione ignota errantem, τῆς ὁδοῦ τὸ παράπαν ἁμαρτάνοντα ferri per avia. Neque verò mirum foret aut νεμέσητον, Galliæ res à Græco ignorari; niſi peſſimo exemplo & audaciâ intolerabili de iis ſcribere eſſet aggreſſus, quæ penitùs erant incognita, pro veris multa auſus tradere, quæ omnes in Gallia pueri ſciunt eſſe falſiſſima; multa rurſus rejicere, ut falſa, quorum veritas ſole meridiano fulget clarius. Dicet, opinor, Andreas, non defuiſſe duces ſibi Gallos, quos ſit ſecutus. Credo facilè duces ipſum habuiſſe, & quidem Gallos; ſed quod res arguit, cæcos, id eſt, odio partium excæcatos. Ut mirari non debeat, eveniſſe ſibi, quod Chriſtus ait in Evangelio, *Cæcus ſi cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadent.* Hoc paucis demonſtremus; nam ſingula perſequi nunc non vacat. Tanquarellum palinodiam ceciniſſe, quod reverendiſſimus Epiſcopus Elienſis ſcripſerat, negat Andreas. Nos contrà affirmamus, qui hoc negare ſuſtineat, vel rerum Galliæ eſſe imperitiſſimum, vel impudentiſſimum. Eſt enim hoc in Gallia notiſſimum, publicis monumentis conſignatum, & à Scriptoribus fide digniſſimis memoriæ proditum. Lege, ſodes, 1611
magni Thuani Hiſtoriam, quæ mihi jam non eſt ad manum. Thuanum nomino, quia inſtar omnium hic unus eſſe queat. Fuit ejus judicii Auctor præcipuus Chriſtophorus Thuanus, Jacobi Auguſti pater, tum Curiæ Pariſienſis Præſes; vir ſummus atque integerrimus; qui licet à Proteſtantibus ſemper vixerit alieniſſimus, doctrinam tamen de temporali Romani Pontificis in omnes poteſtate, quæ tantoperè hodie urgetur, vehementiſſimè, quamdiu vixit, eſt deteſtatus; & conſtantiſſimè eandem, quoties oblata eſt occaſio, oppugnavit. Igitur inter præclara hujus patriæ ſuæ amantiſſimi Catonis πολιτεύματα, hoc etiam fuit, quod ipſo Præſide, Ordo ampliſſimus Tanquarellum ad palinodiam adegit. Juſſit quippe eum Senatus damnare voce ſuâ, quæ paulò antè in Theſibus ſcripſerat, & contrarium ejus, quod poſuerat, verum eſſe, coram Delegatis à ſe, multiſque aliis audientibus profiteri. Hoc ſi palinodiam canere non eſt, velim doceat me Andreas, quid ſui Græci παλινῳδεῖν appellent. Crimini Tanquarello verſum eſt, quòd contra Libertates Eccleſiæ Gallicanæ, jura Regum Chriſtianiſſimorum, & πατροπαράδοτον Sorbonæ doctrinam poteſtatem Romani Pontificis tribuiſſet. *Principes præceptis ſuis non obtemperantes, Regno & dignitatibus privandi.* Mirum hoc, credo, videtur Andreæ, omnipotentiæ Pontificiæ vindici acerrimo. Diſcat igitur, ſi neſcit, Curiæ Pariſienſis ampliſſimos Patres à Romanæ Inquiſitionis Patribus, in hac graviſſima quæſtione diſſentire, & ſententiam planè contrariam tueri. Quis mediocriter rerum peritus ita Hiſtoriæ Gallicæ veteris & recentis eſt rudis, ut illud ignoret? Non commemorabo hoc loco innumera Curiæ illius graviſſima decreta, ex quibus de Senatûs ſententia poteſt conſtare. Unicum afferam exemplum, idque recentiſſimum, ex quo intelliges, Patres illos ſui ſemper ſimiles, quod adverſus Tanquerellum decreverunt, æternam eſſe legem in ſimili cauſa, ἀπαραλλάκτως uſurpandam. Obiit non ita pridem Lutetiæ vir quidam admodum eruditus, inter Regios Profeſſores non poſtremi nominis; qui ante annos quatuor Juris Canonici Doctoratum ambiens, Theſes quaſdam in ea diſciplina ſcripſit, & pro recepto in Scholis more, typis exprimendas curavit, atque amicis dividendas dedit; inter alios & mihi. Eas Theſes quum Doctores nonnulli è Schola Sorbonæ legiſſent, & pernicioſæ doctrinæ de temporali Pa-

 pæ

1611. pæ potestate aliquid in eis deprehendissent, Senatum ejus rei certiorem fecerunt. Erat ille vir bonis omnibus charus propter eruditionem, & eum, quem in Parisiensi Academia obtinebat, locum; nihilò tamen minus dies illi dicta, & decreto Ordinis amplissimi, Theses, quas paraverat, ut suæ in ea disciplina peritiæ specimen publicè daret, damnatæ sunt atque abolitæ. Neque profuit illi quicquam, quod illustrissimo cuidam Cardinali tyrocinium illud suum inscripserat, & accuratè scriptâ Epistolâ nuncupaverat. Enimverò si quis scire aveat, quid Senatus Parisiensis, quid Theologi aliique viri moderati Lutetiæ super doctrina illa sentiant; legat Orationes paucos ante menses in Curia habitas, cùm à Rectore magnifico Academiæ, Petro Hardivillierio; tum ab ejusdem Academiæ in caussa adversus Jesuitas patrono Martilierio, viro eruditissimo & facundissimo. Exitus celeberrimi illius judicii, & controversiæ inter Academiam & Patres Societatis Jesu fuit hic. Cautum est Senatusconsulto, ne fas esset Jesuitis, aut privatim, aut publicè, prius docere, quàm præcipuis doctrinæ illius exhibitis capitibus quatuor renunciassent. Paulò pòst, quum Richerius, Doctor & Syndicus Sorbonæ, de Ecclesiastica & Politica Potestate librum, à se scriptum, publicasset, quo videbatur Romanus Pontifex in ordinem cogi; effecit quidam Nuntius Papæ precibus suis & instantiæ vehementiâ, ut Censuræ liber editus subjiceretur: sed ut privilegiis Ecclesiæ Gallicanæ, quorum vel nomen ipsum Romanis bilem ciet, ulla in re derogaretur, id verò efficere Nuntius non potuit. Exstat Censura illa, à Cardinali Perronio & paucis Episcopis edita; ubi hanc clausulam reperies: *Sic libellum illum à se damnari, ut tamen velint Regum Christianissimorum jura & Ecclesiæ Gallicanæ manere sarta tecta.* Quâ paucorum verborum exceptione somnium illud de temporali Pontificis in omnes potestate respuitur penitùs, atque exploditur. Eat igitur Andreas, & imperitis rerum Galliæ persuadeat, vel Sorbonam, vel Curiam Parisiensem de quæstione illa idem cum Romani Pontificis adulatoribus, Principum suorum perduellibus, sentire. Porro qui sensus est & judicium Parisiensis Senatûs, idem est omnium Senatorum, qui in cæteris Regni Curiis (*Parlamenta* dicimus) sedent ad clavum. Falsum verò est, quod scribit Andreas, Senatum Parisiensem ex hominibus esse compositum, Civilis quidem Juris peritis, sed Canonici nescientibus. Ignorat videlicet hic Cretensis, è duobus generibus Senatorum constare amplissimum Ordinem; alteri sunt & dicuntur Consiliarii Laici; alteri audiunt Consiliarii Clerici; è quorum numero sunt quidam Abbates, alii Decani, plurimi Canonici, aut aliis dignitatibus Ecclesiasticis ornati. Quin ex ordine Episcoporum non pauci, jus veniendi in Curiam, & inter Senatores primarios sedendi, Regni legibus habent. Non minus ridiculum est, quod de Jacobo Florentino & Thoma Blancio subjicit Andreas; qui vir bonus omnia Papæ tributa quum cupiat, Regibus & Principibus omnia adempta, τὸν σεβασμιώτατον Episcopum ferre non potest, verè & ex fide ea describentem, quæ docti piique Galli ex Actis publicis verè item & ex fide transcripta in libros suos retulerunt. Id genus Historiæ, quia Andream & Andreæ consecraneos urunt, falsæ omnes sunt Zelotis quidem. Hildebrandicæ enim doctrinæ assertoribus unica veri & falsi, justi atque injusti norma est, unicus lapis Lydius, Papas extollere, Principes deprimere. Ex isto genere hominum est Richeomus, (quem hic laudat Andreas) professione Jesuita, zeli fervore etiam præ ferventissimis Sociis insignis, quod & alia quidem ejus scripta ostendunt; sed eximiè quæ adversus Arnaldum effutiit, celeberrimi nominis Advocatum, cognitione rerum forensium præstantissimum. Ejus farinæ homines sunt, qui in rebus Gallicis Cretensi tuo bucatum præxuerunt; non propter naturæ vitium, sed propter ἐπισπῶσιν τυφλότητα ἐκ φιλολοιδορίας ὁδηγοὶ τυφλοὶ τυφλῶν. Sed processit oratio longius quàm putabam. Finem igitur Epistolæ huic imponam. Respondebo ad cætera tua ζητήματα alio tempore, σὺν τῷ ἐπὶ πᾶσι, qui te servet, Vir eruditissime. Vale. *Londini*, *a. d.* XVII. *Kalend. Jan.* CIϽ IϽ CXII. 1611.

EPISTOLA DCCLXIV.

DANIELI HEINSIO.

AMicus hic meus, hi hasce tibi reddidit, ad vos profecturus rogavit, nunquid vellem. Ego vero garrire tecum per literas nunc quoque, ut semper, cupiebam; sed enecant me occupatissimum negotia à serenissimo Rege imperata. Accidit verò percommodè, ut manum calamo admoturus, quo hæc tibi scriberem, tuas acciperem, tradente mercatore Belgâ, viro honestissimo, qui suam operam in literis mittendis prolixè obtulit. Erat cum ipso Minister 1611.

1611. ster Ecclesiæ Belgicæ, hic coactæ, vir mihi amicissimus. Hæc propterea dico, ut eam viam porro insistas, quam nuper es ingressus, tuas ad me mittendi. Ego ante dies quindecim tradidi eidem Ministro fasciculum tibi inscriptum, ubi erant literæ raptim exaratæ, & libellus Notarum in Aristotelem & Theophrastum è libris MSS. Cupio ex te scire, an illa acceperis. Ac nunc quidem plura non possum: mox nactus plusculum otii, literas ad te exarabo, quæ utramque manum impleant. Amicum hunc meum, virum probum & eruditum, tibi & cæteris, qui me isthic amant, cupio esse commendatum. Deus immortalis te servet. Clarissimum virum, Dominum Baudium, & cæteros amicos saluta. Vale. *Londini, a. d.* XIV. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCLXV.

JACOBO GILLOTTO.

1611. ÆGer eram & κλινήρης, cùm tuas accepi, Vir præstantissime: sed cùm eas legissem, statim exilui ἐκ τῶν στρωμάτων, ut hæc ad te exararem. Pupugit enim me acerrimè, quod scribis de Epistola, privatim ad Frontonem scripta *; quam ipse in aliam partem rapit, quàm fuit à me scripta. Eam Epistolam ad te mitto. Videbis, propositum mihi fuisse, lenire ejus indignationem propter editionem: ille interpretatur, me invitum ad ea scribenda esse compulsum, & de tyrannide optimi Principum queri: ὦ γεννήματα τῶν ἐχιδνῶν! ô gentem viperinam! Eo tempore fuit uxor mea cum liberis & libris Lutetiæ. Constitueram igitur, ne pelles illas irritarem, scriptam Epistolam meâ manu ad Frontonem mittere. Maximo Regi aliter visum est. Jussit edi. Parui jubenti, & de editione me excusavi. Nam ego aliquoties scripseram ad Frontonem, me Epistolam illam missurum manu meâ descriptam. Quid peccavi, nisi hoc unum, quòd fidem habui ei viro, quem putavi non malum, & mihi amicum? Hoc peccatum meum est, & quidem, ut video, gravissimum. Benè est, quòd ab hoc errore sum liberatus. At ille tantum scelus non feret impunè; & quoniam clamat locum è veteri Poëta obiter usurpatum, revocabo illi in memoriam, quæ in illis tribus abominandis Orationibus tribuuntur Loiolæ per summam impietatem & inauditam impudentiam. Spero, me facilè apud bonos assecuturum, ut mihi potius credant de animo meo, quàm sycophantis improbissimis. Ego statim post tuas acceptas exemplum illius Epistolæ privatæ ad Frontonem misi †, & rem illi exposui; neque vereor, ejus Majestatem magis magisque detestaturam fraudem illam hominum. 1611.

Scivi, cùm illas scripsi, non quieturos Jesuitas: sed molitionibus ipsorum oppono bonæ conscientiæ clypeum, & paratum animum respondendi ad omnia, quæ digna responsione aut Rex serenissimus, aut alii amici graves judicaverint. Quare de Epistola illa ad Frontonem expecta brevi plura, σὺν τῷ Θεῷ πολυελέῳ. Vale, Vir amplissime, & me ama, meamque innocentiam adversus calumniatores importunos protege. *Londini, a. d.* VIII. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CXII. raptim.

Peto à te, ut hanc Epistolam communices cum illustrissimo Præside Thuano, ad quem longas literas scripturus sum, σὺν Θεῷ, de rebus meis, ubi melius habuero.

* Ea est, quæ exstat suprà, n. DCCLXVI.

† Scilicet, Regi.

EPISTOLA DCCLXVI.

CONRADO RITTERSHUSIO.

EXspectabam sanè cupidè literas à te, Vir præstantissime, cùm allata est tandem Epistola tua, &, quem dono misisti, Salvianus, verè jam tuus. Utinam, mi Rittershusi, interiora animi mei nôsses! scires quàm soleat mihi esse gratum quicquid à te fuerit profectum. Salvianum verò qui pluris faciat quàm ipse facio, non facilè invenias. Itaque pro ea opera, quæ illi optimo Scriptori à te est impensa, ago tibi pro mea virili grates gratissimas. Benè de literis meritus es, benè de studiis pietatis, benè de nomine Gallico. Deus Opt. Max. cujus gloriam tibi curæ esse, omnia tua scripta ostendunt, magis magisque indies tibi benedicat. Ego quod referam nihil habeo; nisi lubeat illa cognoscere, quæ proximâ æstate scripsi adversus Jesuitas. Epistola est ad Frontonem satis prolixa, cujus argumentum & occasionem ejus scriptionis malo te ex illius lectione cognoscere. Misissem jam eum ad te libellum, nisi defuisset cui darem. Si ulla se offerat occasio, eam non prætermittam. Videbis quod me nunc literarum genus habeat. Fateor equidem, naturam meam quàm longissimè ab omni contentione abhorrere; sed quia semel stadium sum ingressus ἐγὼ γνωσιμαχήσω, ἵν εἰδῶς ὅτι τὸ ἐν καλῶ, καὶ ἐνστῶς μετ᾽ ἐμοῦ. Nam quò progrediatur certorum hominum furor, non nescis. Parum est, quod aniles superstitiones & 1611.

1611. meras fabulas totis animorum viribus propugnant; nisi etiam Reges & Principes Romani Pontificis pedibus turpiter subjicerent calcandos, soliis deturbandos, mactandos. O tempora, ô mores! Hæc scelesta doctrina Henricum Magnum, Regem θαυμασιώτατον, & Mæcenatem meum indulgentissimum, sustulit è vivis. Quare ignoscendum mihi est, si peculiari quodam odio & doctrinam diabolicam, & ejus assertores odi. Omnes boni, quos vulpinæ artes non infatuarunt, mecum sentiunt. Scis quid nuper de secta Jesuitica amplissimus Ordo Lutetiæ pronuntiarit. Mihi crede, παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὕτη. Laus sit Deo Opt. Max. suæ veritatis vindici acerrimo. Scio quos crabrones adversus me excitarim. Sed conscius infirmitatis meæ, in Deo fiduciam certam pono. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Venio ad tuas ζητήσεις. Ac primò de privilegio ad editionem Novellarum, securo esse té animo jubeo. Nam Typographi Angli ejusmodi libros non curant. Sola est, quæ hîc floreat, S. Theologia; soli ferè libri Theologici, & ferè Anglorum, qui hic eduntur. Quum enim magni constet editio, carius hic edita væneunt quàm alibi. Quare igitur alibi vulgata sub incudem revocarent? Adde, quòd Jus civile vestrum, hoc est, Romanorum, quod docetur in Scholis, planè hic, si paucos excipias, ignoratur. Si nihilò secius privilegium desideraveris, spero non fore difficile tibi id impetrare. Ego à te monitus eam curam curabo. Τὰ περὶ προσφωνήσεως οὕτως ἔχει· ὁ τρισμέγιστος καὶ εὐσεβέστατος βασιλεὺς τὰ θεολογικὰ ἄκρως πεπαιδευμένος, οὐδ' ἧστινοσοῦν παιδείας ἐστὶν ἄμοιρος, οὐδ' ἀμύητος· τοῦτο μέν τοι εἰδέναι σε χρή, ὅτι οἱ ἐνταυθοῖ σοφοὶ τὰ μὴ πρὸς τὴν θεολογίαν συντείνοντα παρ' οὐδὲν τίθενται. Sumes inde consilium tibi. Interim hoc tibi candidè & sincerè affirmo, non posse te aliquem ex omnibus mortalibus digniorem tuâ prædicatione, quàm sit Magnæ Britanniæ Rex, quærere: ut omittam cæteras laudes, pietate, doctrinâ, candore & liberalitate parem huic Principi alium vix hodie invenias. Vale, Vir præstantissime, & me ama. *Londini*, *pridie Kalend. Januar.* CIϽ IϽ CXII.

Epistola DCCLXVII.

Reverendissimo Patri, ✠ EPISCOPO ELIENSI.

Reverendissime Præsul,

1611. NOn displicuisse Regiæ Majestati appendiculam ad Epistolam Cardinalis, vehementer gaudeo. Oro Deum 1611.
immortalem, ut velit faxitque ejus opellæ, quæ mea non est, sed Regis εὐσεβεστάτου, aliquem fructum existere. Sed de illius editione in hac urbe differenda, cur priorem sententiam Dominus Rex mutaverit, caussam non video. Ego postquam editionem vidi, quam per te Regia Majestas ad me misit, modis omnibus accelerandam hic editionem judicavi. Quod quidem proximâ hebdomade fiet, nisi Rex impedierit. Non debent, quæ alibi parantur, editiones hanc impedire: quæ sine dubio futura est omnium optima. Tum erit locus inserendi, quæ placet Domino Regi adjici. Si antè non constiterit mihi de voluntate serenissimi Regis, die certè Dominico id me precibus ab ejusdem Majestate impetraturum spero. Quod si Hockinsonii tui operâ nobis fuerit opus, confido id quoque à tua Reverentia nos fore impetraturos. Ἔρρωσο καὶ ἐννημερῶν διατέλει, ὦ σεβασμία ἐμοὶ κεφαλή. *Londini*, statim post tuas acceptas, . . . CIϽ IϽ CXI.

Inscriptio.

Reverendissimo in Christo Patri, DOMINO ELIENSI, Serenissimo Regi ab Eleemosynis, Domino & amico plurimùm mihi observando.

Epistola DCCLXVIII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

ILlustrissime Vir, vir nobilis, qui has 1612.
tibi reddet, ante plures dies monuerat me, ut ad te scriberem; quod & aliquantò prius Rex jusserat. Scripsi igitur ad te statim, atque eâdem viâ benè longam Epistolam aliam exaravi, σκέψιν περὶ οὗ μέλλοντες μὴ βίου περιέχωσι. His binis literis adjeci Epistolam ad eruditissimum Rigaltium, cui etiam suas omnes chartas remisi. Eum fasciculum, quia cessabat hic nobilis, tradidi ante dies ipsos decem D. Legato, quem confido aut jam misisse, aut brevi missurum. Quare omnino illam difficillimam σκέψιν nunc non attingam; te duntaxat orabo per Deum immortalem & quicquid tibi charum, scribas clarè & liquidò τὴν ἀρέσκουσαν, postquam omnia expenderis, quæ in eam deliberationem cadunt. Ego magnâ aviditate tuas exspecto περὶ ἐκείνου τοῦ ζητήματος. Deus adsit consiliis! Quod superest, habes alterum Tomum Historiæ Cottonianæ. Sperat serenissimus Rex, multa hic te inven-

1612. inventurum, quæ ad magnum Opus tuum faciant. Jussit ergo me verbis suis rogare, ut huic scriptioni fidem habere ne verearis; omnia sibi lecta, expensa & dijudicata esse. Dabis igitur hoc æquissimæ Regis petitioni, ut ex hoc Commentario ea seligas, per quæ tuæ Historiæ meliores possunt fieri & auctiores. Hoc quia scio te sponte tuâ facturum, faciam verborum compendium. Deum supplex veneror, ut te, illustrissime Thuane, servet sospitetque. Scripsi raptim. *Londini, ipsis Kalendis novi anni Anglicani*, CIƆ IƆ CXII.

EPISTOLA DCCLXIX.

HUGONI GROTIO.

1612. VIr amplissime, beasti me literis iis, quas superioribus diebus à te accepi. Nam quòd pacis & concordiæ studia tibi esse curæ ostendis, ne dici quidem potest, quantam ea res mihi voluptatem afferat. Vides in patria tua, quàm facilè sit hodie, rixas concitare inter fratres; quàm sit difficilè, excitatas sedare. Puta ubique Bataviam esse; tanta omnibus in locis φιλεριδῶν copia, qui pacem in Ecclesia fovere inter ἀδιάφορα habent, aut ne id quidem. Parum est, quòd amor concordiæ illorum animis οὐκ ἐνιζάνει· novi multos, quibus nullum hominum genus ita suspectum & exosum est, ut τὸ τῶν εἰρηνοποιῶν. Quò magis demiratus sum Regis Jacobi pietatem, qui veritatis studium ita amplectitur, ut à studio non recedat unitatis. Poteram multa de hoc argumento scribere; sed quia cogito ad tuam Epistolam χρυσᾶ χρυσοτέραν seriò respondere, ubi primò iis de rebus cum serenissimi Regis Majestate egero, scribendi finem nunc faciam; Deum supplex orans, ut tibi hunc servet animum, & omni benedictionum genere te cumulet. Vale, Vir magne, & me ama, ac meas exspecta, σὺν τῷ Θεῷ, brevi. *Londini, a.d.* XV. *Kalend. Februar.* CIƆ IƆ CXII.

Amplissimum Dominum Vander Mylium (nisi grave est) à me salutes velim. Si τὸν πάνυ Heinsium videris, quæso, meis verbis illum amantissimè saluta. Misi nuper ad illum Notas quasdam è manuscriptis in Theophrastum, quas an acceperit nescio. Non vacavit nunc ad illum literas dare.

EPISTOLA DCCLXX.

✠ CONRADO VORSTIO.

1612. UTramque Epistolam accepi, Vir doctissime, quam ad me scripsisti. Quòd autem priori nondum responderim, per occupationes primò factum est meas; deinde alia caussa accessit, quam animo candido paucis tibi jam exponam. Quum enim jussus fuissem à serenissimo Rege, literis illis tuis sic respondere, ut ad pacem Ecclesiæ fovendam, & κακοφωνίας omnes, quæque ex illis nascuntur, contentiones vitandas seriò te hortarer; postquam ultima Apologia tua prodiit, in qua priores tuas sententias constanter tueris, & Rex serenissimus animum mutavit, & ego propositum scribendi. Vidi enim manere te ἐν πίστει, quæque de natura Dei prius docuisti, velle ad extremum defendere. Id verò quamdiu facies, neque sapientissimo Magnæ Britanniæ Regi, neque Ecclesiæ Anglicanæ acceptus erit, quicumque tecum communicaverit. Equidem, mi Vorsti, qui studia Theologiæ non profitear, sumere hoc mihi non debeo, ut de opinionibus tuis, tanquam Censor aliquis, & novus Aristarchus, quid rectum sit, quid non rectum, pronuntiem. Sed neque peregrinus adeò sum in illis Literis, ut verear affirmare, deprehendisse me in illis tuis Dissertationibus non pauca nova, ἀλλόκοτα, & cum fide veteris Ecclesiæ palam pugnantia. Quare erat omnino optandum, sicut mihi quidem videtur, non prius ut illa à te publicarentur, quàm fratres consuluisses tuos, & judicia ipsorum explorasses. Liberasses operâ eâdem te magnis molestiis; Ecclesiam Dei magno scandalo. Jam illa, quam passim celebras, prophetandi libertas, bonis & piis hujus Ecclesiæ viris mirum in modum suspecta res est & odiosa. Nemo enim dubitat, de pietate Christiana actum esse inter vos, si quod videris agere, Illustrissimis Ordinibus fuerit semel persuasum, ut liberum unicuique esse velint, viâ regiâ relictâ semitam ex animi libidine sibi aliisque aperire. Atqui veritas, ut scis, in omnibus rebus, scientiis & disciplinis, unica est; & τὸ φρονεῖν ταὐτὸ, inter Ecclesiæ veræ notas, fateantur omnes, est non postrema. Ut nullum esse dubium possit, quin tot πολυσχιδεῖς semitæ, totidem sint errorum diverticula. Quod olim de politicis rebus prudentissimi Philosophorum dixerunt, id mihi videtur multò etiam magis in Ecclesiasticis locum habere, τὴν ἄγαν ἐλευθερίαν εἰς δουλείαν ἐξ ἀνάγκης τελευτᾶν, & πᾶσαν τυραννίδα ἀναρχίας esse κρείττην atque optabiliorem. Cogita, obsecro te, & diligenter expende, qualis intra paucos annos hac licentiâ admissâ Ecclesiarum vestrarum futura sit facies; quot sectæ, quot hæreses ex illo fonte sint exoritu-

ræ.

1612. ræ. Hujus libertatis studio si Romani Pontificis tyrannidem bonis detestandam Illustrissimi Ordines excusserunt, vereor valde, ne posterior error sit priore deterior, & veræ Religioni multò perniciosior. Tanti mali contagio ne ad ditiones suas vestris vicinas, ut fit, paulatim serpat, modis omnibus cavere serenissimus Rex animo fixum habet. Utinam, Vir eruditissime, eadem tibi quoque mens esset! Utinam seriò ad animum revocare velles, omnibus Ecclesiis Reformatis quantum sit nociturum hoc scandalum! quantum ex ea caussa detrimenti Bataviæ vestræ sint accepturæ! Ego, qui inter Pontificios diu sum in patria mea versatus, hoc tibi possum affirmare, nullâ re magis stabiliri τὴν τυραννίδα τοῦ χρς, quàm dissentionibus nostris & dissidiis. Deum veneror supplex toto pectoris affectu, ut malis Ecclesiæ suæ mederi velit, & te consiliaque tua omnia ad gloriam suam & Ecclesiæ utilitatem, ut semper, dirigat. Vale. *Londini, a. d.* VIII. *Kalend. Februar.* ἀπὸ τῆς ἐνσαρκώσεως τοῦ Λόγου, CIↃ IↃ XII.

EPISTOLA DCCLXXI.

DANIELI HEINSIO.

1612. VIr clarissime, alter præteriit jam mensis, ex quo misi ad te Notas è MSS. in Aristotelis nonnulla, & Theophrasti pleraque omnia. Has an acceperis, scire percupio. Nam ut est hodie fides hominum, suspicione res non caret, quando à tempore tam longo nihil ad me scripsisti. Si Theophrastus meus, quem aliquando legi diligentissimè, esset ad manum, poteram notas aliquot tecum communicare, fortassè non pœnitendas. Hæret is liber cum maxima parte meæ Bibliothecæ Parisiis. Tu quid agas, maximèque uti valeas, cupio scire. Deus Opt. Max. nostris precibus exoratus, te literis servet, & studiis tuis benedicat. Vale. *Londini, a. d.* VI. *Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCLXXII.

HUGONI GROTIO.

1612. LIteris tuis suavissimis sine mora respondissem, si fuisset Rex serenissimus in urbe. Nam qui scirem, ejus Majestatem non sine voluptate Epistolam tuam fore lecturam, priusquam tibi respondeo, volui tuas ipsi ostendere: neque verò spe meâ falsus sum. Sapientissimus enim Rex, & pacis atque concordiæ studiosissimus, sic quæ scripseras, legit, ut tuam pietatem pari prudentiâ junctam satis laudare non possit. Optaret ejus Majestas, eodem essent tecum animo omnes, qui hodie in Regnis aut Rebuspublicis Christianis ad gubernacula sedent; neque dubitat, magno Ecclesiæ Dei bono id futurum. Probat etiam mirum in modum, quod suggeris, consilium de procuranda omnibus modis inter nostros saltem concordia. Quod si ratione aliquâ, Deo propitio, posset effici, pro certo Rex habet, multos viros bonos, qui hodie ἀμηχανοῦντες, quò se vertant in tantis nostrorum discordiis, Romani Pontificis tyrannidem gementes ferunt, libertati conscientiarum suarum fore consulturos. Equidem de aliarum regionum Pontificiis nihil volo pronuntiare: de meis Gallis hoc videor posse affirmare; optimum quemque inter illos diem Domini exspectare, & cùm anilium superstitionum, tùm Romanæ tyrannidis defensores ex animo detestari. Amplius dico, nec dico temerè: si in nostra Gallia ea reformatio esset instituta, quæ formam veteris Ecclesiæ non adeò immutasset, multa hominum millia nostris partibus fuisse accessura, quæ nunc à doctrina Ecclesiarum nostrarum sunt alienissima. Hoc ego quum nostris ministris in Gallia sæpe dicerem, paucos inveni, qui ἀποτομίαν suam æquis ac moderatis consiliis non anteferrent. Hic longè aliter animati sunt & Rex, & è Clero Anglicano doctissimus quisque. Inveni in hoc Regno plures Episcopos, doctrinâ & pietate eximios, qui easdem tecum dies noctesque animo volvunt cogitationes. Neque verò dubium mihi est, si ullum existeret principium, aut occasio ulla emergeret efficiendi id ipsum, de quo prudentissimè est à te scriptum, & serenissimum Regem, & totam Ecclesiam Anglicanam, atque in primis reverendissimos Episcopos omnia experturos, quò pium adeò negotium promoveretur. Voluit Regis Majestas, jussitque me hoc tibi significare. De Concilio tamen cogendo, diutius esse deliberandum existimat; petitque à te, ut serves hanc mentem, & tua consilia nobiscum velis communicare; ut ego ipsius Majestati referam, si quid erit, quod scire ipsam cupias. Vale, Vir magne. *Londini, a. d.* VI. *Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA

Epistola DCCLXXIII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1612. ILlustrissime Vir, accepi nudius quartus, quas ante mensem & dies aliquammultos ad me scripseras. Tantæ moræ quæ fuerit causa nescio; hoc scio, nullum mihi tempus unquam visum esse longius, quàm fuit nuper cùm grassante per hoc Regnum fama de tumultu ingente Lutetiæ excitato, ὃ μὴ γένοιτο οὐδ' ἔςαι, multi ad me ventitabant, quò certi aliquid scirent. Ego verò, qui per plures hebdomadas nihil isthic acceperam, quum nihil haberem, quod responderem, spem rerum lætarum vultu præ me ferens, intus animi cruciabar exspectatione literarum, quæ rei veritatem me docerent. Ago Deo immortali gratias toto pectore, quod falsa tandem esse cognovimus, quæ σπερμολόγοι quidam pro veris affirmabant. Nam ne augustissimæ quidem Reginæ parcebant linguæ viperinæ: fugisse illam orto tumultu ex Arce Lupara, & in Bastiliam se cum paucis recepisse; Regem illi esse ademptum; D. Cancellario mortis periculum imminere; omnia denique facta esse ἄνω κάτω. Deus omen in capita fingentium vertat, & Regem, Reginam atque universum Regnum ab omni malo & periculo protegat! Ego fidem infandis rumoribus habui nunquam; quia tamen ne Dominus quidem Legatus ullas literas toto ferè mense accepit, ne quid dissimulem, animi angebar mirum in modum. Nondum scio, an longam Epistolam acceperis, quam super deliberatione gravissima ad te exaravi, consilium te poscens. Illi Epistolæ erant adjunctæ chartæ Rigaltii nostri cum meis ad ipsum. De privata ad Frontonem Epila * accipio admonitionem tuam, ut ab amico & alta prudentia profectam, & grates ago quantas possum maximas. Agnosco ingenuè stultitiam meam, qui aliorum animos ex meo metiens, candidè & simpliciter scribo τὰ φρενῶν σκίαπτε ἐν μυχῷ. Posthàc admonitione tuâ factus prudentior, cavebo. Sed de illa Epistola libero te metu. Ego ipsam edi adeò non metuo, ut vehementissimè cupiam. Chabanæus † meus casu exemplum servavit. Utinam ita insaniant, ut ad invidiam mihi conflandam eam publicent! Evincam rebus ipsis, eos esse imperitos & malignos. Ego serenissimo Regi Epistolam illam tradidi, & mox munere non pœnitendo sum ab illo affectus. Utinam nascatur occasio aliquid ea super re scribendi! Audio, 1612. fuisse isthîc illam Epistolam editam. Per ego te, Vir illustrissime, Deum immortalem oro, obtestor, digneris unum exemplar inquirere, & ad me mittere. Parata est responsio, quam non invitus, scio, leges. De Epistola rerum Eliensium, quæso, da adhuc veniam. Nullum enim vacuum tempus sum nactus illi opellæ impendendum. Meminero tamen, & quidem, uti spero, brevi. De Pelleterio assentior tibi, & utar consilio tuo; sed quoniam ille scribit, me nescio quæ monstra fingere de Loïolitis, quæ ipsis nunquam in mentem venerunt, neque ulli alii Catholico, multò autem minus Papæ; sciito brevi editurum me aliquid ex meis in Cardinalem Baronium Animadversionibus, quod planè contrarium evincat. Non discedam ab ingenio meo, & summa cum modestia gravem cum Baronio disputationem instituam. Adsit Christus cœptis. Spero ea me scripturum, quæ boni omnes vehementer probabunt. Plura de eo libro, in quo nunc sum, proximis literis, σὺν Θεῷ. Ego quæ responsurus es, & ad propositam σκέψιν de rebus meis, totâ aviditate expecto. Deus Opt. Max. te servet, Vir illustrissime. *Londini, Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CXII.

* *Exstat suprà, Epist.* DCCXXX.

† *Isaacus Chabanæus erat sororis Isaaci Casauboni filius.*

Epistola DCCLXXIV.

DANIELI HEINSIO.

VIr clarissime, plura haberem, quæ 1612. scriberem, nisi tempore deficerer. Amicus hic meus per literas significavit, quàm benignè ante annum esset à te exceptus, cùm meas ad te attulisset. Gaudeo, atque adeò glorior, non esse obscuram tuam erga me benevolentiam. Crede mihi, ex unius tui recordatione plus voluptatis capere me, quàm sim capturus molestiæ è plaustris conviciorum, quæ è Germania exspecto ad reditum mercatorum, qui ad nundinas sunt profecti. Scioppius dicitur adversus me virus omne evomuisse; item alii, ut accepi, plures. Me facti præclari solatur conscientia: qui, si respondeo, docebo canes impuros, scelestos, apostatas, quantum sit discrimen inter eum, qui solum Deum adorat, καὶ τῇ παναγίᾳ Τριάδι λατρεύει, & homines παπομανίτας, παπολάτρας, & multis modis idololatras. Mihi cum istis certamen erit etiam jucundum. Illorum morsus ægrè fero, qui odium veteris Ecclesiæ nomine pietatis velant, & solos sapere se putant. Sed de his plura aliàs. Tandem accepi utramque Epistolam tuam, etsi ordine præpostero;

 bre-

1612. breviorem prius multò, quæ posterius fuerat scripta; alteram ante paucos dies. Utrique respondebo, Θεοῦ διδόντος, brevi. Nunc ad gravissimas occupationes accedebat molesta ἀῤῥωστία. Vale. *Londini, sub Februar. finem, stylo veteri*, CIↃ IↃ CXII. Quæso, ignosce festinationi.

Epistola DCCLXXV.

HUGONI GROTIO.

1612. LIteris tuis, quas paulò antè acceperam, respondi affatim, præstantissime Groti, ante dies paucos *. Significavi tibi, quanta cum animi voluptate serenissimus Rex tuam illam prudentissimè καὶ εὐσεβέστατα scriptam Epistolam legerit. Sciebam, non aliud Regis futurum de iis, quæ scribebas, judicium. Itaque ad ejus Majestatem tuas statim misi: quas, si meas accepisti, fuisse ipsi gratissimas non ignoras. Non repeto nunc cætera, quæ nuper scripsi: tantùm te rogabo, ut quas istis adjeci, cures deferendas. Scripsi jam semel ad Bertium †, & etiam Vorstium, quæ jussus fueram scribere. Faxit Deus, ut pio fine tota illa controversia terminetur. Ad clarissimum Heinsium nunc non potui, & debet ille quaternis mearum responsionem. Miror unde hoc illius silentium: πάρος γε μὲν οὐκ ἐθάμιζεν. Utinam ipse valeat! Deus te servet, Vir magne. Amabò te, τὰς πρὸς τὸν Λύδιον ‡ curato. Vale. *Londini, a. d.* XIV. *Kal. Mart. stylo Anglico*, CIↃ IↃ CXII.

* Vide supra, Epist. DCCLXII.

† Supra, Epist. DCCXLIII.

‡ Ad Joannem Lydium. Colomes.

Epistola DCCLXXVI.

JOANNI LYDIO.

1612. TArditatem hujus responsionis noli mirari, Vir doctissime. Nam & tuæ literæ gradu planè testudineo iter sunt emensæ: & ego, qui ante mensem illas accepi, ex eo tempore fui semper occupatissimus. Gaudeo, priores meas tibi accidisse gratas. Velim persuasissimum habeas, mihi pietatis studiis nihil esse antiquius. Ita factus sum, ita educatus ab optimo parente meo & doctissimo, ut nihil ardentius à Deo quotidianis precibus contendam, quàm ut vincat Veritas, & veniat Christi Regnum. Quod scripsi de vitando Manichæismo, dum fugitur Pelagianismus, propterea scripsi, quia videor mihi observare, quosdam studio evitandi Charybdin, in Scyllam incidere. Humano ingenio hoc est ἔμφυτον, ut quam in partem cœpit inclinare, eò totum propendeat, imo ruat; quod scimus olim accidisse viris magnis, qui aut divinam 1612. aut humanam τοῦ Κυρίου ἡμῶν naturam pio animo & sancto proposito defendebant. Quis nescit, quid ea super re observent Athanasius & Augustinus de Dionysio, Alexandriæ Episcopo, viro sanctissimo. Et Dionysius quidem sine errore erravit, si quid minus commodè est ab illo dictum: ἡ γλῶσσα ἥμαρτεν, ἡ φρὴν ἀναμάρτητος. Alii fuerunt multi, qui delapsi in barathrum semel hæserunt in luto. Multi, quod non ignoras, dum Nestorium persequuntur, Nestorio evaserunt nihilò meliores. Si quæ hodie est controversia Religionis, in qua cauto & suspenso pede sit ambulandum, ea, meo judicio, est, in qua de Prædestinatione agitur. Atque hoc simplici animo à me dici velim credas. Nam qui Theologus non sim, sequi vos Theologos & debeo, & cupio. Si quis mortalium privatas opiniones horret, is ego sum, Dei beneficio. Quæ gesta sunt à serenissimo Rege in caussa Vorstiana, clam te non est. Ego testis sum zeli incomparabilis, quo fervent ἀδιαλείπτως hujus sapientissimi Principis præcordia. Faxit Deus immortalis, ut totum illud negotium fine terminetur sibi grato! Arminium & Bertium sunt qui involvant in eandem criminationem: de quo vestrûm est pronuntiare, non nostrûm, qui à vobis longè absumus. Scripsi ad utrumque, Vorstium, inquam, & Bertium, post acceptas ab illis literas non unas; & jussu Regis, ac meapte etiam sponte ad concordiam eos sum hortatus, καὶ πρὸς τὸ μὴ φρονεῖν ὑπὲρ ὃ δεῖ φρονεῖν. Inprimis displicet mihi illa, quam tuentur, libertas prophetandi, certissima pernicies Religionis, nisi certis finibus acriter coërceatur. De libris Clemangii nihil dum accepi; sive ea est negligentia eorum, quibuscum ea de re egi, sive alia caussa intervenit sontica. Vellem significasses mihi, quos ejus Autoris libros habeas. Ego brevi, σὺν Θεῷ, Oxonium cogito, atque ipse tuum negotium geram, εἰ δυναμαίην, καὶ εἰ τετελεσμένον ἐστί. Deus immortalis te servet per Jesum Christum, τὸν μονώτατον Σωτῆρα τοῦ κόσμου. *Londini, a. d.* XIV. *Kalend. Mart. stylo Anglico*, CIↃ IↃ CXII.

Epistola DCCLXXVII.

ANDREÆ SCHOTTO.

PRæstantissime Vir, accepi nunc pri- 1612. mùm literas tuas, quibus liber erat adjunctus Caroli Scribanii, viri clarissimi; ac licet multis gravibus negotiis eram occupatus, nolui tamen differre respon-

1612. responsionem, ἐδακοριαῖον τίνα χρόνον. Gaudeo, te valere; neque dubito, bonam tuam valetudinem cum publica utilitate esse conjunctam. Quò impensius Deum veneror, ut quàm diutissimè ἀπόρατον te servet, tuaque præclara incepta ut fortunet. Video incidisse in manus tuas Epistolam ad Frontonem, & genus hoc totum scriptionis tibi displicere: nec miror; nam & ipse ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ ad tractationem ejusmodi argumenti animum appuli. Quis coëgit? inquies. Dicam tibi, mi Schotte, quod res est. Illa atra & nefasta dies, quæ Henricum Magnum terris eripuit, eadem totam meorum studiorum rationem conturbavit. Tantus enim me sceleris immanis horror invasit, tantum vitæ hujusce tædium, ut ex illo tempore, prioribus curis relictis, id ferè unicum agam, ut vel cædi factæ illachrymem, vel faciendæ causam inquiram. Nemo autem dubitat peritus rerum, parricidium illud ejus doctrinæ fructum esse, quæ statuit, Reges ac Principes, si Romano Pontifici cœperint displicere, deponi, tolli, occidi posse impunè. Scio abhorrere tuam pietatem ab illa immanitate. Sed illud non potes nescire, multos hodie libros conscribi asserendæ illi impiæ doctrinæ. Ne alios commemorem, meministi, opinor, eorum, quæ scribit Thomas Bozius, lib. XVII. in signo LXXVI. ubi causas colligit, propter quas jus esse contendit Romano Pontifici, Imperatores, Reges & Principes, soliis avitis deturbandi, & Regna transferendi. Quæ doctrina quamdiu docebitur, & ut Papæ grata defendetur, certum est, nunquam defuturos, qui parricidia aggrediantur. Ego igitur, quum ex quo in Angliam veni, plurimos ejus argumenti libros legerim, & magnâ attentione considerarim, ita cœpi horrere & doctrinam Stygiam, & ejus assertores, ut perfidæ ignaviæ reum me futurum crederem, nisi gliscenti malo pro mea virili me opponerem. Adde, quòd ejus Epistolæ scribendæ occasio nota est, quam ipse nec quæsivi, nec oblatam potui declinare. Cupio sine offensione bonorum è vestris posse me ὁμόσε χωρεῖν τοῖς μιαρωτάτης διδαχῆς διδασκάλοις. Mihi cum vestra Societate nulla intercedit simultas privata. Colo doctos è vestro Ordine, & me illis probatum cupio. Sed parricidialis doctrinæ assertores zelotas nihil moror. Spero etiam illud me, σὺν Θεῷ, effecturum, ut quam sit natura mea à contendendi studio aliena, illa etiam scripta declarant, quæ adversus ejusmodi Zelotas, si fuerit opus, publicabo. Prævidi, cùm Epistola ad Frontonem est edita, non defuturos à vestro Ordine, qui totis 1612. viribus me invaderent; quod tu quoque futurum denuntias, & ut arma expediam, me admones. Accidet id quidem mihi τὴν ἄνωθεν βοήθειαν. Sanè æquiores futuri sunt erga me vestri, si cogitaverint, Lutetiæ viros gravissimos, & de Religione per omnia vobiscum sentientes, odisse eam doctrinam, non minus quàm ipse faciam. Nobis Gallis, qui duos Reges optimos amisimus à Zelotis per summum scelus extinctos, fas est, imò necesse nobis est, tam horribilem doctrinam detestari atque execrari, etiam gravius quàm ab aliis fiat, qui similia in suis Principibus parricidia non sunt experti. Sed mitto hunc sermonem: in libro, quem misisti, invenio hæc verba, *dono Auctoris*, cum mei nominis perhonorifica mentione. Miratus sum, quum illa legerem, novam humanitatis exemplum; si quidem ab ipso Bonarscio illa verba sunt profecta & munus. Itaque vix temperavi mihi, quin ad eum scriberem, & gratias agerem: in certamine enim humanitatis nolim posteriores ferre. Quæso te, significa mihi utrius missu, tuone an ipsius, munus illud ad me sit allatum: tum illud etiam, nisi grave est, adde, sitne meas in bonam partem interpretaturus. Quod si per illum licet, exponam animo candido, si quid in novo libro minus probavero. Non hodie aut heri de salute mea cœpi esse solicitus; & fidem Ecclesiæ primitivæ si quis admiratur, is ego sum. Assumenta posteriorum sæculorum tantâ contentione hodie defendi, neque aliquid publicæ concordiæ dari; id verò ego demiror, & vehementissimè doleo. Legam accuratè eruditissimi Bonarscii librum; caussas, cur assentiri illi in omnibus nequeam, paratus exponere, si auctor faciendi fueris. Quod scribis invitum te in meis legisse, velle me hîc hærere; fallor, aut illud nunquam scripsi: nam ego totus ab augustissimæ Reginæ voluntate pendeo; quicquid ipsa jusserit, facturus. Cæterùm divinæ providentiæ me totum permitto. Priora certè studia mea Galliam desiderant. Vale. *Londini, a. d.* X. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXII. raptim. Ignosce festinationi.

Tuus ex animo

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA DCCLXXVIII.

THEODORO CANTERO.

PEr mihi molestum est, venerande 1612. Cantere, quod ex tuis modò accep-

 ptis

1612. ptis didici, necdum iis ærumnis esse te liberatum, quibus voluit ὁ ἐπουράνιος πατὴρ pietatem tuam exercere, & patientiam in affecta jam ætate probare. Nondum videlicet præfixus à Deo terminus liberationi tuæ advenit; quem tamen confido, mox esse venturum, & lucem tuis rebus οὐρανόθεν affulsuram. Utinam ita sit! atque adeò ut ita sit, veneror supplex τὸν ἐπὶ πᾶσι. Tu interim, venerande Senex, θυμὸν ἔχε ἀγαθόν· neque te mœrori dede, ἐπιστάδην κακά. Est quidem, fateor, δυσβάστακτον φορτίον, quod magnus ille rerum omnium Arbiter humeris tuis imposuit: sed novit tuas vires, qui periculum tui facit. Quod superest, Legatos, de quibus ad me scribis, ego non novi. Anglicum, qui est apud Batavos, vidi olim Lutetiæ, neque ex eo tempore ullum mihi cum illo intercessit literarum commercium. Vestratem, qui Londini habitat, nunquam vidi. Conabor tamen vel per me, vel per amicos tuam causam utrique commendare. Utinam aliquid te possem adjuvare sive re, sive consilio! experieris tui amantem, & cupidum tuis commodis inserviendi. Vale. Scripsi raptim, statim post tuas acceptas. *Londini*, *a.d.* x. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCLXXIX.

HUGONI GROTIO.

1612. VIr amplissime, quòd rariores ad te do literas, caussam scito esse meas occupationes, quæ vix aliquas mihi succisivas relinquunt horas. Operis, quod sum aggressus, magnitudinem & difficultatem nunc demum intelligo, quando γνωσιμαχεῖν fas non est. Neque verò in confutandis næniis Baronianis magnus mihi est labor: pueriles sæpe sunt; ipse indoctus, ἄμουσος, ἀθεολόγητος· sed labor est in ea parte, quam ipse mihi ἐξ ἐπιμέτρου imposui. Nam quia id egerat Baronius, ut suæ Historiæ primus hic Tomus probationes contineret omnium eorum, quæ hodie in controversiam vocantur; nos contrà, evertere ejus disputationes non contenti, id agimus, ut fidem Veterum in singulis capitibus proponamus. Videbis, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, disputationem de Cœna Domini, accuratâ diligentiâ elaboratam; de qua tuum, Vir magne, judicium gestit jam animus cognoscere. Hoc interim pro certo habe, nullam me novam hæresin allaturum; veterem doctrinam πάσῃ σπουδῇ καὶ μηχανῇ illustraturum; quæ hodie ab aliis ignoratur & odio habetur, ab aliis scelestè jactatur & ab iisdem evertitur. Post duos, opinor, menses 1612. Pars prima prælis subjicietur, si voluerit ὁ ἐπὶ πᾶσι· urgeor enim à maximo Rege. Vale, Vir amplissime, & me ama. *Londini*, *a. d.* IX. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXII.

Quas hic adjeci, velim cures reddendas, quò nihil mihi gratius feceris.

EPISTOLA DCCLXXX.

EIDEM.

NUper postquam tuas accepi, accidit commodum, ut evocarer à serenissimo Rege in Aulam. 1612. Usus sum eâ occasione, ut Majestati ipsius Epistolam tuam pietatis & prudentiæ plenam ostenderem, deque proposito negotio pluribus cum ipso agerem. Non morabor te longâ oratione; sum enim occupatissimus, & tabellarius urget. Id solùm dicam, & omni asseveratione tibi confirmabo, ita animatum Regem esse, ut nulla in re sit defuturus votis bonorum, si nullam ipsi Deus Opt. Max. occasionem obtulerit promovendæ ipsius gloriæ, & de Ecclesia Christi bene merendi. Hanc de sua pietate persuasionem Rex sapientissimus altè infixam tuo & bonorum omnium animis esse cupit. Quod igitur scribis, non tibi soli, verùm etiam aliis & prudentibus videri, incumbendum esse in eam curam, ut Ecclesiarum Reformatarum Synodus cogatur; respondet Rex, sibi quoque à multis annis idem esse votum, idque sæpissimè se precibus suis à Deo petiisse. Verùm hac de re cogitanti tot difficultates animo subiisse, ut velle hoc tentare, id verò sibi videretur ἀδύνατα [illegible] ἐπιχειρεῖν. Nam quomodo conveniet Synodus, nisi indicta fuerit? aut quis hoc rerum statu jus sibi arrogabit, Concilium indicendi? Sibi quidem nolle se hoc vindicare, qui meminerit universæ Ecclesiæ se membrum esse, non caput: nolle autem committere, ut rerum imperitis aut malevolis ὑπὸ φιλαρχίας aliena curare possit videri. Quod si Illustrissimi Ordines consilium tentandi omnia in eum finem probarint, & suum hunc animum sibi aperuerint; pollicetur serenissimus Rex, fore id sibi longè gratissimum, & tam sanctum propositum omni operâ atque studio esse se adjuturum. Quamobrem tuæ jam partes sunt, Vir præstantissime, ut Illustrissimorum Ordinum animos explores, & de serenissimo Magnæ Britanniæ Rege omnia ipsis prolixè pollicearis, quæ à tanto Principe, vero fidei verè Catholicæ defensore, possunt sperari. Probabit Rex dictis factisque suis; [illegible]

sem-

1612. semper puritate Religionis & concordiâ inter Ecclesiæ Dei membra nihil sibi esse antiquius. Veneror supplex Deum immortalem, ut & Regi, & omnibus, qui paci Ecclesiæ cupiunt esse consultum, recta consilia suggerat. Omnino arduum hoc & insperatum opus est; sed Θεοῦ θέλοντος καὶ τὰ ἄπορα πάντα πόριμα. Illi honos, laus & gloria εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· idemque te, optime Groti, servet, & tuis inceptis benedicat. Vale. *Londini*, *a. d.* IX. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCLXXXI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1612. De meis rebus quas tibi, Præses amplissime, gratias agam, nescio; ago certè quantas possum & animo concipere, & verbis exprimere maximas. Quanquam equidem sic sum à multis annis persuasus, nihil esse tantum, quod meâ caussâ non facilè præstares. Quod igitur in reculas isthic nostras & Reginæ beneficia nondum sit involatum, tibi uni & illustrissimo Cardinali Perronio fero acceptum. Testis mihi conscientia mea apud Deum, eo animo me isthic profectum, ut qui intra mensem alterum essem rediturus. Avebam enim mirificè Ecclesiæ hujus formam cognoscere ἐξ αὐτοψίας, & cum doctissimis viris, qui sacra hic administrant, conferre. Me vero nunquam pœnitebit hujus consilii. Inveni viros maximos doctrinâ, pietate & amore concordiæ: cum his plurimùm vivo, & piis cogitationibus animum multis nominibus languentem reficio. Hic mihi licet, studium priscæ veritatis profiteri: hic mihi licet, eorum amentiam detestari, qui in caussa Religionis id solùm probant, quod à SS. Patrum institutis abhorreat: hic mihi licet, eorum furorem impium abominari, qui tyrannidem in Ecclesia Dei exercent dirissimam. Isti sunt, qui me nuper scriptis suis inseruerunt, & subtili vaframento ψευδομαρτυρίας maculam nomini meo inusserunt; quam ego brevi, Deo volente, sic delebo, ut non verear tibi & bonis omnibus probatum iri libellum, quem eâ occasione sum editurus. Confido nihil in ea scriptione dicturum esse me, quod Reginæ animum possit à me abalienare. Egi cum viro prudentissimo & longè optimo, Domino de la Bauderie, ut omnibus isthic confirmaret, esse me, & semper futurum in Regis & Reginæ potestate. Atque hoc tibi quoque, Præses amplissime, cupio esse quàm persuasissimum. Quando tamen ita placet Reginæ, ut unum hìc alterumve annum maneam, vehementer optarem libros hìc habere meos, quò ne tempus mihi periret, quod, dum libris & adversariis meis careo, prorsus pereat est necesse. Jussi Chabanæum meum super hac deliberatione tuum exquirere consilium, atque eo uti. Erit fortasse consultius, uxoris reditum isthic exspectare, quæ nostra isthic negotia de sententia amicorum, maximè autem tua, Præses illustrissime, semel gestit componere. Deus Opt. Max. te servet. Vale. *Londini*, *a. d.* VI. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXII. 1612.

Puteanos fratres, Fabrum, virum clarissimum, & doctissimum Rigaltium tuum, ut in hac parte salutare mihi liceat, te vehementer oro.

EPISTOLA DCCLXXXII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

Accepi literas tuas nudius quintus, 1612.
Vir amplissime. Dolui, morbo te podagrico fuisse implicitum; ac statim Deum oravi, ut hoc te incommodo liberaret, aut cruciatus saltem levaret. Cætera in Epistola tua voluptatem mihi non mediocrem attulerunt. Gaudeo enim, tibi, viro tanto, probatam esse Epistolam ad Frontonem. Non omnes probant, scio, meam in scribendo moderationem. Sunt enim homines, qui præclarè de Ecclesia Dei meritos se putant, si ea scripserint, quæ nemo τῶν ἐξ ἐναντίας sit lecturus. Nam cùm sint multi inter Pontificios viri optimi & φιλαληθέστατοι, vix tamen aliquem reperias tam patientem, qui maledica aut sarcasmis & conviciis plena scripta legere amet. Memini, divinum virum Thuanum, quum illi sæpe quorundam è nostris scripta commendarem, solitum respondere, *non posse ferre se illos, qui genere scribendi plus destruerent, quàm doctrinâ ædificarent.* Quod si Deus immortalis, cujus gloria scopus est mearum lucubratiuncularum, cœpto operi faverit, videbis brevi Animadversiones meas in Baronii Annales, quibus ad illa omnia respondetur, quæ finxit ille vir Romanæ potentiæ amplificandæ studio. Putavi optimum factu, ut ad certa capita referrentur, quæ in Tomis Annalium merentur reprehensionem. Suscepi jam, σὺν Θεῷ, illud caput, quod est de Papæ in spiritualibus & temporalibus potestate. Duodecim Tomis totidem libros oppono;

1612. neque intactum quicquam relinquo. Pudet dicere, quas fraudes viri gravis deprehendam, & quàm frequentes. Sed mihi propositum est, ita stylum temperare, ut modestiam meam omnes sint laudaturi. Nihil ego fingam in odium Pontificis, quod fit à multis quotidie, nihil detraham judicio veteris Ecclesiæ, quam toto affectu veneror. Neque tamen omittam aliquid, quod jure poterit culpari. Gregorium verò VII. ut Stygium τέρας suis coloribus describam; prorsusque, Deo propitio, testatum faciam, veritate nil mihi esse antiquius: adsit modo conatibus meis propitius ὁ ἐπὶ πᾶσι. Accepi à veteri amico Gueretino, qui Lutetiæ est, repeti librum Arabicum, quo sum usus beneficio tuo. Scis, partem maximam librorum meorum Lutetiæ adhuc hærere, in dolia conjectam. Ego, cùm ab urbe discessi, prorsus habebam persuasum, intra paucos dies fore me rediturum, sive in Angliam redeundum foret, sive non. Ex eo factum, ut alienos libros à meis non sejungerem. Brevi, ut spero, certum erit, quid me sit futurum; ac statim librum illum Gueretino tradam; aut, si res trahatur adhuc, jubebo meos, qui Lutetiæ sunt, solvere dolia, & petitioni vestræ satisfacere: neque enim is ego sum, qui velim, bis à me, quod alienum est, peti. Obsecro te, Vir nobilissime, brevis temporis usuram mihi concede. Non fallam fidem πρίν μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. Vale, & me ama. *Londini, propridie Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXII.

Excidit mihi ad ea respondere, quæ scribis de nupero scripto quodam meo, nondum publicato. Ita est, ut conjicis: respondi illi Epistolæ Cardinalis, qui nunc parat rescriptum in secessu ad urbem: itaque nostra nondum eduntur, quando Cardinalis factam se invito Epistolæ suæ editionem Vulcano tradidit. Si res differtur, curabo exemplum ad te mitti, quo uteris ex animi tui sententia. Mitto tibi exemplar Epistolæ ad Frontonem missæ: prius, si nactus fuissem, qui deferret. Gaudeo, isthic esse editam, sine Epistola, quam ego pro mea non agnosco. Scripsi quædam in eam sententiam; sed non eo fine, ut ederentur: nihil tamen scripsi, quod Rex non viderit. Audio, esse Lutetiæ editam aliam Epistolam meam ad Frontonem, quâ editionem excusabam. Ille, ut accepi, hoc aliorsum trahit, & mira fingit. Utinam prodeat illa Epistola! parata est responsio, quam lubentissimè sis lecturus. Scioppium adversus me scribere, ut illam Epistolam ad Frontonem conferret, significatum est. Si adversus illum Alastorem calamus erit sumendus, 1612. vereor, ne omnis moderationis statim obliviscar: odi enim hominem θεοστυγῆ.

EPISTOLA DCCLXXXIII.

CONRADO RITTERSHUSIO.

NOvissimis literis, quas à te accepi, 1612. respondi non ita dudum, neque dubito meas rectè fuisse curatas. Nunc occurrit nihil scriptione dignum, in hac præsertim μακάρων νήσῳ, ubi alta pax & rerum facies semper eadem. Quæ insignita felicitas utinam sit illis perpetua! Planè experitur hodie Britannia, quantum sit bonum, Regem habere Philosophum: appello Philosophum, studiis sapientiæ imbutum, & imprimis veræ pietatis. At vos jam morte Imperatoris Rudolphi in ipsam videmini ἀκμὴν negotiorum incidisse. Oro Deum immortalem, ea Principibus Electoribus suggerat consilia, quæ cum sui nominis gloria, & Germaniæ vestræ salute sint conjuncta. Quod superest, mitto tibi libellum hìc à me editum, de quo jam fortasse inaudisti. Ego citius fui missurus, si fuisset, cui darem. Audio, Scioppium confutationem ejus libelli suscepisse. Næ ille duram provinciam suscepit: τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ, veritas, inquam, vinci nescia. Ejus defensionem nos aliquantò alacriores, nisi insanimus, aggrediemur, quàm mendacii & impietatis homines perditi: tum autem Scioppium ego jam pro debellato habeo, insanabilibus confossum plagis è certamine cum divino Scaligero. Vides, optime virorum, quæ me nunc studia habeant. Cogitamus tamen ad priores curas postliminio redire, postquam operi hìc inchoato finem imposuerimus; de quo aliàs, σὺν Θεῷ, plura ad te scribam. Vale, & me ama. *Londini, pridie Kalend. Mart. veteri stylo*, CIↃ IↃ CXII.

De Michaële Piccarto *, viro doctissimo, diu est cùm nihil intellexi. Cupio scire, ubi sit, & in quibus studiis. Justum quoque Zinzerlingum video è scriptis probè tibi esse notum. Etiam ille quid agat, quo genere vitæ utatur, quidve de ejus studiis sperare debeamus, cupio cognoscere: faveo enim, ut si quis alius, proferentibus se ingeniis.

* Fuit hic primùm Logices, deinde Poëseos ac Metaphysica Professor Altorph.

EPISTOLA DCCLXXXIV.

DANIELI HEINSIO.

1612. UBeriores illas literas, quas ais scripsisse, mihi scito non fuisse redditas. Doleo periisse tibi tuæ diligentiæ fructum, mihi illam ἄφατον voluptatem, quam soleo è tuis percipere. Mirum est, ei te Epistolam tuam credidisse, cujus fidem planè perspectam non habebas. Credo illius lectione cogniturum fuisse, de quo etiam nunc dubito, Notas ad Theophrastum acceperis necne. De editione Characterum immortales tuæ humanitati gratias ago. Eram in eo, cùm Lutetiâ discessi, ut editionem novam adornarem. Adjeci igitur nonnulla; correxi quædam. Restabat Præfatio, sive Diatriba, judicium continens de Notis Furlani Græci, qui in Opuscula aliquot Theophrasti scripsit prolixè, & non indoctè. Is nostra in libellum χαρακτήρων ἠθικῶν non vidit, &, nisi fallor, homo Græcus hominem Gallum non superavit. Volui igitur quædam illius candido animo expendere: sed priusquam illa scripsissem, liber meus Lugdunum missus est, unde folia aliquot superioribus diebus accepi, specimen editionis, quæ ibi paratur. Viderimus quomodo id negotium fuerit ibi curatum; teque de omnibus faciemus certiorem. Cæterùm, si potes, videris ne illa mihi uberior Epistola tua pereat. De editione τῶν τοῦ φιλοσόφου aliàs. Vale, τοὐμὸν μέλημα. Deus te servet. *Londini, Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCLXXXV.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1612. EGo, Vir illustrissime, cùm apud me reputo, quod sæpe facio, quantum tibi propter vetera officia debeam, quantum propter recentia, & ea, quæ mihi quotidie præstas, infantiam meam statim sentio, qui nullam inire possum rationem declarandi tibi, sicuti optarem, quantis me tibi agnoscam esse devinctum beneficiis. Nam à quo primùm nomen meum tibi innotuit, nullus, credo, dies abiit, qui me tibi aliquo pacto non devinciret. Genevæ eram obscurus in obscuro loco, certè ad nominis commendationem mei parum idoneo. Primo tibi, credo, venit in mentem, traducendum me esse in Galliam, ut existimatio nostra vix dum radices agere incipiens, μεταφυτευθεῖσα & solum nacta felicius & cælum 1612. clementius humo se attollere, & paullatim ἀναδραμεῖν posset. Hoc tuum consilium τῷ μακαρίτῃ, optimèque de me merito viro, Philippo Canajo, quum aperuisses, effecit ille, quâ erat industriâ, ut pedem in Gallia primùm αὐτοβαρεῖς Musæ nostræ ponerent. Et ego quidem agi mecum optimè credebam, quòd in patriæ parte aliqua, & ea quidem non pessima, fortunas meas haberem collocatas. Tibi verò, amplissime Vir, hoc parum est visum, nisi me è luce sublustri protraheres εἰς αὐτὴν τὴν ἀκμὴν τοῦ φωτὸς καὶ τὸν ἐπιφανέστατον τῆς Κελτικῆς μοναρχίας, μᾶλλον δὲ ὅλης τῆς οἰκουμένης, τόπον. Quid multa? non prius cessasti, quàm ope magni viri, Domini de Vic, Monspelio eductum Lutetiam traduxisti, & quod ne dormiens quidem unquam cogitaveram, effecisti, ut maximus Rex suo favore me non judicaret indignum. Veni igitur Lutetiam Regis auspiciis, meque ac meos in tuam clientelam dedi: ex illo non arca tua mihi defuit, non opera, non patrocinium. Magnum hoc est moribus istis; sed istud majus, quod videris absentem majori etiam charitate esse prosecutus quàm præsentem. Omitto alia merita ingentia, quæ post discessum meum in me & meos diebus penè singulis contulisti. At quæ nuper meâ gratiâ fecisti, ut illustrissimo viro, Domino Cancellario, mei refricares memoriam, & meis utilitatibus consuleres, qui possum absque rubore commemorare? Tene, virum hac dignitate & amplitudine, tanto studio mea negotia gerere, & ut mihi benè sit, tantum operæ sumere? Mearum erat partium, ad Dominum Cancellarium scribere, & summissis precibus, ut mei haberetur ratio, eum orare. Neutrum est à me factum, quæ mea est insignita rusticitas, ac ne cogitavi quidem. Tu mihi, tu, Vir præstantissime, vicariam operam præbuisti: tu effecisti in mea caussa, quod vix facturus eras in tua, ut de pensione annua alteri supplicares. Fruemur igitur, Præses amplissime, etiam hoc anno regiâ liberalitate, & ruinas eversæ domus nostræ aliqua saltem ex parte sarciemus. Quin hoc quoque agi video, te utique auctore & impulsore, ut me τὸ ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης Regina cupiat domum revocari, non sine spe honesti otii. Pro tantis beneficiis quas ego tibi, ὦ σεβάσμιον ἐμοὶ κάρα, gratias agam? qui ne habendis quidem, prout tua meretur præcellens humanitas, par esse posse mihi videor. Quoniam verò spem facis uberiorum super ea re literarum tuarum, illas exspectabo,

1612. ſpectabo, neque jam te pluribus morabor. Quantis enim in negotiis ſoleas eſſe occupatus, probè mihi eſt compertum. Accedit, quod hæc traditurus eram Chabanæo meo, profectionem ad vos inſtituenti; qui de meis rebus, ſi quid eſt, quod ſcire cupias, verbis ſuis omnia exponet. Quod ſupereſt, Filium Dei ſupplex veneror, ut conſueto favore te ſemper proſequatur, & cùm tibi, tùm tuis omnibus magis magiſque in dies pergat benedicere. Vale, Præſes illuſtriſſime, & me ama. *Londini, Kalend. Martiis, ſtylo veſtro*, CIƆ IƆ CXII.

Quibus nunc in ſtudiis verſer, oblitus ſum ſignificare. Exigebatur à me quotidie, ut cum terræ filiis in arenam deſcenderem. Ut ab hac me neceſſitate redimerem, opus inſtitui ſatis grande, Animadverſiones in illa omnia, quæ ſcripſit Baronius in XII. Tomis Annalium ſuorum ὑπὲρ τῆς τοῦ πάπου ἀρχῆς. Singulis Tomis libros ſingulos oppono. Scio non eſſe id argumentum in Gallia admodum plauſûs & κρότου ἐγερτικόν· ſed neque defuturi erant, qui idem aggrederentur; neque fortaſſe alius facilè reprehenſiones neceſſarias eâ æquitate ac moderatione temperaret, atque nos facimus. Rem à capite arceſſimus. Papæ tantum tribuimus, quantum priora ſæcula ferè ad Gregorium VII. ei tribuerunt; nihil malignè interpretamur; Antichriſtos non pingimus. Hoc volui neſcius ne eſſes: cætera aliàs pluribus, σὺν τῷ πολυελέῳ Θεῷ. Iterum vale, & feſtinationi ignoſce.

Epistola DCCLXXXVI.

JACOBO BONGARSIO.

1612. SCripſi tibi ſuperiore hebdomade & amiciſſimo Grutero, cujus munus paucis antè diebus acceperam. Eum faſciculum fidei commiſi Florentini διακτόρου, cujus tu quoque eras uſus. Nunc ab eodem monitus ſcribere, ſi quid vellem, hoc ſolùm indicabo, valere me, gratiâ Dei; & penſum urgere ſanè, ut vires ferunt, non negligenter. Utinam det mihi Deus exitum illius incepti videre, & ſimul fluctuationi huic meæ finem imponere! Certè abſque inſtituto opere eſſet, nihil eſt, cur ego ſuaviſſimæ patriæ ullam terrarum omnium anteponam. Sed quando jacta alea eſt, Domino Jeſu exitum viarum noſtrarum permittamus. Ille, ille (non, ut ſtulti Græci dixerunt, ταὐτόματον,) κάλλιον ἡμῶν βουλεύεται. Si quid eſſet, quod mihi ſcrupulum moveret, illa duntaxat natio θεοστυγὴς id poſſet efficere, quæ per ſuos emiſſarios κακῶν κοράκων ὠὰ κακά, undique in me inſurgit. 1612. Subit enim interdum vereri, ne ſi in poteſtatem meorum inimicorum ſemel venero, dirum ſuæ ἀλαστορίας exemplum aliquod in me ſtatuant. Non enim furorem illorum ſanabunt Exercitationes noſtræ Baronianæ, in quibus videbunt fabulas infinitas ſolidè confutatas, ἀβλεψίας illius viri, ineptias, fatuitates, ἀτοπήματα aliquando non ſine ſalibus ἐξελεγχθέντα. Nam quis tam fuerit craſſus, qui ſine riſu legat, imagines eſſe adorandas, quia umbra Petri ſanabat infirmos; aut Papam eſſe Deum in terris, quia Syneſius Andronicum inter Pœnitentes ſedentem eſt miſeratus? nam literarum Hebraicarum imperitiam & Græcarum etiam pueri poſſunt deprehendere. Ingenuè fatebor tibi, dum abſtinere à riſu nequeo, ſic creſcit opus, ut alacritatem ſcribentis vel ejus magnitudo ſit declaratura. Ac quoniam vir eruditiſſimus, Erycius Puteanus, parat mihi Epitaphium tanquam Muſis mortuo, faxo volentibus ſuperis, ut vivere adhuc me, & non deliciari omnes cogantur fateri. Sed pecco in publica commoda. Vale, Vir amiciſſime, & me amare perge. *Londini, a. d.* IV. *Non. April.* CIƆ IƆ CXII.

Epistola DCCLXXXVII.

THOMÆ MORTONO.

VIr clariſſime, etſi occupatiſſimus ſum, abrumpo tamen ſilentium, ut te rogam, accipias εὔφρονι θυμῷ libellum, quem mitto. Non enim patiar, ut meorum quicquam ignores: eam habeo fiduciam de tua erga me benevolentia, quam tot argumentis declarâſti. 1612. Puto te non ſine riſu poſtremas paginas Præfationis lecturum. Ego, ut puto te nôſſe, ſi quis alius, modeſtiam amo; ſed eſt genus hominum perditorum, quos vehementer animus meus execratur. Ex iſto genere eſt meus Pellio, bipedum nequiſſimus, de quo, ſi dignus fuiſſet, longam Iliadem potui contexere. Ille infelix aſellus cùm adverſus Dominum Pleſſæum ſcriberet, me aggreſſus eſt. Volui reſpondere; ſed vetuerunt viri graves, amici mei Pariſienſes; indignum enim eſſe, de quo vel cogitarem. Parui. Accidit verò nuper, ut ſereniſſimus Rex alium Libellum ejus peſtis mihi oſtenderet, ubi iterum in me inſurgit. Putavi ſemel defungendum illâ moleſtiâ, cùm præſertim maximo Principi id placeret. De Epiſtola ad Cardinalem Perronium exſpectabo

1612. ſpectabo judicium. Miſiſſem ad reverendiſſimum Dominum Wintonienſem exemplum, niſi certò affirmatum eſſet, ipſum brevi hîc affuturum. Vale, Vir doctiſſime & amiciſſime. Uxor te ex animo ſalutat. *Londini*, *a. d.* VII. *Id. April.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCLXXXVIII.

D. THOMÆ EDMUNDO.

1612. VIcit tandem propoſitum noſtrum, Vir ampliſſime, importuna hominum curioſitas; per quam neque illi Epiſtolæ, quæ iſti ſcribendi occaſionem præbuit; neque item huic, in Auctorum ſuorum ſcriniis licuit deliteſcere. Nos quidem à conſilio edendi quàm fuerimus initio & ſemper deinceps alieni, tute ſcis optimè, & alii viri graves poſſint teſtari; qui id me quum exigerent, fruſtra fuerunt. Poſteà verò quam vir tantus alienæ cedere voluntati eſt coactus, nos quoque feciſſe idem, nemo mirabitur. Etſi autem non eo fine ſcripta hæc Reſponſio eſt, ut in vulgus ederetur; ſi tamen ii, quorum in manus eſt ventura, æquum placidumque animum, & ab affectibus liberum attulerint; ſperamus cauſſam nullam fore, cur aut nos publicationis, aut ipſos lectionis debeat pœnitere. Cognoſcent boni, & publicæ inter populos Chriſtianos concordiæ cupidi; quales ferè in utriſque partibus eſſe animadvertimus optimum quemque virum, & rerum divinarum intelligentiſſimum; habere ſe ſanctiſſimi ſui voti ſocium, & eum quidem cupidiſſimum, MAGNÆ BRITANNIÆ sereniſſimum ac potentiſſimum Regem JACOBUM; qui licet jure confidat, dictis, ſcriptis, factis denique hoc ſe dudum aſſequutum, ut univerſo orbi Chriſtiano de ſua eximia voluntate poſſit conſtare; tamen ne hanc quidem animi ſui declarandi occaſionem fortè oblatam ſibi putavit eſſe contemnendam. Quis erit ab omni pietatis ſenſu tam averſus, qui hunc affectum in tanto Principe non exoſculetur, non admiretur? Quis tam efferatè barbarus, qui ſecus interpretetur? aut quis dubitet, hanc regiam Reſponſionem ex vehementi concordiæ cupiditate eſſe profectam? Cognoſcent hoc amplius pii & cordati viri, ecquod genus pacis ac concordiæ piiſſimus Rex Eccleſiæ Dei optet; quibus legibus & conditionibus parata ſit ejus Majeſtas facere conventionem. Eâ namque moderatione temperata eſt hæc Reſponſio, ut cum ſtudio defendendæ veritatis, par certet ſtudium ſarciendæ omni 1612. honeſtâ ratione unitatis. Et eſt omnino hæc Regis mens, hæc firma ſententia; fruſtra de Eccleſiæ pace cogitare, aut mentionem facere illos, qui hanc cœleſtem bigam & ſolvi metuentem, ſolvere atque invicem ſejungere non verentur. Fruſtra igitur veritatem dogmatis illos oſtentare, qui aliena omnia malignè interpretando, conſequentias abſurdas ex animi libidine deducendo, & id genus κακοτεχνίας pravis exemplis, charitate, matre unitatis, deſtitutos ſe eſſe probaverint. Fruſtra & illos charitatis unitatiſque aurea nomina uſurpare, qui ſinceræ pietatis baſim veritatem nolint admittere. Præclarè olim B. Hilarius: *Speciosum quidem*, ait, *nomen eſt pacis, & pulchra eſt opinio unitatis; ſed quis ambigat, eam ſolam Eccleſiæ unicam pacem eſſe, quæ Chriſti eſt?* Pax Chriſti, quam ſolam beatiſſimus hic Pater docet Eccleſiæ probandam, ea utique eſt, per quam doctrina Chriſti, quam ipſe Apoſtoli primitivam Eccleſiam docuerunt, ſarta tecta manet atque inconcuſſa. Offerant ſereniſſimo Regi pacem ejuſmodi, quorum intereſt id facere, quique in Eccleſia Chriſtiana principes locos occupare ſeſe poſtulant; & finita diſcordia eſt. Separent ingenuè & candidè à divinis humana, à piis ſuperſtitioſa, à verè antiquis poſt nata ac recentia, à neceſſariis non neceſſaria, aut minus neceſſaria. Iterum dico, & quanto poſſum clamore contendens dico, ut omnes exaudiant; per ſereniſſimum Regem & Eccleſiam Anglicanam finita diſcordia eſt. Porro perveniendi ad tantum bonum regia patet via unica, majoribus à principio Eccleſiæ ſemper trita, univerſalis Concilii, atque ejus liberi, celebratio; in quo populorum omnium querelæ audiri, controverſiæ diſceptari, & pax in poſterum, Deo propitio, queat ſanciri. Hanc ſolam rationem pravas opiniones ex animis hominum evellendi, & disjunctos populorum animos ad concordiam adducendi omnium ſeculorum Eccleſia novit, ſolam uſurpavit, non vim, non arma. Sed quoniam propter noſtra omnium peccata Synodi univerſalis ſpes nulla oſtenditur, illud interim mali levamen aliquod foret, ſi libertas hæc tanta, aut potius effrænis licentia de rebus Theologicis ſcribendi quotidie & libros publicandi, ſeveris legibus utrinque coërceretur. Nunc enim quæ poteſt bona ſpes ſupereſſe, quum totâ paſſim Europâ novi Scriptores ſubinde prodeant, oleum camino

1612. infundere idonei potius, quàm incendium aquâ infusâ restinguere? Non ferebat in suis hominibus ille admirandus Theologus Gregorius Nazianzenus curiositatem de rebus divinis disputandi; & caussam propè unicam eorum malorum nostris hodie similium, quæ illa ætas est experta, hanc esse, non uno loco suorum scriptorum asserit, quòd de rebus spiritûs, sive spiritu, vulgò homines promiscuè disputarent, & sacrosanctam Theologiam in technologiam verterent: τεχνολογοῦσι λοιπὸν οἱ ἄνθρωποι, inquit, οὐ θεολογοῦσιν· hominibus Theologia facta est materia disserendi & sermonum, instar cæterarum artium ex ratione humana. Ex hac licentia, quam passim ferè videmus hodie obtinere, nascuntur tot καινοφωνίαι & formularum ac sententiarum diversitates, quæ Ecclesiam Dei magis magisque indies dividunt. Apage igitur illam prophetandi libertatem, quæ tantoperè nonnullis hodie placet; si eo nomine licentia intelligitur, nova commenta proferendi, & à doctrina primis Ecclesiæ seculis omnium consensu recepta aberrandi. Quid nunc commemorem insulsos, indoctos, vix primorum Religionis Christianæ elementorum callentes Scriptores, ex illis potissimùm locis quotidie prodeuntes, ubi nullo morum bonorum an malorum discrimine, nullo scientiæ aut inscitiæ, præmia iis malo publico sunt proposita, qui libellum aliquem, quamvis inanem omnis doctrinæ, quamvis plenum furoris, in diversarum partium homines fronte semel perfrictâ emiserint? At quid boni ab iis speres, quibus divina scientia non est aliud, nisi ars vitæ, subsidium & χρημάτων πορισμός? Quibus scribendi caussa est non gloria Dei, non amor veritatis, non Ecclesiæ ædificatio, multò minus piæ & sanctæ concordiæ cupiditas; sed merces duntaxat & auctoramentum ἀδόκιμον, aut inanis gloriæ titillatio? Juvat hoc loco unius è multis ejus farinæ Scriptorculis audaciam στηλιτεύειν, de quo scire te volo serenissimi Regis judicium. Is, quem dico, quemque nominare mihi religio *, tanta vilitas novi Doctoris; de trivio & compitis circumforaneus Pellio quidam est; homo idiota, nullarum literarum, non Græcè, non Latinè doctus, sine scientia, sine conscientia, bonis obstrepere, & fruges natus consumere, aliud nihil. Hic, quòd inter mulierculas sciolus, & in vernaculo sermone disertulus habetur; in omnes diversarum partium Scriptores censoriam nuper accepit virgulam; eò quidem libentius, qui ante biennium ære alieno oppressus, septingentorum aureorum mercedem pactus, ad expungenda vetera nomina, & stipendium annuum (narro quæ vera sunt, quæque ipse mihi dixit) mutatis partibus transfugium fecit; quique inter eos, quos deseruit, à suspicione Atheismi infamis, & bonis omnibus, qui propius nôrant, exosus vixerat, novi zeli fervorem iis, ad quos transiit, hoc est, quos decepit, necesse nunc habet approbare. Igitur Doctor à se creatus Pellio, novos cottidie libellos scribit, vel potius vomit. Primum novæ professionis tyrocinium posuit ante biennium, cùm adversus Monitoriam serenissimi Regis, Principis longè doctissimi, ipse vitilitigatorum postremus, συγγραφεὺς ἀγράμματος, inscitiæ retrimentum, librum emisit; in quo si paucula excipias, nihil non protritum, nihil non millies dictum, non haustum è fæce: paucula verò illa, cui suppilaverit, neque ignorat quisquam eruditorum Lutetiæ, & nobis compertissimum est. Non enim nescimus, sub cujus mensa colligere micas sit solitus, ex quibus sua fercula instruit. Idem Pellio, quum ante paucos menses virum nobilissimum, & celeberrimæ famæ esset aggressus, eum & nobis honorem habuit, ut suâ censurâ, novus Aristarchus, columen sapientiæ, dignos judicaret; sed obiter & velut in transcursu. Credo ne si aliter fecisset, dignitate tanti antagonistæ nomini nostro aliquid splendoris accederet. Edideramus paullò antè Epistolam ad Frontonem Ducæum, Societatis Jesu Theologum: in qua res in hoc Regno à nonnullis ejusdem Societatis gestas, fide historicâ ipsi exposuimus. Hanc Epistolam Pellio in fine ejus, quem dixi, libri, non refutat ille quidem; [neque enim poterat,] sed uno vehemente confodit obelo: deinde ad maximum Regem sermone converso, multis ab eo petit, ne quicquam eorum credat esse verum; quæ universum hoc Regnum vidit; quæ in Acta publica sunt relata; quæ Orbis jam terrarum scit esse verissima. Hæc omnia falsa, & adulandi studio ficta audet dicere, & quidem Regi dicere meus Pellio; quasi is esset mitissimus hic & innocentissimus Princeps, cujus aures in perniciem sontium patere soleant. Quis laqueus, quæ crux tantum scelus expiabit? Vidi ego serenissimum Regem, quum illa legeret, & mihi ostenderet, qui prius non videram, inauditam Pellionis audaciam atque impudentiam severè detestantem. Me quoque adulandi artificem quòd vult videri,

* *Est is N. Peleterius, Gallus Jesuita, qui plenis velis in Is. Casaubonum fuit invectus. Vide suprà, Epist. DCCLVII.*

1612. deri, sapientissimo Principi insignitam facit injuriam, potius quàm mihi.

Πρόσθε γὰρ κάτω
Γῆς εἶσιν ἄστρα, γῆ τ' ἄνεισ' εἰς αἰθέρα,
Πρὶν ἐξ ἐμοῦ τινὶ θῶπ' ἀπαντῖσαι λόγον.

Ait verò Pellio, me cùm illam Epistolam scriberem, spiritu vertiginis esse actum. Mirabar, quid appellaret spiritum vertiginis: nam eum, qui res gestas ex fide narret, aut potius è publicis monumentis describat, quis, nisi quem possidet *πνεῦμα πλάνης*, spiritu vertiginis dicat agitari? Ecce verò ante triduum incidit in manus meas alius liber ejusdem Pellionis adversùs virum eruditissimum scriptus; in cujus item fine ego repetor, & spiritu reformationis agi dicor. Huic nempe Alastori spiritus reformationis & spiritus vertiginis idem sunt. Omnes igitur vertiginosi, qui à seculis jam multis reformari Ecclesiam Dei omnibus votis optaverunt, & testes desiderii sui, libros multos nobis reliquerunt. Quid? an & Patres Concilii Tridentini vertigine agebantur, cùm tot locis reformationis mentionem fecerunt? In eodem libro monet me Pellio, caveam aliquid scribere, quod sibi displiceat: alioquin daturum pœnas propriis ipsius telis conficiendum. O Zelatorem domûs Dei eximium! qui zelum suum etiam ad illa transmittit, quæ non sunt in rerum natura. Beatum vero, si possum Æneæ magni dextrâ cadere! Unus tamen restat scrupulus, qui me sollicitum habet; nam quomodo mea scripta confutabit, qui illa ne intelligere quidem potest? non enim mulierculis Galliæ scribimus. Ego verò Pellioni dabo consilium, quod hunc mihi pariter & illi scrupulum eximet. Meminerit veteris præcepti: *Quam quisque nôrit artem, in ea se exerceat.* Quod igitur solùm didicit, solùm rectè potest; curet cuticulam; agones literarios doctis relinquat. Utique tantam ne sumat superbiam, ut me existimet aliam sui rationem unquam habiturum, quàm canis latrantis, aut asini calcitrantis. Ego bonas horas non soleo ita prodigere, ut sperare debeat, me styli mucronem in se fore aliquando conversurum. Vides, Vir amplissime, quale sit hoc nuper exortum Theologorum genus, qui fungis similes unâ nocte crescunt, quos propterea Græcorum Theologus *ἀπαρτὰς θεολόγυς* eleganter appellat, & meritissimè à sacrorum arcet tractatione. Sed redeo ad hanc Responsionem, quam nactus parum emendatè in regionibus transmarinis editam, relegi & correxi. Eam ad te mitto, mutui nostri amoris, & meæ erga te observantiæ 1612. monumentum, tibi, scio, futurum non ingratum. Vale. *Londini, a. d.* IV. *Eid. April.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCLXXXIX.

CORNELIO VANDER MYLE.

MONSIEUR,

Il y a quelques mois que receus celles 1612.
qui il vous pleust m'escrire, ausquelles desirant faire responfe, j'ay tardé plus que je ne pensois, ni devois. Vous excuserez, si il vous plaist, mes continuelles occupations, & me tiendrez tousjours constant à vous honorer & desirer servir. Je vous envoie un petit Ouvrage, qui n'avoit esté fait pour imprimer: mais j'y ay esté forcé, apres que l'Epistre, à laquelle je respons, a esté quatre fois imprimée. Plusieurs ne trouvent pas bonne la façon respectueuse, de laquelle j'ay usé en ceste response. C'est mon naturel, qui ne se changera jamais, envers les gens de qualite. Je suis marri que vos troubles ne finissent point. Je pensois du commencement, que ce fut pour apporter quelque moderation envers ceux, qui deifient un nouveau Docteur, penè in singula verba illius jurantes: quod minimè omnium ferret ille ipse vir maximus, si viveret. *Mais je vois avec regret qu'on va à travers champs à des estranges nouveautez.* Liberè dico, odi profanam novitatem in rebus sacris; & tyrannidem Pontificiam laudaverim potius, quàm licentiam adeò temerè nova dogmata publicandi: unde horrenda confusio sequatur necesse est. Sed Deus medebitur & Illustrissimorum Ordinum alta prudentia. *Je prie Dieu qu'il vous garde, demeurant à jamais,*

MONSIEUR,

Vostre très-humble Serviteur,

IS. CASAUBON.

A Londres, ce 13. *April,*
CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCXC.

DANIELI HEINSIO.

Vir clarissime, respondi ad omnes 1612.
tuas, & jam incipit mihi tempus videri longum, ex quo nihil à te literarum accepi; quas vel eo nomine mittere debes frequentiores, quia me amas, & rem facere mihi gratam cupis:

1612. pis: nihil autem facere potes gratius, quàm si tuis Epistolis me subinde invisas, & mecum sermones, ἣ θέμις ἐστιν ἀπόντα, misceas. Atque utinam ego illum diem videam, quo te queam amplecti atque suaviari. Cerneres oculis, quàm altè descenderit in cor meum tui amor. Interim accipe à me munusculum, ex quo intelliges, quibus in studiis jam sim. Quanquam ego me, quantum possum, revoco ad priores curas, hoc est, τὰ ἱστορούμενα· nam τὰ δόγματα, ut hodie tractantur, meo ingenio parum conveniunt. Paucis enim probavero, quam tantoperè admiror Antiquitatem. Cupio de hac responsione tuum cognoscere judicium. Quod si Dominus Jesus, ὁ μονώτατος Σωτὴρ, me servaverit, & cœptis faverit, videbis brevi particulam inchoatæ adversus Baronium disputationis. Tu quid nunc agas, & tuus Theophrastus quo loco sit, cupio scire. Vale, optime amicorum, & me ama. Scripsi raptim, oblatâ occasione. *Londini*, *Eid. April.* CIƆ IƆ CXII.

EPISTOLA DCCXCI.

JOANNI LYDIO.

1612. SI esset mihi otium, longas literas ad te darem: nihil enim facio lubentius, quam ut tecum per literas loquar. Itaque & tuas accepi nuper magna cum voluptate, & has scripsissem prius, si licuisset. Nunc quum esset repentina occasio oblata, prætermittere nolui, quin libellum ad te mitterem, cujus editio heri solùm absoluta. Erunt illæ paucæ chartæ mei in te amoris qualecunque testimonium. Cupio autem scribas ad me liberè, de hoc libello quid tibi fuerit visum. Scito autem opus magnum parare me, si Deus immortalis faverit cœptis, ut fraudes Baronii detegamus; cujus laboris fortasse primam partem brevi sumus edituri. Speramus hoc nos assecuturos, favente Domino Jesu, ut boni intelligant, gloriâ Dei & amore veri nihil nobis esse antiquius. De tuo Clemengis te rogo & obtestor, ut pergas, & quantum potest, matures editionem. Dabo operam, ut cum proximis literis meis habeas, quæ Oxonio potes sperare. Scribam etiam ad amicos Lutetiam de tuo incepto. Vale, & festinationi ignosce. Deum veneror, ut te servet, Ecclesiisque vestris ut pacem restituat. Postremus liber Vorstii & serenissimo Regi vehementer displicuit, & mihi magnum dolorem attulit. Iterum vale. *Londini*, *Eid. April.* CIƆ IƆ CXII.

EPISTOLA DCCXCII.

JOANNI MEURSIO.

VErè scripsisti nuper ad me, Vir clarissime, eam me telam esse orsum 1612.
editione Epistolæ ad Frontonem, quam non tam facilè detexerem. Ita prorsus est; videoque paullatim, me delabi in illa studia, quæ semper sum veneratus, & quibus in privatum usum meum à multis annis meliores horas meas impendi. Videbis ex eo libello, quem tibi mitto, provocatum me fuisse ab illustri viro, Cardinali Perronio; sed amicè, & modestè; itemque ab alio barbaro & agresti nebulone *, qui nuper, pretio accepto, conscientiam prodidit. Huic vappæ & atheo quum non putarem esse respondendum, placuit Regi, ut obiter illum perstringerem. Audio has nundinas non carituras libris adversus Epistolam ad Frontonem scriptis; quos equidem, nisi aliquid afferant, quod ad rem faciat, aspernabor, & hostes veritatis sinam latrare. Nunc mihi in manibus est disputatio adversus Baronium; cujus fraudes infandas est animus palàm facere, ad gloriam Dei, & publicum bonum; faveat modò cœptis ὁ ἐπὶ πᾶσι. Vale. *Londini*, *Eid. April.* CIƆ IƆ CXII.

Quid nunc agas, scire cupio.

* *Peleterius. Vide Epist. 757. & 788.*

EPISTOLA DCCXCIII.

HUGONI GROTIO. ✠

VIr magne, novissimis tuarum eximiæ pietatis & prudentiæ plenis 1612.
quum hactenus respondere non potuerim, ne nunc quidem id possum. Quando enim serenissimus Rex est in urbe, non multum habeo tempus vacuum, quod literis scribendis impendam. Aliàs igitur, σὺν Θεῷ, de illis rebus agemus tecum uberius. Interim mitto tibi libellum, hic recens editum; quem ubi legeris, si tuam mihi de eo sententiam candidè aperueris, rem gratissimam feceris. Placuit Regi, ut in Præfatione nebulonem quendam Parisiensem perstringerem, qui postquam pretio conscientiam vendidit, sine caussa me est aggressus, ipse vix satis scribere Gallicè doctus. Peleterium vulgò vocant; si fortè de illa peste aliquid inaudisti. Odi malè illa portenta, & me hostem illorum ultrò profiteor. Responsionem, ut parum virulentam, scimus esse improbatam iis, qui inter nos Jesuitas agunt. Fruantur suâ insaniâ; mihi alia mens; quam Deo me probaturum spero,

&

1612. & bonis. Nunc magnum opus sum aggressus, de quo brevi plura scribam. Si adfuerit auxilium boni Jesu, spero τοῖς φιλαληθέσι fore scriptionem gratissimam. Vale. Te oro, ut tuo exemplari adjunctos libros cures, & me ames. Deus te servet. *Londini*, *Eid. April.* CIↃ IↃ CXII.

Tui amantissimus,
IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA DCCXCIV.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1612. ILlustrissime Vir, binas tuarum simul accepi, nec sine magna voluptate legi. Gaudeo, conjecturam meam de injuria tibi facta reperiri verissimam. Est omnino id genus hominum quale describis, quale in suis literis ὁ μακαρίτης S. * depingebat. Quotidie mihi res est cum viro quodam nobilissimo † & doctissimo illo quidem; sed ita iniquo in manes viri divini, ut non veritus sit, me audiente, aliquoties pronuntiare, fuisse τὸν ἀξιοθαυμαστότατον ἐκεῖνον ἄνδρα *præcipitem Grammaticum*, *imperitum Philosophum*, *furiosum Mathematicum*. Respondi ego, & steti pro veritate quantâ debui παῤῥησίᾳ· scripsique adeò ad illum eo de argumento aliquot literas. Sed illi solemne est, omnes mortales, qui pro eruditis sunt habiti, pedibus calcare, & pro bipedibus asellis habere. Non ita judicat Rex serenissimus, & quod verè possum dicere, sapientissimus; non etiam præstantissimus Eliensis, neque item alii pauci longè doctissimi viri, quos ego quoque solos meis studiis æquos experior. Sed redeo ad tuas; quarum alteras à me acceptas Rex legit, & jussit reddi. Fui ex eo tempore persæpe cum ejus Majestate, & prolixos sermones cum illa habui; sed optimus Princeps ita erat commotus lectione novorum librorum à Vorstio editorum, ut in eo argumento totus semper fuerit. Pergit enim ille Doctor suum virus effundere ac palàm tueri; idque tantâ libertate, ut non sit dubium, plerosque ex Ordinibus eo veneno esse infectos: quod piissimum Regem habet, nec immeritò, pessimè; qui etiam nuper indignissimè tulit, τὸν πάνυ Cardinalem Perronium sese viro docto opposuisse in doctrinæ veræ defensione. Putat Rex doctiorem illum esse, neque ita ignorare antiquam veritatem, ut potuerit ex animi sententia illa gerere. Sed hæc querela non est hujus loci. Scito autem, Vir illustrissime, placuisse Regi, ut Epistola ad Cardinalem Perronium hic ederetur, postquam ille suam edere fuit coactus. Et quoniam libellus infamis Peleterii eo tempore in Regis manus incidit, jussus sum vappam illum & nebulonem perstringere. Scripsi igitur Præfationem in eam Epistolam. Deus Opt. Max. te servet, amplissime Vir, & quicquid tibi charum. *Londini*, *a. d.* XIII. *Kalend. Maj.* ut vos tempora numeratis, CIↃ IↃ CXII.

* Scaliger. Colomes.
† Savilio. Colomes.

EPISTOLA DCCXCV.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

AMplissime Vir, binas à te paucis diebus accepi. Prioribus erat adjunctus liber aureus adversus Bellarmini scelestissimam pro Romani Papæ imperio disputationem; posterioribus carmen adjunxeras, quod ego nondum legi: scribere enim hæc parabam, cùm ille fasciculus mihi est allatus. Ago tibi, Vir præstantissime, quantas possum maximas gratias, majores acturus, cùm Auctorem masculi illius scripti indicaveris. Non sum curiosus alieni arcani; sed me ita cepit ejus libelli lectio, ut statim cogitare cœperim, quis illius Auctor. Fit enim nescio quomodo, ut quorum gloriæ favemus, eos propius nôsse cupiamus. Apparet, hominis Galli esse eam opellam: quod si quædam non obstarent, auderem pronunciare, τοῦ πάνυ Bongarsii ingenium & genium me agnoscere: sed, ut dixi, propter nonnulla hæreo, & ἐπέχω. Quisquis sit, opto illi omnia læta, ut similibus scriptis sæpe Rempublicam Christianam juvet. Mitto tibi Epistolam ad Cardinalem Perronium hîc editam, & aliquantò meliorem Parisiensi. Adjeci Præfationem, ut nebulonem quendam, * Parisiis libros vomentem quotidie, admonerem sui loci. Ridebis, credo, cùm leges. Scioppii librum avidè expecto; quanquam cupidius multò expectarem, si possem ab illa peste aliquid sperare boni: scitum enim est, etiam ab hoste capiendam esse utilitatem. Sed perditissimus Apostata quid potest boni me docere? Itaque, si mei arbitrii res est, responsum non feret. Possum meas horas in penso Baroniano melius collocare. Et profectò indignus est Scioppius, cujus gratiâ opus institutum, vel ad diem unum intermittam; quod quidem video prolixius futurum, quàm putaram. Nam etsi merè Theologica in hac scriptione parcè attingo, tanta est tamen ineptiarum seges, ut multa cogar dissimulare. Videbis aliquid, 1612.

* Peletrium.

 quid,

1612. quid, spero, quod te delectet, atque omnes bonos & veritatis amantes; malos & mendaciorum patronos non parum urat. Efficiam, cum bono Deo, cujus unius gloriam ob oculos propositam habeo, admiratores illorum Annalium suæ pudeat vanitatis, fatuitatis & stultitiæ. Verùm hoc Θεοῦ μεγάλου ἐν γούνασι κεῖται. Nos certè id strenuè agimus, quantum per corporis infirmitatem licet. Vidi hic Legatos serenissimi Principis vestri; fuitque mihi longè gratissimum cum nobilissimo Plessenio non unum colloquium. Ex illo & literis tuis prioribus cognovi de obitu τοῦ μακαρίτου Domini Hippolyti *, in cujus morte Respublica literaria non mediocre damnum fecit. Non morabor te pluribus; tantùm petam à te, apud virum clarissimum Freherum meum silentium ut excuses. Accepi autem ante perpaucos dies, quas ipse ferè ante menses ipsos tres ad me dederat. Ego existimo fuisse ipsi redditas, quas mercatoribus Francofurtum petentibus dederam, quibus illum faciebam certiorem de oblato per me libro, quem serenissimo Regi ante biennium ferè nuncupavit. Vale, & festinationi ignosce. *Londini, a. d.* v. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CXII.

* *Nempe, à Collibus, qui fuit Nobilis Tigurinus J. U. D. & Professor Heidelbergensis; deinde Syndicus Basiliensis; postea Cancellarius Anhaltinus; Consiliarius intimus Elector. Palatini; ejusque ad Ordines Fœderat. Belg. Legatus.*

Liberasti me solicitudine magnâ de Codice Arabico, qui apud Thuanum cum parte majore meorum asservatur: sed brevi, Deo dante, consilium capiam, quid sit opus facto. Carere enim libris meis diutius non possum.

EPISTOLA DCCXCVI.

✠ PETRUS BERTIUS ISAACO CASAUBONO.

Clarissime Vir, Domine honorande,

1612. *JAm in eo eram, ut prioribus illis tuis responderem, quum ad me per Dominum Grotium mittuntur aliæ, quibus me* μάλα εὐνοϊκῶς *ad pacis studium iterum hortaris. Ego verò uti grato animo utramque admonitionem tuam, pro eo ac debeo, admitto, in eaque candorem tuum exosculor, & singularem in me benevolentiam; ita non possum non dolere, quòd me illic differri intelligam tanquam Ecclesiæ turbatorem; maximè quum videam, serenissimi quoque Regis animum in idem quoque judicium inclinare, de quo tamen non possum non quàm optimè sentire; ut qui facile intelligam, quantum & Majestati potentissimi Regis, & piæ sanctæque ipsius pro Christi Ecclesia, proque socia Republica sollicitudini tribuendum sit. Cæterùm ut apud te, mi Casaubone, cujus judicium facio maximi, dolores meos deponam, non sum ego, aut fui unquam, aut ero, per Christi gratiam, pacis publicæ perturbator. Ea, quæ hic* * ge*runtur, diu gesta sunt à viris maximis sine me; imò multò antequam ego provinciam istam capesserem. Potuisti etiam ex Epistola & Præfatione, quam Hymenæo præfixi, facile intelligere, invitum me abiisse in partes. Lacessitus sum importunis quorundam quæstionibus, qui quum sperarent, sua me dogmata probaturum, ubi se frustratos senserunt, amorem protinus in odium verterunt. Scripsi igitur tunc illa, quæ vidisti; sed scripsi primùm mihi. Edidi posteà, suadentibus amicis, sed ut virorum eruditorum judicia sciscitarer. Itaque paucula admodum exemplaria hactenus distributa sunt, nec nisi inter doctos & notos; cætera adhuc servantur apud me. Tria habet universa Britannia, eaque tutò deposita; Germania, Dania, Suecia, Polonia, in quibus tamen pleræque Ecclesiæ & Scholæ à me stant, nullum habent, quod sciam; uti nec Gallia. Intereà tolero dissentientes, & ad tolerantiam, quos queo, verbis atque exemplo invito. Non auditur vox mea ad populum. Scholæ spatiis & umbrâ istâ contentus vivo. Fero factiosorum hominum καὶ βλακικῶν fastidia, seditiosas & plane tribunitias conciones, minas etiam & ludibria; atque ista omnia concoquo, non Catonis stomacho, sed eo, quem Christus præcepit suis. Et post hæc omnia adhuc audiam Ecclesiæ Christi perturbator? Certè non ita de me judicant Domini mei, non melior Reipublicæ nostræ pars.* Τίς δέ ἐστιν ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην· *De D. Vorstio judicare publicè non est meum. Unum hoc scio, me, quæ in ipso à vobis damnantur, non amplecti. Novitas mihi omnis & altercandi studium non minùs displicere quàm optimo cuique. Non sum ego ex eorum numero, quos Apostolus dicit* πάντοτε μανθάνειν καὶ μηδέποτε εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας δύνασθαι ἐλθεῖν. *Si negat D. Vorstius* τὴν ἁγίαν Τριάδα, *si* τὴν τοῦ Λόγου ἐνσάρκωσιν, *si* τῶν δύο φύσεων ἐν τῇ μιᾷ συνθέτῳ ὑποστάσει (ἤγουν ἐν τῷ ἑνὶ Χριστῷ) ἕνωσιν ἀδιαίρετον καὶ ἀσύγχυτον, *si* τὸ τοῦ μεσίτου ἡμῶν λύτρον πολύτιμον· *adhæc, si Deum loco dejiciat, nec fatetur infinitum,* ἀπερίγραπτον, *æternum, incorporeum, omnipotentem, futuri gnarum;* χαιρέτω, *res suas sibi habeat. Quid autem ista ad me, qui contraria omnia & credo, & doceo? Ego alienam culpam præstare non possum; nec puto in rerum natura esse, hoc à me jure exigat. Detestor* τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ, *& de Deo religiosius puto quædam ignorare, quàm multa curiosè scrutari, & temerè eloqui. Neque verò*

* Al. gerimus.

fieri

1612. *fieri posse puto, ut qui Scripturis ac venerandæ illi & canæ Antiquitati tantum defert, quantum ego, unquam tam insanum dementem, ut ista, quæ in D. Vorstio culpamus, referat. Atque hæc ad caput illud, quod erat de caussæ meæ cum Vorstiana conjunctione; in qua parte puto & serenissimum Regem, & Proceres Regni, & quotquot illic sunt vel veri amantes, vel mei, tutò posse* ἡσυχάζειν. *De Divina verò Prædestinatione, fateor ac præ me fero, aliter me sentire ac docere, quàm docuit vir longè maximus, D. Beza, & quam nunc apud nos sentiunt illius Sectatores,* ζῆλον μὲν Θεοῦ ἔχοντες, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν. *Sed cur mihi non liceat publico bono frui, & ab eo modestè secedere, qui* ἐν τῇ τῶν ἱερῶν γραμμάτων ἐπιλύσει *non est veritus palam recedere ab antiquis Patribus, imò & à B. Paulo, & totius Scripturæ genio, idque ita apertè, ut nihil videatur cum istis omnibus commune habere voluisse? Profectò, quam scalam illam & Synopsin ipsius de gradibus salutis intuear, videor mihi Adones spectare Valemini, vel potius, ut scitè dixit Tertullianus,* * Lamiæ turres, & pectines solis. *Cedo enim aliquem ex orthodoxa Antiquitate, qui id, quod ille docet, docuerit. Pelagii errorem vitare voluit, & incidit in* παραλογίας *Manichæorum.*

* Advers. Valentinian. cap. 3.

Nihilominus tamen, ex quo ultimas tuas legi, revocavi gradum, & à calce redii ad carceres. Imperavi mihi ignorantiam vel potius ἐποχὴν, *factusque* ἀθενγέρων, *contuli me iterum ad examen eorum, quæ didiceram. Expendi ea, quæ in hoc negotio B. Paulus scripsit; quæ Græci illius Interpretes, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius; & inter Latinos, Ambrosius, Hieronymus, alii. Consului etiam, quos antè sæpe legeram, Ignatium, Justinum, Clementem, Theodoretum. Deprehendi, in Ecclesia Græca magnam de hoc capite, quæque illi adnexa sunt, semper fuisse, & adhuc esse opinandi libertatem: ex quo verò ista in Ecclesia Occidentali cœperunt definiri, maximas in Ecclesia tempestates ortas, multa audita anathematismorum tonitrua. Et tamen observanti utrosque, Græcos pariter & Latinos, atque adeò quotquot amplissimo Christianorum aut Catholicorum nomine censentur,* ὁμοθυμαδὸν *omnia de Divina Prædestinatione & Perseverantia Sanctorum docuisse D. Bezæ sententiæ adversa. Decrevi igitur ab illis stare, donec aliter edoctus fuero; ut autem intelligas,* ἐρωτικὴν *quandam in me esse* μανίαν τῆς ἀληθείας, *paratus sum quidvis pro ista sententia experiri. Fiat ergo de me quicquid magno illi & clementi Deo visum fuerit, non desinam modestè, quantum quidem sciam poteroque, illud sequi, quod ego ex animi sententia* verius æquius *esse deprehendi. Non desinam, inquam, partes Antiquitatis adversus novatores & profani (ita adhuc censeo) dogmatis architectos tueri; neque dubito, quin Deum mihi sim in hac caussa habiturus propitium, ipsumque adeò, quum rem omnem plenius intellexerit, serenissimum* Regem. *Mathematicus aliquis nullo pretio aut minis adduci potest, ut neget, lineam rectam æqualiter sitam esse inter suas* στιγμὰς, *& ego in hominum gratiam, Patrum mentem & veritatem contestatissimam abnegabo? * Enimverò si ego illos rectè novi, qui nobis hic in Batavia omnia conturbarunt, erit mihi abjuratâ veritate redeundum in gratiam cum illis, qui quæ dicunt, ipsi non intelligunt; quorum oratio* ἀσύστατος, *mens intricata, principia pugnantia; qui Antiquitatem omnem usque adeò despiciunt, ut eam ex sua vel D. Bezæ, non altiùs, ætate æstiment, quasi ante istos natos nec tempus ullum fuerit, nec veritas, & quasi ob hæc capita à Pontificiis secessio facta* † est; *quibus nihil pensi est, sanctissimum Verbum Dei contorquere ad sensus suos, priscorum judicia eludere, denique homines rapere ad admirationem sui, & contemtum Patrum. Nam, ut ne sis nescius, sunt apud nos, qui palam ac* παῤῥησίᾳ *ista tueri audent:* 1612.

* Al. addunt: *Ad quos autem me conferam, istos, quos dixi, duces deseram.*

† Al. *sit.*

I. *Nullas exigi conditiones in Evangelio ab iis, qui salvandi sint.*

II. *Hypotheticas formulas,* Si credideris, salvaberis, *& si quæ sunt istius generis, resolvendas esse hoc modo;* ‡ Amen juxta decretum electionis ⸸ salutem volo, ei infundatur fides.

‡ Al. *quem ego.*

III. *Quum Apostolus dicit,* πῶς ἡμεῖς ἐκφευξόμεθα τηλικαύτης ἀμελήσαντες σωτηρίας, *&* μὴ ἐκπειράσωμεν τὸν Χριστὸν, *ita ista aliaque esse intelligenda, ut eximendus sit comminationibus istis & exhortationibus Apostolus, per figuram quandam, quam D. Beza, omnium quod sciam hominum primus, sine ratione & exemplo vocavit* ἀκοινώνητον.

⸸ Al. *æternæ salvari, infundam fidem.*

IV. *Quum fides dicitur reputari à Deo credentibus in justitiam, tunc* τὴν πίστιν *significare Christum ipsum & justitiam Christi per* μετωνυμίαν.

V. *Deum per vim inevitabilem infundere quibusdam resipiscentiam, fidem,* * humilitatem; *cum reliquis verò sic agere, ut solent agricolæ, qui* † pometum *consituri, arbores plantant plerasque, quibus succum & medullam primùm subducunt.*

* Al. *sanctitatem.*

† Al. *pomarium.*

VI. *Justum pro Hypocrita sumi, quum dicitur,* Si justus deseruerit justitiam suam; *Mundum pro solis Electis, quum dicitur,*

1612. *dicitur*, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata Mundi; *Peccatorem similiter pro Electo; verbi gratiâ*, Nolo mortem Peccatoris.

VII. *Pœnitentiâ ante fidem opus non esse, sed prius hominem credere quàm agat pœnitentiam; priùs justificari quàm resipiscat; justificari enim dum adhuc peccator est, & mortuus in peccatis. Itaque verba B. Petri*, Pœnitentiam agite, & convertimini, ut deleantur peccata vestra, *sic esse resolvenda, ut intelligatur, Deus condonare scelerato peccata sua in illum finem, ut posteà pœnitentiam agat, & convertatur.*

VIII. *Esse quosdam, qui nullis peccatis suis possint justitiam semel collatam amittere, aut salute suâ excidere; scilicet quia scriptum est*, Num infidelitas mea fidem Dei inanem reddet? *Et*, εἰ ἀπιστοῦμεν, ἐκεῖνος πιστὸς μένει, ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν οὐ δύναται.

IX. *Maximam mundi partem in id conditam, ut salvari non possit: sed quum citra antecedentem actualis peccati conditionem exitio destinata sit, decreto impediri, ne ad Dei misericordiam, aut gratiam Christi confugiat.*

Sexcenta sunt alia τοῦ αὐτοῦ κόμματος, *quæ tam à quibusdam confidenter & importunè affirmantur, quàm à me aliisque modestè negantur. Neque finis adhuc est cudendorum istiusmodi placitorum, quum decem erroribus opus sit ad unum errorem fulciendum; & scis quàm sit per se fœcundus error.*

> Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἁπλῶς· παντοδαπῶς δὲ κακοί.

Prudentem virum describens Grotius noster, inter cætera hæc posuit:

> Damnatus aliis, ipse neminem damnat,
> Modestiæque limites premens, donat
> Nunc verba vero, nunc silentium * paci.

* Al. pari.

Tentavi reipsâ hæc præstare; ratus, tutam fore silentii mercedem. Nunc protractus in publicum, insuperque accusatus horrendi criminis, patiarne cum fama & persona mea ipsam quoque veritatem periclitari? Quumque videam postes Religionis non tam malitiosè quàm imprudenter (ita interpretor) revelli, & nervos incidi tum Christianitatis, tum omnis omnino virtutis, insuperque à me adsensum, imò & operam, hoc est, consilium auxiliumque exigi; egone is sim, qui vel silentio veritatem prodam, vel contra conscientiam loquar, vel ὁμόψηφον *faciam falsa docentibus? Ne sinat hoc Deus! Quæ quum ita sint, non* † ferat *ibi quispiam molestè, si, quod nobis Illustrissimorum DD. Ordinum clementia concessit, in quotidiana Scripturarum explicatione, quoties mihi de veritate pronunciandum est, modestè ea dicam, & sine cujusquam insectatione, quæ Sanctæ Dei naturæ, bonis moribus & Sacrarum Literarum vocibus congrua esse scio.* Ἀπεχθῆ γὰρ Σπαρτιήτησι ἀρεσκόμενον ἴσα μὲν ποιέειν, ἴσα δὲ καὶ λέγειν. 1612.

† Al. ferat.

Utri ergo videntur, fidem tuam testor, involare in Dei arcana; ego qui consilium Dei vocatione ipsius definio & hominis officio, an D. Beza, qui aliud decretum supra verbum statuit, verbo ipsi adversum, quique eo ipso Deum necessariò facit partim ἀκροαματικὸν, *partim* ἐξωτερικόν. *Fateor quidem*, ἀγάπην καὶ τὴν συμπνοίαν *esse* τῶν ὁλοκαυτωμάτων τὸ μέγιστον· *sed velim idem illi cogitent, qui me ita indignè apud sanctissimum Regem traduxerunt. Ego non didici veritatem cauponari, certus* ἑορτάζειν ἐν εἰλικρινείᾳ καὶ ἀληθείᾳ, *non* ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων καὶ πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης. *Malo imò cum aliquo fortunarum & famæ dispendio* Θεῷ ἕπεσθαι, *quàm novitiorum quorundam premendo vestigia, veritate, Deo, & salute æternâ excidere.*

Quocircà iis, qui me ita amanter invitant, ut sententiæ vulgatæ cedam, quod quidem per conscientiam facere non possum, quantisper aliter edoctus non sum, respondebo hoc tempore id, quod Socrates amicis rogantibus, ut Senatui Atheniensi cederet, evaderetque supplicium, respondisse fertur: Ἐγὼ ὑμᾶς ἄνδρες ἀσπάζομαι μὲν καὶ φιλῶ, πείσομαι δὲ Θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν· *præsertim quum dictum hominis Gentilis Beatus Petrus suo & suffragio, & vitæ exemplo comprobarit.*

Doleo, Illustrissimo Præsuli non placuisse, ut literæ meæ serenissimo Regi offerentur: nam si quid ego in humili loco positus de excelsa illa Majestate possum divinare, nihil in iis erat, quod posset offendere serenissimum Regem. Christum, æternum Dei Filium, τὸν ἀρχιερέα τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, *supplex rogo venerorque, ut nos in vias suas deducat. Vale.* Dat. Lugduni Batavorum, Non. April. anno CIϽ IϽ CXII.

Tuus merito suo,

P. BERTIUS.

Mitto ad te Dissertatiunculam, de qua, si molestum non est, velim sententiam tuam intelligere. Rhetoricus est λῃκυθισμὸς, sed non exigui in Theologia momenti.

Epistola DCCXCVII.

PETRO BERTIO.

1612. Vir clarissime, accepi nudius quintus fasciculum à te missum. Didici ex tuis, non sine voluptate mea, Vorstio non adhærere te in illa, quam tuetur, nova doctrina de natura Dei. Doleo ex animo, non posse illum virum ad rectam mentem & τὴν ὑγιαίνουσαν διδασκαλίαν revocari; neque verò possum rationem excogitare, cur ille sua adeò pertinaciter, cum tanto bonorum atque eruditorum scandalo, tueatur. Planè vereor, ne Deum vindicem experiatur, qui solum se putat sapere. An ille nihil facit, quòd hostes Reformationis propter novas subinde discordias, ludibrio nos habent? Ago Deo Opt. Max. gratias, quòd in ejusmodi quæstionibus sejunctum ab illa peste te profiteris. Quod ego serenissimo Regi quum statim renuntiassem, non mediocrem ex eo nuncio voluptatem cepit. Utinam verò in titulo libri, à te nuper editi, alia verba usurpasses! haberes & Regem æquiorem, & multos alios viros optimos, quos ipsa novitas tituli offendit. Quod si ipse non fallor, poterat minore invidiâ ea doctrina proponi. Calvinum & Bezam etsi omnes magni faciunt veritatis amantes, nemo tamen est paulò judex æquior, qui jurari in verba illorum postulet. Disputationem tuam, quam misisti, legam ipse, & magnis Theologis, amicis meis ostendam, quos novi in veteris Ecclesiæ doctrina acquiescere. Illorum præstantissimorum virorum de tuo scripto judicium non te celabo: qui utinam tibi inservire aliquâ ratione possem! expertireris quanti te faciam. Vale, & me ama. *Londini, Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CXII.

Epistola DCCXCVIII.

HUGONI GROTIO.

1612. Significavi nuper, cùm novi nescio quid libelli tibi mitterem, Epistolam tuam illam me accepisse, quâ tuum consilium de publicandis Ecclesiarum Reformatarum Confessionibus aperiebas. Posteà etiam altera tua mihi est reddita Epistola, quâ rationem exponis promovendi generosissimi incepti, cujus tibi dudum venit in mentem. Non est, quod longis ambagibus tua morer tempora: breviter sic habe; quæcunque hactenus super eo maximi momenti negotio sunt à te scripta, ea videri sapientissimo Regi ab optima mente & 1612.
singulari prudentia esse profecta. Itaque solet εὐσεβέστατος Princeps tuas Epistolas non sine voluptate legere, & plures ejusmodi συμφράδμονας, qualis ipse es, tuæ Reipublicæ optare, imò Reipublicæ Christianæ. Quæ si hodie similibus consiliis regeretur, à spe concordiæ non esset adeò aliena. Quoniam autem serenissimus Rex jam in aliis negotiis * totus est, non potest ejus Majestas nunc huic curæ sic vacare, ut optaret. Tu interim, præstantissime Vir, age quod agis, & tuam solertiam in tam pio proposito exerce. Ego maximum Regem non desinam σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνειν, ut se dabunt occasiones, & ferent ipsius negotia. Quæ scribebas de Confessionibus nostrarum Ecclesiarum, isthìc, nisi fallor, possent commodius perfici; ubi neque eruditorum Theologorum copia deest, & libros edendi ratio est quàm hìc aliquantò expeditior. Mihi quidem illi curæ vacare non licet, qui totus jam sum in disputationibus adversus Cardinalem Baronium susceptis. Nam quia eò rem videmus rediisse, ut adversariis nostris Canon Antiquitatis Ecclesiasticæ sint Baroniani Annales, faciundum duxi, ut illos commonerem, quàm sit οὐκ ἀσφαλὴς ὁ κανών. Spero sanè, si faverit operi ὁ ἐπουράνιος πατὴρ, effecturum me, ut admiratores illorum Annalium suæ pudeat inscitiæ & fatuitatis, quæ summa est. Servabo tamen institutum, ut debitam laudem Auctori non eam ademptum; neque malitiosè carpam, quæ possint excusari; quod hodie solenne est nostrorum hominum peccatum. Sed ex ipso opere melius meam menten capies; idque brevi, si Jesus Christus ὁ Θεάνθρωπος vires fuerit largitus. Vale, Vir magne, & me ama. *Londini, Kalend. Maj. stylo veteri*, CIↃ IↃ CXII.

* In legendis libris Vorstii. Vide Epist. DCCXCIV.

Epistola DCCXCIX.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

Vir illustrissime, scripsi nuper ad te, 1612.
& libellum misi, qui hic editus paucis antè diebus fuerat. Fasciculum diutius servavit D. Legatus, quò tutius tibi deferretur: tandem puto delatum, ac nisi animi fallor, jam perlatum. Iis literis narrabam tibi, serenissimum Regem post tuas lectas, quibus satisfacere ipsi optaveras, adeò occupatam animi mentem habuisse in recente quodam libro Vorstii, ut nuper plures dies alia de re ferè nulla mecum

1612. ageret. Posteà accepi ab ejus Majestate mandatum, ut tibi significarem, tuis illis literis nihil ipsi potuisse gratius accidere; abundè enim te votis suis satisfecisse. Dolet Regi, materiam sibi esse suggestam secius suspicandi de tua summa integritate & erga se benevolentia. Jam intelligere se ait Anglum, qui ejusmodi suspicionibus occasionem præbuit, tua loquentis verba audisse fortasse, at certè non intellexisse. Petit serenissimus Rex, ut in eadem mente & voluntate pergas. Petit autem, non quia existimet, id opus esse; verùm ut scias, & tibi persuadeas, Majestati suæ hoc tuo erga ipsam animo nihil gratius posse contingere. Nam ut altas virtutes tuas nemo è libris tuis melius ipso Rege intelligit; sic profectò nemo est, qui pluris te faciat, quàm ipse facit. Possem in hanc sententiam plura addere; sed novi mores tuos. Mea studia quo loco sint, scire si cupis, cogita hominem magni aliquid molientem, & necessariis instrumentis carentem. Significavi tibi, rem mihi jam esse cum Cardinale Baronio: sic est, atque gliscit opus; sed me librorum meorum enecat desiderium. Multos hìc non invenio: illis ipsis, quos invenio, non sic possum uti ut meis, quos longo usu propè contrivi. Itaque eo nomine miserrimus sum, eò magis quòd mederi huic malo non possum, neque invenio quid consilii capiam. Hoc ni esset, auderem polliceri, opus non contemnendum fore, quod jam paro; faveat modò cœptis Dominus Jesus. Quicquid sit, spero, si inceptis superi faverint, id me assecuturum, ut eorum Annalium admiratores suæ pudeat stultitiæ. Verùm hæc tibi uni dicta sunto. Quod superest, veneror Deum immortalem, ut te omni suarum magnarum benedictionum genere cumulet. Vale, Vir illustrissime. Clarissimum virum Fabrum, & doctissimum Rigaltium, nisi grave est, salvere à me jubebis. *Londini, a. d. v. Non. Maj. stylo Gallico*, CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCC.

DANIELI HEINSIO.

1612. Binis tuarum debeo responsionem: quum prioribus omnibus satisfecerim, illis nondum respondi, quas ante paucos dies ὕστερον πρότερον accepi, cum adjunctis muneribus tuis. Horatius prior ad me pervenit; Socrates, posterior. Utrumque librum statim devoravi, qui meus est mos. In Socrate delectavit me propositum tuum hortantis adolescentes ad eam Philosophiæ partem, quæ, ut scis, Stoicis κυρίως Philosophia dicebatur, & pars omnium utilissima censebatur: neque abs re; nam quid utilius, quidve majus à literis sperari potest, quam ut artem vitæ discamus? Quod igitur studiosos ad illud genus studiorum excolendum vocas, facis quod virum bonum decet: quòd autem Socratem illis in exemplum proponis, id ego in eam partem interpretor, ut existimem ad Academiam & Lyceum tuos te vocare, hoc est, ad Platonem & Aristotelem, duos sine controversia principes Philosophiæ viros, planèque admirandos. Hanc viam studiorum animadverti dudum te esse ingressum; neque dubito effecturum te, σὺν Θεῷ, ut literarum calumniatores intelligant, quid inter veram Philosophiam & τὴν σοφιστικὴν intersit. Macte, mi Heinsi, hoc proposito. Oro Deum, ut te quàm diutissimè præstet valentem, καὶ πάσῃ ἀγαθῶν ἰδέᾳ ἀνθοῦντα. Det tibi ὁ ἐπὶ πᾶσι, Platonem illustrare, & Principem Philosophorum seriò recensere. Diu est, cùm id fieri optant harum literarum intelligentes. Olim Auberius Trioncurianus, Lausanensis Professor, id negotium susceperat; quem scimus magnum usum illius Philosophiæ habuisse: cæterùm, an tanto ponderi pares humeros haberet, id vero nescimus. Scribebas nuper venisse tibi in mentem de paranda hic Operum Aristotelis editione, subsidio τοῦ τῶν νῦν ἁπανταχοῦ γῆς κρατούντων ἐπιφανεστάτου. Sed ut alias scribere memini, si hic esses, de eo ne cogitasses quidem unquam: ὁ γὰρ εὐσεβέστατος βασιλεὺς οὕτω τῆς θρησκείας, καὶ τῶν πρὸς ταύτην ξυντεινόντων γίνεται ὅλος καὶ πᾶς, ὥς τι μηδεμίαν σχολὴν ἄγειν πρὸς τὸ τῇ φιλοσοφίᾳ ἢ φιλολογίᾳ ἐνδιατρίβειν. Quin si notum haberes, quæ sit toto hoc Regno studiorum ratio, scires T. C. * præmia amplissima esse proposita; cæterarum disciplinarum amatoribus penè dixerim nulla, certè οὐδενὸς λόγου ἄξια. Venio ad Horatium, quem accepi à te δῶρον ὄντως τιμαλφέστατον. Excitaveras magnam expectationem tuarum observationum ante biennium, brevibus Notis editis, quas ego non semel legi. Hanc tu spem non destituisti, sed πολλῷ τῷ μέτρῳ ὑπερηκόντισας. Itaque gratulor tibi, non pœnitendam famæ prioris accessionem; gratulor Poëtæ excellentissimo, atque, ut tibi placet, longè doctissimo, qui idoneum suæ præstantiæ præconem te tandem est nactus: δεινὸν πάντας ἐνάγειν πρὸς τὸν τοῦ σοφοῦ θαυμασμόν. Ego meum nomen inter illos profiteor, qui te docente multa cœperim admirari, quæ solitus eram prius præterire. Tuam vero

* Theologiæ cultoribus. Colomes.

1612. rò de Satyris & Satyrica Poësi eruditissimam Diatribam majore fructu, an voluptate legerim, nondum constitui. Nos, mi Heinsi, ii sumus, qui nostra refelli à doctis & modestis viris æquissimo animo feramus. Unum nobis est propositum, ut veritas investigetur. Hanc si invenimus; sin minus, τὸ ἐυ νικάτω, καὶ τὸ ἀληθές. Sed meum de tua illa Diatriba judicium exspecta à me, ubi primùm aliquid nactus fuero otii. Volo enim te non nescire, quâ diligentiâ etiam inter assiduas curas tua legere soleam: quippe πεπεισθὼς ab eorum lectione nunquam me nisi doctiorem discessurum. Utinam ejus candoris, quem in te admiror, & doctrinæ, quam agnoscunt in te & prædicant omnes eruditi, micam saltem aliquam haberent illi boni viri, quos adversus me concitavi duobus illis *, quos hic scripsi, libellis! Sed hoc sperare insanire esset, & mores illorum ignorare, qui caussam illam defendendam susceperunt. In his est ὁ κακοδαίμων Scioppius; quem accepi ab excellente viro, Domino Lingelsheimio, furiosè in me debacchari, pedibus manibusque nitentem demonstrare, me Latinè loqui nescire, neque in istis literis quicquam intelligere. Ego nullam Latini sermonis facultatem unquam ostentavi; hoc unum scio, verba mihi non defutura, si probare instituero, Vespillonis filium Deo & bonis omnibus esse meritissimè exosum. Sed non faciam tanti canem impurum, qui, si quid saperet, tuis telis & τοῦ μακαρίτου γέροντος † confossus, chirurgo operam daret, & vulnera sua sanaret. Sed moror te. Vale, optime virorum, & mihi longè charissime. *Londini*, *a. d.* v. *Eid. Maj. stylo Gall.* CIↃ IↃ CXII.

* Id est, duobus Epistolis; altera ad Frontonem Ducæum; altera ad Cardinalem Perronium.

† Scaligeri.

An fasciculum acceperis, quem nuper misi, in quo erant aliquot novi libelli exemplaria, scire cupio, & Theophrastus tuus quo sit loco.

EPISTOLA DCCCI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1612. Illustrissime Vir, heri accepi, quas exeunte Martio scripseras, & Chabanæo meo tradideras. Puto jam tibi esse redditas, quas jussu Regis ad te dedi ante hos quindecim dies. Eas ego Domino Legato tradidi, qui affirmat jam misisse. Quod si eas accepisti, eâ curâ penitùs es levatus, quam aliæ meæ jussu item Regis scriptæ tibi attulerant. Omnino Regi optimo ita satisfecisti iis literis, quas ad me scripsisti illi ostendendas, ut nihil magis ex animi ejus sententia fingi potuerit. Hoc ego & 1612. scripsi ad te nuper pluribus, & nunc peto à te, ut tibi sic planè persuadeas. Nihil æquius, nihil mitius hoc Principe, qui te propter literas & virtutem suspicit, & à te amari cupit. Illa eadem Epistola tua monebat me, sermones quosdam de me tecum habuisse illustrissimum Dominum Cancellarium, quem mei adhuc meminisse gaudeo, etsi non puto multùm illum de me revocando esse sollicitum. Quod si eâ lege sum revocandus, ut non liceat mihi modestâ scriptione errores Cardinalis Baronii detegere, etiam atque etiam deliberandum est, quid sit opus facto. Amo patriam meam, & ut in illa mihi liceat diem ultimum claudere, peto à Deo quotidie. An tamen ea sit justa satis caussa, cur susceptum bonæ causæ patrocinium debeam deserere, adhuc dubito, & non liquere pronuntio. Mihi in opere, quod molior, propositum est τὰ δογματικὰ non attingere, aut parcè; τὰ ἱστορικὰ peccata accuratissimè persequi, & oculis spectanda exhibere. Si hoc scelus est, cavendum mihi. Sed hoc aliàs pluribus. Agam ea de re cum illustrissimo Duce Bullioneo, quem nuper aureo carmine Spartes tuæ etiam illustriorem reddidisti. Scripsi hæc raptim. Vale, & vive felix. *Londini*, *Eid. Maj.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCCII.

THOMÆ MORTONO. ✠

Legi tuas magna cum voluptate. Gaudeo, non improbari tibi nostros conatus in hoc genere literarum. Si dabit ὁ ἐπὶ πᾶσι, majora moliemur, atque adeò jam molimur. Nam quantum per occupationes nostras licet, toti sumus in certamine cum Baronio suscepto; de quo aliàs ad te scribam plura. Locus ex Epistola Gregorii Thaumaturgi, Archiepiscopi Neocæsariensis, corruptus est. Græci passim constituunt quatuor gradus pœnitentiæ, πρόσκλαυσιν, ἀκρόασιν, ὑπόπτωσιν, σύστασιν· Balsamus, Interpres Juris Canonici doctissimus, ad Canonem IX. scribens Epistolæ illius Canonicæ, cujus est à te facta mentio, ait, ex quorundam sententia addi μέθεξιν. Verba illius sunt: Διὸ καὶ λέγουσι τινὲς συνέπεσθαι τῇ μετὰ τῶν πιστῶν συστάσει καὶ τὴν τῶν ἁγιασμάτων μέθεξιν σωτηρίως. Habes quod petebas: si esset otium, possem multa in eam rem adnotare; sed obrutus curis finem facio, Deum orans ut te servet. Vale, & me ama. *Londini*, statim tuis acceptis, *Eid. Maj.* CIↃ IↃ CXII.

Epistola DCCCIII.

✠ PATRICIO JUNIO.

1612. VEnit ad me Adamus Scotus, tibi notus, petens, ut sibi testimonium exhiberem probitatis suæ mihi perspectæ. Nescio in quem finem id ille à me jam petat. Quia tamen velle se id ad te deferre dixit, pauca hæc è vestigio exaravi, ut revocarem tibi in memoriam, quæ memini aliquando dixisse, me videlicet in Gallia usum ejus ministerio, & posteà hìc semper expertum esse pium, probum, & fidelem. Aliud, quod scribam, non habeo. Vale. *Londini, Id. Maj.* CIↃ IↃ CXII.

Epistola DCCCIV.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1612. ILlustrissime Vir, plures paucis diebus dedi ad tuam Dignitatem Epistolas; quod ut sperem fore tibi non ingratum, facit tua singularis erga me benevolentia, toties tot certissimis argumentis mihi comperta. Nunc sanè quod scriberem, nihil admodum erat; quum ante paucos dies de meis rebus prolixas ad te literas dederim: sed quia Dominus Scæva de sua ad vos profectione me fecerat certiorem, hæc raptim exaravi, ut cognosceres, nullum me tempus jucundius ponere, quàm quod literis ad te scribendis impendo. Utinam colloquii esset facultas, quæ olim fuit! regeres me in eo, quod jam habeo præ manibus, opere: in quo si quid exciderit, quod verè piis & bonis sit minus gratum, planè invito exciderit ϗ οὐ βουλομένῳ. Consilium enim mihi est, ita stylum temperare, ut unius veritatis studiosum esse me omnes facilè intelligant. Paucis, scio, placebo; plures offendam, qui veritatem volunt esse quicquid amor partium suadet. Cæterùm in hoc nobili incepto quantâ quotidie crucier librorum inopiâ, piget commemorare. Itaque didici μακαρίζειν τοὺς ἐν Λυπηκίᾳ ὄντας. Verum de hac mea miseria pluribus aliàs. Constitui, si bonitas Dei permiserit, opere confecto aut affecto, vel ad paucos menses vester fieri, ut sitim meam, si possum, expleam. Interim veneror Deum immortalem, ut te, Francorum decus, servet, & quicquid tibi charum. *Londini, a. d.* x. *Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CXII.

Epistola DCCCV.

HUGONI GROTIO.

VIr amplissime, lætatus sum non displicuisse tibi, quem nuper misi, libellum. At quàm multi erunt è nostris, qui damnabunt? Jam è Gallia plures literæ huc venerunt querelarum plenæ, imò gravissimarum accusationum. Nam plerique meorum Gallorum norma veri est, ab antiqua fide abire quàm longissimè. Ego nihil scripsi, de quo non sæpissimè cum magno Rege & doctissimis Episcopis deliberaverim. Itaque clamoribus ἀμούσων ϗ θορυβοποιῶν non magis moveor, quàm Scioppii perditissimi nebulonis ineptiis. Si dabit Deus immortalis perficere quod nunc habeo præ manibus opus, intelligent æqui Lectores, quâ diligentiâ hoc genus Scriptores πεπτηκότας εἶμεν, & multò magis quantâ flagremus cupiditate promovendæ gloriæ Domini Jesu. Quod superest, peto à te majorem in modum, ut quem mitto fasciculum, cures ad Lydium: quædam ibi sunt chartæ Clemengii, quibus est illi opus. Deus te servet, Vir magne. Vale. *Londini, pridie Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CXII. 1612.

Epistola DCCCVI.

JOANNI LYDIO.

SCripsi nuper ad te, Vir eruditissime, 1612.
& simul nescio quid novi libelli misi. Nunc ista raptim exaro, ut scias fuisse memorem promissionis & datæ fidei. Volui citius morem tibi gerere; sed non potui. Ubi primùm data est occasio, eam avidè arripui. Ludovicus Capellus, Sedanensis, (cujus frater tibi fortasse è scriptis, quæ edidit, innotuit,) Oxonium petens, rogatus est à me, ut de libris Clemengii serio inquireret. Is mihi paulo post chartam misit & literas, quas unà jam ad te mitto. Si aliud tuâ caussâ possum, utere operâ meâ. Oro Deum immortalem, ut tibi cœptisque tuis benedicat. Vale. Scripsi inter gravissimas curas. *Londini, pridie Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CXII.

Epistola DCCCVII.

DANIELI HEINSIO.

VIr clarissime, accepi quas Biblio- 1612.
polæ vestrati dedisti: alteras apud præstantissimum Grotium depositas nondum vidi; & vereri subit, ne perierint: quam jacturam scito me gravissimè laturum;

1612. laturum; nam qui tuis omnibus mirificè delecter, illas peculiari quodam affectu exspecto, quas ais scripsisse de Epistola ad Cardinalem Perronium. Cupio scire, de illa scriptione quid tui sit judicii. Multos scio esse è nostris, qui clamitent; sed hostes veteris Ecclesiæ & hujus Anglicanæ. Nihil enim scripsi, cui Rex maximus & doctissimi Episcopi non sint assensi. De Scioppio libero te curâ: neque enim existimare debes, me illius pestis ullam rationem unquam habiturum. Profert ad invidiam meam literas, quas scripsi ad divinum Scaligerum post disputationem inter Pl. & Episc. Ebr. * habitam. Ego verò non recuso, quin de meis moribus & sensu pietatis ex illa Epistola judicium fiat: sunt enim verissima, quæ scripsi, omnia; & si potes ἀνέχεσθαι καυχωμένε, piæ prudentiæ plena. Nam certo crede, mi Heinsi, τὸν πάνυ πλ. in eo quidem incepto nihil se dignum fecisse, negotium temerè susceptum, temerè administratum, pudendo fine conclusum. Utinam aliter accidisset! Cæterùm fingere τὰ μὴ ὄντα καὶ τῇ ἀληθείᾳ ὁμόσε χωρεῖν, meum non est. Videbunt posteri, quæ solito candore scripsit ea de re præstantissimus Thuanus †, cui soli fides habenda. Nemo rei veritatem melius novit quàm nos. Sed cupientem plura cogunt negotia finem scribendi facere. Audio editos esse Lugduni in Gallia, (prostabant Francofurti superioribus nundinis,) Characteres nostros. Sunt in ea editione quædam à nobis adjecta non vulgata, cùm ad caput, περὶ ἀναισθησίας, tum alibi. Tuus Theophrastus quid agat, scire cupio. Vale, & festinationi ignosce. *Londini, pridie Non. Jun.* CIↃ IↃ CXII.

* Plessaeum & Episcopum Ebroicensem. Colomes. Ex Fragmentum Epistola CCXXV. quod Scioppius profert in Alexipharmaco Regio contra Plessaeum, pag. 16.

† Historiarum lib. 123.

EPISTOLA DCCCVIII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1612. VIr illustrissime, ex iis literis, quas Justello & Capello dedi, præsentem rerum mearum statum confido tibi esse notum. Ego animi suspensus hæreo, exspectans quid D. Cancellarius super rebus meis Dignitati tuæ responsi dederit. Si sedet animis τῶν παρ' ὑμῖν κρατέντων me revocare, & id seriò agitur, non, ut suspicor, ἀφοσιώσεως χάριν· sequar omninò consilium tuum. Interim opus susceptum, de quo nuper scripsi, ut possum, urgeo: infeliciter sanè & durâ prorsus lege; careo enim libris meis, quæ est insignita meorum studiorum calamitas. Hic enim neque omnes possum nancisci, quos isthic habeo; neque alienis perinde uti queo ut meis, quos longo usu contrivi. Et est tamen inceptum nostrum ejusmodi, quod librorum subsidium requirat vel maximum. Amplissimum namque est argumentum, & genus omne literarum attingit. Videbis παντοδαπῶν ξυγγραφέων loca plurima seriò tractata; ritus Ecclesiæ multos illustratos; figmenta stultissima ἐξ ἀπειρίας, vel φρενοβλαβείας profecta, modestè quidem, sed solidè tamen confutata. Hoc vero opus esse me aggressum necessariis subsidiis destitutum, ita mihi aliquando videtur absurdum, ut cerebri satis sanus fuisse mihi sæpe jam ipse non videar. Igitur si, ut puto, veniam Rex Christianissimus est mihi concessurus manendi in hoc Regno ad ver proximum, jussi Chabanæum meum paucos libros seligere è meis, quos ad me curaret. Qua tamen in re præcepi illi, ut consilio tuo pareret, idque fore mihi gratum crederet, quod placuisse tuæ illustri Dignitati intelligerem. Potest id negotium ἀψοφητὶ & paucis conscîis transigi. Velim verò persuasum esse omnibus, si de me revocando isthic seriò fuerit cogitatum, tam facilè id futurum, etiamsi libros omnes meos hic haberem, quàm futurum esset facilè, si nullum haberem. Omnino autem serenissimo Regi rem feceritis longè gratissimam, si ad pertexendum opus inchoatum, quod superest hujus anni, & paucos menses mihi concesseritis. De moderatione, quam toto opere servabo, nihil addam ad ea, quæ nuper scribere memini. Quod si quos isthic veri amor tangit, res ipsa, opinor, facilè ab iis confessionem expresserit, postquam nostra legerint, non fuisse quæ observavimus, tenebris damnanda. Te quidem, φιλαληθέστατε Thuane, non sine aliqua voluptate nostram hanc lucubrationem confido esse lecturum. Age igitur, per Deum immortalem, veterem tuum clientem, quod dudum facis, perge amare, & tuis prudentissimis consiliis regere dignare. Sic te Dominus Jesus ὁ θεάνθρωπος adjuvet, servet, fortunet. Vale, Præses illustrissime. *Londini, Non. Jun.* CIↃ IↃ CXII.

Vellem abesse propius à præstantissimo viro, Domino Fabro, cujus judicio observationes meæ aut starent, aut caderent. Sanctè affirmo tibi, plus solidæ eruditionis in unica illius Epistola, quam recitat primo Annali Cardinalis Baronius, invenire me, quàm in quovis XII. illorum crassissimorum Tomorum. Deus servet venerandum Senem, & faxit, ut de istis literis cum ipso 1612.

1612 tate certus, illustrissimo Domino Cancellario sine dubitatione spondeas, verè & ex animo scribere me, quod jam scribo, & sæpius memini scripsisse: non pendere nimirum à voluntate mea reditum meum, sed à jussione Regis Christianissimi & augustissimæ Reginæ. Duo tamen petere me quantà maximà humilitate & submissione animi possum, ut & serenissimi Regis habeatur ratio, & familiæ meæ, quæ maxima est. Ego quantum debeam optimo huic Principi, ne vos quidem puto ignorare. Opto igitur, & supplex à Majestatibus Regis & Reginæ contendo, ut mihi liceat bona cum ipsorum gratia, priusquam ex Anglia pedem effero, librum perficere, quem Regi serenissimo est animus nuncupare. Id opus cujusmodi sit, non semel indicavi tibi proximis literis meis. Nam ut immunitatem aliarum angariarum mihi pararem, & maximo tamen Regi satisfacerem, disputationem suscepi adversus illustrissimum Cardinalem Baronium; quam fore illis non ingratam spero, qui jura Regum & Principum adversus Romanum Pontificem sine ulla ipsius Pontificis injuria defendi non nolunt. Neque enim potest jure Summus Pontifex queri, fieri sibi injuriam, si tantum illi tribuitur, quantum vetus Ecclesia & Concilia Oecumenica tribuerunt: etsi fatemur, adulatoribus Papæ parum hoc videri. Scis edi libros quotidie, & Romæ, & alibi, quibus Monarchia verè δεσποτικὴ in Imperatores ac Reges & Principes Papæ attribuitur, cum plenissima potestate capitibus eorum ludendi ex animi libidine. Nisi ipse libros legerem assiduè, Romæ & aliis in locis scriptos, quique scribuntur quotidie, calumniari crederem, si quis hoc diceret, quod ego jam dico. Quum igitur observaverim, illustrissimum Card. Baronium totos XII. suos Tomos eo præcipuè fine scripsisse, ut hanc perniciosissimam doctrinam in animis legentium ingeneraret; disputationem adversus ipsum institui, non de aliquo Religionis Christianæ capite, sed de ista Romani Pontificis infinita potestate, sive potius, ut ejus parasiti loquuntur, omnipotentia. Quæ ad dogmata Religionis Christianæ hodie controversa pertinent in Annalibus, ea certo consilio ne attigi quidem. Universum scriptionem eà moderatione temperavi, ut æquis Lectoribus satisfacturum me sperem. Hoc unum opere toto egi, ut erranti viro docto comiter monstrarem viam. Utinam viveret illustrissimus ille Cardinalis! si minus rem, at modestiam certè meam ipsi probarem: multa enim illi exciderunt, ne mediocriter quidem docto viro digna. Spero ad finem anni hujus, aut non multò pòst editurum me, quæ in primo Annali observavi. Hunc librum si Magnæ Britanniæ Regi dedicavero, quod vehementer cupio, nihil est, quod me in hoc Regno vel horam unam teneat. Si igitur tantum me Superi amant, & Regem Christianissimum aliqua tangat mei cura, qui postremus sum subditorum ejus Majestatis, & planè τὸ μηδὲν, puto equidem, ubi semel hoc quasi æs alienum expunxero, facilè hoc à Rege iri impetratum, ut patriam repetere mihi liceat. Tum verè illud solùm superèrit, ut illustrissimi Domini Cancellarii & tuâ commendatione impulsus Rex Christianissimus aliquam mei rationem habeat, & honesti otii spem mihi faciat. O utinam illum ego diem videam, & det mihi clementia divina, ea perficere incepta, quæ honori Regis mei in animo meo dudum destinavi! nam hic quidem vel cogitare de prioribus studiis non possum. Itaque *pendent opera interrupta minæque Murorum:* quod sequitur verbum, de meis lucubratiunculis non ausim usurpare. Deum immortalem supplex veneror, servet Regem, Reginam matrem, regiamque Domum totam; servet etiam fideles ejus Majestatis ministros, cum primis illustrissimum virum, & singulari observantià mihi colendum, Dominum Cancellarium, & te, Præses amplissime, ac quicquid tibi charum. Vale. *Londini, a. d.* VII. *Kalend. Jul.* ut tempora isthic numerantur, CIƆ IƆ CXII. 1612

EPISTOLA DCCCXI.

FRATER PAULUS VENETUS ✠ ISAACO CASAUBONO.

Sanè magno gaudio affectus sum, cùm jam annum te in Angliam transmigrasse audivi. Timebam tibi, si Italum aërem inspirasses, ut constitueras. Sæpe in animum induxi meum, ut studia tua aliquibus literis interturbarem; unde semper distuli, majorem opportunitatem expectaturus. Nunc id facere cogor, ut pro tuis literis, pridie Kalendas Majas datis, gratias agam. Et ne putes, nos incuriosos esse eorum, quæ isthìc scribuntur, Epistolas tuas ad FRONTONEM *& ad* PERRONIUM, *legi, & apud me habeo. Hujus postremæ exemplar à te missum mihi carius erit, ut à te profectum, & manu tuâ subscriptum. Profuerit libellus ille multis bonis viris, qui inviti errant; nam vir, ad quem scripsisti,* 1612.

1612

pisti, licet multis nominibus notus, nullum ex eo fructum percipiet, cùm voluntas suaderi non possit.

Quòd in Baronium scribere paras, gaudeo, & pergere hortor, licet illum Antagonistam dignum te non putem. Sæpè ipse mecum animo volutavi, quid causæ esset, cur in magna existimatione apud plerosque sit, absque ullo suo merito, ne dicam, absque ulla culpa; cùm, quid in tam magno opere laudandum foret, videre nequirem. Nulla pars est, quæ confutari non possit, solo adminiculo eorum, quæ ab eodem proferuntur. Nullus est magni vel parvi nominis Historicus, quem non sæpè commendet, & sæpius confutet. Mitto adulterina & detorta testimonia, prolixitatem maximè fastidiosam, & judicia perversa ac insulsa, quæ nemo in Historia ferre potest. Pædagogiam in Lectores petulanter exercet, quos singulis passibus intempestivè sistere jubet. Divinæ providentiæ consilia in bonis distribuendis & malis infligendis ad solius Papatûs rationes adstringit. Reliquum, video fortunam bonam illi favorem conciliasse, quæ adhuc illum sequitur, cùm tu illius scripta oppugnare * *instituis; nam magni Æneæ dextrâ cadet.* † *Cedet tamen in publicam utilitatem opus tuum procul dubio; verùm quòd illum fraudis & doli mali convincere paras, vereor, an probaturus sis iis, qui morum hominis gnari* fuerint ‡. *Vellem potius levitatis & temeritatis accusares. Ego illum Romæ novi, antequam honoribus manum daret, & prurigine scribendi tentaretur, cùm solius animi tranquillitati & puritati conscientiæ daret operam. Nunquam hominem vidi simpliciorem, quem* unico ‡ *verbo tibi exprimam. Nullas* habebat * *opiniones proprias; sed eas è conversantibus sine delectu sumebat; quas tamen quasi proprias & bene* perfectas †, *pertinaciter defendebat, donec aliàs jussus potius fuisset, quàm edoctus. Si multi prudentes & cordati, fatali poculo ebibito, spiritu vertiginis circumacti sunt, minimè mirum, si miser unicus purpureis laqueis commune malum effugere non potuit. A dolo malo abfuisse crediderim, à levitate &* temeritate ‡ *minimè. Hæc, ut ad amicum, liberius, & ultra epistolii modum scripsi. Tu veniam dabis.*

* Al. impugnare.
† Al. cedit.
‡ Al. uno.
* Al. habet.
† Al. perfectas.
‡ Al. securitate.

Quòd sapientissimi REGIS *benevolentiâ fruaris, tibi gratulor ex animo. In eo (rarum) cumulatæ sunt virtutes Principis & Viri. Regum idea est, ad quam fortè anteactis seculis nemo formatus fuit. Si ego ejus protectione dignus essem, nihil mihi deesse putarem ad mortalis vitæ felicitatem. Tu, Vir præstantissime, nihil te dignius efficere potes, quàm tanto Principi* mea ‡ *studia commendare. Deum veneror, ut illi & soboli vitam incolumem & diuturnam donet, & tibi favores illius adaugeat. Vale, & me, tuum cultorem, eàdem benevolentiâ prosequere.* Venetiis, VIII Jun. CIↃ IↃ CXII.

1612
‡ Al. tua.

EPISTOLA DCCCXII.

VIRO VENERANDO, P. PAULO VENETO.

QUò rariores tuas accipio, PAULE præstantissime, eò gratiores illas experior; quanquam, vel si quotidie ad me scriberes, rem mihi faceres semper gratissimam. Optavi aliquando Italiam vestram, Venetias cumprimis, illum Italiæ ocellum, invisere; sed non tenuit me unquam tanta cupiditas illorum locorum videndorum, quantum fuit in me desiderium tui videndi, & sermones tecum de rebus gravissimis serendi. Ex quo primùm scripta tua legi, sum captus admiratione tuæ singularis doctrinæ & judicii excellentissimi, quo excellis; cùm tempore crevit illa admiratio, non parum iis literis confirmata, quas variis temporibus à te accepi. Postrema verò Epistola tua paucos ante dies mihi reddita, ut te dignissima, ita mihi accidit longè gratissima.

1612

Non poteras Baronium magis graphicè depingere, quàm fecisti paucissimis verbis. At vulgus imperitum, ut scis, in admiratione illorum ANNALIUM stupet; vulgus cùm dico, etiam multos intelligo, qui se plurimùm sapere in literis videri volunt. Nam quotus quisque est hodie τῶν παπομανούντων, qui de illo Scriptore Annalium non dicet, quod olim de Pythagora: αὐτὸς ἔφα. Vidisti novissimam Conciliorum editionem, & flagitia in illa admissa, propter unius Baronii auctoritatem. Sed dudum observavi, omnes illos, quibus summæ pietatis est, adorare τὸν τῆς ἑπταλόφου γέροντα; id totis viribus agere, ut omnia Historiæ Ecclesiasticæ antiqua monumenta, præ uno Baronio nihili esse facienda, cunctis mortalibus persuadeant. Et meritò illi quidem; nam causæ Pontificiæ nullus ne cogitari quidem potest animosior illo Scriptore defensor: omnia *confert* *, imò * trahit; omnia audet, *imò* † fingit, in illum unicum finem: ut valde mirari soleam, pati Reges & Regum Consiliarios tantum pestilentissimæ doctrinæ Magistrum tanto ubique esse in pretio; omnino θεήλατον ei hoc πάθος. Fit enim ex hoc justissimo Dei judicio, ut

* Al. refert.
† Al. omnia.

qui

1612. qui mendaciis & fabulis anilibus in negotio Religionis delectentur, iidem hæc quoque perniciosa venena omnipotentiæ Pontificiæ à suis subditis hauriri atque imbibi patiantur.

Equidem de illis Annalibus sic semper judicavi, ut in eo Auctore, quid præter diligentiam probarem, nihil omnino invenirem. Apparet, ei propositum fuisse, omnia colligere, bona, mala, vera, falsa, nullo discrimine recti. Veri judicii quantâ laboraret inopiâ, in apparatu ipso statim ostendit. Vix attingit, quod erat necesse, gravissimas quæstiones; & multum perdit verborum, ut, quæ erant per se clara, aut certè non adeò obscura, tenebris involvat, & congerie mendaciorum verum abscondat. Josephum, Scriptorem gravissimum, quod ejus simplex & vera narratio, vanissimis, quos instituit, epilogismis non congruat, Præsides Syriæ cum Judææ Procuratoribus puerili errore confundens, Josepho inclementer dicit, & mendacii reum illum agere conatur, qui suas ineptias atque fatuitatem accusaret melius. Atque ut uno verbo dicam, πολυαγνωσίαν suam ita ubique ostentat, ut simul linguarum & meliorum disciplinarum & * artium imperitissimum se fuisse probet. Et hic tamen est Baronius, è cujus rhapsodiis volunt hodie nos pendere, quibus omnipotentiæ Pontificiæ commentum placet. Nos igitur amore veri flagrantes, id nunc agimus, ut scopum illorum Annalium aperiamus, &, quanti parens illorum fieri debeat, doceamus. Quo in proposito eam moderationem tenemus, ut præter Dei gloriam nihil quæsivisse nos, facilè omnes sint intellecturi, si ad breve tempus ὁ θεάνθρωπος Jesus Christus vitæ usuram concesserit. Videbis quæ in primum Tomum scripsimus. Id caput est totius operis: quod si probaverimus vix aliquid sani habere, de cætero corpore quid sit judicandum, non erit adeò difficilis conjectura.

* Al. artur.

Arduum est opus, quod incepi; vel propter congestarum in id volumen rerum copiam. Sed mihi bonitas causæ animos facit, & cumprimis serenissimi sapientissimique REGIS Majestas, quem & auctorem habeo nobilis incepti, & assiduum ἐργοδιώκτην. Scit Princeps, pietate & doctrinâ excellentissimus, quanti Christianæ Reipublicæ intersit, Baronio detrahi personam, ut talis omnibus appareat, qualis est reverà, non qualem ipsum stulta hominum persuasio fingit. Hoc igitur MAJESTAS ipsius mihi muneris mandavit, ut meam in eo negotio occuparem industriam. Existimat enim REX, non alibi melius 1612. quàm in *illo* † argumento omne id, † Al. *in.* quantulumcunque est literarum, quod Dei beneficio sum consecutus, posse occupari. Spero Deum immortalem conatibus affuturum meis; ego certè cupiditate ardeo incredibili, efficiendi, ne ejus benignitatis, quam mihi quotidie exhibet, REGEM prudentissimum possit aliquando pœnitere.

Gratissimum verò mihi fuit, ex literis tuis cognoscere, de tanto PRINCIPE non aliter te ex ejus scriptis & hominum sermonibus judicare, quàm hic optimus quisque facit eorum, quibus assiduo usu pietas, virtus ipsius & doctrina sunt notæ. Planè ita est, ut scribis. Quod querit Philosophus, an cadat in Principem laus viri boni, eam controversiam REGIS hujus exemplum prope unicum decidit; quippe nulla est aut viri boni laus, aut boni Principis, quâ non sit REX JACOBUS dignissimus. Cui ego tuum de ipsius Majestate judicium, cùm significassem, magnam optimum Principem ex verbis meis animadverti capere voluptatem. Magni enim te, PAULE venerande, Rex sapientissimus idemque doctissimus facit, ut nemo mirari debeat, gratum ipsi esse à tam laudato viro laudari. Cùm autem verba hæc in extrema Epistola tua ipsi ostendissem: *Si ego ejus protectione dignus essem, nihil mihi deesse putarem ad mortalis vitæ felicitatem*; statim jussit me REX de sua erga te benevolentia omnia tibi prolixè polliceri. Optare quidem se, ut popularibus tuis face virtutum tuarum præluceas; quod fecisti hactenus; si tamen aliter eveniat, scire vult te serenissimus REX, paratum tibi esse in ipsius magnificentissima liberalitate solatium; & scito scripsisse ejus Majestatem ad suum, quem isthic habet, Oratorem, ut nulla in re tibi desit. Experire, si necesse sit; senties REGI JACOBO ad bene merendum de bonis longas esse manus. Oro supplex Deum Optimum Maximum, ut Principem, natum in exemplum maximarum virtutum, terris quàm diutissimè concedat; idemque te servet, Vir venerande. Vale. *Londini, Kalend. Jul.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCCXIII.

CORNELIO VANDER MYLE.

MONSIEUR,

J'*Ay receu celle qu'il vous a pleu m'escrire touchant l'Epistre au Cardinal* 1612.

1612. *du Perron; laquelle quand j'ay escrite, je n'ay pas doubté que ceux, qui mesprisent l'Antiquité, la condamneroient: mais j'oppose à ces Messieurs-là l'auctorité du Roy de la Grand' Bretagne, & de tous les sages Evesques de ceste Eglise: outre la certaine science, asseurance, & ferme creance que j'ay, que je n'ay escrit un seul Jota en ceste Epistre, qui repugne à la Sainte Parole de Dieu, ni à la foy de l'Eglise ancienne. Quant à feu Monsieur de Serres, ce que vous dites, est très-vray* *. J'estois en Languedoc, quand il mourut. Ce n'est à moy de juger de son intention, ni de ceux qui l'ont si estrangement condamné. Seulement diray-je, que si le dit Sieur n'a eu autre desir, que de servir à la paix en l'Eglise de Dieu,* salvâ veritate; *il est plus louable pour ce dessein que ne sont ceux qui par leurs nouveautez troublent l'Eglise.* Est genus hominum, qui putant ante hos centum ferè annos cœpisse mundo apparere veram Ecclesiam, quæ nullo priore seculo fuerat visa. Horum amentiam ego ex animo detestor; atque ita judico, non magis nocere Ecclesiæ Dei Pontificios, dum suos errores Vetustatis obtentu hodie tuentur, quàm homines novitatum amantes, qui Sacram Scripturam ex libidine sua interpretentur, & quicquid suis interpretationibus non convenit, falsum & impium putant. *Je ne veux m'estendre sur ce propos, craignant vous ennuier. Faisant donc fin, je vous prie me tenir tousjours,*

** Il faut expliquer cela du dessein qu'avoit eu Mr. de Serres, d'accorder les Religions: ce qu'il temoigna, publiant le Livre intitulé,* Apparatus de fide Catholica. *Colomes.*

MONSIEUR,

Vostre très-humble Serviteur,

CASAUBON.

A Londres, ce 14. Juillet, CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCCXIV.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1612. Illustrissime Vir, post reditum ad vos Ducis Bullionii unas tuarum accepi, idque hesternâ die, quum ante viginti dies essent scriptæ. Scripseram binas ad te discedente Bullionio Duce; unas Capello Theologo tradideram; alteras Justello, qui Duci à secretis. Harum Epistolarum alteram periisse, ex tuis didici. Doleo non una ex causa. Scripseram multis de rebus familiariter; neque consultum est, ejusmodi literas in manus alienas incidere. Erant in eodem fasciculo plures aliæ de re familiari nostra scriptæ. Periit mihi opera, 1612.
periit tempus, cujus unius rei inopiâ laboro, ut qui maximè. Venio ad tuas. Quod scribis de illustrissimo Cancellario, gratum est. Exposui tibi causas non semel, cur opus adversus Baronium sim aggressus; & puto consilii illius habuisse me justas rationes. Metui tamen, ne Dominum Cancellarium offenderem, quo nihil molestius poterat mihi contingere. Liberasti me sollicitudine, cùm verbis illius nuntiasti, non propterea fore me illustri ipsius Dignitati minus gratum. Ego dabo operam, quantum fieri poterit, ut neminem bonorum offendam. Optassem potuisse sine meo nomine librum edi: sed hoc quî fieri potuerit, non video. Eam provinciam mihi esse demandatam, omnes hic sciunt ut libros mihi pararem, qui meis careo infelix, omnes Londinenses Bibliothecas excutere opus habui. Ego vix sum apud Regem unquam, quin pensi rationem exigat; idemque ut me juvaret, magnam sibi parare Bibliothecam instituit, quæ tota in ædes meas infertur. Hæc quomodo poterant dissimulari? Adde, quòd à Principe optimo vix putem impetrari posse, ut meum nomen taceretur. Scriptio denique ipsa, nisi fallor, οὗ παιδὸς τὸν πατέρα statim arguisset. Multa Scaligeri mentio, multa è Græcis Auctoribus deprompta, & id genus alia Scriptorem certo designassent. Richerius † nomine abstinuerat. Quid profuit? Quod igitur superest, Deo exitum permittamus. Ego mihi conscius sum, nihil quærere me præter gloriam Dei, defensionem veritatis, causæ regiæ patrocinium. Propter ista si me calamitas manet, dolebo; Stoicus enim non sum: in mediis tamen suspiriis vocem illam usurpabo, Ποσειδον, ὀρθὰν τὰν ναῦν. Fiat igitur Dei Opt. Max. voluntas. Me cùm vitæ hujus tædet, diu est. Scripsi aliquoties ad te, Cottonium ab urbe abesse, in contexenda Historia occupatum. Nuper quum mihi serenissimus Rex indicasset, ipsum esse in urbe, memor tuorum mandatorum, statim adii. Respondit, se totum in eo esse, ut cœptam Historiam absolvat; quam ipse Anglico sermone componit, Camdenus Latinam facit. Schedium à te missum ei tradideram, ut de re illa cogitaret. Post paucos dein dies respondit, sibi compertum esse, Mareschallum de Retz semel post lanienam Parisiensem in Angliam venisse; se enim, ut certò rem exploraret, omnia scrinia & tabularia sedulò inspexisse. Addidit tum, si quid aliud occurreret, in quo posset ejus opera tibi esse utilis, & dignareris ad se

† In Libro de Ecclesiastica & politica Potestate, cujus censura legitur Tom. II. Mercurii Gallici, pag. 307. & seqq. Colomes.

1612. se scribere; daturum operam, ut tibi satisfaciat. Oro Deum immortalem, ut te, Vir illustrissime, servet, ac magis magisque in dies fortunet. *Londini*, *Kalend. Jul.* CIƆ IƆ CXII.

Permittat mihi, obsecro, tua benignitas, ut Dominum Fabrum, quem ex animo colo & observo, hic salutem, & Dominum Rigaltium, ac Puteanos fratres, merito suo mihi charissimos.

Epistola DCCCXV.

DANIELI HEINSIO.

1612. Vir præstantissime, tandem accepi, quas diu exspectavi, literas tuas, post lectam Epistolam ad Cardinalem Perronium scriptas. Nihil memini legisse majori cum voluptate. Cæterorum meorum scriptorum laudatio φορτικὴ semper mihi visa: hunc libellum à te commendari, vehementissimè sum lætatus; non enim propria mihi illa laus est, sed ad sapientissimum Regem pertinet, gravissimosque hujus Regni Episcopos; quorum ex mente libellus ille est scriptus. Ego si privato nomine ejusmodi scriptum edidissem, à Zelotis nostris in plura frusta discerptus essem, quàm olim vel Actæon, vel Pentheus à suis canibus & thiasotis. Ne nunc quidem post illa tanta nomina satis securus lateo: non enim desunt, qui hæreses meas adnotent, & gravissimè de me pronuntient. E Gallia ad Episcopum Bathoniensem * plures Epistolæ venerunt, quibus ego gravissimè accusor, ut Papismi patronus. Ex Hollandia vestra vir doctus & bonus ad me scripsit, damnare se non pauca in eo libello; *quædam etiam toto animo execrari:* sic enim loquitur. Quid facerent hi censores, si aliqua Regis tanti reverentia & Ecclesiæ Anglicanæ eos non teneret? Te & divini ingenii virum, Grotium nostrum, aliter sentire, non mihi est magis jucundum, quàm serenissimo Regi reverendisque Episcopis, qui omnem φιλονεικίαν ex animo oderunt. Ego conscientiæ meæ integritate fretus & judiciis vestris, quid de meis scriptis judicent, aut judicaturi sint Theologiæ omnibus seculis inauditæ patroni, pili non facio unius. Pergo igitur alacris in opere adversus Baronium suscepto; totis ingenii viribus id contendens, ut veræ pietatis amantibus & solam Dei gloriam quærentibus meos conatus approbem. Dura omnino provincia est, quam suscepi; sed spes mea omnis non in propriis viribus, quæ nullæ sunt, verùm ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ Ἰησοῦ. Qui putant nos in literis humanioribus consenuisse, opus haut dubiè mirabuntur, suâ exspectatione longè majus. Theophrastus tuus quando prodibit? Jussi meum codicem Lutetiâ afferri, qui si fuerit allatus, nonnulla tecum statim communicabo, alicujus fortasse momenti: quanquam scio nihil tam parvum, nihil tam magnum esse, quod tuam diligentiam possit effugere. Deus immortalis te servet Reipublicæ literariæ. Vale, charissimum mihi caput. *Londini*, *a. d.* IV. *Non. Jul.* CIƆ IƆ CXII.

D. Eliensis te amanter salutat.

* *Jacobum Montacutum.*

Epistola DCCCXVI.

HUGONI GROTIO.

Vir præstantissime, si quantum voluptatis è tuis capio, tantum & otii suppeteret ad confabulandum per literas tecum, haberes me importunum congerronem. Sed mihi omnem ejus rei facultatem curæ, negotia, studia denique eripiunt. Nam & occupatissimus ferè sum; præsertim cùm Rex optimus est in urbe, aut ad urbem; tum autem operis suscepti magnitudo ea est, ut ægrè à proposito divellar. Videbis, si Deus immortalis faverit inceptis, novi generis scriptionem; rerum nempe veteris Ecclesiæ nudam & simplicem explicationem, sine affectu partium. Nihil malignè fingimus, nihil veri dissimulamus, omnia ad gloriam Dei referimus, non ad partium victoriam. Baronii verò imperitiam, fatuitatem, stuporem sine dubio miraberis. Nam qui summam Religionis faciunt, Pontificem Romanum adorare, illis Baronius quanto in pretio sit, non te fugit. Quid ergo dicturi sunt, quando videbunt certis argumentis demonstrari, illum melioris totius literaturæ fuisse imperitissimum? Et nos quidem summâ moderatione semper utemur; sed non propterea odium τῶν πεπτωκότων vitabimus. Ne illis quidem, satis scio, gratum erit opus nostrum, qui omnes opiniones χθὲς καὶ πρώην natas, volunt semper obtinuisse in Ecclesia Dei, & insano errore quicquid non probant, putant esse recens & ab Antichristo excogitatum. Isti sunt, qui in Epistola ad Cardinalem Perronium fœdas hæreses deprehendunt, & gravissimè de me pronuntiant. Est quidam in regione vestra Theologus, vir bonus, & mei amans, qui nuper liberè scripsit suum de illâ Epistola judicium. Damnat non pauca, ut parum Theologicè scripta; *quædam execrari se ait toto animo:* sic enim loquitur, & addit, velle se accuratè 1612.

1612. meos errores mihi demonstrare: qui si quantum est novorum librorum, evolvat, nihil afferre poterit, cur aut Rex sapientissimus, aut eruditissimi Episcopi hujus Regni, aut ipse literulam unam in ea Responsione velimus mutatam. Te aliter judicare de illo libello lætatur serenissimus Rex; lætantur & Episcopi gravissimi, quibus tua pietas & singularis doctrina non sunt incognitæ. Deus hanc tibi mentem servet, eandemque aliis suggerat; ut tandem aliqua patefiat illius negotii promovendi ratio, de quo non unis jam literis inter nos egimus. Scribam ea super re ad te brevi plura, volente Deo. Vale, Vir magne. *Londini*, *a. d.* IV. *Non. Jul.* CIↃ IↃ CXII.

Peto à te, ut quas tuis adjeci, cures perferendas. Invitus hoc tibi oneris impono; sed cogit necessitas.

Epistola DCCCXVII.

✠ JOANNI DRUSIO.

1612. QUòd postquam in hoc Regnum veni, nullas ad te literas adhuc dederim, Vir præstantissime; id ut meis occupationibus adscribas cum primis gravibus & continuis, etiam atque etiam vehementer à te peto. Constitueram certè, simul atque in Angliam appuli, dolorem meum tibi significare, quem ex obitu filii tui, juvenis supra annos docti, & mihi longè charissimi, cepi maximum. Sed me alia ex aliis negotia sic tenuerunt hactenus occupatum, ut culpam deserti officii vitare non potuerim. Iterum iterumque te rogo, ne de meo affectu in te è literarum mearum raritate velis judicare. Si id ageretur, ut ego tuis commodis ulla in re possem inservire, tum ego omnia postponerem, ut fidelem tibi operam præstarem. Tam triste argumentum cunctatus sum attingere, postquam videbatur cicatrix obducta. Nolebam δάκρυον ἐκ δεῖν ἐγείρειν· sed abrumpo tamen silentium, & pauca hæc ad te exaro, ut meam in amore tui & observantia constantiam tibi approbem. Si nulla esset alia caussa, cur te literarum studiosi, quos inter nomen ego profiteor meum, colerent; vel solâ editione tuarum in Novum Testamentum Observationum, quæ nuper prodiit, omnes τοὺς φιλομαθεῖς æterno beneficio tibi devinxisti. Equidem libri illius lectione ita sum delectatus, ut nihil suprà. Accurata enim illa comparatio doctrinæ & φράσεως Evangelicæ, cum scriptis veterum Magistrorum incredibilem in modum mihi arrisit. Opto tibi, Senex venerande, senectutem aquilæ, & πάντων συμμερίαν, ut publicatione tuarum lucubrationum bene de literis pergas mereri. Video latere in tuis adhuc scriniis multa, publicâ luce dignissima. Deus faxit, ut omnia edendi sit tibi facultas. Ex tuo libro didici, Buxtorfium vixisse; quod si satis certum, quantum in eo viro literæ vestræ jacturam fecerint, ne dici quidem potest. Nos hic refutationi Baronii otium nostrum impendimus: quæ scriptio à Literis Sacris non est planè aliena. Miraberis hominis adeo celebris imperitiam τῆς γνησίας παιδείας. Taceo alia & flagitia, quæ ad gloriam Dei palam faciemus. Vale, Vir venerande. *Londini*, *a. d.* IV. *Non. Jul.* CIↃ IↃ CXII. 1612.

Epistola DCCCXVIII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

VIr illustrissime, heri scripsi ad tuam Dignitatem, neque erat quod vellem additum; sed amico huic petenti συστατικὰ ad te non potui denegare: quum præsertim ex uno aut altero colloquio compererim, virum esse doctum, & judicii in literis non vulgaris. Ille enixè petiit à me, ut fores aperirem sibi amicitiæ tuæ: quà si illum ex commendatione mea fueris dignatus; mox, nisi fallor, dignum pronunciabis, quem referas in eorum numerum, à quibus velis coli. Hoc volui; neque nunc plura licet. Vale, Vir illustrissime, decus tui seculi propè jam unicum. *Londini*, *a. d.* VIII. *Eid. Jul.* CIↃ IↃ CXII. 1612.

Epistola DCCCXIX.

EIDEM.

VIr illustrissime, accepi responsum ad illas tuarum, quas mihi D. Scæva reddidit. Putabam Epistolam meam periisse, quam Justello tradideram. Hæc tua Epistola illam potius periisse me docuit, quam Capellus acceperat tibi deferendam. Si benè memini, illius argumentum erat de meo ad vos reditu. Hujus varium & multiplex: quantum tamen animo repetere possum, cùm meam memoriam interrogo, pars maxima ejus scriptionis erat de opere instituto; cujus scopum cupio esse tibi perspectum. Doleo, intercidisse illam Epistolam; non quia folium chartæ raptim exaratum tanti faciam; sed quia familiarem scriptionem in alienas manus devenire, periculosæ aliquando 1612.

plena

1612. plena res est aleæ. Ego fretus humanitate tuâ, & erga me benevolentiâ, sic soleo tecum per literas garrire, ut solitum facere memoriâ teneo, cùm isthic essem. Quæ refers mihi illustrissimi viri, Domini Cancellarii verba, incredibili me lætitiâ affecerunt. Nunc videor mihi cognoscere, seriò de me revocando esse isthîc aliquando actum; nam hactenus quidem mentio aliqua ejus consilii fuerat facta: sed hoc ita frigidè, ut sæpe dubitarim, quo fine illa dicerentur. Postrema hæc illustrissimi Cancellarii responsio persuadet mihi, illustrem ejus Dignitatem de eo negotio seriò aliquando cogitasse; non enim putem è re nata dixisse illum, quæ adjicis de duplici incremento commodorum meorum, si Deus dederit isthuc redire. Siquidem igitur illa vera sunt & satis certa, accipio lubens conditionem, & benè mecum agi tum credam, si dederit aliquando ὁ ἐπὶ πᾶσιν illâ Christianissimi Regis liberalitate posse uti frui. Sed quia id, quicquid est, incrementi petendum videtur ex illa pecunia, quæ in usum Scholæ est assignata, causam suspicor esse justam, cur ego metuam, ne exitu res careat: neque fortasse æquum fuerit, ut ipse ex alieno incommodo capiam commodum. Nam ut ipse doceam, vix credam posse fieri, ut tempora sunt & hominum ingenia. Quare peto à te, Vir amplissime, ut quantum sit in istis firmitudinis, diligenter explores, & nisi grave est, mihi significes. Non sum ausus Domino Cancellario obstrepere, cui tamen gratias agere optavi; imò ut puto, debui. Omnino persuasum ipsi esse cupio; si illa sunt rata & certa, quæ scripsisti, & tempus mihi conceditur perficiendi opus, quod serenissimo Regi nuncupare est animus, nullam posteà fore in me moram. Ardeo enim cupiditate incredibili colophonis imponendi operibus variis, quæ isthic incepta, aut perficientur isthic, cum bono Deo; aut . . . sed nolo malè ominari studiis meis. Nonnihil tamen movent me inimici, quos videor apud vos habere plures quàm putabam. Sed de his aliàs pluribus. Interim oro Deum immortalem, ut te servet, Vir amplissime, & quicquid tibi charum. *Londini*, *a. d.* IX. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CXII. vestro more numerandi.

Scribebam hæc in tantis caloribus, ut dubitem an in Gallia Narbonensi majores sim unquam expertus: sed scito, postridie quàm hæc scripseram, alsisse me vehementer.

EPISTOLA DCCCXX.

THOMÆ ERPENIO.

SI vel decem mihi linguæ essent, non 1612. possem tibi exprimere, charissime Erpeni, quantum sinceræ voluptatis nuntius ille mihi attulerit, quo te in patriam ad parentes rediisse cognovi. Sustuli in cœlum manus, & Deo immortali gratias egi, quòd mihi tantum amicum; Reipublicæ literariæ tantum vindicem servasset. Oro illum toto pectore, ut pergat tibi & conatibus tuis benedicere. Quod & facturum spero, imò ausim dicere, confido; teque hortor, ut de tuis studiis omnia tibi læta promittas. Non solet Deus Opt. Max. honesta proposita destituere ope suâ. Quare licet non statim, quid te futurum sit cognoscas, bono tamen esse te animo par est, & paululum exspectare. Quid? putasne difficile, illum ἀγράμματον loco deturbare, qui nunc Lugduni Batavorum alienam sedem vult ire occupatum? Ego, qui procul à vobis absum, mihi videor posse tibi recipere, non debere te ea de re dubitare. Nolo ut tu illi negotio te immisceas. Habeo amicos, ad quos seriò scripturus sum; quos scio meâ caussâ aliquid facturos; Grotium cum primis, & Heinsium, duo Hollandiæ clarissima lumina. Tu si putas aliquid me posse, fac me certiorem; ego nihil intactum relinquam, quo meam fidem tibi probem, & summam benevolentiam, quâ te prosequor. Neque enim vereri debes, ne temporis longinquitas, aut locorum intervallum animum immutarit. Quin potius crede certò, me de te absente dies noctesque cogitasse, & multa etiam apud doctos in Anglia viros esse locutum. Atque utinam te videre hîc possem, & de variis rebus sermones tecum serere! Spero sanè te, postquam tui conspectu optimos parentes satiaveris, huc excurrere non gravaturum, & nos tuo adventu beaturum. Invenies Arabica studia nostra planè jacere; cupiditatem tamen discendi in animo hærere nobis, quanta olim fuit. Sed nostros in eo genere conatus, postquam huc venimus, multa retardarunt. Nam & libri nostri ferè omnes Lutetiæ adhuc hærent; & nos alia studia mirè occupatos habent. Habemus in manibus, mi Erpeni, opus arduum, cujus finem si dederit Deus videre, fructum, ut spero, non mediocrem è vigiliis nostris Ecclesia Dei percipiet. Animadversiones enim scribimus in Annales Baronii, & fraudes illius atque imperitiam stupendam orbi pate-

1612. patefacimus. Non tamen à studiis linguarum Orientalium ita sumus alieni, ut non aliquando de illis quoque cogitemus. In Rabbinis præsertim succisiva temporum nostrorum, quoties licet, collocamus. Sed de his rebus brevi, ut spero, unà agemus. De אלם quæ scripsti, & nova mihi fuerunt, & longè gratissima. Non habeo hic Alcoranum Latinum; in quo memini aliquid legere; sed non dubito tua esse veriora, imò verissima. Scito, optimum virum Bedwellum iter isthuc cogitare, ut Lexicon τȢ μακαρίτȢ Scaligeri inspiciat, si potest, & aliquam sui Lexici edendi rationem ineat. Ille te admiratione singulari prosequitur, ex illis Notis, quas ad ipsum misisti in Observationes suas ad Alcoranum. Magno illum afficiam gaudio, cùm te rediisse ei nuntiabo. Scripsi, ex quo huc veni, duos libellos; quorum alterum non habeo jam ad manum; alterum tibi mitto, ut scias, quo in genere literarum nunc sim totus. Vale, amicissime Erpeni, & me ama. Parentes tuos ut meis verbis salutes velim. Scripsi statim post tuas acceptas, gaudio ebrius, propter acceptum de tuo reditu nuntium. Δόξα καὶ χάρις τῷ Κυρίῳ. Uxor te ex animo salutat. *Londini*, *a.d.* VII. *Eid. Jul. Angl.* CIↃ IↃ CXII.

Epistola DCCCXXI.

DANIELI HEINSIO.

1612. VIr clarissime, qui tibi has reddidit, amicus meus * est; amicus de meliore nota, vir doctissimus, & D. Episcopi Eliensis à multis annis εἰσνεὶ πλάτης. Is quum multos annos in illustranda lingua Arabica consumpserit, optavit priusquam sua ederet, posse inspicere τὰ τȢ μακαρίτȢ Heroïs. Ea sola illi fuit caussa suscipiendi hujus itineris, hortatu τȢ πάνυ Eliensis, qui nullis parcere cupit sumptibus, ut studiis literarum consulatur. Ille vir magnus, à quo scis te amari & æstimari κατὰ τὴν ἀξίαν, petiit à me, ut huic communi amico aditum patefacerem per literas ad tuam amicitiam. Speramus per te posse ipsi fieri copiam inspiciendi, quem servas, thesaurum. Quia vir simplex est, probus & pius, putamus non eum indignum tuâ benevolentiâ & gratiâ. Neque dubitare debes, si quid illi hoc iter ad voti summam profuerit, fore memorem & τὰς εὐεργέτας prædicaturum ingenuè & candidè. Nolo mihi fidem habeas; ipse experieris hominem non minus ἄκακον καὶ ἀφελῆ, quàm seriò doctum in illis literis, quas præcipuè colit. Habetis isthic Erpenium, cui meus Bedwellus, (sic enim vocatur is, de 1612. quo ad te scribo) probè est notus. Tibi verò, clarissime Heinsi, notum esse Erpenium existimo. Ille vir videtur mihi divinitùs nactus esse spartam ornandi linguas exoticas, præsertim Arabicam, cujus eam cognitionem labore improbo & magnis impensis est consecutus, ut ipsis Arabibus fuerit miraculo jam ante unum aut alterum annum. Ego certè stupore defigor, quoties de illo portentoso ingenio cogito. Audio Illustrissimos Ordines alere Professorem Arabicum. Oro igitur te, maxime Heinsi, ut efficias, quò illa provincia huic tradatur, ne desit illi occasio occupandi ingenii. Versatur ille quidem, vel potius ejus pater, in re lauta; sed occupari oportet ipsum in aliquo vitæ genere honesto. Scio, ipsum non esse à voluntate docendi alienum. Magnum decus adjeceris Academiæ vestræ, cui vel solus tu satis magnum es ornamentum, si effeceris, ut in ea professione Illustrissimi Ordines Erpenii operâ utantur. Me, ut hæc ad te scriberem, impulit insanus amor literarum, & cupiditas conatus doctorum promovendi. Tu, quæso, & Bedwellum, & Erpenium tuâ benevolentiâ complectere, & quibus poteris cunque rebus adjuva. Ego opus urgeo; sed negotium lentum est, & vix dum satis inchoatum. Videbis defensionem Scaligeri adversus Serarium super Herode alienigena accuratam & gravem. Amisimus nuper, vel præmisimus potius Bongarsium, virum omni laudatione majorem. Beatum illum, qui non vidit mala patriæ, quæ parant duo genera hominum, Jesuïtæ τὸ σύγχεν γένος, & οἱ ἐν τοῖς ἡμετέροις Ἰησουιτίζοντες· habemus enim & nos Jesuïtas. Deus misereatur Ecclesiæ suæ: qui te servet, ὦ αὐτάδελφον ἐμοὶ κάρα. Vale. *Londini*, *Kalend. August.* CIↃ IↃ CXII.

* *Wilhelmus Bedwellus, de quo nos alibi.* Colomes.

Epistola DCCCXXII.

HUGONI GROTIO.

VIr magne, proficiscenti huic meo 1612.
amico * ad vos non potui non dare aliquid literarum, ut notitiam illi tuam conciliarem. Vir est pietate & doctrinâ excellens, & simplicitate morum inter suos conspicuus. Scripsit opus ingens ad literas Arabicas illustrandas. Sed priusquam sua ederet, certò scire voluit, quid restaret spei de editione Thesauri τȢ μακαρίτȢ ἥρωος †. Scripsi ad clarissimum Heinsium, ut benignè hunc excipiat, quod non dubito facturum: καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Nos hic in exspectatione sumus adventûs

Electo-

* *Wilh. Bedwell.*

† *Josephi Scaligeri.*

1612 Electoris Palatini *, ut perficiatur, quod inchoatum est, negotium ἀγαθῇ τύχῃ †. Si quem offendero in ejus comitatu aptum ei negotio promovendo, de quo sæpe egimus, imminebo occasioni, & lapidem omnem movebo, siquidem spes aliqua fructûs fuerit ostensa. Scribunt amici, quos isthic habeo, graves de me querelas passim apud vos jactari, de hæresibus, quæ in Epistola ad Cardinalem Perronium continentur. Non miror, neque indignor, neque ξενίζομαι· prævidi namque hoc futurum. Habeo βεβαιωτὰς omnium, quæ scripsi satis, credo, idoneos. Vale, Vir præstantissime, & me ama. *Londini, Kalend. August.* CIↃ IↃ CXII.

Rogavi clarissimum Heinsium, ut si posset fieri, in professione literarum Arabicarum isthic occuparetur industria viri admirandi in eo genere παιδείας, Thomæ Erpenii, quem credo ipse nôsti; vestras enim est, educatus in Academia Lugduno-Batava. Benè merebitur, qui otium illi viro procuraverit, in quo te & posse multùm scimus, & velle etiam nostrâ caussâ aliquid confidimus.

* *Vide suprà. Epist.* DCCXXVII. & DCCLVI.

† *Ut scilicet Fredericus in uxorem duceret Magnæ Britanniæ Regis filiam unicam. Vide* J. A. Thuani Histor. Contin. lib. v.

EPISTOLA DCCCXXIII.

THOMÆ ERPENIO.

1612. VIr amicissime, habes Bedwellum nostrum; cujus utinam potuissem esse comes in itinere! Vidissem te & amicos, quos habeo isthic, arctâ benevolentiâ mihi junctos. Te imprimis, quo nemo mihi amicior; nemo, quem ipse plus diligam. Bedwellus noster narrabit tibi præsentem nostrum statum. Dies noctesque ponimus in suscepta scriptione adversus Baronium; in quo incepto, si Deus nobis benedixerit, multa legentur non passim omnibus nota. Quod si studiorum socium haberem, non leviter me in libros Rabbinorum immergerem, quos aliquando cœperam diligenter evolvere. Sed me aliæ curæ inde revocarunt. Utinam ita feliciter Dei clementia mecum ageret, ut possem te videre hic in aliquo honesto loco ex animi tui sententia collocatum! Sed quia nihil spei inde adhuc allucet, scripsi ad virum clarissimum, Heinsium, & ad amplissimum Grotium, ut omni ope atque operâ efficerent; ut tu in Academia Lugdunensi constituereris Arabicarum literarum Professor. Videbimus quid sint acturi. Ego tuas avidissimè exspecto, qui nuper scripsi ad te διὰ πλειόνων. Vale, & me ama. *Londini, Kalend. August.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCCXXIV.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

ILlustrissime Vir, respondi nuper ad 1612. oblatam conditionem per illustrissimum Dominum Cancellarium: qui si re præstare potest, quod verbis spondet, & pax mansura est in nostra Gallia, næ ego stultus sim, si exilium hoc charitati φίλης πατρίδος prætulero. Sed plura scripsi nuper ea de re. Audiveram de obitu viri clarissimi, τοῦ μακαρίτου Bongarsii, prius quàm tuas acciperem. Quàm tristis autem ille nuntius mihi fuerit, ne tu quidem, Vir amplissime, ignoras. Anni sunt ferè viginti, ex quo primùm in Germania amicitiam contraxeramus; à quo tempore vir optimus, & verè publico bono natus, nullum finem fecerat benè de me & studiis meis merendi. Nam qui esset longè doctissimus, quibus ipse subsidiis opus haberem ad ea, quæ parabam in literis, optimè nôrat; & qui me vehementer amaret, ea mihi sponte suâ sæpe providebat, non exspectatis precibus meis. Sed me non tam privata jactura angit, quàm damnum ingens, quod universum nomen Gallicum in obitu illius fecit. Hæc verò jactura quanta sit, ipse omnium optimè intelligis, qui & præstantiam illius ingenii nôras, & more tuo κατὰ τὴν ἀξίαν, non ex Aulicorum sermonibus, æstimabas. Habuit Bibliothecam instructissimam; sed variis locis dissipatam. Eam colligi cupio à Domino Petavio, ne is thesaurus Galliæ nostræ pereat. Parabat alteram partem operis à te suscepti, cujus prior ante annum prodiit. Memini, cùm is liber mihi esset allatus, incredibilem quandam voluptatem cepisse me è lectione Præfationis, summæ pietatis, probitatis, charitatis, & exquisitæ eruditionis notis refertæ. Quo magis dolui, non esse plura à tanto viro edita: qui si in Germania diem ultimum obiisset, habuissent docti viri rationem funeris ejus, & ornandæ illius memoriæ pro meritis ingentibus τοῦ μακαρίτου. Sed vivet Bongarsii memoria in animis bonorum & eruditorum,

> Ἔστ' ἂν ὕδωρ τε ῥέῃ καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ.

Ego incipio observationes meas describere, & habeo jam quædam descripta, quæ utinam possem ad te mittere! Sed nemo est ad manum, qui manum commodet. Quæram tamen, & omnino, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, aliquid mittam. Initio occur-

1612. occurrit disputatio de prophetia illa Jacobi: *Non auferetur sceptrum de Juda*, &c. Nam Cardinalis Baronius cum vulgo Patrum & multis hodieque putat, in Herode alienigena adimpletum esse oraculum. Quod figmentum est vetustissimum; sed eorum, qui neque Sacram Historiam, neque Judaicam posteriorem nôrant. Tractavimus accuratissimè illum locum, brevius tamen, nisi fallor, quàm Pererius in Genesim. Ibi etiam caussa Scaligeri magni agenda fuit contra Serarium. Nam cùm scripsisset Scaliger, Herodem alienigenam falsò fuisse creditum à Veteribus; Serarius Scaligerum non multò aliter excepit, quàm si alter Judas Dominum nostrum prodidisset. Ego Serarium non parvi facio; doctus vir fuit, multarum literarum, multæ industriæ; in hoc tamen libello contra Scaligerum virum profectò bonum non egit; falsa tuetur; fallis argumentis, & sine caussa verissimam viri incomparabilis observationem ὑπὸ ἐμφύτου κακοηθείας sinistrè interpretatur, quasi nefas esset hac in parte à sententia Veterum discedere. Et tamen ante alterum tertiumve annum Tornielius Italus in media Italia in eadem re longius multò à Patribus discessit quàm Scaliger: & tamen nullus est inventus Serarius, qui illas tragœdias excitaret & clamaret: *Porro Quirites*; ἄρσον, ἄρσον. Utinam propius à te abessem & clarissimo viro, D. Fabro. Vos essetis mearum observatiuncularum ὁ κανών. Occurrunt quæstiones gravissimæ in ipsis principiis; ubi nihil temerè pronuntiamus, difficultates nostras proponimus, & lapidem omnem movemus, quo bonorum exspectationi opus nostrum, Deo propitio, respondeat. Factiosorum certè palatis parum sapiet, scio; & jam adversus illorum judicia animum obduro. Sed desino ἀδολεσχεῖν, Deum immortalem venerans, quantâ maximâ possum pietate, ut te, Vir amplissime, servet, & magis magisque in dies fortunet. Γένοιτο, γένοιτο. Vale, meum decus. *Londini*, *a. d.* XIII. *Non. Aug.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCCXXV.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

1612. Vir nobilissime, cùm hinc discessit amplissimus Plessenius, ita occupatus fui, ut scribere ad te non vacaret. Et verò scripseram ante paucos dies, & libellum miseram non magis meum, quàm serenissimi Magnæ Britanniæ Regis. Qui si vestris Theologis parum placuit, scito ne literam quidem ibi 1612.
esse mihi propriam. De singulis enim Rex deliberavit cum suis Episcopis, viris pietate & doctrinâ præstantissimis. Scimus, & scriptum ad nos è variis locis, multis multa displicuisse, & graveis de ea scriptione sententias dictas esse: sed nos parum ista movent, qui ad omnium defensionem, si id ageretur, parati essemus. Etsi nunc quidem occupatissimi profectò vivimus, dies noctesque disputationibus Baronianis impendentes: non enim eâ curâ leviter defungimur. Det modò Deus immortalis & vitam & vires tanto oneri pares. Sed me nuper currentem inhibuit tristissimus nuncius de obitu viri pietate & doctrinâ maximâ, Bongarsii, τοῦ νῦν μακαρίτου. O jacturam gravem! Amisit patria mea magnum lumen; amisit Respublica literarum insigne præsidium. Nihil εὐσεβέστερον, neque probius illo viro; qui in omni genere παιδείας quantus esset, & tu scis optimè, præstantissime Lingelshemi, & nemo eruditorum potest ignorare. Ego amico sum orbatus, cujus fidem, sinceram mentem & solidum judicium nunquam satis prædicaverim. Scripserat ad me, se properare in Germaniam, & Francofurti futurum proximis nundinis. Vix illas literas acceperam, cùm de ipsius obitu per literas amicorum factus sum certior. Ita sæpe consilia nostra aliter longè eveniunt quàm proposueramus. Optassem, si ita Deo esset visum, in Germania potius ipsum obiisse diem suum: Germania ejus memoriæ honorem aliquem habuisset; quod per Reformationem Gallicam non licet; quæ ad versum Poëtæ facta est: ἐν δ' ἰῇ τιμῇ· nôsti cætera. Ego virum optimum beatum prædico, qui sit iis malis ereptus, quæ Ecclesiæ Dei videntur impendere. Vale, Vir amplissime, & me ama. *Londini*, *Non. Aug.* inter fervores Sirii prorsus hic insuetos, CIↃ IↃ CXII.

Vir amplissime, jam claudebam hanc Epistolam, cùm literæ mihi allatæ sunt à Davide Hœschelio; ex quibus didici, tribui mihi etiam ab amicis fœdas mendas, quibus verba mea furia illa, Scioppium dico, depravavit. Statim igitur alteram ad te Epistolam exaravi, si tibi probetur consilium, illam isthic cures edendam. Ideo exemplar aliena manu descriptum mitto; quod operis poterit exhiberi. Ego tibi rem totam permitto: nam vix potui relegere, tanta celeritate usus sum.

EPISTOLA

Epistola DCCCXXVI.

CONRADO RITTERSHUSIO.

1612. DIu eſt, ex quo nihil à te literarum accepi, Vir clariſſime. Quod eò impenſius miror, quia tuam in ſcribendo diligentiam habeo notiſſimam. Opto omnia tibi ex animi ſententia ſuccedere. Opto etiam ſcire, quid agas, & quid jam præ manibus habeas. Nos penſum nuper ſuſceptum urgemus, & cum Baronio dies noctesque diſputamus. Opus eſt futurum, Deo bene juvante, magnum, & in quo fidem ac diligentiam noſtram boni, ut ſpero, non deſiderabunt. Puto vidiſſe te libellum à me ſcriptum adverſus Cardinalem Perronium; juſſi enim mitti unum ad te exemplar. Scito, quicquid eo libello continetur, non magis tribui mihi poſſe quàm univerſo Clero Anglicano. Hoc propterea dico, quia multos eſſe audio è noſtris, qui quædam improbent. Clariſſimum Bongarſium diem ſuum obiiſſe Lutetiæ, ſuperioribus diebus cognovimus, & immenſum quantum ex eo nuntio dolorem percepimus. Amiſit patria noſtra magnum lumen, literæ magnum præſidium. Sed quoniam Deo ita placuit, feramus καὶ ἀχνύμενοί κῆρ. Vale, Vir clariſſime. *Londini, a. d.* VI. *Eid. Aug.* CIↃ IↃ CXII.

Epistola DCCCXXVII.

DAVIDI HOESCHELIO.

1612. HOdie tuas accepi, quas nobili Anglo dederas ex Italia redeunti. Nihil potuit opportunius; nam ego jam ad Lingelshemium ſcripſeram: ſed acceptâ Epiſtolâ tuâ, quia video mihi adſcribi fœdam depravationem loci Homerici à ſcelerato Scioppio factam, aliam Epiſtolam raptim exaravi ad eundem Lingelshemium, quâ culpam rejicio in ſceleſtum illud caput. Eſt quidem illa Epiſtola tantâ feſtinatione ſcripta, ut vix relegere potuerim. Exiſtimo tamen intereſſe mea, ut ea publicetur. Miſi ad Lingelshemium, virum optimum, qui judicio ſuo utetur. Cupio ſanè, illam ut videas. Intelliges, quàm parum movear perditorum clamoribus: τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ· Deus, inquam, immortalis, ad cujus gloriam mea ſemper ſtudia retuli: non ad ἀποθέωσιν Romani Epiſcopi, quæ hodie eſt Theologia multorum; ſed eorum, qui totam Antiquitatem ignorant, & Hiſtorias non legerunt rerum geſtarum à ſceleratiſſimo Hildebrando, & aliis deinceps. Reddatur antiqua diſciplina, & tot mendaciis opus non erit, quibus hodie defenditur tyrannis τυραννικωτάτη. Ego cæde magni Mæcenatis mei ita ſum irritatus in illud μυστήριον ἀδικίας, ut partem maximam pietatis putem, veritatem in hoc articulo profiteri. Si vis ſcire cauſam cædis Regiæ, lege *Directorium Inquiſitionis*, quâ parte agitur de ſuppliciis Regum. Ab illo fonte ea cædes, certè ſcio. Quid ſimile in Turcarum Hiſtoriis legimus? Ὄλοιτο πανοικὶ, quicunque ejus conſilii auctor. Scito parare me reſponſionem ad primum Baronii Tomum, moderatam quidem, & plenam reverentiæ erga illum; ſed tamen ſeriam, accuratam, & in qua pulcherrimas quæſtiones videbis novo more explicatas, non ex lacunis recentium; ſed ex ipſis Patrum fontibus. Opus jam deſcribi inceptum. Sed vix dum ſatis inchoatum. Supereſt, ut Deum mihi propitium precentur, qui me amant. Ego Dei gloriam & Eccleſiæ concordiam in omnibus meis inceptis ſemper ſpectabo. Epiſtolam tuam περὶ εὐχαριστίας accepi. Non poſſum nunc reſpondere. Videbis ea de re, quæ obſervamus in hoc opere, ſi volet Deus. Peto à te, ut ampliſſimum virum Velſerum meis verbis quàm officioſiſſimè ſalutes. Scripſi nuper; neque ſcio, an offenderim. Vale. *Londini, a. d.* VI. *Eid. Aug.* CIↃ IↃ CXII.

Obitum Bongarſii credo ab aliis te accepiſſe. Is caſus me graviſſimè perculit.

Epistola DCCCXXVIII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

VIdi tandem * infames ſtrenas nebulonis infamis, de quibus ad me paullò antè ſcripſeras, præſtantiſſime Lingelshemi. Vidi, & paucas paginas delibavi, avidius cognoſcendi quid ſibi peſtis illa jam vellet; ecquem poſt illuſtriſſimum Heroëm, Joſephum Scaligerum, cœlis dudum receptum, rabioſis ſuis latratibus, canis impurus ſibi delegiſſet invadendum. Pergit nimirum Alaſtor in ſuſcepto ſemel ſcelere; mutavit adverſarium, non mutavit ingenium: eadem væcordia, idem furor. Qui doctrinæ, virtuti, pietati in Scaligero bellum indixit, oppugnare eaſdem ne nunc quidem ceſſat, neque porrò ceſſabit; me vide: θεήλατον eſt hoc πάθος. Deum deſerere tum cœpit, 1612.

* *Tota hæc Epiſtola in Scioppium ſcripta eſt.* Colomeſ.

1612. pit, cùm veritati ὁμόσε χωρεῖν cœpit. Nôſti vocem terribilem: ὁ ἀδικῶν, ἀδικησάτω ἔτι· ὁ ῥυπῶν, ῥυπωσάτω ἔτι. Quod quidem miſer iſte veſpillonis filius ſtrenuè nunc facit: contra ſcientiam enim ſuam, contra conſcientiam, (ſi tamen reſtat illi jam aliquid veræ conſcientiæ) veritatem conatur opprimere, & aliâ quidem fortaſſe impulſus mercede; ſed nullus dubito, præcipuam illi mercedem eſſe ſceleris, ſcelus ipſum. Solet læſa veritas ab oſoribus ſuis has primùm pœnas expetere; ut qui ſemel ad ſe oppugnandam certo conſilio animum appulit; poſteà, ne ſi velit quidem, redire cum ipſa in gratiam queat. Pauciſſimis, quos Deus æquus amavit, ex illo barathro datur emergere. Nam ubi ſemel ἄγος eſt contractum, gliſcit malum in dies, neque prius deſinit, quàm ad ultimam impudentiæ atque ἀπονοίας lineam ſit perventum. Furere tum miſeri, & diro agitati œſtro ad exſcindendum ipſum veritatis nomen, ſi poſſent, totis viribus, cæco impetu ferri. Vidit noſtra hæc ætas ejus væcordiæ exempla aliquot illuſtria: ſed ex omnibus nullum illuſtrius, quàm quod in veſpillonis filio videmus jam edi. Ut canis rabioſus vagans huc illuc obvios mordet, ac veneno ſuo inficit; ſic iſte furore quodam Cerbereo οἰστρηλατούμενος bonos quærit, in quos virus evomat ſuum: non adeò hominum ductus odio, à quibus nullâ unquam injuriâ, ne minimâ quidem, fuit laceſſitus; ſed virtutis ipſius, atque veritatis, quas extinctas quum cupiat, bellumque illis ἄσπονδον indixerit, earundem cultores pro inimicis habet. Primus illius impetus fuit ante aliquot annos adverſus Joſephum Scaligerum, vitæ innocentiſſimæ virum, & de Republica literaria ſic excellenter meritum, tanto patre prognatum, tam illuſtribus majoribus, ut etiam privatas ſimultates, ſi quæ interceſſiſſent, tantis in literas & univerſum genus humanum meritis fuerint condonandæ. Dedit quidem, dedit nebulo pœnas juſtiſſimas ſuæ illius immanitatis; notis infamiæ propterea inuſtus, quas nulla unquam delebit ætas. Sed ſunt ingenia quædam adeò ſiniſtra, ut ſua ipſos oblectet infamia. Igitur Scaligero ſuccedit nobiliſſimus Pleſſæus; quicum ſic agit filius iſte Belial, ut miſerationem illius potius quàm iram videatur excitaturus: nam quis homini οἰστροπλῆγι, non ſuæ ſpontis; ſed certiſſimè inſanienti iraſcatur? Æger animi eſt, oculis mentis non utitur, rationis uſum morbi vis eripuit. Quis non miſereatur? Sereniſſimus certè Magnæ Britanniæ Rex, cognito ſuum quoque nomen à veſpillonis filio eſſe uſurpatum, & chartis ſuis inſertum, belluæ illius væſaniam demiratus, & ſæculi licentiam deteſtatus, quâ abutens hic ſceleſtus, genimen viperarum, fœtor orbis, ſpurcitia ſæculi, tantum audet; ubi paucis obiter inſpectis pagellis genium Scriptoris & ſcriptionis genus cognovit: *Omittamus*, inquit, *palam furentem: neque enim meretur, qui talia ſcribit, ut ulla vel minima ipſius habeatur ratio. Medicinâ miſer opus habet, ſed violentâ.* 1612.

- - - - οὐ γὰρ πρέπει
Θροεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι πήματι.

Simul infames libellos abjiciens, conſpectu ſuo poſthàc ſe quicquam unquam fore dignaturum negavit, quod ab illa Strige & mendaciorum cloaca eſſet profectum. Enimverò etſi veritati magniſque virtutibus plerique hominum parum ſunt æqui; non tamen ita malè cum humano genere agitur, ut metuere tantus Rex debeat, ne aliquid gloriæ Majeſtatis ſuæ vilis adeò homuncio, bipedum poſtremiſſimus, perditorum perditiſſimus, detrahat. Scribat filius veſpillonis, dicat, agat quicquid furor & inſita animo θηριωδία ſuaſerit; Regis maximi & ſapientiſſimi, addam etiam doctiſſimi, fama in tuto eſt; nullis canum latratibus, nullis viperarum morſibus obnoxia. Sublime tanti Principis faſtigium, & veſpillonis filii, tot præſertim criminibus infamati, projectiſſima vilitas majore disjunguntur intervallo, quàm ut jacta ab illo tela ad Regis Majeſtatem poſſint pertingere. Erat facile Regi è corona doctiſſimorum hominum, quâ ſolet Majeſtas ejus cingi, aliquem deligere, cui reſpondendi munus demandaret: verùm hoc ille adeò non fecit, ut affirmare auſim, nunquam Rege auctore ſimile quid quenquam fore aggreſſurum. Mendacia mera ſunt, meræ ſycophantiæ, aut nugæ certè meræ, quicquid ſcribit ὁ Κρονοχυτροληρολόγος νεκροθάπτου υἱός. Quid igitur reſponſione ullâ opus? Ne nos quidem, nobiliſſime Lingelshemi, maledicentiſſimi hominis convitiis movemur, quæ plenâ manu in nos effudit. Redeat in caput auctoris maledictum neceſſe eſt, quod generoſo animo fuerit ſpretum. Sit Deo gratia, non veremur nos, ne quis aut generis ſordes, aut juventutem per flagitia tranſactam verè poſſit nobis objicere. Parentibus nati ſumus, quorum excellentiſſimam pietatem, probitatem, & prudentiam, ne quidem ſatis poſſumus admirari. Inter bellorum civi-

1612. civilium furores nati, studio optimi parentis (qui juvenis Burdigalæ Præceptoribus erat usus Gelidâ, Goveano, Mureto, summis eorum temporum viris) in literis instituti, quum ille viveret semper in negotiis publicis occupatissimus, maximamque temporis partem domo abesse cogeretur; profecimus scilicet non quantum aut pius parens optabat, aut ego vellem; sed quantum per temporum iniquitatem fieri poterat. Longum facerem, Vir amplissime, si totam studiorum meorum rationem, & impedimenta, quæ meum juvenis cursum remorata sunt, instituerem tibi hoc loco narrare; etsi verè possum ἐν Κυρίῳ gloriari, mereri patris mei absolutam virtutem & exquisitam eruditionem, ut cognoscatur ejus vita; quod quidem si ambitiosus essem, jam pridem per me oportuit esse præstitum. Quum igitur Thersitæ istius maledicentiam, Dei virtute, possimus jure contemnere; insignitam injuriam, quam fecit nobis, tacere non possumus, nec debemus. Nactus enim Epistolam *, quam ad magnum Scaligerum pro mutua conjunctione nostra aliquando scripsimus, prostituti pudoris nebulo nobis inconsultis partem illius edidit. Non cogitavit Alastor, Epistolam alienam proferre se non posse, quin furti manifesti, & quidem turpissimi, reum sese ipse perageret. Nam unde habet? quis illi dedit? aut quid furtum est aliud, nisi alienæ rei invito domino tractatio? Didiceram ex gravissimorum scriptis, felem hanc librariam viri clarissimi, Oberti Gifanii, scrinia olim in juventute sua nefariè compilasse. Nunc prodit se indicio suo sorex. Fur igitur est iste furcifer, & quidem in maximè infami furti genere ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensus. Literæ ad familiares scriptæ, juris publici non sunt; privati juris, privatæ possessionis sunt. Itaque olim quum inter Paganos Græcos & Romanos virtus vigeret, quam in falsis Christianis cogimur hodie desiderare, magni duces captas suorum hostium literas inspicere noluerunt. Rectè: nam qui jus literarum violat, jus gentium violat, humanæ totius societatis jura conturbat. Scelestus igitur est, ἐναγὴς & piacularis,

* Vide supra. Epist. DCCCVII.

> Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος.

Ad tantum scelus accedit belluæ istius incredibilis ignorantia. Et audet homo væcors agere mentis meæ interpretem? qui priusquam mea verba interpretetur, hoc est, suis spurcitiis contaminet, turpi flagitio illa corrumpit; sive ea simplex ignorantia est, Græcarum præsertim literarum, sive malitia plus quàm diabolica. Scripseram sic: *Nunc ea acciderunt, quæ verissimè dictum arguant à divino Vate:* τοῖον εἶναι νόον ἀνθρώποισι, οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγει Θεός. Iste asinus ita postrema verba descripsit: οἷον ἐφ' ἡμᾶς ἄγει Θεός. Vertit autem, *qualem Deus nobis immittit.* En qualem nactus sum interpretem! & audebit de meis scriptis, tanquam novus Aristarchus, pronuntiare, qui nullius ope Lexici, [nam inde sapit miser, & totus pendet] versum Homericum in subitanea scriptione mihi usurpatum, potuit intelligere? Si quam habet tagacem dexteram in sublegendis rebus alienis, tam haberet exercitatam in Græcis Scriptoribus pervolutandis, non ignorasset respexisse me, cùm Epistolam illam more meo subitò effunderem, ad divinos Poëtæ versus: Ὀδυσσ. σ. v. 135. 1612.

> Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
> Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Scivisset tanti Veteres fecisse hunc locum, ut Archilochus, cujus alias quoque ex Homero κλοπὰς notat Clemens in sexto Miscellaneorum suorum, pulcherrimè sit illum sic imitatus:

> Τοῖος γὰρ ἀνθρώποισι θυμὸς, Γλαῦκε Λεπτίνεω παῖ,
> Θνητοῖς, ὁποίην Ζεὺς ἐφ' ἡμέρην ἄγει.

Denique si melioris literaturæ gustum aliquem haberet, præcipua totius sententiæ verba ἦμαρ & ἄγει non adeò fœdè corrumpens à Poëtæ mente & mea sententia aberrasset. Verè quidem dictum Apostolo, dona Dei esse ἀμεταμέλητα, neque Deum unquam pœnitere suæ erga mortales liberalitatis, sed hoc in benè utentibus præcipuè verum apparet. Docet namque usus, eum qui hodie fortissimè se gesserit, die crastino fieri posse ignavum, & idem est in cæteris Dei χαρίσμασιν. Homerus igitur naturalis lucis ductum secutus, divinitùs monet, non debere aliquem propter quascunque ingenii, corporis vel fortunæ dotes superbire; hominem enim tantum posse, quantum illi Deus in dies singulos bonæ mentis & auxilii sui suggerat. Divina prorsus sententia, & non minus digna quam posteri imitarentur, & memoriæ mandarent, quàm indigna quæ ab imperito nebulone corrumperetur. Vertit eam olim Tullius in Latinum sermonem; sed ita, ut genuina mens Poëtæ ex ejus versione non satis appareat. Beatus Augustinus de Civitate Dei, lib. v. cap. VIII. *Illi quo-*

1612. *quoque versus Homerici huic sententiæ de fato suffragantur, quos Cicero in Latinum vertit:*

Tales sunt hominum mentes, qualis pater ipse
Juppiter auctiferus lustravit lumine terras.

Minus miror istorum in extrema Epistola verborum: οἱ μὲν γὰρ τὰ γράμματα οὐ μανθάνουσιν, οἱ δ' ἐπ' ἀριστερὰ μανθάνουσιν· aut non vidisse istum mentem, qui est illius stupor; aut exprimere noluisse, quâ malitiâ est. Apage ergo illas glossas impuras, quibus mea verba inquinat magister artis calumniatricis: apage item illas fatuas consequentias, quas malus Logicus ex iisdem elicit. Ego talem conjectorem nihil moror. Est mihi frons aperta, pectus niveum & candidum. Abeat Morboniam cum suo maledicendi morbo. Non potest apud eos, qui me nôrunt, factum alienum vel tenuissimam existimationi meæ labeculam aspergere. Hoc volui nescius ne esses: nam ut ad putidissimas sycophantæ calumnias respondeam, neque mihi integrum jam est per eam legem, quam ipse in Epistola ad Scaligerum ante annos quinque edita mihi dixi, neque si vel maximè vellem, possem tamen auctoritatem consilii tui contemnere, cujus est apud me pondus gravissimum. Meministi autem, quàm seriò mecum egeris novissimis tuis literis, ut & latratorem hunc, & similes ei omnes alios contemnerem; semelque apud animum meum constituerem, facinus fore indignum, si propter hujusmodi hominum levissimas & putidissimas næniаs à magno incepto, quod præ manibus jam habeo, sinerem me avocari. Parebo, Vir maxime, consilio tuo; &, quod in me erit, ab omni tali scriptione posthàc constanter abstinebo. Vale; & viris amplissimis, Plessenio & Frehero, plurimam, nisi grave est, à me salutem. *Londini*, IX. *August.* CIↃ IↃ CXII.

Epistola DCCCXXIX.

DANIELI HEINSIO.

1612. VIr clarissime, scripsi ad te paucos ante dies per Bedwellum Anglum, Verbi Dei Ministrum, quem non dubito, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, meas tibi reddidisse. Nunc aliud nihil habeo, quod tibi scribam, nisi hoc unum, ut pro tuo in me amore cures illi reddendas, quas ad te mitto. Literæ sunt uxoris ipsius, valde mihi commendatæ: καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Accepi ante quatuor, puto, dies clarissimi Baudii Epistolam, ad quam 1612. respondere nunc quum non possim, peto à te, ut verbis meis ipsum salutes, & ei confirmes, me κατὰ λεπτὸν fide sincerâ accuratè responsurum, ubi primùm omnia exploravero. Valde enim fallitur ὁ τρισφίλιστος Baudius, cùm putat, deesse me hac in parte amici officio, qui ut fieret, quod ipse cupit, magnâ parte fortunarum mearum redimerem. Sed de his brevi, & ad ipsum, & ad te etiam. Vale, meus amor. *Londini, die* XII. *August.* CIↃ IↃ CXII.

Epistola DCCCXXX.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

ILlustrissime Vir, etsi jure possum vereri, ne frequentia mearum tibi sit tædio, non potui tamen Cambdeni Epistolam ad te mittere, quin te paucis affarer. 1612. Puto autem, significasse me tibi de Epistola ad D. Careri tua, quam ipse detuli, qui etiam animadverti tuas esse ipsi longè gratissimas. Ipse quid agam, noli quærere: qui nôris susceptum opus, nôsti omnino, qua in re totum tempus collocem. Equidem nullum tempus intermitto; etsi quantum promoveam me sanè pœniteret, nisi ea esset dignitas materiæ, quæ moræ longioris excusationem facilè mereatur. Sudavi plus satis per hos intensissimos calores; nec dum tamen pars aliqua λόγου ἀξία operis totius est confecta. Utinam quæ scripta sunt, videres! Delectaret te Josephi Scaligeri adversus hostes veritatis defensio. Nam in illis Antiquitatibus primis, de quibus in Apparatu suo Baronius incredibile dictu est quantum ille θεῖος ἀνὴρ viderit, quantum alii cæcutiant. Ego nullam ex professo suscepi Apologiam pro Scaligero, cujus ipse aliquot hallucinationes insignes sæpe observo, quas Serarii & Delrii non viderunt; sed quia veritas mihi proposita est, quam in plerisque divinus Scaliger vidit, non possum, nisi sim ingratus, præterire ejus mentionem. Sanè unicus libellus contra Serarium tantâ doctrinæ reconditæ copiâ est refertus, ut omnes inimici Scaligeri, si in unum conveniant & capita conferant, parem librum nunquam sint daturi. O si isthic essem, quanta cum voluptate de his rebus tecum, & cum præstantissimo Fabro agerem! Obtunderem vos meâ loquacitate; sed amorem operis incepti dissimulare non possum. Vale, amplissime Vir, & si tibi molesta est ἡ ἐμὴ ἀδολεσχία, ulciscere, & dic cum Platone: Ἥφαιστε πρόμολ' ὧδε, ἐγώ νύ τι σεῖο χατίζω.

Iterum

1612. Iterum vale. *Londini*, *die* XII. *August.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCCXXXI.

✠ STEPHANO HUBERTO.

MONSIEUR,

1612. *ET vos Lettres, & celles, que m'avez envoyé, m'ont esté très-agreables. J'aime ce bon personnage, en qui je n'ai jamais recognu que toute probité. Je vous prie lui faire tenir les miennes. Je vous conjure* per omnia sacra Musarum, ut in incepto pergas, neque prius desinas, quàm aliquid effeceris, quod studia illa promoveat. Hic sunt nonnulli, qui non negligunt. Sed unus est mihi notus Bedwellus in iis literis longè ὑπέροχος ἄλλων. Quo nomine cùm sit mihi charissimus, tamen propter mores longè est mihi charior. Est insitum huic nationi, ut sua amet, aliena ne admittat quidem ad aliquam comparationem. Florentissima enim & ditissima sua Collegia ipsis animos faciunt, ut omnes non vereantur præ se contemnere. Hoc vitio qui non laborant, inter Anglos sunt viri admirandi, ut noster Bedwellus, homo simplicissimus omnium, quos memini vidisse; alienus ab invidia, ab opinione sui, & à studio obtrectandi, quod hodie est ἐπιδήμιον morbi genus. Vidi ejus Thesaurum Arabicum; sic namque jure appellavero: est enim magna libri moles. Is nunc Lugduni Batavorum alterum mensem agit, eò profectus auspiciis & sumptu viri maximi, Domini Episcopi Eliensis. Hic dignissimus Præsul non solùm est doctissimus, sed etiam egregiè favet literis; itaque Bedwello pecuniam pollicitus est necessariam ad Thesauri Arabici editionem, & faciet; nam & potentissimus est, &, ut dixi, litterarum amantissimus. Ille unicus est Angliæ Phœnix, in omni re moderatissimus, cujus vota, cogitationes & sermones ad Literas Sacras & studium concordiæ semper referuntur. Quemadmodum Gallia alterum Cardinalem Perronium non habet, ita hæc Insula unico superbit Eliensi: non quòd desint hic viri magni; sed aliis rebus sunt magni. Ille si præstiterit, ut Thesauro Bedwelli aliquando fruamur, incredibile dictu est, quantum illi simus omnes debituri. Sed vereor, ne Erpenius, qui jam est cum Bedwello, illius conatus retardet; non quòd Erpenius id habet propositum; est enim vir optimus; sed si Bedwellus, qui illum valde admiratur, intellexerit Erpenium seriò cogitare aliquid simile, statim languescet ejus impetus. Ego possem mul- 1612.
tum proficere, nisi in aliis studiis jam essem, quæ ita me occupatum habent, ut nihil suprà. Jam opus magnum inchoavimus; jam crescit, in quo apparebit inimicis meis, quàm parum illi me noverint. Sed de sceleratis terræ filiis, qui me undique invadunt, aliàs plura. Opere meo peracto, in quo dies noctesque sudo, aut ad vos redibo, si mei adhuc aliqua restat memoria, aut de perpetuo exilio mihi erit cogitandum: sed hoc divinæ providentiæ permittamus, & nos sinamus ab illa regi. Miror queri te de inopia characterum Arabicorum; nam Lebbæus, obsecro, in quem usum suos paravit? An ille non cogitat, τὸν βίον εἶναι βραχὺν, τὴν τέχνην μακράν? Quando igitur fruetur gloriâ, quam meretur ob nobile inceptum? Sin velit vendere, Episcopus Eliensis lubens emet in gratiam Bedwelli. Sed maneat in Gallia decus illud. Optarem existere vobis aliquem Mæcenatem, qui pensum à vobis exigeret, ut & tu, & Lebbæus cogeremini opes vestras in publicum conferre. Sed aureis catenis trahi vos ad hanc necessitatem vellem. Ego si isthuc unquam rediero, & quies studiis meis aliqua concedetur, dies noctesque vobis imminebo, donec aliquid à vobis expressero. Kirstenius propriis impensis aliquid potuit; vos nihil poteritis, idque Lutetiæ, id est, in ea Musarum sede, cui parem Orbis terrarum non habet? Sed alacritatem animi tui satis novi: itaque verbum non addam amplius: *Je prie Dieu qu'il vous donne & santé, & longue vie, & ensemble à Monsieur vôtre frere, auquel vous prie presenter mes très-humbles recommandations. Ma femme vous baise les mains, estant sur le point d'accoucher avec l'aide du bon Dieu. Tenes me, s'il vous plaît,*

MONSIEUR,

Vôtre très-humble Serviteur,

IS. CASAUBON.

Londres, ce 22. Sept. 1612.

Inscriptio.

A Monsieur,

Monsr. ETIENNE HUBERT, Medecin du Roi, & son Professeur ès Langues Arabiques.

A PARIS.

EPISTOLA DCCCXXXII.

JOANNI DRUSIO. ✠

QUum ante aliquot menses Notas in 1612.
Novum Testamentum tuas legissem,

1612. sem, Vir præstantissime, ita me sensi adjutum εἰς περικοπὴν eâ lectione, ut ingratus viderer futurus, nisi eo ipso nomine gratias tibi agerem. Scripsi igitur ad te illâ occasione, & quantum me tibi debere agnoscerem, pro eo ac debui, sum professus. Literas illas misi ad τὸν πάνυ Grotium, virum optimum, & merito suo clarissimum; neque dubito siquidem illi fasciculus meus fuit redditus, quin meas ad te curavit. Quare vehementer sum admiratus, cùm tuas nunc ipsùm accepi, videri te Epistolam meam non accepisse. Id si ita est, doleo periisse mihi fructum officii mei; magni enim æstimabam scire te, quàm acerbus mihi luctus ἐπὶ τῷ μακαρίτῃ υἱῷ accidisse. Tu illum luxisti, ut filium; ego ut amicum bono Reipublicæ literarum natum, & incredibili eum ejusdem detrimento denatum; ἀλλὰ γὰρ θέλω τὸ δακρύειν εὕδον ἐγείρειν. Alterum erat, quod volui te ex meis cognoscere; dum ego vivam nunquam defuturum, qui tuas laudes sincero animo prædicet, quique se tibi debere plurimùm profiteatur. Atque utinam tibi possem μαθητιῶν, haberes discipulum discendi cupidissimum. Fit enim nescio quomodo, ut crescente ætate, & jam ad senium vergente crescat in animo nostro ἡ φιλομάθεια. Literas autem illas, in quibus tu regnas, semper equidem sum veneratus. Accepi nunc ipsùm & literas tuas, & quod erat literis adjunctum munus χρυσοῦ ἀντάξιον· pro quo immortales tibi gratias ago. Non parum opportunè illud venit. Nam quidquid superest vacui temporis, ejus magnam partem impendo à paucis diebus lectioni Commentarii Hebraici in Pirke Avot. Nactus nuper eum Codicem diu mihi desideratum. Continet autem liber, quo utor, Commentar. R. Samuel, & Rasi, editus Venetiis. E Notis tuis in Novum Testamentum didici, te alios meliores esse adeptum. Capio ex hoc genere studii voluptatem incredibilem, etsi aliis curis occupatus vix possum ad has literas oculos aliquando referre. Vidi jam pridem tuam editionem, quæ mihi sæpe usui fuit; ut omnia tua scripta, quæ domi habeo, hoc est, Lutetiæ, ubi pars multò maxima Bibliothecæ meæ adhuc hæret. Quod mea scripta desideras, non faceres, si habuissem, per quem illa ad te transmitterem. Tu enim, Drusi clarissime, unus inter paucos es, quibus meas lucubrationes cupio esse probatas. Scito autem magnum opus jam moliri me, *Animadversiones adversus Annales Baronii.* Constitui, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, primum illius Tomum funditùs evertere. Illa dico, quæ propria Baronii sunt, errores nempe & 1612.
mendacia numero prope infinita. Mirabuntur qui nostra legent, tantum in literis nomen esse consecutum, qui neque Græcè, neque Hebraicè, ac ne Latinè quidem doctus esset; qui Historias ignoraret; qui omnia miserè confunderet. Jam, Dei beneficio, inchoatum opus, & pars illius non pœnitenda est confecta. Si vires dabit ὁ ἐπὶ πᾶσιν, exspecta adversus primum Tomum non minorem ipso librum. Ibi legent æqui Lectores de plerisque hodiernis controversiis, non quid ego aut Cluverius sentiamus; sed quid pia Antiquitas crediderit. Scio Romæ flammis addictum iri opus meum, quando illis summa pietatis est, τὸν τοῦ ἑπταλο-τυράννου Deum fovere: neque mihi proderit moderatio, quâ utar, in puerilibus Baronii erroribus confutandis. Sed hos ego Censores nihil moror. Illi me sollicitum habent, quos video inter nos nihil amare, nisi novum & contrarium veteri Ecclesiæ. Vellem hic morbus non regnaret inter nostros; sed res manifesta est, & ut me tibi aperiam, detestanda. Leguntur Patres, ut reprehendantur; tum ut trahantur ad hodiernas novitates, quot machinæ sunt illis adhibendæ! & quod valde mirari soleo, in tanta licentia novandi nihil minus in nostra Gallia licet & multis aliis in locis quàm veteris Ecclesiæ fidem & instituta sacratissima in lucem proferre. Nuper quum esset edita Epistola ad Cardinalem Peronium, non defuerunt, qui me hæreseōn multarum reum deferrent. Saluti fuit, quod maximi Regis nomen ea scriptio præferebat. In meo opere eadem doctrina continebitur; neque auctoritate ullius Regis defendam, sed veris, solidis & certis rationibus; det modò Dominus Jesus perficere quod incepi. Vale, Vir clarissime, & me ama. Dabo operam, ut quæram occasionem, per quam utrumque libellum hîc editum ad te mittam. *Londini, a. d.* XV. *Kalend. Oct.* CIↃ IↃ CXII.

Virum amplissimum, Dominum Saeckmam, veteri amicitiâ mihi junctum, meis verbis, nisi grave est, quàm officiosissimè salutabis.

EPISTOLA DCCCXXXIII.

THOMÆ ERPENIO.

VIr amicissime, tuas accepi, & quas 1612.
tuis adjunxeras. Respondebo aliàs pluribus, & tecum ἀδολεσχήσω ubertim. Multa enim habeo, de quibus tecum garrire cupiam. Doleo, non esse tibi aditum ad illam professionem, cui sustinen-

1612. ſtinendæ ſolus par es τῶν νῦν ὄντων. Noli animum deſpondere. Scit Deus immortalis, quid tibi conducat; in illum rejice omnes curas tuas. Interim conare, ſi potes, de literis benè mereri. Video characterum inopiam conatibus tuis obſtare. Noſter Bedwellus quid iſthìc effecturus ſit neſcio. Si ille poſſet nanciſci, quod petit; auctor eſſem tibi, ut venires ad nos. Exſpectemus; multa nos dies docebit, quæ ignoramus. Ego in opere magno pergo, & pergam, dante vires Deo, donec perfecero quod cupio. Optamus ego & uxor læta omnia tibi & parentibus tuis. Vale. *Londini*, *a. d.* VIII. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CXII.

Tuas chartas Grammaticas accepi, & non unis literis tibi gratias egi. Utinam plura acciperem! Utinam tua poſſent edi!

Epistola DCCCXXXIV.

DANIELI HEINSIO.

1612. VIr clariſſime, quas ultimo Auguſti ad me dediſti, accepi nudiuſquintus. Habent hoc omnes Epiſtolæ tuæ, ut incredibilem mihi ſemper voluptatem afferant. Videor videre oculis mentis σύμπνοιάν τινα θείαν ἐν τοῖς καιριωτέτοις inter nos. Quod ſi parum me credis oblectare, erras. Quò pluris te facio, eò vehementius gaudeo eandem utrique noſtrûm mentem eſſe, eundem ſenſum. Multum ea conſideratio alacritatis mihi affert, ut pergam ἣν ἔλαχον σπάρτην κοσμεῖν. Spartam meam voco, quando me divina providentia ad hæc ſtudia traduxit, ut ſimplicem veritatem tuear, & piis Lectoribus ſpectandam exhibeam. Scio parum hodie gratum id inſtitutum eſſe τοῖς δοκοῦσι θεολόγοις. Spero tamen ἐν τῷ Κυρίῳ, ita me ſtylo moderaturum, ut facilius ſit futurum τοῖς φιλοκαίνοις noſtra μωμήσασθαι, quàm confutare. At οἱ ἐξ ἐναντίας mirabuntur diligentiam noſtram in detegendis erroribus, hallucinationibus, mendaciis τοῦ νέου συγγραφέως· det modò χρηστὸς Χριστὸς perficere, quod dedit inchoare. De filio * τί δάκρυον ἶυδον ἐγείρεις· non poſſum infelicis juvenis ſine fletu & ſuſpiriis meminiſſe. Non illi deerat ingenium; indoles quoque non peſſima. Sed dum ego illum urgeo, eat per mea veſtigia, & ſuperet; quod fuit illi facilè, ſi fata ſiviſſent. Reperti ſunt viri graves, qui illum à me abducerent, & à profeſſione purioris Religionis. Ita ille πλάνηθεὶς τοῖς ταλαιπώροις γονεῦσι τέθνηκε. Longa hiſtoria eſt, longæ ambages; ſed ego immorari huic ſermoni præ luctu nequeo. Nunc quid ille agat, juxta 1612. ſcio cum ignariſſimo. Deus ὁ πολυέλεος in viam rectam illum ſiſtat. Hoc verè poſſum affirmare, avertendo illi cum primis occaſionem præbuiſſe diverſitatem inter noſtras hodie opiniones, & Eccleſiæ veteris: quàm differentiam certi homines magni cum illi ſummo ſtudio oſtendiſſent, me inſcio eſt effectum, quod fieri poſſe non putabam. De Bedwello ago tibi magnas gratias. Non eſt in urbe Dominus Elienſis; qui ubi redierit, ex me tua in ſe merita cognoſcet, & erit fortaſſe tempus, cùm tu non adeò ἐμφιλοχωρήσεις, ut huc excurrere dedigneris. Urgerem te magis, niſi ſcirem averti te à tuis ſtudiis ſine damno Reipublicæ literarum non poſſe. Quas ad te mitto, velim, ſi me amas, [quis autem me amat, ſi tu me non amas?] diligenter cures. Scripſi aliquoties ad virum clariſſimum, Druſium, nec meas accepit. Tu facito, quæſo, ut accipiat. Poëmata Græca tua non dubito fore ſimilia cæteris ingenii tui monumentis. Ego nihil poſſum ad te mittere ante abſolutum magnum iſtud opus, quod me aſſiduè exercet. Itaque *Exercitationes* illi, opinor, nomen faciam. Utinam perficiendi det bonus Jeſus facultatem! Vidiſti P. librum * adverſus me, quem ante aliquot dies Rex ad me miſit. Legi avidè, & ne diſſimulem, capiebat me ſcriptionis elegantia. Sed dolet mihi, virum eruditum tam fatuè, tam inſulsè, tam perditè patronum agere doctrinæ parricidialis. Minatur in extremo libro fulmina, tonitrua, & neſcio quas δυσφημίας. Sanctè juro tibi, non aliter affici me talium ſcriptorum lectione, quàm ſi nihil ad me pertinerent. Id doleo unicum, Satanicæ cauſſæ tot exiſtere patronos. Conſtitui ſilere, donec opus perfecero: tum ſi Deus volet, unicâ Præfatione omnes iſtos canes intrepidus aggrediar, & veritatis gladio accinctus facilè ἀδηωσιάσω. Fruantur interim inſaniâ ſuâ, dum ego ſtrenuè cum magno Athleta me exerceo. Deus Pater Jeſu Chriſti Eccleſiæ ſuæ miſereatur, idemque te ſervet, amiciſſime amicorum. *Londini*, *a. d.* VII. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CXII. *ſtylo Galliarum.*

Virum clariſſimum, Dominum Grotium ſi videris, meis verbis, ni grave eſt, officioſè ſalutabis.

* *Joanne Caſaubono, qui ad Pontificiam tranſiit Religionem.*

* *Erycii Puteani Stricturas, Lovanii excuſas anno 1612. Colomeſ.*

Epistola DCCCXXXV.

PETRO BERTIO.

RAriores à me accipis, quia occupatiſſimus ſum. Suſcepi ſerium certamen 1612.

1612. tamen cum Baronio. Crescit animus indies cum voluntate benè de Ecclesia Dei merendi. Det modo Dominus Jesus perficere aliquid sibi gratum, & Ecclesiæ ipsius non inutile. Mirabuntur hostes veritatis, qui admiratione illorum Annalium stupent. defixi, tantam errorum & mendaciorum copiam potuisse à me deprehendi. Magnis vigiliis hoc opus mihi constat. Sed dabit, si placet, vires, qui dedit cupiditatem gloriæ ipsius inserviendi τὸ γοῦν καθδύναμιν. Video quasdam mearum periisse. Noli putare, me, utut occupatum, officio deesse meo in respondendo amicis. Tu in his, Vir doctissime, quod experieris; si quid unquam tuâ causâ potero. Jam multi menses sunt, cùm ab urbe absunt Rex, Episcopi, & ferè doctissimi quique. Communicavi tuam Disputationem alteram cum paucis. Qui viderunt, etsi diversam sententiam probabant, in tuo tamen scripto quid reprehenderent, nihil inveniebant. Ego vitæ meæ jacturâ vellem redemtum, ut tollerentur omnia scandala, quo junctis viribus omnes Ecclesiæ hosti communi resisterent. Sed sunt inter nos, qui nimis fortasse Vetustati tribuant; plures, qui nihil illi deferant; & qui ante Lutherum & Calvinum, viros summos & incomparabiles, nullam veram credant fuisse Ecclesiam. Τοῦτο τὸ γένος ἐπιπολάζει νῦν ἐν τῇ φίλα πατρίδι· ubi multi Ministri politica tractant, & adversus Jesuitas artes Jesuiticas adhibent. Gemeres mecum, si scires, quid ibi jam agatur. Prodeunt oratores novi, rerum imperiti, ad seditiones excitandas contra Regem suum apti, præterea nihil. Sed melioribus aderit, spero, Deus. Ubi nostra Aula redierit, dabo amicis tuam Diatribam legendam, & de eorum judicio te certiorem faciam. Vale. *Londini*, *a. d.* VII. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCCXXXVI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1612. ILlustrissime Præses, binas tuarum simul accepi. Ago tibi gratias gratissimas pro tanto hoc tuo studio respondendi ad omnes meas. Curabo mandata tua, quâ debeo fide & diligentiâ. Spero & Cambdenum & Cottonum desiderio tuo facturos satis. Rex gaudio triumphat, tantam suam diligentiam tibi fuisse utilem. Simpliciter tibi dico & ἀφιλῶς καὶ ἀληθῶς, hæc literarum negotia non levi esse ipsi curæ. Oblitus sum jam aliquoties cùm tibi scriberem, petere à te, quod nunc etiam atque etiam peto, ut cures pro tua auctoritate conferendum in Regia Bibliotheca locum Josephi infrà scriptum cum MSS. Codd. Magni momenti est ille locus ad investigationem annorum τοῦ Σωτῆρος. Mihi certò constat, malè scribi ι ἔ. pro κ ἔ. idque certissimè demonstravimus. Sed sunt quidam cervicosi καὶ ἀφυεῖς κριτικοὶ, quibus placet βαλανηφαγεῖν inventis frugibus. Vidistine Bavari illius *, qui ante sex menses prodiit in lucem, novam Chronologiam? Montes auri pollicetur, & postquam exspectatione magnâ nos implevit, quisquilias plani Anniani imputat nobis in solutum. Is Scaligerum, cui matulam porrigere dignus non fuit; à quo habet, si quid habet boni, nunquam nominat, nisi ubi est, quod reprehendat. Baronius verò Deus illi quidam est terrenus. Quem quidem stultissimum, fatuissimum καὶ τελέως asininum errorem nos multis, σὺν Θεῷ, adimemus, etiam ipsi rationis modò sint capaces. Et hic Bavarus, & alii χρονοληρολόγοι errorem librorum Josephi pro certo fundamento ponunt suarum nugarum. Etsi autem de veritate mihi liquet lectionis, in qua magni viri consentiunt, Scaliger, Calvisius, Kepplerus, Torniellus, Liveleus Anglus; beaveris me tamen, si ope tuâ possum discere, quæ sit regiorum MSS. lectio. Ego & Labbæus pauca contulimus, & habeo cur gemam, tam bonis libris necessario meo tempore esse me privatum. Sed moror te. Deus immortalis te servet, Vir amplissime, cum omnibus tuis. *Londini*, *pridie Kalend. Nov. stylo vestro*, CIↃ IↃ CXII.

* *Joannis Georgii Herwarti, de quo nos plura in Germania Orientali. Colomes.*

Josephi libro XIV. cap. XVII. pag. 430. ι ἔ. γὰρ αὐτῷ ἐγεγόνει μόνα ἔτη. Nos contendimus & clarissimè demonstramus, scribendum esse κ ἔ. nec movemur librorum consensu, aut Photii assensu.

EPISTOLA DCCCXXXVII.

CLAUDIO SALMASIO.

SIve mea culpa est, sive tua, sive utriusque, largiter certè peccatum est, cùm literarum commercium hactenus intermisimus. Ego non teram tempus occupationibus meis commemorandis; malo enim emendare errorem, quàm excusare. Gaudeo te benè valere. Eram dies noctesque de te sollicitus, non solùm quia te vehementer amo; sed etiam quia literas amo, & illis cupio; quæ à te quid possint sperare, non ignoro. Utinam te servet ὁ χρηστὸς Χριστὸς! Utinam det vires pares nobilibus tuis inceptis. Sed miror, nihil 1612.

1612. hil te scripsisse de tuis studiis. An tu me putas χρόνιον ὄντα ἐν βαρβάροις ἐκβεβαρβαρῶσθαι? Sed falleris, si ita putas: hæc enim gens nihil minus est quàm barbara; amat & colit Literas, præsertim autem Sacras. Quod si me conjectura non fallit, totius Reformationis pars integerrima est in Anglia. Ubi cum studio veritatis viget studium Antiquitatis; quam certi homines dum spernunt, in laqueos se induunt, unde nisi mendacio posteà exuere se nequeunt. Ita hostibus veritatis non solùm risus præbetur; sed etiam partes illorum mirificè confirmantur. Nemo seriò versatus in Antiquitate hoc verum esse negaverit: sed multos amor partium cogit mentiri. Nos in opere jam versamur, quod fama hominum, scio, jactabitur, si dederit Deus immortalis finem ejus videre: Baronium enim, nomine Antiquitatis miserè abutentem, examinamus, & Historiam ac res Ecclesiasticas pro nostra tenuitate illustramus. Jam pars operis est confecta, τῇ χάριτι τοῦ ἐνδυναμοῦντος Θεοῦ· sed procul absumus à meta; nam adversus I. Tomum responsionem paramus ipso primo Tomo vix minorem. Magnis sudoribus constat nobis hæc scriptio. Sed vires hactenus suggessit Deus, qui & suggeret, spero, dum expediet gloriæ ipsius; cui promovendæ si quid meæ vigiliæ possunt inservire, beatus sum. Miraberis utilitatem nostrarum literarum in tam gravi scriptione. Nunc totus in luctu sum, non privato; sed publico: ereptus est enim vi morbi spes altera hujus Regni, Regis maximi spei filius*, Princeps admirandus. Lugent boni, luget pietas, luget virtus. Sed ἐπὶ τούτοις ἔφυ· nôsti cætera. Vale, & me ama. *Londini*, raptim, *a. d.* VI. *Eid. Nov.* CIↃ IↃ CXII.

* *Henricus, Walliæ Princeps.* Colomes. *Qui cùm equo agitato incaluisset, & siti ardens paulò avidius bibisset, morbo inopinato correptus,* VIII. *Eid. Novemb. vitam cum morte commutavit.* J. A. Thuani Histor. Contin. lib. V.

EPISTOLA DCCCXXXVIII †.

† *De hac Epistola vide P. Colomesii Bibliotheque Choisie, pag.* 126.

JACOBO DAVY PERRONIO, CARDINALI.

1612. ILlustrissime & reverendissime Domine, videor mihi usu rerum atque experientia magistra didicisse, nullum esse tantum malum, ex quo, aut cujus saltem occasione, bonum aliquod nasci non possit; atque, ut dici solet, mel generare fel; sic non absurdè aliquis dicat, è felle mero merum mel interdum existere. Ne aliunde argumenta petam; fel purum putum erat, idque virulentissimum, perditissimi nebulonis scelestissimus liber, qui primùm materiam mihi præbuit ad illustrem tuam Dignitatem serenissimi Regis jussu scribendi *. Tuæ verò binæ literæ, quas ad me posteà ex occasione illa dedisti, singulari comitate, humanitate, atque prudentiâ conditæ, niveum candorem Auctoris præ se ferentes, quovis melle dulciores mihi fuerunt. Quare neque ego Regi optimo & sapientissimo tuas ostendere, ac legendas exhibere sum veritus; & Majestas ipsius, quum non omnia in illis, [neque enim fieri aliter poterat] probaret; utramque tamen Epistolam tuam non gravatè, neque illubenter legit. Gratum ipsi vehementer fuit, unum saltem aliquem vestrarum partium Theologum sibi innotuisse, virum primarium, summæ dignationis, summæ eruditionis, qui ad hodiernarum controversiarum tractationem placidum & mansuetum ingenium posset adferre. Nam quo spiritu plerique hodie agantur, qui ejus argumenti libros edunt, vel illi tot numero Scriptores abundè probarunt, qui Apologiam serenissimi Regis hactenus oppugnarunt. Omnes enim, si unum aut alterum excipias, mendaciis, maledictis & conviciis miseras chartas implerunt. Præcipuè verò illa verba posterioris tuarum Regem, sincero pietatis zelo flagrantem, delectarunt; quibus spem facere videbaris, amicam hanc de rebus ad Religionem spectantibus communicationem fructu non carituram. Quod ut mirandum in modum Regi placitum est, quemvis laborem hac mercede parato subire, quamlibet ærumnam perpeti; ita deficiente hac spe, cur aut ejus Majestas, aut tua Dignitas sibi negotium facessant, justa caussa nulla fuerit. Spero equidem, si in hanc curam seriò tua præstantia incubuerit, effecturum te, cum auxilio Dei Opt. Max. quâ auctoritate es inter tuos, & ingenii atque doctrinæ famâ apud omnes, ut non pœnitenda aliqua utilitas ad Ecclesiam Jesu Christi ex hac mutua scriptione perveniat. De serenissimo verò Majoris Britanniæ Rege, in cujus Aula annum jam integrum, & eò amplius egi, ausim tibi spondere, & omni asseveratione confirmare, ita animatum illum esse, ita rationes totius vitæ esse illi comparatas, ut studio pietatis nihil ipsi esse antiquius, facilè omnes intelligant. Non privata negotia, non publicæ Regni curæ ita solent Majestatem ipsius afficere, ut immensum quoddam desiderium res Religionis omni ope atque operâ promovendi, & quæ maximè cogitatio Regem tantum decet, ingens cupiditas concordiæ inter dissidentia Ecclesiæ membra, omni rectâ atque honestâ ratione procurandæ. Atque hanc

* *vide suprà, Ep.* DCCLIV. DCCLVI. & DCCCVII.

1612. hanc Christiano Principi convenientissimam sollicitudinem Rex piissimus non finibus imperii sui, quamvis amplissimi, circumscribit; sed memor Defensorem Fidei audire se, etiam ultra orbis sui limites, non animi curiositate, verùm zeli vehementiâ, putat sibi hactenus esse extendendam, ut & regionum aliarum Ecclesiis suâ prudentiâ & Majestatis auctoritate, si occasio detur, commodet; sibique Religionis Christianæ conservationem præcipuæ esse curæ, Deo & hominibus in dies reddat testatius. Nuper adeò, & illo ipso tempore, quo tuæ literæ posteriores sunt ipsi à me ostensæ, hujusce animi φιλοθεΐας grande documentum Majestas ipsius dedit; quod bonis piisque hîc omnibus meritissimè & probatum & laudatum, ne tibi quidem, illustrissime Cardinalis, cognitu futurum est, uti spero, injucundum. Nam quum certiorem per literas Regem fecisset illustrissimus reverendissimusque Præsul, Dominus Archiepiscopus Cantuariensis, pervenisse ad manus suas, allatum nescio unde è Germania, aut Belgio librum *, quo doctrina contineretur *de natura Dei*, nova, perversa, & cum antiqua fide Ecclesiæ Catholicæ in nonnullis pugnans; rogassetque ejus Majestatem, ut ad reprimendum malum recens exortum, veri Defensoris Fidei zelum exercens, apud Magistratus ditionis illius, ubi Auctor libri degebat, intercederet; peteretque ab illis, ne doctrinam adeò ἀλλόκοτον in Ecclesias, & Scholas suas paterentur introduci, neve hæc profana novitas ejus inventori maneret impunita: Rex literas illas, descendenti sibi è rheda post longam venationem redditas, & librum simul notis obeliscisque vigilantissimi Antistitis confossum, ut semel accepit, negotium sine mora sibi cognoscendum duxit. Ac licet corpus ipsi è labore & inedia langueret; quod cœperat tamen agere, uno tenore & calore perfecit: neque ab adstantibus Proceribus exorari potuit, ut rationem sui ullam prius haberet, quàm re totâ diu multumque consideratâ cum reverendissimo Episcopo Lichtfeldensi † aliisque è Clero, & penitùs perspectâ, quod suarum erat partium, & pietas jubebat, accuratè præstitisset. Liber ‡ damnatus est, exemplaria jussa comburi, cùm in urbe metropoli, tùm in utraque Academia, (quod & posteà factum) literæ gravissimæ ipso Rege dictante, ad regium Legatum eò loci commorantem scriptæ, ac statim missæ, judicii, quod de nova doctrina Rex & Ecclesia Anglicana fecissent, testes: simul addita mandata de appellandis ea super re Magistratibus. Vi- 1612.
derint illi, ad quos ejus mali tollendi cura propriè pertinet, quam Deo immortali rationem suæ cessationis sint reddituri; si, quod fieri posse non existimamus, neque sponte suâ, neque post exemplum tam insigne, veritatis patrocinium, quanto par est studio & ardore, susceperint. Rex Jacobus ad primum rei nuntium sic est commotus, ut nefas ingens se admissurum crederet, si necessitati corporis aliquid prius indulgeret, quàm pietatis hoc officio planè esset perfunctus. Non dubito, illustrissime Cardinalis, quin factum istud sis ipse probaturus impensè & prædicaturus. Ego non ut Regem apud te nunc laudarem, quod erat gestum, narravi; verùm ut scires, quàm sit priscæ fidei tenax, & dogmatum veræ Catholicæ acris atque animosus Defensor is, quem vestrorum Catholicorum plerique censeri aut dici Catholicum non ferunt; multi ne Christianum quidem. Regi primo visa inutilis de appellationibus contentio, dummodò rem teneas. Quod facere se, & optat Majestas ipsius, & in Dei misericordia planè confidit, quoniam tamen vulgò homines privationem ejusmodi appellationum, rei ipsius privationem esse & carentiam interpretantur; non solet Rex, neque consultum putat, injuriam dissimulare. De appellatione Christiani nulla ei tecum lis, nulla controversia; neutra enim Epistola tua hunc ei titulum negavit competere. De Catholici titulo quæstio jam est. Priore enim tuarum postquam eâ, quâ excellis, dicendi facultate significasses, in Magnæ Britanniæ Rege maximi te Principis ideam agnoscere numeris omnibus absolutam; ad extremum illam exceptionem adjecisti, si ad cæteras animi dotes, Catholici nominis gloria accederet. Et quum Regis jussu esset responsum, non posse ei titulum illum denegari, qui tria Ecclesiæ Catholicæ Symbola, Concilia quatuor Oecumenica prima agnosceret; quique omnia crederet, per quatuor primorum seculorum seriem credita, tanquam ad salutem necessaria; parum tibi hac responsione satisfactum esse, posterioribus tuis accuratè & subtiliter scriptis ostendisti. Hasce literas à serenissimo Rege raptim, aut velut in transcursu lectas fuisse, nolim existimes; nam & totas legit, & momenta rationum mirâ animi æquitate & placiditate expendit. Quòd autem ne post lectam quidem responsionem tuam, à priore sententia discedit, neque propterea minus Catholicum se esse, gratiâ Dei fretus, confidit; voluit ejus Majestas, ita statuendi,

* *Conradi Vorstii Tractatum*, de Deo.

† *Joanne Overallo.*

‡ *Scilicet Conradi Vorstii*, de Deo.

1612. di, quas rationes habebat, tibi non esse incognitum. Accipe igitur, Cardinalis illustrissime, ad posteriorem Epistolam tuam breve Responsum; quod ex ore ipso serenissimi Regis exceptum, scripto complecti, & ad te mittere sum jussus. Non petam nunc à te, ut ad hæc legenda eam adhibeas æquitatem, quam Rex ad tua cognoscenda; mihi enim satis nota est tua eximia prudentia, & omni laude dignissima moderatio.

Universa posterioris Epistolæ disputatio duabus constat partibus. Priore quinque observationes in medium afferuntur, quæ thesin istam; *Catholici appellatio nemini denegari potest, qui tria Symbola admittat, Apostolorum, Nicænum, Athanasianum; qui item quatuor Oecumenica Concilia prima, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense; postremò, qui omnia credat, primis quatuor seculis existimata ad salutem creditu necessaria*; illustrant, & quomodo accipi debeat, ostendunt. Hæc thesis in Responsione Regia locum propositionis majoris obtinebat. Altera pars adversus hypothesin sive assumptionem, quatuor affert ἐνστάσεις.

I. Observatio.

Nomen Catholici non simpliciter fidem denotat, sed etiam communionem cum Ecclesia Catholica. Iccircò veteres noluerunt Catholicos appellari eos, qui à communione Ecclesiæ recessissent, licet fidem retinerent. Unam enim esse Ecclesiam Catholicam, extra quam fidem & sacramenta habere aliquis potest, salutem non potest. In eam sententiam afferuntur multa è B. Augustino.

Responsio Regis.

Credere Ecclesiam Catholicam, & credere Communionem Sanctorum, ut res diversæ in Symbolo Apostolorum distinctè ponuntur. Ac videtur prius illud eo potissimum fine insertum, ut discrimen statueretur inter Judaicam Synagogam, & Christianam Ecclesiam; quæ non ut illa, populi unius finibus erat circumscribenda; sed longè latèque per omnes mundi regiones spargenda. Quare satis manifesta ratio non est, cur hujus observationis initio dicatur Catholici appellatio Communionem denotare. Sunt quidem duo ista conjunctissima; diversa tamen, sicut ostendimus. Credit verò Rex simpliciter, sine fuco & fallaciis, unicam esse Ecclesiam Dei, & re & nomine Catholicam, sive universalem, toto diffusam mundo; extra quam ipse quoque nullam salutem debere sperari affirmat. Damnat & detestatur eos, qui vel jam 1612.
olim, vel posteà, aut à fide recesserunt Ecclesiæ Catholicæ, & facti sunt Hæretici, ut Manichæi; aut à Communione, & facti sunt Schismatici, ut Donatistæ: adversus quæ duo præcipuè hominum genera, omnia illa sunt à S. Augustino scripta, quæ in hac observatione afferuntur. Laudat etiam Rex piorum Episcoporum prudentiam, qui in IV. Concilio Carthaginensi, ut hic verè observatur, formulæ examinis Episcoporum interrogationem super hac re adjecerunt. Neque ignorat Rex, multa sæpe veteris Ecclesiæ Patres συγκαταβατικῶς fecisse, pro bono pacis, ut loquebantur, id est, studio conservandæ unitatis, ac mutuæ Communionis abrumpendæ metu. Quorum exemplum se quoque paratum esse profitetur æmulari, & sectantium pacem vestigia persequi ad aras usque, hoc est, quantum in hodierno statu Ecclesiæ per conscientiæ integritatem licet. Nemini enim se mortalium cedere, aut in dolore, quem capit gravissimum è membrorum Ecclesiæ distractione, quam pii Patres tantoperè sunt abominati; aut in cupiditate, quâ tenetur, Communicationem habendi cum omnibus, si posset fieri, qui membra sunt mystici corporis Domini nostri Jesu Christi. Hæc quum ita sint, existimat nihilò tamen secius Rex, justissimam habere se caussam, cur ab iis dissentiat, qui simpliciter sine ulla penitùs distinctione, aut exceptione, hanc Communionem sine fine urgent. Inter proprias Ecclesiæ notas hanc fatetur esse cum primis necessariam; non esse tamen autumat veram ipsam Ecclesiæ formam, & quod Philosophus appellat, τὸ τί ἦν εἶναι. Didicit Rex è lectione Sacræ Scripturæ, (neque aliter Patres olim sentiebant ad unum omnes) veram & οὐσιώδη Ecclesiæ formam esse, ut audiant oves Christi vocem sui Pastoris, & ut Sacramenta administrentur ritè & legitimè, quomodo videlicet Apostoli præiverunt, & qui illos proximè sunt secuti. Quæ hac ratione sunt institutæ Ecclesiæ, necesse est ipsas multiplici Communione inter se esse devinctas. Uniuntur in capite suo Christo, qui est fons vitæ, in quo vivunt omnes, quos Pater elegit pretioso sanguine ipsius redimendos, & vitâ æternâ gratis donandos. Uniuntur unitate fidei & doctrinæ, in iis utique capitibus, quæ sunt ad salutem necessaria; unica enim salutaris doctrina, unica in cœlos via. Uniuntur conjunctione animorum & verâ charitate, charitatisque officiis; maximè autem precum mutuarum. Uniun-

1612. tur denique spei ejusdem communione, & promissæ hæreditatis exspectatione: gnari se ante jacta mundi fundamenta prædestinatos esse, (de electis loquor) ut sint συγκληρονόμοι, καὶ σύσσωμοι, καὶ συμμέτοχοι τῆς ἐπαγγελίας τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ Χριστῷ, διὰ τοῦ
* Ephes. III: 6. εὐαγγελίου, quod divinus ait Apostolus *. Sed addit Rex, eandem tamen Ecclesiam, si aliquod ejus membrum discedat à regula fidei, pluris facturam amorem veritatis, quàm amorem unitatis. Scit supremam legem esse in domo Dei, doctrinæ cœlestis sinceritatem, quam si quis relinquat, Christum relinquit, qui est αὐτοαλήθεια· Ecclesiam relinquit, στύ-
† 1 Tim. III: 15. λον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας †· atque eo ipso ad corpus Christi desinit pertinere. Cum hujusmodi desertoribus nec vult, nec potest verè Catholicus communicare. Τίς γὰρ συμφώνησις Χριστῷ πρὸς
‡ 2 Cor. VI: 15. Βελίαλ ‡? Fugiet igitur horum Communionem Ecclesia, & dicet cum Gregorio Nazianzeno, Κρείσσων ἐμπαθοῦς ὁμονοίας ἡ ὑπὲρ εὐσεβείας διάστασις. Nec dubitabit cum eodem Beato Patre, si opus fuerit, pronunciare, esse quendam ἱερὸν πόλεμον. Quod autem in Ecclesia futura esset aliquando necessaria hujusmodi separatio, cùm aliis Sacræ Paginæ locis clarè docemur, tùm illa apertè declarat Spiritûs Sancti admonitio, non temerè profectò Ecclesiæ facta: ἐξέλθετε, inquientis, ἐκ Βαβυλῶνος, ὁ λαός μου, ἵνα
⸸ Apoc. XVIII: 4. μὴ συγκοινωνήσητε ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῆς ⸸: Quænam sit illa Babylon, unde exire populus Dei jubetur, non quærit hoc loco Rex, neque super eo quicquam pronunciat. Hoc quidem res ipsa manifestissimè ostendit; sive privata quædam Ecclesia eo loco intelligitur appellatione Babylonis; sive universæ pars major; eam prius fuisse legitimam Ecclesiam, cum qua pii piè communicarent: posteà verò quàm longius processit ejus depravatio, jubentur pii exire, & communionem abrumpere: ut facilè sit ex his intelligere, non omnem communionem cum iis, qui de nomine Christi appellantur, Fidelibus esse expetendam; sed illam demum, quæ fit salvâ doctrinæ cœlitùs revelatæ integritate. Jam ut ad propositum accedatur propius, negat Rex accuratam illam locorum Beati Augustini collectionem ad se quicquam pertinere. Omnia enim illa testimonia hoc solùm evincere: nullam spem salutis superesse iis, qui à fide Ecclesiæ Catholicæ, aut ab ejusdem Communione discesserint: quod quidem & Rex, ut antè diximus, ultrò concedit. Hic verò Majestas ipsius petit à te, illustrissime Cardinalis, ut revocare in mentem velis, atque apud te perpendere, quantum sit discrimen inter Beati Augustini tempora & hæc nostra; 1612.
quàm diverso sensu Ecclesia Catholica hodie nominetur, atque illis temporibus: quàm sit mutata Ecclesiæ facies & tota exterior forma, ut de interiore jam nihil dicamus. Nam olim quidem Ecclesia Catholica, civitati similis supra montem constitutæ; quæ, ut ait Christus, non potest abscondi, nullo pacto dubia erat; sed nota omnibus, perspicua, certa, ut de ea ambigere nemo sanæ mentis posset. Erat enim, non ut stulti Donatistæ dictitabant, nescio ubi in Meridie cubans, coacta in aliquem mundi angulum; sed longè latèque per Orbem terrarum diffusa, sub Imperatoribus florens, quorum dominatio ab Ortu ad Occasum, à Septentrione ad Meridiem porrigebatur. Erat videre Episcopos Orientis & Occidentis quotidie per Epistolas & proprios nuntios communicantes, & cùm res postulabat, sibi invicem suppetias ferentes. Quod enim scribitur in Constitutionibus Clementis, omnes Episcopos τὴν καθολικὴν ἐπισκοπὴν πεπιστεῦσθαι, atque ita esse quodammodo Oecumenicos; nunc attoniti legimus, nec credimus: tum autem quotidiana praxis esse verissimum ostendebat; potestque hoc exemplis ex Historia sexcentis facilè demonstrari. Erant tum etiam in frequenti usu literæ formatæ, quarum commercio & contesseratione mirificè inter omnia Ecclesiæ membra, quantumvis spatio locorum remota, Communio exercebatur. Accedebant, quoties erat opus, Concilia verè Oecumenica, non ut posteà factum aliquando videmus, nomine Oecumenica, reverà ex aliquot Europæ Provinciis coacta. Et erat hoc temporibus priscis vinculum firmissimum, quo Ecclesiæ Catholicæ membra omnia in unius corporis compagem devinciebantur. Quod quidem corpus admodum propterea eminebat, in conspectu & certa notitia omnium sic positum, ut ignorari ne à volentibus quidem posset: una fides, una πολιτεία, unum Catholicæ corpus, partium frequens inter se visitatio, mirus omnium membrorum consensus, mira συμπάθεια. Exciderat aliquis aut propter hæresin, aut propter schisma à Communione Ecclesiæ unius; non dico unius è primariis, quæ sedes erant quatuor Patriarcharum; sed cujusvis è longè minoribus? is, statim ut hoc innotuerat, à Communione totius Ecclesiæ Catholicæ censebatur exclusus. Nam quod exempla contrariæ observationis occurrunt nonnulla, id verò jus commune non erat; sed usurpatio. Ausus erat aliquis, fidem toto Orbe appro-

1612. probatam quamvis leviter incrustare? facilè erat vel puero τὸν ἑτεροδοξοῦντα in sua novitate deprehendere. Fure autem veritatis deprehenso, omnes Pastores totius Orbis, si erat opus, commovebantur; nec semel commoti prius quiescebant, quàm de medio malum sustulissent, & securitati ovium Christi consuluissent. Hæc erat quondam Ecclesiæ Catholicæ designatio & felicitas; sed quæ multa secula non duravit. Posteà enim Imperio everso, mutatâque Reipublicæ formâ, novæ dominationes sunt exortæ, multæ, variæ, moribus, linguis, legibus atque institutis invicem distinctæ. Distractionem Imperii distractio Ecclesiæ Catholicæ est secuta; & illa omnia paullatim cessarunt, quæ modò dicebamus conservandæ unioni, & Communioni exteriori corporis Catholici apprimè serviisse. Ex illo tempore Ecclesia Catholica, non desiit illa quidem esse; erit enim semper; neque portæ inferorum prævalituræ unquam sunt adversus ipsam, in Christo vera petra, & fide Petri cæterorumque Apostolorum fundatam: sed minus illustris esse cœpit; utpote in plures divisa, inter se, quod ad Communionem externam attinet, penitùs separatas. Tum autem, quod præcipuè dolendum, hac dissipatione effectum, ut partibus minus esset virium, quàm fuerat toti corpori compacto ad resistendum inimico hominis, quem Christus docet, ad omnes occasiones esse intentum, ut bonam sementem lolio & zizaniis conspergat. Atque hoc evenisse quum hodie videamus oculis nostris, atque manibus ipsis palpando deprehendamus; ridiculum & longè absurdissimum, disputare an fieri olim potuerit, aut jam possit. Romana igitur Ecclesia, Græca, Antiochena, Ægyptia, Abyssina, Moschovitica, & plures aliæ, membra sunt, doctrinâ quidem & fidei sinceritate multum præstantia alia aliis; sed tamen membra Ecclesiæ Catholicæ; cujus compages, quod ad formam exteriorem, dudum est soluta. Quamobrem demiratur serenissimus Rex etiam atque etiam vehementer, cùm videt, Ecclesias, quæ fuere quondam integri corporis membra, jus omne universitatis ad se jam trahere, appellationem Catholicæ sibi propriam facere, & reliquas omnes, quæ in ulla re à se dissentiant, aut jugum servitutis detrectent, excludere Communione suâ; ac statim illas ad Catholicam nihil pertinere, audacter pronuntiare. Neque verò soli vos estis, qui hoc jus vobis vindicatis; faciunt hoc ipsum & alii. Nam quod gemens Rex dicit, multæ hodie privatæ Ecclesiæ sunt, quæ solas se credant esse illum populum περιούσιον, quem appellant, Ecclesiam. Dares his vires quantas Romana habet; facerent quod illa jam facit; nec de cæteris clementius pronuntiarent. Quid quod multæ hodie celebrantur sectæ, quarum sectatoribus persuasissimum est, solos se aliquid in Literis Sacris videre, atque ut Poëta ait, 1612.

Οἶος πεπνύσθαι, τὰς δὲ σκιὰς ἀΐσσειν.

Verum quidem est, nullo unquam seculo defuisse Conventicula Sectariorum & παρασυνάξεις, quæ de nomine Ecclesiæ Catholicæ se jactarent, & imperitos hoc illicio ad se attraherent; sed postremorum, ad quæ pervenimus, temporum, peculiaris hæc est calamitas insignita, quod Catholica Ecclesia, cui necessariò, vel reipsa & actu, vel voluntate saltem & voto est adhærendum, minus est hodie, quàm erat olim, illustris, minus exposita oculis hominum, magisque ἀμφισβητήσιμος. Quò studiosius faciendum sibi serenissimus Rex putat, ut in tanto variarum opinionum diluvio ad montes Sacræ Scripturæ se recipiat, & quod olim Beatus Augustinus Donatistis consilium dabat, in verbis Christi Ecclesiam Christi quærat. Sic & Beatus Chrysostomus, cùm alibi, tùm ex professo in Homilia in Acta XXXIII. tractans illam quæstionem: *Quo pacto vera Ecclesia inter plures societates, quæ hoc sibi nomen vindicant, possit discerni?* duo docet esse instrumenta judicandi, & quæstionis hujus decidendæ: primò quidem Verbum Dei, tum autem antiquitatem doctrinæ, non ab aliquo recentiore excogitatæ; sed ab ipso Ecclesiæ nascentis principio semper cognitæ. Hæc duo κριτήρια Rex cum Ecclesia Anglicana, totâ voluntate amplectens, pronuntiat; eam demum se doctrinam pro vera simul & necessaria ad salutem agnoscere, quæ è fonte Scripturæ Sacræ manans, per consensum Ecclesiæ veteris, ceu per canalem ad hæc tempora fuerit derivata. Ut igitur huic sermoni finis imponatur, ad primam observationem respondet Rex: non posse eam sine vitio multiplici ad propositam hypothesin aptari. Ecclesiam enim Anglicanam adeò non descivisse à fide veteris Ecclesiæ Catholicæ, quam veneratur & suspicit, ut ne à fide quidem Romanæ Ecclesiæ desciverit, quatenus illa cum vetere Catholica consentit. Si quæritur successio personarum; in promtu sunt nomina Episcoporum & series à primo nusquam interrupta. Si successio doctrinæ: agite, periculum facite:

1612. facite: Concilium liberum date, quódque ab unius voluntate non pendeat. Parata est Ecclesia Anglicana fidei suæ reddere rationem, & rebus ipsis evincere, auctoribus Reformationis hic institutæ non fuisse propositum, novam aliquam Ecclesiam condere, ut imperiti & malevoli calumniantur; sed quæ erant collapsa, ad formam revocare quam fieri posset optimam; optimam autem judicarunt, nascenti Ecclesiæ ab Apostolis traditam, & proximis seculis usurpatam. Fatetur Rex, Ecclesiam suam à capitibus non paucis ejus fidei & disciplinæ, quam hodie Romanus Pontifex probat, & omnibus tuetur viribus, discessionem fecisse; verùm eam Rex & Ecclesia Anglicana non defectionem à fide veteris Catholicæ interpretantur; sed potius ad fidem Catholicam pristinam, quæ in Romana novis inventis fuerat multipliciter mirè deformata, reversionem, & ad Christum, unicum Ecclesiæ suæ magistrum, conversionem. Quare, si quis doctrinâ hujus observationis fretus, inferre ex illa velit, Anglicanam Ecclesiam, quia Romanæ placita nonnulla rejicit, à veteri Catholica discessisse; non hoc illi prius Rex largietur, quàm solidis rationibus probaverit, omnia, quæ à Romanis docentur, (illa præcipuè, quæ volunt ipsi ut necessaria ad salutem credi ab omnibus) antiquæ Catholicæ à principio probata fuisse & sancita. Hoc verò neminem posse facere, aut unquam facturum, neminem certè hactenus fecisse, tam liquidò Regi constat & Ecclesiæ Anglicanæ Antistitibus, quàm solem meridie lucere. Postremò addit Rex, magnum se quidem crimen judicare, defectionem ab Ecclesia; sed huic crimini affinem se esse, aut Ecclesiam suam, penitùs pernegat: *Non enim fugimus*, ajebat ejus Majestas; *sed fugamur.* Scit verò tua illustris Dignitas, ut qui optimè, quàm multi, quàm præstantes pietate & doctrinâ viri, ab annis minimum quingentis, Reformationem Ecclesiæ in capite & membris optarint; quàm graves bonorum Regum ac Principum querelæ sint sæpe auditæ, statum Ecclesiæ suis temporibus lamentantium. Quid profuit? nihil enim quicquam eorum ad hanc diem videmus esse emendatum, quæ correctionis egere cum primis censebantur. Quare non veretur Ecclesia Anglicana, ne candidis æstimatoribus, in hac separatione, Donatistis simile quid fecisse videatur. Illi gratis & sine ulla caussa Ecclesiam Catholicam, gentium cunctarum assensu comprobatam; cujus neque disciplinam culpare poterant, deseruerunt: Angli ab ea Eccle- 1612.
sia, necessitate dirâ cogente, secessionem fecerunt, quam innumeri populi Christiani, veram Catholicam & universalem esse non concedunt, ut modestissimè dicam, quamque in dogmatis fidei, & disciplinæ forma multum variasse ab antiqua, multa assuisse nova vetustis, mala bonis, etiam è vestris Scriptores quàm plurimi ingenuè dudum sunt confessi: & vèro notius jam est universo mundo, quàm ut possit quisquam vel negare, vel etiam ignorare. Adde quod jugum Romanæ servitutis ita durum per aliquot retrò secula erat experta Ecclesia Anglicana, novis subinde vexationibus, & inauditis angariis atque exactionibus supra hominum fidem cruciata; ut vel illa sola caussa apud judices non iniquos à schismatis suspicione, & ut loquitur Augustinus de Donatistis, *iniquæ discissionis*, posse videatur ipsam liberare. Non enim profectò Angli à charitate fraterna animi caussâ dissiluerunt, ut Donatistæ; neque ut decem tribus populi Judaici, metu impendentis mali, quod nondum premebat; sed post plurium seculorum patientiam, post exanclatas inenarrabiles ærumnas; onus intolerabile, cui ferendo pares amplius non erant, neque permittebat conscientia, subductis cervicibus tandem excusserunt. Et vetus quidem Ecclesia, ut refractarios Donatistas ad suam Communionem revocaret, etiam commodis temporalibus Episcoporum resipiscentium, & aliorum quoque, admirabili charitate prospicere solita. Romana verò Ecclesia, ut gratiam cum Anglicana redintegraret, fulmina primò Bullarum, deinde vim, modò apertam, modò occultam adhibuit; proditores nefarios suscepti hìc parricidii manifestos, gremio suo excepit, & nunc cùm maximè fovet; sententiam ex eadem caussa passos Martyribus adscribit, & eorum innocentiam contra divina omnia humanaque jura quotidie propugnat. Ipse Cardinalis Bellarminus, (dico ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ· sed dico, quod res est) inter parricidarum patronos princeps familiam ducit; qui etiam nuper, ut Regem serenissimum alliceret, istud miræ efficaciæ ad persuadendum argumentum adhibuit: Angliæ Regnum ad Papam pertinere; & Regem Angliæ Romani Pontificis etiam in temporalibus esse subditum, atque feudatarium. Omitto alias & Regis & Ecclesiæ Anglicanæ, quà veteres, quà novas querelas, minimè hoc loco commemorandas.

II. Ob-

II. Observatio.

1612. *Præter absolutè necessaria ad salutem, duo sunt genera rerum, quas vetus Ecclesia credidit: harum alteræ utiles ad salutem; alteræ licitæ, & non repugnantes saluti. Si quis igitur fidem Antiquorum velit amplecti, etiam istas res ipsum oportet amplecti, & eo loco habere, quo habuit vetus Ecclesia.*

Responsio Regis.

Quæ non sunt existimata à piis Patribus absolutè ad salutem necessaria; sed tantùm utilia aut licita, parum abest, quin censeri inter ἀδιάφορα debeant: erat enim initio libera eorum usurpatio, utpote non simpliciter necessariorum. In ejusmodi rebus necessitatem aliquam hodie comminisci aliquantò durius videtur. Statim enim sequetur necessitas usurpandi; sicut videmus usuvenisse in Ecclesia Romana; quæ multa hodie observat ceu ἁπλῶς ad fidei integritatem necessaria; quæ vetus Ecclesia vix nôrat, certè non ita usurpabat, tanquam planè essent necessaria. Pauca è multis exempla afferemus. Constat in primitiva Ecclesia usurpatam fuisse peccatorum Confessionem; sed longè aliter quàm fit hodie: nam Auricularem Confessionem, uti apud vos exercetur, primis seculis fuisse in usu, nemo, opinor, dixerit. Fatetur Rex, primos è Patribus, qui illam instituerunt, suas habuisse rationes, cur existimarent, Confessionem illiusmodi ad salutem facilius inveniendam fore non inutilem; rem quidem absolutè necessariam non crediderunt; multò minus sacramentum; aut non omnes certè: nam de B. Chrysostomo satis liquet, Auricularem Confessionem ipsum à suis non exegisse. Nunc ventum eò videmus, ut vix aliquid minus huic Confessioni tribuatur, quàm precioso Christi sanguini, quo sumus redempti: adeò præcisè ejus absoluta quædam necessitas urgetur. Unde paullatim nata illa doctrina in Ecclesia Romana, de arcano Confessionis nullam omnino ob caussam evulgando. Quia enim credebant, ad salutis portum sine hac Confessione perveniri non posse, omnia ejus impedimenta putarunt tollenda esse necessariò. Tandem igitur eò processit hæc doctrina, ut jam Reges occidere, aut sinere occidi, ne peccatum quidem esse videatur, præut si quis Confessionis sigillum rumperet: quod multi vestrorum Theologorum, imprimis autem Interpretes Juris Canonici libris editis docuerunt. Quin etiam hoc ipsum mihi totidem verbis Lutetiæ affirmavit Binetus Jesuita *, 1612. sicut mox dixisse tibi memini. Scimus etiam, neque fortasse tua illustris Dignitas illud ignorat, esse alium in Gallis Jesuitam, qui nuper ausus dicere: *Si Dominus noster Jesus Christus in terris versaretur morti obnoxius, & aliquis sibi in Confessione dixisset, velle illum occidere; prius quam Confessionem revelaret, passurum se,* (horresco referens!) *ut Christus occideretur.* Quæ horrenda blasphemia à quo principio sit orta, vides. Sic abstinentiam à vino delicatioribusque cibis, & stata jejunia, atque xerophagias, inter res utiles ad salutem facilius consequendam vetus Ecclesia posuit; neque Rex negat, si commoda adjiciatur interpretatio, ex mente ipsius primitivæ Ecclesiæ. Sed harum observationem severius jam exigi Rex non probat, quàm eorum, quæ disertè Literis Sacris continentur. Sic cælibatus Ministrorum Ecclesiæ olim laudabatur, nunc imperatur, & ceu res penitùs necessaria exigitur; de quo mox plura. Sic quum dicat Paulus †, se corpus suum ὑπωπιάζειν καὶ δουλαγωγεῖν, eos qui divini Apostoli exemplum imitantur, laudat Rex, & beatos pronuntiat; illos vero detestatur, qui cilicia, Laconicas διαμαστιγώσεις, & id genus corporis vexationes, vel ut ipsi appellant, satisfactiones, aut inter caussas ponunt salutis, aut tanti certè faciunt, ut illuviem, pædorem, scabiem, & agmen pediculorum ex ea caussa ortum, instar perfectæ sanctimoniæ habeant. Sed ex omnibus istiusmodi eos potissimùm Rex detestatur, qui more Sacerdotum Baal corpus sibi verberibus lacerantes, Deum nobis fingunt humani sanguinis avidè sitientem, qualem Pagani suam Bellonam crediderunt. Illos verò laudat Rex, qui flagellandos suam vicem pretio conducunt; ut meritum pœnarum, quas alii luerunt, sibi applicetur: ita fit ut quicquid delirent divites, plectantur pauperes; nec sequitur nocentem pœna, sed miserum & egenum. Rex igitur ut non invitus dabit, nemini hodie fas esse damnare ea, quæ constiterit primorum seculorum Patres unanimi consensu probasse, tanquam utilia aut licita; sic adstringi se ullâ necessitate absolutâ eadem usurpandi non patitur. Existimat enim, res esse naturâ suâ contrarias, τὸ ἀναγκαῖον καὶ τὸ ἀδιάφορον. Sed de his uberius in sequenti observatione.

* Suprà, pag. 418.

† 1. Corinth. IX: 27.

III. Observatio.

Quum in Religionis negotium non una species necessitatis cadat, videndum est, ne vocis ambiguitate fallamur, quo-

1612. *quoties de rebus loquimur ad salutem necessariis. Esse enim necessitatem quandam absolutam, quandam sub conditione; aliam medii, aliam præcepti. Esse etiam necessitatem credendi, quæ omnes sine exceptione Christianos adstringat, & quæ non omnes generatim. Postremò esse necessitatem aliam actionis, aliam approbationis.*

RESPONSIO REGIS.

OBservationis hujus doctrinam, quæ varias necessitatis species doctè, accuratè, subtiliter & admodum copiosè explicat, adeò non improbat serenissimus Rex, ut contrà existimet, his distinctionibus sublatis multiplicem confusionem in rebus Religionis exorituram. Nam quid periculosius fingi potest, quàm si aut absolutè necessaria credantur, necessaria sub conditione, aut contrà? Nec minus utilis, ut in domo Dei omnia rectè atque ordine gerantur, distinctio est, inter alias necessitatis species, quæ hic explicatur. Ne in exemplis quidem appositis, quicquam Regi observatum, quod admodum improbaret. Verissimè autem scriptum esse in explicatione τῶν ἁπλῶς ἀναγκαίων Rex arbitratur, rerum absolutè necessariarum ad salutem, non magnum esse numerum. Quare existimat ejus Majestas, nullam ad ineundam concordiam breviorem viam fore, quàm si diligenter separentur necessaria à non necessariis: & ut de necessariis conveniat, omnis opera insumatur; in non necessariis, libertati Christianæ locus detur. Simpliciter necessaria Rex appellat, quæ vel expressè Verbum Dei præcipit credenda faciendave, vel ex Verbo Dei necessariâ consequentiâ vetus Ecclesia elicuit. At quæ ex institutione hominum præter Verbum Dei, quamvis piè & prudenter, pro tempore in usum Ecclesiæ sunt recepta, mutari, molliri, antiquari posse existimat; & quod Pius II. de cælibatu Clericorum dicebat, *Bono olim jure sancitum, meliore nunc iri antiquatum*, id in genere de plerisque observationibus Ecclesiasticis, extra Verbum Dei introductis, posse usurpari Rex credit. Si ad decidendas hodiernas controversias hæc distinctio adhiberetur, & jus divinum à positivo candidè separaretur, non videtur de iis, quæ sunt absolutè necessaria, inter pios & moderatos viros longa aut acris contentio futura; nam & pauca illa sunt, ut modò dicebamus; & ferè ex æquo omnibus probantur, qui se Christianos dici postulant. Atque istam distinctionem serenissimus Rex tanti putat esse momenti ad minuendas controversias, quæ hodie Ecclesiam Dei tantoperè exercent, ut omnium pacis studiosorum judicet officium esse, diligentissimè hanc explicare, docere, urgere. Nunc de exemplis nonnullis, quæ in hac observatione proponuntur, quædam dicemus. Inter absolutè necessaria, non quidem simpliciter, verùm ex institutione divina, ponitur baptismus infantium, *quem nos*, inquis, *ad hanc speciem necessitatis referimus.* Deinde subjicitur locus B. Augustini, quo negatur præcisè, posse infantes non baptizatos servari. Hìc primùm Rex profitetur, necessitatem baptismi ex institutione divina non minus aut sibi, aut Ecclesiæ Anglicanæ probari, quàm vobis. Non astringit quidem Ecclesia Anglicana gratiam Dei mediis, quod ne per doctrinam quidem Scholasticorum aliquot è melioribus licet; quia tamen hanc Deus rationem ordinariam ad peccatorum remissionem impetrandam in Ecclesia sua instituit; & eos, qui renati non fuerint ex aqua & spiritu, intrare posse regnum cœlorum Christus ipse negat; sedulò hic provisum est legibus Ecclesiasticis, ut quovis tempore & loco baptizandi infantes suos parentibus esset facultas. Quod igitur de nascente olim Ecclesia dixit Tertullianus *, baptizare Episcopum, Presbyterum, Diaconum; postremò etiam Laicis jus esse, in extremæ videlicet necessitatis casu; hoc ipsum in Ecclesia Anglicana, quod ad Episcopos, Presbyteros & Diaconos, hodieque servatur, sine ulla vel loci vel temporis rigida & penitùs inviolabili observatione: Laicorum verò baptismum, aut fœminarum, ut fieri legibus suis vetat; sic factum ex legitima formula quodammodo non improbat, baptismum esse pronuntians, etsi non legitimè administratum. Serenissimus verò Rex tanti hoc Sacramentum facit, ut quosdam in Scotia Ministros, quum nescio quas novæ disciplinæ ordinationes prætexerent, quò minus moribundos infantes rogati à parentibus baptizarent, metu supplicii injecto ad officium compulerit, minatus extrema, nisi parerent. Itaque verba Augustini, quæ non baptizatos vitâ æternâ privant præcisè, si de via ordinaria intelligantur, quam solam Christus nos docuit; nihil Rex habet, quod illi sententiæ opponat: sin autem negatur simpliciter, posse Deum Opt. Max. τοὺς ἀφωτίστους servare; diritatem hujus sententiæ & Rex, & Ecclesia Anglicana abominantes, Augustinum durum & ἄστοργον infantum patrem fuisse pronuntiant. Omnino utrumque extremum

* De Baptismo, cap. XVII.

1612. mum pari diligentiâ Rex fugiendum autumat, ne aut Dei manum abbreviemus, & infinitæ bonitati ipsius injuriam faciamus, si rigidam hanc sententiam amplectamur; aut Baptismum ponentes, cum nonnullis, inter ea, quæ adsint, vel absint, non multum interest, Sacramentum à Deo institutum pro re levi ducere videamur. Magnus sanè vir fuit Augustinus, pietate & doctrinâ admirabilis; cujus tamen proprias opiniones neque Rex pro dogmatis fidei admittit, neque vos admittitis. Nam verbi gratiâ, S. Eucharistiam infantibus ad salutem esse necessariam, non minus quàm Baptismum, credidit post Innocentium Primum Augustinus, & multis suorum scriptorum locis pronuntiavit: vos non creditis, neque acceptam à vobis doctrinam Ecclesia Anglicana mutavit. Inter illa, quæ necessitatem actionis certis personis imponunt, conjugium numeratur: *Si quis sobolem tollere voluerit*, inquis. Rursus autem paullò pòst, ubi exponitur necessitas approbationis, recensetur electio vitæ in virginitate aut cælibatu degendæ. Quæ Rex quum legeret, non reprehendit ille quidem; sed potuisse tamen aliquid ad utrumque exemplum commodè adjici, judicavit. Nam è priore exemplo videtur sequi, nullam esse aliam matrimonii caussam necessariam, præter spem sobolis: atqui expressis verbis docemur à Paulo Apostolo *, etiam illos teneri nuptias cogitare, quibus non contigerit continentiæ donum: εἰ οὐκ ἐγκρατεύονται, ait, γαμησάτωσαν. Non est exigui momenti hæc adjectio. Remedii enim necessarii & regulæ Apostolicæ contemptus, quibus quantisque flagitiis quotidie in Ecclesia Romana occasionem præbeat, ignorat nemo. Studium igitur vivendi in virginitate aut cælibatu, in continentibus mirum in modum sibi probari Rex profitetur: & quum singulari Dei beneficio, Sacræ Literæ familiarius sint ejus Majestati notæ, quàm vulgò soleant esse Principibus; non fugit ipsum, quid Paulus de re tota pronunciet, quæ ejusmodi vitæ in utroque Fœdere legantur exempla, quæ præmia τοῖς ἐγκρατευομένοις sint proposita. Sed quod Theologi apud vos passim docent, præsertim autem Juris Canonici Doctores, concubinatum, scortationem, & fœda alia, ἅπερ ἄῤῥητα ἀμείνω, tolerabiliora esse in Ministris Ecclesiæ, quam legitimas nuptias, & τὴν ἐν πᾶσιν ἀμίαντον κοίτην· id verò Rex facinus esse judicat planè detestabile, Dei atque hominum odio dignissimum. Opponit Rex omnibus omnium Sophistarum cavillis, atque adeò omni humanæ auctoritati, 1612.

* 1 Corinth. VII: 9.

Spiritûs Sancti oraculum, per Apostoli † os pronuntiatum, κρεῖσσον γαμῆσαι ἢ πυροῦσθαι. Quemadmodum autem magno belli Duci antiquior cura esset debet, ne damnum aut cladem ipse accipiat, quàm ut hosti inferat; sic in electione vitæ aut conjugatæ, aut cælibis, piis hominibus ante omnia cavendum esse Rex affirmat, ne jus divinum migrent: tum autem, si cui est facultas, utatur sanè bono naturæ. Scimus usu tritam esse calumniam, non esse Ecclesiam Anglicanam legitimam Ecclesiam, quia ejusmodi votorum usus hìc nullus. Quid tum verò, si non fiat votum, quum res ipsa non ignoretur? Sunt enim multi inter Episcopos, & alios Ecclesiæ Pastores, qui sine ostentatione voti nuptiis abstineant, & sine ulla fabula, sine ullo sinistro rumore, castè sanctèque vitam exigant. Ipsa quoque Monachorum Cœnobia Rex optimus & pietatis studiosissimus soluturus omnino non fuit, [certè non omnia] ut sæpe affirmantem audivi, si invenisset integra, & primæ institutionis legem servantia. Optaret verò serenissimus Rex etiam atque etiam, ut Patribus Tridentinis, qui ne precibus quidem summorum Regum & Principum adduci potuerunt, quo publicæ honestati hac in parte consulerent, venisset in mentem, à quo principio hodierna doctrina sit profecta. Nam quum initio cælibatus inter utilia instituta poneretur & consilia, posteà sunt adjecta vota; postremò ad hanc absolutam necessitatem est perventum, quæ hodie apud vos obtinet, lege Dei valere jussa, & pedibus mortalium indignissimè conculcata. Quod in fine observationis hujus additur, malè illos affirmare, fidem se & disciplinam eandem cum veteri Catholica retinere, qui alia eorum probent, alia improbent, quæ prisca Ecclesia ad salutem credidit necessaria, etsi sub diversa specie necessitatis; id quò spectet, satis Rex intelligit. Respondet igitur: nolle se quidem Ecclesiam suam, ut speculum sine macula, & quasi perfectè pulchram sine ruga, sine nævo prædicare; hunc enim Pharisaïsmum se suosque aliis lubenter relinquere: illud tamen certò, clarè & liquidò sibi constare, si notæ ἀληθεῖς quærantur, & verè necessaria ad salutem spectentur, aut etiam ad decorem Ecclesiæ, nullam in Orbe terrarum, [Deo uni sit laus & gloria] inventum iri, quæ propius ad fidem, aud speciem antiquæ Catholicæ accedat. Nullam excipere se, ne Romanam quidem; quæ novis inventis, cùm ad augendam

† 1 Corinth. VII: 9.

1612. superstitionem, tùm ad stabiliendam dominationem suam, & imperium in Reges & Principes, & populos terræ universos excogitatis, fidem & disciplinam veteris Catholicæ, variè interpolavit, variè mutavit, & à primitivæ Ecclesiæ puritate atque simplicitate in multis quàm longissimè recessit.

IV. Observatio.

Quando quæritur de fide antiquæ Ecclesiæ, sunt qui uno aut altero seculo, post jacta Ecclesiæ fundamenta, Antiquitatem circumscribant; æquum verò esse, ut ad disceptandas hodiernas controversias id potissimum tempus sumatur, de quo inter contendentes constabit, non solùm veram fuisse Ecclesiam temporis illius Ecclesiam; sed etiam tunc maximè floruisse, & splendorem illum obtinuisse, quem ipsi tot Prophetarum oracula erant pollicita. Id autem esse tempus, quo prima quatuor Concilia Oecumenica includuntur, à Constantino Imperatore ad Marcianum. Atque hoc vel propterea æquissimum esse, quia primorum seculorum paucissima extant monumenta; illius verò temporis, quo præcipuè Ecclesia florebat, longè plurima; ut facile ex ejus ætatis Patribus & eorum scriptis, fides ac disciplina veteris Catholicæ possit agnosci.

Responsio Regis.

Hoc postulatum parum illis æquum videbitur, qui in universam Ecclesiæ primitivæ Historiam, Actuum Apostolicorum, divino illo quidem; sed tamen unico libello, volunt contineri. Ab horum sententia longè abest æquissimus prudentissimusque Rex, qui in Epistola Monitoria sua, quanti facerer Patres, etiam quarti aut quinti seculi, ingenuè declaravit. Nec dubitat Rex cum Augustino pronuntiare; quod probatum fuerit, Ecclesiam à prima sua origine, ad illa usque tempora servasse, id tanquam impium velle rejicere, insolentissimæ esse insaniæ. Tres enim recti notas Vincentii Lirinensis, *à principio, ubique & semper*, dudum amplecti se, verè, nec simulatè ejus Majestas est professa. Rex igitur & Ecclesia Anglicana, quatuor prima Concilia Oecumenica quum admittant, eo ipso satis declarant, veræ ac legitimæ Ecclesiæ tempus non includere se uno aut altero demum seculo; verùm multò longius producere, & Marciani Imperatoris, sub quo Chalcedonense Concilium est celebratum, tempus complecti. Sed quod in hac observatione pluris videntur æstimari tempora post Constantinum, quàm anteriora; id verò 1612. serenissimus Rex valde miratur, & omnino haut probat. Fatetur Rex, quarti seculi Ecclesiam gloriâ, splendore, opibus ac doctorum virorum copiâ, magis quàm priora floruisse; at rectitudine fidei, quam ὀρθοδοξίαν dicunt, & incorruptæ disciplinæ sinceritate, aut parem, aut etiam superiorem priorum seculorum Ecclesiam fuisse, dubitare posse putat Rex mortalium neminem. Leguntur passim apud pios Patres quarti seculi, Basilium, Nazianzenum, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum, alios, gravissimæ querelæ de vitiis Ecclesiarum suarum, & variis depravationibus; neque potest ambigi, quò longius ab origine prima recedebatur, eò etiam longius à primæva puritate & simplicitate esse recessum. Quare si de verrenda & mundanda domo Dei seriò cogitatur, cur ad Apostolica tempora, aut Apostolicis proxima non potissimùm respiciatur? Verum quidem est, partem multò maximam illius temporis in tenebris, situ & squallore, propter continuas persecutiones, piis esse transactam; sed videamus etiam atque etiam, ne in hac quoque re, melius sit ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivii. Paupertas & Calamitas bonæ mentis sorores audiunt; divitiæ & gloria non eandem famam obtinent. Quod si non adeò multi eorum temporum Scriptores ad nostram ætatem pervenerunt, at pervenerunt tamen nonnulli, quorum ratio habeatur dignissimi. Vel unicus certè Christi Martyr sanctissimus Cyprianus, primitivæ Ecclesiæ πολιτείαν & disciplinam totam melius nos docuerit, quàm multi alii, qui in quarto seculo vixerunt. Summa igitur Regiæ Responsionis ad hanc observationem est, facilè passuram ipsius Majestatem, ut è Patrum scriptis quarti seculi argumenta afferantur; eâ tamen lege atque conditione, ut pro verè antiquis, & ad salutem necessariis illa sint admittenda, quæ non nunc primùm fuerint nata; sed quæ ab origine prima nascentis Ecclesiæ observatione continuâ ad illos pervenisse constiterit.

V. Observatio.

Cum unanimis Patrum consensus quæritur, sunt qui tunc de eo satis liquere contendant, quando res eadem totidem verbis apud omnes Patres reperitur: quorum sententia, quum sit palàm iniqua, æquius fuerit ad consensum Patrum cognoscendum, duas hasce regulas adhiberi. Prior est, ut tunc existimetur satis probatus esse consensus Patrum, quando eminentissimi quique singularum natio-

1612. *nationum, in rei alicujus affirmatione consenserint, neque illis sese quisquam opposuerit, qui quidem orthodoxus censetur. Sic B. Augustinus contra Donatistas, postquam è prioribus Scriptoribus insigniores undecim laudasset; Patres Concilii Ephesini, postquam contra Nestorium decem protulissent, de unanimi consensu Ecclesiæ prioris fidem se abundè fecisse crediderunt. Posterior regula hæc est: Quando Patres non ut Doctores loquuntur, neque dicunt hoc aut illud sic esse credendum, aut sic faciendum; sed tanquam testes eorum, quæ suis temporibus Ecclesia universalis credebat, aut faciebat, dicunt hanc esse fidem aut praxin Ecclesiæ Catholicæ per totum orbem terrarum; tunc eum honorem illis habendum esse, ut ad unanimem consensum Ecclesiæ, ejusmodi affirmatio satis credatur valere.*

RESPONSIO REGIS.

EST quidem æquissima postulatio, ut de communi consensu partium hodie contendentium, ratio ineatur utiliter utendi veterum Patrum auctoritate. Nam primitivæ Ecclesiæ testimonio & pondere sublato, controversias hodiernas finem nunquam, τὸ κατ' ἀνθρώπους accepturas, neque ullâ disputatione fore terminandas, ultro serenissimus Rex agnoscit. Ut igitur conveniat inter utrosque, quid & quantum Patribus sit tribuendum, & quatenus eorum auctoritati sit deferendum, non fuerit inutile certas regulas de mutuo partium consensu componi, quæ modum rei præscribant. Inter alios plures ei proposito utiles ac necessarios Canones, etiam duobus hisce locum posse concedi, Rex autumat. Sed quoniam hodie non de Ceremoniis controvertitur, aut aliis mediocris momenti rebus; verùm de fidei articulis aliquot, & de dogmatis ad salutem pertinentibus, multò sollicitius dandam esse operam Rex judicat, ut ante omnia de hac regula inter omnes conveniat: Dogmata fidei, & quicquid ad salutem necessarium meretur credi, è sola Scriptura Sacra peti debere; neque à quorumvis mortalium auctoritate pendere; sed è Verbo Dei duntaxat, quo suam ipse nobis voluntatem per Spiritum Sanctum declaravit. Patribus enim & Ecclesiæ veteri, fidei articulos eliciendi è Sacra Scriptura, & explicandi jus fuisse; novos articulos comminiscendi nullum jus fuisse. Isto posito fundamento, & τῇ θεοπνεύστῳ Paginæ sua majestas manebit sarta, tecta; & piis Patribus quæ debetur reverentia præstabitur. Hoc voluisse omnes veteris Ecclesiæ Doctores, facilè potest ex eorum scriptis demonstrari. Nam quid 1612. in eorum libris occurrit frequentius, quàm hæc verba? ὅτι δεῖ διδάσκειν ἐκ τῶν Γραφῶν: *quæ docentur in Ecclesia Dei, è Verbo Dei peti debent:* aut hæc? ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω Γραφή, *judicium de controversiis in causa Religionis penes Scripturam esto.* Aut cui jam nota non sunt verba aurea Basilii Magni, in libello de Fide? φανερὰ ἔκπτωσις πίστεως καὶ ὑπερηφανίας κατηγορία, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων· τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰπόντος, τὰ ἐμὰ πρόβατα τῆς ἐμῆς φωνῆς ἀκούει. Et ad propositas quidem observationes hæc dicta sunto.

Sequuntur jam quatuor ἐνστάσεις. Accedens enim tua illustris Dignitas ad hypothesin, ut evincat, non credere serenissimum Regem, quæ olim Catholica Ecclesia credidit, quatuor id argumentis instituit demonstrare, ex iis rebus petitis, quæ ad exteriorem Dei cultum pertinent, sive liturgiam, & praxin quotidianam. Cur autem has potissimùm ἐνστάσεις afferat, hanc rationem posteà reddit; quia si de his esset conventum, de cæteris futura sit facilis conventio. Optaret equidem Regia Majestas, illustrissime Cardinalis, posset hoc sperari: sed recordanti ipsi & animo reputanti, quid illud sit, quod à vestris Scriptoribus præcipuâ curâ & acriore contentione urgeatur, non magna illi concordiæ spes apparet, ne tum quidem, si de istis quatuor capitibus à te propositis fuerit conventum. Non enim jam de istis, aut omnino de ullo Religionis Christianæ capite, acrius disputatur, quàm de Romani Pontificis imperio. Is unus est hodie fidei articulus, à quo cæteri omnes pendent. Quid igitur bonæ spei restat, nisi in illius bonitate & misericordia, cujus unius est, malis Ecclesiæ medicinam facere? In illo speremus, etiam contra spem. Αὐτὸς ποιήσει. Ut redeamus in lineam, quatuor ἐνστάσεις contra Liturgiam Ecclesiæ Anglicanæ allatæ sunt istæ:

1. *In sacrosancta Eucharistia realem Christi præsentiam non credit.*
2. *Doctrinam de sacrificio Ecclesiæ Christianæ respuit.*
3. *Non precatur pro mortuis.*
4. *Invocationem Sanctorum, qui in cælis sunt, damnat.*

Ad hæc quatuor paucis respondet Rex.

Ad primam ἔνστασιν de præsentia reali.

SI in sacrosanctis Religionis Christianæ mysteriis nihil credere Fideles existimandi sunt, nisi cujus rationes

1612. omnes habent perſpectas, & modum tenent; næ multa Chriſtiani reperientur non credere, quæ ipſi tamen firmiſſimâ ſe fide credere non dubitant, Chriſtum Dominum noſtrum Dei Patris Filium eſſe, ante omnia ſecula à Patre generatum; eundem quum ſit verus Deus, carnem humanam aſſumſiſſe in utero B. Virginis; ex illa natum eſſe, virginitate matris illæſâ; divinam naturam humanæ in eandem hypoſtaſin uniiſſe: hæc, inquam, & ſimilia his plura, credere ſe omnes profitentur Chriſtiani, à quibus tamen ſi modum quæras, quo iſta ſunt facta, aliud fidem eſſe Theologicam dicent, aliud humanam ſcientiam; pièque uſurpabunt Galeni, parum alioquin idonei pietatis magiſtri, verba eximia è libro xv. de uſu partium: τὸ ΟΠΩΣ ἐγένετο τοῦτο, ἐὰν ἐπιχειρήσῃς ζητεῖν, ἀναίσθητος φωραθήσῃ, καὶ τῆς σῆς ἀσθενείας, καὶ τῆς τοῦ δημιουργοῦ δυνάμεως. Patres verò quoties nos dehortentur à quæſtione τοῦ τρόπου & curioſitate modi explicandi in divinis myſteriis, ſi aggrediar hic adnotare, longum fecero. Gregorii Nazianzeni verba ſunt tibi nota in Oratione priore, *De Theologia:* Ἀκούεις γέννησιν· τὸ ΟΠΩΣ μὴ περιεργάζου· ἀκούεις τὸ πνεῦμα τὸ προϊὸν ἐκ τοῦ Πατρός· τὸ ΟΠΩΣ μὴ πολυπραγμόνει. Et alio loco idem: Θεοῦ γέννησις σιωπῇ τιμάσθω· μέγα σοι τὸ μαθεῖν, ὅτι γεγέννηται· τὸ δὲ ΠΩΣ, οὐδὲ Ἀγγέλοις ἐννοεῖν, μή τι γέ σοι, συγχωρήσωμεν. Erat Gregorio res cum Arrianis, pervicaciſſimis Hæreticis; quorum impiæ curioſitati, non ſubtilitate diſputandi conatur ſatisfacere; ſed tanti arcani modum & rationem quæri vetans, ſilentium illis indicit. Hac piâ moderatione ſi Rex & Eccleſia Anglicana in ſacroſancto Euchariſtiæ myſterio utuntur, quæ, obſecro, invidia eſt? Legimus in Euangeliis, Dominum noſtrum, cùm hoc Sacramentum inſtituebat, panem ſumpſiſſe, & dixiſſe, *Hoc eſt corpus meum:* quomodo panis corpus ſuum eſſet, ne verbulo quidem uno explicuiſſe Chriſtum legimus. Quod legit Eccleſia Anglicana, hoc piè credit; quod non legit, pari pietate non inquirit. Myſterium iſtud magnum eſſe, humano ingenio incomprehenſibile, ac multò magis inenarrabile, fatetur & docet: de efficacia illius ſentit quàm auguſtiſſimè: ad Sacram Menſam acceſſuros conſcientiæ omnes ſcrutari receſſus, & peccata confiteri, utique apud Deum; ſed &, ſi opus fuerit, apud Presbyterum, jubet; accedentes, ut ad omnem humilitatem & devotionem ſe componant, ſedulò monet; genibus flexis Communionem corporis Chriſti accipit; nec ſolùm in communi Conventu panem 1612. myſticum Fidelibus dividit; ſed etiam morientibus hoc viaticum, ut appellant Patres Concilii Nicæni, & tota Antiquitas, adminiſtrat. Poſtremò, quum ab omni curioſitate velit Rex ſuorum ingenia abſtinere; quæcunque tamen pii Patres primorum ſeculorum, ad commendationem ineffabilis myſterii dixerunt, ea ipſe admittit: Patrum etiam verba, μεταβολὴν, μεταποίησιν, μεταστοιχείωσιν, & ſimilia, ex mente ipſorum ſi accipiantur & exponantur, non rejicit. Hæc Regis & Eccleſiæ Anglicanæ doctrina, ſi vobis non ſatisfacit, nempe illud reſtat, ut Tranſſubſtantiationis dogma, quo vobis placatis poſſit uti, approbet. Iſtud verò non eſt rei veritatem piè credere; ſed importunâ curioſitate modum decernere; quod Rex cum Eccleſia ſua nunquam eſt facturus, nunquam probaturus. Miratur verò ſereniſſimus Rex, quum fateatur tua illuſtris Dignitas, non περιεργμένως quærere vos, ut credatur Tranſſubſtantiatio, ſed ut de præſentiæ veritate ne dubitetur; Eccleſiam Anglicanam, quæ toties id ſe credere publicis ſcriptis eſt teſtata, necdum vobis feciſſe ſatis. Ut igitur certò cognoſcas, quid in hac Eccleſia ſuper illa re credatur, quid doceatur, deſcribam hic reverendiſſimi viri, Domini Epiſcopi Elienſis *, locum integrum, è libro, quem paucos ante menſes adverſus Cardinalem Bellarminum edidit. Sic ille capite primo: *Quod Cardinalem non latet, niſi volentem & ultrò, dixit Chriſtus: Hoc eſt corpus meum; non, Hoc modo eſt corpus meum. Nobis autem vobiſcum de objecto convenit, de modo lis omnis eſt. De Hoc eſt, fide firmâ tenemus, quod ſit; de Hoc modo eſt, (nempe tranſſubſtantiato in corpus pane) de modo quo fiat, ut ſit Per ſive In, ſive Cum, ſive Sub, ſive Trans, nullum inibi verbum eſt. Et quia verbum nullum, meritò à fide ablegamus procul; inter ſcita Scholæ fortaſſe, inter fidei articulos non ponimus. Quod dixiſſe olim fertur Durandus, neutiquam nobis diſplicet; verbum audimus, motum ſentimus, modum neſcimus, præſentiam credimus; præſentiam, inquam, credimus, nec minus quàm vos veram. De modo præſentiæ nihil temerè definimus; addo, nec anxiè inquirimus, non magis quàm in Baptiſmo noſtro, quomodo abluat nos ſanguis Chriſti; non magis quàm in Chriſti Incarnatione, quomodo naturæ divinæ humana in eandem hypoſtaſin uniatur. Inter myſteria ducimus (& quidem myſterium eſt Euchariſtia ipſa,) cujus quod reliquum eſt, debet igne abſumi, id eſt,* ut

* Lancelotti Andrews.

1612. *ut eleganter in primis Patres, fide adorari, non ratione discuti.* Hæc fides Regis, hæc fides Ecclesiæ Anglicanæ. Quæ ut brevi compendio rem omnem complectar, in Cœna Domini realiter participem se fieri credit corporis & sanguinis Christi, ut Patres Græci dicunt, & quod Bellarminus ipse fatetur, spiritualiter. Per fidem enim Christum apprehendunt & manducant; creduntque nullum aliud manducationis genus ad salutem utile esse posse. Quod & omnes vestri semper fassi sunt.

Ad II. ἔνστασιν de sacrificio in Ecclesia Christiana.

VEteris Ecclesiæ Patres sacrificium in Religione Christiana unum agnovisse, quod in locum successisset omnium Legis Mosaïcæ sacrificiorum, neque ignorat Rex, neque negat. Sed hoc sacrificium nihil esse aliud contendit, nisi commemorationem ejus, quod semel in cruce Christus Patri suo obtulit. Quare Beatus Chrysostomus, quò frequentius nemo hujus sacrificii meminit, in nonum caput Epistolæ, postquam θυσίαν nominasset, continuò subjungit, sive explicationis, sive etiam correctionis loco, μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν θυσίας. Illa locutio μᾶλλον δὲ, quam vim habeat, scis ipse omnium optimè. Sæpe autem Ecclesia Anglicana professa est, de verbo nullam se litem moturam, si modò impetrari à vobis posset, ut pristinâ fide in integrum restitutâ, quæ contra usum veteris Ecclesiæ à vobis usurpantur, tollerentur. Nam Eucharistiæ celebrationem sine communicantibus, & universam illam privatarum Missarum nundinationem, multis etiam vestrorum Theologis damnatam, certum est à perversa doctrina de hoc sacrificio originem habuisse. Quòd autem ad extrahendas defunctorum animas è flammis Purgatorii sacrificia Missarum exiguntur, & quidem sæpe repetita; otiosorum hominum & simplicitate populorum ad quæstum suum impiè abutentium, delirium esse, Rex non dubitat. Tollantur hi & similes his alii crassi fœdique abusus, qui apud vos obtinent; ab Ecclesia Anglicana, quæ in sua Liturgia expressam sacrificii mentionem habet, facilè impetraveris, ut in veteris Ecclesiæ usu acquiescat. Quamobrem serenissimus Rex quum nuper ei essent narrata, quæ paullò antè in celeberrimo Conventu Dominicanorum doctè fuerant à te disputata, de duplici sacrificio, expiationis nempe, & commemorationis, sive religionis; sibi quoque idem probari, multis audientibus pronuntiavit; & nunc etiam ut hoc ipsum tibi confirmarem, ejus Majestas me jussit. 1612.

Ad III. ἔνστασιν de precibus pro mortuis.

COnsuetudinem esse vetustissimam, ut in publicis Ecclesiæ precibus commemoratio fiat defunctorum, & quies illis petatur à Deo, qui in pace Ecclesiæ sunt mortui; pauci hodie ignorant, nedum serenissimum Regem hoc fugiat. Eum morem à charitatis vehementia esse profectum, non videtur ambigendum. Sed & fidem suam de futura resurrectione, vetus Ecclesia eo pacto approbavit. Hunc ritum Ecclesia Anglicana etsi non damnat in primis seculis, hodie tamen sibi non putat retinendum, idque propter caussas & plurimas, & gravissimas. Nonnullas de multis hîc attingemus. Prima omnium est, quia sine ullo præcepto supremi in Ecclesia sua Legislatoris Christi primò fuisse eum morem introductum, habet persuasissimum; neque hactenus contrarium hujus à vestris Doctoribus potuit demonstrari. Quare etsi non tantum sibi sumit Rex, sicut in Monitoria sua dudum est protestatus, ut veteris Ecclesiæ usu probatum institutum ausit condemnare; nihil tamen dubitat ejus Majestas, Ecclesiam suam nullâ ejus necessitate hodie teneri. Nam quicquid est, quod hac in parte veteres Fideles fecerunt; id omne Rex ad illud caput utilium vel licitorum refert, de quo in secunda observatione est dictum; ad ea certè, quæ absolutè necessaria sunt, nullâ ratione persuadebitur, hunc ritum pertinere. Unde enim illa necessitas? Non ex Lege Dei, qui hoc nunquam imperavit. Si ab eo fonte non est, nulla profectò est. Posuimus enim sola ad salutem necessaria existimari debere, quæ aut expressè continentur in Verbo divino, aut necessariâ consecutione inde fuerint deducta: quorum neutrum hîc locum habet. Ea verò, quæ vetus Ecclesia sine ulla necessitate aut credidit aut fecit, libera hodièque nobis esse debere, antè dictum est. Secunda ratio est, quòd licet fateatur Rex, hanc consuetudinem antiquissimos Auctores habuisse; à principio tamen & temporibus Apostolicis, unde omnis Ecclesiæ antiquitas repeti debet, sic factum esse, nemo ad hanc diem potuit probare. Accedit, quòd preces, quæ olim fiebant, & modo & fine multum ab iis differebant, quæ fiunt hodie & docentur. Tertiam rationem adjicit Rex, quod ubi semel preces pro defunctis admissæ fuerunt in Ecclesiæ ritus, mox pudendorum errorum & plus quàm anilium superstitionum

1612. num caterva ingens agmine facto in Ecclesiam irrupit. Judicent vero æstimatores æqui, utris potius Catholicorum appellatio sit deneganda; Regine & subditis ipsius, qui rem nullâ necessitate introductam, propter insecutos errores desinunt usurpare, aut jam sibi licitam putare; an vestris hominibus, qui omnes superiorum seculorum, quamvis fœdos & perniciosos errores, sophisticis cavillis mirâ pertinaciâ defendere malunt, quàm corrigere.

Ad IV. ὕστερον de invocatione Sanctorum.

DE Sanctorum invocatione serenissimus Rex dicit idem, quod de precibus pro defunctis. A tenui principio, quod nemo jam nescit, res posteà magnum incrementum cepit; donec tandem eò ventum, ut superioribus seculis (atque utinam nunc quoque multis in locis non idem fieret) populus Christianus plus fiduciæ & præsentis auxilii spem certiorem poneret in Sanctis, quàm in ipso [nefas dictu] Servatore; qui ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, ut salutem hominibus, hostibus suis pararet, ἑαυτὸν ἐκένωσε μορφὴν δούλου λαβὼν, καὶ ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ*. Et quum Dominus ipse, quæ est illius omnem superans admirationem bonitas & clementia, in Evangelio, suavissimæ dulcedinis verbis ad se miseros peccatores vocet, *Venite ad me*, inquiens, *omnes, qui laboratis; & ego reficiam vos*; extitere tamen perversè ingeniosi Doctores, qui invitationem adeò blandam inutilem conarentur reddere; & unicum apud Deum Patrem humani generis Advocatum, terribilem & semper immitem depingentes, miseris hominibus persuaderent, nullum ad Christum sine intercessione plurium Advocatorum aditum patere. Fuerunt etiam, qui palàm docerent, justitiæ severitatem Christum sibi reservasse; gratiam & misericordiam Beatissimæ Virgini reliquisse. Tum autem officia inter Sanctos & curationes solertiâ admirabili, ne dicam superstitione detestabili, sunt distributæ. Et olim quidem suffragia illorum duntaxat expetebantur, ut suâ gratiâ apud Deum intercederent; posteà verò etiam libris repletus est mundus, qui propriè pertinerent ad hujus illiusve Sancti cultum, & formulas docerent petendi ab eo necessaria. Igitur in locum Psalmorum, quem Libellum divinum omnes olim Christiani, viri, fœminæ, senes, juvenes, divites, pauperes, docti, indocti, perpetuò in ore & manibus habebant, successerunt Horæ Beatissimæ Virginis, & Legendæ, sive potius fabulæ, ut plurimùm, 1612. impiæ ac deliræ, (de veris Martyrum Historiis non loquor) & similes quisquiliæ. Parum est, quod excussus est de manibus Fidelium tam divinus, tam necessarius Libellus; nisi esset repertus, qui ad honorem Beatissimæ Virginis Psalmos omnes transferret, omnia illi tribuens, quasi inter Deum & hominem κτίστην & κτίσιν nihil interesset, quæ spiritu prophetico de unico Filio Dei fuerant prædicta. Serenissimus Rex gloriosissimam Virginem Matrem Dei, prædicat beatissimam; neque dubitat, in supremum honoris gradum esse evectam, qui humanæ creaturæ à Deo creatore potuit tribui. Perplacet etiam illi, quòd Ecclesia Anglicana memoriam Beatissimæ Virginis certis anni diebus concelebrat. Sed nullis technis ab ejus Majestate hodierni Sophistæ expresserint, ut quod diximus, Beatissimæ Virginis Psalterium approbet, aut omninò ferat. Nam Cardinalem Bellarminum, qui nuper defendit, ne vestris quidem hominibus, qui sensum pietatis non planè exuerint, probari, serenissimus Rex autumat. Hisce morbis intercutibus quum lethaliter propè jam Ecclesia Romana laboret, demiratus est Rex, quod in tua, illustrissime Cardinalis, Epistola legit, invocationem Sanctorum, quæ hodie à vestris usurpatur, primitivæ Ecclesiæ temporibus fuisse in usu. Breviter igitur respondet, primis nascentis Ecclesiæ temporibus, alium præter unum Deum Opt. Max. fuisse orari solitum, demonstrari omnino haut posse. Nullum ejus rei præceptum extare in Verbo Dei; nullum penitùs exempli alicujus vestigium. Solus Deus adorabatur, solus orabatur per Filium suum unigenitum, Mediatorem inter Deum atque homines unicum, solum, μονώτατον. Posteà morem esse introductum, orandi ad memorias Martyrum; ac paulatim cœpisse apostrophas fieri ad Sanctos, extra Dei cultum; optari etiam & vota fieri, non ad illos quidem primò, sed ut illi Deum orarent. Quod si hac sine exempla nova stetissent, ne Rex quidem illorum temporum consuetudinem vehementer reprehenderet; certè non ita damnaret, ut quod posteà receptum est moribus: Beatos enim Martyres & alios Sanctos, cum Christo, capite utriusque Ecclesiæ, triumphantis & militantis, nunc regnantes, veneratur ipsius Majestas, eosque pro necessitatibus Ecclesiæ assiduè orare non dubitat; precesque ipsorum non esse inutiles, firmiter credit. At quo auctore & quasi sponsore credatur, orantium preces ab ipsis audiri, ac

* Philip. II: 6, 7.

1612. ac propterea pro Diis penatibus & tutelaribus eos esse habendos, id verò nescire se ingenuè fatetur. Quamobrem quæ deinceps post prima secula sunt secuta, mirificè Rex improbat. Per gradus enim ad ea perventum est, quæ modò dicebamus; & quæ Ecclesia Anglicana cum summa impietate esse conjuncta, non veretur affirmare. Quod si in Patribus quarti seculi exempla reperiuntur alicujus invocationis, [& quidem reperiuntur, neque hoc Rex nescit] fuit hoc nempe deficientis antiquæ simplicitatis & mali jam gliscentis indicium; ejusmodi tamen mali, quòd nullo pacto cum iis sit conferendum, quæ hodie in Ecclesia Romana, & ferri, & doceri, atque defendi cernuntur. Postremo seculi illius morem inter utilia aut licita si admiserunt pii Patres; at inter absolutè necessaria ad salutem nunquam profectò posuerunt. Atqui de his, non de illis, propriè sermo fuerat institutus. Et de quatuor quidem objectionibus adversus Liturgiam Anglicanam propositis hactenus.

Putat verò Rex, consulto factum esse à te, ut ex omnibus, quæ in ipsius Religione minus probabas, ea potissimùm seligeres, quæ ad Synaxes pertinent. Nam Communio inter Fideles, in publicis maximè pietatis exercitiis est posita; atque hoc est optatæ bonis unionis vel præcipuum coagulum. Quare si de hac saltem re inter Christianos hodie conveniret, nihil vetaret, quo minus invicem populi Europæ communicarent: factâ interim Doctoribus S. Theologiæ facultate, ut dogmatum aliorum veritatem in Scholis placidè inquirerent. Quod quidem valde esset optandum; & hoc semel posito fundamento, benè de cætero, cum auxilio Dei, videri posset sperandum. Propterea serenissimus Rex, tuum hac in parte judicium apprimè laudans, faciendum putavit, ut ipse etiam ex iis, quæ in Liturgia vestra reprehendit, quædam hic adnotaret. Quod si propter illa quatuor, quæ ipse in Liturgia Anglicana desiderasti, justa satis caussa est, ut tibi quidem videbatur, cur qui illâ utuntur, nec credantur nec dicantur Catholici; viderit tua illustris Dignitas, quid de Romana Ecclesia Regem pronuntiare oporteat; in cujus Liturgia (nam alias partes Religionis vestræ Rex nunc omittit) tam multa pii viri dudum observarunt, Verbo Dei & veteri fidei Catholicæ palam repugnantia; quæ tamen defendere hodie, in hac luce veritatis, Romanus Pontifex mavult, quàm emendare. Et poterat quidem Rex nullo negotio, plurimos hic commemorare Liturgiæ Romanæ gravissimos errores; sed placuit 1612. ipsius Majestati, quatuor duntaxat afferre, quæ tuis illis quatuor, de quibus diximus, opponit. Primum esto, Linguæ ignotæ usus, contra Pauli admonitionem & primitivæ Ecclesiæ praxin, quæ nihil habuit antiquius in suis Synaxibus publicâ utilitate, & audientium ædificatione. Itaque verti Sacram Scripturam in omnes linguas Patres curarunt, & ut notat Epiphanius, ἑρμηνευτὰς habuerunt, qui si opus esset, linguam in linguam verterent ἐν ταῖς ἀναγνώσεσι, inquit ille; hoc est, cùm Scripturæ populo legebantur. Sanè vulgò fuisse intellecta, quæ recitabantur, vel illud unicum evicerit, quod in singulis ferè Patrum Græcorum & Romanorum homiliis occurrit, *ut audistis legi*; vel, *ut hodie lectum est:* quod hodie si vestri concionatores dicerent, ridiculè facerent. Nam si quæ leguntur è Libris Divinis, nihil eorum miser populus intelligit; qui tamen multò magis hodie, quàm olim opus haberet, saltem in Ecclesia Verbum Dei, cùm recitatur, intelligere. Veteres enim cogebant unumquemque, ut Libros Sacros domi assiduè legeret; qui nunc sub anathematis pœna vetantur attingi sine venia, adeò ut inter libros prohibitos primum locum Libri Sacri, & à Deo profecti, horrendum dictu! teneant. Non ignorat Rex, etiam inter vos reperiri Bibliorum Versionem in linguas vulgares: sed docuerunt ejus Majestatem Sacerdotes Angli, qui Duaci Sacram Paginam in sermonem Anglicum verterunt, ab invitis vobis esse expressas illas Versiones, *importunitate Hæreticorum*, ut loquuntur Duacenses. Nam illis velle Dei Verbum sobriè & reverenter legere, hæresis est. Neque ignorat Rex, quum in Gallicum idioma Renatus Benedictus Presbyter Biblia vertisset, quantum illi molestiarum eam ob caussam Romani Pontifices exhibuerint; qui etiam semel, literis ad Episcopum Parisiensem datis, id agere eum jusserunt, ut omnes Gallicæ Librorum Sacrorum Versiones de manibus populi tollerentur: quod & factum procul dubio fuisset, si nulli in Galliis Protestantes extitissent. Nuper etiam legebat serenissimus Rex in libro Angli cujusdam, Presbyteri Pontificii, preces incognitâ linguâ conceptas, nescio quid majoris efficaciæ habere, quàm si intelligerentur. Quod insulsissimum delirium ab Ethnicis primò excogitatum, hodie non est illius Presbyteri proprium. Sic olim Valentiniani Hæretici Hebraicis verbis, vulgo ignotis, in suis mystagogiis utebantur, ut plebi imperitæ

1612. ritæ admirationem & ſtuporem excitarent, atque, ut ait Euſebius in quarta Hiſtoria, πρὸς τὸ μᾶλλον καταπλήξασθαι τοὺς πλουμένους. Secundus error eſto, Sacræ Euchariſtiæ mutilatio contra inſtitutionem Chriſti, exemplum Pauli, & praxin continuam Eccleſiæ in publica Synaxi, per annos minimùm mille, fatente etiam Caſſandro, viro eruditiſſimo. Tertio loco ſunto Miſſæ ſine Communicantibus, item privatæ atque angulares. Jam antè dictum, originem hæc habuiſſe è perverſa doctrina de ſacrificio in Eccleſia Chriſtiana. Reſtituantur vetus fides, vetus praxis. Quarto loco profert Rex imaginum hodiernum uſum, cultum atque adorationem. Fatentur abuſum etiam Patres Tridentini; & Catechiſmus Romanus quædam utiliter monet. Quid refert? manet error, probatur, defenditur, & gliſcit in dies. Omittit Rex adorationem Sanctorum atque invocationem. Ut fit hodie, excuſari res non poteſt, non debet. Corrigantur, non autem excuſentur, quæ palàm cum Lege Dei & uſu primitivæ Eccleſiæ pugnant. Omittit reliquiarum adorationem religioſam, quæ & docetur hodie & exhibetur, ut res neceſſaria; aut plurimùm certè ad ſalutem conducens. Accedit rei abſurditas intolerabilis; ut cùm falſæ reliquiæ pro veris obtruduntur, aut palàm ridiculæ: ut cùm Lacrymæ Chriſti oſtenduntur, aut Lac Beatiſſimæ Virginis, & id genus alia. Omittit licentiam concionantium, extra Dei Verbum aberrantium, quibus lex poni debuerat, ne ullam populo doctrinam proponerent, velut ad ſalutem neceſſariam, quæ ex Oraculis Divinis non ſit hauſta, & primævæ Antiquitatis fidei conſentiens. Ea namque eſt illa ὑγιαίνουσα διδασκαλία, quam tot locis Apoſtolus commendat. Hac lege ſemel ſancitâ, ruent ſponte ſuâ, quæ hodie in Eccleſia Romana fiunt permulta; ruet doctrina de indulgentiis; ruet putidum illud commentum de pœna intenſiva in Purgatorio; ubi multa annorum millia in una minuta comprehendi docentur, vi pœnæ iſtius in precibus ad Deum inanes battologiæ, quæ ſibi non placere, Chriſtus ipſe nos docet; neque amplius credetur magnum eſſe meritum, ſi quis Roſarium ſuum, aut alias preces, vel Pſalmos, ignotâ ſibi linguâ decies, vicies, quinquagies, centies repetat. Iſtis incommodis, & ſimilibus aliis ſi eſſet à vobis proſpectum, cur ab Eccleſiæ veſtræ Synaxibus Dei timentes viri putarent ſibi abſtinendum, nulla fortaſſe amplius ſatis juſta cauſſa reſtaret. Ne illud quidem

prætermittendum ſibi Rex putavit; 1612.
quod ſub finem tuæ Epiſtolæ habetur. Scribis enim, de Romano Pontifice nolle te verba facere; quum vel mediocriter in Hiſtoria Eccleſiaſtica verſatis compertum ſit, primorum ſeculorum Patres, Concilia & Imperatores Chriſtianos, primas illi ſemper detuliſſe, & præcellentis dignitatis prærogativam, in omnibus negotiis, ad Religionem aut Eccleſiam ſpectantibus: atque hoc ſolùm exigere Eccleſiam veſtram pro articulo fidei credendum ab iis, qui Communioni ſuæ ſe adjungunt. Ad hæc reſpondens Rex, fidem tuam appellat, illuſtriſſime Cardinalis, petitque à te, ut animo reputes facta Romanorum Pontificum ab annis ferè ſeptingentis. Non vult ejus Majeſtas Camarinam illam nunc movere; ſcire tamen te cupit, planè ſibi fide certâ notum atque exploratum eſſe, hodiernos Pontifices ejus Sedis uſque adeò primorum Paparum eſſe diſſimiles, fidei integritate, propoſito vitæ, & totius adminiſtrationis formâ ac ſcopo; ut longè iniquiſſimum putet, rebus ſic ſtantibus à prioribus ſeculis ad præſens tempus trahere argumenta. Reddatur Eccleſiæ ſua priſtina forma, & tot nova jura olim inaudita penitùs tollantur. Denique rebus ipſis probet Romanus Pontifex, non ſuam ſe, verùm Dei immortalis gloriam quærere, & populorum pacem, concordiam ac ſalutem ſibi eſſe curæ; tum ſereniſſimus Rex, quod in Monitoria ſua dudum eſt proteſtatus, ſine cunctatione primas illi deferet, ipſumque πάσης τῆς ἐκκλησίας προνοεῖν, cum Gregorio Nazianzeno, dicet non invitus. Nunc de illa Sede quid Eccleſia Dei ſtatuere debeat, imprimis autem Reges ac Principes, vel teipſum ſereniſſimus Rex fert judicem. Non enim ignoras, quàm multi quotidie & Roma, & ex omnibus jam Europæ angulis ſubinde libri prodeant, ad temporalem Papæ poteſtatem, ſive potius omnipotentiam, & in Reges, Principes, ac populos Orbis terrarum univerſos δεσποτικὴν μοναρχίαν ſtabiliendam. Non ignoras, Cardinalem Bellarminum ſuper illo argumento ea nuper ſcribere, & ſtatim à morte Henrici Magni publicare eſſe auſum, quæ omnes boni etiam è veſtris ſunt deteſtati. Boni, inquam, & pii ſunt ubique locorum deteſtati; at complices ejuſdem conſpirationis, ceu profectum oraculum ex ore Pontificis, qui errare non poteſt, totâ voluntate ſuſcipiunt, & pro virili ſua multi defendere conantur. Itaque Jeſuitæ Ingolſtadienſes, in recente libro, quem adverſus Joannem Gordonium,

De-

1612. Decanum Salisburiensem, virum nobilissimum & doctissimum, ediderunt, ex illo Bellarmini scripto non secus argumenta ducunt, quàm si ea esset omnium Catholicorum constans & consentiens opinio. At cogitet, quæso, tua illustris Dignitas, quid simile primæva Ecclesia viderit; quò tendat hic vesanus furor; diligenterque apud se expendat, in quantum ruinæ ultimæ periculum Ecclesiam Christi conjiciant quicunque ea, quæ hodie fieri docerique videmus, probant aut ferunt. Nam ut hoc solùm dicam, de reconciliatione dissidentium Ecclesiæ membrorum, quamdiu apud vestros ea manebit rerum facies, & factæ divisioni esse præbita occasio negabitur, vel cogitare merus fuerit stupor, mera stultitia. Ultimum illud erat in tuis; paratum esse te, perspicuè demonstrare, quàm benè in articulis hodie controversis, Sedibus Patriarchalibus, quæ adhuc supersunt, cum Romana Ecclesia conveniat. Verùm eo labore posse te supersedere serenissimus Rex autumat. Scit Rex, sciunt alii omnes, harum rerum paullò saltem curiosiores, non solius Occidentis, sed etiam Orientis, Septentrionis ac Meridiei Ecclesias, ab aurea simplicitate primorum seculorum longè discessisse, ac longius etiam fortasse multò quàm par erat; nisi quod prædictam in divinis oraculis defectionem à priore fide, evenire fuit omnino necesse. Scit etiam, apud illos populos, ritibus ritus subinde esse accumulatos, & hominibus superstitiosis nimium ubique ab annis mille & amplius licuisse. At enim cùm de reformanda Ecclesia Dei agitur, non hoc, opinor, quæritur, quid hodie Orientalis Ecclesia, aut Moschovitica, vel aliæ credant faciantve: sed id potius quæritur, quid ab initio docuerint Apostoli; quid eorum temporibus, & proximè secutis Ecclesia universalis usurparit. Illud est illud exemplar, quod omni amotâ exceptione, sequi velle se Rex ingenuè atque ex animo profitetur. Quanquam ne istud quidem rerum Ecclesiasticarum periti cuiquam concesserint, doctrinam Ecclesiæ Romanæ per omnia hodie congruere cum doctrina, quæ in Ecclesiis aliorum Patriarcharum jam obtinet. Ne de cultu statuarum hodierno, igne purgatorio vestro, præcisâ cælibatûs observatione, aut Romani Pontificis infinita potestate, etiam supra Concilia, similibusve aliis articulis quicquam hîc dicam; certum est, in ipsa S. Eucharistiæ mystagogia multum diversos esse Græcos à vobis Romanis: adeò ut non dubitarit Marcus, Ephesi Archiepiscopus, de Missa Romana loquens, affirmare, ipsam in maximi momenti rebus, cum Verbo Dei, & antiquis Liturgiis pugnare: Πρόδηλον (ait) φέρει τὴν ἐναντίωσιν καὶ πρὸς τὰς παραδεδομένας ἐκθέσεις, καὶ ἐξηγήσεις, καὶ πρὸς τὰ δεσποτικὰ ῥήματα, καὶ πρὸς αὐτὰς τὰς ἐκείνων φωνάς. Eos autem, qui ritus Romanos hac in parte defendunt, idem Marcus pronunciat ἐλεεῖσθαι δικαίως τῆς διπλῆς ἀγνοίας, καὶ τῆς εἰς βάθος πωρώσεως. Sed hæc impræsentiarum satis. Habes, illustrissime Cardinalis, expositas caussas, cur serenissimus Magnæ Britanniæ Rex etiam post Epistolam tuam lectam, Catholicum se esse, & Ecclesiam suam Catholicam, misericordiâ Dei fretus, credere, & certò affirmare non vereatur. Qui si infinito quoquam desiderio adjuvandæ publicæ concordiæ non flagraret, aut te esse alienum ab eo proposito judicaret, hujus Responsionis labore profectò supersedisset; quum præsertim ejus Majestas quotidiana vestrorum hominum facta scriptaque ad animum revocans, prope jam habeat ratum & fixum, sicut antè dicebamus, nullam per illos jam superesse amplius ineundæ concordiæ neque spem, neque rationem. Tueri namque omnia est illis propositum, non proficere in melius, & seriâ rerum depravatarum emendatione piorum animos sibi conciliare. Quo in proposito quandiu vestri pergent, neque ullum Antiquitati aut veritati locum dabunt, semel profitetur serenissimus Rex, nihil se illos morari, neque ullam sibi communionem cum Ecclesia Romana unquam futuram. Quod superest, Dominum Jesum veneratur ipsius Majestas, ut quas in te largiter contulit animi dotes excellentes, ad sui nominis gloriam, & utilitatem Ecclesiæ velit semper dirigere. Vale, illustrissime Domine. *Londini, a. d. v. Eid. Novemb.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCCXXXIX.

EIDEM.



MONSEIGNEUR,

ENfin je vous envoye la Reponse qu'il 1612.
a plu au Roy de la Grand' Bretagne de faire à vôtre Epitre. Le Roy s'est servy de moy pour Secretaire, mais la piece est de Sa Majesté. Et ceux qui pensent qu'il emprunte l'industrie d'autruy pour traiter les choses de Theologie, ne connoissent pas combien Sa Majesté est versée és ecrits des Theologiens. En quoy je puis dire sans flatterie que ce Roy est admirable. Il a exactement medité cette sienne Reponse; & j'ay fait maints voyages en Cour pour cette cause,

 ayant

1612. *avant eu cet honneur d'y aller toûjours en la compagnie de Mr. l'Evêque d'Ely*, (Lancelott Andrews) *personnage tres-docte*, *très-modere*, *& d'une singuliere humanité. Je pense qu'en écrivant Sa Majesté a gardé toute douceur*, *au moins ç'a eté son desir. Je prie Dieu*, MONSEIGNEUR, *qu'il vous conserve longuement.*

Vôtre très-humble & obeïssant Serviteur,

CASAUBON.

EPISTOLA DCCCXL.

✠ JANO RUTGERSIO.

1612. TUas ante dies aliquot accepi: quòd non statim responderim, feres acceptum occupationibus meis, nunc quoque animo ad scribendum vacuo non sum, quem totum occupat dolor θαυμαστὸς ὅσ☉ è morte illustrissimi Principis Walliæ, quem mors inopinata nobis ante diem tertium ademit. Desiderabunt amissum Principem omnes, qui virtutes illius & pietatem admirandam nôrant. Amisit enim Anglia Principem, de cujus præstantia quicquid dixero, minus erit. Certabant in eo corporis & animi dotes. Nemo illum vidit prudens, quin imperio natam indolem sit admiratus. In juvenili ætate nihil cernens juvenile; pietas singularis; amor & reverentia erga Patrem non affectata; cæterarum maximarum virtutum concursus etiam hostis amorem poterant elicere. Nunc tantus Princeps vi morbi confectus jacet! Φροῦδαι αἱ τῶν γονέων ἐλπίδες, Φροῦδη ἡ μεγάλη τῶν λαῶν προσδοκία. Τίς ἀσινάκτη τούτων μνήσαιτο· οὕτως σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπ☉, μᾶλλον ἢ σκιᾶς εἴδωλον. At non periit optimo Principi suæ pietatis fructus; quem solum miseri mortales si speraremus & spectaremus, cum humanis rebus melius ageretur. Rediisse te Lutetiam, gaudeo. Fateor, miratus sum silentium tuum; amo enim te, & amari à te cupio. In Seneca & Censorino nihil possum te adjuvare. Proficiam lectione tuorum ὡς εἷς τῶν πολλῶν. Mei illi libri, cum aliis ferè omnibus adhuc Lutetiæ hærent. Ego opus magnum urgeo, quod æternam bonorum benevolentiam (πέποιθα ἐν Κυρίῳ) mihi conciliabit. In eo totus sum. De Variis & Negidio fefellisti exspectationem nostram; distulisti enim gaudia nostra ulterius quàm putabamus. Libellum Græcum, nugarum plenum, de quo aliquando scripsi, mittam, si voles. Vale, & me ama. *Londini*, *die* IX. *Novemb.* CIƆ IƆ CXII.

D. Morellium, veterem amicum & 1612. affinem meum, saluta, nisi grave, ex animo.

Inscriptio.

A MONSIEUR,

Monsieur RUTGERSIUS,

Gentilhomme Hollandois, *à l'Hôtel de Venize au Fauxbourg St. Germain*, *ou chez Monsieur Morel*, *Professeur.*

A PARIS.

EPISTOLA DCCCXLI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

ILlustrissime Vir, quod non temerè 1612. aliàs mihi evenit, ternis tuarum responsum debeo. Binas simul accepi; tertias nobilis à Duce Bullioneo missus paulò post reddidit. Satisfaciam omnibus paucis verbis: οὐ γὰρ ἕδρας ἀκμὴ τὸ νῦν εἶναι. Egi de tuo proposito cum D. Cottonio. Ivi etiam ad Cambdenum, qui longè hinc summotus ad tertium milliare habitat; sed cum domi non inveni. Non dubito, Cottonium, qui tuas legit, cum illo de omnibus egisse. Ille mihi sæpius dixit, atque hoc jam aliquoties scribere ad te memini, si tu dignareris ad se scribere, & mentem tuam sibi aperire, daturum se operam ut rebus ipsis, quanti te faciat, probaret. Quare auctor sum tibi, ut illi scribas: vir optimus est, candidissimus & verè nobilissimus. Cambdenus dubio procul, quod in se erit, omnia præstabit; est enim tui magnus admirator: καὶ τοῦτο μὲν ταύτῃ. Quas misisti ut traderem † * * *, ipse attuli, non multò propius habitanti quàm facit Cambdenus. Frustra fui; domi non est inventus semel atque iterum. Scripsi igitur illi, & rogavi, ut horam mihi condiceret; me velle ipsum convenire. Dies jam multos frustra exspecto: ne quid dissimulem, nihil inde exspecto. Ego mores Anglorum non capio. Quoscunque ipse habui notos priusquam huc venirem, jam ego illis sum ignotus, verè peregrinus, barbarus: nemo illorum me vel verbulo appellat; appellatus silet. Hoc quid rei sit, non scio. Hic ‡ * * vir doctissimus, ante annos viginti mecum Genevæ vixit; & ex eo tempore literis amicitiam coluimus. Postquam ego è Galliis; ille Venetiis huc convenimus, desii esse illi notus: meæ quoque Epistolæ responsum dedit nullum; an sit daturus nescio. Ego omnia experiar, quo voluntati tuæ mos geratur. Quæ scribis de illustrissimo Domino

† *Henrico Wottono.* Colomes.

‡ *Henricus Wotton*, *qui fuit Angliæ Legatus apud Venetos. Vide Epist. ad G. Cambdenum*, *n.* 99.

1612. Domino Cancellario, per mihi grata sunt. Quod ille cupit, ego discupio; sed adhuc tenet me propositum ipsi non ignotum. Itaque peto veniam, ut differre adhuc liceat. Tu per Deum immortalem, serva mihi illius voluntatem integram. Plura de ea re brevi, *σὺν Θεῷ*. Opus meum ad tempus interruptum est; memor enim mortalitatis, ne periret quicquid jam scripseram, repentino consilio cursum abrupi, & ad describenda illa me contuli, quæ jam composueram. In eo nunc sum, & futurus sum totum Novembrem; ad cujus finem, si dederit Deus mihi pervenire, extra periculum erunt illa saltem, quæ jam sunt composita: atque ea, Dei beneficio, operis magni pars est non pœnitenda: sed longè absum à meta; crescit enim opus, & parata ad scribendum materia non videtur decrescere. Diligentiam nostram, æquitatem & studium benè merendi de Ecclesia, nisi fallor, probabis; fortasse etiam *φιλοπονίας* admiraberis. Det modò *ὁ χρηστὸς Χριστὸς* perficere, quod inceptum est. Sed heus tu, vidistine Alastoris Scioppii Ecclesiasticum? Ibi illa infernalis Furia plenis velis in te invehitur. Quod si iniquo animo fers, indignus es illo honore, quo te Deus immortalis afficit, quando *ἀξιοῖ σε ἀτιμασθῆναι* ab illis, quos scis esse Diaboli instrumenta, certissimosque Dei hostes. Parricidæ in hoc libro defenduntur, cœlis inferuntur. Alibi *τὸν μακαρίτην* Herum nostrum, Henricum Magnum, *certâ manu Francisci Ravaillaci occisum* esse scribit, & factum non obscurè laudat. Deum immortalem! in quæ tempora reservati sumus? Qui hæc tuentur, illi mihi Paganis & Mahumedanis longè pejores. Eant, valeant, pereant. In ejusmodi libro tuum nomen cum ignominia legi non minor tibi gloria est, quàm laudari à bonis. Sed moror te. Ego autem hac scriptione dolorem meum solor, quem bonis omnibus attulit nobis inopinata mors Principis Walliæ *, quæ nullis lacrymis satis defleri queat. Amisit Anglia Principem multis nominibus admirandum. Dotes & corporis & animi in eo excellebant: animus ingens; pietas supra annos. Ad perficiendam magni Principis ideam nihil temerè desiderares, cùm illum cerneres. En homunciones quid sumus? *σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος, μᾶλλον δὲ σκιᾶς εἴδωλον.* Deus, Pater Jesu Christi, te servet Reipublicæ. Vale, & me ama. *Londini*, IX. *die nostri Novemb.* CIↃ IↃ CXII.

* *Vide suprà, Epist. 837.*

Clausam hanc Epistolam recludi oportuit, ut hæc adjicerem. Scripsit tandem ad me D. Wotton, in cujus Epistola hæc verba habentur: *Legi quæ ad me scripserat ornatissimus Præses, cujus voluntati ne obtemperem, hoc unum obstat, quod ipsi idem meditamur.* Conveniam illum, & videbo si est *ὀρθῶς*, & plura scribam. Iterum vale. 1612.

EPISTOLA DCCCXLII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

FAsciculum tuum modò accepi. Lætor non displicuisse tibi repentinam scriptiunculam adversus *τὸν ἀλιτήριον* †. Laudo consilium tuorum amicorum, qui nolebant te cum illa tetertima bellua collidi; sed magis laudo pietatem tuam, qui hac prudentiâ usus non es. Quid? pœnitebit te, illi Satanæ bellum indixisse, qui omnibus suis scriptis certissimè Dei hostem se prodit? Qui in Ecclesiastico suo Verbum Dei viventis ita contumeliosè tractat? Qui Papam facit Deum in terris? Qui dicit, pietatem Christianam tollere omnes Reges? Qui Ravaillacum [o superi!] laudat; Henricum Magnum vituperat? Omitto alia. Rectè igitur & piè, Vir maxime, qui id genus pestibus displicere laudi te ducere scribis. Ego etiam glorior, obrui ab illis pestibus contumeliis. Hærent enim animo meo altè impressa verba Lucæ, ‡ *χαίροντες ὅτι ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ κατηξιώθησαν ἀτιμασθῆναι.* O me beatum, si etiam ipsam vitam pro gloria Dei Creatoris mei & Redemtoris possim ponere! Sed quia hoc non possumus, quod possumus, id assiduè curamus, ut ingenioli vires ad veritatis defensionem referamus. Vidit optimus & doctissimus Scultetus partem operis inchoati. Et est Deo gratia, quod aliqua saltem pars descripta est, & in tuto posita. Ego enim reputans humanos casus, descripsi, quam composueram, ut Archiepiscopi, viri maximi, & aliorum Episcoporum censuræ illa subjiceretur. Sed de his aliàs plura, *σὺν τῷ Θεῷ*. Vale, optime & præstantissime Vir, ac me ama. *Londini, die* XXVI. *Novemb.* CIↃ IↃ CXII. raptim. 1612.

† *Casparum Scioppium.*

‡ *Actor. v:41.*

EPISTOLA DCCCXLIII.

HUGONI GROTIO.

SI plus otii suppeteret aut temporis, responderem accuratè novissimæ Epistolæ tuæ, quam mihi Bedwellus noster attulit. Legi in illa incredibili cum voluptate mea tuum judicium de nonnullis controversiis, quæ isthic agitantur. Atqui non omnes ita judicant, & sunt 1612.

1612. sunt viri pietate & probitate insignes, qui omnes non solùm improbant, verùm etiam oderunt, quibus non placent extrema. Hæc magna calamitas est; sed cui medicinam facere solus Deus potest. Ego beatum me prædico, quòd in toto primo Tomo Baronii, quem serio jam confuto, de illis scholasticis quæstionibus verbum occurrit nullum. Nam quid facerem; extrema defenderem? Ego verò non possum à consensu priscæ Ecclesiæ discedere. Tacerem? hoc esset Papistam se prodere. Sunt enim multi hodie, qui pro hostibus omnes habeant, qui in arduis quæstionibus non per omnia ipsis assentiantur. Ago quotidie gratias Deo meo, qui in illis locis me collocavit, ubi & sapientissimus Rex, & οἱ προεστῶτες τῶν κλήρων aliter sunt animati. Verùm hæc mitto. Opus meum crescit quotidie, beneficio Dei: nisi quòd memor humanorum casuum, Novembrem totum impendi descriptioni eorum, quæ jam erant composita, ut illa saltem in tuto essent. Nuper editus est in Gallia meus Commentarius in Characteres Theophrasti, à me recognitus: mitto tibi unum exemplar. Misissem etiam Epistolæ, quam adversus Scioppium scripsi, exemplar *, si plura habuissem: sed illa edita est Lutetiæ & Heidelbergæ, unde vix tria aut quatuor exempla sunt allata. Vale, Vir magne, & me ama. *Londini, die* XXVI. *Novemb.* CIↃ IↃ CXII.

* Exstat suprà, n. 818.

Epistola DCCCXLIV.

JACOBO CAPELLO.

1612. VIde, τιμιώτατε Capelle, rerum humanarum τὸ ἀβέβαιον. Dies sunt, opinor viginti, cùm in ipso Regis cubiculo occurrit mihi ille Nobilis, qui tuas attulerat. Erat tunc & Regis & omnium bonorum, non solùm in aula, sed etiam urbe tota gaudium incredibile propter exspectationem nuptiarum †, quas sperant pii bono Ecclesiæ Dei cessuras. At cùm post dies paucissimos in aulam rediissem, inveni omnia in contrarium versa: gaudio ingenti successerat luctus inæstimabilis; exultationi planctus, lamenta, lacrymæ. Et meritò quidem; ereptus enim erat morte inopinatâ (nam morbus contemnebatur) Princeps illustrissimus ‡, bonis piisque omnibus charissimus, Regni hujus spes longè maxima. Puto te, cùm hîc eras, vultum illius contemplatum esse, ut recordari etiamnum queas: non potes igitur ignorare, quæ esset de illo Principe expectatio omnium qui videbant. Studia & mores cum vultu consentiebant: præcipuè autem τῆς θεοσεβείας 1612. in spem erigebat magnam pietas singularis, quæ in illo eminebat. Audivi pro concione affirmantem Ministrum ante annum, Institutionem Calvini tantâ diligentiâ fuisse ipsi lectam, ut penè totam memoriâ teneret: quod eò erat notabilius, quia Pallade relictâ Martem assiduè colebat. Quare ne dubitandum quidem est, Deum nostris peccatis iratum, tam præclaræ indolis Principem nobis eripuisse. Sed video quid sit: non est Deo gratum, Ecclesiam suam humanis præsidiis ἐπαναπαύεσθαι· in illo igitur solo spes omnes nostras collocemus. Quod equidem pro mea virili magis magisque in dies facio, & meos hortor, ut spretis rebus caducis τοῦ νῦν αἰῶνος, τῷ μονωτάτῳ Σωτῆρι τοῦ κόσμου πεποιθότες, ab illo toti pendeant. Quod utinam det nobis Deus rebus ipsis præstare. Principis obitum secuta sunt statim amicissimorum mihi virorum & præstantissimorum mortes; in Gallia Nicolai Fabri, in Anglia D. Karrew, quem vidisti in Gallia Legatum ante paucos annos; neque ita diu est, cùm amisimus maximum virum Bongarsium. Hæc tot funera admonent me, ut de meo cogitem: itaque opus institutum nuper repentè abrupi, ut priusquam ulterius pergerem, quæ jam erant composita, describerem, & illam saltem partem in tuto collocarem, si quid mihi humanitùs contingeret. Heri descriptionem illam absolvi, rediturus, si Deus volet, die crastinâ ad opus intermissum. Quæ sunt descripta, paginas hujus chartæ occupant 324. atqui ad annum Christi pervenimus tantùm XXXIII. Sed miraberis fortasse diligentiam nostram: omnia enim excutimus, & nihil prætermittimus, quod justam reprehensionem mereatur. Occurrunt multa philologica: non sine voluptate mea fit, quod præterita studia tam gravi instituto ancillentur. Prolegomena diu nos habuerunt; nam quot ineptiæ fuerunt refutandæ? Quàm stultè de Josepho Baronius judicat? Quàm multa alia peccat imperitiâ bonarum literarum? Non dissimulabo tibi, magnam ex hoc genere studiorum capere me voluptatem: lubentissimè enim facio, ut meditationi rerum sacrarum ἐγγηράσκειν, atque etiam immoriar. Spero Deum immortalem cœptis benedicturum, καὶ ἐπιβλέψειν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τοῦ δούλου αὐτοῦ· γένοιτο, γένοιτο. Sed de meis conatibus nimium multa. Tu verò, præstantissimè Capelle, beasti me nuntio lætissimo de editione tuarum lucubrationum Chronologicarum ⸸, quibus utinam frui brevi possimus. Ego parce

† Frideric. Elector. Palatini, cum filia unica Regis Magnæ Britanniæ.

‡ Henricus, Walliæ Princeps. Vide suprà, Epist. 837.

⸸ Id est, Historiam Sacram & Exoticam ab Adamo usque ad Augustum.

1612. parcè illa attingo, attingo tamen; & vanitatem Baronianarum opinionum solidè confuto. Obsecro te, fac me ut sciam, quomodo procedat operis tui editio; & quod sit tuum institutum; fortasse enim incidemus in propositum idem aut simile. Nam si annorum post Christum seriem pertexis, non dubito, quin eâdem operâ Baronium sis confutaturus. Opus, quod jam præ manibus habeo, primi duntaxat Tomi refutationem continebit; sed ita accuratam, ut par mole futurum sit ipsi Tomo, adversus quem est comparatum. Lætabor, si tu quoque in eodem verseris argumento; neque dubito, quia veritas una est, multa nos eadem dicturos; sed non eodem fortasse modo: tu nempe, cujus hæc propria palæstra est, doctè omnia; ego, ut potero. Cedam non invitus; qui aliud nihil quæro his tantis vigiliis, nisi ut vincat VERITAS, & ut gloria Dei promoveatur; tum autem à tam charo capite superari in eodem stadio currente, etiam voluptati erit. Perge igitur, cum bono Deo, καὶ αὐτὸς αὐτοῦ γίνου κρείττων. Interim cura valetudinem, & me ama, καὶ τὴν ἐμὴν, καὶ τοὺς ἐμούς. Vale, & festinanti calamo ignosce; obruor enim curis & negotiis. *Londini, die* XXVI. *Novembris nostri*, CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCCXLV.

THOMÆ ERPENIO.

1612. INcredibili nuper dolore me affecerant literæ clarissimi Heinsii, tristia nuntiantes de tua valetudine, optime & doctissime Erpeni: sed recrearunt me posteà sermones Bedwelli nostri, lætiora narrantis. Tandem omni curâ liberatus sum, brevi Epistolâ à te acceptâ, quæ fidem fecit tuæ ὑγιείας recuperatæ. Ago Deo immortali gratias, oroque illum supplex, ut te servet quàm diutissimè, & facultatem tibi det benè de studiis literarum merendi, quando dedit καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ δύνασθαι. Ego, mi Erpeni, etsi totus esse in studiis Arabicis non possum, aliquando tamen illis me oblecto. Quod si penes te sunt Euangelia Arabica diversa ab editis, habeo quædam, de quibus te cupiam consulere: nam etiam proposito meo inserviunt aliquando illæ literæ; ut videbis, si dederit Deus immortalis absolvere, quæ scribo jam contra primum Baronii Tomum. Hoc igitur, quæso te, fac ut sciam. Plura volui adjicere; sed urgebar curis & negotiis. Exspectabo tuas literas, quæ mihi solent esse gratissimæ. Vale, charissimum mihi caput. Saluta parentem tuum meis verbis. Uxor tibi ex animo salutem dicit. 1612. Vale iterum. *Londini, a.d.* X. *Kalend. Decemb.* ut hic numeramus, CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCCXLVI.

DANIELI HEINSIO. ✠

ACcepi plures tuarum μεμψιμοιριῶν· 1612. quereris enim de silentio meo. Ego non nego, causam habere te justam mei accusandi; nam diligentiâ scribendi nunc quidem certè vicisti tu. Sed audi; non solus Ἄρης est ἄλλοτε πρὸς ἄλλον· etiam hæc palma vices suas habet: nunc penes te est; non sic & olim erit: quanquam quid ego olim dico? quem tot repentini casus, tot mortes Principum, notorum & amicorum admonent, ut de meliore vita dies cogitem ac noctes. Audivisti obiisse in Galliis Principem Regii Sanguinis, Comitem Suessoniensem, pacis & publicæ tranquillitatis studiosissimum, & à factione Hispanica alienissimum. Quo tempore allatus est in hanc Aulam ille nuntius, incipiebat ægrotare Princeps Wallensis, Regis filius, quem etiam mors immatura & verè acerba omnibus bonis abripuit. Non potest verbis dici, quantam in illo uno capite universa Dei Ecclesia jacturam fecerit; quantam hoc Regnum. Amisimus enim Principem, in quo jure dubitares, animine an corporis dotes præstarent. Scires natum ad magna, cùm vultum intuereris, & illud verè ἄξιον εἶδος τυραννίδος. Corpus ita firmum, ut longævitatem merito illi sponderes. Pietas erga Deum notissima; στοργὴ erga parentes & inaffectata reverentia planè insignis. Prudentia in prima adolescentia senilis. Quid alias virtutes commemorem? Hic tantus Princeps paucorum dierum morbo terris ereptus est. Secuta est statim mors penè repentina nobilis Senatoris Angli, Domini Karrew, qui ante paucos annos Legatum Regis egerat in Gallia. Dum hic moritur, afferuntur illi literæ * à maximo viro, Domino Thuano; quibus erat adjuncta Epistola ad me, quâ certiorem me facit de obitu Nicolai Fabri, viri, mi Heinsi, doctrinæ magnæ; sed probitatis & pietatis longè maximæ. Amabat ille me, ego ipsum venerabar, verè ut λείψανον τοῦ χρυσοῦ γένους. Omitto obscuriores amicos: nam etiam hæc scribenti nuntiatur, diem obiisse Northonus, Bibliopola Londinensium, ordinis sui hominum longè ditissimus, & bonarum partium homo. Tot funera me

* vide Epist. seq.

1612. me admonent, ut de meo ipse cogitem; quod & facio assiduè οὐκ ἀπαθῶς μὲν διὰ τὴν φυσικὴν στοργὴν erga meos affectus. Uxorem merito suo longè mihi charissimam, & tot liberos, quibus præter memoriam nominis, non magnam hereditatem sum relicturus. Nam post ruinam fortunarum mearum, quæ Genevæ erant, secutæ sunt aliæ & multæ & graves. Cæterùm scito, quandocunque illa facilis hora adveniet, lætum me terras relicturum, in quibus ita palam & impune grassatur iniquitas & impietas; ubi non ἀκμάζει! Conjice oculos in quamcunque volueris, Europæ partem, si te zelus gloriæ Dei habet (quod ego certò scio ita esse) multa intueberis, quæ te angant necesse est. Quod longè miserrimum est, spes meliorum nulla: omnia enim in deterius vergunt. Τὸ καθ' ἄνθρωπον λέγω de me ipse conjecturam facio, qui à virtute & singulari pietate patris mei, viri sanctissimi, sentio me longè abesse; & ne mei longius etiam abeant, metuo. Quod ne eveniat, ego & uxor dies noctesque operam damus, & assiduis precibus à Deo contendimus, per meritum τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ, τοῦ Σωτῆρος τοῦ κόσμου. Hæc cogitatio impulit me nuper, ut cursum abruperem institutæ scriptionis adversus Baronium. Venit enim mihi in mentem, quia properanter scripta erant, quæ jam composueram, peritura illa, si quid mihi humanitùs eveniret. Ita mensem jam ferè integrum descriptioni illorum vaco, ut illa saltem ne pereant. Ubi omnia fuerint descripta, redibo ad pensum, σύν γε τῷ Θεῷ, & pergam quamdiu providentia divina permiserit. Unis literis tuis significas, portentum illud Scioppium iterum manibus magni Scaligeri insultasse. Ego illud scriptum non vidi: alia vidi plena horribilis impietatis & sexcentarum blasphemiarum. O patientiam Dei! Ecclesiasticus belluæ illius certissimum est testimonium, quàm veri Papistæ hodie contemnant VERBUM DEI viventis; quàm nihil aliud cogitent præter Monarchiam sui ἀτρεκεστάτου Ἀντιχρίστου· quàm parati sint ad cædes omnium Regum, qui magnam Meretricem non adoraverint. Quis verè pius sine lacrymis potest illa legere? illa dico maximè, quæ ad contemtum Divinorum Oraculorum spectant. Nam Reges sibi imputent, quos certò mihi constat, vino magnæ Meretricis inebriatos, in suam certam pernitiem conjurasse. Præter gemitus & lacrymas apud Deum, quid hîc privati homines possint, non equidem satis video. Quoniam tamen Θεόθεν, ut confidimus, σπάρτην ἐλάχομεν confutandi nugatorem lepidum, dum superit vita, σπάρτην 1612. κοσμήσομεν, σύν γε τῷ Θεῷ. Scripseram ante paucos menses Epistolam ad Georgium Michaëlem Lingelshemium, virum maximum, contra furorem Scioppii; brevem, sed satis acrem. Sed casu nescio quo factum, ut illa Epistola illi non deferretur; neque proximo mercatu, ut optabam, ederetur. Lutetiæ nuper edita est, & ego unicum exemplum habeo, quod mittere ad te non possum: nemo enim adhuc in Anglia vidit. Curabo ut videas, si possum. Sed tu, præstantissime Heinsi, cur cessas? cur susceptam caussam, & divinitùs defensam deseris? O ne feceris: istæ sunt literæ, quæ divinum favorem tibi conciliabunt; quæ nomen tuum venerabile apud bonos reddent. Age, para te ad certamen: non potes neque obscurus vivere propter singularem doctrinam tuam, neque à contentionibus hodiernis abstinere; nisi tuo silentio bonam causam velis perdere. Me, ut delicias priorum studiorum linquerem, non spes alicujus commodi, sed sola pietas, sed zelus Dei, sed desiderium vitæ æternæ cogit. Utinam dederit bonus Jesus absolvere, quæ inchoavi in primum Baronii Tomum! Verè hæc à me dici, omnes intelligent. Oro Deum immortalem, ut te servet, Vir clarissime, & dotes ingenii, quibus excellis, det referre semper ad gloriam suam promovendam. Vale, & amicos ἀσπάζου, imprimis τὸν πάνυ Grotium, cujus pietatem satis nequeo in ejus Epistolis admirari. Iterum vale. *Londini, Kalend. Decemb. stylo Gallico*, CIↃ IↃ CXII.

Quæso, bea me tuis literis, quas incredibili cum voluptate soleo legere. De Bedwello ago tibi gratias: ille nobis narravit tuam humanitatem.

Tui amantissimus toto pectore,

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA DCCCXLVII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

ILlustrissime Præses, proximæ literæ, 1612. quas ad te misi, de obitu maximi Principis, Regis Magnæ Britanniæ filii, te certiorem faciebant. Quo die illas dedi, obiit vir primarius in hoc Regno, bonis omnibus charus, D. Karrew *, quem isthic Legatum vidisti, & qui te summâ veneratione prosequebatur. Eodem die, cùm maximè ὁ νῦν μακαρίτης animam Deo redderet, allatus est in ejus domum tuus fasciculus, cui inerant etiam ad me literæ ipsæ quoque funebres;

* De Georgio Karrew, vide J. A. Thuani Epistol. ad G. Thuanum, n. 99.

1612. bres; nam ex iis cognovi de Nicolai Fabri, viri clarissimi, transitu ad meliorem vitam. Etsi autem is fuit, atque ita vixit incomparabilis ille vir, ut ipsum lugere μεταστάντα ἐκ τοῦ νῦν βίου, nihil aliud sit nisi suam ipsi felicitatem invidere; paucos tamen arbitror futuros probos & pios, quibus sine gemitu & suspiriis mors ipsius audita. Malè enim cum rebus humanis agitur, cùm id genus exempla singularis virtutis & ἀφελοῦς pietatis è conspectu nostro subducuntur. Ego sine lacrimis recordari non possum, quo amico sim orbatus; cujus solâ recordatione contineri in officio potui, ne ab illis sinerem me abripi, qui hodie in Ecclesia Dei viventis, dum extrema sectantur, & Ecclesiam & veritatem cœlestem, quæ ejus anima est, sceleste eunt extinctum. Ab horum furore quàm fuerit alienus ὁ μακαρίτης Faber, nemo scit melius quàm tu, illustrissime Thuane; qui ejusdem ipse quoque sententiæ quum sis, meritò & amasti illum semper plurimùm, & exquisitissimam doctrinam pari pietate junctam jure optimo suspexisti. Quantam in eo viro jacturam fecerit, hoc præsertim tempore cùm in dies crescit impietas, patria nostra, quis exprimere verbis queat? vereorque ne multa sint lapsura sæcula, priusquam talis prodeat Theologus τῷ μακαρίτῃ comparandus. Soleo cum incredibili voluptate sermonum recordari, quos ex illius ore in communi colloquio aliquando excepi: sed dolet mihi, prius ereptum esse terris tantum virum, quàm potuerim cum ipso de opere, quod jam paro, seriò communicare. Hoc ego quantâ aviditate expetiverim, scit Deus immortalis, & puto me non unis literis desiderium illud meum tibi significasse. Nunc igitur ejus rei facultatem mihi esse ereptam vehementissimè doleo, & quanto præsidio sim destitutus, οὐκ ἀπαναγκῆ dies noctesque cogito. Consilium mihi est, si Deus operis finem dederit videre, cum viris probis, eruditis & piis scriptionem communicare; & priusquam mea edantur, in eum præcipuè finem isthuc, σὺν Θεῷ πανάγιῳ, iter suscipere. Sed quem inveniam ἀρχαιολογίας ἐκκλησιαστικῆς peritiâ Fabro parem! quem inveniam æquum judicem uni addictum veritati? Itaque animum propè jam despondeo, & ad pertexenda, quæ restant, defecit me prior alacritas, quæ omnes labores reddebat mihi leves: sed obfirmabo tamen animum, si potero; & quamdiu spiritus hos reget artus, ἣν ἔλαχον σπάρταν κοσμεῖν conabor. Deus immortalis cœptis benedicat! quem veneror supplex, Vir illustrissime, ut te servet ἄνοσον καὶ ἀπήμαντον, & quicquid 1612. tibi charum. Vale, & me ama. *Londini, Non. Decemb.* ut isthic tempora numerantur, CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA DCCCXLVIII.

N. N *.

Etsi vereor, ne sæpius etiam quàm 1612. par sit, gravissimas tuas occupationes interpellem, ægrè tamen contineo me, quin pœnè quotidiana per literas colloquia tecum habeam. Occurrunt enim multa ὁσημέραι, quæ scriptionis occasionem præbere sint idonea. Non loquor de publico statu, qui Dei gratiâ & singulari virtute serenissimi Regis eandem tranquillitatem obtinet quam prius. Non ignoro, esse multos, qui loquantur multa, & nescio quæ πανικὰ sibi fingant. Sed me illæ prudentum suspiciones propterea minus movent, quia constat mihi, optimum hunc Regem, pacis & omnis æquitatis pariter amantem, Deo curæ esse. Ille, ut confidimus, prava pravorum consilia dissipabit. Omissis igitur publicis rebus, de meis tecum agam familiariter. Ego, amplissime Vir, toties à te monitus, ut semel statuam de futuro meo statu, eas difficultates in ea deliberatione experior, ut τὴν ἐμὴν ἀμηχανίαν exprimere verbis nequeam. Animus quidem certè is est, quem literis non unis Amplitudini tuæ exposui. Hoc ego cupio esse tibi quàm persuasissimum: οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον οὐδ' ἀπατηλὸν τὸ πρὶν ἔπος οὐκ γέγονεν, οὔτ' ἔστι. Sed ἀμηχανίας τῆς ἐμῆς caussæ extra me ferè sunt. Postquam enim providentia divina, sic enim mihi blandior, onus scriptionis hujus mihi imposuit, neque inchoatum opus sustineo relinquere, neque possum confidere eo edito fore omnia mihi integra, quæ videntur adhuc esse. Quid igitur faciam? ποῖ τράπωμαι. Dicam quid consilii inierim. Cogitaveram Responsionem accuratissimam adversus primum Baronii Tomum. Ac possum sine vanitate confirmare, diu esse, cùm ad opus illud μετρίως perficiendum necessariis præsidiis videor mihi instructus. Verùm quia evitare non possum, quin magnum id opus sit futurum, ne maneant res meæ tamdiu μετέωροι, cepit me impetus dividendi Responsionem meam in partes duas, & priorem, quam habeo fermè jam ad ἔκδοσιν paratam, statim publicare. Illud fuerit rerum mearum certum κριτήριον. Nam si isthic locus est antiquæ veritati, καλῶς ἔχει τὰ ἡμέτερα· sin autem ἔρρει τὰ καλὰ, τέθνηκα ὑμῖν. Dedi operam ne aut discederem

* Fortè, *Paulo Petavio*. Colomes. Mihi videtur, *J. A. Thuano*: confer Epistolam DCCCXXVII.

1612. à veteris Ecclesiæ doctrina, aut asperitate bonos offenderem: sed incidi in tantas absurditates, ἀλογίας, ἀλογιστίας, fatuitates, insulsitates, ϰ̀ ἐπὶ λόγῳ, in tantas tamque impias novitates, ut stylum cohibere semper non potuerim. Hoc si exilio dignum est crimen, longùm vale, φιλτάτη πατρίς. Sin est aliquis isthic respectus veritatis & melioris eruditionis, non despero fore mihi isthic locum etiam post mearum observationum editionem; quæ philologicæ magna ex parte quum sint, τοῖς φιλομαθέσι τῶν ἀνδρῶν cur sint displicituræ caussam video. Hæc mihi caussa una maturandi & suscipiendi novi consilii. Accipe nunc aliam, quam, nisi fallor, miraberis. Anglus quidam, homo doctus & acris ingenii, * Montacutus, qui nuper Gregorii Nazianzeni quædam edidit, postquam animadvertit in magna exspectatione esse hic opus meum, ut mearum scriptiuncularum suis popularibus desiderium leniret, ad propositum idem se accinxit, & confectam Responsionem ad Prolegomena statim Etonâ, ubi est apud Savilium, Londinum edendam misit. Etsi autem seriò mandatum erat, ut clam negotium haberetur, *ne isti peregrini ex Anglorum scriptis proficiant*, [hæc enim fuere verba magni cujusdam viri] tota res tamen mihi patuit, & traditus est Index Capitum libro Montacuti tractatorum. Cùm primùm cœpi eam chartam legere, paratus fui jurare, illum Indicem confectum fuisse in capita operis mei. Idem ordo, eadem series, eadem reprehensa, iidem Auctores allati; ut postquam rei veritatem novi, vel fraudem vel συγκυρίαν satis mirari nequirem. Quanquam nolim existimes in ista tractatione eandem congruentiam esse repertam, ut dixerunt qui viderunt. Est ille quidem vir doctus; sed nos annis graves fortius pedem figimus. Itaque in summa propositi similitudine scopus tamen & ipsa tractatio plurimùm differunt. Atque ego meæ existimationis interesse puto, ut alienum opus edatur. Illud me malè habet, non esse habitam ab homine juvene (certè inferioris mihi ætatis) tot vigiliarum mearum rationem; non D. Archiepiscopi, qui partem maximam operis mei legit, & quanti faceret, sæpe ostendit; non Regis ipsius, Principis optimi, & maximo in his rebus judicio præditi. Quod si in Gallia degenti mihi hæc injuria esset facta, non ferret impunè: detestor enim hanc οὐκ ἀγαθὴν ἔριν, & illustrissimus Archiepiscopus, cui liber erat dicatus, consilium detestatus est, & vetuit edi. Erat præfixa Epistola furoris plena in Morellium nostrum. Opinio multorum est, alieno instinctu Auctorem id egisse; nempe ejus, qui tertio quoque verbo jactare soleat: *S* * *præceps Grammaticus, stultus Philosophus, furiosus Mathematicus; prætereà nihil.* En ingenium, en probitatem, en pietatem. Cum ejusmodi hominibus vel sermonem serere οὐκ ἀκίνδυνον. Sed moror te, Vir amplissime. Ego autem quoties te alloquor, verborum finem nullum invenio. Quod superest, peto ab humanitate illa tua toties mihi perspecta, ut, quod fecisti hactenus, me amare pergas, & meas fortunas in tuo præsidio magna ex parte positas tuâ curâ ne putes indignas. Deum veneror, ut te servet ἄνοσον ϰ̀ ἀπήμαντον, & quicquid tibi charum. Hoc eò impensius à Deo Opt. Max. peto, quia hic erat novi anni primus dies, quo bene precari amicis solemus. Vale, Vir amplissime. *Londini, Kalend. Januar.* CIↃ IↃ C XIII. 1612.

* Richardus.

* Scaliger. Colomes.

Admonitio tua de vitandis Chronologicis disputationibus per mihi placet. Ego illum scopulum vitavi, nisi quòd immanes errores Baronii planissimè refutavi. De loco Josephi † mecum communicato habeo maximas gratias. Nullus in Josepho locus majoris momenti. Ego si junior essem, & alibi viverem, auderem promittere non pœnitendam editionem illius maximi Scriptoris. Videbis in hoc opere multa loca emendata.

† An ille, de quo suprà, Epist. DCCCXXXVI.

EPISTOLA DCCCXLIX.

DANIELI HEINSIO.

PLures à te brevi tempore literas accepi, Heinsi præstantissime, omnes μεμψιμοιρίας & querelarum plenas. Fateor aliquando plusculas fortasse præteriisse hebdomadas dum sileo; sed non sum mihi conscius omissæ penitùs responsionis ad ullam è tuis. Ego eâdem semper utor viâ; quæ an sit tuta & commoda, nescio. Amicus est quidam meus, vir probus & τίμιος, qui operam suam non semel ultrò obtulit. Quare semel apud animum tuum, si me amas, constitue, non solere me in scribendo ad te indiligentem esse aut lentum; nihil enim facio libentius, nihil majore cum voluptate quàm aut lego tuas, aut scribo ad te. Et hoc & illud σκιαγραφοῦσιν ἐμοὶ τὴν σὴν τριπόθητον παρουσίαν. Nuper clarissimus Theologus Scultetus dicebat, se petiisse à te, an velles venire: sed tua nobilia incepta ejus boni fruitionem nobis invidisse. Utinam aliter aliquando eveniat! excipieris à Domino Eliensi ‡ sanè quàm amicissimè. Nuper 1613.

‡ Lancelotto Andrea.

1613. per eram apud illum, quando amicus tuus & ipsi & mihi tuas reddidit. Excepit prolixâ humanitate tuum amicum, quem neque ipse, neque ego postea vidimus. Dixit etiam mihi Dominus Episcopus, se tibi statim responsurum. Utinam omnes docti viri, quos habet hoc Regnum non paucos, (etsi pares Eliensi oppido paucos) pari candore cum ipso essent præditi! Sed quàm longè aliter se res habeat, paucis cognosce. Non te fugit, opus moliri me, quo Baronii Annales confutem: id ego opus & voluntate meâ suscepi, & jussu maximi Regis. Quum apud eruditos magna esset exspectatio nostrarum in illo genere vigiliarum, repertus est Etinæ, qui * occupare hanc laudem conaretur, & ut scirent omnes, nihil ad eam opus esse Anglis homine peregrino, magno studio Prolegomena Baronii confutare aggressus, vix absolutam opellam curavit edendam. Hoc etsi magno silentio actum, innotuit tamen, & mihi allatus est Index capitum eo libro tractatorum; quem ego statim inspiciens, firmè credidi in meas vigilias esse factum. Idem ordo, eadem ratio scriptionis, eadem testimonia allata, digressiones quædam simillimæ; at tractatio longè diversa, quod didici ex iis, qui legerunt: & omnino etsi vir ille doctus est & acris ingenii, nihil tamen, ut certò scio, ad nostram diligentiam. Ei viro nomen est Montacuto. Is est, qui quædam Nazianzeni ante biennium edidit. Acciderat, ut operis nostri partem maximam illustrissimus Archiepiscopus paullò antè legisset: itaque æmuli libellum, etsi nuncupatum sibi, edi vetuit, & factum detestatus est: ἴσθι δὲ, ὥσπερ οὐκ ἐξ ἰδίας ἐπινοίας τοῦτο ποιῆσαι τὸν Ὀξύνερον †, ἀλλ' ἐξ ὑποθήκης ἄλλου ὅς αὐτὸν προβιβάζει, τῇ αὐτοῦ διακονίᾳ χρησάμενος ἐν τῇ ἐκδόσει τοῦ τοῦ χρυσορρήμονος· ἐκεῖνος ‡ ἐστὶν, ὃν πρὸ πολλῶν ἐνιαυτῶν ὁ μακαρίτης Σκαλανός ἰμος διὰ πολλῶν ἐπιστολῶν χαρακτηρίσας, ὑπὸ τῆς πείρας ἐλέγχεται εἰς αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν τὸν κάλαμον βάψας. Ille est, qui ad omnem de viro divino mentionem hoc oraculum in ore semper habet; *Sc.* ⊥ *fuit præceps Grammaticus, stultus Philosophus, furiosus Mathematicus.* Hanc historiolam volui te non nescire, ὦ αὐτάδελφόν ἐμοὶ κάρα. Hoc postremum adjiciam: plures tuarum non esse mihi redditas, ex eo conjicio, quòd misisse ais libellos quosdam; qui mihi non sunt redditi. Ego quum diligenter quærerem, tui nihil inveni apud nostros Bibliopolas noviter à te editum præter Orationes tuas, quas statim comparavi, statim & legi: nec sine admiratione ingenii tui, nec sine risu propter παρά-δοξον argumentum & ἄδοξον, quod ingeniosè tractatur oratione integrâ. Deus immortalis te servet, & cœptis tuis magis magisque in dies benedicat. Vale. *Londini, a. d.* IV. *Non. Januar. styl. Lil.* CIↃ IↃ CXIII. 1613.

* *Richardus Montacutius.* Colomes.

† *Montacutum Græcè sic dictum.* Colomes.

‡ *Henricus Savilius, vir ex Chrysostomi editione notissimus* Colomes.

⊥ *Scaliger.* Colomes. *De quo etiam supra, Epist.* DCCCXLVIII.

Hanc historiam noli communicare nisi cum amicissimis: οὐ γὰρ ἀκίνδυνον τοῦτό γε.

EPISTOLA DCCCL.

DOMINICO BAUDIO.

Debeo responsum ad binas tuarum: 1613. prioribus significabas, non esse tibi redditas meas postremas; posterioribus illas ais accepisse. Gaudeo non dubitare te de fide mea, & summo amore erga te: sed quod ais, gratiâ me non uti, quâ valeo apud Regem longè optimum & longè sapientissimum; tu, si hic sis, aliter sentias. Verum quidem, non obscura Regem dedisse, & quotidie in sermonibus suis dare testimonia suæ erga me benevolentiæ; sed non ignoras, aulica negotia non ab unius voluntate pendere. Ne plura dicere cogar, scito me peregrinum esse in Anglia, ubi peregrinis non aliter benè est, quamdiu ἐλεεῖσθαι magis possunt quàm φθονεῖσθαι· vel unica historiola, quam ad τὸν πάνυ Heinsium, fidem dictis meis abundè fecerit. Sed hæc inter nos. Quod scribis, uxorem tibi contigisse ex animi sententia, gaudeo, & tibi toto pectoris affectu gratulor. Spero magnum tuis studiis accessisse πλεονέκτημα illâ ratione; & ut ita sit, oro, obsecro Dominum Jesum τὸν μονώτατον ἰάων Σωτῆρα. Ego Dei singulari beneficio expertus scio, quantum in eo sit positum felicitatis. Itaque si quis mortalium, facio lubentissimè, ut consentientis matrimonii pii & honesti laudes prædicem. Sed hæc tua Sparta erit, qui mihi visus es in tua elegantissima & mellitissima Epistola ad id argumentum μεγαλοφωνότατον tractandum esse aptissimus. Sed fortasse occupabit te bono publico suscepta Historia patriæ. Accepi à nonnullis, jam aliquod te singularis industriæ tuæ διονογνῶμα Illustrissimis Ordinibus exhibuisse, & plausum tulisse. Quare eo etiam nomine iterum iterumque tibi gratulor. Quem mihi nuper commendasti adolescentem, vidi tantùm semel. Is si operâ meâ opus habuerit, dabo operam, ut intelligat quanti ego te faciam. Vale, Vir clarissime, & summopere mihi colende. *Londini, a. d.* IV. *Non. Januar.* CIↃ IↃ CXIII. *styl. Gregoriano.*

Epistola DCCCLI.

✠ HADRIANO SARAVIÆ.

Venerande Pater,

1613. COgnoveram de tuo morbo etiam prius quàm tuæ literæ mihi redderentur. Eramus igitur ego & uxor de tua valetudine admodum solliciti; & cùm aliud nihil possemus, supplicibus precibus à Deo Opt. Max. subinde petebamus, ut te sublevaret, & priori εὐεξίᾳ, si ita esset ipsi gratum, brevi restitueret. Sed didici à tuis, quas modò accepi, nondum remisisse dolores illos acerrimos, quibus exerceri patientiam tuam magno illi rerum omnium Arbitro placet. Non hortabor te, Pater venerande, ut non solùm æquo, sed etiam forti & generoso animo hoc, quicquid est, cruciatuum feras; scio eâ pietate ac virtute esse te instructum, ut monitore opus non habeas. Nemo te meliùs novit, levia esse quæcunque huic misero corpori adversa possunt contingere, præ illis, quæ vicem nostram passus est Servator Mundi, Dominus noster, ὁ Θεάνθρωπος, Jesus Christus: levia etiam esse præ illis bonis, quæ pios manent. Hæc & similia his pauci Christiani ignorant; sed harum rerum notitiâ sese consolari, proprium est illorum, quorum nomina in Libro Vitæ sunt inscripta. Te eorum ex numero esse, observande Pater, & vita tua omnis fecit fidem hactenus, & scripta etiam tua luculenta demonstrant, cùm cætera, tùm etiam illa, quæ nunc tibi remitto. Legi illa pari cum fructu & voluptate. Longam Epistolam super ea re ad te scripseram; quæ errore nescio quo non Cantuariam, sed Cantabrigiam delata est ad Dominum Duportum. Ne te morer diutius, ego atque uxor Deum supplices veneramur per Filium ipsius, Jesum Christum, ut te doloribus hisce liberatum præstet valentem, & Ecclesiæ suæ, lectissimæque fœminæ uxori tuæ, ac nobis amicis tuis te adhuc conservet. Nos siquid suâ causâ vel Dominæ conjugis tuæ possemus, scito & confide, ad omnia obsequia esse paratos. *Londini, die Januar.* 13. CIↃ IↃ CXIII.

Tui observantissimus,

IS. CASAUBONUS.

Inscriptio.

HADRIANO SARAVIÆ,

Sacræ Theologiæ Doctori, & Ministro Verbi divini, amico observando.

CANTUARIAM.

Epistola DCCCLII.

DANIELI HEINSIO.

VIr magne, feresne me ita ex abru- 1613.
pto tribus verbis tecum agentem? Feres, opinor, quia amas, & scis vehementer à me amari. Mihi quidem argumentum non deest, de quo scribam; sed deest otium, deest tempus πῆ γε νῦν εἶναι· igitur de aliis aliàs. Nunc scire ex te cupio, verane fama sit, quam accepi, de proditura brevi editione omnium scriptorum τοῦ μακαρίτου Scaligeri. Audio curari illam nunc Genevæ. Quod si magnâ curâ à te non est actum, ut fides adhiberetur, exspecto monstra, non librum. Vidisti Josephum, illic editum, priores ante annos? In nupera editione Commentariorum in Suetonium annotatiunculam sceleste truncaverant, ut sumptui parcerent aurei unius aut alterius ad sculpendum Galbæ veterem nummum. Scripsi ea de re ad venerandum virum, Dominum Faium, qui abundè satisfecit, & reficienda illa folia curavit. Utinam seriò per literas cum illo egisses! Quicquid sit, aveo scire quid in eo negotio sit à te factum. Nos, gratiâ Dei, ἐν πολλαῖς τοῦ σώματος ἀσθενείαις, pergimus tamen πόλεμον πολεμίζειν οὐκ ἄσπονδον μᾶλλον δὲ εἰρηνοποιεῖν. Vale, amicorum suavissime, καὶ ὡς ἀληθῶς συναγωνιστά. Deus te servet. *Londini, pridie Non Februar. stil. Gall.* CIↃ IↃ CXIII.

Epistola DCCCLIII.

DOMINICO BAUDIO.

NActum esse te uxorem ex animi sen- 1613.
tentia, proximæ tuæ me docuerunt. Gratulor tibi, Vir clarissime, & ex animo gratulor; eò quidem impensius, quò mihi notius est, τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, quantum sit studiorum adjumentum, grata & θυμήρης uxor. Erexit me is nuntius in magnam spem de tuis præclaris inceptis. Deus immortalis, verus ille ζύγιος & conjugii autor & præses, effundat in te & uxorem tuam genus omne suarum benedictionum. Quod ais optare te, ut de te cum ipso Rege potius quàm cum aliis egissem, falleris; nam & cum ipso Rege egi, & cum viris magnis τοῖς ἀμφ' αὐτόν. Multi sapientissimum Regem & eruditissimum plenis velis φερόμενον in tuas laudes non semel audiverunt. Sed non est mos Anglorum, ut viros eruditione claros aliundè accersant. Dictum sapienti sat est. Si quid me volueris curare, quod erit

1613. erit τῶν ἐπ' ἐμοὶ, utere operâ meâ, neque falleris expectationis. Vale. *Londini*, *pridie Non. Febr. ſtylo Gallic.* CIↃ IↃ CXIII.

EPISTOLA DCCCLIV.

JOANNI A' WITTEN.

1613. ERam occupatiſſimus, cùm amicus hic tuus monuit me, ut ad te ſcriberem; ſe enim mox diſceſſurum: nolui tamen occaſionem dimittere tam bonam mei erga te animi declarandi: vivimus enim ego & uxor tui memores, atque omnia tibi læta ex animo precamur. Doluit nobis, cùm intelleximus, Joannem à Wouweren, tuum veterem ſodalem, fato functum eſſe. Literæ in eo viro non mediocrem jacturam fecerunt. Audieram, illum occupari in editione paranda Ciceronis operum ex emendatione Jani Guilelmii, qui ante multos annos Avarici Biturigum in Gallia obiit. Hæc quoque erit magna Reipublicæ literariæ jactura, ſi propter obitum Domini à Wouweren intermittatur ſuſcepta editio; nam ego accepi, Guilelmium præclara quædam habuiſſe in Ciceronem; & fuiſſe illum excellentis ingenii virum, omnes ſciunt. Si quid de ea re cognoviſti, erit mihi gratum ex tuis id intelligere. Ego nunc dies noctesque occupor, quantum ferunt tenues corporis vires, in reſpondendo Annalibus Baronii. Primum illius Tomum ſeriò ſum aggreſſus; id enim operis totius argumentum. Oſtendam, volente Deo, quàm iniquè faciant, qui ad tuendos hodiernos errores tuentur ſe obtentu Vetuſtatis. Sed erit hæc tota ſcriptio modeſta, ut Chriſtianum virum decet. Ideòque non mediocrem fructum ſperant viri ſummi, qui legerunt quæ jam ſunt à nobis ſcripta. Quæ ſcribimus adverſus Tomum primum, ſatis ſunt prolixa; nam evertenda ſunt ſeriò illa fundamenta totius molis: cæteris, ſi Deus dederit vitam, breviores futuri ſumus. Spero ad proximas nundinas Francofurtenſes vernales operis mei partem publici juris futuram. Exegit hanc operam à me Rex ſereniſſimus, idemque pietate, probitate & doctrinâ omnium Principum longè præſtantiſſimus. Deceſſi gemens à Polybiano Commentario, quem tot laboribus concinnaveram: ſed Regi optimo parendum erat, & fortaſſe bonis, qui iſthic ſunt, opus noſtrum non diſplicebit: ſcopum enim habemus, non lacerare Eccleſiam Dei, ſed omnibus potius prodeſſe pro noſtra quidem virili, & quantum Deus immortalis virium ſuggeſſerit. Abſoluto primo Tomo, quod opus adhuc unum annum minimum me occupabit, ſpero, opto 1613. quidem, lentè excurrere ad Commentarium Polybianum; &, ſi aliter non poſſum, per partes illum edere, volente & favente Deo Opt. Max. qui te ſervet, Vir nobiliſſime atque amiciſſime, & tuis inceptis benedicat. Vale, & feſtinationi meæ ignoſce. Uxor officioſè te ſalutat. *Londini*, *Non. Februar.* CIↃ IↃ CXIII.

EPISTOLA DCCCLV.

JANO DRUSIO.

Præſtantiſſime Vir,

QUæſivi diu occaſionem mittendi tibi 1613. quoſdam libellos noſtros; ſed hactenus invenire nullam potui. Neque enim magnum intercedit nobis cum illis commercium, qui talia curant. Ex inopinato obtulit operam ſuam honeſtiſſimus adoleſcens, cui has dedi, & ſimul Epiſtolam ad PERRONIUM, cum poſtrema editione Characterum Theophraſti; quem libellum ſpero fore tibi non ingratum. Habet hæc editio nonnulla fortaſſe non pœnitenda, quæ nuper adjecimus. Aliud quod mitterem, in præſentia nihil habui. Tu, Vir ſumme, quid agas, ſcire ex te cupio. Opto ut bene mereri de Republica literaria & Eccleſia Dei nunquam ceſſes. Ego quotidie cum Baronio manus conſero. Si dabit Dominus Jeſus exitum videre, ſpero opus nos edituros non minus gratum bonis, quàm ingratum τοῖς ἐξ ἐναντίας. Deus te ſervet. Vale, & me ama. Scripſi raptim. *Londini*, *Non. Februar.* CIↃ IↃ CXIII. *ſtylo Gallico.*

EPISTOLA DCCCLVI.

FRIDERICO TAUBMANNO.

MUnus à te miſſum accepi, Vir cla- 1613. riſſime, pro quo ingentes tibi & habeo & ago gratias. Facis rectè, quod poſſeſſionem ejus laudis retines, quam dudum tibi peperiſti. Optimus Poëta & Latinæ linguæ parens multum jam antè tibi debuit: nunc tu cumulum addidiſti. Perge verò de bonis literis benè mereri: non eſt alia ad nominis æternitatem munitior via, hoc tempore præſertim, exſtincto propè jam ſemine τοῦ χρυσοῦ γένους· illorum, inquam, hominum, qui patrum memoriâ literas æterna cum ſua laude divinitùs illuſtrarunt. Melanchthones, Camerarios, Xylandros, Wolfios, & alios plures in

1613. vestra Germania miratus est orbis terrarum: nunc tuis & paucorum aliorum humeris provincia illa incumbit. Oro venerorque Deum immortalem, ut & tuis, Vir doctissime, & tui similium laboribus propitius sit. Mihi satis acceptum est graviores illas literas, quæ vitam magno Luthero debent, sine harum mitiorum adminiculo florere diu non posse. Omnino veritati inimica est ἡ τῶν γραμμάτων καὶ τῆς φιλολογίας ἀπειρία· quod superiorum seculorum experientiâ satis superque est probatum. Nos in suscepto cum Baronio certamine nunc exercemur; nullâ aliâ mercede impulsi, nisi studio cognoscendæ & defendendæ veritatis, quam ille pater Annalium miris artibus ivit oppugnatum. Speramus fore, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, ut οἱ φιλαλήθεις τῶν ἀνδρῶν candorem nostrum probent. Verùm hoc Θεῷ μελήσει. Vale, Vir clarissime, & me, quod facis, ama. *Londini*, *a. d.* VII. *Eid. Februar.* CIↃ IↃ CXIII.

Epistola DCCCLVII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

1613. Vir nobilissime, debeo responsum ad ternas tuarum; puderetque adeò me tantæ ὑπερημερίας, nisi tua diligentia exquisita effecisset, ut ego negligens videri queam; paucis enim diebus omnes illas tres Epistolas accepi: itaque oppressisti me. Sed quas ego tibi grates agam, præstantissime Lingelshemi, pro navata opera in conquirendis & mittendis Græculi Antagonistæ * foliis? Omnino non solùm de me benè meritus es, verùm etiam de ipso Rege; cui tuum hoc officium accidit longè gratissimum; nam etsi alia habet majora, quæ curet ipsius Majestas, tamen ne sic quidem literas omittit. Itaque folia à te missa statim legit; & suum mihi de ea scriptione judicium significavit. Non vult autem serenissimus Rex, ut ego vel horulam unam ponam in næniis illis confutandis. Jubet securum esse, & opus institutum urgere. Quod & facio eâ contentione, ut sperem, si Dominus Jesus cœptis benedixerit, brevi partem non pœnitendam Typographo me fore traditurum. Ardeo cupiditate cognoscendi judicia bonorum, cùm de rebus, quas tracto, tùm de ratione scribendi, quam sequor. Ego Deum ὁσημέραι supplex veneror, ut det scribere sibi grata, & Ecclesiæ ipsius non inutilia. Serenissimi Electoris reditum vos isthic vehementer optare, tuæ omnes significant; & videtur omninò æquum ac justum esse vestrum desiderium: sed quòd 1613.
Rex optimus consuetâ magnificentiâ nuptias * vult curari, mirari aut ægrè ferre non debetis. Ut regiam taceam Dignitatem, meretur singularis virtus illustrissimæ Principis, Dominæ Elizabethæ, ut nuptiis suis hic honos habeatur. Sed benè sperate; jam enim ad ipsam ἀκμὴν τῶν πραγμάτων est ventum. Scribebam enim hæc eo die, quo solennitas nuptiarum erat inchoanda. Verùm ista omnia è vestrorum literis vobis sunt nota. Quod superest, Deum supplex veneror, ut te servet ἄνοσον καὶ ἀπήμαντον. Vale. *Londini*, *a. d.* VII. *Eid. Februar.* CIↃ IↃ CXIII.

* *Joannis Eudæmonis.*

* *Vide supra. Epist.* DCCCXXII.

Epistola DCCCLVIII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

Illustrissime Vir,

Binas tuarum simul accepi, quibus 1613.
respondere hactenus quum non potuerim, ne nunc quidem id possum; obruor enim curis, per quas spiritum ducere vix mihi licet. Serenissimus idemque optimus Rex eâ flagrat cupiditate videndi edita, quæ jam scripsi, ut urgendi finem nullum faciat. Ego quum vehementer ejus voluntati morem gerere cupiam, rerum tamen difficultate impedior, ne tantoperè festinem. Interim omnia temporis momenta rectè occupare conor: & est gratia Deo, quod partem aliquam in tuto jam collocavimus. Utinam exitum videre hujus curæ liceat! Sanè aut animi fallor, aut partem aliquam publico dare possumus circa illud tempus, quo editurum accepimus Dominum Cardinalem Perronium, quæ adversus Epistolam nostram scripsit. Magnâ teneor cupiditate id opus videndi; in quo si propositum habuit Auctor veritatem antiquam sistere redivivam, facile illi nobiscum erit certamen: id enim solùm quærimus, id totâ mente optamus, eò diurnas nocturnasque omnes nostras cogitationes referimus. Sin aliam ὁ περιβόητος ἥρ. ingressus est viam, non est quod laboris sui magnum fructum speret. Sed de his aliàs. Quæ scripsisti mihi, Vir amplissime; quæ item ad Dominum Legatum † de me, adducunt me in spem, non pessimo loco meas isthîc res esse. Et quidem si pacis & concordiæ certa spes est, (ita multi jam existimant) abesse à patria sine crimine vix mihi videor posse. Semper dixi, postquam hoc quasi æs alienum expunxero, ut Regi mei amanti gratias egerim; de cætero nulla in me mora. Quod si Epistola

† *Buzenvalium.*

1613. ſtola ad τ̃ πάνυ Cardinalem reditûs mihi ſpem non ademit, non puto cauſſam eſſe cur ea, quæ jam ſcribo, ſuſpicer eandem ſpem fore ademtura. Hoc igitur viderimus, & quidem, uti ſpero, brevi. Vale, Vir ampliſſime, & curam tui clientuli ne depone. Ego & uxor aſſiduis precibus τὸν μέγαν Θεὸν δυσωπῦμεν, ut te, & primariam fœminam, Dominam uxorem tuam, cum pignoribus veſtris, omne genus bonis cumulet, & ſervet ἀνόσους καὶ ἀπημάντους. *Londini*, *a. d.* VII. *Eid. Febr.* CIϽ IϽ CXIII.

EPISTOLA DCCCLIX.

JANO GRUTERO.

1613. SCripſi nuper ad te, Vir clariſſime; nec jam quod ſcribam, habeo: nam quæ publicè hîc geruntur, ea ſcio te ex aliis cognoſcere. Exſpecto cupidè tuas, ut quid ſpei ſit reliquum de editione tuarum Inſcriptionum, ex iis intelligam. Si quis eſt, qui acri deſiderio ſtimuletur ut illam editionem videat, is ego profectò ſum. Cùm intellexero, ſeriò nos de editione cogitare, mittam aliquot Hebraicas Inſcriptiones, quas habeo, fortaſſè non pœnitendas. Ego in ſuſcepto opere totus ſum: quod ſi vivam, & vires Deus immortalis fuerit largitus, ſpero me partem aliquam prelis ſubjecturum cis breve admodum tempus; moram enim editionis Rex optimus idemque doctiſſimus non fert: itaque morem gerere ipſius voluntati conſtitui, σὺν Θεῷ ἁγίῳ. Vale, Vir clariſſime, & me ama, qui te ex animo colo. *Londini*, *a. d.* VII. *Eid. Februar.* CIϽ IϽ CXIII.

EPISTOLA DCCCLX.

CONRADO RITTERSHUSIO.

1613. EX iis literis, quas ad me nuper dedit vir clariſſimus, Georgius Remus, cognovi, incidiſſe te, Vir præſtantiſſime, in gravem morbum; ſed ex quo pœnè jam convaluiſſes, cùm ipſe ad me ſcribebat. Egi Deo immortali gratias, petiique ab ejus bonitate, quod & nunc peto toto affectu, ut te ſervet valentem καὶ ἐῤῥωμένον. Habemus hîc ab aliquot jam menſibus virum clariſſimum & optimum Scultetum, qui de tua ſingulari pietate multa mihi non ſemel narravit. Avidè igitur nuntium exſpecto de tua convaleſcentia, & in priorem ſtatum reſtitutione. Omnes, qui literas amant, idem mecum optant. Ego, Dei beneficio, mediocriter valeo, & in opere ſuſcepto, quantum ferunt vires corporis, aſſiduè pergo. Brevi, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, pars operis Typographo tradetur. Vale, Vir clariſſime, & valetudinem cura. *Londini*, *a. d.* VII. *Eid. Februar.* CIϽ IϽ CXIII. 1613.

EPISTOLA DCCCLXI.

DAVIDI HOESCHELIO.

INfrequentiam mearum deſine mirari, 1613.
Vir optime & clariſſime. Occupatiſſimus enim ſum, ut ſi unquam fui. Scripſi tamen nuper, cùm literas dedi ad virum magnificum Velſerum. Eæ literæ an fuerint ipſi redditæ, neſcio; nihil enim poſteà ab illo accepi. Et ſunt, qui dicant, ipſum nonnihil à me eſſe abalienatum propter Epiſtolam ad Frontonem. Vir ſummus duram mihi legem imponit, ſi ut illius gratiam teneam, queri de parricidio Regis mei non poſſum. Ego ſceleris admiſſi auctores nunquam dixi eſſe illos, quos ipſe tantùm amat. Hoc dixi, & ſemper dicam: Doctrinam, quam Jeſuitæ tuentur, eſſe cauſſam illius parricidii. Sed hæc querela non eſt hujus loci. Scito, me in opere ſuſcepto, Dei beneficio, ſtrenuè pergere. Pars jam non pœnitenda editioni parata eſt. Ibi videbis τὸ περὶ τῆς μεταστοιχειώσεως δόγμα ἀκριβωθέν. Nos quidem non rixamur; ſed doctrinam veteris Eccleſiæ cum cura proferimus in lucem. Spero, te illam diſputationem non improbaturum. Auxilia librorum MSS. noli à me ſperare. Hîc Londini vix ulla eſt Bibliotheca, in qua extet aliquid manu exaratum Græcè. Oxonii eſſe quædam intellexi: fortaſſe etiam Cantabrigiæ. Sed quid illis in locis habeatur, neſcio. Oro Deum immortalem, ut tuis cœptis benedicat. Vale. *Londini*, *a. d.* VII. *Eid. Februar.* CIϽ IϽ CXIII.

Jam erant clauſæ ferè hæ literæ, cùm accepi Epiſtolam Velſeri, cui reſcripſi ſtatim.

EPISTOLA DCCCLXII.

MICHAELI PICCARTO.

NUdius tertius tuas accepi. Gratiſ- 1613.
ſimum mihi fuit de tua bona valetudine & ſtudiis ex te cognoſcere. Amo enim te, & quia de tuis conatibus ſpem magnam concepi, opto, atque adeò precor tibi à Deo Opt. Max. fauſta omnia. Orationem tuam cum animi voluptate legi, verſus vix ſine lacrimis; certè non ſine ſuſpiritibus.

1613. Revocarunt enim mihi in memoriam damnum, quod nuper fecimus, amisso Principe *, de cujus laudibus quicquid dixero, minus erit. Scito, mi Piccarte, iis virtutibus τὸν μακαρίτην fuisse præditum, ut satis æstimari jactura non possit, quam Respublica Christiana (non enim dicam, hoc Regnum) in ejus morte fecit. Nemo illum seriò contemplatus est, qui spem ingentem de eo non conceperit. Ad res gerendas factus à natura videbatur, & in morte apparuit consilia illum voluisse omninò annis majora. Pietas & reverentia, καὶ ἐνδιάθετος στοργὴ φυσικὴ erga optimum parentem, in factis dictisque omnibus eminebant. Quæ paucissimorum Principum laus est, ut serii sint & rerum curæ attendant, illi erat ἔμφυτον ut si cui unquam fuit. Denique videbam mihi in ejus indole characterem Henrici IV. agnoscere, qui Rex gloria rerum gestarum, & arte imperandi fuit θαυμαστότατος, ἀλλά τε μὴν προτιτύκτῃ ἐλπωρὴ ἀγνύμεναι πρό· quoniam quidem, ut canit idem Vates, ὅπως πράξις χρυσέοιο γένοιτο. Quod me hortaris ad Commentarii Polybiani editionem, vellem ita res meæ ferrent, ut morem tibi possem gerere. Multum enim in illo opere sudavimus, multas noctes insomnes egimus. Sed hoc Lutetiæ dum fui. Postquam huc veni, mutata est ratio studiorum meorum, quæ à voluntate Regis nunc pendent, cujus omnia studia circa pietatem occupantur. Ille cùm intellexisset, meditatum esse me adversus Annales Cardinalis Baronii, voluit ut illa proferrem in lucem, & id argumentum omni alii anteponerem. Itaque in eo toti nunc sumus. Primum Tomum seriò examinamus, errores propè innumeros ἐλέγχομεν. Sed modestè, ut Christianum decet: res veteris Ecclesiæ magnâ curâ illustramus, idque sedulò agimus, ut qui partium studio corrupti non sunt, candorem nostrum possint agnoscere. Partem operis, si Deus volet, videbis brevi. Interim vale, & me ama. *Londini, a. d.* VII. *Eid. Februar.* CIↃ IↃ CXIII.

* Henrico, Principe Walliæ.

Epistola DCCCLXIII.

GEORGIO REMO.

1613. ANte paucos dies tuas accepi. Gaudeo valere te, & mei memoriam servare. Opto tibi πᾶσαν εὐημερίας ἰδέαν. Miratus sum quod scripsisti, esse editos in Germaniæ diversis locis libellos †, quos hic scripsi. Neque enim tanti mea facio, ut digna putem quæ studiosius requirantur. Utraque scriptio ex occasione est nata. Sic autem 1613. est, ut tu dicis, Vir εὐσεβέστατε; certamen ingressus sum, quod video mihi deinceps esse certandum. Sed bono animo sum: τὸ γὰρ εὖ μετ' ἡμῶν· veritas, inquam, & Deus veritatis pater. Quid igitur metuam? Metuerem, & meritò metuerem, si vel ingenioli mei, vel corpusculi vires spectarem. Sed mihi spes omnes in unius Dei immortalis bonitate sunt repositæ. Itaque plenus fiduciâ sum, & meam φιλαλήθειαν bonis me probaturum spero. Est jam in manibus ingens opus, quod meas adversus Baronium disputationes continet. Respondeo ad primum Tomum κατὰ λεπτὸν & accuratissimè. Si faverit Deus Opt. Max. brevi partem operis videbis, & judicium feres. Summi viri, qui hìc degunt, benè sperare me jubent. Mea autem spes ὅλη καὶ πᾶσα ἐστὶν ἐν τῷ Κυρίῳ. Virum clarissimum Camerarium, τὸν τοῦ πάνυ filium, meis verbis velim salutes. Ego ἀδιαλείπτως oro Deum, ut excitet Camerarios in vestra Germania, in nostra Gallia Scaligeros. Vale, Vir amplissime. *Londini, a. d.* VII. *Id. Februar.* CIↃ IↃ CXIII.

† Scilicet, Epistolam ad Frontonem Ducæum, Scioppium & Cardinalem Perronium.

Epistola DCCCLXIV.

PHIL. JAC. MAUSSACO.

GAudeo rediisse te in patriam, eruditissime Maussace; gaudeo, & tibi ex animo gratulor. Peto etiam à Deo Opt. Max. ut quietus jam in patria fructum percipias tuorum laborum. Quod miraris, nec dum reversum esse me φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν, qui paucas hebdomadas me hæsurum in Britannia spoponderam, desine mirari, & illud cogita, quam rarò in hac vita eveniat, ut consilia nostra habeant exitum, qualem ipsi animo conceperamus. Est profectò Deus, qui nos & nostra omnia pro sua voluntate οἰκονομεῖ. Fatum volentem ducit, nolentem trahit. Sanctè juro tibi, ex animi mei sententia locutum esse me, cùm celerem reditum spondebam; quod aliter acciderit, neque consilio neque voluntate factum. Rex enim, ut primùm in sua me potestate habuit, petiit ab augustissima Regina, ut me retinere sibi liceret. Illa annuit: ego mansi, propè dixerim, ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ. Cùm repetar, & seriò repetar, ostendam non esse me degenerem civem, qui τὴν φυσικὴν πρὸς πατρίδα στοργὴν posuerim; ὃ μὴ γένοιτο οὐδ' ἔσται. Gallus enim sum, & intimis fibris cordis mei reverentia Liliorum altè est impressa. Interim verò; dum permittit Regina, fruor amore hujus Regis 1613.

1613 gis sanè optimi, & multò doctioris, quàm plerique existiment. Scito hoc magno Rege nihil ne fingi quidem posse probius aut humanius. Literas supra fidem hominum amat: judicat de scriptis & veterum & recentiorum, ut vir doctissimus, non ut Rex maximus. Etsi occupatissimus est, & nullam partem officii sui prætermittit; libris tamen carere non potest. Ad mensam illius videas semper Episcopos insigni doctrinâ viros, qui de literis disserant, aut Regem audiant disserentem. Hoc multis videtur novum spectaculum. Jam illius erga me benevolentia obscura non est. Sed, ut dixi, mea consilia omnia pendent à nutu augustissimæ Reginæ. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Tuæ ad D. Heinsium an perierint nescio. Hoc scio, tot naufragia à mense Septemb. facta esse, quot ab annis fortasse viginti non erant audita. Tu quid jam rerum agas, scire ex te cupio. Peto etiam à te, ut amplissimum virum, parentem tuum, meis verbis salutes. *Londini, a. d.* VII. *Eid. Februar.* CIↃ IↃ CXIII.

EPISTOLA DCCCLXV.

✠ JANO RUTGERSIO.

1613. SIc est ut scribis, Vir eruditissime: in obitu divini Principis non sola Anglia ingens detrimentum fecit; sed omnes vicinæ terræ, & remotiores etiam. Ut rationes politicas sileam, amissum est, certè ex oculis ereptum, rarum pulcherrimarum virtutum exemplum. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Nunc rerum facies mutata est; omnia enim gaudio & lætitiâ perstrepunt propter nuptias illustrissimæ Principis, Dominæ Elisabethæ; de cujus excellentissima indole & summa pietate quicquid dixero, minus erit. Deus immortalis illi benedicat. Quòd consilium petis, an Duci Eboracensi tuum Senecam dicare debeas; ego non is sum, qui velim tibi auctor esse, ut aliquid meo impulsu facias, quod ἐξ ἰδίας γνώμης facturus non fueras. Quare consilium tu quidem à me nullum accipies; at testimonium accipias necesse est, quod debetur excellentissimæ ejus Principis indoli; nihil probius, nihil amabilius: denique τῷ μακαρίτῃ fratri viribus corporis quum cedat, quod ad cætera attinet, palmam cum eo ἀμφήριστον habet. De meo isthuc reditu certi nihil possum scribere: pendet ea res, secundum Deum, à voluntate augustissimæ Reginæ, cujus permissu me Rex optimus in sua potestate habet. Cùm erit editum opus, quod jam cogito 1613. prælis subjicere, Θεοῦ διδόντος, semel statuam. Parabam plura; sed jam non licet. Vale, Vir doctissime, & me ama. *Londini, a. d.* VII. *Eid. Februar.* CIↃ IↃ CXIII.

Inscriptio.

A MONSIEUR,
Monsieur RUTGERSIUS,
chez Monsieur Morel,
A PARIS.

EPISTOLA DCCCLXVI.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

VIr amplissime, omnes tuas accepi, 1613. & quas misisti chartas; quæ etsi malæ sunt, à bono tamen affectu tuo proficiscitur, quòd tanto studio illas ad me mittas. Non possum exprimere, quantum eo nomine me tibi censeam obnoxium. Rex ipse non parum tibi debet; nam ejus Majestati gratum est videre, quid diabolus per suos moliatur, & quantum possit. Isti boni viri, si possent me parricidii reum facere, beatos se putarent. Gratia Deo immortali, quòd nihil habent, quod objiciant; peccata enim mea tegit Dei bonitas: illi autem Satanicum virus produnt, & libidinem calumniandi, etiam cùm deest argumentum. Quid facerent, si ego aut alii ejusdem professionis artem doceremus mentiendi, pejerandi, Reges occidendi? Sed quis ille est, cujus Præfationem misisti? Risi cùm illas ineptias legi, & statim Regi ostendi, qui affatim risit. Iterum ago tibi gratias quantas possum maximas. Liber Ledresserio * inscriptus, ab amico meo est compositus, viro pietate & doctrinâ insigni, cujus verum nomen sine dubio audisti. Is est Desiderius Heraldus, qui Arnobium olim, nuper Tertulliani Apologeticon edidit. Plura ab eo ingenio, volente Deo, sperari possunt. Nos dolium urgemus nostrum, & ea paramus, quæ scelestis hominibus cordolium sunt allatura: benedicat modò inceptis Deus Opt. Max. cujus honori labores nostros consecramus. Plura cupiebam; sed jam otii copia non est. Vale, Vir maxime, & vive felix quàm diutissimè. *Londini, die* XIX. *Februar.* CIↃ IↃ CXIII.

* *Dissertatio Politica super controversiis inter Academiam Parisiensem & Jesuitas, Lutetiæ excusa, anno* 1612. Colomes.

EPISTO-

Epistola DCCCLXVII.

DANIELI HEINSIO.

1613. POst novissimas, quas ad te scripsi, præstantissime Heinsi, binas tuarum accepi, non sanè à cursoribus allatas; nam priores ante annos duos erant scriptæ; alteræ ante menses, opinor, tres. Vides fidem & diligentiam eorum, quibus tuas committis. Potui minore spatio ex ultima India literas accipere. Posterioribus adjunctum erat munus tuum, quo me beasti, Peplus & Orationes tuæ. Orationes ante aliquot menses mihi paraveram *, & ab earum lectione recens quædam ad te scripseram. Peplum non antè videram; quò avidius acceptum πιπάτηκα. Verè opus tuum; id est, eo viro dignissimum, qui in cognitione τῆς Ἑλληνικῆς παιδείας paucos habet pares, scribendi usu omnes longè superat. Ὄλαιο ἀνδρῶν πθειότατι τῆς ἀγαν ἐυφυίας κὰι παιδείας. Sed Theophrasto tuo quid fiet? tum autem de editione Aristotelis si cogitas, facis id quod te decet; quis enim præter te par tanto incepto? Ego pensum urgeo. Ac quoniam quæ jam scripta sunt, mediocre volumen possunt conficere, placet sapientissimo Regi editionem non differri. Quod si Deo Opt. Max. visum fuerit, ad nundinas Francofurdienses partem aliquam edendam existimo. Quod utinam cum aliqua Ecclesiæ Dei utilitate fit! Oro illum & supplex veneror, ut te servet. Vale, Vir præstantissime. *Londini*, *a. d.* IX. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXIII.

* Vide supra, Epist. DCCCXLIX.

Clarissimum virum Baudium, & amicissimum Erpenium meis verbis ut salutes, te rogo. Scripsi non ita pridem ad utrumque, & Domino Baudio nuperas nuptias sum gratulatus.

Epistola DCCCLXVIII.

✠ JOANNI SAECKMA.

Vir amplissime.

1613. EGo verò tui memoriam & jucundissimam pristinæ nostræ consuetudinis & servo & servabo ὄφρα ζωοῖσι μετείω. Quòd rarius scribo, partim argumenti fit inopiâ; partim, & multò quidem magis otii penuriâ: vivo enim, ut si quis mortalium, occupatus: curis sæpe obruor; studia porrò ita me totum sibi vindicant, ut totum periisse tempus existimem, quod illis non fuerit impensum. Lætatus sum tamen veternum excussisse te mihi eâ Epistolâ, quam ante biduum accepi. Suave mihi cum primis fuit, de rebus tuis lætis ex literis tuis cognoscere. 1613. Κοινὰ γὰρ φασι τὰ τῶν φίλων. Atque ego Deum oro, ut pergat porro tibi inceptisque tuis benedicere. Ego, quod video jam tibi innotuisse, in confutandis næniis Cæsaris Baronii operam pono. Multa illi viro Ecclesia Dei debet, propter inexhaustam diligentiam, quâ est usus in Historia illa componenda. Sed hanc laudem corrupit ille ingentibus vitiis, quæ non intelligunt, neque volunt intelligi, qui solùm in Historia Ecclesiastica regnare hodie Baronium volunt. Scis olim magno viro in Epistola quadam quid exciderit Justo Lipsio. Nos contrà censemus, Annales istos, si diligentiam excipias, nullâ admodum aliâ laude posse censeri. Sed caussas mei hujusce judicii melius alibi exposuero. Opto ut Ecclesiæ Dei aliquam utilitatem mei labores afferant: quod tamen in tali rerum statu an sperare debeam nescio. Verùm hoc Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Illud certè confido, bonis me meum candorem & veri amorem fore probaturum. Vale, Vir amplissime, & me, quod facis, ama. *Londini*, *a. d.* IX. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXIII.

Tui observans,

IS. CASAUBONUS.

Virum clarissimum, Sibrandum Lubertum, nisi grave est, meis verbis salutes velim.

Inscriptio.

Viro amplissimo,

D. Joanni Saeckma,

Jurisconsulto, & in suprema Frisiæ Curia Senatori, amico observando.

Franekeram.

Epistola DCCCLXIX.

JANO DRUSIO. ✠

GAudeo tandem fuisse tibi redditas duas Epistolas, quas superiore æstate ad te scripsi, Vir præstantissime. 1613. Nuper etiam studioso cuidam ad vos proficienti libellos quosdam tibi deferendos tradidi; quos etsi non magni ipse faciam, nollem tamen esse amissos; cupio enim extare illos apud te mei amoris & observantiæ erga te testes. Scriptorum tuorum editionem difficulter isthic te posse curare, vehementer doleo: vereor enim ne ea res studiis nostris sit fraudi, qui nunquam sine fructu in tuas eruditas observationes oculos soleam conjicere. Ego pergo in suscepto

1613. pto opere; & pergam, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, donec absolvero Responsionem accuratam ad primum saltem Tomum. Id caput est operis totius, ubi jaciuntur fundamenta omnium: itaque seriò à nobis oppugnantur. Quid prætiterimus, Ecclesia Dei judicabit, & viri eruditi pariter ac docti; tu cum primis, Vir doctissime; nam & occurrunt non pauca, de quibus tuum est proprium judicium. Deus immortalis te servet. Vale. *Londini, a. d.* IX. *Kalend. Mart.* CIϽ IϽ CXIII.

EPISTOLA DCCCLXX.

✠ JOANNI PRIDEAUX.

1613. Significavit mihi Præsul illustrissimus, Dominus Archiepiscopus, se tecum egisse, Vir doctissime, ut Responsionem susciperes ad librum Cretensis fraterculi, quem nuper in me evomuit. Non dubito, virum prudentissimum te potissimùm delegisse, cui id oneris imponeret; quia nôsset omnia præsidia tibi abundè esse comparata, illam provinciam subituro necessaria. Et ipse mihi dixit, quam de tuis studiis opinionem haberet. Sed quia mihi nondum satis compertum est, quid ipse super eo statueris, nactus occasionem hæc pauca ad te exaravi, ut tuas exprimerem. Scio rem te serenissimo & εὐσεβεστάτῳ Regi longè gratissimam facturum: nam de Domino Archiepiscopo dubitare non potes. Imò verò audeo dicere, opus Deo gratum fore, ut tot mendacia aperiantur & solidè confutentur. Me ejusmodi scripta non aliter commovent, nisi propter communem veritatis cœlestis caussam, quam κακὴς κακῶς ire exstinctum ægrè mihi est. Si oneri subiturus es, utriusque nostrum interesse puto, ut semel conveniamus. Posteà ego te rebus omnibus ad refellenda diabolica mendacia necessariis, abundè, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, instruam. Age igitur, & pro defensione veritatis ἐθελοντὴς ὢν arma indue. Ego interim alium πολέμιον πολεμίςῳ, qui valdè veritatis hostes uret, propitio Deo; qui te servet. Vale, & me ama. Clarissimum virum, Dominum Doctorem Abbotum, meis verbis ut officiosè salutes velim. *Londini, a. d.* III. *Non. Mart.* CIϽ IϽ CXIII.

EPISTOLA DCCCLXXI.

✠ EIDEM.

1613. Nunc ipsum tuas accepi, Vir amicissime. Gaudeo esse tibi eum animum, quem luculentè ostendit Epistola tua. Non dubito, eam quæ tibi est imposita, provinciam sic fore te administraturum, ut & serenissimo Regi, cui hæc quoque cura est curæ, & illustrissimo καὶ τῷ παντὶ ἀρίςῳ Domino Archiepiscopo sis abundè satisfacturus. Bene habet: εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα. Sentiet Græculus Parricidarum defensor, non minus amari in Anglia veritatem, quàm Romæ mendacium & amatur & propugnatur. Miseret verò me infelicis Græculi, quem tu, scio, pro commerita noxia dignè tractabis. Macte, Vir eruditissime, hac animi generositate. Sed dolet mihi, non tibi esse redditum librum integrum, quem ego ante dies admodum multos tradidi illustrissimo Archiepiscopo tibi mittendum. Spero tamen fore brevi, ut illum nanciscaris. Quod superest, unà convenire nos oportet, ut per otium ex me intelligas plurima ei proposito necessaria. Parricida Alastor ita in me invehitur, quasi jurejurando se obstrinxisset, ne veri aliquid dicere fas sibi esset. Quia mei criminatio conjuncta est cum aliquo dedecore Regis maximi & partium nostrarum, opto confutari illa serio, ut omnes intelligant, parricidas nisi per diabolica mendacia suam causam tueri non posse. Nihil dicturus tibi sum, quod magnis testibus probare non possim: neque dubito, miraturum te quæ ex me es auditurus, σὺν τῷ παναρίςῳ καὶ πολυελέῳ Θεῷ. Scito igitur, constituisse me intra paucos dies sitim explere meam & cupiditatem ingentem Academiam Oxoniensem videndi. Non possum diem adhuc certò definire: sed ne dubita brevi, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, isthuc me venturum, & tuo colloquio fruiturum & aliorum virorum doctissimorum, quos isthic scio esse, & tacitus dudum observo: in his est cum primis, vir venerandus, D. Abbotus, quem ut meis verbis salutes velim. Scripsi raptim post tuas acceptas. Vale. *Londini, a. d.* V. *Eid. Mart.* CIϽ IϽ CXIII.

EPISTOLA DCCCLXXII.

HECTORI BOURICIO.

Pauci dies sunt, cùm tuas accepi, 1613.
Vir doctissime. Quàm grata autem mihi tua illa Epistola fuerit elegantissimè & humanissimè scripta, noli quærere. Habent hoc literarum studia, ut omnes eorundem sacrorum participes sibi invicem concilient. Quemadmodum igitur opinio alicujus eruditionis me ut amares effecit; sic eadem causa

 sic

1613. sic te mihi carum reddidit, ut posthàc te inter primos meorum amicorum sim numeraturus. Atque ego de nuper inter nos contracta amicitia eò melius spero, quia intervenit illi quasi proxeneta vir amplissimus & integerrimus, Joannes Saeckma, quicum vetus necessitudo mihi intercedit. Ego non ita pridem literas ad ipsum dedi, quæ an fuerint ipsi redditæ, nondum scio: scripsissem & nunc, nisi otium defuisset; sum enim dies noctesque occupatus in opere conscribendo, quo errores Cæsaris Baronii, conditoris Annalium Ecclesiasticorum, palam facio; sunt autem plurimi, & crassissimi interdum. Atqui hodie qui jurarunt in verba Pontificis Romani, unum nobis obtrudunt Baronium, quasi is esset solus omni exceptione major Historiæ Ecclesiasticæ vindex. Nos illi suam gloriam non invidemus; sed ut auctoritate illius Purpurati antiqua veritas opprimatur, id verò ferre æquo animo non possumus. Irritabo, scio, crabrones, qui agmine facto in me irruent; sed me istud non movet: τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ· veritas, inquam, cui uni litare ad Dei immortalis gloriam optamus. Ea cura excussit mihi de manibus longarum vigiliarum opus, Commentarios in Polybium. Sed quamdiu in Anglia futurus sum, video statuendum mihi esse, ut ab earum literarum seria meditatione semper abstineam: nam Rex optimus atque εὐσεβέστατος rebus theologicis ita delectatur, ut aliis curis literariis non multum operæ impendat. Ego autem quæ nunc scribo, ante multos annos fui scripturus, si id mihi Lutetiæ fuisset permissum. Brevi, sicut spero, pars aliqua operis mei edetur: quod viris antiquæ pietatis peritis si placuerit, magnas Deo immortali gratias sum acturus. Hostes aut contemptores veteris Ecclesiæ quid sint judicaturi, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Sed moror te. Vale, Vir doctissime, & quod facis, me ama. *Londini, a. d.* v. *Eid. Mart.* CIϽ IϽ CXIII.

EPISTOLA DCCCLXXIII.

N. N.

1613. SI quoties cepit me impetus garriendi tecum per literas, toties calamo manum admoverem, næ facerem ut otio me abuti tuo meritissimè pronuntiares; multa enim fermè quotidie occurrunt, quæ posse in sinum tuum effundere, in magnæ cujusdam felicitatis parte ponerem. Fraterculi Cretensis * librum, quem nuper in me evomuit, scio te videre adhuc non potuisse. Ego non potui non videre, qui habui in Germania ita mei studiosos amicos †, ut singula folia, prout illa edebantur, ad me mitterent. Non fui requisiturus, nisi ultrò in meas manus venisset. Ego jamdudum constitui, (& faciam, cum propitio Deo, semel in Præfatione operis, quod jam paro) omnes inimicos meos unâ exceptione procul à me submovere. Clamant illi, *imperitissimum esse me Grammaticum, omnium artium & disciplinarum rudem.* Esto: sed mirum est, unicam Epistolam ‡ hominis adeò indocti insulsique Scriptoris, tantopere illam Satanicam Societatem commovisse. Quid facerent, si aliquis eruditus eorum scelera persequi esset aggressus? Clamant, perditissimis moribus esse me; pecuniæ ἐξωλέστατον mancipium; neque vident, si vænalem conscientiam habuissem, & Lutetiæ & Romæ emptorem potuisse me reperire. Scit hoc reverendissimus Episcopus Parisiensis; scit illustrissimus Cardinalis Perronius; scivit omnium maximè Henricus Magnus; cujus testimonio ne possem meam integritatem defendere, provisum est à parricidis, qui per suum emissarium ipsum extinxerunt. Hoc majus crimen est, opinor, quàm in Grammaticis ætatem trivisse. Quid dicet Stygium illud genus, quando videbit hominem adeò nihili tot fœdos, stultos, asininos in Baronio errores annotasse! Et tamen Baronius Bellarmino melior, homine ad strophas, sophismata, mendacia apto, nulli alii rei idoneo. Norma illi veri est non Sacra Scriptura; sed libido Papæ, quem ut Deum in terris constituat, quàm sceleste, quàm sæpe mentitur? Quædam obiter attigi, quia dissimulare non poteram: potui plurima notare, quæ prætermisi. Equidem cum doctrinæ parricidialis assertoribus amicitiam nullam mihi opto: odi illos, & semper odero. Sed polemicis scriptis cum illis rixari propositum mihi non est. Itaque ne illi quidem Græculo Alastori ⸸ sum responsurus: faciet hoc alius meam vicem, idque jussu Regis & D. Archiepiscopi, quibus mea integritas est perspecta. Quoniam igitur per alios me oppugnare conatur ὁ καλὸς Fronto, par illi referetur οὐκ ἄνευ ἐπιμέτρου. Responsionem illustrissimi Cardinalis * cupidè exspecto, quæ utinam votis & desideriis eorum respondeat, qui veritatem antiquam amant, & adversus nova inventa eam cupiunt defensam. Scis quanti faciam illud ingenium: sed vereor ne βοῦς ἐπὶ γλώττῃ· placere enim Romæ non potest, qui apertè non indixerit veritati bellum ἄσπονδον· verè an falsò, hoc metuam, αὐτὸς δείξει,

* *Joannis Eudæmonis.*

† *Jo primis G. M. Lingelsheimum. Vide suprà, Epist. DCCLVII.*

‡ *Intelligit Epistolam suam ad Frontonem Ducæum.*

⸸ *Joanni Eudæmoni.*

* *Perronii.*

1613. δείξαι, quod ajunt. Quod superest, veneror Deum immortalem, ut te, Vir clarissime, servet. Vale. *Londini*, *a. d.* v. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CXIII.

EPISTOLA DCCCLXXIV.

✠ JACOBO AUGUSTO THUANO.

Vir amplissime,

1613. Significavit mihi Chabanæus meus, optare te, ut de loco Polybii, ubi pilum Romanum describitur, meam sententiam tibi exponerem. Est sanè ille locus admodum ancipitis sententiæ: nam si verbis scriptæ lectionis, quæ consentit cum edita, adhæremus, videtur describi pilum Romanum ejus magnitudinis, ut emitti in hostem vix potuerit. Movit ea res Justum Lipsium, ut quod dicitur Polybio, quadrata pila habere latus palmare, interpretaretur de tota quatuor laterum magnitudine & crassitie, non de singulorum mensura. Ita fit pilum quadratum valde exile & tenue. Sed cùm testentur omnes Historici, hoc telum fuisse maximè terribile; cujus tota vis esset in ipso pondere, non possum probare illam interpretationem. Ego autem non intelligo, quid in eo sit absurditatis, si dicantur pila rotunda habuisse dimentientem palmarem; & quadrata singula latera itidem palmaria. Plutarchus Græcè pilum dicere solet ὕσσον· quæ est propria Latinæ vocis significatio. Pila autem, quibus in mortariis res atteruntur, & conteruntur, pondus habere solent non modicum; levia enim in eum usum sunt inepta. Hodie ferreis, ut plurimùm, pilis utimur. Sed illa, quæ huic telo nomen dederunt, lignea videntur fuisse, brevia satis, sed grandia τὸν ὄγκον, & crassa. Dionysius Halicarnasseus τοὺς ὑσσοὺς appellat βέλη χειροπληθῆ, ut & Lipsius observat. Si interpretationem Lipsii admittimus, multum aberit, quin manum hominis staturæ legitimæ impleant. Fateor non posse ejus crassitici pilum procul in hostem mitti. Sed quis hoc pilo Romano tribuit? Non Dionysius, qui contrà potius scribit, ἃ συνιόντες ἐς χεῖρας ἐξακοντιάζουσι. Si pila tantùm jaculabantur in hostem, quando cominus res agebatur, quid opus est ἀλλοκότους interpretationes comminisci? Multa in Commentariis nostris de eo telo disseruntur, quæ jam huc attexere non vacat, & ut puto, necesse non est. Neque enim satis exposuit mihi Chabanæus mentem, quid potissimùm te offenderet in descriptione Polybiana. Id ipse mihi si indicaveris, conabor tibi satisfacere si pos- 1613.
sum, aut certè ductu tuo aliquid melius addiscere. Nunc alia me habent studia; quorum scopus unicus est gloria Dei, & defensio Antiquitatis veræ contra imposturas Baronianas. Res Ecclesiæ Dei eò hodie redierunt, ut doctrinam & πολιτείαν primæ Ecclesiæ alii falso & sceleste sibi vindicent; alii ne minimùm quidem curent. Inde tot mala; nam Verbo Dei, quæ unica est regula fidei, ad libidinem suam quis hodie non abutitur? Sed hæc querela hujus loci non est. Vale, Vir amplissime, & me ama. *Londini*, *a. d.* v. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CXIII.

EPISTOLA DCCCLXXV.

*** SWERTIO, ✠ ANTWERPIENSI.

Vir doctissime,

De misso libro gratias ago magnas. 1613.
Agnosco tuam benevolentiam, & affectum exosculor. Ego ope amicorum singula ferè folia, prout edebantur, vidi; & ante aliquot dies librum integrum vir magnus mihi dedit. Tuum exemplar opportunè advenit, ut traderetur viro dicto, qui jussu Regis & illustrissimi Archiepiscopi respondendi provinciam suscepit. Ego nunquam Græculum nebulonem eo honore dignabor, ut respondeam. Et quia per alios mecum pugnat Fronto, docebimus, cum bono Deo, non minoris fieri in Anglia veritatem, quàm mendacia æstimentur Romæ; ubi est officina mendaciorum, scelerum, parricidiorum in Reges. Hoc certò mihi constat, & nemo oculis utitur, qui non agnoscat. Miratus sum, virum optimum, cujus schedam misisti, sic mecum agere, quasi me lucri cupido hic teneret. Hoc ille didicit à mendace Andrea. Me, Vir doctissime, si commoda spectarem, unam horam in Anglia non futurum sanctè juro tibi. Contempsi opes semper; itaque nullas habeo: dives liberorum sum; aliæ divitiæ nullæ mihi sunt. Cùm Lutetiæ fui, Fortunam auream per vim irrumpere in domum meam sæpe cupientem, fortiter semper repuli. Scivit hoc Rex à parricidis Jesuitis occisus. Alii manum commodarunt; illi doctrinam parricidialem stabiliverunt, & quotidie stabiliunt. Mira possum de illis proferre, non omnibus nota. Scivit hoc, inquam, Rex maximus; & nunc sciunt illustria illa nomina, Cancellarius Galliæ, Cardinalis Perronius, Episcopus Parisiensis. Istis testibus innocentiam

1613. meam adversus defensorem parricidialis doctrinæ possum tueri, & faciam cùm erit opportunum. Interim scito, me opus parare, quod bonorum omnium benevolentiam, ut spero, mihi conciliabit; malorum odia exacuet. Brevi, Deo volente, partem videbis editam. Multos annos optavi facultatem, meas in eo genere ingentes vigilias publicandi. Sentient parricidialis doctrinæ Magistri, hostes mei, quibus in studiis magnam partem meæ ætatis contriverim. Magnum opus est, quod incepi; cui dum incumbo dies noctesque, honores omnes aspernor, opes rideo; res humanas insuper habeo, & totum me compono ad reddendam Deo meo rationem otii, quod in re tenuissima, aut potius nulla, ejus bonitas mihi præstat. Si Jesuitæ, qui in Polonia, Germania, Gallia & alibi locorum sunt, non pluris pecuniam facerent quàm ipse ad hanc diem feci, non essent tot stupendæ opes ab iis congestæ; tot villæ, tot oppida non essent acquisita; præsertim in Polonia. Novi illorum scelera, descripta mihi κατὰ λεπτὸν à nobilibus Pontificiis, magnæ pietatis & probitatis viris. Vale, Vir amicissime. Clarissimum Miræum meis verbis, nisi grave est, salutabis, & me amabis. *Londini, a. d.* IV. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CXIII.

EPISTOLA DCCCLXXVI.

✠ ANDREÆ SCHOTTO.

1613. SUnt aliquot menses, cùm donum à te accepi, mihi gratissimum, Nodos tuos, Vir doctissime. Volui gratias agere pro eo ac debui; sed veritus sum, ne mea scriptio, ut sunt tempora, tibi fraudi esset; nam ne tu quidem dare aliquid literarum ausus fueras. Laudo propositum tuum, Romanam eloquentiam πάσῃ σπουδῇ καὶ μηχανῇ illustrandi. Literæ meliores tibi debebunt, quantum adhuc Societatis vestræ nemini. Quod me revocas à contentione in negotio Religionis, facis quod virum probum decet. Atque ego ad hanc diem vitæ meæ rationes sic institui, ut piè vivere, quàm de pietate disputare, satius ducerem. Sed me nescio quod fatum (Dei voluntatem melius dixero) nonnullis ex Ordine vestro ξυνέηκε μάχεσθαι. Necessitas primò me compulit, ut calamum arriperem: provocatus enim sum variis modis; neque tum mihi fuit animus, alios lædere nisi parricidialis doctrinæ Magistros: qualis est iste Græculus, qui parricidarum, in Anglia justo supplicio punitorum, patrocinium sceleste scelestus suscepit. 1613. Cum ita animatis nullam amicitiam volo: odi illos; odero semper. Vidi duos meos Reges scelere parricidarum extinctos: alii manum commodarunt; sed origo sceleris penes auctores & defensores doctrinæ parricidialis hæret. Nam quod Puteanus vester me accusat, quod tragœdias excitem propter duos Reges nostrâ memoriâ occisos; quum nulla ætas pauciorum Principum cædes, quàm hæc nostra viderit; id verò & falsum est, & absurdum: nam & plures pari scelere sunt occisi; & plurimi appetiti, quos Deus servavit; parricidæ, quod in ipsis fuit, occiderunt. Deinde non videt Puteanus discrimen inter cædes antiquas & hodiernas. Illæ privatis consiliis edebantur; editæ omnibus erant detestationi: nunc parricidia docentur, imperantur, defenduntur. A quibus? hoc ne tu quidem potes ignorare, qui nostri sæculi historiam non nescis; qui *Directorium Inquisitionis* legisti, opinor, aliquando; qui tot libros in defensionem parricidarum Anglorum scis esse editos; qui tot decretis amplissimorum Patrum Senatûs Parisiensis coërcitos esse auctores doctrinæ parricidialis, probè meministi. In eorum albo nomen suum pridem professus quum sit Alastor Græculus, qui nuper adversus me plaustra mendaciorum evomuit; dolui, Præfectum Societatis vestræ caussam fuisse omnium communem, quæ pertinuit ad paucos. Sed ut video, id agunt vestri, ut de communi omnium sententia, facta esse omnes intelligant, quæ à nonnullis constat esse patrata nefariè. Id quando illis placet, mutandus, ut video, nobis stylus erit: non enim veritatem prodemus; & multa quæ habemus comperta, proferemus, quæ silere fuit animus. Tum autem innocentiam nostram ita, volente Deo, defendemus, ut tu quoque mutaturus sis sententiam; qui persuasus à Græculo Cretensi, scripsisti nuper in scheda, quam vidi; *Auri sacra fames non tantum quantum conscientia valeat.* Agnoscis tua verba:

Ἄτλα γέρον, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων.

Ego ut aliquid contra conscientiam? ego ut pietati aurum anteponam? aut omnino ut aurum sitiam? Non ita est; non ita est: & hoc qui mihi objicit, parricidarum defensor plus quàm Creticè mentitur, & de suis moribus meos sceleratus existimat. Ego si aurum pluris quàm pietatem fecissem, in Anglia hodie non essem. Scit hoc magnus Galliarum Cancellarius; scit illustrissimus Cardinalis Per-

1613. Perronius; ſcit reverendiſſimus Epiſcopus Pariſienſis; ſciunt Lutetiæ quicunque me nôrunt, & quibuſcum familiariter ſum verſatus, veſtræ profeſſionis viri ampliſſimi, & omni majores exceptione. Poſſem ei Magnum Henricum meæ integritatis, quam ipſe notam & certiſſimis argumentis compertam habuit, teſtem excitare; niſi illum dirus Alaſtor doctrinâ parricidiali imbutus terris eripuiſſet. Itaque, Vir clariſſime, ſi qua veritatis tibi eſt cura, ſi qua innocentiæ, recanta opprobrium, & homini Græculo Cretenſi, parricidarum defenſori, poſthàc cave ne fidem habeas. Ego, volente Deo, cùm erit opportunum, faxo ut mendacia perditiſſimi nebulonis, & omnium, qui cum illo faciunt, in claram lucem proferantur. Interim opus magnum, quod præ manibus habemus, tantò alacrius & animoſius urgebimus; qui ſciamus eo edito futurum, ut noſtrarum longarum & aſſiduarum à multis annis vigiliarum in eo genere literarum, quas retrimentum illud inſcitiæ, Græculus Andreas, mihi putat eſſe ignotas, tot teſtes habeamus, quot ſunt totâ Europâ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας homines paulò cupidiores. Sic juvat inimicorum meorum ſycophantias diluere. Vale, Vir doctiſſime. *Londini*, *a. d.* III. *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CXIII.

EPISTOLA DCCCLXXVII.

✠ JOANNI PRIDEAUX.

Vir doctiſſime,

1613. FAcio invitus, quòd meum iſthuc iter differo. Ardeo enim cupiditate videndi Academiam veſtram & viros doctos, qui eam illuſtrant; ſed me ἱστάμενόν περ ὁδοῖο quædam adhuc morantur. Confide tamen, ubi primùm quædam erunt expedita, quibus nunc impedior, ſtatim me iſthuc, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, advolaturum. Non potui ante hunc diem meum hoc conſilium ſereniſſimo Regi aperire. Hodie multa cum ejus Majeſtate de meo itinere, de te, de ea, quam paras, Reſponſione ſum locutus. Juſſit me Rex tibi ſignificare, optare ſe, ut ad omnia illa accuratè reſpondeas, quæ ad jura Regum quoquo modo pertinent. Dixit mihi ejus Majeſtas, ſe in iis foliis, quæ legit, obſervaſſe longam diſputationem quandam ex Ariſtotele, eò ſpectantem, uti probet ὁ θεοστυγὴς Cretenſis, non poſſe magna ingenia imperium Regis alicujus pati. Dirum venenum Lectori ſimplici propinari eâ parte ſereniſſimus Rex ait; & ut tuâ induſtriâ fraus Satanæ detegatur, cupit. Quicquid igitur aut ad jura Regum, aut ad optimum Regem noſtrum ſpectabit, id ſeriò tractandum, & probandum portenta iſta Loiolitica capitales eſſe omnium Regum hoſtes, parricidialis doctrinæ defenſores, meros parricidas. Jam quæ ad me pertinent, aut ad pietatem referri poſſunt, aut ad doctrinas, aut ad mores. Quæ ad pietatem, ea mihi tecum & cum omnibus bonis communia. Meum votum eſt, ut cauſſa Dei acriter defendatur. Hæreticum me appellat dirus ille Alaſtor; ego illum cupio Hæreticum, aut Parricidam ſemper nominari: eſt enim profectò utrumque; alterum re, alterum voluntate ſaltem. Quæ ad doctrinam ſpectant, non movent me. Scio quàm exiguum illud ſit, quod hactenus didici; itaque nihil mihi tribuo, nihil unquam tribui, præter infinitam diſcendi cupiditatem. Poſſum & illud verè dicere, quantum per civilia bella licuit, & alias occupationes, nullum me diem otioſum egiſſe. In literis humanioribus ornandis multa ſum molitus. Pars adhuc parva exiit eorum, quæ meditati ſumus. Characteres Theophraſti cùm Latinè vertiſſemus, & Libro Commentario illuſtraſſemus, paulò pòſt Furlanus, Græcorum doctiſſimus, idem tentavit. Utri plus debeat Theophraſtus, propter operam illi pulcherrimo libro impenſam, tui facio judicii, Vir doctiſſime. Ego videor poſſe verè dicere, ipſos Græcos in notitia Ἑλληνικῆς παιδείας ab Europæis longè eſſe ſuperatos. Ego Præceptore uſus ſum Genevæ viro maximo, & quidem Cretenſi, ſed φιλαλήθει, & verè pio, Franciſco Porto; cui in ea profeſſione ſucceſſi, natus annos viginti & tres. Qui putant me in ſolis Poëtis aut Hiſtoriis ætatem triviſſe, mirabuntur cùm legent, quæ ſcripſimus adverſus Baronium. Cogentur enim fateri, longis & aſſiduis vigiliis confectum eſſe id opus; ſiquidem dabit Deus Opt. Max. quod cupio perficere. Spero ſanè poſt menſem alterum, Deo propitio, me partem alteram Typographo traditurum. Sed de eruditione ſtatuat quiſque ut volet: nam qui abjectiſſimè de ſtudiis noſtris ſentiunt, mecum ſentiunt. Οἶδα γὰρ ἐμὰ τὰ μέτρα, & præter amorem ἄφατον literarum, nihil quicquam mihi arrogo. Reſtabat tertium caput criminationis, de moribus. Atque in eo ſpero me facilè conſecuturum, ut ne tenuiſſima quidem ſuſpicio eorum vitiorum in me reſidat, quæ mihi ὁ Κρὴς attribuit. Sed hoc erit vel proximæ Epiſtolæ, vel ſermonum noſtrorum argumentum, & quidem, ut ſpero, brevi. Hoc interim ſcito; ſi φιλαργυρίας in meis moribus mica hære- 1613.

1613. ret, potuisse me fortunas meas in Gallia constituere, & opes congerere, quas non temerè aliquis meæ conditionis anteà congessit. Regi maximo vixi charissimus. Ille stimulatus à Papæ mancipiis, nihil reliquit intactum, quò me ad se traheret. Stupebis ad ea, quæ in eo genere tibi sum narraturus, cum bono Deo. Quot dies fui Lutetiæ, tot ferè pugnæ mihi fuerunt pugnandæ adversus Fortunam auream, irrumpere in meas ædes conantem. Maximi in Gallia Proceres sciunt, à Clemente VIII. vocatum me esse Romam, proposito aureorum ꟾↃ CCC. stipendio; ita ut nihilominus fruerer Regis mei liberalitate & stipendio. Habeo aliquot Baronii Epistolas, incredibilis humanitatis plenas; habeo Cardinalium & aliorum Principum, etiam Italorum. Si vænalem conscientiam habuissem, emptores dudum multi fuerunt parati. Laus Deo & gratiæ magnæ, quod τὰ χ..ικὰ ego & uxor fortiter ad hunc diem contempsimus, εἴπερ θεοῦ λημμένοι τῶν ἐρανίων. Postquam huc veni, quomodo vixerim, ex aliis malo te discere, quàm ex sermonibus meis. Me περιαυτολογεῖν puderet, nisi amor veritatis me cogeret: καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Vale, Vir doctissime, & me ama. Virum venerandum, Dominum Abbotum, meis verbis salutes velim. Scripsi raptim. *Londini*, *Mart.* XXIII. CIↃ IↃ XIII.

Tuus ex animo,

IS. CASAUBONUS.

Viri graves scribunt ad me Antwerpiâ, Sanctos Patres famam spargere, me postquam vidi scriptum τοῦ Κρητὸς, ex desperatione vitæ renunciare, & studia abjecisse. Non credit hoc uxor mea, quæ alacriorem me nunquam vidit, quàm fui semper, gratiâ Dei, post lectum illum librum. An autem desierim artem, brevi, volente Deo, cognoscent canes illi impuri, fæx Hæreticorum & parricidarum. Spero etiam te non permissurum, ut ex desperatione responsionis malè mihi consulam. Quid censes de Sanctis Patribus?

EPISTOLA DCCCLXXVIII.

✠ ALEXANDRO HUMIO.

1613. NOn morabor te longis sermonibus, Vir eruditissime. Neque enim tibi quod agas, puto, deest; & ego gravissimis curis sic distineor, ut vacui temporis non multum habeam. Quod existimas serenissimum Regem de tua Grammatica mecum egisse; non frustra es: egit enim; neque hoc solùm; sed etiam librum ipsum posteà misit, jussitque per- 1613.
currere, ut de eo quid mihi videretur, sibi exponerem. Legi igitur librum tuum, aut, ut melius dicam, partem ejus aliquam inspexi. Neque tamen propterea quòd fueram jussus, præstiti. Solet Rex quoties vult aliquid à me curari, rationem negotii gesti exigere. Putavi facturum idem in tuo libro: sed evenit aliter; nam post missum codicem verbum nullum unquam super ea re mihi posteà fecit. Silui igitur etiam ipse. Ego, mi Humi, iis moribus sum: laudare alienam industriam soleo quàm libentissimè: ubi minus aliquid probo, ægrè atque invitus facio, ut de eo loquar, utique apud Regiam Majestatem. Quare si quid ex illo tempore aut dixit aut decrevit Rex contra animi tui sententiam; noli existimare auctore me aut suasore id esse factum. Eruditionem maximi Regis tu quoque, opinor, notam habes; & monitoribus ipsum in talibus non indigere, non ignoras. Cogitare etiam debes, alios præter me viros literatos in Aula Principis literatissimi quotidie versari; & quidem nonnullos eorum, viros longè doctissimos, quibus novitas in scientiis & disciplinis non placet. Ego sanctè confirmo, semel duntaxat Regiam Majestatem de te & libro tuo mecum verba fecisse; idque priusquam ego de tuis inceptis vel ex fama agnovissem. Quoniam autem meum quoque de tuo instituto judicium videris velle cognoscere; faciam quod virum bonum decet: mentem meam non dissimulabo; sed candidè exponam tibi τὰ φρενῶν κέαται ἐν μυχῷ. Video multum operæ in eo te posuisse, ut docendi artem Grammaticam invenires commodam aliquam rationem. Non dubito, quin bono animo in eam curam incubueris. Laudo igitur cupiditatem tuam & propositum: sed doleo, te eam iniisse rationem bene de juventute merendi, quam iniisti. Nam Rami inventa, quæ tantopere ipse probas, & quibus hodie multi σεμνύνονται mihi non placere præ me semper tuli. Ut, nihil de cæteris ejus scriptis dicam; lucubrationes illius Grammaticæ cur æstimari ab eruditis mereantur, equidem caussam invenio nullam. Nova apud Ramum, & eos qui sectam illam sequuntur, rerum facies; nova artis vocabula; nova Præceptorum dispositio. Mihi tamen illorum libellos aliquando versanti, ne una quidem occurrit nova observatio, quæ rem Latinam faceret auctiorem. Quorsum igitur illa novitas tanta? Vir incomparabilis, Josephus Scaliger, solitus dicere; multos hodie de methodo linguas docendi disputando, impediri

1613. diri eo ipso, quo minus linguas discant. Quod quidem verissimum est; nam qui in ea arte rotundis mutant quadrata, multos hodie invenias; solidè eruditos, & linguarum callentes oppidò paucos. Rami verò tam insignis fuit amentia, ut etiam linguæ Græcæ, quam penitùs ignorabat, præcepta dare auderet. Ego ingenuè fateor, rem absurdam mihi semper esse visam, per definitiones & διχοτομίας artem aliquam pueros velle docere. Illa ætas definitiones non capit. Et est omnino definitio scientiarum tradendarum nobilius instrumentum, quàm ut apud pueros illo sit utendum. Tum autem illa ars exquisita mera mihi videtur esse confusio: ut cùm Prosodia inter prima præcepta traditur; & cùm alia multa incipientibus proponuntur, quæ jam provectis melius tradantur. Audio sanè periculum te artis tuæ per aliquot annos in juventute fecisse, neque operam lusisse: gaudeo ita esse; verùm hoc ego dexteritati ingenii tui, industriæ & φιλοπονίᾳ tribuo, non præstantiæ artis. Habes judicium meum; quod ne in deteriorem partem accipias, per ego te Deum immortalem etiam atque etiam rogo. Vale, Vir eruditissime. *Londini*, *propridie Kalend. April.* CIↃ IↃ CXIII.

Epistola DCCCLXXIX.

✠ JOANNI PRIDEAUX.

1613. NOn facilè verbis expressero, quàm gratæ mihi tuæ literæ fuerint, Vir doctissime. Priores in magnam me spem adduxerant de tuis inceptis; istæ posteriores me prorsus bearunt. Animadverto enim omnia in te reperiri abundè ad id quod paras necessaria; doctrinam, judicium rectum, probitatem, & supra omnia pietatem insignem pari zelo junctam. Certè non potest dignè versari in eo negotio, quod tuis jam humeris incumbit, quem non commoverit vehementius extraordinarium furoris exemplum. Te non solùm damnare factum Græculi, sed etiam indignari, atque adeò irasci nebuloni, ex tuis facilè intelligo. Itaque nullus dubito, te ἣν ἔλαχες σπάρταν κοσμήσειν. Mihi in hoc negotio nihil molestius est quàm quòd cogor περιαυτολογεῖν, à quo vitio natura mea abhorret. Scripsi non pauca: nullum puto extare in meis libellis vestigium vani τύφου. Sed me στερρὰ ἀνάγκη cogit de meis studiis quædam hîc exponere, ut veritas defendi per te queat. Quæris quos libros hactenus ediderim. Quæsiverunt hoc à me amici multi; quorum nemini, uno duntaxat excepto, morem gessi; non enim tanti mea facio. Tibi morem geram, si fortè hoc ad rem faciat, de quo tuæ prudentiæ judicium permitto. Subjeci igitur Indicem librorum, quos hactenus edidi. Verè enim affirmare possum, multesimam eam esse partem mearum ingentium vigiliarum; quum tamen totum ferè pueritiæ tempus amiserim, & magnam adolescentiæ partem. Anno ætatis nono poteram Latinè loqui, à patre optimo & doctissimo institutus. Anno duodecimo ætatis ne declinare quidem nomen meum poteram. Caussa tantæ mutationis fuit, quòd parens piæ memoriæ, Verbi divini Minister, domo abfuit integrum ferè triennium, coactus castra sequi; quoniam non sola Ecclesia, cujus ipse Pastor erat, sed omnes universæ Galliæ πανσυδεὶ in corpus unum convenerant. Integrum ferè triennium illa expeditio patrem tenuit; quum interim mater, & nos liberi, latitaremus, inter summa pericula versantes. Ubi rediit pater, novus illi labor fuit suscipiendus, non peræquè, ut antè, gratus: accedebat enim morbus ferè continuus, & occupationes plurimæ gravissimæ. Nam, quod verè affirmare possum, totius Provinciæ negotia Ecclesiastica ille maximè sustinebat; vir pietatis admirandæ, & profundæ prudentiæ. Perduxerat me labor patris ad elementa linguæ Græcæ, cùm ecce infamem illam lanienam Parisiensem, quæ æternam nostræ Galliæ ignominiam inussit. Hic ego possem de beneficiis Dei erga meos parentes, de admiranda patris mei constantia in rebus trepidis, multa narrare; sed illa melius coram, σὺν Θεῷ, brevi. Unam in Isocratis Parænesi ad Demonicum lectionem me pater docuerat, cùm fugiendum fuit. Latitarunt aliquandiu pii in ea Provincia, in quam pater se receperat: sed mox rediit virtus in præcordia, & veritatis defensio armis tentata est, Deo sic propitio, ut paucis diebus Ecclesiæ multæ resurgerent, quæ videbantur tanto casu æternùm extinctæ. Factum hoc quarto mense post lanienam in ea parte Galliæ Narbonensis, quæ Vivaretum hodie vocatur, ab urbe Episcopali *Viviers*, olim civitas Albensium. Tum verò ita publicis negotiis pater est occupatus, ut studia filii cogeretur omittere. Ea fuit altera magna clades meorum studiorum. Anno ætatis decimo nono Genevam sum missus studiorum caussâ. Eram ibi natus, quum pater & mater ex Aquitania eò confugissent, metu vicomburii propter Religionem; sed inde bimulus puer fueram in Galliam relatus. Hîc ego quantum poteram, dies noctes-

1613 noctesque vires contendens, sitim meam conatus sum explere. Itaque Dei bonitas vigiliis nostris benedixit, ut anno ætatis vigesimo quarto Francisco Porto Cretensi, Græcorum omnium nostri sæculi longè doctissimo, viro admirandæ probitatis, & pietatis singularis, in professione literarum Græcarum successerim. Vixi annos quatuordecim Genevæ Professor, primò Græcarum literarum, deinde etiam Latinarum, aliquando etiam Hebraicarum; magno Bezæ longè charissimus: quum ego illum observarem ut parentem; ille me amplecteretur ut filium. Itaque si vellem gloriari, gloriarer, tot annos fuisse me tam admirandi viri Collegam, à quo didici ταπεινὰ φρονεῖν καὶ τὸ πᾶν τῷ Θεῷ ἀνατιθέναι, si quid est quod præstitimus in literis. Cœtus universus Pastorum & Professorum Genevensium me semper, Deo sit laus, habuit charissimum, & nunc etiam habet. Ego interim Juri civili & Philosophiæ operam dabam, cupidus redeundi in Galliam. Tres annos impendi iis studiis, publicè & privatim usus Doctore Pacio; cujus Organon, & alia scripta philosophica, opinor, vidisti. Scito illum ingentem Commentarium in Organon mihi privatim & duobus amicis scriptum esse, cùm ille nos domi suæ doceret mercede ingenti: sed parens meus nulli pecuniæ parcebat, ut meis studiis consuleretur. Sub illa tempora ortum est bellum Ligæ, uti vocant. Ego parente orbatus, dejectus spe redeundi in Galliam, in languorem incidi, quo ut me liberarem, Juris studia penitus reliqui, & repentino quodam impetu omnes libros barbarorum Jurisconsultorum, quibus multùm insudaveram, mutavi libris Theologicis. Factum hoc ante annos viginti & octo; quo ex tempore nulla mihi sincera voluptas, nisi in lectione Scripturarum aut piorum Patrum, quos venerari didici usu ipso & assiduâ tractatione, quantum quidem alia studia mihi permittebant. Ita factum, ut ad certamen cum Baronio, novus ut putant Græculus θεοστυγὴς Puteanus, ὁ τῶν θείων γραμμάτων τελέως ἀμύητος, & cæteri inimici mei, imparatus non accedebam. Sunt anni decem, cùm ego veniam petii ab Henrico Magno, meo indulgentissimo Mecænate, ut liceret mihi modestè Baronii mendacia refellere. Responsum tuli ab ore sacro illo, nondum tempus advenisse. O utinam Princeps admirabilis aliam consiliorum viam iniisset! Viveret hodie terror ille Hispanici nominis, & ipsius τοῦ τρικαράνου. Advenit certè tempus, cùm ego umbrâ tectus maximi, sapientissimi, καὶ εὐσεβεστάτου nostri Regis, meas cogitationes possum in publicum promere; & pro mea virili Gigantem illum debellare. Jam paginas habeo conscriptas amplius quingentas. Et Rex moræ impatiens longioris, vult illa edi. Quod eò libentius facturus sum, quia illustrissimus vir, Dominus Archiepiscopus, magnam partem legit, & Ecclesiæ Dei opus fore non inutile, mihi affirmavit. Mirabuntur qui Baronium penè pro Deo colunt, tantum fœdissimorum errorum in ejus scriptis potuisse deprehendi. Quotquot sunt inter Pontificios boni, (sunt autem in nostra Gallia plurimi) ii mei operis editionem impatientissimè expectant. Sed de nobis nimium multa. Mitto etiam tibi librum quem petis, & alium pusillum, de quo multa garrit ὁ κακοδαίμων. Cùm huc veni, rogatus sum à Frontone benigna verba Regi serenissimo nuntiare à Societate diabolica. Noli putare tam fatuum fuisse me, ut obirem illam legationem. Nôram ἑλικτὰ πάντα, καὶ οὐδὲν ὑγιές· Et absit à me tantus furor, ut de ea Societate aliquid mihi aut aliis boni promittam. Hoc solùm feci, ut Magno Regi per occasionem exponerem quid mihi dixisset Fronto; quid ego de illo judicarem, quid de aliis. Mox affertur in Angliam impudentissima hæc Apologia; & illa acciderunt, quæ initio meæ Epistolæ narrantur. Judica nunc, Vir doctissime, an de me queri Jesuitæ possint; quibus ego discedens Lutetiâ, testatus sum, me ipsorum artes & doctrinam ex animo horrere & abominari. Ego verò lectâ illâ Apologiâ, ita sum commotus, ut vix apud me essem, quum reputarem impudentiæ hujus magnitudinem. Sed ait Græculus, me Jesuitis multum debere. Ego ut Jesuitis aliquid debeam? quos Lutetiæ semper expertus sum hostes infensissimos? qui nullum non moverunt lapidem, ut ego gratiâ Henrici Magni exciderem; qui me sæpe apud illum sunt calumniati. Sed modus esto huic Epistolæ. Tu, Vir eruditissime, calamo festinanti ignosce. Vale, & me ama. *Londini, die septimo April.* CIϽ IϽ CXIII.

Oblitus sum tibi significare, Regem mihi sæpe de tuo incepto verba fecisse, qui etiam cupit, ut unà colloquamur: sed ejus Majestati dictum est, isthic grassari morbum ἐπιδήμιον, de quo Rex quærebat ex me si quid intellexissem. Cupio igitur mihi significes, quid ejus sit. Ego tuam Epistolam, quam heri accepi, ipsius Majestati ostendam; qui sciam fore illi gratam. Domino Abboto, Doctori clarissimo, meis verbis, nisi grave est, salutem nuntiabis. Græcus

1613. cus ille, qui post me vertit Characteres, non est Fontanus, ut videor scripsisse in proximis literis; sed *Furlanus*.

EPISTOLA DCCCLXXX.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

1613. NObilissime Vir, significavi jam tibi literis non unis, omnes tuas fuisse probè curatas. Gratias etiam egi tibi, quantas poteram maximas, hoc est, quantas debeo, pro navata opera in mittendis foliis Græculi nebulonis. Noli putare, aliquid molestiæ ex illo fatuo libro me cepisse. Ego, Dei gratiâ, non ita vixi, ut bonorum offensionem metuere debeam. Illum parricidarum defensorem odi, & certo consilio depinxi suis coloribus. Non muto factum, nec erit ulla unquam dies, quo me pœniteat parricidialis doctrinæ assertorem lacerasse. Visus mihi sum levare nonnihil dolorem, quem immanis cædes mei magni Mæcenatis mihi imposuerat. Nihil dixi de Græculo, quod verissimum non sit. Faciat idem in me, & gratias habebo. Illa maledicta, quibus appetor, arrogantia, perfidia, avaritia, in me non cadunt. Si avarus fuissem, potui Lutetiæ ingenti mercede conscientiam addicere; quod ut facerem, quid relictum est intactum? Mirareris, Vir præstantissime, si omnia scires κατὰ λεπτὸν. Sed me, Dei gratiâ, nihil rei humanæ moverit, dum adspiro ad cœlestia. Quid me, dico? uxor mea omnes omnium conatus fortiter contempsit semper, & ex animo est detestata. Quod me imperitum clamitat; esto: at tantò turpius erit, ab hoc imperito tot tamque asininos Baronii errores esse confutatos. Videbis brevi, Deo dante, & fortasse miraberis stuporem hominis; neque illius solùm, sed & Bellarmini. Verùm de his aliàs, Deo volente; qui te servet, & mihi amorem tuum. Non potui ad Dominum Freherum scribere, quum vehementer optarem: & illi, & τῷ πάνυ Plessenio, & clarissimo Sculteto, si isthìc sunt, meis verbis, nisi grave, amicissimam salutem. Vale. *Londini*, *a. d.* IV. *Eid. April.* CIↃ IↃ CXIII.

Quæ tibi has reddet, veteri amicitiâ mihi & uxori conjuncta est; petoque à te, ut illam tuâ benevolentiâ digneris.

EPISTOLA DCCCLXXXI.

DANIELI HEINSIO.

Vir præstantissime,

RAptim hæc ad te scribo, ex inopinato hanc occasionem nactus. Scito igitur me valere, & eò quòd consuetudine maximi viri, Hugonis Grotii, interdum fruar, felicitatem meam satis prædicare non posse. O virum admirabilem! equidem scivi hoc etiam antè; sed præstantiam divini illius ingenii nemo satis capiet, nisi qui vultum præsentis viderit, & sermones loquentis audierit. In vultu probitas habitat; sermones doctrinæ exquisitissimæ, & pietatis sincerissimæ sunt indices. Nec putes solum me illius viri admiratione captum esse; omnes docti & pii, quibus ille innotuit, similiter sunt affecti. Rex ipse cum primis, & D. Eliensis *, de quorum judiciis plura, si jam vacaret, possem tibi narrare. Quàm sæpe autem in nostris colloquiis tui fiat mentio, ex ipso melius intelliges, quando ad vos redierit. Ille tibi significabit, quo tui videndi desiderio ipse flagrem. D. quoque Eliensis te posse aliquando in ædibus suis complecti vehementer cupit. Quod si hujus Insulæ invisendæ cupiditas te unquam invadat, debes illos menses omnino evitare, quibus urbe abest ὁ πάνυ Eliensis: sunt autem ferè hi, Julius, Augustus, September: solet ille per hoc trimestre spatium in Episcopatu suo manere; digna sanè regione, quam semel videas: ille autem dignissimus, quem docti invisant, ubicunque tandem locorum fuerit. Sed ego ægrè passurus fuero, in Anglia te esse, nec mecum tamen esse. Volui te hoc monitum, qui spem tui adventûs non semel fecisti. Vale, Vir clarissime, & me ama. *Londini*, *pridie Eid. April.* CIↃ IↃ CXIII. 1613.

* Lancellotus Andrew.

EPISTOLA DCCCLXXXII.

JOANNI PRIDEAUX.

Vir eruditissime,

POst scriptas superiores literas Regem adii, qui ut primùm me vidit, *Quid*, inquit, *de itinere tuo Oxonium statuisti? videris enim rem non multùm curare.* Respondi Majestati illius, me etsi differrem iter certis de caussis, non tamen negligere institutum negotium: posteà indicavi, quæ à te acceperam, quid de te sperarem: quæ lubentissimè ille cognovit. Incidi posteà in librum Græculi, & pauca in eo delibavi; non 1613.

enim vacabat multa percurrere. Video in principio & in fine avaritiam meam verbis extolli. Certè stultitiam hominis Rex nuper eo nomine detestabatur. *Tu*, ajebat ille, *neque in Gallia cùm eras, neque postquam venisti, à me nummum ullum unquam petiisti: qui si petiisses, ablaturus fuisti.* Sic autem habe. Avita bona vexationes propter Religionem partim patri ademerunt, partim matri piæ, quæ patri multos annos superstes fuit. Siquid è tot cladibus rei familiaris fuit reliqui, ad sublevandam meorum egestatem, quos iniquissimæ lites attriverant, concordi animo ego & uxor erogavimus. Itaque liberorum & nominum divites sumus; alias opes non habemus. Accidit enim, ita Deo permittente, ut & soror, quam unicam habeo, Genevæ * omnibus suis fortunis privaretur; & uxoris meæ frater in similem calamitatem incideret. Omitto alia conjunctarum personarum ἀτυχήματα· quibus omnibus dum cupimus prodesse ego & uxor, penè liberorum nostrorum sumus obliti. Hæc mea avaritia est. Ante annos minimùm duodecim serenissimus & εὐσεβέστατος Rex è Scotia humanissimas ad me dedit literas, & posteà literis non unis suam benevolentiam significavit. Non sum abusus benignitate maximi Regis, neque vel nummum unum ad hanc diem ab eà petii. Ultrò dedit mihi ejus Majestas stipendium, quod in patria habui, ubi sunt omnia duplo εὐωνέστερα. Sic egi & cum Rege Galliarum, à quo sciebam me amari. Sed abhorret natura mea à sordido verbo *Peto*. Stygii Jesuitæ, si iis moribus essent, non tam invidiosas gazas congessissent in omnibus Europæ angulis. Paucis annis in una Polonia quatuor millia vicorum aut pagorum obtentu pietatis sibi quæsiverunt, & mira sunt, quæ de illis possunt narrari. Perfidiam mihi objicit Alastor. Quæ perfidia? Illi me, quod in ipsis fuit, iverunt sæpe perditum; & cùm Rex suæ Bibliothecæ curam mihi demandasset, nullum lapidem non movit Satanæ cohors, ut Princeps optimus sententiam mutaret. Ego ridendo eorum conatus, & spes omnes meas semper in unius Dei præsidio ponendo, de eorum sceleribus triumphavi. Possum de molitionibus eorum clandestinis in meam perniciem μακρὰν Ἰλιάδα texere. Est quidam Belga †, vir eruditissimus, qui diu inter Jesuitas vixit, non obscurus. Is est, qui Basilium Seleucensem Latinum fecit. Hic vir, ubi notas habuit artes diabolicas Jesuitarum, à Trimalchione Romano ægrè tandem obtinuit, ut Societatem malignantium desereret. Volo te non ignorare, quæ ille ad me scripsit. Ecce igitur Epistolam illius; sed quâ nolim te uti in boni viri pernitiem. Non igitur nomine suo indicandus erit; ac ne ejusmodi quidem paraphrasi, quæ illi possit esse fraudi. Objicit mihi Alastor vitium fœdum adulationis. Fateor, laudasse me Regem; sed judicio & affectu sincero. Sic mei Deus misereatur. Scelerati homines, si unum è suis, non dicam Regibus, non dicam Principibus, aut etiam Nobilibus haberent, in quo sic pietas emineret cum doctrina conjuncta, ut eminet in maximo hoc Rege, quomodo illum jactarent? Adulari, vitium Parasitorum Papalium, qui illi persuadent, nec Deum ipsum esse, nec hominem; sed Vice-Deum, Omnipotentiæ Pontificiæ vindicem; & ejusmodi multa, non simpliciter κολακικὰ· sed detestandæ blasphemiæ plena. Et quid aliud sunt aut Baronii Annales, aut farrago Bellarminiana, nisi perpetua mendacia ad extollendum τὸν υἱὸν τῆς ἀπωλείας ὑπὲρ πᾶν σέβασμα? Objicit Epigrammata Græca in Castellum: nec miror, parricidarum Patronum versiculos in parricidam scriptos invitum legere. Ego Bezâ authore scripsi: Beza probavit: ego illius judicium insuper habere non potui. Quanquam, ubi ego mea jactavi? Ait, me peccare in metro. Asinus, nescit quid dicat. Scripsi multos versus Græcos rogatu amicorum; nego in centum meis versibus tantum usurpatum esse licentiæ, quantum usurpavit Gregorius Nazianzenus (at qui vir!) in minimo Epigrammatum, quæ leguntur inter illius opera poëtica. Negat, me aliquid Græcè scire. Fortasse non multùm scio: scio tamen, nullum hoc sæculo Græcum extitisse, cui literæ Græcæ plus debeant quàm mihi. Sed ille asinus nihil unquam meorum vidit præter Suetonium, & pauca alia. Scio etiam, me in Baronio & Bellarmino infinitos errores asininos deprehendisse, è Græcæ linguæ pudenda ignorantia ortos. Nam Hebraicam, aut alias Orientales Baronius ne attigit quidem: alter vix levissimè attigit; idque non ut fieret doctior; sed ut cum ratione insaniret; præsertim in illo putido Commentario in ψάλμους. Scito me ante annos decem in Notis ad Spartianum & alios Auctores Historiæ Augustæ, multas ineptias Baronii in Annalibus modestè reprehendisse. Quod ille adeò non neglexit, ut statim Notas extra ordinem ediderit, quibus erant insertæ emendationes omnium fermè errorum, quos notaveram. Cùm agitabatur Caussa Veneta, rogatu ejus Reipublicæ orsus sum scribere *De Libertate Ecclesiastica*;

* Vide supra, Epist. DLXXXVII. & DXCV.

† Claudius Dausquejus.

1613. *stica*; cujus libri edita sunt folia quindecim, atque horum nonnulla quum essent Romam allata, Papa per Legatum Regis Franciæ cum ipso egit, ut ego ab incœpto desisterem. Ita coactus sum opus institutum relinquere ἀτελὲς. Scribebatur enim tantâ festinatione, ut statim ederetur, ut quidque erat compositum. Græculus hoc, opinor, non ignorat. Nuncius Papæ, qui tum Lutetiæ fuit, vir eruditus & verè nobilis, legit, & modestiam meam laudavit. Deinde liber ἀτελὴς in Germania est editus iterum. Mirum verò audere Societatem execrandam vel mutire in caussa, quæ ad Reges pertinet; quum tot jam decreta Ordo amplissimus Parisiensis promulgarit, & quotidie, ubi est occasio, promulget. Atque illi non sunt Protestantes. Quid Sorbona? an hæc hæreseos est suspecta? Hanc tamen detestari illam doctrinam certum est. Puto faciendum tibi, ut hanc ἀναισχυντίαν Cerberearn acriter perimas. Poteram plura adjicere; sed vereor ne tibi prolixitas mearum sit tædio. Te rogo, si quid erit, in quo dubitabis, aut si quo libro opus habeas, qui in potestate mea sit, id ut significes, atque ego vel mittam, vel afferam, σὺν Θεῷ εἰπεῖν. Scito me inibi esse, ut finem imponerem parti jamjam edendæ operis mei, si Deus faverit. Uxor autem mea necessariis de caussis profectionem in Galliam parat; cui ego ad iter se accingenti non possum non adesse. Hæc ubi erunt expedita, & me & opus meum isthic habebis. Ita quidem constitutum mihi est: cæterùm τὸ μέλλον Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται· qui te servet, Vir doctissime. Virum clarissimum, Dominum Abbotum, meis verbis, nisi grave est, salutes velim. *Londini, Eid. April.* CIↃ IↃ CXIII.

Tui nominis studiosissimus,

IS. CASAUBONUS.

Characteres Theophrasti nuper in Gallia sunt editi, & Notæ meæ auctæ. Mitto unum exemplar.

EPISTOLA DCCCLXXXIII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

Illustrissime Vir,

1613. Soleo gratias agere Deo immortali, quod me in hac ærumnosa vita contra animi sententiam multa velit experiri. Disco enim quotidie, quod nemo unquam satis didicit, μὴ ἐμφιλοχωρεῖν τῷ νῦν αἰῶνι, & veram patriam sedulò meditari. Hunc ego maximum, imo ferè solum fructum percipio diuturnioris hujus in ἀλλοδαπῇ moræ meæ. Ubi ad cæteras molestias illa etiam accedit, quod 1613. toties cogor τὸ ἥμισυ ἡμῶν, ut est apud Platonem, à me separare. Sed ferendum est æquo animo, quod mutari non potest. Nam cur me auctore hoc iter uxor susciperet, graves caussæ fuerunt. Nunc igitur peto à te, Vir amplissime, ut cupienti illi de nostris rebus tecum communicare, aliquid tui temporis concedas, & prudentissimi tui consilii copiam facere digneris. Mandavi illi discedenti, ut ex tuis unius sermonibus penderet, & in posterum quid sit opus facto, ex uno te disceret. Sperabam futurum, ut illa tibi aliquot folia deferret operis nostri; sed id propter caussas nonnullas prælis adhuc subjici non potuit. Perveni tamen, Dei beneficio, ad ipsum ferè jam finem ejus partis, quam nunc sum editurus; quæ etsi satis erit magna, ultra vitam Domini tamen non pertinget. Visa mihi illa epocha commodissima dividendo operi, quod adversus primum Tomum paro. Inter caussas dilatæ editionis fuit absentia Bilii, quem audio jam rediisse. Itaque si faverit cœptis Deus, scito non ita multò post inchoandam operis nostri editionem. Editâ autem hac parte, quid me futurum sit, quæve studiorum meorum futura sit ratio, ὁ Θεὸς οἶδεν, ego juxta scio cum ignarissimo. Nam aut illo tempore ad vos rediturus sum; aut, ὃ μὴ γένοιτο, οὐδ' ἔσται. Me in hac deliberatione unica ferè impedit cogitatio, quod inter malevolos vix vitalis vita videatur futura. Vides quo furore illi in me insurgant. Ego tacere possum, si tu mihi silentii auctor fueris; sed non deerunt, scio, qui meam innocentiam tueantur. A viris bonis, qui primævæ Antiquitati deferunt plus quàm novitatibus insecutis, equidem nihil mihi metuo. Hæc velim à te expendi, & quid videatur, uxori indicari; nam editio ubi fuerit inchoata, brevi, ut spero, consummabitur. Nolo nescias, vidisse me hîc Hugonem Grotium, virum probitatis & doctrinæ admirandæ. Multus mihi cum eo fuit, & quotidie est sermo de tua Dignitate, teque ille, uti par est, & amat & suspicit. Scripsit Historiarum libros XXI. de Rebus gestis in patria ab annis circiter L. Pauca adhuc legi; sed quæ valde mihi sunt probata. Sunt aliæ virtutes illius, propter quas pluris etiam illum facio: nam de hodiernis contentionibus in negotio Religionis & doctè & piè judicat, & in veneratione Antiquitatis cum iis sentit, qui optimè sentiunt. Dominus Jesus hunc animum det istis φιλονείκοις, qui per vias diversas eòdem ten-

1613. tendunt, hoc est, ad novam doctrinam stabiliendam. Idem te quoque servet, Vir illustrissime, & unà tecum fœminam primariam, Dominam uxorem tuam, & quicquid vobis charum. Vale. *Londini*, *a. d.* XII. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CXIII.

Epistola DCCCLXXXIV.

PETRO PITHOEO.

1613. FAcis quod te decet, Petre Pithœe, Adolescens eruditissime, cùm illorum expetis amicitiam, quos scis vel à doctrina, vel à moribus patruis tuis viris omni laudatione majoribus fuisse probatos. Ostendis hoc ipso luculentè, quanto desiderio flagres eundi per illorum vestigia. Macte hoc animo, Pithœe, & quam videris ingressus viam constanter insiste. Spera & confide, adfuturum tuis inceptis Deum immortalem, si, quod tui patrui semper fecerunt, de genere humano, præsertim verò de literaria Republica omni studio atque operâ benè mereri contendas. Verum quidem est, in difficilia tempora adolescentiam tuam incidisse, quando neque literis, neque virtuti sua semper sunt præmia parata: sed tu illud potius cogita, virtutem & doctrinam à generosis hominibus propter spem præmii non solere expeti; verùm propter ipsas, quia sunt τῶν ἐν ἀνθρώποις τὰ κάλλιστα· τὸ δὲ καλὸν αὐτὸ καθ' αὑτὸ καλόν, quod tu non nescis. Ecquod verò tam beatum unquam sæculum fuit, quo defuerit bonis quod dolerent, & in quo facerent suæ constantiæ periculum? Nunquam ita benè cum humano genere est actum, ut instituta, quæ vulgus hominum probaret, Sapientibus probarentur. Hoc neque legimus in ulla Republica aliquando factum, neque sperare debemus aliquando futurum. Hodie vero in hoc mundi senio ire pessum omnia, mirari admodum non debemus; sed quantum in nobis est, publicam salutem & benè sentiendo & vivendo benè ire adjutum debemus. Atque hæc ego non ideò ad te scribo, quod de tua constantia in premendis patruorum tuorum vestigiis addubitem; sed quia prævideo non defuturos, qui te aliò trahere volent, non potui non hortari atque adeò rogare, ut quorum gloriam participas propter nominis & sanguinis communionem, eorum facta & egregia κατορθώματα constante animo æmuleris. τοῦ μακαρίτου * Fabri transitum ad meliora nuper veris lacrimis flevi; nunc etiam vicem tuam doleo, ejus immaturo obitu altero parente te esse orbatum, qui adolescentiam tuam 1613. præceptis saluberrimis fuit instructurus. Verùm si patruos tuos assiduè tibi, uti par est, ob oculos posueris; neque monitore, neque hortatore alio opus tibi fuerit. Oro veneror que Deum immortalem, ut te servet, te regat, & tuis studiis atque inceptis benedicat. Vale. *Londini*, *a. d.* x. *Kalend. Majas*, CIↃ IↃ CXIII.

[* *Nicolai.*]

Epistola DCCCLXXXV.

N. N. †.

[† *Fortè*, J. A. Thuano. *Cœtumiſius putat.* Paulo Petavio, *Senatori Parisiensi.*]

PUto accepisse te, quas nuper discedenti uxori tradidi: etsi nondum 1613. constat mihi, quid sit ipsa factum, postquam à me discessit. Ego fine imposito illi parti magni operis, quam sum jam, σὺν Θεῷ ἁγίῳ, publicaturus, Oxonium, dum abest uxor, cogito, mansurus ibi, volente Deo, plusculos dies. Scio cogitare illos titulis magnificis me ornare; sed mihi dum vivam, nullus unquam præter proprium nomen titulus erit. Jam olim κέκρικα. Hoc iter editionem cogit me differre. Verùm erit aliquod moræ pretium, spero; mira enim prædicantur de Bibliotheca Oxoniensi, quam homo privatus ‡ extruxit, qui in ipsum ædificium, aut libros, vel alia Academiæ ornamenta impendit vivus centum millia librarum Gallicarum; nuper autem rebus humanis renuntians, legavit Academiæ septuaginta millia librarum. Hujuscemodi μεγαλοπρεπείας καὶ μεγαλοψυχίας exempla non pauca eduntur in hoc Regno. Vale. *Londini*, *pridie Non. Maj.* CIↃ IↃ CXIII.

[‡ *Thomas Bodlaus, ob erectam illam Bibliothecam Ptolemæi Oxoniensis nomen adeptus.* Colomes.]

Nolo te nescire, plures me jam literas accepisse è Flandria, ubi τὸ ἐξωλέστατον γένος κατακυριεύει τῶν λαῶν, quibus rogor, ut pergam similia edere Epistolæ ad Frontonem. Hæc scripseram, cum tuas accepi novissimas. Græculi scriptum mihi fuisse molestum, noli putare. Me illa non tangunt. Unicâ Præfatione ⊥ omnibus satisfaciam σὺν Θεῷ. Iterum vale.

[⊥ *Præmissa Exercitationibus Baronianis. Vide suprà, Epist.* 873.]

Epistola DCCCLXXXVI.

HUGONI GROTIO.

Vir maxime,

REversus domum inveni famulum D. 1613. Decani Paulini *, qui me heri sui verbis rogavit, ut te cras manè ad prandium ducerem ad se. Quum respondissem, non posse id à me fieri, quia die crastinâ Rex esset adeundus; de proximo die voluit idem à me impetra-

[* *Joannis Overalli.*]

1613. petrare. Negavi eandem ob caussam. Ille non quievit, donec de quarta feria (diem Mercurii vocant) & tuam & meam fidem obligassem. Sumsi hoc mihi jure nostræ amicitiæ, ut etiam pro te sponderem. Spero, te quod actum est, ratum habiturum. Sin aliter videatur, fac me ut sciam. Vale, Vir amicissime.

EPISTOLA DCCCLXXXVII.

EIDEM.

Vir amplissime,

1613. QUod oblitus sum tibi dicere, cùm apud te fui, brevi hoc pittacio tibi significabo. ὁ πάνυ Eliensis * heri quæsivit à me, quando te esset visurus. Dixi, te vel Mercurii, vel Jovis die ad illum cogitare. Petiit ille tum à me, ubi tu hospitium haberes. Cùm in eo essem, ut tuum ipsi diversorium indicarem, & de die certi aliquid constituerem, ecce Regem, qui suo interventu colloquium nostrum abrupit. Quare nihil certi constitutum. Sed fieri potest, ut D. Episcopus ad te mittat. Volui igitur nescius ne esses quid egissemus. Tu condictæ diei apud D. Decanum memineris. Vale, καὶ εὐημερῶν διατέλει. Dominus Jesus annos tuos multiplicet. De carmine iterum te appello; semel enim frontem perfricui; sed eâ lege, ut meas lucubratiunculas prius inspicias diligentius, quàm scriptioni te accingas. Atque utinam maximi Heinsii Græcos versus mihi exprimere queas! Tu igitur operi meo apud illum præbere testimonium debebis, domum reversus. Vestris duorum testimoniis nullum aliud adjicietur.

* *Lancelottus Andrews.*

EPISTOLA DCCCLXXXVIII.

EIDEM.

Vir amplissime,

1613. CUm heri in te incidi, veniebam ab Aula; ubi Regem conveneram; sed occupatiorem, & qui serio quodam sermone me detinuit, quamdiu cum ipsius Majestate fui. Ita factum ut non potuerim, quod maximè optabam, tui mentionem facere. Sed egi apud D. Episcopum Bathoniensem †, qui à Regis latere non discedit, ut Regi significaret, quod ipse volui illi indicare. Hodie redeundi in Aulam vix erit mihi facultas. Cras, Deo dante, iturus sum, nisi intellexero D. Bathoniensem præstitisse, quod recepit facturum. Vale, Vir amplissime. Cùm eris expeditus ab aliis curis, nihil mihi gratius tuo colloquio; atque ego ad te non raro 1613. itabo σὺν τῷ Θεῷ· qui te servet. πάλιν αὖ καὶ πάλιν ἔρρωσο. D. Eliensis ægrotabat heri, nec fuit in Aula.

† *Jacobum Montacutum.*

EPISTOLA DCCCLXXXIX.

EIDEM.

Vir præstantissime,

QUod non possum coram & στόμα 1613. πρὸς στόμα, id facio absens per literas, ut tecum sermones feram. Valde autem dolemus & nobilissimus Savilius & ego, non licuisse tibi per tua negotia hoc iter unà nobiscum conficere. Equidem si potuissem illud differre, non carerem nunc facultate confabulandi tecum; quo nihil mihi jucundius in vita memini contigisse. Sed ea est conditio τῶν ἀνθρωπίνων ἡδέων, ut semper aliquid aloës habeant admixtum; neque sint πλέως γλυκέα, sed ὄντως γλυκύπικρα. Sæpissimè hoc sum anteà expertus; sed nunquam illustrius quàm hoc tempore. Nam quum justas lætitiæ caussas habeam, quòd nobilissimâ fruar Bibliothecâ; quòd tamen eam ob caussam te mihi carendum est & suavissimâ tuâ consuetudine, vix mihi jam grata sunt, quæ, absque eo fuisset, gratissima erant futura. Dabo operam, σὺν τῷ ἁγίῳ Θεῷ, ut accelerem reditum tuâ unius gratiâ. Verùm de meis rebus certiora narrabo proximis literis, volente facienteque Deo; qui te servet, Vir maxime, & tuos omnes Collegas, nominatim Dominum cognatum, vel affinem tuum. Vale. *Oxonii, a. d.* VII. *Eid. Maj.* CIↃ IↃ CXIII.

Dominus Savilius te amantissimè salutat; valde irascens tuis negotiis, quæ te isthîc detinuerunt.

EPISTOLA DCCCXC.

EIDEM.

NOn possum verbis exprimere, quàm 1613. variè sim affectus lectione tuarum literarum, quas accepi binas eodem tempore. Priores dolorem mihi μανικὸν ὄντως attulerunt, quòd de viro summo, quem scis à me summopere coli, omnia δυσχερῆ καὶ ἀπότομα narrarent. Is vir τ' ἄλλα admirandus quantum possit πρὸς τ̃ מלך, ne tu quidem nescis. Itaque metui statim, ne moderatissimum consilium, quod non ita pridem vobis datum fuerat, non σοφωτέραις, ἀλλὰ ταραχωδεστέραις δευτέραις φροντίσι corrumperetur. Ego autem ingenia turbonum, quibus cum res vobis est, nôsse mihi videor; neque dubito, si tanto præsidio sufful-

 cian-

1613. cantur, nihil remissuros quo minus isthic omnia perturbent ac susdeque misceant. Hæc cogitanti mihi & serio ingemiscenti Ecclesiæ malis, allata est tua posterior, ne ipsa quidem satis læta: (nam spes mihi adimitur ea Epistolâ tui inveniendi Londini, cùm illuc rediero) eo tamen gratior, quia spem aliquam saltem superesse nuntiabas. Utinam ita sit, & benedicat bonus Jesus eorum laboribus, qui paci Ecclesiarum cupiunt ire consultum. Tu, Vir maxime, in promovendo illo negotio multum potes: noli animum despondere, quæcunque tandem sese offerant difficultates. Parum est quod aperti Dei hostes, ministri Antichristi, pio proposito sese opponunt, πάσῃ σπουδῇ ὁμόσε χωροῦντες τῇ ἀληθείᾳ. Illud genus adversariorum molestius est, quod domi nascitur, & ipsa penetralia Reformatarum Ecclesiarum invadit. Sed etiam adversus hunc πειρασμὸν confirmatos esse oportet eos, qui malis Ecclesiæ pro sua virili cupiunt medicinam facere. Ego reditum cogito Londinum, ubi tuas exspectabo, si fortè illæ daturæ mihi sunt aliquam occasionem publicæ utilitati inserviendi. Deum supplex veneror, ut te servet, Vir maxime, quem ego, dum vivam, summâ observantiâ semper sum culturus: ita me ceperunt pietas, probitas, & admiranda tua doctrina. *Oxoniæ, a. d.* XVII. *Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CXIII.

Epistola DCCCXCI.

DANIELI HEINSIO.

1613. PRæter exspectationem meam accidit, ut ὁ θαυμάσιος Grotius sine meis ad vos rediret. Sperabam me hoc itinere Oxonium instituto prius Londinum reversurum, quam ille negotia publica, quorum caussâ ad serenissimum Regem missus fuerat, ad exitum perduceret. Miratus itaque sum, cùm literas illius acciperem, paucis post meum ab urbe discessum diebus scriptas, quibus in procinctu se esse significabat, biduo post discessurum. Ita factum, ut sine meis ille ad vos rediret. Puto autem te accepisse, quas scripsi ad te non ita multis diebus antè quàm Londino discederem. Accepi posteà duas tuas Orationes sacras *; quas statim cùm legissem, cupidus tamen easdem sæpius legendi, in hoc itinere solas illas cum Peplo † tuo, & uno aut altero libro mecum attuli. Utinam plura scribas in eo genere! Quod hodie pauci faciunt, ad veram pietatem, & eam, quæ devotio dicitur, omnia tu piè & prudenter refers. At nostrorum σοφῶν quotus quisque hodie de his seriò cogitat, ut melior evadat? Omnes disputando, pauci benè vivendo, vincere adversarios studemus. * * *. De Peplo verò tuo quid dicam? Admiror τὸ γνήσιον τοῦ ἑλληνισμοῦ, quem hodie in paucis observo. Tibi vero lingua Græca magis quàm Belgica videtur esse vernacula. Tuum igitur est de nostris scriptis pronuntiare, non illius ἀλιτηρίου Græculi Cretensis ‡, qui negat *me vel prima elementa doctum.* Opus quod, volente Deo, jamjam sum editurus, inimicos meos adiget ad laqueum. Certè hoc spero me assecuturum, ut ipsi, si quid est in eis candoris, laqueis dignissimos se esse pronuntient. Impii homines, quos non pudet, cùm adversus me scribunt, suspicionem injicere, quasi parens meus suspendio vitam finierit. Equidem nesciebam quò spectaret in illorum scriptis illa crebra laquei aut restis mentio; sed docuit me Swertius *, vir optimus, τῇ ἀγχόνῃ Bonarscium hanc fabulam excogitasse, & sic multis persuadere. Deum immortalem! quæ est hæc plus quàm diabolica rabies! Parens meus † Diæ Vocontiorum fato functus est. Kalendis Januariis ante annos viginti & septem in morbum incidit. Kalendis Februariis beatam animam Deo reddidit. Elatus est humeris honestissimorum ejus urbis civium. Deduxerunt funus omnes ferè Nobiles Religionis nostræ, qui tunc ad comitia in eam urbem convenerant. Decem millia hominum ἀξιοπίστων in testimonium possum advocare. Quis igitur inauditam istorum canum Cerbereorum rabiem non miretur? In Præfatione operis mei ‡, si volet ὁ μέγας Θεὸς, respondebo istis parricidis, sed paucis; non enim irâ meâ digni sunt. Sed moror te. Vale, Vir præstantissime, καὶ ἐρρωμένος διατέλει. *Oxoniæ, a. d.* XVI. *Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CXIII.

* *In Natalem, & Passionem Domini.*

† *Græcorum Epigrammatum.*

‡ *Andrea Eudæmon-Joannis.*

* *Vide supra. Epist. DCCCLXXV.*

† *Arnaldus Casaubonus, apud Dienses Verbi Divini Minister. Colomes.*

‡ *Adversus Baronium.*

Epistola DCCCXCII.

JOANNI MEURSIO.

UNus jam aut etiam alter mensis 1613. præteriit, Meursi doctissime, cùm redditæ mihi sunt tuæ unà cum Hesychio illustri, & eruditissimis tuis Notis. Doleo, nihil jam habere me, quo misso paria tecum facere queam. Sed me ita occupat susceptum opus adversus Baronium, ut aliud nihil jam cogitem. Interim gratias ago tibi quantas possum maximas. Video, te in Historia, & omnis generis monumentis posterioris Græciæ mirum in modum esse versatum;

1613. tum; quæ pars eruditionis cùm à paucis adhuc sit culta, benè procul dubio de literis mereris, quando ea profers in lucem, quæ etiam doctissimi viri prius ignorabant. Exspecto tuas in Curopalatam Observationes, quarum aliquando spem fecisti. Faxit Deus immortalis, ut quæ hactenus premis, omnia publicandi facultas tibi contingat. Eâdem operâ & Rempublicam literariam, & gloriam tuam auxeris. Γένοιτο, γένοιτο. Scripsi raptim. *Oxoniæ*, *a. d.* XVI. *Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CXIII.

Epistola DCCCXCIII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

Nobilissime vir,

1613. PAucis diebus priusquam Londino proficiscerer, tuas accepi, & quicquid supererat de libro Græculi, qui sceleratus etsi μαίνεται οὐκέτ' ἀνεκτῶς, parum tamen me movet; animadverti enim è paucis paginis, quas inspexi, θεογονῇ Cretensem nihil pensi habere, quid dicat, imò quid comminiscatur, modò aliquid Satanæ instinctu comminiscatur. Itaque simul librum abjeci, & curam omnem respondendi. Opus enim dies noctesque urgeo, quod, favente Deo immortali, instar apologiæ adversus omnes omnium canum latratus est futurum. Eâ potissimùm fine Oxonium veni, ut in hac instructissima Bibliotheca libros quosdam percurrerem, qui Londini mihi non sunt inventi. Hic inter alios pietate doctrinâque insignes viros amicum reperi * antè mihi ignotum, qui magnâ alacritate respondere τῷ καταράτῳ Græculo instituit. Ille me admonuit, ter in illo brevi libello objici mihi patris mei suspendium. Obstupui ad hanc inauditam malignitatem. Nam vel ex hoc uno certò mihi constat, Diabolum esse τὸν πατέρα τοῦ ψεύδους, qui eas nænias Græculo dictitavit. Pater meus ante annos viginti & septem, & quod excurrit, Diæ Vocontiorum in Delphinatu ipsis Kalendis Januariis in morbum incidit. Habuerat eâ die concionem ad Nobilitatem in ea urbe comitia agentem, in qua vir pius & sanctus, αὐτὸς αὐτοῦ κρείττων γενόμενος, zeli incomparabilis specimen ediderat. Itaque totus sudore madens è suggestu descendit: mox illum febris occupat; quæ lenta erat, nec vehemens; sed continua. Mensem integrum ægrotavit. Kalendis Februariis animam Deo Creatori placidè reddidit. Elatus est humeris honestissimorum civium. Deduxerunt funus cives omnes, & Gallicæ Nobilitatis ejus Provinciæ pars maxima. Ingemuit morti illius tota Provincia; neque hoc nesciunt Jesuitæ, qui Turnoni habitant, aut in aliis vicinis oppidis. Quis igitur negabit, Jesuitam impurum †, qui id mendacium excogitavit, omnes impudentiæ lineas esse supergressum? Sed facit, quod Jesuitam decet, quod parricidialis doctrinæ defensorem, quod Hæreticum perditissimum. Ego, dum vivam, dabo operam, ut omnes inimici Dei, id est, omnes Jesuitæ me odio habeant. Non enim melius probavero me piis & bonis omnibus, quàm si illa Satanæ progenies me oderit quàm vehementissimè. Equidem in hac illustrissima Academia tantam omnium doctorum benevolentiam sum expertus, tantaque illorum fuit contentio, quo me cunctis honoribus ab Academia deferri solitis honestarent, nunquam ut par sim futurus meritis eorum erga me celebrandis. Titulos tamen omnes respui ‡, benevolentiâ tantorum virorum contentus; neque dicere ætatem meam ratus, ut cupiditati ipsorum morem gererem. Sed moror te. Vale, Vir præstantissime, & me semper ama. *Oxonii*, *a. d.* X. *Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CXIII.

Peto à te, ut verbis meis amplissimos viros, Plessenium & Freherum, ne graveris salutare.

* Joannem Prideaux, Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctorem, & Collegii Exoniensis Rectorem.

† Cardinalem Scribanium. Vide Epist. 891.

‡ Vide suprà, Epist. 885.

Epistola DCCCXCIV.

GEVERHARTO ELMENHORSTIO.

GRatum mihi fuit, quod longo adeò intervallo redusti ad inchoatam olim mutuarum literarum scriptionem. 1613.
Ego etsi occupatissimus vivo, non patiar tamen, Θεοῦ διδόντος, ut meum in hac parte officium possis desiderare. Accepi etiam quos misisti libros, pro quibus ago tibi gratias maximas. Tradidi affini tuo, qui tuas mihi reddidit, ἀντίδωρον levidense, Epistolas duas ‡, quas hic & scripsi & publicavi. Nunc scito in examinandis Baronii Annalibus totum esse me. Nam Romanenses id agunt, ut pro omnibus Ecclesiasticarum rerum Scriptoribus unum imperitis obtrudant Baronium; cui ego etsi suam laudem non cupio ire ademptum, verè tamen affirmare posse videor, in tanta mole scriptionis non pauciora esse λυγρὰ quàm ἐσθλά. Atqui illa hodie jubentur credi. Nos igitur fraudem hanc seriò castigare instituimus, cum bono Deo. Jam operis pars est absoluta, & prælo subjecta. Postquam illa edi-

‡ Alteram ad Frontonem Ducæum, alteram ad Cardinalem Perronium.

1613. editio fuerit ad umbilicum perducta, sustinebo paullisper, & judicia hominum præstolabor. Interim non desinit Satan per suos ministros, maximè autem per Jesuitas, me lacessere, & plaustra convitiorum in me congerere. Omnium verò hostium meorum truculentissimus & furiosissimus est Andreas Eudæmon, Græculus, Cretensis, Jesuita. Huic quia fingere ausus, parentem meum τὴν μακαρίτην laqueo vitam finiisse, paucis paginis respondi. Si absoluta fuisset illius libelli editio, misissem ad te. Cupio enim omnes bonos querelæ meæ notitiam habere. Brevi mittam, spero, tabellarii opportunitatem nactus. Vale, & me ama. *Londini*, *pridie Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CXIII.

De Scioppio bene mones. Scito opera illius nonnulla non solùm hìc jussu sapientissimi Regis, sed etiam Lutetiæ eodem annitente publicè cremata esse manu carnificis. Ego adversus illam belluam scripsi Epistolam, quam mittam, si potero.

Epistola DCCCXCV.

JOANNI MEURSIO.

1613. Attulit mihi Bedwellus noster, Vir clarissime, literas tuas, quæ non mediocri voluptate me affecerunt. Video enim te constanter id agere, ut de Republica literaria quotidie benè merearis. Macte hoc proposito! Etiamsi minus posses, tamen hæc voluntas tua summopere mihi videretur prædicanda: sed tu, doctissime Meursi, & facultatem habes, non solam voluntatem. Quantum tibi debeant studiosi literarum propter Scriptores Græcos, à te jam publicatos, non omnes fortasse intelligunt. Nos, qui intelligimus, profitemur multum studia nostra tibi debere, & tuas laudes apud omnes libentissimè prædicamus. Scripta tua, quorum spem facis, eò avidius exspecto, quia de præstantissimo Francisco Junio planè idem tecum sentio. Ignoscamus verò * τῷ μακαρίτῃ, qui facilè ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τὸν δ᾽ ἀπωθεῖται ψόγον. Quotidie addisco, hominem esse τὸ μηδέν· & quotidie ad veram ταπεινοφροσύνην me componere laboro. Opus, quod jam præ manibus habeo, fallor, aut bonis & verè piis erit longè gratissimum. Plura de eo scriberem, si vacaret. Nunc raptim hæc exaravi, & in summa festinatione. Deus Opt. Max. te servet. Vale. *Londini*, *a. d.* IV. *Non. Jun.* CIↃ IↃ CXIII.

* *Notatur hic à Casaubono Francisci Junii Curopalates, sub nomine Hebraeo Nadabi Agmonii in lucem emissus.* Colomes.

Epistola DCCCXCVI.

JOANNI PRIDEAUX. ✠

Vir doctissime,

Quia nondum mihi constat an ad pensum redieris ex itinere suscepto cùm isthìc eram; propterea nihil ad te dare literarum constitueram. Scribam verò, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, ubi otium fuero nactus, literas uberiores. Faxo ut intelligas quanta sit Cretensis Hæretici immanitas, cùm illa de parente meo sceleratè fingit, quæ ipse mihi indicasti. Nam antequam te convenirem, nihil ejus scivi. Peterem à te, ut in proposito pergeres, nisi scirem non esse opus σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνειν. Quæsivit à me serenissimus Rex, simul ac me vidit, quando opus proditurum esset. Respondi partem illius me vidisse, quod non dubitarem Majestati ejus fore gratum. Interim narravi ipsi itemque Domino Archiepiscopo, quàm comiter & tu, & Dominus frater tuus me excepissetis. Mallem verò existere aliquam occasionem rebus ipsis comprobandi quantum me utrique vestrûm debere sentiam. Sed de his aliàs. Vale, Vir eruditissime & amicissime. *Londini*, *a. d.* IV. *Non. Jun.* CIↃ IↃ CXIII. 1613.

Tuus ex animo,

IS. CASAUBONUS.

Epistola DCCCXCVII.

HUGONI GROTIO.

Vir maxime,

Hæccine data fides? Mensem jam abes; & nihil à te accipio. Me 1613.
cùm dico, intelligo non simplicem amicum tuum, sed Ministrum serenissimi Regis; cui promisisti te literas ad me daturum. Scito optimum Regem, tui promissi memorem, subinde me appellare. Seriò dico, tuum officium jam Rex desiderat, & an exciderit tibi data fides, addubitat. Tertius dies est, cùm colloquium vestrum mihi ejus Majestas exposuit. Animadverti mirè eum tuis sermonibus delectatum. Habeo ῥητὰ mandata, quæ tibi non prius exponam, quàm tu mihi indicaveris, cui me velis meas dare. Oxonio postremas acceptas scripsi ad te, & fasciculum misi, in quo erant literæ ad τοὺς πάνυ Heinsium, & Baudium, & Meursium. Tradendum curavi fasciculum Legato illustrissimorum Ordinum. An acceperis, scire cupio. Narro tibi: Oxonii didici, quod prius ignoravi; patrem meum laqueo

1613. laqueo periisse. Vix urbem eram ingressus, cùm ille vir doctus *, cui mandatæ sunt partes respondendi scelesto Græculo, me adiit, petiitque quid ad hanc objectionem responderet. Ter hoc affirmare Græculum Cretensem.

* Joannes Prideaux.

Obstupui, steteruntque comæ, vox faucibus hæsit.

Statim domum reversus dum ad editionem operis principium paro, nactus occasionem commodæ digressionis, respondi illi Satanæ. Mitto ad te illam partem, ut, si placet, cum amicis illam communices. Impius enim sim, si parenti factam injuriam dissimularem. Ego verò ut furori inimicorum meorum obviam eam, constitui, σὺν θεῷ, de patris mei vita & obitu brevem narrationem edere, quam spero fore bonis gratam: magna enim exstiterunt Dei immortalis in illum beneficia. Sed de his aliàs. Tuas exspecto, imò, ut jam dixi, Rex exspectat cupidissimè. Vale, & me ama. *Londini*, *Eidib. Jun.* CIↃ IↃ CXIII.

Viros clarissimos & amicos, ad quos nuper scripsi, nisi grave est, meis verbis salutes velim.

EPISTOLA DCCCXCVIII.

THOMÆ ERPENIO.

Vir doctissime,

1613. SUnt jam aliquot menses, ex quo parens tuus, vir honoratissimus, mihi tuas reddidit; quibus prius respondissem, nisi tua illa Epistola me suspensum habuisset propter exspectationem aliarum literarum, quas te brevi missurum significabas. Exspectavi igitur illas, ut de eadem, quod ajunt, fidelia duos parietes dealbarem. Vidi hîc Lexicon Raphelengii, cum tuis Notis. Benè operam posuisti, & quid in eo genere eruditionis posses, luculentè ostendisti: sed Grammaticam & Proverbia quando audiemus edita? Ego nullum adhuc exemplar illius Lexici potui hîc nancisci. Duo tantùm hactenus vidi exemplaria, unum in manibus Eliensis, alterum Oxonii apud Professorem Hebræum. Cupio illa studia ex intervallo revisere, & quidem seriò, volente Deo. Quò impensius à te peto, ut in illustranda ea lingua animosè pergas, & mecum tuas lucubrationes communices. Vale. Scripsi raptim. *Londini*, *Eid. Jun.* CIↃ IↃ CXIII.

EPISTOLA DCCCXCIX.

N N.

SCripsi ante mensem ad te, Oxonium 1613. proficiscens, ut nobilem illam Academiam inviserem, & Bibliothecam, de qua multa audiveram. Inveni omnia exspectatione meâ majora. Collegia & plurima, & pleraque eorum longè ditissima. Studiosorum, qui publico sumptu aluntur, hoc est, è reditibus ipsorum Collegiorum, magnam copiam; nam superant duo millia, plerique omnes honesto loco nati, quidam è Nobilitate etiam primaria; abest enim è Collegiis Anglorum illa, quam vocant nostri pædagogicam vitæ rationem. Hic literæ coluntur nobiliter, capita Collegiorum instar nobilium virorum splendidè vivunt, imò magnificè. Sunt inter illos, qui decem millia librarum Gallicarum in annum expendant. Res studiosorum & rationes separatæ sunt; quod valde probavi. Reperiuntur quotidie, qui priorum magnificentiam imitentur. Itaque nova opera quotidie surgunt: quædam Collegia à fundamentis nova exstruuntur; quædam augentur novis ædificiis; ut Mertonense, cui præest Savilius, & alia plura. Unum ibi est à Cardinale Volsæo institutum, quod si ad finem perductum esset, prorsus erat futurum admiratione summâ dignum. Sed ille vir morte suâ multa à se inchoata ædificia destituit imperfecta, nunquam, ut omnes putant, perficienda. Sed me non adeò Collegia capiebant, ut Bodlæana Bibliotheca; opus vel Rege dignum, nedum privato. Constat Bodlæum ducenta millia librarum Gallicarum aut vivum, aut morientem contulisse ad ornatum illius Bibliothecæ. Locus est elegantissimus, quod figuram literæ T exprimit. Partem, quæ stipitem erectum exprimit, olim Princeps aliquis è saxo ædificaverat, opere satis magnifico; alteram partem Bodlæus adjecit magnificentiâ parem priori. Inferior pars auditorium est Theologicum, cui haud scio an sit aliquod comparandum in Europa. Opus est fornicatum; sed singulari artificio confectum. Superior pars est ipsa Bibliotheca valde affabrè facta, & ingenti librorum copiâ referta. Noli cogitare similem hîc reperiri librorum MSS. copiam, atque est in Regia: sunt sanè & in Anglia MSS. non pauci; sed nihil ad Regias opes. At librorum editorum admirandus est numerus, & qui incrementum quotannis est accepturus: reliquit enim Bodlæus annuos reditus

1613 sanè luculentos in eam rem. Quamdiu Oxonii fui, totos dies in Bibliotheca posui; nam libri efferri non possunt; patet verò Bibliotheca omnibus studiosis per horas septem aut octo quotidie. Videres igitur multos semper studiosos paratis illis dapibus cupidè fruentes; quod me non parum delectabat. Expertus sum doctorum omnium summum erga me studium. Omnes πιθανάγκαι sunt ab iis adhibitæ, ut me summis honoribus insignirent. Ego constanter titulos omnes repudiavi. Est Oxonii quidam vir eruditissimus *, qui jussu Regis & D. Archiepiscopi parat Responsum ad librum Græculi Cretensis adversus me. Ille me statim adiit, ut sciret ex me, an pater meus fuerit suspensus; hoc enim Jesuitam impudentissimum ter affirmare. Obstupui ad novitatem hujus calumniæ; nam quæ hæc est plus quàm Turcica rabies, viri probi manes sollicitare annis ipsis viginti & octo post ipsius obitum? Cogito hanc calumniam brevissimo scripto refutare, in quo si justæ iræ habenas laxavero, spero omnes bonos veniam mihi daturos. Mihi pater tot exquisitæ virtutis exempla reliquit, ut tantam scelestissimorum hominum audaciam coërcere omnino debeam. Heri ostendit mihi Rex Indicem Expurgatorium Hispaniæ ipsi missum, in quo furorem suum impudenter exercuerunt Patres in Scaligeri scripta & mea. Jam intelligo meram esse insaniam sperare, posse aliquid profici moderatione. Hæc gens impia bellum ἄσπονδον juravit adversus veritatem. Itaque jam me ferè pœnitet, quòd Baronium clementius tractaverim: ἥλῳ τὸν ἧλον, πατταλῳ τὸν πάτταλον. Sed de his aliàs, Deo volente; quem supplex veneror, ut te servet incolumem. Vale, Vir amplissime. *Londini*, *a. d.* XVI. *Kalend. Jul.* CIↃ IↃ CXIII.

* Joannes Prideaux.

EPISTOLA DCCCC.

JOANNI PRIDEAUX.

Vir doctissime,

1613. RESpondissem ad tuas citius, nisi consulto consilio distulissem, ut eàdem operà Jacobum nostrum tibi commendarem. Quanquam non nescio, vix illi commendatione meâ esse opus apud te, cujus propensum erga se animum rebus ipsis toties est expertus. Peto nihilominus tamen à tua humanitate, ut vel meo nomine priori benevolentiæ aliquem adjicias cumulum. Jam tum, quando primùm apud te mihi contigit ipsum alloqui, ex paucis verbis cognovi, quantum ipse usum in illa Thalmudica doctrina haberet. Sed 1613. multò magis id sum expertus, quoties mihi per gravissimas occupationes meas licuit cum ipso de illa studiorum meorum parte conferre. Atque utinam ejus operâ diutius uti potuissem! Sed me nunc editio mei operis totum occupat. Itaque libellum institutum de venerandi Parentis mei vita & obitu in aliud tempus rejeci; contentus uberiore digressione, cujus opportuna mihi dabatur occasio, Satanicum mendacium refutasse. Ea digressio in operis mei pagina opinor 35. locum habebit; estque plurium paginarum. Edetur & seorsim, ut tibi possit communicari, & ad nundinas mitti. Noli dubitare, totum illud agmen Satanæ hac scriptione aculeatâ irritatum, in me involaturum. Sed stat à me Deus. Quid igitur metuam? qui præsertim sciam, quâ ipse alacritate ad veritatis defensionem te accinxeris. Redeo ad nostrum Rabbinum; quem seriò fieri Christianum, serenissimus Rex & illustrissimus Archiepiscopus vehementer optant. Ego illi auctor fui, ut curaret se in negotio Religionis ante baptismum diligenter instituendum. Præstat paulò serius, modò firmius. Video ipsum in Thalmudica doctrina mirè versatum, multis tentari dubitationibus; quas evelli ex ipsius animo pretium fuerit operæ. Accedit quòd memoria parentum, quos habet sui amantissimos, & divites, reflectere oculos ipsum aliquando cogat. Hoc ego non semel animadverti, qui tamen videor posse affirmare, ipsum voluntate jam Christianum esse. Opto ipsum Oxonii manere; persuasus posse olim ejus operam illustrissimæ Academiæ vestræ decus aliquod afferre. Iterum igitur atque iterum te oro, ut pro tua pietate negotium hoc tuâ curâ indignum ne existimes. Ego interim Deum orabo, ut te servet, & unà tecum Dominum Prais, virum eruditissimum, & nobis amicissimum. *Londini*, *a. d.* IX. *Kalend. Jul.* CIↃ IↃ CXIII.

Tuus ex animo,

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA DCCCCI.

EIDEM.

Vir doctissime,

NUper ad te scripsi per nostrum Judæum; nunc ad vos amico huic meo & συστατικὰ petenti, pauca hæc raptim exarata dedi, ut me scires tui semper memorem. Opto omnia tibi læta & πᾶσαν ῥᾳστώνην, ut opus institutum perficias. 1613.

1613. ficias. Nos pergimus in editione operis nostri. Digressio contra Græculum pridem est edita: sed brevi separatim edetur in parva forma, & statim tibi mittetur. Vale, Vir charissime, & communes amicos meo nomine saluta; nominatim Dominum Doctorem Abbotum, cujus literas ante triduum accepi. Saluta & Dominum Prais, tuum contubernalem, nobis amicissimum. Binas à nostro Jacobo accepi, quibus non possum respondere; mox facturus, favente Deo; qui te servet, Vir doctissime. *Londini, a. d.* III. *Non. Jul.* CIↃ IↃ CXIII.

EPISTOLA DCCCCII.

DANIELI HEINSIO.

Vir clarissime,

1613. NOn patitur rerum mearum status, ut multis te morer; nam & curis molestissimis & negotiis diversissimi generis obruebar, cùm hæc ad te exarabam. Sed veterem amicum, virum probum, doctum, & apud Rupellenses Græcarum literarum Professorem, sine meis ad te venire nolui. Ille tibi de nostro statu plura narrabit; si tu, uti spero, ad tuam amicitiam aditum ipsi patefeceris. Puto esse isthîc Isaacum Chabanæum, sororis meæ filium, juvenem propter singularem suam pietatem & probitatem mihi charissimum. Scripsi illi, ut te inviseret, quem velim ut alterum me amplectaris. Ille de meis rebus omnia tibi exponet; quas quidem ipse melius quàm ego notas habet. Vale, Vir clarissime, & me ama. Si ad τ̀ πάνυ Grotium scripseris, rogo te significes ipsi, me Regis nomine ad ipsum scripsisse; sed literas post unum alterumve diem Legato Illustrissimorum Ordinum sum daturus, σὺν Θεῷ· qui te servet. *Londini, a. d.* IV. *Eid. Jul.* CIↃ IↃ CXIII.

EPISTOLA DCCCCIII.

✠ JOANNI PRIDEAUX.

Vir doctissime,

1613. NIhil erat, quod ad te scriberem: sed quum literas isthuc exararem ad clarissimum virum, Dominum Abbotum, non potui facere, quin de eodem oleo paucis te compellarem. Utinam propius abessem! non literis tecum agerem, sed assiduus congerro tuus essem. Ita me nuper cepisti, cùm isthîc te primum vidi; multò magis, quum te loquentem audivi. Erant enim omnes tui sermones doctrinæ & humanitatis notis, tanquam sesamo & papavere conspersi. Quod scripsi nuper, digressiunculam 1613.
meam mox ad te me missurum; fortasse tarditatem meam accusabis, aut memoriam culpabis. Noli facere; & scito me propter diuturniorem uxoris meæ moram in Galliis, necdum ausum esse oculis hominum exponere aculeatam illam scriptiunculam; quæ tamen in ipso opere dudum est edita. Veritus enim sum, ne irritati crabrones molestiam aliquam ipsi exhiberent. Interim quotidie promovetur operis editio, & Dei gratiâ jam pars non pœnitenda est edita. Vale, Vir doctissime, & me semper ama. *Londini, a. d.* XIV. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CXIII.

Tuus ex animo,

IS. CASAUBONUS.

Viros clarissimos, quos scis me isthic amare, nisi grave est, meis verbis salutabis; nominatim Dominum Decanum, & lectissimam ipsius uxorem; necnon Dominum Prais, cui ob novi honoris accessionem ex animo gratulor. Judæum tibi commendo.

EPISTOLA DCCCCIV.

LAURENTIO BOCHELLO.

MIraris credo, Vir doctissime, quòd 1613.
responsum ad literas tuas differo tamdiu; fortasse etiam, ut fit, silentium meum in deteriorem partem interpretaris. Noli, obsecro; & veram cessationis meæ caussam accipe. Statim ut tuas legi, constitui faciendum, ut priusquam tibi respondeam, tuum consilium serenissimo Regi significem; non enim posse me certi aliquid de re tanta tibi scribere, priusquam illud oraculum consuluerim, facilè vel silente me ipse intelligis. Sperabam Regem, è cujus Aula pridiè tantùm eram reversus, vel in urbem brevi rediturum, vel in unum aliquod ex illis prætoriis suis, quæ habet ad urbem plura. Erat igitur mihi animus, ob id ipsum ejus Majestatem convenire, & tuam illi mentem rationesque consilii tui indicare. Sed spe meâ falsus sum, & Rex illa ipsa ex arce, in qua tum fuit, cùm ego illum conveni, ad illud iter se accinxit, quod vulgò vocant Progressum Regis. Est vetus institutum hujus Regni, ut quotannis Rex æstate exeunte aliquam partem è remotioribus Regni sui locis invisat; qui mos religiosissimè ab hoc Principe servatur. Hæc caussa est, cur ego neque Regiam Majestatem convenerim, neque tuis respondere hactenus potuerim. Magnâ verò sum percussus admiratione, cùm tuas legerem. Nam vi-

1613. video tibi, Vir optime & doctissime, ea contigisse, quæ satis arguant, quantas in patria nostra vires jam habeant οἱ θεοσυγεῖς πατραλοίαι. O tempora! ô mores! Quod autem vir amplissimus, & omni laude dignissimus, Ludovicus Servinus, non potest ab injuria te sartum tectum præstare, tam novum id mihi accidit, ut nihil posset magis. Nam quæ bonis spes restat, si vir eâ dignitate, iis in Rempublicam meritis, id non potest? Uti video, malo sunt loco patriæ nostræ res & fortunæ. Hic Dei gratiâ non tantum illæ pestes possunt, ut nobis sit ab illis metuendum. Quanquam scito, ne hoc quidem Regnum ab illis Harpyis esse immune. Mira sunt, quæ de illis quotidie narrantur; & de progressu, quem singulis diebus faciunt. Sciunt quantâ sit bonitate Rex serenissimus; iccircò crescunt illis animi, & nova in dies audent. Frangat Deus immortalis scelerata illorum consilia. Cæterùm si quid optares à Rege, apertius esset mihi à te significatum; exponerem tibi fide sincerâ, quid mihi de tuis postulatis videretur, & ipse quid posses sperare: nunc hoc solùm tibi affirmabo, sapientissimum Regem ejusmodi Principem esse, qui bonis omnibus faveat, præcipuè autem iis, quos eruditio commendat. Tuum autem propositum, de quo scripsisti, fore ipsi gratissimum, persuasum habeo. De me sic velim tibi persuadeas, ut caussa tui adventûs εἰς ἀλλοδαπὴν nihil potest mihi accidere molestius, ita adventu tuo nihil gratius. Si quid est quod possum, (possum autem non multùm) confidas velim, nullâ re me tibi defuturum. Ipsa propositi mei cum tuo similitudo me tibi magis magisque adjunget. Quantum enim mea studia consuetudine tuâ possint adjuvari, probè intelligo. Unum non debeo prætermittere; si mores gentis, & quomodo hic vivatur, uberius scire cupias, esse isthic uxorem meam, quam potes consulere. Vale, Vir eximie, & magnum Servinum à me salvere jube. Vale iterum. *Londini, a. d.* VI. *Eid. August.* CIↃ IↃ CXIII.

Epistola DCCCCV.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

Vir nobilissime,

1613. Nihil habeo, quod ad te scribam; scribo tamen instituti tenendi caussâ, & ut scias nihil esse mihi jucundius, quàm per literas tecum loqui, quando præsens non possum. Scito operis mei † partem jam tertiam esse editam, τῇ τοῦ πανελέους Θεοῦ χάριτι. Inserui digressionem adversus τὸν ἀλιτήριον Græculum acrem, & ipso dignam. Erat animus separatim illam edere, & isthuc mittere ad has nundinas: sed quia uxor hæret adhuc in Galliis, non sum ausus irritare illos θεοσυγεῖς crabrones. Mandavi uxori iter instituenti, ut diligenter curaret quærendum inter meos libros illum Arabicum, qui ad Bibliothecam vestram pertinet: spero ipsam mandati memorem futuram. Quod si vel ea tamen de causa in Gallias mihi esset eundum, faxo, σὺν τῷ Θεῷ εἰπεῖν, ut fide nihil mihi esse antiquius intelligas. Verùm, ut dixi, spero uxorem id negotium curaturam; scio enim esse illi cordi, quicquid scit mihi esse. Operis editi exemplum tibi statim sum missurus, Deo volente & faciente; qui te servet, Vir amplissime, & tuis inceptis omnibus benedicat. Vale. *Londini, a. d.* v. *Eid. Aug.* CIↃ IↃ CXIII. 1613.

† Exercitat. in Baronii Annales.

Viris amplissimis, Plessenio & Frehero, officiosissimam salutem meis verbis nuncies velim.

Epistola DCCCCVI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

Illustrissime Vir,

Novi quod ad te scribam nihil habeo; scribo tamen, ut scias me in summis curis & occupationibus tui semper vivere memorem. Operis nostri editio Dei gratiâ postquam est inchoata, nullum diem est intermissa. Quotidie folium unum editur: ita duratura est hæc editio dies ἐργασίμους centum & quinquaginta, plus minus. Tertia pars jam profligata est. Mirabuntur multi prolixitatem scriptionis nostræ; sed fortasse si lectione suâ, quæ scripsimus, dignati fuerint, invenient nonnulla, de quibus antè ne cogitaverant quidem. Certavimus diligentiâ cum homine diligentissimo. Judicio & eruditione uter superior fuerit, vos docti judicabitis. Unum spero me assecuturum, ut modestia desiderari in me non possit. Errores sic castigavimus, ut nihil esset mollius. Tunc demum pio zelo abripi nos passi sumus, cùm aliquid occurrebat, quod Scripturarum majestatem labefactaret, aut gloriam Dei palam imminueret. Titulum operis Billius noster tibi, spero, ostendet. Ignosce mihi, Vir amplissime, quòd tuam Dignitatem sermonibus hujusmodi detineam; nullum enim aliud jam scribendi argumentum suppetebat. Vale. Deus immor- 1613.

mor-

1613. mortalis te servet ἄνοσον καὶ ἀπήμαντον. *Londini*, *a. d.* v. *Eid. August.* CIↃ IↃ CXIII.

EPISTOLA DCCCCVII.

DAVIDI HOESCHELIO.

Vir clarissime,

1613. SPerabam me tibi missurum brevem Responsionem ad calumnias τοῦ ἐξωλεστάτου συκοφάντου τοῦ Κρητός. Diu est, cùm eâ opellâ paucarum horarum sum defunctus. Sed me tamen graves caussæ * retinent, quò minus eam Responsionem nunc publicem: ἡ γὰρ φιλτάτη σύζυγος in Galliis nunc est; ut non sit consultum pestes illas irritare. Quin etiam ut apud te hoc arcanum habeas, te vehementer rogo. Scito autem operis suscepti partem aliquam prelis jam esse expositam. Qui putant, me hic artem desiisse, & voluptatibus me dedisse, intelligent, quantum eos sua opinio fefellerit: nec minus illi, qui existimant, totam ætatem in Grammaticis egisse me. Anni sunt decem, cùm ego veniam petii ab Henrico Magno tale quid publicandi. Sed non putabat summus Princeps rebus suis tum id expedire. Utinam alia potius occasio, quàm cædes tanti Principis, libertatem mihi attulisset meas in hoc genere meditationes publicandi! Tu, Vir doctissime, quid agas scire cupio. Deus immortalis te servet, ac cœptis tuis benedicat. Vale. *Londini*, *a. d.* v. *Eid. Aug.* CIↃ IↃ CXIII.

* *Vide suprà, Epist.* DCCCCVI.

EPISTOLA DCCCCVIII.

DIONYSIO GUERINO.

1613. LIteræ tuæ, Vir eximie, quas ante mensem ferè integrum accepi, jucundissimæ, ut semper, mihi acciderunt. Gavisus sum valere te, tuam & tuos; eoque nomine gratias egi Deo immortali; quem supplex veneror, ut te servet ἄνοσον καὶ ἀπήμαντον. Videor mihi Lutetiæ esse, cùm tuas & aliorum amicorum literas lego isthinc missas. Non potes autem dubitare, si meos nôsti mores, desiderium patriæ & tot amicorum, quos in patria reliqui, subinde ad occasiones recrudescere, & animo meo χαλεπὰ ἄλγεα infligere. Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος, qui patriam non amat, aut fidelium amicorum desiderio non tangitur. Mihi quidem cornea fibra non est, neque χάλκεον ἦτορ, ut Stoicorum ἀπάθειαν possim probare. Quamquam ea quotidie mihi narrantur de rebus patriæ, quæ meum illius desiderium magis ac magis in dies levent. Ne 1613. alia commemorem, doctrinæ parricidialis assertores, genus hominum θεοστυγές plurimum isthic posse, & potentiam illorum quotidie crescere, è multorum sermonibus & literis nonnullorum intelligo. Gratulor igitur ipse mihi, quòd illa saltem non video, quæ sine dolore ingenti audire non possum. Constat mihi, pestes illas quiescere non posse. Habent propositum sibi scopum, cujus ut fiant compotes, nihil relicturi sunt intactum. Facilè est ἐκ γεγενημένων τεκμήρασθαι τὰ μέλλοντα. Quoties venit in mentem concionum Gonterianarum, quas per illam Quadragesimam habuit quæ Henrici Magni cædem præcessit, toties contremiscunt mihi artus metu futuri. Avertat hanc pestem Deus immortalis! Ex istorum grege est impudens ille Græculus, qui nuper librum adversus me edens, hoc inter cætera nefaria excogitavit, quod mihi convicii loco objiceret, patrem meum sententiâ judicis laqueo vitam finiisse. Refutavi hanc calumniam brevi scripto ante duos menses edito; sed quod majori insertum operi † lucem adhuc videre non potest. Habent qui me amant, cur mihi gratulentur; non potuisse perditissimum nebulonem invenire, quod mihi exprobraret, præter convitium ita falsum, ut ne Diabolus quidem illius pater falsius aliquid posset excogitare. Ingratus sim erga Deum, nisi illi gratias agam, eo patre esse me natum, cujus vita speculum est probitatis & omnium virtutum. Illi ego debeo quicquid in literis didici; sed tu, Vir optime & doctissime, si parentis mei vita tibi esset nota, negares profectò dignum me, qui tantæ prudentiæ & sapientiæ viri filius audiam. Inchoavi librum de ejus Vita & morte, quem si Deus dabit absolvere, facilè mihi, scio, ignosces, si de patris laudibus tacere non possum. Calumnias infandi Græculi scito à me sic esse confutatas, ut vereri non debeam, ne post sanatum ulcus cicatrix maneat: verùm, ut dixi, nondum ea scriptio lucem potest videre. Esse qui molestiam aliquam tibi exhibeant, non sine dolore è tuis didici. Sed esto bono animo, Vir optime & doctissime; conciliant hos tibi inimicos tua virtus, & quæ in te est eruditio. Oro Deum immortalem, ut in omnibus tuis inceptis tibi adsit, & modis omnibus te fortunet. Vale. *Londini*, *a. d.* IV. *Eid. August.* CIↃ IↃ CXIII.

† *Ad Annales Baronii, Exercitationis primæ sectione.* IV. *pag.* 37. & 38.

Epistola DCCCCIX.

✠ JOANNI SPOTISVODO, Archiepiscopo Glascoensi.

Reverendissime Domine,

1613. ETsi nihil erat quod scribere te dignum, nactus tamen occasionem tam bonam, facere non potui, quin pauca hæc ad te exararem. Cupio enim Reverentiæ tuæ persuasum esse, vivere me semper tui memorem, semper cupidum inserviendi tibi, si qua in re idoneus sum qui tibi inserviam. Juvat meminisse quantum tibi debeam, qui primus aditum mihi patefecisti ad serenissimi Regis benevolentiam: numquam enim scribere ad ipsius Majestatem fuissem ausus, nisi tu me compulisses. Itaque quantum tibi debeam, ne dicere quidem possim. Faxit Deus immortalis, ut lætetur aliquando Rex optimus & sapientissimus, quòd me eo sit honore dignatus, ut in servorum suorum numerum me reciperet. Ego certè id ago dies noctesque, ut otii, quo nunc fruor, Dei benignitate rationem ejus Majestati possim reddere. Quàm diligenter curetur operis mei editio, narrabit amicus hic meus, qui partem illius vidit. Sed procul tamen adhuc absum à meta; quam det mihi Deus contingere. Idem te servet, reverendissime Domine, & tuis laboribus benedicat. Vale. *Londini*, *a. d.* XVI *Kalend. Septemb.* CIƆ IƆ CXIII.

Est domi meæ juvenis Scotus magnæ spei, Jacobus Olderburnus, qui tuam Reverentiam quàm officiosissimè salutat.

Epistola DCCCCX.

PETRO JUNIO.

1613. AMicus hic meus patriam repetens, interrogavit me, nunquid vellem? Rogavi illum, ut meis verbis plurimam tibi salutem nunciaret, tibique ut significaret, vivere me tui memorem, petereque à Deo immortali assiduis precibus, ut te servet, tibique ac tuis benedicat. Cujus mandati ne memoria illi excideret, pauca hæc raptim exaravi, & otio & argumento carens ad longiorem Epistolam scribendam. Quæsivi sæpe à filio tuo Patricio, optimo & doctissimo juvene, quid didicisset de tuo itinere. Is mihi paucis diebus antequam iret Oxonium, confirmavit, & te & uxorem tuam ὑγιεῖς καὶ ἀπημάντους in patriam redisse. Quo nomine Deo gratias egi, & nunc ago ex animo. Ego adhuc uxorem exspecto, quæ 1613. hac longiore suâ morâ non cruciat me; sed enecat. Culpâ tamen ipsa vacat; quam non voluntas in Galliis detinet, sed negotia & minus firma valetudo. Servet illam mihi Dominus Jesus; quem supplex veneror, ut omni benedictionum genere & te, & uxorem tuam atque liberos omnes prosequatur. Vale, & festinanti calamo ignosce. *Londini*, *a. d.* XV. *Kalend. Septemb.* CIƆ IƆ CXIII.

Epistola DCCCCXI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

Illustrissime Vir,

SCribit ad me uxor, nullam esse aliam 1613. suæ isthic diuturnioris moræ caussam, nisi quòd dudum exacti semestris stipendium recipere nequeat. Quantum ejus absentia meis studiis afferat detrimentum, vel propter curam rei familiaris, vel propter tristissimam solitudinem, in qua hîc versor, Rege absente & paucis illis viris doctis, quibuscum aliqua mihi intercedit consuetudo, facilè ipse intelliges; qui non ignoras, contentionem in studiis omni prorsus amœnitate destitutam, & corporis & ingenii vires atterere, ac penitùs conficere. Quò impensius à te peto, Vir amplissime, ut velis illi in tua auctoritate aliquod esse præsidium. Adjeceris prioribus tuis in me meritis cumulum longè maximum. Qui tibi has reddidit, Scotus est, adolescens eruditissimus & probissimus. Is tibi narrabit quam acerbam vitam hic agam, quòd suavissimo tuæ consuetudinis fructu tamdiu mihi sit carendum. Sed Deo gratia, quòd urgetur strenuè in dies editio libri, qui ancipiti huic meo statui finem, σὺν Θεῷ, est impositurus. Oro Deum immortalem, Vir illustrissime, ut te servet cum fœmina primaria, Domina uxore tua, & liberis vestris. *Londini*, *a. d.* X. *Kalend. Septemb.* CIƆ IƆ CXIII.

Epistola DCCCCXII.

BENJAMINO CARRIERO.

MAgno cum gaudio tuas accepi, 1613. quæ mihi fuerunt heri redditæ. Quæsiveram sæpè de te, & communes amicos interrogaveram; sed certi nihil ad hanc diem discere poteram: tantùm narraverat mihi reverendissimus Eliensis, ad Aquas Spadanas te esse profectum, & ibi aut in itinere morbo cor-

1613. correptum hæsisse. Ago gratias Deo immortali, quòd de te ex tuis non solùm certiora, sed etiam meliora cognovi. Opto celerem tibi reditum, & faustum. Legi accuratè scriptum, quod misisti, quodque ut Regi ostendam à me petis. Ego verò, Vir doctissime, voluntati tuæ hac in parte morem non geram: constat enim mihi liquidò & certò, eam scriptionem magno tuo damno cessuram, si in Regis manus illa perveniret. Optat quidem Rex serenissimus pacem Ecclesiæ, & concordiam inter dissidentes partes magno redimeret: sed nullis unquam conditionibus ejus Majestas adducetur, ut societatem cum ea Ecclesia ineat, quæ tot horrendis depravationibus deformata sibi plaudit, & dicit, *Formosa sum, neque est in me ruga.* Cogita verò, Vir præstantissime, quid hodie Romæ agatur, nisi ut per omne fraudum, scelerum, parricidiorumque genus, illa infanda Omnipotentia Papalis astruatur. Quò spectant libri ad defensionem Garneti Romæ scripti & editi? quò illi, quos Parisiensis Senatus cremavit manu carnificis? Quot impietates scelestus ille Bellarminus defendit contra Regem, & in suis aliis scriptis omnibus! Hæc tibi nota sint necesse est. Gravissimè tu quidem disputas de erroribus eorum, quos Puritanos vocant. Sed non videtur ea esse ratio adducendi Papam ad æquas conditiones, cùm nostra crudelissimo tyranno mala aperimus. Ridet Phalaris; ridet, & omnia nostra brevi ruitura sibi pollicetur. Ego ex iis, quæ legi in illorum scriptis, quæ animadverti in eorum factis, persuasissimum habeo, toto cœlo aberrare eos, qui aliud à Papis exspectant, quam superstitionem, perfidiam, cædes, & rapinas. Moneo autem te, pro mea in te fide atque observantia, ut diligentissimè etiam atque etiam caveas, ne tuum illud scriptum in manus veniat τῶν προεστότων. Nam quia videris id moliri, ut Papæ autoritas in hoc Regno restituatur, sine dubio in magnum fortunæ tuæ periculum adducerentur. Atque, ut ingenuè tibi animi mei sensum exponam, ineundæ concordiæ via alia ineunda est, si Deo & hominibus operam nostram probare volumus. Quis nescit sanctissimam Paparum autoritatem dudum versam esse in horribilem tyrannidem? Jam elapsa sunt multa sæcula, cùm omnes boni hoc vident, & gemunt. Unus Matthæus Paris probationi ejus rei satis superque fuerit. Nunquam ullus tyrannus crudelius sæviit in viscera subditorum, ac sævitum est in miseros Anglos, quam diu illos Papæ 1613. in sua potestate habuerunt. Denique Regnum istud Papæ est, & illud Papis vindicant Bellarminus & id genus detestanda Paparum mancipia. Sed de Regno parum est, præ veritate Religionis; quam hodie retineri à Papistis dici non potest.

Ut illud autem intelligas caussam habere me justam, cur tuum scriptum Regi non offeram, narrabo tibi recentem historiam, quæ ad rem cum primis facit. Paucæ elapsæ sunt hebdomades, cùm venit in Aulam hanc Nemauso (quæ magni nominis est urbs in Gallia Narbonensi) juvenis quidam à patre ob hoc missus, ut Regi Parænesin ad pacem in causa Religionis ostenderet, cui erat præfixa Epistola ad ipsum Regem sanè elegans & concinna. Auctori ejus libri nomen est Cornelio: & fuit hic quondam Minister, deinde stationem deseruit, aut eâ dejectus est. Quum *esset* * is liber Regi traditus, jussus sum illum legere, & cùm primum in Aulam redirem, scopum scriptionis ejus Majestati indicare. Legi, & quod eram jussus, feci. Serenissimus verò Rex ubi cognovit per cuniculos Papæ potestatem revocari, neque reformationem necessariam institui, gravissimè indignatus, parum abfuit quin miserum filium noxam patris luere juberet. Illustrissimus autem Archiepiscopus Vulcano tradendum id scriptum pronuntiavit. Et erat profectò dignissimum, in cujus † Auctorem animadverteretur; qui non potuit ignorare, quis sit Regis animus, & in negotio Religionis quid probet, quid improbet. Si tua hæc scriptio, quæ Papæ tyrannidem videtur in hoc Regnum revocare, in manus aut Regis, aut Domini Archiepiscopi veniret, suspicor illos non minus iri commotum. Habes, Vir clarissime, causam consilii mei, & cur ego morem tibi non sim gesturus. Si tamen aliter tibi visum fuerit, & hoc à me iterum petieris, obsequar voluntati tuæ potiùs, quàm judicio meo. Deus Opt. Max. te servet. *Londini, a. d.* x. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CXIII.

* *Alii, erat.*

† *Vir doctus, qui similis argumenti Epistolam edidit in sua ad Car. Præfatione pro* auctorem *legit* latere, *& ridiculè pervertit. Vide & Epist. Ded. ad Exercit. pag. 19.*

EPISTOLA DCCCCXIII.

DANIELI HEINSIO.

Vir clarissime,

QUòd rarius ad te scribo, scito duabus de causis id fieri. Prior quia 1613. editione novi operis occupatus, curis obrutus & molestiis penè absorptus, vix jam sum par oneri; quum præsertim ad

cætera

1613. cætera σκληρὰ accedat diuturna uxoris absentia, quæ in Galliis quintum jam mensem agit. Altera ratio est, quia ne tu quidem scribis. Nam quod valde miror, post reditum isthuc ἐς πάνυ Grotii unas à te accepi literas; ego ternas ad te misi. Quid sit cur frequentiores tuas mihi invideas, divinare non possum, nisi quod totum te in studiis esse nullus dubito. Benedicat Deus immortalis tuis conatibus & inceptis omnibus. Sed noli, amabò, propter nimiam in studiis contentionem veteris amici oblivisci. Theophrastum tuum percurrebam his diebus, & tuas Notas avidissimè desiderabam. Etsi me studia habent diversissima; refero tamen oculos interdum ad priores delicias. Quanquam scito, ab annis quàm plurimis ita me alias literas tractasse, ut semper tamen sacræ, & quæ ad sacras pertinebant, me sibi vindicarent. Quid profecerim, Ecclesia Dei brevi, ut spero, judicabit. Operis, quod jam sum editurus, pars ferè dimidia est profligata: procul tamen adhuc absum à meta; quam det contingere ὁ ἐπὶ πᾶσι· qui te, Vir clarissime & amicissime, servet. Vale. *Londini*, a. d. VIII. *Kalend. Septemb.* CIϽ IϽ CXIII.

Qui tibi has literas reddidit, adolescens est probus, amici mei cujusdam filius, quem tuâ amicitiâ velim digneris. De magno Grotio diu est, cùm nihil intellexi. Scripsi nuper jussu Regis. Illi & Domino Baudio, nisi grave est, salutem à me nuntiabis.

EPISTOLA DCCCCXIV.

HECTORI BOURICIO.

1613. INter curas plurimas hæc ad te scribo, Vir doctissime: quò minus brevitatem mearum debes mirari. Cùm plus otii nactus fuero, scribam ad te uberius, σὺν Θεῷ εἰπεῖν. Scito occupatum me esse in operis editione, de quo nuper scripsi. Jam ferè centum folia sunt edita; nondum tamen ad metam perveni hujus primæ partis, quæ nunc editur. Magnâ diligentiâ usi sumus, ut istos, qui se ἀναμαρτήτους videri postulant, suæ infirmitatis admoneremus. Utinam & nostri omnes consentirent in defensione veræ doctrinæ! Quod patres nostri, viri maximi, ex summa pietate ædificaverant, nos levitate nostrâ destruimus. Sed missum facio hunc sermonem, Deum venerans, ut Ecclesiæ suæ misereatur. Idemque te, Vir doctissime, servet, inceptisque tuis benedicat. Vale. *Londini*, a. d. IV. *Non. Septemb.* CIϽ IϽ CXIII.

EPISTOLA DCCCCXV.

JOANNI PRIDEAUX. ✠

Vir doctissime,

TUas accepi; te quoque meas existimo. 1613.
Die Dominicâ Regem conveni, & de te sum collocutus; qui mihi visus erga te benevolus. Petiit à me, quando librum tuum esset visurus. Non dubito, quin ea res optimi & ἐυπαιδευτάτου Regis animum tibi sit conciliatura. Opto igitur prodeat quamprimum. Mitto tibi, quæ Oxonio reversus effudi raptim in progressu operis mei. Cupio tuis adjici. Atque utinam tua possent hîc edi! Ego essem sedulus inspector. Hoc dico, quia vereor, ne Typographus, qui meum opus edit, offendatur, si aliqua pars operis à se editi prostet operâ alienâ. Facio hoc tui juris. Vale, Vir præstantissime. *Londini*, *propridie Kalend. Octob.* CIϽ IϽ CXIII.

De Puteano ipse statues. Omnia ejus sic levia sunt, ut exsufflanda tantùm sint. Non prætermittes, de quo mihi constat, dolio vini Hispanici impulsum misellum Scriptorem, ut adversus me scriberet. Hoc facetum est. Scito opus meum jam pervenisse ad pag. CCCI. sed procul adhuc absum à fine. Placebit tibi scio mea diligentia. Veritatem nostræ Religionis sexcentis novis argumentis confirmo, ex interioribus literis magna ex parte petitis. Faxit Deus, ut operis finem videam; qui te servet, Vir amicissime.

EPISTOLA DCCCCXVI.

DANIELI HEINSIO.

Vir clarissime,

QUid acciderit, cur tam raras aut 1613.
potius nullas à te literas accipiam, nescio. Ego tamen, quoties possum, scribo; & porro scribam, nisi tu non vis. Adeò ἐρριζωμένος est meus in te amor, ut ne si velim quidem, possim abstinere, quin de te cogitem & tuas desiderem. Cupio scire ut valeas, & quid jam pares. Me Exercitationes meæ ad Cardinalis Baronii Annales mirum in modum habent exercitum. Jam Dei beneficio ad paginam est perventum CCCV. & procul tamen absum ab optata meta: feram te judicem, simul ac liber erit editus. Atque utinam prius tecum de multis συζητεῖν licuisset! Utinam viveret ὁ μέγας τῶν πεπαιδευμένων κορυφαῖος *! exigerem ab eo ceras miniatulas. Commovi totum agmen Loiolita-

* Josephi Scaligeri.

1613. literarum. Asinitatem τῶ παρ' αὐτοῖς δοκούντων multis locis patefeci. Noli putare me ab illis mihi metuere: πέποιθα, πέποιθα, ἐπὶ τῷ Κυρίῳ· qui te servet, Vir clarissime. Vale. *Londini, pridie Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CXIII.

Mortem τῶ πάνυ Baudii iniquissimo animo tuli. Magnam vestra Academia fecit jacturam. Legi ejus Inducias, & eò magis dolui. Si postumus illi nascitur, omnem movebo lapidem, ut illi aliquid boni procurem. Jam conveni quosdam Proceres, ut nobilissimum Sidneum, qui operam suam promisit.

EPISTOLA DCCCCXVII.

✠ HUGONI GROTIO.

Vir amplissime,

1613. POstquam à nobis discessisti, unas tuarum accepi; ego ternas ad te dedi. Unæ mearum erant, quibus ad tuas respondebam conscio & jubente Rege. Quod ex illo tempore silueris, miratur Rex optimus, & sæpe ex me caussam requirit. Mihi ἀγρυξία τὸ στόμα δέδεται· qui de tuo statu nihil intelligam. Peto à te, ut datam in discessu fidem serves. Multa haberem, quæ tecum communicarem, si vacaret. Vidimus librum Sibrandi * contra Vorstium, quem eatenus valde probavimus. Allatus est ad Regem liber MS. ἀνεπίγραφος, quem Rex non dubitat à te profectum, cujus paucas paginas legi, & agnovi facilè ἐκ τῶν ὀνύχων τὸν λέοντα. πάλιν αὖ καὶ πάλιν miratur Rex tua te consilia ita clam habere. Ego in operis mei editione sum dies noctesque. Jam ad paginam perventum est CCCV. & procul tamen adhuc absum à fine. Quod superest, qui hasce tibi reddidit, adolescens est eruditus, & tuarum virtutum intelligens; qui si operâ tuâ uti voluerit, rogo te, ut ipsi ad te pateat aditus. Vale. Scripsi raptim. *Londini, pridie Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CXIII.

* Lubberti. Vide Grotii Epist. 19.

Tui observantissimus,
IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA DCCCCXVIII.

THOMÆ ERPENIO.

Vir doctissime,

1613. NIsi de tua constantia in mei amore mihi constaret, suspicarer excidisse nomen meum memoriâ tuâ, & dolerem. Post parentis tui adventum in hæc loca nihil à te accepi literarum, neque omnino de te quicquam intellexi. Scripsi tamen aliquoties ex eo 1613. tempore. Nunc peto à te, ut mihi significes, quomodo in tuis Paraphrasibus Arabicis aut τῶ μακαρίτου Scaligeri sint versa hæc verba Matth. XVI. 18. Σὺ εἶ Πέτρος. Gravissima causa est, cur hoc à te petam. Observo Paraphrasin Romæ editam aliquando λατινίζειν, ut in illis verbis. Hoc me doce, quæso te, & me beaveris. Plura vellem; sed non vacat. Vale, & me ama. *Londini, pridie Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CXIII.

EPISTOLA DCCCCXIX.

JOANNI PRIDEAUX. ✠

Eximie Vir,

ANte paucos dies scripsi ad te, & 1613. editam in opere meo digressionem adversus Græculum nebulonem ad te misi. Spero te significaturum an illum fasciculum acceperis. Nunc longè alia mihi caussa est, hæc ad te scribendi. Audio miserum Judæum ivisse se perditum, stultitiâ suâ nescio dicam an perfidiâ. De re nihil possum dicere, quæ mihi est ignota. Perfricabo tantùm frontem, & pro meo erga literas amore, te rogabo ut ruentem ne impellas; neve sententiæ adversus illum asperioris auctor esse velis. Agnoscat Judæus obstinatus Christi mansuetudinem ex illorum clementia, qui nomen Christi profitentur. Miraberis fortasse audaciam meam; sed liceat mihi, Vir εὐσεβέστατε, pro eo viro pudorem apud te ponere, quo uti mihi contigit Præceptore. Misereatur illius Dominus Jesus, ὁ μονώτατος τοῦ κόσμου Σωτήρ. Vale, & me ama. *Londini, a. d.* IV. *Non. Octob.* CIↃ IↃ CXIII.

Tui observans,
IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA DCCCCXX.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

Illustrissime Domine,

NOn quia oblitus sim tuorum man- 1613. datorum, quæ edita sunt de meo opere, ad te non mitto; sed quia accipere illa à Typographis adhuc non potui. Bilius enim quum hinc discederet, adeò severè denuntiavit suis, ne folium ullum domo sinerent efferri, ut eo absente efficere quod petiisti, quum maximè cuperem, non potuerim. Videbo postquam redierit, quid sim ab illo impetraturus. At tu, Vir amplissime,

1613. sime, ἀδυναμίαν meam in deteriorem partem noli interpretari. Nam si rem adeò pusillam tibi denegatam à me existimaveris, non potes quin tuâ benevolentiâ indignum me operâ eâdem judices. Avertat à me Deus hoc infortunium, quo vix aliud majus mihi queat contingere. Narro autem tibi, vergere jam opus ad finem: ultra dimidium certè, τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, est perductum. Hæc editio deliberatione difficili me liberabit, quæ animum meum tot jam annos tenet suspensum, & miris modis exercet ac cruciat. Oro Deum immortalem, ut te servet incolumem tuis atque universæ Reipublicæ. Vale, Vir illustrissime. *Londini*, *Eid. Octob.* CIↃ IↃ CXIII.

Epistola DCCCCXXI.

EIDEM.

Illustrissime Domine,

1613. QUòd voluntati tuæ morem non gesserim de mittendis foliis, caussam reddidi nuper, & ostendi non esse id τὸ ἐπ' ἐμοί. Sanctè juro egisse me ea de re cum Bilio, simulac fuit è Germania reversus, studiosissimè; sed non fuit mihi exorabilis. Quin se daturum operam confirmavit, ut quamprimum opus editum in manibus omnium versaretur. Ego in eam curam dies noctesque incumbo, cupidus cognoscendi eventum, quem Deus dabit. Multa mihi in mentem veniunt, quæ me terrent, quoties cogito, in quæ tempora vivi pervenerimus. Sed me solatur conscientia mea, quum non aliquam novam doctrinam meis vigiliis iverim stabilitum aut defensum; sed cum sanctis Patribus semper sim locutus. A quibus si deflectere aliquando mihi contigit, veniâ dignus sum; imprudens enim peccavi, non certo consilio. Patres cùm dico, consensum intelligo primitivæ Ecclesiæ. Non existimabo periisse mihi fructum tot laborum, si bonorum judicia fuero promeritus. Hoc à Deo exspecto, non à viribus meis, qui sum τὸ μηδὲν, & si quid est isto vilius. Tu, Vir præstantissime, brevi, σὺν Θεῷ, judicabis. Interim esto mihi, obsecro te quæsoque, quod fuisti hactenus, benignus patronus; & apud Proceres, quos scis mihi nocere posse, caussam meam agere perge. Bono animo esto, brevi liberabo te, volente Deo, istâ curâ; editione enim hujus operis lis illa terminabitur. Ego præter labores in studiis, molestiis conficior diversis. Uxor vix redierat, cùm languere cœpit, deinde gravius ægrotare. Accessit nuper immigratio in novas ædes, quæ studiorum meorum cursum non mediocriter retardavit. Dedi tamen operam ne cessarent ex ea caussa operæ. De tomo Historiæ tuæ, quem nuper misisti, oblitus sum nescio quomodo gratias tibi agere. Factum verò est partim per occupationes meas, partim lentitudine compactoris, ut minus adhuc operæ in lectione posuerim: sed habeo tempus constitutum, quod illi curæ impendam. Invisit me ante paucos dies Tobias Scultetus, Silesius, qui de rebus Ungaricis & Transsylvanicis ὑπομνήματα certæ fidei se ad te missurum dicebat. Quod superest, Deum veneror, ut te servet, & omni bonorum genere cumulet. Vale, Vir amplissime, & me ama. *Londini*, *a. d.* v. *Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CXIII. 1613.

Epistola DCCCCXXII.

JOANNI PRIDEAUX. ✠

Vir doctissime,

JAm receperam me ad nocturnam lucubrationem, cùm tuas accepi. Non potui igitur illustrissimum Dominum Archiepiscopum adire, ut voluntatem ipsius cognoscerem super consilio tuo edendi isthîc tua. Sed non videtur dubitandum probaturam ipsius Reverentiam, quicquid Dominus Doctor ipsius frater probaverit. Quare in eo nihil puto esse moræ, quò minus voluntati huic tuæ morem geras. Gratum erit si folia miseris serenissimo Domino Regi communicanda. De Treshamio priusquam τὸ πᾶν Dominum Eliensem convenero, nihil habeo quod respondeam. Hoc scio, nihil temerè me scripsisse. Sed non videtur res esse magni momenti. Versibus ab altero Græculo scriptis adversus me commodissimè opponentur versus à viro summo, Græco & Cretensi facti, Francisco Porto, quibus luculentè ostendit, quid ante annos triginta & tres de meis studiis ominaretur. Sed de his plura, volente Deo, proximâ Epistolâ; nunc enim occupatissimus sum; & nisi fallor, illi versus in fine libri tui sunt collocandi. Erit igitur otium de eâ re cogitandi. Vale, optime virorum, & me ama, atque à me saluta Dominum Doctorem Abbotium, & Dominum Decanum, cum Domino Price, viro mihi amicissimo. Judæum humanitati tuæ cum gemitu commendo. Iterum vale. *Londini*, *a. d.* v. *Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CXIII. 1613.

Epistola

EPISTOLA DCCCCXXIII.

✠ HADRIANO ***.

Vir clarissime,

1613. DEbeo responsum ad binas tuarum. Caussa ὑπερημερίας est, moles negotiorum, cui jam vix sum par. Opus meum fervet, τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι. Ipse manu meâ omnia describo, & describendo conor facere meliora. Qui *putant* * me τρυφᾶς in hac Aula & literis ἀποπέξασθαι, ut scribit Puteanus, parum *nôrunt* † ærumnas laboriosissimæ vitæ meæ. Quod si Deus immortalis huic corpusculo vires non sufficeret, diu est cùm essem confectus. Prævideo quos Lectores sim habiturus; quàm paratos ad maledicendum & omnia reprehendenda, etiam ubi nihil fuerit justæ reprehensioni obnoxium. Quò diligentius caveo mihi, ne quid excidat ἀμάρτυρον. Totum opus, uti spero ἐν τῷ Κυρίῳ, fidem Auctoris & diligentiam præ se feret. Cæterùm an aliquid præstiterim, æquorum, piorum, & eruditorum *esto* ‡ judicium. Tu unus es inter primos, quem ego καθίσω δικαστήν. Det modo Deus finem videre. Jam paginæ ferè 500. sunt editæ; sed longè tamen adhuc absum à fine. Sed dic mihi, Grotio τῷ πάνυ quid ego feci, cur ille post reditum suum ad vos, scribere ad me desierit. Unas ab eo ex illo tempore accepi, ego scripsi sæpius. Tu significasti nuper edi isthic libellum quemdam ipsius; quem amici dicunt huc allatum esse. Ego nescio quid sit, & mirari satis non possum. Mensis est unus aut alter, cùm Rex librum MS. mihi ostendit, qui dicebatur esse ab eo scriptus. Legi parvas paginas, vel potius Regem audivi legentem. An ille sit liber, qui isthic est editus, nescio; at scire cupio. Peto à te, ut meis verbis ipsum salutes, & de ipsius silentio non magis meo quàm Regis nomine expostules. Vale, clarissime Vir, & verè ἀντάδελφον ἐμὸν κάρα. *Londini, a. d.* VII. *Eid. Novemb.* CIƆ IƆ CXIII.

* Alii, *putat.*

† Alii, *nôrit.*

‡ Alii, *est.*

Tuus toto affectu,

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA DCCCCXXIV.

✠ BENJAMINO CARRIERO.

Reverendissime Domine,

1613. ACcidit mihi ante aliquot menses, cùm essem Oxonii, ut Judæum quendam ibi offenderem, adolescentem in literis Judaicis & Thalmudicis supra fidem doctum. Vastam enim il- 1613.
lam molem totius doctrinæ Thalmudicæ ita habet in numerato, ut longo intervallo superet omnes quos unquam vidi Judæos. Accedit cognitio plurimarum linguarum, & in his Latinæ; quod in Judæo rarum est. Hic cùm velle se fieri Christianum diceret, de sententiis virorum clarissimorum, qui illustrem illam Academiam regunt, venit Londinum unà mecum, & apud me mensem & amplius mansit. Cùm videretur seriò velle nomen Christo dare, ausus sum de illo sermonem habere apud serenissimi Regis Majestatem: commendavi etiam illum illustrissimo Præsuli, Domino Archiepiscopo, & reverendissimo Domino Eliensi; quorum uterque liberaliter admodum cum Judæo egit: atque ille sic posteà discessit à me, Oxonium repetens, ut magno Baptismi desiderio videretur affici. Quod cùm ego mirificè optarem, vereri tamen subiit non semel, ne infelici Judæo sua doctrina cederet in perniciem: enutritus enim iis scriptis, quæ blasphemias contra Salvatorem horrendas continent, ita animi mentem dissimulare non poterat, ut non aliquam interdum metuendi occasionem mihi præberet. Ne multis Reverentiam tuam morer, eventus docuit non fuisse metum meum inanem. Oxonium reversus, & longâ simulatione usus, ubi ad rem ventum est, & dies instabat, quo erat baptizandus, repentè Judæus urbe aufugit, & itineri se accinxit, ut huc veniret. Retractus à fuga, rejectus est in carcerem, ubi etiam nunc hæret, justas suæ perfidiæ pœnas pendens. Nam quòd nolit fieri Christianus, crimen legibus puniendum, opinor, hoc non est, sed tantùm, quòd simulaverit. Audio tamen esse quosdam, qui justo odio accensi, dirum aliquod in miserum hominem supplicium cupiunt statui. Hæc causa est, cur alterum jam mensem in carcere hæreat sine spe dimissionis. Egi de illo cum illustrissimo & reverendissimo Archiepiscopo, qui confirmavit mihi, se daturum operam, ut ei negotio finis semel imponeretur. Sed audio esse aliquem, qui impediat quò minùs hoc fiat. Et scribitur ad me Oxonio, periculum esse ne homo infelix fame & pædore pereat in illo duro carcere. Ego, etsi detestor ex animo illius perfidiam, non possum tamen non aliquâ ejus tangi commiseratione, propter excellentem ipsius doctrinam; quam & Dominus Kilbius, Regius Professor Linguæ Sanctæ Oxonii, vir præstantissimus, non minùs admiratur quàm ipse faciam. Habes, reverendissime

 Do-

1613. Domine, caussam hujus meæ scriptionis; nam quia nulla spes meliorum affulget, nisi à clementia optimi Regis, peto à te obnixè, ut meo nomine, si placet, ipsius Majestatem convenias, & significes hoc unum cupere me ab illo impetrare, ut semel tandem statuatur de captivo, & quoquomodo finis imponatur ejus duræ sanè captivitati. Oro, obsecro, obtestor tuam Reverentiam, Præsul εὐσεβέστατε, ut tuo patrocinio miserum ne judices indignum. Spero illam immensam Domini Regis bonitatem, quam in ejus Majestate etiam hostes admirantur, mihi veniam daturam hujus audaciæ, & humillimas preces meas non aspernaturam. Ego Deum immortalem per Jesum Christum toto affectu veneror, ut & Regem optimum, & Regiam Domum servet incolumes, ac modis omnibus beet. Vale, & felix vive, reverendissime Domine. *Londini, a. d.* III. *Eid. Novemb.* CIↃ IↃ CXIII.

Epistola DCCCCXXV.

DANIELI HEINSIO.

Vir clarissime,

1613. NOvi probè & memini in ære tuo esse me. Nam iis literis, quas à te mihi reddidit doctissimus Erpenius, respondere ad hanc diem non potui: ita me curæ & occupationes obruunt, quibus par non essem, nisi vires huic corpusculo ἄνωθεν sufficerentur. Opus meum gratiâ Dei quotidie procedit: sed multa restant tamen ad finem. Nunc versamur in arduo argumento de Paschate veteri & novo. Damus operam assiduè, ne quid excidat nobis, quod verè piis jure possit displicere. Ostendemus, σὺν τῷ Κυρίῳ, sententiam de præsentia Christi in Sacramento, quam isthîc adeò quidam sunt detestati, esse Calvini, maximi Theologorum, & omnium qui totam veterem Ecclesiam non putant fuisse Antichristianam. Errores Pontificiorum, si quis alius, ego ex animo detestor: sed dum Charybdin fugimus, in Scyllam incidere non debemus; quod vereor ne hodie multi faciant, quos totam Vetustatem facere non nauci, mihi compertissimum est. Spero, edito opere hoc, in bonorum, doctorum & verè piorum æquitate fore mihi paratum præsidium adversus eos, qui nomen meum sine caussa allatrant. Scio satis nullum opus jam pridem exiisse, quod Romanensibus fuerit magis exosum: idem tamen an multis nostrorum futurum sit acceptum, hoc verò ego nescio. Quicquid erit, solabitur me conscientia mea; qui in 1613.
negotio Religionis privatam opinionem foveo nullam, quod multi hodie faciunt. Librum magni Grotii vidi, & cum incredibili voluptate legi. Doleo esse illi datam occasionem scribendi adversus hominem in nostris partibus non parvi nominis *. Ea res scandalo erit multis; qui non satis attendent, quam personam Author gerat. Scripsi ad illum jussu Regis. Qui fortasse operis hujus labore defunctus, & te, charissimum mihi caput, & illum propius videbo: manet enim in animo meo altè impressa cupiditas visendi vestras regiones, quæ famâ & gloriâ rerum gestarum nobilissimas gentes obscurant. Amicissimo & doctissimo Erpenio officiosam salutem meis verbis, nisi grave est, nuntiabis. Vale, & me ama. *Londini, propridie Eid. Novemb.* CIↃ IↃ CXIII.

* *Intelligit Grotii libellum inscriptum,* Pietas Ordinum Hollandiæ, *contra Sibrandum Lubbertum, Theologum Franekeranum.* Colomes.

Epistola DCCCCXXVI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

Illustrissime Vir,

ACcepi à Meursio, quas ad te mitto. 1613.
Existimavi enim fore tibi non ingratam, neque fortasse inutilem ejus Epistolæ lectionem. Ego in proposito dies noctesque pergo: perventum enim jam est ad difficillimam operis totius partem, quæ est de Sacrosancta Eucharistia. Nam de ea re agendi occasionem mihi præbet is, cujus sequor vestigia. Utinam liber illustrissimi Cardinalis Perronii esset editus! ingens aliquid de eo mihi spondeo, nisi quod vereri subit, ne vir excellens ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ omnia defendere cogatur pari contentione, ut Romæ sit acceptus. Hanc viam qui insistent, neque doctis, neque verè piis unquam satisfacient. Sed hæc aliàs, σὺν Θεῷ. Vale, Vir amplissime, & me ama. Spero in fine hujus anni patrocinium tuum mihi non defuturum, si eo fuerit mihi opus. Jam tempus instat cùm ego finem imponam huic molestissimæ deliberationi, ubi de opere meo judicia vestrorum Procerum cognovero. Vale iterum, & felix vive cum tuis quàm diutissimè. Scripsi raptim. *Londini, propridie Eid. Novemb.* CIↃ IↃ CXIII.

Epistola DCCCCXXVII.

JOANNI MEURSIO.

TUam de amplissimo Thuano Epi- 1613.
stolam, Vir clarissime, rectè accepi.

1613. cepi. Fecisti rem & utilem ipsi, & sine dubio gratam. Sæpe ille mihi narravit, quantis sibi laboribus constarent ea, quæ scripsit; neque tamen dubitare se, quin res peregrinas exponens sæpe offendisset. Ac sum ipse conscius animi candidi, quo semper excepti sunt ab illo, qui certiora ipsum vellent docere. Itaque nullus dubito, tuas ejusmodi animadversiones fore ipsi longè gratissimas. Sed Historiam tuam quando videbimus? Ego ingenti flagro cupiditate ea legendi, quæ ais scripsisse de Albano Duce. Utinam quos non puduit tam tetra & horrenda scelera admittere, pudeat saltem in tuis scriptis recognoscere! Possemus in posterum meliora de illis sperare, si semel eò Romanenses possent adduci, ut suæ immanitatis illos seriò puderet & pœniteret. Sed non ita Romæ vivitur, ut sperare hoc liceat. Nos in opere suscepto pergimus; & primæ partis editionem dies ac noctes urgemus. Quid præstiterimus, verè doctorum & verè piorum erit judicium. Sed de his aliàs. Vale, Vir doctissime; & me, quod facis, ama. *Londini, pridie Eid. Novemb.* CIↃ IↃ CXIII.

EPISTOLA DCCCCXXVIII.

DANIELI HEINSIO.

Amicissime virorum,

1613. TUas hodie accepi; illas dico, quibus erat adjectum Epigramma elegantissimum *. Auctorem illius quod dissimulare voluisti, frustra fuisti. Novi ego τοῦ παιδὸς τὸν πατέρα· novi autem ex duplici signo, amoris erga me, & doctrinæ. Utrumque signum in te unum competit insigniter. Itaque tibi ago immortales gratias. Fatebor ingenuè ambitionem meam; nam cùm Responsum Oxonii ad Cretensis librum paretur, ego tam metui ab aliorum versibus, quàm optavi tuos tacito voto. Dabo operam, ut non uno loco edantur; & quidem, ut spero, à filio secundo natu † Latinè versi. Utinam possem illum tibi in disciplinam tradere! non est aspernandæ indolis. Ego autem ne corrumpatur, illum à latere meo ægrè patior discedere. Plura de eo aliàs, σὺν Θεῷ. Meum opus crescit, ut scripsi tibi ante quinque dies. In molestissima parte jam versor. Sed Deus aderit sæpe invocatus. An aliquid Græcè didicerim, hoc quoque opus testabitur. Quod si tu vidisses, peterem à te carmen Græcum, quod meos inimicos ad restim posset adigere. Sed nolo aliquid te laudare, quod prius non legeris. Secunda editio, σὺν Θεῷ, hac accessione superbiet. Peto à te, ut Domino Erpenio, mihi charissimo viro, aurem vellas de loco Matthæi, super quo ipsum consului: *Tu es Petrus, & super hanc petram* &c. Vale, clarissime Vir, & mihi dilectissime. *Londini, a. d.* XIV. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CXIII.

* Exstat p. 75. Poëmat. Daniel. Heinsii, edit. 1640.

† Merico Casaubono: vide Joannis Prideaux Castigat. pro Isaaco Casaubono, pag. 241.

Scripsi ad Dominum Grotium ante dies quinque.

EPISTOLA DCCCCXXIX.

JOANNI PRIDEAUX. ✠

Vir amicissime,

LEgi tria jam opusculi tui folia, & legi cum maxima voluptate. Non dubito quin totum opus sit futurum ad hoc exemplum. Volui primum folium mittere ad serenissimum Regem; sed jam hæreo num sit futurum satius, ut totum librum simul ejus Majestati offeramus: quum præsertim intra paucas hebdomadas videatur hæc editio absolvenda. Ego faciam, quod volueris. Scio gratum Regi fore nuntium, cùm intelligit librum jam prælis esse subjectum; quod brevi futurum, nuper cùm hîc esset ejus Majestas, ipsi significavi. De Epigrammatis libero te curâ. Mittam post sex septem dies, quæ non improbabis. Habeo Francisci Porti Cretensis Epigramma, ante annos triginta & tres scriptum, quo ille jam tum judicium suum de meis studiis, longè diversum à judicio istius nebulonis, patefecit. Heri etiam accepi Heinsii acutum & elegans Epigramma in istum Cretensem. Filius etiam rude Epigramma scripsit Latinè. Hæc omnia descripta accuratè tibi propediem mittentur; tuo limatissimo judicio omnia subjicientur. Vale. *In Musæo, die* XVIII. *Novemb.* CIↃ IↃ CXIII. 1613.

Tibi obnoxius,

IS. CASAUBONUS.

Videris dicere me vertisse Strabonem; quem ego juvenis illustravi Animadversionibus: sed versio erat Xylandri, ut titulus profitetur. Polybium totum Latinum feci; ut multi etiam è Pontificiis putarunt, neque infeliciter, neque invenustè.

EPISTOLA DCCCCXXX.

EIDEM. ✠

Vir doctissime,

TRia folia libri tui vidi: plura spero & opto jam esse edita. Rex post dies quindecim dicitur venturus; utinam 1613.

1613. nam paulò pòst te hic videamus cum libro! Eris gratus & Majestati τοῦ εὐσεβεστάτου Βασιλέως, & illustrissimo Domino Archiepiscopo. Versus tibi mitto; quos si editione putabis dignos, curabis, si placet, operi tuo inserendos. Epigramma τοῦ μακαρίτου Porti non dubito tibi probatum iri; est enim elegans. Filius scripserat Epigramma ad αὐτὸ τὸ θηρίον. Deinde mihi allati sunt versus doctissimi Heinsii, quos etiam non ineptâ imitatione videtur expressisse. Tu judicabis. Cùm eos legi, unum & alterum locum emendavi. Ego quicquid ipse statueris, probabo. *Londini, pridie Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CXIII.

EPISTOLA DCCCCXXXI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

Illustrissime Vir,

1613. NOvissimè cùm ad te literas dedi, adjunxi meis Epistolam quandam Meursii, scriptam quidem ad me; sed quæ tota erat de tua Historia. An meas illas acceperis, & binas priores, nescio. Nunc pauca hæc ad te exaravi, ut significarem Amplitudini tuæ, editionem operis mei aliquantò tardius quàm putabam absolutum iri. Nam & jam scriptis nonnulla quotidie inter describendum addimus, & operæ, etsi illæ quidem non cessant, segnius tamen pergunt quàm ut incitatæ cupiditati meæ faciant satis. Circa novi anni Kalendas putabam me hac curâ liberandum. Vereor ne trahatur editio ad natalem meum, qui est XVIII. dies Februarii in anno Gregoriano. Hoc autem propterea ad te scribo, Vir amplissime, ut tu re cognitâ apud illustrissimum Dominum Cancellarium me, nisi grave est, excuses. Nam ego ante duos menses quando ad illum scripsi, spem feci absolvendæ hujus editionis ante præsentis anni exitum. Sic tum optabam & sperabam; nunc opto quidem, sed non spero: nolim autem tam illustris dignitatis virum vanitatis me arcessere, quasi dictis meis fides parum constaret. Sed non te fugit, quid sit, libros edere. Ego autem, quod præfiscinè dictum sit, adeò paratus ad hujus argumenti tractationem accessi, ut exhaurire adversaria mea si voluero, ante annos aliquot non possim manum de tabula. Sed benè est; quæstiones ferè omnes maximè arduas jam τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ expedivimus; quæ restant adeò multa non sunt prætermittenda. Spero autem, illustrissime Vir, facilè te, quâ auctoritate es, à Domino Cancellario & cæteris Proceribus Regii Consilii impetraturum, ne 1613.
prius quàm hoc opus isthic visum illis fuerit, secius aliquid de meo negotio velint decernere. Mihi secundum τὴν ὑπὲρ ἡμᾶς spes omnes in tua benevolentia & benignitate sunt repositæ. Oro venerorque Deum immortalem, ut quàm diutissimè te servet ἄνοσον καὶ ἀπήμαντον. Vale, Vir maxime, seculi decus. *Londini, Non. Decemb.* CIↃ IↃ CXIII.

Hæc scripseram, & penè jam Domino Legato tradideram, cùm adfertur Epistola tua sub finem Novembris scripta. Videtur una tantùm Epistola mea tibi fuisse reddita ab uxoris reditu: ego dedi plus quàm quatuor. Ut breviter tuis respondeam, de B. affecit me tua sollicitudo pia, atque ego ex animo mea vota tuis adjungo. Accepi à quodam ex ejus domesticis, etiam tum quando rationis usum videbatur amisisse, quædam esse ab eo edita pietatis signa, ac tandem à Domino Jesu veniam delictorum petiisse; quod magna cum voluptate mea audivi. Video te magnâ cupiditate teneri opus meum videndi. Utinam de singulis tecum possem communicare! Sed hæc inania jam vota sunt. Egi cum Bilio, ut liceret partem ad te mittere, quod impetrare ab eo non potui. Quod poteram unum μετὰ δεύτερον πλοῦν, schedas quasdam ad te mitto manu alienâ scriptas, in quibus videbis primam ἰχνογραφίαν primorum capitum: sed memineris multa esse facta meliora, cùm describerem omnia manu meâ. Ego tantâ diligentiâ usus sum, ut totum opus bis aut ter descripserim ἰδίᾳ χειρί· quædam etiam quater. Sequor κατὰ πόδα Baronium: nihil prætermitto, quod videatur reprehensione justâ dignum: quædam illius confirmo; plura reprehendo; & eâ occasione infinitas observationes nostras τῆς ἀρχαιολογίας ἐκκλησιαστικῆς proferimus in lucem. Postquam ventum ad annum Baronio XXXIV. & Cœnam Ultimam τοῦ Κυρίου ἐν ἀνθρώποις πολιτευομένου, data est occasio doctrinæ veteris Ecclesiasticæ super S. Eucharistia pluribus explicandi. Si à veteris Ecclesiæ sententia abiero, ignoscat mihi bonus Jesus ὁ Σωτήρ. Sed verè dicere possum, ingentes labores sustinuisse me, & summâ usum diligentiâ à multis annis, ut quid crediderit Ecclesia vetus, cognoscerem. Baronius disputationem illam orditur ab explicatione nominum ejus divini Sacramenti. Hic mihi facilè fuit rebus ipsis probare διπλοῦν ὁρᾶν τοὺς μαθόντας γράμματα. Itaque omnia S. Eucharistiæ nomina, quæ legeram in S. Patrum scriptis, dum recenseo, penè justum libellum confeci. Mirabuntur multi nostram diligentiam:

sed

1613. sed Deo sit laus, quòd memoriam meam accusare nondum possum. Veniunt in memoriam quotidie quæ legi ante decem, viginti, aut etiam triginta annos. Inde illa ingens ὕλη in hoc argumento. Sed dolet mihi, quòd multa legerem in vestra Bibliotheca, quæ imprudens in adversaria mea non retuli: itaque illorum desideriis mirificè crucior. In ea disputatione de nominibus Eucharistiæ unum est caput de nomine *Mysterium.* Observavi singularem Patrum prudentiam, qui Paganorum multa instituta ad pios usus retulerunt. Ego non nego, posteriorum culpâ multa mala inde provenisse; sed piorum illorum veterum factum mordicùs defendo exemplo Pauli. Ea comparatio continet comparationem rituum paganicorum in suis mysteriis, & rituum Christianorum in sacramentis. Videbis miram similitudinem. Utinam partem saltem illam possem ad te mittere! Sed omnia expertus, frustra fui. Casu hæserunt in manibus meis duo folia ad caput illud pertinentia, quæ tibi mitto. Oro te atque obsecro & obtestor, ut præter te nemo illa videat, qui non sit tibi notissimus. Bellarminus in istis chartis reprehenditur; quod puto licere, modò fiat modestè. Dico tibi, Vir illustrissime, in aurem, ut nemo audiat: longo usu didici, istos disputatores hodiernos in veræ Antiquitatis notitia pueros esse; in Græcis Patribus ὄνους πρὸς λύραν· in sola defensione anticipatarum sententiarum verè esse quinquertiones ἀμφιδεξίους. Sed hæc aliàs, & utinam στόμα πρὸς στόμα brevi! Faxit ὁ ἐπουράνιος πατήρ. Deus immortalis te & tuos servet, & præstet τὴν ἀληθινὴν εὐτυχίαν εὐτυχοῦντας. Vale, Vir illustrissime.

EPISTOLA DCCCCXXXII.

EIDEM.

Illustrissime Vir,

1613. MEnsis jam, opinor, exactus est, ex quo tradidi Domino d'Armet, qui Dominum Legatum cognatione contingit, & apud illum habitat, fasciculum satis grandem tibi mittendum; quem acceperis nec ne, mea plurimum interest scire. Inerant folia quædam operis nostri, & ejus principium manu exaratum, quatenus edita folia nullâ arte potui nancisci. Inerant etiam literæ ad unum è tuis, quem rogabam, ut meo nomine vellet recipere semestre stipendium meum jam exactum. Eâ fine adjeceram duas membranas, ambas manu meâ subscriptas, ab illo implendas (erant enim vacuæ, solum nomen meum in imo continentes) & pro apochis tradendas. 1612. Oblitus sum à tergo scribere, ut moris esse audio, in quem finem illis membranis nomen apposuissem meum. Itaque si, ut sæpe fit, in alienas manus devenerit ille fasciculus, in quanto periculo fortunæ meæ versentur vides. Peto igitur à te, Vir amplissime, ut quamprimum, nisi grave est, mihi significes, fuerintne eæ literæ meæ probè curatæ, annon. Si, ut spero & opto, in tuas manus fasciculus pervenerit, salva res est, & ego feliciorem me quàm prudentiorem jure prædicavero: sed non indigni sunt viri studiis dediti, (ego autem literas à juventute semper amavi unicè) qui ejusmodi culpas condonentur. Auget sollicitudinem meam, quòd Dominus d'Armet, cùm illi meas traderem, indicavit cursorem, cui illas esset traditurus, partem duntaxat itineris fore confecturum; deinde alii nescio cui omnia, quæ accepisset traditurum, & hunc item alii. Cogito igitur fieri facilè posse, ut meus fasciculus aliquo casu interveniente ad te non perveniat: ὃ μὴ γένοιτο οὐδ᾽ ἔσται Θεοῦ διδόντος. Narro tibi, opus meum brevi isthic futurum, propitio Numine. Baronius in digressione de S. Eucharistia tractat tria capita. Varia nomina ejus divini Sacramenti, doctrinam de Transsubstantiatione, & de sacrificio. Responderam accuratissimè ad hæc tria capita. Sed ubi edita fuit responsio ad primum caput, Billius animadvertens, si reliqua ejus argumenti ederentur, librum ad nundinas proximas non deferendum, egit mecum, ut quæ restabant ejus disputationis impræsentiarum omitterem, separatim mox editurus. Ego etsi ægrè sum adductus ut morem illi gererem, cupiditate tamen flagrans brevi cognoscendi quid me sit futurum, manus dedi. Nunc igitur in cæteris pergimus, & nisi Natalitia festa, quæ diebus plurimis hic agitantur, impedimento fuerint, ante finem Januarii totum opus fore editum speramus. Restabunt Præfatio & Indices; sed ea mora, ut spero, non est futura longa. Hoc volui nescius ne esses. Vale, Vir amplissime. *Londini, a. d.* VI. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ CXIV.

EPISTOLA DCCCCXXXIII.

HUGONI GROTIO.

Vir maxime,

SCripseram hodie ad te, & judicium 1614. de illustrissimorum Ordinum Edicto, quà Regis, quà Domini Archiepiscopi aliorumque Præsulum tibi significaveram;

1614. ram; cùm poſt confectum & traditum faſciculum tuas accepi, XIII. hujus menſis datas. Reſpondebo ad eam Epiſtolam accuratius poſt dies paucos, σὺν Θεῷ εἰπεῖν. Quanquam fortaſſe ubi priores meas legeris, aliam reſponſionem non moraberis. Mirè enim illius Majeſtati placuit illuſtriſſimorum Ordinum conſilium; ipſa quoque formula omnibus hîc probata, præter admodum pauca, de quibus eâ libertate ad te ſcripſi, quam poſtulabat fides mea. Tuum erit omnia benignè interpretari, & operam dare, ut ne alii quidem mea aliter accipiant. Quòd me hortaris ut iſthuc veniam, vellem id fieri poſſet. Et quidem multa ſunt, quæ me hortantur, ut recreandi animi cauſſâ profectionem aliquò ſuſcipiam. Accidit enim mihi poſt abſolutum opus nuper editum, ut Ilias quædam diverſorum morborum in meum corpuſculum faceret impetum. Atque ego non decumbo quidem jam, τῇ τοῦ παναρίστου Θεοῦ χάριτι· ſed liberatus tamen non ſum. Majernius noſter, ὁ πάνυ ἰατρὸς, aquas Spadanas mihi fore judicat utiliſſimas. Sed mihi nullâ ratione unquam perſuadebitur, ut ad illas thermas velim proficiſci; terret enim me gens illa θεοστυγής, quam nôſti eſſe mihi valde amicam. Peto igitur à te, ut mihi ſignifices, ſitne urbs in ditione illuſtriſſimorum Ordinum non adeò remota à tractu Leodicenſi, ubi poſſim aquis uti, eò allatis. Id ſi poſſe fieri intellexero, ſcito me nullâ interpoſitâ morâ, εἰ τῷ Θεῷ εἴη βουλομένῳ καὶ τῷ Βασιλεῖ, iſthuc ſtatim curſum directurum. Cupio reſcribas mihi, quamprimum fieri poterit: illud magis, ut me ames, & ut valeas, καὶ εὐημερῶν διατελῇς. *Londini, die* XX. *Januar. ex veteri Kalendario*, ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου ἐπιφανείας τοῦ μεναπάτου Σωτῆρος, CIↃ IↃ CXIV. Ignoſces, ſpero, feſtinationi meæ.

EPISTOLA DCCCCXXXIV.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

Ampliſſime Vir,

1614. ACcepi nudius quintus, quas ad me dediſti noviſſimas. Fuerat mihi plures ob cauſas earum exſpectatio aliquantò longior; eò majore lætitiâ inceſſimus ego atque uxor, poſtquam illæ ſunt mihi redditæ. Video nondum excidiſſe ex animo illuſtriſſimi Domini Cancellarii nominis mei memoriam. Quod ſi tibi uni ſecundum τὸν μέγαν Θεὸν acceptum non ferrem, ingratiſſimus eſſem bipedum. At non adeò malè agitur nobiſcum, ut ſi facultate deſtituimur, (& planè deſtituimur,) tot ingentia beneficia referendi, quibus me tibi æternùm tenes obſtrictum, voluntate ſaltem atque adeò cupiditate deficiamur ingenuè apud omnes profitendi, tua in me eſſe merita majora, quàm ut ſperare debeam, alieno hoc ære fore me unquam liberandum. Hoc ego ut agnoſco ſincerè ἐξ ἄκρου μυελοῦ ψυχῆς, ita libenter, pro eo ac debeo, & ingenuè apud omnes profiteor. Etſi autem major tibi ſuppetit facultas præclarè merendi de me ac meis, quàm ſit mihi verborum copia ad gratias tibi agendum; ſpero tamen ampliſſimam Dignitatem tuam mihi condonaturam, quòd rudi ſcriptione hac neceſſario officio apud te defungar. Deus immortalis, qui charitatem veram à verè ſuis ἐν τοῖς αὐτοῦ λογίοις exigit, rependat tibi, *ô & præſidium & dulce decus meum*, καὶ ἐν τῷ παρόντι αἰῶνι καὶ ἐν τῷ μέλλοντι pro tot & tantis, quæ in me ac meos contuliſti beneficiis, bonorum ſuorum ac benedictionum omne genus. Poſtquam tuas legi, quibus ſpem facis continuandæ in hunc annum penſionis, dubitavi an ſcriberem ad illuſtriſſimum virum, Dominum Cancellarium, cujus unius ope atque auctoritate reculas meas iſthic ſtare nullus dubito. Sed tanti Proceris occupationes reveritus, differendum ad illud tempus duxi, quo exemplum operis mei ad ipſius Amplitudinem ſum miſſurus. Non falli te à me vanis dictis, cùm id brevi futurum polliceor, fidem faciet folium, quod mitto. Miratus ſum præſcribere te mihi tempus iſthuc veniendi ante Paſcha. Mihi conſilium erat, poſtquam exemplaria iſthuc miſiſſem, paululum exſpectare ut judicia hominum per te, niſi grave eſt, cognoſcerem. De hoc igitur velim cogites; fortaſſe opere inſpecto intelliges, non abſurdum σκέμμα proponere me tibi. Ipſe igitur ſtatues, & me amabis. Jeſus Chriſtus tibi & domui tuæ pergat benedicere. *Londini, a. d.* VI. *Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CXIV. 1614.

Virum nobilem, Dominum Cottonum vidi, qui te ex animo ſalutat. Oſtendit mihi quæ ſcripſerat; ſed addidit, ſereniſſimum Regem me velle alloqui, & jubere ut neſcio quid tibi ſignificem. Utinam de his & aliis rebus brevi poſſimus στόμα πρὸς στόμα, non per literas interpretes. Det mihi Deus illum diem videre!

EPISTOLA

EPISTOLA DCCCCXXXV.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

Vir nobilissime,

1614. IPsa mearum ad te raritas potest tibi indicio esse, non cessare me, & opus institutum seriò urgere. Sed narro tibi, editionem primæ partis meæ Responsionis esse jam penitùs absolutam, si excipias Indices & Præfationes, quæ futuræ sunt uberiores, &, ut spero, bonis & piis lectu non injucundæ. Vides quantoperè superbiant οἱ ἐξ ἐναντίας de istis Annalibus, & de eorum Authore. Puta te visurum, Deo propitio, anatomen hominis, in qua & virtutes & vitia ob oculos præponentur. Pudebit fortasse istos, qui pro sano tantopere sunt admirati corpus tot tantisque ἕλκεσι βρύον. Sed tuum esto judicium, Vir doctissime καὶ εὐσεβέστατε. Vale, & me ama. Viris amplissimis, Plessenio & Frehero, nisi grave est, multam à me salutem. *Londini, a.d.* IV. *Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CXIV.

Audebone, Vir amplissime, te orare, ut, quas mitto, Turlacum cures perferendas? Audebo, & spero te facturum.

EPISTOLA DCCCCXXXVI.

DANIELI HEINSIO.

Vir clarissime,

1614. COnfido accepisse te eam Epistolam *, quâ egisse tibi gratias memini de Epigrammate venustissimo, quod misisti. Scito id statim esse editum in fine libri, quem Doctor Prideaux scripsit contra Cretensem nebulonem. Adjecta est versio, sive potius imitatio filii mei Merici, qui jam pridem gestit sese in disciplinam tibi tradere. Me, ne illum à me dimittam, triste fratris exemplum † deterret. Eum librum unà cum opere meo brevi, διδόντος τοῦ Θεοῦ, ad te missurus sum. Restant duntaxat Indices & Præfationes; quæ futuræ sunt aliquantò uberiores, &, ut spero, piis hominibus gratæ. Exspectabo judicium tuum, & aliorum qui isthic sunt τοῦ ἀγαθοῦ κόμματος. Tu verò, Musarum decus unicum, ecquid jam agis? Nos senescimus, & ingeniolum τὸ ἀκμάζον, Dei beneficio, corpus habet admodum caducum, cui multa mala Medici denuntiant. Γενηθήτω δὲ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, τοῦ πολυελέου. Sed de his brevi plura, uti spero. Vale, & me ama, qui te fratris & præceptoris loco habeo. *Londini, propridie Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CXIV. 1614.

* *Vide supra, n. 928.*

† *Joannes enim Casaubonus, Merici frater, abjuravit in Galliis reformatam Religionem, & ad Pontificiam transiit.*

EPISTOLA DCCCCXXXVII.

JOANNI MEURSIO.

QUas misisti ad me Notas in Historiam τοῦ πάνυ Thuani, Vir clarissime, cum ipso statim communicavi, te, uti spero, non nolente. 1614. Respondit vir optimus & amplissimus, magnas se tibi habere & agere gratias; petereque à te, ut quod inceperas, perficeres, nisi grave esset: quod ego etiam summis precibus à te contendo. Opus, quod sub prelo habui, jam Dei gratiâ ad umbilicum est perductum. Utinam bonorum exspectationi is liber satisfaciat! Dedi certè operam, ut cupiditatem meam adjuvandæ Ecclesiæ Dei pro mea virili declararem. Tu, Vir doctissime, quid agis? non quiescere enim te, illud scio. Oro Deum immortalem, ut studiis tuis & conatibus magis magisque in dies benedicat. Vale, & me ama. Scripsi raptim. *Londini, propridie Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CXIV.

EPISTOLA DCCCCXXXVIII.

THOMÆ ERPENIO.

MIrabar, ut rectè conjicis, tuum silentium; gravemque ea super re querelam instituissem adversus te, nisi occupationes meæ ejus rei facultatem mihi eripuissent. 1614. Nunc ipsum tuas accepi, quibus sine ulla vel levissima mora hoc responsum dedi. Ago tibi gratias immortales, quod meæ petitionis rationem habuisti. Utinam prius rescissem de tua versione! nam paullò aliter locutus essem de Romana editione, quæ mihi visa Ῥωμαΐζειν illo loco. De Historia Arabica Patriarchæ Alexandriæ, te obsecro, obtestor, & adjuro, ut vel ipsam, vel ejus specimen des publico. Non dubito fore opus Ecclesiæ Dei utile, & bonis gratum. Scito opus meum esse absolutum, τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ. Restant Præfationes paullò uberiores, quas spero piis fore non ingratas. Destinatum est tibi unum exemplar; sed nondum opus prostabit. Proverbiorum editionem à te esse curatam lætor. Oro Deum immortalem, ut te servet quàm diutissimè, & tuis inceptis benedicat. Vale. Uxor te ex animo salutat. *Londini, propridie Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CXIV.

Quas hisce adjunxi, velim diligenter cures, nisi grave est.

Epistola DCCCCXXXIX.

HUGONI GROTIO.

1614. Binis tuis, quas simul accepi, aliàs plusculum nactus otii pluribus respondebo. Nunc duo tantùm volo significare. Munus Savilianum probè curatum est : atque ego illi ipsi in manus proprias tradidi. Hoc spero te ex ipsius literis cogniturum. Operis mei pars prima jam edita est; solique supersunt Indices cum Præfationibus, qui impediant, quò minus exemplar unum ad te mittam. Brevi, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, scito id futurum. Si quæras quæ me post absolutam illam editionem curæ sint habituræ? respondeo, ne mihi id quidem notum esse; adeò me curæ diversæ agitant. Sed de his aliàs plura, uti spero. Interim vale, & me ama. *Londini*, *pridie Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CXIV.

Regi nunc rusticanti tuas non ostendi: videbo quid sit opus facto.

Epistola DCCCCXL.

N. N.

1614. Accepi ante paucos dies, quas ad me dederas propridie Kalend. Februar. Ego pridie fasciculum literarum ad te mittendum Domino Legato dederam. Ac quoniam fuisse illum tibi redditum confido, non tenebo te pluribus. Absolutum esse opus meum nuper significavi; sed propter varias curas ad scribenda Prolegomena animum applicare nondum potui. Editum opus statim ad te mittam, ut per te, nisi grave est, sciam quid mihi sit opus facto. Vidi his diebus Coifetelli vastum opus. Laudo diligentiam; fidem desidero. Eò videlicet totum opus spectat, ut jugum Romani Pontificis imponatur Regibus. Tuetur facta Paparum tam mala quàm bona; rapinas illorum, quæ omnem fidem, omnia exempla superant, aut dissimulat, aut excusat. In uno Gregorio IX. quàm multa pervertit! Matthæum Parisiensem accusat. Esto: sed quòd ait corruptum ab Hæreticis, qui ediderunt; mihi constat ipsum, & ante ipsum, Baronium & Bellarminum impudentissimè mentitos esse. Habeo nunc in Musæo meo ipsum exemplar, quod ille Monachus suæ Abbatiæ dederat, quodque nunc servatur in Regis Bibliotheca. Legi etiam in Bibliotheca Cottoniana ejusdem libros de Vita Abbatum S. Albani. Ibi quoque eædem querelæ de fraudibus, sceleribus & rapinis inexplicabilibus Paparum. Idem Cottonus habet brevem Historiam ejusdem Matthæi, ubi acrius 1614. invehitur in Romanam tyrannidem quàm in editis. Atque hæc omnia in membranis scripta ejus ætatis, quâ ipse vixit, aut circiter. Quæ igitur impudentia est, aut flagitia Paparum excusare, aut Protestantes falsi accusare! Hæc non tacebuntur in Prolegomenis. Si veritas odium paritura est, agnosco fatum illius. Sed moror te. Vale, Vir clarissime, & vive felix. Jam mihi animus totus est in Galliis, propter conceptam spem de profectione ad vos, σὺν Θεῷ, brevi instituenda. Ita velim, ita faxint superi. Vale iterum. *Londini*, XVII. *Februar.* CIↃ IↃ CXIV.

Epistola DCCCCXLI.

N. N.

It ad vos Bilius, ille ipse Typographus, qui librum meum curavit edendum; neque tamen ullum ejus exemplar ad vos defert. 1614. Caussa est, quia etsi liber ipse est absolutus, Prolegomena tamen casu quodam mensem ipsum tardata, nondum planè ad finem sunt perducta : de editione loquor; nam in me, gratiâ Dei viventis, nulla fuit mora. Unum adhuc restat folium edendum; nihil amplius. Ea res faciet, ut ea exemplaria, quæ Francofurtum sunt missa, sine Prolegomenis væneant. Scripsi Epistolam ad Regem, sermonibus quibusdam ejus Majestatis invitatus, in qua tracto illam quæstionem; *An fuerit opus reformatione.* Ego fuisse opus contendo; & quia illam non præstabat, qui ait se habere plenitudinem potestatis, pertendo factum esse divinitùs, ut quidam existerent, qui illam inchoarent. Non laudo præcisè hanc aut illam reformationem; illos graviter accuso, qui negant ullâ opus esse, quique in Antiquitate modica acquiescentes, veram omnibus machinis eunt extinctum. Ea Epistola quia crassis characteribus est edita, excrevit in magnum numerum paginarum; quam tamen illustrissimus Archiepiscopus quum legisset, breviorem dixit sibi videri quàm optasset. Baronium & in hac, & in Prolegomenis ad Lectorem ita descripsi, ut neque falsas ei laudes tribuerem, neque veris detraherem. Simul ac Rex librum suum acceperit, omnia tentabo, ut unum Domino Cancellario, unum Domino Cardinali Perronio, & si possum, tertium Vicquio mittam. Postquam tuum judicium cognovero, dabo operam, ut si ita tibi videtur, me itineri accingam. In Epistola ad Regem habetur historia mei in Angliam ad-

1614. adventûs & moræ ad tempus concessæ verè exposita. Deus immortalis te servet. *Londini*, *a. d.* III. *Non. Mart.* CIↃ IↃ CXIV.

EPISTOLA DCCCCXLII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

Vir nobilissime,

1614. TAndem gratiâ Dei perducta est ad umbilicum pars prima operis magni mei. Habes duo exemplaria, quæ jussi tradi vel clarissimo Grutero, vel alicui mercatori Heidelbergensi, ut unum tibi servares, pignus observantiæ meæ erga te; alterum, si placet, mitteres ad Dominum Buwinckhausen, tibi scio probè notum. Non potui ad illum nunc scribere, neque ad ullum ferè alium amicorum meorum. Et vides quâ festinatione hæc parem. Spero opus non fore bonis ingratum. Scito deesse Prolegomena ad Lectorem, in quibus γραφικώτατα describitur Baronius. Illa quoque scio te libenter lecturum. Sunt autem etiam illa edita uno aut altero folio excepto. Sed moror te. Vale, & me ama. *Londini*, *Non. Mart.* CIↃ IↃ CXIV.

EPISTOLA DCCCCXLIII.

DAVIDI HOESCHELIO.

1614. SAlve, charissime Hœscheli. Mirari sæpe subiit, quod nihil à te literarum tot mensibus accepi: ne proximis quidem nundinis Francofurdiensibus quicquam literarum à te mihi est allatum. Cogitanti igitur mihi humanos casus, sæpe venit in mentem metuere, ne gravis aliquis te morbus occupasset, ὃ μὴ γένοιτο, μηδ' ἔσται. Accipe operis mei partem, quæ est edita. Prolegomena tantùm desunt, quæ nondum planè erant edita. Lege, judica, me ama, mone & doce. *Londini*, *Non. Mart.* CIↃ IↃ CXIV.

EPISTOLA DCCCCXLIV.

DANIELI HEINSIO.

Vir clarissime,

1614. NUper scripsi, opus meum esse Dei gratiâ ad umbilicum perductum. Sola tum erant Prolegomena, quæ publicationem illius impediebant. Ea verò tandem scito esse absoluta, meque post diem tertium mercatori isthîc noto, Domino Bursamach, tria exemplaria traditurum isthuc curanda; unum tibi, alterum Grotio, tertium Erpenio. Non potui citius hoc præstare; vix enim dies sunt elapsi quatuor aut quinque, ex quo ultimum folium est impressum. Itaque ne ὁ πάνυ quidem Eliensis habet à me exemplar. Scito esse allatum ad Regem serenissimum scriptum Scioppii adversus ejus Majestatem & adversus me, planè furiosum. Mihi objicit lenocinium, stuprum, adulterium, furtum; uxori longè castissimæ adulterium; patri optimo, similia scelera. Fingit quæ nunquam sunt facta: adjicit personarum & locorum circumstantias, ne quid desit ad probabilitatem. Ego, volente Deo, simul ac liber erit Francofurto allatus, respondebo seriò & accuratè. Hoc volui nescius ne esses. Vale, & si me amas, μέμνασο ἀπιστεῖν τῷ καθαράτῳ ἀλάστορι. Scripsi raptim. *Londini*, *Eid. Mart.* CIↃ IↃ CXIV. 1614.

EPISTOLA DCCCCXLV.

JOANNI PRIDEAUX. ✠

NOn morabor te pluribus: tantùm 1614.
dicam absolutam esse per hos dies editionem libri mei; cujus mitto ad te unum exemplar, & amoris ἐνδιαθέτου pignus, & ut tuo monitu proficiam, siquid observaveris, quod egeat correctionis. Sincerè hoc dico; nihil gratius facere amici mihi possunt, quàm si in mea scripta severam exerceant censuram. A te autem eò impensius hoc officium exigo, quia notum habeo quid valeas ipse præstare. Adde quòd existimatio tua ita est cum mea conjuncta, ut videatur unà periclitura; postquam meum patrocinium adeò animosè suscepisti, ut vix ipse queam causam animosius agere. Utinam rebus ipsis testatum facere queam hoc genere officii quantopere me tibi devinxeris! Sed scito, surgere jam mihi majus opus. Nam pater meus, qui dicebatur laqueo vitam finiisse, nunc Scioppio dicitur non periisse quidem δι' ἀγχόνης, sed in adulterio deprehensum Lausanæ (quò pater nunquam pedem intulit) pecuniâ supplicium redemisse. Ego, uxor, & omnes mei postulamur lenocinii, furti, adulterii, & cujus non criminis? Quin adduntur nomina locorum, & personarum, ne quid ad probabilitatem desit. Miraris hoc? imò illud potius mirare, quòd cum Rege serenissimo non multò melius agitur. Liber manu exaratus ad Regem est missus. Ubi prodierit, videbis accuratissimam Responsionem, Θεοῦ διδόντος· qui te servet. Vale. *Londini*, *a. d.* XV. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CXIV.

Tui observans,

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA DCCCCXLVI.

✠ ISAACO CASAUBONO THOMAS ERPENIUS.

1614. *Ecce tandem, Vir clarissime, typis Raphelengianis, non Lebeanis, ut futurum putabas, excusum libellum nostrum Proverbiorum; quem ut hilari excipias vultu, non necesse habeo multis te orare: scio enim, quanto jam diu ejus tangaris desiderio, & quàm crebrò ad editionem ejus, ut quid in eo præstiterim intellexisti, imò vidisti, tum coram, tum per literas me sis hortatus. Tuum nunc erit adversus invidos & libellum & me defendere; tuâ enim ille solius auctoritate in lucem prodit; tuo solius hortatu atque suasu ego rudis adhuc pictor Veneri ab Apelle inchoatæ manum admovere sum ausus. Petieram à te non ita pridem per literas, ut primo quoque tempore certiorem me faceres, an per te mihi liceret quasdam tuas in tria quatuorve Proverbia annotationes, quas in exemplari tuo inveneram, iisdem adjicere: verùm cùm nihil responderes, (nec certè poteras, periisse enim in via literas meas, posteà intellexi) prælumque me urgeret, absque venia tua, eas suis locis, commodo publico motus, inserui; quod ut ne ægrè feras, per Musas Orientales nostramque amicitiam te oro & obtestor. Statueram huic libello Proverbia aliquot alia multò elegantissima, è variis Arabum scriptis à me collecta, adjicere; verùm cùm quantitatem eorum tantam esse nunc animadvertam, ut magnum per se volumen constituant, neque otii mihi satis ad ea adornanda suppetat, malo in tempus aliud editionem eorum differre; visurus interim, an conatus nostri (quod equidem sperare vix audeo) aliis æquè atque tibi grati sint futuri. Vale, Vir clarissime, & ERPENIUM tuum amare perge.* Lugduni Batavorum, Kalend. Mart. anni à nato Messia, CIↃ IↃ CXIV.

EPISTOLA DCCCCXLVII.

✠ THOMÆ ERPENIO.

1614. Decumbebam in lectulo jam per aliquot dies κλινήρης è morbo, cùm munus tuum aureum mihi est allatum. Gavisus sum esse à te perfectum adeò feliciter, quod ante aliquot annos quum scripsissem te effecturum, multi non crediderunt posse à te præstari. Liberasti eâdem operâ fidem meam, & decus tibi apud verè eruditos immortale peperisti. Mihi in primis illud placuit (percurri enim statim, licet πυρέσσων) 1614. quod magnum Scaligerum sæpè errantem sic revocasti in viam, ut nihil propterea ejus existimationi sit decessurum. Fecisti quod virum bonum decebat, & doctum. Perge, eruditissime Erpeni, Spartam, quam λάχην nactus es, ornare; neque dubita adfuturum tuis conatibus Deum immortalem, & tuis ingentibus laboribus præmia ἀντάξια, quæ fortasse ab hominibus sperare non potes οἷοι νῦν βροτοί εἰσι, olim cumulatè esse repensurum. Quòd voluisti opus elegantissimum in publicum prodire meo nomini inscriptum, ago tibi eo nomine & habeo grates gratissimas, quantas possum, maximas: sed quomodo ego me erga te præbebo non ingratum? hoc mihi posteà seriò cogitandum erit. Interim tibi mitto pignus sinceri & magni amoris, operis nuper à me editi exemplar. Videbis non defuisse nobis animum defendendæ veræ pietatis. An aliquid præstiterimus operæ pretium, ipse æstimabis, Vir doctissime, & nos amabis. Vale, & sic hæc lege, ut in lecto scripta à febricitante. Itaque clarissimis viris, Grotio & Heinsio, scribere non potui. Tu me excusabis, & exemplaria illis curabis. Meus ἀδελφιδοῦς Chabanæus tibi notus, est nunc isthîc; quem scis mihi esse charissimum, planè ut filium, propter pietatem, & multiplicem virtutem. Cupio illum à te amari. Vale iterum. *Londini, a. d.* VII. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CXIV.

EPISTOLA DCCCCXLVIII.

N. N.

Nescio an sim tandem adeptus, quam 1614. frustra optavi tamdiu, occasionem mittendi ad amplissimum Thuanum unum exemplar operis mei, & alterum illustrissimo Domino Cancellario. Quàm non segnis fuerim, ut possem hoc præstare, scit amplissimus Legatus Gallicus. Tandem oblata est opportunitas, de qua nihil cogitabamus. Nam uxor Gordonii isthuc proficiscens obtulit Legato, deinde meæ uxori operam suam in deferendis illis duobus exemplaribus. Adjeceram alia duo offerenda Cardinali Perronio, & Vicquio; sed fasciculus evasit major quàm ut posset nunc curari. Spero Bilium brevi Lutetiam exemplaria missurum, quibus aliquot adjiciam, σὺν Θεῷ, isthîc dividenda amicis. Ubi opus meum acceperis, spero fore te promissi memorem & liberè expositurum, quæ futura isthîc judices de eo & ejus auctore judicia. Quanquam mihi quidem videtur non dubitandum, quin

1614. quin hostes Dei & Regum sibi semper similes sint futuri. Impium & abominandum esse clamitabunt quicquid cum Satanica ipsorum doctrina non congruit. Hi si, ut fama est, Regem & Reginam habent in potestate, certus sum ipsorum bonâ gratiâ locum me obtinere nullum posse: οἴω. Non hoc miraturus sum tanquam rem novam; omnium sæculorum experientia verbum vetus confirmavit: *Veritas odium parit.* Improbitas autem istorum θεοστυγῶν quò sit provecta, omnes vident. Exspectabo tamen tuas. Vale, & me ama. *Londini*, *a. d.* v. *Kalend. April.* CIↃ IↃ CXIV.

EPISTOLA DCCCCXLIX.

✠ ἸΣΑΆΚ ὁ ΚΑΣΑΥΒΌΝΙΟΣ ἈΝΔΡΈΑ ΔΟΥΝΑΊΩ, ἀνδρὶ σοφωτάτῳ χαίρειν ἐν Κυρίῳ.

1614. Πολλὰ εἶχον σοὶ γράφειν, ὦ προσφιλέστατε Δουναῖε, περὶ τοῦ Πλατωνικοῦ ῥήματος, τοῦ ὑπό σου προβληθέντος, καὶ περὶ διαφόρων σημασιῶν αὐτοῦ, ἐμοὶ οἶμαι δὲ καὶ σοὶ τετηρημένων. Τοσοῦτο νῦν ἐρῶ, ὅτι τοῦ σώματος ἐμοὶ κακῶς ἔχοντος, οὐδὲ τὰ τῆς ψυχῆς, μᾶλλον δὲ τῆς διανοίας, καλῶς ἔχει. Συνέβη γάρ μοι, πληρωθέντος τοῦ κατὰ Βαρωνίου συγγράμματος, πεῖραν λαβεῖν πολλῶν ἀσθενειῶν, αἳ ἀθρόως ἐνσκήψασαι, οὐ μόνον ἐμὲ ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐμοὺς ἰατροὺς, ἐμοὶ φίλους ἐν τοῖς μάλιστα, καὶ τῆς αὐτῶν τέχνης εἰς ἄκρον ἐληλακότας, ποιοῦσι προσδοκᾶν μετεώρους εἰς τί ποτε τελευτήσουσι. Καὶ οἱ μὲν αὐτῶν λιθιᾶν ὑπονοοῦσιν οἱ δὲ καὶ διαβήτην ἀπειλοῦσι, σπανίαν μὲν νόσον, ἀλλ' ἐπίκηρον, καὶ οὐκ ἰάσιμον. Πρὸς δὲ τούτοις καὶ βηχὶ συνεχεῖ, καὶ ἤδη πολυχρονίᾳ παλαίομεν, τὰ περὶ θώρακα καὶ πνεύμονα κακῶς διατιθείσῃ. Ταῦτα ἡμεῖς, τιμιώτατε Δουναῖε, ἀπολαύομεν, εἰ τῷ πιστὸς ὁ τῶν ἰατρῶν λόγος σφόδρα τοῦτο διισχυριζομένων, τῆς ἄγαν περὶ τὴν παιδείαν σπουδῆς. Ἐγὼ δὲ πολλοὺς ἂν θανάτους ἀντὶ τοῦ ἄνευ Μουσῶν βίου ἄσμενος εἱλόμην. Χωρὶς γὰρ φιλοσοφίας ἀργοῦντι πᾶς ὁ βίος ἀβίωτος· γενηθήτω μέντοι, κἂν τούτῳ, κἂν πᾶσι, τὸ τοῦ ἐπουρανίου Πατρὸς θέλημα. Ἴσθι δὲ ἀρέσκειν ἐμοὶ οὐχ ἥκιστα τὴν σὴν παρὰ Πλάτωνι διόρθωσιν· κἀμοὶ γὰρ τὸ ἀρνητικὸν μόριον ἐκ τῶν τοῦ σοφοῦ ῥημάτων ἐκπεπτωκέναι· ἔτυχεν οὖν παρ' ἐμοὶ κριτῇ καὶ οὐκ ἤμβροτεν ἡ σὴ μαντική· καλῶς δὲ καὶ παρὰ τῷ φιλοσόφῳ ἔνδειαν ἀντὶ τοῦ ἐκπλείας· εἰ καὶ οὐδὲ τοῦτο πάντη πάντως ἀποδοκιμάζειν χρεών. Ἀλλὰ περὶ τούτων ῥαΐσας, εἰ τῷ μονωτάτῳ Σωτῆρι Ἰησοῦ Χριστῷ εἴη βουλομένῳ, διὰ πλειόνων πρὸς τὴν σὴν αἰδεσιμότητα μέλλω γράφειν. Ἔρρωσο φίλτατε Δουναῖε, καὶ εὐημερεῖν ἡμᾶς τῷ φιλῶν διατέλει. Ἐν Λονδίνῳ, μεσοῦντος Ἀπριλίου τῇ τετάρτῃ, ἀπὸ τῆς ἐνσαρκώσεως τοῦ Θεανθρώπου, αχιδ.

EPISTOLA DCCCCL.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

Vir nobilissime,

NOvissimas tuas, quibus erant adjunctæ veteris amici mei Samuelis Bernardi literæ, nuper accepi. Petieram ab ipso consilium, deberemne Principi, cui inservit, operis mei exemplar unum mittere. Non ita pridem ipse ab eo acceperam Colloquii Gonteriani * narrationem, jussu Principis, ut ajebat, ad me missam. Volui igitur quasi vices rependere: sed jam deest mihi facultas librum in eam rem paratum isthuc mittendi. Puto pervenisse ad manus tuas destinatum tibi exemplar. Itaque judicium tuum expecto; judicium dico, & acrem, si me amas, & mea dignaris tuâ lectione, censuram. Scio quàm sit facile in tam gravi argumento errare & labi. Ego autem, etsi delectatus semper sum illis literis, ad scribendum tamen de eo argumento nunc primùm accedo. Summa voti mei in suscipienda ea scriptione fuit, ut quasi decimam studiorum meorum Deo immortali persolverem. Olim venerandus parens meus, cùm ego illi Notas in Diogenem offerrem, & de meis inceptis ad rem literariam promovendam multa juvenili more narrarem; respondit mihi, laudare se quidem propositum meum, καὶ τὸν πρὸς τὰ μαθήματα ὁρμήν· cæterùm pluris se vel unicam observationem facturum ad Libros Sacros pertinentem, quàm illa omnia, quorum spem illi feceram. Hæsit animo meo penitùs infixa viri optimi vox illa; semperque ex illo tempore θεῖα μελετᾶν sum conatus. Quod si editione hujus operis piorum judicia sum promeritus, magnas Deo immortali gratias sum acturus, & horam fatalem animo æquissimo sum expectaturus. Deinceps verò, quæ me studia sint habitura, incertum habeo. Patria me repetit, nisi brevi rediero, graves inimicitias mihi denuncians. Ego liberis meis hic prospicere, commodis privatus, quæ hactenus è Gallia percepi, non possum. Jubet quidem me Rex serenissimus & εὐεργέτης bono esse animo; sed meministi Homerici Oraculi:

> Αἰδὼς οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι.

Ego autem, si quis mortalium, frontem infirmam habeo; quo ingenio qui sunt, & in Aulis versantur, næ illi hæredes non multum juvant. In patriam si

* Scilicet, Gonterii Jesuitæ, & Molinæi, Ecclesiæ Reformatæ Ministri; de quo Colloquio vide J. A. Thuani Histor. Continuat. lib. 11. pag. 39.

1614. si rediero, Polybianum scilicet Commentarium adornabo, Θεῷ θέλοντος· sin me providentia divina hîc detinuerit, & faverit cœptis ὁ Σωτὴρ, in examinandis Annalibus Baronianis me exercebo. Est animus formam veteris Ecclesiæ, quà internam, quà externam, positis affectibus, quod pauci fecerunt, accuratissimè explicare. Vides animi mei æstum, & consiliorum τὸ ἄπορον. Sed expediet me, spero, ex his difficultatibus ὁ μέγας ἐν οὐρανῷ Θεὸς, cujus unius est ἐκ τῶν ἀπόρων πόρον εὑρίσκειν. Eum veneror ut te servet, Vir amicissime. Viris amplissimis, Plessenio & Frehero, officiosissimam salutem velim à me nuncies. Vale. *Londini*, *a. d.* III. *Eid. April.* CIↃ IↃ CXIV.

Cùm voles ad me literas mittere, peto à te, ut ad virum illum honestum eas dirigas, qui negotia serenissimi Electoris * in hac Aula gerit: nam ad quem tuas bis misisti, hominum operâ utitur, qui grandem pecuniam pro singulis exemplis à me exigunt. De effigie optimi virorum Bongarsii habeo magnas gratias. Nescio quam benè habeat inscriptio Epistolæ, quam scribo ad Dominum Marchionem Badensem. Te rogo, ut videas, an nil sit reprehensione dignum, potiusque ut Epistolam remittas, quàm deferendam cures, si quid in ea parte sit peccatum; de quo moneri à te cupio. Iterum vale.

* *Palatini.*

Epistola DCCCCLI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1614. Ante hebdomadas quatuor liber meus tandem prodiit, cujus exemplar unum Domino Legato quum offerrem, obnixè eum rogavi, ut aliquam mihi rationem indicaret mittendi isthuc aliquot exemplaria. Sed accidit paulò pòst, ut amicus quidam meus significaret mihi, navim quandam Rothomagensem in portu esse, quæ post unum aut alterum diem oram esset soluturа. Dedi igitur huic fasciculum satis grandem, ubi plura erant exemplaria, Rothomago isthuc curanda, & tibi tradenda. Interim Dominus Legatus memor petitionis meæ, cognito uxorem Domini Gordonii Lutetiam iter instituere, egit cum ipsa, ut duo saltem exemplaria vellet deferre. Quod non gravatè illa se præstituram quum recepisset, meque ejus rei certiorem fecisset, jussi statim duos libros ad eam deferri, obnixèque eam rogavi, ut eâ me curâ liberaret. Decimus quintus hic jam agitur dies, ex quo ipsa Londino est profecta. 1614. Itaque licet ventus adversus per dies multos flavit, quia tamen medii quidam intervenerunt, quibus institui navigatio isthuc non incommodè poterat, confidebam voti hujus me factum esse jam compotem. Accepi tamen hodie, Dominam Gordoniam hærere adhuc in portu, non quia trajicere non possit in Galliam; sed quia Diepam, quò appellere omnino constituit, per ventos, qui jamdudum obtinent, petere non potest. Habes, Vir amplissime, caussam longioris istius moræ. Mea quidem culpa hîc nulla est, nulla cessatio; qui defunctus molestissimo labore, magno emissem quàm primùm posse cognoscere, quo loco posthàc res meæ isthîc sint futuræ. Spero ubi illa duo exemplaria acceperis, quorum alterum cupio tradi Domino Cancellario, tuum judicium fore te mihi significaturum. Ego interim quantum per valetudinem licet, Animadversiones meas in Athenæum recensco, & de bonis literis pro mea virili mereri benè conor. Vale, Vir amplissime, & nisi grave est, scribe. *Londini*, *a. d.* III. *Eid. April.* CIↃ IↃ CXIV.

Epistola DCCCCLII.

* * * * ‡.

‡ Forte, *Illustrissimo Principi*, Marchioni Badensi: *de quo suprà*, Epist. DCCCCLI.

✠

Serenissime Princeps,

Multum doleo illustrissimæ Celsitudini tuæ, quæ veram historiam rerum isthîc gestarum ab audacissimo Sophistarum, mihi dignata est communicare. 1614. Accepi enim ante menses aliquot brevem narrationem de instituto in Aula tua Colloquio † à Samuele Bernardo, vetere amico meo; jussu tuo, ut ajebat, ad me missam. Narraverat etiam mihi prius Rex Magnæ Britanniæ Jesuiticum illum furorem Sedano suæ Majestati nuntiatum; sed initium rei, progressum & finem, id scriptum primò nos docuit, quo à Celsitudine tua fuit missum. Nuper verò eruditissimi Wegelini ‡ librum, quo Gonterianæ fraudes accuratè exponuntur, idem Bernardus ad me misit, & ab illustrissima Celsitudine tua salutem mihi dixit. Optarem equidem, magne Princeps, dari mihi aliquam occasionem testificandi quantum me tibi eo nomine debere agnoscam; darem operam pro meo virili, ut humile obsequium meum tibi probarem. Meretur singularis illa pietas pari prudentiâ juncta, quarum specimen insigne in eo negocio nuper dedisti, ut omnes Deum timentes & purioris Religionis aman-

† *Vide suprà*, *Epist.* DCCCCLI.

‡ *Hic Thomas Wegelinus fuit Argentinæ Professor Theolog. Moritur a. 1629. V. Pauli Freheri Theatr. Viror. eruditor.*

1614. amantes omni cultu & observantiâ tuam Celsitudinem submissò animo prosequantur. Ego verò præ cæteris habeo quod gaudeam, Thrasonem illum, quem sine ulla causa multi hodie faciunt tanti, eo vecordiæ devenisse, ut suæ amentiæ tam insigne ederet documentum. Hic enim est ille novus Goliath, * qui ante annos hinc decem Henrico Magno, Mæcenati meo, ausus est polliceri, triduo se effecturum, ut ego fierem Christianus. Sic enim locutus est ille bambalio, quasi Christianus non esset quicunque Romanum Pontificem pro Deo terreno reformidat habere. Rideret affatim, & simul indignaretur seriò tua illustris Celsitudo, si narrare illi aggrederer, quibus artibus, quove genere argumentorum & iste, & alii ex eadem schola mecum egerint, ut me scilicet in Ecclesiam introducerent. Ego verò non parum debere me & illi pyrgopolinici, & similibus sophistis, agnosco non invitus. Quando verè affirmare possum, nunquam me ab eorum colloquio, aut lectione librorum ab istis scriptorum recessisse non confirmatiorem. Horret animus eorum meminisse, quæ vel ex ore ipsorum audivi, vel in scriptis legi. Quoniam autem nihil impotentius jactant hodie veritatis hostes quàm doctrinæ suæ antiquitatem & consensum cum primæ Ecclesiæ Doctoribus, ausus sum nuper veræ Antiquitatis patrocinium suscipere adversus novitatem, quæ falsò iis dicitur Antiquitas. Scit tua Celsitudo, quantum operæ positum sit à Cardinale Baronio, ut probaret omnia Ecclesiæ Romanæ instituta, quæ vocantur in dubium, esse antiquissima. Huic respondere, & Annales illius examinare aggressi sumus, Rege maximo inceptum nostrum comprobante, atque adeò stimulos addente. Jam Dei beneficio pars prima operis nostri edita est, cujus exemplar unum illustrissimæ Celsitudini tuæ destinavi; atque adeò paratum habeo isthuc mittendum, ubi primùm dabit se opportunitas. Missum esset cum iis libris, qui Francofurtum sunt delati, si fuisset tum opus absolutum. Sed omnia illius missa exemplaria parte non pœnitendâ deficiuntur. Causa, quam defendo, est causa communis omnium Protestantium. Itaque sperare ausus sum, rem me facturum tuæ Celsitudini non ingratam, Princeps serenissime, si exemplum unum ipsi mitterem. Cupio id accipi ceu pignus certum submissæ observantiæ meæ. Ego interim Deum immortalem precibus venerabor, ut illustrissimam Celsitudinem tuam, & quicquid illi charum; præsertim Dominum juniorem Principem, filium ipsius (non sine admiratione virtutum, quibus excellit, hîc aliquando mihi visum) protegat, servet, ac magis magisque in dies bonorum omnium genere cumulet. *Londini, pridie Eid. April.* CIↃ IↃ CXIV. 1614.

* Fortè, *Perronius Cardinalis, de quo vide Epist. Gallic. ad Scaliger. pag. 352. 419.*

Illustrissimæ Celsitudinis vestræ sincerus & humilis cultor,

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA DCCCCLIII.

HUGONI GROTIO.

Vir præstantissime,

SOleo mirari silentium nostrum, cujus culpam tunc sustineas an ego, nondum constitui. Memini anno, cùm tu hîc eras, quàm longè aliter futurum uterque nostrum speraverit, atque alter alteri simus polliciti. Ego non sum mihi conscius neglecti hac in parte officii, ita ut omnibus tuis non responderim. Respondi enim profectò omnibus, & quidem tuis novissimis non semel. Tu an meas semper acceperis nescio, & cupio scire te significante. Nuper verò, simùl ac opus nostrum publicam lucem vidit, unum ad te misi exemplar, memor & officii & datæ fidei. Eram tunc temporis æger & κλινήρης· ex quo factum, ut neque ad te, neque ad τὸν πάνυ Heinsium scribere potuerim. Confido eruditissimum Erpenium, cui misi aliquot exemplaria, & scripsi etiam in lecto, unum eorum tibi, uti rogaveram, deferendum curasse. Nunc scilicet expeto, quid tu, quid vestri Theologi sitis judicaturi. Omnibus placere me non posse, satis novi: si bonis placuero, hoc est, orthodoxæ & piæ Antiquitatis amantibus, non lusisse me operam putabo: τοῦτο μὲν οὖν Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται καὶ κειόθων. Vale, Vir ἐκ θυμοῦ προσφιλέστατε. Habeo nonnulla, de quibus tecum libenter garrirem; sed jam tempus non est. Iterum vale, & me ama. *Londini, a. d.* IX. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CXIV. 1614.

EPISTOLA DCCCCLIV.

JOANNI MEURSIO.

REsponsum ad novissimas tuarum, Vir clarissime, citius accepisses, si per valetudinem meam licuisset mihi literis scribendis dare operam. Miror queri te, quòd nullas ab amplissimo Thuano acceperis; videris enim existimare, te, quando tuas eruditissimas Notas misisti, aliquam ad Thuanum Epi- 1614.

1614. Epistolam adjecisse, cui ipse non responderit. Tu verò, Vir eximie, si ita persuades tibi, in errore versaris. Nam ego tunc temporis unas duntaxat literas accepi; illas nimirum ipsas, quæ tuas observationes continebant, quasque ego ad Thuanum misi. Si alias ipse scripseras, scito eas mihi non fuisse redditas; ac propterea Thuano de illis nihil unquam fuisse compertum. An postulata illa tua, quorum in postrema Epistola meministi, continerentur ea, quam ad Thuanum ipse misi, pro certo non possum affirmare: puto tamen, nihil eorum in illis literis tuis me legisse. Egit verò mecum ipse magno studio, ut tibi gratias agerem; &, quàm gratum hoc tuum insigne officium sibi fuerit, prolixè exponerem. Certus sum, te nihil ab ipso petiturum, quod non statim sis impetraturus,

Εἰ δύναται γε τελεῖν, καὶ εἰ τετελεσμένον ἐστὶ.

Vale, Vir clarissime, καὶ ἐυημερῶν διατέλει. *Londini*, *a. d.* IX. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CXIV.

Epistola DCCCCLV.

JOANNI POLYANDRO.

1614. Diu est, Vir clarissime, cùm ad te scribere gestiebat animus: nam qui sæpe multos multa præclara de tua singulari pietate, pari eruditione juncta, audissem prædicare; optabam non eâ duntaxat conjunctione animorum, quæ pios omnes ubivis locorum positos invicem conciliet; sed illâ etiam arctiore amicitiâ, quæ literarum commercio fovetur, tibi conjungi. Accedebat alia etiam caussa: cogitans enim unum è filiis meis studiorum caussâ isthuc mittere, precibus multis volui à te contendere, ut si fieri posset, in tuam domum illum admitteres; ut in ea velut in asylo quodam tutus esset à fanaticis opinionibus, quas audio isthic impunè grassari. Hæc cogitanti mihi allata est tua Epistola, quæ per hanc urbem diu jactata, ecce tandem pervenit quò mittebatur. Gaudeo, Vir doctissime, esse tibi datam occasionem antevertendi cunctationem meam. Posthàc si ita tibi videbitur, mutuâ scriptione hoc officium diligenter colemus. Ego, si per curas quibus obruor, & morbum gravissimum licuisset, post tuas acceptas horam unam responsionem non distulissem. Scripsi nuper decumbens è morbo ad singularem amicum meum Thomam Erpenium, ut meum silentium apud te excusaret. Si vitam Deus Opt. Max. concesserit, dabo deinceps operam ut intelligas, eas amicitias facere me plurimi, quas olim Genevæ cum piis viris contraxi. De posthuma filiola τοῦ μακαρίτου Baudii tantum scio, quantum ipse mihi indicasti: nam à clarissimo Heinsio à multis mensibus literarum nihil accepi. Velim credas, & matri infantis meis verbis seriò confirmes, si qua detur occasio commodis inserviendi vel matris, vel filiæ, paratum illi fore studium, officium, operam & laborem meum. Videat qua in re possim illi esse utilis, & quod facere me volet, factum putet, εἰ δύναμαί γε καὶ εἰ τετελεσμένον ἐστι. Filii mei * missionem ad vos Regis serenissimi voluntas retardavit; cui placuit, ut in Academia Oxoniensi aliquamdiu maneret, priusquam transmarinas Academias adiret. Nihil dum tamen certò constitutum est. Vale, Vir clarissime, & me ama. *Londini*, *a. d.* IX. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CXIV. 1614.

* Merici Casauboni.

Epistola DCCCCLVI.

SIBRANDO LUBBERTO. ✠

Non dubito mirari te, Vir clarissime, cessationem meam; qui novissimis tuarum nullum adhuc responsum dederim. Quod ut parum comiter factum videri posse, ne ipse quidem abnuam; ita nullâ culpâ meâ evenisse, verè possu affirmare. Initio cùm tuas accepi, statim respondere constitueram; sed tantâ variarum curarum mole obrui mihi tum contigit, ut præstare, quod optabam, non potuerim. Occupationes illas gravissimus morbus excepit, qui me lecto affixum aliquandiu tenuit. Etsi autem ne nunc quidem difficili hoc morbo sum liberatus, differre tamen diutius nolui, quin tibi significarem, quanto cum animi dolore tuam postremam Epistolam legerem. Video crescere in Ecclesiis vestris jurgia, & contentiones. Video ipsum Magistratum venire in partes. Vereor igitur, ne ea res majoribus motibus occasionem præbeat, nisi ὁ μέγας ἐν οὐρανῷ Θεὸς, καὶ ὁ Σωτὴρ Ἰησοῦς ἐκ τῶν ἀπόρων πόρον invenerit. Tibi privatim quasi necessitatem esse impositam scribendæ Apologiæ, ex animo doleo. Spero tamen eam te, pro tua pietate & prudentia, æquitatem esse adhibiturum; eâque in scribendo moderatione esse usurum, ut aliis sis futurus exemplo. Feceris quod te dignum est, hoc est, eo viro, quem propter rerum divinarum peritiam, & tot exantlatos ad veritatis cœlestis defensionem labores, omnes 1614.

1614. omnes boni piique viri dudum unicè colunt & obſervant. Ego in his, Vir ἰσοθέστατε, qui Deum ſupplex veneror, te ſervet omniaque tua conſilia ad nominis ſui gloriam & Eccleſiæ ædificationem ut dirigat. Vale, & me ama. *Londini*, *a. d.* IX. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CXIV.

EPISTOLA DCCCCLVII.

✠ THOMÆ ERPENIO.

1614. MEnſis jam ferè præteriit, ex quo ægrotanti mihi & κλινήρει tuum excellens munus eſt ab affine tuo allatum. Rogavi ſtatim illum, ut quatuor exemplaria operis mei Baroniani curaret ad te deferenda. Conatus etiam ſum pauca tibi ſcribere, & pro immortali beneficio, quo me affeciſti, gratias tibi agere. Sed noli, amabò, gratum animum meum æſtimare ex iis, quæ πυρέττων, & lecto affictus tum ſcripſi. Ego verò tantum me tibi eo nomine debere ſentio, quantum ne nunc quidem verbis poſſum exprimere. Toto morbi mei tempore fuit mihi in manibus dies noctesque tuus liber. Quantum autem putas tu me gaudere, quòd fidem meam liberaveris, idque tam inſigniter! Non te fugit, eſſe quoſdam Lutetiæ ſciolos, qui exorienti gloriæ tuæ ὑπὸ κακοηθείας ἐμφύτου invidentes, me vanitatis & φλυαρίας accuſabant, quaſi ea ſcripſiſſem, quæ vires tuas ſuperarent, quæque nunquam eſſent futura. Iſtis hominibus tua editio erit ἀλγηδὼν ὀφθαλμῶν, & quod ipſi non poſſunt præſtare, id ab alio præſtari, & quidem adeò feliciter & doctè, iniquiſſimo ferent animo. Tu verò, amiciſſime Erpeni, lætare iis bonis, quibus te Deus immortalis manu adeò liberali ornavit. Oro illum ſupplex, ut longam tibi largiatur vitam, & tuis ſtudiis magis magiſque in dies benedicat. Vale, & ſi quid tuâ cauſâ poſſim, impera. Uxor ex animo te ſalutat. Ipſe parenti tuo venerando, quem hic vidi, ſalutem à me, ſi placet, nunciabis. *Londini*, *a. d.* IX. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CXIX.

EPISTOLA DCCCCLVIII.

HUGONI GROTIO.

Vir ampliſſime,

1614. ACcepi hoc ipſo ferè momento, quas die vigeſimo hujus menſis ad me dederas. Reſpondebo accuratè & κατὰ λεπτὸν, σὺν Θεῷ, ad omnia, de quibus ſcripſiſti, ubi prius miſſam à te chartam cum Rege ſereniſſimo & nonnullis ex ordine Epiſcoporum communicavero. 1614. Tuas ad Dominum Overalum ipſe illi deferam hodie, & de veſtro negotio conſilium ipſius exquiram. Scito autem ipſum non eſſe jam Decanum Paulinum, ſed Epiſcopum Lichfeldenſem, quâ dignitate ante menſem ab optimo Rege eſt ornatus. Sed, ut ſunt res humanæ, hanc acceſſionem honoris parum ipſi lætam reddidit ſive λιθίασις, ſive alius non diſſimilis generis morbus, quo eo ipſe ferè die eſt correptus, quo dignitatem eſt adeptus. Efficiam ſi potero, ut ipſe ad te ſcribat; aut ſi id minus poſſum, ſententiam ipſius planiſſimè tibi exponam. Ego ſtatim faſciculo tuo aperto Edictum Illuſtriſſimorum Ordinum legi, & in eo unum aut alterum locum notavi, quos optaſſem paullò aliter eſſe conceptos. Sed exſpectabo ſententiam aliorum; deinde omnia, quæ vel ipſe obſervavero, vel ab aliis intellexero, diligenter tibi perſcribam. Interim propoſitum Illuſtriſſimorum Ordinum ſatis laudare non poſſum, qui curioſis ingeniis hoc Edicto fibulam eunt impoſitum. Benedicat Jeſus Chriſtus ipſorum inceptis omnibus! Mihi quidem dudum perſuaſiſſimum eſt, inter graviſſima ſæculi noſtri mala eſſe, immoderatam hominum cupiditatem penetrandi in arcana Dei conſilia, etiam ultra ea, quæ æterna Sapientia nobis revelavit in Scripturis. Vetus Eccleſia firmiter credidit, multa eſſe in Religione Chriſtiana μυστήρια, de quibus ſilere ſatius eſſet, præſertim apud plebem, quàm ſubtiliter diſputare. Scripſi multa nuper de illa Veterum opinione, cùm exponerem, cur Sacramenta dicantur myſteria; quod argumentum quum tractarem, & ſimul veniret in mentem hodiernarum controverſiarum, non abſtinui quin aliquid ea de re dicerem. Vide, ſi libet, paginæ 564. initium: puto enim tandem accepiſſe te exemplar tibi deſtinatum, quod ante menſem ad D. Erpenium miſi. Atque ego cùm tuas legerem, miratus ſum, eum librum nondum tibi fuiſſe redditum; nam menſis præteriit, ex quo affini D. Erpenii faſciculus ille eſt traditus. Volui Illuſtriſſimis Ordinibus unum exemplar mittere, pignus humilis obſervantiæ; ſed prius te conſulto opus eſſe judicavi. Præfatio continet defenſionem Reformationis; argumentum omnibus Proteſtantibus commune: pergam in propoſito, ſi autor mihi fueris, non aliter. Illud verò etiam impenſius à te peto, ut quid Theologi veſtri de meo illo opere judicent, facias

1614 cias me certiorem. Equidem doceri cupio meliora, si quis isthic est, qui velit me docere; eâ tamen lege, ut contraria fidei Ecclesiæ primitivæ credere non compellar. Confido ejusdem mecum esse te sententiæ: quò magis te oro obsecroque, ut tuas miniatulas ceras mihi ne invideas. Vale, Vir clarissime & amicissime. *Londini*, *a. d.* VI. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CXIV.

Uxor ex animo te salutat. Exspectabo responsum tuum ad has literas.

Tui observantissimus,
IS. CASAUBONUS.

Inscriptio.

Amplissimo, clarissimoque Viro,
D. HUGONI GROTIO, JC.
& Civitatis Roterodamensis Syndico, amico observando.
ROTERODAMUM.

EPISTOLA DCCCCLIX.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

1614. EA quotidie de rebus Gallicis nobis nuntiantur, quæ magnâ bonos omnes sollicitudine afficiant, me verò consiliorum meorum rationem mutare cogant. Constitueram edito meo libro patriam invisere, & è re nata cum amicis περὶ τοῦ μέλλοντος consilium capere. Nunc si vera sunt, quæ vulgò jactantur, non eundi in Gallias; sed fugiendi è Galliis quàm longissimè videtur esse tempus. Exspecto tamen literas tuas, ex quibus nunc cùm maximè consiliorum omnium meorum summa pendet. An isthuc Domini Gordonii uxor pervenerit nescio, ac vehementer doleo, meliorem hactenus defuisse mihi occasionem librum meum tibi mittendi. Dedi illi unum exemplar tibi tradendum, quod an acceperis, cupio ex tuis cognoscere. Quæro quotidie rationem aliquam plura exemplaria amicis isthuc mittendi; nam Bilius nescio quibus rationibus ductus, nullum videtur exemplar in Galliam missurus. Vale, Vir amplissime, & εὐημερῶν διατέλει σὺν τῇ πότνια συζύγῳ καὶ τέκνοις. *Londini*, *a. d.* II. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CXIV.

EPISTOLA DCCCCLX.

DANIELI HEINSIO.

Vir clarissime,

QUoties venit in mentem quàm raras à te literas accipiam, silentii 1614.
tui caussam soleo requirere, nec possum invenire. Quid enim tuus Casaubonus commeruit, cur has tu ab illo pœnas exigas? Verè dico, genus id quoddam tormenti est mihi, quoties tuas diutius cogor exspectare. Si te non amarem μανικὸν ὅσον, quietiore animo tuis præstolarer. Accedit quod nunquam aliquid à te literarum accipio, quin redeant in memoriam illa tempora, cùm nullam à te solebam Epistolam accipere solam; sed semper binas simul, quarum erat una tua, altera magni illius amici, τοῦ νῦν μακαρίτου Josephi Scaligeri, cujus viri incomparabilis memoria vigere in animo testatur opus in Baronium, quod in tuas jam manus pervenisse nullus dubito. Misi ante mensem doctissimo Erpenio aliquot exemplaria, rogavique ut eorum unum tibi redderet. Quòd nihil ad te literarum tunc dedi, morbus impediit, à quo ne nunc quidem sum liberatus; etsi jam Dei gratiâ κλινήρης non sum. Verùm scito, amicissime Heinsi, corpore nos esse admodum affecto, & gravissima à Medicis morborum genera nobis denuntiari, non tanquam imminentia; sed ut jam contracta, & quæ diutius latere non queant. Jam sunt aliquot menses, cùm urinæ effundendæ magnas difficultates experimur. An ea sit vera λιθίασις, inter Medicos nondum convenit. Accedunt alia incommoda valetudinis, multò etiam fortasse magis metuenda: γενηθήτω δὴ τὸ τοῦ ἐπουρανίου Πατρὸς θέλημα. Mitto tibi librum Doctoris Prideaux, ubi est tuum elegantissimum Epigramma. Nunc postquam opus meum vidisti, si tuâ commendatione illud judicaveris non indignum, audebo Musas tuas appellare. Carmini τοῦ πάνυ Grotii adjectum est Epigramma *, quod ne ipse quidem intelligo; sed non potui non adjicere. Vale, Vir clarissime. *Londini*, *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CXIV.

* Danielis Barclaii.

Fiducia, quam habeo de tua amicitia, facit me audacem, ut non verear grave onus tibi imponere, tot literas curandi, quas mitto. Hoc à te obnixè peto. Tuum de meo opere judicium & amicas ἐπισημειώσεις exspecto.

EPISTO-

EPISTOLA DCCCCLXI.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

Illustrissime Vir,

1614. CONfido rediisse tandem te domum post negotium feliciter transactum, cujus gratiâ Suessionem fueras profectus. Atque ego Deo immortali gratias ago immortales, quòd illi, quibuscum tibi res erat, publicam tranquillitatem consiliis turbulentis anteposuerunt. Nunc igitur spes est posse me ex tuis literis cognoscere, quæ sint isthic de meo opere hominum judicia. Equidem non dubito plurimis τῶν ἐν τέλει fore multa ingrata, quæ scripsi; sed an propterea patriâ meâ æternùm sit mihi carendum, id verò ego nescio, & ut quàm primùm scire queam vehementer cupio. Audio esse multos, quos Præfatio ad Regem offendat; qui essent fortasse mihi æquiores, si considerarent, scopum ejus scripti esse docere, fuisse opus reformatione; quæ dum negabitur ab iis, qui omnia jura Ecclesiæ ad se trahunt, mirari nemo debet, privatim sibi consuluisse populos Christianos variarum nationum. Denique si contra fidem antiquæ Ecclesiæ aliquid dixi, id per me indictum esto. Sed aliam hodie obtinere doctrinam non nescio. Itaque Deo me totum permitto. Iterum tamen te obnixè rogo atque obtestor, ut tui consilii copiam mihi facias. Audio filium * iter huc cogitare, qui utinam tuis mandatis instructus veniat! Habeo parata exemplaria, quæ isthuc mittam; sed hactenus nulla est oblata occasio ἐδ' ἡ τυχῦσα. Vale, Vir illustrissime. Deus te servet ἄνοσον καὶ ἀπήμαντον. *Londini, pridie Eid. Maj.* CIↃ IↃ CXIV.

* *Joannem Casaubonum.*

EPISTOLA DCCCCLXII.

DANIELI HEINSIO.

Vir clarissime,

1614. GRatulor tibi novam professionem, quâ te nuper fuisse ornatum, ex tuis literis & disertissimis Orationibus, quas misisti, intellexi. Ego quid tibi rependam, nihil jam habeo. Nam post editionem operis mei, (quod statim ad te missum an acceperis, nondum scio) curando corpori operam dare sum coactus. Itaque à scriptione nunc cessamus; non prius redituri ad pensum sive Baronianum, sive Polybianum, quàm de futuro meo statu erit aliquid certi constitutum. Optarem omnia tua opera, & poëtica τὰ καββαλογενέδην γεγραμμένα, in unum Tomum esse conjecta. Mihi & jampridem est in animo, filium meum Mericum in disciplinam tibi tradere, si Deus immortalis vota mea exaudiat, neque tu nolis. Cupio in Græcis, Latinis & Hebraicis literis ipsum seriò exerceri. Hoc in Anglia posse fieri sperare non possum; nam hic locupletissima sunt Collegia; sed quorum ratio toto genere diversa est ab institutis omnium aliorum Collegiorum. Quo sumtu filium possim isthic alere honestè, scire velim. Quod si res meæ ferunt, ut par sim futurus illi impensæ, exspecta me isthic non multò post tuas acceptas. Si consilium probas, cogitabam apud Dominum Polyandrum hospitium illi procurare, fieri modò queat; te enim solum vivere, neque aliud nisi tua studia curare audio. Spero tamen hoc saltem impetraturum me ab humanitate tua, ut filio meo velis esse, quod fuit ὁ μέγας Scaliger tibi, ἐργοδιώκτης nempè & assiduus hortator. Vale, Vir clarissime & amicissime. *Londini, a. d.* XIII. *Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CXIV.

Misi nuper ad te grandem fasciculum, quem an acceperis, velim significes: erant in eo multæ Epistolæ, quas spero esse à te curatas. Opus Baronianum ad optimum & clarissimum Erpenium fuit missum.

EPISTOLA DCCCCLXIII.

HUGONI GROTIO.

DE Edicto † Illustrissimorum Ordinum, quod nuper misisti, egi accuratè cum Rege serenissimo, cum Domino Archiepiscopo, cum aliis præstantis doctrinæ Præsulibus. Et Rex, & omnes qui legerunt, consilium vehementer & probarunt & laudarunt. Interest enim Religionis Christianæ, & ad Protestantium existimationem vel maximè pertinet curiosis hominibus fibulam imponi, ut desinant tandem ὑπερφρονῦντες ‡ παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν· pacem Ecclesiarum turbare, & suâ illaudabili πολυπραγμοσύνῃ infamiam ἀταξίας ⸸ & νεωτεροποιίας apud veritatis hostes Reformationem profitentibus inurere. Summâ igitur laude Illustrissimorum Ordinum prudentia digna est, quæ hujus sui Edicti publicatione & curiosas hominum mentes, Deo cœptis favente, in officio continebit, & sui imperii Ecclesiis publicam reddet tranquillitatem. Faxit Dominus Jesus, ille unicus Ecclesiæ auctor ac conservator, ut, quem boni sperant, fructum ex hoc saluberrimo con- 1614.

† *Edictum hoc seu Decretum Illustrissimorum ac Potentium Ordinum Hollandiæ ac West-Frisiæ pro pace Ecclesiarum exstat inter Epist. Remonst. n. CCXXIV. pag. 379. ed. in fol.*

‡ *Epist. Eccles. & Theolog. n.* CCXXIV. *Φρονῦντες.*

⸸ *Ἀτα-ξίας.*

1614. consilio, Illustrissimi Ordines percipiant, & nos pro stabilita inter Ecclesias tranquillitate occasionem gratulandi brevi habeamus. Neque verò consilium duntaxat Rex ἰωπϐεςατ©, & alii viri gravissimi probavere; sed & formulam quoque ipsam jussu Ordinum conceptam. Apparet enim id esse actum, ut à duobus scopulis in hac doctrina æquè periculosis, hinc Manichæorum, inde Pelagianorum, populi avertantur, & in ea doctrina confirmentur, quæ salutis nostræ proram & puppim, principium, inquam, progressum & πλήρωσιν, uni Deo adscribens, contemtum tamen bonorum operum non inducat.

✠ Paucula sunt tantùm, quæ uti in formula concipiuntur, reprehendendi cupidis ansam videntur aliquam præbitura. Nam inter illa abrupta, quæ sunt vitanda, illud quoque recensetur: *Quosdam à Deo ad salutem invitari, quibus omnino salutem non dare decreverit:* quod etiam iterum paulò pòst repetitur. Atqui si multi vocati, pauci electi, *Matth.* XX: 16. si ut toties repetit Paulus, certus est servandorum numerus, quos ab æterno Deus elegit; sequitur necessariò non eodem proposito, neque pari efficaciâ ad salutem omnes homines vocari. Hoc igitur si auctores Edicti negare voluerint, multi sine dubio existent, qui eorum sententiæ sese sint oppositurі. Videtur etiam hac formulâ jus decernendi de capitibus fidei civili tribui Magistratui, quod neque prisci Imperatores, neque Rex serenissimus Magnæ Britanniæ sibi unquam vindicarunt. Non clam te est, Decretorum in Nicæno Concilio editorum auctorem nunquam esse habitum Constantinum; neque Martianum eorum, quæ sunt in Chalcedonensi constituta. Satis namque habent uterque Imperator profectos à Patribus Canones suâ auctoritate munire, ut à populis reciperentur, & deinceps observarentur. Ea disciplina an isthîc vigeat, nostrum non est quærere: speramus tamen, Illustrissimos Ordines, pro sua pietate & prudentia, Deo & ejus Ministris, quod Dei est semper, relicturos; sola sibi sumpturos, quæ sunt Cæsaris, id est, quæ ex lege Dei ad pii Magistratûs curam pertinent. Non defuerunt, qui etiam in fine Edicti verbum *educare* sic interpretarentur, quasi dicerent Illustrissimi Ordines, populos suos in vera Religione esse à se institutos. Nam, ut scis, id verbi de institutione plurimùm usurpatur. Id verò munus esse Episcoporum & Pastorum potius quàm Principum, dubitat nemo. Sed fuit fortasse alia mens illis, qui Edictum composuerunt. Spero autem, Groti præstantissime, viros illos amplissimos, qui tibi auctores fuerunt, ut id 1614.
scriptum ad me mitteres, quicquid in ea re est à me factum, æqui bonique consulturos. Sic faveat Deus immortalis piis omnibus Illustrissimorum Ordinum cœptis, & illorum imperium servet, fortunet, adaugeat. Vale, Vir clarissime, & me ama. *Londini*, *a. d.* XIII. *Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CXIV.

EPISTOLA DCCCCLXIV.

FRANCISCO SWERTIO. ✠

BEasti me literis tuis, Vir optime, & 1614.
eruditissime; in quibus hoc primum me delectavit, quod statim initio salutem nuntiabas ab A. Miræo; quem ego virum & amo ex animo, & inter sæculi ornamenta ponendum censeo. Tu quoque, nisi grave est, meis verbis ipsum salutato, & omnia mea officia ei deferto. Historiam de casu nebulonis illius, cujus meministi, narraverat mihi ante aliquot menses Rex serenissimus; deinde omnia uberius cognovimus, ubi Legatus ipse fuit reversus. Dissimulat illa pestis hoc sibi evenisse, quia adversus magnum Regem impudentissimum libellum scripserat. Scis habere Principes longas manus; quod illi fuerat cogitandum. Ille infamis libellus ex Hispania ad Regem missus fuit, ipsâ belluæ illius manu scriptus. In eodem de patre meo, de me, de uxore inauditâ fingendi licentiâ multa nefariè comminiscitur. Jesuita Cretensis Cacodæmon exprobrabat mihi mortem patris, qui laqueo vitam finisset: iste impurus contradicit illi, & nescio quæ alia Diaboli magistri sui figmenta commemorat. Adversus Andræam Cacodæmonem scripsit Anglus *, vir eruditus. Ego autem in digressione quadam operi meo † inserta accuratè fabulam illam Satanicam confutavi. Mittam ad te eum librum proximâ hebdomade, volente Deo; nunc enim in urbe ejus exemplum non inveni apud Librarios, quia est editus Oxonii. Quod narras, optimos Patres clamare, Religionem Catholicam opere meo everti; sanè si fateri tandem voluerint, suam Religionem è diametro in multis cum vetere Christiana pugnare, quam tradiderunt Christus & Apostoli, fatebor liberè novis commentis & eorum patronis bellum esse à me indictum. At veteribus Patribus nulla in re me contradixisse profiteor: si feci, dignus veniâ sum; imprudens enim feci, & canere palinodiam sum paratus. Sed non vereor ne id possit ab istis pestibus humani generis demonstrari. Doleo

* Joannes Prideaux.

† Exercitation. ad Annales Baronii, Exercit. I.

Doleo

1614. leo ademptam esse spem viris bonis & doctis, qui isthic sunt, opus meum inspiciendi. Istos ego arbitros & censores fero meorum scriptorum; non illos, qui sub obtentu Antiquitatis omnia nova defendunt, & odio plusquam Vatiniano veram Antiquitatem prosequuntur. Nos contrà in illa eruenda in lucem omni studio atque diligentiâ laboramus, & dum erimus, laborabimus: certi ejus operæ mercedem in cœlis fore nobis repositam, qui illam in terris non quærimus. Vale, Vir humanissime, & me ama. *Londini, a. d.* XII. *Kalend. Jun.* CIↃ IↃ CXIV.

EPISTOLA DCCCCLXV.

N. N.

1614. QUartus prope jam mensis agitur, ex quo nihil à te literarum ad me pervenit. Mirarer, nisi compertum haberem, quæ negotia te ex illo occupatum habuerint. Nunc postquam rebus confectis domum es reversus, tuo alloquio brevi me beandum confido. Vidimus hîc librum adversus amplissimum Thuanum, à Gretsero Jesuita nuper editum. Ibi observabat Rex optimus, & non minus Christianus, quàm illa familia est Satanica; probro illi verti, quòd infamem lanienam anni LXXII. non laudarit. O virum beatum hoc crimine! sed quo spiritu ducatur ὁ τρικάρηνος, & illius mancipia vides. Ego exspecto ex ea Cerberea familia, qui conatu ingenti adversus me insurgant, & nullum non criminis genus in me conjiciant. Esto: prædixit olim Spiritus Sanctus, per malam æquè ac per bonam famam perveniri in cœlum. Mihi cum triplici morbo scito nunc rem esse. Vetus est ἀῤῥωστία τὸ νοσεῖν τὰ περὶ θώρακα· sed quæ nunc solito urget me gravius. At tumor ventris recens malum est, cui nondum Medici remedium potuerunt invenire. Tertium est δυσουρία, cujus caussam variè exponunt Medici, & adhuc sub judice lis est. In hoc statu literas tuas exspecto, Deum assiduè venerans, ut te servet ἄνοσον καὶ ἀπήμαντον, & quicquid nobis charum. *Londini, a. d.* VIII. *Eid. Jun.* CIↃ IↃ CXIV.

EPISTOLA DCCCCLXVI.

DANIELI HEINSIO.

Vir clarissime,

1614. TErtius jam exactus est mensis, cùm librum meum adhuc musteum tibi misi. Quia autem eo tempore jacens in lecto ex adversa valetudine dare ad te literas non potui, ubi primùm meliusculè habere cœpi, grandem fasciculum exaravi & ad te misi, in quo literæ 1614.
continebantur ad plurimos amicorum meorum, qui isthinc ad me scripserant. Multum mea interest scire, an fuerit ritè curatus ille fasciculus; quod ut mihi significares, magnoperè te rogaveram. Scripsi posteà etiam alias literas, misique ad Dominum Grotium, itemque alios, & de missis libellis tuis grates egi gratissimas. An tot meæ Epistolæ perierint, velim mihi quamprimùm significes; nam Exercitationes meas tibi fuisse redditas, ex literis optimi Erpenii cognovi. Cùm tibi vacabit, cognoscam, spero, è tuis. Vale, & me ama. *Londini, Eid. Jun.* CIↃ IↃ CXIV.

Si librum meum vel obiter inspexisti, vidisti mendas fœdissimas passim toti operi inspersas: vidisti & mea σφάλματα ἐξ ἀπροσεξίας, quæ manum secundam desiderant.

EPISTOLA DCCCCLXVII.

JOANNI POLYANDRO.

QUum ante quartum jam mensem 1614.
tuas accepissem, Vir venerande, quo minus illis statim responderem, morbo sum impeditus, qui me aliquamdiu affixum lecto tenuit; sicut scribere memini ad virum longè eruditissimum atque amicissimum, Erpenium. Sed non multi præterierunt dies postquam ad illum literas dederam, cùm multas Epistolas de eodem, quod ajunt, oleo paravi, & fasciculum satis grandem ad clarissimum Heinsium misi. Inter alias fuit una ad te, Vir præstantissime, quâ agebam tibi gratias, quòd me scribendo provocasses, cupidum sanè jampridem te compellandi; sed nescio quomodo hactenus cunctatum. Respondi etiam de posthuma τοῦ μακαρίτου Baudii †, candidoque animo tibi significavi, non debere ipsius matrem hoc utique tempore ullum à ****** subsidium expectare. Conatus sum jam ante plures menses vadum tentare, & quid inde esset sperandum explorare. Volui etiam operâ & gratiâ viri magni D. N. quem vocant Comitem de N. in eam rem uti; nôram enim, quo ille animo erga patrem fuisset. Verùm neque illi visum est oportunum, id nunc aggredi negotium; & ego re cum aliis τῶν δοκούντων communicatâ, alienissima esse hæc tempora ab omni ejusmodi petitione, sum expertus. *** Omitto alia plurima, quæ si literis committenda censerem, facilè intelligeres, non esse nunc tempus

† *Filiola. Vide suprà. Epist.* DCCCCLV.

1614. pus petitionis illius instituendæ; in qua poterat studium meum & opera aliquid fortasse prodesse: nam equidem si ratio temporum ullo pacto pateretur, nullum officium fuissem prætermissurus, quod à viro bono, & Christiano, atque eo amico, potuit sperari. Eâ sublatâ spe, quæ nunc profectò nulla est, possitne opera mea vel matri, vel filiolæ ulla in re esse utilis, vos statueritis. Ego si possem, hoc est, si non obstaret θάλασσα ἠχήεσσα, quæ nos dividit, facerem lubens, ut quantum sim patrem admiratus, assiduis erga filiam officiis probarem. Nunc ejus rei arbitrium permitto tibi, & clarissimo Heinsio, ut id consilium matri suggeratis, quod è re infantis maximè futurum judicaveritis. Mirari nunc unum satis ipse nequeo, eo quem dixi fasciculo quid sit factum; amico enim exploratæ fidei eum tradidi, & qui meas ferè omnes in Hollandiam solitus curare. Sed accipiet tandem aliquando fasciculum illum amicissimus Heinsius, qui suarum securitati 1614. melius prospicere non solet. Nam quum ante menses ferè quatuor exemplar ad eum miserim libri à me nuper editi, necdum tamen an librum ipse acceperit, ex ejus literis potui cognoscere. Eum librum piis hominibus isthîc non improbari, ex Epistola tua posteriore didici, eoque nomine Deo immortali gratias egi. Si dabit ὁ χρηστὸς Χριστὸς vitam, & conatibus meis benedicet, majora moliemur in proxima parte, & veram Antiquitatem summâ fide & diligentiâ asseremus. *Londini*, *Eid. Jun.* CIↃ IↃ CXIV.

Peto à te, ut viros clarissimos, Meursium & Erpenium, ad quos scribere nunc non potui, meis verbis salutes quàm officiosissimè. Versatus jam isthic Isaacus Chabanæus, sororis meæ filius, juvenis singulari pietate præditus, cui si patefeceris aditum ad amicitiam, rem feceris gratissimam. Amo ipsum non aliter ac filium.

SUBSEQUUNTUR ALIQUOT EPISTOLÆ,

quæ tempori non fuerunt in promptu.

EPISTOLA DCCCCLXVIII.

FRANCISCO JUNIO.

1591. CUm ex rumore quodam, qui de de tua valetudine ad nostras aures acciderat, Vir clarissime, dolorem summum cepissemus; lætati sumus vehementer ante aliquot menses, cùm ex nostris mercatoribus, qui Francofurto redibant, intelligeremus te Dei Opt. Max. beneficio ex eo morbo convaluisse, & pristinam sanitatem recuperasse; quo nomine & Deo grates agimus immortales, & tibi ex animo gratulamur; nec tibi tantùm, sed toti adeò Reipublicæ, quæ si quid te factum fuisset, plagam planè ἀνήκεστον hoc tempore accepisset. Sed factum bene, quòd aliter magno illi rerum omnium Arbitro visum est. Id primùm, ut dixi, mercatores nostri isthinc revertentes, nobis significarunt; posteà autem suis literis idem mihi indicavit vir clarissimus, Dominus Fraxineus, qui te sibi visum Francofurti scripsit. Commelinus verò tuus, imò noster, etiam rediisse 1591. te cum Musis in gratiam affirmavit, non illis solùm severioribus, sine quibus βίον ἀβίωτον esse tibi persuasum habeo; sed etiam cum amœnioribus istis, ad quas oblectamenti caussâ divertere soles: quo nuncio cumulus, mihi crede, priori illi meo gaudio accessit. Spero enim (& ita sperare idem Commelinus jubebat) futurum, ut cùm alia ingenii tui monimenta brevi lucem videant, tùm illæ imprimis exoptatæ multis Annotationes in Epistolas ad Atticum, quarum expectationem etiam Lipsius doctis nuper commovit. Quare obsecro te per omnes Musas, noli diutius id opus, quod pridem non affectum tantùm, sed planè perfectum esse ambio, premere, & nobis invidere. Equidem cùm aliàs avidissimè tale scriptum eram à te expectaturus; tum eò etiam magis ejus expectatione nunc, penè dixe-

1591. dixerim, crucior, quòd nuper auctore magno Bezâ & reliquis collegis, institui illas Epistolas in Schola nostra interpretari. Sperabam enim diligentiâ & labore meo posse tanto oneri par esse: nunc video totum esse aliud; præsertim cùm quotidie animadvertam, in doctissimos viros, qui eas sunt interpretati, & quorum præsidio bene fultum fore me putabam, convenire multis locis vetus dictum, posse ἐπείησεν ἡ κλίμαξ τὴν ἄμπελον· nisi caveam ipse mihi, & domo præsidium quæram. In primis autem cruciant me loci Græci, qui quasi ex compacto omnes penè videntur corrupti. At noster Lemovix, ille sanè doctissimus, nusquam minus Bosius est, meo quidem judicio, quàm ubi verba Græca corrigere conatur; & tamen præter illum habemus neminem, quod sciam, qui vel mediocri Græcarum literarum cognitione instructus ad Epistolas illas interpretandas accesserit. Quare in te uno spes est; quem non dubito præstiturum aliquid tuis cæteris scriptis simile, hoc est, dignum quod in arce Minervæ ponatur. Tantùm ne nos diutius expectatione hujus boni torqueas. Vale, Vir maxime. Datum *Genevæ*, *a. d.* III. *Non. Januar.* CIↃ IↃ XCI.

Epistola DCCCCLXIX.

✠ GULIELMO STUCKIO.

1591. Vidistine unquam triconem aliquem & lentum nomen, qui, dum diem ex die duceret, nec creditori suo satisfaceret, repertus sit tandem, prioris summæ duplum debere, æquatis fortè usuris? En ego is sum, Stucki venerande: is, inquam, ego sum; qui dum differo prioribus tuis respondere, repentè alterâ Epistolâ tuâ oppressus sum; quæ quidem simul ac in manus meas venit, pupugit me, & statim de negligentia mea in scribendo visa est mecum expostulare. Et profectò jam me ipse non accusabam tantùm; sed graviter etiam objurgabam, atque adeo vehementer incipiebam δυσωπεῖν, & propemodum meimet me pudebat. Enimverò suavissima illa Epistola tua instar Achillis hastæ mihi fuit; eadem enim, quæ vulnus fecerat, ipsa sanavit. Nam ubi illam aperui, video te, quæ est singularis humanitas tua, non tam accusare quàm excusare silentium meum; & varias ejus caussas comminisci, quibus adduci te scribis, ut sine culpa mea videatur id accidisse. Agnosco igitur, Stucki charissime, hoc peccatum meum; non enim penitùs me excusaverim; illinc verò æquitatem tuam & constan- 1591. tiam in suscepta amicitia colendo fovendoque, cui ut deinceps par sim, dabitur à me sedulò opera: neque committam iterum, ut me de missione literarum possis accusare. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Res nostræ quo loco sint, ipse probè nôsti; in primis quæ sit & quanta ærarii inopia; quàm exhausti nostri omnes cives; quàm ingens pauperum & mendicorum turba. Verè dico tibi: plerique nostrum ægrè se & suos defendunt ab illo λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν. Una est, quæ nos sustinet in his tantis difficultatibus, spes.

- - - Μούνη δ' αὐτόθι
Ἐλπὶς ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισι
Ἔνδον ἔμιμνε, πίθου ὑπὸ χείλεσιν· οὐδὲ θύραζε
Ἐξέπτη.

Verè enim nunc illud Hesiodeum possumus usurpare; eò quidem magis, quòd spes hæc nostra non est spectrum aliquod inane, quod metuere possit aliquis, ne nos deludet. Speramus enim in Domino uno, cui uni nos nostraque, omnemque adeò totius Ecclesiæ causam commendamus. In hoc igitur ex omnis nostris ærumnis conquiescimus. Οἴδαμεν γὰρ ᾧ πεπιστεύκαμεν. In humanis quidem rebus quantum esset præsidii, sæpe jam, ut nôsti, sumus experti; & tamen, ut nunc sunt res, ne illud quidem nobis defore videtur. Non enim te fugit quanta belli moles hìc paretur, cui cœpto si Deus ille Sabaoth benedixerit, næ scelus illud hominis habebit, quod agat, & ubi nervos intendat suos. Quod si verum est, multum illum profecisse qui benè cœperit, constat profectò nobis cur & lætemur, & de cætero bene speremus. Nam cùm exiisset ex urbe quantum erat quod tum habebamus copiarum, pridie Kalendas Januarias accidit Dei virtute, ut ipsis Kalendis hujus anni plagam hostis acciperet, haud sanè mediocrem. Erant nostri in obsidione occupati castri cujusdam munitissimi, Buringam vocant; quod amici illi nostri anno priore tantis viribus cùm essent oppugnare aggressi, expugnare scilicet non potuerunt. Intereà ecce tibi turmæ aliquot equitum, quæ nostros palantes, ut fit, nec opinantes, penè opprimunt, prius quàm de eorum adventu vel tenuissima esset suspicio. Res erat in magnum adducta discrimen; sed affuit Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, qui, ut fit in tragœdiis, rem in contrarium vertit ac videbatur casura. Quid multa? cæsus est fugatusque hostis impius; è cujus turmis

1591. mis quinquaginta plus minus fuisse desideratos, pro comperto habetur. Sed quod eos maximè urit, inter occisos fuit Hispanus quidam magni nominis; quem sui vehementer, ut audio, lugent. Agnovit igitur hostis, ut superiore anno, sic hoc quoque Kalendarum diem sibi esse ominosum. Deus Opt. Max. faxit, ut quo pede cœpit, eodem eat pergatque ad finem usque, non hic tantùm annus, sed alii quoque omnes qui nos manent, & vos. Vale, virorum optime. Datum *Genevæ*, *a. d.* VII. *Id. Januar.* CIↃ IↃ XCI.

EPISTOLA DCCCCLXX.

ΠΕΤΡΩ ΝΕΒΕΛΕΤΩ ΔΟΣΧΙΩ ΙΣΑΑΚΟΣ ΚΑΣΑΒΩΝ πράττειν.

1591. Εἷς, δύο, τρεῖς, δὲ καὶ τέσσαρές εἰσι μῆνες, ὦ ἐρασμιώτατε τῶν ἐμῶν φίλων, ἐξ οὗ ἐκομισάμην παρὰ τῆς σῆς φιλότητος πεμφθεῖσαν ἐμοὶ ἐπιστολήν· ἐπιστολήν τ' ἄλλα μὲν ἡδίστην καὶ γλυκυτάτην, τῇ βραχύτητι δὲ τῇ ἑαυτοῦ, οὐ βραχύτι (εἰρήσθω γὰρ τ' ἀληθές) ἀλλὰ πλεῖστον ὅσον ἐμὲ λυπήσασαν. Πῶς γὰρ οὐκ; ἐγὼ γὰρ μακροτάτην πεπομφὼς μακροτάτην παρὰ σοῦ προσεδόκων ἐμὲ λήψεσθαι. Ἐγένετο γοῦν ἐμοὶ τοῦτο ἀνιαρὸν καὶ λύπης αἴτιον· τὴν γὰρ αἰτίαν τῆς σῆς βραχυλογίας τέως μὲν ἠγνόουν, τέλος δ' ἐνόησα, καὶ νοήσας τῆς ὀργῆς ἐλώφησα, μᾶλλον δὲ τῆς ἀνίας ἐκουφίσθην· σὺ γὰρ δηλονότι τὰ τῶν Λακώνων φρονεῖς, καὶ τὴν παρ' αὐτοῖς νομιζομένην ὀλιγοέπειαν ἐπιτηδεύεις· ἐγὼ δὲ μέχρι τοῦδε τὰ τῶν Ἀθηναίων ἐφρόνουν, καὶ ἐν ταῖς Ἀθήναις πολιτογραφεῖσθαι περὶ πλείστου νήπιος ἐγὼ ἐποιούμην· χαῖρε δ' ὦ φίλος· οὐ θέλω σοὶ λακωνίζοντι ἐχθρὸς γίνεσθαι· αὐτομολήσω δὲ τὴν σὴν χάριν, ὡς Λακεδαιμονίους, καὶ τὰ τῆς Σπάρτης μετὰ ταῦτα αἱρήσομαι, καὶ ἰδοὺ σπαρτιάτης ἤδη γίνομαι, καὶ τῆς σῆς βραχυλογίας ἔρως μ' εἰσέρχεται. Ἔρρωσο τοίνυν, ὦ πάντων φίλτατέ μοι ἑταίρων· ἔχεις ἐπιστολὴν ὡς μὲν παρ' Ἀθηναίου βραχυλόγον, ὡς δὲ παρὰ Λακεδαιμονίου μακρολόγον· πάλιν ἔρρωσο, καὶ ἡμᾶς φιλῶν διατέλει. Ἐν Γενεύῃ, Αὐγούστου μηνὸς φθίνοντος ὀγδόῃ, ἔτει ἀπὸ τῆς ἐνσαρκώσεως ἐνενηκοστῷ πρώτῳ ὑπὲρ χίλια καὶ πεντακόσια.

EPISTOLA DCCCCLXXI.

THOMÆ SAVILIO, ANGLO.

1591. Accepi literas tuas, doctissime Savili, & cum literis ea, quæ sunt pereruditè notata, quà in nos, quà in Strabonem nostrum. Pro qua humanitate tua (sic enim accipio) ingratus sim, ni tibi grates gratissimas agam. Id quod iterum nunc ecce facio, scriptis jam binis literis animo meo erga te gratissimo testando. Nam si nescis, alteram proximo mercatu Epistolam ad te scripseram; sed quia suspicio est fecisse illam naufragium, & quidem in terra, atque adeò in ipsa, ut puto, urbe Francofurdo, (nam id mihi Sylburgius meus significavit) placuit κατὰ δεύτερον πλοῦν, quod ajunt, hæc ad te exarare; partim, uti dixi, gratias agendi causâ; partim etiam, ut te rogarem, significares mihi, ni grave est, ubi gentium degas, & quò deinceps meas literas mittere debeam, ut tutò ad te perferantur. Mihi enim in animo est, sæpius per literas tecum agere, tecum loqui, tecum de illis ipsis disputare, ad quæ tu me scripto illo tuo provocasti. Tu vide, ut mutuum facias. Me quidem cum semper reperies, qui & refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia paratus sim. Vale, doctissime, idemque charissime Savili. Datum *Genevæ*, *a. d.* VIII. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCI. 1591.

EPISTOLA DCCCCLXXII.

VIRO MAXIMO, PHILIPPO CANAIO A FRAXINIS.

Morem ecce gero tibi, Vir ἄριστον ἄριστε· ero enim bene & graviter impudens, quando & cœpi semel, & tu ita vis. Quam igitur offers mihi tam prolixè, tam amicè opem ad promovenda mea studia, admitto libens, & ambabus, quod ajunt, accipio. Dicerem gratias me tibi pro ista tua tanta liberalitate agere, nisi ea esset tuorum in me beneficiorum magnitudo, ut hoc translatitium τοῦ εὐχαριστεῖν genus in exemplo tam raro usurpare esset pudor. Enimverò cùm verè sanctèque affirmare possim, nullius rei humanæ cupiditate duci me, nisi τοῦ εἰδέναι· (quæ quidem unica cura dies noctesque cor meum sollicitat) quantum, obsecro, debeam tibi necesse est, cujus ope maximè illa subsidia me confido habiturum, absque quibus vanus atque irritus omnis meus sit futurus labor? Ego siquidem, Vir maxime, qui reculas penè omnes meas in aliis omne genus libris absumsi, nunc cùm ad istas linguas præstantissimas animum seriò appuli, quò me verterem non habebam. Ἀεὶ γὰρ ἀμφὶ καλοῖς ἔργοις, ait Pindarus, δαπάνα πόνος τε μάρνανται. Tandem sic apud me constitui, vel unus ille hac te ærumnâ liberabit, qui solus tibi hactenus variis procellis jactato portus fuit; vel hæc planè studia deserenda. Dubitavi diu diuque, fateor; atque adeò quòd dubitaverim, culpam deprecor. Sic enim 1591.

1592. enim te judicare video. Ignosce igitur, & hoc habe à me novum gratiarum agendarum genus. Cæterùm quando tibi placet, ut ego tuâ liberalitate audenter utar, peto à te, ut loco eorum librorum, quorum Indicem nuper misi, Venetica Biblia Hebræa, cum Rabbinorum Commentariis, si fortè tolerabili pretio reperiantur, mihi pares. Magnum, scio, onus hisce temporibus impono tibi, & tuâ liberalitate non utor, sed abutor. Ego verò accipi petitionem meam à te volo, quod sine magno tuo fiat incommodo. Mihi quidem illo libro carere durum est, qui præsertim non mediocres paucis in Chaldaica & Rabbinica lingua progressus fecerim; ulterius longè, si Deus cœptis annuat, perrecturus. Extat autem triplex illorum Bibliorum editio: ego illam optaverim, quæ Aben Ezræ & Kimki Commentaria habet; nam quantum judico, ex omnibus Hebræorum Doctoribus isti δύο εἰσὶ πέπνυνται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι. Huic libro scilicet addideris comitem D. Kimki Michlel, & librum Schorasim, sive Radicum. Atque hæc nunc satis: deinceps siquando Deus te tuis opibus pristinis iterum donaverit, audebo iterum fores tuas pulsare, & alio te ferire munere. Nunc de instituto hoc meo sic paucis accipe. Noli enim putare ita me in his studiis nunc versari, ut propterea de prioribus aliquid remiserim, cùm & docendi munere laboriosissimo fungar assiduè; & aliquid quotidie parem in eo genere literarum, in quo non sine laude visus sum tibi, Vir amicissime, operam posuisse. Quò ergo, inquies, novus iste labor? Ego verò quid moliar, quò spectem, vix audeo dicere. Primum, quia vitæ summa brevis spes vetat inchoare longas; deinde quia prudentis hominis non est, eam de se spem velle excitare, quam posteà sit destituturus. Veruntamen, quod uni tibi dictum sit, fatebor, quod res est; non eo animo tantum studii ponerem in linguis his, ut Hebræos Rabbinos intelligam; non est, inquam, id ἀρχιτεκτονικὸν meum τέλος· sed ut harum ope Arabicam intelligere queam; quâ usi sunt plerique summi Philosophi, quorum scripta in omni sapientiæ parte præstantissima, linguæ illius imperitiâ hodiè vel ignorantur, vel nulla, certè parva cum utilitate leguntur. Igitur, quod Deus Opt. Max. bene vertat, constitui tantisper in Rabbinicis scriptis me exercere, donec facultas detur isthuc eundi. Isthuc enim ire mihi necesse est, si studium meum Arabicæ linguæ seriò applicare velim. Multa enim in istis locis scio reperiri, quorum hic οὐδ' ἐν ὀνείροις nomina sunt audita. 1592.
Prætereà certum est omnino in tuos amplexus, Vir amantissime, venire priusquam tu exlegatus fias, aut hoc onere libereris, quod te in Germania tot jam annos tenet. Est & tertia ratio, quæ me, ut isthuc cogitem, ἐνδελεχῶς stimulat. Annus siquidem ille, ut vides, est elapsus, quem me hic moraturum nostris Senatoribus receperam. Quare nunc tandem de meis tecum deliberem statuamque, planè, nisi desipio ego, necesse est. Et faciam, crede affirmanti, serò quidem, sed seriò. Veniam, inquam, isthuc ad te, & oculorum meorum desiderium vel proximis nundinis, vel iis, quæ proximas sequentur, explebo. Tantum ut te tuosque, & nos omnes servet Deus immortalis incolumes. Vale, Vir summe, & studiorum meorum Mecœnas unice. *Genevæ, a. d.* VI. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCII.

EPISTOLA DCCCCLXXIII.

FRANCISCO JUNIO.

SCripsi nuper ad te, Vir maxime; eæ 1593.
literæ utrum redditæ tibi fuerint, an naufragium prius fecerint, nescio: certè siluisti tu post illa; quem equidem hac parte nolui imitari. Cùm enim tam opportunam facultatem essem nactus, non potui non hæc pauca ad te exarare, quibus & constantiam in amore atque observantia tui mea testatam tibi facerem; & insuper rogarem te obnixissimè, fidem tuam tandem de illis ad Atticum Epistolis liberares. Nam quousque nos expectatione tanti muneris vexabis, cruciabis? Unus, alter, tertius, quartus jam agitur annus, cùm te memini spem mihi ejus operis facere. Quid, quæso, de te sumus commeriti, ut spem, quam excitaras, posteà desereres? Est sanè mora lenocinium magnum: verùm ego omnes artes mangonizandarum mercium procul à tuis moribus, à simplicitate & integritate vitæ tuæ ὡς πορρωτάτω scio abesse. Veruntamen quid sit, quod αἰτιᾶσθαι debeamus, si hoc non sit, nescio. Etsi suspicor culpam Typographi hic esse nonnullam. Sed profectò ille, etsi lentus est & cunctator, tamen si tu urgeres, non ita flagitiosus esset, ut hanc invidiam sibi vellet conflare. Quare obsecro te, Vir doctissime, da nobis omnibus, qui harum literarum, qui tui nominis studiosi sumus, ut quàm primùm ille tuus fœtus tollatur, & libero aëre fruatur, qui tam diu tam iniquè in scriniis tuis & pluteis latuit. Est & aliud, quod te rogem,

1593 gem, Juni, virorum optime: rumor enim hic increbuit brevi isthuc venturum Josephum Scaligerum, gemmam illam literarum, mundi ocellum; apud quem plurimum te jure merito valiturum nullus dubito. Constitui igitur, si grave non est, te uti parario & interprete; mittamque ad te literas, si venisse illum intellexero; quas tu ornes verbis tuis velim. Intereà verbis meis, si isthic sit, plurimam illi salutem nuncies rogo. Peterem etiam à te, ut juvenem hunc, qui istas tibi tradit, haberes commendatum, & amicitiâ tuâ digneris: sed qui sciam te audito patris ejus nomine, pro tua humanitate illum esse non dilecturum tantùm, sed etiam ut unum è tuis curaturum, verborum faciam compendium. Superest Deum supplex venerer, ut te nobis suæque universæ Ecclesiæ salvum servet & incolumem εἰς αἰῶνας αἰώνων. Vale. *Genevæ, a. d.* VI. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCIII.

Epistola DCCCCLXXIV.

CHRISTOPHORO COLERO.

1593. Literas tuas accepi, quà amoris, quà eruditionis notis refertissimas. Amo igitur te plurimum, laudo immensum, qui in amore mei sis ita constans, in cultu Monetæ filiarum ita felix. Perge quo cœpisti pede. Spondeo οὕτω φιλομαθεῖ ἔσῃ affuturam πολυμάθειαν· sponsam pluribus expetitam procis quàm olim Penelopen aut Helenen; & tamen dici nequit, quàm pauci procandi rectam viam nôrint. Alii aliquantulum provecti laborum pertæsi & impatientes πλαισπυρίας desistunt ab incepto; alii ἀφ' ἑστίας & in ipso limine peccant, nec rectam ineunt viam, quibuscum eò agetur deterius, quò pergunt ulterius. Pauci, quos Jupiter æquus amavit, & initio rectum iter tenuerunt, & in eodem constanter hæserunt. Hos manet laus æterna. Istorum vestigia insequere, mi Colere, neque te deterreat ab honestissimo proposito aut vulgi judicium, quod has artes negligit; aut eorum etiam, qui malunt videri docti quàm esse. Istos dico, qui majores illas scientias tractant sine præsidio harum artium; quos tam facilè nobis est cum ratione contemnere, quàm ipsi nos sine ratione negligunt. Sed quid ego? Non enim institui παραινετικὸν ad te, verùm amori meo tribues, qui pro te est sollicitus. Magnam enim de tuis studiis opinionem concitasti. Eam ne prodas vide. Sed certum est potius eam te superaturum; in quo omine desino. Vale, mi Colere, & me ama. *Genevæ, a. d.* V. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCIII. 1593.

Epistola DCCCCLXXV.

JOANNI SERRANO.

EGo verò, Serrane præstantissime, nec tui oblitus sum; & me tibi non penitus animo excidisse, ex tuis literis libens lubensque cognovi. 1594. Ut secus putarem, & de constantia in amore mei tua dubitarem, fecerat vetus illud Ἀμυκλαϊκὸν silentium tuum. Cùm enim ego te & præsentem coluerim semper ut alterum, quod ipse ajebas, parentem, & absentem amare atque observare nunquam desiissem; factum tamen nescio quomodo, ut ipse hactenus in tuenda nostri memoria non respondere videreris. Nam qui non unis neque binis, sed plurimis literis te lacessissem, elicere tamen à tot annis vel brevissimam à te schedulam non potui. Quid quod ne salutatus quidem tuis verbis tam longo tempore à quoquam fui? Et tamen sæpe factum scio, ut tu intereà huc literas dares. Hoc quomodo acciderit, nec scio, nec scire jam laboro. Habeo enim tandem literas à te, tui in me amoris obsides, & quasi pignora; quas velim persuasum habeas mihi fuisse multis nominibus jucundissimas & gratissimas. Quare si ita videtur, redeamus tandem, mi Serrane, in viam; & institutam pridem amicitiam, sed casu nescio quo, quacunque caussa intermissam (non enim dicam interruptam) fideliter revocemus. Imitemur, quæso te, amantes, quorum αἱ ἀποσιωπήσεις & frigufcula vertuntur in amoris irritamenta, & fiunt οἱονεὶ τοῦ πάθους ἐκκαύματα. De me hoc tibi polliceor, si modò gratam tibi amicitiam & observantiam meam intellexero, nunquam futurum, ut firmitatem animi & constantiam in me desideres. Tu vicissim, ut me ames, si à te non postulavero, sed flagitavero; meo jure, vel te judice, fecero. Quem enim puerum amicitiâ tuâ dignatus es, eum cur aut contemnas virum, aut non digneris φιλοῦντα ἀντιφιλεῖν, ratio non est. Accedit huc & studiorum communio; nam etsi ingenii & ἀγχινοίας parum nobis tribuimus, tamen qui in studiis assiduis & de literis pro virili bene mereri cogitet, is mihi, cujus egregiæ voluntati docti faveant, non indignus videtur. Amemus ergo inter nos, mi, Serrane; & usuram superioris temporis invicem exigamus. Platonem tuum esse à te recensitum & perpolitum, & publico & tuo nomine immensum gaudeo; teque hortor etiam atque

1594. atque etiam, ut quàm primùm editionem ejus matures; feceris rem omnibus & Platonis & tui nominis studiosis (in queis ego nomen profiteor meum) perquàm gratam. Scimus nos tuum illud excellens ingenium ita tum fuisse distractum, quando in eo opere versabaris, ut magis miremur ea à te potuisse præstari; quàm indignemur, sicubi fortè in tanto præsertim opere lege humanæ naturæ cespitare contigerit. Quòd igitur quasi sub incude tuum opus revocasti, & novam editionem in tantis illis procellis parasti, laudo vehementer; teque iterum rogo, ut non nisi re confectâ quiescas. Quòd autem me ad societatem aliquam honestissimi laboris vocas; & jubes symbolam conferre, σπεύδοντα tu quidem concitas; sed quid & quantum sperare à me debeas, ipse videris. Equidem si placet tibi quæ inter legendum, ut fit quandoque, observavi, ea ut tecum communicem, in me nulla mora est. Quòd scribis, audisse te, me Psalmos ἑρμηνευθῆναι, sic enim loqueris; falsus es: nec scio unde ille vanus rumor. Memini adolescens ingenii exercendi caussâ in eam palæstram aliquoties descendisse. Sed mihi non ea frontis durities, ut post Serranum, Jamotium, & Florentem Christianum, in eo genere aleam tentare velim. Fecit hoc, si nescis, Portus Junior, & inde fortasse fabulæ occasio nata. Verùm ille fruatur sanè suâ laude, quam nullus ei invideo. Et nôsti, credo, hominis vilitatem, ne quid asperius dicam. Nos in studiis, quibus adhuc vacavimus, sumus etiamnum ὅλοι καὶ πάντες, quantum quidem per hæc calamitosa tempora fieri potest. Habemus enim in manibus Suetonium, Polybium & Athenæum; quos Auctores præstantissimos novâ luce illustrare conati sumus. Eos ordine, ut spero, brevi edemus; & statim unum tibi cujusque exemplar mittemus. Strabonem, credo, nostrum vidisti. Edidimus & alia nonnulla, quæ etsi rudia sunt, & vix bene inchoata, magnam tamen apud omnes variarum nationum doctos gratiam mihi pepererunt. Stephanum non vivere, etsi est in vita, omnibus bonis, mihi verò ante alios per est molestum. Nemo magis ab omni ævo ἐπιστώσατο vetus dictum, δὶς παῖδες οἱ γέροντες· atque utinam puer tantum peccaret! levius & patientius ferremus. Nunc ... sed de eo homine nolo plura; quem ego nec amare satis, nec odisse possum. Paulus Stephanus, affinis meus, juvenis, ni pater impediret, magnæ spei, amantissimè & officiosissimè ἀντιπροσαγορεύει. Typographiam isthîc te velle instituere lætor. Tantum moneo videas, quid 1594. agas, & cui tua committas. Epicharmus olim, νᾶφε καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν· id tibi dictum puta. Vale, Vir clarissime, & me ama. *Genevæ, a. d. IV. Kalend. Jun.* CIↃ IↃ XCIV.

Epistola DCCCCLXXVI.

EIDEM.



IN summis meis occupationibus, clarissime idemque charissime Serrane, non potui non hæc ad te exarare, cùm de oblata facultate essem ab amico quodam factus certior. Scripsissem antè, & tuæ mellitissimæ Epistolæ statim respondissem, si saltem triduo postquam rediit, eam mihi impurus ille, qui te voluit decipere, reddidisset. Sum sanè in hoc genere admodum ὀξύπεινος, & qui moram ægrè feram, tamen longius nihil mihi unquam fuit, quàm ut tuas reciperem. Tantæ mihi voluptati est, instaurata hæc inter nos, & quasi denuò sancita amicitia. Igitur, ut ὡς οἷόν τε διὰ βραχυτάτων tuis respondeam, iterum affirmo tibi, mi Serrane, factum sæpius ut literas ad te darem; semel etiam, credo, per P. Waltonum tuum, imò nostrum. Hoc propterea nunc quoque repeto, ne tu me putes tam inhumanum fuisse, ut meo officio antè semper quàm sim à te lacessitus, defuerim. Οὐχ οὕτω πέφυκα τὸν Θεὸν τὸν φίλιον. Ego me semper eum esse studui, qui ingenii, eruditionis, industriæ laudibus facile cuivis cederem; constantiâ officii & τοῦ καθήκοντος curâ nemini concederem. De Platone, quando ita vis, age, mos geretur tibi; sic tamen, ut de tempore affirmare habeam nihil. Cupio enim non leviter defungi hoc amicitiæ munere. Eam ad rem, quod tu non nescis, plusculum otii opus est; mihi præsertim, homini ferè semper occupato. Non enim te fugit quàm iniquè agatur cum iis, qui in Academia ista docent; quos equidem mulos Marianos, non Professores soleo nuncupare. Accedunt & aliæ occupationes, quæ me, nescio quo modo, ἄλλαι ἐξ ἄλλων sibi vendicant; quæ etsi literariæ sunt, tamen id tempus hactenus mihi eripuerunt, quod huic negotio Platonico destinaram. Tu quoque, opinor, editionem tui operis non habes paratam; quod si existimarem, omnia postponerem, quò tuæ voluntati satisfacerem. Habeo, ut memini nuper ad te scribere, in manibus quædam; ea si semel extrusero, tuus ero ὅλος καὶ πᾶς. Illorum editioni injecta est his

1594. diebus mora brevis, dum Apologiam Apuleji magni illius Platonici, victus amicorum precibus recenseo, simul & publico. Liber ille quâ elegantiâ sit scriptus, nôsti, omnium οὐχ ἥκιστα tu pater elegantiarum. Quàm corruptè & vitiosè in eo pleraque scriberentur, abundè, spero, arguent Notæ, quas paucis horis diebus hisce canicularibus exaravi. Liber edetur aut hac aut proximâ hebdomade; ejusque statim, si occasio ulla se offerat, exemplar ad te unum, alterum ad charissimum hospitem olim meum Julianum, mittam; non quòd illa putem admodum oculis vestris digna, sed, ut ille olim dixit, οἷα ἔχω, τοῖα διδοὺς meliora, σὺν τῷ Θεῷ, & graviora polliceri ausim; multa certè in multiplici genere literarum, meditamur & paramus; quæ an aliquando lucem sint visura, Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Sed de me nimis multa. Redeo ad te, Vir præstantissime; quem ego, etsi νεώτερος καὶ μᾶλλον βελτίστης ἐπιδόσεως, hortari non dubitabo, ut quæ in hoc otio negotioso scripsisti, ea cum studiosis bonarum artium & scientiarum communicare velis. Nam illi Commentarii de collatione Platonicæ & Aristotelicæ doctrinæ, quos seorsim editurus eras, quando prodibunt? Quid Psalmorum feliciter inchoatum opus? Quid alia multa, quæ parata te habere fama est, & fama, ut puto, vera? Vide igitur, ut expectatione diutius homines φιλομαθεῖς non torqueas. Vale, Vir amicissime, & me ama. *Genevæ, a. d.* x. *Kalend. Aug.* CIↃ IↃ XCIV. raptim, quod velim boni consulas.

Epistola DCCCCLXXVII.

✠ MELCHIORI JUNIO, Academiæ Argentinensis Rectori Magnifico.

1594. Et literæ tuæ, quas mihi honestissimus filius tuus reddidit, fuerunt pergratæ, Vir clarissime, & ejus adventus ad nos longè gratissimus. Spero enim fore eam rem cùm illi utilem, tùm tibi in posterum non pœnitendam. Mihi certè jucundissimum est, quod aliqua testandi in te amoris mei occasio se offerat. Cupio enim, ita me Deus amet, gratum in te meum animum aliquâ re tibi testatum facere. Itaque sic velim statuas, tibique persuadeas, quicquid filii tui caussâ potero, sive in studiorum ratione, sive ulla alia in re, & me & omnia fore illi semper parata. Dixi equidem hoc illi non semel, & voluntatem erga ipsum propensam declaravi; sed velim tu quoque illi ita præcipias, ut si ullâ re opus habeat, me meisque utatur. Egi & cum Lectio nostro, ut quia illum fore ejus auditorem putavi, patere suam ipsi domum vellet, & amore suo complecti; qui mihi pro sua humanitate & merito tuo, omnia prolixè est pollicitus. Itaque non dubito, si modò ipse sibi non desit, quin futura ipsi sit promovendorum isto loco eorum studiorum, quæ tuâ voluntate, tuo felicissimo ductu ingressus est, non mediocris facultas. Habitat is nunc apud amicum & vicinum meum, virum pium, modestum, & doctum. De itinere Gallico tecum sentio; nullo enim modo permittendum, ut tanto periculo se committat. Quia tamen rumor est, Regem Galliarum Lugdunum brevi venturum, & multos è nostris de profectione ad eam urbem cogitare video; auctor tibi sum, seriò vetes ne quid tale in animum inducat. Hoc moneo, quia narrabat mihi nuper Lectius, se ex ejus sermonibus nescio quid tale consilii olfecisse. Sed non dubito filium tuum sapientium & amicorum virorum consiliis potius obtemperaturum. Nihil tamen, ut puto, peccaveris, si tuam quoque auctoritatem amicorum fidelibus monitis adjunxeris. Adolescens ille nostras, de quo nuper scripseram, Heidelbergæ adhuc est; & quantum video, futurus est menses aliquot. Itaque in eo parum aut nihil spei est relictum. Si quid aliud se offerat, quod putem convenire, faciam te statim certiorem. Vale, & me ama. *Genevæ, pridie Non. August.* CIↃ IↃ XCIV.

Epistola DCCCCLXXVIII.

CHRISTOPHORO COLERO. ✠

Magnam mihi solicitudinem, mi Colere, nuperæ literæ tuæ attulerant, quâ parte clarissimum Gothofredum, virum mihi longè gratissimum, tantum temporis domo abesse ἄϊστον ἄπυστον ajebant. Verùm omni mox metu liberatus sum, postquam intellexi salvum eum & incolumem Lutetiam pervenisse. Id autem didici ex literis Durantii, ipsius affinis, ad matrem suam, quæ hic habitat. Is ad eam scribens, de optimo illo amico nostro mentionem fecit, & Parisiis ipsum esse nuntiavit. Quod ego nunc tibi scribo, ut si adhuc ejus uxor, matrona lectissima, & tali conjuge dignissima, de eo incerta sit, eam meis verbis jubeas esse securam: simul illi salutem à me & uxore nunciabis officiosissimam. Venio nunc ad 1594.

1594. ad te, quem ego vehementer gaudeo in studiis nostris totum esse. Declarant instituta à te opera, de quibus partim ex tuis literis rescivi, partim ex proximis Catalogis Nundinarum Francofurdiensium. A te de Sidonio, quem recensere paras, factus sum certior: ex illis Indicibus cognovi de Terentio à te vel edito, vel brevi edendo. Mirum verò cur tu me id celaveris. De Sidonio, probo etiam atque etiam. Sed si meo uteris consilio, vide ne leviter eâ curâ defungaris. Nolim enim te caduca & parum firma tuæ existimationis ponere fundamenta. Non autem nescis, multum in eo positum, ut primus ad famam aditus doctis gratus sit & probatus. Erit autem, si istorum κριτικῶν temeritatem non imiteris, qui quicquid in buccam venit, quod ajunt, id temerè effutiunt. Apage istos homines in perniciem potius quàm in salutem literarum natos. Ego Colerum meum ad majora natum scio; nisi ipse tibi defueris, & tuum tibi ingenium discinxeris. Feres verò me, opinor, ita tecum loquentem amicè & παῤῥησίᾳ· si nihil de tuis studiis deque tuo ingenio supra vulgus expectarem, quid ageres susque deque haberem. De locis Sidonii, quibus de me consulis, sententiam meam, cùm plus otii erit, ad te perscribam. Nunc in editione Apologiæ Apuleji, quam hisce diebus ex occasione recensui, sum occupatissimus. Paucas horas, mi Colere, ei negotio impendi; sed, ut spero, quas non malè posui; verè enim nova erit, quam dabo, editionem. Mittam ad te unum exemplar, si fieri poterit. Tu intereà vale, & me ama. *Genevæ, pridie Non. August.* CIƆ IƆ XCIV.

EPISTOLA DCCCCLXXIX.

✠ JANO GRUTERO.

1594. SEra gratulatio, inquit ille, reprehendi non solet. Tu ne seram meam gratiarum actionem malè interpreteris, pro nostra sancta amicitia peto etiam atque etiam. Misisti nuper ad me Animadversiones tuas in Senecam, quo munere nihil mihi jucundius, nihil optatius potuit evenire. Amo enim illum Scriptorem mirum in modum: amo te mirum quantum: illi esse tuâ operâ consultum & benefactum gaudeo plurimum: te adoream ex hac dura mehercle provincia reportasse, duplici nomine lætor. Nam & factus ita sum, ut etiam ignotorum gloriæ, qui de literis merentur benè, faveam semper ex animo. Et tu is es, mi Grutere, quem ego honore auctum quàm maximè cupio. Accedat nunc & ambitiunculæ nonnullæ confessio; non enim negaverim tam honestam & amicam nostri nominis mentionem per mihi fuisse gratam. Unum defuit ad summam voluptatem in lectione tui libri; quod cujusmodi, vel tacentibus nobis, facilè intelliges. Non enim te fugit quàm arctâ necessitudine sit mihi is junctus, quem toties à te perstrictum, non possum non dolere. Mi Grutere, crede homini non fallaci, si hominem nôsses & illius mores, ne nunc quidem non posses non amare:

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ.

In Suetonii editione lentum me esse dices, opinor; sed qui nuper admodum Codices Manuscriptos nactus sim, & alterius spem conceperim, quem nondum habere potui, non ero unquam tam temerarius, ut illa præsidia negligam. Intereà peto à te, siquid habes quo meam editionem juvari posse censeas, id mittas: senties gratum ναὶ μὰ τὸν Δία τὸν φίλιον. Mitto ad te fœtum planè ὑπηνέμιον, quem Canteri fratres & aliquot alii amici à me his diebus extorserunt; Apologiam Apuleji, brevi tempore, sed herclè cum cura recognitum, & planè, quid dissimulem apud te, novam. Tu nosce simul, & ignosce, & super omnia me ama, qui te ὑπερφιλῶ. *Genevæ, a. d.* XIV. *Kalend. Septemb.* CIƆ IƆ XCIV.

EPISTOLA DCCCCLXXX.

DAVIDI HOESCHELIO. ✠

MAgnâ me voluptate literæ tuæ affecerunt, Hœscheli eruditissime; 1594.
qui enim ita hactenus in literis sim versatus ut verè doctis, verè eruditis me & mea probare unicum votum haberem; quoties testimoniis eorum ornari me video, qui tales reverà sunt, non possum non plurimùm gaudere. In his te esse, nôrunt & prædicant omnes, qui nostra studia amant aut nôrunt. Et verò quæ à te profecta sunt, satis certum ac magnum eruditionis tuæ testimonium præbent. Eorum quædam vidimus nos quoque, etsi in eo terrarum angulo positi, ubi scripta ejus generis non facilè reperiuntur: quædam nullâ diligentiâ consequi adhuc possumus; quò gratior mihi fuit liber à te muneri missus, δῶρον ὅλως ἐμοὶ πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. Perge verò, mi Hœscheli, hac tuâ industriâ, sagacitate, & dili-

1594. gentiâ benè de literis mereri. Mittimus ad te ἀντίδωρον, lucubratiunculam quandam nostram, quam hisce diebus, ἔπι τι χροα σίαλος ἄξει, confecimus. Vale, Vir amicissime, & nos ama. *Genevæ, a. d.* XIII. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCIV.

Epistola DCCCCLXXXI.

✠ LAMBERTO CANTERO, Theodori Filio.

1594. STo ecce promissis, Cantere charissime; tu ut stes tuis, vide. Nam quòd Basileâ non scripseris, facilè excuso. Satis fuit, quod nostrati negotium dedisti, significaret nobis de vestro felice adventu in eam urbem; quod & factum est ab eo fideliter, nosque tali nuntio beavit. Nihil enim mihi aut uxori meæ queat accidere jucundius, quàm si de felici statu vestro sæpe certiores fiamus: ita nos cepit virtus tua & fratris tui. Deus Opt. Max. vos in patriam salvos sistat & incolumes. Ecquid autem te oblectavit illa ad Meretrices optimi Principis oratio? Hoc malim quàm ut ipsæ. Obsecro, si copia, fac nos quoque tanti boni participes. Apulejum tardè absolvimus, hoc est, octo post discessum tuum diebus. Exemplar unum à Commelino accipies tibi, fratri alterum, tertium patri; quem meo nomine amantissimè & officiosissimè salutes velim. Memineris, quæso te, mi Cantere, quâ occasione suscepta est hæc à me opella, & patrocinium tuum mihi para apud parentem, Scaligerum, & omnes doctos. Hoc gratius nihil mihi facere potes. Dominus Wotton promisit mihi, se exemplar Scaligero curaturum, ut compingatur commodè. Commelinus solvet quantum oportebit. Si ille fuerit, quod vereor, impeditus, tuam fidem appello; sed iisdem legibus. Nam sive in hoc negotio, sive in emendis mihi libris quicquam fuerit impendendum, meâ id pecuniâ fieri volo; alioqui testor nostram amicitiam ingratum fore quicquid feceritis. Vale, Cantere charissime. *Genevæ, a. d.* XIII. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCIV.

Epistola DCCCCLXXXII.

✠ CLAUDIO PUTEANO.

1594. EGit mecum per literas, Vir præstantissime, Jacobus Bongarsius, ut Plinii aliorumque Panegyricos libros à secunda editione Viennensi studiosè collatos, mihique olim traditos, tibi mitterem; habere enim te paratam eorum librorum editionem, esseque inibi, ut eas quàm primùm publicares. Lætatus sum vehementer datam mihi hac occasione facultatem te appellandi salutandique; quod cùm avidissimè pridem optarem, tamen, quæ mea est δυσωπία & subrusticus pudor, distuli hactenus. Verebar enim ne parum prudenter fecisse viderer, si homo incognitus absque gravi aliqua caussâ ad te accessissem. Nunc quia opportunitas se tam bona obtulit, veterem amicum meum Bullionem oravi, ut cum eo libro, quem petis, has à me tibi perferret; quas velim ita accipias, ut mei in te animi summæque observantiæ quasi obsidem illas esse & pignus, tibi persuadeas. Ut enim ignis semper ille quidem splendet, & reddit, sicut Poëta ait, γεραρώτερον εἶχον ἰδέσθαι, sed noctu tamen fulget lucidissimè; ita singularis tua virtus atque eruditio, non poterant illæ quidem, vel si felicissima illa ingenia vigerent, quibus paulò antè omnes gentes Gallia nostra provocabat, latere; eximiè tamen nunc cùm Musas & genus omne honestarum artium nox atra premit, πῦρ ἅπ λαμπρότατον φέγγουσι, teque reddunt conspicuum. Jam eò res rediit, ut quò minus Gallia nostra ἐκβεβαρβαρῶσθαι dici queat, stet per paucissimos; in queis tu, Puteane præstantissime, omnium consensu, qui te propius nôrunt, cum quovis certare de primo loco potes. Quamobrem etsi nihil esset aliud, quod tibi me adjungeret, tamen propter tuum summum in literas amorem, excellentemque optimarum artium cognitionem, non poteram te non venerari plurimùm & amare. Nunc ad hanc quasi publicam causam accessit privata quoque alia, quam plurimùm apud me valuisse dissimulare nequeo. Intellexi enim cùm ex sermonibus nonnullorum, tùm ex quorundam literis, te de nostris studiis perquàm honestè opinari, & ut ille ait, nostras esse aliquid putare nugas: quod tuum judicium etsi scio ab humanitate potius tua quàm merito meo proficisci, me tamen non mediocriter oblectat. Non enim parum me profecisse puto, quòd mihi tanti viri vel censurâ probari, vel amicitiâ decorari contingat. Utrumque ego à te, Vir clarissime, obnixè peto; nam & proficere te doctore, si tibi tandem abs re tua fuerit otii, ut nostras affanias aliquando in manus sumas, vehementer opto; & amari à te sic cupio, ut si tu in album tuorum me reciperes, immortali beneficio à te me fuisse affectum sim putaturus. 1594.

Vale,

1594. Vale, Vir præstantissime. *Genevæ, a. d.* XIII. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCIV.

Epistola DCCCCLXXXIII.

THEODORO CANTERO.

1594. Duodecimus hic dies est, Cantere præstantissime, cùm à nobis discessere optimi eruditissimique adolescentes, filii tui; quorum adventum, etsi scio fore tibi jucundissimum, penè tamen dixerim, non majore gaudio eos te recepturum, quàm fuit nobis molestus istorum à nobis discessus: ita nos cepit mitissima & probissima indoles, quæ in utroque eorum expressa patet. Venerant illi quidem vel ob privatam amicitiam, quæ inter nos est, vel ob merita parentis & patrui in Rempublicam literariam gratissimi. Sed ita à nobis discesserunt, ut etiam propter ipsos totum genus plurimum essem amaturus, si nullæ inter nos causæ intercederent. Deus faxit, mi Cantere, ut illi te, & tu illis diu multumque fruamini. Accipies autem ab iis Apuleji Apologiam, nuper à me recensitam & simul editam; in quo sive aliquid præstitum est à nobis, sive accidit secus, non alium apud te neque laudatorem, neque detrectatorem allegabo quàm Lambertum tuum; qui unus maximè nobis auctor fuit & impulsor hujus audaciæ. Novit ille optimè, quàm nihil antè cogitarem, quàm sum ejus hortatu compulsus ad hanc editionem ex tempore moliendam. Jure igitur à te peto, ut cuicuimodi sit hoc munus, editori illius faveas; sic tamen, ut tuum mihi amicè judicium impertias. Nam in literis Latinis, ut scis, hic noster quasi rudimentum est, cùm hactenus non nisi in Græcis quicquam ausi simus. Si me amas, tuam mihi sententiam eâ παῤῥησίᾳ, quam pro nostra amicitia à te exigo, proximè scribes. De reliquis, quæ brevi, ut spero, sumus edituri, quia omnia filiis tuis nota sunt, nihil dicam. Vale, Vir amicissime, & me ama, qui te ὑπερφιλῶ. *Genevæ, a. d.* X. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCIV.

Epistola DCCCCLXXXIV.

✠ MELCHIORI JUNIO.

1594. Qui tibi has literas reddit, Vir clarissime, nobilis Anglus est, juvenis omnibus virtutibus ornatissimus. Is multos jam annos peregrè versatur, ut tandem domum revertens verè possit elogium Ulyssis referre, πολλῶν ἀνθρώπων ἰδεῖν ἄστεα, καὶ νόον γνῶναι. Quàcunque igitur venit, prima illi semper cura conveniendi viros, à quorum συνουσίᾳ & melior & doctior possit discedere. Eum esse te, qui in talium virorum albo inter primos censeare, mi Juni, & scit ipse, & nemo non novit: ut mirum non sit, optare illum tuum colloquium, atque adeò amicitiam tuam: ἀεὶ γὰρ τὸ καλὸν, scis ipse, ἐφ᾽ αὑτὸ καλεῖ. Si igitur ipsum voti compotem feceris, & eâ humanitate exceperis, quam in te omnes dilaudant, & me & ipsum magno tibi beneficio obstrinxeris. Vale. *Genevæ, a. d.* X. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCIV. 1594.

De filio tuo mihi percharo nihil scribo, quia ante pauculos dies tuis fusè respondi, & de eo, quæ videbantur, pluribus scripsi. Iterum vale, & me ama.

Epistola DCCCCLXXXV.

* * * * WERKHOVIO. ✠

Salve à me, Werkhovi dulcissime; 1594.
salve ab uxore mea, imò & à liberis nostris, iterum atque iterum, vel millesimum potius salve. Magnâ nos hisce diebus lætitiâ affecit nostras ille, qui redux, de vestro omnium Basileam adventu certiores nos fecit. Deum veneror, sit tibi tuisque amicissimis sodalibus totum, quod reliquum est iter, tam lætum & faustum quàm principia fuêre. Nos Dei gratiâ valemus hîc omnes, & tui memoriam suavissimam servamus, servabimus:

> Ἔστ᾽ ἂν ὕδωρ τε ῥέῃ καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ.

Certè quidem, mi Werkhovi, dum spiritus hos reget artus, vigebit apud me uxoremque meam amor tui, & recens semper tuarum virtutum, vestræque omnium lenitatis, mansuetudinis, & probitatis recordatio. Tu ut nos amare pergas, pluribus non petam à te; persuasum enim habeo altius radices egisse semel susceptum nostri amorem, quàm ut ullâ vel temporum vel locorum intercapedine possit labefactari. Cùm igitur hoc à te pluribus non petam, tum quid aliud ad te scribam non habeo; cætera enim ex Canteri literis intelligis. Vale, charissime Werkhovi. Raptim. *Genevæ, a. d.* X. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCIV.

EPISTO-

EPISTOLA DCCCCLXXXVI.

✠ HIERONYMO COMMELINO.

1594. ECquid fidem meam culpabis, an laudabis, Vir amicissime? Nam utriusque facultatem & occasionem satis idoneam à me tibi præbitam existimo. Non præstiti, quæ eram pollicitus; præstiti, quæ non eram. Tu illud excuses, hoc factum probes velim. In Epistolas ad Atticum ne quid adhuc ederem, hæc causa fuit, quam tibi sæpe afferre memini, quoties de ea re sermo inter nos esset, non enim poteram mea parare ullo modo, quin prius τὰ clarissimi Junii vidissem. Hoc apud me semper fixum fuit. Nunc postquam vidi, jubeo te esse, siquid nostra curas, securum, & brevi tempore, quæ habeo, expectare. Non sanè nulla eruditissimus ille vir spicilegia mihi reliquit. Sed de nostris aliàs. Ubi autem, inquies, Notæ in Declamationes? Mi Commeline, obsecro te, sit tibi persuasum, nihil factum propius quàm ut illæ ederentur; sed dum cupio non solas eas prodire, nec solæ nec comitatæ prodierunt. Volui Dionysii Halicarnassei quædam ejusdem argumenti à me primùm versa adjicere; item Græcas aliquot Declamationes prorsus similis argumenti. Hæc dum paro, dum molior, victus amicorum precibus omnem ingenii aciem aliò transferre cogor. Impulsus enim sum, ut Apologiam Apuleji librum disertissimum, & pessimè ante nos à sciolis acceptum, recenserem simul & publicarem. Eum librum tibi tuisque impensis edi volui; in quo siquid peccavi, tuque factum improbes, spero Stoerum, cujus fideli operâ usus sum, in suas rationes facilè hunc librum translaturum; qui me rogavit non semel, ut qui de tua voluntate certior non essem, paterer suo nomine illud ederet: respondi, te nisi mutaveris sententiam, quidquid essem editurus, facilè pro tuo esse agniturum. Nunc tuum est cum Stoero rem pro utilitate tua transigere; & simul quid deinceps à me fieri velis tali casu significes. Ego tuum nomen, ut gratiosum apud omnes nostrarum literarum amantes cuivis alii prætulero. Idque ego quanti faciam, brevi (crede affirmanti) testatum apud omnes faciam. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. De Athenæo scripsi nuper ad te non unis, sed pluribus literis, quas puto omnes te accepisse; cupio quidem certè, eò nunc brevior ero. Tantùm dicam, nisi operâ Pauli Stephani hac in re utaris, fore ejus perdifficilem editionem; apud nos enim, qui 1594. corrigendo juvare queat, hodie, quod sciam, nemo præter illum est. Tremuleus, quicum locutus eras, Lausannam abiit. Gualterus, qui solus supererat, pistrino addictus primam Gymnasii nostri classem regit. Alium prætereà neminem novi, cujus eruditionem tanti æstimem. Superest igitur, siquid facturi hic sumus, Pauli Stephani operâ utamur. Ejus industriam & eruditionem spondeo posse satisfacere hac in re nobis. Heliodorum habes paratum; quin tu illum nobis mittis, ut tandem fidem tuam liberes? Hoc mihi gratius facere nihil potes. Habes & alia quædam, quæ, nisi fallor, haud incommodè hic possunt edi. Ego operam meam tibi offero, & amicitiæ nostræ debitum, & publicæ literarum utilitati. Poteris, si videtur tibi, Stoero aut alii cujuscunque amico tuo negotium dare, ut cum eodem Stoero agat. Ave, Vir amicissime, & vale. *Genevæ, a. d.* IX. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCIV.

Uxor te plurimum salvere jubet. Ego & illa fratrem tuum longâ salute impertimur.

EPISTOLA DCCCCLXXXVII.

MARQUARDO FREHERO. ✠

HOdie iter instituit ad vos Anglus 1594. quidam nobilis, cui literas ad te dedi, Frehere amicissime. Vix ille domo exierat, cùm venit ad me amicus quidam meus, vir honestus & probus, cui negotium est cum nobili quodam vestrate: rogat, si quid isthìc gratiâ possim, se velim ire adjutum. Ita mihi data est tui iterum compellandi occasio; quippe unus tu in istis locis es, qui meâ causâ plurimùm potes, cùm plurimùm velis. Quamobrem rogo te etiam atque etiam, Vir amicissime, siquid vel re, vel consilio juvare eum potes, qui has literas tibi reddet, tuum illi amorem in me testatum facias. Res, qua de agitur, hæc est: Nobilis quidam adolescens vestras, cùm apud nos esset, pecuniam sæpius ab illo mercatore, cujus hic est institor, accepit; quidquid datum fuerat, bonâ fide semper isthìc persolutum est, exceptâ summâ, quæ postremò illi tradita: centum aureorum illa fuit; quos nobilis ille juvenis sanctè juravit discedens, se simul ad patrem redisset, curaturum, ut refunderentur. Mercator & τοῖς γινομένοις τεκμαιρόμενος τὰ μέλλοντα, & ipsius adolescentis, nobilis præsertim, fidem secutus, non gravatè abeundi facultatem concessit, cùm impediendi abitus leges ei facultatem

1594. tem darent. Post illa nihil quicquam trimestri de eo nomine auditum est. Coëgit hæc illius mora nostratem mercatorem suum hunc institorem isthuc mittere, cui si tu consilii, quo abundas, copiam feceris, & rationem aliquam indicaveris, quâ possit ejus herus ad suum pervenire, immortali beneficio me tibi devinxeris. Vale. *Genevæ, a. d.* IX. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCIV.

EPISTOLA DCCCCLXXXVIII.

✠ FRANCISCO NANSIO.

1594. PLanè enim ingratus sim, Vir doctissime, si te ne non plurimùm amem, qui tot elogiis nuper me publicè ornasti. Ego verò te, mi Nansi, amo vel deamo potius, & quòd me amore tuo complectaris, tanti æstimo, ut recordatione tui in me animi lætari plurimùm atque adeò triumphare soleam. Cur enim ego dissimulem, quantopere afficior tuo & tui similium virorum testimonio? Laudari, ait ille, à laudato viro, δίκην mihi certè; neque illorum χαυνότης probatur, qui ut esse aliquid videantur, & famæ & inanis cujusdam gloriolæ in literis operam ponunt, illorum item, qui ut fungi aut lapides ἀναισθητοῦντες nullâ bonorum & clarorum virorum commendatione moventur, securi quid reliqui mortales de se judicent. Quod si qui hodie sunt alicujus nominis viri, quibus me & mea probari laborem, nedum optem, tu profectò, Vir præstantissime, inter primos es; cujus admirandam in iis literis diligentiam & peritiam, in quibus nos quoque aliquid posse videmur, testantur cùm alia, tùm Narnus tuus. Eum Poëtam nos tanti semper fecimus, ut nihil admodum illi præter γενεὰν νεωτέραν deesse crederemus, quò minus vel ipsum principem & fontem ingeniorum posset provocare. Magno igitur nos affecisti beneficio, cùm in tanto Poëta illustrando operam posuisti. Perge, obsecro te, Vir magne, de literis, & nobis, earum cultoribus, ita mereri. Nos quoque molimur in eo genere aliquid: sed omnibus ferè præsidiis præter ingenioli vires destituti; non scriptos manu libros, non editos sæpe, quibus opus sit, ad manum habemus. Quid ergo mirum, si nihil tale à nobis exeat, qualia vos isthîc deliciæ Musarum, multa quotidiè editis? Adde quòd otio adeò non abundamus, ut propemodum quid otium sit nescimus. Sed de nobis nimis multa. Hoc tamen te scire volui, ut ἔκτρωμα illud, quod ad te mitto, æquo adversum nos animo legas, & culpas nostras amicè excuses. Vale. *Genevæ, a. d.* V. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCIV. 1594.

EPISTOLA DCCCCLXXXIX.

VIRO MAXIMO, PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS. ✠

POstquam eas literas à te accepi, quas mihi à te Quercetanus reddidit, in magna semper expectatione fui tui Lugdunum adventûs. Ita enim scribebas, te post mensem & dies aliquot illàc transiturum, ut in Occitaniam venires, Regis mandatu Præsidis munia functurus. Quod etsi mihi aliisque mirum videbatur, te tam procul à laribus tuis, post tam longam ἀποδημίαν, quasi per speciem à nobis relegari; tamen quia tibi, otii amantissimo & honoribus maximis perfuncto, id non videbatur esse ἀπὸ θυμοῦ, gaudebam, lætusque eum diem expectabam, quo tu illuc advenires. Sperabam enim, si fieri ullâ ratione posset, hac occasione me usurum, ut te viderem, & unà tecum Valentiam usque pergerem. Pridem enim mihi visendæ matris necessitas incumbit; neque aliud ferè est, quod me impedierit per hosce proximè elapsos menses quàm tui expectatio; cupio enim, Vir amicissime, cupio cupidissimè, si tu in illa venturus es; eodem itinere te invisere, & quod ajunt, de una fidelia duos parietes dealbare. Habes caussam mei tam diuturni silentii, nam post Quercetani reditum nihil literarum ad te dedi, cùm intereà tamen dies noctesque de te cogitandi, tuaque in me merita prædicandi finem modumve nullum faciam. Sim enim bipedum ingratissimus, si ulla dies ullumve locorum intervallum illorum memoriam apud me imminuerit. Viget verò vigebitque æternûm (certè quidem ὄφρα ζώοισι μετείω) suavissima, semperque recens amicitiæ tuæ & maximorum fructuum, quos inde percepi, recordatio. Quò magis ardeo videndi tui cupiditate. Quis enim scit an non ea mox tempora sint consecutura, ut ejus rei facultas nulla unquam posthàc sit nobis futura? Certè quidem, ut res sunt, quid metuamus in promptu est: quid speremus, vident fortasse alii, ego nihil video. Sed Deus Opt. Max. ὄψεται, cui curæ τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς τε καὶ τὰ ὑπὲρ ἡμῶν. Studia nostra hîc non frigent; docemus ut prius, legimus, scribimus novi semper aliquid. Superioribus mensibus per occasionem libellum emisimus, cujus exemplum à me tibi offeret cum

 literis,

1594. literis, amantissimus mihi vir & eruditissimus Dominus de Bullion. In Suetonio hæremus adhuc. Sperabam brevibus Notis posse eum confici; ecce jam surgit magna Commentarii moles; nec dum finis tamen. Actum nos egisse, nemo erit tam invidus aut improbus calumniator, qui dictitare ausit; eò sanè diligentiores fuimus: quia & merebatur Auctoris præstantia, & cùm tuo nomini id operis consecrare destinaremus, cavendum etiam atque etiam fuit, ne in eo contexendo omissiores fuisse videremur, quàm tu olim in benè merendo de nobis. Gratum id tibi fore animi mei planè tibi devoti testimonium, in spe magna sum. Alia quæ molimur, multa sunt: sed, quod te non fugit, tempore ad ea promovenda, quæ rudius scripsimus, opus est, id siquidem Deus Opt. Max. dederit: sin minus, erit alius, vel alii potius feliciori sidere nati, qui ea perficiant, quæ nos volebamus. Uxor Dei beneficio valet, valent liberi, quorum jam numerus nobis grandis est, in primis φιλιππίδιον tua, quæ suis leporibus plerasque mihi curas detergere nunc solet; magno postmodum sollicitudinum onere nos pressura. Sed aderit, spero, ὁ πανάγαθος Θεὸς· quem veneramur supplices ego uxorque, ut te cum nobilissima conjuge & εὐφυεστάτοις liberis custodire salvos velit atque incolumes. Vale. *Genevæ, a. d.* VI. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ XCIV.

EPISTOLA DCCCCXC.

✠ RICHARDO THOMSONI.

1594. Si quid unquam mihi ex animi sententia evenisse memini, charissime Thomson, ille certè felix mihi dies illuxit, quo amicitiæ fœdus tecum pepigi. Ita mihi in dies crescit amor tui & desiderium. Illos autem non possum faustos appellare dies, quibus te interprete amicitia mihi contracta cum Polono illo infelicissimo mortalium; &, quod invitus dico, cum Anglo illo, quem tu in meas ædes introduxisti. Magno enim nunc mihi amicitia illius constat. Ne te moror pluribus, discessurus ex his locis vir optimus & eruditissimus, quia pecuniam diu frustra expectaverat, egit mecum ut pro se fidejuberem: feci libens: quæris pro qua summa? Ad ducentos triginta aureos & amplius; cùm præter hæc debeat ille mihi aureos tres & triginta. Sic inter nos convenerat, ut ille Francofurti solveret, & quod mihi, & quod alii debebatur. Nihil eorum factum est. Nunc illud scilicet superest, ut posteaquam spopondi stultè, pœnas stultitiæ luam, & pro amico tantam summam solvam. 1594. Scis tu, mi Thomson, quo loco sint res nostræ; quàm difficile sit, vel potius mihi ἀδύνατον talem summam præstare. At amicos habes, inquies. Sanè habeo; sed qui possit juvare me hac in re, ne unum quidem habeo. In uno Wottone spes est omnis; is sit mihi Telephus oportet: vulnus fecit, vulnus factum sanet necesse est. Eâ fine ad ipsum scripsi literas, quas his adjunxi. Te oro, ô animæ dimidium meæ, te obtestor per nostram amicitiam, cures literas deferendas, hominem inquiras, inventum horteris ad officium: denique non prius quàm re confectâ conquiescas. Mi Thomson, agitur existimatio mea, agitur de studiis, quæ mihi vita ipsâ sunt chariora. Et tu aliam occasionem expectabis navandæ mihi operæ, quam amicitiæ jure debes? Non facies, novi fidem, novi pietatem tuam. Fac ergo opus appareat, & quàm primùm scribe ad me quid egeris, quid speres, quid Wotto agat. Ego illum non accuso, tamen per illum in ærumnarum pelagus incidi, nisi sedulò omnia egerit, ut me his malis eripiat, ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος ἐστιν ἐκεῖνος. Sed faciet, spero, quod virum bonum decet. Iterum atque iterum me & mea tibi commendo. Uxor liberique mei suavissimam tui memoriam servant, idem facit & soror aliique amici. Vale, corculum meum. *Genevæ*, raptim in summis solicitudinibus, *a. d.* v. *Id. Octob.* CIↃ IↃ XCIV. Deus te servet, mi Thomson.

EPISTOLA DCCCCXCI.

HENRICO WOTTONIO. ✠

Ærumnarum pelagus nuperæ Francofurdinenses nundinæ mihi tibique, sed magis mihi pepererunt, charissime Wotto. 1594. Fidem tuam non accuso; nec dubito implesse te partes boni viri & amici: tamen quod res est dico, nisi Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς adsit, amicum tuum funditùs evertisti. Et res, inquam, meæ, & studia in acie novaculæ nunc stant. Omnino ita est, nunquam scivi quid esset versari in periculo existimationis, ad hunc usque diem; nunc didici. O durum rudimentum! Res isto loco sunt. Posteaquam renunciatum est Francofurti nihil esse solutum, fremere hîc omnes, & me appellare. Apud Philibertum Imbert facilè rem composui; quia major ducentis Germanis florenis summa mihi debebatur, quæ casu in ejus manibus erat. Sed scit Dominus Deus, scis & tu quàm non sit mihi facul-

1594. facultas pro alio solvendi summam, præsertim adeò grandem. Ita cum illo actum. Supersunt aurei illi sex supra centum, pro quibus spopondit vir nobilis à Burgo. Is erat discessurus post quatriduum, & ante illud tempus eam summam à me sibi numerari postulabat. Nunc cùm maximè in agone versamur, exigi quidem à me nihil potest: neque enim ita res meæ ferunt. A Michaële verò minus quàm nihil. Ita superbum, αὐθέκαςον, φιλάργυρον, ἄπιςον est id genus hominum. Cùm cœpi de hac re illum appellare, penè convitio sum exceptus. Et sanè illa tua promissio nihil nos juvat. Mihi crede, vix sum apud me præ magnitudine mœroris, curarum, & sollicitudinis; & nihil tamen perficio. Nec tandem quis futurus eventus scio. Superest is, à quo equum emisti, is nondum me appellavit: sed habeo pro certo, illum paucis diebus quoque plurimum mihi negotii exhibiturum. Vides, charissime Wotto, quem in locum sim conjectus: iterum dico, nunc incipio discere quid sit dolore premi. Tuæ nunc, tuæ sunt partes; per ego te nostram amicitiam, per tuam fidem, per ipsum Dei nomen oro, obsecro, obtestor, libera me ex his angustiis: fac appareat quanti tuam existimationem facias; quanti nostrum nomen, quanti nostra studia, quæ miserè jacent, & jacebunt, dum ego in hoc luto hærebo. Velim etiam tibi veniat in mentem sermonum, quos unà habuimus, cùm hic esses. Nihil me ad hanc fidejussionem impulit præter tui amorem, & existimationem de tuis virtutibus. Hactenus quod accidit, vis id major fecit; tua culpa nulla est: deinceps nisi tu te virum præstes, vide obsecro, vide, mi Wotto, quomodo mecum agetur, & quomodo famæ tuæ consules. Non ego talem fructum nostræ amicitiæ speravi, & spero meliora; sed nunc quo loco sint res meæ non scio, neque quid aut faciam aut dicam. Mihi enim res hìc in molestissimis & omni humanitatis sensu spoliatis hominibus, creditoribus tuis. Quare fac, oro te etiam atque etiam, ut nomen hoc quàm primùm expungas. Ego non desinam literis, nunciis, tabellariis & omnibus modis te urgere, donec res fuerit perfecta. Vale, charissime mi Wotto. *Genevæ, a. d.* v. *Id. Octob.* CIↃ IↃ XCIV.

EPISTOLA DCCCCXCII.

PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS.

Eia, dic, sodes, nunc esse me tui oblitum aut in scribendo negligentem. 1595.
Ecce tertiam hanc Epistolam impingo tibi illius Epistolii loco, quo me nuper cruciasti simul & beasti. Vix totidem sunt dies cùm tuas accepi; quid facturum deinceps putas, si aliæ item sese offerant mittendarum literarum facultates? Nam certum est quia de silentio meo conquereris, assiduitate mearum omnem expostulandi ansam tibi in posterum præcidere. Serò sapis, inquies; nam præteriti temporis negligentiam nulla pòst diligentia diluet. Ego verò scripsi ad te, virorum optime, & meæ diligentiæ testes habeo quàm plurimos. Tuas quoque illas multas, quas ais, accepi nullas: ita, inquam, est. Postquàm rediit ex Aula Violetanus noster à te nihil quicquam unquam recepi; imò ne rescivi quidem de te quicquam certi. Quid igitur me accusas? Cui si ego dicam, dixero apud Jovem φίλιον, metuenda sit magis καταδίκη, quàm speranda victoria: nam quod rarius scripsi, in caussa tute es, qui modò Lutetiæ esse, modò in Lugdunensi itinere, modò nescio quò avolasse nunciabaris. Quid igitur facerem? Ἄμμες γὰρ βραδύτεροι τὰ πετόμενα συλλαβεῖν. Illud scilicet metuendum tibi fuit, ne tui tuus Casaubonus oblivisceretur. Εὐφήμει ὦ τάν· & ista verborum monstra piaculari aliquo sacro facito procures. Τὸ γὰρ ἥμισυ τῆς ζωῆς ἔχω. Ζῶ τὴν σὴν ἰδέαν· τὸ δὲ λοιπὸν ἀπώλετο. Quamobrem oro & obtestor te, si quid adhuc viget in te veteris amoris in nos, recinas Sapphicum illud tuum quàm primùm, ἠράμαν μὲν ἐγὼ σέθεν πάλαι ποκα. Tune me amasti olim? Desiisti nempe, & animum mutasti perfidus. Ἐγὼ γὰρ τῶ φρενῶν ἔρω κεῖσαι ἐν μυχῷ. Libet quiritare, pro Deum atque hominum fidem! ubi integritas, ubi vetus amor, ubi constantia, si tentari hac cogitatione magnus animus tuus potuit? Non tu mihi antè talis cognitus. Ἀλλ' οὐκ ἦν ἄρα τῶν ἐν ἀνθρώποις βέβαιον οὐδέν. Sed, amabò, redeamus in gratiam, & vetus illud comprobemus exemplo nostro: *Amantium iræ amoris redintegratio est.* Nisi tu me vis, quod adhuc superest spiritus vitalis, ἀθρόως efflare. Egregiam verò laudem & spolia ampla referes, si amiculum tuum perdideris. Stat enim tumulo nostro inscribere:

Τοῦτον ἔρως ἔκτεινεν· ὁδοιπόρε μὴ παροδεύσῃς·
Ἀλλὰ στὰς τόδε λέξον, ἀπηνέα εἶχεν ἑταῖρον.

 Jam

1595. Jam quid acturus sis vide. Sed satis jocati sumus. Cùm illa de conditione Mompeliensi legerem, quæ amantissimè scripta à te sunt, arrexi aures illicò. Ita statim mecum: En erit unquam ille dies, ille dies exoptatissimus, qui me tibi, te mihi, reddet? O si me Deus Opt. Max. tanti voti olim damnaverit, quæ gaudia? quæ lachrymæ per genas amborum manabunt? Sed, obsecro, seriòne loqueris, an ego somnio aut tu? Nihil enim magis præter spem, nihil minus conveniens tuis postremis narrare poteras. Age verò, quæso te, itera dum eadem ista mihi: rem enim tam grandem, tantique momenti, non sic stringi verius quàm explicari, & premi potius quàm exprimi oportuit. Mihi scopus is est, & votorum consiliorumque summa eadem est, quæ semper fuit, semper erit; ut σπάρταν ἣν θεόθεν ἔλαχον κοσμῶν, vitam cum aliqua ῥᾳστώνῃ degere queam. Hîc propter summam omnium rerum egestatem, non solùm paupertatem, non posse me compotem voti fieri, satis notum tibi. Si igitur, Deo auspice, languentia studia juvare potes, si rem labantem aut lapsam potius restituere, improbus sim, si te non sequar. Sed quò me voces, & quorsum vide. Quis enim sibi persuadeat esse isthic aliquem in publico nostris literis locum? Deinde illa, quæ memoras stipendia, an satis certa? An etiam aliqua diuturnioris concordiæ & pacis spes? Hæc aliaque id genus si mihi pluribus paullò exposueris, Amice magne, de cætero facio tibi statuendi de me potestatem; tuus enim sum ὅλος καὶ πᾶς. Neque ego aliud quid sæpius aut libentius prædico quàm unum adhuc extitisse te, qui sæpe opibus tuis opem tuleris languentibus Musis nostris. Atque hujus animi illustre testimonium, si Deus dabit, brevi erupturum publicè spondeo; cùm oppidò laboriosum opus, nostrorum in Suetonium Commentariorum tibi προσφωνήσομεν. Magnâ enim alacritate studia nostra quotidie, Dei beneficio, persequimur. Nuper adeò libellum * edidimus, & Scaligero nuncupavimus, non sine applausu etiam eorum, qui in orchestra sedent & ad podium. Eum statim misi ad te: qui si tibi redditus non est, habeo quod querar de amicissimo Bullionio, cui illum tradidi. Scito autem constitutum mihi, Deo bene juvante, sub exitum æstatis matrem visere in Delphinatum, ad teque excurrere, nisi tu non vis, aut abes nimis longè. Intereà Deum Opt. Max. ἀδιαλείπτως oramus ego & conjux, ut te cum nobilissima uxore & suavissimis liberis servet sospitetque. Vale, ὦ χαρίτων ἱερὸν φυτόν. *Genevæ, a. d.* VII. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCV. 1595.

* *Apuleji Apologiam.*

EPISTOLA DCCCCXCIV.

MARQUARDO FREHERO.

SUetonium, opus adhuc musteum, mitto tibi, clarissime Frehere, non sine jucundissima mentione nominis tui, cui nostra studia non parum se debere profitentur. 1595. Volui extaret hujus nostri amoris testimonium etiam in eo opere: nam alius locus erit, Deo dante, prædicandi tui beneficii, quo me adjunxisti mirè tibi, cùm illa fragmenta Theophrastea misisti ad me. Si aliâ ratione possim gratum animum testari meum, facerem libentissimè. Mihi admodum præter literas & studia mea, τῶν ἀνθρωπίνων nihil curæ. Qui hac parte me adjuvant, iis ego me plurimùm debere sentio. Tu in his, amicissime Frehere; quem scio nostras esse aliquid putare nugas. Vellem quidem non fallereris; sed tamen quicquid est quod possumus, bono animo, fide magnâ ad colendum literarum arvum conferimus. Æquis judicibus semper probatam iri voluntatem nostram confidimus: cæteri quid pronuncient de nostris scriptis, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Finem facturus eram, sed subit animum, esse quod tecum prius agam; memini enim novissimis tuis mirificam te mihi voluptatem attulisse, quòd spem faceres Νομικοῦ Græci, quod doctissimus Leunclavius congessit. Itane verò, exibit in lucem ille Thesaurus? Obsecro te, mi Frehere, quia semel cœpisti, bea nos munere, & de literaria Republica etiam sic bene mereri perge. Ego, siquis alius, gloriæ μακαρίτου illius faveo, favebo: quod propterea testari apud te volui, ne te fortasse moveret, quòd toties in Animadversionibus ad Suetonium, Dionem illius carpo. Feci id eâ libertate, quam puto omnibus deberi, qui has literas tractant: cupioque idem fieri in me, sed eodem animo. Enimverò non queo dissimulare, virum eruditissimum sic versatum esse in eo Auctore, ut Leunclavium equidem non agnoscam; ita multa crassa, fœda, ingentia hominis peccata: jures, si illum aliundè non nôris, neque linguæ Græcæ, neque Latinæ, neque Historiæ Romanæ, neque Juris ullam λόγου ἀξίαν habuisse eum cognitionem. Mihi verò cum illo nulla notitia intercessit, ut privatæ amicitiæ rationem habere debuerim. Quin memini scripsisse me ad illum literas aliquando non minus honorificas, quàm si ad principem aliquem nostrarum artium,

1595. tium, imò omnis eruditionis scriberem: eas fuisse illi redditas, & quidem, si memini, ope tuâ, habeo pro comperto. Ipse tamen respondere lacessitus insuper habuit: deinde quæ in Stephanum, (commiseratione potius quàm illâ irâ dignum) toties, tot locis congessit, omnibus notum. Hæc siquid paullò asperius in ejus scripta dicere me coëgissent, fortasse caussam, te judice, obtinerem: nunc, quod sciam, nihil tale factum: tantùm libertate meâ usus sum. Quod si tibi, charissime Frehere, improbatur, quæso, ignosce, & agnosce ingenium meum; qui ita sum factus, ut imperitiam alicujus terræ filii facilius feram, quàm docti adeò viri tam supinam negligentiam. Vale. *Genevæ, a. d.* IV. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCV.

Epistola DCCCCXCV.

✠ ἈΝΔΡΕΆ ΔΟΥΝΑΊΩ
τῷ πάνυ
ἸΣΑΆΚ ΚΑΣΑΎΒΟΝΟΣ
εὖ πράττειν.

1595. Ἔμελλε μὲν καὶ ἄλλως ἡ παρά σου ἐπιστολὴ ἡδίστη τε καὶ ὅτι μάλιστα κεχαρισμένη ἔσεσθαί μοι, Δουναῖε προσφιλέστατε· οὐ μὴν ἀλλ' ὅτι Ἑλληνιστὶ γράφειν ἔδοξε σοί, πολλῷ ἐμοὶ παρὰ τοῦτο χαριεστέρα αὐτὴ γεγένηται· αὐτὸ γὰρ τὸ ξένον, καὶ ἀηθὲς τοῦ πράγματος χάριν οὐ τὴν τυχοῦσαν ἐπεξένει· μέγιστον δὲ πρὸς τοῦτο ἡ σὴ εὐγλωττία καὶ εὐεπία συνετέλει· ὄντως γὰρ ὦ φιλότης, Ἑλλαδικὴν φωνὴν ἱέντι σοὶ μέλιτος γλυκίων ῥέει αὐδή! μέλιτος δέ φημι, οὐ μόνον τοῦ ὑπὸ τῶν ξουθῶν μελισσῶν πονηθέντος, ἀλλὰ καὶ τοῦ ἐκ γῆς (fortasse γινομένου vel πεφυκότος) τὸ δὴ σάκχαρον τοῖς νεωτέροις, μέλι δὲ καλάμων τοῖς ἀρχαιοτέροις ὀνομάζειν φίλον· ἐπαινῶ σε τῆς γενναίας προαιρέσεως· μακαρίζω δὲ τῆς εὐτυχίας· λέγω δὲ τὴν ἕξιν, ἣν ἐκτήσω ἐν τοῖς τοιούτοις δευσοποιόν, ὡς εἰπεῖν καὶ μεγάλην οὕτω σφόδρα ὥστε μοι παρίστασθαι ἐπιστολὴν ἀναγιγνώσκοντι τὴν σὴν οὐκ ἀπὸ Κανταβριγίας, ἀλλ' αὐτόθεν ἀπὸ τῶν Ἀθηνῶν ἥκειν ἐμοὶ οὔτινος ἂν ἄξιον τουτὶ τὸ δῶρον· οὕτως ἀττικουργὲς ἐφάνη μοι τὸ χρῆμα· πάλιν οὖν καὶ πάλιν μακαρίζω σέ, ὦ φιλτάτη κεφαλή, τῆς εὐφραδίας. Ἀντιβολῶ δέ σε καὶ παρακαλῶ μὴ φθονεῖν ἡμῖν τὸ ἐντεῦθεν τῆς σῆς εὐμουσίας· ἀλλὰ καὶ πολλὰς καὶ στίχων παμπλείστων πέμπειν ἡμῖν Ἑλληνιστὶ φθεγγομένας ἐπιστολάς. Ναὶ πρός σε τοῦ Φιλίου Διὸς καὶ τῶν Μνημοσύνης θυγατέρων δέομαι, ὦ τὰν ἑστία ἡμᾶς τῶν σῶν γλυκυτάτων· προλέγω δέ σοι, μὴ προσδοκᾶν παρ' ἡμῶν ἀντάξιον τῶν σῶν χαρίτων ἀμοιβήν· ἐπεὶ οὐχ οἷοί τε ἡμεῖς Δουναίῳ τῷ ἀττικωτάτῳ παραβάλλεσθαι· πόθεν γὰρ εἴγε ὀψιμαθεῖς καὶ ὀλίγου δέω εἰπεῖν αὐτοδίδακτοι· καὶ τὸ κεφάλαιον, οὔτε τὴν διάλεκτον ταύτην, οὔτε στόματι οὔτε μέλανι ἔτι καὶ λόγου ἄξιον ἀσκήσαντες· ὡς οὖν οὐ τῶν ἴσων 1595.
τευξόμενος, οὕτω Δουναίου καὶ μὴ παῦε ὅμως τῶν σῶν ἀγαθῶν μεταδιδοὺς ἡμῖν, τοῖς τὰ καλὰ μιμεῖσθαι μὲν οὔπω, θαυμάζειν δέ γε, καὶ ἐξ ἀφελεστάτης καρδίας ἐπαινεῖν ἐπισταμένοις. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ· πλείστας δέ σοι, ὦ θαυμάσιε, οἶδα καὶ ὁμολογῶ χάριτας, ἀνθ' ὧν ἔγραψας περὶ τοῦ Οὐοττωνικοῦ πράγματος, τοῦ ἐμοί ποτε ἀνιαροτάτου· ἐπειδὴ δὲ ὁ καλὸς Οὐόττων, ὀψὲ μέν, ἀλλ' ὅμως, πραγμάτων ἡμᾶς, εὖ ποιῶν, ἀπήλλαξε περὶ τῶν προγεγονότων λυπηρῶν εὔστομά μοι κείσθω καθ' Ἡρόδοτον· φίλος γὰρ ὁ ἀνήρ, καὶ γέγονε, καί ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ἔσται ὄφρα ζώοισι μετείω· οὐκ ἔστι γὰρ ὅπως ἄνδρα εὐγενῆ, καὶ εἰς ἄκρον παιδείας ἐληλακότα, οὐκ ἀγαπήσω· μάλιστα μὲν ἑκόντα, καὶ ἐν πίσει, φασί, μένοντα, εἰ δὲ μὴ κἂν ἄκοντα ἔγωγε, καὶ μετατιθέμενον. Ἱερὸν γὰρ ἐμοὶ κριτὴ ἡ φιλία· ἧς τὰ σεμνὰ ὄργια διαφυλάττειν χρεὼν ἄφθαρτά τε καὶ ἄχραντα. Ἴσθι δὲ διανενοημένος ἡμᾶς εὐεργετεῖν, εὐεργεσίας μεγάλης χάριν, ἣν εὖ παρακαταθήκην, ἐν τῇ ἡμετέρᾳ ψυχῇ ταμιευσάμενος, ἐξέσται σοι ἀπαιτεῖν αὐτὴν ἡμᾶς ὁπότε οὖν καὶ ὅπως βουλομένῳ σοι ἔσται· τὸ αὐτὸ καὶ περὶ τοῦ εὐγενεστάτου, καὶ ἐπὶ παιδείᾳ πολυειδεῖ περιβοήτου Σαουηλίου καὶ νοῶ καὶ λέγω· τῷ δὴ καὶ δι' ἐπιστολῆς ἐκείνῳ εὐχαριστήσω· ἄγετε δή, ὦ ἄριστοι, διάπειραν ἐμοῦ λαμβάνετε· οὐ γὰρ μήποτε φανείητε εἰς πίθον τετρημμένον ἠντληκότες· οὐ μὰ τὸν ἐν οὐρανῷ μέγαν Θεόν. Ἄγαμαι δέ σε καὶ τῆς παρρησίας, ἀνθ' ὧν εὐνοϊκῶς ἐπετίμησας ἐμοὶ οὐκ εἰδὼς ὅπως γράψαντί σοι ὅτι ἡ ἐγγύη αὕτη τῶν καλῶν καὶ γενναίων διανοημάτων ἡμᾶς ἀπέσπευδε, καὶ ὡσανεὶ τρέχοντας τοῦ δρόμου ἐνίσχετο. Φὴς γὰρ οὐ σοφοῦ πρὸς ἀνδρὸς εἶναι τὴν γνώμην ταύτην· ἐπεί, οὐδὲ κατὰ λόγον εἶναι, δι' ἡντιναοῦν χρηματικὴν ζημίαν τῇ τῆς σοφίας ἐπαγγελίᾳ ἀποτάττεσθαι. Καὶ σύμψηφος ἔγωγε τοῖς σοῖς γίνομαι λόγοις· ἀτὰρ οὐ ποιοῦμαι σοφός τις εἶναι ἐγώ· εἰ καὶ σοφίας ἐραστής, καὶ ἐξ ὀνύχων, τὸ λεγόμενον, ἐκείνης θαυμαστὴς γεγονέναι, οὐκ ἂν ἔξαρνος γενοίμην. Καί τοι οὐ σύνοιδα ἐμαυτῷ τὴν περιπέτειαν ταύτην ἀσχημόνως ἐνεγκών· ἅπαξ τὰ χρέα ὧν τὴν ἐγγύην, ὃ μήποτ' ὤφελον, ὑπέστην, διαλύσας, μακρὰν χαίρειν τοῦ λοιποῦ ταῖς χρηματικαῖς μερίμναις, ἔλεξα, διαθέσει ἐπιεικῶς γοῦν, ἵνα μὴ φορτικὸν εἴπω, ἐρρωμένῃ. οὐκ ἄλλως τὴν ζημίαν ταύτην εἰς νοῦν καὶ μνήμην λαμβάνων, ἢ ὁπότε περὶ τοῦ ἰᾶσθαι τὸ κακόν, ἔδει πρὸς τὸν καὶ τὸν γράφειν· τὸ δὲ πρᾶγμα ὅλον ἐπιτρέψας τῷ Θεῷ καὶ τοῖς φίλοις, ἱλαρᾷ οὐδὲν ἧττον καρδίᾳ καὶ προσώπῳ τὸ πλεῖστον ἔμεινα· εἰ τί ποτε τῶν δεδαπανημένων οἷός τε εἴην ἀπέχειν, ἐν κέρδους μέρει, τοῦτο ἡγησόμενος· χάρις δὲ τῷ παναρίστῳ Θεῷ, οὗ διακυβερνῶντος περιέστη ἡ ἐμὴ ἀβουλία ἄνευ μεγάλης βλάβης εἰς ὠφέλειαν τὴν μεγίστην· ἀπέλαβον γὰρ τὰ δοθέντα χρήματα καὶ ὠφελημωτάτην ἐδιδάχθην διδασκαλίαν ἢ σοφὸς εἶναι εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον, ἢ τῷ σοφῷ πείθεσθαι τῷ φήσαντι, παγκάλως καὶ ἀτρεκῶς, ὦ Ζεῦ καὶ Θεοί, Ἐγγύα, πάρα δ' Ἄτα. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοι

1595. περ. Τὸν δὲ Συετώνιον τὸν ἔναγχος ὑφ' ἡμῶν διορθωθέντα καὶ ἐκδοθέντα ἴσως ἑωράκας· βουλοίμην δ' ἂν τῶν παραλελειμμένων ἢ οὐκ ὀρθῶς εἰρημένων ξυγγνώμην ἅμα καὶ ἐπανόρθωσιν παρὰ τῶν φίλων εὑρεῖν ἢ ἔπαινον τῶν καλῶς εἴπερ ἄρα τι τοιοῦτον εὑρηθέντων. Πέμπω δέ σοι τὸ νῦν εὐτελές τι βιβλιαρίδιον, πάλαι μὲν νεωτέροις ἡμῖν ἐσχεδιασμένον, ἄρτι δὲ ἐκ δευτέρου ἀμωσγέπως, οἷα ναῦς παλαιὰ ἀνασκευασθέν. Ἕψεται τούτοις μετ' ὀλίγον σὺν τῷ Θεῷ ὁ καλὸς Ἀθήναιος. Ἐρρίφθη γὰρ ὁ κύβος ἐπεὶ οὐχ ἅπαξ ἀλλὰ πολλάκις ἐκδώσειν προθύμως μᾶλλον ἢ φρονίμως ὑπέστημεν· πολλῶν δὲ πάλαι καὶ διαφόρων σφαλμάτων τὰ ἐκείνου βιβλία ἐκ τοῦ ῥᾴστου ἐκκαθάρας, προήχθην νήπιος ἐγώ, ἐγχειρεῖν τῷ ἔργῳ, καὶ ἔκδοσιν αὐτοῦ καινὴν τοῖς φιλοκάλοις τῶν ἀνδρῶν ἐπαγγέλλεσθαι· ἐλπὶς γὰρ ἦν τὴν ἡμετέραν κριτικὴν κἂν τοῖς λοιποῖς ἅπασιν οὕτω κατορθώσειν, ὥσπερ ἐν οἷς ἤδη οὐδὲ πάρεργον ἔνθα καὶ ἔνθα διορθωκότες ἦμεν· τὸ δ' οὐχ οὕτως ἔχει· οὐδὲ ταὐτὸν εἶδος τῶν πραγμάτων πόρρωθεν ἰδόντων ἐγγύθεν δ' ὁρωμένων· ὥστε συμβαίνει ἡμῖν πάντως τὸ τοῦ λόγου, ἄρτι μῦς ἐγεύσατο πίττης· ἀναλύσασθαι γὰρ καὶ ἀνακαλεῖν τὴν ὑπόσχεσιν ὀκνοῦμεν· τὸ δ' ἐγχειρηθὲν καὶ οἷον ἐργολαβηθὲν ἐπὶ τέλος ἀγαγεῖν οἷοί τε οὐκ ἐσμέν· αὕτη ἄρα ἡ ἀβουλία καὶ τὸ μὴ γνῶναι σαυτὸν τῶν κακῶν τὸ μέγιστον καὶ δεινότατον. Ἀλλ' ὦ τᾶν συνδεήθητι ἡμῖν ὑπὲρ ἡμῶν καὶ Χριστῷ νικητήριον εὐχοῦ, ἵνα μὴ ἐκκακῶμεν, ἀλλὰ τὸ προκείμενον ἐκπληρώσαντες, ἐκ τοῦ παρόντος ἀγῶνος οὐκ ἀναξίως τῶν προβεβουλευμένων ἀπαλλαξώμεθα· ἐπεὶ οὐχ ἕδρας οὐδὲ μελλήσεως ἀκμή· χρεὼν γὰρ ἤδη ἐγκαλυψαμένους ὁμόσε χωρεῖν τοῖς δεινοῖς· πολλὰ κἀγαθὰ δοίη σοι ὁ ἐάων δωτὴρ Θεός, Δουναῖε προσφιλέστατε. Ἔρρωσο· ἐν Γενεύῃ, ἀνθεστηριῶνος μεσοῦντος πέμπτῃ ἐπὶ δεκάδι, α φ ϑ ε.

Epistola DCCCCXCVI.

✠ JOACHIMO CAMERARIO, Joachimi Filio.

1595. Literas tuas, & quas misisti in Athenæum Notas, Vir clarissime, accepi. Ago tibi pro ista tua tam prolixa humanitate grates gratissimas. Referam autem lubens meritò, si, quod opto vehementer, facultas aliqua se mihi obtulerit testandi animi in te mei. Sanè haud in pertusum dolium contulisti hoc beneficium; & quanquam omnia illa, quæ misisti, antè habebam; tamen exstabit memoria meriti, quo & me, & per me Rempublicam literariam ivisti adjutum. Sed vetus est hæc Camerariæ gentis gloria, ut & literarum in omni genere cognitione excellatis, & utilitatibus studiosorum omnibus modis inserviatis. Viderint alii quantum se putent maximo viro, parenti tuo, debere; ego illum tanti à puero feci facioque, ut æternùm vestri nominis non amator solùm, sed cultor etiam sim futurus. Equidem sic sentio, sic judico, aquilam fuisse in Germania sua patrem tuum, cui par neque antè extiterat, neque posteà extitit in eadem, quàm longa lataque est Germania. Dicerem aliquid amplius, nisi vererer ne tu me auribus tuis istud dare existimes. Sed memoriam & desiderium tanti viri refricuit lectio Adversariorum Turnebi, à qua recens eram, cùm hæc scriberem. Is enim, vir & ipse maximus, Joachimo Camerario tantum ubique tribuit, quantum alii nemini. Deus faciat extent in posterum tales paresque tibicines fulciendæ Reipublicæ literariæ, quæ ruere & quasi ad iteritum vergere videtur. De Athenæo sic est ut ab eruditissimo & amicissimo Hœschelio intellexisti; sum enim in eo, ut doctissimum illum Scriptorem edam: & erit, spero, non inutilis opera, quam in illa editione paranda posuimus. Sed me currentem multa sæpe interpellant, quæ alacritatem meam haud parùm imminuunt. Nam quò sint redacta hodie Græcarum literarum studia, vides; quàm nullus propè sit illis locus; quàm ab omnibus ὀλίγου δεῖν contemnantur. Jam si futura secula cogitemus, quid est quod excitare diligentiam nostram possit? Imminet enim, nisi vanum nostrum augurium est, ingens toti Europæ vastitas; & arcanâ quâdam lege fatorum, quæ in rebus humanis nihil μένιμον esse sinunt, jamjam videtur barbaries illa reditura, atque omnia occupatura, quam olim gentes barbaræ, & ab omni cultu literarum alienæ invexerant. Sed Deus meliora! Utut sit, quantum in nobis erit, (quod scimus quàm sit exiguum) pergemus de studiosis bonarum artium benè mereri, & ἣν θεόθεν ἐλάχομεν σπάρταν κοσμήσομεν. Non malè operam posuerimus, si nihil aliud, judicio certè & amore tuo tuique similium fruemur, eoque nos oblectabimus. Clarissimi viri fratris tui (quem meis verbis salutes velim) filium, spero à majorum suorum virtute non degeneraturum. Spondet hoc vel ille vultus liberalis, quem præ se fert; sed multò magis studium, quod literis impendit; cujus rei testis mihi clarissimus ejus hospes Lectius. Neque ego destiti, quoties occasio fuit, hortari, monere, rogare meminerit nominis sui; &, spero, faciet. Vale, Vir eruditissime, & me ama. *Genevæ, a. d.* XIII. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ XCIV. quem diem faustum & felicem velit Deus tibi tuisque illucere. Iterum vale. 1595.

Episto-

Epistola DCCCCXCVII.

✠ DIONYSIO GOTHOFREDO.

1595. Scripsi nuper ad te, Vir clarissime, cùm inibi essem, ut in Delphinatum piam matrem visurus proficiscerer. Ivi, veni, reveni, non sine singulari Dei Opt. Max. auxilio, qui ex infinitis periculis, quæ me undique, præsertim in Sabaudia (quæ hodie latronum terra est) circunstabant, liberavit, & salvum incolumemque ad meos salvos incolumesque perduxit. Nunc scis, quid sit ἡδὺ σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων. Crede mihi, ex Orco reducem me vides: ita sunt omnes viæ (utique tunc maximè) infestæ & hominibus sceleratis refertæ, qui spe prædæ nemini parcunt. Sperabam me inventurum in manibus uxoris literas tuas, quibus novissimis meis responderes: sed fortasse quòd diutius afuturum me putares, ideò in scribendo omissior fuisti. Ego verò redii, & tuam voluntatem super instituto negotio intelligere cupio. Quare te oro, ut re semel constitutâ facias me quàm primùm certiorem. Cur publicis hisce ædibus egredi cupiam, caussas habeo nec paucas, nec vanas: locus est vastus potius quàm amplus, per hyemem tam molestus & incommodus quàm æstate jucundus; Musæum meum ludentium in subdiali puerorum clamoribus obnoxium: mitto cætera oppidò quàm multa. Migrare igitur, Deo bene juvante, statuimus ego & uxor consentientibus sententiis. Tuam domum ut præferam aliis, de quibus habitus mihi sermo, situs maximè facit & vicinia: tantum de precio ut conveniamus videndum. Scripsi nuper quid mihi super hoc videatur, quantumque velim dare: amplius non possum, ne obolum quidem. Non eæ sunt meæ nunc facultates, ut si velim possim; nec ea tempora, ut si possim velim. Non is status ædium tuarum, ut carius vænire debeant. Scito enim (quanquam tibi non puto rem esse incognitam) nisi brevi illæ reficiantur, fore ut magnam jacturam absque dubio facias. Si de pretio inter nos conveniat, spero partem, & fortasse maximam, certè partem me repræsentaturum. Tuæ securitati ut omni ratione consulatur, non impedio. Unum à te petam, ut de pecunia, quæ restabit, agas mecum benignè. Scio exigi bessem usuram, aut ea fortasse majorem: semisses tu, opinor, probabis, & aliquam rationem habebis nostræ amicitiæ. Responsum à te cupidè expectabo. Lectii luctum puto te non nescire: reverà malè actum cum illo viro, utrique nostrûm amicissimo, est: penè dixerim, non potuisse pejus; nisi quòd acquiescendum est magni Dei justissimæ voluntati: sed sanè casus ille tristissimus fuit; jactura autem prope incredibilis: eæ erant verè nobiles illius matronæ dotes. Deus illi mœrorem hunc leniat minuatque; idemque te & uxorem tuam cum pignoribus & luminibus vestris servet εἰς πολλὰς ἐτῶν δεκάδας. Vale, & rescribe quantocius. *Genevæ*, *a. d.* XIII. *Kalend. Januar.* CIϽ IϽ XCVI. 1595.

Epistola DCCCCXCVIII.

CHRISTOPHORO FIRXIO. ✠

Ecquid silentium miraris meum? Ecquid me tacitus apud te appellas, 1595.
& fœdifragum vocas? puto equidem, Firxi nobilissime, atque adeò spero & confido. Malo enim nostrum hic istud à me desideres officium, meque arcessas ignaviæ, socordiæ; adde etiam, si ita vis, perfidiæ, quàm si meum silentium susque deque haberes: illud amoris fuerit indicium; hoc oblivionis & ἀφιλίας. Ergo, inquies, ignavus, socors, & perfidus audire non probri loco ducis? Ego verò maximi; neque Deus sirit adeò perfrictæ sim frontis, ut hanc notam inuri nomini meo sinam. Scito igitur, Firxi amicissime, quod tamdiu siluerim, nullâ id meâ culpâ esse factum: qui de te & statu tuo semper, posteaquam à nobis discessisti, pro eo ac debui, fui sollicitus. Testes sunt amici communes multi, quibus, si opus sit, testimonium possim denunciare. Diceret generosissimus Comes Hanoniensis, nunquam me ab illo tempore secum verba fecisse, quin de te sedulò quærerem siquid intellexisset. Dicerent iidem viri ornatissimi, Præfecti alter morum, alter studiorum ejusdem illustris Comitis. Prodiret etiam Altorfio doctissimus noster Rittershusius, qui non unis literis rogatus à me est, siquid de te audisset, faceret me id scirem. Possem alios producere meæ in amore tui constantiæ testes. Sed cur non scribebas ipse? inquies. Atqui literas quò mitterem ignorabam, & per quos. Nunc scio; postquàm ex tuis literis de tuo statu factus sum certior: quibus antè respondissem, nisi mox illis acceptis iter in Gallias ad visendam optimam matrem instituissem. Inde reversus habui nihil antiquius, quàm ut defungerer officio hoc, & vetus illud nomen expungerem. Habes causas

1595. causas silentii mei tam diuturni. Quod superest, gratulor tibi, & quidem ex animo, quòd in Aulam Principis illustrissimi, Ducis Wirtembergici, sis receptus. Næ tu felix es, qui tam facilè, tam citò, quod optabas, sis consequutus. Nihil hic tamen præter spem aut opinionem meam accidit; qui de virtute atque eruditione, quibus nobilitatem tuam ornasti, nihilò deteriora tibi (si meministi) ominari eram solitus; nec omina tantum fuêre, sed & vota; quorum damnatum esse me, gaudeo immensum. Nostræ hic res eo loco sunt, quo eas reliquisti. Suetonius tandem editus à nobis est; ejusque exemplar unum tibi servamus, donec mittendi facultas offeretur. Si quam habes certam, significa. Uxor liberique, Dei beneficio, valent, teque officiosissimè salutant. Lectius noster non multos ante dies magno casu prope afflictus est, amissâ uxore, matronâ nobilissimâ & lectissimâ. Res nostra publica, si ærarii inopiam excipias, quæ in dies crescit, nihil mutavit post discessum tuum: inopia verò tanta est, ut eam solam ob causam munitionem ad Albam fluvium cogantur demoliri, non sine magno hostium gaudio, utinam sine nostro damno! Sed Deus providebit. Ex Galliis, unde nuper sum reversus, novi nihil attuli, nisi quòd bellum in Provincia acriter gerebatur contra Ducem Pernonium. Præfecit Rex ei Provinciæ & bello Ducem Guisium, adjecto Legato (Rex Tutorem vocabat) Edigerio, cujus fama nomenque super æthera nota. Is primo impetu suis unius copiis urbem munitissimam in aditu Provinciæ obsessam dies octo cepit. Ei oppido nomen hodie Cisteroni: olim, ut videtur, Segesterorum fuit civitas. Quid posteà sit factum, nescio. Vale, amicissime & nobilissime Firxi. *Genevæ, a. d.* XIII. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA DCCCCXCIX.

✠ GULIELMO RANCHINO, J.C.
ET INCLYTÆ MONTISPESSULI
πρωβουπάτῳ PRUDENTISSIMO.

1596. MAgno me sibi, Ranchine clarissime, beneficio devinxit Præses amplissimus Philippus Canajus à Fraxinis, per quem & publicè civitati vestræ innotui, & privatim amicitia tua, quâ nihil mihi nec gratius nec optatius esse queat, conciliata est. Salve igitur, Vir doctissime, Amice charissime, & quem ultrò binis literis eruditè juxta atque amanter scriptis, prolixè testatus es affectum, cum petenti mihi tribue, conserva, auge. Ita erit, spero, nec metuet unquam solvi (ne minui quidem) noster hic nuper susceptus amor. Ut fundata bene altèque ædificia ferunt ætatem, tuta suapte vi adversus casuum & tempestatum quarumcunque violentiam; sic amicitia, quam inter nos instituimus, æternùm duratura mansuraque est. Non nos casus, non aliqua aut χρεία, aut fortunæ συζυγία conjunxit; sed te quidem, ut me amore tuo dignum putares, opinio impulit, (utinam non vana!) quam de nostris studiis concepisti: me ut tacitus te colerem & tuam expeterem notitiam, nedum amicitiam, summa tua virtus non minore eruditione juncta, pridem hortabatur. Non enim hodie aut heri cognitum mihi præclarum, Ranchine doctissime, nomen tuum. Ut cæteros mittam, quos memini sæpius quum de tuis laudibus multa magnaque memorarent, audisse, non unis suis literis in amorem me tui rapuit Præses amplissimus, quem modò nominavimus. Ea propter volui sæpe ex illo literas tibi testes benevolentiæ meæ adversum te mittere. Quòd cunctationem meam anteverteris, meque adeò jam binis literis lacessieris, haut mei id meriti, sed bonitatis tuæ est. Eidem acceptum fero, quòd tanto me opere ac studio isthuc vocas. Vellem Deus fecisset, essent isthic (quorum nimis ubique rara annona est) tui similes multi. Tum ego, mihi crede, vinculis nullis teneri possem, quin ad vos confestim advolarem. Nunc tenent me atque adeò terrent nonnulla, de quibus & scripsi anteà non semel, cùm ad clarissimos Consules civitatis vestræ, tùm ad Præsidem amicum illum magnum meum, & scribam ad te quoque aliàs fortasse pluribus, si feret occasio. Breviter sic accipe, sic de nobis statue: esse me, qui honestum otium & animi tranquillitatem ad persequenda nostra hæc studia optem, quæram, &, ita dicam, sitiam. Hæc ut summatim dicam, votorum nostrorum summa est. Verùm ista melius, ut dixi, aliàs. Nunc scribendi finem faciam, si te oravero, ut Suetonium, quem tibi mitto, accipias, & fidum esse tibi persuadeas summi amoris in te mei pignus atque testimonium. Vale. *Genevæ, Kalendis ipsis anni novi*, CIↃ IↃ XCVI. 1596.

EPISTOLA

EPISTOLA M.

EIDEM.

1596. LIteris iis, quas ad me tabellarius vester attulit, Ranchine clarissime, publicè scriptis respondi publicè. Sed quia scirem te prope unicum, certè præcipuum totius negotii hujus auctorem tuis fuisse, promotorem, & ἐπιστάτην, placuit privatim has ad te exarare, testes futuras ἀφελῶς καὶ ἀδόλως grati in te animi mei. Sic enim mecum ipse statuo, quum insigni honore celeberrima vestra civitas me affecerit, tanto studio, tantâ contentione ad se accersens, primam tamen hujus beneficii gratiam deberi à me tibi, Vir præstantissime, & illi alteri amico magno meo, qui desiderium nostri primus isthîc excitavit. Indignus sim vestrâ, tantorum virorum amicitiâ, si quantum eo nomine vobis debeam, vel non intelligam, vel intelligens assiduâ commemoratione & prædicatione non præ me feram. Ego verò faciam; nec committam, ut vestri hujus judicii pœnitere unquam vos possit. Sic igitur tibi persuade, hæsuram semper animo meo hujus tantæ benevolentiæ tuæ jucundissimam memoriam. Noli etiam dubitare invigilaturum me, & ad omnes occasiones fore intentum, quò possim grati animi aliquid tibi testimonium reapsè exhibere. Ita me Sophia amet, quam dies noctesque colo, ut ille mihi jucundus illucescet dies, quo sese offeret facultas cùm publicè civitati vestræ, tùm privatim tibi commodandi, gratificandi, inserviendi. Si nihil aliud potero, Musæ certè nostræ suam mihi opem & operam non denegabunt. Ab illis facilè impetravero, ut meum erga vos studium vobis aliisque testatum faciant: sed hæc aliàs: nunc paucis accipe, quo loco res sint meæ. Posteaquam vir gravis & amicus, Gigordius noster, ad vos re infectâ rediisset, & ipse à matre domum ad libros sum reversus, quum totum hoc negotium à vobis non intermissum, sed planè omissum existimarem; cœpi de conditione Athenæi pridem à nobis promissâ, & quam quotidianis prope conviciis doctissimi viri per literas efflagitant, cogitare. Ac cùm variis de causis incommodæ meis studiis illæ ædes essent, in queis annos aliquot habui, pervenissetque ad Senatûs nostri aures querela super ea re nostra, ecce tibi præter meam spem decernitur ab Ordine amplissimo omnibus modis satis mihi fiat, & de alia domo quantocunque sumptu prospiciatur, dum 1596. modo in aliquod tempus fidem adhuc meam obstringere, & Scholam hanc juvare non nolim. Sic factum triduo aut quatriduo ante tabellarii vestri adventum, ut hac quasi pactione novâ nostris obligatus, libertatem amiserim ad tempus, quam antè habui. Dolet sanè mihi, quod jam secundum vestrâ expectatione frustremini. Me tamen illud solatur, quod culpâ nullâ meâ id acciderit, qui profectò vester esse & cupii vehementissimè, & cupio nunc quoque, modò honestè, & nullo existimationis meæ periculo fieri id possit. Nunc quidem datam fidem necesse servem; idque mihi tempus ad editionem Athenæi totum erit necessarium. Quid intereà sit eventurum, quid posteà, Θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Equidem hoc vobis polliceor, si libero mihi certa isthîc spes otii ostendatur, si ad degendam honestè & commodè vitam præsidia offerantur; si, quod maximi facio, vestra omnium benevolentia mihi continuetur, vestrum fore me animo & corpore: sin minus, animo certè, ut sum, ita semper ero: eximiè autem & nunc & olim tuus, Ranchine præstantissime, sum eroque. Vale, & me ama. *Genevæ, a. d.* IV. *Kalend. Februar.* CIƆ IƆ XCVI.

EPISTOLA MI.

CHRISTOPHORO FIRXIO.

NIhil habebam, Firxi nobilissime, 1596. quod ad te scriberem; quin ipse potius literas à te expectabam, earum vicem, quas Bongarsius, vir clarissimus, tibi nuper à me reddidit. Verùm tamen quia confido meas tibi gratas fore, libuit hoc veluti legitimo scribendarum literarum tempore proficiscentibus nostratibus mercatoribus ad mercatum Francofordiensem paucula hæc ad te exarare. Scito igitur, Vir amicissime, vigere in meo uxorisque animo suavem semper semperque recentem tui memoriam. Ita merita multiplex virtus, quæ nobilitatem tuam variè ornat. Utinam possemus aliquam rationem inire declarandæ nostræ adversum te συζυγικῆς καὶ φιλικῆς διαθέσεως! Hoc quia nondum contigit, quod superest & unum possumus, Deum Opt. Max. supplices veneramur, ut te servet, tua consilia regat, in omnibus te formet. Nos hîc, Dei beneficio, valemus, etsi uxor ante quinque dies abortu facto filiam peperit, quæ post horas pauculas, tincta prius aquâ mysticâ, diem suum obiit. Lectius amissâ uxore,

1596. uxore, bona uxoria visurus, profectus est in Gallias. Senex noster magnus valet, ac de te nuper apud me honestissimam mentionem fecit. Res nostra publica languet, nec certas inducias, nec pacem, nec bellum habens: expectandus aliquis dies criticus, in quo plus erit ad publicam salutem hujus status momenti, quàm in omnibus omnium Criticorum noctibus & vigiliis. Vale, & me ama. *Genevæ*, *Id. Mart.* CIↃ IↃ XCVI.

Epistola MII.

✠ JACOBO MEDOUSIO.

1596. SUavissima recordatio tui, Medousi doctissime, expressit à me has ad te literas: nam postquam à nobis discessisti, nullus abiit dies, quo non oculis obversareris meis sæpius. Hærent etiam auribus ἔναυλοι adhuc sermones jucundissimi, quos unà habuimus. Tu ut nostri memoriam conserves, non peto: persuasus enim sum paria te mecum facere & facturum porrò: vigeat ergo floreatque etiam ultra cineres mutuus inter nos amor. Hoc mihi gratius esse nihil possit. Ad nobilissimum Henricum Wottonem literarum aliquid dare non est visum. Nam si, quod videtur, ejus immutatus erga nos animus, tu melius coram eum nobis conciliabis. Equidem conscius mihi non sum facti ullius, neque dicti, quod árctissimum illud amcitiæ nostræ vinculum laxare potuerit, nedum solvere; multò minus frangere ἀπλόμως. Ne vivam, mi Medousi, si in ullis ad quenquam literis aliter de eo sum locutus, ac de eo, quem & amarem & colerem unicè. Pelagus quidem molestiarum me esse emensum fateor ejus caussâ; at non ejus culpâ tamen. Sic mihi semper ipse persuasi; sic à Thomsone nostro semper sum persuasus, qui de eo negotio nullas unquam literas dedit, quibus fidem ejus & amorem erga me non prædicaret. Quid igitur illum immutavit? Peto verò à te, Medousi amicissime, efficias per te intelligat, quis meus sit erga ipsum animus. Ego illum dum vivam, amabo, maximè quidem volentem & ἀντιφιλοῦντα· sin, quod μὴ γένοιτο, vel invitum & à me alienum. Vale. *Genevæ*, *Id. Mart.* CIↃ IↃ XCVI.

Epistola MIII.

✠ JANO GRUTERO.

1596. PLautum tuum, Grutere charissime, sic avidè expecto, ut cætera omnia, quorum expectationem nobis commovisti. Nam illos viginti & novem observationum libros, pridem promissos, quando videbimus? Vide ne post longas moras patientiam rumpant ὦ φιλομαθεῖς, & pipulo te ac convitiis flagitent, quibus equidem ducem me & signiferum libens præbebo, nisi tu quàm primùm desideriis nostris satisfeceris. Nostra studia neque frigent, neque calent. Nuper è Galliis reversi vetus tyrocinium nostrorum studiorum in Theocritum relegimus, & sub incudem revocavimus. Ejus libelli exemplar unum à Commelino nostro accipies. In Athenæo nunc sumus, & convivium doctis harum literarum amantibus apparamus, haut scio quanti pretii, aut cujus saporis; immensi certè laboris, si modò vires Deus suggerat, ut quæ destinamus, possimus perficere. Nos quidem interdum terrent tristissima funera Danæi, Witticceri, Sylburgii nostri, Pithopœi; ut leniter obductam cicatricem ne refricem, & taceam de amicissimi Chevalerii obitu. Verùm hæc illi curæ, cui omnes nostras curas parvas magnas ἀνατιθέμεθα. Te ut Deus servet, & quàm diutissimè vigere florereque velit, vota facimus ἐκτενῶς. Vale, Vir amicissime. *Genevæ*, *Id. Mart.* CIↃ IↃ XCVI.

Paulo Melisso, viro clarissimo, plurimam à me salutem.

Epistola MIV.

HIERONYMO COMMELINO. ✠

O Factum malè, quòd Sylburgius noster abierit ad plures! O gravem Reipublicæ literariæ jacturam! Sed & tu, Vir amicissime, amicum & συνεργὸν amisisti optimum. Ille quidem beatus jam, & μακαριστὸς non lugendus; at nos cur illud desideremus, caussas magnas habemus. Quàm vereor ne hic casus honestissima incepta tua retardet, quædam etiam penitùs impediat. Utinam propius abessemus invicem! Quantum ab occupationibus meis, quas nôsti, vaco, tuus essem ὅλος κὰγ πως. Hìc itaque meâ operâ utaris velim quacunque in re visum fuerit. Mitto tibi libellum, quem ternis literis petiisti. Si quid in ejus editione propter tuam benevolentiam factum, est id unum ex incommodis, quæ locorum distantia nobis affert. De Athenæo scripsi jam sæpius: in me mora nulla est, qui ei curæ totum me dabo atque addicam, donec res ad umbilicum pervenerit. Impetum meum ne ulla res impediat, quæso, diligenter vide. Quòd tam 1596.

1596. tam properè ex Gallia ſim reverſus, Athenæus maximè fuit cauſſa: eo edito redeundum erit eòdem, & σὺν Θεῷ perficiendum, quod nunc vix inchoavi. Vellem de charta pridem eſſet proſpectum; etſi Paulus Stephanus jubet me eſſe ſecurum. Cætera, quæ ad id opus deſiderantur, nôſti ipſe quàm ego melius: quare in tua diligentia omnis mihi ſpes. Cùm maximè hæc ſcriberem, literas tuas accepi. Intellexi ex iis de obitu unius è filiabus tuis, & alterius morbo. Deus velit ſervatam illam, quæ adhuc ſervari poteſt: nam altera, Vir amiciſſime, non luctu aut lachrymis; ſed μακαρισμῷ par eſt proſequi. Atque hoc is dicit, qui recens eſt à luctu duarum filiolarum ſuaviſſimarum: altera paullò poſt diſceſſum tuum obiit; altera ante dies quinque, eodem quo erat nata die, verè ἐπάμερος βροτὸς, κατὰ Πίνδαρον. Uxor, quæ immaturo partui abortum fecerat, valde periclitata eſt. Hoc illud eſt nempe τὸ τοῦ ἔρωτος γλυκύπικρον· ferè enim, ut ſunt res mortalium, ἓν πὰρ ἐσλὸν πήματα σὺν δύο. Nôſti cætera. Sed nos beati, qui Auctorem horum omnium Patrem noſtrum agnoſcimus, & in ejus voluntate acquieſcimus. Literas meas in Belgium & in Angliam commendo tibi ſic, ut nihil magis. Miror neque à Scaligero, neque à Thomſono quicquam me literarum tamdiu accepiſſe. Tu ut ad nos, quàm ſæpiſſimè te oro. Si diſtrahatur Sylburgii ſupellex, & ſit aliquid rari, id, quæſo, vel tibi vel mihi compara, nec ſiris venire in manus hominum, qui vel uti neſciant, vel qui ſoli velint uti. Scylacis Caryaudenſis fragmenta quædam habuit, quæ vir optimus oſtendere nobis olim, cupientibus cùm maximè, inſuper habuit. Fac, quæſo te, in lucem prodeant. En operam meam tibi offero. Libris quibuſdam infrà ſcriptis opus mihi ad noſtrum Athenæum; * * * obſecro & mitte. Jam illud non expectas, ut omnium librorum, qui à te in quacunque terrarum ora eduntur, unum exemplar mittas? Nihil enim à te editur non ad guſtum noſtrum. Balduinum in Optatum non amittes? Sunt quædam eruditè ab eo obſervata; ſed partium ſtudium rapuit eum ad declamationes ineptas. Vale, Vir amiciſſime. *Genevæ*, *a. d.* XIII. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA MV.

PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS.

SEmper quidem, Præſes ampliſſime, 1596.
ſuaves & melle dulciores mihi Epiſtolæ tuæ; eximiâ tamen jucunditate & voluptate nuperæ tuæ me affecerant; ex quibus intellexi, fruſtra me fuiſſe, cùm ſuſpicatus ſum animum in me tuum ob negotium Monſpelienſe nonnihil eſſe immutatum. Inceſſerat mentem animi is metus ex iis, quæ Λακωνικῶς μάλα in ſchedula quadam ſcripſeras; quæ mihi viſa eſſe ἡ ἀπὸ Σκυθῶν ῥῆσις. Parabam igitur longam apud te facti mei defenſionem, ut ſi quâ ratione poſſem, omnibus ingenii nervis contentis perſuaderem tibi, quod necdum voti noſtri ambo facti compotes ſimus, nullâ meâ id eveniſſe culpâ, ſed quâdam fatorum meorum οἰκονομίᾳ, quorum invidiam ſuſtinere verum non eſt. Gratias verò tibi maximas, ὦ ἀνδρῶν ἄριστε καὶ κράτιστε, quòd hac curâ me liberaveris. Cruciaverat me prius illud pittacium; recreavit, exhilaravit, beavit noviſſima Epiſtola, tantò melior, quantò longior. Illa mihi tuæ in amore mei conſtantiæ teſtis locuples; illa ſollicitudinis, quam de me ſtudiiſque meis ſuſcipere dignaris, index certiſſimus; illa tui animi fuit mihi imago, pignus, & obſes. Gaude igitur gaudio meo, qui dolore doliturus eras, ſi eum habuiſſes notum. Equidem tuarum lectione χάρμα ἐχάρην πάντων χαρμάτων ἐπέξιον. Erat tanti dolere nonnihil, ut ſic poſteà gauderem. Jam non accuſo tuam illam Λακωνικὴν σκυτάλην. Uti, qui ictum meditantur, manum reducunt, quò acrius feriant & gravius; ſimillimè in hac re factum. Valeant igitur illæ, quarum ſpem feceram, prælongæ ἀπολογητικαὶ literæ. Mihi in candore nivei pectoris tui parata & ſcripta defenſio; ea me hactenus adverſus omnes triſtes ſuſpiciones tuita eſt; eadem porro tuebitur etiam ſilentem. Malo ſanè, & eſt certè æquius, rebus quàm verbis meam tibi cauſam probare. Quod ſi quid adhuc in nobis ſupereſſe putas fidei & φιλαληθείας, perſuade tibi venturum me iſthuc, ut de tota hac re atque aliis multis unà colloquamur. Adſit modò ceptis Deus. Cæterum quia ampliſſimus Præſes Thuanus, aliique amici per literas egerunt mecum, ut bimeſtrem peregrinationem ad Pariſios ſuſciperem; fore enim id è re ſtudiorum meorum ſic, ut nihil poſſit magis. Placuit deliberationem hanc ἀνακοινώσασθαι, ut hic quoque tuo judicio uterer

1596. rer ac consilio. Obsecro igitur, quid censes? de tempore dico & ratione itineris; nam quin aliquando ea profectio instituenda mihi sit ipse, opinor, non ambigis. Verè enim Thuanus scribebat, posse me bimestri hac peregrinatione ea assequi, quæ vix ac ne vix quidem anno integro in Museo. Optarem quidem, si quando Deus me urbem volet visere, id eo tempore fieri, quo vel ibi te reperire, vel eò comitari possem: verùm si nimis improbum & invidiosum id votum nostrum est, videndum ne penitùs mihi tantæ ἀποδημίας occasio pereat. Vale, Vir amplissime, & me ama, qui cum uxore & liberis meis assidua pro felicitate tua conjugisque nobilissimæ & suavissimorum luminum vestrorum facimus vota. Raptim, meo more. *Genevæ, pridie Non. April.* CIϽ IϽ XCVI.

EPISTOLA MVI.

✠ JACOBO LECTIO.

1596. O Suavem & hilarem nuntium de peractis tuis isthîc negotiis! qui rediturum te ad nos brevi etiam, te tacente, spondet nobis. Quid enim est, quod te diutius isthîc detineat? Redibis igitur, amicorum dulcissime & intime; nosque languentes admodum certè ἔχοντας οὐχ ὡς ἄριστα exoptatissimo conspectu tuo recreabis. Mihi per aliquot jam hebdomadas cum optima rerum humanarum, Hygiia, non convenit; & nescio quid sinistri minatur defluxio in pulmones, quæ si Dei benignitate & industriâ Medicorum defendi non queat, modicum adhuc tempus, & fidissimus tuorum tibi perierit, ac suis, non sibi tamen; mihi enim τὸ οὐκ ἀπόλλυσθαι, καὶ τὸ θανεῖν κέρδος. Nisi quod dum meam & meos intueor, ἀνθρώπινόν τι πάσχω. Sed hæc illi curæ, qui ima, summa, minima, maxima curat. Nobis quidem ipsi non deerimus; qui jam bis purgati paucis diebus, quo momento tuas has literas accepi, eodem tertium φάρμακον hauseram, verè plus aloës, ut ille ait, quàm mellis habens. Miseram hominum conditionem! quæ per tot amara illud unum creditum amarum fugere cogitur. Alberius, si nescis, Divione nuper diem suum obiit; alter (sic omnes credunt, verè an falsò) Morlanus. Certè erga morientem & mortuum servata ex ordine ὅσα ἐν ἔθει τῶν καθολικωτάτων· nec deerat suspicio, si convaluisset, facturum brevi, ne quisquam de ipsius religione posset dubitare. Hæc illa est ἀνθρωπίνη σοφία ἡ ἀεὶ μαραινομένη ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῆς. Plura parabam; sed urget pharmacum, ante tres horas sumptum. Vale igitur, doctissime & integerrime τῶν ἐμοὶ φίλων. Deus te nobis brevi, & nos tibi restituat salvos & incolumes. Uxor plurimam tibi salutem. *Genevæ, die dominicâ April.* XVIII. CIϽ IϽ XCVI. raptim. 1596.

Si diutius hic subsistis, quæso, bea me tuis literis.

EPISTOLA MVII.

DIONYSIO GOTHOFREDO. ✠

TErnas proximis nundinis accepi à te, Vir clarissime & charissime. 1596. Laudo exemplum; imitabor etiam, si erit occasio; petoque à te, ut ne remittas deinceps scribendi consuetudinem. Crede mihi, Vir amicissime, quando fati mei ea inclementia est, ut fructu tuæ consuetudinis mihi sit carendum, quod superest, lectione tuarum sic capior, ut nullâ re magis. Cæterùm quos voluisti mihi esse commendatos, spero reapsè cognituros, quantum tuæ apud me literæ ponderis habeant. Junius, Vir clarissimus, Fr. apud nos est; adolescens honestissimus, & verè τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον. De domo tua simul aliquid constituero, faciam te ut scias. Adhuc res est in integro propter morbum Francisci le Preux, qui tamen, opinor, jam convaluit. Pacius in urbe est, & vivimus unà τό γε δοκεῖν, amicè & conjunctè; ego enim primâ congressione in Petri omnia expectoravi, quæ olim ab illo me abalienarant. Juvit quòd se tibi sanctissimam vovisse amicitiam diceret. De eo nihil dum à Senatu decretum. Vale, & prolixiores à me expecta cis dies paucos. Uxor te & lectissimam tuam plurimum valere jubet. Iterum vale. *Genevæ, a. d.* III. *Non. Maj.* CIϽ IϽ XCVI.

EPISTOLA MVIII.

JACOBO BONGARSIO. ✠

TErnas à te accepi literas Francofurto datas, & simul cum iis varia munera, quibus me beasti. 1596. Quid prius mirer nescio; munificentiamne tuam, an diligentiam. Sed utriusque fons est amor summus adversum me tuus. Quare etsi facio egregiè paria tecum, iniquiore tamen hactenus fato usus sum, quando nulla dum oblata mihi est grati animi testandi occasio. At tu eam mihi aperi. Fac, inquam, periculum. Sola igitur mihi supersint verba, quibus me à turpis criminis suspicione vindicem. Noli itaque mirari, si quoties oblata est,

1596. est, aut porro offeretur scribendi ad te facultas, malim rerum caussas quàm nullas literas dare. Ternas equidem Francofurtum ad te nuper dederam: sed vereor ne prima & longissima (cui erat adjectum nescio quid nostrarum nugarum in Theocritum) mihi perierit Epistola, & cum ea simul, quam Rittershusio inscripseram, adjecto similiter libello. Mihi tuarum, opinor, periit nulla. Nuper acceperam Nicephorum; posteà accepi Tertullianum de Pallio; mox rerum bonarum μυρμηκίαν. Illum dico fasciculum, quem nostrati tabellario commiseras. Atque horum nomine gratias tibi egi statim, literis iis, quas ad D. Sabaterium Lutetiam misi, ut in manum traderet; adhuc enim ignorabam mutasse te sententiam de itinere Gallico. Paulus Stephanus meus nondum redierat, cùm hæc scribebam: puto illum mihi literas à te uberiores allaturum, quarum spem non unis priorum tuarum fecisti. De Bibliis Græcis editionis Romanæ quid dicam? Illa quidem quovis pretio mihi comparari nostris hominibus mandaram pridem. Verùm hactenus nihil aliud sum consecutus, quàm ut per eosdem intelligerem, nusquam ea Francofordi esse visa. Idem responsum tulit & Beza ὁ πάνυ· quare omnem jam & spem potiundi illis & curam inquirendi de pectore ejeceram; ut valde sim miratus quod scribis. Dabo ergo operam iterum, ut proximo mercatu, si fieri potest, ea mihi à nostris emantur. Magnas intereà tibi vel pro indicio gratias habeo. Is liber olim ad ea, quæ paro, futurus mihi utilissimus. Utinam possem tibi in aurem, vel certè στόμα πρὸς στόμα, quæ meæ in posterum cogitationes sint, indicare! Sed Athenæus omnia antevertet; diutius enim contineri non potest. Exeat igitur ἀγαθῇ τύχῃ quàm primùm. Polybium, spero, brevi secuturum, σὺν τῷ Θεῷ. Tum, si vivemus, & Deus aderit, majus opus movebimus; & nostro exemplo præibimus hominibus partium nostrarum, ut mutatâ studiorum suorum ratione, ad res veteris Ecclesiæ & sanctissimos Patres illustrandos navam operam conferre malint, quàm ad andabaticas istas pugnas, toti orbi Christiano tam perniciosas. Id totâ mente cupio, expeto, voveo. Jactaque sunt mihi, ut spero, non levia ejus incepti fundamenta. Sed terret me tamen nonnunquam rei magnitudo & librorum ad eam rem necessariorum penuria. Instituteram diebus hisce librum unum Observationum nostrarum in Sacros & Ecclesiasticos, ac Patres edere: posteà continui me; &, opinor, sat citò, si sat benè. Sed mihi bilem moverat tuus ille, aut noster potius N. * in *De Pallio*. Quàm multa enim malè capit? quàm multa præterit? Memini Epistolâ quâdam scribere ad te pridem, virum illum opus inchoatum optimè confecturum, si modò ingenio, quo valet plurimum, uti non ἀβασανίστως quàm abuti mallet. Non fui vanus augurii; planè enim ita accidit. Verùm ista pluribus aliàs. En tibi gratias à D. Fraxineo accepi. Vale, amicissimum caput. *Genevæ, a. d.* III. *Non. Maj.* CIↃ IↃ XCVI.

* Francis. cus Junius. Vide Epist. 21. & 32.

Epistola MIX.

PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS. ✠

1596. Quas ad me dederas ante diem x. Kalendas Junias, accepi nudius quintus, Præses amplissime. Eæ quàm gratæ mihi acciderint, puto non expectare te, ut verbis exprimam. οἶδα καὶ αὐτός, ὦ τῶν ἐμῶν φίλων ἄωτε. Suave in primis fuit, quod narrabas περὶ τῆς παραπρεσβείας· quam fraudem nunc demum detectam scribis. Mihi pridem omnia erant nota, omnia perspecta, omnia penitùs cognita. Sed pietatis meæ non erat παῤῥησιάζεσθαι ἐν τοῖς τοιούτοις. Deus Opt. Max. & illi & mihi bonam mentem. At dolet mihi, & quidem seriò, qui in Ecclesia Regis Messiæ primas tenere se putant, de iis, quæ ad illius gloriam pertinent, tam esse, ne gravius aliquid dicam, securos. Næ isti faciunt bene, quod veteris Ecclesiæ omnes Patres in ordinem cogunt, & pro Patribus non agnoscunt. Nam profectò, ne illi quidem si reviviscant, plerosque eorum pro filiis agnoscerent. En quò devenimus: ἀλλὰ γλῶττα τῇ πρεύῃ. Desine igitur querelarum, & iterum Deum Patrem per Jesum filium suum supplex veneror, regat nos, tegat mea, tegat illorum peccata. Γένοιτο, γένοιτο. Vale, amicissime & æternùm mihi observande Præses. Ego & uxor pro incolumitate tua καὶ τῆς τριποθήτου σου ἀλόχου, & charissimorum liberorum Deum fatigare precibus non cessamus. Iterum vale. *Genevæ, a. d.* VI. *Kalend. Jul.* CIↃ IↃ XCVI.

Epistola MX.

DIONYSIO GOTHOFREDO. ✠

1596. Ex iis, quas nuper à te accepi, Vir clarissime, cepi dolorem non mediocrem, quod factum casu nescio quo intelligam, ut meæ aliquot ad te literæ pe-

1596. perierint. Deus illis, quorum fraude id accidit, meliorem mentem; sic enim malo dicere, quam ea ipsis precari, quibus sunt dignissimi: mihi hîc fides illius, (J. dico) quem literis tuis commendaras, est suspecta. Sed desinamus querelarum. Bene enim habet, quod sive reddantur tibi meæ literæ, sive non, de mea erga te integritate & in amore cultuque tui constantia dubitaturum te non metuo; facio namque de tuo animo ex meo conjecturam, simul qui sis tu, qualis olim erga me non semel, imò qualis semper, & memini, & porro semper meminisse juvabit. Fr. Probus nondum rediit: ita de tuis ædibus res hæret in luto. Næ ille vir Ἄτῃ litavit; ita quicquid instituit, parum feliciter succedit. Nam & in hoc quoque itinere nescio quid adversi ei contigisse videor audiisse. Sed & aliis de causis difficilis ista mihi est deliberatio. Summa autem mearum dubitationum est hæc, sitne futurum è re mea & meorum hîc perpetuò hærere, ubi afflictus Reipublicæ status, quam spem meliorem nobis relinquat, ipse vides. Deinde si ita melius, & de parandis ædibus cogitem, (quod planè est necessarium) in expedienda pecunia non parum difficultatis. Quæ sunt à patre relicta, ea propter publicam ἀχρηματίαν nunc repetere difficile. Dotem uxoris à Stephano recipere velle, id verò est aquam ex pumice. Sperabam ante annum posse me libros, & eadem alicui mercatori tradere; sed hactenus profeci nihil; non enim reperi, qui vellet talem summam (sunt 1500. libræ) vel nunc solvere, vel in annum solvendam suscipere. Itaque malui nihil movere quam frustrà aliquid tentare. Supererat via expeditissima ex editione optimorum Auctorum, si aut Stephano socero mens esset non læva, aut hic esset alius, quicum possem incepta perficere. Unus tu, mi Gothofrede, si hîc ageres, omnes æstus meos explicares. Neque ego molestius ferre quicquam unquam memini, quàm fero quotidie absentiam tuam. Sed desino tibi esse molestus; plura scribam, ut spero, propediem. Vale. Uxor te lectissimamque fœminam uxorem tuam ex animo salutat. *Genevæ, Kalend. August.* CIↃ IↃ XCVI.

Epistola MXI.

✠ PHILIPPO PARÆO, Davidis Filio.

1596. Gratæ mihi multis de caussis, mi Paræe, literæ tuæ. Primùm quia ex iis intellexi, esse cur parenti tuo, viro optimo & doctissimo, amici gratulentur, qui te tali spe juvenem & genuerit & eduxerit. Delectat deinde me spes illa, quam commoves juvandæ aliquando augendæque tuâ operâ & industriâ publicæ rei literariæ. Spondet hoc mihi & ratio illa studiorum, quam patre duce atque auspice & instituisti & institisti, hactenus sanè quàm feliciter. Tantùm ut cœpisti, ita pergas vide, nec te siris ab his studiis, quæ ad veram laudem proximam viam muniunt, ullâ ratione averti. Laboriosa, fateor, & difficilis via, quam premere cœpisti: sed magna & suavia sunt, quæ te manent præmia. Non illud dico, ut dulcedine Musarum amœniorum captus, sic semper illis adhæreas, ut tanquam ad Sirenum scopulos elisa & impacta navis: hoc volo, hoc à te peto, ut gravioribus disciplinis non antè ὅλος καὶ πᾶς incumbas, quàm isto literarum genere probè tuum excolueris ac subegeris ingenium. Id si feceris, & cœptis Deus, quod non dubito, adfuerit, audebo παρακελευόμενός σοι εἰπεῖν, Βάλλ' οὕτως· καί κεν τι φάος Μούσαισι γένοιο. Sic ominor, sic voveo. Quòd nostris scriptis adeò delectari te scribis, idque parentis tui monitu, habeo etiam in eo, quod privatim gaudeam. Non enim aliâ fine scribimus, si quando manum calamo admovemus, quàm ut tua & tui similium adolescentum honestissima studia juvemus. Sed nos profectò infinita & ἄκρατος quædam aliquid semper in dies addiscendi libido facit in scribendo sæpe omissiores. Ægrè enim impetramus à nobis ipsis, ut scribendis iis, quæ semel observavimus, operam & tempus impendamus. Sic multa adhuc in liturariis nostris jacent, quæ non sine bono aliquo publico pridem poterant exire. Quin si quid publicamus, ut nuper Suetonium, quàm brevissimo tempore scribendi labore defungimur. De Tiberii Dracone quòd me mones, facis & amici & probi viri officium. At de serpente monili quæ attexuisti, quorsum spectarent, divinare non potui. Nobis eadem omnia pridem, & iis plura ac certiora observata. Paramus enim *de Re vestiariâ* opus sanè luculentum: verùm id nostro more, hoc est, βοείῳ ποδὶ. Suggestio locorum Symmachi super mentionem Africanarum, etsi per fuit nobis grata, poteramus tamen hujus indicii gratiam tibi facere: nam qui de Venatione Commentarium affectum profligatum habeamus, nullum neque apud Symmachum, neque apud alios plurimos Scriptores, vel minimum apicem

eò

1596. eò spectantem finimus ἀδιαίτητον. Eum librum propediem eramus edituri, nisi alia studia, dum Athenæi editionem paramus, occupatos nos habuissent. Sedet tamen, ubi colophonem ei operi, σὺν τῷ Θεῷ, imposuero, Commentarium illum & insimul alium de Circensibus à blattis & tineis statim vindicare. Vale. *Genevæ*, CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA MXII.

✠ THEODORO BEZÆ.

1597. QUas Nemausensi tabellario dedisti ad me literas, accepi tandem, Beza σεβασμιώτατε, ex iis de tua valetudine, ut fert ætas, sic satis prospera, magno cum gaudio intellexi. Faxit Pater misericordiarum per Jesum Christum Filium suum, ut simili aut meliore de te nuntio beari quàm sæpissimè & quàm diutissimè possim. Mihi quidem uxorique meæ lætius aut gratius hac re contingere nihil possit. Didici ex iisdem, esse te in eo semper, ut veteres curas in Novum Fœdus tuas polias & augeas. Veneror omnipotentem Deum supplici prece, ut vires persiniendis iis, quæ φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς largiatur. De loco Matthæi dies, obsecro, diffusus est. Scripsi enim hæc tumultuariè statim post tuas acceptas. Videbo igitur, & quoniam ita vis, sententiam meam brevi scribam. Simul alia addam, quæ per hosce dies tua legenti venere mihi in mentem. Vale, Senex reverende, & me amare perge. Uxor & te & conjugem tuam salutat ἐξ ἄκρου μυελοῦ ψυχῆς. Scripsi raptim. *Mompelii*, *a. d.* XIV. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA MXIII.

✠ PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS.

1597. * CEssavi in officio scribendi, fateor, nimis diu. Est igitur, quod de me queraris, Præses amplissime, & me indiligentiæ accuses; imò non est, habes enim confitentem reum; ἡ δὲ ἐξομολόγησις, uti nos docent οἱ ἱεροὶ λόγοι, πᾶσαν ἁμαρτίαν καὶ ἠπιναῦν λύει. Mihi sanè si quæras vocis justitium per hosce dies, non tam occupationes meæ, semper enim tibi vaco, quàm ἀθυμία quædam & summa de nostra Gallia desperatio. Nam si post trimestre Concilium omnium Galliæ Procerum, novi nihil præter luctuosam & deslendam Ambianorum jacturam, obsecro te, quid bonæ spei est super? Nisi fortasse hoc quoque consilio fit, ut occupatâ demum magnâ hujus Regni parte, redeamus 1597. tandem ad nos, & νήφειν ἐκ κραιπάλης incipiamus. Quin agnoscamus potius fata patriæ & nostra. Num aut animi fallor, aut retrò res nostræ naturæ lege ferri cœptæ, non antè desinent quàm esse desinent. Fuit cùm floruimus, & latè imperitavimus: erit brevi (ita ominor, utinam non verè, & sim ἄλιος μάντις!) cùm aut non erimus, aut Francorum certè imperium non erit. Cur ita sentiam, habeo graves causas, aut habere mihi videor; sed quas nunc commemorare nihil attinet. Scripsi &c *. *Mompelii*, *a. d.* v. *Id. April.* CIↃ IↃ XCVII.

* In tinm hujus Epistolæ habetur suprà, n. CXXXII.

* Subsequentia verba Epistolæ vide suprà, eod. num. CXXXII.

EPISTOLA MXIV.

OLEAGARO BEREALDO. ✠

NOn agam summo jure tecum, Berealde eruditissime; malo culpam 1597. deprecari, quàm serram reciprocare, & fundum contentionis ducere. Esto igitur, quamvis magnum peccatum hoc meum, quòd tandem tacuerim: agnosco, fateor; dum tamen & tu eidem culpæ affinem te confiteare; cùm præsertim in hoc literario otio tuo facillimè fuerit tibi literis scribendis vacare quàm nobis. Ambo igitur, ὡς ὁ λόγος ἐστὶν αἱρεῖ, peccavimus. Emendemus ambo, & in posterum commercium literarium diligentius exerceamus. De tuo negotio per sum miratus sic scribere te ad me, quasi nullum à me responsum tulisses adhuc. Quid igitur factum illis meis literis, quas ad Dominum Ducest super ea re bene longas ante multos menses dedi? Is mecum de silentio expostulaverat, & suo & tuo nomine. Respondi, quod res erat; ideò siluisse me, quia Dominum Gigordium putabam ipsi omnia significasse. Nam prius quàm huc advenirem, Pastores hujus urbis ad Bercherium, Scholæ Gedanensis Gymnasiarcham, literas dederant; ut jam in integro res non esset. Ac licet, ut videtur, spes illa decollavit, (nam Bercherius non amplius sui juris est) quid tamen pollicear tibi de hac Schola nescio. Nam ad curam nostram nihil omnino ea res pertinet. Nobis vita in libris nostris. In iis sumus toti. Summa muneris nostri est, quater in hebdomade suggestum conscendere. Id quoque ægrè facimus, licet addat in dies animos doctorum omnium amor nostri & nostrarum literarum. Si quid fuerit, in quo opera mea utilis tibi esse possit, confide, eam te nunquam jure desideraturum. Vale, Vir ex animo dilecte

ac

1597. ac porro ſemper diligende. Uxor te etiam & etiam ſalutat, & felicia omnia precatur. Scripſi raptim, in Volcis Arecomicis, *Mompelii*, *prid. Id. Jul.* CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA MXV.

✠ GUILIELMO RANCHINO.

1597. NOnus hic dies eſt, Vir præſtantiſſime & amiciſſime, cùm Nemauſo literas ad te dedi. Fortè enim prandenti mihi apud Dominum Falgnerole, oblata repentè eſt iſthuc ſcribendi occaſio; quam avidus arripui, & tria ſaltem verba exaravi, tantùm ut ſcires valere nos, ſed tui deſiderio penè jam enectos. Quare ſi quid te noſtra tangunt, ritè confectis negotiis omnibus, quorum cauſſâ iſthìc tandiu moraris, ſtatim ad nos adnota. Uxoris tuæ languorem ex abſentia chariſſimi ſibi capitis, ex aliorum literis puto te habere cognitum. Pro elegantiſſimo munere, quo me affeciſti, gratias ago tibi quantas poſſum maximas. Mirari ſubit ingenium, qui inter graviſſima negotia vaces his ſtudiis, & iis ſcribendis ſufficias. Quæ ſi nos terræ filii aggrederemur, otium & ſeceſſum quæreremus. Macte eſto, Vir doctiſſime, & perge ſis de literis bene mereri. Scripſit nuper ad me Toloſâ Petrus Faber, vir clariſſimus, humaniſſimas literas, in quibus & tui quàm honeſtiſſimè factam mentionem videbis cùm redieris. Viros magnos, quibus noſtrum nomen iſthìc non eſſe incognitum ſcis, à me ſalutes quàm officioſiſſimè velim. Scribam ad illos primâ occaſione. Sed nunc Athenæus ita me tantum ſibi vindicat, ut vix liceat reſpirare. Quare hoc, ſi grave non eſt, Domino Thuano, Præſidi ampliſſimo, Domino item Gillotto, & ſi qui alii noſtra nôrant, ſignificabis brevi de Athenæo me vetus hoc nomen expuncturum, σύνγε τῷ Θεῷ· cui ut magis in dies tu tuaque ſint curæ, oro ipſe quæſoque. Vale, Vir magne, & me ama. *Mompelii*, raptim, *a. d.* III. *Id. Auguſt.* CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA MXVI.

JOANNI SARRACENO.

1597. LAudo tuam diligentiam, Vir amiciſſime; ternas enim à te paucis diebus accepi. Sed oro te per Muſas, parem diligentiam noli à me exigere. Si ſtricto jure mecum agere paras, aut offenſam tuam, aut novem Sororum odium mihi ſubeundum. Deus meliora. Quos mihi miſiſti amiciſſimorum virorum faſciculos, vel ipſe feram Genevam, vel Chovetus, qui hic nunc eſt. Ego in horas à Rege literas exſpecto. Nam pecunia ad iter conſtituta, pridem tradita eſt Vicquio. Sed mirè habent me ſollicitum obſcenæ iſtæ tempeſtates. Jam enim multos dies eſt, cùm ἀδιαλείπτως pluit. Ain' tu autem? famulus meus diligentiâ ſuâ negligentiam tuam correxit. De illis viginti aſſibus loquor, quos paratus ſum tibi, aut cuicunque tuorum reddere, niſi ille nebulo ſarciat damnum. Agam cum illo quàm primùm potero. At τὺς πέντε χρυσίνυς ſcis me ſtatim fratri tuo dediſſe. Atque eorum nomine tibi iterum & optimo chariſſimoque Jugeo gratias ago. Vale, Vir amiciſſime, & me porro ſemper ama, ſemper tuum ἐξ ἄκρυ μυελῦ ψυχῆς. *Mompelii*, *a. d.* XVI. *Kalend. Januar.* CIↃ IↃ XCVIII. 1597.

Deus Opt. Max. te ſervet, & omni εὐεργεσιῶν gratiâ cumulet. Didici à Choveto, filium Domini de Chalonges, qui illi unus è multis erat ſuperſtes, ante dies pauciſſimos αἰχρόπυλα ſubmerſum eſſe ad Genevam, cùm paucis antè diebus deſponſa ei fuiſſet ſoror Domini de Coracant. Scis ita mortuam ejus ſororem, etſi diverſo modo. Mira caſuum συγκυρία advertit animum. Sed τῶνδε πέρι μοι εὔστομα κείσθω.

EPISTOLA MXVII.

JAÇOBO AUGUSTO THUANO. ✠

ADventum meum in hanc urbem, Præſes ampliſſime, ſuperioribus literis tibi ſignificavi. Erat animus, ſi in hac urbe noſtræ lucubrationes minus commodè propter Græci characteris inopiam poſſent edi, hanc velut anſam iſthuc veniendi accipere, & hujus mei voti facere me compotem. Lutetiam enim veſtram, & illa ſæculi noſtri lumina, quæ ibi fulgent, ſemel inviſere, ſic pridem cupio, nihil ut vehementius queam. Sed me poſtquam huc veni, itineris longitudo, & quæ non ignoras, longioris peregrinationis incommoda terruerunt, ac mutare ſententiam vel invitum coëgerunt. Integrum tamen hunc menſem, & quod excurret, puto me hic acturum. Nam etſi Animadverſiones in Athenæum poſſe nunc edi ſpes non eſt propter varias cauſas, quas exponere nunc longum ſit; nihilominus Characterum * nona editio ante paucos dies inſtituta, totum id, quod dixi, tempus nos hîc occu- 1598.

* Theophraſti.

1598. occupatos habebit. Deest enim Typographo τῶν τυπωμένων ἐπανορθωτής, cujus sit spectata in hoc genere literarum peritia & industria. Habebam & alia, quæ vellemus in lucem edere; sed periculum Typographi in eo potissimum libello facere visum. Cætera ubi & quando simus edituri, μόνος ὁ Θεὸς οἶδεν· ego enim juxta scio cum ignarissimo. Sed non abutar diutius, Præses amplissime, tuo otio. Deus Opt. Max. salvum te & incolumem, καὶ ἐν πᾶσιν εὐημεροῦντα servet ætatem. Vale. *Lugduni Convenarum*, *Kalend. August.* CIↃ IↃ XCVIII.

EPISTOLA MXVIII.



EIDEM,

Διαπλεῖν εὐημεροῦντα ἀεὶ καὶ ἐν πᾶσι.

1598. NUmquid aliud grati animi testimonium tot acceptis à te beneficiis tibi dem, nisi ut Deum Opt. Max. assiduis precibus sollicitem, largiatur tibi & nobilissimæ tuæ conjugi ἅ φρεσὶν ὑμετέραις μενοινᾷ? Impar, scio, gratiæ redhostimentum est, ἀντὶ πλείστων ἴσων εὐεργετημάτων verba præstare. Tu verò, amplissime Thuane, animum potius specta penitùs tibi devotum. Hujus recessus intimi si oculis paterent, minus laborandum mihi esset, ut tuorum beneficiorum ζῶσαν ἐν φρενῶν δέλτοις memoriam tibi ostenderem: sed bene est; nôsti enim me, opinor, & mores meos. Nunc illud te scire volo, Lugdunum pervenisse me, Dei beneficio, nono die post discessum ab urbe. Diem unum hîc vel invitus subsistere coactus sum: suadebat valetudo parum firma; amici orabant ἐκτενῶς· equi ex itinere defessi haberi aliquam sui rationem postulabant. Ita frænum injectum est cupiditati meæ domum redeundi μανικὸν ὅσον μεγάλῃ· sed redierimus sat citò, modò omnes meos valentes offendam. De instituto negotio quid actum sit post abitum meum, spero me brevi ex tuis literis intellecturum, & maximi viri, Domini Calignonis. Cogitabam & ad illum literas dare, & ad Senatorem gravissimum, Dominum Gillottum; necnon ad charissimum affinem, Robertum Stephanum, Jurisconsultum, ut scis, diligentissimum. Sed cùm mihi graves multæque causæ omnis ejus generis facultatem τὸ νῦν εἶναι adimant, dabunt illi, spero, veniam nobis, & paucorum dierum moram ferent animo non iniquo. Vale, Vir integerrime & doctissime: Deus solus ille ἐάων δωτὴρ & tibi, & plurimum mihi colendæ uxori tuæ ἀγαθῶν ἀγαθίδας cum longissima vita duit. Γένοιτο, γένοιτο. Iterum vale, & me ama. 1598.
Scripsi ἐν παρόδῳ. *Lugduni*, navem conscensurus, *a. d.* XI. *Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ XCVIII.

EPISTOLA MXIX.

PETRO CHABANÆO. ✠

TUas tandem accepi, futuras longè 1599.
gratiores, si non fuissent mihi diutius quàm par erat expectandæ. Cave posthàc ullam scribendi occasionem prætermittas. Totum te esse in libris audio libenter, & Deum oro, ut ita sit. Grammaticam Græcam vel mittam tibi proximâ hebdomade, vel apud Dominum Hærsium ipse emes. Notaveram in Epistola tua nonnulla, quorum te volui monitum; sed illam nunc reperire potis non fui. Scribe igitur ad me quàm diligentissimè & quàm sæpissimè. Voluptas ad me, fructus ad te pertinebit. Feceris etiam rem gratam, si ad fratrem Stephanum Latinè scripseris officii tui & studii testes literas. Exercueris stylum non inutiliter. Hac unicâ viâ eruditio tandem parabilis, σύν γε τῷ Θεῷ, quem oro, ut tibi semper adsit. Vale, & stude, sicque Latinis oblectare, ut Græca ne contemnas. Expecto tuarum Quæstionum volumen. Iterum vale, & nostra atque imprimis meos libros diligenter custodi. *Genevæ*, *a. d.* VII. *Eid. April.* CIↃ IↃ XCIX.

EPISTOLA MXX.

JACOBO AUGUSTO ✠ THUANO.

NEque ego tuas dum accepi, Vir 1599.
præstantissime, quas ad Dominum Vicquium ante paucos dies misisti; neque tu, opinor, novissimas meas. Sed de tuis accipiendis spes nondum decollavit; Monspelium enim missæ fuerunt sub tempus meæ in hanc urbem profectionis. Meas periisse non dubito, quas ego ante aliquot menses Joanni Serrano tradideram, iter isthuc cogitanti: ille verò, quod tu non nescis, μακαρίτης postmodum factus, cælo terras commutavit. Qui tuus est in literas amor, doluisti haud dubiè obitum hujus viri, & quam in eo fecit Respublica literaria jacturam. Mihi quoties venit illius in mentem, subit animum statim illa cogitatio, Hem homunculi quid sumus, cùm recogito! Quàm multa enim hominis incœpta ἄωρος hic θάνατος abrupit? Memini narrare illum mihi in Musæo meo paucis ante-

1599. antequam decumberet diebus, quæ & quàm multa in literarum vario genere moliretur. Memini etiam authorem illi tum fuisse, ut ne tam multa simul aggrederetur; sed unum aliquod potius ex omnibus eligeret argumentum, in quo vires nervosque ingenii contenderet. Vitæ enim, ajebam, summa brevis spes vetat inchoare longas. Quasi omen verba mea habuissent, quod metuebam, paullò mox evenit. Equidem semper scivi genitum me mortalem, qui veram Philosophiam à puero judicaverim ὁσημέραι ἀσκεῖν τὴν τοῦ θανάτου μελέτην· perculit me tamen, fateor, hic casus, & acre quoddam desiderium in me excitavit, publicandi ante horam fatalem & decretoriam, quicquid in manibus habemus, quod edi melius sit, quàm perpetuis tenebris damnari. Igitur cùm nulla Monspelii, neque in præsens Typographi copia esset, neque spes in posterum; matre, uxore, liberis, librisque relictis huc venire sum coactus, quò possim ea saltem curare edenda, quæ mecum attuli. In his est Animadversionum in Athenæum opus; opus longum, bone Deus, & laboriosum; sed iis fortasse non parum profuturum, qui Græcis literis non ἐπιπολῆς, verùm ἐν βάθει καὶ δευσοποιῷ colore tingi optant: non enim leniter eâ curâ, qui hodie hominum mos est, defunctus sum; sed quantâ maximâ fide, diligentiâ, & industriâ fieri potuit. Cæterùm possitne hìc aliquid edi nostrum, an non, adhuc dubito: parum enim Græcis edendis assuetæ sunt operæ Lugdunenses. Hoc quidem nimis certum, mora plurium mensium fore mihi opus, si Animadversiones meas ad umbilicum velim, me præsente, quod planè est necesse, perduci. Sed mihi prope religio est benignitate τοῦ κρατίστου, καὶ τὰ πάντα ἀρίστου, cujus hospitio nunc utor, & cujus extant quotidie eximiæ erga nos benevolentiæ testimonia, abuti tam diu. Næ ego tibi, Præses amplissime, plurimùm debeo, qui tanti viri amicitiam mihi conciliasti. Faxit ὁ ὑπεράρρητος Deus, quantum utrique vestrûm me debere sentiam, possim brevi profiteri. Eundem oro supplex, longam & omni bonorum genere cumulatam vitam tibi duit. Γένοιτο, γένοιτο. Vale, Vir maxime, & me ama, qui te æternùm colam & observabo. *Lugduni*, in ædibus Vicquianis, *a. d.* VI. *Eid. Jul.* CIↃ IↃ XCIX.

Epistola MXXI.

HENRICO WOTTONIO.

Sic omnino est, ut scribis, nobilissime Wottoni, cùm nos nostraque respicimus, non possumus non sapientissimum illum pronunciare, qui dixit hominem esse ἀκαταστασίας εἰκόνα, τύχης παίγνιον. Nam quotusquisque nostrûm est, qui quod modò fuit, id nunc sit? aut qui ex animi sui sententia vitam disponat suam? Est profectò arcana quædam τοῦ ὑπεραρρήτου Θεοῦ πρόνοια, quæ nos sæpius trahit nolentes, quàm ducit volentes. Itaque τὸ μέλλον πᾶν ἀνθρώπῳ φωτὶ ἀόρατον, neque quicquam mortalibus est ἀπώμοτον. Meministin' illorum temporum, cùm ante annos sex septem tranquillissimè & conjunctissimè soles unà condebamus? Censen' si quis tum nobis ea fando prædixisset, quæ posteà vidimus, & nunc cùm maximè videmus, fidem fuisse inventurum? Deus bone, quæ σκηνῆς περιστροφὴ ab eo tempore facta est? quàm immutata facies omnis rerum? At enimverò inter tot tantasque mutationes, animum meum erga te non esse immutatum, sed sibi semper constantem, semper constiturum, velim tibi persuadeas. Si quid aliud, hoc unicè studiosis sapientiæ, in queis nomen ego meum profiteor, convenit, ut initam semel amicitiam cum suæ sectæ hominibus æternùm servent. Te mihi tua virtus excellens pari eruditione juncta dudum conciliavit; deinde accessit usus vitæ quotidianæ; cujus suavissima recordatio tamdiu in animo nostro vigebit, quamdiu futuri ipsi sumus. Parem constantiam amoris tui mihi spondeo. Quod si, ut scribis, diligentiam nostram scriptione literarum provocare perrexeris, experieris me haut segnem adversarium, & qui superari à te in hoc officii genere nequaquam sit passurus. Sororis τῆς φιλτάτης literas tuis junctas accepi, & gratias habeo. Chartas, quas à me petit, dudum remisi. Uxor te plurimùm salvere jubet. Vale, amicissime Wottoni, & nos ἀδιαλείπτως ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VI. *Eid. Decemb.* CIↃ IↃ C. 1600.

Epistola MXXII.

DESIDERIO HERALDO.

BReves, sed magni & sinceri affectûs 1600.
testes literas ad te nunc mittam. Eram enim, cùm ista exarabam, & ἔχων οὐχ ὑγιῶς, & admodum occupatus. Igitur

1600. Igitur duo hæc τὸ νῦν εἶναι à nobis habe.
Martialem tuum accepi, legi. Ago
tibi & publico, & meo etiam nomine
gratias. Posuisti operam non malè;
multumque optimus Scriptor tibi de-
bet. Sed de tuis lucubrationibus quid
sentiam, Vir eruditissime, malo apud
alios, quàm apud te. Neque enim so-
leo in os quenquam. Καὶ πάντα μὲν ταύ-
τῃ. Alterum est, quod te volo: ut ab
editione alterius scripti tui Gallici ab-
stineas. Equidem non sine voluptate
id percurri. Ac memini sæpius eam
quæstionem agitatam Genevæ, cùm in-
ter publicos Professores ibi locum non
postremum obtineremus. Non enim
deerant viri pietate & eruditione insi-
gnes, quibus idem videbatur ac tibi;
sed in totum eam disputationem cen-
seo tibi esse missam faciendam. Cu-
pio enim studiis tuis & tranquillitati
esse consultum. Atqui scito, & tibi
persuade, Ἔριν καὶ Ἄτην sorores esse
germanas, quæ sibi invicem ἀχωρίστως
cohæreant. Illam fuge, ne in hanc in-
cidas. Vale, & me ama. Amplissimo
Præsidi plurimam à me salutem. *Lutetiæ
Parisiorum, Eid. Decemb.* CIↃ IↃ C.

Epistola MXXIII.



EIDEM.

1601. QUòd isthîc me votis omnium ex-
peti dicis, Vir amicissime, etsi
gratum est propter benevolentiæ signi-
ficationem; esset tamen longè gratius,
si ejusmodi rem judicarem, quæ vestro
meoque bono possit perfici. Nunc mi-
hi ἐν δοιῇ θυμὸς ob multas graves cau-
sas. Omnino otia quærimus, si ita
modò visum fuerit Opt. Max. Deo. Ea
enim molimur in literis, quæ animi
tranquillitatem desiderant. Voti hujus
an apud vos fieri compos queam, ne-
scio. Terrent me vicini urbi nostræ
ἔνθεν κἄνθεν hostes infestissimi, iidemque
potentissimi. Venit in mentem Pacii
exemplum, qui post modici temporis
moram nos deserere, & nescio quo per
mille discrimina se recipere fuit coa-
ctus. Omitto pericula alia, quæ con-
ditionem hanc videntur comitari. Λέγω
δὲ τοῦ πόρου περὶ χρημάτων· οἶσθα ὅτι βούλο-
μαι· ἀχωρήγητον γὰρ ἔνια ἀδύνατον παρ' ὑμῖν
μένειν. Equidem illustrissimo Principi
plurimùm me debere profiteor; qui
binis literis, singularis benevolentiæ ple-
nis, hac de re mecum egit. Nolo au-
tem te nescire, si absit horum, quæ
dixi, incommodorum metus, libentis-
simo animo isthuc me migraturum. Tæ-
det enim me jam, tædet uxorem pe-
nuriæ Verbi divini, quam hic experi-
mur. Est Deo gratia, quòd aliter ha- 1601.
ctenus ego atque illa viximus. Itaque
perquam iniquo ferimus animo, quod
tam raró, tantis cum difficultatibus
Hablonem ibamus. Hoc uno excepto,
cur me præsentis status pœniteat, caus-
sa non est. Vides animi mei æstum;
quem explicabit is, cui uni & soli τῶν
ἄπορον πόριμον. Intereà persuade tibi,
amicitiam tuam instar ὀξυτάτου κέντρου mi-
hi esse, quod me isthuc cogitare sti-
mulet. Vale, amicissime Heralde, &
amplissimum Præsidem meis verbis
quàm officiocissimè saluta. Scripsi ra-
ptim. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* III. *Non.
Januar.* anni novi, (fortè CIↃ IↃ CI.)
quem tibi illique bonis avibus cupio es-
se inchoatum.

Epistola MXXIV.

RICHARDO THOMSONI. ✠

SIlentium istud tuum, amicorum dul- 1601.
cissime, qui interpreter, anceps ani-
mi hæreo. Quid enim accidit, cur tu
post reditum meum in hanc urbem,
nullas ad me dederis? Atqui & literas
nostras & munusculum etiam quod misi,
ad te pervenisse, penè pro certo habeo;
colligo enim ex literis amplissimi viri,
qui Legati munus isthîc fungitur. Scri-
be igitur, sodes, mi oculissime; & ma-
gnâ sollicitudine me liberaveris. Simul
illud obnixè te oro, atque obsecro, ut
Notas in Spartianum & comites ejus
Historicos, quarum non unis literis
spem fecisti, quàm primùm mittas.
Nam cùm ante aliquot dies in Regia
Bibliotheca exemplar unum MS. eorum
Scriptorum nactus essem, cepi illicò il-
los recensendi atque edendi impetum:
resque eò jam adducta, ut prælo nostra
nihil nisi tui beneficii expectatio remo-
retur. Quare iterum te, mi Thomson,
oro, adjuves hac parte studia nostra.
Plura non addam, neque enim vacat
nunc, & si bene tuus mihi notus ani-
mus, ambitiosis apud te precibus non
est opus. Vale, & plurimum salve à
me, ab uxore, à liberis; qui omnes tui
videndi desiderio mirum in modum fla-
gramus. Σοὶ δὲ Θεὸς πάντα δοίη ὅσα φρεσὶ σῇσι
μενοινᾷς. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* XV.
Kalend. Februar. CIↃ IↃ CI.

Epistola MXXV.

SIMONI SIMONIDI, ✠
Polono.

TU quidem, Vir clarissime, manu 1601.
sanè quàm benignâ laudes in nos
conjicis, quas aut amor adversum me

 tuus

1601. tuus, aut singularis quædam ἔμφυλος tibi χρηστότης suggerebat. Sed ut sagitta cùm solido offendit, ἐξ ἀντιτυπίας πάλιν πλαζομένη, in mittentem redit; sic laudationes, quas conscientiæ nostræ tenuitas vetat agnoscere, ad auctorem suum relatæ, meritissimè in te hærebunt. Nobis abundè satis est, si nostram bene de literarum studiis merendi, & Reipublicæ literariæ promovendæ cupiditatem, quâ mirè semper flagravimus, tibi, eruditissime Simonides, & similibus tui, τοῖς ἁπανταχοῦ γῆς φιλοσοφοῦσι, probaverimus. Hunc certè animum olim nobis summus ille omnium rerum Arbiter indidit, qui si parem desideriis nostris & facultatem adjecisset, aut hisce incommodis nos exemisset, quæ per tot annos mihi cum omnibus bonis Regni hujus fuerunt communia, tum nos haud paullo fortasse felicius, ἣν ἐλάχομεν Σπάρταν ornassemus, & diligentiæ nostræ atque industriæ, si qua tamen illa est in nobis, luculentiora testimonia ad posteritatem transmisissemus. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ· cùm præsertim in beneficio immortali supremi Numinis meliora non speremus; sed experiamur. Quamobrem id totâ mente nunc agimus, ut otii hujus, quod magni Regis nostri benignitas fecit, & mihi & iis omnibus, qui scriptis nostris delectantur, ratio constet. Verùm de nobis nimis multa. Redeo ad te, doctissime Simonides, teque etiam atque etiam oro, ut quem adfectum ultrò mihi exhibuisti, eundem cupienti, teque id poscenti constanter serves. Nos, qui virtutem atque eruditionem tuam pridem habebamus cognitam, simul literas tuas accepimus eruditas juxta atque amanter scriptas, amore tui sic capti sumus, ut eorum omnium, qui te propius sibi notum plurimum amant coluntque, nemini videamur concessuri. Nobilis adolescens, quem mihi commendas, & suo merito, sed magis tuo nomine, ad omnia officia nos semper experietur paratissimos. Vale, Vir doctissime. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Eid. Decemb.* CIϽ IϽ CI.

Epistola MXXVI.

✠ JACOBO BONGARSIO.

1602. DE Broughtono judicium nostrum, quia ita vis, paucis habe. Interpretatio illius τῆς εἰς ᾅδου καταβάσεως absque ullo dubio recta est. Nunquam aliter pronunciabant Græcè docti, cujus linguæ magnæ usum video illum habere. Quæ de cruciatibus interpretatus est magnus Calvinus, si reviviscat, sententiam mutaret. Omnino ejus interpretatio verbis Græcis accommodari non potest; ut persæpe mirari subierit, Theodorum Bezam, virum hac eruditione & judicii tam limati, rectam viam interpretandi eorum verborum non esse ingressum. Atqui καταβαίνειν εἰς ᾅδου aliud Græcis non sonat, quàm de hac vita migrare ad mortuos, nullo discrimine loci; sive aliquis transcribendus sit in numerum beatorum, sive ad æternas pœnas reservandus. Præter illa, quæ in hanc sententiam à Broughtono sunt accuratissimè disputata, possem multa afferre, quibus os obturetur contrarium sentientibus, sed afferam unius Hippocratis verba; ex quibus clarè liquet, quid sit ᾅδης Græcis. Is in libro περὶ διαίτης, postquam disputavit συνίστασθαι τὰ ζῶα ἐκ δυοῖν, τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ ὕδατος, addit: ἀπόλλυται μὲν οὐδὲν ἁπάντων χρημάτων, οὐδὲ γίνεται, ὅ, τι μὴ καὶ πρόσθεν ἦν. Ξυμμισγόμενα δὲ καὶ διακρινόμενα ἀλλοιοῦνται. Νομίζεται δὲ παρὰ τῶν ἀνθρώπων τὸ μὲν εἰς ᾅδου, εἰς φῶς αὐξηθὲν, γενέσθαι· τὸ δὲ ἐκ φάεος εἰς ᾅδην μειωθὲν, ἀπολέσθαι. Opponit ut contraria, φῶς & ᾅδην, quorum illud existentiam rerum, quæ & sunt, & sub sensum nostrum cadunt, significat; ᾅδην verò privationem ejus existentiæ designat. Porro quàm variæ fuerant de statu mortuorum sententiæ Veterum, tàm variè exponi potest τὸ καταβαίνειν εἰς ᾅδου. Nam exempli gratiâ, Hippocrati, & omnibus τοῖς νομίζουσι τὸ περὶ τῆς ἀλλοιώσεως δόγμα, nihil aliud εἰς ᾅδου καταβαίνειν, quàm desinere esse, quod prius fuerat, & in principia sua solvi. Græci Philosophi ἀναστοιχειοῦσθαι hoc vocant. Seneca, *resolvi* sæpe; aliquando, *ab oculis abire*, ut Epistolâ XXXVI. *Cogita nihil eorum, quæ ab oculis abeunt, & in rerum naturam, ex qua prodierunt, ac mox processura sunt, reconduntur, consumi.* Quod pulcherrimè cum superioribus Hippocratis verbis convenit. Platoni verò & Poëtis, quibus certum, ἐξ ἐλπίδων quandam futuri judicii fuisse notitiam, καταβαίνειν εἰς ᾅδου est, felicibus aut infelicibus post mortem adjungi. Non multò aliter & Literæ Sacræ loquuntur: nam quod de lingua Hebraica nonnulli afferunt, vanum est. Hoc igitur rectè Broughtonius tuus; illud judicio meo non rectè, quòd de summis viris tam levi de caussâ tam impotenter triumphat. Ingenuè fateor tibi, ægrè impetrasse te à nobis, ut libellum, alioquin eruditè & eleganter scriptum, tui gratiâ pellegerem. Etsi enim multa & nos in tantis viris desideramus; quia tamen persuasi sumus divinitùs eos fuisse excitatos juvandæ Ecclesiæ Dei, quicunque eorum

1602. eorum nomen & memoriam non venerantur, illos ego, ne quid apud te dissimulem, omnium bonorum odio censeo dignissimos. Multum autem in tantulo scripto non solùm acerbè, verùm etiam petulanter καὶ λίαν νεανικῶς, scripta judicamus. Locos indicarem, nisi & lectum tibi eum Commentariolum confiderem, & te non aliud quàm nos judicare persuasum haberem. Atque hæc ego liberius apud te, quia literis non unis id egisti à me. Penè exciderat de Geographo Arabe: nam valde miror quæ scribis; nos enim illud non ὄναρ ἐμαντευσάμεθα· sed ὕπαρ manibus hisce tractavimus, & oculis hisce non pauca in eo legimus, plus operæ in eo studio posituri, si proprium exemplar habuissemus. Possum uti Thuaneo; possum illo, quod Bellovacensis Episcopus licitatione mihi abstulit: sed malo exspectare. Proximis nundinis curabo, si fieri potest, afferendum mihi. Liber est elegantissimus, & ille ipse, ex quo multa Scaliger in divino opere *de Emendatione Temporum*. Vale, Vir præstantissime, & me, quod facis, ama, qui sum futurus, ὄφρ' ἂν ζωοῖσι μετείω. *Lutetiæ Parisiorum, Eid. Februar.* CIƆ IƆ CII.

Tuarum virtutum observantissimus,

IS. CASAUBONUS.

Epistola MXXVII.

✠ ἸΣΑΆΚΟΣ ΚΑΣΑΥΒΌΝΙΟΣ ἈΝΔΡΈΑ ΔΟΥΝΑΊΩ,

ἐπὶ παιδείᾳ περιβοήτῳ καὶ πολυμαθεστάτῳ, χαίρειν τε καὶ εὖ πράττειν.

1602. Εἰσὶ καὶ φιλίας δίκαια ἄττα· εἰσὶ καὶ νόμοι τινές. Οἱ μὲν ἴσως καὶ γεγραμμένοι σοφῶν ἀρχαίων ἐν πολυθρυλήτοις δέλτοις· οἱ πολλοὶ δὲ αὐτῶν ἄγραφοι μὲν, ὁμολογημένοι δὲ οὐχ ἧττον παρ' ἅπασι τοῖς ἀνθρώποις. Τούτων δὴ τῶν νόμων εἷς ἐστὶν οὗτος, ὁ κελεύων προσαγορευθέντα ὑπὸ φίλου, ἢ καὶ, μὰ τὸν *, ὑφ' οὑτινοσοῦν, ἢ ζώσῃ φωνῇ, ἢ δι' ἐπιστολῶν, προσηνῶς αὐτίκα μάλα ἀντιπροσαγορεύειν. Τὸν γὰρ μὴ τοῦτο ποιοῦντα, διαρρήδην ἀποφαίνει ὁ νόμος ἀμαθῆ, σκαιὸν καὶ αὐθάδη· ἡ δὲ αὐθάδεια παρ' ἐμοὶ κριτῇ, πᾶσαν ὀλίγου δεῖν εἰπεῖν, κακίας ἰδέαν ἐν αὐτῇ συμπεριλαβοῦσα ἔχει. Θαυμάζεις εὖ οἶδ' ὅτι, κράτιστε Δουναῖε, οὕτω προοιμιαζομένων ἡμῶν· καὶ τί ἄρα ὁ λόγος οὗτος μαντεύεται, τίς ὁ σκοπὸς αὐτοῦ, σιγῇ ἐπὶ σαυτοῦ μεταξὺ ἀναγινώσκων ἀμφισβητεῖς. Ἀλλ', ὦ κεχαρισμένε μοι καὶ προσφιλέστατε Ἀνδρέα, λῆγε τοῦ θαύματος. Οὐ γὰρ μεμφόμενοί γέ σοι ἀπροσηγορίαν ταῦτα προήχθημεν γράφειν· πᾶν δὲ τοὐναντίον ὑπερημερίας ὀφλημένας παρά σοι δίκην ξυνειδότες ἡμῖν, προοίμιον ἐπιστολῆς τῆσδε, καὶ οἱονεὶ θεμέλιον τοῦ ἑξῆς λόγου τοῦτο τιθέμεθα· ὑπὲρ 1602. ἡμῶν μὲν οὐχὶ, ὑπὲρ δὲ τοῦ ἡμετέρου ἤθους καὶ μάλα σπουδῇ ἀμυνούμενοι. Εἰ γὰρ καὶ ἡμαρτήκαμέν τι εἰς σε, τοσοῦτον ἤδη χρόνον τῆς ὀφειλομένης ἀμοιβῆς γεγονότες ὑπερήμεροι· ἀλλ' ἴσθι γε καὶ πληροφορήθητι, οὐκ ἐξ αὐθαδείας, ὦ τᾶν, ἀλλ' ἐξ ἀτυχίας τοιαῦτα ἡμᾶς πεπλημμεληκότας. Μυρία δ' ἔχοντες αἰτιᾶσθαι, ἃ τὴν ἡμετέραν μέχρι τοῦδε ὁρμὴν, ἀντεπιστέλλειν σοι ἐπιχειρούντων, ἐπέσχεν, τοσοῦτον μόνον ἐρῶ, ἐλέους τοῦ παρά σου μᾶλλον ἢ ἀγανακτήσεως ἄξια πεπονθέναι ἡμᾶς, ἐξ οὗ ἐκείνην σοῦ τὴν γλαφυρωτάτην, καὶ χαριεστάτων χαρίτων γέμουσαν ἐπιστολὴν ἐσμὲν εἰληφότες. Νόσος συγγενὴς ἡμῖν ἤδη, ὀλίγα γοῦν διαλείπουσα, φροντίδες βαρύταται, ἐπάλληλοί τε ἀεὶ προσεπιφυόμεναι, καὶ τὸ πάντων ἀνιαρότατον, ἀσχολία συνεχής. Ταῦτά ἐστι ταῦθ' ἃ παρελόμενόν με πολλάκις, ἤδη δὲ καὶ τὴν χάρτην ἔστιν ὅτε εἰς χεῖρας λαβόντα, ἕως ὧδε ἐκώλυσαν τοῦ ἔργου. Τοιαύτης ὁ σὸς ὦ τᾶν, Κασαύβωνος τῆς οἰκήσεως ἀπολαύει τῆς ἐν τῇ βασιλικωτάτῃ τῶν πόλεων Λουτετίᾳ· καὶ μὴ πρὸς τοῦ ἐφόρου Θεοῦ τῶν τῆς φιλίας δικαίων, δέομαί σου καὶ ἀντιβολῶ, ὡς πλάττοντός ἐμοῦ ταῦτα, ἢ παρὰ τὸ ὂν ὑπεραίροντος, οὕτω περὶ ἡμῶν διανοοῦ· καί κε τὸ βουλοίμην, καὶ κεν πολὺ κέρδιον εἴη, τριπόθητε Δουναῖε, μὴ συνεχῶς οὕτω τὴν προθυμίαν ἡμῶν τὴν εἰς τὰ κάλλιστα τῶν μαθημάτων ἐνοχλουμένην ἐγκόπτεσθαι. Ἀλλ' ὅτι οὐκ ἐπὶ πεπλασμένοις τύποις, ἔργοις δὲ ὄντως οὖσι, καὶ μὴ λόγων πλάσμασι δεινοπαθοῦμεν, ξύνοιδεν ἡμῖν ὁ μέγας ἐν οὐρανῷ καὶ ἀμυκτήριστος Θεός. Ταῦτα μὲν οὖν ὑπὲρ τῆς χρονιωτέρας ἡμῶν ἀναβολῆς ἀπολελογήσθω· ἴσθι δὲ, πολυμαθέστατε Δουναῖε, παντὸς λόγου πέρα κεχαρισμένην ἡμῖν ἐπιστολὴν τὴν σὴν γεγονέναι· εἰ καὶ τὸ κατ' ἀρχὰς αὐτῆς οὐ μετρίως ἡμᾶς ἐλύπησε· πῶς γὰρ οὐκ ἔμελλον ἀνιᾶσθαι ἐπὶ τῇ τῶν πάνυ μακρῶν ἐκείνων πρὸ τριετίας ἐπεσταλμένων παρά σου γραμμάτων ἀπωλείᾳ; καὶ τὸ μικρότατον μὲν οὖν παρὰ τῆς σῆς λογιότητος πιττάκιον, λύπην οὐ τὴν τυχοῦσαν παρέσχεν ἂν ἡμῖν ἀπολωλός! τὸ δὲ ζημίαν ἡμᾶς ζημιωθῆναι τηλικαύτην πῶς δοκεῖς; πικρῶς τῶν φρενῶν καθήψατο· οὐδὲν μέντοι περὶ τούτων τῶν γραμμάτων πρὸ τοῦ πυθόμενοι, τέχνῃ τὸ νῦν εἶναι μηδεμιᾷ, οὐδὲ μηχανῇ δυνησαίμεθα ἂν αὐτὰ οἷον ἐξ ᾅδου παλινόρσα πάλιν στῆσαι· εἰ μὴ δήπουθεν, ὁ γράψας σὺ τὰ πρῶτα, καὶ μεταγράφειν τὸ δεύτερον, ἐπίηρα ἡμῖν φέρων, πεισθείης· οὗ γένοιτο ἂν ἡμῖν οὐδὲ χαριέστερον οὐδὲν, οὐδὲ ποθεινότερον· δοκεῖ γάρ μοι περὶ πολλῶν πρὸς φιλολογίαν συντεινόντων ἐν ἐκείνῃ τῇ ἐπιστολῇ διειλέχθαι· διὸ καὶ περισπουδαστότερον ταύτην αἰτῶ σε τὴν χάριν. Μὴ γὰρ γένοιτο ἀγνοεῖν ἡμᾶς εἰς αἰῶνα ὅσα ἐμέλλομεν διὰ τοῦδε τοῦ γράμματος παρά σου διδάσκεσθαι. Περὶ δὲ τῆς εἰς Ἀθήναιον τὴν καλὴν διατριβῶν, τὸ μὲν συνήδεσθαί σε ἡμῖν ὡς χαλεπωτάτην τινὰ ὁδὸν ἀνύσασι, καὶ τὴν ὑπόσχεσιν ὅπως δήποτ' οὖν ἐκπληρώσασι, καὶ πάνυ ἄσμενοι προσιέμεθα· κἂν γὰρ μέτριόν ἐστι τὸ ἀποτελεσθὲν ἡμῖν, οὐκ ἂν ἔξαρνοι γενησόμεθα μὴ οὐχὶ δεινὰ παθεῖν, πρὶν τῷ ἔργῳ, ὁποῖον ποτ' ἐστί, τὸν κολοφῶνα ἐπιθεῖναι. Τὴν μὲν οὖν τοῦ ἐπιχειρή-

* Forte, μὰ τὸν θεὸν φίλιον.

1602. χειρήματος δυσχέρειαν, πάντων δὴ μάλιστα οὐκ ἀγνοεῖς σύ ὦ ἄνερ σοφώτατε. Τὸ δ᾽ ἀσθενὲς, τῆς ἀγχινοίας, τῆς τε παιδείας τὸ ἐλλειπὲς τῆς ἐν ἡμῖν, ἀπὸ τῆς πείρας τῆσδε ἔγνωμεν, ἡμεῖς ὡς ἀκριβέστατα. Τῷ καὶ πλειστάκις συνέβη ἡμῖν τὸν χαλεπώτατον ἀγῶνα τόνδ᾽ ἀγωνισαμένοις, ἔνια μὲν ἴσως κατορθοῦσι, τὰ πολλὰ δὲ οἶμαι, πταίουσι, τὴν μεγίστην καταγιγνώσκειν ἡμῶν ἀβελίαν, φορτίον ἀραμένοις οὕτως ἀνοήτως οὐκ ἀνάγκαιον, μὰ τὰς Μούσας, καὶ τῷ δ᾽ ἀνδρὶ παντελῶς ἀβάστακτον. Τὰ δ᾽ ἀπὸ τύχης πῶς ἐν τοσούτῳ οὐ συνελάμβανεν ἡμῖν, καὶ τὰς πυκνὰς ἀποδημίας τε καὶ μεταναστάσεις, τί χρὴ λέγειν; οὔτ᾽ ἐμοὶ γὰρ ἀπαγγέλλειν σχολὴ διὰ πλειόνων· καὶ ἅμα τὸ πλέον οὐδέν· πρὸς δὲ καὶ ἐξ ἀλλοτρίων πόνων ἰδίας σε καρποῦσθαι λύπας, καθ᾽ Ἱπποκράτην ἄδικόν τι καὶ οὐκ ἐμοὶ βουλομένῳ. Σὺ δέ μοι δοκεῖς δαψιλεῖ οὕτω φυλλοβολίᾳ τιμᾶν ἡμᾶς, οὐκ ἀδεκάστῳ λογισμῷ, ἀλλ᾽ ἐπισκοτοῦντος τῇ διανοίᾳ σου φιλικοῦ πάθους τήνδε δικάσαι τὴν δίκην. Ἡμεῖς τοίνυν τὸ ἐῤῥωμένον τῆς σῆς πρὸς ἡμᾶς φιλίας ἐντεῦθεν τεκμαιρόμενοι, τἄλλα ὑπεραγάμενοί σε τῆς κριτικῆς δυνάμεως, ταύτην μόνην τὴν παρὰ σου ἀπόφασιν οὐκ ἀποδεχόμεθα, οὐδὲ συντιθέμεθά σοι· εἰ δὲ καὶ παῤῥησίᾳ θέμις εἰπεῖν τὰ φρενῶν κείαται ἐν μυχῷ, συμπνεῖν τε ἡμῖν, ὦ λῷστε, καὶ τὰ ἡμέτερα διορθώσασθαι μᾶλλον· ἢ ὑπερεπαινέσαι δίκαιος ἦσθα. Ἄγε δὴ εἰπὲ, παρερμηνευμένον τι ὑφ᾽ ἡμῶν ἐφωράθη σοι, ἢ οὐκ εὐστόχως εἰκασμένον ἐξηλέγχθη (ἔστι δ᾽ οἶμαι πολλὰ τοιαῦτα) ἔργῳ δεῖξον, ὦ φιλότης, εὐνοϊκῶς τῷ ὄντι πρὸς ἡμᾶς διακείμενος, τοσοῦτον ἐλεήσας τῆς πλάνης, ὅσον ἠσπάσω τῆς προθυμίας. Ἔῤῥωσο, ὦ ἄνερ σοφώτατε· καὶ ὁ ἐπουράνιος πατὴρ δοίη ἐν παντοίων ἀγαθῶν ἀφθονίᾳ, κρότωνος ὑγιέστερον, εἰς βαθύτατον ἀφικέσθαι γῆρας. Ἐν Παρισίων τῇ πόλει, Μαρτίῳ μηνὶ, τῇ ἑβδόμῃ ἐπὶ εἰκάδι, ᾳχβ´ τοῦ Σωτῆρος.

EPISTOLA MXXVIII.

✠ ΙΣΑΑΚΟΣ ΚΑΣΑΥΒΟΝΙΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΩ ΠΑΙΤΩ

τῷ προσφιλεστάτῳ χαίρειν τε καὶ εὖ πράττειν.

1602. ΘΑυμάσας πολλάκις τί ποτε εἴη ὅτι σὺ πολυμαθέστατε νεανία, οὐκ ἐφοίτας πρὸς ἡμᾶς, εἰωθὼς τὸ πρὶν σπανιάκις μὲν, ἀλλ᾽ ὅμως ὁσίοτι γοῦν ἡμᾶς ἐπισκέπτεσθαι, πῶς μὲν ἤσχαλλον· τὸ γὰρ αἴτιον οὐκ ᾔδειν· ἐπειδὴ δὲ παρὰ τοῦ τῶν φίλων μαθὼν, ὅτι εἰς τὰ ἴδια, Λουτεκίᾳ τῇ καλῇ πολλὰ χαίρειν φράσας ἐπανελήλυθας, τοῦ θαύματος μὲν ἔληξα· μέμφεσθαι δέ σοι ἐπῆλθέ μοι ὦ τὰν οὕτως ἀπροσηγόρως ἀποφοιτήσαντι· ὅτι γὰρ ἐξ ἀτρεκέος νόου φιλῶν σε, καὶ ὑπό σου δηλονότι ἴσῳ ζυγῷ ἠξίουν φιλεῖσθαι. Εἰ μὲν οὖν ἐν δίκῃ ἢ παρὰ δίκην ταύτην μομφὴν ἐμεμψάμεθά σε, Παῖτε προσφιλέστατε, οὐκ ἄλλον ἢ αὐτόν σε καθίζομεν δικαστήν· ἐπεξέρχεσθαι μὲν τοι τὴν δίκην οὐ βουλομένῳ νῦν ἐστί μοι· ἐφήμην ὀφλισκάνειν ἐγνωκότι μᾶλλον ἢ τὸ τῆς ἀποφάσεως ἄδηλον περιμένειν. Κεκομισμένῳ γάρ μοι τὴν παρά σου ἐπιστολὴν, καὶ 1602.
τὸ ἐῤῥωμένον καὶ ἐκτενὲς τῆς σῆς πρὸς ἡμᾶς φιλίας μεταξὺ ταύτην ἀναγιγνώσκοντι ἀκριβῶς καταμαθόντι· ἀποστῆσαι εὐθὺς εἰς πρῶτον ἐφρόνουν μέγα κατά σου δικαίοις συνέβη, καὶ διὰ τοῦτο γνωσιμαχεῖν τε καὶ φυγοδικεῖν ἔδοξεν εἶναι ἄριστα. Ἀλλὰ τὰ μὲν περιπέπτωκε ἐάσομεν, ὦ τὸ κάλλιστον πεφιλημένη ἡμῖν Παῖτε. Ἡ δὲ ἀττικωτάτη σου ἐπιστολὴ, καὶ παντοίων χαρίτων γέμουσα τῇ ἡμετέρᾳ ψυχῇ ἔρωτά σου ἐναπέθετο θαυμαστὸν ὅσον μέγαν. Τῆς γὰρ Ἑλληνικῆς παιδείας εἴ καί τις ἄλλος, οἷον νῦν βροτοί εἰσι, θερμὸς ὢν ἐραστὴς, ἀγάμενός σε τῆς ἄγαν προκοπῆς, οὐ φιλῶ μόνον, ἀλλὰ καὶ λίαν γε δι᾽ αὐτὸ τοῦτό σε ὑπερφιλῶ. Ὄναιο φίλτατέ μοι Παῖτε, τῆς εὐσεβείας· ὄναιο τῆς γνησίας παιδείας. Εὔχομαι δὲ τὴν μετὰ ταῦτα σπουδήν σου ἀεὶ καὶ μᾶλλον αὐξομένην, εἰς τοσοῦτον σοφίας προχωρεῖν ὅσον ἀνθρώπῳ φύντι ἐστὶν ἐφικτόν. Ἔῤῥωσο. Ἐν Παρισίων Λουτεκίᾳ, Ἀπριλλίου ἱσταμένου τῇ πέμπτῃ, ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ θείου Λόγου ἔτει ᾳχβ.

EPISTOLA MXXIX.

JUSTO LIPSIO. ✠

Vir illustrissime,

ECquid futura mihi apud te liberioris 1602.
dicti parata venia? Spero equidem; novi enim & ἔμφυτον tibi bonitatem, & vehementiam tui erga nos amoris. Hac fiduciâ dico tibi διαῤῥήδην nullis ambagibus, videri mihi te à moribus tuis discessisse, & οὐκ οἶδ᾽ ὅπως ἄλλος γεγένηται ἐξ ἄλλου. Annon ita est? Planè ita, ἄφωνος, inquam, ἐξ εὐφώνου factus es. Videris ipse, quæ te mala Circe mutarit. Ego rem factam queror καὶ μάλα ἀχνύμενος. Crucior enim animi tam longâ, tam insolitâ literarum tuarum expectatione: atqui solitus eras hoc quoque officii genere diligentiam nostram longè superare. Quid igitur accidit, cur ad datas sub hujus anni principium literas à nobis necdum sit responsum? Sed perierunt illæ fortasse. Illas certè accepisti, quas amplissimo Domino Busenvallio discedenti in manus tradidi. Quod tamen scire adhuc per te non potui. Binas omnino à quatuor jam mensibus accepi. Alteras attulit Belga φιλάρχαιος· alteras Taldiæus noster. Et hæ & illæ paucissimorum verborum fuerunt; neque erat in illis quicquam, ex quo meas tibi fuisse redditas possem cognoscere. Quod si nobilissimi Busenvallii non esset fides nota, mirè solliciti essemus ego & amplissimus Thuanus libro regio quid esset factum: nunc non scimus; sed de tua solùm valetudine, quam præstet tibi firmam & bonam, teque nobis & literis ἐς βαθύτατον γῆρας Deus immortalis ser-

1602. servet; qui & te & tua studia sibi curæ esse tot argumentis approbavit. Vale, illustrissime virorum. *Lutetiæ Parisiorum*, a. d. VI. *Eid. Jul.* CIↃ IↃ CII.

EPISTOLA MXXX.

✠ HUGONI GROTIO.

1602. TU verò falleris, clarissime juvenum, qui eruditissima tua scripta putas mihi invisa.

* *Non obtusa adeò gestamus pectora Pœni.*

* Virg. Æn. lib. I. vers. 571.

Ut novus aliquis cometes exoriens omnes τὰς περὶ τὰ μετέωρα advertit, & in sui contemplationem rapit; sic lucentissima ingenii tui fax simulac ἀνέτειλ' ὑπὲρ ὠκεανοῖο ῥοάων evecti sunt è vestigio animi πάντων τῶν περὶ τοὺς λόγους, in queis & nos sumus. Mirari omnes & stupere ad hoc novum ingenii tui portentum. Primus quod sciam, ad famam tibi aditum patefecit Martianus tuus. Is Scriptor mappam misit, & ad tua curricula attendere nos fecit. Secuta sunt posteà alia, atque alia spectavimus, judicavimus. Quid verbis opus? Visus es quam excitaveras initio exspectationem, toties superasse quoties prodiisti. Βάλλ' οὕτως, magne Juvenis; & quia æquales tuos pridem superasti, age, tecum ipse certa, & γενοῦ αὐτὸς σαυτοῦ κρείττων. Ita me facilis Deus immortalis respiciat, ut totâ animi mente hoc voveo, hoc illum oro. Etiam antequam constaret mihi, an vel de nomine tibi innotuissem, publico literarum respectu te amavi, omniaque tibi fausta optavi: quid censes nunc post acceptam Epistolam tuam? Ex illa cognovi, te quoque nugis nostris pretium aliquod ponere. Scio quid te potissimùm moveat, neque ita desipio aut πτύφωμαι, ut quantum magno Scaligero etiam isto nomine debeam, non intelligam. At tu me ama, mi Groti, vel potius φιλοῦντα ἀντιφίλει, & per otium literas mitte. Vale. *Lutetiæ Parisiorum*, a. d. VI. *Eid. Jul.* CIↃ IↃ CII.

Inscriptio.

Juveni clarissimo,
HUGONI GROTIO.
LUGD. BATAV.

EPISTOLA MXXXI.

HENRICO SAVILIO. ✠

ACcepi nunc ipsùm, præstantissime Savili, quas Nonis Junii ad me dederas. 1602. Hoc volui ab initio statim προοιμιάζεσθαι· ut scires diuturnioris silentii nullam penes me esse culpam. Sum quidem, ut ais, occupatissimus; neque omnibus vaco; tibi vero nunquam non. Quid enim potius faciam, quàm ut sermones cum eo cædam, quem propter summam eruditionem & παιδείαν ἀρίστην tot annos colui tacitus? Sed & tuas ipse occupationes novi gravissimas; neque putavi faciendum, ut inanes tibi literas mitterem. Nam de tuo incepto, post nuperam Epistolam meam, habui nihil quod ad te scriberem, nisi hoc unum, cujus tu nunc me admonuisti, alterum illum tomum Chrysostomi in Psalmos Medicææ Bibliothecæ, quem antè non videram, posteà visum nobis & tractatum. In eo continentur, ni fallor, Psalmi plerique omnes à XLIII. unde incipit volumen illud. De Codice λεγοὶ διάφοροι, &c. meminero quando primùm in Bibliothecam ibo, quod ante sex septem dies non possum. Nudius enim tertius significavit mihi morosus senex, qui illi incubat, per aliquot dies se abfuturum: ne ad se venirem frustra, dixeram antè illi cùm eò venissemus tuâ gratiâ ego, nobilissimus Vinnodus, & clarissimus Pithœus, me postridie rediturum, ut homilias à te descriptas, & amplissimo Thumerio de Boisisse traditas, cum Medicæo Codice conferrem; Psalmum dico ϱ, quem scimus in nostris libris extare. Nam illam alteram εἰς τὸ ᾄσατε τῷ Κυρίῳ ᾆσμα καινὸν, homiliam in iisdem libris non invenimus. Longè enim alia est ἑρμηνεῖα ejus Psalmi in volumine, quo continentur ejus Patris interpretationes in eum librum. Et omnino videtur separata lucubratio à continuo opere in Psalmos. Eam sive in veteri Regia, sive in Medicæa inventam cum tuo exemplari conferemus, & propediem tuas chartas tibi remittemus. *Etromos*, quod monstri genus sit in Catalogo nuper ad te misso, ne ipse quidem scio; at scito brevi, σὺν τῷ Θεῷ, & te quoque ut sis sciens faxo. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Dic verò mihi sodes, Vir præstantissime, quid tibi de illo viro docto videatur, qui in Epistolis suis, quas superioribus nundinis edidit, Græcas literas decoras, at non necessarias pronuntiavit? Qui ab uno Baronio, spretis antiquis, jubet nos Historiam Eccle-

siasti-

1602. ſiaſticam diſcere? Obſecro te, mi Savili, hæc cùm audis, non ringeris, an rides? Quid cùm illorum diligentiam ridet aut reprehendit, qui in explicandis veteribus Scriptoribus aliam inſiſtunt viam, quàm fecerit ipſe in Plinii Panegyricum? Hæc tu probes? hæc tu profecta cenſes ab erudito & ſani judicii homine? Atqui futuri ſunt multi, qui pro cerritis habeant omnes, qui pedibus in illius ſententiam non iverint; tantum eſt in ſtudiis quoque, ut cæteris omnibus rebus inane. Sed teneo te diutius. Vale, nobiliſſime Savili, & me ama. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d. Kalend. Auguſt.* CIↃ IↃ CII. ſtatim à lectis tuis, nullo interpoſito temporis momento.

Epistola MXXXII.

✠ ἸΣΑΆΚΙΟΣ Ὁ ΚΑΣΑΥΒΌΝΙΟΣ ὙΓΩΝΙ ΤΩ͂ ΒΡΟΧΘΏΝΩ,
χαίρειν τε καὶ εὖ πράττειν.

1602. Πολλήν τῷ καλῷ Οὐεστῶνι χάριν ὁμολογεῖν δίκαιός εἰμι τῷ ἀφορμήν σοι παρασχόντι τῆς πρὸς ἡμᾶς γραφῆς· δοκεῖς γὰρ οὐκ ἄλλως, πολυμαθέστατε Βρουχθῶνε, τῆς σῆς καλλιεπείας ἡμᾶς ἀξιώσειν, ἣν δὴ πολὺν ἤδη χρόνον, εἰ καί τις ἄλλος, θαυμάστης ἔχω. Μάρτυς μοι ἀξιόχρεως ὁ τὰ πάντα ἄριστος Βογγάρσιος, παρ' οὗ ἐκεῖνόν σου τὸν πρὸς τοὺς Γενευαίους λόγον, πρὸ μηνῶν πολλῶν δῶρον ἔλαβον· πυθόμενος δέ μοι σπουδῆ μεγίστη ἐστὶ εἰ καὶ ἄλλ' ἄττα εἴη ἐκδεδομένα, οὐχ ἅπαξ ἀλλὰ δὶς καὶ τρὶς τῶν σῶν εἰς τὸν Δανιὴλ ὑπομνημάτων, δοκῶ δὲ καὶ εἰς Ἰωάννην, τὴν τοῦ Ἰωάννου Ἀποκάλυψιν, κινήσας ἐλπίδα ὁ σοφώτατος ἐκεῖνος ἀνὴρ οὐδὲν ὅμως μέχρι τοῦδε οὔτε αὐτὸς ἔπεμψεν, οὔτε ἐγὼ παρ' ἄλλων οἷός τε γέγονα ἐν τοῖσδε τοῖς τόποις εὑρίσκειν· τῷ καὶ δέομαί σου εἴ τι τοιοῦτον ἐκπεπόνηταί σοι, εἴτε ἓν βιβλίον, εἴτε πλείω, μήνυσον τῷ ἡμεδαπῷ βιβλιοπώλῃ τῷ Δρουαρίῳ τίς ἦν ὁ τὰ σὰ τυπώσας, εἴτις ὁ ταῦτα ἐκεῖ εἰωθὼς ἀποδιδόναι· ὅσα γὰρ ἐν ὁποίᾳ ἂν ὑποθέσει ξυνέγραψας, ταῦτα ἰδεῖν καὶ ἀναγιγνώσκειν περὶ πολλοῦ ποιοῦμαι· τῆς γὰρ εἰς παιδείαν προκοπῆς, ὦ φίλτατε, καὶ σφόδρα ἅτε σοφίας ἐρασταὶ τυγχάνομεν ὀρεγόμενοι· σὺ δέ, εἰρήσεται γὰρ τἀληθές, καὶ ἡμᾶς καὶ ἄλλους ὠφελῆ πολλά, ὡς ἐμαυτὸν πείθω διδάσκειν ἱκανώτατος. Τεκμαίρομαι δὲ ἐξ ὧν ἤδη ἑωρακώς εἰμι· λέγω δὲ τὸν πρὸς Γενευαίους μᾶλλον, κατὰ Γενευαίων λόγον, καὶ ἣν ἔγραψας ἡμῖν ἐπιστολήν, πολλῆς γέμουσαν παιδείας τε καὶ ἀκριβείας. Τίς ὁ τοῦ Βεροάλδου περὶ τῆς παρὰ Ξενοφῶντι διορθώσεως ἀντιπίπτων; οὐ μέμνημαι γὰρ ἐν τοῖς τοῦ κρατίστου Σκαλάνου περὶ τούτων τι ἀναγνούς. Περὶ δὲ τὰ τοιαῦτα, γενναιότατε Βρουχθῶνε, γίγνου ἡμῖν, ταῦτα ἐκπόνει, ταῦτα ἀκρίβωσον. Τοῖς δὲ παροτρύνουσί σε κατὰ δούλων Θεοῦ ἀνδρῶν εὐσεβῶν καὶ ὁσίων, μὴ πρός σε τῆς σοφίας καὶ ἀληθείας ἀντιβολῶ συγχώρησον τῇ ἄγαν σου παιδείᾳ πρὸς οὐδὲν ἀγαθὸν παραχρῆσθαι. Ἔρρωσο. Ἐν Παρισίων Λουτεκίᾳ, Σεπτεμβρίου 1602. ἱσταμένου τῇ β α, ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ Θεοῦ ἔτει, α χ β.

Epistola MXXXIII.

ἸΣΑΆΚΟΣ ΚΑΣΑΥΒΌΝΙΟΣ ✠ ΤΩ͂ ΑΥΤΩ͂,
εὖ πράττειν.

Κομισάμενος τὰ παρά σου καὶ τοῦ κρατίστου 1602.
Βογγαρσίου πεμφθέντα μοι, ὦ λῷστε, παμπλείστας ὑμῖν χάριτας εἰδέναι τε, καὶ ἔχειν ὁμολογῶ. Ἐρήσεται μὲν οὖν τἀληθές, καὶ μὴ πρὸς Θεοῦ μάκαρος μνησικάκει μοι· ἀναγνοὺς γὰρ ἄλλα ἄττα τῶν ἐκδεδομένων σοι, καὶ ὅτι οὐκ εὐνοϊκῶς ἔχεις πρός τινας τῶν ἐν τοῖς ὀρθοδόξοις κορυφαίων εἶναι δοκούντων, ἐκεῖθεν μαθών, εἰδὼς δὲ καὶ τὰς τῶν ἐναντίων τέχνας, οἳ μετ' ἀγρυπνίας τοὺς καιροὺς τηροῦσι τοῦ ἀγρεύειν ἀεὶ πάντα τὸν ἐπιτήδειον. Ταῦτα δὲ ἐκ πολλοῦ ἀκριβώσας, ἐφοβούμην ἐστὶν ὅτε ἐκ τῆς ἄγαν εὐλαβείας, ἣ ξύμφυτος ἡμῖν, μήποτε ἄρα ὁ τὴν τοῦ Θεοῦ ποίμνην περιτρέχων ἀεὶ λέων ἀγριώτατος ἁρπάσας τὸν πολυμαθέστατον Βρουχθῶνον, τοῖς πιστοῖς ἐντρυφᾶν ἔχοι· οὐ γὰρ λανθάνει σε, ὦ τάν, πῶς φυσῶν τὰς γνάθους, καὶ μεγάλα πνέων τὰς ὀφρῦς ἐπηκότες, οἱ τῆς Ἑπταλόφου εἰώθασιν, εἴποτέ τινα φρενῶν παρέπλαξαν τῶν ἀγαθῶν. Χάρις δὴ τῷ πανελέῳ Θεῷ, ὅτι πᾶς οὗτός μου ὁ ὑπέρ σου φόβος, ἐκ τῶν ἔργων ἐλέγχθη μάτην γενόμενος· πάνυ γὰρ ἐξ ὧν πρώην γέγραφας τὸ στερρὸν ἐδηλώθη ἡμῖν τῆς σῆς πίστεως, καὶ τὸ ἀμετάπτωτον. Ἴσθι δέ, ὦ ἀνὴρ σοφώτατε, ἐφ' οἷς περὶ τοῦ Ἀντιχρίστου καὶ τῶν τοιουτρόπων διειλέχθης, ἡσθῆναι ἡμᾶς ἡδονὴν μεγίστην· ἐγὼ μὲν οὖν εἰ καὶ τις ἄλλος ἐν τοῖς τοιούτοις ξύμψηφός εἰμι σοι. Τὸ γὰρ τῆς ἀδικίας μυστήριον, οἱ παλαιοὶ μὲν ὡς ἐν αἰνιγμοῖς ἔγνων τι καὶ ἡμῖν ἐγνώρισαν. Ἡμεῖς δὲ τὰς ἀποστολικὰς ῥήσεις, εἰ μὴ ἐθελοκωφοῦμεν, ἀνοίγομέν τι καὶ ὁρῶμεν ἤδη τέλος ἔχειν. Ἴθι δέ, ὦ γενναῖε, τρέχε ᾗ τρέχεις· καλῶς γὰρ ἐναρξάμενον, κάλλιστον τοῖς προτέροις εἰκὸς ἐπιτιθέναι κολοφῶνα. Ἔρρωσο, προφιλέστατε Βρουχθῶνε. Ἐν Λουτεκίᾳ Παρισίων, Νοεμβρίου φθίνοντος δευτέρᾳ, α χ β.

Epistola MXXXIV.

ἸΣΑΆΚΙΟΣ ΚΑΣΑΥΒΌΝΙΟΣ ✠ ΔΙΟΝΥΣΊΩ ΠΑΐΤΩ
εὖ πράττειν χαίροντα.

Ἀρχόμενος τῆς πρός σε γραφῆς μετὰ χρόνον 1602.
ἤδη τοσοῦτον παλαιόν σοι, ὦ τάν, διηγήσομαι λόγον· σὺ δὲ σὺν Θεῷ καὶ ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι. Ὁ τὴν μὲν γνώμην θεῖος, τὴν δὲ γλῶσσαν χρυσοῦς Ἰωάννης, ὑποσχόμενός ποτε τοῖς ἰδίοις ἀκροαταῖς βιωφελῆ τινὰ ὁμιλίαν, εἶτα ὑπερήμερος γενόμενος ἄλλως ἀεὶ ἐξ ἄλλων πραγμάτων ἐμπεσόντων, ἔδοξε τοῖς πολλοῖς ἢ λήθῃ ἐνδοῦναι, ἢ ἀθετεῖν βουληθῆναι τὴν ὑπόσχεσιν· ὁ δὲ ὀψέ ποτε καιροῦ τυχὼν εἰς τὸν ἄμβωνα τε ἀνέβη, καὶ τοιοῦτόν τι, αὐ-

τῶν

1603. τῶν γὰρ μέμνημαι τῶν ἐπῶν, τοῦ λόγου προοίμιον ἔθετο. Οἱ μὲν εὔποροι τῶν ἑστιατόρων ἐὰν ἐμπεπλησμένους λάβωσι τοὺς δαιτυμόνας δύναιντο ἂν τῇ πολυτελείᾳ τῶν παρασκευασθέντων διεγεῖραι τὴν ἐπιθυμίαν αὖθις· τὴν δὲ τῶν πενήτων τράπεζαν οὐδὲν οὕτω ποιεῖ φαίνεσθαι λαμπρὰν, ὡς τὸ πεινῶντας ἀπαντῆσαι τοὺς μέλλοντας μετέχειν αὐτῆς· ὁ μὲν οὖν δαιμόνιος ἀνὴρ οὗτος διανοίας τε καὶ τῆς λεκτικῆς δυνάμεως πλοῦτον ὑπερφυῆ τινα πλουτῶν, τῆς γενομένης αὐτῷ ὑπερημερίας τοιαύτην ἀπολογίαν εἰρωνευόμενος δοκεῖν ἐμοὶ ἐνεστήσατο· ἡμεῖς δὲ τὰ αὐτὰ πρός σε νῦν λέγειν ἐπιχειροῦντες (ὑπερημερίας γὰρ ἔνοχοι καὶ αὐτοὶ ὁμολογοῦμεν εἶναι) οὐκ εἰρωνευέσθαι μὰ τὰς Μούσας, ἀλλὰ καὶ πάνυ σοφοὶ εἶναι εἰκότως δοξαίμεθ' ἄν· πῶς γὰρ οὔ; εἴγε πενίας αἰσθόμεθα τῆς ἡμετέρας, σοφίσματι γοῦν τοιούτῳ τῇ λιτῇ εὐτελεῖ γοῦν τραπέζῃ χάριν ὁποιανδήτινα μηχανώμεθα προξενεῖν. Ἀλλὰ γὰρ οὐδ' ἄγαν σοφοῖς οὖσι ξυνοίδαμεν ἡμῖν, οὐδὲ πλάττειν λόγους δεινοῖς, τῷ καὶ τὰ τῶν ῥητόρων κομψεύματα περιέντες αὐτήν σοι τὴν ἀλήθειαν ἐροῦμεν. Ἴσθι δὲ, ὦ φίλτατε Διονύσιε, ὅτι νόσοι ποικίλαι, ἀσχολίαι τε συνεχεῖς μέχρι τοῦδε ἡμᾶς τῆς πρός σε ἐκώλυσαν γραφῆς· ἡ μὲν οὖν νόσος Θεοῦ βοηθοῦντος ἤδη ἐκόπασεν· αἱ δὲ ἀσχολίαι ἀεὶ καὶ μᾶλλον ἐπιτείνονται, αὐτόν μοι, ὀλίγου δεῖν εἰπεῖν, τὸν βίον ἀβίωτον ἀποπλοῦσι. Σύγγνωθι δὲ, ὦ προσφιλέστατε Παίτε, καὶ περὶ ἡμῶν οὕτω διανοοῦ, ὡς τῆς παρὰ σοῦ συμπαθείας ἀξίων ὄντων μᾶλλον ἀνθ' ὧν πάσχομεν, ἢ μέμψεως σῆς εἰ καὶ τὰ μάλιστα τοῦ καθήκοντος ὀλιγωρήσαμεν γράφοντί σοι οὐκ ἀντιγράφοντες· περὶ μὲν οὖν τούτων ἅλις. Ἔρρωσο καὶ ἡμᾶς φιλῶν διατέλει. Ἐν Παρισίων Λουτικίᾳ, Μαρτίου μεσοῦντος τῇ ἐνάτῃ, ᾳχγ.

EPISTOLA MXXXV.

✠ JACOBO I. MAGNÆ BRITANNIÆ, SCOTIÆ, &c. REGI.

Sereniſſime, potentiſſime Rex,

1603. NOn irreverentia audaculum me facit, ut obſtrepere Majeſtati tuæ parum verear; ſed cùm de tua pietate, & adverſum afflictos pro Chriſti nomine propenſâ voluntate certa confidentia; tum erga civitatem calamitoſiſſimam, patriam alteram meam, Genevam, ſtudium pium, & de ejus ſalute ingens ſollicitudo. Hæc urbs quo nunc in ſtatu ſit, quantis difficultatibus publicè privatimque laboretur, abundè Majeſtati tuæ narrabit ſingularis fidei & integritatis Senator, Julius Aniorianus, cui has tradidi. Verùm oro benignitatem tuam obteſtorque, Rex θεοφιλέστατε, liceat mihi pro Genevenſi Academia, cujus olim pars aliqua fuimus, humiles juxta & pias apud te preces fundere, eò quidem impenſius, quòd cùm ante paucos dies privati negotii cauſâ illuc veniſſem, jacentem illam Scholam propter temporum iniquitatem, at nondum tamen deſertam, neque frequentiâ ſtudioſorum omnino deſtitutam, graviter ſumus miſerati. In eum ſiquidem locum rei illius publicæ fortuna redacta eſt, ut niſi adfuerit verus ille non ἀπὸ μηχανῆς, ſed ἀπὸ τῶν οὐρανῶν Θεὸς, de illius pietatis & religionis ſeminario penitùs actum eſſe videatur. Etſi enim Senatus pro ſua prudentia tanti boni poſſeſſionem retinere omnibus modis etiam ſupra vires connitetur; in tantis tamen anxietatibus vix eſt, ut diutius viri pietate & doctrinâ excellentes, quorum ibi non mediocris adhuc copia, ali foverique poſſint. Potuerunt, ſi zêlo promovendæ gloriæ Dei inflammati Principes labentem Rempublicam liberalitate aliquâ ſuſtentarint, & præſens quaſi exitium defenderint. Quam ad rem cùm ſit omnibus notum quid quantumque Majeſtas tua valeat, prope & illud ex æquo bonis perſuaſum eſt, futuram deinceps & Eccleſiam & Scholam Genevenſem non mediocri tibi curæ. Sunt nimis inluſtria, quæ toties jam exhibuiſti flagrantiſſimi erga Deum & veram Religionem amoris publica teſtimonia. O ſervet hunc animum Majeſtati tuæ Princeps ille Principum, cujus in manu veſtra ſunt Regum corda. Ille te, Rex ſereniſſime, fulgentiſſimum in Europa ſidus, quàm diutiſſimè florentem, & Principibus aliis ad veram laudem prælucentem, ſicuti facit, atque exemplo præeuntem, & præſentis & futuræ vitæ bonis omnifariam velit cumulare. *Lutetiæ Pariſiorum, a. d.* VI. *Kalend. Auguſt.* ſalutis reparatæ, CIↃ IↃ CIII.

Tuæ Majeſtatis quàm humillimus, quàm devotiſſimus Cultor & Servus,

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA MXXXVI.

PHILIPPO CANAIO A' FRAXINIS. ✠

PAx, Vir ſumme! ego ut tuam amicitiam ſpreverim! Ut eam immani ſcelere violarim! Deus ὁ τῆς ἀληθινῆς φιλίας προστάτης ne ſirit, ut lævam adeò mentem unquam induamus. Hunc ego poſſum διαμαρτύρεσθαι, nunquam eſſe factum, ut tuorum in nos maximorum meritorum oblivio obreperet animo meo. At dixi, ſcripſi etiam fortaſſe, quæ parùm tibi grata. Quàm vellem pari fide tibi relata eſſent, quæ toties 1603.

1603. cum summa laude tua, etiam tum ἄνω κάτω & passim dixi, cùm illa gererentur, quæ leniter animos nostros separabant. Omitto dicere necessitatem mihi ab ipsa conscientia mea fuisse impositam, ut exemplo, quod magnum & illustre nomen tuum trahebat, pro virili mea obviam irem. Nam ut ad extrema consilia, quæ probata tibi, facerem gradum, Deus hominesque sciunt nunquam me ne cogitasse quidem. Epistolam illam infelicem, & prope fatalem mihi, si impelli ad immanitatem optimus noster Trajanus potuisset, non excuso; nam omnino quid in illa sit scriptum, imò an scripserim, juxta scio cum ignarissimo. Deus illis bonis viris bonam mentem, qui ea ad te missa id videntur egisse, ut tu me pusillum homuncionem pondere tuo, quod facilè erat, elideres. Si libeat, liceat hic mihi quiritare: proh Dei hominumque fidem! adeòn' invenustos esse quosdam, ut quasi per ludum & jocum naturæ gentium, in perniciem innoxiorum, jura migrent? Non ita tu quondam, magne Alexander; neque tu, Juli Cæsar; qui repertas in hostium castris literas de rebus, quæ ad salutem vestram spectabant, inspicere non sustinuistis. Sed rerum præteritarum memoriam pluribus nolo refricare. Quin te potius oro, Vir maxime, si qua adhuc superest ingentis illius amoris scintilla, quo nos per annos multos beasti, eam ne penitùs sinas exstingui. Ego & propter suavissimam priorum temporum recordationem, & nonnihil etiam periculo recenti admonitus, sedulo cavebo, ne inobservantiâ tui ac cultu fidem meam aut constantiam jure possis unquam desiderare. Vale, καὶ ἐν πᾶσιν εὐημερῶν διατέλει. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Eid. Novemb. anno* τοῦ Σωτῆρος Χριστοῦ *Dionysiano*, CIϽ IϽ CIII.

EPISTOLA MXXXVII.

✠ MARCO VELSERO.

1603 SI mihi ea mens esset, Vir maxime, ut de iis, quæ ad Religionis negotium spectant, funem contentionis tecum ducere, aut omnino cum quoquam vellem, facilè impetraturum me sperarem, ut de ea quæstione, quam pluribus attigisti in nuperis tuis literis, non aliud sentire viderer, quàm quod in prima Ecclesia omnes ad unum pii & verè orthodoxi. Tertulliani, Prudentii & Paulini loci, quos objicis, nihil minus continent, quàm quod hodie, imo à multis seculis in quæstione positum est. Quàm enim diversæ res sunt, habere & colere, eo præsertim modo, qui passim hodie obtinet? Equidem ingenuè fateor, cùm hac de re etiam atque etiam diligenter sæpissimè cogitaverim, magis indies mirari me, qui fieri possit, ut de re adeò clara, certa, & indubitatis Patrum testimoniis comprobata, (Verbum enim Dei taceo) per tot secula tam funestæ contentiones sint excitatæ. Beati Augustini locum ut laudarem, utque Auctoris mei verba pluribus explicarem, fecerunt ineptissimæ certorum hominum interpretationes, qui διελόντες τῇ ὑποθέσει, alius aliò ea trahebant. Poteram de mente Beatissimi illius Patris plura adjicere, & consecutionem ejus verborum παντὸς μᾶλλον necessariam uberius explicare: sed non libenter facio, ut iis me immisceam, quæ ultra crepidam sunt. Denique si quis est mortalium, qui scindi orbem Christianum disputationibus hujusmodi ex intimi pectoris affectu doleat, quique exstincto discordiarum nomine, pacem Ecclesiæ Dei optet restitutam videre, eum nos, Vir magne, sequimur, & nostra cum illius votis conjungimus; quæ audiant utinam aliquando propitii superi! Iidem te quoque servent, & mihi amorem tuum & bonorum omnium. De Privilegio agimus gratias maximas. Sed dolet mihi, quòd meâ causâ tantum laboris frustra sumpseris. Egi & magno Wacero gratias. Vale. *Lutetiæ Parisiorum, pridie Kalend.* . . . * CIϽ IϽ CIII. (* Forte Decemb.)

Tibi addictissimus,

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA MXXXVIII.

ἸΣΑΆΚΙΟΣ ὁ ΚΑΣΑΥΒΌΝΙΟΣ ✠ ΔΙΟΝΥΣΊΩ ΠΑΊΤΩ

εὖ πράττειν χαίροντα.

ΠΡῶτον μὲν οἴομαί σε μίαν δεήσειν, ὦ προσφιλέστατε Παῖτε, ἵνα τὸ ὑπερήμερον τῆς παρ' ἐμοῦ ἀμοιβαίας γραφῆς μὴ νομίζῃς ἀξιόπιστον εἶναι τεκμήριον τῆς ἐν φιλίας ἡμῶν, ἢ τοῦ καθήκοντος ὀλιγωρίας· πρὶν γάρ, εὖ ἴσθι ὅτι χανέσθαι ἡμῖν εὐρεῖα χθών, ἢ τὸ ποθεινότατόν σου ὄνομα ἐξ ἡμετέρας μνήμης ἢ καρδίας χρόνος οὐδεὶς ἐξαλείψειε. Καὶ τοῦτο εἰ μὴ πιστεύεις ἐμοί, καὶ μετὰ πάσης πληροφορίας ἑαυτὸν οὐ πέπειθας ὡς πάνυ ἐς τὸ βάθος τῆς ἡμῶν ψυχῆς ἐνέστηκεν ὁ σοῦ ἔρως τὴν μεγίστην ἀδικεῖς ἡμᾶς, ὦ τὴν ἀδικίαν· πάθος ἡμῶν καταγινώσκειν ἄριστον, καὶ ᾧ ἔνοχον εἶναι τὸν καλὸν κἀγαθὸν ἄνδρα οὔτε πρέπει οὔτ' ἴσως τυγχάνει δυνατόν· πόθεν; τῶν γὰρ λεγομένων ἀσυστάτων πάντως ἂν καὶ τοῦτο γένοιτο, τῆς αὐτὸν καὶ ἀρετῆς ἀντέχεσθαι καὶ τὰ τῆς φιλίας δίκαια παρ' 1605.

οὐδὲν

1605. οὐδὲν πέπεικε· ἵνα μὴ λέγω τὰ τῶν σοφῶν ἐκείνων, οἳ τῶν ἀρετῶν ἢ κακιῶν τὴν ἀντακολούθησιν ἄνω κάτω θρυλλοῦντες οὐρανῷ γῆν προότερον μιχθῆσεσθαι διϊσχυρίζοντες, ἢ τὰ ἐπαινετὰ τοῖς ψεκτοῖς, τὰ μὴ καλὰ τοῖς καλοῖς· ἡμεῖς μέντοι ὅτι τῆς ἀρετῆς ἐρασταί τινες τυγχάνομεν ὄντες, οὐδέ σύ, δοκεῖν ἐμοί, ἔξαρνος ἂν γένοιο. Προκοπῆς δὲ ἡμετέρας περὶ πολλὰ καυχᾶσθαι οὐκ ἔχοντες, γέμοντες γὰρ ἁμαρτιῶν οἴμοι οἴμοι ξυνιστάμεθα ἑαυτοῖς· ἵνα γοῦν τοῦτον τὸν περὶ φιλίας τόπον καὶ γνῶναι ἀκριβῶς, καὶ μέχρι τοῦδε κατορθῶσαι οὐ μετρίως δοκοῦμεν ἡμῖν. Οὐκ ἄρα ἐπελαθόμεθά σου, ὦ ποθεινότατε ἑταῖρε Παῖτε, οὐ μὰ τὸν ὄντως Φίλιον Θεόν, ὃν μετὰ φόβου καὶ τρόμου σεβόμεθα, τὴν πρός σε γραφὴν ἕως ὧδε ἀναβαλλόμενοι· ἀλλὰ τοῦ καιροῦ δοῦλοι ὄντες, μᾶλλον δὲ λάφυρον τοῦ καιροῦ, ὡς ἔφη τις τῶν σοφῶν εὐκαιρίαν ἀναμένοντες ἐλαθόμεθα ἑαυτοὺς εἰς ὑπερημερίας ὄφλησιν ἐμπεπτωκότες. Τῆς μέντοι πρός σε ἀγάπης τὸ σφοδρὸν καὶ ἐντελὲς παρὰ τοῦτο μηδὲν τὸ παράπαν ἠλλαττῶσθαι πολλοί μοι μάρτυρες· ὧν καὶ ἐγγράφους τὰς μαρτυρίας παρέχειν ἔχω, εἰ μέλλεις ἐπὶ κριταῖς ὁποιασδήποτε αἰκίας ἐπιλησμονῆς ἢ ἄλλης ἡστινοσοῦν αἰτίας οὐ καλῆς ἡμᾶς γράφειν· οὐκ ἔστι γάρ, οὐκ ἔστιν οὐδείς, ὡς εἰπεῖν, τῶν ἐμοὶ γνωρίμων, πῶς καὶ παιδείαν τὴν σὴν θαυμάζω, καὶ αὐτόν σε φιλῶ τε καὶ ὑπερφιλῶ οἷός τε ἀγνοεῖν. Τί δή, φαίης ἄν, τῆς ὑπερημερίας τὸ αἴτιον; πρὸς ταῦτα λέγοιμεν ἄν, Παῖτε φίλτατε, ὅτι καὶ πρότερον ἤδη ἐγνώρισταί σοι τὰ ἡμέτερα πῶς ἔχει, καὶ ὅπως ταῖς συνεχέσιν ἀσχολίαις ἀθλίως ἐνοχλούμενοι καὶ στενοχωρούμενοι διηνεκῶς ἅ τι προαιρούμεθα, ποιεῖν κωλυόμεθα, καὶ περὶ τὰ μὴ πάνυ καταθύμια τὸ πλεῖστον τοῦ χρόνου μέρος κατατρίβειν ἀναγκαζόμεθα. Ταῦτα μαθὼν εἰ μὴ ταλανίζειν ἡμᾶς τῆς τύχης ἀξιοῖς ἀντὶ τοῦ μεμψιμοιρεῖν, ἴσθι ἢ μηδ' ἐν ὀνείροις εὐνοοῦν ἡμῖν, ἢ νόσον νοσοῦν ἣν ὀνομάζειν ἔχων οὐκ ἔχω· ἀλλ' οὐχ ἡμεῖς τοιοῦτοι, οἳ μετὰ χαρᾶς νὴ τὰς Μούσας οὐ τῆς τυχούσης ὑπὲρ τῆς ἄλλην σχολῆς καὶ ῥαστώνης ἣν παρέχεται νῦν σοι ὁ ἐπὶ πᾶσι τοῦ κατακόρως ἐντρυφᾶν τοῖς τῶν ἀρχαίων θαυμασίοις λογίοις· καὶ αὐτῷ χάριν ὁμολογοῦμεν ὀφείλειν, καί σε ἀδιαλείπτως μακαρίζομεν· ὄναιο τῆς ἄγαν εὐτυχίας τῆσδε, ὦ φίλτατε, καὶ εὐημερῶν μήποτε διαλείπεις. Ἔρρωσο. Ἐν Παρισίων Λουτεκίᾳ, Γαμηλιῶνος ἤτοι Ἰανουαρίου ἱσταμένου τῇ δεκάτῃ, ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου τοῦ Λόγου οἰκονομίας ἔτει κατὰ Διονύσιον τὸν μικρόν, ͵αχε.

EPISTOLA MXXXIX.

✠ JOANNI DEODATO.

1608. Literas tuas accepi, Vir præstantissime. Librum, quem ais misisse, nondum vidi; sum tamen in spe brevi illum me, operâ tui cognati, viri optimi & integerrimi, accepturum. Ago interim tibi ex animo, si minus quas debeo, certè quas quantasque possum maximas gratias. Equidem postquam de tuo hoc nobilissimo incepto primum cognovi, extemplò persuasi mihi, οὐκ ἀθεεὶ istud consilii esse abs te susceptum: quin potius Deum Opt. Max. ἀναμφισβητήτως hanc tibi mentem dedisse. Hanc divinationem meam reipsâ nunc comprobari, cùm ex Epistola tua longè mihi gratissima, tùm ex multorum gravissimorum hominum sermonibus incredibili cum gaudio didici, & quotidie disco. Macte, Vir doctissime, καὶ ὡς ἀληθῶς καὶ φερωνύμως Θεόσδοτε. Opus exegisti Deo immortali haut dubiè gratissimum. Obstrinxisti tibi unâ operâ quantum ubique est virorum piorum, quibus gloria τοῦ ἐπουρανίου Πατρός, & salus proximi cordi est ac curæ. Itali tui quantum eo nomine tibi debeant, ne dici quidem potest; eo namque munere illos donasti, quo nullum ne cogitari quidem majus queat. Quis verò non admiretur in illa potissimùm tempora tuam editionem incidisse, quando gens nobilissima, sed diro servitutis πνευματικῆς jugo miserandum pariter & stupendum in modum oppressa, inibi videtur esse, ut ad aliquem saltem mali sui sensum possit perduci? Mira sanè ξυγκύρησις, & quæ ἀπὸ ταυτομάτου non contigit. Quod utinam, iterumque utinam optatissimus ille illucescat dies, cùm densa illa & atra caligo discuti incipiet, quæ nobilissimæ sine controversia parti orbis terrarum est offusa. Planè Christiani appellatione est indignus, qui toto affectu hoc non cupit, non optat, non dies noctesque à Domino Jesu precibus suis contendit. Qua in parte nostro nos officio non omnino hactenùs defuisse, verè possumus affirmare. Sed nos quidem vota duntaxat, prætereàque nihil ad tantum opus conferre possumus. Tu, Vir præstantissime, nisi animi fallor, potes unus plurimum. Aude modò, & quo cœpisti pede, oculis irretortis perge. Cogita sis, cujus res agatur; sub cujus Imperatoris vexillis milites; quæ maneant eos præmia, qui propugnandæ Evangelicæ doctrinæ sese devoverunt. Sciebam amplissimum Wottonem de rebus magnis tecum per literas solitum agere; quod tua quoque Epistola non obscurè significavit. Veneror supplex τὴν παναγίαν ἐν μονάδι Τριάδα, ut cœptis vestris porro & semper benedicat. Magnum Scaligerum doctrinam tuam pari pietate junctam, magni, pro eo ac debet, facere, compertum habeo. Scio quod sit illius de tua versione judicium. Crede mihi, tanto illo viro nihil probius, nihil candidius. Quod me hortaris, ut omnia oblivisCar, quæ adversus me isthic sunt facta, agnosco probitatem, & pietatem tuam.

Gggg 2 Atque

1608. Atque ego jam gaudeo te isthic esse repertum, quem mala mea non perfunctoriè tangerent. Nam hactenus nemo, quod sciam, est inventus in ea urbe, pro qua mortem oppetere suave mihi fuisset, qui adversis meis ullo modo tangeretur. Eversa est domus Stephanica; uxoris dos tota periit; soror mea cum sua filia certorum hominum immanitate, feritate, diritate ad mendicitatem est redacta. Actum est mecum veluti cum proditore & sicario, & ad rapiendas chartas meas, & sororis, publicè satellites sunt missi in ædes sororis. Petenti sorori per libellum supplicem, ut quoniam & dos illi sua, & quicquid maritus reliquerat, bonorum senteñtia Judicum esset ademptum, ut perditorum hominum Bigotiorum profunda avaritia expleretur: misereretur sui Senatus, & aut solveret illi partem aliquam debiti marito ipsius stipendii, aut se adjuvaret saltem, ut operâ meâ à Rege Christianissimo id ipsa reciperet. Erat æquissima postulatio, & cui satisfieri poterat ab amplissimo Ordine absque ulla vel unius oboli impensa. Tulit tamen misella repulsam, & à Senatore Sullio horribile carmen illi pronuntiatum est: Nos Principes urbis, & civitatis non tenemur rationem habere nostrorum subditorum. Scit Senator eximius Saracenus, quid soror postulaverit, quàm æqua, & ipsi necessaria fuit ejus petitio. Quid multa? neque Ordo Senatorum, neque Pastorum & Professorum Collegium, cui ego stultus me putavi esse charissimum, quicquam prætermisit, quo mihi noceretur. Bis ad me super matricibus Græci characteris scripsit Laurentius, Rector Scholæ vestræ. Ostendi illi summæ iniquitatis facinus ipsum aggredi, & quidem tum putabam, imprudentem. Oravi, etiam obsecravi, atque obtestatus sum, ne rem nefariam aggrederetur. Adeò nulla mei ratio est habita, ut eo urgente factum sit decretum, quo nullum potuisse fieri iniquius, omnes hic consentiunt Jurisconsulti. Fateor ingenuè, præstantissime Deodate, his tot indignitatibus gravius esse commotum me quàm par erat; & ignoscat mihi Domini Jesu misericordia, quam dies noctesque imploro. Possem magni Auctoris patrocinio me defendere, & illud divini Philosophi afferre: Καλῶς τὰ ἐκ θυμοῦ οὐκ ἐκ προνοίας κρίνεται· οὐ γὰρ ἄρχει ὁ θυμῷ ποιῶν, ἀλλ' ὁ ὀργίσας. Sed valeant artes: ego non excusari humanitùs, sed mundari cœlitùs mea ἱλαστήματα cupio. Miror tamen, atque adeò demiror, neminem isthîc esse inventum, quem tot facta injusta vel tantillum moverent. Deum immortalem! quis 1608.
hic est stupor? Per annos duodecim exagitata est soror ab improbissimis, quod omnes scitis, hominibus. Debuit hoc ferri? Itane Deus voluit viduas, & orphanos tractari? Nihil sorori profuerunt sua jura justissima, luce meridianâ clariora; nihil memoria mariti, civis quondam Genevensis, de patria sua quàm optimè meriti; nihil anteacta vita, quam piè, castè, & modestè semper instituit, ut eam decebat, quæ à sapientissimo patre, & lectissima matre fuit educata. Meum verò nomen adeò misellæ nihil profuit, ut hæc videatur illi fuisse causa omnium malorum, quòd soror esset mea. Itaque crucior animi, cùm cogito stultitiam meam, qui ante annos unum & viginti post optimi patris obitum, in eam Galliæ partem me contuli, ubi pater moriens suos reliquerat, quò matrem, & sororem hanc meam in tuto scilicet portu collocarem. Bene sanè, quòd mater paullò post, unde erat profecta, rediit; quæ si remansisset, actum erat de reculis nostris omnibus. Soror, quæ remansit Genevæ, malo suo meoque fato, & dotem honestam, & mediocres mariti opes amisit funditùs, & quicquid ego ab aliquot annis in sumptus infaustarum litium exhibui. Hæc hodie pene unica est, quæ me angit, & macerat cura: non enim teneo lacrymas, quoties venit in mentem quis futurus sit illius status, si Dei benignitas ipsam non respexerit. Equidem etsi in tenui re, deero tamen illi nunquam. Sed numerum liberorum meorum vides, & quantam isthîc jacturam fecerim. Ut taceam incommoda ejus loci, qui me nunc habet. Quod si per sororem liceret, constitueram omnium injuriarum, quas accepi, nunquam meminisse. Neque enim pecuniam gemui amissam; cujus si studiosus essem, expeditas ejus parandæ vias potui invenire: sed filiam habui natu maximam mihi, & matri suæ supra modum charam, idque merito suo: erat enim parentibus obsequentissima, indole optima, pietatis orthodoxæ tenacissima. Hæc quum per ætatem nubilis jam esset, ut gravius ferrem jacturam isthic factam fortunarum mearum, & sororis, (nam hoc quoque damnum in me recidit, nisi ἄστοργος & impius esse velim) erat in causa; quanquam dolorem meum solita fuit optima filia (ignosce paterno affectui) sermonibus supra annos gravibus levare, & lenire. Nunc vero postquam (filiâ dilectissimâ mihi ademptâ) ingentem solicitudinem meam ingenti dolore mutare Deo Opt. Max. visum, con-

1608. constitueram, ut modò dicebam, omnium injuriarum, quas isthic ipse accepi, semel memoriam ponere; & faciam, spero, ad me quidem quod attinet atque uxorem. Sorori verò misellæ, & filiæ ejus quî prospiciam, necessariò mihi est videndum. Illi quoniam nulla isthic spes ostenditur, & nos omnia alia deficiunt præsidia, si ad Christianissimum Regem confugero, & causam sororis illi exposuero, nemo mirari debebit tandem facere me, quod nisi facerem, impius & ἄλυο-ςῶν ἀπίςυ χείρων, teste Beato Paulo, futurus essem. Scit Deus immortalis propter ea, quæ acciderunt, non minus invitum facere me, quoties de iis querela mihi est instituenda, quos omni amore, cultu, & reverentiâ hactenùs sum persequutus; qui etsi nocere amplius mihi ne si velint, quidem possunt; nihil enim isthîc mihi reliqui factum est; invitus tamen faciam, (testor τὸν καρδιογνώστην θεὸν) si apud diversæ præsertim religionis homines ulcera mea cogar retegere. Amplissimus vir, Præses Thuanus, te salutat. Est olim isthic editus à Domino Fajo libellus de terræ motu, qui Hybornam pagum Bernatium absorpsit, vel obruit potius. Eum libellum si ad præstantissimum Præsidem miseris, rem illi mihique gratissimam feceris. Oblitus quod scire te volo. Venit ad me ante biduum homo mihi incognitus, quem statim ex sermonibus agnovi: is est, qui ministerio Verbi divini isthîc functus, ac pòst à Senatu honorificè dimissus, ad Metenses est profectus. Video parare illum editionem libri Apologetici. Hortatus sum & obtestatus ne faceret; sed laterem lavi; stat enim sententia. Quæso te, si potes, certè quantum potes, medere scandalo futuro haut dubiè maximo. Agam de ea re & cum nostris Pastoribus. Vale, Vir clarissime, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CVIII.

EPISTOLA MXL.

CLAUDIO SALMASIO.

1608. NOn quia deest argumentum aut voluntas plura scribendi, pauca nunc ad te exaravi; sed quia constanter affirmatum mihi erat à tuis, Palatinatu jam te excessisse; & brevi in hac urbe futurum. Utinam illum diem videam, qui te nobis reducem sistet! Venies non inanis, scio; sed Musarum divitiis instructissimus. Itaque incredibile dictu est, quàm incipiat mihi tui reditus exspectatio esse longa. Spero Florum * esse jam editum; quoniam 1608.
de Stephano sententiam te mutasse video. Audio te auctoritate impulsum Scaligeri & πάνυ, vertendi ejus Auctoris consilium mutasse. Omnino si res spectetur ipsa, neque habeatur ratio voluntatis Typographorum, supervacuus ille labor. Sed in ea tempora vivi devenimus, ut qui Græcos libros edunt, planè sui juris non sint. Equidem quòd eâ consilii mutatione spei nostræ de tua editione Stephani † mora sit injecta, iniquo animo fero. Sed veni modò; non deerit ne hîc quidem, qui tua libenter publicet. Veni igitur, καὶ ἔῤῥωσο, ὦ φιλτάτη κεφαλή. *Lutetiæ Parisiorum, a. d.* VI. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ CVIII.

* Vide Epist. DXC.

† Vide Epist. DLXIV.

EPISTOLA MXLI.

JOANNI STANISLAO ✠ SAPIEHÆ, JUVENI NOBILISSIMO.

ETsi gratissima mihi est tuæ adversum 1608.
me benevolentiæ significatio, cujus tot simul tam luculenta dedisti testimonia; in summa tamen, quam ea mihi res affert voluptate, hunc ego dolorem neutiquam sanè levem capio, quòd tua, generose Domine, repentina in patriam reversio omnem mihi in præsens, an & in posterum, facultatem eripit grati animi testandi. Jam primùm, quòd mei serves memoriam, & humanissimè scriptis tuis me lacessas; nisi eo ipso nomine multum me tibi debere sentiam, planè eo sum honore indignus. Tu verò munus insuper addidisti, idque excellens. Supra omnia est illustrissimi Domini parentis tui Epistola, auro contrà non chara; in qua tuam pariter atque illius humanitatem animadverti. Nam quòd vir tantus nos scriptione provocare sustinuerit, comitati & cæteræ illius virtuti hoc acceptum fero. Sed quod nostra in te merita vir illustrissimus literis suis deprædicat, totum id, generose Domine, muneris est tui. Quid enim ipse ad parentem scripseris, Epistola parentis arguit. Quò igitur me vertam, aut quam rationem inibo consilii, ut aliquid faciam quo gratum animum meum tibi probem? Nempe hoc unum superest, ut qui nihil aliud possim, gratâ saltem prædicatione & constanti memoriâ tui & tuorum meritorum, officio meo satisfaciam. Hîc ego mihi non deero; facilèque, uti spero, perficiam, ut te ejus judicii, quod de me fecisti dudum, nunquam pœniteat. Ago verò tibi, nobilissime Domine, pro tuo munere

1608. nere grates gratissimas. Erit hoc mihi posthac gratissimum cimelium, ut tui erga me animi pignus certissimum; quod non prius quiescere me patietur, quàm ipse vicissim aliquod ἀντίδωρον misero. Sed hoc inter tuum & meum intererit munus, quod pro auro & gemmis, quibus ipse abundas, verba rependemus; quorum aliquam nobis esse copiam, ipse quoque videris existimasse. Quicquid hujus erit, minus tamen erit eo affectu & cultu, quem tibi mente & voluntate prolixâ exhibeo, quum aliter nequeam. Velim hoc tibi de me certò persuadeas, & literis tuis aliquando nos bees. Ego si semel nactus fuero viam certam literas in Poloniam curandi, ne inter publicas curas oblivio nostri nominis tuo obrepat fortè animo, sedulò cavebo. Hortarer te, nobilissime Adolescens, ut in studiis, quæ feliciter incepisti, diligenter pergeres, nisi certò scirem fræno potius egere te quàm calcaribus. Id quoniam mihi est satis superque compertum, non committam ut diffidere virtuti tuæ ac constantiæ possim videri. Opto tibi omnia læta ac fausta. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* XV. *Kalend. Novemb.* CIϽ IϽ CVIII.

EPISTOLA MXLII.

✠ JOANNI BUXTORFIO.

1610. QUum ante annos aliquot casu in meas manus tuorum aliquid scriptorum, Vir doctissime, incidisset, ita mihi eorum lectione contigit affici, ut semper ex illo tempore & te, & tuas vigilias apud omnes prædicaverim. Nam quoties huc illuc oculos per Europam circumfero, paucos omnino video, qui pari tecum laude in eo genere literarum hodie versentur. Omitto peritiam rituum Hebraicorum & hodiernæ Synagogæ, quarum rerum notitiâ videris omnes antecellere, qui inter Christianos de eo argumento libros hactenùs ediderunt. Tuus insuper insignis candor, & in summa eruditione par modestia, & quod facilè scripta arguunt, probitas eximia, legentem me tua scripta eximiè ceperunt. Amabam igitur te, Vir præstantissime, & nomen tuum colebam, quando literas accepi, quas ad me scripsisti. Gavisus sum etiam atque etiam, tibi quoque venisse in mentem, ut amicitiam mecum velles inire, quam quidem diu multumque expetitam, nunc autem à te oblatam tanto cum gaudio accipio, tanta cum hilaritate amplector, ut post tuas mihi redditas, longissima mihi fuerit illius temporis expectatio, quo mutui 1610. amoris significationem possem tibi dare, & hoc sanctum fœdus tecum pangere. Amemus igitur invicem, mi Buxtorfi; & assiduâ scriptione inchoatam bonis avibus amicitiam magis magisque indies firmemus. Ego tibi hoc sanctè polliceor, mea officia nulla unquam in re, quæ in potestate mea fuerit, tibi defutura. Pro misso munere immortales & habeo tibi gratias & ago: sed erras, si putas non antè vidisse me tuum illum accuratissimum librum. Ego unà & illum, & quæcunque alia abs te scivi edita, non solùm in forulos meæ Bibliothecæ habeo reconditos; sed etiam diligenter legi. Nam etsi quantum in vestris literis profecerim, me sanè pœnitet, amavi tamen semper Linguam Sanctam. Cæterùm de illo ipso incepto, quod præ manibus te nunc habere scribis, olim non semel cogitavi, quando plus otii fuit, quod id genus studiis impenderem. Videbam Munsterum vix satis ejus ædificii jecisse fundamenta; Fabricium addidisse illum quidem multa; sed spicilegium tamen ipsâ messe uberius aliis reliquisse. Sciebam magnum Mercerum institutum à se opus ad exitum non perduxisse. Quare ut de tuo cognovi incepto, exilii equidem gaudio, qui meus est in literas amor, & manus in cœlum tollens, Deum veneratus sum, ut omnia tibi abundè largiretur tam utili proposito perficiendo utilia & necessaria. Quod scribis, ut operâ . . . . aliquos libros tibi curem investigandos, longè erras, mi Buxtorfi, neque hominis ingenium nôsti. Nam mihi cum illo propter diversitatem τῆς θρησκείας & morosam superstitionem nihil quicquam intercedit commercii, quamquam optavi equidem amicitiam cum illo jungere, & de Hebraicis literis cum ipso interdum agere; sed ingenium hominis expertus me ipse quidem invitus abstinui. Nihil igitur ab ejusmodi homine speres, aut non certè operâ meâ. A me verò omnia te sperare jubeo, quæ præstare vel per me ipse potero, vel per alios mihi amicissimos viros, qui literarum omne genus vehementer amant, ac libenter promovent. Itaque de libris, quos petis, videro quid fieri queat, & te faciam certiorem. Scito autem nactum me esse Munsteri Lexicon Chaldaicum, illud ipsum, quo olim usus ὁ μακαρίτης Mercerus, & post ipsum Cevallerius Genevensis, vir mihi, dum vixit, amicissimus. Sunt in ora ejus Codicis, utriusque illorum notæ multæ, & vocabulorum non paucorum, quæ Munsterus prætermiserat, explicationes. Hunc librum

1610. brum si fore tibi usui existimas, etsi ægrè possum illo carere, carebo tamen tuâ gratiâ, & illum ad te mittam. Sed id ut quàm tutissimâ viâ fieri possit, tibi mihique erit prospiciendum; nam ego jacturam ejus libri facere, damni ingentis loco ducerem. Te quoque idem, spero, judicaturum. Vidi è scriptis tuis, quanti magnum Scaligerum faceres. Quare eo quoque nomine scito amari te à me, qui illum virum unus omnium maximè suspexi vivum, & nunc fato functum non sine lachrymis desidero. Clarissimos & venerandos viros, D. D. Grynæum & Polanum à me salutes velim. Vale. Scripsi inter curas & negotia. *Lutetiæ Parisiorum*, XII. *Februar. ann.* CIƆ IƆ CX.

EPISTOLA MXLIII.

DANIELI TILENO.

1610. EPistolæ tuæ plurium paginarum, quæ tua est facundia ac δεινότης, præstantissime Tilene, paucis verbis respondebo. Scito igitur, eos, qui tibi narrarunt me vel metu famis, sic enim ais, vel ex indignatione adversus N. N. animum in causa Religionis mutasse, rem falsissimam, & à moribus meis alienissimam tibi retulisse. Verum quidem est, id sedulò egisse N. N. ut ego & omnes mei quantum in ipsis foret, omnibus nostris fortunis eversi δεινὰ καὶ πέρα δεινῶν experiremur; nihil enim boni illi viri fecerunt reliqui, quo mihi meisque modis omnibus nocerent; mihi, qui ὑπὸ σκαιότητος τῶν φρενῶν parentis loco semper illos colueram. Sed propterea cœpisse me de religione, quam N. N. profitentur, deterius sentire, aut loqui, hoc verò falsum est, commentitium est, diabolicum est. Quod si libertatem dicti pateris, te miror, clarissime Tilene, potuisse adduci, ut ejusmodi aliquid sineres tibi persuaderi; non enim video, quò illa pertineant, quæ in eam rem scripsisti mihi; nisi ut nutantem ex illa causa confirmares. Laudo, quòd rumusculos illos non planè contempseris; & quòd amici officio sis functus, habeo & ago gratiam. Sed potuitne fieri ut ipse crederes, id genus argumenta vel tantillum apud me habere ponderis? Egone alicujus inopiæ metu commovear, qui didici à puero τῇ Θεοῦ προνοίᾳ ἐπαναπαύειν? qui opes, honores, & quicquid vulgus miratur, tanti nunquam feci, ut eorum caussâ vel manum vertere dignarer? qui fortunam auream toties in meos lares irrumpere conantem, & tantùm non fores effringentem, fortiter & irretortis oculis [uni Deo sit laus & gloria] semper expulerim? Sciunt 1610.
hoc amici mei omnes omnes, quibus utor familiarius; scit in primis ὁ καρδιογνώστης Deus.

Dices, unde igitur ille de te rumor est ortus, & ex qua caussa? Equidem quod res est, narrabo ingenuè tibi, Vir præstantissime, neque ullâ dissimulatione utar. Ego postquam à Deo Opt. Max. in hac statione, mihi persæpe gravi & molesta sum collocatus, vix diem liberum habui, & à certaminibus cum diversa de religione sentientibus immunem: quo in agone, quâ libertate sim semper usus, quo zelo; scit ille, quem nihil latet. Atque ego illum ipsum testem possum laudare, nullâ meâ levitate factum, quòd in hanc arenam sæpe descenderim: invitus enim semper, & necessitate quâdam coactus, eo sum compulsus. Memineram Theologiam me non profiteri, & tenuitatem ingenii atque eruditionis meæ probè nôram. Sed nihil agebam; semper enim aliqua nascebatur occasio, quæ me cum præstantissimis viris τῶν ἐξ ἐναντίας committeret. Porro hujusmodi occasiones ut ipse vitarem, hanc rationem constanter tenui, ut nihil ab ejusmodi hominibus nunquam sperarem, nihil optarem, in quo mihi opera eorum esset necessariò utendum. Quid multa? hoc genus congressûs ego ut fugerem, illi ut excitarent, pari studio multos annos contendimus. Quum igitur cernerem impositam mihi esse necessitatem reddendi rationem fidei meæ, omnino duxi faciendum, ut curis aliis omissis huic me studio totum darem, & cum Dei Verbo ac veteris Ecclesiæ doctrina, & nostrorum & adversariorum scripta contenderem. Ista fuit caussa, cur inter cæteros Bellarminum ante menses aliquot sumerem legendum. Versabar in prima ejus parte, cùm nuper ad te scripsi. Cùm quidem meum omne studium erat, ut quæ primo illo Tomo de Libris Canonicis disseruntur de auctoritate Veterum Interpretum, de humanis Traditionibus, & similibus capitibus, falsa esse rationibus certis demonstrarem: quod quum viri magni ante nos facere instituerint, non fuit mihi difficilè certissimas eorum rationes novis persæpe argumentis confirmare. Parem facilitatem videor mihi esse expertus in doctrina de Romani Pontificis Omnipotentia, de Imaginum Cultu, de Indulgentiis, & id genus aliis. Ubi verò ad ea ventum est, quæ de Sacramentis hodie disputantur, etsi multa occurrebant non minus ἀδιεξέλεγκτα, quædam tamen sunt reperta capita, in quibus stare ab adversariis universam Antiquitatem, & quidem mirè con-

1610. consentientem, videor invenisse; nam illos è nostris, qui demonstrare aggressi sunt, eadem Patres nobiscum sensisse, egregiè operam lusisse, & in clara luce cœcutisse, ni fallor, possum certissimè probare. Atque ego demirarer tot viros præstantes, & in scriptis Patrum egregiè versatos nihil simile observasse; nisi viderem eò res Ecclesiarum nostrarum hodie rediisse, ut paucorum placita pro lege rata & inviolabili habeamus. Itaque non jam liberum est nobis, quid vetus Ecclesia crediderit inquirere; sed id potius agendum, ut scripta Patrum vel obtorto collo ad sententiam illorum paucorum trahamus. Ego, mi Tilene, Lutherum & Calvinum summos & admirabiles viros fuisse censeo; ἀναμαρτήτους tamen cur fuisse credam, caussam non video. Sed abeo longius, qui tecum agere institueram. Ut igitur verbo expediam; scito ex accurata veterum lectione nonnullos animo meo obortos esse scrupulos, de quibus tecum posse agere, instar putarem regni; doceri enim cupio. Nam moveri me consensu totius antiquæ & orthodoxæ Ecclesiæ non possum dissimulare. Si non possum optatissimo tuo congressu frui; quod restat experiar, ut rationes, quibus moveor, scripto comprehendam, & tibi transmittam. Hoc ego jam venerando Molinæo recepi me facturum, & cum ipso communicaturum animo candidissimo & veritatis studiosissimo. Hoc velim tibi de me esse persuasissimum. Vale, & me ama. *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* VI. *Non. Maj.* CIϽ IϽ CX.

Epistola MXLIV.

✠ ἸΣΑΆΚΟΣ ὁ ΚΑΣΑΎΒΟΝΟΣ ΔΙΟΝΥΣΊῼ τῷ ΠΕΤΑΥΊῼ χαίρειν ἐν Κυρίῳ.

1610. Τὸ ὑπερήμερον τῆς ἐμῆς γραφῆς θαυμάζειν σε, ὦ πάλαι μοι τὸ καλὸν πεφιλημένε Πετάυιε, οὐκ ἀμφισβητῶ. Ἴσως δὲ τοῦ θαύματος λήξεις, τὸ τῇ ἐπιστολῇ συμβεβηκὸς πυθόμενος· ἧς ἐμοὶ κομισθείσης μετ' ἄλλων γραμμάτων, ἐξιόντι τῆς πόλεως, καὶ εἰς ἔπαυλιν πορευομένῳ, ἣν πρὸ ὀλίγων ἐτῶν οὐ μάλα τοῦ ἄστεος ἐγγὺς ἐκτησάμην· συνέβη καὶ τὴν παρά σου καὶ τὰς παρ' ἄλλων φίλων ἐπιστολὰς ἀπολλύσθαι, καὶ διὰ πολλῶν μηνῶν οὐχ οἷάς τε εἶναι εὑρεθῆναι. Τὰ γὰρ σκεύη πάντα διφῶν, καὶ πᾶσαν κιβωτὸν ἐρευνῶν, μάτην κόπους ἠνειχόμην. Ἀντεπιστέλλειν δέ σοι, τὰ σὰ γράμματα ἐν τῇ ὁδῷ καὶ μεταξὺ διαλεγόμενος τοῖς συμπορευομένοις, ἀναγνούς, πῶς ἐδυνάμην; Ἐν τοιαύτῃ δὲ ἀπορίᾳ καθεστῶτος ἐμοῦ, καὶ μέλλοντος ἐπισπουδαστότερον γράφειν, ἄλλο τι συνέβη, ὃ μήποτ' ὤφελε, λίαν σφόδρα καὶ λόγου παντὸς ἐμοὶ ἀνιαρόν· ἀληθέστερον δὲ εἰπεῖν, τοιοῦτον οὗ χάριν καὶ παραυθὺς ἐγένετό μοι ὁ βίος ἀβίωτος, καὶ νῦν ἔτι ἐστί, καὶ ἀεὶ δοκεῖ μοι ἔσται· τὸν φόνον λέγω τοῦ Χριστιανωτάτου βασιλέως, Ἐρρίκου τοῦ τρισμεγίστου· ὃς ὑπὸ μιαρωτάτου τινὸς ἀλάστορος οἰκτρότατα, οἴμοι, οἴμοι, κτανθείς, εἰς θερμότατα ἡμᾶς ἤγαγε δάκρυα· πόθον ἑαυτοῦ ἀεὶ νεάζοντα, καὶ ἔτι μάλιστα ἀκμάζοντα ἐν τῇ ἡμετέρᾳ ψυχῇ ἐγκαταλιπών. Ὢ τῆς ἀποφράδος ἐκείνης ἡμέρας· ὢ τῆς νυκτὸς καὶ τοῦ σκότους ὃ τοῖς ἡμετέροις πράγμασιν αὕτη ἡ ἐναγὴς ἡμέρα κατεσκέδασεν· αὕτη καὶ λήθην ἐνέσταξεν ἐμοὶ καὶ Μουσῶν καὶ λόγων καὶ φίλων καὶ πάντων ἁπαξαπλῶς τῶν πρὶν καταθυμίων· οὕτω τῆς ἀνίας ἐγενόμην ἕλος, καὶ νῦν ἔτι γίγνομαι· κακοὶ κακῶς ἀπόλοιντο, οἱ τῆς Σατανικῆς βουλῆς μεταχόντες, εἴγε τις μετέσχε· γένοιτο δὲ μέρος αὐτῶν μετὰ τοῦ διαβόλου καὶ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ· ἣν εὐχὴν καί σε, φίλτατε Πετάυιε, ὁμοίως ἐμοὶ εὔχεσθαι, τὸ εὐγενὲς τοῦ σοῦ θυμοῦ, ἀρετήν τε τῶν τρόπων καλῶς γιγνώσκων, ἄνευ δισταγμοῦ διισχυριζοίμην ἄν· πολλὴ δὲ ἡ χάρις τῷ εἰς ἄκρον πεπαιδευμένῳ Φρόντωνι, ὃς ἡμᾶς ἐκ τοῦ πρὶν καρώματος, ὡς εἰπεῖν, βαρυτάτου ἐξεγείρας, εἰς τὴν τοῦ καθήκοντος ἔννοιαν ἀνήγαγε· συχνὰ γὰρ εἰσνεὶ ὑπονύξας, καὶ τὰ πρὸς τὴν σὴν λογιότητα ἀμοιβαῖα γράμματα πλειστάκις ἀπαιτήσας, τέλος ἐξενίκησεν, ὥστε τὸν ὄκνον ἀποθέσθαι ἡμᾶς, καὶ τῇ πρός σε γραφῇ ἐπιχειρεῖν. Συνελάβετο δέ τι καὶ ταυτόματον· εὑρεθείσης οὐκ οἶδ' ὅπως ἐξ ἀπροσδοκήτου τῆς σῆς ἐπιστολῆς· ἣ πολλοὺς ἤδη μῆνας ἐγεγόνει ἀνεύρετος· καὶ περὶ μὲν τῆς ἡμετέρας ὑπερημερίας τοσαῦτα ἀπολογείσθω. Ἴσθι δέ, ὦ φίλτατε, πλεῖστα ἡμᾶς χαρῆναί τε καὶ τῷ Θεῷ χάριτας ἀναπέμψαι, γνόντας ἐκ τῶν σῶν, ὅτι καὶ τῆς ὑγιείας εὖ διαπλεῖς ἔχων, καὶ τῆς γνησίας παιδείας σφοδρὸς ἐραστὴς ὡς πάρος τυγχάνεις ὤν. Δῴη σοι ὁ ἐπουράνιος Πατήρ, καὶ ἐρρῶσθαι ἀεὶ τῶν καλῶν, καὶ τῶν ἐρχομένων ἐφικνεῖσθαι, εἰς τὴν αὐτοῦ δόξαν καὶ τοῦ πλησίον ὠφέλειαν. Περὶ δὲ ὧν γράφεις σῶν ποιημάτων, ὡς ἐς ἐμοῦ πᾶσάν σοι ὑπουργίαν ὑπουργήσαντος εἰς δυνατόν, οὕτω διανενόηται περὶ ἐμοῦ καὶ πληροφορήθητι. Τὸν γὰρ Ἀττικώτατον Συνέσιον, καὶ τὸν εὐφραδέστατον Θεμίστιον, ὑπὸ τῆς σῆς ἄγαν παιδείας, καὶ ἐπανορθωθῆναι, καὶ ἐς τὴν Ῥωμαϊκὴν διάλεκτον μεταφρασθῆναι, ποιησαίμην ἂν περὶ πλείστου. Ἔρρωσο, ὦ τᾶν, καὶ ἡμᾶς ἀντιφιλῶν διατέλει. Ἐν τῇ τῶν Παρισίων Λουτικίᾳ, Σεπτεμβρίου τῇ ὀγδόῃ φθίνοντος, ἀπὸ τῆς τοῦ Λόγου σαρκώσεως ἔ. ει α χ ι.

Epistola MXLV.

N. N. ✠

Illustrissime & reverendissime Domine,

Quum post longam expectationem venisset tandem Lutetiam, vir nobilissimus & generosissimus, D. Wotton, Legatus ad Regem Christianissimum extra ordinem memor promissionis, quâ fidem meam apud tuam Dignitatem obstrinxeram, id statim egi, 1610.
ut

1610. ut in comitatum ipsius recipi, & hac occasione uti possem, ad nobilissimum hoc Regnum, quod perdiu optabam, lustrandum. Neque verò difficile mihi fuit à Domino Legato, quod cupiebam, impetrare; plus enim multò quàm petebam, ab ejus humanitate ultrò mihi est concessum; adeò quidem ut prædicandis tanti viri meritis erga me nunquam ipse mihi videar posse satisfacere. Erat in ejus comitatu Dominus Doctor Charier, cujus etiam toto itinere plurima in me extiterunt officia. Is postquam est ventum Cantuariam, Domino Legato iter Londinum abrumpente in suam me domum deduxit, & veluti injectâ manu apud se manere tantisper compulit, dum ipse iter isthuc institueret. Equidem cùm hospitis hujusce mei, tùm aliorum præstantissimorum virorum, quos hic offendi, eximiâ humanitate ita sum captus, & loci ipsius elegantiâ atque amœnitate sic quotidie oblector, ut facilè & patriæ & meorum etiam affectuum desiderium feram. Quoniam tamen à libris abesse meis diutius, sine gravi studiorum jactura, nequeo; est animus, Deo Opt. Max. propitio, quod superest hujus itineris quàm primùm conficere. Quum præsertim propositi mei sit summa, serenissimum sapientissimumque Regem, quem tot jam annos apud me & miror & revereor, salutare, meumque humile obsequium ipsius Majestati offerre; proximum votum meum est tuam Reverentiam & sublimem Dignitatem, illustrissime Domine, videre posse, & præsens venerari. Quod dabit, spero, mihi Dominus Jesus cis dies paucos. Illum toto affectu cordis oro, ut te Ecclesiæ suæ ἄνοσον καὶ ἀπήμαντον quàm diutissimè servet, & mihi tuam benevolentiam. Vale, Præsul reverendissime. *Cantuariæ, a. d.* VI. *Kalend. Novemb. stylo veteri*, CIↃ IↃ CX.

Tuæ illustrissimæ Dignitatis sincerus Cultor ad omne obsequium paratus,

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA MXLVI.

✠ JACOBO LECTIO.

1611. INter molestissimas ἄτας, quibus assiduè conflictamur, quæ vita est τῶν ταλαιπώρων βροτῶν, nullum acutiorem experior dolorem illo, quem tui, ὦ φιλοφιλτάτη κεφαλὴ, desiderium mihi affert. Nam quoties venit in mentem prioris temporis, cùm jucundissimâ tui consuetudine fruerer, toties videor mihi ad illa Platonica ἡμίτομα redactus, alteram mei partem impatientissimè desiderare. 1611. Atque hic animi cruciatus mei eò fit indies major, quò magis nostri isthuc reditûs spes decollat quotidie. Viderint qui huic incœpto, mi Lecti, tuo & paucorum aliorum tantopere, sic enim audio, isthic reluctati sunt, quo animo id fecerint; ego profiteor, cùm te excepi, & item alios, tres, opinor, aut quatuor, quos certus sum esse mihi amicos certos, χάριν ἡμᾶς αὐτοῖς ὀφλισκάνειν μεγίστην, ἀνθ᾽ ὧν, εἰ καὶ τ᾽ἀναντία ἴσως διανοούμενοι, ἡμᾶς ηὐεργετηκότες εἰσί. Sed me dies noctesque tui amor pari junctum desiderio angit cruciatus. Feramus tamen, clarissime Lecti, quod mutari per nos haud potest: velimus enim nolimus, fata nos εἰς τὸ πεπρωμένον, aut ducent, aut trahent. At memoriam mutui amoris religiosissimè uterque servemus, eoque nos oblectemus. Quod equidem & promitto mihi de tua benevolentia, & gravi constantia; & spondeo invicem tibi, ὡς ἀνεικωτοτέπι, καὶ ὡς ἐπιμάρτυρος τοῦ καρδιογνώστου καὶ ὄντως φιλίου Θεοῦ. Illum oramus supplices ego uxorque, ut & te, & lectissimam conjugem tuam, & quicquid tibi charum, protegat, servet, fortunet. Vale, oculissime Lecti, & me constanter ama. *Londini, pridie Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXI.

EPISTOLA MXLVII.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, D. JOANNI SPOTISWODO, ✠ ARCHIEPISCOPO GLASCOENSI, &c.

Reverendissime Præsul,

DIuturnum silentium meum noli mirare, nam aut defuit, cui meas 1611.
darem, aut morbus me impediit. Neque enim multò post tuum ex his locis discessum accidit, ut me tertiana invaderet sic satis pertinax, & quæ languorem mihi diuturnum reliquit. Ad vim morbi accedebat recordatio solitudinis meæ, qui tot jam menses procul ab uxore sum, procul à liberis; & quibus nunc maximè opus habeo, libris meis. Si vitium hoc naturæ est amare suos vehementer, præsertim autem conjugem; fateor hoc mihi inesse vitium. Annos enim jam viginti & quatuor sublevatus ab omni rerum domesticarum cura per eam, quæ mihi data est ad vita consortium; non sine gravi dolore nunc ab illa tamdiu divellor. Sed hoc incommodum futurum erat levius, nisi & mihi ægrotare contigisset, & quibusdam è liberis meis, qui Lutetiæ sunt. Laus Deo

1611. Opt. Max. sit, qui mihi priorem valetudinem restituit, quam etiam spero meis adfuturam, pro sua inexhausta erga me benignitate. Simulac surgere è lecto incepi, finem imposui libello*, quem dudum institueram. Spero bonis fore ejus lectionem non ingratam. Mihi fortasse ejus editio magna conciliabit mala, si quid possunt illi θεοστυγεῖς, adversus quos scripsi. Esto quicquid Filius Dei voluerit. Ego eam moderationem tenui, ut quum viperis illis non parcerem, Christianæ tamen charitatis non oblivisceren. Liber est in manibus serenissimi Regis, qui ea valde probat, quæ legit hactenus. Statuet ejus Majestas, quid opus erit facto. Vale, Præsul illustrissime. Scripsi raptim. *Londini, a. d.* III. *Kalend. Jul.* CIↃ IↃ CXI.

* *Epistola ad Frontonem Ducæum.*

Tuæ Reverentiæ humilis Cultor,

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA MXLVIII.

THOMÆ MORTONO, DECANO WINTONIENSI.

1611. TU quidem, Vir doctissime, silentium obstinatus colis. Nàm ex quo à nobis discessisti, unicas tantùm à te accepi. Ego verò soporem tibi excussissem frequenti scriptione, nisi aut urbe abfuissem, aut quum eram in urbe, defuisset cui meas darem. Apud reverendissimum Dominum Episcopum Eliensem menses fui penè duos; inde reversus exspectatione longâ meæ & meorum quà liberorum, quà librorum propemodum sum enectus. Tandem me respexit Dei Opt. Max. benignitas. Venit igitur uxor, venerunt liberi, venit & Bibliothecæ pars non pœnitenda. Credo non exspectare te, ut dicam magnam ex eorum adventu me voluptatem cepisse: nôsti enim me, & in affectus meos animum meum. Sed hoc gaudium temperavit Deus aliquâ molestiâ. Nam uxor diu jactata morbum aut morbi caussam secum attulit; itaque plures dies ægrotavit; ac ne nunc quidem satis commodè habet. Spero meliora, & τῷ ἐπὶ πᾶσι gratias ago. Illa salutat te quàm officiosissimè, tuæ singularis humanitatis memor. Quod superest, mitto tibi Epistolam ad Frontonem; atque ut scias non esse tibi liberum eam scriptionem improbare, Rex vehementissimè probavit: sed nescio an vos Theologi idem sitis existimaturi. Ego paratus sum censuræ vestræ sine exceptione subscribere. Illustrissimus Præsul, Dominus Archiepiscopus, libri edendi præcipuus auctor fuit. Tu pro tuo in me amore, amico vultu hoc tenuissimum munusculum accipies, & de mea in te observantia & jugi beneficiorum, quæ à te accepi, memoria non dubitabis. 1611. Ausus sum exemplar alterum tibi mittere, meo nomine, si placet, reverendissimo Præsuli, Domino Episcopo Wintoniensi offerendum. Volui Epistolam adjicere; sed abreptus sum ad Aulam repentè accitus. Patere ut tibi has partes relinquam, & te rogem ut gratiam viri, quem admiror ex fama & scriptis, mihi concilies. Reversus ex Aula, ubi tuas accepero, non deero officio meo. Vale, Vir doctissime, & mihi medullitùs dilecte. *Londini, a. d.* XVII. *Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CXI.

EPISTOLA MXLIX.

HENRICO SAVILIO.

Vir nobilissime,

DE Bibliis, quoniam ita vis, agimus 1611. tibi pater & filius magnas gratias; non enim ausus sum remittere & παραιτεῖσθαι τὸ δῶρον. Eliæ memor ero, cùm semel statuam de libris. Oro Deum Opt. Max. ut aquilæ senectutem tibi largiatur, quò possis præclara tua incepta ad finem perducere. Succedat Gregorius Theologus Chrysostomo, Gregorio, alii ἑξῆς τῶν πάνυ ὠφελίμων. Scaligerum τὸν μακαρίτην fuisse in Mathematicis ὄνον πρὸς λύραν, non omnes existimant, qui in illis libris excellunt. Clavius hostis illius aliter de ipso loquitur. Mihi quid magnus Vieta dixerit scio ipse. Erravit Scaliger, & fortasse consultius fecisset, si abstinuisset. Solebat Vieta dicere, non esse cujusvis errare cum Scaligero; cujus ipse divinum ingenium in aliis demirabatur. Omnino ea præstitit in literis Scaliger, quæ nemo ante illum, nemo fortasse post illum. Qui si aliquando vel gravissimè peccavit, ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τὴν δ' ἀπωθεῖται ψόγον. De characteribus Stephanicis longa historia, longæ ambages. Itaque melius ista coram. Studia mea priora funditùs esse eversa, penitùs video & doleo. Sed hæc Θεῷ μελήσει. Vale, Vir doctissime, & me ama. *Londini,* statim post tuas acceptas, *a. d.* V. *Eid. Decemb.* CIↃ IↃ CXI.

EPISTOLA ML.

THOMÆ MORTONO.

GAudeo non improbari exactissimo 1611. judicio tuo, Vir præstantissime, Epistolam ad Frontonem; de qua si tibi narravero, quæ scribuntur ad me Lu-

1612. Lutetiâ, ridebis, spero, & lætaberis. Nam simul ac ea Epistola fuit Parisios delata, boni inter Pontificios ita eam probarunt, ut statim vir amplissimus, Jacobus Gillottus, Senator inter primos, & Decanus cujusdam Ecclesiæ, eam curaret imprimendam. Ea editio statim defecit, & iterum liber prælis subjectus est, & Latinè & Gallicè. Ita spatio unius ferè mensis ter id scriptum Lutetiæ est editum. Scribit etiam Puteanus, vir eximius, multos è probis Pontificiis, lecto eo libello cœpisse detestari nomen Jesuïticum. Sed audi rem longè majorem. Extincto Henrico Magno Jesuïtæ impetrarunt ab Augustissima Regina facultatem docendi publicè. Sed cùm Schola Parisiensis se opposuisset, vocati in jus ad Curiam, tergiversati sunt, & amplissimi Ordinis potestatem eluserunt. Interim nullæ prætermissæ sunt artes conciliandi Judices Societati Jesuïticæ. Simul splendidissimum Collegium extructum est: quod ut factum, cepit Jesuïtas desiderium docendi & tentandæ aleæ publici judicii. Contra omnium opinionem in illo Patrum amplissimorum Consessu actio instituitur. Dicere incipit Martillerius, amicus meus, vir doctissimus, Advocatus Scholæ Parisiensis, qui nactus causam magno ingenio, quod in ipso est, dignissimam, plenis velis in factionem Jesuïticam invehitur, scelera aperit, & quo illis noceat, nihil reliquit intactum. Per viginti dies acta causa à Martillerio tantâ facundiâ, ut omnibus esset admirationi. At Jesuïtæ, homines acuti, jam tum qualis futurus esset exitus prospicientes, ad Dominum Cancellarium confugiunt, unde repulsi ad Reginam accedunt; quæ sapientiâ usa singulari, rem ad Senatum suum rejecit. Volebant autem Jesuïtæ impetrare à Regina, ut absolutâ authoritate utens, quod per nostras leges licet, causam ad suum Consistorium revocaret, & Senatui adimeret. Quâ re frustra tentatâ, excepit tertio die Martillerium Rector Scholæ Parisiensis, qui eloquentissimè, & admodum confidenter in illas pestes peroravit. Secuta est oratio Advocati Jesuïtarum, qui etsi doctissimus, pessimè tamen se gessit, neque aliud ex ea caussa tulit, nisi cachinnos. Quinto die Advocatus Regis, Servinus, dixit de Jesuïtis quæcunque poterant à viro bono dici. Nihil potuit addi. Quum viderant qui aderant Jesuïtæ, Fronto, Cotton, alii sex, malo res suas loco esse, voce lamentabili Patres appellarunt, seque paratos esse dixerunt jurare quicquid Sorbona præscriberet. Responsum est, non esse rem illis integram: quia per æquivocandi artem id 1612. adepti sunt, ne fides ipsis haberi posset. Multa omitto, ut veniam ad judicium, quod statim redditum est in hanc sententiam. Jussi sunt Jesuïtæ afferre ad Senatum subscriptionem à Generali suo factam super his quatuor capitibus.

I. Concilium esse supra Papam.

II. Papam in temporalibus nullum jus habere in Reges, neque posse Regem Galliæ excommunicare.

III. Regem in suo Regno summum jus obtinere etiam in Ecclesiasticos.

IV. Confessionem in periculo publico, aut aliàs magno esse detegendam.

Interim donec decreto paruerint, vetantur docere, sive privatim, sive publicè. Hæc summa rei; sed, mi Mortone, crede mihi παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὕτη. Nam tale quid fieri posse, ne illi quidem putabant, qui fecerunt. Interfuit judicio Princeps Condæus, duo Episcopi, & plures viri magni. Exeuntibus è Curia Senatoribus acclamatum est à populo, FACTUM BENE: sed non ibi sistendum esse, pestem illam è Gallia pellendam. Omen accipio, & ut ita sit, Deum oro. Audi & novum ab urbe Roma nuncium. Meministin' ejus libelli, quem legebat Regis Majestas, cùm vos me ad ipsum adduxistis? Liber erat furiosus furiosi hominis, (vel potius dæmonis) quo Genevæ sum familiariter usus. Ille Alastor se venturum in Angliam minabatur, populos in Regem concitaturum, ipsum serenissimum Regem (horresco referens!) suffocaturum. Credo metuere te ab isto novo Goliatho, & Pyrgopolynice. Desine timere. Suspensus est ante aliquot septimanas. Ubinam, inquies? Romæ. Cujus jussu, & qua de causa? Papæ jussu propter violatam Regum Majestatem. Neque potest dubitari appellatione Regum, intellectum esse Regem serenissimum Jacobum. Nam quem alium Regem læserat? Profectò nullum. Hoc quo animo fecerit Romanus Pontifex, non quæro; Dei Providentiam γονυπετήσας adoro. Romani verò ne propter hoc factum laudari possent, abundè caverunt, cùm Abbatem du Bois, Gallum, Jesuïtarum hostem, fraude acciverunt Lutetiæ Romam, & statim Inquisitioni tradiderunt. Miser per duos dies μαστιγωθεὶς tertio ante diluculum suspensus est. Venio ὕστερον πρότερον ad tua xenia; pro quibus eò impensius gratias tibi ago, quò minus suppetit nunc ἀντίδωρον, quod remittam. Quanquam si delectaris scriptiunculis nostris, brevi novum, σὺν Θεῷ, librum videbis contra emissarios quosdam Jesuïtas, qui Epistolam ad Frontonem indignis modis

1612. dis acceperunt. Est quidam Peleterius, homo imperitissimus, atheus, vappa, nebulo, qui aliquid publicavit. Rex ostendit mihi, & jussit respondere. Spero eam opellam tibi fore non ingratam. Id erit levidense ἀντίδωρον pro tuis muneribus, pro quibus ut serio tibi gratias agam uxor rogavit. Illa si satis valuisset, Epistolæ tuæ respondisset pari fortasse dicendi copiâ. Habe, quæso, illam excusatam, & nos ama, qui te ex animo & amamus, & colimus. Vale. *Londini, altero die novi anni*, CIƆ IƆ CXII. quem ego atque uxor tibi optamus felicissimum, & post hunc multos alios.

Richardum Baddeleium tuum ut hic salutem & valere jubeam, permittes, credo, mihi. Iterum vale, Vir præstantissime. Festinationi, quæso te, ignosce.

EPISTOLA MLI.

✠ RICHARDO MONTACUTO, EPISCOPO BATHONIENSI ET WELLENSI.

Reverendissime Domine,

1612. SCripserunt ad me Parisienses amici, Jesuitas pusillum libellum adversus Epistolam ad Frontonem typis vulgasse; verùm publicâ auctoritate statim damnatum, & repressum fuisse illorum conatum; adeò ut extinctus ille liber fuerit, antequam planè natus. Ego per amicos exemplar aliquod laboro consequi: ignarus enim quid illi blateraverint, quid ipse respondeam ignoro. Calumnia è privatâ ad Frontonem Epistola, quâ editionem excusabam, ita putida est & absurda, ut optem id potissimùm mihi objici. Parata responsio est, quæ imperitiam, malignitatem, & scelestum animum auctorum luculentè demonstrat. Sed fortasse nihil ea de re liber Jesuitarum habet. Jam quod ad Atheum Peleterium attinet, qui falsa de Loiolitis dicit me scripsisse, oro Reverentiam tuam, ut significet serenissimo Regi, brevi me, favente Deo, Majestati ipsius scriptum aliquod esse ostensurum, quod spero ipsi fore non ingratum. Ego enim spreto illo nebulone, terræ filio, & Atheo, *selegi è meis adversus Cardinalem Baronium Animadversionibus*, *quæ faciant ad propositam quæstionem de Papæ temporali potestate*, *& pestilentis doctrinæ immanitatem perspicuè ostendi*; atque Hildebrandum perniciosi dogmatis auctorem primum novo penicillo & coloribus verè suis depinxi. Nam quia hunc nobis hodie Pontificem præcipuè commendant parricidialis doctrinæ Magistri, volui excutere hominem, & sine verborum 1612. asperitate, ingenium Satanicum illius oculis Lectorum exhibere spectandum. Spero omnes Pontificios, qui factionis Jesuiticæ non fuerint, avidè eum librum lecturos. Accedet Præfatio ad serenissimum Regem, quâ felicitas Majestatis ipsius, & Ecclesiæ Anglicanæ fusè explicabitur. Ostendemus frustra libertates Ecclesiæ somniare, qui de veritate cœlestis doctrinæ nolunt cogitare. In his nunc sumus, & dies noctesque exercet nos hæc cura. Spero id fore *Specimen Animadversionum nostrarum* in Baronium, maximo Regi non ingratum; neque longo tempore opus est, ut aliquid descriptum Majestati ipsius mittatur. Interim quæ accepi nova de Sole, tibi mitto, ut si videbitur, Domino illa ostendas. Vides Astrologiæ fundamenta convelli, & ad novam doctrinam de corporibus cœlestibus novum iter muniri. Nescio etiam intellexerit necne ipsius Majestas metamorphosin nuper factam in Marta, Doctore Canonico. Hic enim parùm benignè acceptus à Papa, Romam reliquit, Patavium se contulit, & Juris Canonici professionem ibi suscepit; habens in animo recantare multa eorum, quæ Papomania illi expresserat. Scripsit hoc ad me Senator Venetus, qui etiam de suppliciis Rebulii apostatæ, & malè consulti Abbatis du Bois totam tragœdiam narrat; quam puto ipsius Majestati esse pridem compertam. Veneror supplex Deum immortalem, ut serenissimum Regem servet fortunetque, & quicquid ipsi charum. Vale, & vive felix, Præsul reverendissime, & me ama. *Londini*, *a. d.* XII. *Kalend. Februar.* CIƆ IƆ CXII.

EPISTOLA MLII.

PETRO BERTIO. ✠

BInis tuarum, Vir eruditissime, re- 1612. sponsum debeo. Priores ante menses, opinor, ipsos tres accepi. Posteriores ante dies duntaxat quatuor. Utrique Epistolæ tuæ fuerunt adjectæ etiam Doctoris Vorstii literæ. Non miror mirari te, quòd neque tuis, neque Vorstianis ullum adhuc responsum dederim. Paucis igitur silentii mei caussam accipe. Jussus fueram à serenissimo sapientissimoque Magnæ Britanniæ Rege, postquam illi priores Vorstii ostendissem, utrique vestrûm respondere, & ad servandam in Ecclesia Dei concordiam, privatasque opiniones missas faciendas, seriò vos hortari. Huic jussioni priusquam possem parere quotidia-

1612. dianis curis admodum occupatus, allata eſt ad regiam Majeſtatem Domini Vorſtii noviſſima Apologia. Qua in ſcriptione quum nihil quicquam remittat Auctor, ſeque paratum oſtendat omnia defendere, quæ ſereniſſimus Rex cum Eccleſia Anglicana, in diſputationibus ipſius ſupra natura Dei, ut nova καὶ οὐχ ὑγιαίνοντα vehementiſſimè dudum damnavit, ſcribendi labore, niſi vellem ἀδυνάτοις ἐπιχειρεῖν, duxi ſuperſedendum, & ſeriò cavendum ne iſtis contentionibus ullo pacto me immiſcerem. Nunc verò à vobis iterum provocatus, continere me non potui, quin dolorem meum vobis aperirem longè maximum, quem res veſtræ mihi afferunt. Atque utinam, eruditiſſime Vir, neque tu, neque Dominus Vorſtius in eas anguſtias vos conjeciſſetis, in quibus vos nunc eſſe, Epiſtolæ veſtræ queruntur. Sed quantum ſit periculum novas opiniones in doctrina fidei comminiſci, latere vos, eximiæ doctrinæ viros, non poteſt. Tum autem illa, quam uterque defenditis, libertas prophetandi, niſi certis finibus coërceatur, non libertas, piorum & prudentum judicio dicenda; ſed dira licentia, & certiſſima Eccleſiæ Chriſti pernicies. Solvendæ nimirum unitati illius & concordiæ ne cogitari quidem aptius aut efficacius quicquam poſſe veſtrâ illâ libertate, omnes, credo, intelligunt. Jam quum ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubjicere ſe jubeantur, negant prudentes ſatis conſultò à vobis factum, quod proprias opiniones veſtras de rebus tantis publicaveritis, prius quàm Collegis veſtris, Eccleſiarum Reformatarum Paſtoribus, & Doctoribus ſententias veſtras approbaſſetis. Sciebat ſanè Dominus Vorſtius κακοφωνίας magnæ auctorem ſe futurum, cùm illa ſua de natura Dei edebat in vulgus. Te quoque, Vir doctiſſime, ratio fugit, cùm exiſtimaſti in ea, quam defendis, ſententia Eccleſiam Anglicanam tecum facere. Expertus es quàm vehementer & ſereniſſimus Rex librum à te editum improbet, & illuſtriſſimus quoque Præſul, Dominus Archiepiſcopus Cantuarienſis. Regem ego, poſtquam fuere mihi ultimæ tuæ redditæ, non vidi, ab urbe nunc abſentem, nec menſe hoc toto rediturum. Dominum Archiepiſcopum tuâ gratiâ inviſi, & quas ipſi ſcripſeras, tradidi. Nolo falſâ ſpe te lactare, aut rei veritatem diſſimulare. Tuli reſponſum à graviſſimo quidem, ſed & humaniſſimo Præſule, non quale ipſe forſan ſperabas. Literas enim ſe tuas parum morari dixit, quamdiu eam tuereris ſententiam, quæ à doctrina Reformatarum Eccleſiarum 1612. abhorrens, ἑτεροδιδασκαλίας & privatarum opinionum ſtudioſiorem eſſe te, quàm unitatis & concordiæ argueret. Ac tuas quidem ad ſe literas ejus Reverentia accepit & legit. Sed quas ad ſereniſſimum Regem ſcripſeras, non exiſtimavit ejus Majeſtati eſſe mittendas; ſibi enim ſenſus intimos Regis eſſe notos; neque dubitare, quin à tuarum lectione ipſius Majeſtas etiam alienior à te & commotior eſſet diſceſſurus. Recepi igitur, mi Berti, quam Regi miſeras Epiſtolam, & de benevolentia Majeſtatis ipſius tibi conciliandâ ſi cogitas, aliam ſcito viam eſſe tibi ingrediendam, alia conſilia ſuſcipienda. Piiſſimo enim Regi, & vero Chriſtianæ fidei Defenſori ſtat ſententia, omnibus ſe fortiter opponere, qui pacem Eccleſiæ turbare, & novis opinionibus magis magiſque illam in dies ſcindere fuerint aggreſſi. Tu itaque, Vir eruditiſſime, ſi meo uti conſilio velis, paci Eccleſiæ & quieti tuæ poſthàc conſules, & de rebus tanti momenti nihil ſeorſim ab aliis ſenties, nihil certè docebis, unde ſcandalum Eccleſiæ, tibi periculum poſſit creari. Oro venerorque Deum immortalem, ut diſſidentia Eccleſiæ membra perducere ad concordiam velit, mentemque tuam, ſtudia & conatus omnes ad eundem ſcopum dirigere ut ſemper dignetur. Vale. *Londini, a. d.* VIII. *Kalend. Februar.* CIↃ IↃ CXII.

Epistola MLIII.

EIDEM. 

SCripſi nuper ad te, Vir eruditiſſime, & tuis poſterioribus ſimul ac 1612. prioribus reſpondi. Hortatus ſum prudentiam tuam, ut tibi ſimul & quieti Eccleſiarum veſtrarum conſuleres. Ac quoniam ita viſum erat Domino Archiepiſcopo, Præſuli illuſtriſſimo, tuam ad Regem ſereniſſimum Epiſtolam tibi remiſi. Poſteà oblata mihi eſt occaſio apud Majeſtatem Regis de te agendi, & cum aliquot hujus Regni viris primariis, doctrinâ & pietate inſignibus. Animadverto & ſapientiſſimum Regem, & omnes, quos dixi, ita de te cenſere, ut doleant tuam cauſſam à Vorſtiana non eſſe ſejunctam. Nam Dominum Vorſtium de natura Dei ea ſcripſiſſe & tueri omnes autumant, quæ ſine ſumma impietate defendi nequeant. Te idem ſentire ſcripta non oſtendunt tua, & Rex optimus atque omnes boni optant. Omnium igitur vox eſt, debere te à deplorata cauſſa

 tuam

1612. tuam sejungere, & ad publicam tranquillitatem tua consilia referre. Alta prorsus & ardua quæstio est, quæ isthìc tantâ contentione agitatur de Prædestinatione divina. Nùm tu putas debere te ad arcana illa cum periculo tuo, & proximi scandalo penetrare? Scis *ἀγάπην καὶ τὴν σύμπνοιαν* esse *τῶν ὁλοκαυτωμάτων τὸ μέγιστον.* Quod si ostenderis rationem te publicæ concordiæ majorem habere, quàm privatæ existimationis tuæ, atque in eam sententiam ad serenissimum Regem literas dederis; spondeo tibi me illas Majestati ipsius oblaturum, & ipsius gratiam tibi pro mea virili conciliaturum. Hoc volui te non ignorare. Deum supplex veneror, ut & tibi & Domino Vorstio, & omnibus bonis recta consilia suggerat. Vale. *Londini, a. d.* XIV. *Kalend. Mart.* stylo veteri, CIϽ IϽCXII.

Epistola MLIV.

✠ ἸΣΑΆΚΙΟΣ Ὁ ΚΑΣΑΥΒΌΝΙΟΣ ἈΝΔΡΈᾼ ΔΟΥΝΑΊῼ,

τὴν ἀληθινὴν παιδείαν ἄκρῳ, χαίρειν ἐν Κυρίῳ.

1612. ΠΕρὶ τῆς προτέρας σου ἐπιστολῆς, ὦ θαυμάσιε, παῦε τοῦ λοιποῦ ἀμφίβολος ὢν πότερον διαπέπτωκεν ἢ διεκομίσθη· διεκομίσθη γάρ· καὶ αὐτῇ ἐγὼ ἡδόμενος πάνυ καὶ γεγηθὼς ἐνέτυχον. Τὸ γὰρ ὑγιαίνοντά σε καὶ περὶ τοὺς λόγους, τὰ σὰ παιδικὰ συνεχῶς διατρίβοντα ἐμοῦ μνημονεύειν, χαρᾶς ἐμοὶ οὐ τῆς τυχούσης, ναὶ μὰ τὸν, ὑπόθεσις ἐγένετο. Σὺ μέντοι ἐξ ὑπονοίας τοπάσας, ὡς ἡ δευτέρα σου ἐπιστολὴ ἐδήλωσεν, ὀλωλέναι τὰ πρότερά σου γράμματα· οὐ πάντως, οὐ τὰν ἥμβροτες· ἀλλά τι καὶ τῆς ἀληθείας ἔτυχεν ἡ σὴ μαντεία. Συνέβη γὰρ ἀλαστορᾷ τινὶ τύχῃ, ἐμοῦ τὴν παρὰ σου μέλιτος Ἀττικοῦ γέμουσαν ἐπιστολὴν κομισαμένου, μετ' ὀλίγον αὐτὴν, οὐκ οἶδ' ὅπως ἀφανῆ γενέσθαι, καὶ τελέως ἀπόλλυσθαι· ὥστε ζητοῦντά με πολλὰς ἡμέρας, καὶ πάσας τοῦ μουσείου, μᾶλλον δὲ ὅλης τῆς οἰκίας διφῶντα τὰς γωνίας, καὶ τοὺς τῶν ἐμῶν χαρτῶν γυργάθους πάντας ἐρευνῶντα, μάτην μέχρι τοῦδε πονοῦσαι, τὸ ἀπολωλὸς, καὶ οὕτω φιλοτίμως ζητούμενον, εὑρίσκειν μὴ δυνάμενον. Καί ἐστι μὲν καὶ τοῦτο ἓν τῶν ἐμποδισάντων ἕως τῆς σήμερον, προϋπάρξαντά σε τῆς φιλίας ἀμείβεσθαι· ὅπερ τὴν σὴν λαβὼν διενοούμην ἢ τάχους ποιῆσαι. Εἰ δὲ παρὰ τοῦτο μόνον τῆς ἐμῆς προθυμίας ἡ ὁρμὴ ἐνεποδίσθη, οὐκ ἂν συνέβη ἐμὲ ὑστερήμερον, καὶ ἐκπρόθεσμον τοῦ ὀφλήματος γενόμενον ὑπὸ τῆς σῆς σεμνοπρεπείας διὰ δευτέρας γραφῆς τὴν ἀμοιβὴν εἰσπράττεσθαι. Ἀλλ' ἴσθι, φίλτατε Δουναῖε, τοσοῦτο ἡμᾶς διαφόρων φροντίδων πρὸς ἑαυτὰς τὴν ἡμετέραν ψυχὴν ἀνθελκουσῶν βάρος καλωμαδὸν ἀραμένους φέρειν, ἐν τοσαύτῃ τι ἀσχολίᾳ τὸν παλαίτερον τοῦτον διεξάγειν βίον· ὥστε εἰ καὶ πῃ φωραθείημεν τοὺς τῆς 1612.
φιλίας νόμους μὴ ἀκριβῶς ἐκ ποτὲ φυλάττοντες παρὰ τοῖς εὐγνωμόνως κρίνουσιν ἐλεεῖσθαι δικαίους εἶναι μᾶλλον ἢ πικρῶς κατηγορεῖσθαι. Ἐπεὶ σχολῆς γε παρούσης, περὶ πλείστου ἐποιησάμην ἂν, καὶ αὐτὸ παντὸς ἐσπουδασα διὰ γραμμάτων σοί τι καὶ ἄλλοις καλοῖς κἀγαθοῖς τῆς ὑμετέρας Καντάβριγίας ἀνδράσι συμφιλοσοφεῖν. Εἰδὼς γὰρ ὑμᾶς καὶ τῆς Ἑλληνικῆς, καὶ πάσης τῆς ἐγκυκλίου παιδείας εἰς ἄκρον ἐληλακότας περὶ τῶν μυστικῶν Μουσῶν ἐραστὴς ὢν ἡδέως ἂν ὑμῖν ἐκοινωσάμην. Νυνὶ δὲ, ὢ τῆς εἰς τὸ χεῖρον μεταβολῆς! ὢ τῆς ἐμῆς δυσκληρίας! ἀντὶ τῶν σοφῶν ἐκείνων καὶ μεγάλων φωστήρων (τοὺς πάλαι ξυγγραφεῖς λέγω) οἷς ἐγώ ποτε συζῶν νύκτας τε καὶ ἡμέρας τῶν χοϊκῶν καὶ ἐπιγείων καταφρονῶν, καὶ τὴν τῆς ψυχῆς διάθεσιν ἵλεων καὶ ἀκύμαντον τηρῶν, ἐμαυτὸν ἐμακάριζον· ἀνθρώποις ποτὲ καὶ τὴν γλῶτταν καὶ τὸν νοῦν βαρβάροις συνεζεύχθην· παρ' ὧν ἀγαθὸν τὸ παράπαν μηδὲν οἷός τε ἂν μαθεῖν, τῆς καταπτύστου ξυνουσίας (λεγέσθω γὰρ οὕτως ἡ ἐπίμονος διατριβὴ ἐν τοῖς ὑπ' αὐτῶν γεγραμμένοις) τοῦτο μόνον ὁ τάλας ἐγὼ ἀπολαύω, τὸ χρόνιον μεταξὺ βαρβάρων ξυγγραφέων ὄντα, καὶ αὐτὸν ἐκβαρβαροῦσθαι· τῆς πρὶν παιδείας (εἰ δέ τις πρότερον ἡμᾶς ἐκόσμει παιδεία) κατὰ μικρὸν ἀπορρεούσης τῆς μνήμης, καὶ ἐξίτηλου γιγνομένης. Ἐῶ τὰ νῦν κακὸν ἄλλο εἰς ὑπερβολὴν μέγα καὶ τελέως ἄτλητον, τὴν τῆς ἐμῆς βιβλιοθήκης στέρησιν· ἧς ἐγὼ τὸ τρίτον ἴσως μέρος ἀπολαβὼν, πόθῳ καὶ ἱμέρῳ τῶν λειπῶν οἰκτρότατα τήκομαι. Καὶ τὰ μὲν ἡμέτερα, ὦ φιλότης, τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον. Ἥσθην δὲ τῇ συγκυρίᾳ τῶν ἡμετέρων νοῶν περὶ ἧς γέγραφας. Ἤδη μὲν παρά τινος ἦν ἀκηκοὼς ποιήματα ἄττα ποιῆσαί σε κατὰ τῶν καταράτων ἐκείνων καὶ θεοστυγῶν προδοτῶν, ὧν τὸ ἄγος ἐν τῇ πρὸς Φρόντωνα παραινέσει ἐπιτραγῳδήσαμεν· τὸ μέν τοι κομψὸν ἐπίγραμμα τὸ σὸν ἐν ᾧ ἡ παμμιαρὰ αὐτῶν βουλὴ τῇ μανίᾳ τοῦ αὐτοκράτορος Καΐου παραβλήθη, οὐκ ἀνεγνώκειν πρὸ τοῦ ὑπό σου πεμφθῆναι· ἐγὼ δὲ τῶν τοιουτοτρόπων ξυγκυριῶν πολλάκις λαβὼν πεῖραν, οὐ πάνυ τι τὸ συμβὰν ἐθαύμασα. Σὺ δὲ, ὦ πολυμαθέστατε Δουναῖε, μέχρι πότε τοὺς φιλομαθεῖς τῶν ἀνδρῶν ἀδικήσεις, τὰ καλά σου σπουδάσματα ἐν παραβύστῳ κατέχων, καὶ τῆς ἐκεῖθεν ὠφελείας ἡμᾶς ἀποστερῶν; τί μέλλεις; τί ὀκνεῖς; τίνα ἔχεις κἂν ψυχρὰν γοῦν προφασίζεσθαι πρόφασιν; Οὐ γὰρ τοῦτό γε ἐρεῖς, ὅτι οὐδεὶς σου παρὰ τοῖς σοῖς πολίταις λόγος. Εἰσὶ γὰρ, εἰσὶ πλεῖστοι ὅσοι, οὐ τῶν μετρίως πεπαιδευμένων, ἀλλὰ τῶν παντοίῃ παιδείᾳ, πρὸς δὲ καὶ ἀρχαιότητι διαπρεπόντων, Δουναῖον τ' ἄλλα μὲν ἐγκωμιαστοί. Οἷα δὲ τῶν ἑαυτοῦ ἀμελοῦντι, καὶ τὰ ἑαυτῷ ἐνόντα καλὰ μὴ ξυνιέντι, δυσαρεστήσαντος ἐστὶν ὅτι δίκην αὐτῷ ἐπάγοντες. Ἴσθι δὴ, ὦ λῷστε, γνῶθι σεαυτόν· καὶ δυνάμενος μέγα ὄφελος εἶναι τοῖς παιδείας ὀρεγομένοις, μεταδιδοὺς αὐτοῖς τὰ σοὶ ἐκπονηθέντα, τῶν σῶν μὴ φθόνει. Δοίη σοι ὁ μέγας Θεὸς καὶ τὸ βούλεσθαι, καὶ τὸ δύνασθαι μετὰ πάσης ῥαστώνης καὶ εὐημερίας. Ἐρρωμένος,

καὶ

1612. καὶ εὐδαίμων διαβιῴης, αἰδεσιμώτατε Δυναῖε. Ἐν Λονδίνῳ, μηνὸς Μαρτίου φθίνοντος τῇ ἑβδόμῃ, ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ ἀϊδίου καὶ πρὸ αἰώνων ΛΟΓΟΥ, αχιβ.

EPISTOLA MLV.



N. N.

Reverendissime Præsul,

1612. COgit me institutum opus à moribus meis discedere, & hunc quasi supplicem libellum ad tuam Reverentiam mittere; ut serenissimi Regis Majestati me & Baronii nomine eum, si placet, offeras. Scis magnum inter nos esse certamen, cujus videre exitum, & ego discupio, & Baronii manes, opinor, non nolunt. Est verò hoc certamen iniquâ prorsus conditione susceptum. Baronio enim olim in arenam descendenti omnia abundè arma & subsidia suppetebant ei caussæ, quam suscipiebat defendendam, propugnaturo necessaria: ego penè nudus, præter vigilias præteritas meas, & animi alacritatem incredibilem ad prælium nihil affero. Itaque animum planè dudum despondissem, & demissis auriculis, ut iniquæ sortis asellus, dedissem me in pedes; nisi cogitarem, ejus Imperatoris auspiciis certamen esse me aggressurum, qui & scit quibus ad hoc duellum armis opus habeam, quia Princeps est doctissimus; & ea arma potest mihi suppeditare facilè, quia est Rex maximus & potentissimus. Non hic meum ullum privatum commodum agitur; caussa Dei agitur, caussa veritatis; quæ patronum & defensorem unicum nacta serenissimum Regem, ut meos conatus in nobili incœpto ejus Majestas dignetur adjuvare, mecum ab illo petit. Tu quoque, reverendissime Præsul, caussam meam adjuva, & quod nuper inchoaveras negotium perfice: mihi certò constitutum est, cum bono Deo, aut maturè γνωσιμαχεῖν, aut rem strenuè conficere & prostatum adversarium, ac telis veritatis confossum, adigere ut herbam porrigat. Duo sunt in summa, quæ à Regis Majestate supplex humillimè postulo; ut ad suam Bibliothecam per Patricium Junium mihi patere velit aditum; & ut Bilium jubeat libros, quos petiero, subministrare. Deus immortalis serenissimum sapientissimumque Regem, veræ fidei unicum Defensorem, regat protegatque, & quicquid illi charum; qui etiam te servet, reverendissime Domine. Vale, & meæ ignosce audaciæ è cupiditate profectæ, quâ totus ardeo perficiendi operis inchoati. *Londini, a. d. v. Id. Jun.* CIↃ 1612. IↃ CXII.

Tuæ Reverentiæ observantissimus,
IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA MLVI.

N. N.



Illustrissime Domine.

DAbit mihi, spero, hanc veniam 1612.
tua Reverentia, ut in sinum tuum meam querelam effundere liceat. Eleganter olim Gregorius Nazianzenus dixit, φάρμακον ἄλγεος ἐστὶ καὶ ἧλιξ μῦθον ἐνισπεῖν. Ego verò non aëri dolorem meum narrabo; sed ei viro, quem scio & re & consilio posse me adjuvare. Novit igitur tua illustris Dignitas, vexari hîc me à nonnullis, indignis modis. Non die, non nocte domi meæ tutus sum: lapidibus enim subinde fenestræ impetuntur; & magno cum periculo meo & meorum vitra ferè quotidie franguntur. Nondum, beneficio Dei, vulnus ullum memorabile quisquam meorum accepit; sæpe tamen & uxor & liberi in periculo sunt versati. Heri adeò multa vitra sunt effracta, & dum cœnaretur, magni lapides in fenestras conjecti sunt. Equidem injuriæ auctores planè ignoro; odium tamen & malum animum certorum hominum cùm in me, tùm in liberis meis non semel sum expertus. Miror sanè ea me pati inter ejusdem Religionis homines, quæ à Pontificiis nunquam sum passus. Vixi Lutetiæ annos duodecim, modò Franciscanis vicinus, modò aliis infensissimis Reformationis hostibus, quum ego & mei quotidie conciones nostras adiremus, domi altâ voce Psalmos cantaremus, quædam etiam conciones palam in mea domo sunt habitæ; quia tamen erat multis notum, Regem mihi favere, nemo unquam repertus est, qui vel verbo, vel facto, aut me, aut meorum quemquam læderet. Londini ego vulnus grave semel accepi, cùm in Aulam irem; mei liberi sæpe pulsati; probra sæpe in nos conjecta; postremò lapidibus quotidie ferè incessimur. Quid hoc rei sit, nescio. Si meum nomen Anglis invisum est, securitati meæ & meorum ut consulam æquum fuerit. Noluì hanc meam querelam ad serenissimum Regem prius deferre, quàm illam tecum, illustrissime Domine, communicassem. Siquid igitur remedii potest afferri, peto obnixè ab illustri Reverentia tua, ut aliqua mei ratio habeatur. Non possum dissimulare, nonnihil

1612. nihil ista alacritatem illam imminuere, quam ad urgendum pensum & dies & noctes adhibeo. Deus Opt. Max. te servet, illustrissime Domine, & mihi amorem tuum. *Londini, a. d.* XVIII. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CXII.

Epistola MLVII.

✠ JACOBO I. Magnæ Britanniæ, Scotiæ, &c. Regi.

Serenissime, potentissime Rex,

1612. Cogitaveram preces humillimas tuæ Majestati offerre, petieramque ea super re consilium à Domino Bathoniensi, ut si ille mihi fundus & auctor esset, peterem supplex à Majestate tua, ut filiolum, quo nuper sum auctus, gloriosissimi sui nominis honore, pro sua inexhausta benignitate decorare dignaretur. Didici verò hodie ex Epistola reverendissimi Episcopi, tuam Majestatem ubi primùm de meo consilio nimis fortasse temerario, ipsi fuit cognitum, non expectatâ petitione & precibus, ultrò statim vota mea antevertisse, & immensâ quadam bonitate, quod petiturus fui, prius quàm peterem, mihi esse largitum. Mutasti igitur, clementissime Domine, Epistolæ hujus argumentum: preces cogitaveram; gratiarum actione est opus. Eram anxius, ne tuam Majestatem ausu non excusabili offenderem; nunc anxius sum, quia verba non reperio, quibus grates tibi, Rex Regum clementissime, agam quas debeo, & quantas debeó. Nunc sentio infantiam meam. Quas tamen possum, & quantas possum maximas, Domine, Majestati tuæ ago gratias; pedibusque tuis advolutus supplex veniam peto ausûs temerarii. Erit apud nunc homines & post futuros gloriæ tuæ pars non pœnitenda, quòd ne tenuissimis quidem tuorum subditorum indulgentia tua fuit præclusa. Sic Deus immortalis magnis & parvis sua beneficia communicat, & sui solis radiis pauperes divites pariter illustrat. Ego verò quò indulgentius tua Majestas me habet, eò diligentius contendendum mihi esse intelligo, ut id strenuè agam, quod jussus sum agere; ut meum humillimum obsequium & submississimam devotionem ac fidem sinceram Domino heroque meo approbem. Oro venerorque τὸν μονογενῆ τοῦ Θεοῦ υἱὸν καὶ μόνον Σωτῆρα ἸΗΣΟΥΝ, ut Majestatem tuam, potentissime Rex, & quicquid ipsi charum servet, & omni genere suarum maximarum benedictionum cumulet in dies magis magisque. *Londini, die* XV. 1612. *Octob.* CIↃ IↃ CXII.

Tuæ Majestatis humillimus Servus & subditus totâ voluntate,

IS. CASAUBONUS.

Epistola MLVIII.

DOMINICO MOLINO. ✠

Diu est, præstantissime Moline, cùm 1612. in ære tuo sum: debeo enim adhuc tibi responsum ad postremas, quas à te accepi; & gratiarum actionem pro adjuncto illis tuis literis libello de Epistolis Ecclesiasticis. Caussa cessationis meæ principio fuit leviculus morbus, qui me paucos dies à studiis avocavit. Deinde secuta alia impedimenta; quorum longè maximum fuit mors maximi Principis, filii natu majoris serenissimi Regis. Is casus inopinatus quantum bonis omnibus mœroris attulerit, non est quod pluribus verbis aggrediar tibi exponere. Nam ne tu quidem, opinor, amplissime Moline, ejus Principis ad omnia magna nati, si ita Deo visum fuisset, admirandam indolem ignorabas. Certabant in illo corporis & animi dotes. Nemo illius vultum seriò contemplatus est, qui ingens aliquid sibi de eo non sponderet: studia omnia tanto Principe digna, supra annos compositi mores, & singularis erga Deum pietas. Itaque desiderium sui tantum reliquit, ut nihil suprà. Ego post illum casum ægrè animum recepi. Ut ad munus tuum redeam, ago tibi eo nomine gratias immortales. Legi cum voluptate eum libellum, qui ante plures annos, cùm Gregorii Nysseni Epistolam Græcam à me versam notis illustrarem, videor ostendisse id argumentum etiam accuratius posse tractari. Ego multa expecto præclara ex illo Collegio Ambrosiano. Tantùm doleo hodiernam doctrinam de Papæ Monarchia impedire viros doctos, quò minus sincerè Antiquitates Ecclesiasticas nobis proponant: quod etiam Auctori ejus libelli accidit. Sed hæc tibi non sunt ignota. Opus nostrum, beneficio Dei, crescit quotidie: sed procul tamen absumus à meta. Vale, Vir amplissime, & vive felix quàm diutissimè. Venerando viro, Patri Paulo, nisi grave est, multam à me salutem. Scripsi ad illum statim post acceptas ejus novissimas. *Londini, exeunte Novembri*, CIↃ IↃ CXII.

Epistola

Epistola MLIX.

✠ RICHARDO MONTACUTO, Episcopo Bathoniensi et Wellensi.

1612. NOn patiar, ut querelam meam ex aliis potius quàm ex me cognoscas. Bonorum virorum est, candidè inter se agere; maximè autem illorum, qui veritatis cœlestis patrocinium adversus seculi hujus imposturas susceperunt. Ego, Vir doctissime, cùm relictâ patriâ, in qua regnat superstitio, huc veni, Commentarium Polybianum habui præ manibus, accuratissimâ diligentiâ, & novo exemplo, (absit verbo invidia) à me congestum; sed nondum digestum. Speravi bene me de literis severioribus meriturum editione Observationum mearum, quas indefesso studio confeceram. Sed quum animadvertissem ea studia minus hîc florere, & cognovissem, serenissimum sapientissimumque Regem, Regum ἐπιστήμονα, studiis illis totum se dedere, quæ ad pietatem conducunt; mutatâ velificatione morem gerere Domini & heri mei voluntati decrevi. Placuit maximo Regi, ut ego in confutandis Baronii Annalibus operam ponerem; quam operam exegerunt à me jam à multis annis utriusque partis viri boni in patria. Quia sic placebat magno Mæcenati meo, ad opus me accinxi ante aliquot menses. Jam, beneficio Dei immortalis, pars Refutationis I. Tomi non pœnitenda est confecta & descripta. Jam paginæ 390. sunt paratæ, quarum partem maximam illustrissimus Præsul, Dominus Cantuariensis, legit. Propositum meum est, quod nemo amicorum ignorat, primum Tomum ita accuratè refellere, ut ex ea scriptione possit conjectura fieri de cæteris. Nihil igitur prætermissum est à me, quod jure possit reprehendi, quantum quidem in hac tenuitate ingenii possum deprehendere. Multi jam sunt menses, ex quo absolvi in Prolegomena Baroniana, vanissimam operis totius partem, ἔλεγχον capitum XXXI. quæ, & plura multò, ut jam dixi, legit illustrissimus Dominus Archiepiscopus. Dum ego in eo sum, ut pergam in suscepto opere, ecce adfertur mihi Indiculus, capita continens libri à te huc missi, ut typis exprimatur. Eum Indicem dum legere incipio, venio in eam sententiam, ut existimem aliquem studiosum confecisse argumenta mearum disputationum: atque ita statim dixi illi, qui attulerat; seriò confirmans eum esse Indicem capitum libro meo comprehensorum; donec ab eo admonitus, ut pergerem porro, vidi esse quidem idem argumentum, sed ab alio tractatum, qui antevertere editionem meam, & plagii notam mihi voluit inurere. Erat in ima cera nomen tuum appositum; quod ut legi, miratus sum potuisse tibi hujus consilii in mentem venire. Non enim ignotum est tibi, id me nunc magni Regis jussu agere. Cur igitur in alienam messem immittis falcem? An existimasti me illa non esse animadversurum? Si ita credidisti, frustra fuisti. Quantum ex Indiculo tuo potui cognoscere, nihil quicquam habes, quod me fugerit. Ego, nisi fallor, non pauca, quorum in tuo breviario nulla habetur mentio. Quod nolim in eam partem accipias, quasi ego plus mihi tribuam, quàm tibi. Absit, οὐχ οὕτω πέφυκα. Sed nolo te fugiat, diu esse, cùm hoc opus cœpi meditari. Itaque priora mea studia illi proposito mirificè nunc inserviunt. Scio quantâ præstes eruditione, quo ingenii acumine excellas. Sed vix concedam tibi, plura tibi errata Baronii esse animadversa quàm mihi. Stupenda autem hæc συγκυρία meæ scriptionis & tuæ; nam argumenta à te conscripta, paucis immutatis meis disputationibus optimè conveniunt. Series capitum eadem ferè; loca Auctorum eadem; enumeratio Præsidum Syriæ an sit eadem, nescio; certè propositum est idem. Disputationes pro Josepho eædem. Quid plura commemorem? hoc fortasse intererit, quòd tractatio erit diversa, & nos alia non pauca inserimus. Hoc quo acciderit casu nescio. Nunc ipse judica, quantam ego de te querendi occasionem habeam; qui tanto studio videris id unum quæsiisse, ut vel tua descripsisse judicer, vel actum agere. Certè imposuisti mihi necessitatem querendi de hac injuria, & apud Regem, & publicè, cùm mea edentur, si illum diem videre Deus dederit. Pontificii verò quàm suaviter ridebunt, cùm hanc οὐκ ἀγαθὴν ἔριν inter nos animadvertent? Si quia peregrinus sum, propterea contemptu me habuisti, at Regem cogitares, cujus expresso jussu hæc opera mihi suscepta. Ego, Dei gratiâ, possum redire in patriam, & injuriam mihi factam seriò tecum expostulare publicis scriptis. Fecisti enim erga me, quod erga te facturus non fui; qui nunc etiam paratus sum, si ita Regi placuerit, impositâ provinciâ cedere, & aliud curare. Hoc volui nescius ne esses. Vale. *Londini, die* XIV. *Decemb.* CIↃ IↃ CXII.

1612.

ISAACI CASAUBONI EPISTOLÆ SINE DIE ET CONSULE.

EPISTOLA MLX.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

FElicitatem itineris mei Lugdunum usque ex iis jam intellexisti, Præses amplissime, quas Lugduno discedens exaravi, ut ad te mitterentur. Pari felicitate & reliquum iter, virtute Dei Opt. Max. confectum, nisi quod viæ longitudo & propter spurcissimas tempestates difficultas equorum nostrorum vireis tandem exhausit, & quamvis generosos propemodum ἀπειπεῖν ad Nemausum coëgit. Nam quæ mihi Lugduni ostensa fuerat navis spes, postmodum decollavit. Eò factum, ut paullò serius domum ad meos pervenirem: perveni tamen, Θεοῦ διδόντος, & salvos valenteisque omnes offendi. Optabam ὡς οἷόν τε μάλιστα cum libris in gratiam quàm primùm redire; sed prius quàm me illis totum dedo, Præsidem à Fraxinis invisere necesse habui. Dies minimùm decem id officium studiis nostris eripiet. Post illa animus est in museum nos abdere, & tantam jacturam temporis, si potest, diligentiâ sarcire. Literas intereà tuas, Vir doctissime, avidus exspecto, quæ me docebunt in posterum quid opus facto. Inveni totâ urbe sparsos rumores ante meum adventum de mea isthuc migratione. Igitur ut in quemque incidi, queri alius & mecum expostulare, quòd se desererem; gratulari alius, quòd eò tandem locorum venturus essem, ubi nostræ literæ non ignorarentur. Ego si maturè illa fiant, que tute scis fieri debere priusquam hinc abeo, constitui sine ulla mora itineri me accingere cum uxore & grandioribus liberis, & necessaria librorum supellectile. Stimulat me dies noctesque desiderium ingens publicandi, quæ in Athenæum & alios Scriptores pridem scripsimus. Omnino inter istos probos quidem & mei amantes; sed prorsus, si paucos excipias, ἀμούσους diutius vivere instar mortis est. Sed hæc illius curæ lubens meritò permitto, qui solus novit quid nobis sit εὐκτὸν, quid ἀπευκτόν. Is te, Vir maxime, cum nobilissima conjuge, & salvum incolumemque diu præstet, & omni bonorum genere magis magisque cumulet. Vale, & me constanter ama.

EPISTOLA MLXI.

JANO ANTONIO SARACENO.

ACcipe à me & uxore mea, Vir clarissime, & amicorum optime, munus tenue, &, quod ajunt, levidense; sed quod volumus esse pignus aliquod animi grati adversum te, & acceptorum à te beneficiorum memoris: tibi enim, secundum Deum, mea, uxoris, & liberorum charissimorum salus à nobis accepta fertur. Sic igitur leviculum hoc δῶρον accipies, ut sis persuasus æternùm tibi omnes nos fore devinctos. Vellem minus negotii tibi nostra facesseret domus; sed ut me affectum video, brevi tuâ mihi ope opus erit: non ob præsentem, Dei beneficio, valetudinem; sed ob imminentis metum, cujus nomen dicere non audeo *. Malo autem τῇ προφυλακτικῇ medicinâ uti quàm τῇ θεραπευτικῇ· neque unquam parcam tuâ operâ uti. Ea enim amoris tui in me & meos fiducia. Vale, amicorum optime.

* Scilicet, pestem.

EPISTOLA MLXII.

JACOBO AUGUSTO THUANO.

AMplissime Præses, cogitavi hodie paullò attentius, ecquid reperiri aliquis posset Augustorum, cujus ortu gloriari patria nostra jure posset. De ea re hæc veniebant nobis in mentem. *Claudius* Imperator Lugduni natus; sed non tamen Gallus. *Pius* in Italia quidem natus, & ipse, & pater, & fortasse etiam avus. Nam disertè Victor: Vir veterrimæ familiæ à Lanuvino municipio. Fuisse tamen illi paternum genus

genus è Gallia Transalpina, Nemausense scilicet, affirmat seriò Capitolinus, ut jure possit hic dici oriundus è Gallia; etsi natus in Italia. Nam Hadrianus [quidam ajunt & Trajanum] Romæ natus est; quem tamen Hispani consentientibus omnibus Scriptoribus sibi vindicant. E liberis Constantini Magni fuit unus patri ὁμώνυμος, quem nomen Cæsareum patre auctore saltem delibasse constat. Iste autem natus oppido Arelatensi, ait Victor. Carus Cæsarum nec postremus, nec pessimus: Narbone natum idem Aurelius scribit; etsi aliter Vopiscus. *Avitum* quoque, hominem Gallum, Sidonii Apollinaris socerum, in Imperatorem fuisse levatum, [ut fuit mos & locutio seculi,] notum est. Atque hic inter legitimos Imperatores Occidentis censetur ab omnibus; sed Romæ natum scribunt nonnulli. De Maximo, qui hunc præcessit, & Majoriano, qui successit, aliàs viderimus. Omitto tyrannos Gallos, qui fuere plures: καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Ἔῤῥωσο, σεβασμιωτάτη κεφαλή.

EPISTOLA MLXIII.

JANO ANTONIO SARACENO.

SErione dicebas modo, Vir doctissime, tibi probari, ut nugarum nostrarum, quas in multos multorum Autorum locos sumus commentati, editionem quàm primùm publici juris faceremus? Equidem etsi meam non ignoro ἀδυναμίαν, tamen qui tuorum morum simplicitatem nôrim, ex animo loqui te mihi persuadeo. Ut igitur consilio tuo tutius uti possim, age, si non est molestum, hos mihi nunc Plauti, aliàs aliorum, si pateris Auctorum locos vide; & quid tui judicii sit super eorum emendationibus meis, fac me obsecro ut sciam. Primus erit ille, de quo verba tibi feci: *Rudente*, Scenâ *, *Nunquam æd.*

* Act. V. sc. 2. v. 39.

LA. *Dabo septingentos.* GA. *Os calet tibi, nunc git frigidefactas?*

Putabam esse proverbium, de eo qui inanem operam sumeret: *Os calet tibi, tu nunc git frigidefactas.* Itaque sublatâ interrogationis notâ, *git* Ablativi esse casus arbitrabar: nunc nihil pronuntio, & tuum judicium exspecto. *Bacchidibus*, Scenâ †, *Quis sonitu:* locus hic sic legitur:

† Act. V. sc. 2. v. 10.

BA. *Vetulæ sunt, thymianæ.*

Loquuntur ibi scorta duo de duobus senibus, qui ad ludum meretricium tum primùm accedebant. Eos vocarunt *oves* paullò antè: nunc ait altera ex illis, pergens senes illudere, oves illas *vetulas* esse; & *thymianas.* Verùm hæc postrema vox, quæso te, ῥῆμα ne tibi videtur esse, an θαῦμα? mihi quidem monstrum tantum, ut tota Africa nullum putem reperiri posse majus. Quid de eo censuerint tria illa lumina, Turnebus, Lambinus, Camerarius, si lubet scire, in Commentariis Lambini reperies. Ego locum ita censeo emendandum: *Vetulæ sunt & minæ.* Vel potius: *Vetulæ sunt, luscæ, minæ.* Eleganter enim Plautus, cùm vellet senes vituperare, quos vocaverat oves, ita de illis loquitur tanquam de ovibus. Solebant autem Latini inter non sanas oves ponere, *luscas*, *surdas*, *minas*, hoc est, inquit Varro, de Re rustica, libro II. cap. II. *quæ ventre glabro essent.* Fecit igitur primùm ignoratio vocis *minæ*, ut locus elegantissimus corrumperetur; posteà auctum mendum; quod si nos sustulimus, factum benè. *Mercatore*, Scenâ ‡, *Miserior.*

‡ Act. IV. sc. 3. v. 20.

Quia illa mulier intus est. LY. *Vidistine eam?*

Tàm certum mihi legendum esse: *Cuja illa mulier intus?* quàm mirum, tot doctissimos viros id nequisse videre. *Cuja*, vox antiqua. Plautus ipse clamat ita se scripsisse: sequenti enim versu ait.

LY. *Cuja ea sit rogitas?*

nempe respiciens ad ea verba, quæ emendamus. Eâdem fabulâ, Scenâ ⊥, *Jam redeo.*

⊥ Act. V. sc. 4. v. 24.

Itidem ut tempus, anni, ætatem aliam aliud factum convenit.

In puerili mendo erravit Lambinus, & cum eo alii. Legendum: *ut tempus anni*, sine ὑποστιγμῇ. Sensus est: Sicut aliud anni tempus, aliud factum decet; ita aliam ætatem: supple, aliud factum decet. *Tempus anni* Græcorum est, ὥρα ἔτους, apud Ciceronem, Varronem, Plinium. *Pseudolo*, Scenâ *, *Si de damnosis.*

* Act. I. sc. 5. v. 89.

Quid nunc agetis? nam hinc quidem à me non potest
Auferri argentum.

Laborat metri modulus: tollenda sanè glossa. Leg. *nam hinc quidem jam non potest:* Ad illud *hinc*, glossa asscripta fuerat *à me*; quæ tollatur necesse est, si metrum salvum volumus. *Mostellariâ*, Scenâ †, *Melius anno.*

† Act. I. sc. 2. v. 1.

Melius anno hoc mihi non fuit domi,
Nec quando esca una bene meruerit magis,

 Nec

Nec metrum, nec sententia sana. Lego: *Nec quando esca una bene me juverit magis. Juvare esca*, dicitur Plauto, quæ grata est; & contrà, quæ ingrata, *non juvare*: ut Captivis, *Neque unquam quicquam me juvat, quod edo domi.* Hoc dixit Aristophanes, τοῖς σιτίοις ὐδεμίαν χάριν οἶδ' ἐσθίων. *Trinummo*, Scenâ *, *Larem corona*; sic distinguendus versus in editis libris pessimè conceptus. CA. *Nemo est.* ME. *Quid igitur me rogitas, tene objurgitem?* Sic eâdem fabulâ graviter fallitur Lambinus, Scenâ †, *Minus quindecim.* Non adverterat hunc versum ita distinguendum esse: LE. *Consuadet homini, credo: etsi scelestus est, At mihi infidelis non est.* Loquitur dominus de suo servo, quem ait scelestum quidem esse, sed sibi tamen esse fidelem. *Truculento*, Scenâ ‡, *Lepidè efficiam*; ita leguntur hi versus in omnibus editis:

* Act. I. sc. 2. v. 32.

† Act. II. sc. 4. v. 126.

‡ Act. IV. sc. 2. v. 57.

Sed quid hoc est? pro Di immortales!
Calliclem video senem,
Alteram tonstricem hujus, alteram ancillam suam, meus
Qui affinis fuit, ancillas duas constrictas ducere.

Atque ita eos suo ordini esse restituendos, affirmare ausim:

Sed quid hoc est? pro Di immortales:
Calliclem video senem, meus
Qui affinis fuit, ancillas duas constrictas ducere,
Alteram tonstricem, &c.

Ibidem paucis antè versibus ⊥ sic scriptum est:

⊥ Vers. 51.

Nihili me! perdidi omne quod fuit: fio impudens;
Nec mihi adest ad illum pensi jam quos capiam calceos.

Locus sanè obscurus. Interpretes autem nihil planè non ἀπροσδιονυσα. Liceat mihi quoque aleam jacere. Loquitur adolescens, qui pauper factus, videt se ad pravas pauperum artes esse redactum. Ita enim ferè comparatum est, ut multos paupertas adigat ad improba facinora. Ideò ait, fieri se impudentem: tum subjicit: *Nec mihi ad.* Puto autem esse proverbium ex veteri more exponendum: tanta enim fuit Veteribus elegantiæ cura, ut si quem viderent publicè ambulare, parum decenter vestitum, aut calceatum, eum pro insano aut stulto riderent. Et Theophrastus quodam loco testatur, summæ rusticitati habitum calceos, qui pedi non convenirent gestare: & Aristophanes idem testatur in *Equitibus*, itemque Horatius. His positis lego ex ipsis editæ lectionis vestigiis:

Nec mihi adest ad tantillum pensi jam quos capiam calceos.

Quasi dicat, pudere amisi, & omne illud pristinum meum honestatis ac decoris studium. Eâdem fabulâ, sequenti Scenâ, sub finem *:

* Vers. 60.

DI. *Scio equidem, quæ nolo: multa mihi audienda obnoxia.*

Lego:

Scio equidem, quæ nolo multa audienda ob noxiam.

Noxia, est τὸ ἁμάρτημα. Qui peccavit autem, multa illi necessario audienda, quæ nollet. Scenâ ultimâ †.

† Vers. 10.

Puero opus est cibum, opus est matri autem, quæ puerum lavit.

Leviter emendo: *P. opus est c. opus est matri: ei item, quæ p. l.* Pueros recens natos lavabant: non poterat autem profectò mater recenti partu id præstare: quod & πασίδηλον est, & confirmat idem in Amphytrione:

Postquam peperit pueros, lavare jussit nos.

Sed tempus est, ut cum veteri Comico dicamus πύξ, & manum de tabula tandem tollamus. Ac vereor ne tibi nimium molesti simus: verùm tute tibi imputa, qui semper visus es nugis nostris delectari nonnihil. Simul illud cogita, cùm à te discessimus, neminem admodum nobis adesse, quem de his queamus consulere: magno sene excepto, quicum libenter de his, quando illi otium est, solemus confabulari, ejusque judicium exquirere: ut nunc tuum exquirimus, si tantum tibi aliquando ab re tua otii fuerit, ut ista perlegere velis. Vale. Raptim.

EPISTOLA MLXIV.

JOANNI VASSANIO, ET FRATRI EJUS.

NOn me, sed vicem meam Isaacum Chabanæum, fratris meæ filium, adolescentem mihi charissimum habetis, ô fratrum par eruditissimorum. Quid caussæ sit, cur isthuc non venerim, sicut initio decreveram, ex eodem quàm ex literis meis malo vos cognoscere: quin etiam de rebus meis ac studiis si quid averis scire, omnia significabit ubertim, qui has vobis reddet. Spero fore, ut vel meâ caussâ ipsum diligatis, gnarum quanti vos faciam, & quantum vos ipse amem. An acceperitis

ritis quas Lutetiâ ad vos dedi, nondum ex vestris cognovi. Illud cum voluptate non mediocri sensi, vigere in animis vestris nostri memoriam, quam servate, & de meo erga vos affectu securi omnia à me exigite officia, quibus præstandis parem me esse judicaveritis. Eusebium & τρισμεγίστα Scaligeri, credo, vidistis: ego pridem vidi, & ita sum admiratus, ut nihil simile putem me legisse. Deus Opt. Max. illum Heroëm quàm diutissimè nobis & Reipublicæ literarum præstet incolumem. Idem & vos servet, Viri amicissimi. Valete.

EPISTOLA MLXV.

JOANNI A' WITTEN.

*** Πυρσείαν & φρυκτωρίαν Græci vocant rationem significandi per faces è specula sublatas. Eâ usi sunt Veteres plurimùm, in bellis præsertim. Occasio enim cùm in omni vita plurimùm potest, tùm in bello maximè. Igitur ne perirent occasiones rei bene gerendæ, πυρσείαν excogitarunt Antiqui, & speculas in altis quibusque montibus eo fine ædificarunt, quarum adhuc in montibus Helvetiis nonnullas licet observare. Πυρσείας antiquissima & simplicissima ratio fuit, ut sublatis facibus daretur ejus rei signum, de qua convenerat. Non enim aliud poterant initio significare, quàm id, de quo initio convenisset inter dantem signum & observantem. Posteà excogitatæ sunt aliæ rationes solertiores atque adeò mirabiles. Nam quasi literas calamo scriberent, quidvis per faces significabant. Autores hujus inventi commemorat Polybius libro x. ubi etiam rationes eorum explicantur. Sed non probat Polybius omni ex parte, quod ante ipsius tempora aliis fuerat eo in genere inventum. Itaque vir ingeniosus hanc novam πυρσείας rationem excogitavit. Qui facibus uti volent in speculis ad signum dandum cujuscunque rei, quam significari aliis erit necesse, habeto in suis speculis quisque literas descriptas in quinque tabellis hoc modo:

Lorica appensa tabellis.

a	f	l	q	x
b	g	m	r	y
c	h	n	ſ	z
d	i	o	t	
e	k	p	v	

Tabella hæc debet statui in speculæ lorica tam ejus, qui dat signum, quàm ejus, qui accepturus est: atque hoc inprimis videndum est, ut speculæ sibi ex adverso quàm optimè respondeant. Præterea qui faces observat, jubetur à Polybio dioptram habere, id est, mathematici instrumenti genus, quo oculorum acies missa per canalem tutius dirigitur ad metam propositam. Hujus præcipuus usus est, ut qui observat signum, dignoscat probè, ab utro angulo, dextro an sinistro, loricæ oppositæ literarum signum detur. Nunc explicemus modum. Fingamus in aliqua urbe proditos esse à præsidii sui parte. Id ut procul significent, ita faciendum. Scribendum igitur quàm brevissimè id fieri, quod velis, puta:

Centum milites defecerunt.

Vel,

Proditionem quidam moliuntur.

Ante omnia, qui parat dare signum, eum qui accepturus est, attendere sibi faciet, facibus toties sublatis, donec alter signum dederit suæ attentionis. Id signum est facium ex adverso elatio. Postquam attendere cœpit, qui signum exspectat, indicanda est illi tabula, in qua prima litera est ejus, quod indicaturus est, puta C, quod est in prima tabula; vel P, quod est in tabula tertia. Ergo accedes ad loricæ angulum sinistrum, & ut C designes, semel ab loricæ læva parte facem tolles; ut P, ter facem movebis super loricam elatam. Sic de cæteris. Qui signum aucupatur, indicatam sibi tabellam adnotat, ut mox monstratam in ea literam quærat. Tertiò superest, ut litera quærenda in tabella significetur. Qui dat signum, venit ad loricæ dextrum angulum, & quota est litera indicanda in sua tabella, tot facit πυρσείας, sive facis elevationes, puta ut C indicet tres, ut P quinque. Qui excipit signum datum, facilè intelligit, quæ litera sibi indicetur, eamque diligenter annotat,

scribitque in tabula parata in eum usum. Atque simili modo itur ad omnes literas, donec omnibus indicatis reperiatur scriptum in tabella excipientis id, quod ab initio erat propositum. Hæc Polybiana ratio est, melior sanè inventis aliorum; quæ tamen valde sunt elegantia. Ea ad Polybium nos ante multos annos exposuimus, & quæ ibi sunt mirè involuta & depravata, evolvimus. Si Deo Opt. Max. sic olim videbitur, ut eum eximium Scriptorem edamus, habebis à me, Vir nobilissime & amicissime, meæ in te fidei & amoris testimonium.

Epistola MLXVI.

PHILIPPO CANAIO A FRAXINIS.

* Videtur referenda ad an. 1597. mens. Mart. vel April. Vide Epist. 117. 118. b

NImia * miseria est, Vir amplissime, pulchrum esse aut videri: (nam hominibus φιλοκάλοις est quando τὰ μὴ καλά, καλὰ πέφανται.) Mihi adeò misero esse usuvenit, non quòd sim, sed quòd multorum judicio pulcher tibi videar. Equidem non ita sum aut vanus aut levis, aut utrumque, ut si quid Sabini de nobis somnient, id ὕπαρ existere putem, non ὄναρ. Itaque facilè fuisset hominum fabulas contemnere & rumusculis vulgi hominum, qui me gratiâ pollere apud te θαυμάσιον ὅσον jactitant, ἀντίβιον πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι, nisi jam aliquoties verum essem expertus Ascræi Senis oraculum, negantis φήμην illam posse emori, quam πολλοὶ λαοὶ φημίζωσι. Quorsum hæc? dices. Nempe ut à te impetrem, ne me impudentiæ arcessas, quod toties συστατικαῖς meis te interpellem. Fateor abuti me patientiâ tuâ & benignitate erga me. Sed per ego te Deum τὸν ὄντως φίλιον oro, obsecro, miserare sortem potius meam, quàm ut indigneris. Fit ad nos concursus ab omnibus propemodum, quibus isthic quid negotii est. Omnes συστατικὰς postulant vel flagitant potius; nemo illud adjicit: Si salvo pudore tuo licet; si hoc tibi grave non est futurum. Omnes τὴν ἀπὸ Σκυθῶν ῥῆσιν in ore aut pectore habent; aut fac, aut cur non velis facere, causam dic. Quid igitur hic faciam? Equidem quod unum possum, id faciam; scribam nempe: tu quod tuum erit, id facies, & insigni aliquâ in nos contumeliâ homines errore, me labore liberabis. Satis præfati sumus. Vir nobilis de la Valette commendatus mihi à Ranchino, cui quantum debeam, non nescis, tibi à me caussam suam voluit commendari. Puto me jam exhausisse, si quid gratiâ apud te aliquando valui prioribus ejusdem argumenti literis: si quid tamen superest, id omne velim ad hujus caussam conferas. Vale, & diu cum nobilissima conjuge liberisque suavissimis vive quàm felicissimus. Scripsi raptim, eâdem die & horâ, quâ illas, quæ D. de Fresac erant tradendæ.

Epistola MLXVII.

PHINEES HOTSONI.

Vir ornatissime,

MAgnum adjecisti cumulum prioribus tuis in me officiis, cùm sine mora vices meas apud illustrissimum Comitem, D. Dumbar obiisti. Verè affirmo tibi, non prius gratum penitùs mihi cœpisse esse illius πρωαλφίστατον munus, quàm hoc necessario officio, operâ tuâ, sum defunctus. Nunc fruar tanti Heroïs liberalitate, professus animum verè ipsi devotum, verè gratum. Tibi verò, ornatissime Doctor, quas acturus sim gratias nescio; qui quidem omnium verè bonorum, quæ mihi Regia Majestas contulit, extitisti conciliator. Non possum homo peregrinus tibi ullâ re esse utilis: dabo tamen operam, ut à suspicione animi ingrati me liberem, Θεὸν διδόντος, qui te servet, & nostros εὐεργέτας. Vale. *Londini.*

Epistola MLXVIII.

SUFFRIDO CALIGNONI.

Amplissime Vir,

QUàm magis cogito, tàm magis miror, quid hominum acutissimum impulerit, ut locum illum Nehemiæ adeò παρὰ καιρὸν tractandum susciperet. Artis, quam optimè callet, præceptum, opinor, est, quæ caussæ noceant, cautè ea dissimulanda. Cur ille suis adversariis ultrò tela suggerit? Negamus enim nos ullum esse locum in universo Sacrorum Librorum corpore, quicum magis ἐκ διαμέτρου Romanæ Ecclesiæ instituta pugnent, quàm cum isto. Quippe totius illius versus hæc sententia est: summo studio id egisse sapientissimum Esdram, ut Dei populus in Dei Lege quàm diligentissimè instituerctur, &, ita dicam, nutriretur. *Instituti sunt*, inquit Nehemias, *qui assiduè legerent in Lege Dei*, & quidem מפרש, hoc est, non ut fit hodie in Romana Ecclesia, peregrinâ linguâ, & populo incognitâ; sed eo sermone, qui tum Judæis in usu. Gens illa redux è Captivitate, veteris sermonis Hebraici oblita, Chaldaicæ linguæ longo annorum

rum septuaginta servitio assueverat. Ideò ut verba Legis caperent, opus erat Interprete. Ergo adhibitus ab Esdra Interpres, qui recitata verba Hebraicè ἀρξὰ πόδας verteret Chaldaicè. An & hoc nostrum esse interpretamentum dicet? At illi os Rabbini omnes obstruent, qui vocem מפרש de Chaldaica interpretatione constanter accipiunt universi. Disertè Schelomoh Jarchi: שהיו מתרגמין לעם דברי תורה. *Erant*, inquit, *qui populo*, *sive in gratiam populi verterent Chaldaicè* (id enim est תרגם) *verba Legis*. Hæc ille quidem ad superiorem versum notat. Sed ad vocem פרשם pertinere eam interpretationem, è Talmud certum & Rabbinis aliis. In tractatu Talmudico de Votis, sive נדרים cap. IV. ubi diligenter hic locus explicatur, scriptum sic: תרגום זה מפרש. Voce Mephorasch intelligitur Targum, sive, ut jam dixi, versio Chaldaica. Eadem verba apud Eliam Levitam, & apud alios. Neque ullum potest dubium esse, quin hæc vera sit mens. Nam adhuc in Judæorum Synagogis manet mos ab Esdra institutus, ut ejusdem periochæ lectio fiat duplex: Hebraicè primùm, deinde Chaldaicè; quod nos Francofurdi ante aliquot annos vidimus diligenter observatum. Atque hinc est, quòd Dominus noster verba Davidis moriens non Hebraicè, sed Chaldaicè recitat. Censen', amplissime Vir, Esdræ hoc institutum seriò iis probari, qui pro liturgia peregrini idiomatis tantâ animorum obstinatione pugnant? Sed veniamus ad acutissimi Præsulis censuram. Clamat enim ille facinus indignum admisisse nostros, qui sequentia verba, מקרא ניבינו verterint: *& exposuerunt per Scripturam*. Hanc ille interpretationem, ut novam, exagitat; & ut absurdam exsibilat. Novam sanè esse fatemur & nos, qui scimus Hebræorum Magistros cùm in Talmud, tùm alibi aliter longè hæc verba accepisse. Absurdam tamen esse pernegamus. Cedo enim istam absurditatem! quæ si ulla est, aut in re erit, aut in verbo. In re nullam esse, vel Episcopi silentium arguat; non tacituri, si quid habuisset quod verissimæ huic sententiæ opponeret. Quoties clamant Græci Latinique Patres, optimam esse hanc interpretandæ Scripturæ viam? Omnis igitur nostrorum culpa in malè accepto verbo erit. Ergo etiam unum hoc illis objicitur, quod מקרא vocem perperam de Sacra Scriptura acceperint. Quid levius hac objectione? quid facilius ad refutandum? Nam si hoc satis est damnandæ nostrorum interpretationi, quid de ea sentiendum, quam affert? Proferat, si potest, vir argutus, alium locum, ubi מקרא significet τὴν ἀνάγνωσιν· nos afferemus, ubi Scripturam Sacram. Cùm igitur nec hoc, neque illo sensu alibi usurpata in Biblico contextu dictio מקרא reperiatur, quæ invidia est, eam potissimùm vocis hujus notionem huic loco aptasse, quæ in criticis Hebræorum libris ab Esdra primo auctore profectis, vulgatissima est? Quod autem adjicitur *Micra* appellatione non Pentateuchum, sed cæteros solùm Bibliorum libros intelligi, scio ita Munsterum & vulgus etiam Rabbinorum docere. Cæterùm ad manus sunt nobis doctorum è Rabbinis testimonia, ubi מקרא liquidò sit ספר תורה, hoc est, *Liber Legis*. Sed nimium te diu teneo. Vale, Vir amplissime, & me constanter ama æternùm tuum.

EPISTOLA MLXIX.

EIDEM.

CUm domum reversus Epistolam, de qua egisti mecum, quæsissem omni diligentiâ, nec reperissem; tamen placuit priorem saltem mittere, ut memorem agnosceres. Posteriore quid fecerim, nescio; nollem sanè periisse: est enim insignis, propter ingenuitatem: nam quo loco Sacras Literas habeat, clarè ostendit. Quæram amplius, & faxo videas. Vale, & me ama, qui sum futurus æternùm tui observantissimus.

EPISTOLA MLXX.

GASPARI LAURENTIO.

QUantum mihi voluptatis tuæ literæ attulerunt, amicissime Laurenti, non aggrediar verbis tibi significare: neque enim si vel maximè vellem, possem tamen. Dicam verò, quod res est. Cùm enim ærumnas prope intolerabiles veteris amici * ἀποστασία tam insignis nobis attulerit, par prope gaudium ex eo percepimus, quòd data esset facultas declarandi animi mei, & constantiæ in purioris Religionis professione. Etenim cùm tantopere viderem laborantes τὰς ἐξ ἐναντίας, ut falsos de nobis rumores totâ Europâ (vide hominum stultitiam, & vanitatem ride) disseminarent; non erat committendum, ut plus illis fuisse animi in tuitione falsarum opinionum, quàm nobis in confessione verissimæ veritatis posset cuiquam videri. Miram sanè hominum (si homines sunt

* Philippi Canai à Fraxinis, Colomesi.

ſunt appellandi monſtra ex mendaciis conflata) impudentiam! Quid enim fuit, unde hoc ſibi de nobis perſuaderent? Proferant dictum aut factum meum; & culpæ illos abſolvam. * *

Epistola MLXXI.

JACOBO GILLOTTO.

Ampliſſime Vir,

Riſi ſatis cùm illam Diſputationem legerem, quam hodie miſiſti, profectam ex eorum ſchola, qui multorum judicio hodie ἀεὶ πίπτουσι, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι. Quis tam ἀγέλαστος, quem non πλατὺν γελᾶν γέλωτα cogat genus Auctorum, qui ad illuſtrationem rituum Hebraicorum laudantur? Cajetanus, Toſtatus, Oleaſter. Scilicet Judæorum Magiſtros ad diſcendas res Romanas adhibebimus, quando in eorum partes iſti invaſerunt. Non pudet iſtos in hac literarum luce ſuperiorum ſeculorum tenebras probare & mordicùs retinere. Quiſquis ille fuit, qui id ſcriptum compoſuit, melioris eruditionis ne ſenſum quidem ullum habuit. Sed quis ille eſt, obſecro, qui Hebraica illa deſcripſit? Næ bonus vir ille in Scaligeri ſcriptis parùm verſatus fuit. Miratus ſum hominem illum auſum eſſe ſincerum vas incruſtare, & alia pro aliis ſcribere, ſupplere quædam, de nonnullis ſuam ſententiam proferre, cùm intereà Hebraiſmum vix ἄκροις τοῖς χείλεσι deguſtarit; quod palam facit mirabilis conſtantia in vitioſa ſcriptura. Sed nec Latina, unde ipſe deſcripſiſti, ſatis erant emendata. Itaque multum ſudaveramus in corrigendis mendis, priuſquam ἀντίγραφον viri ter maximi videremus. Beaſti verò nos, cùm id communicaſti. Ago tibi eo nomine πλείστας ἴσας, atque adeò immortales gratias. Vale, & me ama, qui te æternùm colam.

Epistola MLXXII.

CAROLO LABBÆO.

Diu ſileo, eruditiſſime Labbæe, & longum gratiſſimis Epiſtolis, quas à vobis accepi, reſponſum debeo. Nolite tamen, per τὸν φίλιον Θεὸν vos oro, in animum inducere, quaſi parum gratæ veſtræ literæ mihi accidant. Illæ verò & fuerunt hactenùs, & porrò ſemper erunt jucundiſſimæ; amo enim vos, ut ille ait, ἐξ ἀτρεκέος νόου, & amari viciſſim à vobis, hac ſpe, hac eruditione, hac denique probitate juvenibus, magni facio: ſed me tot quotidie moleſtiſſimæ curæ obruunt, ut velim nolim ὑπερήμερος eſſe in reſpondendo cogar. Accedit valetudo pariter infirma & nutans; cujus utriuſque incommodi teſtis mihi eruditiſſimus, & noſtrûm utriuſque amantiſſimus Puteanus. Quamobrem longiore excuſatione uti ſuperſedebo. Nam quòd noviſſimâ Epiſtolâ viſus es tu, Carole προσφιλέστατε, quòd prioribus tuis non reſpondiſſem, eo nomine mecum expoſtulare; nondum, credo, acceperas, quas ad te poſtremum ſcripſi; omnibus enim veſtris reſpondi. Si quid tamen fuerit, quod velis à me ſcire, ἐξαύδα μὴ κεῦθε νόῳ· dabo enim operam, ut petitioni tuæ fiat ſtatim ſatis. Illud, credo, non expectatis, ut quicquid penes me fuerit ſtudiis veſtris conducibile, vobis offeram. Quod & feci anteà ſæpe, & nunc quoque θυμῷ προφρονεστάτῳ. De Gloſſariis videte, ut fidem impleatis quàm primùm. In Regis Bibliotheca inveni adhuc nihil huic incepto admodum conveniens: ſi quid poſthàc invenero, enitar ut vobis fiat ejus copia. Vale, chariſſime Labbæe, & ampliſſimo parenti multam à me ſalutem. *Lutetiæ Pariſiorum.*

Epistola MLXXIII.

EIDEM.

Serius opinione meâ & voluntate ad reſpondendum literis tuis, eruditiſſime Labbæe, me accinxi: erat enim conſilium non antè calamo manum admovere, quàm eſſem otii pluſculum nactus, ut ad omnia Epiſtolæ tuæ capita poſſem κατὰ λεπτὸν reſpondere, & videbar conſecutus, quod volebam: ſed me ſtylum in manus ſumentem multæ & diverſæ curæ interpellarunt, ut coactus ſim etiam nunc comperendinatione uti, & diem diffindere. Habe intereà ſchedium hoc οἷον ἀρραβῶνά τινα τῆς μελλούσης ἐπιστολῆς, quæ poſtulatis omnibus tuis accuratè ſatisfaciet. Mitto, quem petiiſti, magni Thuani libellum, miſſurus & alia omnia, quæ petieras, ſint modò in mea aut alicujus meorum poteſtate. Cùm in omnibus vitæ partibus, tùm in ſtudiis locum habere debet vetus illud, κοινὰ τὰ τῶν φίλων. De tuo munere, quod ego quamvis magnum exiſtimo, immortales gratias. Non poteras alio genere nos magis tibi devincire: diu enim eſt, cùm eum librum avidiſſimè quærebam. Πάλιν οὖν καὶ πάλιν αὖ ἀποκείσθω σοι χάρις. Ampliſſimum parentem, & eruditiſſimum fratrem tuos Deus Opt. Max. unà tecum, chariſſime Labbæe, εἰς πολλοὺς πολλῶν ἐτῶν κύκλους ſervet. *Lutetiæ Pariſiorum.*

EPISTOLA MLXXIV.

EIDEM.

Vir amicissime,

VIx est, ut ad magnum amicum possim hodie literas dare; sum enim occupatissimus. Non videbor tacuisse, si tu scribas. Quod ut facias oro, & me ut excuses; qui procul dubio aut hac ipsâ die sub vesperam aut crastinâ officio defungar. Velim sic stylum temperes, ut edendi pulcherrimi opusculi neque spem affirmes nimis in præsens, neque præcidas in posterum. Opto enim rem prius sciat confectam, quàm conficiendam. Nunc quæ sint tempora vides; & quàm sit ἀδύνατον aliquid in eo genere efficere; nam etiam tuum illum Typographum suas operas dimisisse, mihi confirmatum. Hodie à quodam accepi admodum publicam luem ingravescere, de quo si quid certi habes, velim significes. Vale, & me ama. Uxor te salutat.

Tuus non dicis gratiâ, sed medullitùs,

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA MLXXV.

EIDEM.

DE Heinsii funebri Oratione multum te amo; nam & verbis tuis incensus, & commendatione τ͂ μακαρίτε desiderium illius ferre non poteram. De eo scripto plura proximè, cùm unà erimus. Hincmarum vidi, & statim in illum locum, quem notaveras, oculos conjici. Vix versum unum legeram, cùm occurrit falsum ingens, quando ait: *Osium Hispanum nomine Sylvestri, Pontificis Romani, præfuisse Synodo magnæ Nicænæ.* Scimus hoc quoque & alios scripsisse, sed falsò, & planè ἀνιστορήτως. Illud verò suave, ut rectè est à te animadversum, quòd potestati Romani Pontificis firmandæ putat sufficere ipsorum Romanorum Pontificum Decreta. O verè plumbeum pugionem! Et Arsenius & Temporarius operam suam prolixè offerunt, si quid in Belgiis curare velimus. Verùm de his στόμα πρὸς στόμα melius. Percurram illum librum, & tibi reddam. Ad illustrissimum Scaligerum nihil eorum, quæ describis, velim mitti prius, quàm unà contulerimus; teque, ne inscio me, quicquam mittas, oro. Vale, & me ama, qui te ἐξ ἀρχαίας νόυ.

EPISTOLA MLXXVI.

EIDEM.

PEr mihi gratum fuit, quòd viam ostendisti ad Thomsonem literas mittendi. Scripsi igitur, etsi raptim & variè impeditus. De Lexico Photii non dubito ipsum excusationem meam accepturum. Nam quia semel is liber in manus meas venit, danda opera est, ut aliquid inde addiscam. Quod adhuc non feci, brevi faciam, σὺν τῷ Θεῷ, & vel tibi tradam, vel rectà ad illum mittam. Vale, Vir doctissime.

EPISTOLA MLXXVII.

EIDEM.

DOmum reversus è librariorum officinis, tuas reperi, & in iis illud εὐαγγέλιον planè gratum, de confecto libello, quem Scaligero Magno missuri sumus. Beasti me illo nuntio. Quando voles veni, & paratum me fore nullus dubita. De illis ἐν μέρει ἑορτῆς quomodo possim tibi satisfacere, qui librum ipsum non vidi, nisi furtim solutis foliis? nam culpâ amicorum quorundam puto illum mihi periisse. Sed hæc coram. Noli dubitare fidem servaturum, ubi librum recepero. Vale, meus amor; tuus κηρόθι μᾶλλον.

EPISTOLA MLXXVIII.

EIDEM.

CUm puer tuus ad me venit, plenum erat meum Musæum præstantissimis viris, inter quos fuit Præsidum Principis frater, item Ferrerius, quem apud me ante aliquot menses vidisti. Hoc propterea dico, ut excusatum me habeas, quòd non extemplò tuis responderim. Nunc quoque hæc tumultuariè scribo, priusquam consulere mihi memoriam meam licuerit, quæ sibi commissa non habet semper in numerato. De Encycliis non repetam, quæ probè tibi nota scio. Formabantur ab Epistolarum Magistris Epistolæ, quarum multa exempla huc illuc pro rei natura mittebantur: ea sunt, quæ ἴσα in Actis Conciliorum vocantur; & sæpe ἐν τοῖς πρακτικοῖς illa verba leges, à pari, hoc est, ἐξ ἴσε, vel ἐκ τῆ ἴσε· & ita capiendum in Epistolis Zosimi Papæ, atque aliorum. Porro cùm hæ formatæ in Acta referebantur, vel in scrinia Principis aut Episcopi, nullum nomen

ponebatur cujusquam, ad quem Epistola dirigeretur; sed loco nominis illius scribebant Græci, τῷ δεῖ ἢ τῷδε vel τῷ δεῖνι· quemadmodum habeo in Encyclia Gennadii; nam quin hoc voluerit Notarius, cujus manum expressisti, non dubito. Eadem verba etiam in aliis formulis nobis non semel observata. Sæpe tamen aliter videas in Actis, & apud Socratem atque alios, conceptos titulos Encycliarum, apposito nomine hujus aut illius Episcopi; quod eò accidit, quia Scriptoribus illis ea primùm exempla in manus venerant, quæ ad eos Episcopos fuerant missa. Sed hæc tu melius. Vale, & festinationi ignosce; sum enim occupatissimus. Si quid hoc tibi placet, velim utaris pro tuis; neque in re tam levi mei mentionem facias. Cùm voles, de hoc toto genere plura ostendam tibi in meis Adversariis, quæ inspiciendi nunc mihi facultas non est.

EPISTOLA MLXXIX.

EIDEM.

ACcepi, quos misisti libros; schedas, quas petis, nullas invenio, & miror quid illis sit factum. Libri *de Libertate Ecclesiastica* non sunt collecti, sed per folia sparsi. Itaque significa illis nostris amicis, daturum me ubi primùm fuerint in unum collecta folia. Si mihi fidem non habent, veniant ipsi & componant. Vale, amicissime Vir atque eruditissime. ὁ σὸς ἐὰν σῶς,

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA MLXXX.

EIDEM.

EGo verò dignissimam illam διάφοραν γραφὴν judico, quæ ad magnum Doctorem & dubiorum solutorem referatur. Est enim res admodum controversa, ubi prælium illud fuerit commissum. Zosimus ad Enesam, ni fallor, ait: NB. iste ἐν Ἴμμαις K. x. Ego non ambigo eruturum aliquid Scaligerum, quod aut verum sit, aut vero proximum. Quare beabis illum hac admonitione. Scimus in Ptolemæi Geographia non longè à Palmyra & Ina, & Imma legi; sed nisi fallor, neutrius loci situs huic historiæ satis convenit. Sed hæc ille διαιτητής. Epistolas quatuor mitto; quas ubi descripseris, velim quàm primùm remittas. Ad Bibliothecam si lubet à prandio ire, filius aut ἀδελφιδοῦς meus te comitabuntur. Mihi hodie non licet, qui inter spinas molestissimas versor, & eas difficultates, unde an valeam me extricare nondum scio, aut solvemus aut secabimus; nam dissimulare quidem inscitiam nostram nec solemus, nec possumus. Vale.

EPISTOLA MLXXXI.

EIDEM.

DE Notis Procopianis rectè consuluisti: δεῖ γὰρ τοὺς καλοὺς κἀγαθοὺς ἄνδρας ἑτοίμους εἶναι πρὸς τὴν μετάδοσιν τῶν τοιούτων. Ego fidem meam inconsultius obstrinxeram, fretus amicitiâ tuâ, & eorum exemplis, qui mittendis ad me hujusmodi subsidiis, petitionem meam anteverterunt, dabo operam, ne te pœniteat misisse. Locum Gregorii Nysseni quòd differam mittere, mirari non debes; sum enim ab occupationibus perditissimus, ut sæpe vix unam atque alteram horam studiis attribuam. Porro ejusmodi quæstio est, quæ otium & tempus desideret. Verba Authoris mitto, malè accepta in editione Latina; sed totus liber intelligendus, ad quæstionem illam capiendam. Scis nihil esse tam grave, quod tuâ causâ nolim suscipere. Verùm in hac re nihil esse video, quod urgeat. Qui offenduntur vocis *vidua* usurpatione, delicatuli sunt, neque eorum habenda ratio. Sciant illi, & *orbus* & *viduus* cum duplici casu efferri à Latinis; secundo, inquam, & sexto præter analogiam, de qua non dubitabit Latinitatis peritus. Constanter memini legere apud secundæ notæ (de primis non ausim affirmare) Authores ejusmodi locutiones, & nisi fallor vehementer, in libris vestris illam ipsam. Notæ ad amicum missæ casu nuper in meas manus recidere velut postliminio. Inveni enim inter adversaria mea, & legi cùm nec cogitarem quidem de illis quærendis. Nunc cùm seriò tuâ causâ quæro, invenire non possum; jacent enim alicubi inter rejiculas chartas. Simul invenero, seponam. Vale, αὐτοσχεδιαστί.

Gregorius Nyssenus in libello περὶ τῆς ἀναστάσεως, &c. edit. Latin. pag. 719. Præterea in exactioribus &c. hic locus planè ridiculè acceptus; qui ita habet in Græcis: Καὶ λίαν πρωὶ τῆς μιᾶς σαββάτων ἔρχονται ἐπὶ τὸ μνημεῖον εἰς τοὺς ἀκριβεστέρους τῶν σαββάτων· ἐμφέρεται δηλῶν ὡς πρὸς ταῖς ἤδη γεγενημέναις καὶ αὕτη τῶν γυναικῶν ἡ ἐπὶ τὸ μνῆμα ἄφιξις γένεται.

Confer & Latina, & videbis, quàm nihil intellexerit Interpres. Sed disceptandæ huic quæstioni, quæ omnia vetusta & recentia ingenia exercita habuit, σχολῆς δεῖ καὶ χρόνου.

EPISTOLA

Epistola MLXXXII.

EIDEM.

NEque te domi tuæ invenio, neque tu ad me venis. Credo occupationum tuarum magnitudine fieri, ut fructu jucundissimo consuetudinis tuæ tot jam annos, dies volui dicere, careamus. Nos autem proficiscimur, & biduo absuturi sumus à nostro Polybio, quem volui tibi commendare, si quid Morello nostro accideret, quod otium illi adimeret ad pauca folia emendanda. Laberii versus cum interpretatione Scaligeri edentur, nisi tu nolueris. Oro te des illos nostro Stephano *, quem moratur hoc unum. Vale, & me ama, qui te medullitùs, ὁ σὸς ἕως ἂν σῶς.

* Roberto Stephano, R. F. R. N.

Epistola MLXXXIII.

EIDEM.

VErum esse puto, quod illustrissimus vir scribit: Episcopum Arelatensem Metropolitanum non fuisse à principio; nam constat in assignandis sedibus habitam fuisse rationem civilis administrationis; cujus rei sexcentæ sunt ad manum probationes. Cùm igitur Viennæ dignitas quondam fuerit amplissima, eique Arelate fuerit subjectum, non dubito, quin etiam in rebus ecclesiasticis à principio Episcopus Arelatensis Viennensi Metropolitano pareret. Hoc confirmat etiam Decretum Concilii Taurinensis, Arcadii & Honorii temporibus factum, quæ exortâ controversiâ inter Viennensem & Arelatensem super Primatu, ita composita est, ut is foret primus, qui civitatem suam metropolim Provinciæ probasset. Veruntamen ex eo ipso, quod jam tum de Primatu duo illi Episcopi inter se certarent, apparet, quàm vetus sit ambitio Arelatensium, qui Viennensibus parere recusarent, imò sedem suam sedi illorum aut parem dignitate, aut etiam superiorem esse contenderent. Quo freti hoc jus sibi arrogarent, non facilè affirmatu. Mihi perplacet conjectura viri illustrissimi, qui ad Maximum Tyrannum caussam hujus ambitionis refert, & opes atque dignitatem, quam circa illa tempora Arelatensis civitas obtinuit. Sed tum Episcopi Arelatenses, tum Papæ Romani, qui plurimùm illis semper faverunt, aliam longè diversam causam afferebant, ad prærogativam illius sedis, non supra Viennensem duntaxat, sed supra omnes Galliæ Episcopos, demonstrandam. Trophimum quendam jactabant Petri Apostoli discipulum, qui ab eo missus Arelate, primus conditor sedis fuisset. Addebant ex eo semper obtinuisse, ut jam inde à principio Arelatensis Metropolitanus censeretur, & quasi dignitate inter omnes Gallos primus. Quam sive historiam, sive fabulam hodieque pro verissima habent Arelatenses. Illud constat, ante annos CIↃ CC. fidem invenisse apud Romanos Pontifices hanc προεδρίαν, eoque nomine semper illos honori Arelatensis Episcopi favisse plurimùm. De multis, quæ suggerit Historia, pauca subjiciam. Inprimis notatu dignum, quod Decretum in Taurinensi Concilio factum, antiquatum est paucis pòst annis à Zosimo Papa, qui Honorii & Theodosii temporibus vixit. Hic Papa multis modis dignitatem suam asseruit Episcopis Arelatensibus, quos ipse Metropolitanos semper vocat. Primò jubet, ut formatæ inde petantur ab universis Gallis. Verba Zosimi ex Epistola scripta universis Episcopis per Gallias & septem Provincias constitutis: *Placuit Apostolicæ Sedi, ut si quis ex qualibet Galliarum parte, sub quolibet Ecclesiastico gradu, ad nos Romam venire contendit, vel alio terrarum ire disponit, non aliter proficiscatur, Metropolitani Arelatensis Episcopi formatas acceperit.* Secundo dat illi potestatem constituendi Episcopos, etiam in aliis Galliæ partibus. Nominatim verò, in Viennensi, Narbonensi prima, Narbonensi secunda. Verba Zosimi ex eadem Epistola: *Jussimus præcipuam, sicuti semper habuit* (nota hæc verba) *Metropolitanus Episcopus Arelatensium civitatis in ordinandis Sacerdotibus teneat auctoritatem: Viennensem, Narbonensem primam, Narbonensem secundam ad Pontificium suum revocet.* Ait: *revocet*, quia in Taurinensi Concilio aliquot annis ante decretum aliter fuerat: quod factum esse contra priorum temporum observationem sæpe repetit Zosimus. In alia ejus Epistola, quâ antiquantur ejus Concilii Tridentini scita, sunt hæc Zosimi verba: *Sine authoritate Metropolitani Episcopi Arelatensium, juxta majorum Canones, nulla penitùs potuit ordinatio celebrari.* Alibi scribit idem, ne Romanam quidem sedem id jus Episcoporum Arelatensium posse imminuere. Hæc pauca è plurimis sufficient nunc quidem; impeditissimi enim sumus: cùm voles, multa similia his adjiciam, quæ pridem observata habeo in numerato. Quæ raptim scripsi, velim tantisper boni consulas, dum plus otii nactus,



ctus, accuratius rem explicabo. Puto tamen ex iis vel solis liquidò posse constare, quo jure dicatur Arelatensem sedem recentissimam esse Metropolim, quæ quasi prædicat, simul fidem Christianam & honorem sedis Metropolitanæ sa consecutam. Idque jam inde à temporibus Apostolicis. De his igitur aliàs plura. Celso, sive Origene in Celsum si non uteris, velim mittas. Vale, & me ama.

Epistola MLXXXIV.

EIDEM.

NOn tenebo te longiore morâ suspensum: malo enim ἐκ τοῦ παραχρῆμα, quicquid veniet in solum, huic chartæ illinere; quàm vel horulam unam responsum differre. Ἐμβάλλεσθαι εἰς τὴν σποδὸν apud Ctesiam est genus eorum suppliciorum, quæ per ignem exiguntur, & unicâ dictione *vivicomburium* à Tertulliano dicuntur. Erant autem varii modi hujus κολαστηρίου τοῦ πάντων βαρυτάτου. Nam *tunica molesta* apud Juvenalem & Senecam re conveniebat cum isto, de quo loquimur supplicio; modo autem mirum quantum differebat. Ac de illo quidem multa nuper Josephus Scaliger ὁ πάνυ, more suo non protrita, non antè observata, in Animadversionibus ad Eusebii Chronicon, fol. 181. *Injicere* verò *in cinerem* periturum reum, proprium Persarum; quos fuisse hac in parte mirè ingeniosos, vel unica Artaxerxis Vita, Plutarcho descripta, abundè testatur. Ut taceam antiqua Martyrologia, & Theodoretum de Passionibus Græcis, libro x. ubi plurima. Originem & ideam cruciatus hujus describit Valerius Maximus lib. IX. cap. II. de Ocho, qui posteà Darius est dictus, verba faciens: *Septum*, ait, *altis parietibus locum cinere complevit, suppositoque tigno prominente, benignè cibo & potione exceptos in eo collocabat, è quo, somno sopiti, in illam insidiosam congeriem decidebant.* Quod ait de *tigno supposito & prominente*, non caret obscuritate; quam vellem explicassent tot ejus Scriptoris Interpretes. Accipe verò clarissimam mentis Valerii explicationem. Maccabæorum libro II. cap. XIII. ita scriptum: Λυσίας ὑποδείξαντος τοῦτον αἴτιον τῶν κακῶν εἶναι πάντων· προσέταξεν ὡς ἔθος ἐστὶν ἐν τῷ τόπῳ προσαπολέσαι ἀγαγόντας εἰς Βέροιαν. Ἔστι δὲ ἐν τῷ τόπῳ πύργος πεντήκοντα πηχῶν πλήρης σποδοῦ· οὗτος δὲ ὄργανον εἶχε περιφερὲς πάντοθεν ἀπόκρημνον εἰς τὴν σποδόν· ἐνταῦθα τὸν ἱεροσυλίας ἔνοχον ἅπαντες προσωθοῦσιν εἰς ὄλεθρον. Est igitur tignum Valerio, quod ὄργανον huic Scriptori, qui ejus usum multò clarius exponit, quàm Latinus Scriptor. His duobus generibus *vivicomburii* multa alia poterant attexi, quæ missa nunc facio. Hoc unum addam: apud eosdem Persas fuisse & aliam vivicomburii ideam, non planè à superiore alienam; cùm damnati capitis, craticulæ impositi, torrebantur; quod & B. Chrysostomus in III. Caput Epistolæ ad Thessalonicenses vocat πῆξαι ἐπὶ κρατῆκλης. Hujus craticulæ non infrequens mentio & in Actis illorum Sanctorum, qui per varios cruciatus beatam in cœlos animam transmiserunt. Vale, Vir doctissime, & me ama. Statim à discessu tuo.

Epistola MLXXXV.

EIDEM.

VEnit hodie ad me Ogliatus ὁ πάνυ, quem scias mihi fuisse gratissimum, quando & admisi eum matutino tempore; & aliquot horas lubentissimè cum ipso fui. Varios sermones miscuimus, varias fabulas habuimus; sed literatas, de quibus melius coram. Nunc hæc ad te scribo, ut per te magno Thuano aurem vellam. Meministi enim, opinor, datæ fidei. Ogliatus certè meminit & orat stes promissis; idem ego quoque facio, qui, si duris compedibus vinctus non essem, haud paterer, ut alio, quàm me, proxeneta apud augustissimum Thuanum eruditissimus vir uteretur. Is mihi multas egit gratias, quòd tuam notitiam sibi conciliassem. Itaque paria facimus, ego officio, tu virtute. Vale.

Epistola MLXXXVI.

JACOBO BONGARSIO.

DEdisses me in stuporem, optime virorum, cum illis tuis μισανθρώποις & insigni eorum duce, nisi ex literis Peroli, Pastoris Ecclesiæ Mompeliensis, res mihi dudum innotuisset. Vir ille pius & prudens, nuper ejus Societatis, quæ de nomine Jesu vocatur, nunc veritatis propugnator acerrimus, judicavit catè, quod in eâ Provincia acciderat, priusquam ad aures meas ex fama publica deferretur, in majus sublatum iri; nam in talibus, si in ulla omnino re, fama acquirit eundo vires. Putavit igitur faciendum, ut bene longâ Epistolâ rem omnem mihi narraret. Summa autem est, ne te multis morer hujusmodi. Collocatus fuerat Minister quidam Biterris (Biterras vocant alii, hodie *Besiers*) Ministri cujusdam, viri probi,

probi, filius. Hic educatus à patre, Genevam posteà missus, levam eruditionem magnâ junctam opinione sui, quæ pestis ingeniorum certissima, ad sanctissimum munus attulit. Erat ingenium illius suspectum Pastoribus Monspeliensibus, apud quos paucos menses vixit, ex Allobrogibus reversus; imperitia verò palam omnibus nota: nam omnes consentiebant præter prima Hebraïcæ linguæ rudimenta, quibus ille mirificè superbiebat, non multùm apud Allobrogas eum studia promovisse. Effecit tamen Pastoris memoria, & inopia τῶν τῦ λογυ κηρύκων, ut munus ipsi imponeretur. Est Biliterris Collegium Jesuitarum χθὲς καὶ πρώλω institutum, ubi viri docti veterani suæ professionis juventutem instituunt. Hi juvenem adgressi, cœperunt continuis disputationibus ita vexare, ut superioribus diebus ultrò in eorum castra transitum fecerit, suis desertis. Re auditâ accurrunt vicini Pastores. Gigordus in his, vir eruditissimus. Nihil prætermissum est, quo posset ex eo causa sciri tam repentinæ mutationis. Frustra fuerunt Ministri; nam ille in conspectum prodiit nunquam. Possem his addere alia; sed hæc rei summa. Deum oro det illi, det utrique parti ἐν ἁπλότητι καρδίας πρὸς ἑαυτὸν ἐπιστρέφειν. Vale, optime amicorum.

EPISTOLA MLXXXVII.

EIDEM.

Præstantissime Vir,

SI spes fuisset tui reperiendi, venissem ipse, & præsens tecum injuriam expostulassem, quam amicitiæ nostræ fecisti, cùm scriptam ad utrumque nostrûm Epistolam aperire non sustinuisti. Nam per Deum τὸν ὄντως φίλιον, quæ te religio incessit? Omitto dicere, quod notissimum est, me, qui omni dignitate caream, jure tibi amplissimo munere functo fasces submittere: sed ut hoc non esset, siccine inter nos oportuit? Ubi vetus dictum? *Amicitia aut invenit, aut facit pares.* Quod si eò non pervenit amor noster, quem ego ὑπερβολικῶ nullam posse accipere judico, ut ex æquo inter nos versemur; hoc exemplo possum videri admonitus, ut, quis tu sis, quis ego, diligentius posthàc attendam, & impensius te, quem animo veneror, deinceps colam. Sed de his coram. Illam Epistolam tibi remitto. Omnino enitendum nobis, ut possit Isidori Pelusiotæ editio hìc confici. Quod si Morellus non suscipit, novi neminem, qui sit ei incœpto accommodus. Vale, amicorum optime atque intime.

EPISTOLA MLXXXVIII.

JACOBO GILLOTTO.

Amplissime Vir,

ACcepi librum, & quando ita vis, εἰς πόδας ἐκ κεφαλῆς percurram, quæ videbuntur παραδιορθωθέντα, ea adnotabimus; si quæ etiam ignotis prætermissa inveniantur, illa describam, ut publicentur. Nam profectò unicam Turnebi notulam ego longè prætulerim illis omnibus, quibus occupari margines hujus editionis. Non multa adhuc legi; sum enim occupatissimus; sed quædam occurrebant, quibus facillimè poteramus carere. Ne longè abeam, quod pro argumento primæ Epistolæ appositum est, vel aliter accipiendum fuit, vel penitùs tollendum. Turnebus, si reviviscat, clamet, nunquam ita se delirasse, ut illa somniaret. Quod superest, opto & tibi, & facundissimo tuo comiti εὐοδίαν, ut confecto ex animi sententia itinere brevi redeatis. Non vereor ne tibi longa ea via videatur, qui congerronem Rapinum sis habiturus, virum elegantissimi ingenii, & Mnemosynæ filiabus unicè charum. Nos intereà ignobile otium nostrum studiis largiemur, ut qui cæteris videmur inutiles, nobis saltem prosimus, & ingenium aliis artibus excolamus, quàm quæ hodie vulgo placent. Sed moror te. Vale, aut potius valete ambo, viri clarissimi, & Rempublicam literariam pridem labantem auctoritate & exemplo vestro, quod dudum facitis, fulcite, & me amate, qui sum vestri observantissimus.

EPISTOLA MLXXXIX.

HUGONI GROTIO. ✠

BEasti me, præstantissime Groti, cùm judicasti dignum, cui musteum adhuc carmen, à te super magni Bezæ obitu scriptum, mitteres. Equidem omnia tua solitus sum, pro eo ac debeo, vehementer admirari; ut in quibus certent ἐξ ἴσυ αἱ τῆς διανοίας ἀρεταὶ ταῖς λεκτικαῖς. Sed ex hujus tamen carminis lectione præcipuâ quâdam voluptate sum affectus. Tantum enim virum à tanto Poëta defletum esse, incredibiliter lætabar. Tum autem ea tui poëmatis ratio est, ut quæ illo continentur, omnia esse verissima, neque ποιητικῇ ἀδείᾳ ficta, nemo bonus sit negaturus; quò magis affici soleo, cùm illa lege-

 rem

rem necesse erat; ut vix lacrymis, mihi crede, abstinerem, cùm tuum carmen iterum atque iterum legenti acrior cogitatio animi mentem subiisset, quantam in uno capite Ecclesia Dei jacturam fecisset; quem tu locum mihi videris elegantissimè gravissimèque tractasse. Biennium est, & quod excurrit, ex quo Bezam Genevæ satis longo intervallo vidi, qui etsi erat senio confectus, non minori tamen admirationi mihi fuit, quàm fuerat olim, cùm inenarrabili quâdam δεινότητι de rebus gravissimis disserentem audirem. In iis, quæ liberali adeò manu præter meritum meum mihi tribuis, vehementiam agnosco tui erga me amoris. Equidem ex quo primùm παράδοξον illud ingenium mihi innotuit, quod in tuis scriptis omnes mirantur, nihil habui antiquius quàm ut mei in te adfectus aliquam tibi significationem darem. Sed nescio quo modo factum, ut negligentior hactenus in mittendis ad te literis fuerim. Nunc postquam sum abs te iterum provocatus, dabo operam sedulò, ne meum officium hac in parte possis desiderare. Vale.

Epistola MXC.

✠ JACOBO DAVY PERRONIO, Cardinali.

Monseigneur,

Estant arrivé en ceste ville, j'ay visité Monseigneur l'Ambassadeur, & lui ai presenté vos recommandations, desquelles il a esté fort aise, & s'enquerant soigneusement de vostre santé, m'a bien fait connoître combien il vous honoroit. Je le trouvai lors fort fasché pour un fait, où vôtre reputation estoit interessee. Car aiant esté envoié au serenissime Roi de la Grand' Bretaigne un livre fait contre Sa Majesté, plein d'atroces convices, & calomnies très-impudentes, ou pour mieux dire, d'une desesperée & diabolique rage; pour ce que Sa dite Majesté trouvoit dans ce libelle quelques particularitez qui sembloient ne pouvoir convenir à aucun autre qu'à vous, à cause de la journée de Fontainebleau; & que Monsieur l'Ambassadeur ne pouvoit lui respondre sur cela; Sa Majesté, quoi que mesprisant toutes telles injures, & n'en aiant autre ressentiment que pour en rire, & faire voir à tous l'impie fureur de ceux qui lui sont ennemis; toutefois aiant si grande occasion de penser qu'un tel escrit fût parti de vous, elle s'estoit resoluë d'en avoir sa raison par toutes voies convenables à un si grand, si puissant, & si magnanime Roi. Car vu vôtre qualité auprès du Roi & de la Reine, il jugeoit non ab homine privato profectam injuriam, sed quasi publico nomine illatam; *& s'estonnoit fort, qu'aiant tousjours esté si estroitement conjoint avec nos Rois, & desirant l'estre à l'advenir plus que jamais, il se trouvât un homme en France qui l'irritât si outrageusement. Or combien que Sa Majesté n'eut jamais eu auparavant opinion que tels libelles pussent sortir de vôtre plume, toutefois si vous daignez lire cet infame escrit, vous trouverez sur la fin du premier Traité, si je m'en souviens bien, un passage, qui pouvoit persuader que c'estes vous, qui parlies là. Dieu a voulu que je suis arrivé en ceste Cour, tout à point pour oster à Sa Majesté tout tel soupçon: car aiant cognoissance de Reboul, qui est à Rome, & aiant vu lors que j'estois en Languedoc, les escrits qu'il a fait contre les Ministres & Consistoire de Nismes, & autres diverses pieces de lui, contre le Sabnonée & semblables, j'ai assûré Sa Majesté, que l'Auteur de ce libelle estoit Reboul, comme aussi je l'avois ainsi apprins estant à Paris. Et pour vous, je luy ai tesmoigné & confirmé que detesties de tout vôtre cœur telles fureurs; Que aiant tousjours vescu auprès des Rois, vous savies le respect que leur est deu, mesmes des plus grands. Je lui ai aussi fait voir, comme je vous avois ouï, Monseigneur, plusieurs fois parler de Sa Majesté, non seulement en grand honneur, mais aussi avec demonstration de singuliere affection envers icelle; Que je vous avois ouï haut louër sa modestie en ses escrits, & souhaiter pareil temperament en ceux qui n'estant Rois, comme il est grand Roi; & n'aiant esté irritez, comme il a esté, ne se comportent en leurs escrits avec pareille moderation. Mais c'est chose digne d'admiration de voir* lenitatem & benignitatem tanti Principis, pari animi magnitudine junctam; qui tot injuriis lacessitus ab hominibus publicæ pacis hostibus, nihil quicquam commovetur, neque illas putat ad se pertinere. Studium autem vetus suum, concordiam pro virili in Ecclesia procurandi, constantissimè servat: itaque nihil illi potuit gratius accidere, quàm quod à me audivit de tua simili in eandem rem propensione. Denique scito atque adeò πληροφορήθητι, Præsul illustrissime, cum esse serenissimi & verè γαληνοτάτου Regis animum, ut omnia ab eo sint speranda pia & justa, quæ concordiam inter dissidentes de Religione poterunt adjuvare. *Je vous ai voulu escrire ceci, Monseigneur, afin que si possible est, celu nous donnât occasion*

casion de penser serieusement au bien public. Je sçai bien que durant la vie du feu Roi le tems estoit plus propre à un tel dessein: mais quot qu'il plaise à Dieu ordonner de l'issuë, ce sera tousjours chose très-utile & louable de mettre tels propos en avant. Que si vous m'en escrives vôtre jugement, je le ferai entendre à Sa Majesté; attendant quoi, priant Dieu pour vôtre santé & prosperité, vous demeurerai à jamais,

MONSEIGNEUR,

Vôtre très-humble & obeïssant Serviteur,

IS. CASAUBON.

EPISTOLA MXCI.

A MONSEIGNEUR LE CHANCELIER DE FRANCE ET DE NAVARRE.

MONSEIGNEUR,

AU retour de ma femme j'ai appris la continuation de vôtre affection envers moi; de quoi je vous remercie très-humblement, & vous supplie de croire, que nulle distance ni de tems, ni de lieux n'effacera jamais de mon cœur l'honneur & reverence humble que je vous dois. J'ai aussi entendu qu'on parle par delà de me rappeller; quæ quidem res in arbitrio Augustissimæ Reginæ tota est posita. Nam ego Majestati ipsius quâ debeo animi submissione parebo. Tantùm te orabo, illustrissime Domine, ne aut cum mala Regis Magnæ Britanniæ gratia revocer, aut cum damno meo. Mitto nunc ad tuam Dignitatem libellum à me scriptum jussu Regis, & jussu ejusdem editum. Mihi fuerat propositum Epistolam illam privatim ad clarissimum virum, Frontonem Ducæum, mittere; sed imperio Regis parendum fuit. Si per Regni negotia potest Amplitudo tua, illustrissime Domine, id scriptum perlegere, videbit non agi causam Religionis, sed nova portenta opinionum exagitari, per quæ Reges non sunt Reges, sed vilissima & cædi obnoxia mancipia: hoc novum παράδοξον cui bono stomachum non faciat? *J'avois resolu d'envoier cet escrit à Monseigneur de Villeroi, afin que devant qu'il fût vu, il passât par son jugement & le vôtre,* MONSEIGNEUR; *mais il m'a esté impossible depuis qu'une fois il a esté entre les mains du Roi, & de Monseigneur l'Archevesque de Cantorburi. Je suis assûré que certains personnages prendront ceste occasion au poil, pour me rendre odieux aux Majestez du Roi & de la Reine. Si après avoir vu l'escrit, vous mes jugez digne de ce malheur, je porterai mon affliction patiemment. Si au contraire, vous recognoissez ma devotion très-ardente au bien & humble service de ceux, ausquels je le doibs; j'espere que mon innocence aura en vous,* MONSEIGNEUR, *un ferme appui, & moi je continuerai à prier Dieu pour vôtre entiere felicité, demeurant à jamais,*

MONSEIGNEUR,

Vôtre très-humble & obeïssant Serviteur,

IS. CASAUBON.

EPISTOLA MXCII.

A MONSEIGNEUR DE VILLEROI, CONSEILLER DE SA MAJESTE', ET SECRETAIRE D'ESTAT.

MONSEIGNEUR,

JE vous envoie un petit livre imprimé, lequel j'avois desir vous faire voir escrit à la main, afin qu'il passât par vôtre jugement avant que d'estre veu: mais comme cet escrit a esté entrepris & composé par l'exprés commandement du Roy de la Grande Bretagne, aussi a il esté imprimé par son expresse jussion, & ma volonté n'a eu plus de lieu depuis qu'une fois Sa Majesté l'a eu en main. Si il vous plaist, MONSEIGNEUR, *emploier quelque peu de tems à le courir, vous verrez que l'occasion est née d'une Apologie pour les Jesuttes, imprimée par delà & envoiée au Roi pour la justification de leur cause; mais si mal à propos, que cela seul pouvoit irriter contre eux le Roi de la Grande Bretaigne, quand bien il n'eût jamais eu aucune cause de se plaindre d'eux. L'Aucteur de cette Apologie que je ne cognois aucunement, defend tout ce qui a esté escrit mal à propos contre les Rois, par quelques-unes de cet ordre. Il defend de tout son pouvoir le martyre de Garnet, & autres Chefs de trahisons & parricides. Il accuse le Roi d'ici, d'avoir des intelligences avec l'Auteur du Tocquesin; chose si esloignée de verité, que je puis vous assûrer, que Sa Majesté aiant lu ce meschant livre, si tôt que j'eu l'honneur de le voir, il me dit, qu'il en detestoit l'Aucteur, & que seulement pour vous avoir nommé Monseigneur, & Monseigneur le Chancelier,* il le jugeoit digne de mort: que c'estoit un très-pernicieux exemple de donner la liberté à des brouillons de parler à leur plaisir de ceux qui sont les colomnes de l'Estat. *Ce sont les propres mots de Sa Majesté, & neantmoins en*

en cette Apologie il est qualifié comme s'entendant avec ceux, qui voudroient remuer en France. Cela & autres raisons l'ont poussé à me faire le commandement qu'ai reçu des lors, de remonstrer au Pere Fronto le tort que ce livre & semblables faisoient à leur Societé, & à toute la Religion Catholique. Je m'y suis mis long tems après le commandement reçu, & ai tâché de n'escrire rien, qui pût desplaire à ceux qui ne favorisent à cette nouvelle & pernitieuse doctrine de desposseder & tuer les Rois, qui ne sont agreables au Pape. Je m'assûre, Monseigneur, *que ces opinions si extravagantes vous desplaisent autant qu'au Roi de la Grande Bretagne. C'est pourquoi, n'aiant eu en cet escrit autre but, que de monstrer l'énormité de ceste doctrine, & des moiens desquels les aucteurs se servent, j'espere que ne serez offensé en aucune sorte pour l'édition de ce livre, entrepris & fait, comme j'ai dit, par l'exprés commandement du Roi, & ce lors qu'il a cru que la Reine m'avoit entierement donné à luy. Je crains que quelques-uns ne veuillent se servir de cette occasion pour me faire decheoir de bonnes graces du Roi & de la Reine. Ce que toutefois je ne puis croire, si leurs Majestez sont informées de mon but & dessein. Jusques à present j'ai trouvé tout appui & support en vous,* Monseigneur, *& m'aiez obligé à vous infiniment: si il vous plaist me continuer vos faveurs, j'espere que ne vous en repentirez jamais, me trouvant toûjours très-fidele sujet du Roi & de la Reine, prest à mettre ma vie pour l'humble service de leurs Majestez; comme aussi je suis, & serai tousjours,*

Monseigneur,

Vôtre très-humble & très-obligé Serviteur,

IS. CASAUBON.

Epistola MXCIII.

✠ THEODORO CANTERO.

* Fortè, 1614.

Magnam * voluptatem è tuarum lectione percepi, optime & doctissime Cantere; majorem percepturus, si de rebus tuis ea nuntiassent, quæ optabam. Oro veneror que Deum immortalem, ut quod nondum est factum, id brevi intelligamus esse feliciter effectum. Ego de tuo negotio cum multis sum locutus, quos existimabam posse tibi vel operâ vel gratiâ suâ prodesse. Anno cùm hîc erat Hugo Grotius, obnixè ab eo petii non semel, ut caussam tuam sublevaret. Laudo autem constantiam tuam & semel obfirmatam mentem permittendi teque & tua divinæ Providentiæ. Exercet Deus suos, ac planè deserit nunquam. Quod me rogas de hodiernis controversiis vestrorum Theologorum quid sentiam, non is ego sum, qui de rebus tantis velim pronuntiare. Doleo tamen sublatam esse veterem Ecclesiæ disciplinam, quæ si inter illos vigeret, tot novis opinionibus, tot sectis non divideremini. Nunc videtur unusquisque tantum sibi velle licere, quantum viri summi Lutherus & Calvinus tempore necessario sibi vindicarent. Passim igitur novæ Scripturarum interpretationes proferuntur, novæ opiniones concipiuntur, & novorum Prophetarum plena sunt omnia. Doctoribus primitivæ Ecclesiæ parum aut nihil tribuitur; & multi Sacras Literas ita tractant, quasi novi aliquid excogitasse, esset Religionis Christianæ pomœria protulisse. Hæc mala quò tandem sunt eruptura nescio; illud non dubito, concordiæ spem nullam, κατ' ἄνθρωπον λέγω, superesse, quamdiu nec Pontifices, nec Protestantes conspirabunt ad veram Antiquitatem instaurandam. . . . †

† Reliqua desiderantur.

Epistola MXCIV.

HUGONI GROTIO. ✠

Accepi tuam illam Epistolam, cui erat adjunctus Lucanus à te recensitus, & dono mihi missus; item illam, quæ erat de opere meo. De munere eximio habeo agoque tibi grates gratissimas. Utinam per publica negotia tibi licuisset illustrationi optimi Poëtæ plus temporis impendere! Quid potuerit expectari ab ingenio & doctrina tua, ex adjectis notulis, facili periti æstimabunt planè, ut olim nescio quis, ex ungulis leonem. In tua de opere meo sententia, amoris tui erga me vehementiam agnosco; illud ἀκριβὲς judicium, quo excellis, desidero. Illud magni æstimarem scire, quid Theologi vestri de opere, & de Autore operis judicent. Meministi de Epistola ad Cardinalem Perronium, quam nôsti sententiam non nemo apud vos tulerit, qui ex illo tempore sic renunciavit amicitiæ meæ, quasi scelus admisissem, propter quod mihi jam dici posset Maran Atha. Ego editioni hujus libri illud dumtaxat lucri sum consecutus, ut pensionem amitterem aureorum mille, quam hactenus ex Gallia perceperam, nisi Lutetiæ me statim contulero. Quod quia vix videtur fore tutum, nisi aliter res meæ hîc fuerint constitutæ, in regione

gione tam damnosa hærere diutius non potero. Me in magno æstu cogitationum molestissimarum καὶ ἀπόρων (nam quò me recipiam?) nihil æquè solatur ac divina vox Patris Abrahami, ὁ Θεὸς ὄψεται. Hæc sacra anchora est, ἐφ' ἧ σαλεύμη, ἡ ναῦς ἡ ἡμετέρα. Quòd de profectione ad nos aurem mihi vellis, tu quidem profectò καὶ αὐτὸν σπεύδοντα ὀτρύνεις. Sed neque valetudo hoc permisit hactenus, neque adhuc licet per curas quasdam: τὸ δὲ μέλλον Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Vale, & tuis literis me bea, nisi ego tibi animo excidi: ὃ μὴ γένοιτο ἐχ' ἴσμι. Quæ hîc scripsi, tibi uni cupio esse nota. *

* Fortè, 1614.

Tuus ex animo,

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA MXCV.

✠ STEPHANO HUBERTO.

QUòd videris animum despondere, amicissime Huberte, & meliori spei semel renunciasse, etsi non laudo, accusare tamen te μικροψυχίας non sustineo. Habeo enim notas omnes rationes tuorum consiliorum; neque me fugiunt gravissimæ illæ & plurimæ caussæ, quæ te movent, ut aulicis pollicitationibus diffidas. Et est profectò facinus indignum, datam tibi esse hinc migrandi occasionem tam justam, & iis, qui sedent ad puppim tam probrosam. Memini cùm superioribus diebus ad Dominum Scaligerum literas darem, in queis multa tui mentio, calamo temperare non potuisse, quin acriter in eos inveherer, quorum culpâ tu nunc abes, ὦ τῶν ἐμῶν φίλων ποθεινότατε. Quàm vellem superesset istis pudoris aliquid & metus infamiæ. Puderet eos facti, & quem aspernati sunt præsentem, desiderarent absentem, Attalicis conditionibus quantocius revocarent. Sed enim querelarum tanquam ὁρμὸς ἅλις. Nunc quid spei sit reliquum, & quo loco res sint tuæ, ex literis tuorum potero cognoscere. Equidem quod solum in hac re possum, id facio sedulò ac propè dixero, ἀδιαλείπτως, ut viros amplissimos, qui possunt hîc aliquid, orem, obsecrem, tui, imò sui rationem habeant; faxintque operâ suâ, ne quid detrimenti hæc Schola ἐκ τῆς σῆς κακαχίας capiat. Quantum hactenùs profecerimus haud scio; nisi quòd nudius quartus affirmabat mihi clarissimus Præsul, quem nôsti, se omnino apud τὸν γαζοφύλακα tuum negotium esse confecturum: mallem quidem dicere se confecisse; verumtamen, quod ex ipsius verbis facilè colligebam, res neque dubia est, neque adeo difficilis. Sed nôsti, Vir amicissime, quàm lentè isti Magnates moveantur, qui sæpe dum moliuntur, dum operi se accingunt, dum aves observant, ut rem auspicato aggrediantur, annus est. Frustra hoc te monuero οἶδα γὰρ αὐτὸς. Accedunt dicti Præsulis occupationes assiduæ: nam etiam domi eum invenire difficile est. Scito post discessum tuum vix semel aut iterum, aut non multò sæpius potuisse illum domi suæ à nobis reperiri, cùm diebus prope singulis eò ventitaremus, quà mane, quà vesperi. Multa ille de suo in te studio nobis non semel, & vicissim multa nos illi de tua erga ipsum fide & observantia. Quod si me non omnia fallunt, certa spes est, ut virum illum magnum non antè, quàm confecto negotio tuo esse quieturum: καὶ πάντα μὲν ταύτῃ. De Episcopo Bellovacensi tantùm habeo tibi dicere, virum optimum, & literarum amantissimum, tuam absentiam ferre animo non æquo. Cætera, de quibus inter nos actum meministi, transigi adhuc commodè non potuerunt. Proximis literis certiora & exploratiora expecta à nobis. Virum amplissimum Tiballerium meis verbis quàm officiosissimè salutes velim. Diu est cùm ego illius virtutem, eruditionem & comitatem re expertus veneror. Habeo Nonnium Poëtam ab eo mihi commodatum; quo usus dudum, si nactus fuero occasionem tutam, remittere est animus cum multa gratiarum actione. Vale, amicissime ac doctissime Huberte. De communibus studiis aliàs vel per Epistolam; vel, quod potius opto, coram. Scito in urbe esse penes amicum quendam meum, qui recens Româ rediit, Grammaticam Arabico-Latinam manuscriptam, & alia multa. Iterum vale, mea cura, meus amor.

De libris tuis, qui apud Drouardum nuper nescio quis mecum egit; respondi facturum me, quicquid esset opus facto. Sed Drouardum nullus adhuc vidi.

Inscriptio.

A Monsieur,

Monsieur, ETIENNE HUBERT, *Docteur en Medecine, & Professeur du Roi ès la Langue Arabique, estant à present*

A ORLEANS.

Epistola MXCVI.

✠ PATRICIO JUNIO.

Vir amicissime,

Respondeo literis, quas jussit ad me scribi Rex serenissimus: mitto igitur illi eâdem operâ Epistolam Pauli Veneti. Curavi illam describendam, ut facilius legi possit à Rege; sed, nisi fallor, oportet etiam τὸ ἀντίγραφον mittere. Itaque, si placet, illud trades famulo meo, qui deferet cum Epistola mea ad Dominum Julium Cæsarem, quem confido probè curaturum. Mitto Epistolam de Scioppio, impetu effusam, ut scit noster Jacobus. Vale, & me ama. *Londini.*

Tuus ex animo,
IS. CASAUBONUS.

Epistola MXCVII.

✠ EIDEM.

Vir amicissime,

Legi lubens Epistolam ad Dominum Moravium scriptam. Qui illam scripsit, vir doctus est & pius; qui facilè, ut spero, rationes meas admittet. De Bibliotheca mala narras. Mirum quis tantum potuerit; sed mihi similis ferè fortuna contigit in Galliis. Quanquam ferendum non est, Musas non haberi mollius in Regno tam docti, tam mitis & æqui Regis. Discam à te quid rei sit. Vocem γρύτη ubi legeris, vellem indicasses; nam illæ Epistolæ Libanii & Basilii olim mihi cum cura lectæ, & quædam in illis observata. Illius vocis nunc non memini: γρύτη quid appellant Græci, & γρυτοπώλης quis sit, non te fugit. De his igitur coram. Vale, Vir eruditissime. *E Musæo*, statim post tuas acceptas, *Londini.*

Tuus ex animo ὅλος καὶ πᾶς,
IS. CASAUBONUS.

Epistola MXCVIII.

A Monsieur
✠ DURAND.

Monsieur,

Si j'eusse pu marcher, j'eusse eu le bien de vous voir, & prier d'interceder envers Monsr. Sommier pour un jeune homme, lequel sans quasi aucune occasion il detient prisonnier. Je cognois le personnage, & sçai qu'il est tres-affectionné à la Religion, & voudrois lui pouvoir servir. Son pere estoit l'un des piliers de l'Eglise de Crest en Dauphiné, où feu mon bon pere a servi au St. Ministere longues années. Cette consideration me fait vous supplier de vouloir vous emploier pour sa delivrance. Vous m'obligerez, qui suis & serai toute ma vie,

Monsieur,

Vôtre très-humble serviteur,
IS. CASAUBON.

Inscriptio.

A Monsieur,
Monsieur Durand,
fidele Pasteur de l'Eglise,
A Paris.

Epistola MXCIX.

PHILIPPO CANAIO A FRAXINIS. ✠

Illustrissime Domine,

Cum mihi Amplitudinis tuæ literæ sunt redditæ, ut vidi nomen illustre tuum, ut erubui! Pudebat me, & meritò quidem, quòd commisissem ut me scriptione literarum provocares, qui debueram antevertisse, & mea dudùm obsequia tibi detulisse: non enim possum negare, ejus præstandi datam mihi tum fuisse occasionem, quando generosus Dominus filius tuus certum hominem isthuc misit. Sed me rusticus nimirum pudor tenuit, & conantem literis affari Amplitudinem tuam inhibuit. Nôram celsitudinem fortunæ tuæ; nôram quot & quantis curis tua illustris Dignitas occuparetur dies noctesque. Veritus sum interpellare tua seria meis frivolis, qui præsertim jure metuerem, ne vitio verteretur mihi, si homo ignotus & privatæ sortis appellare te auderem. Nam alioquin optasse me persæpe, ex quo filii tui familiaritate sum usus, dari mihi aliquem ad Præstantiam tuam aditum, scit ille, quem ne intimæ quidem mortalium cogitationes latent. Postquam enim gnatus tuus, juvenis ad exemplum probitatis, modestiæ atque omnis virtutis naturâ comparatus, studia sua nobiscum cœpit communicare, quum ejus indole mirandum in modum caperer, volui persæpe fortunam tuam tibi gratulari, qui tantæ spei adolescentem bono publico genuisses. Nihil dabo auribus tuis, neque præter animi scientiam quicquam dicam; sed aut me omnia fallunt, aut eo ingenio iisque meritis filius

filius est tuus, ut gaudendi ipse & superis gratias agendi luculentam in eo materiam habeas.

Epistola MC.

✠ WENCESLAO A' ZASTRISEL.

ITa est, ut tu scribis, Vir nobilissime, nuper aliquid mihi Paludius tuus, imò noster, de laudatissimo consilio tuo aperuit, simul rogavit me aliquid mei adversum te animi testimonium adjicerem. Ego verò, qui tuâ causâ omnia cupiam, hoc tamen officii genere præclarè functum me putabam, cùm eidem me excusassem. Quid enim astruet strepere anserem inter olores? Nam equidem in Parnasso dormivi nunquam. Tu dormisti, imò sanè vigilasti, qui tam bonos, cùm libet, versus fundas. Ut meritò Poëtarum summus, hospes nunc tuus, de tuis laudibus non siluerit. Habes, scio, & aliorum magnorum virorum elogia operis tui. Cur igitur securum me appellares, causa non erat; quoniam tamen ita voluisti, gessi ecce voluntati tuæ morem, & istos à prandio versiculos malè tornatos effudi. Vale.

Epistola MCI.

✠ GUILIELMO CAMDENO.

Vir clarissime,

EGo verò tuas ex fide curabo, & magni Thuani caussâ, & tuâ etiam. Atque utinam aliud tuâ gratiâ possem! Doleo vicem meam, qui Londini habitem, & te non videam. Sed hoc contingit ex eo, quia totius ferè urbis longitudine sumus invicem sejuncti. Ne cessemus tamen, obsecro, invicem amare. Ego te semper & amabo & colam. Vale, Vir optime. Statim post tuas acceptas.

Tuus ex animo,
IS. CASAUBONUS.

Epistola MCII.

✠ HUGONI GROTIO.

DIu tuas expectavi; tandem patientiam abrupi, & literas querimoniarum plenas exaravi; quas dum obsigno, ecce Epistolam à te & tui nuperi libri quatuor exemplaria. Nam quintum Thorius acceperat. Legi tuas cupidè, cupidius ipsum librum, quo nihil elegantius, nihil ad hodierna tempora accommodatius; nihil, meo quidem judicio, lectu dignius jampridem venit in lucem. Optarem ut multa ejusmodi scriberes, nisi illud optare esset εὐσεβέστερον, ut desinant tandem inter nostros omnes occasiones stylum exercendi in ἐριστικοῖς libellis. Quomodo enim triumphaturos putas hostes veritatis (τοὺς πυππεμανοῦντας dico) de hac exorta contentione inter te, ejus loci & præstantiæ virum; & Sibrandum, non obscuri nominis in nostris partibus Theologum? Ego, cùm Sibrandi illam Præfationem legi, nihil aliud ex ea collegi, nisi virum pium, justo odio Socinianismi paulò vehementius commotum, Magistratus suos, in periculo Ecclesiæ remissius agentes, ad simile odium concipiendum voluisse stimulare. Hoc nomine gratias illi deberi nemo opinor ibit inficias, qui Vorstiana Paradoxa diligentiùs expenderit. Cæterùm quàm vera sint, quæ in Epistola Sibrandi narrantur, & quàm justa sit illius querela de illustrissimis Ordinibus, soli nôrunt qui res vestras propius habeant notas. Ego nollem fore, ut tu in ea Epistola reperias, quæ jure possis reprehendere. Semper enim mihi venit in mentem . . . . *

* *Cætera desunt.*

Epistola MCIII.

JUSTO LIPSIO. ✠

CUm ex aliquot mensium peregrinatione domum essem reversus, accepi non multò pòst binas tuarum, Vir maxime, cum totidem nuperi tui libri exemplaribus. Quam ego ὑπέρμετρον liberalitatem tuam in eam partem sum interpretatus, quasi mandares mihi, ut alterum amplissimo καὶ τὸ πάντα ἀρίστῳ Thuano traderem. Atque ita statim feci, ipseque tuis verbis salutavi. Quamobrem & meo, & istius nomine gratias tibi pro tam eximio munere ago; maturius acturum, nisi me ex illo valetudo & continuus quidem languor in hoc officii genere omissiorem reddidissent. Quamquam & aliam afferre possum propiorem hujus cessationis caussam. Expectavi enim hactenus, ut eruditissimus ille adolescens, qui tuas mihi attulerat, meas . . . . . †

† *Reliqua desiderantur.*

Epistola MCIV.

N. N. ✠

Messieurs,

EN cette grande & presque insupportable fascherie, qui m'est provenuë en vôtre ville depuis quelque temps, où j'ay vu ruiner tous les miens de fonds

en comble, & moy en partie, rien ne m'a tant attristé, que de voir le plus grand mal qui nous a été fait, qui est touchant l'affaire des matrices Grecques Royales, estre procedé de vous & toute vôtre Compagnie, que j'ay tousjours tant venerée, me glorifiant d'avoir eu, quoyque indigne, l'honneur d'y passer plusieurs années. C'est pourquoy je vous ay tenu mes parties bandées à la ruine totale de cette honorable famille des Estiennes, cujus tot exstant in Ecclesiam Dei, & Rempublicam literariam merita. Car n'ayant eu autre partie que Monsieur vôtre Recteur, & vos Diacres, qui ont commencé, poursuivi, parachevé la ruine totale de cette maison, luy ont coupé la racine, afin que elle jamais ne peut renaitre; ont plaidé de leur bouche la cause devant les Seigneurs qui ont donné l'arrest, duquel sur toutes choses je me plains; ont allegué des raisons feriales; se sont pris à moy particulierement, & n'ont rien oublié pour extorquer de Messieurs la sentence qu'ils ont enfin euë. Ces choses, dis-je, ayant ainsi passé, sçachant que le Recteur ne fait rien que par le commandement de vôtre honorable Compagnie, je n'ay pu ni dû douter que c'estoit vous qui estiés mes parties, & pourtant je ne puis assez m'estonner que par celles qu'il vous a plu escrire à Monsieur de Montigni & à moy, donnez à cognoitre que ne sçavez que c'est de cette affaire, & ne vous en estes point meslez. Ce seroit une grande faute à vôtre Recteur, si il avoit fait un si lasche acte de sa propre auctorité, contre la coustume que je sçay estre gardée en vôtre venerable Compagnie. Quoy qu'il en soit, j'ay eu & ay encore très-juste occasion de vous tenir pour mes parties, vu que c'est vôtre Recteur seul avec les Diacres, qui a poursuivi l'arrest, par lequel est porté, que ce tant precieux gage de la maison des Etiennes sera aliené de nôtre maison, vendu avec caution de jamais ne le porter hors de vôtre ville, & l'argent donné aux pauvres, ou je ne sçay qui. On s'est servi du testament du feu Robert Estienne, & on l'a interpreté comme on a voulu, certes tout au contraire de la volonté du testateur: & faut estre aliené de son sens pour defendre la sentence qui a esté faite par delà. Vôtre Recteur m'a escript que estant informé comme l'affaire a passé; & ayant leu le testament, je l'ay fait voir à gens très-sages & très-experts en ces choses: mais tant s'en faut se trouve bon ce qui a esté fait, qu'au contraire ayant l'animosité qu'on a apporté à ruiner cette famille & moy avec elle, sans aucune cause, petite ni grande, les propos qui ont esté tenus par vôtre Recteur en plein Senat & ailleurs à nôtre desavantage, & enfin l'arrest donné notoirement, visiblement, palpablement contre tout droit, toute equité, toute justice. Je confesse, Messieurs, que ce que vous m'escrivez, est très-vray, c'est ce que je vous mescognois, & au lieu de très-honorez Peres que je vous ay tousjours tenu, je vous recognois mes parties, qui avez procuré la ruine totale de la famille des Etiennes, & de tous ceux qui leur attouchent. Certes si le bon Robert Estienne revivoit, & qu'il lût cette belle sentence, il ne faudroit douter qu'il ne s'escriât, ô tempora! ô mores! Et c'est grande merveille qui m'estonne extremement, que ayez tous consenti à mal interpreter ce testament: vu que tous ceux qui le voyent par deçà, gens craignans Dieu, sages & qui vous honorent, tous disent d'un commun accord que ἄλλο μὲν ἐς ἄπο ἢ Μιτυκλῆς. Mais bientôt, Dieu aidant, vous en verrez leurs jugemens. Car l'exprés commandement de Dieu m'oblige de tenter tous moyens pour r'avoir ce precieux gage qui appartient à moy & aux miens. J'y employerai premierement les plus doux moyens que mes amis pourront excogiter: que si cela ne profite, je suis assûré que la faveur du Roy, à qui je sers, aura poids, & que le Conseil du Roy ne me refusera justice en une cause si claire, apparente, & favorable. Voilà, Messieurs, ce que ay à respondre sur vôtre lettre, vous remerciant au reste des saintes admonitions que vous me faites, lesquelles auront bien plus de poids, quand il vous aura plu employer vôtre autorité pour me faire obtenir raison, sans plus de bruit ni de scandale, qui ne peut estre que très-grand à mon grandissime regret. Et si il vous plait donner lieu à la très-juste priere je vous en fais, alors je vous recognoîtrai de tout mon cœur, tels que je vous ay tousjours tenus, à savoir pour mes très-honorez Peres, ausquels j'ay tousjours esté, veux estre, & demeurer à jamais,

MESSIEURS,

Vôtre très-humble, & affectionné Serviteur, pour vous obeïr,

IS. CASAUBON.

EPISTO-

Epistola MCV.

ἸΣΑΆΚΟΣ ΚΑΣΑΥΒΌΝΟΣ ΔΙΟΝΥΣΊΩ ΠΑΎΤΩ εὖ πράττειν.

Πολλά σοι γὰρ καλὰ γένοιτο, φίλτατε Διονύσιε, τῆς πρὸς ἡμᾶς φιλίας τὴν μνήμην περισπουδάστως οὕτω διασώζοντι· σημεῖον δή μοι, μᾶλλον δὲ ἀτρεκὲς τεκμήριον τῆς σῆς ὡς ἐμὲ φιλικῆς διαθέσεως παρέχει, καὶ τὰ γράμματα, ἃ παρά σου νυνὶ ἐκομισάμην· οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ ἔσαι ὁ καλὸς κἀγαθός σου ἑταῖρος οὗτος ἡμῖν διείλεκται· ἔχω δὲ κἀγὼ μάρτυρας οὐ μάλα εὖ ἴσθ' ὅτι εὐαριθμήτους τῆς πρός σε ἐνδιαθέτου εὐνοίας· ἀλλ' οὐ νῦν καιρὸς τῶν τοιούτων λόγων· ἀκμὴν γὰρ ἀσχολούμενοι συγχάνομεν ὄντες. Σεί ὁ Ὀναίο φιλάνδρου τῆς σφοδρᾶς οὕτω καὶ νεανισκῆς πρὸς τὰ μαθήματα ὁρμῆς. Ἔρρωσο.

Epistola MCVI.

N. N.

Reverendissime Præsul,

DIu est, ex quo animus meus inter metum & cupiditatem tui compellandi anceps fluctuat. Terret amplitudo fortunæ & illustris dignitatis tuæ: suadet, atque adeò cogit humanitas exquisita, quam mihi, homini ignoto, nullâ re merito, exhibuisti. Didici enim è literis non unis nobilissimi Equitis, D. Karrew, Franciæ Exlegato, itemque ex sermonibus generosissimi Baronis D. quis tuæ Amplitudinis sit erga me affectus, quæ voluntas erga mea studia, quàm pronus animus ad bene de me, & meis merendum. Itaque licet sperem per eosdem, qui hæc mihi significarunt, gratias tibi esse actas meo nomine; ausus sum tamen pauca hæc ad te exarare, ut hoc quasi luculentiore testimonio constaret, quæ mea sit erga amplissimam tuam Dignitatem reverentia, quanta animi devotio, & cupiditas inserviendi, si modò existeret aliqua occasio testandi grati animi; quem spondeo nunquam fore immemorem tuorum in me meritorum. Vellem fecisset Deus immortalis tantum, ut profecissem in studio literarum, & honestissimarum disciplinarum, quantum nonnulli sibi persuadent, & fortasse etiam tibi, illustrissime Domine, est persuasum. Sed vetat propriæ tenuitatis conscientia magni aliquid de meis conatibus aut sperare, aut cuiquam polliceri. Veruntamen quicquid illud est, quod possum, id omne magnâ alacritate impendetur, ut, si nihil aliud, at grati saltem animi pignus aliquod Amplitudini tuæ exhibeam. Quare illud unum certò polliceri non verebor, si operâ & benignitate tua otium meis studiis isthic fuero consecutus, conaturum me omnibus modis, ut fidem sinceram & humile obsequium Amplitudini tuæ approbem. Cætera, quæ ad id negotium pertinent, è literis D. Baronis . . . spero te esse cogniturum. Vale, amplissime & reverendissime Domine.

Epistola MCVII.

N. N.

Illustrissime Domine,

VEnit ad me nunc ipsum tuorum unus, cui mandatum à te fuerat, ut de Huotana domo quid esset actum, faceret te certiorem. Miratus sum studii istius tui adversum nos ἐκτένειαν. Tene, Vir maxime, inter tot gravissima negotia curæ habuisse hanc curam? Non fuit satis tibi, quod me measque res observantissimo tui Domino Despres de meliore nota, semel, iterum, sæpius, præsens, absens commendasti? Adhuc de nobis nostrisque commodis alta illa & πανή φρὴν sollicita est. Ago igitur tibi, præstantissime Domine, iterum iterumque, vel potius μυριάκις, quantas maximas possum gratias. Quod si supremi Numinis benignitas otia nobis fecerit, hic diuturniorem dabimus operam, ut grati animi nostri extet aliquod monumentum. De Huotanis ædibus ita res habet. Cùm diu hoc negotium trahi viderem, coactus sum, qui haberem uxorem ἐπίτεκα, & partui propinquam, alias ædes conducere, tantisper dum certi aliquid Huotus constituerit. Quod ille ait, ταὐτόματον ἡμῶν πολλάκις κάλλιον βουλεύεται, id fortasse in hac re sum expertus. Nullo enim labore domum consecutus sum, multò commodiorem illâ, quæ tamdiu frustra nos exercuit. Accedit quòd propius abs te, & ab amplissimo Præside Thuano absum. Ædium Dominus est frater Advocati illius, qui per me libellum suum ad te misit. Leschastier, opinor, illi nomen. Etsi non ab illo ædes conduximus nos, verùm ab alio, qui jam aliquot annos hospitium occupat; brevi discessurus, & nobis vacuum locum relicturus; si à benignitate tua impetramus, ut quantum pro altera domo Despres erat depensurus, tantum pro ista solvatur, longè, ut dixi, commodiore. Atque hæc quidem ita habent. Vale, amplissime Domine, & me διατέλει φιλῶν, qui futurus sum æternùm,

Tuæ Dignitatis observantissimus Cultor, & humillimus Servus,

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA MCVIII.

✠ HUGONI GROTIO.

ET literas & libellum cum iis ad me missum, accepi, præstantissime Groti. Quòd valeres, quòd me amares, simul didici, maximamque ex ea re voluptatem cepi. Nam etsi occasio necdum oblata est mihi testandi affectus erga te mei, ac judicii; certò tamen esse tibi cupio persuasum, ex omnibus, qui vel isthic, vel apud nos, aut ubivis gentium, excellentissimum tuum ingenium mirantur, neminem prorsus esse, qui magis te ex animo colat, & omnia læta à superis tibi optet. Equidem sic existimo; vestræ quidem Reipublicæ cum primis; sed & aliorum quoque populorum, virtutis amantium, & cultui Musarum politorum interesse, ut ipse . . . . *

* Reliqua desunt.

EPISTOLA MCIX.

✠ ἸΣΑΆΚΙΟΣ ὁ ΚΑΣΑΥΒΌΝΙΟΣ ἈΝΔΡΈΑ ΔΟΥΝΑΊΩ,

ἀνδρὶ τὴν παιδείαν ἄκρῳ, χαίρειν ἐν Κυρίῳ.

ΠΕρὶ τῆς προτέρας σου ἐπιστολῆς, ὦ θαυμάσιε, πάνυ τοῦ λοιποῦ ἀμφίβαλος ὤν, πότερον διαπέπλωκεν, ἢ διεκομίσθη· διεκομίσθη γάρ, καὶ αὐτῇ ἐγὼ ἡδόμενος πάνυ καὶ γεγηθὼς ἐνέτυχον. Τὸ γὰρ ὑγιαίνοντά σε περὶ τοὺς λόγους, τὰ σὰ παιδικὰ διατρίβειν, ἅμα δὲ καὶ ἐμοῦ συνεχῶς μνημονεύειν, χαρᾶς ἐμοὶ οὐ τῆς τυχούσης. Σὺ μὲν τι ἐξ ὑπονοίας πεπαίσας (ὡς ἡ δευτέρα σου ἐπιστολὴ ἐδήλωσε) ὀλωλέναι τὰ πρότερά σου γράμματα, οὐ πάντως ὦ τᾶν ἥμαρτες, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀληθείας ἔτυχες. Συνέβη γὰρ ἀριστερᾷ τινὶ τύχῃ, ἐμοῦ τὴν παρά σου χρυσοτέραν χρυσοῦ γραφὴν κομισαμένου, μετ' ὀλίγον αὐτὴν ἀφανῆ γενέσθαι, καὶ τελείως ἀπόλλυσθαι· ὥστε ζητοῦντά με πολλὰς ἡμέρας, καὶ πάσας τοῦ Μουσείου, μᾶλλον δὲ ὅλης τῆς οἰκίας διφῶντα τὰς γωνίας, καὶ πάντων τῶν ἐμῶν χαρτῶν τοὺς γεγάθους ὡς ἀκριβέστατα ἐρευνῶντα, μάτην μέχρι τοῦδε πονῆσαι, τὸ οὕτω φιλοτίμως ζητούμενον εὑρίσκειν μὴ δυνάμενον. Ἔστιν ἄρα καὶ τοῦτο ἓν τῶν ἐμὲ κωλυσάντων ἕως τῆς σήμερον προϋπάρξαντά σε τῆς φιλίας ἀμείβεσθαι· ὅπερ τὰ σὰ ἀναγνοὺς διενοούμην ἢ τάχιστα ποιῆσαι. Εἰ μὲν παρὰ τοῦτο μόνον ἐνεποδίσθην, οὐκ ἂν συνέβη με ὑπερήμερον καὶ ἐκπρόθεσμον τοῦ ὀφλήματος γενόμενον, ἀπὸ τῆς σῆς σεμνοπρεπείας διὰ δευτέρας γραφῆς ἀμοιβὴν εἰσπράττεσθαι. Ἀλλ' ἴσθι, προσφιλέστατε Δουναῖε, ἐν τοσαύτῃ ἀσχολίᾳ τὸν ταλαίπωρον τοῦτον διεξάγειν ἐμὲ βίον, ὥστε παρὰ τοῖς εὐγνωμόνως κρίνουσι, ἐλεεῖσθαι δίκαιος εἶναι, μᾶλλον ἢ κατηγορεῖσθαι . . . .

EPISTOLA MCX.

JACOBO I. MAGNÆ BRITANNIÆ, SCOTIÆ, &c. REGI.

Rex serenissime,

ERam traditurus jamjam has literas, cùm accepi à viro magno & bonarum partium, libellum κατὰ τῶν Λοϊολιτῶν, τῶν θεοστυγῶν, οἱ γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ φυγαδευθέντες, ἀκίνητον οὐδὲν ἀπολελοίπασιν ὥστε καθόδου τυχεῖν. Cùm igitur superioribus mensibus eò res videretur adducta, ut præsens exitium patriæ nostræ imminceret, vir ille, quem dixi, hunc librum scripsit τῷ δεσπότῃ offerendum; sed pio incepto fortuna intervenit: re enim evulgatâ ante absolutam editionem, tantum poterant fautores τῶν Λοϊολιτῶν, ut impediretur publicatio. Ego verò hoc exemplar nactus, ejusque lectione oblectatus, putavi rem me facturum Tuæ Majestati non ingratam, si id tibi mitterem. Sanè enim, Magne Rex, tua etiam & omnium Principum res hic agitur, cùm sit manifestissimum & exploratissimum vestra omnium fastigia deorsum ruitura, si huic hominum generi, ὃ μὴ γένοιτο οὐδὲ ἔσται, ex voto res succedant. Nos certè, si illi fuerint restituti, γῆν πρὸ γῆς cogitamus. Verùm de his, si per Tuam Majestatem licet, aliàs pluribus.

Tuæ Majestatis

devotissimus Servus,

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLÆ SELECTIORES, AD ISAACUM CASAUBONUM SCRIPTÆ.

EPISTOLA I.



CONRADUS RITTERSHUSIUS ISAACO CASAUBONO.

1595. *Hæc est responsoria ad Isaac. Casauboni Epist. XX.*

CUm multos sæpè multa audivissem prædicare de tua singulari humanitate, quæ cum excellente doctrina certaret, indeque audaciam sumpsissem ad te scribendi, & nullis antegressis meritis meis, nullâ etiam intercedente notitiâ aliquid abs te petendi; omnem meam opinionem atque expectationem vicerunt literæ tuæ. Non solùm enim quàm libenter in gratiam meam hoc effectum dederis, quod petebam; sed etiam quàm honorificè de me sentias, luculenter declararunt. Quamquam autem & res ipsa postulabat, & ego cupiebam maturare responsum, quo primùm gratias tibi pro tanto beneficio, & tam honesto de meis studiis judicio agerem; deinde rogarem te, ut quem semel inter amicos tuos recepisse videreris, eundem inter eos aliquo numero velles retinere: tamen jam tertium mensem tacui, & ἀναντιφώνητον te reliqui. In quo tàm diuturno silentio meo nulla tamen culpa, aut accepti beneficii oblivio versatur; sed facilem mihi apud te excusationem fore confido, ubi intellexeris quibus studiis & occupationibus intereà impeditus fuerim. Nam ut ordinarios & penè cotidianos docendi & disputandi in Jure civili labores taceam, qui mihi quà publicè, quà privatim incumbunt, meque satis exercitum habent; non debui deesse clarissimi viri, Domini Joachimi Camerarii, amici mei magni precibus, quæ apud me pro ipsius meritis præceptorum vim habent. Is enim me rogavit, ut in recensenda altera Emblematum centuria, quam ex Historia Animalium deprompsit, & editioni paratam habet, operam sibi navarem: deinde ut ex adversariis & schedis paternis colligerem atque in ordinem redigerem Problemata quædam, quæ prioribus jam editis decuriis Appendicis vicem adjungi possint. Accessit etiam (ne quid dissimulem) εὐλάβεια quædam & ἀπορία mea, dum non reperi quibus verbis tibi satis dignas gratias agerem. Quanto beneficio me affectum abs te esse putem, vel inde licet colligas, quod Oppianum meum tuâ singulari ope ac fide receptum primò manibus tenens, tenere me non potui, quin præ gaudio pronuntiarem versum Aristophanis: 1595.

Ἆν πέτομαι;
Ὡς ἥδομαι, καὶ χαίρομαι, καὶ βούλομαι χορεῦσαι·

idque audientibus quibusdam nostræ Musæ adolescentibus, qui mihi tùm fortè aderant, cùm fasciculus à te redderetur. Etsi enim horum scholiorum juvenilium, si perpetuis tenebris damnata nunquam ad me rediissent, facilis & εὐκαταφρόνητος erat futura jactura; tamen his recuperatis quàm mihi suavis sit recordatio studiorum adolescentiæ, non possum satis exprimere, ac tu de te ipso facilè æstimabis. Hoc autem quantumcunque est, tibi totum debetur. Tu Ilium (ut rectè scribis) expugnasti, & Helenam istam Menelao suo restituisti, absque quo esset, nunquam mea recuperassem. Atque hic illud mihi permolestum & incommodum accidit, quòd cùm adversus te cupiam esse gratissimus, & beneficium tuum publicè apud quàm plurimos prædicare, hoc ipsum facere mihi non licet. Quantum enim debitæ laudis tuæ fidei ac virtuti tribuero, tantum opprobrium in socerum tuum contulero; quandoquidem quàm honesta fuit tua redditio, tàm iniqua fuit ipsius detentio. Nec tamen de ea me conqueri sinit, vel mea de homine optimè de literis merito existimatio, vel metus, ne per me inter vos jurgia aliqua seminentur. Quid igitur faciam? Quid aliud? quàm ut tanto

1595. tanto magis amore & observantiâ tui inardescam, quantò minus mihi conceditur flammæ huic aliquem exitum dare. Ac nihil magis optem quàm dari mihi occasionem, quâ ostendam quantùm vicissim tuâ causâ velim & possim. Diceres, pulchrè fœneratum tibi hoc officium, & secundum Plautum, Bonis ubi quid bene fit, gratiam eam gravidam esse bonis. Intereà autem dum res ipsa sequatur, confido de tua facilitate humanitateque, quòd qualicunque contestatione grati animi verbis factâ contentus sis futurus.

Porrò quòd me ad editionem eorum, quæ tuo beneficio recepi, hortaris, quodque me hac ratione de studiosis benè mereri posse putas, facis benignè. Et sanè eam curam nondum planè deposui: quamvis hæc statio, in qua me summus Imperator collocavit, alia studia jam postulet, ac mallem multimodis suo tempore ista prodiisse, cùm & pro honestis adolescentiæ rudimentis haberi, & veniam erratorum facilius propter ætatem minorem, in qua essent scripta, impetrare potuissent: sed tamen quicquid sit, etiam nunc mihi curæ erit editio, quamvis in eam aliquid sumptuum de meo erogandum foret. Tu verò, clarissime & doctissime Casaubone, cui & majores ingenii vires, & meliores occasiones ad hæc præclarissima studia excolenda ornandaque suppetunt, perge tuarum observationum editione & publicam utilitatem, & tui nominis honestissimam famam augere. Nam post editum abs te Strabonem, Laërtium, Theocritum, Theophrasti Characteres, Annotationes ad Novum Testamentum, & Pindarum, Pliniique Epistolas, expectamus etiam alios & plures ingenii industriæque tuæ fœtus, maximèque Athenæum, & cætera, quæ in Apologia Apuleji promisisti. Eam ego cùm semper plurimùm adamarim, & aliquando in gratiam juventutis nostræ imprimendam dare cogitarim, nunc magis & amo posteaquam abs te ita emendata est atque illustrata, ut nihil à quoquam melius fieri potuisse videatur. Quo nomine & gratulor tibi, & boni publici causâ gratias ago. Vale. Deus te servet florentem omnibus bonis, non solùm in hunc annum ineuntem, (quem tibi omni bonâ felicitate cumulatum esse cupio) sed etiam in multos sequentes. Iterum vale. *Altorphii, Kalend. Januar. inchoantibus annum à nato Christo*, CIϽ IϽ XCV.

Vix ausim à te novum beneficium petere, priusquam pro priore gratiam retulero. Sed si tibi placuerit Oppianum meum Epigrammate aliquo (quod citra suggillationem & offensionem 1595. *fieri tuì fiat, ut fieri posse puto) exornare, hoc velim tibi persuadeas, nihil posse mihi à te gratius fieri. Si quid ad me rescribere volueris, id vel Noribergam ad D. Camerarium, vel Heidelbergam ad Commelinum aut D. Posthium missum rectè ad me perveniet. Velim etiam audacter & tuo quodam jure mihi quidvis imperes, quod tuâ caussâ efficiam: non patiar desiderari officium grati hominis.*

Inscriptio.

Doctissimo & humanissimo Viro, ISAACO CASAUBONO, in celeberrima Schola Genevensi Historiarum & bonarum Literarum Doctori, &c. Domino & amico plurimùm honorando.

EPISTOLA II.

JACOBUS GILLOTTUS ISAACO CASAUBONO.

ACcepi à Bullione nostro, Casaubone doctissime, *ἐρωτικὸν δῶρον*, monumentum & pignus amoris, manu tuâ subscriptam, Apuleji Apologiam, immò tuam. Nam si cum ea conferatur, quæ huc usque nobis lecta, alia censeri potest. Summi beneficii loco munus illud habeo, fortassis indigno collatum, vel saltem immerenti. De reddendo, statim dum accepi, cogitandum mihi fuit, si gratus esse velim. Gratiam referre qui numquam potero, ingratus tamen esse desinam, si producam notitiam muneris tui, & ubique palam non in angulo & ad aurem confitebor me referre non posse. Ergo te laudibus & gratiis venerabor, qui me antequam noveris, diligere cœpisti *ἀυτοκελεύστῳ προθυμίᾳ*. Ego verò non modò amare statim ac literati labores tui tibi aures hominum ac januam famæ patefecerunt, sed admirari. Memoria & desiderium tui me semper tenebit; in quo si diutius ero, tandem illius expectationem explebo, si Deus volet. Quàm vellem posthabitis omnibus de Religione dissidiis, repressisque tandem animorum impetibus, viris doctissimis, Scaligero scilicet & Casaubono, frui nobis hìc liceret! His luminibus orbari Galliam non decet, à quibus omnis lux. Dum Suetonium, Athenæum & alios id genus Auctores à te recensitos, & ab infinitis salebris vindicatos expecto, gratias ago mirificas. Etsi amicitiâ tuâ dignum me judicabis, abs te vehementer etiam atque etiam peto, ut quam initio ostendisti,

1595. *Ad hanc respondet Casaub. n. XXVII.*

1595. disti, etiam ad exitum augeri & cumulari per te velis. Erit aliquando, ut si meâ operâ uti voles, benignè tibi & officiosè serviam. Literas ad te mihi dedit vir clarissimus, D. Thuanus Aymerius, quas Bullio noster perferendas recepit. Henricum Stephanum, quem nostri memorem esse cupio, salvere jubeo. Tu me dilige, & vale. Data *Lutetiæ*, *a. d.* XVI. *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCV.

Epistola III.

✠ CONRADUS RITTERSHUSIUS ISAACO CASAUBONO.

1595. QUæ ad tuas humanissimas literas, mense Junio ad me datas, statim rescripsi, ea te à D. Philippi Camerarii filio, clarissimi viri Jacobi Lectii domestico, accepisse confido. Nec jam ferè habebam, quod iis adderem, aut otium erat ad scribendum aliquid accuratius. Totus enim jam ab aliquot dierum hebdomadis fui in adornanda denuò Oppiani nostri editione, ad quam non contemnenda adjumenta nihil tale speranti attulerunt hac æstate amici mei magni, quos Heidelbergæ habeo. Tres namque Codices MSS. Halieuticῶn ad me miserunt, quorum duo ex publica Electoris Palatini Bibliotheca, tertius ex Friderici Sylburgii, amicissimi mei, deprompti erant. Ex his ergo non solùm lectionum varietatem, sed & Scholia Græca excerpsi, quæ ad hanc editionem accedent, ut suo tempore, ξὺν θεῷ, videbis. Hoc ipsum igitur tibi nuntiare visum fuit, quando hoc tempore aliud scribendi argumentum non succurrebat. Addo & hoc, Typographum me nactum esse tandem hisce nostris lucubrationibus ex animi sententia, & quo meliorem optare non potui. Is est Franciscus Raphelengius; qui oblato sibi à me hoc Auctore meisque in eum Commentariis, rescripsit mihi humanissimas literas, quarum ad te exemplum his inclusum mitto. Eum nunc, cùm tanta facta sit accessio, de qua nihil dum ipsi constat, promptiorem quoque & alacriorem fore confido. Mittam ante omnia, quæ ad hanc rem pertinent, Francofurtum ad ejus institorem. Faxit Deus, ut melior fortuna tandem respiciat optimum vatem, in quem quòd mea recuperavi, tibi uni id omne debetur ac debebitur semper. Utinam sit mihi facultas gratiæ tibi referendæ! Utinam & epigramma aliquod abs te habere possim, quo commendatior & ornatior meus hic labor in publicum & in manus hominum prodeat! 1595.

Dominus Firxius, quem in postremis tuis salutabas, hic non fuit. Audio eum bono loco esse in Aula Wirtembergica. Novi autem eum ante annos sex septem, cùm unà operam daremus Hugoni Donello piæ memoriæ. Fuerunt nobiscum superiore mense tres elegantissimi adolescentes, qui mihi de te omnia bona prædicarunt, quosque ego libentissimè audirem. Itaque parùm abest, quin mihi teipsum coram stiterint. Vis nomina? Tobias Scultetus; & ejus nobilissimus discipulus, Sigismundus Burgksusius; & Christophorus Colerus. Toto pectore exulto, cùm talia ingenia succrescere video, recta, proba, ad laudem in literis nostris consequendam erecta, nostrique amantia. Sed ohe, cur dixi exordiens, nihil me quod scriberem habere? qui paginam totam implevi. Nisi hoc ipsum fortasse nihil fuit. Tu tamen sic velim accipias, Vir humanissime & amicissime, quasi aliquid magnum fuerit, quia scilicet ab homine tui amante, tui observante profectum est. Vale. Sed ubi grandis illa, quam nuper minabaris, Epistola? Fac habeam, nisi me siti excruciari vis; quam & mense ab hinc altero, cùm dysenteriâ laborarem, satis molestam expertus sum: restitutus tamen Dei benignitate & ope, auxilio singularis amici mei, Domini Philippi Scherbii; cujus quædam ad te mitto. Meretur abs te redamari, qui te, tua omnia faciat plurimi. Iterum vale & salve à me, à collega & compatre meo conjunctissimo, Domino Scipione Gentili. *a. d.* V. *Septemb.* CIↃ IↃ XCV.

Inscriptio.

Clarissimo doctissimoque Viro,
D. ISAACO CASAUBONO,
Professori Genevensi, &c. amico optatissimo, & plurimùm mihi colendo.

GENEVAM.

Epistola IV.

FRIDERICUS LINDENBRUCH ISAACIO CASAUBONO. ✠

PUtasne tu, Vir doctissime, dici posse, quàm validè exultaverim, lectis tuis ad me humanissimis suavissimisque literis? Affirmo tibi, lætiorem nunquam fuisse puto invento suo Osiride Isidem, quàm ego, cùm me isthæc invenit felicitas; ut etiam meritissimâ voce proclamarem, εὑρήκαμεν συγχαίρομεν. 1595.

1595. μων. Licet autem quod nunquam habuimus, perdidisse nos dicere non possimus; ego tamen quod nunquam perdidi, repperi, hoc est, te in amore mecum conspirare perspexi. Et profecto affatim satis mihi factum fuisset, si tantummodo amari te permisisses; non contrà esset amor mutuus inde mihi. Abeat nunc illa olim sententia, esse quiddam in studiis ἀκοινώνητον. Enim tu aliter probas, & studia esse, quæ etiam in diversissimis oris positos concilient, atque ad amandum provocent, ostendis. Tamen alterum illud nimis etiam quàm verum est, & sæpe exempla obviant. Isti viderint quàm sapienter faciant; nos, mi Isaace, firmiter amemus. Ego ita spondeo; in cujus rei monumentum non vena in pectore incisa & sanguine hausto, (qui Veterum quorumdam mos fuit) sed animum hunc offerendo, ætatem me in fide permansurum, nullamque causam admissurum, quî amicitia nostra violari possit, liquidò sanctèque juro. Misi tibi ante menses aliquot Paulum Diaconum de Langobardis, & varias quasdam lectiones in Suetonium. Ego nunc paro, quod jam antè quoque perscripsi, Isidorum cum glossis ejus; & cùm ille absolutus fuerit, apprehendam Jornandem, cum Isidori Historia de Wisogothis, Wandalis, &c. ut uno volumine edantur, Jornandes, Isidorus, & Paulus Diaconus de Langobardis. Tu me juvabis. Nescio etiam quid interdum in vitis Imperatorum moliar. Hercules, tuus iste labor esset. Et rectè tu quidem ageres, si quemadmodum nuper Suetonium exhibuisti, ita nunc quoque Spartianum, Capitolinum, & reliquos ejusdem notæ. Sed, mi Isaace, quare non edis Astrampsychum? O quàm bonum factum, si cum Artemidoro ederetur! Per genium tuum te quæso, id facias; rarissimus enim uterque liber est, nigroque simillimus cygno: mihi, ut verum fatear, cum legere vix contigit. Nunc quid de his locis sentias quæro. Tertullianus de Pallio, lib. 2. Montium *scapulæ* decurrendo, & fontium venæ ebullando, & fluminum viæ *obumbrando*. κεφ. ιζ sapientes vocas totum *quietis* magisterium. De Spectaculis, 17. Ipsæ illæ pudoris interemptrices de gestibus suis ad lucem & populum expavescentes, *semel anno erubescunt*. Quando hoc factum? In Spartiani Adrian. p. 29. Ald. edit. Catacriani libri. Hæc me doceas rogo. Vale, Vir præstantissime. *Lugduni Batavorum, a. d.* XVI. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ XCV.

Literas tuas, quæso, Hamburgum mitte, ad Erpoldum Lindenbruch; is citò & sedulò ad me perferendas curabit. 1595.

Inscriptio.

Eruditissimo amicissimoque Viro,
ISAACO CASAUBONO.
GENEVÆ.

EPISTOLA V.

HENRICUS WOTTONIUS ✠ ISAACO CASAUBONO.

INclusas ad te dederam ante tres menses; & iterum redierunt ad meas manus; metu longi itineris an negligentiâ mercatorum nescio. Aliquid audivi de tuo discessu Genevâ; sed adhuc, ut ille ait, sum similior ambigenti, & à te ipso expectabo veras rationes. Spero eundem Deum, qui nos dispersit, ita animos & vota nostra gubernaturum, ut iterum viventem valentemque videam Casaubonum meum. Hasce ad te curat deferri pro sua humanitate Domini Perotti adolescentior filius, quem nostratem feceramus, nisi hæreditas abripuisset. Maximum natu (quem intelligo apud te esse) rogo à me salutes quàm poteris humanissimè. Vale, salve, & ex hac festinatione velim conjicias quàm non abundo otio. *Pridie Id. Mart.* CIↃ IↃ XCVI. 1596.

Inscriptio.

Clarissimo Viro,
ISAACO CASAUBONO,
Amico antiquâ virtute & fide.

EPISTOLA VI.

JACOBUS LECTIUS ✠ ISAACO CASAUBONO.

PErculit validè animum meum quod nuntiasti discrimen Caiæ tuæ, imò tuum, imò & meum: sic enim, ut scis, prospera tua & adversa puto ad me omnia pertinere vel tuorum. Deo igitur laudes gratesque ago tecum; qui perire me voluit unum, non etiam te; ut ne etiam bis perirem. Differere de meis rebus, & prolixæ operæ, neque ocium sit. Tantùm dico expedisse magnam partem, & vendidisse bona, quæ hic, viginti millibus librarum Gallicarum: nisi quod agnatorum pupillæ meæ expecto consilium, ad quos scribo per hunc ipsum, qui & literarum, si quid dabis (id verò avidè oro) promptè referet. Tranquillitatis aliquid tandem huic Regno, incertum an mansuræ; & pro- 1596.

1596. propitia cuncta emergunt, si exceperis illa potissima, quæ πρὸς Θεόν. Vale, Vir doctissime, & lectissimam tuam simul & communes amicos ex me saluta. Raptim. *Matisc.* XXIII. *April. stylo novo*, CIↃ IↃ XCVI.

Inscriptio.

A Monsieur,
Monsieur
Isaac Casaubon.

Epistola VII.

✠ CHRISTOPHORUS FIRXIUS ISAACO CASAUBONO.

1596. AD tuas, mi Casaubone, hisce nundinis autumnalibus respondissem, nisi absentia mea fuisset in causa: mense enim Majo hinc denavigavi, & per Noribergam, Erfurdum, Brunsvigum, Luneburgam, Lubecam & Rostochium, Germaniæ civitatum vertices, in Daniam, ubi apud Regem negotia quædam cervici meæ imposita, feliciter, ut spero, deposui: illinc navem ascendi, & sex dierum spatio centum & octoginta millium iter tumido velo & secundo vento perfeci; inque Livoniam, patriam dulcissimam, appuli, quà uti & parentes & cognati & amici humaniter & liberaliter me exceperunt, quibus denique omnibus salutatis rectà per Borussiam, Pomeraniam & agrum Megapolitanum Stucardiam petii, quod actum & peractum proximâ defluxâ septimanâ.

En habes rudi Mivervâ iter semestre delineatum, quod satis firmo corpore decurri & percurri, ô utinam tam felici eventu, qui adhuc in Dei manu est, cui omnia committenda. Raritatem literarum in te excusas in me; ore tamen modesto & perhumano accusas: sed heus, uterque culpâ caremus; hanc enim legem, quam superioribus meis proximis dedi, nemo nostrûm violavit; scilicet ut omni tempore verno literulæ nostræ florescant, & autumnali fructus ferant; ita enim fiet, ut semper sint floridulæ & fructiferæ; nec interstitium illud rejiciendum, quod nobis primâ occasione arripiendum, meque jam id fecisse vides. Meæ, II. Kalend. April. datæ, utrùm tibi redditæ fuerint, non satis ex tuis intelligo: indolerem, si in alienas manas incidissent; quod non spero. Plura non addo temporis brevitate exclusus: tu, amicorum optime, vale unà cum tua suavissima uxore, cui meo nomine plurimùm salutis, nec non D. D. Bezæ, Lectio, Pinaldo, Colladono annunciare velis. *Stucardiâ*, *die* XIX. *Novemb.* CIↃ IↃ XCVI. 1596.

Samuel Bernardus te ex intimo sinu cordis salutat, & tibi omnia felicia exoptat.

Inscriptio.

Monsieur,
Monsieur
Isaac Casaubon,
Professeur en Humanité en l'Ecole de Geneve.
A Geneve.

Epistola VIII.

STEPHANUS TREMULÆUS ISAACO CASAUBONO. ✠

HOc etiam non ita dudum inaudiveram, Vir clarissime, venisse Legatum Monspeliensium, qui te peteret & abduceret unà cum tota familia: de eo me non amplius esse dubium sinunt tuæ literæ; & hoc me malè admodum habet: etsi enim ex tuis sermonibus, cùm non ita pridem essem Genevæ, cognoveram tibi justas sanè ob causas propè certum & constitutum esse conditionem illam Monspeliensium accipere, sperabam tamen à Collegio Pastorum & Professorum Genevensium, aut saltem Dominis, quos tui retinendi si honorem & decus suæ Scholæ amant, cupidissimos esse debere sciebam, rationem aliquam inventum iri, quæ te, cùm tibi & familiæ tuæ abundè prospectum esset, ab isto discedendi consilio abduceret: sed quantum video nimis serò, aut non satis valida huic malo medicina parata & tentata est. Ergo Schola Genevensis suum decus & ornamentum amittet? Ergo, amicorum dulcissime, longiore adhuc intervallo à nobis disjungeris? Etsi mihi grave admodum fuerat, quum huc quasi extrusus veni, à quotidiano tuo conspectu & præsentia divelli; tamen hoc incommodum utcunque levabam profectionibus meis Genevensibus; tunc enim te videre præsentem, & tuo alloquio frui dabatur. Atque ex eo tantam voluptatem capiebam, ut inde quasi revirescere & corroborari amicitiam nostram sentirem. Hoc commodo & solatio deinceps, ut video, cariturus, quodnam aliud remedium dolori meo sperem aut quæram, quàm ut à te literas aliquando, & quum commodum erit, exspectem, quibus de tuarum rerum statu certior fiam. Non parum allevabitur dolor meus, quem ex remotiore tuâ absentiâ me capturum præsentio, si tibi ad professionis & erudi- 1596. *Responsoria ad Casaub. CIX.*

1596. ditionis tuæ dignitatem, & toti familiæ ad vitæ commoda, isthic quò cogitas benè esse intellexero; quod futurum confido, & ut sit, Deum Opt. Max. precor, & precari non desinam. Meas ego tibi vicissim literas, quibus te de rebus meis certiorem faciam, nisi eæ ob styli infantiam & scabritiem, notam, & oculos tuos nimis pertimescerent, pollicerer: amicitiâ tamen tuâ fretus, si ad me scribere non gravaberis, rescribam. Sed χάλκεα ἀντὶ χρυσῶν. Sanè nisi me familiæ in longinquas regiones transferendæ difficultas deterruisset, quum huc veni, ad ea loca, in quæ tu proficisceris, adjecissem oculos: quod si me occasio aliqua & necessitas major impulerit ad sedes mutandas (quod tamen temerè nolim facere) ea ipsa loca cogito, & illis Ecclesiis operam meam qualemcunque jampridem addixi. Cæterùm benè facis, quòd adversus istorum hominum, de quibus scribis, sinistra de tuo instituto judicia & sermones bonæ conscientiæ testimonium, tanquam firmissimam machinam, opponis. Quid enim aliud facias? Nam istis, qui nihil probant, nisi quod lubet, aut ex eorum consilio & sententia suscipitur, qui denique dum ipsis benè est, incommodorum & difficultatum, quibus alii premuntur, iniqui sunt æstimatores, rationibus numquam satisfacere possis. Quod rogas ut inquiram de libris Alberii, si alicundè potero rescīscere, ubi delitescant; sanè quod impressorum Codicum & compactorum habuit, (habuit autem perpaucos, ut audio, & quidem eos vulgares) illud cum reliqua suppellectile post ejus mortem publicè divenditum est: scripta autem & adversaria, si quæ reliquit, nescio ubi lateant, nec unde possim rescire satis video: quos enim verisimile est non ignorare, sat scio, si ex illis quæram, non indicabunt, veriti ne ipse aut ultrò, aut ab aliis summissus scriptis illis procurem exitium. Ex vidua Domini Bovii, quæ isthic est, vel apud Gradellam, vel cum Domina de Sansergues poteris vel per te ipsum, vel per alium intelligere ubi sint, & si comparandorum aliqua facultas est; neque enim eam id fugere puto. Non potui per tabellarium, qui tuas mihi reddidit, propter festinatum nimis ejus reditum, & occupationes muneris mei ad te rescribere, & aliam commoditatem expectare coactus fui. Vale, amicorum omnium meorum integerrime & princeps. Deus tibi iter istud, ad quod te accingis, & toti familiæ prosperum faxit. Collegæ mei tuis verbis à me salutati, tibi vicissim plurimam salutem & prospera omnia à Deo precantur. 1596.
Lausannæ, a. d. x. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ XCVI.

Tuus totus,

STEPH. TREMULÆUS.

Inscriptio.

A Monsieur,
Monsieur CASAUBON.
A GENEVE.

EPISTOLA IX.

HENRICUS WOTTONUS ✠ ISAACO CASAUBONO.

Immutari meum erga te animum! amicitiæ nostræ vinculum frangi ita ἀποτόμως! te amaturum me vel invitum, & à te alienum! 1596.

Hæ voces, mi Casaubone, altius descendunt in me quàm putas, & Deum testor, qui καρδιογνώστης & καρδιοπλάστης est, amicitiam nostram adhuc vivere & valere; de qua decet me primò loqui.

Veni ex Italia Genevam; quò nihil vocare memini præter memoriam virtutis tuæ apud me in congressu nostro inter Heidelbergam & Francofurtum quadriennium antè depositam. Conditio mea, cùm Genevam venirem, non nimis læta recipiebat se in hospitium tuum; unde post quatuordecim menses redii per Helvetios & Rhenana loca in illam patriam, quæ jam me biennium habuit. Sic ab Italia relicta ad hunc usque diem (*qui Decembris* XII. *est*) non tantum præteriit temporis, quantum ab illo primo congressu (quem cum lætitia repeto) ad renovatam Genevæ familiaritatem. Num igitur cùm notitiam tui in transitu vel salutationem veriùs tantùm non quadriennium deleverat, delebit minus ævi nostri spatium illas dulcissimas horas, illas hilaritates, illos amplexus & amores; postremò illa beneficia tua! Non est ita, mi clarissime Casaubone; urget me dies noctesque amoris tui conscientia, & sæpius ad te respirans à negotiis hos oculos flecto, tàm tui oblivisci nescius, quàm nunquam te amasse. Igitur Epistola tua ad Medousium cujusdam sollicitudinis rea est contra sanctissimas amicitiæ nostræ leges. Sed quia & ego vereor accusationem silentii, imitemur semel corruptos Aulicos, qui (ut Jurisconsultorum voce utar) depaciscuntur invicem crimina, vel (quod magnus Thucydides (quem sine te neque amaveram, neque intellexeram) observat inter mores Græciæ, sed Græciæ

1596. ciæ depravatæ) imponamus peccatis nostris honestiora nomina. Silentium sit modesta taciturnitas; diffidentia tua, sollicitus amor, addam, & vehemens; nam diffidentiam magnam esse in vehementi amore, me docuit Heliodorus tuus: ἰσχύεις (inquit) κατήχησα· nôsti locum. Hasce interscindere me cogit præter expectatum supraveniens occasio, sic ut cætera in proximam septimanam premenda sint. Interim velim scias eundem tibi me esse, qui ut sim es meritus, eundem fore, quem esse velis, nec amicitiâ tuâ esse cariorem ipsum in patriam reditum, aut quicquid hîc possidet vel sperat mediocritas nostra; quod videbis, nisi me vita deficiat. Salve, Amice, Hospes, Præceptor & Vir optime. *Ex Aula*, *die* XII. *Decemb.* CIↃ IↃ XCVI.

Salutes, quæso, amicissimis verbis istos omnes bonos viros, & præ aliis magnum Christiani orbis lumen, Theodorum Bezam.

Inscriptio.

Clarissimo Viro,

ISAACO CASAUBONO,

Amico antiquâ fide.

EPISTOLA X.

✠ CONRADUS RITTERSHUSIUS ISAACO CASAUBONO.

1596. SI tibi, Vir clarissime & amicissime, omnes meæ, quas ad te superiore æstate misi, redditæ essent, non accusares, scio, meam in scribendo negligentiam aut raritatem. Quod dum in postremis tuis facis, facilè inde colligo, non omnia, quæ ad te scripsi, pervenisse quo debebant. Ferendum scilicet hoc est nobis, quod alienâ culpâ factum est; quamquam ægrè fero quædam φιλόλογα, quæ literis meis aspersa cupiebam tuo judicio approbari, tibi non esse visa.

Quòd autem putas adeò me in Gunthero curiosum aut occupatum fuisse, ut ideò non scripserim, longè est, mi Casaubone. Toto enim semestri non aspexi; ex quo tradidi cum Annotationibus meis relegendum nobilissimo & ingeniosissimo juveni, Christophoro Pflugio; cui etiam debebit ille Scriptor, ingenii aut spiritus haud spernendus, imò etiam ut illo ævo mirandus, ut in Poliorceticis suis rectè nuper de eo pronuntiavit Lipsius. Nihil jam mihi aliud in eo restat, nisi ut confecto Indice & additis Præfationibus, quæram Typographum & patronum. A te verò multo avidius expecto Athenæum; quo absoluto, quid vetat quò minus ad Polybium accingaris? Eum te publicè jam interpretari libenter audivi superioribus diebus, de Zastriselio & Joanne Paludio, qui à vobis reversi hac transierunt, ac jucundè nobiscum fuerunt, referentes ea, quæ mihi de te ac aliis isthic doctissimis viris gratissima auditu erant. Scripsit ad nos non ita pridem D. Franciscus Junius Lugduno Batavorum, se Tertullianum nobis è proximis nundinis editurum, anxiè à se emendatum; cui aliquot libellorum variantes lectiones & emendationes è MSS. Codd. depromptas submittet Gaspar Scioppius, amicus & convictor meus. Hujus, credo, verisimilia jam pridem accepisti. Francofurto enim ad te misi mense Septembri. Quid videtur, quæso? Satin' tibi calidus hic novus Criticus? Ego si quid à docendi aliisque laboribus datur vacui temporis, libenter & crebrò consumo in Chrysostomi Commentariis, seu Homiliis in Epistolas Pauli legendis; nec pauca observo, quæ mihi aliquando usui erunt. 1596.

Vivit quoque mecum familiariter elegans & eruditus adolescens, Christophorus Colerus, Francus, quem tibi quoque audio non esse ignotum. Is nunc prelo adornat Parerga Juris, & Plautinas Quæstiones. Scipio Gentilis, clarissimus & conjunctissimus Collega meus, te amanter salutat. Vale & salve, clarissime & eruditissime Casaubone, & me amare perge. *Altorphii*, XV. *Decemb.* CIↃ IↃ XCVI.

Tuus ex animo,

CONR. RITTERSHUSIUS.

Si possem ab elegantissima Musa tua aliquod meo Gunthero ἐπιγραμμάτιον impetrare, nihil mihi gratius posset contingere.

Inscriptio.

Viro clarissimo,

D. ISAACO CASAUBONO,

Philologo præstantissimo, Professori apud Genevenses celeberrimo, Domino & amico plurimùm colendo.

GENEVAM.

Epistola XI.

✠ THEODORUS CANTERUS ISAACO CASAUBONO.

1596. ACcepi, amicorum optime, superiori nundino literas tuas unà cum Curis tuis secundis ad Suetonium. Multis quidem nominibus probatur mihi industria tua, quam in hoc Auctore enucleando posuisti. Gratum etiam fuit ex iis intelligere, te eandem operam positurum in Spartiano & cæteris. Si enim quis alius, tu inter primos es, qui aliquid pretii in iis præstare possis. Ego primâ occasione eos iterum evolvam, scriniaque & schedas excutiam, & si quid notatu dignum repererо, libens meritò tecum communicabo, & primâ occasione ad te transmittam. Si forsan vitam Lucani, à Suetonio, ut putatur, conscriptam non habeas (verùm te non habere, ex secunda editione videor olfecisse) eam his literis inserui.

M. Annæus Lucanus, Cordubensis, prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine. Dein Civile Bellum, quod cum Pompejo & Cæsare gestum est, recitavit. Qui tantæ levitatis & immoderatæ linguæ fuit, ut in Præfatione quadam ætatem & initia sua cum Virgilio comparans, ausus sit dicere, *Et quantum mihi restat ad Culicem?* Hic in initio adolescentiæ, cùm ob infestum matrimonium patrem suum ruri agere longè cognovisset, revocatus Athenis à Nerone, cohortique amicorum additus, atque etiam Quæsturâ honoratus, non tamen permansit in gratia. Siquidem ægrè ferens recitante se, subitò, ac nullâ nisi refrigerandi causâ, indicto Senatu, Neronem recessisse; neque verbis adversus Principem, neque factis extantibus post hæc temperavit. Adeò ut quondam in latrinis publicis, clariore cum strepitu ventris emisso, hemistichium Neronis magnâ consessorum fugâ pronuntiarit:

Sub terris tonuisse putes.

Sed & famoso Carmine cùm ipsum, tùm potentissimos amicorum proscidit. Ad extremum penè signifer Pisonianæ Conjurationis extitit, multus in gloria tyrannicidarum prædicanda, ac plenus minarum, usque eò intemperans, ut Cæsaris caput proximo cuique jactaret. Verùm detectâ Conjuratione nequaquam animi constantiam præstitit. Facilè enim confessus, & ad humillimas devolutus preces, matrem quoque innoxiam inter socios nominavit; sperans impietatem sibi apud parricidam Principem profuturam. Impetrat autem mortis libero arbitrio, codicillos ad patrem corrigendos quibusdam versibus suis exaravit; epulatusque largiter, * brachia ad secandas venas præbuit Medico. † *Poemata etiam ejus prælegi memini; confici verò ac vænalia proponi, non tantùm operosè ac diligenter, sed ineptè quoque.* 1596.

Habeo & in schedis meis vitam Juvenalis, ejusdem, ut credo, Auctoris: si voles, primâ occasione mittam. Velim certè me studia tua posse juvare; sed ingenii felicitate destituor. Si quid ad Apulejum habeas, velim communicare digneris. His vale, amicorum optime, & nos, quod facis, amare perge. Raptim. *Ultrajecti*, CIↃ IↃ XCVI.

Saluta D. Lectium, & alios communes amicos. Resalutant te nostri.

* *Hinc sumpsisse videtur Eusebius, cùm inquit in Chronico:* M. Annæus Lucanus, Cordubensis Poëta, in Pisoniana Conjuratione deprehensus, brachium ad secandas venas Medico præbuit.

† *Hæc posteriora aliunde assuta videntur.*

Epistola XII.

JACOBUS GILLOTTUS ✠ ISAACO CASAUBONO.

Monsieur,

J'Ay reçu une belle & honnête lettre de vous, à laquelle je ne puis satisfaire de paroles, ni vous rendre graces telles que je voudroi de l'honneur de vôtre amitié. Vous avez tant de merites pour être estimé, aimé & admiré, que ceux qui ne le font point, se peuvent mettre hors du rang des hommes. Les temoignages en sont publics, & connus par consequent à tout le monde. Nous attendons de vous tout le secours contre la Barbarie & l'Imposture. Nous aurons le Commentaire sur Athenée fort cher, comme tout ce qui viendra de vous. Si vous avez par delà la commodité de l'impression, ce sera un grand avantage que vous mêmes avez l'œil sur ce qu'il vous plaira qui sorte en lumiere. Je me suis offert de vous envoyer le privilege ‡ tel que vous le pouvez desirer. Mais j'ay esté adverti qu'un de vos amis l'a obtenu, & le vous envoye. Que s'il faut envoyer ici imprimer, vous trouverez assez d'honnêtes hommes, qui prendront le soin de contenter vôtre desir; & bien que je soi des moins capables pour vous y servir, je serai toûjours le plus affectionné & n'y épargnerai ni temps, ni autre chose necessaire, tant pour vous temoigner mon affection que pour y pouvoir beaucoup profiter. J'ay vu par une lettre que vous escrivez à un de vos amis, que vous desirez une lettre de naturalité ┼, ou une declaration pour assûrer l'etat de vôtre famille, & éviter le soupçon d'aubene que vous ne devez aucunement craindre. 1597.

‡ *Vide Epist.* 137.

┼ *Vide Epist.* 149.

Nous

1597. *Nous avons jugé ici en nôtre Cour de Parlement pour enfans nez, où vous l'estes, desquels les peres & meres d'Orleans s'y estoient retirez, que l'on ne peut leur objicer la nativité, & sont revenus en France partager les biens de leurs parents, comme nez en France; retirez seulement pour la rigueur des Edits. Ne craignez donc pas cela, & ne l'apprehendez pas seulement. Il y a trop de prejugez & de jugemens en pareilles causes. Si toutes fois vous voulez contenter vôtre esprit, & vous preparer par une abondante cautele une sûreté ou securité plutôt, mandez le moy, je la vous ferai expedier, telle & si exacte que vous n'en serez jamais ni en soin, ni en peine, m'envoyant seulement un petit memoire, & me promets de vous donner contentement en cela comme en tout ce qui vous concernera. J'ay fait tenir vos lettres à Monsieur De la Scala: s'il m'en renvoye response, vous l'aurez incontinent par la voye de Lyon, où j'ai moyen de vous faire sçavoir de nos nouvelles. Nous vous desirons ici bien fort. Je vous supplie me conserver en vos bonnes graces, & vous servir de moy comme de celuy qui est & desire être toute sa vie,*

MONSIEUR,

Vôtre humble & affectionné Serviteur,

JAQ. GILLOT.

A Paris, le XXVIII. *Janvier,* CIↃ IↃ XCVII.

Inscriptio.

A Monsieur,
Monsieur CASAUBON,
A MONTPELLIER.

EPISTOLA XIII.

✠ JOANNES SÆKMA ISAACO CASAUBONO.

Salve à me plurimum, Vir maxime.

1597. *Hæc est responsoria ad Casauboni Epist. 75.* Literas tuas multò suavissimas ac humanissimas nuper accepi; quæ, quòd testarentur te, Vir clarissime, procul absentem me pari studio prosequi, quo præsentem complexus fuisti, sæpius lectæ relectæque fuere cùm à me ipso, tùm ab amicis; at nunquam sine nova voluptate. Pessimus sim, nisi tuam in me benevolentiam prædicem; ingratissimus, nisi me multis officiis beneficiisque tibi (quamvis tute, Vir clarissime, hæc neges, aut quæ tua est modestia, saltem extenues) obligatum esse agnoscam. Certè id maximum, atque adeò mihi palmarium puto, quòd à te, Vir præstantissime, dignus sim 1597.
habitus, qui in numerum tuorum amicorum reciperetur; non quòd nesciam nihil in me fuisse, quod tuam amicitiam mereretur; sed quòd mihi gratuler de singulari ac planè rara quadam tua humanitate. Dabo verò operam, ut (si quando facultas, aut occasio fuerit data) intelligas quantum ego me tibi hoc nomine debere existimem. Sed quid attinet multa verba pro rebus dare? Ego hisce apud te non Epistolæ, sed chirographi vim habituris literis recipio, me nullis officiis cuiquam tuorum clientum; seu, ut eos ipse appellas, amicorum cessurum. Suetonium tuum heic plausum tulisse mirum non est, cùm nostrates, (capio doctos) quin & passim omnes φιλόλογοι, omnia tua non minus polita quàm erudita esse judicent, adeòque cedro digna, ut est in proverbio. Ego verò quantum tuis scriptis, Vir præstantissime, (quamvis aliàs majora atque augustiora sint, quàm ut de iis judicium ferre possim aut debeam) quantum (inquam) iis tribuam, ipsus optimè nôsti. λόγῳ μὲν σε ἐπαινεῖν ἐπαχθέστερον· ἔργῳ δὲ σφόδρα ἐπαινεσόμεθα· προθύμως γὰρ τοῖς λεγομένοις ἐπακολουθήσομεν· nôsti cætera. Cùm ergo ita de te, Vir clarissime, existimem, & jure tuo, non erat quoque quod mirarere, Magnifico Domino Rectori, D. Drusio cæterisque Collegis venisse in mentem de te in Academiam nostram Franekeranam arcessendo. Egerunt ii seriò hoc ipsum superiore anno in Comitiis Ordinum, cùm quòd per te tanquam solem aliquem (ut sic dixerim) aliorum φιλολόγων Scholam nostram inprimis quoque illustratum iri arbitrarentur; tum quòd de tua pietate pari cum humanitate ac morum facilitate conjuncta, atque adeò in docendo dexteritate abundè ipsis, & relatu eorum, qui te familiariter penitiusque, Vir clarissime, nôrunt, cognitum exploratumque esset. Auribus tuis, mi Casaubone, aut amoris abundantiæ hoc ego & D. Drusius minimè dedimus; seriò id scripsimus, quia seriò id à D. D. Professoribus aliisque nonnullis tui studiosissimis agebatur, quibus nihil fuisset antiquius atque optatius, quàm si te, Vir clarissime, publico Ordinum decreto huc accersi vidissent. Sed etsi per consilia martialia, ac turbas nonnullas, quæ superiori anno Ordinum animos distringebant distrahebantque variè, minus ex voto successerit quod agebatur; nondum tamen spem omnem abjecimus, si modò Deus Opt. Max. pergat nobis concedere halcyonia, ut plusculum otii Ordinibus suppetat

1597. petat ad res academicas constituendas exornandasque in melius. Certè nos nihil magis expeteremus, quàm si te in Collegium D. D. Professorum adscitum viderimus. Faxit verò Deus, ut voti compotes, sed cum summo tuo bono, reddamur aliquando. Postremò iis, quæ à me de legitima ætate Judicum disputata fuere, plus à te, Vir clarissime, (qui tuus est candor) tribui video, quàm mihi mereri videbantur. Dum hæc talia scribo, nihil aliud ago, quàm ut absens per te proficiam, cujus in docendo perspicuitatem ac dexteritatem præsens sæpe sum expertus ac miratus. Haberem jam, de quo tecum conferrem lubens; sed Epistola hæc non capit. Vereor quin etiam ne diutius te, Vir præstantissime, teneam cum detrimento Reipublicæ literariæ. Nova nulla scribo, quia dudum mihi compertum est, te minimè εὐωχεῖσθαι καινοῖς λόγοις, ut Theophrastus tuus loquitur. Si tamen de rebus Belgicis quid intelligere lubido fuerit, ex clarissimo viro, D. Lectio nostro scies, cui scripsi. Hîc jam finio, cum voto pro salute tua. A D. Drusio jam literas quoque habebis, ut nuper audivi. Raptim. *Leoverdiæ*, XXV. *Februar.* CIↃ IↃ XCVII.

Tui studiosissimus,

JOANNES SÆKMA.

Inscriptio.

Clarissimo Viro,
D. ISAACO CASAUBONO,
Historiarum Professori in illustri Schola Genevensi longè celeberrimo, Domino & amico suo observando.

GENEVAM.

EPISTOLA XIV.

✠ PHILIPPUS CANAIUS A FRAXINIS ISAACO CASAUBONO.

1597. Binas tuas *, a. d. VI. Kalend. Mart. datas, accepi, Vir maxime. Quamvis te excusatione apud me uti, quem optimo jure tuum esse non ignoras, iniquius feram, quod nimis aulicæ cautiones illæ nescio quid diffidentiæ aut dubitationis de nostro in te affectu admistum habere videantur; ea tamen est genii & ingenii tui in me autoritas, ut & ingrata gratissima nullo negotio efficiat. Utere igitur imperio & prærogativâ tuâ, ut lubet; ego omni studio & officio enitar, ut intelligas meum velle à tuo nullum discedere. Res tuas isthic εὐοδεῖσθαι nobis pariter gratulor, cùm nostra nos tangant pariter. De Zoïlo verò quod indicas, non tantùm 1597. non irascor, sed & lubentissimè audio. Ut enim diem tenebræ, corpus umbra, ita virtutem opposita commendat invidia, quæ alioquin hoc contrario destituta languere & minus agnosci videretur. Verùm ut ἐναντιότης hæc luceat magis, & ad ἄμεσον ἀντίφασιν adducatur, equidem optarem, ut absoluto, quod tractas, argumento, apertè in Philosophiæ adyta irrumperes, & aurea illa Aristotelis de Moribus susciperes. Rem faceres te dignam, & ex qua quid distent χρύσεα χαλκείων, omnes intelligerent. Scio enim istos δοξησισόφους in ea præcipuè palæstra, quasi suo ludo aliquatenus adjuncta, suam industriam venditare. Sed tamen nihil præscribo; quin potius quod à principio fecisti, idem semper ut facias necessarium puto, nempe ut ex clarissimi Philippi Ranchini, & selectorum amicorum consilio navem tuam gubernes. Sic enim & occultas syrtes vitabis, & in portu à Divina quidem Providentia tibi monstrato, sed minus fortè adhuc cognito, tutissimam tibi stationem munies. Unum tamen monitum te velim, ne ad Grammaticorum subsellia deduci te unquam patiaris; sed vel Jurisprudentiæ, (quod nunc incredibili cum laude facis) vel Historiæ, vel Philosophiæ, vel etiam interdum Medicæ (in qua quid possis, & Athenæus & Theophrastus, cùm voles, loquentur) auxilio dignitatem tuæ Philologiæ in novis hisce sedibus asseras, & amicorum clarissimorum studia in te foveas. Quidquid verò instítues, dux adsit semper Deus rectorque, & omnes actiones prosperet; ut qui invidet, invideat magis, dentem fatigans dente ringatur, lue se maceret tabidâ, &... Cæterùm discessum ad v. Kalend. April. aut circiter rejeci. Tuas igitur ad semones illos Parisienses intereà parabis, & meum hoc consilium apud te premes, donec literas ad Consules vestros mittam, ne si fortè inopinata quædam impedimenta superveniant, levitatis notam subeam. De schedis tuis excusationes nullas admissurum me iterum edico. Quid in Veterum scriptis valeas, satis notum. Orationem nobis debes suo Marte decurrentem. Dilationem justam non nego, dum te debere & brevi soluturum spondeas. Accursianum illud corpus planè nolo, nec cur Tornæsius non petitum miserit, capio. Cum illo igitur agas velim, simulque roges cur duos Vitruvios vendat, cùm nullum alium quàm quem à te expecto, acceperim. Silentium nostrum apud clarissimum Lectium excuses oro. Sum sanè otio-

* Num. 117. 118. pag. 64.

1597. otiosorum omnium occupatissimus, & publicæ hujus vitæ interruptiones graviores in dies sentio, etsi me quantum possum abscondam, & privatæ quietis retinendæ rationes omnes tum naturâ, tum arte persequar diligenter. Quas ad Bongarsium nuper misi, sedulò ut cures iterum rogo. Filiola nostra, natu minima, ex variolis ægrotat. Idem reliquis timeo: sed & tuæ vix eandem fortunam effugient. Rectè igitur feceris, si Medicorum aliquem, ut in Suetonio fecisti, in amicorum numerum admittas. Post magnum illum Harserum *, qui nunc apud nos est, D. Vareudalium plurimi facio. Illum si nostro nomine salutaveris, quidquid de illius eruditione & prudentia à nobis audiveris si referas, rem facies mihi gratissimam, & tibi, ut spero, tuisque non inutilem. Ineunte vere frequentes isthîc morbos & acutos grassari audio. Valetudinem igitur cura diligenter. Ego & uxor, Dei beneficio, valemus, tibique ac tuæ bona omnia precamur à Domino. Iterum vale. Data *Casserone*, *a. d.* IV. *Id. Mart.* CIƆ IƆ XCVII.

* Al. *Harsenum*, vel *Harsium*.

Si nimis molestum non est, velim optimum virum, mihique amicissimum, vicinum tuum, D. De Farges, Rationum Magistrum, nostro nomine officiosè salutes, & indices brevi me ad eum scripturum. Tecum enim garriendi finem non invenio, & Verosantius moram negat longiorem.

Has cùm clauderem, tuas a. d. pridie Non. datas, accepi cum libris, quos sanè omnes præ mellitissimo tuo melle parvi facio. Macte igitur his officiis, etsi vis non quotidie, sed & singulis horis roga, intercede, commenda. O me felicem, si sæpius mihi sis molestus!

EPISTOLA XV.

✠ ELEAZAR PEREALDUS ISAACO CASAUBONO.

Doctissime Casaubone,

1597. NOn possum non mirari, quòd ne verbulo quidem me dignatus es, ex quo Monspelium concessisti. Scriptæ sunt à te frequentes ad alios literæ: sed ego indignus sum judicatus, ad quem VALE & SALVE scriberes: scilicet hoc modo ulcisceris eum, qui & verbo & re studiosissimus est tuæ dignitatis, qui tibi tuisque omnia precatur prospera? Sed comprimam orationem, ne fortè sit iracundior. Expectavi multos jam menses amicas à te literas, quemadmodum cùm hinc discederes pollicitus eras, ut consilium tuum sequutus, beneficio tuo opellam meam 1597. vestræ Academiæ, si modò aliqua in parte utilis & grata esset, lubens præstarem: sin minus, cogitationes meas aliò transferrem. Nunc igitur abs te peto, mi Casaubone, ut pro veteri nostra amicitia, primo quoque tempore admoneas quid mihi censeas faciendum. Diuturniorem moram res meæ non patiuntur. Vale, nostri memor; Deus te & lectissimam tuam uxorem, suavissimos etiam liberos tuos quàm diutissimè conservet incolumes, & universæ familiæ tuæ benedicat. Breviloquentem me facit tabellarii festinatio, & obsignandæ sunt literæ priusquàm de statu nostræ Scholæ quicquam à me scribi possit; sed, ut spero, ab aliis, quos hîc habes numerosissimos, de his omnibus certior fies. XIV. *Jun.* CIƆ IƆ XCVII.

Tui amantissimus,

ELEAZ. PEREALDUS.

Inscriptio.

Doctissimo Domino,

D. ISAACO CASAUBONO,

Historiarum & Eloquentiæ Professori celeberrimo.

MONSPELII.

EPISTOLA XVI.

PHILIPPUS CANAIUS A' FRAXINIS ✠ ISAACO CASAUBONO

CUm de tuo silentio non mediocriter sollicitus essem, & valetudini 1597. tuæ imprimis metuerem, binas tuas †, † *Num.* 132. 133. a. d. IV. Eid. datas; accepi; quæ cùm te animo magis quàm corpore ægrotare indicent, equidem quo te adjutem curamve levassim non video, cùm ego contra medicinam à te expectarem. Etsi enim stamus omnes in eadem navi, scis tamen, mi Casaubone, nostrum parietem ardere, & in ἀπροσδοκήτῳ hoc incendio & rei meæ privatæ partem non exiguam, & sororis charissimæ & sanctissimæ fortunas omnes & consanguineorum ac affinium, populum non exiguum conflagrasse. Sed ne stomachum tuum jam per se nauseabundum tanti casûs amaritudine perturbem magis quàm purgem, en pro querelis novum animi robur cœlitùs nobis immissum ostento; & nobilissimæ illius Arriæ novissimum, *Non dolet*, candidè usurpo. Quid enim Regis Regnive statum doleam per lascivias & jocos tam securè, tàm libenter pereuntis?

1597. Ego scilicet homuncio Galliæ vicem defleam, in qua Gallum nullum testiculum video? Ego ex Reipublicæ curatione ad inopiam redactus publicam calamitatem lugeam, cùm Ætolos istos ærarii nostri Charybdes ἀχιλλειῶν ἀπομάττειν, & luxu ac deliciis plusquam regiis fortunæ publicæ insultantes aspiciam: sed ne animum tam recenti & gravi vulnere perculsum mali ipsius narratione exasperem, his omissis ad mitiora & gratiora transeo. Illustris ille Faber ab aula reversus per literas de tuo in hanc Provinciam adventu mihi gratulatus est, ut ex ipsius verbis intelligas. Rectè igitur feceris, si ad illum scripseris, & officia illa, quibus bonorum omnium animos tibi concilias, obtuleris. Tuas verò ut tutò accipiat curabo diligenter. Discessum, ut conjeceras, distuli. De tuæ professionis codicillis à Rege obtinendis quid cum Ranchino egeris, ne me lateat velim. Si quid enim omissum est, nostra opera supplebit. Cæterùm Prolegomena tua quamdiu debeas tandem cogita. Nulla enim dies te liberabit, nisi gravi cum fœnere præsenti pecunia de sorte satisfeceris. Adversus Philologiam quàm rigidus, quàm iniquus sit tuus Seneca, variis in locis meministi. Itaque non encomium dumtaxat, sed & apologiam para. Si typi vobis desint, ut splendidè in lucem exeat quidquid miseris, providebo. Plura addere cupienti interpellantium turba obstat. Vale, & me, ut facis, ama perpetuò, ô animæ meæ pars carissima, & tuam tuosque omnes meo meorumque verbis saluta peramanter. Vale. *Casserone*, *a.d.* XIV. *Kalend. Maj.* CIƆ IƆ XCVII.

EPISTOLA XVII.



IDEM ISAACO CASAUBONO.

MIraris fortè, suavissime Casaubone, quòd ad binas tuas non re-
1597. spondeam. Ego contrà te nondum advolasse, aut longiores illas, quas promittis, saltem non præmisisse valde miror. Et dum valetudini tuæ metuo, & causas omnes animo complector, quæ tam jucundi adventûs gaudium præcipere possunt aut differre, ita perturbor, ut nondum rediisse; sed adhuc longis terræque & maris spatiis à te abesse mihi videar. Hac verò molestiâ vel literulâ me liberabis. De me rebusque meis nihil interim scribo. Melius enim & tua & nostra coram inspiciemus. Ego cum charissima conjuge & dulcissimis pignoribus valeo. Deumque Opt. Max. oro assiduè, ut te cum 1597.
tua dilectissima tuisque omnibus tueatur incolumem. Bene vale, Vir maxime, & an superiores nostras receperis indica. Data *Casserone*, *a. d.* V. *Kalend. Jul.* CIƆ IƆ XCVII.

EPISTOLA XVIII.

JACOBUS LECTIUS ✠ ISAACO CASAUBONO.

FAceret Deus, mi Casaubone, uti 1597.
introspici posset abs te potissima portio mei; qui non tantùm ut ille ait:

Te veniente die, te decedente recordor;

sed & vitam sine te ago (testor sanctè) non vitalem. Cavesis ergo ne constantiam mei adfectûs parum nôsse, aut literarii officii diligentiam in me desiderare, vel joco & simulatione videaris; quæ res in hac solitudine mea, ac publicis assiduisque molestiis angorem tenerrimi pectoris mei asperet nimis. Abit insuper mœrente me Pacius noster; abituriunt alii plures. Per hos dies libellum de Juris methodo edidit ille, mihi inscriptum amicitiæ nostræ firmandæ: de Reipublicæ istius statu, deque Scholæ, is ipse melius coràm, quamque in melius neutra procedat. Cevalerii nostri obitus, pro dolor! mirum quantum utrique lugendus; addo Ecclesiæ, addo & mihi. Mea ad Macrum edo ego, & ad Symmachum fortè item adjiciam mox. Jacobus Monavius, vir clarissimus, amicam tibi salutem per eas literas, quæ ab eo nuper ad me scriptæ. Mitto & quæ Sækma ipse noster ad te. Mens mihi fuit ad clarissimum Camium scribere per hos ipsos; sed video me aliò jam avocari. Quæso, tu eum à me officiocissimè saluta, seu per literas, sive coram. Sorori tuæ, lectissimæ fœminæ, affui heri, & ab ipsa de ipsa, puto, disces. Scribam ad te quàm sæpissimè, dum mihi occasiones innotescant, quod rogare soleo Paulum Stephanum, fratrem tuum. Conjugem tuam, clarissimam fœminam, ego & mea ex animo salutamus; ego autem te cumprimis, ô amande, colende nobis semper. Data *Genevæ*, *a. d.* IV. *Kalend. Jul.* CIƆ IƆ XCVII.

EPISTOLA XIX.

✠ * * * SERRANUS ISAACO CASAUBONO.

Clarissime Vir, mihique optatissime,

1597. GRatiæ, quas de equo agis, non sunt æquæ; quia de re minima sunt maximæ, & de equo injurio & malefico, cui ego infensior essem, si vobis malum hoc casu majus creatum fuisset. Ne igitur, amabò, hoc tibi sit *δύσφημον* primo ad nos adventu, mihique cumprimis ne fraudi, qui D. Juliano nostro quasi inviderem, nisi te ἐξεπιτηδοῖς aliquando viderem in hac nostra casula, licet carceris mei squalorem adhuc ostentante: at quum ad nos veneris, accessu Musarum omnia collucebunt, quæ Parnasso attineri haudquaquam poterunt, quum te suas delicias nobiscum sentient. Quid? hunc ego jam splendorem persentisco: καὶ δή που τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ φοῖβος ἀράσσει· οὐχ ὁρᾶας. Equidem fateor, me tecum, non mecum planè ἐνθουσιάζοντα. Certè οὐ πάλλων οὐ παντὶ φαείνεται. Tu ad has oras, ut literarum sole ignorantiæ tenebras dispelleres: tu enim Oriens, ego Occidens. At quantulus sum, hos canos eidem Ecclesiæ sacro, cui juventutis florem dedicavi, donavi. Verùm cur tu à me Patriæ nostræ Antiquitatem exposcis, effœto sene, saltem παρακμάζοντα βίον ingresso? Hæc tuis manibus debentur. Conferam tamen in eo genere meam symbolam, & Circi nostri trophæique Mariani vestigia notabo, (tibi quidem hanc meam σκιαγραφίαν ἐκπλυνοῦντι) dummodò tu Platoni nostro novam meâ operâ παλιγγενεσίαν molienti obstetriciam manum dederis. Verùm de his, σὺν Θεῷ, aliàs, id est, ubi primùm areolam nostram expurgaverimus. Tu intereà, Musarum deliciæ, & amicorum amicissime, VALE & SALVE, quantùm quispote plurimùm, cum uxore tua, lectissima fœmina, quam uxor mea avet videre, κηρόθι μᾶλλον è Genevensis contubernii memoria optatissimam. *E Serrano nostro*, II. *August.* CIↃ IↃ XCVII. Raptim, festinanter, ut palam est.

Tuus planè, si suus,

SERRANUS.

Vigortio nostro plurimam, etiamsi ei quòd non rescripserit, penè irascar: at coràm viderimus.

Inscriptio.

A Monsieur & très-honoré Frere,
Monsieur De CASAUBON,
A MONTPELLIER.

EPISTOLA XX.

DAVID HOESCHELIUS ✠ ISAACO CASAUBONO.

LÆtari te mecum, Vir clarissime, si 1597.
Auctorem audias Veterum aliquem impressum iri, sat scio quare te quoque certiorem duxi faciendum esse, qui suo sumptu Bibliothecam Photii excudendam hìc sit curaturus. Quum verò vel in Athenæo, ne quos alios dicam, videris, quantum conferat, MSS. Codd. instructum esse; rogatum volui, si forsan tibi constet, ubi illius μυριοβίβλου (sic enim idem liber inscribitur) exemplum habeatur; ejus mihi usum impetres. Quos partim Româ, partim è nostra Germania sum nactus geminos, illi ambo non usque corrupti & hiulci sunt. Lampriam nuper misi. Aliud quod addam est nihil, quàm nostrum Velserum laboriosâ Consulatûs functione liberatum, Septemvirûmque dignitate ornatum esse. Quo nomine ipsi gratulor, ut plus ocii ad lucubrationes concedatur. Hæc raptim. Bene vale. *Augustæ, a.d.* v. *Kalend. Septemb.* CIↃ IↃ XCVII.

Tui amantissimus,

DAV. HOESCHELIUS.

Inscriptio.

Clarissimo & præstantissimo Viro,
D. ISAACO CASAUBONO,
Amico summè observando.
MONTISPELIÆ.

EPISTOLA XXI.

PHILIPPUS CANAIUS A FRAXINIS ✠ ISAACO CASAUBONO.

BInas à te hoc proximo biduo literas 1597.
accepi, a. d. IX. Kalend. Octob. & a. d. VI. Eid. Octob. datas, quæ mihi & gaudii & doloris causas non vulgares afferunt. Nam quà te valere & nostri memorem testantur, εὐαγγέλια jucundissimi & acceptissimi virtute mentem omni dulcitudine dudum vacuam, & variâ ægritudine confectam non mediocriter exhilarant: quà verò sæpissimè te scripsisse, ideòque breves esse indicant, quod ante dies non ita multos omnia scribendi argumenta exhausisses, meritò ex animo doleo. Ex quo enim ad matrem tuam abiisti, nihil ad me præter hæc duo Epistolia pervenit. Cæterùm de tua in nos fide & amore quid sentiam, officiis meis, non verbis cre-

1597. das velim. Et quamvis in hoc itinere literarum commercium omiserim, brevi tamen, Deo favente, cognosces te resque tuas mihi ita esse commendatas, ut pietati & studio in te nostro non immeritò acquiescas. Ex Thuani, præstantissimi Præsidis, literis quid de te inter nos agitatum fuerit, Vir summe, jam scires, nisi amici cujusdam Lugdunum proficiscentis discessum expectaret. Is enim ut est acri ingenio, Epistolam sine re mittendam non esse censuit. Interim igitur dum nuntius ille advenit, consilii nostri summam accipe. Et Thuanus & Pithœus, & quotquot hic Musas colunt, & tuâ & publicâ causâ te huc advocandum esse statuerunt. Ego rebus omnibus expensis, & præsentis tui statûs non ignarus, hac lege te venturum spopondi, si honestè, si literis regiis ad te & ad Consules, si absque ullo tuo sumptu ita voceris, ut postquam veneris, virorum gravissimorum desideria expleveris, Lutetiani incolatûs bona & mala exploraveris, liberum sit tibi aut redire, aut quæ proponentur conditionibus uti. Tu igitur si me, si te amas, paulisper sustine & reditum nostrum expecta, quem σὺν Θεῷ circa Natalia mihi constituo. Tum vero de his & aliis omnibus coram deliberabimus; Monspelium enim rectà cogito. Sed hæc nemini, si placet. A Ranchino nostro nihil recepi. Salvum illum ad vos revenisse, suâque præsentiâ aliorum negligentiam reparasse gaudeo. Sed quantum video,

Non omnis fert omnia tellus.

Musæ Lutetiam sedem sibi perpetuam elegerunt. Ambiani expugnatio Regno pacem, Regi autoritatem illibatam, literis otium pollicetur. Ignosce, amicorum maxime, homini occupatissimo, & publicis officiis privatisque tricis ita distracto, ut vix raptim has lineas absolvere liceat. Vale, ô animæ nostræ pars melior, & nos tuis precibus ac votis, ut facis, indesinenter adjuva. Data *Lutetiæ, a. d. Non. Novemb.* CIↃ IↃ XCVII.

Epistola XXII.

✠ FRIDERICUS LINDENBRUCHIUS ISAACIO CASAUBONO.

1597. Si moribus utriusque nostrûm convenire putarem, ut & tu nulla de causa amicitiæ fidem semel inchoatam desereres, aut ego altum tuum silentium non aliæ potius causæ, quàm mutati 1597. amoris ac benevolentiæ imputarem, cogita in quas suspiciones incidere possem. Sed absit, absit illud, ut aliter erga me modò te animatum esse autumem, quàm olim fuisti, cùm primùm me literis tuis invisere solebas. Tamen Cæsaris illud memineris velim, qui suos tàm suspicione, quàm crimine judicabat carere oportere. Pluribus te quidem alloquerer; sed cùm vererer, ne similem hæ fortunam paterentur ac priores, quas periisse miseras puto, hic subsistere malui; uberiores daturus, si ad has quàm citissimè rescripseris. Vale, Vir doctissime, amicissimeque. *Ex Holsatia, a. d.* IX. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ XCVII.

Tu tamen literas tuas Hamburgum mitte, aut ad Josephum Scaligerum, ad quem circa Kalend. Mart. denuò iturus sum. Cogitaveram ad te; sed id consilium mutare coactus sum.

Inscriptio.

Viro doctissimo amicissimoque,

ISAACIO CASAUBONO,

GENEVÆ.

Epistola XXIII.

OSEAS ANDREAS ✠ ISAACO CASAUBONO.

Ad quartum Nonas Decembris accepi, Vir plurimùm observande, eas, 1597. quas à fratre charissimo, Domino Villeteo, ad me perferendas curasti. Non possum non maximas pro hoc tibi gratias agere. Locorum distantia animorum voluntatem separare non potuit. Dominus Pinaldus, vir tibi mihique amicissimus, tuas mihi legendas exhibuit: iis partim læta, partim tristia continebantur, obitum dulcissimæ Elizabethæ tuæ *, gravissimum tuum morbum (ex quo tamen Dei beneficio convaluisti) nobis indicarunt. Tu qui aliis lugentibus saluberrima consilia, eximias consolationes impertiri solitus es, tibi accipe. Solet Deus ab oculis nostris dilectissima nobis auferre, ut ab ejus Providentia toti pendere discamus. Quantum lætitiæ attulerit mihi præterea jucundissimus ille nuntius, fratrem meum tibi, viro eximio, & in doctrina & moribus probari, dicere non possum. His adde quòd tecum & charissima uxore totaque tua familia, amicitiæ perpetuum fœdus pepigerit. His adjunctas tutò perferendas cures, iterum atque iterum peto . . . † mihique gratissimum fore

* Nata XII. April. mortua VI. Kalend. Septemb. 1597.

† Desf. verborum charta defectu.

1597. fore confido. Vale, cum tota tua familia. *Ex oppido nostro, a. d. IV. Non. Decemb.* CIↃ IↃ XCVII.

Inscriptio.

Clarissimo doctissimoque Viro,
ISAACO CASAUBONO,
Regio Professori, & Consiliario in Academia Monspeliensi.

EPISTOLA XXIV.

CONRADUS RITTERSHUSIUS ISAACO CASAUBONO.

QUàm libenter tecum, eruditissime & amicissime Vir, per literas colloquar, cùm occasio est, vel hoc tibi argumento sit, quòd binas intra paucos dies ad te scribo. Accedit & altera causa, quòd vel istæ, vel priores meæ fieri possit ut ad te non perveniant; sicut & aliis cùm meis, tùm tuis aliàs evenit. Duabus igitur ancoris tutius nitemur. Cùmque hæc mihi significaretur mittendi occasio, libenter eam arripui. De libello Homerico, quem præ manibus habeam, cùm datur ab aliis studiis respirandi facultas, nuper ad te retuli; quem utinam liceret, priusquam edetur, tuæ censuræ subjicere! Sed hæc tantùm voti res est in tanta locorum intercapedine. Nunc addo de alio quodam opusculo, quod sit velut προσθήκη quædam ad nostrum Oppianum; non enim meus ille magis est jam, qui edidi, quàm tuus, qui unicus ejus sospitator mihi illum recuperasti,

Isthinc unde negant redire quicquam.

Etsi enim non constitueram plus operæ illi Scriptori impendere, tamen nova auxilia ab Andrea Schotto mihi per Davidem Hœschelium suppeditata, ad hanc velut palæstram iterandam me facilè impulerunt. Codex est in Hispania Madriti recentiore manu Græci cujusdam descriptus, sumptibus ipsius Schotti. In eo cùm alia insunt, tùm (quod maximùm ad rem pertinet) Scholia auctiora in libros Halieuticῶν, & Paraphrasis Joannis Tzetzis in Cynegetica utraque descripsi: sed non utraque simul edere est animus. Scholia illa reservari poterunt ad alteram usque Oppiani nostri editionem, si fors fuat ut nobis viventibus exemplaria distrahantur, & renovandam editionem putet Typographus. Paraphrasin verò Græcam cogito seorsim edere, ut tamen cum Oppiano nostro, ab eo qui velit, conjungi possit. Sed quia nonnullis locis exemplar Hispanicum est mancum 1597. & lacunosum, circumspicio aliundè plenius quiddam, quod, nisi fallor, Bavarica Bibliotheca suppeditabit pario Marco Velsero, viro in summa dignitate summæ & singularis humanitatis. Cavendum tamen mihi erit, ne actum agam: id quod fieret, si fortè illa Paraphrasis jam antè ab alio sit edita: de quo si quid tibi constat, quæso, commone. Aldus avus in Præfatione ad Pindarum promittit Scholia in Oppianum; sed nec mihi illa videre contigit, nec edita puto. Sed hæc hactenùs. Scioppii μίλος tibi mittere visum est; quod boni consules. Ejus de Arte critica Commentarium, qui jam sub prelo, non improbabis, spero. Bene vale. *Mense Decemb.* CIↃ IↃ XCVII. *ex Acad. Altorfina.*

Tui amantissimus,
CONR. RITTERSHUSIUS.

Inscriptio.

Clarissimo Viro,
ISAACO CASAUBONO,
Philologo præstantissimo, & bonarum Literarum Doctori apud Montem Pessulanum, &c. Domino & amico plurimùm colendo.

EPISTOLA XXV.

JACOBUS LECTIUS ✠ ISAACO CASAUBONO.

DEbeo ita, mi Casaubone, quoties 1598. scribendi facultas est, eam arripere. Tum voluptas, saltem hoc modo tecum esse, & solitudinem meam hac tui imagine consolari. Per mihi gratum, quòd tuo in pectore memoria item constans mei, ut testantur literæ tuæ; quæ tamen ut nectaris istius sitio, nunquam mihi satis crebræ. Soceri tui doleo finem, & erit fortè quia obiit intestatus, ut præsentiam tuam res hæreditariæ desiderent, de quibus ampliter ad te Paulus noster. Utinam verò quod mihi assiduè votum in mente, hæc etiam maturet occasio. Quæ Wouweranus amicissimus idem & doctissimus sanctè promisit, exspecto pridem in dies. Et Symmachi editionem moratur una hæc caussa, alioqui prodituram his nundinis. Ei tu, quæso, à me salutem, & super beneficio isto preces. De statu rerum nostrarum iste melius, à quo istas accepisti. De tuis alii alia; sed ea demum credo, quæ tu ad me. Cogito propediem iterum ad te, per Belgam nobilem quendam iter isthuc præparantem.

1598. tem. Interim vale cum tua, & Dominum Ranchinum officiosissimè à me saluta. *a. d.* VI. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ XCVIII.

Quas hic adjunxi, quæso te, ad D. Pacium transmitte.

Inscriptio.

A Monsieur,
Monsieur CASAUBON,
A MONTPELLIER.

EPISTOLA XXVI.

IDEM
ISAACO CASAUBONO.

1598. ET adventum tuum præstolabar, mi Casaubone, nec literarum bajulus extitit quisquam dudum. Quia tamen diu moraris, pauca isthæc scribere visum, & manu licet imbecillâ, quia jam me dies plusculos domi continet valetudo, cui tu facies omnium optimè medicinam. Postquam enim à me abes, ὦ φίλοι, (fortè unus excipiendus alterve) ὐδεὶς φίλος. Nam amicitiæ sanctum nomen non temerè tribuo istis, qui nec ipsam... Sed quid multa! Nostris hominibus tanto contemtui hanc scio egone an jus nostrum; repere ut hîc penè pigeat, nisi si patria sit. Addo, nisi te socium sperem & consortem vitæ meæ, quantumcumque cœlestis destinat miseratio. Et spes meas is Senator, qui isthic nuper fuit, mirificè confirmavit. De eo negotio ego & Beza sæpe unà communicamus, & in eandem voluntatem ac tui amorem bellissimè conspiramus. Præsentia tua opus nobis, quam & scimus ad res tuas pro parte hæreditarias componendas omnino desiderari. Confido denique æquiores fore istos adversùm te, qui πάλιν ἀντάξιες ἄλλων. Neque contentioni parcam ego, si erit opus: non caussâ tuâ, aut tuorum; sed publicâ pariter nostrâ & meâ, qui votorum verticem attigisse me putabo, si reliquum vitæ iter dabitur cum amabilitate tua transigere.

Te spectem suprema mihi cùm venerit hora,
Et teneam moriens deficiente manu.

Tuam à me saluta, etiam Wouweranum amantissimum. Sum in Symmacho, & prælo tradere parat Candolanus. Χαῖρε καὶ σπεῦδε. XI. *Maj.* CIↃ IↃ XCVIII.

Dominum Ranchinum etiam officiosè saluto.

Inscriptio.

A Monsieur,
Monsieur CASAUBON,
Professeur
A MONTPELLIER.

EPISTOLA XXVII.

PHILIPPUS CANAIUS A' FRAXINIS
ISAACO CASAUBONO.

LUtetiam te excurrisse, & jam in Aula 1598.
cum bonorum omnium gratulatione versari, etsi vehementer gaudeo, Vir maxime; vix tamen mihi tempero, quin de fati iniquitate graviter querar, quòd anno superiore illuc te non miserit, & veluti datâ operâ te hinc prius abire noluerit quàm me ad portas esse intelligeres. Sed dum tibi ex animi sententia res cedant, quod mutari non potest, eò æquius feremus quod præsentiæ tuæ fructum dilatum, non ablatum esse mihi persuadeam. Jam enim res Gallicas non ex aliorum narrationibus; sed ex rerum ipsarum usu & tractatione ita cognoscis, ut de Sabaudia aut de Germania repetenda cogitationem omnem dudum abjecisse te non dubitem. Quid enim terrarum orbis cum Lutetia una conferendum continet? Ubi, inquam, tantam humanitatem, ubi tanta literarum subsidia reperies? Cæterùm postquam quod dudum optaveras, tibi contigit, jam maturè deliberandum est quid tibi statuendum censeas. Ac si quid nostris consiliis tribuis, te tuaque potissimùm in hac deliberatione respicies. Satis hactenus aliis vixisti. Fac ut tibi quoque in vita bene sit, teque olim vixisse tui gaudeant. Sed cave verbis aut rebus incertis credas, ubi de re nummaria & perpetuo subsidio agitur. Si fortè stationem hanc retinendam putas, vide ne longiori absentiâ hominum nostrorum studia in te minuas, aut in hyemem reditum rejicias. De rebus nostris nihil equidem scribo; non enim vacat. Berticerius nos aliquantulum exercuit; jam enim quadragesimum hunc diem ipsius causâ ita perdidi, ut nullum vacui temporis momentum seponere licuerit; ac vix quidem his tuburcinandis datur otium, magnâ Diœcesium legatione à mane ad vesperam obturbante. Sed dum laboribus nostris publica tranquillitas firmatur, & leviter & libenter turbas nobis privatim dari ferimus, qui vitæ civilis incommodis dudum assuevimus, & Magistratum non sibi, sed Reipublicæ vivere non ignoramus. Familiam tuam valere, ex Dominæ tuæ literis intelliges. Casseronem cras, Deo dante, repetam, unde commodius & pluribus rescribam. Interim bene vale, ô anime mi carissime; & si feliciores amicos isthic nactus es, nemini tamen tuum Canaium fide, amore,

1598. re, studio in te concedere fac perpetuò memineris. Iterum bene ac feliciter vale. Data *Monspelii*, *a. d.* IX. *Kalend. Octob.* CIƆ IƆ XCVIII.

Epistola XXVIII.

IDEM ISAACO CASAUBONO.

1599. QUòd ad amantissimas tuas *a. d.* VI. *Eid. Januar.* & XVI. *Kalend. Februar.* datas, & tardè, & breviter, & ἀμέσως planè respondeo, excusare apud te tum demum aggrediar, Vir maxime, cùm Apollini & Musis mecum in gratiam redire visum fuerit. Equidem etsi in Palatio illis olim sedem & ædem datam acceperam; falsò tamen id jactari experientiâ magistrâ affirmare non dubito; nullumque secretum & secessum amantibus, in hoc æstuario & sinu verè fanatico locum superesse, ubi non somnum, non cibum capere, nec togam ponere; non uxorem, non filiolum alloqui extra turbam & interpellationem unquam contigit: ubi

Sive lux fundat radios micantes,
Sive nox fundat tenebras opacas,

Aulâ vacuâ frui non licet. Jovem illum φίλιον testor, clarissime Casaubone, à Kalend. Januar. in Musæo vestigium facere fas mihi non fuisse. Cæterùm redeunte ad suos nostro Sarraceno, quem tutò has tibi redditurum confido, consilium tuum de Lugdunensi itinere ac mora mihi magis magisque probari, dissimulare non possum; sub illa tamen clausula, ne reditûs spem præcidas, imò invitum te ac publico tantum bono, magnoque tuo incommodo evocari; sed cùm primùm lucubrationes tuas diu nimis pressas & flagitatas extra mortalitatis aleam posueris, redeundi animum tibi non defuturum, bonis omnibus persuadeas. Nam si quid nostra isthuc tralatio ad hoc facit, rem tibi confectam intra paucos menses reddam, si Deus volet, & Rex, ut ajunt, nos inviset, quique hujus consilii se auctores profitentur, bonâ fide id agunt. De illa acroasi physica quid judices dudum expecto, & si libro non uteris, ut tutò remittas obnixè rogo; nullum enim aliud ἀντίγραφον superest. Filiam primogenitam post longam & diligentem inquisitionem generoso juveni, Baroni De la Guepie, ex Provincia Cadurcensi, statim post Paschalia despondere, Deo favente, statuimus. Cætera Sarracenus narrabit, cujus luctus dolore nos peracerbo perfundit, tùm ob amissi amici, viri optimi & doctissimi, recordationem; tùm ob illam ἀδιαχώριστον ab 1599. ejusmodi casibus inseparabilem: dum mecum reputo, quid si de nobis idem statuat summus ille Arbiter, & infectis meis rebus me meis subripiat?

At tu, ô nostræ gentis ab ultimo Protector ortu, ignosce, & vana ista terriculamenta præsidii tui fiduciâ procul abige. Bene ac feliciter vale, ô vitæ nostræ vita charissima, & nos tuis votis ac precibus juvare numquam desine. Iterum vale. Data *Casserone*, *pridie Kalend. Februar.* CIƆ IƆ XCIX.

Quas ad D. Vicquium scribo, tuæ curæ, si molestum non est, commendo.

Epistola XXIX.

LEO SCHELTONIUS ISAACO CASAUBONO.

SCio, clarissime Vir, eas esse curas & occupationes tuas, ut nullis scriptionibus sis interpellandus. Coëgit me tamen ad has & tui & urbis desiderium, quibus jam id spontè defero, quod nuper rogatus recusabam. Non quòd hic spe meâ deciderim, cavi quippe quamvis imprudens, ne fundamento inniterer parum firmo; sed quòd vix feram mutuas contentiones, quibus hæc urbs laborat: quæ quidem eò mihi sunt molestiores, quò homines ipsi agrestiores. Quocirca si quid mea opera vobis prodesse possit, eâ utimini. Quod mihi per hominem eum, quem nuper commendavi, facilè Dominus significabit. Vale, clarissime Vir, & me tibi habe commendatum. Data *Clerimontiæ*, CIƆ IƆ XCIX. 1599.

Tuæ Dignitatis studiosissimus,
LEO SCHELTONIUS.

Inscriptio.

Amplissimo, clarissimoque Viro,
Isaaco Casaubono,
Professori Regio,
Montispelii.

Epistola XXX.

CHRISTOPHORUS PUTEANUS ISAACO CASAUBONO.

HÆc tibi scribo, Vir clarissime, post longam & periculosam valetudinem lecto affixus, nec omnino febre liberatus, ita ut vacillantes articuli vix literam pingere possint: tamen commoda occasio hujus hominis amici mei effecit, ut tibi hanc qualemcumque Epistolam, propensi in te animi mei testem, 1604.

1604. ſtem, ſcriberem, quâ te unicè rogo, ut candidè interpreteris, ſi nihil tibi literarum dederim, quod quidem malo animo non accidit, ſed incuriâ & veterno quodam, quo eorum mentes occupari ſolent, qui per varias urbes vagantur: habent enim dilatationes ſuas, quas penè non ſentientibus illis in longum attrahunt tempus. Velim autem tibi perſuadeas, me, quamvis Romæ vivam, nihil quicquam tamen de ſimplicitate illa Gallica, quæ inter amicos requiritur, mutaſſe. Illud addam, quod te imprimis rogatum valde cupio, ſcilicet ut benigno illo vultu, quo olim me accipere ſolebas, eodem fratres excipere non dedigneris; quod quidem ut ad me ipſi ſcripſerunt, pro ſingulari humanitate tua facis; quamobrem non poſſum referre tibi gratiam ſatis. Scribit ad me Pariſiis frater meus, ampliſſimum Thuanum graviter in me infenſum, quòd tam diu officium ſcriptionis intermiſerim. Diu cogitavi quibus rationibus & excuſationibus hanc facilem viam amoliri poſſem: tandem mihi perſuaſi, non aliâ quàm tuâ advocatione egere. Scio enim te facilè apud æquiſſimum judicem cauſam conſecuturum. Rogo ergo te per communia ſacra Muſarum, ne graveris hunc laborem pro me ſuſcipere; magno me beneficio devinxeris. Decrevi, cùm primum animus à febre liber erit, ipſe me quibus rationibus potero, excuſare. Interim ignoſces, ſi tibi hoc onus imponere audeo, quod meâ cauſâ libenter & æquo animo ſuſcipias. Diu multumque dubitavi, an tibi communicarem conſilium, quod ex eo tempore, quo à vobis profectus ſum, mirum in modum torſit. Quia autem eo honore me ſemper affeciſti, & ita me amaſti, ut quicquid communicaverim, ſemper libenter reſponderis; aperiam tibi, quid in animo habeam, quod primo aſpectu mirum videbitur; at quando conditionem meam perſpexeris, ſpero non tibi ingratum fore. Ex eo tempore, quo Romam veni, neſcio quis genius mihi ſuaſit, ut has literas humaniores, quibus ſeriò incubui, prorſus abjicerem; quod primâ fronte, ut verum fatear, mihi durum viſum fuit, cùmque per aliquot dies non levi curâ agitatus, advenerunt literæ clariſſimi atque humaniſſimi viri, Nicolai Fabri, quæ doctiſſimis & validiſſimis rationibus me ab iſtis ſtudiis revocabant & ad meliorem ſcientiam, Hiſtoriam nempe Eccleſiaſticam, ſive Theologiam, invitabant. Inſtitui ergo cùm primùm priſtinas vires reciperem, animum prorſus Hiſtoriæ tradere, ex qua potero ſanctiori methodo hoc ſtudium amplecti. Non deſunt hìc homines in his ſcientiis verſatiſſimi, à quibus conſilium expectari poteſt; ſed tuum imprimis expecto, quod mihi eſt inſtar omnium, & ſemper erit. Relinquam autem hæc ſtudia humaniora non prorſus, ut dixi; peccatum enim eſſe graviſſimum, ut tam citò hæc ſtudia, quæ tam ardenter amavi, quibus tam diligenter & cum tot vigiliis incubui prorſus, ut dixi, abjicerem. Nunquam profectò animum amittam doctos, inter quos primas tenes, amare, & quantum in me erit juvare, & undecunque potero libros in illorum uſum comparare. Hæc ſunt, Vir doctiſſime, quæ te ſcire volui, & nobis quid ſentias, quâ methodo, & quo libro inchoandum ſit, ſi gratum mihi facere velis, ſcribes. Edentur in Vaticano Concilia Græca, quorum primum volumen impreſſum eſt, & Arabica quædam, & opus quoddam Studitæ. Neſcio quo infortunio editio tam bonorum librorum intermiſſa eſt. Mirum quantum Librarii frigent in hac tam magna urbe: nam quamvis habeant libros ſatis communes, tamen nullum inveniunt emptorem. Vale, Vir doctiſſime, & me ſemper, ut facis, conſtanter ama. Iterum vale. *Romæ*, *a. d.* VIII. *Kalend. Januar.* . . . * 1604.

* *Conjicio* CIↃ IↃ CIV. *ex Epist. Françoiſe à Monſr. De la Scala, pag.* 483. *& Caſauboni Epiſt.* 380. *quæ ad hanc eſt reſponſoria.*

EPISTOLA XXXI.

DU PLESSIS ✠
à MONSIEUR
CASAUBON.

MONSIEUR,

Mes afflictions ont eſté telles, que pouvez penſer. J'en digere l'amertume le mieux que je puis; & ne puis trouver où les adoucir qu'en Dieu, reſolu auſſi avec ſa grace de luy donner le reſte de mes jours, leſquels deſormais ne peuvent eſtre que longs, pour courts qu'ils ſoyent. Je n'ay point vu Mr. Perillau depuis ſon retour. Il vous aura dit mon deſir pour ce qui eſt de vous, qui m'eſt commun avec pluſieurs gens de bien; & j'ay vu en ce que m'avez envoyé un eſchantillon de ce que feriez, ſi vous eſtiez rendu à vous-meſme, digne de vous; c'eſt tout ce qui ſe peut dire; qui me fait vous remercier affectueuſement, & vous importuner tant plus. Qui peut trouver eſtrange, que vous revoyez les Peres Grecs, pour nous donner en Grec ceux, que nous n'y avons point encor; nous rendre meilleurs ceux que nous avons? Ne ſont-ce pas productions communes? Et pour les Notes, vous les pourrez reſerver à imprimer à un autre temps. 1606.

Hæc eſt reſponſoria ad Epiſt. 509.

1606. *temps. Je feray tenir l'exemplaire mentionné en vostre lettre à Mr. Perillau. Quant à Mr. Trochorege, l'un de nos Pasteurs, je luy ay fait l'excuse, que m'escriviez sur la morosité de vostre homme, & il vous escrira au premier jour. C'est un personnage digne de vostre amitié & de tous les gens de bien. Continuez moy, Monsieur, la vostre, & faites estat de mon affection à vous honorer, & servir où j'en aurois le moyen.*

De Saumur, le 6. Juillet 1606.

EPISTOLA XXXII.

✠ JOANNES CASELIUS ISAACO CASAUBONO.

1608. SUb Non. Majas tuæ mihi redditæ sunt. Votum tuum pro salute mea sic accipio, ut minus iniquo animo expectem, quæ universæ senectuti impendent. τεθνάναι δὲ οὐκ ἔτ' ἀντηρῷ θεῷ. Intereà nostræ juventuti auctor sum, ut tu quoque de me sentis, studii sapientiæ. Ita autem passim negligi & contaminari meliores literas doleo, ut quis alius; pauci admodum nobis auscultant: plerique ad ea contendunt, in quibus splendor est & utilitas. Quòd etiam in luctu tuo me compellas, hoc me tibi cariorem intelligo, συμπάσχω deploranti immaturam mortem carissimæ filiæ. Rectè te ipsum colligis, quod tuæ præstantiæ est, & omninò potes, instructus omnibus, quæ à quoquam ad consolandum depromi possunt. Mihi sæpe solatio fuit amici sermo lugenti obsecundans. Fuisse apud te Arnisæum ex aliis mihi audivisse videor. Fortè & Peparinus tibi adfuit. Minimè enim te prætereat, qui & secum ducit, quos intellexeris. Moneor, ut ad te mentionem faciam cujusdam mihi familiarum Livonis, pernobilis juvenis, Theodori Faresbachii, cujus patruus Georgius, cum quo etiam mihi notitia fuerat, fortitudine & usu rei militaris nomen & amplissimas dignitates sibi comparaverat, atque ille ipse est, qui has tibi reddidit. De Oveni filio quid factum sit miramur, & parentes ipsi sinistrè suspicari incipiunt: modò vivat: comperiemus denique: etenim multos rogavi, ut inquirerent. Vale. *Helmst. ex Acad. Jul. Non. Januar.* CIƆ IƆ CVIII.

EPISTOLA XXXIII.

IDEM ✠ ISAACO CASAUBONO.

NOn erat, cur ad te scriberem. Etenim non minus è communibus familiaribus, quàm ex literis meis pro certo habes, me tui æquè observantem, quàm tu mei amantissimus es. 1608.
Hoc cùm nullus ipse dubitem, de me tibi sic affirmo, ut vir bonus sum, & haberi desidero. Scribo eò potissimùm, ut recognoscas, & plures & meliores esse, qui te sincerè omni observantiâ colant, quàm qui calumnientur. Hoc genus contemnere te certò scio, & me quoque oportet, etsi nullâ me re vobiscum comparo. Uti hic habitent Musæ, acceperis ex Arnisæo; plura è Peparino: hic etiam fortè has tibi reddet. Optimè autem, patrono Henrico Julio, Principe sapientissimo, nisi tumultus è vicinia ipsius super hac re & aliis gravissimis cogitationes interpellent. Vale. *Helmst. ex Acad. Jul. a. d. IV. Kalend. April.* CIƆ IƆ CVIII.

EPISTOLA XXXIV.

*** PELAGRANGE ✠ A MONSIEUR CASAUBON.

MONSIEUR,

INcontinant que j'eus le bonheur de 1608.
prendre congé de vous, remercier vos courtoisies & honnestetez, & vous offrir mon très-affectionné service, m'en retournant la Grand' Semaine en ma maison, & lisant chose digne de ladite saison, qui est la Passion de Nôtre Seigneur, je me suis trouvé empesché sur un passage de St. Luc au chap. 23. v. 11. où il est dit: Supervenit Jesum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum *veste albâ; au Grec,* λαμπρὰν ἐσθῆτα. Et Erasmus, Beza, & Arias Montanus vertunt, *veste coccineâ. Et de (Liva *) dit*, quod (hic †) Lucas *albam vestem* dixit, juxta alios Euangelistas, *purpureâ*, vel *coccineâ veste* indutus illuditur. Sic versiones Hebraicæ & Syriacæ *disent*, veste coccineâ: *& Mr. le President de Tolose*, Faber Agonisticon lib. 2. cap. 12. *l'apelle* vestem fulgidam, pellucidam, purpuream & rubram. *Tellement que par l'authorité de tous les susdits ce passage de St. Luc semble se devoir entendre non d'une robe blanche, (comme les vieilles Versions Latines & Françoises le tournent) mais d'une robe d'escarlatte rouge.*

* *vel,* Siva.
† *vel,* hinc.

1608. *Aussi le mesme St. Luc aux Actes des Apôtres, chap.* 1. *v.* 10. *parlant de l'Ascension, il dit*, dum ascenderet Jesus in cœlum, astiterunt duo viri ἐν ἐσθῆτι λευκῇ· *comme aussi St. Matthieu, chap.* 28. *v.* 3. καὶ τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ λευκὸν ὡσεὶ χιών. *Ils ne disent pas*, ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ *pour signifier le blanc. Ce que confirme Theocrite Idyll.* 8. *v.* 65. *où il dit*, λαμπούρι κύων, ubi Scholiastes ait, λαμπουρον esse nomen canis, ἀπὸ τοῦ λαμπρὰν ἔχειν τὴν οὐράν, ἢ πυῤῥάν.

Mais je suis en grand doute de ce qui est dit au contraire par Lipsius, Elector. lib. 1. cap. 13. Candidatos, qui dignitatem prensabant, induere togam candidam, ut hac quasi notâ intelligi & excerni possent à reliqua plebe, & vulgi togas esse albi coloris, non candidi; albus enim color nativus lanæ est, candidus verò propriè splendens ille, & qui est ab arte. Ideò Polybius inquit λαμπράν. Splendentem dicere maluit petitorum togam, quàm λευκήν, albam. Nam petitores non contenti insito lanæ colore, cretam addebant in vestem, ut candesceret, imò splendesceret. Hac ergo notâ discreti à vulgo κατ' ἐξοχὴν dicti candidati, ut apud Isidorum, fit toga addito quodam cretæ genere candidior. *Livius lib.* IV. Placet, tollendæ ambitionis caussâ, tribunos legem promulgare, ne cui album vestimentum addere petitionis caussâ liceret; *ubi Lipsius emendat*, ne cui album *in* vestimentum addere petitionis caussâ liceret; quoniam alba vestis non interdicta erat, sed additio albi in vestem. *Et semblable interpretation est en Plutarque*, lib. de Præceptis connubialibus: οἱ προσιόντες ἐλέφασιν ἐσθῆτα λαμπρὰν οὐ λαμβάνουσιν, οὐδὲ φοινικίδας οἱ ταύροις, *ut Xylander vertit:* Qui ad Elephantas accedunt, splendido vestitu; qui ad tauros, puniceo non utuntur. *Et Mr. Amiot traduit: Ceux qui gouvernent les elephans, ne vestent jamais des robes blanches. Et Mr. Louys d'Orleans au livre qu'il a fait des Ouvertures des Parlements, chap.* 24. *fol.* 261. *dit de* Froissard: *Si fut ce jour le Roy de Portugal vestu de blanche escarlatte, à une vermeille croix de St. George, car c'est la devise de sa Maison: & quand il parle des presents faits à* Dumrat *pour redimer le Comte de . . . il dit ainsy: Deux sommiers chargez de fines toilles de Rheims, & les deux autres de fine escarlatte blanche & vermeille. Et Monstrelet au commencement du second livre des . . . . chap.* 1. *dit: Le Roy Charles sixieme portant le deuil de son pere par l'Ordonnance de son Conseil, fut vestu de noir pour la premiere journee, & le lendemain à la Messe fut vestu d'une robe de vermeil. Le même Monstrelet au commencement du Roy Louys XI. dit: Le service fait tout incontinant le Roy fut vestu de pourpre. Par tous lesquels passages de Froissard & de Monstrelet, le blanc, le vermeil & le pourpre, c'est tout un. Sur toutes lesquelles difficultez j'ay pris hardiesse, Monsieur, de vous escrire la presente, & vous prie très-humblement me donner avis & sçavoir de quelle couleur estoit ladite robe de Jesus-Christ; ou bien en faisant vos nottes, si jà elles ne sont faites sur vostre Polybe, quand il traite λαμπράν*, petitorum togam, *me remettre; vous priant encore très-affectueusement excuser ma . . . . vous, & l'attribuer plustost à vôtre nonpareille & admirable vertu & érudition, & au desir que j'ay de vous demeurer à jamais,* 1608.

Vostre très-humble & affectionné Serviteur,

PELAGRANGE.

A Dyon, Avril 1608.

Je vous prie presenter de ma part mes très-humbles recommendations à Mr. le Fevre, vôtre voisin, & la . . . ; que je suis son très-affectionné Serviteur.

Ledit Mr. d'Orleans au susdit lieu dit qu'anciennement il y avoit plusieurs sortes de Pourpre, & qu'on les avoit reduites à trois sortes, ἀλληργίδα, πορφυρίδα, φοινικίδα. *Qu'aujourd'huy on ne fait mention que de deux; de l'escarlatte rouge, & de la violette; & que Froissard appelle escarlatte violette*, escarlatte blanche.

EPISTOLA XXXV.

DU PLESSIS
A MONSIEUR
CASAUBON.

MONSIEUR,

J'*Ay reçu les vôtres par l'adresse de Mr. André Rey. Et pour Mr. Erpenius, je l'ay reçu au mieux que j'ay peu, en égard & à vôtre recommendation & à son merite. Sur ce qu'il me discouroit des perplexitez & importunitez, ésquelles il vous avoit laissé, je luy ay dit à la verité, qu'il est à desirer qu'une bonne fois vous couppiés broche à toutes ces tentatives; & que nous avions l'exemple de Nostre Seigneur là-dessus, qui ne respond à Satan & aux Pharisiens que par monosyllabes. Mesmes que ce long & frequent entretien ouvroit la bouche à ceux qui ne vous connoissent pas assez,* 1609.

1609. *sez, pour en parler moins à propos; ausquels j'aurois plusieurs fois respondu, & de bouche, & par escrit, que vous aviez trop de science, & de conscience, pour vous laisser emporter à ces artifices. Mais tout cela, comme luy-mesme vous tesmoignera, tousjours persuadé de vostre constance, plaignant seulement que vous ne pensiez posseder vostre ame avec plus de patience, & jouir de vostre temps avec plus de fruict. Ce que souvent je vous ay ouï regretter à vous-mesme. C'est ce que je vous repete encore par celle-cy, non pour vous abstenir de la hantise du monde, auquel vous estes obligé; car comme dit l'Apôtre, il nous faudroit sortir du monde; mais pour retrancher toute esperance, & vous tenir pour dit tout ce qu'ils vous sçauroient dire; afin que cette hantise vous soit desormais, si non plus agreable, au moins, moins onereuse. Du fait de Geneve, je sçay de long tems vostre plainte; mais je n'en sçay pas la cause: & presupposé que c'est un procés, auquel vous estime vous avoir esté fait, ou aux vostres, injustice, vous sçavez que tous procés, voire les plus clairs, sont problematiques. Mais je veux croire, que ce soit une manifeste injustice; que nous sert de nous en plaindre à ceux qui nous en peuvent faire raison, & cependant en abusent? S'il y reste donc encor quelque remede, je vous conseillerois de requerir Messieurs de Sully & de Lesdiguieres, & d'y employer leur authorité, qui tous deux vous veulent bien, & le peuvent. Et si vous avez opinion, que j'y puisse rien contribuer avec eux, je m'y offre de toute mon affection. Pour nos Eglises, qui ne vous tesmoignent pas ce qu'elles deussent, vous estes prudent pour considerer leur condition. Certes je sçay qu'elles vous honorent & pesent l'utilité que vous leur pouvez apporter; mais vous sçavez bien, que Sa Majesté vous ayant retenu prés d'elle, nul n'oseroit penser à vous appeller ailleurs. Et il vous peut souvenir, que sans cela j'eusse tenté tous moyens de vous attirer en cette ville; eusse-je deu me charger d'une bonne partie. Je vous prie donc, Monsieur, de vous consoler en Dieu, qui aura soin de vous & des vostres; & que la juste douleur ne vous emporte point à croire de vos amis, gens de bien, tant y a, & serviteurs de Dieu, qu'ils ayent autre affection vers vous, que celle que vostre vertu merite, & qu'ils vous doivent. Pour moy en particulier, sous cette protestation, je vous offre tout le service, qui peut proceder de moy. Et sur ce saluë humblement vos bonnes graces, priant Dieu, &c.*

Le 1. de Janv. CIↃ IↃ CIX.

EPISTOLA XXXVI.

LE MEME 
à MONSIEUR
CASAUBON.

MONSIEUR,

Je reçus hier les vôtres par Mr. Jong, que je cheriray & pour vostre recommendation, & pour le merite de son pere, & son propre. Telles personnes ne peuvent m'approcher à meilleurs titres. Je plains la perte que nous avons faite de Mr. de l'Escale, lequel à la verité faisoit une des parties integrantes de la meilleure doctrine de ce siecle. Mais vous sçavez que le temps l'emportoit, & que vivre plus longuement eust esté se survivre. Ce que les grands hommes n'ont jamais desiré, ni leurs amis pour eux. Je ne doute pas que les Jesuites, comme vous dites, n'attaquent sa memoire; Leonis mortui vellicantes barbam. *Mais ce n'est pas la moindre partie de son Epitaphe, d'avoir eu de telles gens pour adversaires,* ut omnis boni osores, ita & omnibus bonis exosos. *Et je m'asseure que quand ils y attenteront,* non impune ferent, *tant que Dieu vous reservera; qui devez de tant plus redoubler de courage, que la Chrestienté voudra retrouver en l'un ce qu'elle avoit es deux; comme les Medecins nous asseurent de celuy qui perd l'un de ses yeux. Pour ce que m'écrivez du Cardinal Du Perron, je luy dirois volontiers ce que Nostre Seigneur à celuy que sçavez,* Quod vis facere, fac citò, *tandis que Dieu me continuë la santé. Car je ne luy ferois gueres surattendre une bonne & forte replique. Mais pour ce qui est de vous, je tiens tant de vostre pieté, doctrine, vertu, que rien ne la peut ébranler, que tous les feux de ce monde-là ne vous peuvent endommager, quelque ardente qu'en soit la fournaise. Je croy aussi que vous me faites ce bien de m'aimer, comme aussi je vous honore & fay cas de vostre amitié selon vostre merite. Sur ce, Monsieur, &c.*

1609. *Hæc est responsoria ad Casaubon. n. 614.*

Ce 2. d'Avril, CIↃ IↃ CIX.

EPISTOLA XXXVII.

JACOBUS LECTIUS ✠
ISAACO CASAUBONO.

REdditas volenti tibi literas meas, mi Casaubone præstantissime, nec vilescere amicitiæ nostræ sacrum apud te, pergratum fuit ex literis tuis intelligere. Etsi autem in his ampliter reli-

1609. *Videtur responsoria ad Epist. 605.*

1609. quium etiam querelarum, tamen in sinum amici liberius hæc effusa & fidenter interpretor, & curaturam sedulò virtutem ac pietatem tuam spero, ne quid aut divinis oculis minus dignum abs te unquam proficiscatur, aut mortalibus. Indue, inquam, oro te atque obtestor, placidissimum in nostrates omnes animum, ac summos alios quoque viros molestiis ærumnisque suis hautquaquam liberos esse statue; multa propriæ infelicitati, aut divinæ providentiæ, cujus consilia & vias ignoramus, indulgere. Vassonius noster & publica nostra differet, & privata mea suaque. Raptim hæc pauca libuit exarare, sed affectu sanè prolixo. Amplissimum D. Præsidem Thuanum, quæso, ex me reverenter saluta. Vale autem cum tuis omnibus, & me amare perge. Data *Genevæ Allobrogum*, xx. *Augus t. anno Domini* CIↃ IↃ CIX.

EPISTOLA XXXVIII.

✠ THOMAS ERPENIUS ISAACO CASAUBONO.

1611. JAm quinque ferè sunt menses, clarissime Domine, quod ad te non scripsi: cujus causam quæso ne suspiceris esse tui oblivionem: prius ego mei quàm tui obliviscar; tui, inquam, cujus erga me amor & beneficia æternam merentur & consequentur memoriam atque gratitudinem. Causa autem silentii mei varia est. Ac primò quidem quòd ipsis Nonis Maji prolixas admodum ad te dederim literas, quibus & postremis tuis abundè respondi, simulque de insigni isto munere, quo me ornasti, imò onerasti, de Alcorano loquor, gratias egi; & rerum mearum statum ac studiorum rationem prolixè exposui: ita ut singulare quid quod ad te scriberem, posteà non habuerim. Secesseram autem tum temporis, fugiens strepitus hosce Parisienses, & crebras visitationes, studiorum gratiâ in pagum huic urbi vicinum Conflantium, ubi tanta cum voluptate & ardore studiis incubui, ut loco quatuor septimanarum, quas illic morari animus erat, quatuor integri menses, unius instar mihi visi, præterlapsi sint; quæ altera causa silentii mei fuit: videbar nimirum mihi non ita pridem ad te scripsisse. Accedit quod cùm indies abitum ex hoc Regno pararem, deque septimana in septimanam studiis novis perpetuò retentus, eum differrem, simul quoque cum eo scriptionem ad te, cui ipsum diem discessûs mei destinaveram, distulerim. Nunc verò cùm præter omnem opinionem aliquandiu 1611. adhuc hîc cogar subsistere, tempusque silentii mei nimium excrescit, & tua etiam charissima uxor omnesque domestici ad te abeunt, religio mihi foret diutius silere. Non dubito autem quin valde mireris, quod scribam aliquandiu adhuc hîc mihi hærendum esse; itaque causam ejus habe. Jam tribus aut quatuor abhinc septimanis negotia mea omnia penè absolveram: solùm restabat mihi nitidè describendum opusculum illud Proverbiorum Arabicorum, (quod antè mihi non licuerat, quia Manuscriptum Domini Florentii, quem sperabam scrupulos aliquot mihi excmpturum, sicuti fecit; valde nuper primùm sum adeptus) ad quod cùm me accingerem, ecce præter spem meam Conflantium venit mei invisendi gratiâ Mercator quidam Marocensis, احمد nomine, & religione مسلم, vir humanus & magni ingenii, quique juvenis literis quoque operam aliquam dederat, atque adeò Arabicam Latinam (sic vocant antiquam ob casuum more Latino variationem) mediocriter loquebatur. Conventus noster utrique nostrûm gaudium ingens attulit; illi quidem, quòd in hisce terris videret hominem Arabicæ linguæ tam studiosum; mihi verò, quòd Arabem, à quo sperabam me aliquid posse discere; quæ spes quoque me non fefellit. Totum itaque istum diem, (nam valde manè ad me venerat) unà fuimus, variis de rebus, præcipuè verò ad id studium pertinentibus sermonem miscentes Arabicum: nam quam ille præterea noverat linguam Hispanicam, ego nullatenus intelligebam. Cùmque audivissem ei Lutetiæ ob negotia sua menses duos aut tres esse subsistendum, statui illicò in urbem reverti, quò commodius ejus consortio frui possem, & aliis rebus intermissis, iis solis incumbere, in quibus ab illo juvari posse me arbitrabar: id quod huc reversus nunc sedulò facio: conquiro enim undique vocabula, (nam in grammaticis nihil me juvare potest, & libenter me magistrum agnoscit & admiratur) quæ negotium mihi facessunt; & ea quotidie tum per colloquium, tum per Epistolas ei propono. Etsi autem majorem eorum partem non melius me intelligat; tamen in multis egregiè mihi est adjumento, ut aliquando ان شاء الله abundè cognosces. Initio difficultatem aliquam in pronuntiatione ejus assequenda experiebar, cui tamen mox assuevi, ita ut Latinè mihi nunc loqui videatur. Sermo autem ejus non admodum purus est, sæpe regulas grammaticas

1611. maticas (vel ipſo fatente) non obſervat, & idioma vulgare cum antiquo miſcet, non enim aſſuevit linguæ eruditorum. Crebra mihi ſunt cum illo de religione certamina; ſed, crede mihi, non ſunt quidam eorum errores tam faciles confutatu, ut multi ſibi imaginantur. Divinitatem Chriſti imprimis abominantur; quod negotium quàm ſit arduum, docuerunt olim ſatis Arrianorum certamina, quæ cum magno dolore intelligo hoc tempore in Belgio ab inferis revocari. De multis aliis rebus non ita ſtultè ſentiunt, ut noſtrorum quidam ex Alcorano conantur probare. Sed nihil eſt Alcoranus abſque ſuo commentario, & libris سنة, qui continent acta, dicta & reſponſa Muhammedis. Nam quàm primùm ex Alcorano aliquid contra eos allegatur, illicò reſpondent: بل شرح القران علي هذا المرضع يقول Item, بل كتب في كتوب السنة ان الزبي انا سءل عن هذا الحل اجاب كذا وكذا Itaque qui cum fructu cum illo hominum genere diſputare vult, neceſſe eſt ut libros illos legerit. السنة autem decuplo major eſt Alcorano, aut amplius, & paris cum illo auctoritatis. Ejus pars المدونة, quæ judicialia continet, extat hìc in Cœnobio quodam. Commentariorum autem in Alcoranum pars quædam etiam extat in Bibliotheca Sorbonica, ubi non ſingulæ ſolùm ſententiæ, ſed & verba familiariter explicantur. Sed ad Achmedem meum revertamur: ejus in hac urbe mora & me manere facit; eſt enim hæc occaſio meo judicio non negligenda, & cui ſimilem non facilè alibi adipiſcar. Sed quod nonnihil malè me habet, hæreo hìc inſciis parentibus meis, qui putant me jam aliquot menſes Genevæ eſſe. Verùm ubi Turca hic diſceſſerit, ad iter illicò me accingam, operam daturus ut quàm primùm fieri poterit eos videam: non nimirum credas quàm magno mei deſiderio tangantur; unde iter meum in Italiam credo omittendum fore. Ibi tum per Genevam Baſileam, ne iis dolus meus de ſuppoſititia hac Genevæ habitatione ſuboleat. Miſi tibi cum poſtremis meis indicem rerum præcipuarum in Geographo Arabe; ubi non pauca obiter explicavi: item ſpecimen divinationum mearum in Pœnulum Plauti, ſimul te orans, ut ſi quæ tibi inter legendum occurrant voces Africanæ, præcipuè Ægypticæ, eas meâ cauſâ obiter velis annotare; poterint enim fortaſſis mihi in commentariis meis in linguam Hebræam & reliquas Orientales non parum prodeſſe. In Heſychio, ut intelligo, non paucas ſum inventurus; & ſimiles Auctores alios, ſi qui ſint, ex te, ut ſpero, cognoſcam. 1611.

Nunc tibi mitto libellum tuum Colloquiorum Arabicorum, innumeris mendis typographicis à me repurgatum. Ac prima quidem duo colloquia ad verbum ſum interpretatus; in tertio ea ſolùm explicui, quæ difficultatem aliquam habere videbantur. Libellus eſt non inelegans; ſed dolendum eſt tam vitioſè excuſum eſſe: quæ cauſa fuit quòd in multis locis diu hæſerim, & etiamnum in quibuſdam hæream. In ſtylo quoque ejus non pauca deſidero, quæ nunc recenſere nimis longum foret: occurrunt hic illic voces adhuc quædam, quarum ſignificationem nondum licuit mihi aſſequi, quas doctiſſimus Bedwellus, qui pluris me lectionis eſt, facilè tibi, ut ſpero, eſt ſuppeditaturus; alia quædam ſunt, de quibus divino, an benè, necne, nemo melius te atque illo judicet. Mitto quoque Orthographiam Arabicam, eâ quâ potui brevitate & perſpicuitate à me conſcriptam, in quâ, præcipuè capite quinto & nono, non pauca invenies ſcitu digniſſima & neceſſaria, à nemine hactenus obſervata: caput verò decimum, quod non paucâ ſpeculatione mihi conſtitit, aureum planè eſt. & fundamentum totius Arabiſmi: ita quidem ut iis, quæ illic traduntur, ignoratis neminem ſolidam Arabicæ linguæ cognitionem adipiſci poſſe audacter prædicem; de quibus tamen Grammatici noſtri vix ullam mentionem faciunt: quia, ut habet proverbium: اسا ثم العقل ثم الكلام.

Remitto etiam ſcedas doctiſſimi Bedwelli, quas olim ad me miſit, cum meis in eas obſervationibus, quas ſpero ei non ingratas fore. Cognoſces ex iis quàm periculoſum ſit abſque Grammatices cognitione in hac lingua quicquam aggredi: poteris eas cum ipſis ſchedis tibi ſervare, donec per otium eas legeris, & pòſt ei tradere; nam quæ adeſt Epiſtola mea, diem adſcriptum non habet. Quod ſi velis neſcire eum illa à te lecta eſſe, chartæ involuta abſque ſigillo obſerentur. Alcoranum Regium, quem utendum mihi dederas, ἀδελφιδῷ tuo Chabanæo reſtitui. Ex collatione autem ejus cum meo exemplari non parum didici. Quandoquidem autem tuus erga me affectus tantus eſt, ut in iis, quæ à te habeo, plenâ libertate me velis uti, libellos tuos grammaticos adhuc aliquandiu mihi ſervabo; quamdiu nimirum Grammatica mea plenè abſoluta non eſt, ſubinde ſunt mihi inſpiciendi. Notas autem Domini Adriani in

1611. Alcoranum, quas separatim compingi curavi, nunc unà mitterem, nisi quotidie multa ab hoc Turca discerem, quibus eæ augeri & corrigi non mediocriter possunt: nihil nimirum ferè continent aliud, ut nôsti, nisi dubia, & conjecturæ in difficiliora loca, appositâ, ut plurimùm, versione Interpretis Latini: unde è re tuâ, & gratum tibi fore existimavi, si eas ut cœpi pergam illustrare, pleraque dubia solvendo, errata indicando, & ea quæ desunt adjiciendo: quod quàm primùm plenè præstitero eas, ad te transmittam. Grammatica Romana non videtur amplius exspectanda: intelligo nimirum Baptistam Raimundum, qui edere eam cœperat, rixari cum Maronita quodam, qui eam in illius gratiam in Latinum transferebat: non nimirum futura fuisset nisi versio Latina Grammaticæ cujusdam Arabicæ, à Raimundo nonnihil polita, & Latinius loqui facta. Sed ob eorum discordiam opus non putatur absolvendum. Petrus autem Kirstenius nuper reliquos duos Grammaticæ suæ libros evulgavit; qui quales sint, vis uno verbo dicam? Non merentur legi. O inscitiam hominis & & audaciam! ne نقص quidem conjugare scit, nec Alcoranum unquam legit, (quod certò scio) & tamen Grammaticam Arabicam audet edere. Non dubito quin eam videris; unde ampliori ejus descriptione supersedeo. Mea autem præcepta quidem omnia inventa nunc sunt & illustrata; sed in variis adhuc schedis dispersa, nec in unum corpus redacta: cujus causa est, quod Typographus nullus me urserit, & hactenus in iis poliendum semper adhuc aliquid occurrerit: nec dubito quin si integrum adhuc decennium, eo quo hactenus feci modo, istis literis incumberem, perpetuò iste fœtus mihi lambendus foret. Quater hac æstate Alcoranum perlegi, singula accuratissimè expendens; sed semper nova adhuc multa in Grammatica observatu digna occurrerunt: verùm nolo in infinitum tendere; quàmprimùm otium sufficiens nactus fuero, omnia in ordinem redigam, & nitidè describam; quò ad prælum parata sint, si fortassis occasio aliqua ea excudendi alicubi sese offerat. Sed ne fortassis interim ejus desiderium molestum tibi sit, mittam ad te intra paucos dies totius operis medullam, distinctis aphorismis compendii gratiâ comprehensam, & dilucidis exemplis illustratam: id nunc factum fuisset, nisi Jani Rutgersii (qui meis verbis plurimum te salutat) & aliorum quorundam amicorum nuperus ex Batavia adventus hos tres dies penè integros à studiis me avulsisset; qua de causa non ægrè, ut spero, feres hanc dilationem. Vale, charissime Casaubone; & tuum Erpenium ut cœpisti perge amare. *Lutetiæ, a. d.* IV. *Kalend. Octob.* CIↃ IↃ CXI. 1611.

Quæso ne affinis meus aut quisquam alius ex te rescilcat, me Parisiis adhuc esse: si quærant an literas à me acceperis, significare quidem id potes, sed velim simules eas Genevæ scriptas esse, mense Augusto: quin D. Bedwello scripsi me Genevæ esse, ne per eum secretum hoc reveletur. Iterum vale.

Inscriptio.

A Monsieur,

Monsieur CASAUBON,

A LONDRES.

EPISTOLA XXXIX.

IDEM ISAACO CASAUBONO.

Accipe, clarissime Vir, quæ nuper promisi excerpta ex schedis meis Grammaticæ Arabicæ de nomine particulis & Syntaxi: nam in tractatu de Verbis, quem olim, & alio de Orthographia, quem non ita pridem ad te misi, non admodum multa corrigenda aut adjicienda hactenus occurrerant: adeò ut nunc totius Grammaticæ rude quoddam compendium generaliora quæque ejus præcepta & præ reliquis necessaria continens habeas. Nam perfectum systema accuratiorem methodum & longè plura præcepta requirit, in quo adornando totus forem, si spes aliqua id excudendi affulgeret. Paucissimis septimanis opus absolutum & methodicum queam edere: omnia enim præcepta nunc parata habeo; solùm poliri, nonnihil exemplis illustrari, & in ordinem cogi exigunt. Sed ut quod res est fatear, mi Casaubone, incipiunt frigere Musæ meæ Arabicæ: quin non raro me pœnitet tantum me operæ & temporis impendisse iis literis, quibus non video quomodo aut mihi, aut aliis multum prodesse possim; quia eas nec publicè profiteri, nec scriptis illustrare datur. Verùm hoc unum non parum mihi solatii affert, quod sperem me iis tuum laborem aliquantulum sublevaturum. Satis mihi continuus hujus triennii labor emolumenti attulerit, si quo te juvem nonnihil, & meam tibi gratitudinem tester, subministret: grata itaque tibi sint, mi Casaubone, exigua hæc mea munuscula literaria, donec 1611.

melio-

1611. meliora dem. Citius fortassis quàm arbitraris Angliam adibo, coram te pro viribus meis in istis literis juvaturus. Raphelengius Leydæ patris sui Dictionarium Arabicum excudit: quod sic satis bonum & copiosum futurum est, sed parum elegantibus typis. Vidi folium ejus XVIII. continens partem literæ ب: si scivissem id eum in animo habuisse, potuisset longè copiosius & infinitè accuratius edi: si quidem alterius laborem cum patris sui conjungi passus esset. Fortassis absoluto Dictionario non invitè opusculum nostrum Proverbiorum, & Grammaticam meam Arabicam excudet. Nisi grave est, poteris id ei per amicos Leydenses significare: nam à me id non ita convenienter fiat. Erat non ita pridem Leydæ Judæus quidam Maurus, in Literis Hebraicis & Arabicis probè, ut audio, versatus: huic, ut ajunt, Arabicæ linguæ professionem injunxissent Curatores, si Latinam linguam calluisset; quod an credere debeam necne, incertus sum. Vidi nuperrimè catalogum librorum à D. Scaligero Bibliothecæ Leydensi legatorum, inter quos non pauca egregia volumina Arabica, quæ dolendum est, nemini prodesse: inter cætera divinum istud Maimonis opus מורה נבוכים ab ipso Auctore Arabicè conscriptum, & post à Judæis in Hebræum translatum, & inde malè & barbarè Latinè expressum. Utinam mihi facultas concedatur id opus Arabicè & Hebraicè cum versione Latina & notis evulgandi: sed nec hoc, nec longè minora sperare audeo. Facile tamen videbo quid de me & studiis meis futurum sit, ubi in patriam reversus fuero. Interim vale, mi Casaubone, & me, ut soles, ama. Mitto nunc etiam tibi præter Præcepta ista grammatica Suratam unam Arabicè cum versione mea Latina ad verbum, & brevibus in eam notis, quin & in nonnullas etiam voces considerationes grammaticas. Plura sic explicassem, ni superfluum id judicassem: nam præceptis grammaticis utcunque cognitis facilè quis omnia suo marte eruit. Deinde nimis id prolixum est; & mavult praxis grammatica proprias meditationes, & vivam docentis vocem, quam brevi, si Deo placet, tibi suppeditabo: si quidem adhuc studiis illis delectaris. Adjunxi etiam supplementum egregium in aureum istud caput Orthographiæ de literis اوي, unde solida Arabismi cognitio penitùs dependet. Quæ omnia si grata tibi esse intellexero, judicabo me non omnem operam in eo studio lusisse, conaborque ut plura & meliora ad te dem, quibus studia tua juvari queant. 1611.
Iterum vale. *Lutetiæ Parisiorum, a. d. x. Kalend. Novemb.* CIↃ IↃ CXI.

Inscriptio.

A Monsieur,
Monsieur CASAUBON.
A LONDRES.

EPISTOLA XL.

ANDREAS SCHOTTUS ✠ ISAACO CASAUBONO.

TUas accepi, clarissime Casaubone, 1612.
& in Britannia hærere velle legi invitus. Mallent docti omnes ac φιλέλληνες Polybium, illum Græcorum Historicorum κορυφαῖον, edolare, ut cœperas, pergeres, & promissa pridem σχόλια dares; potes enim, ac debes: potius quàm te in certamen non necessarium demittas, extraque chorum saltes sine fructu, imò damno tuorum scriptorum. Scis quàm Josephi (Scaligeri) fama deterìa, dum senex tangit acerbius, à quibus ne verbo quidem læsus esset, Socios nostros, viros omni doctrinæ genere præstantes, Toletos, Bellarminos, Possevinos, Pererios, cæteros. Certè nollem in nuperis tuis illud de Libro adjecisses ejus, cujus me potestati semel commisi, dictoque audiens domi unà versor. Qui in Amphitheatro cavit studiosè, ne Thuanum, Præsidem amplissimum, teque, etsi nominaret, volens læderet. Optaret potius in Ecclesia te Romana, desertis illis Calvini castris, complecti in Domino. *Quid enim prodest homini*, &c. & absque fide majorum salus minimè speranda, ut extra Petri Cymbam naufraganti. Sed hæc tu melius. Quò illi, ut opto, æquiorem te præbeas, mittam ad te, si voles, tres ejus Scribanii Controversiarum in Fide Orthodoxa libros, typis Plantinianis prope evulgatos: placebit θρησκείας χάριν lectio: & stylus magis delectabit, nisi judicans fallor; verba enim dare nollem, quando Belgarum candorem non ignoras. *Antverpiæ, Id. Januar.* CIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA XLI.

*** LESCHASTIER ✠ à MONSIEUR CASAUBON.

MONSIEUR,

JE vous ay par ci-devant escrit trois 1612.
lettres en peu de temps, & une à Mon-

1612. *Monsieur l'Evesque d'Ely. Pour vous les envoyer, je les ay baillées à Monsieur l'Ambassadeur du Roi de la Grand' Bretagne pres de nostre Roy, afin de les seurement envoyer. Je vous prie me mander, si vous les avez reçuës; & si Monsieur l'Evesque d'Ely est au lieu, où vous estes; de me mander aussi s'il a reçu celle, que je luy ay escrit. J'ay eu vostre Epistre à Fronton, qui est tres-loüée & tres-sainte, & bien digne d'un bon Chrestien, comme vous estes. Les Jesuites ont eu ici forte guerre que nous vous dirons. On combat non les personnes, mais leur doctrine. Vous sçavez qu'ils avoient apres la mort du Roy obtenu lettres pour lire en particulier en leur College. Comme de fait ils s'introduisent en la possession sans autorité de la Cour, ayant eu quatre classes d'enfans, l'opposition de l'Université a esté plaidée. Et de la part de l'Advocat de l'Université, & par Monsieur Servin à leur Doctrine, comme convaincus (ainsi parle-t'on) d'avoir tué le feu Roy. En grande Assemblée & grande foule & audience la cause a esté plaidée. Jamais homme ne fit mieux que Monsieur Servin, celebre meshuis au Louvre, semblable à un doge que les louanges offusquent, & au Parlement, & au Louvre. L'arrest est, que sur la proposition de l'Université aux lettres, les parties sont appointées au Conseil. Le Provincial avoit fait offre liverale de souscrire la doctrine que la Sorbonne souscriroit; artifice pour commettre la Sorbonne contre le Pape, & la faire censurer, excommunier, esoreiller pour le moins. La Cour a ordonné*, que le Provincial & ceux de sa Compagnie qui l'assistent à l'Audience, souscriroit la submission faite par luy de se conformer à la Doctrine de la Sorbonne même. Et pour ce qui concerne (*ce sont les mots*) la conservation de la Personne sacrée des Rois, manutention de l'autorité Royale, libertez de l'Eglise Gallicane, de tout temps & ancienneté gardées & observées en ce Royaume, pour le tout vu, communiqué au Procureur General du Roy, & joint à l'appointé au Conseil être fait droit aux parties ainsi que de raison. Cependant fait defenses aux demandeurs d'enseigner la jeunesse à Paris par eux, ou personnes interposées, ni y faire exercice, ni fonction de scholarité, ni ainsi d'innover, faire ou entreprendre aucune chose au prejudice des lettres de leur restablissement & arrest de verification d'icelles; le tout à peine de decheoir du restablissement, qui leur a esté accordé. *Voilà les mêmes paroles de l'arrest. Le* Directorium *descouvert par moy, y fut* 1612.
amplement plaidé par Monsieur Servin, & les Croisez manifestes & secrets, qui par le zele de la foy executent les ordonnances de l'Inquisition de Rome, sur la personne des Rois. Chacun en fut estonné & offensé. Vous verrez les plaidoyers qui s'imprimeront. Jamais les Jesuites ne furent à telles nôces. L'Auditeur du Nonce bien que personne petulante, comme sont ordinairement telles gens, dit déjà qu'il n'est point Jesuite; mais que l'on n'avoit que faire de parler du Pape en cette playdoyrie. Car la Doctrine des Jesuites combatuë a esté la Toute-puissance *du Pape; que le Clergé n'est point sujet aux Rois; que la puissance spirituelle s'estend au temporel & aux us & abus des Confessions. Voilà pour le Palais. Monsieur Justel est en cette ville, qui n'a rien encore commencé. Il vous recrit & vous rendra raison de son fait. Je vous ay assez importuné. Il reste que je vous baise, Monsieur, les mains, priant Dieu vous tenir toûjours en sa garde, & tous les vôtres.*

Vôtre très-humble Serviteur,
LESCHASTIER.

Le XXVII. *Janvier*
CIƆ IƆ CXII.

Inscriptio.

A Monsieur,
Monsieur CASAUBON,
Bibliothecaire du Roi Très-Chrestien.

EPISTOLA XLII.

DAVID HOESCHELIUS ✠ ISAACO CASAUBONO.

AUdio, Vir clarissime, Epistolam ad 1613.
te Gallico idiomate, haud scio an à Cardinalitiæ Dignitatis Domino, missam; quibus tecum περὶ τοῦ Κυριακοῦ δείπνου potissimùm agat. Quo de mysterio ut Veterum legi multa, ita apud neminem extare vel unicam homiliam, quâ dilucidius sententia cujusque exprimeretur, demiror. Quin è contrario, ubi expositionem uberiorem desideres, abrumpitur ferè oratio verbis illis tritis ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. Ac reperio testimonia, quæ τῇ μετουσιώσει videntur patrocinari, non apud recentiores solùm, sed & veteres quosdam; ita enim accipiunt verba illa Joannis * Chrysostomi: † Σχῆμα πληρῶν ἕστηκεν (al. εἱστήκει) ὁ ἱερεὺς, τὰ ῥήματα φθεγγόμενος· ἡ δὲ δύναμις καὶ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἐστι· τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα φησί· τοῦτο τὸ ῥῆμα μεταῤῥυθμίζει

* Homil. in τὴν προδοσίαν τοῦ Ἰούδα.

† Οὐ δὲ γὰρ ἄνθρωπός ἐστιν ὁ ποιῶν τὰ προκείμενα γίνεσθαι σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ· ἀλλ' αὐτὸς ὁ σταυρωθεὶς ὑπὲρ ἡμῶν Χριστός.

1612. μίξει τὰ πεσκείμθμα, ἢ (ut paulò pòst inquit) τὴν θυσίαν ἀπηρτισμβύην ἐργάζεται. Isidorus Pelusiota, lib. 1. Epist. 109. hanc virtutem Spiritui Sancto tribuit: Τὸ πανάγιον πνεῦμα ἐπὶ τῆς τραπέζης τῆς μυστικῆς τ̃ ἄρτον τὸν κοινὸν, σῶμα ἴδιον τῆς αὐτȣ̃ σαρκώσεως ἀποφαίνει. Et Epist. 113. Αἷμα Χριςȣ̃ τὴν τȣ́τȣ [τȣ̃ οἴνȣ] ἀπαρχὴν τὸ θεῖον ἐργάζεται πνεῦμα. Nota sunt & verba Justini Martyris *, τὴν δὲ εὐχῆς λόγȣ τȣ̃ παρ' αὐτȣ̃ εὐχαρισηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κτ̀ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνȣ τοῦ σαρκοποιηθέντ☉ Ἰησȣ̃ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημθμ εἶναι. Huc accessunt verba Epiphanii †, εὐχαριςήσας εἶπε, τȣτό μȣ ἐςὶ τόδε, &c. ὁ γὰρ μὴ πιςεύων εἶναι αὐτὸν ἀληθινὸν, ὡς εἶπεν· ἐκπίπτει τῆς χάριτ☉ καὶ τῆς σωτηρίας. Atqui aliud videtur sensisse ‡ Basilius Magnus, qui expressè scribit, πολλαχȣ̃ τετηρήκαμθμ, ὅτι ταῖς ἔξω μέλεσιν ὁμωνύμως αἱ τῆς ψυχῆς πεσσαγορεύονται δυνάμεις· ἐπεὶ ἢ ἄρτ☉ ἐςὶν ἀληθινὸς ὁ Κύρι☉ ἡμῶν, ἢ ἡ σάρξ ἀληθὴς βρῶσις· ἀνάγκη τὴν ἡδονὴν τῆς εὐφροσύνης τȣ̃ ἄρτȣ διὰ γεύσεως ἡμῖν νοητῆς ἐγγίνεσθαι. Similis apud eundem locus homiliâ in principium Parœmiarum, & lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochium, cap. 26 ⸸: Τὰ μθμ̀ τοι σωματικὰ (inquit hoc loco) τῶν ὀνομάτων καὶ ἐπὶ τὰς πνευματικὰς ἐννοίας * ἐναργείας ἕνεκα, πολλάκις ὁ λόγ☉ μεταχομίζει. Idem Epistolâ ad Cæsarienses, pag. 359. Τρώγοντες γὰρ αὐτοῦ τὴν σάρκα καὶ πίνοντες αὐτοῦ τὸ αἷμα, κοινωνοὶ γινόμεθα διὰ τῆς ἐνανθρωπήσεως, ἢ τῆς αἰσθητῆς ζωῆς τȣ̃ λόγȣ, ἢ τῆς σοφίας· σάρκα γὰρ καὶ αἷμα πᾶσαν αὐτȣ̃ τὴν μυςικὴν ἐπιδημίαν † ὠνόμασι, &c. Macarius, homiliâ XXVII. ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεσσφέρεται ἄρτ☉ καὶ οἶν☉ ἀντίτυπον τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ τȣ̃ αἵματ☉. Theodoretus (dialogo qui Ἄτρεπτ☉ inscribitur) ὁ δέ γε σωτὴρ ὁ ἡμέτερ☉ ἐνήλλαξε τὰ ὀνόματα· ἢ τῷ μὲν σώματι τὸ τοῦ συμβόλȣ τέθεικεν ὄνομα· τῷ ἢ συμβόλῳ τὸ τοῦ σώματ☉. Et pòst paulò, οὕτ☉ τὰ ὁρώμθμα σύμβολα τῇ τοῦ σώματ☉ καὶ αἵματ☉ πεσσηγορίᾳ τετίμηκεν, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει πεσστεθεικώς. Diversum sentit Theophylactus ‡, dum asserit, ὅτι ὁ ἄρτ☉, ὁ ἐν τοῖς μυςηρίοις ὑφ' ἡμῶν ἐσθιόμθμ☉, ȣ̓κ ἀντίτυπόν ἐςι τῆς τȣ̃ Κυρίȣ σαρκὸς, ἀλλ' αὐτὴ ἡ τȣ̃ Κυρίȣ σάρξ· quum velit Chrysostomus ⸸, ταῦτα δεῖν μυςικῶς νοεῖν ἢ πνευματικῶς. Quæ pauca hîc attingere volui, partim propter ipsam illam Epistolam, cujus initio feci mentionem; partim ex tuis literis: quia mihi videor intellexisse, id genus laboris te habere præ manibus, quo veritatis antiquitatem confirmes; & rudioribus, quos ἀντιλογίαι istæ plurimùm turbant, scrupulos ejuscemodi eximas. Quo non minus, ne plus dicam, de Ecclesia præclarè, quàm ullis aliis doctissimis laboribus tuis merc- 1612.
beris. Legi etiam ἐπιςολικὴν πραγματείαν περὶ τῶν ἀντιπάλων, tuumque modestiæ exemplum velim C. S. * & ejus farinæ alios sequi. Sed illius adversum Britanniæ Regem, item aliud contra Dionysium Longinum, quod edidit scriptum, ostendit ingenium prorsùs λοιμικόν. De quo forsan ad te alii. Misi ad te literas ante bimestre, quas non dubito quin acceperis, nisi & Domino Savilio inscriptæ, quibus incluseram, interciderint vel interceptæ sint. Bene vale, remque literariam juvare perge. *Augustæ Vindelicorum, a. d. XII. Kalend. April.* CIↃ IↃ CXII.

Tui studiosissimus,

DAVID HOESCHELIUS.

Si quid à gravioribus studiis tibi esset otii, velim mecum communices, si quæ in Arriano Epicteteo corrigenda observâris; nihil enim ad ipsum è MSS. Codicibus suppetiarum à quoquam fertur: sed in Simplicium à diversis διορθώσεις accepi.

Mitto γνωμάτιον Philonianum, à D. Rittershusio cum meis editum Notis; in quo quicquid desideraveris, culpæ id non meæ, sed alienæ.

Mitto & perillustri Domino, Henrico Wottonio, exemplum opusculi Philoniani, cui quùm proximè scripserim, earum literarum hypothesin non video cur repetam. Plurimam eidem à me salutem.

* Apolog. II.
† Ἐκ λόγȣ τȣ̃ Ἀγκυρωτοῦ, p. 492.
‡ Homil. in 33. Psalm.
⸸ Pag. 185.
* In editis vitiosè ἐνεργείας legitur.
† Joan. cap. 6.
‡ Comment. in 6. cap. Joann.
⸸ In ejusdem capitis expositione.
* Caspar. Sciop-pium.

EPISTOLA XLIII.

THOMAS ERPENIUS ✠ ISAACO CASAUBONO.

SPero, clarissime Vir, te jam diu postremas meas ex Gallia & Italia accepisse, illas quidem datas circa Kalend. Novemb. Parisiis, has verò circa Idus Maji Venetiis. Cum utrisque aliquid mearum lucubrationum miseram, quod spero non ingratum tibi fuisse; sed doleo me responsum non accepisse; cujus causa, ut opinor, fuit, quod ubi terrarum hæserim, ignoraveris: unde dubium mihi non est, quin propediem literarum aliquid à te sim accepturus. Per hasce enim intelliges, me tandem salvum & incolumem ad meos reversum esse, domique paternæ sedem figere, donec videam quid de rebus meis futurum sit; quod brevi contingeret, nisi rixæ hæ Ecclesiasticæ in his Provinciis obstarent: at nunc incerta sunt omnia; nam ut ad ministerium Ecclesiasticum inter has turbas me accingam, neutiquam permittunt parentes. 1612.

1612. Studia autem mea Orientalia non videntur me facilè promotura. Nam ut extra patriam professionem aliquam suscipiam, iidem nolunt; à patria autem Academia tum turbæ, tum professiones jam occupatæ me arcent. Turbas nôsti. Hebraicam linguam jam diu profitetur Dominus Coddeus. Arabicam profiteri nuper cœpit Joannes quidam Antonides, Anabaptista Hollandus, qui olim serviens Raphelengio, ab eo didicit literas Arabicas novisse; nuper verò cum Arabe quodam Amstelrodami agente per semestre integrum conversans, aliquid in ea lingua intelligere; valde, ut audio, adjutus Grammaticâ quadam Arabicâ Raphelengii. Quid possit, non queam dicere; non enim conveni hominem, nec facilè conveniam, ne videar ejus luci velle tenebras offundere, eumque de loco suo deturbare; tametsi in Professorum numerum nondum est adscitus: concessum enim ei solùm est publicis prælectionibus per annum continuatis eruditionis suæ & capacitatis specimen aliquod edere: admittendus posteà est aut remittendus, prout aptus aut ineptus ad eam professionem esse judicabitur. Legit autem in loco quodam extra Academiam, quia Latinè loqui congruè nescit, & donec de professione sua certus sit, relinquit uxorem suam cum familia Amstelrodami, ubi vendit vinum adustum (*eau de vie*). Absque hoc homine res meæ bono satis fuissent loco, & occasio mihi oblata studia mea Orientalia continuandi, quod nunc vix puto futurum: nam ut ego mendicem, eumque coner expellere, à me non impetro, etsi non dubito (liberè loquor) quin majori cum publici commodo & Academiæ gloria ipse ei muneri præesse possim. Mitterem nunc quæ in postremis meis promisi; sed libri mei & chartæ nondum in Belgium advecta sunt. Quàm primùm ea accepero, agnosces me promissorum meorum memorem esse. Valde cupio de valetudine tua, statu & studiis certior fieri, teque per tuum erga me amorem oro, ne nimio desiderio me permittas macescere. Raptim hæc exaro Middelburgi, quò parentum videndorum causâ veni, quippe quos redux domi suæ in Hollandia non reperi. Domum reversus Musisque meis restitutus, rebusque compositis prolixior ero in scribendo; nunc finem facio. At ne ullam à me accipias Epistolam, in qua non tractem quid ad linguas Orientales pertinens, de prima Alcorani voce, الم aliquid habe. Ea abbreviatura est: كلمة منقطعة ajunt Arabes, & quæque ejus litera dictionem integram significat, ut ראשי תיבות Hebræorum, valetque prima litera, انا, *ego*; secunda, الله, DEUS; tertia, اعلم, *sapientissimus*. Sumiturque primæ dictionis prima, mediæ media, ultimæ ultima litera, secus ac apud Hebræos, ubi perpetuò initialis. Sic عم valet عليه السلام, id est, ז"ל, sumtâ primâ litera primæ, ultimâ ultimæ dictionis. Idem plerisque aliis Arabum abbreviaturis tum in Alcorano, tum alibi occurrentibus fit, de quibus aliàs. Sed miraris fortè me الله vertere יהוה, ac si nomen proprium esset & non appellativum. Respondeo sic me censere; nam ex appellativo اله, *Deus*, & articulo, formant الله, quo intelligunt verum Deum, Creatorem cœli & terræ. (יהוה) Et sic apud Hebræos ex nomine appellativo & ה *hajedia* non rarò fabricantur propria. Hinc melius intelligitur symbolum istud Mohammedicum: لا اله الا الله ومحمد رسول الله: *Non est Deus nisi* יהוה, *Muhammed autem est Apostolus* יהוה. Quod si velint appellativum اله cum articulo sic efferre, ut non evadat proprium, dicunt الاله, *ὁ Θεός*, *le Dieu*; non autem, الله. Sed revertamur ad الم. Verba ista, per quæ explicatur الم (nempe انا الله اعلم) verti quoque possent, *Ego sum* יהוה *sapientissimus*: ut solum EGO; subjectum sit reliqua prædicatum. Sed aliter Arabes, quod vel inde satis cognosces, quòd his verbis الله اعلم, quibus Alcoranus inchoatur, plerosque libros suos solent concludere * dicendo, والله اعلم, id est, DEUS *autem sapientissimus est*: ubi vides vocem *Deus* notare subjectum, & sensus iste certè longè est convenientior & efficacior. Sic & initium Decem Præceptorum apud nos אני יהוה אלהיך, quod vulgò vertunt: *Ego sum* Do- 1612.

* *Formulâ istâ* والله اعلم *non solent Arabes plerosque libros suos concludere, quod pace tanti viri scripserim; sed ea formula est, quâ uti solent Arabes in re dubia & incerta, & significat*, Deus autem id optimè novit. *Ita quum Arabum Historici diversas Scriptorum narrationes de aliqua re recensuerunt, è quibus ipsi veram eligere nequeunt, hac formulâ uti solent*, والله اعلم, Deus id novit, *ut ostendant se nihil certi ea de re posse definire. Cæterùm tota explicatio viri celeberrimi, quæ* الم *tangit, ingeniosa quidem; sed admodum incerta est.*

1612. DOMINUS *Deus tuus*, longè elegantius & efficacius putarem verti posse, *Ego* DOMINUS (יהוה) *sum Deus tuus*, &c. Et in secundo Præcepto, ubi vertunt, *Nam ego sum Dominus* Deus *vester fortis & zelotes*, arbitrarer vertendum potius esse, *Nam ego* יהוה *Deus vester fortis & zelotes sum.* Sed hæc sufficiant de voce الم. Aliàs de reliquis Alcorani vocibus mysticis agemus, si hæc non ingrata tibi fuisse cognovero. Vale, Patrone observande, & Erpenium tuum, qui te æternùm colet, perge amare, & literis tuis quàm primùm bea. *Middelburgi, a. d.* III. *Id. Jul.* CIↃ IↃ CXII.

Non potui Venetiis adipisci libellum illum, in quo Arabica Provinciarum & Civitatum nomina explicantur. Quocirca te oro, ut apud quem excusus sit, quo anno & quo titulo, quàm primùm me velis certiorem facere. Iterum vale, & verbis meis, ni grave erit, uxorem tuam charissimam, & cognatum tuum Chabaneum, cum universa familia plurimùm saluta; nec non Bedwellum nostrum, quem quàm primùm literis compellabo.

Inscriptio.

A Monsieur,

Monsieur CASAUBON,

à present

A LONDRES.

EPISTOLA XLIV.

✠ JAQUES GILLOT à MONSIEUR CASAUBON.

MONSIEUR,

1612. *IL y a si long temps que je n'ay eu aucunes Lettres de vous, encores que je vous aye escript par deux fois depuis deux mois : que ce m'est une espece d'affliction, & de desplaisir ! Si j'auray à qui bailler seurement mes Lettres, je vous interromprois plus souvent vos meilleures occupations. Et si vous me vouliez donner une adresse sûre, vous verriez l'effet de mon desir plus souvent. Mais je crains & apprehende qu'elles ne tombent pas entre vos mains comme il faut. Et ce qui me le fait apprehender, est que je ne reçoi point de reponse des dernieres, par lesquelles je vous mandois beaucoup de nouvelles. Vous sçavez que l'on n'ose pas commettre, & bazarder les Lettres que l'on escript quelques fois en liberté à ses Amis. Je vous escry la presente, fort affligé de la mort de Monsieur le Fevre, Precepteur du Roi, qui a fait une fin vrayement Chrétienne. Les Peres ne l'ont point visité, si non au commencement Sirmond y fut, qui ne lui parla que de livres. Depuis quil a publiquement dit que le contenu au livre de Richer estoit la vraye, la bonne, & l'ancienne doctrine, ils l'ont tenu suspect, & le Seigneur Chef de la Censure en a esté en grande colere contre lui. Mais il ne s'en est pas ému. Il a donné aux Feuillants tous ses livres imprimez; à Monsieur de Thou touts les manuscripts; à Messieurs Du Puy ses Bibles; à Mr. Beteau son Baronius. Cette mort particuliere nous a tous affligez. Et pour le general celle de Mr. le Comte de Soissons, deplorable & regrettable au public. Nous craignons qu'elle a porté après soi quelque chose de sinistre. Je ne vous escry point de ce proces entrepris contre Moyssel, jugé à la honte des calumniateurs, à son avantage. Vous aurez sçeu quels remuëmens se minutoient de trois grands Estats, & les vaines ambitions de quelques-uns qui se nourrissent en des fumées, qui ne les contentent que de vent. On en a fait de mauvais vers qui courent, qui pourront avoir passé la mer. Je desire fort sçavoir de vostre disposition, & en quel estat vous estes, & que vous faites. L'on dit, j'oi tantôt que vous retournez, tantôt que non; que vous estes sur un grand Ouvrage de Baronius, que vous desireriez d'achever avant ce retour. Si ce dernier est veritable, & que vous le trouviez bon, je manderay à Mr. Savaron, Lieutenant General en Auvergne, qu'il nous donnât tout ce qu'il a remarqué de fautes en l'Histoire, qui sont grandes, & en grand nombre, & dont il avoit fait un livre exprès qu'il vouloit faire imprimer, dont on l'a destourné. Je croi qu'il ne nous en refuseroit pas. Mr. Pithou me dit la derniere fois que je le vis, qu'il ne s'y estoit pas voulu amuser, parce qu'il y en avoit trop. Pour moy, je croy qu'il ne prendra la peine de les éplucher. Il auroit trop à faire, & perdroit bien du tems. Je ne sçay par quel esprit je n'ay jamais voulu acheter ce livre, ni y lire. Il m'avint une fois de tomber sur un passage du troisiéme Tome, ce me semble, où il parle* de Præfecto Prætorio, qui vice sacrâ judicabat. *Il dit*, vicem sacram illam à summo Pontifice manâsse, & ab illo jurisdictionem mandatam habuisse. *Un enfant n'ignore point que du temps des Empereurs* Jussiones Morum sacræ vocabantur; sacra Scrinia; sacras largitiones : & Præfectum Urbis sacrâ vice judicavisse legimus in L. 1. C.

1612. C. de off. Vicar. L. Proconſ. de Appellat. au Code Theodoſien. Quand je vis cette honteuſe ou ignorance, ou malice, je rendis le Livre ſans y vouloir plus rien voir. Mr. Savaron dans ſon Commentaire ſur Sidonius y remarque beaucoup d'erreurs. Je croi que vous ſçavez bien à preſent qui eſt Leidreſſems: ce petit Traité-là a eſté fort bien reçu. Nous avons fait reimprimer nos Libertez, & y avons ajoûté deux fort bons Traitez; l'un du Procureur General Brulart, grand oncle de Monſieur le Chancelier; l'autre d'un fort habile homme, nommé Coquille, & encores les Lettres concernans le Concile de Trente *, fort augmentées, & de Miſſives de Cardinaux, & de Memoires particuliers, dont le Nonce s'eſt dejà plaint. Mais il n'aura pas ce qu'il deſire, comme j'eſpere. Je vous envoyerai tout cela mêmes pour en preſenter un au Roi de la Grande Bretagne, ſi vous trouviez bon, & me donniez ſûrs moyens de les vous faire tenir ou par la voye des Libraires, ou autrement. Il s'eſt fait ici un eſcript en forme de Dialogue ſur la Cenſure, en Latin de cuiſine, qui contient & l'hiſtoire de tout le fait au vrai, & qui accommode la Cenſure & les Cenſureurs eſtrangement. Mais on craint fort de le faire imprimer. Ici l'on deſireroit qu'il fût parti des mains de celui qui a imprimé vos Lettres ou Epiſtres. Car pour le ſujet de l'Hiſtoire de ce fait, il merite de voir la lumiere. On a imprimé un Libelle defamatoire, intitulé, Notæ ſtigmaticæ ad Magiſtrum triginta paginarum, qui libello uno Eccleſiaſticam & Politicam Poteſtatem complexus eſt, Jacobi-Coſmæ Fabritii, Francofurti; qui eſt le plus indigne eſcript que j'aye jamais lu. Et puis vous dire que ce n'eſt pas l'eſcript d'un Chretien, mais d'une bête feroce. L'on l'attribuë à un Jeſuite, nommé Sirmond †, ou à un Avocat du Palais, nommé Gonthier, qui eſt aujourd'hui l'unique conſeil des Jeſuites, & qui a fait un Livre de Jure Pontificio; duquel tout le but eſt de comparer les Papes à ces Pontifes, & montrer qu'ils étoient par deſſus tous, commandoient par tout, manioient les armées, &c. ce que lui-mêmes fort imprudemment teſmoigne ſur la fin de ſon Livre, en ſe plaignant que l'on a dit cela ſans toutes fois y reſpondre aucunement. Si vous n'avez point vu ce Livre-là, j'eſſayerai de vous en envoyer un, pour le courir & le cenſurer comme vous pourriez. Il n'y a rien qui vaille à cette foire hors un Epiphanius Grec de vitis Prophetarum; encores ne l'ont-ils pas aporté, & y a-t'on mis le Chryſoſtome Grec, qui s'imprime en Angleterre, qui ſera un grand œuvre, & je croi, bien cher. Je ne vous detournerai pas d'avantage, vous priant de me continuër vos bonnes graces & amitié, laquelle je ſçai fort bien conſerver & entretenir, & vous aſſûrer que de mon côté vous recevrez tous bons effects & temoignages certains d'entiere & vraye amitie. Je prie Dieu, qu'il vous donne en parfaite ſanté très-bonne & longue vie. De Paris, ce x. Novemb. CIↃ IↃ CXII. 1612.

* Placcius de Scriptoribus anonymis, num. 2170.

† Placcius de Scriptoribus pſeudonymis, num. 740.

MONSIEUR,

Vôtre obligé & affectionné
Ami pour vous ſervir,

JAQ. GILLOT.

Pardonnez moy, ſi je vous importune de faire mes recommendations très-affectionées à Monſieur Barclay, & l'aſſûrez que ſon livre eſt lu de tous les honnêtes gens & fort bien reçu & loüé, & qu'il y a de bons Catholiques qui croyent que ſi le Cardinal Bellarmin eût ſçu que defunt pere eût eu un tel fils, qu'il n'eût jamais eſcript, & qu'il faut qu'il meure de regret.

Inſcriptio.

A Monſieur,

Monſieur CASAUBON.

EPISTOLA XLV.

MARCUS VELSERUS ✠ ISAACO CASAUBONO.

Salve, Vir clariſſime.

EGone tibi commotior viſus, quòd 1613.
de Jeſuïtis mutire auſus ſis? Teſtor amicitiæ noſtræ fidem, non fui, neque ſanè ſoleo, ingenio naturâ non admodum irritabili; quod te homines noſtri, ſi tanti putas inquirere, niſi me omnia fallunt, & niſi mihi ipſe nimis blandior, docebunt. Fateor me in cauſa Religionis, ſive cùm ea rectâ & aperto quodammodo Marte, ſive cùm per ambages & cuniculos petitur, nihil diſſimulatione velare conſuêſſe: Quam enim partem in me haberet Deus deſuper? neque ſi faciam, tu me amore tuo dignum habeas. Sed ne modeſtiæ limites tranſgrediar, cautio eſt quod & innato cuidam inſtinctui, & rationi, & patriæ legibus, & loco demum, quo me cives mei eſſe voluerunt, debeo. Satis memini me ſcribere, Jeſuïtas à pleriſque omni parricidii ſuſpicione liberari, quod eos Chriſtianiſſimi Regis, ſereniſſimæ Reginæ matris & illuſtriſſimorum Principum Regii San-

1613. Sanguinis gratiâ florere videant: sed id tranquillo & pacato, si quid unquam, animo sine cujusquam injuria scripsi: nunc illo, vim argumenti à multis etiam, qui in causa Religionis adversâ plane fronte cum Jesuitis pugnant, æstimari; quòd se nihil contrà excogitare posse dicant, nisi cum Regis, Reginæ & Principum contumelia conjunctum. Sed quoniam capita funis contentionis utrinque remittenda censes, atque id ipsum mihi vehementer consultum videtur, verbum prætereà nullum commutabo. Quod si prioribus meis literis asperius aliquod elapsum est, nollem factum, neque puto factum. Sed si tamen, arbitrio præstantissimi Savilii communis amici, satisfacere paratus sum. Joannes Georgius Herwartus, patriciâ hic Augustæ familiâ, matre Velserâ natus est: quibus honorum gradibus interiorem admissionem Maximiliani Bojorum Ducis meruerit, titulus libri loquitur. Nam ipse liber, quo ingenio literas tractare soleat, abundè docet. Edidit prætereà Thesaurum hieroglyphicum, hoc est, delineationes æri incisas tabulæ Bembinæ, obeliscorum, statuarum, gemmarum, quæcunque Ægyptiacam antiquitatem olent. De Commentario cogitaturus, si per negotia liceret. Ingreditur autem viam interpretando longè diversam ab omnibus aliis, qui hoc argumentum unquam tractaverant, planissimè persuasus, omnia ad vetustissimas navigationes pertinere. Non facilè credas, quibus rationibus & quàm longè petitis testimoniis novitatem opinionis tueatur, neque mihi vacat perscribere: hoc tantùm habeo, sed in aurem dictum, in quibus ille sibi maximè placet, in illis plerumque aliis solennia ineptiri videtur. Vale. *Augustæ Vindelicorum*, XXX. *die Januar. anni* CIↃ IↃ CXIII. quem tibi felicissimum exopto, ut item nobilissimo Savilio.

Tui amantissimus,

MARCUS VELSERUS.

Obsignatâ Epistolâ literas ab Herwarto accipio. Monueram capita Chronologiæ nova à te visa esse. Respondet se sibi magnoperè gratulari de Lectore Casaubono, quem magni faciat & semper magni fecerit. Nihil sibi gratius evenire posse, quàm si Casaubonus judicium suum de iis, quæ quod novata videantur, multam sermonibus materiam præbeant, interponat, aut certè dubitandi causas proponat; tum se, ne quid temerè in medium attulisse existimetur, dictorum rationes diligenter explicaturum.

EPISTOLA XLVI.

ROBERTUS VALESIUS ✠ ISAACO CASAUBONO.

QUòd præter consuetudinem meam, doctissime Vir, te, ne de facie quidem notus, per Epistolam adire, & interpellare non dubitarim, benignè velim à te interpretari. Legebam proximis his diebus doctorum quorundam hominum Notas in Novum Testamentum; eas dum volvo, forteforunâ incidi in tua spicilegia, quæ dum avidè & ἀμυστί, quod ajunt, perlego, animadverto te non ultra Apostolorum Acta progressum; quin in editione obsequutum te amicorum potius voluntati, quàm tuum sequutum judicium, quod ut omnes cognoscant facturum te, si Deus otium aliquando dederit. Quum clausulâ ulterius quid Ecclesiæ Dei promittere videbare, temperare mihi non potui, quin hoc quantulumcunque calcar à studio & amore in te meo, si quid id est, tibi adderem, quamvis satis per te, ut spero, currenti. Quantum enim non modò voluptatis, sed & fructûs ex lectione tuarum notarum ceperim, non dixerim facilè. Macte verò, mi Casaubone! Et dubitabis adhuc pietatem extendere factis? Effice, quæso, ut post raram; raram, inquam, in Galliis racemationem, Britannica ista plenis spumet vindemia labris. Scimus enim eas esse Sacras Literas, ut in iis non modò Agnus peditare, sed & Elephas natare, addo, Aquila volitare possit. Quia verò, ut verè ait quidam, aliqua est ad veritatem via, invenisse, de quo dubites; misi ad te paucula per Epistolam quæsita, ad quæ si respondere, quæ tua est eruditio & humanitas, non gravabere, magno me tibi beneficio devinxeris. 1613.

Quid si ἰοῦττα, aut ἰύττα * legendum? Ea certè civitas in montanis Lucæ. *Jehos.* XV. 55. etiam Sacerdotibus attributa; *ibidem* XXI. 16. tuaque circumstantia hic à Luca attingitur. Sed nulli, quod sciam, firmant hanc lectionem Libri.

* Luca 1. v. 39. εἰς πόλιν Ἰούδα.

Quid si in neutro genere legas ὁ κατέχον †, ita ut ὁ relativum ad μυστήριον referatur, quod poscere videtur tota contextûs συνέπεια. Vers. 6. καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτόν. Vers. 8. καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος, quam lectionem etiam Syriaca Paraphrasis Interprete Tremellio firmat. Augustinus de hoc loco ad Hesychium: quæ verba utinam non tantùm modò ponere, sed & exponere dignareris.

† Thess. II. v. 7. μόνον ὁ κατέχων ἄρτι.

1613. Repetendum, ut videtur, ἀπὸ κοινοῦ: τὸ ἐν τῇ πίστει *. Strigelius annotatione in hunc locum: βαθμὸν spiritualium, inquit, donorum: significare videtur Apostolus τὴν τῆς πίστεως αὔξησιν.

* 1 Tim. III. v. 13. βαθμὸν καλόν.

Interpretantur quidam οἱ ἐπὶ τοὺς σκοποῦντας †. Fallax, dixit quidam, Etymologia. Gautius quidam distinguit inter ‡ σκοπεῖν, quod ad quosvis Presbyteros pertinere scribit; & ἐπισκοπεῖν, quod ad solos Episcopos, propriè sic dictos. Sunt qui τοῦ ἐπισκόπου nomen ἀπὸ τῆς ἐθνικῆς συνηθείας à prisco Gentilium ritu traductum, & ad primos Presbyteros accommodatum putant: non tamen memini me in Historia legisse, ullum eo tempore, quum primus Episcopus Alexandriæ factus est, in Ægypto Magistratum hoc nomine insignitum. Quamvis Melancthon Arrianum testem producat, Alexandri Magni tempore tales in Ægypto fuisse. Non Delio, sed Casaubono natatore opus, qui ex hoc fluctuante dubitationis salo eximat. Inaudivi aliquid de Josephi Scaligeri ad Novum Testamentum Notis; excusat se tamen ille Epigrammate ad Thuanum nuper evulgato. Cæterùm quia Joannes Libingus, ut refert Oporinus Grubinius τῶν Ἀμφωτίδων pag. 63. ait eas se in Gallia legisse, peto à te de illis Notis certior fieri. Sed finis hic esto Epistolæ, non mei in te amoris, clarissime Casaubone; ut neque tuæ propensæ voluntatis de Ecclesia & posteritate bene merendi. Vale iterum atque iterum. *Tranenti*, quod Edinburgo abest septem millibus passuum, *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXIII.

† 1 Petr. V. v. 2. Ἐπισκοποῦντες.

‡ Ad Rom. 16. 17.

Totus in Domino tuus,

ROBERT. VALESIUS.

AUCTUARIUM.

Qui isti πλείονες ⸸? Interpretes plerique *plures* interpretantur. Augustinus *multos* vertit, contra Parmenianum Epist. lib. 3. cap. 2. Mihi videtur designari τὸ Πρεσβυτέριον. Josephus lib. 1. de Hessenis: τοῖς δὲ Πρεσβυτέροις ὑπακούειν καὶ τοῖς πλείοσιν ἐν καλῷ τιθένται. Horum videtur fieri mentio in Canonibus antiquis, qui vocantur Apostolorum, cap. 14. Inquirendum an iidem sint Actor. ultimo, vers. 27. Confirmari hoc videtur ex versu 17. ejusdem Capitis.

⸸ II. Cor. c. II. v. 6. ὑπὸ τῶν πλειόνων.

Elatus, inflatus *, Arias Montanus *inaniter jactatus*, melius meo judicio: videtur enim hîc perpetua metaphora, ab arboribus recens plantatis, quæ propterea vento maximo typhonico eradicantur, & cadunt. Judas Apostolus vocat δένδρα ἐκριζωθέντα †. 1613.

* 1. Tim. III. v. 6. τυφωθείς.

† Vers. 12.

Hinc illa opinio, quæ etiam in Historias relata est de Paulo coram Nerone Apologiam faciente. Scholia Astensiana, *in prima mea defensione* ‡, scilicet adversus Ærarium illum; de variis enim Pauli Apologiis clarum, Historia Actorum, & illud, *ex ore Leonis*, quo præcipuè fundamento nituntur Historici. Videtur sermo παροιμιώδης, qualis in Psalmis sæpe occurrit. Periculum aliquod præsens instat, quale à quadraginta illis, Actor. 23. v. 2. 13. Ego, inquam, credam hanc Pauli coram Nerone Apologiam, si qua fuisset, non à Luca præteritam. Certè hîc Paulus Historiam versu 15. inceptam continuare videtur.

‡ II. Tim. IV. v. 16. ἐν τῇ πρώτῃ μου ἀπολογίᾳ.

Inscriptio.

Clarissimo, doctissimoque Viro,

D. ISAACO CASAUBONO,

LONDINUM.

EPISTOLA XLVII.

CHRISTOPHORUS COLERUS ISAACO CASAUBONO.

Biennium ferè est elapsum, Vir clarissime, cùm postremas illas tuas literas accepi. Itanè ex illarum lectione tantam me nauseam cepisse putas, ut plures ejusmodi ad me non dandas esse censeres? Ah noli. Si decem linguas haberem, eloqui satis non quirem, quàm magnâ me semper adfeceris & lætitiâ & voluptate, quoties aliquid tuarum ad me misisti. Vel illa postrema Epistola, quàm doctè me instituebat, quàm catè & sapienter monebat! Quare obsecro te per Genium tuum, ne me amare desinas. Desines autem, opinor, si ad me scribere desines. Sed quid ego nugor? quasi nunc ego Argentinæ vel Basileæ, & tu Genevæ simus? In Turingico saltu aut Noricis jugis hactenus latitavi, & adhuc latito: tu vel in Sabaudia, vel in media Gallia (ut rumigeruli aiunt) es collocatus. Tamen ego hæc ad te ἀγαθῇ τύχῃ mitto. Sed sequentes hasce in Plautum notas, quando leges, an poteris te tenere quin exclames cum Aristophanico: Ὢ θερμὸν ἔργον, κάκιστον καὶ παράνομον! Plautus Sticho ⸸, Scenâ CREDO EGO:

Scio ego, atque in cogitando mœrore augeor.

⸸ Act. I. Scen. 2. v. 54.

Illud *incogitando* ἀδιαίρετον esse volo. Et volo item illo versu in Trinummo *:

* Act. II. Scen. 2. v. 1.

Multas

Multas res simitu in meo corde verso; multum incogitando
Dolorem indipiscor.

Volui item aliquando apud Terentium, ut nôsti, quòd eodem verbo usus esset Horatius quoque, maximus verborum Terentii auceps. Sed quando illud etiam, quod modò adscripsi:

Multum incogitando
Dolorem indipiscor;

quando, inquam, hoc perpendo, non possum non suspicari de priori versu ex Sticho: itaque opinor, licet hæsitans, scribendum esse,

Scio ego atque incogitando mærore angeor.

Angeor pro *angor* antiquè. Ita Terentius Heautontimorumeno *,

* Act. II. Scen. 1. v. 39.

Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exangeant.

Sic enim Palmerium verè emendasse non dubito. In Trinummo ‡ etiam, quia nunc ibi eramus, versus integer hodiè abest, Scenâ, Quo illic: is est alter horum, servatus beneficio manuscriptorum duorum Camerarii, quibus nunc feliciter utitur Gruterus noster.

‡ Act. II. Scen. 2. v. 39.

Is probus est, quem non pœnitet quàm probus sit & frugi bonæ;
Qui ipsus sibi satis placet, nec probus est, nec frugi bonæ.

Non enim omittendum esse censebam. Nunc ad Stichum † retrò, Scenâ, Qui manet:

† Act. I. Scen. 2. v. 19.

Quasi nunquam quicquam in eas simulem, quasi nihil indaudiverim:

Sic rectè Manuscripta duo: ut & Mostellaria ‡, Scenâ, Scelestiorem:

‡ Act. III. Scen. 1. v. 11.

Metuo ne de hac re quippiam hic indaudiverit.

Itaque sæpe alibi ‡ in Plauto scribendum esse, scilicet, Scenâ, Famem:

‡ Act. I. Scen. 3. v. 73.

Vel unctiones Græcas, sudatorias
Vel alias malis malacas crapularias.

Quæ isthæc *unctiones crapulariæ*, per Musas? Sanè vulgata lectio, quæ & in veteri libro Sambuci est, non videtur debuisse sperni, *ampullarias*, ut simul allusum videatur ad suppellectilem parasiticam, quæ posteà illo versu *:

* Vers. 76.

Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam.

Et apud Ciceronem, lib. 4. de Finibus: si ad illam vitam, quæ cum virtute degatur, *ampulla* aut *strigilis* accedat, sumpturum sapientem eam vitam potius, cui hæc adjecta. Plautus Persâ †:

† Act. I. Scen. 3. v. 44.

Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium.

Strigili sanè ad defricandam cutem usos fuisse in balneis constat. Sic puto & *ampullam* adhibebant, ut vas olearium. Apulejus Florid. Hippias prædicavit *ampullam* quoque *oleariam*. Glossæ Isidori: *Lecythus, ampulla olearia.* Scenâ, Libros inspexi ‡:

‡ Stich. Act. III. Scen. 2. v. 7.

Mustela murem mihi abstulit præter pedes,
Eum strenuè obsenavit.

Manuscripta duo Camerariana,

Eum strena obsevavit:

quod quàm conveniat non perspicio. Tu optimè videbis, eruditissime Casaubone, qui propter illud acumen tuum occultissima quæque pervides. Huc autem pertinet versus ‡ infrà, Scenâ, Salvete.

‡ Stich. Act. V. Scen. 2. v. 24.

Bona scara, strenaque obviam accessit mihi.

Ubi ἐν παρόδῳ emendo, *obviam occessit mihi*. Festus: *occidamus* Plautus ponit pro *contrà cedamus*. Scenâ, Agite *:

* Stich. Act. V. Scen. 4. v. 26.

Tibi propino decuma fonte; tibi tute inde, si sapis.

Manuscriptus unus, *decumana fonte*. Libet suspicari scriptum fuisse,

Tibi propino decumanum: fonde tibi inde, si sapis.

Fonde pro *funde*. Vale. *Altdorfii Noricorum, Kalend. Decemb.*

CHRIST. COLERUS.

Inscriptio.

Viro clarissimo,

Isaaco Casaubono,

Amico magno.

Episto-

Epistola XLVIII.

✠ *** THOMSON ISAACO CASAUBONO.

POst scriptas tuas, mi doctissime Casaubone, incidi in Mechanica Athenæi Ctesibii, nisi fallor, quæ ecce rectà ad te mitto, ut videas me tui ubique & semper memorem. Fortè juvabit te in Polybii editione, quam obsecro te properari. Si quid prætereà occurret, faxo ut habeas. Scaliger, ut olim tibi narravi, magno opere illas Athenæi scidas à me petiit, & parum abfuit, quin res meas mihi habere mandasset, quòd illas ex Anglia, ubi in Bibliotheca Oxoniensi extabant, non misissem olim. Quare si me, si illum amas, curabis ad illum mittendas primâ occasione, & significabis me adtribuisse tibi illas eâ lege. Ipse ego idem scribam Scaligero primâ occasione. Nactus sum & alia quædam; verbi gratiâ, Procli Commentarium in Parmenidem; item Alcibiadem A. Platonis, quæ mittere non possum ob molem voluminis. Poteram alia MSS. Græca emisse quoque; verbi gratiâ, Basilii Commentarium in Esaiam; Cyrilli Thesaurum; Chrysostomi plurimas Orationes, Oribasium antiquissimum & planè fugientibus literis scriptum; sed abstinui me in aliud tempus. Tu fac sciam quid sentias. Sicnnæ subsistam; tu facilè potes, cùm voles, ad me scribere. *Venetiis.*

T. T. THOMSON.

Epistola XLIX.

✠ JOANNES LUIDUS ISAACO CASAUBONO.

ROgavit à me pro amicitiæ nostræ jure Henricus Wottonus, ut ad te scriberem; non quò aliqua accessio fieret ad rationem aut ipsius aut tuam; sed amicissimi hominis monitu ad virum doctrinâ ac virtute clarum ac præstantem, ut aliquam propensi animi significationem utcunque darem, quod initium faustum ac felix futuræ inter nos esset amicitiæ, ipso interprete: id quod facio ita libenter, ut aliàs nec fecisse libentius, nec facturus videar. Tu pro tuo candore hominem tui amicissimum amare incipe ac perge. Vale. *Londini*, XVIII. *Novemb.*

Epistola L.

JAQUES GILLOT ✠ A MONSIEUR CASAUBON.

MONSIEUR,

NE pensez pas, s'il vous plaist, que j'aye peché ou par oubliance ou par ingratitude, d'avoir demeuré si long temps sans vous rendre graces de vos belles & bonnes Leçons Theocritiques. *Deux causes en ont retardé non la volonté, mais l'effet. La premiere que j'estois absent, lorsque vous me fites cette faveur de m'escrire & les m'envoyer; & vous dirai en passant que je n'eu point vôtre lettre qui fut perduë chez Mr. Bullion, que j'ay estimé pour grande perte. L'autre que je voulois, si je pouvois, vous rendre graces par personne & gratieuse, & qui fût nostre amy. Ce que je me promettois faire par Mr. Bullion, qui me disoit tous les jours qu'il s'en iroit dans peu de temps: enfin il m'a ce matin adverty qu'il s'en alloit aujourd'huy mesmes. Je n'ay eu le loisir que de brouiller ce papier pour seulement couvrir le soupçon de negligence, ou oubliance que je pourrois avoir encouru, & par mesme moyen vous rendre autant de graces & telles non que le present merite; mais que je puis, & vous assûrer combien je me sens obligé à vous pour le volontaire tesmoignage que vous m'avez rendu de vôtre amitié, que je tien fort chere, & desire que vous fassiez preuve de la mienne aussi librement, comme je sens la vous devoir.* Ego te amare incepi antequam nôssem; pennatis pedibus te salutare & complecti cupio. *Je puis dire de vous ce qu'un ancien Theologien disoit:* Tui fama dispergitur, ita ut non tam laudandus sit ille, qui te amat; quàm scelus facere putetur, qui non amat. *Je vous prie de me continuer vostre amitié honorable, & de croire que le plus grand desir que j'aye, est de vous embrasser & servir de quelque chose. Vous y avez obligé tout le monde, & moy en particulier. Je ferai que vous n'y aurez point de regret. Je vous baise humblement les mains, & suis,*

MONSIEUR,

Vôtre humble & obligé
Serviteur & Amy,
JAQ. GILLOT.

MERICI CASAUBONI, ISAACI FILII, AD



VIROS ERUDITOS EPISTOLÆ SELECTÆ.

MERICI CASAUBONI EPISTOLÆ SELECTÆ.



EPISTOLA I.
✠ PATRICIO JUNIO.

1623. Ccusabis fortasse negligentiam meam, Vir doctissime & humanissime, quòd literas, quas jam ante discessum Londino scriptas oportuit, tam serò nunc post reditum ad Academiam meum tibi mittam. Verùm si cogites, quanto tempore opus fuerit, dum res meas post tam longam absentiam de integro constituo ac compono; dum quibusdam negotiis vaco, quæ me præsentem expectabant, non adeò miraberis officium hoc distulisse me; cùm præsertim nihil esset, quod urgeret, modò mittendi occasio non perierit, quod non puto, & spero te pro tua humanitate eas diligenter curaturum. Ubi locorum nunc esset Dominus Decanus ignorabam; sed visum est ad eum scribere, ut rerum mearum statum, postquam illum vidi, per me intelligeret. Quod spero ei non fore ingratum; non quia meritus sum, ut de me sollicitus sit; sed quia humanitatis ac constantiæ ipsius est, quem semel in clientelam suam recepit, eum non deserere. Ego quantum jam illi debeam, non ignoro; at plus tamen me tibi debere fatear oportet; cui & fratris amorem acceptum fero, & propriam soli benevolentiam debeo. Quo nomine si tibi gratias nunc agere velim, vereor ne magis ridiculus quàm gratus esse tibi videar. Neque enim tanta res paucis verbis absolvi potest; sed spero te animum meum non ignorare. Interim si quid sit, quod dum hîc ero, mandare mihi velis, fac me certiorem. D. Rouse ad te scripturus erat, cùm illum tuo nomine salutarem. De Juliano memor ero; sed nondum licuit huic curæ vacare. Vale, Vir doctissime, & me, sicut amas, ama. *Oxon. a. d. IV. Id. April.* CIↃ IↃ CXXIII.

EPISTOLA II.
HUGONI GROTIO. ✠

JAm quartus hic aut quintus etiam fortasse mensis est, Vir amplissime, ex quo literas, quibus accepto à clarissimo Vossio Optati exemplari compellare me dignatus es, accepi. 1632. *Post tantum intervallum consuetudo, aut ipsa potius ratio postulare videretur, ut ab excusatione silentii nunc demum responsurus inciperem. Quâ tamen ipse mihi supersedere posse videor. Quod enim alius quispiam fortasse non immeritò suspicaretur, negligentiâ factum meâ, ut tam serò responderem, id ejusmodi est, ut tu de me suspicari minimè possis. Cùm enim tu is sis, qui es; quemque universa Europa agnoscit; & ego is sim, cui, etiam si primus id tibi præstitissem, in quo tu mihi præivisti; fuerat tamen audacia deprecanda: non tam profectò negligentia, quàm stupor, & mera ἀναισθησία dicenda fuerit, si quid hîc à me hac meâ cessatione peccatum fuerit. Etsi igitur facilè mihi persuadeo, quidvis potius te in animum tuum inducturum, quàm ut culpâ meâ, (tali ac tantâ, si culpa) contigisse credas, quicquid hujus contigit; quò tamen plenius tibi satisfaciam, narrabo tibi quæ tantæ procrastinationis caussa fuerit.* Cùm id mihi in tuis literis gratissimè accidisset, quòd perhonorificam illustrissimi Domini mei mentionem in eis fecisses; tibi quoque scilicet non ingratum fore putabam, si quid ille vicissim de te sentiret, recenti aliquo (non potest enim, ut hactenus ignotum tibi fuerit) testimonio non tam indicarem quàm confirmarem. Et de insigni quidem ejus erga te studio plura fortasse brevi scripturus sum: illud interim de judicio tibi confirmo, *sic de te illustrissimum Præsulem pridem judicasse, & in ea opinione firmissimum perstare, neminem mortalium*

1632. *talium hodie vivere, in quo summam eruditionem cum rari prudentia conjunctum æquè admiratur.* Hujus ejus judicii hoc tibi nunc sit argumentum, quod cùm vir maximus oblatâ occasione intellexisset literas à te accepisse me, in quibus & ipsius aliqua mentio esset; non solùm arreptas libentissimè legerit, sed & lectas (vir alioquin non ἀκετοδοξ© tantùm, sed planè & raro exemplo circa aliena de se judicia incuriosus) libenter retinuerit. Alia nunc prætermitto, quibus in posterum magis opportunum fore tempus spero. *Hæc interim de caussa dilatæ scriptionis*, quæ tibi non ingrata fore credidi. De nova Optati editione quòd gratularis, & *ad strenuam porrò diligentiam acriter hortaris, in eo vim amoris tui à patre jam pridem denato in filium superstitem amantissimè derivati, agnosco gratus, & lætissimus amplector.* Ad studia autem mea quod attinet, etsi meliore jam parte vitæ inter morbos & alias curas exactâ, & ne nunc quidem quo voto suppetente semper otio, serum sit aliquid magnum sperare aut aggredi; ut qualiscumque tamen otii, quod *divina mihi benignitas suppeditabit*, quàm optimè mihi ratio constet, sedula à me dabitur opera. Hic meus est semperque fuit animus; ut *nôrunt omnes, quibus ego & vitæ meæ ratio sive præsens, sive pristina non ignota.* Vale, Vir summe, & amare perge, qui te nomenque tuum æternùm colet,

MER. CASAUB. Is. FIL.

Londini, a. d. IV. Kalend. Septemb. stylo veteri, partæ salutis anno CIↃ IↃ CXXXII.

Inscriptio.

Nobilissimo Viro,

HUGONI GROTIO,

Viro incomparabili.

EPISTOLA III.

✠ GERARDO JOANNI VOSSIO.

1634. ETsi serius aliquantò rescribam, Vir clarissime, & à me non unâ ratione excusari possit; (non ignoras, opinor, Capituli Generalis celebratione solemnem nobis per statuta nostra semper esse Junium; ut & Novembrem mensem, eaque negotiis Ecclesiæ nostræ cujuscunque generis expediendis destinata esse Capitula) eò tamen minus mihi de excusatione laborandum, quod etsi non verbis, re tamen ipsâ literis tuis dudum jam à me satisfactum est. Simulac enim tuas accepi Kalend. Maji datas, 1634. viginti quinque libras (quantum Londini tum casu versanti mihi in promptu erat) Peystero ipsi numeravi; cæteras autem viginti quinque paucos post dies, Beviro, Peysteri Delegato, Cantuariam reversus. Sed ut signatius rem intelligas, scripta est apocha Peysteri 23. Maji; Beviri autem, 5. Junii. Reliqui si quid hìc tibi negotii, cùm superioribus meis literis sit omnis ejus ratio tibi exposita, tu autem ejus mentionem in tuis omiseris, non est quod hoc tempore plura super eo addam. Illud tamen non te celabo, illustrissimum Dominum Archiepiscopum (cui per statuta nostra peculiaris Cantuariensis hujus Ecclesiæ cura commissa est, summaque hìc post Regem authoritas) nuper Archiepiscopalem Visitationem per Delegatos instituisse, multaque tum ad universum hujus Ecclesiæ statum, tum ad singulorum Canonicorum jura pertinentia ad ipsum relata esse, & ab ejus cognitione jam pendere: quæ cùm erunt judicata, si quid ad te pertinebit, per me resciturus es. Luctum tuum ob mortem charissimi tui Dionysii prolixè narrabant tuæ, quem etsi maximum fuisse, prout à te magno affectu parique facundiâ descriptus est, animo concipiebam cùm legerim tuas, non tamen aut iniquus, aut expectatione meâ major mihi visus est. Si enim à me, si ab aliis hic plurimis, quibus aliquot duntaxat ingenii sui præludiis innotuerat, ita exceptus est tristissimus ille nuncius, ut multos à nobis gemitus exprimeret, diuturnoque doloris sensu afficeret; quantum tuum, patris indulgentissimi, doctissimi, simul & Præceptoris diligentissimi, dolorem fuisse amisso tali filio necesse fuerit, facilè erat conjicere. Ego sanè ita affectus sum, ut nisi te hominem haud vulgari more ad pompam & fastum literatum, sed verè ac solidè sapientem cogitassem, oneri tam gravi ferendo parem fore planè desperassem. Sed noto plura de eo, ne vel testam demam, tuum dolorem renovem; vel te consolando nimium ipse mihi videar tribuere, quasi meliora possim ego suggerere, quàm quæ prompta tibi de tuo ac parata fuisse, quorumque utilitatem jam usu ipso perceperis, tuis ipse literis abundè testatus es. Reliquum igitur est, ut de Antonino tibi respondeam. Narras te bina ejus exemplaria accepisse; sed literarum, quæ cum exemplaribus ad te curanda Peystero tradita sunt, nullam facis mentionem, ut minimè dubium sit, eas periisse. Rogabam te per illas, (scripta autem sunt illa, si benè memini, cir-

1634. circa medium Januarium) ut binorum exemplarium alterum ad virum amplissimum & doctissimum, Dominum Boswellum, Regium isthic Oratorem, nisi aliter tibi ipsi videretur, sive tuo sive meo nomine curares. Is ad vos jam redierit necne, compertum non habeo: audio enim nuper eum hic fuisse; sed audio tantùm; non enim hactenus accidit ut viderem. Jam sub prælo est, & brevi, ut audio, proditura secunda ejus libri editio; non me sanè procurante, (in aliis enim jampridem sum) sed Bibliopolâ, cujus impensis prima prodiit, suis compendiis consulente. Valde enim, ut videtur, primam editionem quæstuosam expertus sit, cùm intra paucos menses direpta sint omnia exemplaria. Quod de quibusdam locis sententiam tuam proponis, magnam in eo gratiam à me inivisti, qui magno redimerem familiarem tibi linguam Anglicam, ut plura loca comparare sine alterius ope potuisses. Lib. 1. ubi utraque Xyl. editio de Sexto, τὸ ἀθεινόρητεν τῶν οἰομένων, tu conjicis, τὸ ἀθεώρητον τὸ ἀνομένων, quasi Antoninus Sextum ab ingenua quadam simplicitate (si mentem tuam rectè capio) commendaret, quod amicorum peccata pari quâdam cum vinolentis (qui minimè perspicaces hîc esse solent) facilitate præteriret. Ego per τῶν οἰομένων eos intelligebam, quibus οἴησις & οἴημα vulgò in Philosophorum libris tribuitur, τοὺς ἰδιώτας nempe, καὶ ἀπαιδεύτους; atque inde commendari Sextum, quod talis ac tantus Philosophus ostendendæ sapientiæ occasiones pro cæterorum Sophistarum, τῶν ψευδοφιλοσόφων more, (illustre exemplum apud Aulum Gellium, lib. 1. cap. 2.) qui quocunque loco, quocunque tempore, Theoremata & Scita Stoica crepare solebant, minimè captaret ipse; sed cùm inter homines idiotas & Philosophiæ rudes versaretur, ab intempestivis ejusmodi disputationibus cautè abstineret, ne se pariter & Philosophiam ipsorum odio & contemptui temerè exponeret. Quò & ista Epicteti pertinent, Wolf. edit. cap. 68. μὴ λάλει τὸ πολὺ ἐν ἰδιώταις περὶ τῶν θεωρημάτων, &c. quæ & proximo cap. repetuntur. Qualia & ex aliis plurimis multa adduci possint. Vocem autem ἀθεώρητον in hunc sensum ex Laërtio exponebam, ubi ex Stoicorum sententia virtutes alias esse θεωρηματικὰς, τὰς ἐχούσας τὴν σύστασιν ἐκ θεωρημάτων, asserit; alias autem ἀθεωρήτους ἐχούσιν, &c. Si cui magis arridebit, ut verba ista passivè accipiantur, & τὰ οἰομένα sint dogmata ipsa & opiniones Philosophorum, non ego valde repugnarim; præcipuè si exemplo non careat: eadem autem tum fuerit sententia. Hæc quoque super 1634.
obscuro hoc loco, quæ etsi non tam satisfaciant ipsi mihi, ut pro veris & certis ausim obtrudere; haud minus tamen etiam nunc arrident, quàm quod tibi obiter hoc agenti venit in mentem. Si tamen re accuratius expensâ, (quod ut facere meâ causâ ne graveris, etiam te rogo) in priori sententia perstiteris, tanti facio tuum judicium, ut minimè dissensurus sim. Alia loca, ubi Xyl. editio pag. 155. δυεργετικόν, reponis tu ἐνεργετικόν; ita omnino sensus postulat. Sed, quod tu non advertisti, jam in Notis Xylander ipse monuerat, & in versione expresserat, quod & à me factum est, pag. 158. Quod legitur, παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ μου Σεουήρου, τὸ φιλοίκειον, &c. corrigendum fuisse τοῦ Οὐήρου, videris innuere; nec tu solus ita censes. Ita enim (ut alios omittam) hunc locum edidit præstantissimus Salmasius, in Histor. August. pag. 77. Ego tamen adhuc ἐπέχω, cùm utrumque tam *Veri* quàm *Severi* nomen ab Antonino nostro (quem Catilium Severum à materno proavo nominatum, testis Jul. Capitol.) ad hunc Lucium Commodum, jam imperii consortem, transire potuerit. Imò verò ita rem habere liquidò affirmare possumus, si Galeno fides, qui πρὸς τοὺς περὶ τόπου γράψαντας, exertè Antonin. Imperatorem, Severi nomen, quo prius appellabatur ipse, in Lucium transtulisse prodit. At Galeni codices depravatos hîc censet Baron. Ann. Chr. 163. §. IV. & pro *Severo*, rescribit ipse *Verum*. Cui sanè sententiæ alter Galeni locus (à Baronio tamen hic præteritus) λόγῳ περὶ τῶν ἰδίων βιβλ. non parum favere videtur, ubi Galenus de mutatione nominis idem dicat: *Verum*, non *Severum* scriptum præferunt editi Codices. Sed quicquid hujus sit, cùm non deesse viderem, quod objici possit, si quid in Antonino, non prius expensis utrinque rationibus, mutarem; expendendi autem locum fore tuum maximè opportunum, si quando Antoninus nostris Commentariis illustratus Græcè prodiret in lucem; ideò in hac editione consultò prætermissa est omnis rei ejus mentio. Nam notulæ illæ, quæ nunc γεόματος χάριν editæ sunt, vix centesima pars sunt eorum, quæ nobis in hunc divinum Scriptorem pridem jam notata sunt. Xylandrum Interpretem, virum doctissimum, optimè de literis meritum, agnosco libens. Eundem tamen in hujus scripti versione negligentissimè vel infelicissimè versatum esse, negabit nemo, qui Græca accuratè expensurus est, & mihi est exploratissimum. Nobis tamen Antonin. legen-

1634. legentibus, ipsum intelligere, non Interpretis errores sugillare, propositum fuit; etsi quæ inter legendum observata sunt, non ut aliis ea probarem; sed ut mihi ipsi satisfacerem, primò à me factum est. Quare etsi iidem, qui versionis Anglicanæ, animi oblectandi causâ à me susceptæ, publicandæ authores fuerunt; iidem ut Græcam editionem adornem, valdè suadeant; ægrè tamen, quantum video, præstituri sumus. Sacra enim profitentes, alia scilicet nos hìc occupatos habent; inter alia, concionandi grave onus: nec otii tam felices sumus, ut ad ista divertere utcumque gratissima & optatissima, sæpe vacet. Sed Epistolæ modum jam excessi. Vale, Vir præstantissime, & amare perge

Tuum, quantus quantus est,

MER. CASAUBON.

Cantabrigiæ, postridie Id. Jul.
CIↃ IↃ CXXXIV.

Mitte quæso, cùm proximè scribes, ad Peysterum talem Apocham, qualem jam ferè biennium est, cùm misisti; eâ nempe præscriptione, te ex Præbenda tua ab initio ad Octobris mensem 1634. quod tibi debebatur, rectè ac plenè accepisse. Sed mitte eâ conditione, ut non nisi exacto Septemb. eam mihi tradat, cùm præter viginti quinque libras, quæ jam tibi paratæ sunt; alteras viginti quinque, quæ tum debebuntur, acceperit. Plurimam, quæso, tuæ tuisque à me meaque & universo nostro Collegio dic salutem.

EPISTOLA IV.



EIDEM.

1635. NOn erit, Vir clarissime, quod de excusanda literarum tuarum tarditate, (quod à te non semel factum est) deinceps labores, cùm jam exemplo te meo tueri possis, qui literis, quas Octobri mense superioris anni reciperem, nunc demum respondeam. Non tamen hoc à me factum vel imitandi tui causâ, si quando res tuæ ita tulerunt, ut serius responderes vel ut exemplo meo fultus securius in posterum sileres. οὔ μὰ τὸν φίλιον τὸν ἐμόν τι καὶ σὸν (ut olim Platonicarum elegantiarum simul & dogmatum decus illud ingens, Synesius loquebatur) οὐκ ἔγωγε hoc in me facinus admiserim, qui non in postremo felicitatis meæ loco semper posui ponamque semper, hoc mihi tecum amicitiæ, mutuarum literarum commercio firmatum excultumque, jus intercedere. Dicam igitur, quod res est, mi Vossi: quantum video, in eo satis conspirant 1635. nostrum utriusque fatum, quòd vitam vivere otiosam neutri datum est. At in eo discrimen ingens, quòd tuæ omnes curæ, omnia negotia ad literas & Musas pertinent; quorum scilicet fructum percipiunt tum felicissimi Juvenes, qui te quotidie audiunt; tum qui tua laboriosissima scripta legunt per totum orbem literarium docti gravesque viri. Mea pleraque negotia quam diversi sint generis, vel inde potes colligere, quòd totos haud rarò menses occupatissimo mihi transigere contingit, quibus tamen totis librum videre, aut certè studendi causâ, non contigit. Hoc quò minus mireris, scias velim (ut alia nunc taceam) qui Residentes (ut vocamus) sunt hujus Ecclesiæ Canonici, iis tum universis simul, tum singulis per vices agenda curandaque multa incumbere, quæ temporis haud minimam partem, quod unicuique suppetit, sibi vendicent. Superiori anno molestissimo Thesaurarii munere sum defunctus. Hoc anno sum Receptor Ecclesiæ, onere fateor, si genus ipsum laboris, & præcipuè si præmia utriusque spectentur, non adeò molesto aut gravi; à Musis tamen, & otio literario non minus alieno, quàm quod erat Thesaurarii. Quæ quidem de occupationibus meis eo fusius, non habitâ tuarum ratione, sunt à me nunc exposita, ut errorem, in quem te postremæ meæ induxerunt, tibi eriperem. Ita enim ex iis collegisse te apertè scribis, multò majora me sub manibus habere, quàm quæ hactenus (majoris ea certè mitto pro tuo erga me amore, quàm pro eorum merito æstimata) à me præstita sunt. Magnam sanè in eo, mi Vossi, amoris tui vim agnosco, tum quòd talem me tibi fingis, à quo magna possint à te tuique similibus expectari; tum quòd, cùm ita de me judicas, ne ipse mihi desim, cohortatione tuâ, quantum in te est, providere satagis. Plurimum igitur amori me tuo debere profiteor libens. Cùm tamen hominis sit, meo judicio, vani stultique eam de se opinionem excitare, quam destiturum se certò sciat, etiam atque etiam te rogo, ut quam opinionem de me temerè concepisti, eam, me non spondente, imò alia omnia profitente, & bonam copiam ejerante, tibi quàm potest celerrimè avelli sinas. Jam enim dudum est, cùm de meis studiis, non meâ sanè, quod sciam, culpâ, sed fatis ita volentibus, actum est; & ea nunc vita est, ut si hactenus omnia pro voto successissent, nunc tamen vel invito decoquendum, & arenâ, quod ajunt, cedendum essent. Neque

1635. que tamen spero ita vivemus unquam, ut ἐτώσια ἄχθος ἀρούρης, & fruges duntaxat consumere natos, quisquam meritò nobis exprobrare possit. Absit hoc à nobis, ut eò vecordiæ unquam deveniamus. Si ut prosimus aliis, scriptis & lucubrationibus nostris non datur, at sunt alia, personæ quam gerimus, & professioni Sacerdotis non minus convenientia, in quibus non inutiliter ad Dei gloriam occupatum iri quicquid in nobis est industriæ, confidimus. Interim si contingat, ut aliquid interdum edamus in lucem, hoc scilicet succisivis horis nostris debebimus totum, magisque recreationis nostræ quàm laboris erit. Ad parentis autem τοῦ μακαρίτου τὰ ἀνέκδοτα edenda quòd hortaris, res factu facilis esset, nec à me tam diu dilata, si ea essent ejusmodi, vel quæ perfecta æstimari mererentur, vel saltem ita effecta, ut sine Authoris injuria publicari possent. Horum cùm neutrum sit, & eorum quæ præcipua sunt, non sine summo labore ad perfectionem aliquam perduci possint, & argumenti sint à meis studiis, id est sacris, alieni, (quales sunt operosissimæ in Polybium Animadversiones; amplissimi de Re Vestiaria Commentarii, &c.) quid aliud iis præstare possim, quàm ut dum vivam ipse, fideliter à me integra illibataque conserventur; & post obitum, sacræ publicæ alicujus Bibliothecæ custodiæ fideique committantur, non video. Cætera si quæ sunt, qui minore opere indigent, ut publico parentur, (ut sunt fortasse Notæ in Epistolas ad Atticum, & alia nonnulla id genus) aut quæcunque sunt argumenti Theologici seu Ecclesiastici, quæ ullâ meâ quantacunque operâ sive persici, sive quocunque modo ad publicam utilitatem disponi poterunt; in his operam nostram publico non defuturam, si Deus vitam nobis & otium, quæ sufficiant, audeo tibi promittere. Quamquam, ut verum fatear, nupera quædam calamitas studia mea vehementer afflixit, ex qua vereor ne longum sit, priusquam se integrè recolligant. Obiit enim ante mensem unum aut alterum omnium meorum amicorum, quibuscum familiaritas mihi & de literis frequens communicatio hic intercedebat, longè doctissimus Augustinus Lindsellius, postquam Herefordiensi Diocesi, cujus erat Episcopus, annum vix integrum, sanctitate & integritate vitæ Præsul, etiamsi olim vixisset, admirandus, præfuisset. Vix est, ut tantam eruditionem in tanta modestia, tantâ obscuritate (etsi jampridem toto hoc Regno celeberrimæ famæ fuerit) latere potuisse quisquam credat, hoc præsertim seculo, quo scribendi 1635.
cacoëthes plerosque homines, qui aliquid sciant, tam impotenter transversos agit. Nullum genus est eruditionis, in quo non ita excelleret, ut totâ vitâ nihil aliud egisse videretur. Nullus liber antiquus aut recens, Latinus, Græcus aut Hebraicus; nullus ferè Gallicus, Italicus aut Hispanicus, qui quidem alicujus momenti fuerit, quem notum non haberet, totumque ita excussisset, ut pro re nata suam de eo sententiam apud amicos doctè pariter ac copiosè proferre non posset. Hic ante quatuordecim plus minus annos, cùm libellum, quem contra patrii nominis infamatores edideram, legisset & probasset, anteà sibi penitùs ignotum ita complecti cœpit, ut deinceps non aliter de me sollicitus esset, quàm si propiori aliquo naturæ vinculo ipsi conjunctissimus fuissem. Nullum officii genus est, quo mihi commodare potuit, quod inexpertum reliquerit. Nam & studia mea quà consulendo sæpissimè, quà docendo non raro adjuvavit; & fortunas meas aliquando tenues non ipse modò sponte suâ liberalitate sublevavit, sed & ab aliis ut sublevarentur, suâ apud magnos viros authoritate, nunquam à me ne minimo quidem verbo sollicitatus, effecit. Ille denique fuit, qui benignissimum Dominum ac Patronum, nuper Episcopum Londinensem, nunc Cantuariensem Archiepiscopum (in tanto dignitatis fastigio meritis quàm loco longè celsiorem) primus mihi conciliavit; ut omnia propè ipsi debeam, tanquam fortunæ meæ fabro & architecto præcipuo, quæcumque mihi felicia posteà contigerunt. Sed ut ad studia redeam, assiduus hic mihi ἐργοδιώκτης erat, & temporis acti severus exactor, pensis etiam interdum impositis, quæ pro ratione sive virium mearum, sive otii & temporis, maximè congrua judicaret. Paucos ante mortem annos totus in eo fuerat, ut Græcorum veteris Ecclesiæ Scriptorum scripta quædam ἀνέκδοτα, magno ære non ita pridem è diversis Europæ Asiæque locis comparata & huc allata, quam emendatissima cum Latina interpretatione in lucem emitteret. Me quoque (magis id quidem amori erga me suo indulgens, quàm humeris meis confisus) ad partem tam gloriosi propositi vocarat, mandatâ mihi veteris Græci Codicis, qui Commentationes in partem Psalmorum, Chrysostomo vulgò adscriptas continet, interpretatione. Quæ quidem eò facilius à me suscepta, quòd dies ad perficiendum data, nec aliâ conditione imposita quàm si per

alias

1635. alias occasiones liceret. Alia quippe erant plura, seu majoris ea momenti, seu quod acceptiora futura essent, prælo designata, priusquam harum usus esset. Neque jam quicquam restabat, quàm ut Typographus primo quoque tempore ad opus accingeretur, cùm supremum diem obiit Præsul illustrissimus. Sed Deo laus, quòd ille superstes, diuque sit superstes oro, quo vivente nunquam Patrono cariturae sunt in Anglia meliores literæ; cujus potissimùm auspiciis, & prudentissimâ administratione, ut eò perductum negotium illud, quò perductum diximus, cùm Præsul illustrissimus obiit, omnes hic agnoscimus; ita & in cura providentiaque ejus, nulli non pari negotio omniumque hactenus difficultatum feliciter victrici, spes nobis non exigua, tot conatus & labores, ob intempestivam præcipui instrumenti jacturam, incassum non futuros. Sed vereor ne qui modò pertinax silentium excusandum habebam, idem nunc importunæ prolixitatis crimen incurrerim; adeò hoc quoque verum illud experior, quàm sit illud in omni re difficile, ut *ne quid nimis*. Ad literas igitur tuas redeo, etsi jam pertæsus prolixitatis, ne in tanta sermonis redundantia me tibi non respondisse queri possis. Grotium & Salmasium, incomparabiles Heroas, quòd in tuis memoras, rem fecisse mihi gratissimam. Etsi enim vitæ eam rationem inire, ut inter eruditos nomen profiteri meum possim, non datum est; in eo tamen non leve solatium, quo suprà vulgus non parum assurgere mihi videor, quòd viros verè doctos affectu (sed & judicio fortasse) non vulgari colo, eorumque incolumitatem in maxima parte felicitatis meæ pono. Sed ô seculi infamiam, summum illum virum, desultoriæ vitæ incommodis tam diu jactari, & incertis sedibus errare! Dignum certè virum, de cujus virtutis possessione omnes Europæ Reges & Regna, si saperent, haud paulò majori contentione inter se decertarent, quàm olim urbes illæ Græciæ de Homeri umbra. Sed nimirum tanti stant ei Libertas, & Veri amor, quæ non pauciores ubique ferè inimicos, quàm eruditio & divinum ingenium admiratores illi peperere. Sed quando, ut ait ille, nondum omnium dierum soles occidere, non est quod desperemus res ejus aliquando tranquilliore loco fore. Filium tuum Joannem reducem, ut & Opus Grammaticum, quod promittis, (illum corporis, istud ingenii tui fœtum in utroque te complexurus) libens videbo, & avidus expecto.

De re tua pecuniaria, serum me tibi scribere; scribam tamen: XXVI. nempe die mensis Octobris ultimo elapsi 1635.
L. libras, quæ tibi debebantur, Peysteri Delegato Cantuariensi persolutas esse: alteras autem L. libras (quod jam magis tempestivum me tibi scribere) si interim te priores illas accepisse (quod semper observandum tibi est) vel verbo significaveris, intra paucas septimanas tibi paratas fore. Res tuæ reliquæ omnes, prout feret occasio, mihi semper erunt curæ. Sed hortense illud negotium tuum (quando & successoris tui res ad te pertinere rectè judicas) adhuc pendet, & sub judice lis est. Quando erit aliquid constitutum, quod brevi speramus, omnia per me plenè resciturus es. Vale, Vir præstantissime, & amare perge

Tui tuorumque omnium merito tuo amantissimum,

MER. CASAUB.

Cantuariæ, a. d. VIII. *Kalend. Mart.* CIↃ IↃ CXXXV. *stylo vet.*

EPISTOLA V. 

EIDEM.

QUas à te postremas accepi, IV. Id. 1636.
Octob. datas, redditæ sunt illæ mihi circa medium Novembris; nec multis interjectis diebus L. libras, quantum tibi ad id temporis debebatur, Peystero tuo αὐλόχεις numeravi, & cum pecunia responsum ad tuas, ut memini, satis amplum dedi. Quare ut pristina non regeram, scito me haud multò pòst, communicatis ipsi quas in eum finem scripseras ad me literis, de horto controverso cum B. nostro egisse, idque quo candidius secum agi intelligeret, privatum primò; quod valde ipsi gratum fuit. Non enim quantum video, publicæ sive Collegii, sive quorumcunque cognitioni causam suam libenter commissurus est, unde & bonitati ejus quantum confidat, potes conjicere. Nisi fallor, unicum hoc illi refugium superest, ut literis suis ad te, sive querulis sive blandis, (τῶν γὰρ πρὸς ταῦτα πεφυκότων, vel inter primos εὔχεται εἶναι) aliquid à te eliciet, quod vel ad obtendendum consensum tuum, vel ad amoliendam ulteriorem rei disquisitionem faciat. Tui erit judicii quid responsurus sis. Sed cave ne quid ad te detrimenti rediturum inde putes, si in proposito perstiteris. Seriò enim id à me cavebitur, & ut res nunc sunt, ne minima quidem metuendi causa. Nam ad Præbendarias tuas rationes quod attinet,

1636. tinet, cùm binæ tibi conditiones initio propositæ fuerint, quarum alteram eâ conditione amplexus es, ut alterius, si quando ita malles, jus tibi servares integrum; si (quod ego suadere aliquando memini) optionis hujus pro re nata arbitrium, aliquâ voluntatis tuæ significatione per literas mihi promisisses; valde fallor, aut & novæ conditionis non pœnitendos fructus hoc anno, me Thesaurario, percepisses, & ad primam redire (quandocunque velles) liberum tibi fuisset. Quod eò à me dicitur, non ut te consilii tui pœniteat; sed quò magis intelligas non admodum tibi cujusquam gratia opus esse, ut in his securus remanere possis, quas nunc obtines. Atque hæc quidem hactenus. Mitto ad te bina exemplaria, non ineleganter (ut sunt hîc nostri Bibliopegæ plerique hujus artificii valde imperiti) compacta, libri hîc nuper editi. Est autem Marci Aurelii Antonini, Romani illius Imperatoris nunquam satis laudati, *De Vita sua* (ut vulgò vocant) in linguam Anglicam versio. Dubito an liber sit tibi unquam visus: non enim, opinor, alioquin inter Historicos tuos Græcos penitùs omisisses. Quanquam reverà inter illos, nisi per publicum errorem, nullus illi locus. Est enim liber non historicus, sed philosophicus purus putus, & planè divinus: neque de Vita sua verus illi titulus, sed τὰ εἰς ἑαυτὸν, quod longè aliud est, & ex intima Philosophia Platonica exponendum, ut paucis in Notis ad librum judicatum est. Misi bina exemplaria, ut si tibi videtur, alterum ad virum amplissimum & doctissimum, D. Boswellum, Regium apud vos Oratorem, sive tuo sive meo nomine curares. Sanè hîc tanto studio excepta est hæc versio, ut quamvis adhuc musteus propè sit liber, & à prælo calens, jam tamen de secunda editione cogitare incipiant. Etsi tu Anglicam non intelligas, non dubitavi tamen aliquem tibi isthîc amicum vel Anglum, vel qui Anglicæ linguæ non sit imperitus, cui novus liber munus sit futurus non ingratum. Vale, & ocyus (ut hortense negotium à me expeditiùs curetur) rescribere meum esto. *Londini*, *a. d. v. Id. Januar.* CIↃ IↃ CXXXVI.

Tuus,
MER. CASAUB.

EPISTOLA VI.

HUGONI GROTIO.

Vir amplissime,

TUas, a. d. v. Kalend. August. datas, humanitate conditas singulari, verè tuas (in quo nihil non singulare & divinum) accepi; sed eodem & istas fato, quo superiores illas tuas, cujus infelicitatem narrabant tibi postremæ meæ. Stevardus ille tuus, quem mihi commendas, aut commendandum potius ut amico tradis, ubi gentium sit, ater an albus, nisi quantum è tuis colligere licuit, hactenus ignoro. 1636.
Non id ego expectabam, Vir summe, (ne sine causa me queri putes) ut qui forsan aliò festinabat cùm primùm huc appulit, ad me Cantuariam de via sua declinaret; aut ut alio quocumque tempore mei videndi aut tradendarum tuarum causâ iter huc consultò susciperet; sed ut per quos tuas ad me curavit, per eosdem verbo uno aut altero tum præsentem tuum statum sedemque, tum quòd illud sit, (quando, ut scis, generales commendationes apud viros magnos & occupatos tanti non solent esse momenti) ad quod per reverendissimum Archiepiscopum benevolentiam adspirat, certò significaret, id expectasse me fateor; &, nisi valde fallor, te quoque judice, jure meritoque. Faciendum tamen putavi, ut eum primâ quaque occasione, saltem quantum per te mihi innotuerat, verbisque tuis illustrissimo Domino commendarem. Quare cùm post aliquot septimanas gratiæ ejus, (ita hîc loquimur) conveniendæ oblata esset occasio, statim ille quanti commendationem tuam faceret, verbis & vultu abundè demonstravit. Cæterùm cùm quædam de commendato magis expressè quæreret, & ego meam ignorantiam, ut qui nihil de eo, nisi quod à te, excusassem; promisit ille tamen daturum se operam, quandocumque Stevardus se illi offerret, ut ne vel nomen ejus vel commendatio tua memoriâ sibi exciderent. Quod ut optimo animo ab ipso dictum esse, tam mihi certum quàm quod certissimum; ita pro voto successurum, præcipuè si diu sit priusquam Stevardus illum adeat, (ut fluxæ sunt plerumque tot & tam diversi generis obrutæ talium virorum memoriæ) præstare non ausim. Atque hæc de Stevardo hactenus. Sed bene factum, quòd tandem aliquando adventu conspectuque suo nos beavit optatissimus, tuoque jam olim, nunc & tuo nomine charissimus, Joannes

 Rey-

1636. Reygersbergius. Atque utinam per ejus seu negotia, seu nimiam verecundiam non stetisset, quominus illo diutius frueremur! Crede mihi, Vir eximie, is est propinquus iste tuus, eâ modestiâ, prudentiâ, temperantiâ juvenis, (quantum ex pauculorum dierum convictu non incuriosis oculis observanti mihi conjicere licuit) ut ejus te nepotis pœnitere minimè debeat. Plura de eo non addam; sed nec possum majora, si velim.

Ad res meas quod attinet, nimis tui majorumque tuarum occupationum oblivisceris, si quid ad curas tuas pertinet, quid agam, quidve in posterum, propitio Deo, moliar. Si tamen ita stat tibi sententia, & tam bene tecum agitur, ut aliquando tibi vacare contingat à magis seriis, præstò tibi est Joannes tuus, idemque jam, si hoc non nimium est, meus; qui tibi abundè satisfaciat. Vale, Vir illustrissime, & amare perge

Tibi devotissimum,

MER. CASAUB.

Cantabrigiæ, a. d. v. Kalend. Octob. anni Juliani, CIƆ IƆ CXXXVI.

Inscriptio.

Amplissimo Domino, Viro incomparabili,

HUGONI GROTIO.

LUT. PARIS.

EPISTOLA VII.

✠ THOMÆ GATAKERO.

1653. EXemplar Antonini τῶν εἰς ἑαυτὸν, cum tuis in illum Annotationibus à te missum, rectè accepi, Vir doctissime, & eo nomine gratias ago tibi, quantas ab eo par est, qui quicquid ad Antoninum faciat, quò divinum istud scriptum vel auctius, vel explicatius fiat, à quocunque profectum, maximi semper facturus sit. Quid ni verò faciam, qui tam utilem & fructuosam ejus lectionem pridem expertus sim, & quotidie experior; ut cùm à sacris discessi, non alium temerè librum reperiam, in quo magis animus meus, sive in rebus lætis componendus, sive in tristibus erigendus, acquiescat? Quæ me præcipuè ratio, cùm jam olim ante viginti plus minus annos ad meam notitiam primùm pervenisset, impulit, ut linguâ statim vulgari redditum, aliis quàm plurimis legendum proponerem; quod alios quoque non paucos repertum iri sperarem, qui quod ego judicabam, similiter & illi, facto 1653. periculo, judicarent. Nec sanè me fefellit opinio; ut ex infinitorum propè, tum doctorum, tum indoctorum, sed præcipuæ alioquin dignitatis, virorum (ut fœminas taceam, quod minimè expectabam) gratiis & testimoniis liquidò statim constitit. Quæ causa fuit iteratæ & emendatioris, quæ post paucos à prima menses prodiit, editionis. De tuis autem, doctissime Gatakere, in Antoninum cœptis ingens dudum fama, cùm longè latèque sparsa esset, ad me quoque per illa tempora pervenit; quam tamen ad me valdè pertinere, qui jam versione illâ defunctus eram, nec de alio, quod ad hoc scriptum pertineret, cogitarem, non putabam. Posteà autem, multis annis elapsis, cùm nihil amplius de tuo incepto audirem, & multi meam operam ad edendum Græcum assiduis conviciis flagitare, non cessarent; non tamen antè (quod & in Prolegomenis nostris publicè professi sumus) κεκρίκαμεν, quàm te prius adito & volente. Hæc autem tibi cùm ante alios sint notissima, quid à me hîc commemorentur, posteà dicetur. Tu interim, (ut ad exemplar à te missum redeam) quid præstiteris, postquam tandem aliquando tuæ in Antoninum (quadraginta annorum, ut ipse computas, fœtus) lucubrationes, meum fortasse judicium non expectas. Ego certè hoc nunc non ago: neque si vellem, tutum tamen putarem ex levi & desultoria pervolutatione, de toto opere pronuntiare. Nam præterquam, quod dies non valdè multi adhuc præteriere, cùm pervenit ad manus meas iste tuus fœtus; accidit etiam, ut cum diuturno ac difficili morbo, cui dudum obnoxius esse cœpi, colluctantem deprehenderet; & in aliis etiam ad bonum publicum (ut quidem speramus) spectantibus, quantum per valetudinem licebat, occupatissimum. Ut igitur eò veniam, quod hîc mihi proposui, quia insigni injuriâ affectum me censeo, priusquam querelam meam ad alios defero, ipsum te autorem convenire satius credidi; qui vel faciendæ causas, aut si factum negas, certè facti tui qualiscunque, quo ego me læsum (rectè an secus) queror, rationes optimè notas habeas. Sed hoc primum mihi sumendum est, quod tu, opinor, non gravatim concedes, quodque ego jus esse publicum apud omnes omnium nationum ac temporum Scriptores comperi. Si quis scripti alicujus Author est, quo prodesse aliis studuerit, Scriptori in suum scriptum jus esse perpetuum, ut mutare, interpolare, augere, deme-

1653. demere, retractare denique, prout ipsi visum fuerit, fas sit, dum vivit: atque adeò secundis editionibus, quæ recognitionem & emendationem præ se ferunt, priores abrogare. Non id jam tibi à me objicietur, (alius fortasse objiceret) quòd peccata quædam (tu mea per me vocato, si voles) primæ istius versionis & editionis Anglicanæ, prope jam viginti ab hinc annis, in secunda illa ejusdem versionis editione correcta, tu in tuis Annotationibus à prælo adhuc calentibus, acrius exagitas. Talia sunt τὸ ἐπιςαλτικὸν pro ἐπιςημικὸν, & τὸ ἐπιςημικὸν pro ἐπιςατικόν· quæ in secunda editione rectè scribuntur, ut tu scribi debuisse contendis, Annotationum tuarum pag. 6. Item, *Frontinus* pro *Fronto*, quod à nobis animadversum fuerat, & in secunda editione correctum, à te autem notatum, & pluribus etiam verbis, ut te otio abundare intelligeremus, confutatum, Annotationum pag. 19. Malo credere, ignoratam tibi fuisse secundam illam editionem; aut si non ignotam, correctiones tamen illas (neque titulus enim, ut in re tam pusilla, promittebat) animadversas tibi non fuisse. Ad alia, quæ majoris sunt momenti, propero. Tu Græcam nostram editionem cum Latina versione videras, Vir clarissime, cujus exemplar à me tibi missum fuerat; quam etiam laudatam in Prolegomenis tibi reperio. Ibi versio Xylandri à nobis, quod titulus libri profitetur, emendata & interpolata; quâ professioni & honori Xylandri consuluimus, ne illum debitâ laude, ubi versio ejus recta, fraudaremus; & quod summum à nobis expectari poterat, ut talem versionem Antonini exhiberemus, quam præstare teneremus & auderemus, & cujus defensio ad nos deinceps pertineret, id præstitimus. At tu præteritâ illâ Latinâ versione, quæ totis ferè decem annis post Anglicanam in lucem prodiit, cum prioribus illis tantum, tum Xylandrina non correcta & interpolata, & mea Anglicana congrederis: ex illis omnia tibi prompta, in quibus à me vel Xylandro dissentis, & quibus confutandis tantum operæ impendis; aut in quibus (quod fit interdum) assensum tuum profiteris.

Idem servas in Notis nostris (quod prodigio simile mihi videtur tam illiberale facinus, virum te tam gravem & grandem! me vivo, quid dicam?) ad editionem illam Græco-Latinam additis; de quibus ne quidem verbum, quod hactenus mihi occurrerit, in totis tuis Annotationibus. Præcipuè qui leviores illas, & tantò breviores, ad Anglicanam editionem, tantâ plerumque diligentiâ prosequeris. Nempe verebaris, ne si illas in consilium adhibuisses, aut adhibuisse potius agnovisses, multorum verborum, multarum conjecturarum materia tibi periret: sed intereà, quin famæ tuæ multò melius consuluisses, si aliter à te factum fuisset, minimè dubito. Valdè enim tibi places, (ut vereor, ne amicis tuis nimis credulus aures præbueris) si speras tuas Annotationes, ut expectas diu, nostrarum adeò omnem memoriam obruturas, ut nemo hæc præter me animadversurus sit. 1653.

Ecce ipse statim initio, ubi de sensu verborum titularium, τῶν εἰς ἑαυτὸν quæris, post aliorum interpretationes, nostram quoque sententiam his verbis proponis: *Nec spernenda forsan Casauboni filii argutia, qui exponi postulat ex Apuleji dicto illo de Socratis Deo: invenies in rationibus multa profusa, & in semet nihil, in sui dico Dæmonis cultum.* Deus bone! quæ hæc iniquitas est, & κακοήθεια? imò fraus & malitia? Da veniam, quæso, justæ indidignationi, donec à te, quid appellem, doctus fuero. Ego ad Anglicanam versionem pauca pro instituti ratione de titulo monueram; & istum Apuleji locum, qui tum fortè scribenti se obtulerat, adduxeram. At in Notis ad Græcam editionem, ut quæ longè uberiores & accuratiores prioribus illis longâ disputatione, multis & solidis (absit invidia verbo) argumentis evici, versionem (quæ quidem plena sit & Græcæ inscriptioni ἀντίςροφ☉) esse: *de seipso ad seipsum*; præterito illo Apuleji loco, non alioquin intempestivo; sed quin tot alia suppetebant, in quibus plus esse momenti judicabam. Tu omnia illa, quæ δευτέρα φροντίδες & tot annorum profectus mihi suggesserant, retices: istud unum à me tam spretum & prætermissum arripis; & sic laudas, ut eodem tempore condemnes & irrideas; dum *argutiam* (ita tu loqueris, ego vix Latinum puto) vocas. At obiter (ut tuam tibi argutiam reponam) moneo, miratum esse me in istis tuis, quæ de hac inscriptione differis, mirificam tuam περιεργίαν & λεπτολογίαν, cùm testimonia ex Novo Testamento arcessis; sed & ex Latinæ Linguæ usu, ut probes εἰς ἑαυτὸν, *de se* quoque verti posse. Magis erat ad rem, quando nodum in scirpo quærere erat tibi animus, ut inscriptiones & lemmata Græcorum Epigrammatum testes advocares; in quibus constanter τὸ εἰς, quod Latinè per *in* vel *de* vertas, (nisi ubi τὸ *in* pro κατὰ; ubi τῷ *de* non est locus)

 non

1653. non magni refert: quomodo & apud Martialem multorum Epigrammatum lemmata per *in* vel *de* sæpe concipiuntur; quamquam lemmata ista ipsius esse Martialis non asseruerim, ac potius non esse credibile sit. Sed & Anacreontem, opinor, aliquando inspexisti; Scriptorem, fateor, non valde serium sobriumve; sed cui tamen piissimus & doctissimus alicubi Beza loci Evangelici sensum genuinum in sua hæsitatione potissimùm fert acceptum. Quoties apud illum εἰς ἑαυτὸν, *de se*, ut & Interpretis ipsius Latini, si non semper, at non uno (si bene memini) loco?

Annotationum tuarum pag. 123. in loco obscuro, εἰς τὸ πᾶσαν αὐτὴν ἀποκλύσαι, agnoscis difficultatem: versionis (Anglicanæ scil.) mentionem facis, nec eam tibi satisfacere profiteris. At quid de te Lector judicabit, cùm Notas nostras consulat, ubi (pag. 45.) rectam lectionem πᾶσαν αὐτὴν ἀποκλεῖσαι asserimus, quæ omnes scrupulos tibi mihique super vulgata lectione memoratos planè tollit? Hæc à nobis tanto antè publicata, à multis lecta sine dubio, fortasse & probata, qui de Anglica versione (nisi quantum ex nostris Prolegomenis) nunquam audiverunt, à te hic reticeri; quæ verò damnati sunt à me, mihi tribui?

Quocunque oculos conjicio, talia se mihi offerunt; aut etiam, si potest, iniquiora. Annotationum tuarum pag. 147. μήποτι ἄμεινον ἀναγκαῖα πράττειν: *Xylander*, inquis, *ista immutavit, & conjecturam suam in textum intulit; quem & Casaubonus est secutus.* Sanus eras, cùm ista de me scribebas, qui Notarum mearum pag. 146. disertis verbis Xylandri confidentiam reprehendo; usum vocis istius μήποτι, cujus ignoratione multi in vertendis Græcis impegerunt, ex Aristotele doceo; Antonino verba sua restituo? planè eadem, quæ tu probas & asseris.

Pag. 351. τῆς φιλητικῆς καὶ στερητικῆς· quomodo vocem στερητικὴν in versione Anglicana exposuerimus, commemoras: sed conjecturam nostram στερητικῆς pro στερ, quam in Notis nostris pag. 105. habemus, tibi vindicas, nullâ nostri mentione.

Pag. 34. καὶ πεμπτικὸν τῆς χορηγίας· *malim*, inquis, &c. non probas versionem istorum verborum, quam nos in Notis nostris (pag. 20.) damnavimus; aliam affers, quam nos ibidem pluribus asseruimus; non nominas tamen: dic mihi, quid iniquum, si hoc non est?

Pag. 110. ad Antonini τροπῇ. Annotator Lugdunensis, inquis, τρόπῳ· atque ita prorsus accepit Interpres uterque, Xylandrum scilicet & me intelligis, utrique injurius. Nam Xylandri versio (quam etiam in Latina versione retinui) satis benè vim vocis istius τροπῇ (de quo mox plura) exprimit; pro qua τῷ τρόπῳ substitui vix ferat Hellenismus. Quis enim γίνεσθαι ἐν τινι τρόπῳ de moribus unquam dixit? Ego sanè non memini, cùm tamen alioquin τὸ τρόπος de moribus usitatissimum esse, nemini ignotum esse queat: quæ autem mihi fit, injuriam quo nomine appellem, calumniam, sycophantiam, ῥᾳδιουργίαν, nescio; qui in Prolegomenis, tibi lectis, à te laudatis in tuis, ut stuporem scioli istius Lugdunensis & in his literis cæcitatem arguerem, hoc ex duobus altero exemplo & testimonio usus sum, quòd τροπὴν vocem, in Philosophorum scriptis tritissimam, notissimam, quia non intelligebat, in τρόπῳ mutatam vellet. Tu verò, (ut hoc obiter addatur) etsi τὸ τροπῇ retines, sensum tamen illum respuis & improbas, (& in eo fortasse ad Lugdunensem ariolum propius accedis) quem nos genuinum putamus: vis enim τροπὴν hîc *fugam* significare. At τροπὴ non, opinor, reperitur de fuga voluntaria, quali de loquitur hîc Antoninus. Sed est metaphora, inquis. Dabitur hoc tibi per me, si nihil est aliud gravius, quod objiciatur. Sed & hoc tibi cogitandum propono, an ut dicitur ἁπλῶς, τροπὴ γίνεσθαι, de tali fuga in genere, quæ in præliis contingit: ita & qui fugiunt ἐν τροπῇ (vel ἐν τινι τροπῇ εἶναι rectè dicuntur) an etiam τροπὴ τῶν οἰκείων dici possit de fuga à sociis &c. cum τροπὴν τῶν ἐπίρων ὁρῶντες (quæ verba in versione Latina sunt omissa) τροπὴ πολεμίων &c. quæ vulgaria sunt, planè contrà usurpentur pro fuga sociorum scilicet, non à sociis. Sed rem ipsam (quod præcipuum est) spectemus. Vocem τροπὴν sensu eo philosophico, quem nos volumus, sæpius usurpat Antoninus: quod nec tu negare potes, neque enim alium locis illis comminisci potuisti: sic lib. 7. §. nostræ editionis (tuæ verò 16.) 12. τὸ ἡγεμονικὸν &c. εἰ τρέψει εἰς πάντας τροπάς. Eodem lib. §. meæ editionis (tuæ verò 58.) 33. ἐφ' ἑκάστῳ συμβάματι &c. οὐκὶ ἢ τὰς ἀλλοτρίας τροπὰς &c. ex hoc loco non improbabiliter conjiciat aliquis, priore isto, de quo nunc controvertimus, loco, τῶν οἰκειῶν, non τῶν οἰκείων scribendum esse; eodem quidem sensu, quoquomodo legas. Sed ut οἰκεῖαι τροπαὶ opponantur iis, quæ hic ἀλλότριαι, non parum confirmat locus Platonis, de quo mox. Sed Antoninus iterum lib. XI. meæ editionis (tuæ 19.) 1653.

§. 17.

1653. §. 17. τεσσάρας μάλιστα τροπὰς τῶ ἀρφυλακτέον διηνεγκῶς &c. His omnibus locis vox τροπὴ sensu, quem volumus, usurpata, te minimè reclamante. Longum esset aliorum Philosophorum testimonia colligere: unico contentus ero Platone. Is igitur extremo Timæo, ubi doctrinam istam de variis animi motibus ab ultima origine præstantissimè prosequitur, inter alia habet & ista: Θεραπεία ᾗ παντὶ παντὸς (de quacunque re hoc universim Plato, sed occasione tamen τῦ δαίμονος ξυνοικῦ, ad quem peculiariter hoc pertinet, ut ex superioribus liquet) μία τὰς οἰκείας ἑκάστῳ τροφὰς καὶ κινήσεις ἀποδίδοναι. Ita excusum in omnibus, quas vidi hactenus, Platonis editionibus, quod etiam ratione non carere & defendi posse libenter agnoscimus. Nam alibi quoque non τροφὴ tantùm, (in hac ipsa re) sed & τρέφομαι verbum, non uno loco; ubi nullus mutationi locus. Quia tamen verbum κίνησις toties in hac disputatione usurpatur, quod τῦ τροπή synonymum est; at τὸ τροφή nullibi (in hoc toto sermone) nisi hoc loco: & proximam sententiam, sic orditur: Τῷ δ' ἐν ὑμῖν θείῳ συγγένεις εἰσί κινήσεις &c. quo uno κινήσεις verbo, quod prius duobus expresserat, voluisse illum comprehendere, res ipsa suadet: valdè probabile est, si non omnino necessarium, pro τροφὰς, in præcedentibus verbis, τὸ τροπὰς verum & genuinum esse. Tanto magis probabile est, si verba Platonis cum verbis Antonini (qui Platonem, opinor, in animo habebat) conferantur. Sed quomodocunque leges, at οἰκείας, at συγγενεῖς κινήσεις hîc habemus, quæ Antonini verba sententiamque pulchrè illustrant. At τὸ συλλαβέσθαι (dices fortasse) non *observare*, sed *cavere* vulgò significat. At in tanta significationum istarum affinitate, Xylandro, viro Græcæ linguæ peritissimo, qui primus ita vertit, non defuisse istius significationis exempla probabile est. Sed ut nulla proferri possint, (quamquam ne id quidem multum est, cùm passim talia apud optimos quosque Scriptores, quæ apud alios, qui nunc extant, frustra requiras) alia tamen ratio satis expedita veræ sententiæ consulendi, si nempe inter τῇ τροπῇ & τὸ γενέσθαι negativam μὴ interseramus, τὸ τὴν διάνοιαν τροπῇ μὴ γενέσθαι. Non puto igitur, cordatis Lectoribus probaturum te tuam interpretationem verbi τροπῇ hoc loco: quæ tamen si tibi aliisque non omninò spernenda videbitur, at certè non erat, quod ridiculam sententiam & ineptissimam hominis ineptissimi παραδιόρθωσιν nobis affingeres.

Quem verò lecturum putas, quæ vel 1653. Annotationum tuarum pag. 174. de verbo μυξάριον · vel pag. 168. in ista, ὅτι ὖ δεῖ παῖδας πινῖν &c. (ubi de summo viro, meo quidem judicio, non valdè bene mereris, cujus sententiam super istis verbis, quam ut tibi gratificaretur, opinor, aliud agens & aliis occupatus, ad te miserat, non alio fine, quamvis dissimules, proponis, quàm ut tuam, si tua dicenda est, commendes) Sed quis illa dico, aut quæ pag. 225. de abstrusa & minus in vulgus nota significatione verbi ἕξις, & alia passim similia, quis legat, inquam, & cum iis, quæ nos in nostris vel Anglicis, pag. 30. vel Latinis notis, pag. 56, 73. &c. conferat, qui non te nobis multum debere sine cunctatione asseveraturus sit? Quod nos tamen ipsi asseveraturi non eramus hoc modo, nisi tua olim scrinia compilâsse apud aliquos rerum ac temporum nostrorum minus gnaros in suspicionem veniremus. Atque utinam (ut & hoc obiter) pag. illâ 225. de verbo ἕξις à summo, cui te tam multum debere profiteris, viro (in quo me tibi præivisse doleo) abstinuisses! Ipse enim in iisdem notis, sed alio loco (quod à me posteà, sed serò, deprehensum est) errorem suum animadvertit, & corrigit; dum veram vocem ἕξις asserit & exponit.

Hoc interim satis cautè provisum à te animadverto, ut insigniores aliquot notas, sive expositiones, sive conjecturas, omnino præterires, nempe ut aliquis minus attentis & sagacibus suspicionis fundus hinc esset, te nostra minimè legisse: non alioquin (vel in Lectoris tui gratiam) prætermissurum scil. qui præcipuè tot insulsis & importunis undecunque corrasis conjecturis (inter quas & meis interdum locus) tum margines tuos, tum Annotationes farciveris.

Exemplo sit, extremo libro (tuæ editionis pag. 31.) τὸ ἐπιζητεῖς, τὸ διαγίνεσθαι, τὸ λήγειν αὖθις. Quid, malum, τὸ λήγειν αὖθις; eo præsertim sensu, quem tu sequeris, denasci, inter munia vitæ? nos in notis nostris, pag. 125. &c. corruptum locum suspicati sumus, & τὸ μηχανεύεσθαι, non λήγειν αὖθις, genuinum esse: non pœnitet me conjecturæ, & addentur alia suo tempore, σὺν Θεῷ, quibus illa confirmetur. At tu interim si non probabas, saltem docuisses nos, quomodo istud λήγειν αὖθις hic locum haberet: sed neque τὸ διαγίνεσθαι *existere* simpliciter, ut tu maluisti; sed quod nos expressimus, *durare*, *diu vivere* &c. Antoninus idem argumentum persequitur alibi: ut lib. 6. (nostræ

1653. ſtræ editionis) §. 12. ex quibus collatis tantò magis intelligas, quàm aliena ſit huic loco ſententia, quam ex his verbis exprimis.

Ibid. proximo ab uno paragrapho: Πῶς ἑαυτῷ χρῆται τὸ ἡγεμονικὸν &c. ſententiâ id poſtulante conjiciebamus, τὰ δὲ λοιπὰ ἀπροαίρετά ἐστιν. Tu quoque aliquid in verbis immutas; ſed non ut ſententiam adjuves, verùm ut Antoninum ſibi contraria ſcribere, & quibus in Philoſopho Stoico magis monſtroſa cogitari queant, facias. Itane verò, ut Antoninus dicat, τὰ προαίρετα, *quæ noſtri ſunt arbitrii*, nihil ad nos pertinere; νεκρὰ καὶ καπνόν? Videatur vel Epictetus primis capitibus; qui hoc univerſæ ſuæ Philoſophiæ fundamentum præſtruit, τὰ ἐφ' ἡμῖν, id eſt, *quæ noſtri ſunt arbitrii*, (τὰ προαίρετα) ſola eſſe ἐλεύθερα, ἀκώλυτα, ἀπαραμπόδιστα. Cætera quævis (ἀπροαίρετα) ἀσθενῆ, δοῦλα, κωλυτὰ, ἀλλότρια. Mirifica apud alios ejuſdem ſectæ occurrunt, dum hanc arbitrii libertatem deprædicant; quo potiſſimùm nomine ſapientem Jovem ipſum felicitate æquare pronunciant. Tu quoque locum proferre ex Stobæo auſus es, qui tuam verſionem jugulat. Nec tamen diffiteor, ex altera lectione (quam & Xylander ſecutus eſt) ſenſum non planè abſurdum, & eis, quæ uno aut altero ſcribit Antoninus loco, ſatis convenientem poſſe elici; ut quidem verti poſſunt ejus verba, non ut tu & Xylander vertiſtis. Hoc tantùm dico, qui minima interdum lectionum & verſionum diſcrimina tam ſtudioſè conſectefis, non committendum tibi fuiſſe, ut in his & ſimilibus aliis, quæ à nobis allata & objecta fuerant, tuæ potius ambitioni, quàm Lectoris tui commodo aut ſaltem curioſitati conſuleres.

Cæterùm cùm Notas noſtras ad Græco-Latinam editionem adornaremus, non deerat ne tum quidem materia nobis ad juſtum Commentarium, ſed deerat otium; qui prætereà per nos alioquin ad longas id genus commentationes nunquam valde propenſi fuerimus; quas potius ad fovendam ſtudioſorum Lectorum ignaviam (de talibus intelligo, in quibus, aliis jam ſæpius obſervata, cum levi interpolatione, ut hodie fit à pleriſque, reponuntur & congeruntur) quàm promovenda ſtudia pertinere judicabamus. Poſteà tamen & cùm veniret in mentem, ad uſum vitæ referri debere omnia; expedire autem, ut qualeſcunque Lectores, quibuſcunque fieret id irritamentis, ad libri tam βιωφελοῦς lectionem invitarentur; mutata mihi ſententia eſt, & ab eo tempore notata diligenter ad oras noſtras, quæ ad eam rem (ſi fortè vita & opportunitas aliquando ſuppeteret) facere videbantur. Nihil ferè jam ſupereſt, niſi ut exſcribantur teſtimonia, quorum ἐπισημασίαι & indicationes ſunt ad oras illas noſtras. Non dicam me confirmatum in eo conſilio lectione tuorum; non deterritum audebo me dicere. Incurremus in eadem multa, fateor; at diverſa tamen erunt plurima, quantum adhuc video. Etſi ita contingat, ut iis utamur teſtimoniis, quæ tibi jam ſunt occupata, non id fiet ſine tui mentione; ut candorem meum agnoſcas, quem tibi erga me defuiſſe queror. Habemus prætereà Indicem Græcum verborum omnium (quo phraſes etiam formulaſque Philoſophorum proprias comprehendimus) philoſophicorum, quæ apud Antoninum reperiuntur: cum Latinis propriis ex Seneca, Cicerone, aliiſque veteribus, quem harum literarum, ſed Antonini præcipuè ſtudioſis perutilem fore ſperamus. Hæc eo nunc à me narrantur, ut ſi de conſilio meo poſthàc ab aliis audiveris, ne id in ſequiorem partem, quaſi ex livore & æmulatione ſuſceptum, interpreteris. Eſt quidem jus vulgò receptiſſimum, fateor, par pari referre; non tamen ego committam, ut plus apud me juſta quantavis indignatio potuerit, quàm propriæ ratio ſtudiumque verecundiæ, & tales nos eſſe, quicunque Antoninum, ut ex illo proficeremus, legimus, rectum erat. Illum vide, tum alibi, tum lib. 7. editionis tuæ, §. 5. 6. 7. tu enim tres diverſos ex eis paragraphos facis, quæ nos, quòd ad eandem rem ſpectarent, tum in Anglica, tum Latina verſione, in unum concluſimus. Nec adhuc muto factum, & miror aliud tibi placuiſſe: eſt enim continuus ſermo, niſi ego valde fallor, & qui non ſine detrimento ſententiæ divelli poteſt. Nam quod interſerit Antoninus de laudis contemptu, id optimâ & conſtanti ratione ab ipſo factum eſſe, multis probare poſſem, ſi id nunc agerem.

Hoc igitur poſtremum eſto me, ſi ratio aliqua facti tui, quod mihi tam mirum & iniquum videtur, tibi in promptu, reſponſionem tuam expectaturum; vel ex ſilentio, animi male ſibi conſcii conjecturam facturum. Vale. Dedi in pago, (qui non procul à Ciceſtria) *Weſt-Aſhling* vulgo nuncupato, *pridie Non. April. anno Domini*, CIↃ IↃ CLIII.

Liceat hoc addere, priuſquam te demitto, Vir clariſſime: Titulus tuus promittit Antoninum locis haud paucis repurgatum, ſuppletum, reſtitutum. 1653.

Ego

1653. Ego nihil adhuc nisi conjecturas super verbis reperi: quæ sanè sunt valdè multæ; sed tales, ut plurimùm, (si quid ego in his literis video) ut si pauciores, & Antonino & ejus Lectoribus melius à te consultum fuisset. At tu suppletum & restitutum jactas, quasi notabiles aliquas lacunas explevisses, & ulcera desperantia plura sanavisses. Utinam tuo indicio unum aut alterum talem locum in tua editione sic suppletum & restitutum cognoscere mihi liceret, rem mihi pergratam feceris. Sed hoc etiam orandus es, ut nostram quoque editionem inspicere ne graveris, & quæ jam tibi rectè (vel te judice) vel in textu, vel in notis additis restituta, ea in censum tuorum κατορθωμάτων ne referas.

EPISTOLA VIII.

✠ JOANNI GEORGIO GRÆVIO.

1656. PEramanter à te factum, & ad amicitiæ nuper contractæ rationes consultissimè, Vir præstantissime, quòd posthabitis quæ contrà suadebant omnibus, nihil antiquius tibi fuit, quàm ut primo quoque tempore responderes. Quò magis eo doleo, eventum diligentiæ tuæ non usquequaque respondisse. Quas enim tu a. d. Kalend. Septemb. dederas, ego demum circa Novemb. tradente tum Bibliopolà, qui Martinius vocatur, (cujus insigne Campana in Cœmiterio Paulino) accepi. At potui citius, fateor, si citius illum vidissem; aut ille me in urbe esse intellexisset. Sed ne sic quidem multum lucratus essem, cùm dies admodum quindecim, non plures, præteriisse, ex quo in potestate sua fuerant, affirmaret. Cæterùm, quò tu minus doleas, aut indigneris, de postero melius sperare te jubeo: deinceps enim desultoriæ, sed & solitariæ (post obitum charissimæ conjugis) vitæ pertæsus, Londini sedem figere constitui: ut cùm semel de certa via inter nos convenerit, nullum ab absentia mea metuendum sit obstaculum. Exemplar novæ editionis Epistolarum τῦ μακαρίτυ parentis cum literis tuis accepi. Gratum munus non uno nomine; nisi quòd voluptatem, quam à te donatore capio, conscius pudor interturbat, cùm cogito quàm parum meritus id à te fuerim hactenus; quam tenuis spes in posterum dignè redhostiendi. Cùm tamen omnes patris Epistolas recensere vacabit, quas habeo, fortasse reperientur aliquæ nondum tibi visæ, quarum copiam tibi faciam; quod gratum tibi fore spero. Antoninum interim, & quando ita vis, *De Enthusiasmo* Diatribam, Anglicè scriptam à me accipe. De qua quidem Diatriba plura aliàs: nam ego quoque nunc festino, & quidem in procinctu itineris, ad prædiolum longè ab hac urbe semotum, ut res ibi componam, quò deinceps abesse & alibi degere sine damno liceat. Utut festinem tamen, & ad alia in tuis literis, in quibus omnia lectissima & gratissima, diem postulem; religio est, quæ de clarissimo & laudatissimo Reynesio impertis, immemorata præterire: nimis inficetus & importunus sim, si de viro tanto, supra aleam judiciorum dudum posito, quid ego sentiam, exponere tibi aggrediar. Quanquam enim à libris & literis dudum divortium quodam modo fecerim, non tamen eò usque infelix fui, ut adversariorum ipsius expers omnino fuerim: quod aliter testari possint Adversaria mea MSS. in quæ memini me non pauca lectione usurariâ ex illis recondere. At illa cætera, tibi nominata, *De Lingua Punica*, & *Deo Eudovellico*, hactenus invisa planè: quod eò gravius mihi, quia spem videndi quodammodo adimis: sperabo tamen, si Bibliothecas amicorum Londinensium vacabit aliquando perscrutari. Pari studio & ardore quæ parat expectabimus. Inter illa, Notæ ad veteres Inscriptiones; quarum ideò memini, ut si fortè tua aliquatenus referret, me quoque aliquas in Gruterianam collectionem, sive editionem τῦ μακαρίτυ parentis habere cognosceres. Nolo ego expectationem tuam excitare, quasi rem magnam promitterem, aut offerrem tibi. Nam neque ego nuper legi, ut quid offeram ipse, certò sciam; & tales plerasque memini, quæ potius Excerpta quàm Notæ dicendæ sint. Si tamen ex illis qualibuscunque aliquid gratiæ partum tibi iri speras apud virum summum, de te adeò, ut prædicas ipse, benè meritum; faciam te earum libentissimè compotem. Quod de domo tibi indicari postulas, ad quam quæ missurus es, certò perferantur, posteà fortasse viderimus, cùm huc ipsi sedem, quod nunc molimur, transtulerimus. Interim nulla certior via, quàm si ad aliquem Bibliopolarum, quibus cum Elsevirio commercia, mittantur; qui cùm plures sint, nihil necesse est fortasse, ut ex pluribus uni alicui nos addicamus. Quatuor isti mihi notissimi: Martinius, (cum socio & participe Ailstraio) Pullenius, Thomasonus & Tomsonus. Liberum sit Else-

1656. Elsevirio, pro re nata, horum quolibet uti. Ego nunc per Martinium, qui mihi tuas & librum, rescribo, & ἀντίδωρον istud nostrum mitto; quæ spero fideliter curatum iri. Hoc postremum festinanti, quod primum fortasse cum cura scribenti debuit esse, ut novam professionem & provinciam tibi gratularer, quod felix faustumque tibi esse ex animo opto voveoque. Vale, Vir eruditissime, & nos amare perge. *Londini, a. d.* XIV. *Kalend. Decemb.* CIↃ IↃ CLVI.

Epistola IX.

✠ ANTONIO CLEMENTIO.

1657. Institutum tuum vehementer laudo, Vir eruditissime, qui feliciore genio natus, ad summam contendens ipse claritatem, nihil summo tuo studio inexpertum, vel inaccessum vis esse, & si quos sua merita, vel secunda fama de meliore nota tibi commendavit, ad eorum amicitiam vel ultrò (si res ita ferat) te applices. Mea tamen aliquanto diversa ratio, qui cùm in literarum amore ne tibi quidem (paternum enim hoc habeo) cesserim, ab honestissima tamen ambitione me non diversa tantùm vita & professio, sed & frigidus etiam circum præcordia sanguis semper continuit. Nunc autem postquam fortunis omnibus exuti, si quid olim nostra amicitia in non pœnitenda conditione vitæ cuiquam commendare poterat, eâ copiâ & facultate, cum cæteris omnibus ornamentis spoliati sumus; ambiri à quoquam (nedum ab iis, qualem te judicamus) nostram amicitiam, quantò per se honorificum, tantò nobis tristius, tam gravia passis, tam (non animo quidem, qui nunquam erectior) fractis & abjectis accidit. Noli igitur excusare, quasi facinus audax & temerarium, quod imputare te mihi verius erat: siquidem me tuâ amicitiâ dignum verè credidisti: & non tibi verba data dices, & credulitati tuæ, postquam melius me noveris, irasceris. Ad rem quod attinet, quæ tibi scribendi causa fuit. De Plauto adornando cogitationes te suscepisse, libentissimè intelligo, & id tibi feliciter cedere valde cupio. Næ tu de optimo Scriptore, & omnibus puri & elegantis sermonis amatoribus optimè meritus fueris. Ego certè ita sentio de illo, ut ne Terentium quidem, quamvis in alio genere superiorem, in elegantiæ certamine illi anteponam. Ut omittam reconditos interdum sensus & sententias, ex altiore sapientia depromptas, qualia in ipso observare 1657.
memini. Quò mihi gravius, nihil hactenus (dilatâ etiam ex ista causa studioque ad aliquod tempus responsione) occurrere mihi, quo tua cœpta juvare, & symbolam conferre possim. Nihil planè, cùm neque patris τῦ μακαρίτυ ullum, in quo maxima seges, exemplar habeam. Sed ne mei quidem, (quod aliquid fortasse, qui meus amor, suppeditare poterat) cum cura mihi lecti, compos sum. Quærere tamen, prout se dabit occasio, non desinam; & si quid alicundè, quod in rem tuam esse possit, eruere potero, ejus te quàm primùm participem faciam. Vale, Vir præstantissime, & amare nos, quando ita sponte tuâ cœpisti, perge. Dabam *Kalend. April.* CIↃ IↃ CLVII.

Epistola X.

JOANNI FRIDERICO GRONOVIO. ✠

Convenit me nuper in cellula mea 1659.
(ita enim nunc habitare nec me pudet his temporibus) Nicolaus Hoboken, D. Legato Belgico à secretis: invisus ille quidem mihi & inauditus hactenus, sed commemoratione Gronoviani nominis, quàm publicè celebris, tàm mihi privatim chari, valde gratus & opportunus. Multa nos inter nos horæ unius spatio de non uno argumento. Sed tu tamen, Vir clarissime, (& hoc, opinor, illi maximè propositum fuit) præcipuum: quid multa? priusquàm digrederemur, eò ille rem perduxit, ut ego sponderem illi brevi me ad te scripturum. Nec sanè multis illi opus fuit, ut mihi persuaderet. Agnosco enim alterum hunc, aut tertium etiam annum volvi, quòd literas à te, curante Grævio nostro, accepi; & malis tuis, per vim & lites iniquas, quas narrabant illæ, seriò ingemui. Et quamvis responsionem paratam habuerim, missam tamen illam non affirmem: exspectabam enim (si bene memini) à Grævio responsum ad ultimas meas; per eundem, qui tuas ad me curaverat, ad te rescripturus. Miseram autem ad Grævium non solùm literas, sed libros quoque, ut aliquod ἀντίδωρον à me haberet) quos sibi gratos fore ipse prius indicaverat. Traditi autem tum literæ, tum libri Bibliopolæ Londinensi, qui se ad Hackium (an Elsevirium?) rectà misisse sæpius affirmavit. Quid illis factum sit, nescio: hoc certè scio, ab illo tempore (toto ferè triennio) nullas à Grævio literas venisse. Sed nec de illo, vive-

1659. viveret, an secus, à non uno sciscitatum rescire potuisse. Eò potius animus (ut est amor) inclinabat, ut eum mortuum crederem; donec Franciscus Junius, vetus amicus, ab aliquot mensibus hic agens, aliter me docuit, quod me non mediocri lætitiâ affecit. Quare, post tam longum temporis intervallum de responsione ad ipsas quid certum dicam, non habeo; & jam nimis utrumque serum est. Si, ut audio, Leydæ tibi fixa sedes est, ex animo tibi mihique gratulor, & in posterum utrique nostrûm literarium hoc officium melius cessurum spero. Cæterùm quòd amicus tuus tuo nomine, quid nunc agerem, quibus in studiis essemus, inquirebat; quid aliud censes, amicissime Gronovi, aut certum censere te æquum est, postquam de statione dudum detrusum, libris, amicis, omnibus studiorum (ne dicam vitæ) præsidiis amissis, audivisti; quàm pro virili curare valetudinem, & solatia tanto malo à jugi sedis ejus & loci meditatione quærere, qui ἐτ' ἀνέμοισι φινάθεται, ὐδὲ τοῖ ὄμβρῳ δεύεται· nôsti cætera. Nec tamen nos ita otio tradidimus, ut non omnes occasiones arripiamus de publico, cujus nos hodieque pars aliqua sumus, bene merendi; quod testantur scripta linguâ vulgari edita, non unius generis; quæque non parum profuisse multis satis mihi constat. Videbis tamen, ut spero, propediem nos etiam ad vestra studia animum interdum referre; nec adhuc planè ab amœnioribus illis Musis alienum esse. Est enim hoc ipso tempore sub prælo Diatribula una aut altera nostra, quæ jam ante annum prodiissent, nisi ego in urbe raro fuissem. Earum altera ad Epictetum, nobilem illum Stoicum; altera, ad Homerum, Poëtarum principem, pertinet. Sed ego interim dum istæ excuduntur, rus ire paro; ubi domum & partem aliquam librariæ supellectilis reliquam habeo. Typographi in mea absentia quàm bene defuncturi sunt, nescio: quales quales, à me, (in hac vita) aut ab illis (ut illis mos est) prodituræ sunt. Tibi inter primos exemplaria destinata sunt, & primâ quæ se offeret occasione transmittentur. Ea tibi, si non alio, vel ipso Authoris nomine non ingrata fore confido. Vale, Vir doctissime, & me, ut facis, amare perge. *Londini*, *postridie Id. April.* CIↃ IↃ CLIX.

Inscriptio.

Clarissimo doctissimoque Viro,
Dom. JOANNI FRIDERICO GRONOVIO.
LUGD. BATAVOR.

EPISTOLA XI.

EIDEM.



RUre post duorum mensium absentiam reverso, traditæ mihi sunt tuæ literæ, Vir præstantissime, ut à te gratissimæ; sed argumento tristiores, quia omnia tibi pro voto ac merito tuo non succedere indices. Quamquam, ut amicè & familiariter, pro mutua nostra consuetudine, tecum agam, ista mihi non satis perspecta; ubi dicis *te mutasse coloniam, non secutum notitiam loci melioris, sed indigentiam; qui modò ad invidiam florens claritate & copiâ elegantium hominum, si quos retinebat sibi* φιλολόγους, *neminem publico & discentibus. Et quia* &c. Stuporem meum, an festinationem tuam (sæpius enim relegi) damnem, nescio: noli tu mihi vitio vertere, si quicquam in literis tuis mihi perire (perit autem, quod non intelligo) ægrè fero. Cætera planissima de Grævio, & querela tua de aversis à vera via ingeniis hodiernis. Quid si tu ibi viveres, ubi fanatici regnant, & quotidie de retinendis, vel proscribendis humanioribus literis & disciplinis. De Academiis ut pietatem & Christianismum nihil juvantibus, aguntur comitia, & dubio eventu; libris etiam in utramque partem editis, certatur. Sed & in ipsis Academiis factiones, aliorum Cartesiana dogmata & consilia, aliorum Hobbiana, aliorum alia, si qua sunt istis monstrosiora, amplectentium & tuentium: pauci, qui verâ viâ insistant (qualem tu doces, optimus Magister, & exemplo tuo præivisti) ad veram & solidam, Veterum lectione, virtutem & eruditionem. Cæterùm, mi Gronovi, quid agemus, nisi quod tu agas, ut quantum in te, viriliter, contemptis fanaticorum judiciis & illecebris, obsistas; cætera Deo & fato permittas? Omnium rerum humanarum, inter alias eruditionis & barbariei, certis temporibus circuitus est & ἀνακύκλωσις· ita fert lex mundi; quam rectè intelligere, & æquo pati animo, præcipua sapientia est. Dudum prædixerat Sapiens de Græcia: Ἔσται βάρβαρος ἡ Ἑλλὰς οὐκ ὑπ' ἀνθρώπων γινομένη μετάστατος, ἀλλὰ καὶ ὑπ' αὐτῆς τῆς φύσεως. Quid si nunc idem Europæ fatum incumbat, & aliò literæ meliores, & cum illis vera religio migraturæ sunt? Deus omen avertat! sed huic sanè Regno, nisi Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς & genuinus οἰακιστὴς restituitur, nihil non horrendum in hoc genere portendunt τὰ φαινόμενα, non ex astris; 1659.

1659. (quæ ego quidem parum moror) sed ex actis personisque publicis. Sed ista relinquamus. Utriusque opusculi, quorum ipsum feceram in nuperis meis ad te, exemplaria bina ad te misi; (misi autem per vectorem amicum, clarissimum Junium, reditum in patriam adornantem, & jam in componendis sarcinis occupatum) altera tibi; altera Grævio nostro, si adhuc superat & vitali fruitur aurâ, mittenda. Diuturnum ipsius silentium mirari satis (si quidem vivit, quod innuere mihi videntur tuæ) non possum. Cùm aliàs igitur exspectationi meæ & sollicitudini satisfacere non possem, occasionem hanc arripui publicè ipsum compellandi. Cura tibi sit, mi Gronovi, ne sic quoque conatus hic meus frustra sit. Cæterùm, Homeri, id est, Veterum eruditionis & sapientiæ studiosis, non ingratum fore laborem spero, quem in Homeri partem, quam mihi casus obtulit, sumsi, ab annis meis alieniorem fortasse, non à statu præsenti meo, publicoque. Si digna commendatione tuâ, vel testimonio, fac aliis innotescant ista per te, quo fructus ad plures redire possit, & me operæ meæ non pœniteat. Vale, Vir amicissime, & me, quod facis, ama. *Londini, a. d.* IV. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CLIX.

Inscriptio.

Viro clarissimo,

JOANNI FRIDERICO GRONOVIO,

Græcarum Literarum & Historiæ Professori dignissimo,

LUGD. BATAVOR.

EPISTOLA XII.



EIDEM.

1660. Literis tuis, quæ postremæ venerunt ad me, Gronovi doctissime, per se gratis, cumulum gaudii addidere, quæ cum illis à Grævio nostro, post tam longam intermissionem & exspectationem, quasi redivivo, eodem tempore venerunt. Tu quidem vivere illum dixeras in tuis, si bene memini: erant tamen hîc, qui aliter narrarent; & est amor, ut nôsti, suspiciosus, & ad tristiora proclivior. Quia ille, quantus quantus, totus tuus est, credidi non ingratam tibi fore lectionem literarum, quas ad ipsum scripsi, & eo fine apertas ad te misi. Movit me alia quoque ratio, quam tu lectis literis intelliges. Tu obsignatas ad illum mittes; qui tamen si resciverit, ut actûm est, non, opinor, pro vestra summa conjunctione, & 1660. quam tibi debet observantiâ, ægrè laturus est. Cæterùm poteram, quod ille, *unâ fideliâ duos parietes:* quando ita contigit, ut eodem tempore utrique nuptiæ gratulandæ sint. Sed non una ratio tamen nuptiarum, quantum ex tuis intelligo. Ille, opinor, adhuc juvenis, quæ juvenes in asciscenda sibi consorte thori spectare solent, cogitabat scilicet. Illud autem non unum fortasse; sed unum tamen præcipuum, ut ego sentio, liberi & hæredes. Δὸς τι φύσει καὶ αὐτός· τίκε δ' ἔμπαλιν, ὡς ἐλεγχεύτης. Tu quoque liberorum caussâ, ut narras; at non procreandorum, sed educandorum: quæ sanè non minor cura, imò major, & veris parentibus tantò dignior incumbit, quantò vera vita in sola virtute, & cognitione Dei posita, vitæ in genere sumptæ, cujus etiam belluæ participes, & vilissima quæque animalia, præstat. Talem autem tibi matronam, te dignam, tibi contigisse, summopere lætor, & ex animo tibi gratulor. Hic locus me admonet infelicitatis meæ, quam tibi ignotam non esse, quando invitat occasio, lex amicitiæ videtur requirere. Uxorem habui, mi Gronovi, mulierem lectissimam; cùm qua per multos annos conjunctissimè vixi. Præter mores, qui soli tum spectati mihi, cùm illam duxi; (nam de forma nihil dicam; nec jam in hac ætate meminisse juvat) posteà insperata hæreditas obvenit non contemnenda. Ex illa diversos liberos suscepi, qui plerique valde infantes denati sunt. Ex omnibus duos tantùm superstites reliquit, filium & filiam. Filia post mortem matris, honestissimæ conditionis consanguineis ipsis volentibus & cupientibus, meis sumptibus educanda, pauló pòst tradita est. Decimum illa nunc, aut undecim ætatis annum agit, ad summum. Nihil est, quod de illa querar; nec erit, spero, dum vivam. Filius autem cùm mater obiit, ad quartum jam vel quintum supra decimum ætatis annum pervenerat. Prima pueritia bonæ spei plenissima fuit. Ego ipse educationis & docendi laborem, quia incidit in id tempus, cùm sedibus pulsi, solita munia obire non liceret, in me suscepi; ex quo labore maximum percepi in maximis ærumnis levamentum; adeò placebant indoles, ingenium, mores, omnia. Jam non mediocrem progressum fecerat in literis, cùm novennis esset. Terentium, Ovidium, Horatium jam legere & intelligere incipiebat. Exspectas fortasse, ut eò veniam, ut eum immaturâ morte præreptum querar. Doluis-

1660. luissem certè si ita contigisset, & triste sui desiderium reliquisset ille. Sed ita est, ut ait Comicus in Re ludicra, si quis alius, sapientissimè: *Stulti haud scimus, quàm frustra simus, quom quod cupienter dari petimus nobis, quasi quid in rem sit, poscimus noscere.* Ut nunc res habet, & ipsi & mihi optabile, ut dudum vivere desiisset. Primus insecutæ calamitatis quasi insultus, morbus diuturnus, non sine periculo vitæ, & inde necessaria indulgentia. Mea pòst absentia, cùm longo locorum intervallo dissiti (ita ferente meo statu) viveremus. Hinc primò neglecta studia, & durante debilitate, aucta indulgentia; liberior vita, promiscua consortia; (ita suadentibus amicis, qui maximè nobis velle videbantur) quæ tamen non periculosa videbantur. Serò deprehensum est, quantum ista nocuerint; & haud ita pòst, cepit morbus uxoris dilectissimæ, qui plures annos duravit, & me totum ferè sibi vindicavit. Quid multa? neque enim tibi hæc legere magis jucundum credo, quàm mihi scribere; si sigillatim res exponere aggrediar. Eò jam redacta res est, & ab aliquot annis fuit, ut ad extremam amentiam & ἀπόνοιαν nihil relictum videri possit. Crede mihi, nihil desperatius; nisi quod certum mihi est, dum vita manet, in illo sperare semper, cui nihil impossibile. Μέγα γὰρ πρὸς πίστιν ἐστὶ τὸ πεπιμάσθαι καὶ μὴ κατ' τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως· ut sapiens Ethnicus, magis ut Christianus quàm Ethnicus. Tibi igitur iterum atque iterum gratulor, amice Gronovi, & te valde laudo, qui pii & providi parentis officio functus sis. Faxit Deus Opt. Max. ut fructum hujus tuæ pietatis vivus valensque diu percipias: tu me, ut amas, ama. *Londini*, *a. d.* XII. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CLX.

De Anacreonte, quæso, memor sis, quando erit opportunum; nam Junius noster silet, & quid illo post abitum factum sit, adhuc nescimus.

Inscriptio.

Doctissimo celeberrimoque Viro,

Dom. JOANNI FRIDERICO GRONOVIO,

Græcarum Literarum & Historiæ Professori dignissimo,

LUGD. BATAVOR.

EPISTOLA XIII.

JOANNI GEORGIO GRÆVIO. ✠

VIvis igitur, mi Grævi; vivis, ac 1660.
vales? quique tibi, ut mortuo, næniam parabamus, iidem nunc peractos feliciter gratulabimur? Hoc verò non tantum vivere est; sed ne mortalis unquam moriaris, affectare, ac quodammodo efficere. Ita enim non unus Antiquorum de legitimo matrimonio pronuntiavit; id unicum esse mortalitatis à natura nobis indultum remedium; & eam quandam esse τῆς ἀθανασίας ἐπίνοιαν. Quò spectare videntur & illa τοῦ Σωτῆρος verba: * Οἱ δὲ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν, καὶ τῆς ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν, οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίσκονται. Οὔτε γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται. (* Luca xx. vers. 35, 36.) Hoc igitur superest, ut multos annos tibi tuæque, faustos ac felices utrique, & simul fructum illum conjugii vel præcipuum, communes liberos, qui parentes vultu & moribus referant, optemus & voveamus; nuncque adeò opto tibi voveoque. Sed ad vitam tuam redeo, de qua cùm aliquot jam annos dubitassem, aliquando etiam desperassem; ita erant incerta omnia, quæ de te nuntiabantur; nec defuerunt etiam, qui, quod maximè metuebamus, affirmarent; aut auditum certè sibi dicerent: quanto putas affectum me gaudio, cùm tuas literas vidi, legi, relegi? tanto certè, ut vix illas, ægrè tandem, & nisi coactus, post diuturnam usuram (ita placebant) è manibus deponerem, ab oculis removerem. Si quæris, quæ tanti gaudii caussæ fuerint? non alias dixerim, nisi quòd à prima tuarum lectione, id est, cùm primum mihi cognitus es, amare te cœpi, non mediocriter; primò, quòd me à te amari (quantum ignotus poteram) planè mihi persuaseras; sed multò magis, quòd bonæ mentis & ingenui animi; addam, & doctrinæ non vulgaris indicia certa in iis deprehendere visus sum. Gaudebam igitur, quem tamen, si me nôris, τὴν πολυφιλίαν semper vitasse, quàm affectasse dicas. Cæterùm, etsi longitudo literarum tuarum mihi grata per se; præcipuè, post tam diuturnum silentium; mallem tamen aliud argumentum potius tibi delegisses, dignius istâ ubertate sermonis & diligentiâ. Gratum tibi fuisse publicæ compellationis officium istud, ut sperabam fore, gaudeo: at illud à te ita supra modum ornari & amplificari, quasi magnum quid

1660. quid præstitissemus, quod nullis gratiis, nullâ commemoratione æquari possit, non laudo, & amori tuo, non merito meo tribuo. Ad me autem quod attinet ipsum, ut melius me nôris, non voluntatem sanè, sed ne ingenium fortasse defuisse, quò minus de literis melioribus bene mererer, non inficias iverim. At otium semper, alia professis, etiam cùm omnia pro voto fluerent, defuit: ut quod aliis, ista profitentibus, ἔργον, nobis πάρεργον tantùm fuerit; ut mirum nemini videri debeat, si non plura præstiterimus. Multa tamen agitasse nos, & molitos esse, si cœptis nostris propitior aspirasset fortuna, non nego. Post hoc autem naufragium publicum privatumque, cùm ab eo tempore nec certa sedes, nec copia librorum fuerit, nisi interdum ad breve duntaxat tempus: si quid aliquando præstitimus, quod luce omninò non indignum fuerit, profectò id nobis quasi divinâ virgulâ suppeditatum, credere par sit. Nuper adeò, cùm in longinquum secessum invitantibus amicis nos recepissemus, & rogati essemus ab iis, qui novam Diogenis Laërtii editionem hic curabant; spero nos non inutilem operam, quamvis sine libris essemus, in illo recensendo potuisse. Multa certè priorum editionum & interpretum, tum Romani, tum aliorum peccata notamus; multas ex textu mendas sustulimus; multò plura præstituri, si librorum copia fuisset in illis locis; nec illi adeò festinassent, qui hoc à nobis exigebant. Ita enim constitutum illis erat, opus illud circa hoc tempus extrudere. Nunc Menagii Parisiensis cessationem caussantur, cujus Notæ, seu Commentarii uberiores expectantur, parte dudum missâ. Sed quantum video, diu expectabunt, ita ille cunctatur, & importunis frustrationibus tempus extrahit. Prodibit tamen aliquando Diogenes iste, sine dubio, cùm jam textus integer Romanæ editionis cum Aldebrandi versione excusus sit; sed & Notæ nonnullorum. Ego tibi exemplar, alterum Gronovio, statim curabo; si quidem ad id usque tempus vita suppetet. Sed ut ad literas tuas redeam; nimiâ te tum amoris, tum gratitudinis exuperantiâ peccare dicebam; & te deinceps parciorem in isto genere opto; quod ut est indolis optimæ argumentum, ita invidiæ non unâ ratione obnoxium: sed illud præcipuè, quòd etiam titulos tribuis neque personæ, neque gradui convenientes. Supremus, quem nobis vindicare possumus honor, aut gradus, honorificus ille sanè, præcipuè si quis non indignus gerat, *Doctor* est *Theologiæ*; 1660. fateor etiam in aliquo splendore fuisse, quamdiu Canonicatu Cantuariensi frui licuit; (licuit autem dum Rex & Ecclesia stetere) non tamen ut illustres tunc audiremus, aut audire sustineremus; quòd propriè Magnatibus, aut insigniore aliquo Magistratu, seu legatione functis (ut nunc sunt mores; nam quid olim, non hîc quæro) tribui solet: ut etiam Scaligeris, Principibus viris ortis, & incomparabili tum virtute, tum eruditione maximâ quæque meritis, in privata fortuna invidiosum fuerit. Mihi sanè ad gloriam satis est, & plusquam satis, tali patre natum esse; si tali tamen patre, quantum per iniquitatem temporum, & domesticas clades licuit, non indignus omnino censear. Hoc autem in eo præcipuè situm intelligo, ut pietatem illius, & in pristina fide constantiam æmuler ac præstem; quod hactenus sanè (& hoc quidem tu verè de nobis in tuis literis) quamvis opimis conditionibus, ab illis qui rerum potiebantur, sollicitati, præstitimus, (Deo sit laus) & porro præstituros, eodem auxilio nixos, magna fiducia est. Vides, Vir amicissime, quàm mihi chara amicitia tua, qui etiam illa, in quibus nimio amore peccas, præterire noluerim. Postremum hoc, quod votorum sanè non ultimum, ut amore me pergas, si te à me amari confidis. Vale.

Reinesii, viri præstantissimi, Varias Lectiones dudum (nisi nova exinde editio) hic vidi, & partem magna cum voluptate legi. Sed alia ejus Opera, aut opuscula, *De Lingua Punica*, &c. à te in superioribus literis memorata, neque vidi adhuc, neque hîc parabilia intelligo. Illa igitur potius, amabò, si quid missurus es. De Philostrato, cùm proximè ad te scribam, pluribus agam. Hoc tantùm nunc, in Vita Apollonii (in cætera patris Adversaria aliquid fortasse suppeditabunt) præcipuè nos versatos esse, & in eo ferè uno tibi expectandam opem nostram. Homericæ Dissertationis plura, quando voles, exemplaria mittam libentissimè. Iterum vale. *Londini*, *a. d.* XII. *Kalend. Maj.* CIↃ IↃ CLX.

EPISTOLA XIV.

To MR. EVYLIN. ✠

SIR,

YOur second Letter, dated Jan. 28. 1664. *came to me Feb.* 3. *and I make the more hast to answer it, because I know not whither it will be in my power afterwards*

1664. *terwards, my disease every day getting ground, soe that it is a very hard taske for me to fix my thoughts upon any thing else. According to my promise in my former Letter haveing got some respite from great extreamitie I make vse of it to see what I could doe with these two pages of my Fathers Adversaria, and with much adoe I have gotten them written out, but soe, as I cannot warreant that these be noe mistakes. Could I have dwelt upon it, and sought bookes, I might have been more certain. You will accept of what is feasible, my condition being such as it is. Besides, I must desire you to looke upon these references as tumultuary congested by my Father without any method or long consideration as they did offer themselves. And I am confident, Sir, in case you make use of any of them, you will take care that neither my Father may suffer, nor I. But in case I should overcome this great fit, and God will yet prolong my life for some time, I will promise you to review what is here sent, at leisure, with some observations of mine own where there shall be need. The edition of Plutarch often referred unto, is that of Henr. Stephens in six Volumes, which I have, but not my Fathers, which I never saw. Sir, I thank you for the sight of the enclosed paper, where I find great variety of choice matter, and should willingly have imparted my thoughts of divers things had it been possible in the condition I am, which doth not afford me to be longer though I would, haveing had the publick prayers of the Church twice or thrice already since your first Letter. But whilst I live pray, Sir, think of me as*

Your very humble and much obliged Servant,
MERIC CASAUBON.

Februar. 1664. from CANTERBURY.

Inscriptio.

To Mr. EVYLIN,
at DEPTFORD.

EPISTOLA XV.

✠ JOANNI GEORGIO GRÆVIO.

1666. EGo verò, Vir clarissime, (ut inde incipiam, ubi tu desinis) tuo, & omnium quantum est hominum, odio dignus essem, si tantâ humanitate à te provocatus; sed & tuâ curâ gratissimo munere, ab amico claroque viro potitus; respondere, id est, gratias agere, & beneficium agnoscere gravarer. 1666.

Non obtusa adeò gestamus pectora.

At hoc à moribus & animo utut absit longissimè; fateor tamen eum esse nunc nostrum statum, qui tali suspicioni (nisi qui nos nôrint) valde alioquin opportunus sit. Postquam enim hic versæ publicæ res, nos quoque tantæ ruinæ pars aliqua, rarò in hoc celebri totius Regni Theatro & Emporio conspicimur: non oculos aut authoritatem cujusquam veriti; sed quia quod nos ibi detineat, nihil est; neque aliud jam ferè, quàm tranquillitati animi, & afflictæ dudum valetudinis consulimus. Cùm autem ita res nostræ ferant, ut secessus noster sit ab urbe submotior, & rara cum Bibliopolis commercia; inde fit, ut & literæ, quæ illis commissæ, plures interdum menses in manibus eorum, absentibus & inscientibus nobis, hæreant. Quis autem casus tuas in via moratus sit, nescio: Bibliopola certè, cùm ante aliquot dies eas mihi, ab itinere adhuc recenti, traderet; non ultra quindecim dies (quæ tamen, a. d. IV. Kalend. April. datæ sunt) habuisse se affirmabat. Jam dico tibi seriò; neque dissimulare meum est, aut unquam fuit, quicquid à Gronovio venit, ut ab amico, de nomine nostro bene merito; & aliàs, doctrinæ minimè vulgaris viro, pergratum venit. Ita olim de illo sentio; acre judicium; accurata quicquid aggreditur, diligentia; ἐυςοχία plerumque in isto genere mirabilis; ut alia taceam. Incidi nuper in ipsius *Monobiblon.* Multa percurrens legi; omnia probavi; etiam quæ in nos ipsos, sine felle aut fastu, pro veritate, quam semper in omnibus scriptis, & in omni vita, ut vitæ decus unicum, & laborum omnium maximum præmium mihi proposui. Aliter tamen fortasse de illo nonnulli judicaverint, quibus hæc, quæ verbis impensior impenditur opera, sordere solet; qui non intelligunt, ex minimis interdum verbis quantæ res pendeant; & frustra legi gravissimos Authores, nisi de vera lectione, sed & sensu verborum inter legentes conveniat. Sed non hujus ista loci librum *de Sestertio*, sive vetere pecunia, dono missum, nondum legi; neque de illo, nisi perlecto, pronunciare facilè. Digna certè materia tantâ sagacitate & industriâ, quantam in cæteris ejus scriptis observavi. Eò autem nunc differo ad ipsum scriptionem & gratias, quia tu

1666. tu expectatione literarum ipsius animum meum suspendisti. Sed ut exemplar novæ istius & auctioris Epistolarum beatæ memoriæ parentis editionis, quia tu jubes, non quia ego meritus sum, expectabo. Te verò in Philostrato adornando, Scriptore lectissimo, mihi dilectissimo, nunc occupari, libens intelligo. Nam & Philostrato, si cui alii Scriptori Ethnico, ob elegantiam scriptionis, & lectissimarum rerum varietatem benè cupio; & de te ipso, quamvis aliàs ignoto mihi, ex lectione tuarum literarum tantum mihi promitto, ut egregium Scriptorem, tuâ operâ longè cultiorem & commendatiorem fore omnibus, planè mihi persuadeam. Non ignoro fingendi licentiam, & impii propositi vanitatem doctorum quorundam; inter alios & Aldi, qui edidit, inclementiora judicia provocasse: mihi tamen sic semper visum est, paucos esse veteres Scriptores, qui majore cum delectatione, vel utilitate, modò qui subacto sit ingenio Lector, legi possint. Quòd magis doleo, nihil nunc offerre se mihi, quò tuos istos, quibus adeò favere me profiteor, conatus adjuvare possim. Nam patris τοῦ μακαρίτου exemplar, in quo præcipua spes, nunquam vidi. Meum ipsius, (Parisiensem nimirum Græco-Latinam editionem) quo præcipuè usus sum, dudum est, quod cum maxima parte librariæ supellectilis, (quando ita res ferebant meæ, & jam nullus in tali R. P. studiis nostris locus, aut præsidium salvâ fide & conscientiâ, quæ mihi vitâ potiora relictum) pejus fortasse, quod & parti jam contigerat, paulò pòst peritura, ipse vendidi. Solùm nunc mihi superest Aldinæ editionis exemplar, quod quamvis multos hiatus, in Parisiensi suppletos, habeat, magni tamen (qui meus amor) à me penditur, & magna cum voluptate, si quando recreare animum libet, versatur. Videbo tamen, cùm ad secessum & otium meum rediero, ecquid sit inter chartas patris, aut à me ipso alicubi notatum, quod in tuam rem esse possit. Superest mihi illa pars Epistolæ tuæ, in qua tum de nostris, si quid à nobis hactenus, quod ad notitiam tuam pervenerit, evulgatum, judicium profers; tum verò ad opem ferendam publicæ rei literarum, iniquo sæculo plus satis laboranti, sedulò cohortaris. Et ego quidem non istud adeò miror, qui tantam in Casaubonianum nomen benevolentiam prodideris, si longè supra meritum, ex animo quamvis, nostra extollas. Sed quod nos eos esse, qui nostris laboribus periclitantibus nunc literis succurrere valeamus, credidisti; 1666. magnam tum publici hujus, tum privati nostri status ignorantiam prodis. Quid, quòd ne tum quidem, cùm fixa sedes esset, & omnia pro voto fluerent, Theologica professi, & functionibus, quæ Clericorum propriæ sunt, immersi; humaniora illa studia, nisi ut divertentes, & amœniora pro tempore sectati, non ut hoc agentes, aggressi sumus unquam? Quod si etiam post has clades publicas privatasque, aliquid in isto genere, ab omnibus aliis præsidiis præterquam otio destituti, navavimus, hoc unum fuit scilicet, quod nos impelleret, ne nihil ageremus. Adde voluntatem benè de publico merendi, quæ summa semper in nobis fuit. Unde est, quod ante annum tractatum *de Enthusiasmo* vulgavimus. Qui quamvis vulgari, quò pluribus prodesset, linguâ conscriptus est; ausim tamen dicere, non & more planè vulgari scriptum esse; ut qui ex intima Philosophia pleraque repetat; multos antiquissimorum optimæ notæ Scriptorum locos tractet, exponat; interdum & corrigat; Interpretum miras in vertendis Græcis hallucinationes detegat: quemque adeò multis profuisse, ex bene multorum testimoniis elogiisque spero gaudeoque. Certè perpaucis mensibus omnia primæ editionis exemplaria distracta fuisse compertum habeo; quod eò magis mirum, quia si librum legeris, non ineptum fortasse credas ipse; sed publici saporis librum minimè dixeris. Atqui altero tantò major esse potuit, immò debuit, si præstò fuisset qui exscriberet; ad quod munus cùm nunquam apti fuerimus, nunc certè multò minus ob ætatem & multa corporis vitia. En cui tu rem literariam commendaveris! Ego verò, Vir amantissime, si tanti tibi senis prope effœti, & omni fortunâ, & benè de te merendi potestate destituti, preces; te juvenem, inquam; (ita quidem spero) ego senex, & in florente (speramus & hoc vovemusque) florentem Republica; per omnes Musas, & quicquid tibi maximè sacrum, seriò convenio, & vehementer obtestor, ut huic oneri fortiter subeas; quamvis adversis temporibus, magno fretus animo tuearis; & quod à me requiris, ipse pro virili tua præstes, & aliis ad enitendum & præstandum, tuo exemplo præeas. Ad Polybium quod attinet, per me non stat quin procedat utilissimi Authoris, & Historicorum coryphei editio. Sed qui primus appellavit Hackius, (vir, ut audio, doctus & probus) verbis promptus,

1666. ptus rebus segnem, se in hoc negotio præbuit; neque aliud videtur agere, nisi ut postquam ego operâ, quam à me requirit, defunctus fuero, ipse posteà de tempore aggrediendi operis, quod sibi maximè videbitur opportunum, pro arbitrio suo statuat. Neque ego, quæ mea voluntas & προθυμία, valde contenderem, si meus is esset status, ut possem sine majore incommodo, neglectis aliis, isti operi vacare, cujus exitum (ut hactenus processit) vix est ut me vivo mihi spondeam. Nuper adeò, cùm brevem super Homerico loco ancipitis interpretationis Dissertatiunculam ad illum, quia Homerum isthìc excudi intellexeram, eâ conditione misissem, ut si probaret, cum Homero ederet; sin minus, remitteret; neque edidit ille, (jam enim prostat hic Homerus iste, qui sub prælo tum fuerat) neque hactenus Dissertationem, anno missam, remisit. Quis mihi vitio vertat, si deinceps cautior futurus sum? De Antonino nostro nescio an fama aliqua ad te pervenerit hactenus: hic certè in tanta dudum celebritate est, ut nullum opus meum sit, cujus me minus pœniteat. Primo autem, plus viginti ab hinc annis Anglicè versus, cum aliquot Notis à nobis exhibitus est. Post decem plus minus annos, cùm jam turbari hìc cœptum esset, & nos minus occupati essemus, Græca editio cum Latina versione, magis accurata, & amplioribus Notis, successit. Non dicam quo plausu sit & illa editio excepta; quàm multorum ex non una regione gratulationibus. Eundem hunc Antoninum cum nova versione, & amplo Commentario, edidit ante aliquot annos Thomas Gathakerus, inter suos non obscuri vir nominis, idemque Theologus. De ejus opere judicare non est meum. Hoc scio, qui me ad suas partes nullis unquam machinis aut illecebris pertrahere potuerunt, multos fuisse, & adhuc esse, qui nomini meo & existimationi detrahere summo studio satagunt; quod me non movet, cui in libertate & constantia summa felicitas semper posita. Illud mirum, immò supra cujusquam fidem videri possit, virum doctum, qui editionem illam nostram Græco-Latinam (quod ipse mihi fassus est, neque sanè negare potuit, cùm exemplar ipsi dedissemus) per decennium & ultra in Musæo suo habuit; cùm eundem Authorem ipse posteà editurus esset, nunquam nostram, ut credere me vult, editionem consuluisse; & cùm in Commentario sæpe suo mei mentionem faciat, nunquam tamen aliam nisi priorem istam versionem Anglicanam; neque alias Notas, nisi quæ cum ista versione prodierunt, laudare, sive probet, sive reprehendat. Qua de re à me appellatus, quòd non mihi tantùm injuriam fecisse, sed & Lectoribus suis palam illusisse videretur; non aliter factum excusavit, quàm quòd sibi non vacasset legere. Si opportunitas se obtulerit, ego publicè me aliquando vindicabo. Hoc interim tibi tam amico (ita enim mihi planè persuaserunt tuæ literæ) dictum, hac occasione datâ, volui; exemplar etiam meæ istius Græco-Latinæ editionis, alterum tibi, alterum clarissimo Gronovio, si utrumque, vel alterutrum vestrûm carere intellexero, (sed & certam aliquam mittendi rationem indicaveris) libenter missurus. Vale, charissime Grævi, & me ut amas, amare perge. *Londini, pridie Non. August. stylo vetere, partæ salutis ann.* CIↃ IↃ CLXVI. 1666.

EPISTOLA XVI.

EIDEM.



ADhuc vivere me, φάεος κ̀ ὁρᾷν ἠελίοιο saltem cùm hæc scriberem, facilè credes, mihi vel injurato, Vir amicissime; qui tamen si scias, ante sesquiannum quàm conclamatus fuerim per plures menses, ut ægrè posteà videntibus & audientibus me multis superesse, & vitales auras carpere, fidem facerem; fortasse sententiam mutaturus es, & pœnitus larvam & φάντασμα merum inter vivos versari crediturus es. Certè si Poëtæ credimus, *Non est vivere, sed valere vita;* næ, fuisse me rectè dixeris, cujus quod vitæ superest, inter morbos, naturâ diversos, sed in meam perniciem fœderatos, vel ut Medici loquuntur, *complicatos*, dividitur. Magnum tamen nobis solatium ex Literis Sacris, aliisque; ut ausim dicere in summa corporis debilitate, & ἀδυναμία, vix unquam animum alacriorem, & vegetiorem, quoties dolores remittunt & inducias dant, fuisse. Hoc tamen malè me habet, quòd in hoc animi vigore, à viribus corporis destituti, nihil præstare possumus, quo meliores literas juvemus; quæ si unquam in summo nunc periculo, hoc quidem in Regno, versantur. Prima mali labes à Philosophia Cartesiana, quæ stultæ juventuti & novitatis avidæ, bonos libros excussit è manibus. Inde ad *Experimenta* ventum est; in quibus nunc omnis eruditio, omnis sapientia collocatur. *Reales* 1668.

1668. *les* se vocant, specioso nomine, homines astuti: cæteros, quorumque literarum genere celebres, *Verbales*, & *Notionales*, ad contemptim: & hæc seriò hic aguntur ab illis, dormientibus interim, & præsentibus bonis acquiescentibus, quorum maximè intererat, tanto malo, (si mens non læva) πάσῃ σπουδῇ καὶ μηχανῇ occurrere. Nos interim cessantibus aliis, aliquid pro viribus conati sumus; sed Anglicè, ut ad plures fructus, si fortè, perveniat. An apud vos, apud quos hæc Philosophia in tanto honore, meliore loco res sint, aut diu futuræ sint, valde dubito. Non sanè, si plures apud vos Vossii, qui palam audeant ἀντοφθαλμεῖν & oppedere. Sed hæc Deo relinquemus. Quòd memor mei vivas, ago tibi magnas gratias. De Hesiodo tuo nihil antè audiveram; nec mirum, postquam morbi curam inquirendi de novis libris, aut facultatem lustrandi Bibliopolia ademerunt. Doleo tamen jacturam exemplaris, quod ad me miseras, & fructu cum voluptate juncta lectionis, tamdiu caruisse me. Sed quid dices, quod Luciani Dialogum cum tuis Notis, ex quo mihi traditus est, post primam delibationem, ut aviditatem sustinerem, nondum abs re mea, id est, valetudine curanda, & curis aliis pro tempore ingruentibus, tantum otii fuit, ut cum cura relegerem? Magnam diligentiam, & quædam feliciter correcta observo; sed argumentum vèreor ut sit hujus temporis; non hujus certè loci, ut ex jam dictis intelligis. Ad ea, quæ notas de verbo ἀυξάνω, nescio an aliquid lucis attulerit locus Homericus perinsignis, de quo nos in priore Diatriba. Τὸ συντάττειν autem, quasi Medicorum proprium verbum, videtur usurpare Antoninus noster lib. v. §. 6. Sed tu ista melius, si tanti. Integrum autem folium (quod Epistolam ad Lectorem continet scilicet) misso à te exemplari, dum complico, deesse statim observavi & dolui. De Homero quòd spem facis, ita mihi succedant, quæ maximè opto, ut lætissimus legi: lætior tamen futurus, si potiundi quoque per vitam spes aliqua sustentaret. Non alibi certè industriam tuam, & ingenium, quæ magni facio, occupari malim: qui Poëtam illum tanti facio, ut illo stante, & authoritatem suam, tot ætatum consensu firmatam, obtinente; de cæteris, quæcunque sunt, meliorum literarum præsidia & ornamenta, planè desperare non possim. Narro autem tibi, Homeri exemplar in minore forma, quod olim patris fuerat, quodque secum gestare, magnum peregrinationis, & à 1668.
cæteris libris absentiæ solatium, solebat; ubi etiam quædam, pro orarum angustiis, notaverat; dudum me, ita enim promiseram, cùm proximam quemque diem vitæ postremam fore, certò crederem, ad virum nobilem & eruditum, Joannem Cottonum, misisse. Videbo tamen, si tantum liberi temporis obtinere possum, si quid aliud in mea potestate sit, quod tibi commodari possit; aut quo saltem tester commodandi tibi voluntatem mihi non defuisse. Jam enim per aliquot septimanas, neque citò defungendi spes est, quod à cura necessaria valetudinis superfuit temporis, curæ collocandæ unicæ gnatæ, quæ non minor cura, datum est. Deus Opt. Max. felicem det exitum. Cæterùm quod de Polybio narras, Bibliopolam Belgam editionem ejus parare, ego te certiorem facio, Oxonienses id ipsum jamjam moliri, meque à nonnullis Academiæ istius principibus viris appellatum, ut si quid haberem, quo istud eorum consilium juvare possem, id eis ne inviderem. Quod sanè, ut qui de Hackio dudum desperaverim, in me non uno nomine libens recepi, & pro virili præstiturum non est quod dubites. Sed audio illos ex Bibliotheca quoque publica Oxoniensi, omni librorum genere, ut scis, instructissima, aliquid nactos esse, quo editio libri auctior & ornatior sit. Ammianum, quem memoras nuper editum, non vidi; sed bonos libros ubivis excudi, libenter audio. Reinesii quæ publicanda promittis, quamdiu vivo, avidissimè expectabo. Nil jam superest, quod tamen primum esse debuit, nisi ut de Ryequio tuo tibi gratias agam, qui commendatione tuâ mihi commendatissimus, paucorum dierum, quantum licuit, usurâ mihi cognitus, adeò se mihi probavit, ut discedens ingens sui desiderium relinqueret. Sed ego illum quotidie impatienter expecto, hàc in Galliam, post lustratas Academias, (quod felix illi faustumque sit) trajecturum. Literas interim ad te, quas transiturus paratas inveniret, quia is jam status est valetudinis, ut non sim omnium horarum, sed nec dierum homo, quod ille abiens requisivit, has expedivi. Si quid aliud est, quod te velim, quando ille venerit, addemus. Vale, Vir clarissime, & memoriam tui amantissimi, cùm solâ memoriâ supererimus, quod tempus non procul abesse probabile est, charam habe. *Cantabrigiæ*, *a. d.* XII. *Kalend. August.* CIↃ IↃ CLXVIII.

EPISTOLA

Epistola XVII.

✠ To JOHN EVYLIN.

Sir,

1669. *You might have had a more speedy answer to your kind Letter, but that soon after the receipt of it I fell into my ordinary distemper, which is the stone, but with more than ordinary extremitie which hath continued these three or foure days already, & what will be the end, God knows; to whom, for either life, or death, I heartily submit. Presently after the reading of yours I set my self to search my Fathers Adversaria & papers, and after a little search I found a proper head, or title* de Baculis, *as an addition to what he had written upon Theophrastus; and under that title, many particular references to all kind of antient Authors: but soe confusedly, that I think noe man, but I, that had been used to his hand and way, can make any thing of it. There is two full sides* in Quarto.

Sir, if God grant me life, or some respite from this present extremitie, it shall be one of the first things I shall doe, to send you what he hath written, copyed out in the same order as I find it.

Whilst I was searching my Fathers papers, I lighted on a note concerning plants and trees, which I thought fit to impart unto you, because you tell me, you have written of trees; you have it here enclosed. Besides this I remember I have, but know not where to find it at this time, Wormii Literatura Danica, *where, if I be not much mistaken, he hath somwhat* de Baculis; *there, or in some other treatise I am pretty confident.*

Sir, I desire you to believe that I am very willing to serve any Gentleman of your quality in so reasonable a request. But if you be the Gentleman, as I suppose, who hath set out the first booke of Lucretius in English, I must needs confesse my self much indebted to you, though I never had the opportunitie to profess it, for that honourable mention, which you were pleased to make of me in your Preface. Whatsoever I should think of your Work, or Translation, yet civility would engage me to say soe much. But truly, Sir, if you will believe me, who, I think, was never accounted a flatterer by them, that have known me; my judgment is, that you have acquitted your self of that knotty busines much better than I thought could be done by any man: though I think those excellent parts might deserve a more florid and proper subject: but I submit to your better judgment. 1669.

Sir, it hath been some task to me to find soe much free time to dictate soe much: if there be any thing impertinent, I desire, you will be pleased to consider my case. Soe I take my leave, and rest

Your very humble Servant,
MER. CASAUB.

Jan. 24. CIↃ IↃ CLXIX.

Inscriptio.

For Mr. John Evylin, Esquire, at Deptford near Greenwich.

Epistola XVIII.

JOANNI FRIDERICO GRONOVIO. ✠

Ex quo postremum ad te scripsi, Vir clarissime, vitam egi valde desultoriam & vagam; ætati non adeò, nec voluntati, sed temporibus his nostris convenientem. Fui Londini aliquoties, ubi tuæ mihi traditæ; sed ad breve tempus, & semper in procinctu. Nolito mirari, hoc maximè tempore, cùm publica sint in perpetuo salo, si vaga & incerta est privatorum hominum conditio. Hæc causa festinationis meæ, qui aliàs tempus optimè collocatum putarem, quod tibi cumque impenditur; nec aliud libentius agerem, quàm ut de communibus studiis (si tamen & nobis aliquis in istis locus adhuc relictus) prolixè tecum confabularer. Sed ista Deo relinquenda, quæ optare quàm sperare facilius. Ad tuas igitur ut veniam, de Grævio maximas ago gratias, quòd omnia tam accuratè me docuisti. Felix ille, cui tu talis Hierophantes & Mystagogus contigisti: & spero (si Deus illi vitam sufficiat) manere te curæ tuæ, & operæ præmia, quæ tu tibi proposuisti, amplissima. Præcipuè, si perpetuus ἱεροδιδάκτης accedas, & terræ tam diligenter à te cultæ, pro tuo jure imperes. Cæterùm, quantò mihi gratius, quòd illum vivere intelligo; tantò diuturnum adeò ipsius silentium molestum & mirum. Mihi sanè, quas ad me scripsit, ingenuæ indolis & bonæ mentis indicia & pignora satis certa visa; nec ab eo tempore de illo cogitare, & quodammodo sollicitus esse desii. Quod & publicè, quando aliter non succedebat, testatus sum. Hoc unum superest; ætas ejus adhuc mihi

ignota est, quam cùm proximè scribes, indicari cupio. Sed ad cætera pergo. De Gruteri Criticis errorem vestrum jam ab aliis, opinor, intellexisti. Verum est, Criticos, seu Philologi potius dicendi, qui in Sacram Scripturam commentati sunt, haud vulgari diligentiâ conquisitos, multis Tomis magnis impensis excusos, brevi in lucem prodituros. Sed ad Gruteri Criticos nihil illi, quod sciam; de quibus altum hîc silentium: nec adeò ista studia in honore ac pretio apud vulgus, qui Docti aut Doctores hîc audiunt, ut cuiquam in mentem venire probabile sit. De Æschylo quoque aliud agamus licet, quando Junius vestras hinc abiens, ab illis rogatus, quorum intererat, partes illas in se suscepit, & credo jam illum perfunctum esse. Cæterùm idem quoque vir doctus & amicus, viro nobili & amico meo summo, Domino Joanni Cottono, de Anacreonte, si quid illius hactenus ineditum in publicis aut privatis apud vos Bibliothecis reconditum, se procuraturum, saltem indicaturum recepit. Si quid tua cura hîc possit, vel ut ille memor sit, vel quod in te situm sit ipso, rem mihi feceris gratissimam. Salutem ab Heinsio, viro doctissimo, ad paternam famam feliciter adspirante, gratissimam habui. Ei omnia fausta & pacata precor, & si qui sunt alii apud vos, qui rem literariam ornant ac tuentur. Tibi inter primos, Vir eximie, quem vivere ac valere, meliorum literarum, & qui illis favent, maximè interest. Ego me à te amari valde lætor, & ut ita pergas oro, voveoque.

Inscriptio.

Eximiæ eruditionis Viro,

Dom. JOANNI FRIDERICO GRONOVIO,

Græcarum Literarum & Historiæ Professori celeberrimo.

LUGD. BATAVOR.

MERICI

MERICI CASAUBONI,
ISAACI FILII,
DEDICATIO
XII. LIBRORUM
MARCI ANTONINI,
IMPER. ET PHILOS.
ET
PRÆFATIONES.

MERICI CASAUBONI DEDICATIO ET PRÆFATIONES.

JOANNI SELDENO, Jurisconsulto, Philologo, Viro maximo, MERICUS CASAUBONUS S. D.

(*Præfixa* Marci Antonini Imperatoris XII. Libris, *Latinè versis, & Londini editis anno* 1643.)

IMperatoribus olim hodieque solenne, Vir insignissime, sine δορυφόροις hinc inde stipantibus, & aliquo de primariis Aulæ comitatu, in publicum non omninò aut rarò prodire: quæ partim ad pompam, partim ad terrorem, partim verò ad tutelam corporis ab ipsis instituta sunt. M. ANTONINUS Imperator priora duo quanti vivus fecerit, & quo loco habuerit, si quis ipsi de se scribenti minùs credit, at veterum spero Scriptorum consentienti testimonio fidem non abrogabit, qui talem eum describunt, qualem ab omni memoria omnibus omnium gentium monumentis replicatis & excussis alium vix reperiamus; qui vel eorum, quæ splendidissima habentur inter homines, & quorum gratiâ cœlum terræ miscere non verentur, tantus & tam constans contemptor fuerit; vel qui bonitatem, clementiam, mansuetudinem, divinas virtutes, erga subjectos, simpliciore animo & flagrantiore studio exercuerit. Sed nec hastatorum, qui latus cingerent & vitæ caverent, opus illi, cui cùm tristissimis & afflictissimis temporibus orbis Romani, id est, universi ferè, tutela à Supremo Mundi Rectore commissa esset, sic eam administravit, ut in ejus vita & incolumitate suas fortunas, suam salutem omnes, minimi maximi, verti crederent. Nos igitur, cùm noster hic redivivus ANTONINUS in lucem proditurus esset, parum de tali comitatu, qualem diximus, illi comparando solliciti, de tali comite, seu *amico* (quo titulo insigniores quosdam temporum suorum Jurisconsultos maximos olim Imperatores dignatos esse non ignoras) asciscendo cogitavimus, qui tum imperitam multitudinem non vi aut imperio, sed solâ sui nominis authoritate submoveret; tum verò doctos undique viros & intimâ admissione dignos, ipse longè latèque celebris, alliceret. Quem verò potiùs quàm te, SELDENE præclarissime, qui præstantissimis ingenii tui monumentis patriam tuam magis ornaveris, an majus apud exteros decus 1643.

tibi

1643. tibi privatim paraveris, haud facilè dixerim. Ea certè tum domi apud cives & populares tuos; tum foris apud exteros, ubicunque literis suus constat honos, nominis tui fama & celebritas, ut eruditum, quicquid illud sit, & laude dignum, quod SELDENI nomen præfixum habet, non docti tantùm qui tua legunt & intelligunt, quod paucorum est; sed & de plebe literaria homines protinus affirmaturi sint. Hæc igitur tui nominis hîc inscribendi caussa publica. Sed nec privata defuit, tua erga me jam olim perspecta mihi benevolentia, & de me studiisque meis benè merendi studium; quo nomine tantò me plus tibi debere judico, quantò pauciores in hoc Regno, qui hæc studia tractent, aut tractantes aliquo loco numerent. Vale, Vir præstantissime, & me amare, studiisque meis favere perge.

PROLEGOMENA
IN
MARCI ANTONINI
Τῶν εἰς ἑαυτὸν Libros XII. & hanc editionem.

1643. *QUæ Marcus Antoninus, Imperii & rerum gestarum magnitudine gloriosissimis Imperatoribus annumerandus; vitæ verò sanctitate & solidâ eruditione veterum Philosophorum vel laudatissimorum nulli inferior,* De seipso, *sibi scripsit, ea postquam semel typis excusa prodierunt in lucem, dudum est cùm certatim à doctissimis quibusque viris, qui Reipublicæ literariæ promovendæ suam navarunt operam, laudantur & meritissimis elogiis celebrantur: at qui scriptum ut excellentissimum, ita & obscurissimum, seu Notis, seu Animadversionibus, seu Commentariis uberioribus illustrandum susciperet, quò tam reconditæ sapientiæ ad plures utilitas perveniret, ex omni doctorum numero nemo unus hactenus, quod sciam, repertus est. Interim verò qui mortalibus imperitis & incautis falsò Antonini nomine illuderet, & vilissimos in comparatione, fœtidissimosque pannos pro pretiosissima purpura sacrilegâ fraude circumferret, pridem repertus est* Antonius Guevara, *Hispanus, homo non contemnendi prorsus ingenii, nisi alios ipse, tantæ imposturæ fiduciâ, adeò contempsisset; eruditionis autem, quæ Aulicum potius, quàm Episcopum; & circumforaneum aretalogum, quàm genuinum Philosophum deceret. Sed nec ego talem ab omnibus pridem doctis explosum contemptumque tanti facerem, ut hîc ejus meminisse dignarer, nisi tanti putarem, quàm sint homines, quæ stulta, ficta, falsa, putida, præ iis quæ solida sinceraque sunt, amplecti proniores, & quæ* χαλκοβάφια, *iis quæ verè sunt aurea præponere, tam luculento & illustri exemplo demonstrare. Solis enim sacris Bibliis exceptis alium vix ullum librum extare puto, qui tot in linguas, Gallicam, Italicam, Anglicam, Germanicam, alias, opinor, omnes Europæ linguas semel iterumque translatus; qui repetitis editionibus toties excusus sit. Cùm verò per multos annos intra vulgares has linguas tantæ se continuisset imposturæ fœditas, & jam quodammodo suppressa videretur; ecce tibi triginta plus minus ab hinc annis* Joannes Wanckelius *quidam nomine, natione Germanus, exortus est, qui magnum operæ pretium, à principibus etiam viris invitatus, facturum se credidit, si egre-*

egregium hoc Horologium (is enim libro titulus) Latinè versum, & Notis adornatum, ab oblivione vindicaret. Hujus ego Latinæ versionis quartam editionem in folio, ad paginas propè septingentas, præter longissimas Præfationes plures, & copiosum Indicem, diffusam; sed & posteriorem aliam in quarto ad rei monstrosæ (mihi certè) fidem servo. O iniquam sortem mortalium! quid enim profectò fiet in profunda barbari, quale jam non unum, sæculi caligine, melioribus literis proscriptis & extinctis omnibus; cùm tam eruditâ ætate tam multi reperiantur, qui σύρματα αἱροῦνται μᾶλλον ἢ χρυσὸν, & frugibus inventis glande vesci gratum habent? Et memini cùm ante quinquennium in prodigiosum quendam librum, in Angliam tum primùm advectum, Etruscarum Antiquitatum titulo, multisque æneis tabulis spectabilem fortè incidissem, primo statim conspectu fraude deprehensâ, ad quam deprehendendam nulla non pagina libri, ne dicam linea, sufficiat; indignationem publicè testatum esse, & originem fraudis in quodam, qui tum fortè sub prælo erat, de Usu & consuetudine commentariolo detexisse. Comperi tamen posteà, fuisse qui longè aliter sentirent, & tam bellas & speciosas Antiquitates tam duriter acceptas dolerent: imò non defuisse, qui contempto nostro aliorumque de illis verissimo judicio, ad loca ipsa fideli tanti depositi custodiâ venerabilia, per mare, per terras magno studio, quò res tam sacras oculis usurpasse suis, & manibus contigisse possent aliquando gloriari, contenderent. Sed ut ad Antoninum redeamus; annus à parto Salutis Authore 1558. agebatur, cùm primùm Guilielmus Xylander, Augustanus, divinum hunc Antonini fœtum, à Conrado Gesnero ex Bibliothecæ Palatinæ latebris erutum, protulit in lucem; & ut erat industrius, & in vertendis Græcis assiduus, Latinè vertit, brevibusque Notis illustravit. De ejus versione plura mox dicemus: sed hoc in antecessum, ne viro docto pro ingenti beneficio gratias indignas rependamus; parum candidè & ingenuè facturum, qui post tot in hoc genere labores Xylandri, tot elucubratas majorum vigiliarum, & voluminosiorum scriptorum versiones, ex hac una scripti tam pusilli, aliàs quidem fateor inæstimabilis, & non ex mole pendendi, sed pusilli tamen unius versione de meritis ejus & eruditione pronuntiare velit. Fateor illum in aliis quoque operibus non rarò impingere, nec in exprimendis quos interpretandos suscepit, semper litare Mercurio: sed id potius tamen viri laboriosissimi, & ad alia semper properantis festinationi, quàm linguæ Græcæ, cujus ut & Latinæ fuit ille peritissimus, ignorantiæ tribuendum censeo. In Antonino alia fortasse ratio; ad cujus intelligentiam non tam Græcæ linguæ peritia, quàm veteris & imprimis Platonicæ Philosophiæ cognitio necessaria. Certè quàm non feliciter optimo viro versionis hujus susceptus ab eo labor aggredienti cesserit, ut non ignoravit ipse, ita nec dissimulavit, ut tum Præfationes ejus, (quæ prima præcipuè) tum Notæ testes; in quorum altero sagacitatem ejus, (ἀμφότερα δὲ καλά, καὶ τὸ ὅτι οὐκ ἴσμεν εἰδέναι· καὶ τὸ γνῶναι ἃ οὐκ ἴσμεν, dicebat olim Hierocles) etiam ubi minus sagax; in altero ingenuitatem meritò laudemus. Sed quòd in Græci sui codicis defectum culpam sæpè rejicit, id ut ipsum verè credidisse concedamus, ita credendi caussas nullas idoneas habuisse certò persuasum habemus, & facile, spero, Lectori, cùm de eo agemus, non morosò persuadebimus. Cæterùm cùm princeps hæc editio, Latina præcipuè Xylandri versio, Typographorum incuriâ tot scateret mendis, ut vel eo nomine Xylandrum vehementer ejus pœniteret & puderet; secundâ meliori, novem plus minus annis interjectis, prioris illius maculas & dedecus eluere conatus est. Ea Basileæ anno Domini 1568. adornata est. Sed viro doctissimo & occu-

1643.

1643. *occupatissimo ne hîc quidem pro voto aut industriæ merito respondit eventus. In versione siquidem mendas typographicas haud paucas sustulit: at quæ propria erant ipsius* παροράματα, *typographicis longè molestiora, pleraque reliquit. In Græco verò contextu, qui nullâ re magis quàm perturbatissimâ interpunctione laborabat, quo is melior esset, parum aut nihil præstitit. Multis pòst annis, anno quippe Domini 1626. Lugduni (Galliæ Celticæ urbe) nova prodiit Antonini editio; commodâ sanè formâ, & typis non inelegantibus; cæterà verò, Xylandrinâ utrâque longè depravatior. Non enim ex secunda meliori (quam videntur ignorasse qui hanc procuravêre) Basiliensi, sed priore Tigurinâ expressa est: & cùm pleraque menda typographica primæ ac præcipitatæ illius editionis (qualia,* certum, *pro* cœtum: neque, *pro* usque: subesse, *pro* substantiæ: somnus, *pro* sensus: fatum, *pro* fœtum: aut, *pro* autem: mon, *pro* modo; *& id genus alia non pauca) retineat; propriis & ipsa cumulata est, in Græcis præcipuè, maculis; ut tota* ἅλμησι βρύειν *meritò dici possit: ut omittam Notas additas; si Notæ sunt dicendæ, hominis (ne quid dicam gravius) audacissimi (ut cùm* τὸ ἀρρῶστα λόγον, *quasi inauditum & barbarum quid, emendari vult* τὸ κρείττονα λόγον· *cùm pro* τροπῇ, *Platoni & Stoicis tam familiari verbo,* τρόπῳ *substituit, & ejusdem farinæ alia) mera deliria. Istæ sunt omnes, quæ quidem ad meam pervenêre notitiam, Antonini editiones. Quis verò in tanta virorum doctissimorum, quantam nostra hæc & superior ætas tulit, annona; tantâ Commentatorum, qui alii super alios veteres quosque Scriptores certatim arripuêre turbâ, unius ferè Antonini id peculiare fatum fuisse non miretur, ut incultus, impolitus,* ἀνεξήγητος *per tot ad hunc usque diem jaceret annos? Dicerem fortasse difficultatem operis, toties à Xylandro commemoratam, plerosque ab incepto deterruisse, nisi arroganter id à me dictum videri posset, quod à me susceptum sit, (nam præstitum non dicam) id ab aliis ne susciperetur, perficiendi difficultatem potissimùm obstitisse. Ego certè cùm ante annos jam decem totos augusti hujus operis non anteà mihi visi, sed expetiti dudum, compos essem factus, & in lectione progressus essem quantum ad gustum libri sufficeret; sic eorum quæ legeram & intelligebam admiratione, pari delectatione junctâ, protinus obstupui, ut nullum non laborem libenter suscepturus fuerim, nulli non oneri subiturus, quò ad cæterorum, ad quæ mentis acies nondum penetraverat, intelligentiam pervenirem. Magna tum memini spes animum pertentabat, si fortè exemplar Antonini, quo beatæ memoriæ parens usus fuerat, adipiscerer, haud pauca in eo reperturum me ad oras (quæ in plerisque Veteribus legendis ejus sedulitas & diligentia) notata, quæ magno futura essent auxilio: sed eum cùm humanissimi juxta ac eruditissimi viri,* Patricii Junii, *Bibliothecæ Regiæ Præfecti dignissimi, operâ consequutus essem, quàm spe meâ frustratus sim, ipsum illum testor, optimæ fidei, nec minoris in his judicii testem, omni exceptione majorem: loco enim emendationum aut conjecturarum, quas expectabam plurimas, plurimi se singulis ferè paginis* ὀβελοὶ *ac* χιασμοὶ· *quibus quæ pro mutilis aut corruptis haberet, notare solebat, obtulerunt. Ait Aristoteles, & verè ait, ut mea fert sententia, (quod & hodierni Itali vulgari jactant proverbio)* μᾶλλον ἕκαστα κρίνουσι, καὶ ἐξακριβοῦσι, οἱ μεθ' ἡδονῆς ἐνεργοῦντες· *cùm igitur lecto semel iterumque libro, novâ semper eum voluptate ad novam lectionem redirem, factum tandem est sæpè legendo, ut quæ prius* ἄβατα καὶ ἀνέφικτα *tenebrisque plus quàm Cimmeriis obvoluta videbantur, ea pleraque paucissimis exceptis, adeò plana & expedita se præberent, vix alius ut sit ex veterum omnium librorum numero liber, quem mihi magis notum perspectum-*

spectumque crederem. Qua ex re cùm gaudium propriori meo studio desiderioque quantum par erat perciperem, re tamen ipsâ, quod à viris sapientibus observatum memini, tunc expertus sum, nullum tantum bonum esse, cujus privata & solitaria possessio si non ingrata, certè pro rei merito jucunda sit. Quare cùm fictitium illum, stramineum, volgivagum Guevaræ Marcum Aurelium *etiam Anglicè versum esse comperissem; cùm mihi privatim pro munere suscepto nihil deinceps ex usu magis quàm linguæ Anglicæ promptus usus, cujus non inutiliter excolendæ hæc opportunitas sese offerebat; cùm denique Latinorum & Græcorum librorum editiones (præcipuè qui Cantuariæ, à Typographis & Bibliopolis omnibus longè submotus, sedem fixam haberem) non sine multa difficultate his in terris procurari viderem; de vertendo in linguam Anglicam eximium hoc opus, magnâ spe conceptâ fore ut multis prodesset, si sic verteretur ut à multis intelligi posset, paucos post menses quàm ipse videram & legeram, apud me constitui: nec antè destiti, quàm quod animo proposueram, Deo ceptis aspirante, confecissem. De ista versione non aliud dicam, nisi viris in hoc Regno (quod non unus coram testatus est) à dignitate, sed & ab eruditione summis haud paucis rem fecisse me gratissimam. Cùm autem non pauci versione delectati, de Græcis edendis sæpiùs interpellarent, dudum profectò eorum voluntati morem gessissem, nisi quòd dum vacationis ab aliis negotiis & Londinensis ad tempus commorationis opportunitatem expecto, interim non unius indicio ad me pervenit,* Thomam Gathakerum, *virum eruditionis apud Anglos opinione celebrem; Græcè, ut perhibebant ipsi, peritissimum, eam in se provinciam à longo jam tempore suscepisse, ac propè jam defunctum esse. Ego cùm quod amicis instantibus opponerem jam haberem, & otii quantum satis esset ægrè mihi pollicerer, molestiæ autem plus satis in mundo præsentiscerem, facilè in animum induxi ut ab incepto desisterem. Verùm post plurium annorum irritam expectationem cùm jam dubitare, qui spem excitaverant, animadverterem; cùmque ea incidissent tempora Reipublicæ, ut animum tum munire optimis præceptis, tum à tristissimis cogitationibus avertere quacunque ratione laborarem, memor quanta cum animi voluptate in versione Anglica versatus essem, ad Græco-Latinam Antonini editionem cum Notis, quæ non multæ quidem, pro succisivi temporis ratione essent; sed quæ nihil tamen, dignus ubi vindice nodus, intactum relinquerent, mentem cœpi convertere. Sed priusquam manum operi admoveo, virum illum doctissimum, de sola dum fama mihi notum, conveniendum mihi credidi. Superioris anni Majus tum mensis agebatur. Quid multa? post multos ultrò citròque de Antonino sermones, tandem ostendit mihi vir humanissimus scriptos manu Tomos in quarto (ut loquimur vulgò) binos, benè spissos, quorum alter ipsum Antonini contextum cum Latina versione continebat; prolixos alter in Antoninum Commentarios; utroque eâ curâ descripto, ut editioni paratos res ipsa loqueretur: paratos autem plures jam annos ita fuisse, idem qui ostendit asseverabat; at quando prodituri essent in lucem, cùm quæ hactenus obstiterant, eadem nunc quoque essent impedimento, nihil asseverare se, aut in se recipere posse profitebatur. Cùm ego vicissim consilium ei meum de Xylandri versione interpolanda, & brevibus Notis addendis aperuissem, adeò non improbavit, ut laudaret etiam, & ultrò cohortaretur. Ab eo tempore quicquid ab aliis studiis & negotiis liberi temporis obtigisset, id huic uni curæ curandæ, donec confecta res esset, à me destinatum. Quid autem nobis hac editione proposuerimus, id demum superest ut paucis hîc exponamus. Ab ipso, quod præcipuum est, Antonini*

1643.

1643. *tonini* contextu *incipiemus; qui quidem, si Xylandro credimus, vix Antonini contextus dici mereatur. Est enim ubi non Antonini hoc ipsius opus, sed* ἐκλογὰς *duntaxat ex Antonino; ut in posterioris editionis Præfatione: est ubi* mutilos misereque decurtatos *hos libros: ubi* librum mutilum & plerisque locis interruptum interpolatumque, *ut in prioris: ubi denique* pleraque lacera, *ut in Notis* ἀποτόμως *pronuntiat. Hujus autem assertionis & judicii si quis à Xylandro caussam requirat, hæc nimirum est, sententiarum obscuritas & incohærentia. De posteriore ut primùm dicam: eorum quæ* ἀφοριστικῶς *à Veteribus per sectiones & capitula tradita sunt, eam esse rationem, ut sectiones, seu capitula, nullâ, nisi casu, vel argumenti, vel orationis serie copulâque cohæreant inter se, quis ignorat? Eam autem* ἀμίγδην μίγδην *veteribus sapientiæ Magistris probatam & usurpatam maximè, ut ex Solomonis, Theognidis, Phocylidis aliorumque gnomologicis monumentis facilè discimus; ita recentioris ævi viros acutissimos non defuisse video, qui ordini vel exactissimo certas ob caussas (quas non est hìc examinandi locus) anteponerent. Cùm igitur tam certum sit quàm quod certissimum, hæc* ἀθρόως *&* ἀφοριστικῶς *(qualia &* Epictetei *quod vocatur* Enchiridii *pleraque, nisi si quis ingenii subtilitate fretus* ἀσυγκλώστα κλώθειν *aggrediatur) ab Antonino congesta esse, nec aliam quærendam seu verborum, seu sensuum* ἀλληλουχίαν, *quàm quæ in singulis sectionibus; magna pars obscuritatis sublata fuerit, si sectiones (quæ nostri laboris pars non minima) rectè secreveris, & diremeris. Sectionibus rectè ritèque discretis ac diremptis, si quæ alia superest obscuritas, inde potissimùm est, quòd Antoninus in Veterum lectione tritissimus, eorum verba suis crebrò, tacitis ipsis, sic intertexat; ad intertexta (aut quæ interdum in animo tantùm habebat) suis sæpè verbis tacitè sic alludat & intendat, ut hæc animadvertere & dijudicare singula vix cujusquam fortasse sit etiam diligentissimi: qui verò in Veterum, Philosophorum præcipuè, lectione benè versatus non sit, eum nihil mirum si in tam crebro* τῆς ἀρχαιότητος *in sensibus & verbis* πάνυ *crebriùs offendat & hæreat. Præterea, quis ab eo, qui secum loquatur & sibi scribat uni, eam sermonis expectet perspicuitatem, quam ab eo, qui aliis, ut legatur, & prosit, jure meritòque requiramus? Sed quicquid hujus sit, ne quis ultra sit huic exceptioni locus, asserere non verebimur, paucissima (quis autem liber antiquus tam planus & perspicuus, ut Oedipo aliquo nullibi egeat? ut nodos etiam doctissimis inenodabiles nullos habeant) in his libris esse, quæ non integra modò, sed & ad explicandum facilia præstare non possimus. Refutatâ obscuritatis &* ἀνακολουθίας *calumniâ, cur imperfecti sint hi libri, nullum, quod sciam, aliud argumentum: cur autem perfecti judicandi sint, & optimæ notæ codicem eum fuisse, quo Xylander usus est, & expressit typis, credibile sit, cùm alia possunt afferri, tùm illud inprimis, quòd quæcunque extant apud Suidam (quæ mihi quidem hactenus reperta) Antonini* Fragmenta, *quæ paulò pòst inter Testimonia reperientur; quæcunque in* Excerptis *(de quibus in Notis, initio) nomen* Epicteti II. *præferentibus Hæschelianis, ea cum editione Xylandri, variantibus aliquot lectionibus exceptis, per omnia congruunt. Qui igitur codici Xylandrino, ut optimæ notæ codici, multum deferremus, & Xylandrinam editionem ex illo (nisi quod ex Notis ejus quædam in textum, nescio an ipso authore, temerè recepta) fideliter expressam esse, non levibus argumentis adducti judicaremus, & ipsam fideliter ut hìc, quoad ejus potuit, solis mendis typographicis & minutioribus exceptis, exhiberemus, præcipuè curavimus. Sed cùm secundæ ac melioris Xylandrinæ editionis nullum exemplar quod excudendum*

dendum

dendum Typographo traderemus suppeteret, Lugdunensis editionis exemplar, 1643.
quod suppetebat, priùs tamen à me collatum, & ad meliorem illam editionem quàm potui diligentissimè correctum, tradere coacti sumus. Non mirum tamen si quædam nostram, præcipuè cùm mens toties aliis longè curis & sollicitudinibus interpellaretur, fugerunt diligentiam: quæ pleraque aut in Notis aut in Erratis indicata sunt. Depulsâ imperfectionis invidiâ, non abs re fortasse fuerit & illis hîc paucis occurrere, si qui futuri sunt, qui de redundantia *questuri sunt. Negari certè non potest, eadem sæpius his libris (iisdem quidem planè verbis non multa, at non multùm diversis haud pauca) ingeri & inculcari. Hoc igitur objecturis quod universè respondeamus, hoc præstò nobis est,* δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά· *aut quod alicubi rectè Seneca,* Nunquam nimis dicitur, quod nunquam satis discitur. *Sed Antoninum prætereà & hoc peculiariter excusat, quòd, ut de obscuritate modò dicebamus, hoc quicquid est operis, non id aliis, ut in vulgus emanaret & publicè prodesset, adornavit; sed sibi privatim, (quanquam & aliis, dum sibi tanto Domino, & Exemplo) ut in virtute proficeret, commentatus est: ut hinc quidem quid ille sibi ipsi, conscientiæ suæ sedulus ac severus scrutator, apprimè utile ac necessarium judicaverit, addiscere possimus; judicio ejus aut memoriæ irasci, quòd ab iisdem repetendis & inculcandis, quæ ad profectum virtutis prima & summa haberet & quotidie experiretur, haud abstinuerit, sine summa iniquitate nequeamus. Ad* versionem *quod attinet, eum Xylandro libenter honorem habuimus, ut ejus versionem, nisi ubi res ipsa aliter postulabat, & sententiæ ipsius intererat, ubique retineremus. Ingenuè certè & candidè ab illo factum est, quòd* in quibusdam *(nec falsum dixisset)* coactum se divinare, & audacter à Codice Græco discedere, *agnoscit ipse: sed & in alia Præfatione, quam posteriori editioni primam præfixit, non minùs ingenuè & verè,* quædam in Antonino esse, quæ prorsus non attingere præstitisset, quàm conjiciendo aliena pro Antoninianis fortassis ingerere. *Hoc sanè verè dicere possumus, plurimas esse sectiones, nec illas è brevissimis, in quibus Antoninianæ mentis & sententiæ in Xylandrina versione neque vola, neque vestigium: ut illas omittam, in quibus quod erat ita contrarium, ut nihil magis esse possit, expressit, aut potius, ut ipse in Notis alicubi loquitur, ariolatus est; quæ à nobis eò dicuntur, non ut viro docto* νεανικῶς *insultemus; cujus memoriæ, ut cætera ejus merita omittamus, vel hoc uno nomine quòd Antoninum illi debeamus, ita favemus, ut ejus par est memoriæ, qui maximo nos obstrinxerit beneficio; sed ut si qui nostri in hac interpolanda & recensenda versione laboris & instituti parum candidi futuri sunt interpretes, eis aliquid opponeremus. Mutatæ verò versionis, ubi dubitandi caussa erat, in Notis rationem reddidimus: ubi non erat, ut labori parceremus putido, & ne obtrectandi materiam quæsivisse videremur, libenter abstinuimus. Quod si non in promptu caussa semper, quæ me movit, (etsi fieri potest ut in quibusdam me quoque ratio fugerit) ut mutarem, Lectorem minùs intelligentem oratum velim, ne quorum ipse rationem statim non assequitur, ea statim nullâ ratione niti pronuntiet, planè judicet. Sic exempli caussâ, ipso statim initio, quod Xylander verterat,* Existimatione parentis mei, *maluimus nos,* Existimatione genitoris mei. *Erunt fortasse qui ad* τὸ γεννήσαντος, *quasi id meliùs* genitor, *quàm* parens, *aut elegantiùs, (quo quid puerilius?) verteretur, respexisse suspicabuntur. Ego verò* τὸν γεννήσαντα, parentem *Latinè vulgò optimè reddi non magis dubito, quàm* τὸν γεννήσαντα *&* τὸν πατέρα *idem vulgò sonare; sed ut hoc loco* τὸν γεννήσαντα *consultò dixit Antoninus, ut naturalem patrem, qui genuerat, ab eò, quem*

1643. πατέρα *cap.* 13. Παρὰ τοῦ πατρὸς, *&c. nuncupat, qui scilicet adoptaverat, distingueret: ita,* qui genuit, *hîc, vel* genitorem, *quàm* parentem, *cum* parentis *latior interdum soleat esse (quo sensu Capitolinus in Vita Marci,* Omnibus parentibus suis tantam reverentiam, *&c. capiendus) significatio, ad Antonini mentem propiùs accedere credidi. De* Sectionibus *seu* Capitulis *jam diximus aliquid; sed est porrò quod dicamus, quia in eorum divisione & partitione multum situm est. Nobis in hac, quam hîc exhibemus, partitione non id propositum fuit, ut singulos* κανόνας, *seu singula quæ vocat Antoninus* κεφάλαια, *& interdum* θεωρήματα, *seorsim repræsentaremus, sed ut ea (plura an pauciora essent) eisdem sectionibus includeremus, quæ conjuncta perspicuitatem, obscuritatem divulsa peperissent. In plurimis autem, ubi sententiæ nihil interest, sive conjuncta legantur, sive separata, arbitrio meo usus sum, nulli legem impositurus, quin aliter per me liceat ipsi disponere. Hoc tamen præmonitum velim Lectorem, temerè facturum qui non semel iterumque lecto toto libro, & attentè lecto, de novo cogitabit ordine: quid enim in singulis sectionibus, ubi aliqua difficultatis suspicio, spectaverimus, illi demum intelligent, qui frequenti lectione totum illum adeò sibi familiarem reddiderint, ut de singulis partibus ex toto, quod toti maximè conveniat, judicium facere possint. Exempli caussâ, lib.* IV. *cap.* 16. *ubi nos novæ sectionis initium facimus,* ταῦτα ὅτως ὑπὸ τῶν τοιούτων, *&c. erunt fortasse qui connecti cum superioribus ista debuisse, nihil ultrà providentes, sola quæ sunt ante oculos cogitantes, censebunt; qui eadem fortasse cum sequentibus istis,* ὅλως δ' ἐκείνο μέμνησο, *&c. &* ἆρον τὴν ὑπόληψιν, *&c. conjuncta esse non minùs improbabunt, quod ratio cohærentiæ non appareat. At iidem si cogitaverint Antonino solenne esse quoties ad alienam improbitatem patienter ferendam se hortatur, & necessariis præsidiis (quod facit ille sæpissimè, neque aliud puto fuisse, quod magis ipsum exercuerit) antemunit, duplicem necessitatem ponere; aliam generalem, respectu mundi, cujus ordini maximè consentaneum esse, (ita quidem ille, nec ille solus, sed alii plures tum Philosophi, tum Theologi veteres Christiani pluribus adstruunt) ut improbi permittantur, asserit; aliam particularem, quod istis opinionibus positis, tales mores, tales actiones consequi (unde & illud sequitur, invitos quodammodo peccare, qui opinionibus abrepti peccant) necesse sit: ut autem necessitatem, ita & ævi brevitatem, ut præsentissimum ad compescendam iram remedium passim inculcare: eundem denique omnes irascendi caussas ad falsas & imaginarias (quibus indulgere stultum sit, quasque admittere vel excludere nostri sit arbitrii) opiniones referre solere: qui hæc, inquam, cogitaverit, illa omnia, quæ sectionis istius ambitu comprehendimus, eodem pertinere, nec separari debuisse confessurus est. Quid nobis proposuerimus, & quibus adducti rationibus, hactenus præfati sumus. Sed propositum tamen adhuc restat primarium,* καὶ τὸ ἀρχιτεκτονικὸν τέλος *inductum nobis, quod uno verbo expediam,* prodesse, *& iis potissimùm gratificari, quibus virtus & vera pietas cordi est, & vitæ finis. Ego illum, quicunque tandem sit, optimè Antoninum intelligere existimabo, quisquis ita leget, ut per eum in vita proficiat. Hoc tibi, Lector, quisquis es, opto voveoque ex animo; si & tu mihi, non aliud à te meæ qualiscunque industriæ præmium postulo. Vale.*

PRÆFATIO

PRÆFATIO
præfixa NOTIS in
PERSIUM,
editis anno 1647.

ISAACI CASAUBONI *in Persium* Libri Commentarii *dudum est*, (amice Lector,) *cùm rara sunt in hoc Regno exemplaria, pertinax autem fama, & inde studia Lectorum nunquam flagrantiora. Quare ante aliquot menses ab homine Bibliopola, mihi noto, rogatus ecquid haberem quod ad novam, quam moliri se profitebatur editionem, conferrem; qui primæ editionis codicem manu beatæ memoriæ parentis multis in locis auctum, aliquando etiam emendatum haberem, de patre & communibus literis benè merendi occasionem libenter amplexus, statim & codicem & operam meam obtuli; & ut hominem tantò magis obstringerem, Græcorum quoque, ubi opus esset, interpretationem ultrò promisi. Lætus ille, propositum urgere, & me subinde appellare; nihil in se moræ profiteri. Cùm ad rem ventum est, quanquam eadem superaret ad præstandum alacritas, quæ fuerat ad promittendum; non tamen tam expeditum opus experienti fuit, quàm visum erat opinione præsumenti. Utcunque enim parens verba ipsa Authorum, quæ addita cupiebat in capacibus oris libri, interdum adjecisset; in plerisque tamen ad paginas tantùm remittebat, non capitibus, non libris, ut plurimùm, indicatis; ne parte quidem loci, quem volebat, (ut sæpe fit) appositâ. Quid igitur facerem, nisi ipsas, quibus usus erat, editiones librorum consulerem? Ita hærenti in vado peropportuna occurrit viri clarissimi & doctissimi, de literis & literatis omnibus multis nominibus meritissimi,* Patricii Junii *humanitas. Ejus ope & diligentiâ præcipui libri, quorum erat usus, ex Regia, cujus ille custos dignissimus, Bibliotheca præstò fuerunt: quibus inspectis nihil ultra laboris supererat, nisi ut verbis aliquot, iisque quàm potui paucissimis, quod ad orationis cohærentiam deerat, supplerem. Erant prætereà, fateor, interdum quædam, quæ legenti se offerrent, nec intempestiva alioquin, nec ingrata fortasse Lectori futura: sed religio fuit, quicquam Lectori obtrudere, quod non genuinum ejus esset, cujus nomen* Commentarii *præferebant.* 1647.

Ad Græcorum versionem quod attinet, quàm id impensè multi desiderarent in scriptis τοῦ μακαρίτου, *non ignorabam: sed & ipsum ab eo consilio, multorum persuasionibus inductum, non aversum fuisse, testis ejus ad Lectorem* Admonitio, *quæ* Exercitationibus *in Baronium post Præfationis ultima præfixa est. At neque hoc cùm aggrederer, inexpectatâ planè difficultate caruit. Aliter enim sæpe de locis Authorum statuas, si seorsim exponantur; aliter si apud Authores ipsos, antecedentium & sequentium ratione habitâ expendantur: Authores autem benè multi, nec omnes ad manum. Sed nec loci apud illos inventu faciles; nisi toties integer aliquis, Plutarchi puta vel Platonis liber, esset evolvendus: quod nec otii nostri erat, nec patientiæ. Quare si quando longiùs ab Authoris mente abire contigerit, candidi Lectoris erit, studio nostro aliis commodandi id condonare. Quod tamen ne sæpiùs accideret, Authores ipsos quoties licuit, quantumque mediocri diligen-*

1647. *tiâ consequi potuimus, inspeximus; aliorum quoque versiones, (nisi si ab Authore longiùs ipsæ recedere visæ sunt) quas exhibebant libri, liberè ac libenter adhibuimus. In locis aliquot hæsisse me, & adhuc hærere fateor; in quibus vel lectio, vel probata doctis interpretatio mihi suspecta est; de quibus quid ego sentiam, paulò pòst paucis indicabo. Cæterùm meminerit Lector, nos Græcorum, tantùm ubi opus erat, versionem promisisse. Magnam enim non parenti tantùm, sed cordatiori cuivis Lectori injuriam fecissemus, si singulis Græcis totidem Latina, qui multorum mos est, subjecissemus, cùm id solenne parenti in plerisque, quæ ab eo sunt edita, fuerit, ut sensum locorum liberiore quasi versione præmitteret; præsertim si vel prolixior, vel illustrior locus. Si quis igitur quid nobis propositum fuerit, curiosior intelligere satagat, adeat illam parentis, quam diximus,* Admonitionem, *suadeo; quæ nobis in hoc opere versantibus pro* Cynosura *fuit; ne quid, quoad ejus posset, non ex illius mente admitteretur: additam tamen loco uno aut altero, ubi non opus erat, interpretationem, serò animadvertimus: sed & omissam fortasse pluribus, ubi Lector non unus optasset.*

Hactenus quæ Lectoris intererant ab ipso non ignorari: nec ultra teneremus, nisi aliquid de Authore addi importuna quorundam maledicentia cogeret. Si vel modestia quenquam, qui ad aliquam nominis celebritatem scribendo pervenerit, ab invidia; vel moderatio, qui causæ se religionis immiscuerit, ab odio liberare potuit; eum se in utroque præstitit Isaacus Casaubonus, *ut neutrum vereri debuerit. Sed admodum & humanorum ingeniorum, & sæculi sui ignarus fuerit, qui tale quid vel sperare possit ipse, vel alii cuiquam promittere. Tum præcipuè cùm vivere desiit, exorti plures, qui velut agmine facto in famam ipsius & nomen irruerent. Nos quoque tum quod dictabat officium pro ætate illis opposuimus. Ab eo tempore, quamquam non adeò densi, non defuere tamen qui subinde genuinum infigerent; immò etiam qui amicos professi, fœdissimâ prævaricatione atrocissimè impeterent. Quid nos hoc toto tempore continuerit, aliàs fortasse dicemus: quanquam hoc interim bonâ fide profitemur, pleraque quæ in hoc genere visa nobis sunt, talia judicasse, ut sine ulla Patris injuria, silentibus nobis esse liceret: nec aliud magis optaremus, quàm ut Lector quæ ipsi objiciebantur, cum ipsius verbis & scriptis contenderet. Ex multis unum nunc nominabo,* Leonem Allatium, *qui in nupero scripto (nescio an & aliis) recens mihi viso tantâ petulantiâ pari iniquitate junctâ hoc agit, ut post furorem* Scioppianum, *& stuporem* Lanſſelianum *vix quicquam simile in eo genere viderim. Ex uno crimine de cæteris judicet Lector.*

Griphi olim & ænigmata in quanta apud Sapientes æstimatione fuerint, tum alia multa fidem faciant; tum Clearchi apud Athenæum verba. Ab ea solertia celebris olim Cleobulus Philosophus; cujus vitam scripsit Diogenes Laërtius; ubi & hunc ipsius de anno griphum memorat:

Εἷς ὁ πατὴρ, παῖδες δὲ δυώδεκα· τῶν δὲ ἑκάστῳ
Παῖδες τριήκοντα, διάνδιχα εἶδος ἔχουσαι·
Αἱ μὲν λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν· αἱ δ᾽ αὖτε μέλαιναι·
Ἀθάνατοι δέ τε οὖσαι, ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.

Unus, *inquit*, pater; filii duodecim: eorum cuique triginta filiæ; quæ geminâ facie, (*possis etiam vertere;* quæ diversâ facie.) Hæ quidem aspectu sunt candido; illæ verò nigro. Et cùm sint immortales omnes, omnes tamen moriuntur.

In

In his verbis, ipsa quidem verba si spectemus, dubium est, utrum id velit 1647.
Cleobulus, filias has triginta gemino quasque vultu esse; quod τὸ διάνδιχα *suadere videtur; an id potiùs, triginta has unius patris filias, vultibus & formis inter se fuisse diversis; * quarum pars (quindecim scilicet) alba; pars (reliquæ quindecim) nigræ fuerint; quod articulus* αἱ *relativi vim hîc habens, postulare videtur. Durum enim & sine exemplo videtur, ut* hæ, & illæ, ἁπλῶς *& simpliciter (nam ad* τὸ εἶδος *respici, diversum genus obstat) posita, ad vultus tantùm, non personas referantur. At rursus si sententiam spectemus; quis unquam dixit, vel fando audivit mensem ullibi gentium quindecim tantùm constare diebus? Hîc Pater cùm aliam lectionem, quæ omnem difficultatem tollebat, apud* Stobæum, *ex quo multa passim in optimis Scriptoribus partim restitui, partim suppleri nemo nescit, invenisset, eam ille lectionem præferendam credidit. Hæc sunt ejus verba in Notis ad Diogenem Laërtium.*

* Vulgatus Diogenis interpres in hanc sententiam vertit, *Hæ niveis tota, fuscis sed vultibus illa.*

Παῖδες τριήκοντα.] Ergo menses illo ævo ex diebus constabant decem & quinque; tot enim efficiunt hæ triginta filiæ: (*nempe si ita intelligas, ut quindecim nigræ noctibus; & quindecim albæ diebus, quos vocant, civilibus, assignentur; quod verba suadere videntur*) Logi: corruptus enim hic locus est, & legendum, Κοῦραι ἑξήκοντα· itaque apud Stobæum legitur. At Suidas, qui hunc Diogenis locum descripsit, habet ipse quoque τριήκοντα· quod etsi ferri posse videtur, propter illa, διάνδιχα εἶδος ἔχουσαι, tamen illam lectionem magis probo, immò solam probo.

Ego quidem, si quis me roget, neutram lectionem veram suspicabar; sed scripsi Cleobulum non αἱ, *sed* ἣ ἣ (ἣ μὲν, ex una parte: ἣ δὲ, ex altera) *quod errore mutatum sit in* αἱ, *& inde quod absurda vel sententia, vel oratio videretur, substitutum ab aliis,* Κοῦραι ἑξήκοντα· *sed ingeniosissima viri præstantissimi,* Joannis Seldeni, *interpretatio adeò arridet, ut propè me conjecturæ pæniteat. Putabat ille,* τὸ αἱ μὲν, *&,* αἱ δὲ, *ad easdem personas, partim albas, partim nigras, posse referri: quasi diceret:* Hæ autem albæ sunt, & eædem rursus nigræ: *ita* τὸ αἰνὸν, *magis emphaticum fuerit; & ænigma ipsum, magis ænigmaticum: id est, longè acutius. Unus tamen erat scrupulus, quod de usu tali particularum* ὁ μὲν, *&* ὁ δὲ, *ad easdem personas relatarum non constabat: cogitet Lector. Sed quicquid hujus sit; quid, quæso, in verbis Patris, quod vel iniquissimi & maledicentissimi carperent? † At, bone Deus! quas hîc tragœdias excitat Allatius? aut potiùs, quos ludos facit? Infelicem aliquem de scena morionem vel pantomimum videre te putes, qui variis motibus & gesticulationibus risum vel ab invitis extorquere contendat. Et tamen ipse sibi plaudit infelix, & facetias suas Lectori ingerit & imputat, &, io pæan! (vir gravis) ad fastidium usque accinit. Sed quis error tamen* Casauboni? *quis lapsus ille tantus, tanto hiatu personandus? Nempe, ignoravit vocem Græcam* παῖδα *non* filios *tantùm, sed &* filias *significare, & ideò lectionem Stobæanam prætulit. O frontem! Quis non pariter dicat ignorasse eum* τριήκοντα *significare* triginta, *& ideò de quindecim cogitasse? Posteà verò nescio quid sibi fingit, quasi diem dici, qui spatium viginti quatuor horarum complecteretur, noluisset, aut non intellexisset* Casaubonus. *At roges, quibus ex verbis* Casauboni *id expiscatus vel subodoratus sit; quid respondere possit, nisi non seriò hæc à se scripta, sed* ut jocularibus hisce, *ut ipse loquitur,* animum relaxaret, *ego non video. Ingenua certè facti non valdè liberalis confessio fuerit. At quanta hæc importunitas, tot ab annis defuncto, etiam staturam corporis, dum* minutulum *vocat, exprobrare? Non legerat Allatius Historici gravissimi observationem,*

† Leo Allatius *De Mens. Temp.* cap. xv. pag. 193. & 194.

 Ἡρωικὴ

1647. Ἡρωικὴ ψυχὴ ἐν λεπτῷ σώματι· *omitto cætera. Sed non metuebat potius illud Satyrici,* * Græculus esuriens? *Novi certè qui de Leone Allatio ita narrarent: hominem non adeò per se ferum esse; sed ibi vivere, ut aut gratis ipsi scribendum sit; aut aliquid audendum. Tum verò,* Casaubonum *nomen illic odiosum esse; purpuratis Patribus invisum. Quod si est, opto ipsi lautiorem fortunam, & æquiorem interim animum. Sed & Apollonii (quæ* † *alicubi in his Commentariis exponuntur) verba commendo:* Πάντα φησὶ, δεῖ τὸν ἔμπορον καλῶν στέλλειν· ἐμοὶ δ' εἴη τὴν ἀλίαν τρυπᾶν ἐν Θέμιδος οἴκῳ. *Sed ad convitia Allatii redeamus.* Casaubonum *ridens vocat novum* ἑωσφόρον, vesperuginem, *&c. Tuam fidem, Leo Allati: Si tantam tibi tui fiduciam fecerunt vulgaria illa elogia, quorum numerum officiosa amici tui diligentia collegit, ut tibi per ridiculum novus* ἑωσφόρος *& vesperugo diceretur, quem non unus Rex, plures Principes, Duces, Cardinales, & quantum in tota ferè Europa doctorum hominum, non tralatitio nominis elogio, sed literis & testimoniis prolixis, accuratis, admirari se professi sunt; quid tibi tuique similibus de posteritate potes promittere? Sed an tu potius novus aliquis Pyrgopolinices & de Comœdia Thraso, qui integras legiones uno tuo spiritu diffiare te somnias? Interim cogita, quàm nos non ambitiosi, vel certè securi posteritatis hactenus fuerimus, qui, cùm tot magnificorum, præter edita & nota, elogiorum copia sit, hactenus nos ab eorum editione continuerimus.*

* Barth. Nihusius, pag. 30. *Sed quisnam ergo iste Leo Allatius? Pandam brevibus. Est natione Græcus: Romæ degens à multis annis, &c.*

† Pag. 441.

Quæ non eò dicuntur à nobis, quasi qui, quod ipse de se non semel professus est Pater, hominem eum fuisse ignoremus. In tam vario scribendi genere multiplex erroris ansa vel cautissimis. Aliud præterea accessit, solita illi festinatio, quæ multorum errorum mater esse solet. Acris vir ingenii, & indefessæ industriæ, cùm multa moliretur, quorum minima pars edita est, quicquid haberet præ manibus, id ita curabat, ut ad alia semper properaret, & vota votis præverteret. Non immemor ille quidem veteris moniti, Vitæ summa brevis Spes vetat inchoare longas; *sed ea erat studiorum ratio; ea, quod jam diximus, ingenii vis. Nescio quid alii sensuri sint; ego sanè profiteor, utcunque illum mihi fingam, qui nunquam quicquam perfecerit aut ediderit; nunquam me ingentem illum rerum & materiarum apparatum; omnis ætatis & professionis; Græcis, Latinis & Hebraicis, immò & Arabicis ex Scriptoribus, tot* Excerpta, *tam accuratâ diligentiâ, tanto judicio inspicere, quin ætatem ultra putem. Speramus nos aliquando daturos perfectum Catalogum eorum quæ promiserat; quorum omnium materiam cùm paratam haberet in* Adversariis, *de forma inducenda (adeò hæc illi minima pars laboris) non antè plerumque cogitabat, quàm cùm Typographus inciperet. Hinc igitur verè pleraque illa* παροράματα, *quæ non unus in scriptis ejus observavit; quæ non alio pleraque loco habenda, quàm cùm in* Exercitationibus *alicubi* πέντε, *vertit* quatuor; *& his ipsis* Commentariis, *(quod nos tanquam erratum Typographi emendavimus)* δοῦλοι stulti, *pro* servi. *Qualia in Cicerone notavere viri doctissimi; & in Aristotele tum alii, tum Parens ipse in* Adversariis *suis manu scriptis haud pauca: quæ cùm legimus, alibi mentem habuisse cùm ista scriberent, & nimiam festinationem fraudi ipsis fuisse, rectè dicimus; ex imperitia peccasse, qui tales ac tantos in aliis se præbuerint, nemo nisi qui planè depuduerit, inde concludat. Sed nos hæc alibi, si Deus dederit, fusius. Tu interim, Lector, vale, & hæc æqui bonique consule.*

LOCI

LOCI GRÆCORUM SCRIPTORUM, in quibus hærere nos diximus, hi sunt.

1647.

In Æschyli loco, qui pag. 45. *laudatur,* ——— αἱ νηστίδες δύαι, *&c*, *cùm apud amicum copia facta esset Æschyli cum Latina interpretatione, libenter inspexi locum, & ibi reperiens,* ——— hæ Nystides ambæ Deæ docendo præstantissimæ, sensuum Medicæ; *protinus ut portentum aversatus, quæsivi an alicubi extaret alia versio; sed hactenus frustra. Dicam igitur quid mihi videatur:* νῆστις, νήστιος, *adjectivum Æschylo familiare. Hac ipsâ Tragœdiâ,* νῆστις νόσος, jejunus morbus; *&* νῆστις πόνος, jejunus labor, *in superioribus. Pari & hîc, ni fallor, ratione,* νῆστις, νήστιδος · *ut* νηστίδες δύαι *sunt* jejuna, *id est*, dira infortunia. *Sensus igitur verborum erit, & ad mentem Parentis appositus:* Diræ calamitates, optimæ magistræ; animi medicæ.

In Dionis Chrysostomi loco, qui pag. 60. *quanquam vulgatam versionem exhibuimus, emendandam tamen non illam tantùm, sed & Dionis textum certò credimus. Quid enim sibi volunt illa,* ἐλεήσας καὶ φοβήσας? *Qui superiora factorum Herculis exempla à Dione allata recensebit & expendet, animadvertet id Dioni propositum fuisse, ut singula facta Herculis ex acuta aliqua ratione ab ipso subtiliter excogitata commendaret. Ut exempli causâ cùm de Busiride:* τὸν δὲ Βούσειριν εὑρὼν πάνυ ἐπιμελῶς ἀθλοῦντα, καὶ δι' ὅλης ἡμέρας ἐσθίοντα, καὶ φρονοῦντα μέγιστον ἐπὶ πάλῃ, διέῤῥηξεν ἐπὶ τὴν γῆν καταβαλὼν, ὥσπερ τοὺς θυλάκους, τοὺς σφόδρα γέμοντας. Busirim verò offendens valdè diligenter certaminibus studentem, perque totum diem edentem, valdeque sibi placentem ob luctandi artem, in terram dejectum dirupit, ut sacculi nimis pleni dirumpi solent *. *Prometheus autem cùm saxo alligatus vulgò fingeretur, ipse ut ambitiosum sophistam & applausu populari, non aliter ac vento, distendi solitum, qui solo silentio curari posset, non saxo alligatum, sed* φορβειᾷ *constrictum fingit; quo nihil venustius aut acutius dici potuit. Legemus igitur, non* φοβήσας, *sed* φορβήσας. *Notius fortasse τὸ* φορβειώσας, *quàm* φορβήσας· *sed cùm non* ἐμπεφορβειωμένος *tantùm, sed &* ἐμπεφορβημένος, *(ut à doctis notatum) Autore Polluce, sit legitimum, & hoc ad vulgatam lectionem propiùs accedat, præferendum crediderim. Vertam igitur:* miseratus hominem, cùm tibicinali ligulâ constrinxisset, liberavit à fastu. *Alludit autem fortasse Dio ad Sophocleum illud, quo utitur & Cicero in secundo Epistolarum ad Atticum,*

* Dio Chrys. Orat. 8. pag. 136. 137.

φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι,
ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι, φορβειᾶς ἄτερ.

Spirat enim (inflat, *propriè*) non jam exilibus tibiolis, sed immanibus follibus, sine ligula.

In altero ejusdem Dionis loco, qui pag. 61. *laudatur,* οὐδεὶς αἱρεῖται τῶν πολλῶν, *&c. ita vulgò accipiunt, quasi* τῶν πολλῶν *ad τὸ* οὐδεὶς *pertineret; & de insipientibus ac plebeis ingeniis hoc peculiariter assereret Dio; quod toti illi Dionis disputationi ex diametro contrarium est, qui id fusè disputat & contendit, neminem gratis & sine causa bonum esse & præclara facinora aggredi: de quo nos alibi fusè in opere, quod tum maximè, cùm hæc excudebantur, urgebamus. Ita igitur distinxerim & verterim:* οὐδεὶς αἱρεῖται, τῶν πολλῶν ὃ, τι ἂν οἴηται, *&c.* Nemo homo est, quod ex multis pulchrum putat & honestum, qui id solum factum velit, non id etiam, ut & alii factum sciant.

Pag. 159. *laudatur ex Ptolemæi Tetrabiblo quarto locus, quem non*

opinor

1647. *opinor alium, quàm qui cap.* περὶ φίλων καὶ ἐχθρῶν *occurrit: Basil. ed. pag.* 193. *extremâ, his verbis:* Κρόνος μὲν οὖν καὶ Ζεὺς ἐπιλαβόντες τοὺς ἀλλήλων τόπους ποιοῦσι φιλίας διὰ συστάσεως, ἢ γεωργίας, ἢ κληρονομίας. *Quod doctissimus Melancthon ita transtulit:* Cùm igitur Saturnus & Jupiter ita congruunt, ut alter ad alterius loca ita perveniat, faciunt amicitias, aut civilis consilii societate, aut propter agriculturam, aut hæreditatem. *Paraphrastes autem Proclus retinuit verba Ptolemæi; nisi quòd ille* διά τινας συστάσεις, *quod Ptolemæus,* διὰ συστάσεως, *&c. Melancthonis interpretatio verbi* συστάσεως *non caret ratione. Hoc ipso libro, quod Ptolemæus alicubi,* ἄνδρας καθεστῶτας, *id est, modestos, civiles, compositos; Proclus interpretatus est,* συστατικούς. *Propiùs tamen attendenti, cùm* σύστασις *&* συνίστασθαι *hoc ipso capite tum apud Ptolemæum, tum Proclum non semel occurrant, maximè genuina verbi* συστάσεως *hoc loco interpretatio videtur,* societas, *absolutè; ut id dicat Ptolemæus,* faciunt amicitias ex aliqua societate vel agriculturæ, vel hæreditatis. *Confirmat hanc interpretationem etiam Interpres Arabs, qui in hanc sententiam, ut ipse nobis à Latino Interprete exhibetur, vertit:* Saturnus igitur & Jupiter cùm alter eorum ad alterius locum pervenerint, amicitiam inter eos ex agriculturis & hæreditatibus * judicabunt: *quibus in verbis* τὸ societas, (ex agriculturarum & hæreditatum societatibus) *subintelligendum videtur, quod ab eodem Interprete paulò pòst exprimitur, dum quod Ptolemæus,* ♀ δὲ καὶ ☿ συμβιώσεις τὰς διὰ τέχνης τινὰ, ἢ μούσων, ἢ σύστασιν ἀπὸ γραμμάτων ἢ θηλυκῶν προσάπτει· *ipse vertit,* Venus autem & Mercurius in vitæ rebus, magisterii, vel Musicæ, seu librorum, vel mulierum causâ societatem inter ipsos adducunt. *Hujus autem Interpretis & interpretationis indicium debeo ei, cui alia, in alio quoque genere, multa, perinsigni* Seldeno. *Sed si hic est locus, quem voluit Parens, unde ista varietas,* Ἥλιος *pro* Ζεὺς· σύλληξις, *pro* σύστασις? *Certè si non alibi reperitur, (non enim nunc vacabat, ut librum illum, quamvis non magnum, hac occasione totum percurrerem) non dubitem dicere,* Ἥλιος *pro* Ζεὺς *festinantis errore positum esse: & offerebat tum se fortasse cogitanti locus aliquis alius haud absimilis, ubi de Saturni & Jovis συσχηματισμῷ, *qualis, cujus modò memini, ex capite* περὶ συναρμογῶν. *De voce* συντάξεως *non idem dixerim, quam vel ita corrigendam credidisse, vel alibi reperisse, puto verisimile.*

** Ita reperio in diversis editionibus, non* indicabunt: *quod tamen etiam hoc ipso capite: sed & τὸ* judicabunt *iterum.*

In Platonis loco, qui pag. 199. *lineam unam aut alteram casu fugitivam, sine quibus neque sententia, neque syntaxis constat, (ne quis omissas studio putet, ut minus hic necessarias) in locum suum reduximus. Serrani versionem addidimus: dedissemus emendatiorem, si Platonis exemplar, quo Parens usus est, videre nobis hactenus contigisset. Ibi enim expendisse se & explicasse notat in* Adversariis *suis.*

In loco Simplicii, qui pag. 201. *suspicor legendum,* καὶ ἡ ἱερὰ ἐκβάτα φύσεως· *&c. non* φύσις· *durius enim videtur, ut natura dicatur in* ἀοργησίας ἐκτάσει: *Sed locum nondum inveni in Simplicio, quanquam diligenter olim mihi lecto, ideòque* ἐπέχω. *Inspiciantur loci Senecæ, qui pag.* 201.

In loco Dionysii Longini, qui pag. 206. *nihil mutavi: sed ut Græca respondeant Latinis, aut Latina Græcis potiùs, Lectorem moneo, legendum esse* ἀναπνέον ὥς φασιν, *non* ἀναπνεῖν· *eaque est lectio recentiorum Longini editionum; Crispinianæ certè, quæ prodiit anno Domini* 1569. *At in Basileensi anni* 1554. *(quæ prima, ni fallor; quâ etiam usum Parentem conjicio) planè ut hic,* ἀναπνεῖν. *Cur autem veriùs putem* τὸ ἀναπνέον, *quàm* ἀναπνεῖν· *ut scilicet de antro dicatur, quod extra spiret; non de fœmina Phœbade, (quod tamen in re ipsa parvum discrimen esse, cùm relata sint, agnoscimus) quæ inspiret,*

inspiret, aut hauriat; inde moveor, quia id magis convenit, tum Auctoris, 1647.
qui De Mundo *scripsit, elegantissimi descriptioni, qui* ἀναπνοὰς & ἀναφυσήσεις *ipsi terræ tribuit; tum etiam Jamblichi, qui* πνεῦμα λεπτὸν ἀναφερόμενον *in accurata narratione posuit. Sed quid vetat ipsius verba, quæ nondum, quod sciam Græcè prodierunt, ex instructissima viri summi,* Joannis Seldeni, *Bibliotheca hîc exhibere? Gratum erit Lectori, puto, vel ob novitatem; sed non minùs utile, si cum Longino contendet. Ita igitur Jamblichus manu scriptus, de Vate Pythia:*

Ἡ δὲ ἐν Δελφοῖς προφῆτις εἴτε ἀπὸ πνεύματος λεπτοῦ καὶ πυρώδους ἀναφερομένου ποθὲν ἀπὸ στομίου θεμιστεύει τοῖς ἀνθρώποις, εἴτε ἐν τῷ ἀδύτῳ καθημένη ἐπὶ δίφρου χαλκοῦ τρεῖς πόδας ἔχοντος χρηματίζει, εἴτε καὶ ἐπὶ τοῦ τετράποδος δίφρου ὅς ἐστιν ἱερὸς τοῦ Θεοῦ * πανταχῆ, οὕτω δίδωσιν ἑαυτὴν τῷ θείῳ πνεύματι, ἀπό τε τοῦ θείου πυρὸς ἀκτῖνος καταυγάζεται, καὶ ὅταν μὲν ἀθρόον καὶ πολὺ τὸ ἀναφερόμενον ἀπὸ τοῦ στομίου πῦρ κύκλῳ πανταχόθεν αὐτὴν περιέχῃ, πληροῦται ἀπ' αὐτοῦ θείας αὐγῆς, ὅταν δὲ εἰς ἕδραν ἐνιδρυθῇ τοῦ Θεοῦ, τῇ σταθερᾷ τοῦ Θεοῦ μαντικῇ δυνάμει συναρμόζεται· ἐξ ἀμφοτέρων δὲ τῶν τοιούτων παρασκευῶν ὅλη γίνεται τοῦ Θεοῦ, καὶ † τότε δὴ πάρεστιν ‡ αὐτὴ χωριστῶς ὁ Θεὸς ἐπιλάμπει, ἕτερος ὢν καὶ τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ πνεύματος καὶ τῆς ἰδίας ἕδρας, καὶ πάσης τῆς περὶ τὸν τόπον φυσικῆς καὶ ἱερᾶς φαινομένης κατασκευῆς. *Si quis hæc cum vulgata Latina versione comparare cupiat, reperiet ibi Tornæsianæ Lugdunensis editionis, anno Domini* 1570. *pag.* 66. & 67. *Postremum hoc de Longino: tres ejus extare versiones; unam Petri Pagani, Venetiis, anno Domini* 1572. *excusam; secundam, Dominici Pizimentii; tertiam denique, Gabrielis de Petra, recentiorem & notiorem; qui priorum versionem nunquam, opinor, viderat.*

* Vide Latina.
† forte. ὅτε.
‡ forte. αὐτῇ.

De uno aut altero Marci Antonini Imperatoris loco, qui aliter in his Commentariis *vel scribuntur, vel exponuntur, quàm nobis probatur; alibi proprio loco egimus; quæ non putavimus hîc repetenda. Atque de his hactenus.*

PRÆFATIO

præfixa COMMENTATIONI DE QUATUOR LINGUIS,

editæ Londini, in 8. anno 1650.

CANDIDO LECTORI.

QUadriennium jam, aut eo amplius est, amice Lector, cùm Londini inter libros agens, & privatas amicorum Bibliothecas, varia mecum, quò animum à præsentibus miseriis fortiùs avocarem, quasi in lucem posteà producturus, agitabam. Inter ea erat de Ortu sermonis tractatus, satis accuratus; cui comitem de Verborum usu, ob argumenti affinitatem, Diatribam adjungere statueram. Jam eò rem perduxeram, ut utrique solâ transcriptione, ut Typographo traderentur, opus esset. Ita verò contigit, ut absolutâ Diatribæ (quæ minor longè) transcriptione, dum in priore illo tractatu occupatur amanuensis, uterque aliud agere, & quod in manibus erat, opus omittere coacti simus. Actum erat de utroque fortasse, (neque enim is ego sum, qui semel omissa libenter in manus resumam) nisi 1650.

1650. *Bibliopola, cui spes facta erat majoris operis & lucri, saltem quod erat transcriptum, nec ab altero sic pendebat, ut seorsim prodire non posset, ut id sibi traderetur institisset. Annuente me, prodiit in lucem* De Verborum Usu Diatriba; *in cujus primo aditu promissa de Quatuor Linguis, Hebraica, Græca, Latina, & Saxonica, cujus* ἀποτύπωσιν *pridem animo conceperam, Commentatio.* Τὸν καρδιογνώστην *testor, non aliter tum credidisse me, quin paucis, si semel aggrederer, septimanis expedire, totamque ultimâ manu impositâ publici juris facere facilè possem. Erat tum vita in publica rerum* ἀκαταστασίᾳ *valde desultoria; ut non mirum sit, si animus quoque tale quid interdum passus est. Deerant tum libri, & chartæ deerant, quarum ad istud pensum pertexendum usus erat: ad aliud me contuli, ad quod & animus tum propensior, de Cultu Dei falso & vero. Jam priorem partem absolveram, quam etiam viri quidam ab eruditione summi hîc viderunt & legerunt; cum ecce novus terror, & omnia in Urbe tumultûs plena. Meæ tum res sic tulerunt, ut relicto quicquid erat librariæ supellectilis, cum familia rus ad quinquagesimum usque ab Urbe lapidem migrandum esset; atque ibi tandem in loco (mihi quidem) solo, & domo vacuâ sedes qualiscunque fixa est. Longè tum curæ Musicæ; & ita facilè mihi persuadebam, quæ me in has latebras* ΤΟΥ ἐπὶ πᾶσι *providentia detrusisset, eandem ab alio quovis munere & opere, præterquam curâ valetudinis & familiæ, vacationem, si non & plenam missionem, dedisse. Abiit sic annus unus & alter; ingenio, nescio quàm; corpori certè peropportuni, cùm valetudini ante hunc secessum valde concussæ & afflictæ nunquam melius, quod gratus agnosco, fuerit. Accedit interim ut frequentes ad me perferrentur, notorum, non unius, sed & ignotorum quorundam flagitationes super promissa de Quatuor Linguis Commentatione. De lingua præsertim Saxonica quid illud esset, quod allaturus haberem, non unus, ut narrabant, mirari; causamque cum nobilioribus istis conjungendi, sciscitari. Sed & longæ jam inertiæ tædium invaserat; & jam libros aliquos, quod nunquam in isto loco fore speraveram, partemque chartularum nactus eram. Quia tamen obstinaveram, quod ultimum in manibus habueram, id primùm resumere, & donec absolvissem, aliis omnibus antevertere; in eo animo morigeratus meo, & eâ curâ defunctus, ad promissam illam Commentationem me converti, ab Hebraica, ut par erat, exorsus lingua. In hoc dum versor, ab aliis curis, sed præcipuè charissimi & conjunctissimi capitis diuturnâ invaletudine & periculo sæpius interpellatus, nihil propiùs factum, quàm ut omnia ista procul à me* εἰς μακαρίαν *facessere juberem. Et fecissem, puto, nisi de Saxonica lingua res hæsisset animo, in eoque existimationis non parum interesse credidissem, ne verba Lectori dedisse, & futilibus eum (quod abominor) promissis, quibus nullus esset fundus, lactare voluisse videremur. Absolutâ igitur primâ quadripartiti pensi parte, statim ad ultimam, linguam Saxonicam, quasi trajeci; magnâ deinceps constantiâ cum aliis molestissimis curis ac negotiis colluctatus, donec ad umbilicum perduxissem. Hæc igitur ratio* συζυγίας *istius, quam non ratio, sed casus obtulit. Quanquam si quod plerique docti volunt, ex Hebraica tota ferè vetus lingua Græca fluxit; ex Græca autem tota ferè, quod hîc docemus, Anglica vetus; non planè contra rationem fuerit hæc conjunctio. Et si quis id agat, haud pauca in Anglica lingua reperiet, quæ ab ipsis immediatè Hebræis, an Græcis accepta sint, dubium sit. Sed hæc utcunque dici possint, quia tamen non id à nobis hîc spectatum agnoscimus, non eò confugiemus. Fateor ad plures ex præteritis de lingua Græca & Latina partibus fructum redire potuisse, in quibus tum alia, tum jactatissima de novis methodis controversia tota pertractatur.*

Sed

Sed hoc ipsum cùm plus sit, quàm quisquam nunc à nobis, qui rerum statūs jure potuerit sibi promittere; candidi Lectoris erit, si quam ex his utilitatem percipiet, non quod maluisset, importuniùs exposcere, sed quod nos potuimus & præstitimus, æqui bonique consulere. Vale. 1650.

PRÆFATIO

præfixa NOTIS in

TERENTII

PHORMIONEM ET HECYRAM,

editis anno 1651.

CANDIDO LECTORI.

QUod maximi *Quintilianus olim vir judicii, de Cicerone,* Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit; *id tantò magis nos ad Terentium transferamus, quantò tum ex ipsius testimonio Ciceronis, tum verò magis ex ejus scriptis cuivis constare queat, ex omni Scriptorum in quocunque genere numero, quem magis diligeret, quàm fecit Terentium, & ad imitandum sibi proponeret Cicero, nullum fuisse. Sed non hoc nobis hîc propositum est, ut Terentium laudemus. Huic autem tam classico, & ut A. Gellii verbo utar, tam* assiduo *Scriptori, an hactenus adeò prospectum sit, ut quàm vulgò legitur ac teritur, tàm bene intelligi possit, non sine caussa dubitemus. De quo fortasse aliàs plura. Optimo certè, ut mihi quidem videtur, consilio Thomas Farnabius, vir doctus, & in hac palæstra diu cum laude versatus, perpetuis eum Scholiis illustrandum susceperat. Atque in eo tum maximè versabatur, jamque ex sex Comœdiis quatuor (exceptis duabus postremis Adelphorum scenis) absolverat, cùm filum scriptionis simul & vitæ suprema dies interrupit. Sollicitatus ego non semel à Bibliopola, ad quem Farnabiani laboris fructus præcipuè spectabat, ut reliqua pertexerem, quanquam primò in re tam parva alieno labori quasi succenturiatum succedere vehementer animus refugeret; posteà tamen identidem mecum reputans, quando quâ viâ maximè vellem, non liceret; quacunque potius, quàm nullâ, publico prodesse præstare; à me ipso tandem impetravi, ut hoc illi non negarem. Farnabianis Notis ultimam manum & limam accessisse, ut meum non est præstare, (neque enim fecerat ille me consilii sui participem) ita ex ipso genere scripturæ cuivis in promptu colligere, non multum eum vel additurum, vel mutaturum fuisse; neque aliud eum exemplar prælo destinasse, quàm hoc ipsum, quod reliquit. Si quod tamen ejusmodi in ejus Notis reperiatur, quod aliter melius, aut plenius esse debuerit, meminerit Lector posthumum hoc opus esse, quod ab omni censuræ severitate securum esse, lex humanitatis jubet. Ad me quod attinet, qui meminissem iis potissimùm hanc operam navari, qui sine cortice natare necdum possunt, sedulò dedi operam, ut nihil, in quo vel minima obscuritatis esset suspicio, (qualia non pauca aliis intacta reperi) prætermitterem. Vetere Interprete Donato, vel alio, quicunque sit, qui cum Donato permixtus est, quoties suppetebat & satisfaciebat, libenter usus sum; apposito* 1651.

1651. *sito etiam (quod in rem Lectoris futurum credidi) Donati ad singula loca nomine, vel certè nominis initialibus aliquot literis, ubicunque verba ipsius exhibentur. Cæterùm, casu factum est, ut numeri Notarum sive Scholiorum, quos solet Farnabius verbis in textu præponere, in nostris Notis postponerentur. Res ipsa per se non tanti, fateor, sive præponas, sive postponas; sed ideò tanti fuit monere, ne consulto consilio factum putares, quod casu contigit. Hæc erant, Lector, quæ te monendum credidi. Vale.*

P R Æ F A T I O

praefixa

H I E R O C L I,

DE PROVIDENTIA ET FATO,

edito Londini, in 8. anno 1655.

CANDIDO LECTORI.

1655. Hieroclis *in* Aurea, *ut vulgò vocantur*, Pythagoræ Carmina *Commentationem nemo certius aut uberius laudaverit, quàm qui ad lectionem non integri modò operis; sed cujusvis ferè, quæ se primacunque temerè volventibus offeret, paginæ lectionem provocet, adeò ubique, quæ ad veram vitam, id est, constantem & inoffensam animi tranquillitatem &* εὐθυμίαν *eximiè faciant, sese ingerunt; contingat modò Lector, cui sanioris vel mica judicii, cuique veteris illius ac melioris gustus aliquis Philosophiæ. Ut dogmata omittamus, quæ ad Christianæ doctrinæ puritatem & sanctitatem, quantum ab homine non Christiano sperare fas est, proximè accedunt. Vir sanè summus incomparabilis*, Hugo Grotius, *in quo raro exemplo cum judicio certabat ingenium, cum utroque, quæ naturæ bona, multo usu studioque parta insignis eruditio, adeò vir ille summus insigne hoc* Hieroclis *scriptum in succum sanguinemque jugi lectione totum converterat, ut crebrioribus ex nullo Autore testimoniis sua scripta, posteriora præcipuè, tamquam totidem pretiosi metalli crustis & emblematibus distinxerit. Ego quoque, quum ante decennium jam olim magna cum voluptate lectum non minore fructu relegendum sumpsissem; dolebam* Latinum *Interpretem, qui* Parisiensi *editioni adnexus est, tam sæpè à mente Autoris & sensu verborum, quem repræsentant edita* Græca, *discedere; sed id magis, ipsum textum* Græcum *tot mendis scatere, ut ne illi quidem, qui* Græca *legerent, ad sensum Scriptoris per tot vitia scripturæ, nisi qui in istis exercitatissimi, pervenire posset. Hinc novæ editionis cupiditas incesserat. Sed postquam re cum Bibliopola communicatâ differri me viderem; & alia mox intervenirent, quæ otium & animum meum occuparent, nihil ultra quàm volui, & sic quoque, ut & in aliis plurimis, bonæ voluntatis conscientiâ satis bene defunctum me credidi. Nuperrimè cùm* Londini *curandæ valetudinis causâ versarer, & ab amico, viro doctissimo, didicissem,* Parisiensem *istam editionem* Londini *recusam, jamjam foràs extrudendam esse; dolui, nec minus illi, quorum intererat, me non anteà resciviſse: cæterùm*

rùm κατὰ δεύτερον πλεῖν, *pactis aliquot dierum, dum in Appendicibus occupantur, & ego interim ad libros meos redeo, induciis; omissâ versione, de multis* Græci *contextûs, ut in tantis angustiis, correctionibus, quæ majorum verborum apparatum postulassent; paucas selegi, quæ non minus illæ quidem necessariæ, sed magis obviæ, & extra contradictionis aleam positæ videbantur. Hæc causa brevitatis & paucitatis* Notarum, *quam tibi notam esse, candide Lector, è re mea &* Hieroclis *esse credidi. His igitur æquus fruere, & vale.* 1655.

PRÆFATIO

praefixa

PARAPHRASI ENCHIRIDII

EPICTETI.

editæ anno 1659.

CANDIDO LECTORI.

DE *hac Enchiridii* Paraphrasi, *quæ dicamus hîc in genere, pauca supersunt, præter ea, quæ jam dicta sunt. Antiquam eam esse, & ævi melioris, superioribus in* Notis *observata non pauca, quæ fidem faciant. Quibus addas certas voces & loquendi genera,* πολιτεία· ἐνάρετος πολιτεία· ἀνακείμενοι τῷ Θεῷ, &c. *proprio quodam Veterum usu, ad res Christianorum, Monachorum præcipuè, traducta; ut non uni pridem observatum, & nulli in eorum scriptis cum cura versato, non satis notum. Dictio ubique pro argumento, simplex & pura; tali ævo conveniens. Verbum unum aut alterum fortasse, quod sequioris, aut certè inclinantis ævi videri possit:* ἡσυχαστής, κελλίς. *Sed quæ tamen Justiniani ævo, id est, ante mille annos, jam nota, & in usu communi; fortassè etiam non uno ante illum sæculo. De utroque aliquid in accuratissimo doctissimus Meursius Glossario. Plura olim nobis notata melioris ævi in hac* Paraphrasi *ex collatione cum aliis scriptis vestigia, quæ jam (chartis amissis) non occurrunt. Diligens Lector, cui librorum copia, & pro copia voluntas, hoc specimine incitatus, cætera facilè supplebit. Cæterùm, quod ad me primò missum est exemplar, ex* Sionensis *Collegii Londinensis, melioris notæ manuscripto libro, qui istius argumenti scripta plurima continebat, transcriptum fuisse, literæ simul tum missæ perhibebant. Istud apographum quàm emendatum fuerit, non possum nunc, quia dudum mihi periit, dicere. Secundum hoc, quod exhibemus, multis certè mendis scatebat; quas omnes, aut certè plurimas, ex accuratiore cum Manuscripto collatione tolli posse confidebam. Quam ad rem, cùm amicorum quorundam operâ, quia mihi minus erat commodum, usus essem; illi post diuturnam explorationem Manuscriptum in isto* Collegio *nullum tale jam reperiri renuntiant. Absit, ut omnino perierit. Insignis hæc certè (si ita res haberet) custodum incuria, vel perfidia fuerit. Nobis tamen interim hæc expectationis nostræ frustratio permolesta accidit. Hac igitur spe & ope destituti, correctis quæ satis obvia cuivis & manifesta; in cæteris, correctiones nostras & conjecturas in oppositis oris apposuimus; & vix puto* 1659.

1659. *locum ullum repertum iri, ex quo non feliciter, aut probabiliter nos expediverimus. Sciat autem Lector, cùm priora aliquot capita* Paraphraseos *parum aut nihil ab* Enchiridio *differant, ne, quod ajunt, in mustaceo laureolam; libenter fecisse nos, ut Wolfii, viri doctissimi, & harum rerum intelligentissimi, versionem retineremus. Ubi res aliter suasit, redditâ in plerisque facti ratione, aliter observasse.*

MERICI CASAUBONI NOTÆ

in hoc Distichon:

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σῶμ' ἀνάπηρος,
Καὶ πενίην Ἶρος· καὶ φίλος ἀθανάτοις.

1659. S*Ive Epictetus (ut olim credidit Aulus Gellius) sive alius est Auctor, planè divina sententia est, quæ ex intima tum* Veteris, *tum* Novi Testamenti *Philosophia prompta videri possit; adeò certè supra vulgarem sensum & saporem, ut pauci sint Christiani, quorum fides ad istam sublimitatem pervenerit. Formula erat antiquis Ethnicis usitatissima, si quis fortunâ in tribuendis, quæ avidè inhiant homines, indulgentiore frueretur; sed præcipuè si cui in dubiæ aleæ conatibus & inceptis, sive per se laudabilibus, sive secus, res pro voto cederet; ut eum* φίλον *esse* τοῖς θεοῖς, *id est*, Diis charum & dilectum *prædicarent. Hoc tum ex aliis passim, tum ex Homero discamus eximiè, cui tam solemne est ita loqui, ut ex ipso manasse videri possit. Hinc miratur extremâ Odysseâ Achilles, Agamemnonem Regem, quem* Διῒ φίλον ἔμμεναι *crediderant, (*φάμεν *apud Homerum elegantissimè) acerbâ & cruentâ morte periisse: & alibi Penelope maritum Ulyssem Deo exosum esse colligit, quia reditu in patriam longis erroribus prohiberetur. Ipse Ulysses, à subulco suo lautè acceptus, vicissim optat illi, ut* Διῒ φίλος *sit; bonorum scilicet, quæ vulgò nuncupantur, optat illi copiam; quod & ex Eumæi responsione satis liquet. Odyss. ζ. Nausicaa, Regis Phæacum filia, mortales ullos adeò fortes aut feroces usquam reperiri negat, qui terram Phæacum bello lacessere audeant,* μάλα γὰρ φίλοι ἀθανάτοισιν. *Hinc etiam illud Poëtæ Latini, de quodam in amore suo præter expectationem felici;* Solus es, quem Dii diligunt. *Sed insignia in hanc rem Ciceronis in Oratione pro* L. Flaco, *de* Judæis *verba:* Quàm chara Diis immortalibus (*inquit*) gens esset, docuit quod est victa, quod elocata, quod serva. *Planè ut hodierni demagogi, concionatores & politici, quorum pietas isto maximè* (τῆς δημηγορίας) *tibicine nititur; per quos non stabit, opinor, quin ad* Mahumedanos *ocyus (quibus est commodum) transeant, qui longè plura & insigniora (ut jam non uni observatum) in hoc genere jactare possunt, quàm (si miraculosa* Veteris Testamenti *omittamus) quævis alia gens potest.*

Huic igitur vesanæ hominum opinioni, quæ veræ pietati nihil perniciosius, ut contraïret Epictetus, & suo exemplo ad saniora de nobis ipsis aliisve judicia præiret; generosam hanc de sua fide professionem edidit: Servum se natum; (*quæ vilissima in terris conditio*) corpore quoque (*cujus charitas omnibus maxima innata est*) mutilatum fuisse; sed & egenum (*ne quid malis deesset*) ad mendicitatem usque: in hac tamen tam miserabili, tam vili

(*si*

(*si hominum judicia spectentur*) conditione, tantum abesse ut à Diis neglectum se crederet, aut de amore ipsorum & charitate non dubitaret. *O virum! ô sententiam dignam quæ cordibus omnium, qui ad veram beatitudinem & æternas sedes adspirant, inscribatur; & memoriæ præsens semper obversetur. Jam dixi, sensum verborum ex intima Sacri Voluminis Philosophia promptum videri posse. Sed & verba non uno loco non dissimilia: qualia Davidis ista:* ואני עני ואביון אדני יחשב Psalm. 40. vers. ult. *quæ recentior Interpres haud malè:* Sum quidem pauper & egenus; sed Deus cogitat de me: *quem recentior & accuratior Anglica versio secuta;* But I am poor and needy; yet the Lord thinketh upon me. *Belg.* **Ik ben wel ellendig ende nooddruftig; maar de Heere denkt aan my.** 1659.

Observavi non paucos in Distichi *hujus scopo longius aberrare. Flor. Christianus* (*vir aliàs in istis incomparabilis*) *non adeò feliciter hic:*

> Servus Epictetus, Diis charus, pauper ut Irus;
> Quin & parte aliquâ corporis orbus eram.

Melius, sive is Politianus, sive alius, qui servato verborum ordine, qui magnum hîc habet momentum, vertit:

> Servus Epictetus; mutilati corporis; Irus
> Pauper: at hæc inter charus eram superis.

Longissimè illi à sensu abeunt, qui nescio quam jactationem in verbis ariolantur, modestiæ Philosophi minus convenientem. Sed hæc hactenus.

PRÆFATIO

IN NOTAS

DIOGENIS LAERTII,

editas anno 1664.

LECTORI SALUTEM.

QUæ tibi hîc in Diogenem Laërtium à nobis offeruntur, amice Lector, tertius hic annus agitur, cùm scripta & descripta pleraque omnia, urgente tum Typographo, quasi mox extrudenda.* 1664. *Mutato dein, ut res ipsa docuit, consilio; primò Aldobrandini, publicatæ dudum, sed à multis, ob raritatem exemplariorum desideratæ,* Annotationes; *& post illas, Menagii, viri clarissimi & doctissimi, prolixæ, & laboriosæ, bone Deus!* Observationes *prælo subjectæ. Nova interim hîc rerum facies; & qui vi & armis de propriis sedibus exturbati, ad sua postliminiò, tanto intervallo, redeuntibus undique, novæ curæ subiere. Mihi certè vix aliàs longiùs ab his studiis dissidium; quæ tamen ipsa ætas & diuturna valetudo propè jam excusserat. Sed ecce tibi, dum propriæ Spartæ ornandæ vires ægrè sufficiunt, vellit aurem Typographus, aut Bibliopola potiùs, & opus ad umbilicum tendere, semel iterumque monet; fidem meam testatur, ne quid detrimenti meâ vel cunctatione, vel frustratione patiatur. Ego contrà; quæ meæ nunc partes essent, nisi visis prius doctissimi viri* Observationibus,

1664. nibus, *ignorare me, Lectoris interesse; sed & à me cautum semper quàm potui diligentissimè, ne actum agerem; præterea ad existimationem meam pertinere, ne sublestæ fidei suspicionem (si cui mores nostri ignoti) subiremus, si quid in nostris deprehenderetur, quod alii, quos adhibuisse nos in consilium, quando hîc liber excudebatur, omnes credituri essent, occupassent. Facilè homini intelligenti persuasi. Hoc igitur ingenuè profiteor, antè quàm tantò ante scripta recognoscere aggrederer, visas mihi doctissimi viri ad decimum usque librum, qui Epicuri vitam complectitur, (neque enim nos ultra pergimus)* Observationes, *visis illis, pauca quædam, quæ priùs scripseramus, induxisse; sed multò plura (quæ tamen omnia mole paucula) addidisse, occasione sumptâ, vel ex silentio viri doctissimi ubi res ipsa aliter exigere, in tanta præcipuè diligentia, videbatur: vel quia de quibusdam aliter ipse sentiebam, quàm vel ille, vel quos ille passim laudat & exhibet, viri doctissimi. Penitùs insedit dudum animo meo illud Ciceronis:* Quid enim laboro, nisi ut veritas in omni quæstione explicetur? *Qui ita sunt affecti, non est quod metuamus, ne susceptæ pro veritate dissensiones, eâ lege, ut si fallimur ipsi, magnas gratias certiora docentibus habituri simus; illos, aut illorum quenquam sint offensuræ. Sed est præterea quod te volo, Lector. Quod beatæ memoriæ parens Isaacus Casaubonus in Epistola ad Lectorem* Notarum *suarum ad Diogenem,* instituti & propè jam affecti Commentarii *meminit; ut seriò ab illo tum dictum, nullus dubito: ita frustrà fuerit qui inde concludat, aliquid ipsum scripto complexum esse, quod* Commentarii *speciem, vel specimen exhiberet. Ita enim illi solemne, ut quæ semel animo meditata, & quasi delineata habebat; quorum indicia, notulas sibi plerumque proprias, aut* ἀποπεμπὰς, *ad oras librorum apposuerat; quia minimo, si res ita ferret, negotio depromere & stylo contexere poterat; de iis, ut paratis & affectis, (verè ille & sincerè, multo usu confirmatus) loqueretur: Mihi certè nihil hujus generis unquam visum, præter ea, quæ Codici Editionis Stephanicæ cum cura legens, adscripserat: quæ pleraque posteà in* Notas, *quæ sunt editæ, relata. Si quid in eo codice præterea nobis repertum, quod adverti mereretur, ejus Lectorem nostrum, Auctore nominato, participem fecimus. Ipsum certè Codicem non unus jam vir doctus in sua potestate habuit; sed unus præ cæteris nobis hîc nominandus, Joannes Pearsonus, magnifici illius Collegii Sanctæ* Trinitatis *Cantabrigiæ, præpositus dignissimus, nobis semper amicissimus. Vale.*

DISSERTATIO PRÆLIMINARIS,

de Editione Romana & Versione Aldobrandiniana

DIOGENIS LAERTII.

1664. D*iogenem Laërtium* de Vitis, *&c. & suo nomine (magis tamen ab argumento, quàm Scriptoris diligentia) & paternis in illum lucubrationibus nobis commendatissimum, juvenes olim satis accuratè legeramus, & inter legendum non pauca ad difficiliores aliquot locos, Interpreti non intellectos, pro more ad proprios usus notaveramus; aliis quoque, si quando ferret occasio (qui non ultimus studiorum nostrorum finis) impertienda. Eorum specimen nostræ in Antoninum* De se ipso *Notæ dudum exhibuerunt.*

Romana

Romana editio, Thomâ Aldobrandino *Interprete, ne fando quidem nobis tum audita. Multis post annis, cùm res hîc jam versæ, & nos (dum pejus naufragium metuimus)* ἀνάστατοι *facti sumus; tum demum, dubito an in Anglia antè visam, in Bibliopoliis semel & iterum oculis usurpare contigit; quo tempore de propria & pristina supellectile libri si qui supererant, cùm nullis esset nobis illorum usus; de novis comparandis non erat quod cogitaremus. Nuper adeò qui nostram quoque ad novam* Diogenis Laërtii *editionem Londini curatam, symbolam, opere jam, ut ipsi dicebant, affecto, rogabant, factum est illorum operâ, ut Romanam istam editionem adipisceremur; cùm nisi illâ consultâ, quid nobis relictum esset, ne actum scilicet imprudentes ageremus, intelligere nequiremus. Paullò pòst, longinqui ab omnibus turbis & tumultu, in prædiis* Cottonianis, *secessûs opportunitate factâ; nihil prius habuimus, quàm ut Diogenem Laërtium relegeremus; nostram editionem cum Romana contenderemus; & quod ex hac seu relectione, seu collatione ad publicos usus commodum se nobis offerebat, quantum aliorum librorum ad hoc opus idoneorum præsidio destitutis licebat, & præscripti temporis ratio permittebat, id sublegeremus, & (hinc ista)* notaremus. *Sed priusquàm singulares locos, quos proponimus nobis, aggredimur, plurimum Lectoris interesse putamus, ut quid universim de Romana ista editione, &* Aldobrandiniana *versione nunc experti, judicandum habeamus, paucis indicemus. Res invidiosa, fateor, censura omnis est; & ad odium potiùs, quàm benevolentiam comparata; sed invidiam compensabit utilitas; & sic spero veritati litaturos nos, ut candorem nemo æquus desideraturus sit. Hoc igitur, quod ex ista nostra collatione didicimus, esto primum; Romanam editionem Græci textûs Laërtiani hujus operis; sed & ejusdem textûs versionem Aldobrandinianam; vulgato aliarum editionum textui; & aliorum, quæ circumferuntur, versionibus longè antistare; & optimo consilio, ad novæ hujus editionis apparatum, utrumque, tum* textum *Romanæ editionis, tum* versionem, *quæ illi juncta est, omnibus aliis prælatam.* De textu, *ex variarum lectionum collectione, cuivis in his paullò versato satis liquebit.* De Versione, *ex collatione, si quis id agat vel perfunctoriè, adeò crebri sunt, & ubique ferè obvii loci, in quibus priores Interpretes impegerunt, qui hîc doctè & fideliter redditi sunt. Sed hoc fortassè judicio nostro, seu testimonio, quod ita plerisque jam persuasum sit, Lector minus indigebat. Quod igitur plerisque fortasse præter expectationem magis erit, & ut dicatur, magis ideò necessarium, hoc est; non* textum *tantùm Romanæ editionis mutilum, aut mendosum interdum esse, ubi integrum exhibent vulgatiores editiones; sed &* versionem *tot locis, etiam ubi nulla dubitandi caussa, vitiosam, puerilem, ridiculam: ut Aldobrandinum in Aldobrandino requiramus, & ægrè mihi persuadeam ab illo proficisci potuisse, qui præter multiplicem in his literis eruditionem, non vulgarem quoque sermonis Græci peritiam locis difficillimis prodat ac præstet. Cum igitur Aldobrandinus diu antè, quàm hæc in lucem prodirent, vivere desiisset, sed & opus imperfectum reliquisse,* ex Annotationibus *non perfectis appareat; quod aliquis inde colligat, excusari debere, si quid aliter quàm debuit, & res ipsa postulabat, in opere posthumo reperiatur; & correcturum illum fuisse, si per mortem licuisset, nos hoc quidem libentissimè admittimus, & longè ab eo animo absumus, ut doctissimi viri meritis, versionis ipsius (si tamen ipsius) culpis observandis, quicquam detractum velimus. Non ideò tamen suspicioni nostræ loci minus relictum, fieri potuisse, ut in tot annorum spatio, illorum imperitiâ, quibus editio commissa, aliqua mutatio interveniret; aut etiam quasi emendatio, aut con-* 1664.

sum-

1664. *summatio; qui putarent scilicet, si quæ in Aldobrandini versione hiare, aut aliquo vitio laborare visa sunt, ea se supplere, aut expolire; quæ veriùs depravabant. Cujus rei exemplum habemus, Ambrosianam, id est, veterem hujus libri versionem; quam dum corrigere se putant, & profitentur scioli, tot locis, ut à non uno verè observatum est, corruperunt. Sed & nuper notatus nobis nescio quis, hujus farinæ ac confidentiæ magistellus Parisiensis, qui* accuratiorem *Enchiridii Epicteti versionem promittens, ubicunque Wolphium, virum doctissimum, non intelligebat, toties fœdissimè depravavit. Sed quicquid hujus sit, seu passa est aliquid ab aliena manu hæc versio, sive secùs; hoc modò constet, nihil ad Aldobrandini reprehensionem pertinere, quæ in posthuma ejus versionis editione, cui postrema manus ab Authore imposita non fuerat, peccata reperiuntur; at ad illos interim non parum pertinere, qui usuri sunt, ut illam talem, cui semper fidere, & in qua securi possint acquiescere, non esse, certò intelligant, non opinor sine caussa credidimus. Sed & ad illorum quoque stultitiam arguendam eâdem operâ proderit, qui neglecto linguarum studio, dum toti pendent à versionibus; (si accuratiores aliquot, unam aut alteram de multis excipias) non intelligunt se persæpè operam ludere, ut qui nihil minùs quod se putant legere, & quod titulus præfert, legant. Quod ne gratis nobis credi postulemus, id nunc nobis incumbit scilicet, ut insignioribus aliquot de multis exemplis, ita rem habere ostendamus. Talia autem erunt omnia, quæ proferemus, ut nulla in iis aut Græci textûs (saltem qualem præferunt editi libri) depravatio; aut præcipua verborum Græcorum obscuritas obtendi possit. Quæcunque hujus generis observata nobis,* Notis *reservata sunt. Talia, inquam, quæ hîc proferemus omnia, ut ne Ambrosius quidem, nisi in paucis, impegerit.*

Lib. I. Sect. 36. Thales consultus ab adultero, an in judicio crimen abjurare sibi liceret, ut pœnam perjurio evaderet; graviter & acutè simul respondit, οὐ χεῖρον μοιχείας ἐπιορκία: Non pejus esse perjurium adulterio: *hominis malesani præposteram religionem sugillans, (ut sunt inter nos plurimi, sacrilegiis ac rapinis avidissimè inhiantes, qui tamen in minoris momenti rebus rigidi videri volunt, & pietatis laudem affectant) qui cùm* adulterium *sine scrupulo committeret, super* perjurio *tamen, quasi Deum timens, scrupulosus erat. Aldobrandini versio, mutatâ syntaxi verborum, & omni sententiæ acumine obliterato:* Non minùs peccare, qui pejeraret, quàm qui adulteraretur.

Lib. I. sect. 109. ait Laërtius de Epimenide: Κρὴς τὸ γένος ἀπὸ Κνωσσοῦ, καθέσει τῆς κόμης τὸ εἶδος παραλλάσσων. *Verba Græca clarissima, de longiore coma. Mirabar unde illud in Aldobrandini versione,* habitatione vici; *& in Ambrosio pariter,* ex vici natura: *sed ita doctis viris placere, reperi posteà, Ambrosium (ut & Aldobrandinum, probabile est, utut Romana editio aliter exhibeat) in Codice suo reperisse:* καὶ θέσει τῆς κώμης· *nisi tamen ita potiùs, qui veram lectionem non intelligerent, legendum ipsi credidere.*

In Æschine (lib. II. sect. 62.) φασὶ δ' αὐτῷ λέγειν Σωκράτην, ἐπειδήπερ ἐπιέζετο ὑπὸ πενίας, παρ' ἑαυτοῦ δανείζεσθαι, τῶν σιτίων ὑφαιροῦντα. *Ita planè & Romana editio hæc representat: Sequitur autem,* τούτου τοὺς διαλόγους, &c. *quæ sunt alterius periodi, & sententiæ. Ambrosius non malè:* Ajunt illi dixisse Socratem cùm premeretur inopiâ, ut à seipso usuras exigeret, *(solitos autem ad usuras confugere, qui paupertate premerentur, alibi quoque in his* vitis *docemur)* sibi subducendo cibaria. *Quò pertinet & vetus verbum:* Parsimonia magnum vectigal. *Aldobrandini versio mera portenta:* Ferunt ei Socratem dixisse, quando-

quandoquidem valdè egeret, ut subductis suis dialogis, inde sibi cibaria mu- 1664.
tuaretur; quod Aristippus suspicatus est.

Lib. II. sect. 91. τὸν φίλον τῆς χρείας ἕνεκα· καὶ γὰρ μέρος σώματος, μέχρις ἂν παρῇ, ἀσπάζεσθαι. Amicum utilitatis caussâ comparandum: *vel*, Omnem amicitiam (*quod multis refellunt Peripatetici, aliique*) ad utilitatem referendam. Nam & membrum corporis, quamdiu totius corporis usibus aptum est, charum esse: *ubi cesset utilitas* (*puta, si sideratum, vel alio quo casu emortuum*) *exscindi; aut sanè reliquo corpori grave esse. Aut si mavis, semel amputatum, & jam inutile, abjici. Aristippi sententia, ut in ejus Vita legimus. Posterius hoc membrum ex priore ita supplendum, nemo non videt. Ambrosius hîc quoque non malè:* Amicum necessitatis caussâ amplectendum. Nam & corporis partes, quamdiu adsunt, adamari. *Aldobrandinus autem:* Amicum utilitatis caussâ adjungi; nam & pars totum corpus, quamdiu incolume fuerit, amplexatur.

Decantatissimum illud in Philosophorum scholis, sapientem neminem odisse: neminem enim alii inimicum, nisi qui errore mentis deceptus, ita sibi credat expedire; vel qui aliquâ injuriâ se provocatum censeat. Officium igitur boni viri esse, eum non odisse, qui invitus erret: (*errare enim & decipi, nisi invitum neminem*) sed meliora ipsum pro virili sua docere. *Antoninus Imperator, unus ante alios, & sæpius repetit, & pluribus exequitur: doctissimè ille certè, ut omnia, & sapientissimè. Ita l.* 9. *inter alia:* Ὅλως δὲ ἔξεστί σοι μεταδιδάσκειν τὸν πεπλανημένον. Πᾶς δὲ ὁ ἁμαρτάνων, *&c. Aristippus apud Diogenem paucis:* Τὸν σοφὸν μὴ μισήσειν, μᾶλλον δὲ μεταδιδάξειν. *Ambrosius non malè:* Sapientem non odio quenquam habiturum, sed potiùs eruditurum. *Aldobrandinus autem:* Neminem osurum esse sapientem, sed potiùs vetera dediscere, novaque addiscere.

Plerique istorum temporum Philosophi (*ut in Laërtio legimus*) *si, affectâ jam ætate, diuturniore aliquo morbo premerentur; nè qui contemptum mortis aliis commendaverant, ipsi vitam in tali vita nimis diligere viderentur, mortem solebant occupare: si non ut mala* lucri facerent; *saltem ut existimationi suæ consulerent: qui enim ita discedebant, vulgò fortes habebantur. Sed Carneades, senio pariter & morbo diuturno confectus, cùm tamen aversiore à morte esset animo, solebat hoc dicto se tutari:* Ἡ συστήσασα φύσις, καὶ διαλύσει: Quæ te coagmentavit natura, eadem dissolvet. *Quod iisdem quidem verbis, sed aliâ mente* (*quamvis enim mortem, sive voluntariam, sive aliam; naturæ opus & beneficium, autumabant illi*) *Antoninus:* Ἀποπέμπει σε ἡ εἰσαγαγοῦσα φύσις —— ὅτε μὲν τῆς συγκρίσεως· νῦν δὲ, τῆς διαλύσεως αἴτιος. *Idem tamen Carneades, cùm quodam tempore de generosa,* (*ut tum credebant*) *id est, voluntaria* (*epoto veneno*) *Antipatri morte ipsi relatum esset; ipse quoque hoc exemplo animatus, & subitò quodam quasi instinctu Numinis abreptus:* Date & mihi, *inquit ille; quasi mox venenum hausturus. Dum cunctantur amici, & tandem rogant* (*inviti scilicet, & reluctantes*) *quid ille sibi dari postulet; Carneades, remittente jam subitæ generositatis impetu, & ad ingenium rediens,* οἰνόμελι, *inquit;* mulsum *scilicet, qui* venenum *debebat dicere: dicturus certè credebatur. Quæ faceta narratio versibus non illepidis Laërtii nostri* (*lib.* IV. *sect.* 65. & 66.) *materiem præbuit. Postrema autem ita habent:*

Καὶ ὃ μὲν οὐδὲν ἔλασσον ἔβη κατὰ γῆς· ἐνῆν δὲ
Τὰ πλέω κακὰ κέρδ᾽ ἔχοντα μολεῖν εἰς ᾅδην.

1664. At ille nihilominus sub terram abiit; qui poterat (*si aliorum Philosophorum exemplo, generosâ morte defunctus esset, scilicet: ita tum multi, sed repugnantibus tamen melioris notæ Philosophis non paucis*) multa mala lucrifaciens ad Orcum descendere. *Sed & Ambrosius in hanc ferè sententiam. Aldobrandinus autem postrema ita reddit:* Inerat autem plurima mala consilia habentem, proficisci ad Orcum.

Non vacat nec lubet omnia persequi, quæ sunt hujus generis. Si quis ita credat, potuisse ista, & similia ab Aldobrandino proficisci; per me credat licet. Quid tamen faciemus istis locis, ubi unius voculæ ignoratio tantas sententiæ contrarietates & absurditates peperit, vix ut majores excogitari possint? De κριτηρίῳ *veritatis, quod illud tandem sit, res una omnium scitu dignissima, & ad veram vitam maximè necessaria: de quo inter Philosophos magna opinionum varietas, & pro varietate opinionum gravissimæ contentiones. Epicurus (si tamen & illi inter veros Philosophos locus, de quo posteà suo loco pluribus)* κριτήρια *veritatis statuebat,* τὰς αἰσθήσεις, τὰς προλήψεις, καὶ τὰ πάθη. Τὰ πάθη, *in Philosophia Peripatetica,* perturbationes animi (*ut vertit Cicero; vel, ut interdum,* perturbationes, *simpliciter) plerumque significare, omnis omninò sit expers Philosophiæ oportet, qui ignorat. Inde Aristoteles alicubi verissimè:* Οἱ ἐν πάθει ὄντες, τὸ ἀληθὲς οὐ κρίνουσιν· *qui perturbationibus agitantur, quod verum est in rebus videre non posse. Quis autem putaret id Epicuro, qui tantus* τῆς ἀταραξίας *laudator & assertor extitit, ut in ea potissimùm finem vitæ collocaret, ab Aldobrandino tribui potuisse, ut* perturbationes (*ita enim ibi vertit*) *regulam veritatis constitueret? Qui tamen quid per* τὰ πάθη *intelligeret, tum alibi docet, tum in postrema Epistola, ubi de voluptate, inter alia, hæc habet:* Καὶ ἐπὶ ταύτην καταντῶμεν, ὡς κανόνι τῷ πάθει πᾶν ἀγαθὸν κρίνοντες· *ubi Aldobrandinus:* Et ad hanc delabimur, omne bonum perturbatione, tanquam regulâ, judicantes. *Quid audio? an quisquam tam patiens, ut ejus non refugiant aures,* omne bonum in perturbatione consistere; *vel perturbatione dijudicari? An & Seneca (ut alios nunc omittam) falsus, cùm dicit,* Apud Epicurum duo bona sunt, ex quibus summum illud beatum componitur; ut corpus sine dolore sit; animus sine perturbatione? *Est autem* τὸ πάθος *(ut hoc obiter) in Epicuri Philosophia vox* πολύσημος. Affectus *interdum, ut Ambrosius haud malè, impressio quævis in animo, ex re sensibili: interdum, quicquid accidit;* eventus. *Interdum etiam Epicuro* τὰ πάθη, passiones corporis *propriè. Ita accipi debet, ubi ejus Placita breviter recensens Laërtius, ait eum inter alia ita sciscere:* τὸν σοφὸν μηδὲ πλάττειν ἰκόντα *(de istis verbis suo loco)* πάθεσι μᾶλλον συσχεθήσεσθαι· οὐκ ἂν ἐμποδίσαι πρὸς τὴν φιλοσοφίαν· *id est,* Malis (*seu* passionibus corporis) tantò magis contineri, & in ordinem cogi; nec illa obstare sapientiæ. *Quò pertinet quod paullò pòst,* κἂν στρεβλωθῇ δ' ὁ σοφὸς, εἶναι αὐτὸν εὐδαίμονα· sapientem etiamsi torqueatur, (*vel in mediis tormentis*) beatum tamen esse. *Longè aliter de prioribus istis verbis viros doctissimos judicasse, non ignoramus; quorum rationes suo loco expendentur. Sed Aldobrandinus infelicissimè:* Sapientem perturbationibus majoribus opprimi; id verò sapientiam minimè impedire posse. *Profectò mirificis, præter alias, hæc Epicuri Vita scatet hallucinationibus, (ut suo loco dicturi sumus) etiam ubi Græca (quod in hac Vita rarum) labe carent. Unicum afferam locum, qui mihi erat ante oculos, cùm hanc de verbo* πάθος *observationem aggressus sum. Ibi enim præcedebant ista:* τὴν διαλεκτικὴν ὡς παρέλκουσαν ἀποδοκιμάζουσι· ἀρκεῖν γὰρ τοὺς

φυσικοὺς

φυσικοὺς χωρεῖν κατὰ τοὺς τῶν πραγμάτων φθόγγους: Dialecticam (*aut* differendi *potiùs* artem; *maximè generali, ut tum usurpabant, notione*) mutilam esse: sufficere enim, ut naturales soni, pro rerum ipsarum, quæ se offerunt, natura procedant. *Hæc Epicurus ipse in sequente Epistola latè prosequitur, ut nullum omninò dubitandi locum cuiquam relinquat, & præterea pertinent hæc ad nobilem illam de verborum origine,* φύσει *sint illa, an* θέσει, (*de qua Epicurus in Epistola*) *controversiam: de qua agens in* Noctibus *suis Aulus Gellius, hæc habet inter alia:* Nam sicuti cùm adnuimus, aut abnuimus, motus ille quidam vel capitis, vel oculorum, à natura rei, quam significat, non abhorret: (χωρεῖ κατὰ τὰ πράγματα) ita in vocibus, quasi gestus quidam oris & spiritus naturalis est. *Quid igitur sibi volebat Aldobrandinus, cùm ita vertebat?* Dialecticam ut supervacaneam repudiant. Physicos enim vocibus uti, satis est. *Saltem, si* Physicis, *pro* Physicos, *dixisset, aliquantò tolerabilius. Et potest, ut ille ita scripserit. Ita tamen & vetus ante illum Interpres Ambrosius:* (*qui fortasse & illum in errorem induxit*) Posse enim Physicos abundè simplicibus & propriis rerum vocabulis agere. *Sed quid miramur istos? Gassendus etiam, tam studiosus sensuum Epicuri indagator, & interpres; ad eundem lapidem, tum in versione* Vitæ *Epicuri* (*ab ipso, dicam; ita mirificè interpolata est, à Laërtio; sed quam Laërtius non agnosceret, conscriptæ?*) *tum etiam in* Animadversionibus, *impegit. Adeò illi quidem memoriâ prorsus exciderant, tum quæ alibi super hoc argumento legerat; sed præcipuè apud Platonem, in accuratissimo* περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος *tractatu, seu* Dialogo. 1664.

De versione hactenùs. Romanæ editionis textus Græcus, ut plurimùm melior, & minùs corruptus. Est tamen ubi vulgatarum editionum lectio, longè præferenda: est, ubi Romanus textus, vel deficiens, vel corruptus, Interpreti fraudi fuit; ubi ex vulgatis editionibus vel suppleri, vel corrigi debeat. Copiam exemplorum suppeditabunt variæ lectiones. Nos uno aut altero hîc erimus contenti. In Epitaphio Pittaci longè abit à vulgatis Romana editio:

> Οἰκεῖοι δακρύοις λιχαίνομεν, ἣ καταλαίει
> Ἐνθάδε Πίτλακον ἡδ' ἱερὰ Λέσβος.

Sed haud dubium, quin quod exhibent priores editiones, (*Stephan. anno Dom.* 1570. *Græco-Lat. anno Dom.* 1616. *quæ mea editio*) οἰκείοις δακρύοις ἁ γειναμένα (*in Græco-Latina edit. errore typothetarum malè ista coaluerunt*) καλαθάπτει, *&c. verum sit.*

In secundo autem versu (*ut hoc obiter dicam*) *quicquam mutare velle, vereor ne sit* τὰ ἀκίνητα κινεῖν. *Multa enim in veteribus Inscriptionibus, quæ idiotismum, & ignorantiam sapiunt; quales sæpe Auctores, homines idiotæ &* illiterati. *Talis illa Ardeatum apud Plinium Naturalis Historiæ lib.* XXXV. *cap.* 10.

> Dignis dicta loca picturis condecoravit:
> Reginæ Junonis supremæ conjugis templum, *&c.*

Ubi tamen Boissardus in Inscriptionibus, Dignè doctiloqueis, *pro,* Dignis digna loca, *exhibet: nec dubito quin ita repererit in vetere lapide; sed minoris tamen, quàm prima Inscriptio, vetustatis. Ibi quoque alia ejusdem farinæ & ævi: & memini judicium Arriani quodam loco,* Οὐκ ἄξιον μνήμης τὸ ἐπίγραμμα· *quod de multis æquè verum; quæ sola antiquitas, magna intelli-*

1664. gentibus illecebra, commendat. Fortaſſe vox ἀεὶ, aut ſimilis alia, (ἱερὰ Λ. ἀεὶ) deeſt, ad explendum verſum.

In Menedemo, (lib. II. ſect. 126.) λόγον ἀνασήσας, nullo ſenſu, & metro reclamante. Priores editiones rectiſſimè: λῆρον ἀνας. Eodem verſu, Sambuci editio, ἐφευώμ· quod & verſus requirit.

In Platone, (lib. III. ſect. 14.) ὅςις δίκα (pro δέ κα diviſim) εἰδῆ μαθὼν τίνα, ἀγαθὸς ἤδη γίνετ. in ſcriptura leve peccatum, nec dignum alioquin quod animadverteretur; ſed ex levi ſcripturæ vitio, maxima verſionis hallucinatio: Quiſquis decem ſciverit, &c. Ambroſius in ſuis Codicibus quid repererit, (quamquam facilis ex omiſſione duntaxat intervalli, lapſus non intelligentibus librariis) ex verſione liquet: Quiſquis illud didicerit, &c.

In Zenone, (lib. VII. ſect. 113.) de Amore: Ἐςι γὰρ ἐπιβολὴ φιλοποιίας· ita exhibet Romana editio, quod & Aldobrandinus in verſione ſequitur. Priores editiones, ἐπιβολὴ φιλοποιίας· quod ratio ſuadet, & Ciceronis evincit interpretatio, quam profert in Notis ad alterum ſimilem locum, Græco-Latinæ editionis pag. 516. beatæ memoriæ parens. Hæc & id genus alia multa cùm cogito, dubitare ſubiit, an priorum editionum vel verſionum ulla Aldobrandino unquam viſa. Stephanicam ille quidem, & quæ Stephanicâ poſteriores, XXX. antè vitâ functus annis, videre non potuit. De prioribus autem, quod ego dicam, quia nullæ mihi viſæ, non habeo. Quantum tamen ex doctorum virorum annotationibus colligere licet, non multum illæ à poſterioribus diverſæ. Sed en tibi, Lector, unum de multis diverſæ lectionis illuſtre exemplum, ex quo vanam non eſſe noſtram ſuſpicionem, & ipſe fortaſſe dices. De Deo, more ſuo Epicurus: (lib. X. ſect. 77.) Οὐ συμφωνῦσι πραγματεῖαι καὶ φροντίδες, καὶ ὀργαὶ καὶ χάριτες μακαριότητι, ἀλλ' ἀσθενείᾳ καὶ φόβῳ, καὶ προσδεήσει τῶν πλησίων ταῦτα γίνεται. Sequitur in vulgatis editionibus: Μήτε αὖ πῦρ ἅμα ὄντα συνεςραμμένα, τὴν μακαριότητα κεκτημένα, κατὰ βούλησιν τὰς κινήσεις ταύτας λαμβάνειν· Quis, quæſo, cui de Divinitate Sphærarum (quam aſſerunt & doctorum Judæorum principes) & intelligentiis Ariſtotelicis quicquam unquam auditum; dubitet de veritate hujus lectionis? Nihil enim ad ſententiam & cohærentiam verborum aptius, ne cogitari quidem potuit: ſi tamen modica correctio (quam nos in Notis pluribus adſtruemus) interveniat: ut pro πῦρ ἅμα, πυρὸς ἄμμα· & pro λαμβάνειν, λαμβάνει reſtituamus. Amplius dicam. Locum profert, ſed & exagitat ex Ariſtotele Cicero, (aut verbis potius Ciceronis Vellejus Epicureus) qui magnam habet cum his verbis cognationem, ut eò reſpexiſſe Epicurum probabile ſit, ut ſuo loco videbimus. Ambroſius Interpres ex depravata lectione ſenſum qualemcunque ſaltem, qui à vero non planè alienus eſſet, elicuit. At Romana editio & verſio: Μήτε αὖ λυπηρὰ ἅμα ὄντα συνεςραμμένην τὴν μακαριότητα κεκτημένα, κατὰ βούλ. τὰς κιν. ταύτας λαμβάνειν. Neque rurſus hæc moleſta cùm ſint, perturbatam beatitudinem poſſidentia, hos ipſos motus voluntate ſuſcipere. Utrumque quàm infeliciter? Sed hîc quoque Gaſſendus, Vir clariſſimus, (quod non obtrectandi aut reprehendendi libidine à me dicitur: ſed ut Lector veri ſtudioſus monitus caveat) tum in Verſione, tum in Animadverſionibus, peſſimè defunctus eſt.

Hæc de Romana editione, & Aldobrandiniana verſione, quæ Lectorem non ignorare, non parum ipſius intereſſe credidi, præfati: ad Notas nunc progrediemur eâ ratione & conſilio, ut nos brevitati ſtuduiſſe, & delectum habuiſſe, Lector intelligens facilè percepturus ſit.

PRÆFA-

PRÆFATIO
IN NOTAS
POLYBII,
editas anno 1670.

Quum multa & varia sint illa, quæ beatæ memoriæ Pater, ISAACUS CASAUBONUS, *à prima juventute, constanti porro labore, & vigente ingenio per multorum annorum, ad supremum usque vitæ diem, curriculum in literis humanioribus præstitit ac publica fecit; sed nec illa multò pauciora, si non & plura, quæ magno labore, ex omni scriptorum genere congesta in Adversariis suis, non magno labore (ut mos erat ipsius) contexere, & digerere, ut perfecta exirent, potuit, si vitam otiumque* ὁ πᾶν ἐν πᾶσι *suffecisset: nihil tamen est in hoc politioris literaturæ genere, quod majore unquam molimine &* φιλοπονίᾳ *susceperit, quàm Polybius novâ post minus felices aliorum conatus versione promulgandus, & amplis illustrandus Commentariis: ut pleraque, quæ anteà publicaverat & nomen illi non inglorium pepererant, præ isto, (perfecisset modò, quod instituerat & inchoaverat) opere,* πάρεργα *ipsius censeri meritò potuerint. Et de Versione quidem quia ea pridem publicata est, & multorum elogiis celebrata, non est quod multis hîc agamus. Quò quis erit Græcæ linguæ peritior; (quales superior ætas tulit non sanè multos, sed ista multò pauciores) & in obscurissimis istius linguæ Scriptoribus, sive Poëtis, sive aliis, noctesque diesque laborando periculum suarum virium sæpius fecerit: qui longo usu & assiduâ lectione, quid in quoque rarum & reconditum; quid præter aliorum communemque adeò consuetudinem seu verbis singulis, seu compositione, cuique proprium & peculiare, (qualia in uno Polybio tam multa, quàm multa vix in pluribus, ne dicam omnibus aliis simul sumptis) statim ut ad aures accidit, non fallente judicio dijudicare potest: quò quis, inquam, magis talis est; tantò ille facilius de hac versione pro merito ipsius judicet. Qui non ad istum gradum eruditionis istius pervenerunt, eò tamen pervenerunt, ut sint istius linguæ, à qua ferè pendet solidior omnis eruditio, in primis studiosi; illis ego dabo consilium, cujus ausim fructum ipsis non mediocrem, naviter expertis ac defunctis, polliceri. Græcum Polybii textum lecturi, adhibeant utramque & Parentis & Perotti versionem. Jam illud cùm certum sit, Perottum Latinæ linguæ peritiâ, sed & elegantiâ & puritate sermonis inter paucos excelluisse, ut ejus versio non hujus ætatis fœtus, sed pristini temporis & Latinitatis opus ob excellentiam sermonis à multis judicata sit: hoc igitur, ut ab eo incipiamus, quantæ, quæso, (cultioris sermonis planè non experti & incurioso) voluptatis, tam nobile par, tantis in isto genere dotibus præditos quasi commisisse, & agonothetæ munus sibi imponentem, per singulas ire periodos, & prout utervis mereri videbitur, huic interdum, interdum illi purissimi & elegantissimi sermonis palmam suo judicio tribuere? interdum verò, quod in arena contingebat interdum, (unde illud Poëtæ:* 1670.

Cùm duo pugnarent, victor uterque fuit)

1670. *ancipiti judicii lance, palmam utrique decernere; aut de palma, prout ipse maluerit, quod & olim factitatum, hieram facere: seu ut Polybius ipse loquitur, invicto utroque pugile,* τὸν ἱερὸν ποιῶν στέφανον?

Sed hoc etsi non parvum, & quod ad profectum Latini sermonis momentum habere queat vel maximum, nihil tamen ad Græcam linguam, & Polybiani contextûs obscuritates & salebras, de quibus nobis hîc præcipuè sermo. Ad illas autem deprehendendas (tyrones alloquimur) & intelligendas, nulla paratior & expeditior via, quàm versionum priorum (sive Perottus fuerit, sive alius) cum versione τοῦ μακαρίτου *diligens collatio. Ita enim plerumque usu veniet attentius ista contendenti & comparanti, ut ubicunque major aliqua difficultas in verbis, & dignus vindice nodus, ibi mirum quantum versiones non in verbis tantùm, sed in re & sententia discrepent; aut certè, (quod Perotto solemne est) deficiant priores versiones, & mero silentio, quasi deserto vadimonio, defungantur. Mihi certè ita contigit (neque enim me paucis illis accenseri postulem, qui per se possunt ista dijudicare) ut quamvis de hac Parentis opera jam antè non unâ ratione adductus, sentirem magnificè; multò tamen admirarer magis, postquam ad aliorum quoque versiones exigere nescio quæ sive curiositas impulit, sive diligentia.*

Sed jam ad Commentarios veniamus. Mirabitur fortasse Lector Polybii studiosus, & indignabitur: promam tamen ego liberè recurrentis identidem animi mei cogitationes. Partim enim intuentem me non semel, sed & animo meo partim complectentem cum admiratione suscepti à Parente in Commentariis istis operis ἰχνογραφίαν *&* ὑποτύπωσιν, *& infinitam illam undique congestorum, quam reliquit in Adversariis suis, apparatuum molem; non semel optare contigit, ut versione contentus, nunquam illi commentandi Polybii venisset in mentem; non eâ saltem ratione commentandi, quam ipse sibi proposuerat. Nam si hoc solum spectasset* ὁ μακαρίτης, *ut quicquid apud Polybium vel in verbis, vel sententiis obscurius erat, (cujus generis satis ampla apud illum seges) id ita plenè in Commentariis suis explicaret, ut vel à tyronibus cum facilitate legi posset: si quicquid in militia vel Græca, vel Romana, (cui peculiarem librum dicavit Polybius) sive terrestri, sive navali, adhuc involutum, indictum, inexplicabile remanebat, id & verbis & figuris ob oculos ita poneret, ut omnia vel tardissimis & caligantibus essent planissima: si præliorum, quæ describit Polybius; (omnium qui fuerunt, opinor, Historicorum in istis accuratissimi, ut qui non Scriptor tantùm & Philosophus insignis; sed miles etiam ipse strenuus, & nobilissimorum, quos ætas illa, fortasse aut alia quævis vidit, Ducum & Imperatorum comes diu fuerit) si præliorum, inquam, Polybio narratorum & descriptorum perfectissimas* ἐκτάξεις *edidisse, & Lectores in rem præsentem, ut instructas acies, & pugnas, & fugas, & strages oculis etiam suis cernerent, deduxisse: si hoc denique, ut artem quasi quandam (ut ipse in Epistola Dedicatoria loquitur) rerum gerendarum studiosis, qui ad negotia sese parant, traderet; quò præcipuè spectasse videntur ex præstantissimis Historiographis collectæ Observationes militares & politicæ, quas in Adversariis suis ad 500. jam & amplius capita perduxerat: si hoc, inquam, solum spectasset, & id sibi pensi datum credidisset* ὁ μακαρίτης, *dudum poterant isti Commentarii tam multorum votis expetiti, in lucem prodiisse, & Lectoris, opinor,* καὶ τοῦ τυχόντος καὶ τοῦ μὴ τυχόντος *exspectationi satisfecisse. Sed aliud erat, quod Pater animo suo agitabat & conceperat. Nam præter militiæ veteris Græcæ & Romanæ, sed & aliarum gentium explicationem;*

rationem; præsentis etiam cum vetere perfectissimam comparationem, & quæ utrobique κατορθώματα, *quæ* ἐλαττώματα, *ostendere instituerat: nec contentus prælis à Polybio descriptis, nobiliores omnes ab omnibus (qui notæ saltem alicujus fuerint) ætatum ac nationum quarumcunque Historicis descriptas pugnas accuratè expendere: & quia id præcipuè in descriptionibus suis, imò in omni narratione Polybio propositum fuit, (ut nos in priore Præfatione pluribus ostendimus) nihil ut miraremur; sed caussas eorum, quæ sive expectata, sive inexpectata, suis & anterioribus per aliquot sæcula temporibus contigerant, exponeret: Parens itidem, quæ variorum in omni vetere vel recentiore Historia bellicorum eventuum caussæ, propiores, aut remotiores, inquirere; omnia denique, quæ ubique ex caussis occultioribus maximè mira viderentur, ad regulas & observationes Polybianas exigere; omnia stratagematum exempla, mysteria, arcana, cautiones; inventorum caussas, & inveniendorum fontes, indagare, pandere: nihil denique in tota re militari tam arduum, tam occultum esse (quantum humanâ mente, & sagacitate provideri potuit) & reconditum, quod his ille Commentariis non executurus & expositurus esset. Hac igitur mente, cùm nullam finem faceret tam veteres quàm novos qualescunque Scriptores Historicos perlegendi; cùm libros omnes de re militari scriptos, aut ad rem militarem quoquo modo pertinentes, Gallicos, Italicos, Germanicos, Anglicos, aliosque undique conquireret; cùm semper in hæc acriter intento novum aliquid se offerret, quo suos Commentarios, suas Observationes, auctiores, & consummatiores faceret; quod notaret, quod excerperet, quod inquireret: ut mirum non est, si diu parturiendum fuerit, quod tantâ mole, tanto molimine susceptum fuerat; ita quis non doleat, istam tam miram & insolentem animi & propositi magnitudinem, quo minus illa perficerentur, & in lucem prodirent, quibus Lector etiam non vulgaris contentus esse poterat, in caussa fuisse: quis non veterem illam veteris Oratoris & Philosophi querelam tollat:* o fallacem hominum spem! fragilemque fortunam, & inanes nostras cogitationes! *Cùm prætereà subit illa cogitatio,* quantum terræ pelagique parari: *quàm multa in aliis Scriptoribus & literis multo minore labore & spatio potuerint interim præstari, ex quibus ad publicam rem literariam non minus, si non & magis emolumenti redire potuit. Et fortasse miretur aliquis, talis incepti cuiquam in mentem venire potuisse, cui non contigerit (ut cum Poëta loquamur)* ἐκ νεότητος καὶ ἐς γῆρας τολυπεύειν ἀργαλέους πολέμους. *Sed quid ageret, qui sub maximo Principe & indulgentissimo Mæcenate mereretur, qui ab infantia innutritus armis, per innumera prælia, & totidem ferè victorias quot prælia, gloriosissimum nomen apud exteros omnes consecutus, non alia quidem studia* τῷ μακαρίτῃ *(modò non sacra & Theologica, quibus illi ob certas caussas ad tempus interdixerat) aspernabatur; sed ea tamen probare maximè se, in quibus incomparabiliter ipse excellebat, non obscurè significaverat. Et divini vir ingenii* (τὸν μακαρίτην *intelligimus) ita sibi pridem persuaserat, & animo penitus imbiberat, nihil in rebus humanis tam arduum & difficile esse, quod non improbus labor, & indefessa industria (quæ præcipua illi vitæ oblectamenta) superarent. Cæterùm cùm perpetuis illis suis laboribus ac vigiliis assecutus esset, ut nullum studiorum genus esset, in quo non ille versatissimus; sed qui præcipuè res Ecclesiasticas (quod nos alibi pluribus disseruimus) & antiquitates excoluisset; non priùs Gloriosissimum illum suum & Victoriosissimum (fœdo parricidio terris ereptum) Mæcenatem, Doctissimo, Pientissimo, & Sapientissimo mutavit, quàm tota ipsi ratio studiorum mutata est, & Polybianis curis & studiis, succedentibus aliis, longum vale dictum.* 1670.

1670. ctum. Sed nec multi dein anni præteriere, cùm fatalis & decretoria subiit hora, quæ curis omnibus humanis exemptum, ad pacatiores illas & beatiores sedes transtulit.

Tribus admodum aut quatuor ab obitu Parentis annis prodiit in lucem ad Polybii librum primum Isaaci Casauboni Commentarius: ita quidem titulus libri, ad librum primum; sed cùm editionis istius paginæ, quæ librum primum conficiunt, non pauciores sint novem suprà 80. non ultra paginam vigesimam procedit iste Commentarius; in quo etiam non paucos hiatus observare legens memini. Sed & Præfationes & Prolegomena, (quæ an perfecta & ad editionem descripta fuerint, non possum dicere; suspicor tamen ita fuisse) ad quæ remittit Lectorem suum non uno loco in isto quicquid est editi Commentarii Parens, quo casu aut consilio præterita fuerint, nescio; ibi certè desiderantur. Circa idem tempus, aut paullò pòst accidit, ut ego, qui vix dum pubertatis annos egressus, Oxonii agebam, iter in Galliam, invitante beatæ memoriæ Matre, susciperem. Ibi autem remanserat pars maxima paternæ Bibliothecæ, in custodia (dum viveret ipse) viri amplissimi, qui singulari semper amore studioque Patrem complexus fuerat, Jacobi Augusti Thuani, Historicorum nostri temporis facilè Principis; sed quæ tamen, nescio quo casu ante meum adventum, tota ferè surrepta & direpta fuerat. Ibi & Adversariorum Patris, multis voluminibus constantium, pars etiam non pœnitenda; quæ ad me (quod in magna felicitatis parte semper pono) illibata pervenit. Inter illa autem, quæ ad susceptos illos, de quibus egimus, in Polybium Commentarios apparaverat, aut omnia, aut certè pleraque: quod & ego paucis pòst annis publicè agnovi; ut & alia quæcunque tum temporis, (nam longè major pars Adversariorum ejus in viri maximi & incomparabilis, de me & Parente meritissimi, Lancelotti Andreæ, Wintoniensis Episcopi dignissimi, Bibliotheca ad ejus obitum delituit) pervenerant.

Præter alia, quæ ad Polybium pertinebant, quæ pleraque scripta manu τοῦ μακαρίτου satis spisso quidem illo; sed uno tamen pleraque volumine continentur, reperta mihi tum Lutetiæ, Polybii exemplar, editionis cujus margines satis amplæ multiplicibus nec unius temporis (quod ex scriptura liquebat) notis τοῦ μακαρίτου adeò refertæ erant, ut confusio notatorum; sed & antiquitas scripturæ, jam multo etiam usu non parum attritis marginibus, lectionem impeditissimam redderent. Sed erant prætereà duo alia novæ illius, quæ versionem Patris habet, editionis exemplaria, quorum alterum eleganter compactum erat: sed & chartâ præstantiore, ut ipsâ specie externâ meam cupiditatem non parum accenderet: alterum autem non exteriore ullo tergo contectum, sed consutum tantùm & conglutinatum, ut commodè legi possit: cæterùm multa habebat ad margines manu Parentis scripta, quæ ille dum novam illam editionem festinans percurreret, observaverat. Quia autem bina tam grandia libri ejusdem volumina Oxonium redituro nimis onerosa ad tam longam vecturam sarcina videbatur, & elegantiore illo volumine, præsertim quod Patris nomen præferret, multum caperer; id consilii captum est, ut quæ in vulgatiore exemplari scripta manu Patris erant, in alterum istud meâ manu transcriberem, atque ita in uno utrunque, saltem quod utrumque mihi commendabat, haberem: non optimo fortasse (ut posteà judicavi) consilio; sed quod tunc, neque tunc omnia prævidere poteram, maximè se mihi probavit. Mirabitur fortasse Lector, quò spectet hæc tam longa de duobus istis exemplaribus narratio; sed mox intelliget, & in ea nostrum non improbabit, opinor, consilium. Eo enim nunc properamus, quod

nobis

nobis in hoc alloquio præcipuè propositum est, ut nostræ in nova hac Polybii editione operæ rationem Lectori reddamus: qui si fidem nostram & sedulitatem in hac obeunda provincia, quam non ambivimus, sed ab aliis quodammodo impositam non detrectandam censuimus, præsentibus & posteris Lectoribus approbaverimus, optimè nobiscum actum credemus, de cæteris parum solliciti. 1670.

Cùm omnibus inceptis paternis & naturali pro eo ac par est affectu, sed & genii quâdam propensitate semper ita faverimus, ut in magna parte felicitatis semper posituri fuerimus, si studiorum & vitæ ratio ita tulisset, ut quicquam, quod ab illo inchoatum & susceptum erat, perficere nobis & in vulgus edere contigisset; nullum tamen est illius inceptum, quod à nostris studiis & consiliis omnibus alienius judicaverimus, quàm sunt quæ in Polybium susceperat. Ita enim judicabamus, qui ad opus illud cum judicio aliquo & pudore accederet, Græcæ linguæ exquisitè peritum esse debere; militaris artis tum pristinæ, tum præsentis omnis peritissimum; tum verò ab aliis multis præsidiis instructum, quæ mihi deesse satis intelligebam. Sæpè optavi offerri mihi aliquem, qui Polybio dignus, & par, (aut proximo saltem par intervallo) tantis inceptis, istâ me suspicione liberaret, quasi ego cimeliis istis paternis libens incubarem solus, aut quicquam ipsius, quod publicè prodesse posset, (quo nihil à me dici possit alienius) aliis inviderem. Sed interim dum nemo se offert, quantâ fide, curâ, sollicitudine, his præcipuè, quæ plures annos durarunt, turbulentissimis Reipublicæ temporibus, custodierim, ut integra illibataque tandem aliquando ad alios pervenirent, testis conscientia.

Ineunte (si bene memini) hoc anno 1651. cùm per literas viri docti rescivissem, celebrem hujus temporis Typographum, novam Polybii editionem agitare; & iisdem literis, si quid haberem τȣ̃ μακαρίτȣ, quo auctior & ornatior illa fieret, ejus ut copiam illi facerem, vehementius urgerer; is autem tum status esset, ob afflictissimam charissimæ conjugis valetudinem, ut mei juris non essem; sed nec illæ mei tum juris, ob locorum intercapedinem, super quibus appellabar chartæ; id tamen à me, quod unum potui, tum præstitum sedulò, ut paratissimam meam voluntatem testarer. Quare ut primum ex gravissimo vulnere, quod paulò pòst ex obitu tam chari capitis accepi, aliquatenus recolligere datum est, statim ad curas Polybianas meas omnes cogitationes transtuli. Et primò quidem consulta Patris Adversaria Polybiana; in quibus post diligentem scrutationem cùm nihil invenirem quod publicè, sine magna ipsius injuria, proponi possit; quod unum tum superesse visum est, de perficiendo Indice Græco, quem Pater inchoaverat, consilium cepi, qui omnia Polybii, seu verba, seu phrases, in quibus aliquid novi, & obscuri, diligenter complecteretur; sed & eorundem partim ex versione, partim ex variis, quæ sparsæ per Adversaria notulis, accuratam explicationem: ubi autem præsidia ista deficerent, aut non usquequaque satisfacerent, aliundè pro virili suppleturus. Posteà verò dum textum Polybii cum cura recenseo, ac pro re nata Codices illos Gallia mecum allatos, & quæ ibi notata consulo, præter expectationem deprehendi Latinam versionem τȣ̃ μακαρίτȣ à Græco Polybii textu, quem repræsentat ista editio, non rarò dissidere: correctiones autem suas & conjecturas, ad quas illa concinnata, ad oras Basiliensis editionis τȣ̃ μακαρίτȣ apposuisse: alias etiam conjecturas & correctiones non paucas easdem oras; sed & oras novæ, seu Græco-Latinæ editionis aliquas suppeditare, quæ sint istâ versione recentiores, partim quæ textui Polybiano veram lectionem

 resti-

1670. *restituant, partim quæ versionem corrigant: quæ cùm Lectorem Polybii non ignorare & ipsius pariter, & Parentis interesset, omni alii curæ cura ea prævertenda visa est, ut quicquid hujus generis alterutrum seu Basiliense vetus, seu Parisiense recentius exemplar suppeditaret, pari fide & diligentiâ collectum Lectoribus exhiberetur. In eo potissimùm fides opus fuit, ne vel meas (ut nunc sunt mores) ullas conjecturas temerè Lectori pro paternis (ingenio fisus) obtruderem; nec paternas, pejore flagitio, ne dicam sacrilegio, mihi (si quas meas interdum proponere libeat) vindicarem. In utroque optimâ fide versatos esse nos, etsi testis ampla, & quæ sola sufficere possit, conscientia; ne quis tamen in Lectore suspiciosô scrupulus hærere possit, priusquam hæc ex manibus meis exirent, cum his meis Collectionibus Codices simul illos editos, & quicquid in Polybium (quod quidem penes me sit) Pater apparaverat, viris doctissimis (non uni) in manus tradidi, ut collatione factâ, & oculorum suorum judicio adhibito, veritati testimonium perhibere possent. Inter eos * * Sed & ipsos Codices mihi superfuturos spero, (à me quidem ut supersint, cura adhibebitur & cautio quanta maxima) qui bonæ meæ fidei in posterum locupletissima monumenta. Et de fide hactenus.*

Diligentia in eo non mediocris adhibenda fuit, ne tantâ farragine notularum, quantam non rarò capaces oræ Basiliensis exemplaris capere poterant; notularum, inquam, quarum aliæ aliis superimpositæ, suppositæ, trajectæ: aliæ, scripturâ, vetustate & multo usu, jam fugiente: aliæ, recentiores quidem illæ, non unius tamen temporis omnes, aut scripturæ: aliæ ad res pertinent, & ipsam verborum sententiam; aliæ ad verba & phrases; tum Criticæ; tum Grammaticæ: ne in hac, inquam, tanta notarum farragine & scripturæ caligine, aliquid meos vel quærentis, vel legentis oculos falleret. Sed jam meminerit Lector, quæ modò de duobus novæ editionis exemplaribus in Gallia repertis dicebamus. Nam quæ ex istius editionis oris adduximus, non ea jam (ut ea, quæ ex Basiliensibus oris) ex Patris autographo transcribimus, sed ut olim transcripta à nobis sunt, cùm isthuc ætatis essemus: ut si quid omissum à nobis fuerit, dum fortè festinamus; aut aliter lectum, quàm Pater scripserat, ejus rei culpam nos nunc sustinere ne cogamur. Istud exemplar, quod scripturam Patris habet, quin Lutetiæ, si quis id agat, reperiri possit, vix dubito. Lector monitus, si se offerat occasio, eâ uti poterit; & sicubi nos errasse deprehenderit, id ex autographo corrigendo, de publico simul & de nobis benè mereri.

Sed hoc etsi monendum credidi, non tanti tamen est momenti, quanti istud est, quod dicturus sum. Editio Polybii Basiliensis, (quod nôrunt qui usi sunt) quinque priores libros, qui de XL. *soli ad nos integri pervenerunt, & duodecim sequentium Eclogas complectens, prodiit anno partæ salutis* 1549. *non ut Ursinus, Vir doctissimus, festinatâ Opsopæi Epistolæ, quæ non ad hanc, sed priorem editionem pertinet, lectione deceptus, anno Domini* 1529. *Non plura tum Polybii, quæ publicè nota. Anno demum* 1582. *prodiit in lucem* Excerptarum Legationum *volumen Fulvio Ursino procurante, cum ejusdem Notis & Observationibus. Hæc igitur separatis voluminibus cùm haberet* ὁ μακαρίτης, *quæ nunc, unico volumine comprehensa, recentior ipsius editio exhibet; exemplar ejus, quod* Excerpta Legationum *continebat, neque ego unquam, quod sciam, oculis aspexi meis, neque ubi gentium sit possum dicere. Illud verò ubicunque sit, quin Notis* τῶ μακαρίτυ *pariter, ut erat editio Basiliensis, ad oras sit refertum, (& quis non liber antiquus*

antiquus ferè, quem Parens paullò accuratius legerat!) minimè dubito. Et 1670.
primo quidem spes me lactabat non improbabilis fore, ut ex Palatina Bibliotheca, in qua pars hodièque paternæ Bibliothecæ asservatur, ope amicorum nanciscerer. Ex ea certè Basiliensis editionis exemplar cum Manuscriptis Codicibus ad usum Patris diligentissimè collatum, & Epitomarum plura MSS. exemplaria, ad me missa sunt. Sed quod maximè cupiebam & laborabam, in eo frustra fui. An igitur & hoc Lutetiæ reperiendum? Sed viderint alii, quibus erit opportunum. Nobis certè hoc præsidio destitutis, si quid in his Excerptis, aut eorum versione suspectum esset, aut aliud, quod Lectores morari posset, id ut deprehenderemus & pro virili discuteremus, tantò magis laborandum fuit. Id quidem certè bonâ fide profiteri possumus, nullas nos quas attentiore lectione deprehendere potuimus difficultates, dissimulasse. Atque inde quoque noster in Fragmentis Polybianis labor tantò major, quòd in illis, & exemplaribus omnibus, Suidæ, puta, aliisque à Parente lectis, & pro more notatis, & ipsius versione destitueremur.

Cæterùm cum Græco tantùm textu in his nostris Notis, & variantibus seu dissidentibus lectionibus res nobis est: nisi si quid inter legendum obiter observatum, in quo suspicamur τῷ μακαρίτῃ *festinationem suam, & frequentes interpellationes fraudi fuisse: in quo de paternis manibus simul, & de veritate (quâ nihil illi in tota vita charius) benè mereri studuimus. Verborum obscuriorum, & quæ Polybio propria, explicatio (ut jam anteà dicebamus) ad Indicem Græcum rejecta, nisi fortè aliquid alicubi de verbis anticipandum fuit, ut vera & genuina lectio assereretur. Ejusmodi certè ab æquis & idoneis censoribus repertum iri has Notas, utcunque breves, speramus, ut eis carere Polybium minimè potuisse vel debuisse agnituri sint. Erit æquitatis Lectorum, non omnia à nobis in his exigere, quæ à Parente si Commentarios ipse suos edidisset, expectassent: aut omnium rationes nimis severè requirere, quò modo non contra rationem facta esse palam comperientur. Illud certè, an ex certa ratione & consilio fuerit, quòd quibusdam locis correctiones sive ex libris manu scriptis, sive ex ingenio* τῷ μακαρίτῳ *sunt in textum receptæ, (ut toto ferè libro* V. *passim) quæ alibi, quamvis certissimæ, ad Notas & Commentarios reservatæ: quod interdum, ubi locus manifestè corruptus; vel ubi dissidet ab edita lectione versio, præpositus est asteriscus: interdum verò (& id sæpius) omissus, non possum dicere. Hæc certè talia esse, quæ Lectori vel intelligentissimo molestiam facessere erant idonea, nemo negaverit: quæ omnia, nisi quid imprudentes nos fefellit, hac nostrâ qualicunque operâ prævenire ac tollere cura nobis fuit.*

De erratis prioris editionis, etsi prope putidum & sordidum, quò tamen nostram Lectori fidem & diligentiam per omnia, quo ad ejus potest, approbemus; sed & importunitati sciolorum in posterum eamus obviam; (quale quid in Perotti versione, ab importuno nescio quo correctore in quibusdam editionibus contaminatâ, contigisse accepimus) de illis igitur pauca quæ dicamus, antequam Lectorem dimittimus. Præter ea, quæ notata & collecta Parenti, tum in Græcis, tum Latinis, & post Præfationes exhibita, sed & alia ab eodem Patre meo posteà deprehensa, & ad oras illas suæ editionis exemplaris propriâ manu notata: cùm præter ista passim multa tum in Græcis, tum Latinis occurrerent, quæ ejusdem generis esse minimè dubitabam, de iis cur ultra deliberarem, quin deprehensa statim corrigerentur, caussa, opinor, non erat. Quia tamen hoc dum ago primò, pro rei natura, negligentius; propius nihil factum, quàm ut in hunc Erratorum censum referrentur aliqua, quæ posteà nihil minus quàm errata esse deprehendi. Ut

1670. *meo exemplo caverent alii, ne dum corrigere se putant, corrumpant; aut certè vim faciant, & in alieno opere jus exerceant minimè legitimum; non pœnitebit unum aut alterum tale incogitantiæ, aut si quis ita malit, ignorantiæ exemplum hîc posuisse. Ita igitur exempli caussâ pag. 98. d. (137.) pro eo, quod in Græcis est* ἐπεφόρωντος, *cùm Latina legerem*, quum suus ventus vela impleret, *&* οὔριον ἄνεμον *Latinè* secundum ventum *vulgò dici non dubitarem; compendiosam Patris scripturam non assequutos Typographos (qui etiam pag.* 511. (711.) circumstiarum, *pro* circumstantiarum *ediderant) ita finxisse rebar. Sed benè est quòd posteà casu, dum aliud ago, in Senecæ locum incidi;* Ignoranti quem portum petat, nullus suus ventus est: *quo tam tempestivè præeunte, & alios ita vulgò locutos olim, cùm purissimè loquerentur, comperi. Est tamen aliud in illa (ut obiter hoc moneam) sententia Polybiana, quod in Latina versione non reperio; & non aliud fortasse, quàm erratum typographicum meritò censeatur: nam ista,* ἀσφαλῶς τὴν ἀποχὴν. εἰς τὴν οἰκείαν ἐπανήκοντο, *vertendum fuit, nisi fallor*, patriam tutò, *vel*, tuti repetunt: *non, ut editum*, patriam repetunt. *At in his pag.* 433. *b.* (604.) quia is Proprætore tum ditioni præerat, *immeritò* τὸ Proprætore *suspectum initiò habebam, quod vel Sanctus Augustinus in Grammatica sua ipso statim initio docere me potuit. Ita & in Fragmentis Polybii ex Orosio, pag.* 1037. Posteà Flaminius Proconsule Philippum R. *&c. Pag. v.* 821. *d.* (1142.) Ubi satis locutus esset Eumenes, templo exiit: *quia in Græcis nulla* templi *mentio*, (ἱκανῶς εἰπὼν ἀπηλλάγη) *conjiciebam primò scripsisse* τὸν μακαρίτην extemplò *non*, templo; *sed amplius super eo cogitans, statim venit in mentem usitatam eam apud Latinos Scriptores formulam fuisse, cùm quivis locus, ubi Senatus haberetur*, templum *vocaretur, ut apud A. Gellium (quem non incuriosè nos legisse, quæ ad illum observavimus fidem fortasse facient aliquando) pluribus à Varrone disputatum memini. Possem plura; sed ex his satis intelligat Lector, quantâ religione qui aliena tractant opera se gerere debeant; talia præcipuè, quæ singulari arte elaborata, peritum requirunt judicem, nec ab aliis temerè contingantur, quin violentur, ac temerentur.*

Hæc erant, Lector Polybii studiose, & famæ Casaubonianæ non inique, quæ præmoneri te non abs re tua credidi. Vale, & conatibus nostris, dum tibi quâcunque ratione prodesse volumus, candorem tuum impertire.

MERICI

MERICI CASAUBONI,
ISAACI FILII,
PIETAS,
CONTRA MALEDICOS
PATRII NOMINIS,
ET
RELIGIONIS HOSTES.

SERENISSIMO,
POTENTISSIMOQUE
PRINCIPI,
JACOBO I.
MAGNÆ BRITANNIÆ, &c. REGI.

Miratura non est Majestas Tua, Rex serenissime, hominem spectatæ tibi innocentiæ defensione opus habuisse, quæ non ignorat quàm sit maledicentiæ his temporibus obnoxium, sectari bonas partes, & propugnare veritatem; immo verò proprio periculo didicit; cujus nec fortunæ sublimitas, quam omnes sani verentur, nec omnium virtutum concentus incomparabilis, quem agnoscunt simul & venerantur omnes boni, deterrere quosdam potuit à dirissima sacratissimi nominis insectatione. Incredibile id possit videri, nisi jam olim monuisset Scriptor sapientissimus de calumniatoribus loquens, *Nihil esse tam sacrum, quod sacrilegum non inveniat;* & eos esse constaret obtrectatores tuos, qui cùm fidei, virtuti, religioni jam palam renuntiarint, quot in Te conviciis invecti sunt, totidem parati sint Divinam Majestatem blasphemiis insectari, si majoris inde lucri spes affulserit. Et tu quidem, Rex serenissime, hæc hominum propudia meritò contemnis, cujus in tam sublimi fastigio facta, dictaque omnia tot habent testes, ut metus non sit, ne quid famæ tuæ calumnia, utut artificiosa, nocere possit. At privati hominis alia ratio; cujus quantò vita obscurior, & nota paucioribus, tantò magis injuriæ fabularum patet, magisque publicæ defensionis indiget. Quæ igitur Patrem, dum viveret, rationes impulerunt, ut malevolorum in se, & suum Patrem conviciis, quæ absque iis fuisset, tanti non erat facturus, respondendum sibi putaret, Pietas, studiumque Veritatis; easdem ipse suscipiendi hujus operis, & edendi Authores habeo. Quod ego caussis non levibus adductus, Tuæ, Rex serenissime, Majestati meo Patrisque nomine dedico, consecroque. Ille sub tuis militans vexillis, tuis auspiciis pugnans hæc odia retulit, hanc hominum malevolentiam sibi conciliavit. Tu illum multò antè quàm vidisses, & maximis locorum intervallis separatum amasti jam tum, & habuisti in tuis, atque mutuarum literarum honore non es dedignatus. Tu illum præsentem omni favore, gratiâ, & charitate complexus es, summisque in æternum Regiæ liberalitatis exemplum cumulasti beneficiis; eodemque porro affectu, eâdem liberalitate ad mortem usque prosecutus es. Summa erat hæc benignitas: minorem fecit Tua Majestas, quæ tantum posteà illi addidit. Parum tibi fuit ista illi præstitisse dum viveret; superstitem esse voluisti defuncto tuam beneficentiam, & ad posteros tanquam jus hæreditarium transire. Oculis tuis morte subtractus est Casaubonus, non animo, non amori; cujus fructum eundem percipit defuncti familia, quem vivo exhibueras. Vel illud, quale est? quod adeuntem Te nuper ex occasione matremfamilias tantâ verborum & vultûs humanitate excepisti, ut ejus temporis faciem videre illa sibi videretur, quum Te primùm adstante marito salutavit. Voluisti scilicet omnes intelligerent, hominis tibi dilecti non minus apud Te posse memoriam, quàm potuit præsentia; nec minus

N 2 immor-

immortalem esse tuam erga Casaubonum gratiam, quàm illa immortalia, quæ in Casaubono tibi placuerunt. Et erunt adhuc, qui integritatem ejus in dubium vocent? qui adulationem ipsi objiciant? Malorum certè, teste Plinio, infida est gratia, & amor obsequio & assentatione partus, nisi iisdem artibus foveatur, sensim evanescit. Gratiæ autem, quæ post obitum tam stabilis, & inconcussa maneat, optima fuisse, & laudanda fundamenta necesse est. Quæ cùm ita se habeant, vereor ego, Rex serenissime, ne benignitati tuæ derogare meritò viderer, si ambitiosas preces adjicerem, quibus scriptum, quo Patris caussa agitur, & existimatio defenditur, Tuæ Majestati commendarem. Non potest, quin curæ tibi sit ejus fama, cujus tam grata memoria; neque puto indignaturam Majestatem Tuam, si dicam, Patris defensionem ad Te quoque nonnihil pertinere. Indignum sanè esset admirabili prudentiâ, quam immensæ illi tuæ benignitati conjunxisti, tantùm honoris illi à Tua Majestate habitum, quantum sciunt omnes, si is reverà fuisset, quem facit adversariorum maledicentia. Sed vereor ne morer tua tempora: liceat in pio voto desinere: oro obtestorque DEUM, ut quem benignitate, clementiâ, καὶ τῇ κοινωνίᾳ τῆς εὐεργετικῆς προαιρέσεως unus præter cæteros maximè refers, is suam tibi, Rex serenissime, benignitatem, clementiam, & beneficentiam det uni præter cæteros in omnibus consiliis, inceptisque tuis experiri, Teque quàm diutissimè salvum populis tuis præstet, & incolumem.

Tuæ Majestatis

Cultor & Servus humillimus,

MERICUS CASAUBONUS, IS. F.

AMICO

AMICO LECTORI
SALUTEM.

Non, opinor, ægrè feres, amice Lector, si brevi te Præfatione moror, ut ea scias, quæ mea interest te non ignorare. Haud ita post venerandi Parentis obitum, ego annorum tunc quatuordecim, missus sum ad celeberrimam hanc Oxoniensem Academiam ad studia philosophica. Sciebam Patris φιλαλήθειαν, & ejusdem defendendæ studium multos ipsi malevolos, atque inimicos conciliasse, qui famam ejus varie traducere, atque obruere calumniis essent omni ratione conaturi. Sed ideò me minus hæc cura angebat, aut ab aliis curis avocabat, quia id quoque noveram, Patrem abundasse amicis, viris optimis & doctissimis, quos putabam tam veritatis, quàm ipsius caussâ patrocinium ejus contra inimicos suscepturos, atque omnem ab eo injuriam studiosè propulsaturos. Verùm aliter accidit; utrum quia rari fuerunt omni tempore, qui defunctorum amicos agerent, an quia potius indignos putarunt adversarios, & eorum calumnias quibus omnino responderetur, mitto nunc quærere. Insultat certè Heribertus Rosweydus in sua quadam Præfatione meo Patri, ut qui desertus & derelictus fuerit ab omnibus spatio integri quadriennii, post quod tempus prodiit vir clarissimus, Jacobus Capellus, Vindicias pro Casaubono postulans; sed qui, ut ipse profitetur, non tam personæ, quàm caussæ patrocinium susceperat. Vir enim doctissimus, & probissimus, cùm nihil probè omittat, quod ad rem ipsam pertineat, convitia & calumnias adversariorum in Patrem aut prorsus transit, aut leviter, ac molli, quod ajunt, brachio repellit; in hac caussa, si fas est dicere, nimis mitis & modestus. Ego interim indefensum, atque inultum jacere Patrem, pro eo ac debebam, ferebam graviter & acerbè; quia tamen statueram accuratè aliquando vitæ ipsius historiam scribere, putabam fore commodam tunc occasionem mihi illum vindicandi, atque eam expectare decreveram. Posteà illa, proh dolor! acciderunt, quæ me sententiam mutare coëgerunt, ut crediderim mihi primo quoque tempore aliquid contra varias adversariorum calumnias pro Patre respondendum. Videbam etiam Capellum & Rosweydum de quibusdam etiamnum magnâ contentione altercari, hunc studio calumniandi, illum veritatis, quorum ego videbar lites finire posse, paratus ab iis præsidiis ad caussam necessariis, quibus Capellus carebat. Cùm igitur majus illud opus de Vita Patris non possem nunc expedire, cui de multis quærendum prius, & ab aliis inquirendum, quæ adhuc ignoro; visum est hæc pauca, omni moræ longioris caussâ procul habitâ, scribere. Optâssem autem mihi ut contigisset uti doctorum virorum operâ, qui propter usum, & consuetudinem cum Patre diuturnam, aut aliundè quoque res ejus cognitas habuerunt; sed ego ab illis procul hîc ἄστος καὶ ἄπυστος, auxilio illorum nullo sum adjutus. Suppleverunt tamen hunc defectum ipsius Epistolæ, quas habebam, & multorum annorum Ephemeris, è quibus pleraque hausi, & didici, quæ ad hoc opus erant mihi necessaria. Profiteor autem me hoc quicquid est operæ ad refutanda tantum mendacia, & calumnias, hoc est, ad defensionem personæ suscepisse. A re ipsa autem, & caussa abstinui, cujus partes jam egisse Capellum diximus, ut rectè possint quæ ille scripsit sufficere. Quæcunque tamen ille præteriit, aut negligentius est persecutus, ea volumus à nobis expectari, si Deus nostris studiis & conatibus adspirarit. Nunc, ne expectes, Lector, exquisitam aliquam audaciæ deprecationem, quod ego ingenio mediocri, eruditione nullâ, ab omnibus denique iis imparatus, quæ solent laudari, in publicum prodire audeam. Quorsum enim? Non hoc opus doctrinæ, sed pietatis, non ad famam mihi parandam, sed paternam tuendam. Quid refert quomodo scripserim, quàm eleganter, & ornatè; modò vera scripserim? Ferunt Crœsi Regis filium, cùm prius mutus, & elinguis fuisset, ad servandum Patrem magno nisu naturæ vim fecisse, & abruptis linguæ vinculis sermonem recepisse: ego, qui quoquomodo me possum exprimere, ubi fama, & existimatio mei Patris agitur, silerem? Apage verecundiam, quæ piaculo propior. Hæc te volui, Lector, nescius ne esses. Vale.

APPROBATIO.

QUam debet, ipso jure pietatis, Patri,
Et, veritatis lege, tam probo Patri,
Et, literarum jure, tam docto Patri,
Defensionem candidam, solidam, integram
Hic exaravit filius CASAUBONO,
Ne quid tuendam desit ad causam bonam.
Laudo. Sepulto justa genitori facit,
Et filialem lucis usuram refert,
Dum sic paterno nomini lucem admovet,
Calumniarum nube depulsâ gravi.
Mendaciorum plaustra, rixarum strues,
Opprobriorum complicatas sarcinas
Dissuere, dissipare, pessum vertere
Sic valuit, & sic voluit. En talem sibi
Optaret ipse filium, qualem dedit;
Pugilemque talem postulent, aptum bonis,
Hosti timendum Veritas, Pietas, Fides.
Has advocatas adhibet, his ducibus pugil
Contra irruentes impudentes rabulas
Prodit, paternæ non modò innocentiæ,
Sed gloriæ (quam nulla franget fabula)
Vindex, & hæres, & theatrum Filius.

Sic Librum hunc approbavit
THOMAS GOADUS,
S. Theologiæ Professor.

DE MERICI CASAUBONI PIETATE.

QUi lectos cineres acri sparsistis aceto,
Quàm melius vobis abstinuisse fuit!
Nam qui delituit vivaci Vermis in ovo,
Nunc tepido Phœbi lumine factus Olor,
Persida mordaces respersit in ora favillas,
Fœdasque à tumulo Patris abegit Aves;
Pristinus ut redeat deterso candor Olori,
Detque piis pœnas Manibus atra Manus.

R. T.

MERICI

MERICI CASAUBONI

PIETAS

CONTRA

maledicos Patrii nominis & religionis hostes.

PARS PRIMA.

MAgna fuit, Lector, & optanda felicitas illorum temporum, quibus ea erat ingeniorum simplicitas, ut doctis inter se liceret salvâ concordiâ, sine felle atque acerbitate dissentire, ac Veritatem quærere. Hodie nullum crimen est capitalius libertate judicii, nihil conviciis & calumniis opportunius, quàm contra aliorum opinionem, quid in quaque re sentias, exponere. Pauci admodum aliquid omnino scripserunt, qui pro seipsis posteà scribere non sint coacti; adeò multi, aut Veritatem ipsam odio habent, aut sibi putant injuriam fieri, nisi in ipsorum verba juraveris. Ex omni porro ambigua & controversa materia, nulla est quæ acrius & majori contentione soleat agitari, quàm quæ est de Fide ac Religione disputatio. Illa verò quantò sanctius argumentum, tantò magis animi eorum, qui propugnatores ejus audire cupiunt, ab omni mala malitia, & obtrectandi vitio puri deberent ac immunes esse. Rem tamen secus habere docet nos experientia: nam qui *pias fraudes* ad excitandum zelum, id est, figmenta & fabulas ineptissimas jam pridem laudarunt, hodieque iis utuntur, ut per omnia sibi constarent, pia quoque convitia, piasque calumnias excogitarunt, quibus adversarios oppugnarent: quod quidem ita faciunt strenuè, ut in iis ponere videantur unicum caussæ suæ præsidium. Sed miseram potius atque desperatam tali patrocinio! Quæ conscia est enim suæ sibi bonitatis, nunquam tam abjectæ spei esset, ut turpe adeò auxilium sustineret implorare. Nam quæ alioquin major insania, quàm ut Veritatem tuearis, uti vanitate? Egregiè olim dicebat in re non dissimili Scriptor elegantissimus, * Οὐχ ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἀπλῆ τὴν ἀρετὴν, ὃ δεῖται πονηρίας συμμάχυ. Produnt igitur se miseri veteratores, & quam caussam defendant, ratione ac modo defendendi palam faciunt. Ut mirum non sit, si ex ipsis illis partibus aliquando non boni tantùm offendantur hac portentosa licentiâ propter rei fœditatem; sed alii quoque, non illi quidem fortè admodum boni, sed aliquantum prudentiores, qui probè intelligunt, non minus obesse caussæ suæ hos μυθοπλάστας, & calumniarum artifices apud perspicaces & cordatos viros, quàm prosunt apud quosdam simpliciores, cœcamque ignorantiâ plebeculam; præcipuè qui videant multos non parcè & callidè uti hac licentiâ, ut cum colore mentiantur, dicantque, etiamsi non vera, verorum tamen speciem habentia; (quod ipsis est concessum dubiis rebus) sed ita φόρδην καὶ ἀθρόως, ita sine arte ac judicio, ut hient ac pateant fraudes cuivis, modò qui elephanti corio non sit tectus, fiantque quod ait alicubi Plautus, *Doli non doli.* Hoc adeò inde videtur esse, quod quidam sunt homines naturâ maligni, mendaces, φιλεχέχθημοι, qui nacti hoc pallium pietatis, & zeli insito vitio, securi scilicet, frænum laxant ingenio prurienti. Adde quod hoc prætextu multi privatum dolorem, aut suum aut alienum, pretio conducti ulciscuntur. Quare nihil tam ineptum, tam portentosum aut horribile, quod de magnis viris dictum, scriptumque non sit. Si nos hoc nunc ageremus, possemus facillimè, quæ diximus, exemplorum infinito numero confirmare: nunc non est id nobis propositum: sed neque puto quemquam esse tam malè versatum in hujus ætatis libris, qui in his mihi non sit, etiamsi longiori operâ supersedeam, facilè accessurus. Hoc videor posse verè dicere, oppidò quàm paucos scripsisse de rebus hodie controversis, eâ modò efficaciâ, ut adversariis stomachum moverint, qui hæc experiendo non didicerint. Quibus autem, & cujus generis calumniis uti soleant, poterit Lector ex iis cognoscere, quæ

* Synes. Epist. 5.

quæ deinceps sumus dicturi ad defensionem *Isaaci Casauboni*, venerandæ memoriæ Parentis, in quem sui artificii, malitiæ, & fraudis omne genus exemplum omnibus numeris absolutissimum plures ex illis ediderunt. Visum est autem pauca quædam de eo præmittere, qui erit totius orationis argumentum.

Vide Epist. 453. ISAACUS CASAUBONUS natus est Genevæ, (quo parentes metu vivicomburii propter Religionem concesserant) anno partæ Salutis CIↃ IↃ LIX. 12. Kalend. Mart. patre Arnaldo Casaubono, viro vitæ integerrimo, & doctissimo; matre Johannâ Rosseau, singularis exempli fœminâ. Statim ab ineunte ætate destinatus optimarum literarum studiis, ad patris curam & diligentiam magnam attulit ingenii docilitatem, animique alacritatem penè incredibilem. Ante annum ætatis nonum emendatè Latinè scribebat, & expeditè loquebatur, magnâ patris & amicorum voluptate, qui indole pueri supra modum capiebantur. Jam magnam spem sui excitaverat, quum publicâ temporum calamitate funditùs eversa sunt ipsius studia. Qui enim fuerat magno patris studio ac labore institutus, diuturnâ ejusdem absentiâ navantis operam Ecclesiæ necessariam tantum dedidicit, ut, quod ipse solebat dicere, duodecimum agens ætatis annum, vix nomen ipse suum declinare posset: quam tantam mutationem & ætas ipsa excusat, & multis de causis non est miranda. Nam præter quod eo tempore caruit omni ope, exemplo, & consilio; (quæ doctorum penuria erat in illis locis propter afflicta Reipublicæ tempora) variis casibus jactato, periculis indies exposito, deerat scilicet otium, & prior animi, vitæque tranquillitas. Reverso post triennium patre, studia denuò inchoavit ab ipsis fundamentis, sed tanto ac tam constanti impetu, ut fuerit sæpe imperio patris quasi sufflaminandus, magnum alioquin vitæ periculum, aut saltem sanitatis incursurus. Habuit tamen & hoc tempus suas remoras, & impedimenta non pauca; maximè verò nefandæ illius, atque æternùm execrandæ lanienæ tempore, quæ incidit in annum ætatis ipsius quartum supra decimum. Tunc illum pater primum Græcis literis initiavit, cùm sceleratas sicariorum manus fugientes, in sylvis & solis locis miseri, ingenti tamen animo, latitarent. Mox pater ita vacavit publicis negotiis, ut filii studia cogeretur omittere. Quis inde status studiorum ejus fuerit, quæ vitæ conditio, referam ipsius verbis è quadam Epistola *: *Anno ætatis decimo nono Genevam sum missus studiorum cauſſâ… Hîc ego quantum poteram dies noctesque vires contendens, sitim meam conatus sum explere. Itaque Dei bonitas vigiliis nostris ita benedixit, ut anno ætatis vigesimo quarto Francisco Porto Cretensi, Græcorum omnium nostri temporis longè doctissimo, viro admirandæ probitatis, & pietatis singularis, in professione literarum Græcarum successerim. Vixi annos quatuordecim Genevæ Professor, primò Græcarum literarum, deinde etiam Latinarum, aliquando etiam Hebraicarum.* Hæc ille ad amicum. Adhuc adolescens editione Notarum in Diogenem Laërtium primis sui nominis auspiciis prælusit, & optimo parenti θρεπτήρια simul & Minerval aliquod persolvere conatus est; primum enim illum ingenii sui fœtum patri dedicavit, eidemque magnâ reverentiâ pari pietate junctâ detulit. Anno Domini CIↃ IↃ LXXXVI. Arnaldus Casaubonus fato concessit, anno climacterico ætatis suæ sexagesimo tertio. Pater, qui tunc aberat, dolorem suum ex eo nuntio testatus est in Commentariis ad Strabonem †, quos tum scribebat, his verbis: *Hoc tempore allatus mihi tristissimus de obitu, hei mihi! optimi optiméque de me meriti parentis mei nuntius ita me perculit, affecit, ut prorsus ab his mansuetioribus Musis abhorrens animus, alias literas requirat, in quibus acquiescat, ac tanti vulneris medicinam reperiat, quæ profectò non aliæ sunt, quàm eæ, in quibus annos fermè triginta idem ille μακαρίτης Pater meus se non sine fructu (Deo gloria sit & laus) exercuit; quasque voluit ille semper suis liberis versari ante oculos.* Annum ætatis agentem quasi vigesimum octavum gravis eum languor invasit, quo admonitus suæ mortalitatis, omnibus aliis studiis renuntiavit (totus autem fuerat jam aliquot annos in studiis philosophicis & Jurisprudentiæ) seque totum ad sacra contulit. Quæ etiam postquam ex tabe illa convaluisset, & pristinam valetudinem recuperasset, nunquam penitùs omisit, tantum semper temporis illis libentissimè tribuens, quantum poterat per alias occupationes pro instituta ratione vitæ necessarias. Sub idem tempus Henricus Stephanus, vir clarissimus & optimus, Florentiam Stephanam, egregiæ tum spei filiam, illi juveni despondit, ac mox collocavit. Anno Domini CIↃ IↃ XCVI. ætatis trigesimo octavo cùm honestissimâ conditione à S. P. Q. Monspeliensi invitaretur humanissimè ad publicam humaniorum literarum professionem in ipso-

* Num. 879. Joanni Prideaux.

† Lib. v. pag. 211. edit. Paris.

ipsorum urbe, crebræque amicorum adhortationes accederent, tandem sub finem anni ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ patriam reliquit, & Monspelium migravit: quò cùm pervenit, incredibili amicorum gratulatione, & mirificâ publicæ lætitiæ significatione exceptus est, cùm etiam ipsi Urbis Consules obviam illi processissent. Munere Professoris ibi functus est duos annos & aliquot menses. Jam sua illi fama magnos Lutetiæ amicos pepererat; plurimis quoque brevi profectione, ex occasione ab eo prius illuc institutâ, familiariter innotuerat. Hi igitur omnes omnem movebant lapidem, ut eum Lutetiæ possent habere proprium, in eumque finem crebrò cum Henrico Magno, rerum tunc in Gallia potienti, commendabant. Tandem anno Domini CIↃ IↃ IC. literis Regiis accitus, Monspelio valedixit, & primùm Lugdunum Convenarum se contulit, ubi quandiu ferè fuit, usus est hospitio viri illustrissimi Merici de Vic, qui inprimis favebat ejus studiis, atque arcto cum amore complectebatur. Posteà Lutetiam profectus est, sed ad breve tantùm tempus, Lugdunum mox reversus, ut editionem Athenæi absolveret, quam sub prælo reliquerat. Anno demum CIↃ IↃ C. eò migravit cum familia, sedemque ibi firmam fixit. Urbe autem plenâ hominum diversa de Religione sentientium, qui præsertim ex illo numero plurimos amicos haberet, non poterat frequentes de Religione velitationes evitare: quod cùm alias ob causas accidebat ipso invitissimo; tùm etiam ferebat ægerrimè, tantum sibi perire temporis à studiis, seque literis suis sedulò vacare non posse. Statuerat igitur γῆν πρὸ γῆς, atque alibi quietiores Musas colere. Verùm quum missionem ipse, & per amicos iterum atque iterum à Rege petiisset, impetrare tamen non potuit. Multæ sanè sunt oblatæ illi conditiones, Sedani à Duce Bullionio, Nemausi, & Heidelbergæ, alibi; omnes luculentæ & magnis illecebris. Sed postquam spes illa tranquillioris loci decollavit, nempe quod erat relictum, præsentibus se, ut potuit, accommodavit atque patienter acquievit. Anno Domini CIↃ IↃ CX. accidit id in Gallia, quod etiamsi nulla sit unquam dies, nulla vetustas obliteratura, nemo tamen potest, præcipuè qui sit γνήσιος Gallus, sine horrore meminisse. Post nefarium optimi Regis parricidium, tantam rerum publicarum περιπέτειαν, secuta est necessariò immutatio quædam privatarum quoque fortunarum. Pater jampridem innotuerat serenissimo Magnæ Britanniæ Regi, & non unas ab eo literas acceperat, quibus suam illi benevolentiam Princeps optimus benignissimè significabat. Avebat etiam mirum in modum ritus Ecclesiæ Anglicanæ, ac consuetudines cognoscere certiùs, atque adeò ipsis oculis explorare. Cùm igitur diu quæsita occasio tandem se obtulisset occiso Rege Christianissimo, ultrò invitatus à Principe benignissimo, acceptis ab illustrissimo Archiepiscopo Cantuariensi literis humanissimis, suscepit iter in Angliam, missione prius à Regina per amicos impetratâ. Ibi expertus est summi Regis admirandam benignitatem, & aliorum quoque Procerum benevolentiam erga se incredibilem. Accidit paucis post adventum mensibus, ut Epistolam ex occasione scriberet ad Frontonem Ducæum, Societatis Jesu Theologum; item aliam brevi intervallo ad illustrissimum Cardinalem Perronium: utraque est paulò pòst publici juris facta. Posteà cùm Rex serenissimus diutius eum sibi retineret, optati otii factus compos, ad majus opus se accinxit, & quod tot annos meditabatur, Annalium Cardinalis Baronii examinationem. Hoc illud est; hinc illæ lachrymæ; hinc, inquam, illæ iræ & odia; hinc falsæ absurdæque criminationes; hinc denique calumniæ diabolicæ. Dum adhuc sese intra limites profanæ literaturæ, καὶ τῆς ἔξωθεν παιδείας continuit, quod paucis datum, ipse facilè erat assequutus, ut laudem sine odio, sine invidia inveniret; aut saltem (quia id videtur ἕν τι τῶν ἀδυνάτων) ut perpaucorum, atque adeò vnius tantum atque alterius livorem & malevolentiam, infinitorum studia compensarent. At ubi Theologica semel attigit, nulla æquitas, nulla moderatio, nulla modestia profuit; tanquam rem illicitam ac nefariam esset aggressus, ita animi multorum in ipsum sunt protinùs immutati. Sed bene est, quòd nihil inexpectatum, nihil non illi prævisum diu acciderit. Cùm universim invidiosum est immiscere se alicui de Fide controversiæ, tùm maximè illa contentio odiis, conviciis, calumniis opportuna est, quæ est de Romani Pontificis Potestate temporali. Hæc est hodie (si verum volumus) apud multos summa Fidei; hæc cardo, in quo vertitur omnis adversariorum Theologia; qui illam oppugnat, is arcem illorum invadit; quam si semel amiserint, de cæteris non admodum, aut certè non ita acriter contendent. Hanc igitur acerrimè, hanc animosissimè propugnant, & eos, qui contrà mutire

tire audent, habent loco hostium infensissimorum, illosque quibusvis artibus, quâvis ratione, ἢ δόλῳ ἢ βίηφι conantur opprimere. Hujus rei unicum nunc dicam argumentum, ex ea, quæ nuper prodiit duorum Benedictinorum Patrum, Theologiæ Professorum, à Cardinalibus ad Pontificem maximum Appellatione. Hac Appellatione ostendunt Authores, *Cardinalem Bellarminum, tam extra omnis modestiæ & charitatis Christianæ limites tam horrenda crimina Widdringtono imposuisse, illumque tam inverecunde calumniatum esse, ut quantumvis Ecclesiæ Catholicæ Romanæ se filium esse profiteatur, ipso tamen* (ut illi loquuntur) *Luthero, Calvino, aut alio quovis perditissimo; aut in reprobum sensum dato homuncione deteriorem faciat*, idque ob has tantùm causas, quod ille Widdrington *Juramentum Fidelitatis ab Anglis licite suo Regi præstari posse affirmarit, & potestatem Papæ deponendi Reges, suis Dominiis privandi, de Fide certa esse negaverit.* Quid igitur Patri meo sperandum fuit, qui huic doctrinæ in illis suis libris totis se viribus opposuit? Sed neque illud ignorabat, quantæ aleæ res esset, quantæ confidentiæ, Baronio, quem sui pro ἀνεπιλήπτῳ καὶ ἀμωμήτῳ colebant, audere contradicere. Hæc, inquam, omnia ille non ignorabat. Neque defuere ex illis castris boni & amici viri, qui sedulò illum monerent, & ab inceptis deterrere conarentur: Haberet aliquam rationem suæ famæ, quam certissimâ ratione hujus generis scriptis ibat imminutum; haberet & tot amicitiarum, quas erat (ô tempora) violaturus. Denique si quieti suæ, si otio, si tranquillitati consultum vellet, ab omni genere contentionis in negotio Religionis abstineret. Hæc & similia illi proponebantur; sed qui jam omnia perceperat, & animo secum antè peregerat, ad hæc imperturbatus, interritus, multorum odia atque inimicitias suscipere; & vel luere pœnas, si ita casus ferret, non recusavit ob honestissimum factum, quo suam pietatem Deo & verè piis approbaturum se sciebat. Si essemus ex iis, qui quâvis ratione δηλοῦσθαι ὑποθέσει, æquâ an iniquâ, nihil pensi habent; possemus virorum magnorum Epistolas proferre, quæ apprimè ad rem facerent. Sed tanti mihi non constet veritas, ut propter ipsam humanæ societatis jura migrem, cùm putem illas non posse, sine eorum periculo, qui scripserunt, evulgari.

Primum opus, quod edidit in Anglia, fuisse diximus Epistolam ad Frontonem Ducæum: agit illa præcipuè de Papæ Monarchia temporali, de Juribus Regum, & Juramento, quod vocant, Fidelitatis, aliisque id genus, de quibus notum est, eandem non esse omnium Pontificiorum sententiam: cætera pertinent ad fidem historicam, de horrenda illa Proditione Pulveraria; de authoribus, non de causa ipsa, & rebus fidei controversis. Tamen quia, ut antè dicebamus, quæ minimè ad fidem pertinent, ea pro fundamentis Religionis plurimi nunc habent, magnam illi invidiam hæc Epistola peperit, multorum odia atque inimicitias conciliavit: unde statim contumeliosissimi in ipsum, & virulentissimi libri prodierunt. Epistolæ ad Cardinalem Perronium non tàm Pater author erat, quàm Rex ipse serenissimus: quare igitur in illum propter eam inveherentur, causa non erat: nec, quod ego quidem sciam, hactenus factum. Exercitationes in Baronium non multò antè Authoris obitum sunt editæ. Quæ igitur posteà in illum sunt scripta, jam rebus humanis exempto prodierunt omnia. Nos, quod ad illa attinet, quæ Patre adhuc superstite exierunt, sequemur ejus judicium, contenti partim ipsius responsionibus, partim silentio, & generoso contemptu. Iis respondere, quibus ipse fato occupatus non potuit, putamus esse pietatis nostræ; tum etiam, ne si sileamus, non tam putent adversarii indignas fuisse suas calumnias, quibus responderetur, quàm defuisse, qui vellet & posset illam subire provinciam. Primum videamus ipsos Authores qui sint, qui ab illo, quo dixi, tempore aliquid in eum scripserunt, tàm eorum, qui scripta simul & famam ejus, quàm qui hanc solam famosis libellis appetiverunt.

Princeps fuit in hoc agmine Heribertus Rosweydus, Jesuita, qui decerptis hinc & inde locis ex Patris Exercitationibus atque improbè vellicatis, capita XII. composuit, quæ hoc titulo publicavit anno CIↃ IↃ CXIV. *Lex Talionis duodecim Tabularum, &c.* Nihil ego de viri illius eruditione detractum velim, sed dicam quod res ipsa clamat, in illis quæ scripsit in Patrem, solidioris alicujus eruditionis rara vestigia, fellis autem & maledicentiæ insignes ubique notæ. Quum autem sit fabularum amantissimus, quod scripta ejus testantur, (videat qui ridere volet illa de apibus & araneis, quæ sunt in Anti-Capello) minus mirum, cum ita studiosè & accuratè collegisse plerosque sermones, atque rumusculos, qui

qui erant de Patre meo sparsi, atque ausum confidenter ipsi objicere. Jacobus Capellus, Vir clarissimus, quum libro, quo Vindicias pro Patre adversus præcipuos ipsius adversarios postulabat, has quoque tabulas, non adeò copiosè quidem, sed prout illæ merebantur, refellisset, Heribertus statim stylum resumpsit, & officiosas has Capelli Vindicias *explodere* conatus est, edito libro anno CIↃ IↃ CXIX. quo etiam priores in Patrem calumnias repetit. Contra hunc librum eodem anno scripsit Capellus *Assertionem Bonæ Fidei*, usus priore suo instituto, ut præcipuis immoraretur, leviora præteriret. Sed Rosweydus, ut est famæ suæ diligens, & alioquin non ignavus miles, alium rursus hoc ipso anno CIↃ IↃ CXXI. emisit librum bene magnum, quem nominat, *Syllabum malæ fidei Capellianæ*, quo vetera sua reponit, nova affert; sed pauca ad Patrem spectantia, cùm jam hæc lis sit facta Capelli propria.

Andreas Eudæmon, Gaspar Scioppius. Heribertum secutus est Author Elixir Calvinistici, quisquis ille fuerit; ipse se appellat Andræam Scioppium. *Andræas* sanè & *Scioppius* nomina sunt illustria è familia calumniatorum; sed Andræas Scioppius monstrum est hactenus mihi incognitum & inauditum. Quum primùm igitur vidi illam Satyram, desiderio hominis cognoscendi, quia se profitetur Gasparis fratrem, vitam Gasparis percurri; sed ibi quum de sorore sint non pauca, de fratre ne γρῦ quidem reperire potui. Ut non immeritò dubitem talisne quisquam sit homo natus, quem vult hic se credi, *Andræas Scioppius:* nisi fortè quia Gasparis πότνια μήτηρ, uti ajunt, non cum uno viro rem habuit, jus maternum prætendens hic Andræas, gloriæ & honoris avidus, in illustrem familiam sese inseruerit. Nam vel illud, quantæ, quæso, ambitionis, quod in libelli vestibulo plena scriptura, *Andræas Scioppius, Gasparis frater?* Sed quicquid hujus sit, certum est tale illud esse scriptum, ut ipse Gaspar Scioppius illius Author esse potuerit; adeò mendaciis & calumniis refertum est, adeò plenum maledictis & conviciis, quorum οὐδ' ἂν νηῦς ἑκατόζυγος ἄχθος ἄροιτο, adeò totum ineptum, insulsum & insipidum. Jocorum ac salium quàm putida ac puerilis affectatio? ἡ τοῦ μύθου διάθεσις καὶ οἰκονομία quàm inficeta & injucunda? Vix puto quenquam tam validi stomachi, qui possit, paucas licet paginas, sine nausea ac fastidio perlegere. Quæ autem sunt pag. 24. &c. ubi quasi depositâ mimi personâ seria videtur promittere, jubetque suos Lectores togam componere, quis non dicat Authorem ebrium aut insanum scripsisse, qui citatos ex Exercitationibus locos inspexerit? Peream nisi meruerit hic homo, quisquis sit, ut Gasparis Scioppii frater credatur esse.

Andrææ fratri (ita enim lubet credere) comes exiit anno CIↃ IↃ CXV. Gaspar Scioppius, quamvis personatus assumpto *Holofernis Krigsœderi*, vero, an ficto ad arbitrium, nomine *. De Authore etiam sine indice constare poterat: larvam tamen illi detraxit Eudæmon-Joannes, & suo nomine cognoscendum exhibet, Castigationum lib. 11. pag. 125. Jam diu est quum audiveram Scioppium tale quid esse meditatum; sed an liber etiam esset editus, compertum non habebam; fecit mihi illius copiam nuper vir singularis pietatis & doctrinæ, meorumque studiorum fautor optimus & humanissimus, Joannes Prideaux, Regius in hac celeberrima Academia Theologiæ Professor, & Procancellarius amplissimus. Fortè illum domi suæ conveneram, atque inter alia de hoc Scioppii libello rogabam, an haberet: *Habeo verò*, inquit ille mihi, *sed miro adeptum casu. Inviseram illustrissimum Bathoniensem Episcopum, qui tunc illum librum habebat in manibus, jamque aliquot paginas delibaverat, quum longioris lectionis impatiens, infelicem librum in objectum focum projecit indignabundus. Tunc ego citissimè arripiens, At ego, inquam, jam bene sum exercitatus in ejusmodi scriptis; lubenter in hoc experiar, quantum mea valeat patientia. Sic illum præsenti periculo eripui, & adhuc habeo.* Hæc ille mihi. Nec erant sanè tam dignæ miseræ chartæ, quàm Author ipse dignus qui flammis ultricibus traderetur. Is est quidem Scioppius, à quo nihil non horrendum & execrabile debuit expectari: videtur tamen hoc in libro omnes ingenii nervos contendisse, quò fieret αὐτῆς αὐτοῦ χείρων, quantumque alios omnes mortales jam pridem importunitate καὶ θρηνῳδίᾳ prætervierat, tantum ipse sese hoc novo scripto superaret. Ac ne cuiquam de sua ἀθεΐᾳ dubium relinquat, ipse se Atheum ipso statim initio tantùm non fatetur, & jactat. Quid enim sibi vult Alastor, qui quum intenderet alios inaudito exemplo calumniari, & omni convitiorum genere prosequi, congerit præcipuos è Sacris Scripturis locos, quibus vetamur aliis ullam omnino contumeliam facere, aut convitium dicere? Pag. 31. Nonne ut omnibus palam faciat, quo loco Dei mandata habeat homo perditus,

* Vide Placcium de Scriptoribus pseudonym. pag. 408. edit. 1708.

ditus, atque Deo ipsi (horresco referens!) illudat? Monstrum in ultimas terras deportandum! verum Satanæ mancipium! Ecquis jam mirabitur talem hominem passerum conditionem humanæ sorti prætulisse, quia eos esse observarit, ut ait ipse, ad Veneris palæstram fortiores & valentiores, quàm sint homines? Verum ac genuinum Epicuri de grege porcum! Abominati sunt veteres Ethnici ὀψοφάγον quendam, qui gruis collum sibi optabat, ut voluptatem è cibo longius perciperet; quid nos de hoc dicemus, professione saltem & nomine, Christiano? Et hic audet quenquam, vel improbissimum, audet scelus, accusare, & tanquam Censor aliquis, & morum magister ignominiâ notare? Ille meo Patri, quem scit ipse spectatissimæ semper integritatis fuisse, stupra, furta, lenocinia, adulteria, (hæc ipsa enim crimina illi impingit, & alia quoque vel dictu fœda) audet objicere? Mirum mihi videtur & incredibile, nisi quòd Scioppium cogito; qui, ut ajebat de Menone Xenophon *: Ὥσπερ τις ἀγάλλεται ἐπὶ θεοσεβείᾳ, καὶ ἀληθείᾳ, καὶ δικαιότητι, οὕτω καὶ αὐτὸς ἀγάλλεται ἐπὶ τῷ πλάττεσθαι ψευδῆ, in impudentia, in bonorum obtrectatione, atque adeò in ipsius Virtutis insectatione. Quis igitur putet aliquam eorum rationem habendam, quæ hic talis objecerit, aut quis potius non credat, probitatis atque integritatis argumentum ab illo accusari? Si verum est, quod ait, opinor, alicubi Seneca, *Turpe esse laudari à turpibus*, est profectò vituperari ab isto quàm laudari multò magis optabile & expetendum. Neque id verendum puto, ne fortè liber ille veniat in alicujus manus, cui ignotum Authoris nomen, & mores incogniti, possint imponere: nam quis ferè est eorum, qui in literis versantur, cui notus & auditus non sit *Scioppius?* Verba sunt Taciti † de Cajo Petronio, *Utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat:* hic quidem verè possit gloriari plus se suis vitiis nominis ac famæ sibi peperisse, quàm multi ab omni ævo excellenti atque heroïcâ virtute viri. In circulis & sermonibus, ubicunque est, ut alia taceam de impudentia, maledicentia, atque audacia, mirum nisi Scioppii quoque fiat mentio, nisi ille fabulæ maxima pars. Non possum quin insigne ejus mendacium & fraudem detegam, atque obiter convincam; non quia privati alicujus fama læditur; sed quia res publicè gesta debet ab impudentissimis nebulonis mendaciis, ac sycophantiis vindicari. Ante sex septem annos acta est Cantabrigiæ Comœdia coram Rege & quibusdam primariæ Nobilitatis viris. Cùm esset pro re nata introducendus notissimus aliquis & decantatissimus nequam, isque pro loci ratione, è turba sciolorum; quem, quæso, præponerent clarissimo & celeberrimo Scioppio? Erat autem personatus ille Scioppius reus sistendus, reusque peragendus. Scimus poëticam licentiam, quâ veris, cùm fert occasio, licet addere, & res quovis modo accommodare proposito, modò τὸ πρέπον observetur. Per hanc sanè legem poterat Scioppio dari famosissima quævis persona. Adeò tamen religiosi fuerunt Authores Comœdiæ, ut in re ludicra nollent ab historica veritate discedere. Criminibus furti, maledicentiæ, & μοιχείας postulatus & convictus est. Quid hic, quod pro vero tribunali, & judicio agi non debuerit? Cùm ventum est ad genus pœnæ, decretum est, ut ore ejus rebus condignis obturato, impurus homo impurissimam animam per dignas eâ sedes, sive, ut cum Plauto loquar, per inferiorem gutturem exhalaret: atque hæc ita se habuerunt. Jam qui volet aliquod specimen Scioppianæ fidei, legat ejus Epistolam Dedicatoriam libri anno 1619. editi hoc titulo, *Gasparis Scioppii Hæreticus Elenchomenos*, ubi etiam videbit nihil huic excetræ sacrum, quæ Unctum Dei veneno suo conatur aspergere. Jure miretur aliquis quid adeò illum offenderit? An dolet vitia sua & scelera audita in scena? Non potest; nisi viri magni vani fuerunt, qui scripserunt proprium esse τοῦ ἀπονενοημένου, *perditi ac profligati hominis*, κακῶς ἀκούειν δύνασθαι, καὶ οὐκ ἄλλως ἀξιοῦν θηρεύεσθαι τὴν ἀπόνοιαν αὐτοῦ· ἢ ὅταν ᾖ πανήγυρις. Intelligis, ut puto, Lector, quare dixerim non habendam rationem eorum, quæ Scioppius objecerit. Jam dabo tibi, quod rideas; est sanè jocularium. Scribit igitur hic nebulo, Patrem meum, postquam legerat hunc suum libellum, ex desperatione vitæ renuntiasse, atque inde vivere desiisse. Eodem etiam libro scribit idem Josepho Scaligero accidisse, lecto, quod in eum scripserat, immani volumine. Vide quanta res sit Scioppium iratum habuisse. Cavebunt omnes, puto, in posterum, ne tanti Alastoris offensionem incurrant. Sed ut seriò loquar, verum est, & Patrem legisse librum illum, & paucos post menses factum esse (ita opto & spero) melioris vitæ participem: sed vix, puto, concessuros Medicos illum ex animi ægritudine obiisse; & miror hujus commenti non venisse

Comment. in Priap. p. 63.

* De Expedit. Cyri. lib. II. in fine, pag. 292. edit. 1625.

† Annal. lib. XVI. cap. 18.

Vide Vitam Gasparis Scioppii, ab ejus contubernali scriptam, & jam sæpius editam.

venisse in mentem isti Gasparis fratri, qui toties repetit in sua Satyra eum ex calculo periisse; nisi fortè calculus ex paucorum dierum dolore possit provenire. Cæterùm si vis scire, Lector, ut Pater affectus fuit lecto illo Scioppii libro, en tibi locum ex ejus Ephemeridibus, qui tibi satisfaciet. *a. d.* VIII. *Id. Mart. Hodie Rex optimus mihi ostendit librum Scioppii, in quo & ipsius Majestatem & patrem meum, uxorem & me horrendis convitiis prosequitur. Miseram Religionem Romanam, quæ aliter nisi per diabolica mendacia defendi non potest! Tu scis, Jesu Christe, veritatem aut falsitatem illarum criminationum, tu judex esto: ego interim glorior, propter nomen tuum has me & meos pati contumelias; tibi honor & gloria. Amen.*

Apparet Scioppium quædam quæ erant in illo MS. exemplari, posteà induxisse: nam in editis de Matre verbum nullum.

Julius Cæsar Bulengerus scripsit suas Diatribas ad Exercitationes Patris, anno, ut videtur ex ejus Epistola, CIↃ IↃ CXV. quanquam Lugdunensis editio (nec scio an sit alia præter illam) anno tantùm CIↃ IↃ CXVII. prodierit. Bulengerus, notum famâ & scriptis nomen, quibus de literis & literarum studiosis optimè meritus est. Liber eâ magnitudine, quæ magnam Authoris diligentiam, curam ac laborem promittit. Quid quantumque re ipsâ præstiterit, suum cuique esto judicium. Mihi quod de eo dicam, non gravatè accessurum puto, qui librum legerit. Nimium videtur laborasse, ne mole sui libri, Patris Exercitationes non æquaret. Nam, quæso, quorsum tam multa verbatim transcribit ex Exercitationibus, tam quæ non probat, quàm quæ non improbat & laudat, ut fatetur ipse sæpe? An quia putabat ea non posse tam commodè peti ex ipsis fontibus? aut quia de Lectoris diligentia diffidebat? Ut taceam crebras κενολογίας καὶ ταυτολογίας tanto viro indignas. Excursus autem illos crebros & longos si tollas, tum illa, quæ ad Casaubonum notat, non contra Casaubonum, (vocat ipse suas symbolas) videbis reliqua esse perquàm pauca. Omnino consultius fecisset, si operam suam alibi ponere & aliud agere maluisset vir eruditissimus; erat enim à multis rebus necessariis ei, qui illam provinciam obire cum laude vellet, imparatus: ignarum autem linguæ Hebraicæ ad *Rabbinicas*, ut vocant per contumeliam, Exercitationes accedere, ausum nimis temerarium. De animo Bulengeri candido an contrà, ferre sententiam difficillimum est; tanta in ejus scriptis animi & ingenii varietas, aut potius levitas atque inconstantia. Quoties Casaubonum agnoscit *Eruditissimum*, *Doctissimum*, πολυμαθέστατον, & aliis ornat invidendis laudibus? Qui legerit hæc, *Doctissimè, ut soles, scribis; Eruditè notas, ut soles:* qui illa: *Fecisti, ut eo dignum erat, in quo maximus animi candor, & plurima veterum Patrum lectio est; Non dubito te eâ esse modestiâ;* * *Non fuerat tui candoris; Ratione tecum agam, quâ maximè inter paucos vales;* † *In tanta eruditione mens Patrum ignota tibi esse non potuit:* hæc, inquam, & similia alia loca qui legerit, non desiderabit in Bulengero modestiam: atqui hæc comparata ad convitia & calumnias, quàm levia, bone DEUS! quàm nulla apparebunt? Studium novitatis, mentis inconstantiam, oris virulentiam sæpius objicit. Illa autem, ‡ *Te sine ullo pietatis sensu esse, & fidem tuam ad gratiam Regis Angliæ quolibet flectere, facilè demonstrari potest.* Et, ⸸ *Si vera tantum putas, quæ vidisti, quæ ex Athenæo & Strabone didicisti.* Et, *Ezekielis de quatuor animalibus visionem non ad Evangelistas, sed ad Angelos refers, ne cum Beato Hieronymo, Gregorio Magno, aliisque priscis Ecclesiæ Doctoribus sentire videaris;* ‡ *Consultò ab iis, quæ ad pietatem faciunt, alienum te profiteris;* quam malitiam & malignitatem præferunt? Sed neque est æquior universis quàm uni fuit. *Nemo est*, inquit, *apud transfugas, qui gustum vel tenuissimum veræ pietatis habuerit, qui aliquo devotionis sensu ductus sit.* Item, *Calvinistæ sunt Ebionæi & Carpocratiani, quibus improbatur virginitas, & continentia*, &c. ne sim tædio. Ultimum tamen hoc addam exemplum, nolo dicere cujus virtutis. Pater hæc scripsit de Beata Virgine, in Exercitationibus: * *Favemus nos quidem toto pectoris affectu gloriæ* τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου *Virginis; sed fingi mendacia in eum finem, aut fictis habere fidem, hoc verò nos zelo veræ pietatis succensi, ferre non possumus, & in ipsius Mariæ contumeliam cedere non dubitamus.* Et in alio loco, † *Ministerium illud omne superans admirationem, cui Deus æternus ab æterno ipsam destinarat, virtutem & sanctimoniam desiderabat, quæ omnem comparationem longè superaret.* Est ubi etiam, nisi me fallit memoria, ἐξεπίτηδες de illis queritur, qui calumniantur Protestantes, non pluris aut ne tanti quidem illam facere, quàm alias quasvis mulierculas. Bulengerus ad hæc; ‡ *Quòd parum honoris ac reverentiæ Beatæ Dei Parenti habere vis, id solens more tuo, ac reliquorum à Catholica fide perfugarum, qui uxores suas quàm Dei Matrem pluris esse volunt.*

* Pag. 155.
† Pag. 119.
‡ Pag. 138.
⸸ Pag. 101.
‡ Pag. 97.
* Pag. 111.
† Pag. 121.
‡ Pag. 87.

lunt. Id ante te Lutherus, id Calvinus & Beza clamitarunt, & cum Antidicomarianitis bellum inexplicabile sanctissimæ Virgini ex professo indixerunt, &c. Placuit hæc prolixius persequi, ut daremus aliquod specimen eorum, quæ initio dicebamus. Mirabilis sanè zelus, qui virum eâ rerum peritiâ, & moribus, uti fama est, non malis, ad hæc potuit adigere.

Hos secutus est Andræas Eudæmono-Joannes, nomine terrori, an risui, composito. Hoc Andræâ nihil post homines natos ab omni visum pudore & modestia profligatius, plerique mihi concesserint; qui vitia, quæ habet à natura, vanitatem & maledicentiam, cum quodam artificio ingenii, & orationis gratia condire longo jam usu studioque sit peritus, (in quo ejus eruditio, quanta quanta est, tota consistit) bonos allatrandi, eorumque famam novis quotidie scriptis appetendi, nullum sibi finem aut modum statuit. Ante annos octo evomuerat pus suum atque venenum in Epistolam Patris ad Frontonem Ducæum. Pariter nunc excepit Exercitationes, libro quò majori, eò pleniori calumniarum. Ne tamen nihil tam magno libro dixisse videatur, carpit & vellicat aliquot loca, Patres frequentes advocat, affingit multa per fraudem, atque ut rem in pauca conferam, toto libro aut cavillatur, aut, pari utrumque vesaniâ, maledicit. Qui legerit unum ejus librum, omnes legerit. Omnia ejus similia, paria, gemina. Non quenquam sua dignitas aut eruditio, non probitas & innocentia tutantur ab hac Furia, aut mitiorem saltem ac mansuetiorem faciunt. Non abstinuit suum virus ab illustrissimo Archiepiscopo Spalatensi, neque aliter cum eo egit impudentiæ retrimentum, quàm cum aliquo sui simillimo, postremæ vilitatis homuncione. De libro loquor, aut libello potius, quem contra venerabilem illum virum titulo *Admonitionis*, &c. paucis his annis edidit. Non possum facere, quin ex illo locum proferam insignem præter cæteros, & Lectoris animadversione dignum; non quidem propter rei novitatem, quod ibi mentiatur; (solens enim suo more facit) sed quia è mendaciorum infinito numero dignum est hoc, cui primæ sine controversia deferantur. Sic igitur ille *Admonitionis* suæ Cap. XVIII. pag. 129. *Certè cùm in Adversariorum libris mendaciorum myriadas detexerimus, in nostris illi voluminibus hactenùs mendacia deprehendere non potuerunt.* Si aliquem colorem quæreret aut latebram suis mendaciis Eudæmon, quamvis illa sint ejusmodi, ut nullo excusari queant artificio, nullo fuco obscurari, fortasse tamen crederemus aliquid pudoris in eo reliqui, qui illa in claram lucem proferri nollet, & occultare conaretur. Hæc autem simplex & plana negatio (cùm de contrario sciat omnibus constare) cumulus est audaciæ, vanitatis, impudentiæ. Ut alios omittam, * quatuor Angli, viri clarissimi, in detegendis atque refutandis ipsius mendaciis operam posuerunt. Omnes id felicissimè (neque erat admodum difficilè) præstiterunt, & scatere ejus libros mendaciis impudentissimis, luce meridianâ clarius ostenderunt. Ut de aliis nihil dicam, unum hoc illius mendacium de morte Arnaldi Casauboni, memoriæ felicis avi mei, tribus in libris accuratissimè, fusissimè dilutum reperire est, atque jugulatum. Hanc ille tam accuratam responsionem quum posteà non refellerit, (neque enim poterat) sed ne tentarit quidem, atque eâ defensione utatur ad objectum sibi calumniæ crimen amoliendum, quæ levissima sit, aut verius nulla; ausus est illam tamen hoc ultimo contra Patrem meum libro tanquam rem certam atque indubitatam non uno loco repetere. En hominem, qui mentiri non solet! Expecto quàm mox dicat aliquis, bis duo non esse quatuor; meridie non lucere; Gasparem Scioppium esse virum probum:

Omnia jam fient, fieri quæ posse negantur;
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.

Quod autem de defensione diximus, quâ utitur Eudæmon-Joannes, an jure dixerimus, tu, Lector, judica. Conatur ille calumniæ tam manifestæ invidiam ad alios transferre, seque illius Authorem negat; Clarum enim Bonarscium multò antè Parenti meo paternæ mortis infamiam objecisse in *Honoris Amphitheatro*; quod neque ipsum ignorasse, probare ex eo contendit, quòd sit aliquando questus Pater, *Clarum Bonarscium magnâ petulantiâ in se esse invectum.* His ego de verbis, eane Patris an non, & quâ sint occasione scripta, curiosius inquirendum mihi putarem, si quicquam ipsa ad rem facerent. Ego verò ultrò concedo adversario, verisimile esse ea Patrem non latuisse, si quæ scripta ejus generis à Bonarscio in ipsum prius evicerit. Quod ego fidenter nego cum multis aliis, qui totum illud Amphitheatrum studiosè perlustrarunt, & tale nihil in eo deprehen-

* *Abbas, Prideaux, Collinus; Burrhillus.*

R. Abbatis Antil. J. Prideaux Castigat. If. Casauboni Exercitat.

hendere potuerunt. Non debuerat sanè locum & verba omisisse, si quæ bonâ fide proferret, Eudæmon habuisset. Porro ut omnem scrupulum eximam curiosi Lectoris animo, qui librum Scribanii nunquam legerit, testem dabo veritati ἀξιοπιστότατον, Jesuitæ Jesuitam opponam; sed πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. Scias autem, Lector, me, si quid in humanitatis leges peccare tibi videar, quòd boni viri Epistolam, & quem aliàs colere me profiteor, ipso inconsulto publicem, id facere ipsius exemplo, qui privatas Patris ad se, atrocissimo ejus hosti communicavit, quibus ille in defuncti contumeliam quà posset uteretur.


ANDREAS SCHOTTUS ISAACO CASAUBONO

ἐυ πράτἶειν.

Vide suprà, Epist. ad Casaubon. num. XL.

Tuas accepi, clarissime Casaubone, & in Brittannia hærere velle legi invitus. Mallent docti omnes ac φιλέλληνες Polybium, illum Græcorum Historicorum κορυφαῖον, edolare, ut cœperas, pergeres, & promissa pridem σχόλια dares; potes enim, ac debes, potius quàm te in certamen non necessarium demittas, extraque chorum saltes, sine fructu, immò damno tuorum scriptorum. Scis quàm Josephi fama detensa, dum senex tangit acerbius, à quibus ne verbo quidem læsus esset, Socios nostros, viros omni doctrinæ genere præstantes, Toletos, Bellarminos, Possevinos, Pererios, cæteros. Certè nollem in nuperis tuis illud de libro adjecisses ejus, cujus me potestati semel commisi, dictoque audiens, domi unà versor. Qui in ἀμφιθεάτρῳ cavit studiosè, ne Thuanum, Præsidem amplissimum, teque etsi nominaret, volens læderet. Optaret potius in Ecclesia te Romana, desertis illis Calvini castris complecti in Domino. Quid enim prodest homini, *&c. Et absque fide Majorum salus minimè speranda, ut extra Petri Cymbam naufraganti. Sed hæc tu melius. Quò illi, ut opto, æquiorem te præbeas, mittam ad te, si voles, tres ejus Scribanii Controversorum in Fide Orthodoxa libros, typis Plantinianis prope evulgatos; placebit θρησκείας χάριν lectio & stylus magis delectabit, nisi judicans fallor: verba enim dare nollem, quando Belgarum candorem non ignoras.* Antverpiæ, Id. Januar. CIↃ IↃ CXII.

Quod addit Andræas, eandem fabulam Galli cujusdam, itemque Scoti nescio cujus sermone, & nonnullorum literis fuisse sibi confirmatam, id cujusmodi sit, Lector, ut spero, satis intelligit. Ea demum est tutissima mentiendi ratio, quum metus non est, etiamsi nemo tibi credat, ne falsi possis argui. At saltem nomina suis testibus alicundè quæsivisset: quo notat Theophrastus uti τὺς λογοποιὺς artificio, ut mendaciis suis fidem concilient; aut sanè, unico Gallo, Scotoque unico contentus esse non debuit, cùm sat esset anonymorum testium, unde mendacium fieret multò liberalius; cujus professò Cretensis parcus esse non amat. Sed hanc qualemcunque verecundiam immani compensat & suprà quàm dici potest impudenti mendacio, dum ait, *usque adeò puduisse Casaubonum ejus infortunii, ut in iis libris, quos recente etiam tum facti memoriâ emisit, pro Casaubono se Horti-bonum appellaret.* Nam sanè libri, quos Pater emisit post avi mortem, CASAUBONI nomen præscriptum omnes habent, quum illi, quos junior edidit, HORTI-BONI nomine sint inscripti; ut si quid erat ex hac re concludendum, aliud nihil effici potuerit, quàm etiam crevisse illi desiderium post sui parentis obitum, ut omnes eum scirent ARNALDI CASAUBONI filium.



Non est consilium, Lector, omnia vanissimi nebulonis de Patre meo mendacia persequi, quum satis de ejus mendacitate jam constet: nolo meo otio tuâque simul abuti patientiâ; unum tamen ex tanta copia liceat addere, quod perditam ejus audaciam cum cæteris arguet, & velut ἐνθεατρίσῃ. Hæc ille scripsit de Patre Respons. ad cap. IV. prim. Exercitat. pag. 43. *Henrico Magno superstite ejurandæ Calvinianæ hæresi diem dixerat: eo mortuo accitus in Angliam, è Genevensi Puritano Protestans Parlamentarius factus, sacerdotalem togam, quadratum pileum superpelliceum induit, visibile in terris Ecclesiæ caput in Jacobo Rege coluit, nihilominus culturus in fœmina, si ea coëmisset,* &c. Deum immortalem! adeòn' esse quenquam suæ famæ prodigum, adeòn' ab omni, non modò pudore, sed simulatione pudoris relictum, ut contra innumeros testes, contra lucem omni luce clariorem, animum queat ad mendacium obdurare? Ut frivola illa & inepta transeamus de visibili Ecclesiæ capite, & illa de die dicta ejurandæ hæresi suo loco reservemus, ubi accuratissimè refellemus, quis unquam vidit in Anglia Casaubonum sacerdotali togâ indutum, aut omnino quicquam, quod proprium Sacerdotis esset, usurpantem? De pileo quadrato, & superpelliceo, quamvis habeant hîc illa Academici communia cum Clericis, est tamen æquè fal-

falsum; neque enim iis est usus unquam Pater. Quæ de testatissima veritate tam impudenter es mentita,

> *Quid non audebis, perfida lingua, loqui?*

Hi sunt omnes, qui aliquid in Patrem post ipsius obitum scripserunt; hi, inquam, omnes, quos hactenus videre mihi contigit. Multi sine dubio, qui obiter, & velut in transcursu eum aggressi in suis libris, multis calumniis & conviciis incesserunt; è quibus nescio quis tenebrio Sandæus, qui in libro *de Fide Remonstrant. Hollandorum* aliquot paginis in ipsum impotentissimè, καὶ τοῖς ἐξ ἁμάξης debacchatur. Verùm nos illos omnes omittemus, & eorum maledicta petemus ex ipsis fontibus, è quibus illa tanquam rivuli profluxerunt, & fusè, Deo propitio, confutabimus. Omnes autem illorum criminationes possunt ad hæc tria capita referri. 1. Fidem sive pietatem in Deum. 2. Mores. 3. Doctrinam. Agamus igitur ordine de his singulis, & quæ illi objiciant, audiamus.

MERICI CASAUBONI
PIETAS.
PARS SECUNDA.
DE FIDE ET RELIGIONE
ISAACI CASAUBONI.

Postquam semel sedet adversariis causam suam fraudibus & mendaciis, si res ita ferat, contra viros doctos tueri potius quàm herbam, quod ajunt, porrigere, aut tacere; proximum est, ut quàm cautissimè fieri possit, dolos suos struant ad rei successum. Nam, ut ait Lucianus, οὐ μὴν τοι μικρὸν οὐδὲ ἁπλοῦν ἐστὶ τοῦτο (τὸ διαβάλλειν) ὡς ἄν τις ὑπολάβοι, ἀλλὰ πολλῆς μὲν τέχνης, οὐκ ὀλίγης δὲ ἀγχινοίας, ἀκριβοῦς δέ τινος ἐπιμελείας δεόμενον. Neque enim de omnibus omnia æquè pulchrè finguntur, aut apud omnes fidem pariter invenirent. Quid autem calumniando proficiunt, εἰ μὴ διαβολὴ πιθανόν τινα τρόπον ἐγένετο, ut idem ait, nisi *ad præscriptum famæ & opinionis* conflata sit, ut Apulejus loquitur? Noti solâ famâ viri vita potest traduci, & cujus in obscuro nomen, quantavis eruditio calumniis opportuna est. Alicujus innocentiam fabulis ac figmentis attentare apud eos, quorum versatur in oculis, aut de spectatissima eruditione velle rumoribus detrahere, eorum est, quorum pessimæ voluntati non par respondet artificium. Qui igitur verentur ne magnorum virorum authoritas, ac popularis existimatio vim ac pondus habeant apud multos ad persuadendum, & ad exemplum suum trahendum, callidè repererunt, qui eâ uti in contrarium, adversarios scilicet suis ipsorum armis oppugnare, seque iis munire possent. Cum igitur uniuscujusque sensa, atque intimi animi recessus non vulgò pateant, sitque dissimulatio res hodie usitatissima, hinc illis visum est petere calumniarum suarum ac fabularum occasionem & materiam. Est igitur è nostris aliquis magni vir nominis, & cujus judicio multum plerique tributuri videantur. Hujus authoritatem si nequeant elevare, id agunt, ut quicquid ille præ se tulerit, cum tamen secum sensisse vulgò persuadeant. Hinc tot commentitii ac fabulosi obitus, tot repentinæ mentium atque opinionum mutationes confictæ, tot viri graves ac pii simulationis atque inconstantiæ postulati. In re nota non teram tempus exemplorum copiâ; unicum adducam, quod loco tam opportuno non possum salvâ pietate præterire. Adolphus Meetkerkus, vir nobilissimus & doctissimus, cùm fatis ita volentibus Belgium mutasset Angliâ, obiit Londini anno CIↃ IↃ XCI. constantissimâ Fidei antè agnitæ professione, & pietatis laudabili exemplo. Vir doctissimus, qui composuit Elogia Belgica, non veritus est scribere, *Eum morientem scriptis esse testatum, veram Religionem non esse extra Catholicam Ecclesiam Romanam;* quod amici, qui decumbenti frequentes adfuerunt, & ipse τοῦ μακαρίτου filius Edwardus Meetkerkus,

kerkus, Regius in hac Academia Professor linguæ Hebraicæ, (vir in summa doctrina modestiæ non minoris, & cujus disciplinæ alumnum me fuisse, valebit semper mihi ad integritatis testimonium apud eos, qui cum nôrunt) qui servat fideliter ultimam ipsius voluntatem, sciunt & testantur esse falsissimum. Simile est, quod mox addit, *filiam pestilentem insulam reliquisse*, quæ in eam nunquam pedem intulerit. Laudat quidem suum Autorem vir clarissimus; fortasse potuit & ille suum; originem tamen habuit fabula ab ea, quam dixi, caussa. Casaubonus igitur, qui magis erat notus in patria quàm ut famam ejus & existimationem lædere quisquam posset, aut imminuere; quod facilius esse judicabant, qui erat professione Ecclesiæ Reformatæ, factus est ab adversariis animo Pontificius. Mirabar, cùm essem in Gallia abhinc triennium, creberrimos hominum sermones, Casaubonum fuisse Catholicum; Casaubonum Romanæ Ecclesiæ dogmata amplexantem diem suum obiisse; multos me sæpe hortari à Patris fide ne discederem. Monstro simile est, quod audivi ipse à nonnullis, morte eum violentâ sublatum, ne posset suam fidem publicè hîc in Anglia profiteri. Certè quendam his fabulis eo tempore ex ambone populum pavisse, ipsi mihi Pontificii, qui adfuerant, pro certo retulerunt. Immò verò ausus est nuperus quidam Scriptor Historiæ sacrum pudorem vanissimo commento prostituere, cujus hæc sunt verba: *Il est très-asseuré que Beze fit tout ce qu'il peut pour mourir Catholique. Il est très-asseuré que Casaubon en Angleterre eut fait ce qu'il avoit promis cent & cent fois à ce grand Cardinal, si on l'eut laissé faire.* Id est: *Compertissimum est Bezam Genevæ omnem movisse lapidem, ut Catholicus posset mori. Compertissimum Casaubonum in Anglia facturum fuisse si licuisset, quod toties magno illi Cardinali receperat.* Fieri potest ut miraturi sint aliqui, tantum contra veritatem mendacia rumoresque valuisse; sed periti rerum, atque hodierni moris scientes non mirabuntur. Quid verò mirum potuisse rumores post ipsius obitum, quos ipse vivens verbis, scriptis, comprimere tot annorum spatio non potuit? Non enim primum post mortem ipsius, aut transitum in Angliam cœperunt illi spargi; tunc reverâ cœperunt, cùm inter tot diversarum partium homines versari, cùm de Religione disputare cœpit cum amicis, ipsis cogentibus, illo frustra reluctante; hoc est, statim post adventum Lutetiam. Utinam haberem omnes literas, quas toto tempore suæ commorationis in illa urbe dedit ad amicos! possem hoc per singulos annos probare, simul & caussas cæteraque eò pertinentia Lectori ob oculos ponere. Sed ex illis, quas habeo, utcumque potero eruere veritatem. Anno Domini CIↃ IↃ C. habita est nobilis illa tum personarum claritate, tum caussæ magnitudine Dissertatio inter Mornæum, Plessæi Dominum, & Episcopum Ebroicensem. Non multò pòst Canaius à Fraxinis, Vir quondam magnæ dignitatis & existimationis in Ecclesia Reformatæ Religionis in Gallia, quicum arctissima amicitiæ conjunctio Patri intercedebat, περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησε. Tunc admodum dubii fuerunt de Patris animo ac sententia in caussa Religionis sermones; his studio falsa spargentibus, illis de aliorum ingenio ingenium ipsius spectantibus, quasi necesse esset Patrem sequi ejus exemplum hac in re, cui & intimâ familiaritate erat amicissimus, & magnis beneficiis obligatus. Cùm sinistris his suspicionibus multi offenderentur, & cum primis Pater ipse, ut omnem in posterum illarum occasionem præcideret, animumque suum omnibus patefaceret, scripsit ea de re ad Synodum Gergeoviæ per id temporis habitam. Doleo me non posse ipsarum literarum hîc exemplum dare *; supplebit tamen hunc defectum locus è Petro Matthæo, præstantissimo hujus ætatis Historiographo: *On tenoit aussi que Casaubon, l'un des Commissaires, suivroit le mesme chemin comme on dit, que la Perche suit le Negroël. Il ne laissa pas long temps le monde en ceste opinion, ayant escrit au Synode des Ministres assemblez à Gergeau, qu'il n'estoit pas si malheureusement instruict en pieté, qu'à faulte de cognoistre la verité il se laissât emporter à chacun vent de doctrine. Comme le Synode s'esjouit de la constance de Casaubon, aussi il se mist en cholere contre la metamorphose de Canaye, & respondit à la lettre du premier*, &c. Id est: *Credebatur etiam Casaubonus, qui erat ex Arbitris, exemplum Canaji secuturus, ut* ἕπεται πέρκη τῷ μελανούρῳ. *Hanc ille suspicionem animis hominum diu insidere non est passus, datis literis ad Synodum Ministrorum, tum temporis Gergeoviæ congregatorum, quibus significabat se non tam miseros in pietate progressus fecisse, ut propter veri ignorantiam sineret se* περιφέρεσθαι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας. *Synodus ut lætata Casauboni constantiâ, ita indignata est ob Canaji metamorphosin, responditque illius Epistolæ*, &c. Utrasque ait typis man-

Etat General des affaires de France; imprimé à Paris, l'an 1617. pag. 854.

* *Extat Epistol. num. 232.*

Tom. 1. lib. 3. pag. 561.

Ephes. 4. v. 14.

mandatas idem Scriptor; sed Gallicè, ab imperito Interprete versas. De hac Epistola loquitur Pater in literis ad Gasparem Laurentium, anni CIↃ IↃ CI.

ISAACUS CASAUBONUS GASPARI LAURENTIO, viro doctissimo.

Quantum mihi voluptatis tuæ literæ attulerint, amicissime Laurenti, non aggrediar verbis tibi significare; neque enim si vel maximè vellem, possem tamen. Dicam verò, quod res est. Cùm enim ærumnas propè intolerabiles veteris amici ἀποστασία *tam insignis nobis attulerit; par prope gaudium ex eo percepimus, quòd data esset facultas declarandi animi mei, & constantiæ in purioris Religionis professione. Etenim cùm tantopere viderem laborantes* τὰς ἐξ ἐναντίας, *ut falsos de nobis rumores totâ Europâ (vide hominum stultitiam, & vanitatem vide) disseminarent; non erat committendum, ut plus illis fuisse animi in tuitione falsarum opinionum, quàm nobis in confessione verissimæ Veritatis, posset cuiquam videri. Miram sanè hominum (si homines sunt appellandi monstra ex mendaciis conflata) impudentiam! Quid enim fuit, unde hoc sibi de nobis persuaderent? Proferant dictum, aut factum meum, & culpæ illos absolvam.*

Canajus autem, postquam priorem ipse fidem abjuraverat, nihil intactum reliquit, quò intimum suum ad se traheret; & cùm absens ea de re sæpe cum eo per literas ageret, cuidam ejus Epistolæ sic Pater respondit.

Accipe igitur, amplissime Domine, non responsionem ad illam tuam accuratissimè scriptam Epistolam; neque enim patitur τὸ ὀξὺ τοῦ καιροῦ· *sed fidum planéque certum observantiæ pignus ab eo profectum, qui cùm in omni officii genere candorem, simplicitatemque suam ac constantiam tibi cupit esse probatam; tum in eo maximè negotio, quo de tantâ accuratione à te nuper est actum. Noli verò, per immortalem Deum te obtestor, hanc moribus meis notam inurere, ut alterplicum hominum more aliud me corde sentire, aliud fronte promptum gerere existimes: non facio, non feci unquam, neque unquam sum facturus. Servet modò Deus Opt. Max. quam indidit nascentis animo* φιλαλήθειαν· *cujus ego vel præcipuum testem fueram te laudaturus, si fors tulisset, ut alieno testimonio* τὸ στεῤῥὸν τῆς ἡμετέρας γνώμης καὶ ἁπλοϊκὸν *haberem probandum. Putavi ego stultus, persuasissimum tibi esse ex veteris amicitiæ, quâ me dignatus es, longo usu, tuum Casaubonum cæteras quidem laudes, quas fortasse quorundam comitas illi adscribat, ut alienas aspernari, & facere non tanti: cæterùm id unum summoperè semper contendisse, ut vivus, nec vivus, veteris Poëtæ dictum tolleret:* πᾶν ἐπ' ἀληθείᾳ πεπλασμένον ἐκ Θεοῦ ἱερόν. *At tu, magne Vir,* διαῤῥήδην *illis me adnumeras, quos Pater ingeniorum* ὅμως ἀΐδαο πύλῃσι *bonis ait exosos. Scribis enim, satis te acceptum habere, nos in re omnium gravissima,* ἕτερον μὲν κεύθειν ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δὲ βάζειν. *Mene?* διαμαρτύρομαι πάλιν αὖθις τὸν καρδιογνώστην Θεὸν, *non scire me unde ista tibi de nobis nata sit opinio. Convenio memoriam meam; ab illa omnes sermones exigo & garritus nostros; nihil invenio, nisi forte justissimas querelas in tuum sinum liberius olim effusas de certorum hominum sinisteritate, & in bona caussa animo, ut videbatur, non bono. Si alia sit mens nobis, cur dissimulem? cùm præsertim quod me hic teneat, nihil quicquam eorum inveniam, quæ in rebus expetendis solent spectari, præter caussæ justitiam. Quid? tu me adeò insanum judicas, ut contra mea commoda & meorum, qui vitâ meâ mihi chariores sunt, animum in dissimulatione obdurem? O me vacui capitis, & judicii, si ita est, planè nullius! Sed & odio dignissimus sim tot Procerum & summorum virorum, qui pro sua in nos benevolentia & in literas amore tantopere tam sæpe idem, quod tu, à nobis exegerunt. Omitto illius divini capitis * πειθανάγκας, in cujus unius* * Regis. *secundum Deum potestate, ac nutu, omnes spes, opes, fortunæ, vita ipsa nostra est posita. Huic ego tam benigno, tam clementi Hero meo, sine ulla exceptione morem posse gerere, ipsâ, mihi crede, vitâ meâ vellem redemptum. Sed scit ipse quid me impediat; & pro sua æquitate facilis ignoscit. Tu quoque, amplissime Domine, idem facias velim; tibique persuadeas, neque in hoc negotio, neque in tui cultu, & observantia, aliud unquam mihi linguam esse professuram, quàm quod* φρονῶν κεῖται ἐν ψυχῇ.

Quid aliud ageret, quam aliam viam iniret, qui has suspiciones ferret ægerrimè? Sed ne sic quidem multum profecit: quod ipsum cùm mirum in modum angeret, omni ratione mendacio obviam ire constanter perstitit. Hunc in finem varias ad amicos scripsit, è quibus una, quam fortè animo commotior scripserat, cùm in manus Canaji pervenisset, multum ei molestiæ, aut etiam periculi creatura videbatur, absque Regis fuisset bonitate ac mansuetudine. Anno Domini CIↃ IↃ CIV. quum nescio quid colloquii, & disputationis illi fuisset ex occasione cum Cardinale Perronio, multò magis dissemi-

feminari ac dissipari cœperunt iidem rumores, quàm anteà. Sed neque tunc sibi Pater, aut Veritati defuit, scriptâ hac ad Cardinalem Epistolâ, quæ per id tempus est non semel excusa.

ISAACUS CASAUBONUS JACOBO DAVY PERRONIO, CARDINALI.

Epist. 417. *Libros remitto tibi, illustrissime Cardinalis, quos nudiustertius commodasti; eoque nomine gratias ago gratissimas. Optarem eo cimelio diutius frui posse; neque dubitarem, σὺν Θεῷ εἰπεῖν, fore non inutilem Reipublicæ literariæ, quam ibi ponerem, operam. Nunc pauculis horis, idque raptim inter negotiorum strepitus, ex Arabica Epistolarum D. Pauli interpretatione quædam descripsi; nonnulla item cum editis Romæ Arabicis Evangeliis contuli. Ægyptiacæ verò linguæ miram observamus rationem; sic enim è Græca & vetere Ægyptiorum est conflata, ut puris putis vocabulis Græcis multa sint mixta, quæ neque ἑλληνισμὸν sapiunt, neque ullam omnino earum linguarum, quæ sunt ab Hebræa derivatæ. Omnes Græcorum characteres in ea deprehendimus, & alios insuper quàm plurimos: ut necesse sit illius linguæ τὰ στοιχεῖα esse oppidò multa. Equidem ædes Crassi aut Licinii campos non meream, ut tantum Thesaurum non tractarem, quamvis modico tempore. Sed tuum istud beneficium, illustrissime Cardinalis, prope nobis reddunt invisum rumusculi à tuis, ut audio, & aliis nonnullis dissipati. Viderint illi, qui tale nihil cogitantem, & studia longè diversissima omni contentione animi urgentem, φιλίας πρόφασιν interpellarunt, quàm sit professioni ipsorum ea jactatio, & κομπασμὸς conveniens. Ego, qui vigilias omnes meas amori veritatis in quocunque genere literarum semper impendi, non λογομαχίαις πρὸς ἐπίδειξιν comparatis, te jam experior, quod apud gravissimum virum, Gregorium Nazianzenum, sæpe legeram: vix ac ne vix quidem hujusmodi συζητήσεων ullum unquam extitisse fructum. Mihi persuasissimum est, eam demum esse pietatem Christianam, quæ ἐντάλματα ἀνθρώπων insuper habens, ἀμεταπτώτως doctrinæ adhæret Divinâ Scripturâ contentæ. Hæc una est, quæ doctrinæ regulam figit, ut alicubi ait Augustinus; & illa Ecclesia vera, quæ non est egressa de finibus suis, id est, de Scripturis Sanctis, ut ait disertè Hieronymus. Porro autem ὁ βεβαιῶν ἡμᾶς Spiritûs Sancti efficacia, docente Paulo, Deus est ipse. Quæ enim adversus hanc ἐν Θεῷ πεποίθησιν disputari audivi, nuce cassâ viliora judico, quoties vel ad divina promissa, vel ad fidem antiquam oculos mentis refero. Hanc nostram πληροφορίαν si quis est qui labefactare cupiat, age, quod sæpe nuper dixi, rationes suas scripto complectatur; nos, freti virtute Dei, parati sumus ostendere, frustra Antiquitatem ab illis jactari, qui Sacræ Scripturæ miris modis, ut quidem videtur nobis, detrahentes, vetustatis authoritatem pro ratione obtendunt. Nuper, non sponte quidem meâ, quod tute scis; neque enim eâ fine veneram, sed impulsu tuo quædam proposui οἱονεὶ γυμνάματος χάριν, quæ viderentur esse τοῦ πονηροῦ κόμματος. Idem nunc quoque affirmo; & doctrinam de sacra Eucharistia vestram cum aurea Veterum simplicitate pugnare, non disputandi gratiâ, quod semper sum aversatus, sed quia sic credo, πάλιν αὖ καὶ πάλιν confirmo. Beati Augustini, & Theodoreti loca, quæ mihi nuper in mentem fortè venerant, & de quibus singulari subtilitate multa sunt à te disputata, ut amplius de iis cogitandum pro meorum morum candore dicerem, non temerè, neque contra Auctorum mentem à nostris laudari, eorum rationibus æquâ lance expensis parebit. Jam de imaginibus, & hodierno earum cultu, quid in me nuper receperim, quantumvis obstrepentibus cunctis, scio, meministi: non recusare me, quin ex Historia Ecclesiæ luce meridianâ probarem clarius, prodigio videri posse simile, quod quidam patrocinio veterum Orthodoxorum illas tueri sustinent. Dei hominumque fidem! hoccine est veritatem propugnare, an quod Philosophi ajunt, δουλεύειν τῇ ὑποθέσει· nam quæ in eam rem nuper afferebantur, solerter esse excogitata non negamus; cum Dei Verbo, & quod toties assertum est, cum antiquæ Ecclesiæ usu convenire, hoc verò præcisè negamus: quod non eapropter dicimus, ut tuum à nobis animum alienemus; magni enim facimus, pro eo ac debemus, amorem tuum; sed ut verissimum esse cognoscas, quod sæpè διαμαρτυρόμενος, unicam esse flectendi nos atque alio traducendi rationem, si Ecclesiæ, cui sum innutritus, doctrina αὐτοπίστῳ Dei Verbo & primævæ Ecclesiæ consensui, ad capita fidei quod attinet, probetur esse contraria. De quo cùm nullum unquam dubium animum mihi incesserit; cùmque ad alia omnia præclusas aureis nos habere cunctis, qui me non ignorant, confidam esse notissimum; quid est, quod in eam spem quenquam mortalium adduxerit, quasi abduci ab accepta fide possemus? Illud equidem assiduis à Deo Opt. Max. precibus postulo, flagitoque, ut mentis meæ tenebras velit non ψευδοφαεῖ luce illustrari, sed verâ; hoc est,*

est, illâ, quam in Verbo ipsius lucere tota vetus Ecclesia unâ voce pronuntiat: eò si quis ducem mihi se profiteri gestiat, maximam, testor τὸν καρδιογνώστην Deum, iniverit à me gratiam; praeeat modò rectè, & itineri illi insistat, quod sanctos Patres, quorum nomina vereor, esse ingressos, trivisseque certissimum apud me est. Cæterùm, si quis me nonnullorum hominum similem arbitratur ὧν νοῦς ἀκρόπολις, καὶ ἀβέβαιος καθέστηκε, neque ille me novit, & ego ejus amicitiam, liberè loquar, nihil moror. Quid multa? nemo, opinor, est, quin sciat quæ studia profiteamur, quarumve literarum notitiâ Regi Christianissimo innotuerimus. De his qui voluerit cumque mecum agere, gratissimus semper fuerit: nam neque ad discendum ullam ducimus ætatem seram, & ad docendum nulla potest cuiquam propensior esse voluntas, quàm mihi. Sed moror te. Unum illud adjiciam, teque per eam benevolentiam, quam ultrò (quæ est tua humanitas) & detulisti & præstitisti mihi, obtestavor, ut scriptionem hanc æqui bonique consulas. Ego Dominum Jesum toto pectoris affectu veneror, ut quas in te collocavit ingenii dotes excellentissimas, eas ad conciliandam Ecclesiæ ipsius pacem constanter referas. Vale, illustrissime Cardinalis, & me, quod facis, ama. Lutetiæ Parisiorum, a. d. III. Id. Octob. CIↃ IↃ CIV.

Plura possent hujus generis hîc proferri, nisi multa adhuc mihi deessent, quæ ad gerendam hanc cum industriæ laude, quam suscepi, provinciam, magno mihi essent usui, & adjumento. Potest tamen ex his, quæ adduximus, judicare Lector intelligens, quantæ sit prudentiæ, famæ ac rumoribus fidem statim non adhibere; sed assensum ad accuratum & fidele examen sustinere. Si enim is, qui nihil non molitus est, ut hos de se rumores, & sermones extingueret, extinguere tamen non potuit; quid fiet bonis quibusdam hominibus, qui freti suâ conscientiâ, quid populus dicat, parum, aut nihil omnino putant ad se pertinere? Si talia de vivis, & præsentibus finguntur, quid, quæso, non audebunt de mortuis? Anno Domini CIↃ IↃ CVII. scripto libro * (de quo erit infrà plura dicendi locus) contra Papam & ejus asseclas, satis ostendit quanti faceret illorum gratiam, aut quàm adhuc se facilem illis, & flexibilem præbuisset, qui pietatem illius tot jam annos tam cupidè tentabant. Anno CIↃ IↃ CIX. renovata cum Cardinale Perronio certamina, quæ & acriora prioribus, & multò fuerunt diuturniora; antè enim non cessarunt (nisi per intervalla quædam) quàm Galliam ipsam reliquit Pater, in Angliam proficiscens. Invitissimus sanè, ut jam antè monuimus, accedebat ad istiusmodi contentiones, à quibus & voluntas & genius abhorrebant. Effugiendi tamen nulla planè erat via; tunc maximè, quum ad aliorum importunitatem Regis accessit authoritas; qui (ab aliis ipse stimulatus) Cardinali Perronio negotium dederat, ut eum ad sua castra traduceret. Quæ autem Cardinalis instantia, quæ Patris constantia fuerit eo tempore, patebit ex hac Epistola.

* De Libertate Ecclesiastica.

ISAACUS CASAUBONUS RICHARDO THOMSONI.

Gavisus sum non displicuisse tibi Polybium nostrum, quamquam scio quid intersit amorem inter, & judicium. Ubi seriò legeris quæ sunt à nobis profecta, invenies, scio, quæ reprehendas multa & gravia. Sed memineris in ea urbe illa me scripsisse, ubi alia omnia mihi curanda potiùs sunt quàm studia. Scit hoc Tomkys noster, qui aliquot jam menses apud nos agit: ille in patriam reversus tibi narrabit, quibus machinis, quàm assiduâ operâ, quàm variis artibus mecum ab iis agatur, qui traducere me ad alia castra conantur. Feci & facio quotidie omnia, ut me semel liberem; scit hoc quoque ille idem amicus noster; sed frustrà. Itaque velim nolim Theologiæ studiis cogor ἐνδιατρίβειν. Quid proficiam, scirent οἱ ἐξ ἐναντίας, si liberum mihi esset scripto persequi cogitationes meas. Nunc, quod unum superest, id facio assiduè, ut quantum τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐντάλματα, μᾶλλον ἢ τοῦ θεοῦ, τῆς ἀπωλείας averser atque abominer, palam & altâ voce quotidie in os declarem. Quid mihi ex ea re sit metuendum satis intelligo, & fungus sim, si non videam. Sed nos dudum & nos & nostra omnia Deo Opt. Max. permisimus. Ille, spero, ἐν πᾶσι τοῖς πειρασμοῖς aderit, & adversus πάντα τὰ δεινὰ nos firmabit. De Polybii Commentario si quæris, ille verò jacet, & æternùm jacebit, dum mihi cum purpurato viro maximo assiduæ de Religione contentiones erunt. Is est, qui omnibus in hoc Regno literatis, ac nominatim τοῖς ἀμφὶ τὴν βιβλιοθήκην τοῦ βασιλέως præest. Non puto majus extare hodie ingenium. Cum hoc viro assiduè versans propter munus meum, assiduè dimico: ἀλλ' ἴσθι γίνεται ταυτὰ οὐκ ἄνευ κελεύσεως τοῦ Ἀγαμέμνονος. Quare post absolutam versionem Polybii, illa studia ne salutavi quidem πόῤῥωθεν, & omninò pessimo loco res studiorum nostrorum sunt positæ. Deus nos respi- Epist. 631.

respiciat: συγκεχυμένα γάρ ἐστι σφόδρα λίαν. Vale. Lutetiæ Parisiorum, a. d. v. Kalend. Januar. *quas Kalendas opto tibi felicissimas*, CIↃ IↃ CX.

Verùm tam crebra ac penè quotidiana de Religione colloquia, quos sermones peperint, quæ monstra fabularum, non difficilis est conjectura. Quin Pater tunc quoque se illis pro virili sua parte opposuerit, haud est dubitandum. Utinam tamen haberem illas, quas toto illo tempore scripsit Epistolas! Facilè paterer meam hìc à nonnullis reprehendi πρμεγίαν, dummodò diligentiam nemo desideraret. Unam habeo, quam apponam, scriptam ad Virum clarissimum, Danielem Tilenum: ejus hoc est exemplar.

ISAACUS CASAUBONUS DANIELI TILENO.

Ep. 1043. *Epistolæ tuæ plurium paginarum, quæ tua est facundia ac δεινότης, præstantissime Tilene, paucis verbis respondebo. Scito igitur eos, qui tibi narrarunt me vel metu famis, sic enim ais, vel ex indignatione adversus N. N.* animum in causa Religionis mutasse, rem falsissimam & à moribus meis alienissimam, tibi retulisse. Verum quidem est, id sedulò egisse N. N.† ut ego & omnes mei quantum in ipsis foret, omnibus nostris fortunis eversi δεινὰ καὶ πέρα δεινῶν experiremur; nihil enim boni illi viri fecerunt reliqui, quo mihi meisque modis omnibus nocerent; mihi, qui ὑπὸ σκαιότητος τῶν φρενῶν parentis loco semper illos colueram. Sed propterea cœpisse me de Religione, quam N. N.‡ profitentur, deterius sentire, aut loqui, hoc verò falsum est, commentitium est, diabolicum est. Quod si libertatem dicti pateris, te miror, clarissime Tilene, potuisse adduci, ut ejusmodi aliquid sineres tibi persuaderi. Non enim video, quò illa pertineant, quæ in eam rem scripsisti mihi, nisi ut nutantem ex illa causa confirmares. Laudo quòd rumusculos illos non planè contempseris; & quòd amici officio sis functus, habeo & ago gratiam. sed potuitne fieri, ut ipse crederes id genus argumenta vel tantillum apud me habere ponderis? Egone alicujus inopiæ metu commovear, qui didici à puero τῇ Θεοῦ προνοίᾳ ἐπαναπαύειν? qui opes, honores, & quicquid vulgus miratur, tanti nunquam feci, ut eorum caussâ vel manum vertere dignarer? qui fortunam auream toties in meos lares irrumpere conantem, & tantùm non fores effringentem, fortiter & irretortis oculis (uni Deo sit laus & gloria) semper expulerim? Sciunt hoc amici mei omnes, quibus utor familiarius; scit in primis ὁ καρδιογνώστης Deus.*

* Protestantes.

† Protestantes.

‡ Protestantes.

His ita declaratis, unde ortum habuerint qualescunque calumniæ de Patris fide, sive illæ priores ejus obitu, sive posteriores, cuiquam obscurum esse non potest; ut mirari jam, neque moveri illis nemo debeat. Unus omnium illas diligentissimè collegit Heribertus Rosweydus, primusque pro veris certisque ausus est obtrudere: quapropter singula illius excutiemus. Rosweydus: * *An excidit tibi, Casaubone, quàm sæpe de fidei rebus controversis cum illustrissimo Cardinale Perronio egeris, ut gravissimis ejus convictus disputationibus, fidem dederis fore, ut proximis feriis Pentecostes, anno* M DC X. *hæresim ejurares? Sed execrandum Regis Christianissimi parricidium consilia tua intervertit. Cùm enim Calvinistæ sibi fingerent Bartholomæanas quotidie imminere Matutinas, & te ad Romanam fidem jam propensiorem viderent, authores fuere, ut invitantem te Angliæ Regem inviseres.* Cui probas, Rosweyde? Quid est, quod minus verisimile proferre potuisti? Casaubonus, qui vivo Henrico IV. Rege optimo, quum libertate conscientiæ & professionis in caussa Religionis securè posset frui, ad Pontificios erat transiturus, idem post Regis obitum, cùm Calviniani extrema quæque metuerent, sententiam mutavit, & Calvinianus esse maluit. Nam quod addis de itinere Anglicano, ea de caussa aut iis authoribus susceptum esse, falsissimum est; & est quoque ridiculum: nam si Calvinianorum quos vocas, consiliis, quæ omnem tollebant ejurandæ fidei facultatem, tam facilè obtemperavit, certè Calvinianorum, quod ais, fidem ejurare non decreverat. Pater autem jam mensem, & amplius ante Regis cædem profectionem hanc habuerat in animo; sed metu illius offendendi, & ob alia quædam coactus fuerat à consilio desistere: posteà de illa prius non cogitavit, quàm literas ab illustrissimo Archiepiscopo Cantuariensi accepisset, quæ de Regis serenissimi voluntate certiorem faciebant. Accepit autem illas literas, a. d. XIII. Kalend. Augusti. Non potuit igitur suscepta profectio consilium Apostasiæ intervertere, promissæ die Pentecostes, qui erat a. d. III. Kalend. Junii. Quod annectis: *Et ut facilius à Regina Christianissima missionem impetrares, præ te tulisti authorem te Regi futurum, ut ad mitiora in Catholicos consilia, ad Religionem minus severam inclinaret*; & illa, quæ sunt in Epistola ad Lectorem præfixa Replicationi Cardinalis Perronii,

* Præfat. Leg. Talion. præf.

nii, Casaubonum scilicet missionem impetrasse, quia præsens doctrinam Pontificiam serenissimi Regis animo insinuaturum se promittebat; hæc, inquam, sunt κίβδηλα καὶ τοῦ πονηροῦ κόμματος. Potuit quidem Pater amico Frontoni, & aliis rogantibus, ut de egregio suo in Regem animo per eum Majestas ipsius intelligeret, spondere munus Interpretis; potuit Cardinali Perronio omnem suam opem, atque industriam ad Pacis & Concordiæ rationes vel ultrò polliceri: aliquid ultra in se recepisse, aut eâ conditione missionem impetrasse commentitium est. Non hic illa repetam, quæ Pater ipse respondit iis, qui hoc eum nomine, dum adhuc in vivis esset, perfidiæ καὶ ὑποκριτείας accusabant. Puduisset homines verecundos tantò antè, tam clarè confutata tantâ confidentiâ reponere. Scio tamen in Gallia ita jactari, & me sæpe audivisse, Patrem ad hoc unum venisse in Angliam, ut reconciliandæ Ecclesiæ Anglicanæ cum Romana incumberet; quod etiam quidam non obscuri nominis Apostata Anglus, in quadam ad ipsum Regem Epistola asseverabat. Quare ut quis in ea re fuerit Patris animus, quæ sententia, clariùs appareat, dabo illius Epistolam de hoc argumento ad Benjaminum Carrierum.

ISAACUS CASAUBONUS BENJAMINO CARRIERO, DOCTORI SACRÆ THEOLOGIÆ.

Epist. 912. *Magno cum gaudio tuas accepi, quæ mihi fuerunt heri redditæ. Quæsiveram sæpè de te, & communes amicos interrogaveram; sed certi nihil ad hanc diem discere potueram: tantùm narraverat mihi reverendissimus Eliensis, ad Aquas Spadanas te esse profectum, & ibi, aut in itinere morbo correptum hæsisse. Ago gratias Deo immortali, quòd de te ex tuis non solùm certiora, sed etiam meliora cognovi. Opto celerem tibi reditum, & faustum. Legi accuratè scriptum, quod misisti, quodque ut Regi ostendam à me petis. Ego verò, Vir doctissime, voluntati tuæ hac in parte morem non geram. Constat enim mihi liquidò & certò, eam scriptionem magno tuo damno cessuram, si in Regis manus illa perveniret. Optat quidem Rex serenissimus pacem Ecclesiæ, & concordiam inter dissidentes partes magno redimeret: sed nullis unquam conditionibus ejus Majestas adducetur, ut societatem cum ea Ecclesiâ ineat, quæ tot horrendis depravationibus deformata sibi plaudit, & dicit,* Formosa sum, neque est in me ruga. *Cogita verò, Vir præstantissime, quid hodie Romæ agatur, nisi ut per omne fraudum, scelerum, parricidiorumque genus, illa infanda Omnipotentia Papalis astruatur. Quò spectant libri ad defensionem Garneti Romæ scripti, & editi? Quò illi, quos Parisiensis Senatus cremavit manu carnificis? Quot impietates scelestus ille Bellarminus defendit contra Regem, & in suis aliis scriptis omnibus? Hæc tibi nota sint necesse est. Gravissimè tu quidem disputas de erroribus eorum, quos Puritanos vocant: sed non videtur ea esse ratio adducendi Papam ad æquas conditiones, cùm nostra crudelissimo Tyranno mala aperimus. Ridet Phalaris, ridet, & omnia nostra brevi ruitura sibi pollicetur. Ego ex iis, quæ legi in illorum scriptis, quæ animadverti in eorum factis, persuasissimum habeo, toto cœlo aberrare eos, qui aliud à Papis expectant, quàm superstitionem, perfidiam, cædes, & rapinas. Moneo autem te, pro mea in te fide, atque observantia, ut diligentissimè etiam atque etiam caveas, ne tuum illud scriptum in manus veniat τῶν πολιτῶν. Nam quia videris id moliri, ut Papæ authoritas in hoc Regno restituatur, sine dubio in magnum fortunæ tuæ periculum adducerentur. Atque, ut ingenuè tibi animi mei sensum exponam, ineundæ concordiæ via alia ineunda est, si Deo, & hominibus operam nostram probare volumus. Quis nescit sanctissimam Paparum authoritatem dudum versam esse in horribilem Tyrannidem? Jam elapsa sunt multa sæcula, cùm omnes boni hoc vident, & gemunt. Unus Matthæus Paris probationi ejus rei satis superque fuerit. Nunquam ullus Tyrannus crudelius sæviit in viscera subditorum, ac sævitum est in miseros Anglos, quamdiu illos Papæ in sua potestate habuerunt. Denique Regnum istud Papæ est, & illud Papis vindicant Bellarminus, & id genus detestanda Paparum mancipia. Sed de Regno parum est, præ veritate Religionis; quam hodie retineri à Papistis, dici non potest.* Londini, a. d. x. Kalend. Septemb. CIↃ IↃ CXIII.

Sequitur in Præfatione Rosweydi: *Nonne antequam in Angliam discederes, negotium dederas Georgio Strachano, nobili Scoto, qui filium primogenitum, Joannem Casaubonum, mathematicis artibus instruebat, ut occasione arreptâ in quotidianis lectionibus sensim ad Religionem Catholicam amplectendam illum incitaret.* Quàm non sit iis facilè credendum, quæ de aliis referuntur, potui quidem aliundè discere, eximiè tamen ex hoc experimento. Cætera enim, quæ de

de Patre dicta sunt, sunt quidem non minus falsa; habent tamen plus difficultatis ad convincendum, & refellendum. Hæc res apertè falsa, & commentitia, quantâ audaciâ, quantâ confidentiâ affirmatur? Quo tempore Pater assiduis ferè certorum hominum tentationibus interpellabatur, ad suas eum partes traducendi incredibili cupiditate ferventium, Frater natu maximus, qui tunc annum agebat circiter decimum nonum, à quibusdam est pellectus, qui simul illi annuo ducentorum aureorum stipendio prospexerunt. Tam cautè, & callidè res agebatur, ut prius sit confecta, quàm de ea quicquam ad Patris aures pervenerit, qui nihil tale suspicabatur, aut metuebat. Frater autem post defectionem suam, cùm aliquamdiu domo abfuisset, veritus conspectum Patris, adduxit deprecatorem, statimque advolutus ad genua, flens postulavit veniam à Patre, quòd tantam rem esset ausus ipso inconsulto: se autem veritum esse, ne si re adhuc integrâ in consilium eum adhibuisset, voto suo fuisset obstiturus. Pater ad rem tam miram & improvisam stupore pariter & dolore perculsus, benè longum tempus inter gemitus, & querelas egit cum uxore. Eo ipso die scripsit hæc in sua Ephemeride, *a. d.* XIX. *Kalend. Septemb.* CIↄ Iↄ CX. *O vitam ærumnosam! O Satanæ insidias! Qui non potuere me impellere, ut imagines adorarem, ut doctrinam diabolorum amplecterer, ii filium natu maximum mihi corripuerunt, & corruperunt.* Γεννήματα ἐχιδνῶν, *quid vos movit, ut hanc fraudem adversus me excogitaretis? Adolescentem imperitum rerum, imperitum disputationum Theologicarum in retia vestra compulistis, me inscio, me invito. Dominus Jesus illius misereatur, & mei per illam infinitam suam misericordiam: idem respiciat hanc domum; servet uxorem charissimam, & liberos in timore sui nominis confirmet. Amen.*

Posteà cupidissimè conatus est seductum Pater ab errore revocare, eâ quidem ratione, quæ illi visa est unica; verbis scilicet, & argumentis, non vi, aut imperio. Cùm Frater esset in Anglia eo tempore, quo primùm Rosweydi Tabulæ prodierunt in lucem, Vir illustrissimus, Lancelotus Andræas, tunc Eliensis, nunc Wintoniensis Episcopus, diligenter eum super his rebus interrogavit, qui respondit in hæc verba: *Quod ad meum factum in negotio Religionis attinet, conscientia me mea cogit Patrem meum purgare coram Deo, atque hominibus, ut qui, quæ fecerim, meis ipse consiliis, inscio Patre fecerim.* Hæc ipsa verba excepi paucos ante dies, quàm hæc scribebam, ex ore viri venerandi, cujus testatissima fides atque integritas apud æquos judices facilè veritatem vindicabit à contrariis aliorum asseverationibus. Sed progrediamur. Rosweydus: *Ille igitur, cùm appeteret Pentecostes festum, neque certi quicquam de te statueres, quòd timeret, ne transmarinis artibus seduceretur, ante tuum è Gallia discessum publicè Catholicam fidem professus est.* Utrùm Frater unà erat cum Patre iturus in Angliam, necne, compertum non habeo. Sed non video, quare tunc ituro obstitisset Religionis diversa professio, quæ posteà non obstitit, quo minùs semel, iterumque veniret: Pater autem solus tunc abiit è familia *, in Comitatu illustrissimi Legati, Henrici Wottonii. *Cùm appeteret*, inquis, *Pentecostes festum, neque certi quicquam de te statueres.* Atqui illud Festum celebratum est a. d. III. Kalend. Jun. Frater autem mutatis partibus transfugium fecit circa XIX. Kalend. Septemb. Viden', Rosweyde, in quos te laqueos indueris nimiâ temeritate, & calumniandi studio? ex quibus nullæ te strophæ, nulla poterit verborum subtilitas expedire. Pergis; *Nonne cùm filii operâ utereris in perquirendis locis Patrum, rectè à Bellarmino, perperam à Plessæo ea citata centies offendisti?* Credat Judæus apella, non ego, non quisquam alius, qui doctus sit vero distinguere falsum. De Bellarmino autem, ut quid Pater senserit eo ipso tempore, intelligas, locum proferam ex Ephemeride, *a. d.* VII. *Kalend. Februar.* (anno CIↄ Iↄ CX.) *In nostris & adversariorum scriptis de Purgatorio hodie fui; & vesaniam, stuporem, vafritiem, & quid non in Bellarmino deprehendi. O Doctorem mendacii! Te oro, Domine Jesu, serva me ab illa mendaciorum doctrina purum & mundum: da te noscere, & in tua unius voluntate acquiescere. Amen.* Rosweydus: *Nonne Ministri Molinæi librum adversus Missam, adscriptis margini notis censoriis refertum calumniis & imposturis, damnasti?* Solitum esse Patrem omnibus, quæ attentè legeret, censorias notas apponere; doctorum crimina, vel errores, quos deprehenderet, liberius incessere, (si tamen libertas est dicenda, quæ cogitaveris, ea soli tibi scribere) sciunt omnes, qui libros ab ipso lectos inspexerunt. Quod si quispiam bonam agendo caussam nonnulla propriâ culpâ vitioque peccaverit, nihil est, opinor, quo minus ille possit sine caussæ ipsius injuria, aut detrimento reprehendi. Sed damnatum ab eo Molinæi librum, ut

* *Hoc patet ex Epistolis 690. 691.*

ut calumniis & imposturis refertum, mera est sine dubio sycophantia. Rosweydus: *Meministin' quoties tibi uxor objecerit nimis te tergiversari; se si posset tam peritè libros doctorum legere, aut intelligere, nequaquam tamdiù deliberaturam*, &c. Sunt hæc & illa etiam, quæ sequuntur, ex eo genere, quæ quàm facilè dicuntur, tàm negantur facilè. Quæcunque autem fuerit occasio hujus sermonis, authorem illam fuisse, aut impulsorem Patri, ut veram fidem desereret, audacissimum est & impudentissimum mendacium; in qua quàm firma semper fuerit & stabilis, satis arguit dolor ille ἄφατος, & ἄτλητος absque Dei ope & misericordia fuisset, quem ex nupera suorum defectione omnes illam sciunt amici percepisse. Jam puto abundè explosa, & refutata esse, quæ sunt de Patre in illa Præfatione Rosweydi: quæ cùm Capellus quoque in suis pro Patre Vindiciis ut fabulosa rejecisset, Rosweydus in Anti-Capello * suo ita se defendit ex amici Literis: *Omnia, quæ in Præfatione Legis Talionis scripsisti, & ipsi Eliensi Episcopo testificatus est Joannes Casaubonus in Anglia, ea penitùs ita evenisse, ut tibi narrata sunt. Porrò, si opus est, idem scripto testabitur, etiam jurejurando interposito.* Sed cùm ne sic quidem posset adduci Capellus, ut illa falsi suspicione absolveret, Rosweydus in ultimo contra Capellum libro † testem suum quasi præsentem stitit, editâ quâdam Joannis, ut ait ille, Casauboni, fratris mei natu majoris Epistolâ, quâ pleraque eorum, non tamen omnia, quæ Rosweydus anteà Præfatione in illa de Patre scripserat, repetuntur, & asseruntur. Ego lectâ illâ Epistolâ pro rei indignitate commotus animo, (quia videbatur frater eam scripsisse, ut infensissimo & virulentissimo sui Patris adversario patrocinaretur, & eum quantum in ipso erat, præstaret innocentem, atque etiam falsa asseruisse in ejusdem gratiam) quum primùm pro fraterna necessitudine privatim apud eum questus essem per literas, postea quoque paternos ab eo Manes publicè, ut ego interpretabar, offensos publicâ expostulatione placaturus; nuper ab eo literas accepi, quibus præcisè negat tale quid unquam in animo sibi fuisse, quale quod objeceram, meque ut idem ipse mihi persuadeam, multa cum obtestatione rogat: de Rosweydo, Patris adversario, & ejus libris primùm se ex meis didicisse; ut verò aliquid in ejus gratiam scripserit, aut contra Patrem, vehementer abominari: charam sibi ac venerandam Patris esse memoriam, ac semper fore, quam qui irent infamatum, eos se sacros & intestabiles habiturum: Epistola autem illa, de qua loquebar, quænam sit, aut unde, nescire se, nec super ea quicquam certi respondere posse, donec ipsam viderit. Macte esto, Frater, hac pietate, cujus hæc tua professio, & accurata significatio (quanquam de ipsa dubitare non debuerim, qui te probè nôssem) extulit me singulari gaudio, tum quia rem ipsam admodum cupiebam, tum etiam quia simul adempta mihi est, necessariæ alioquin, occasio querimoniæ. Ne tamen, Frater, nimio quodam & inconsulto Patris, aut partium studio pecces, & patrii nominis obtrectatores imprudens adjuves, etiam atque etiam cavendum tibi puto, adeòque ut caveas oro obtestorque. Tu scilicet in laudem Patris, & honorem putas cedere, si eum quàm proximè ab ea, quam putas, Orthodoxa Fide aberrasse, & maximè ad vestras partes propendisse persuadeas. At non vides Patris adversarios hoc tuo cujusmodicumque pietatis officio usuros in ejus contumeliam, dum suas ex eo de dissimulatione ipsius, avaritia, & assentatione calumnias confirmare, & probare conabuntur. Certè si tua sint illa, quæ tibi Rosweydus ascribit (de quo tibi non liquere respondisti) non video quâ te possis idoneâ satis excusatione defendere. Nam vel illud primum de tua defectione, quæ Patri imputatur, qui potuit à te bonâ fide, & quòd ita re verâ sentires, affirmari? Ego quidem facilè crediderim, Strachanum hoc astu usum, quò te potiretur, Patrem ipsi ejus consilii authorem fuisse; sed rei vanitatem mox expertus es, & posteà ex Patris Ephemeridibus (quas video tibi adeò diligenter, & attentè lectas) certò scire potuisti, quæ hoc mendacium, ut alia quàm plurima de ipsius Fide, tam clarè & apertè convincunt. Sed nolo plura de illa Epistola, donec eam pro genuino fœtu à te agnosci, liquidò mihi constiterit. Hactenus probavimus Patris in caussa Religionis firmitatem & constantiam; atque ea quæ contrà asserebantur, fusè refutavimus. Ostendimus à longo jam tempore rumores, & sermones assiduos, & quàm illi vani essent & inanes, ostendimus. Quia autem, ut ait Philosophorum Princeps in Ethicis, quò fidem veritas facilius inveniat, & falsitas extrudatur, οὐ μόνον δεῖ τἀληθὲς εἰπεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸ αἴτιον τοῦ ψεύδους, videndum nobis est utrum possimus præter illas, quas jam indicavimus, propiores aliquas horum rumorum, qui adeò fuerunt constantes,

* *Edit.* 1619.

† *Cui titulus est:* Syllabus Malæ Fidei Capellianæ excerptus ex Jacob. Capelli mendaci Assertione Bonæ Fidei, &c. *edit.* 1621.

stantes, & diuturni, caussas indagare. Primam licet ponamus, amorem atque admirationem veræ Antiquitatis, sive Primitivæ Ecclesiæ, non in iis tantùm, quæ pertinent ad fidem atque doctrinam, quæ non erat cur desideraret inter eos, è quibus ipse erat; sed & ea, quæ ad ritus & disciplinam atque alia, quæ cùm alioquin agnosceret ἀδιάφορα, tamen probabat ut antiqua, & noluisset ob leves caussas abolita. Addamus huic cultum & venerationem erga Sanctos Patres, quæ tanta erat, ut multò plus illis deferret, quàm multi cupiebant, & ipse contrà sperni illos à quoquam, & haberi contemptui, patienter ferre non posset. Præterea, cùm si quisquam alius ex intimo cordis affectu factionibus & dissidiis Christianorum in caussa Religionis ingemisceret, & acerbissimum ex ea re dolorem caperet, putaretque non ultimum aut minimum concordiæ impedimentum esse quorundam ex utrisque partibus hominum protervitatem, & αὐθάδειαν, illamque, quam ex Basilio elegantissimè appellabat τῆς ἀνθολκῆς ἀμετρίαν, ipse in disputationibus, quas cum τῶν ἐπιμεδοξάντων antesignanis quibusdam habuit frequentissimas, hanc tenuit rationem, ut moderationis ac modestiæ primam curam haberet; ut etiam multa aliquando ipsis concederet, quæ etsi missa fortasse meliora, tamen tanti non erant, ut eapropter pax & concordia Ecclesiæ deberet impediri. Atque hæc erat illa Antiquorum Συγκατάβασις· quam & laudabat ipse toties, & aliis tam studiosè proponebat. Ipse autem erat frontis à natura tenerrimæ, qualis certè hujus generis certaminibus minimè apta erat, quæ plerunque ad ostentationem magnâ contentione solent obiri, & in quibus verecundia τῆς ἥτλας, & turpis fugæ nomen non raro habet. Postremò, cùm haberet non paucos inter τὰς ἐξ ἐναντίας amicos arctissimâ consuetudine sibi junctos, & à suis insignes injurias accepisset, de quibus audiebantur nonnunquam liberiores ejus querelæ, multis nata est hæc suspicio, quasi ad alias partes inclinaret. Hæc omnia qui bene expendet, is, opinor, caussas illorum rumorum, de quibus diximus, non rogabit, nec aliter ferè (ut sunt nunc homines) accidere potuisse intelliget: quanquam semper summo studio caverit Pater, ne scandalis in Ecclesia, & offensioni occasionem præberet. Sed ut semel, & ingenuè, quod res est, fatear, negari non potest, aliquantum concussam ac labefactatam ultimo illo, ac tam diuturno cum Cardinali congressu ejus fidem de quibusdam doctrinæ capitibus, ipsumque aliquandiu dubium quid in illis sequeretur fluctuasse, donec expetitum nactus otium, sedulâ Theologorum lectione scrupulos ex animo, quos facundi Cardinalis ἡ πειστικὴ δύναμις injecerat, penitùs eximeret. Ille autem hanc anxietatem non dissimulabat apud amicos, aut tacebat, ut vel ex hac ἀμοιβαίᾳ Lectii apparebit, quando illam, quam ipse scripserat, non habeo.

JACOBUS LECTIUS
ISAACO CASAUBONO,
Viro clarissimo.

A*Nimum meum, Vir clarissime, non sine aliqua tristitiæ mixtura literæ tuæ delectarunt. Nam quemadmodum mendacem illam circa te famam, de qua scripseram, esse firmasti, & Pontificiorum pollicitationibus adversus pietatem tuam nihil licuisse, nihil in posterum licere posse testaris; ita scrupulos quosdam, & spinas ob Veterum nonnullorum scripta non diffiteris, quibus sanctissimum tuum pectus exerceri video mœstus, & dolens. Sed mihi crede*, &c. *Genevæ Allobrogum*, XXII. *Aug.* CIↃ IↃ CX. Hos scrupulos qui vocaverit mentis inconstantiam, & instabilitatem, næ ego judicium illius nihil moror. Æquus judex perpendat quantæ constantiæ fuerit, tot annos durasse immotum & inconcussum contra assiduas tentationes, tam eorum qui præmiis & promissis ejus integritatem corrumpere, quàm qui disputando & argumentis adducere eum, & expugnare conabantur. Cogitabit etiam cum quibus res illi fuerit; non cum quibusdam de trivio semi-doctis, & δοκησισόφοις, sed cum iis, quibus ex illis partibus nulli doctrinâ & ingenuo superiores erant, ne dicam, pares; qui subtilitate & artificio in hujus generis contentionibus totâ Europâ notissimi erant & celeberrimi. Ex omnibus autem fidei controversis capitibus maximè impeditus fuit eo, quod est de S. Eucharistia, nec antè conquievit, quàm collectis magno labore omnium Antiquorum sententiis de eo Sacramento, & accuratè expensis, tandem quid sibi esset super eo statuendum, certò intellexerit. Erat inserturus illum tractatum editis Exercitationibus ad Baronium; sed magnitudo illius, & festinatio Typographi in aliud eum tempus editionem differre coëgerunt. Post ejus obitum quid de eo libro actum sit, aut à quo surreptum, nondum resciri potuit. Ad locum Barclaji quod attinet, ubi dicit, Casaubonum in Au-

la Regis sereniſſimi aſſeruiſſe, *Euchariſtiam eſſe ſacrificium propitiatorium, ſacrificium* ἱλαστικὸν, multa poſſunt reſponderi (ne de Barclaji fide dubitem) ex Patrum ſententia, quæ non ſunt hujus loci. Objiciunt adverſarii, quòd quicquid in Anglia ſcripſerit, contra conſcientiam ſcripſerit. Quid igitur impulit? An lucri alicujus, & emolumenti ratio? De hoc mox videbimus, quum de Moribus agemus. At, inquiunt, illa ſunt contraria fidei, quam in Gallia veram eſſe agnoverat. Telum hoc jam ex iis, quæ à nobis antè ſunt allata, ſufficienter retuſum eſt: hoc unum addam; quum Pater primùm venit in Angliam, fore illam propriam ſibi ſedem ne per ſomnium quidem cogitaverat. Hujus rei poſſunt eſſe teſtes amici quotquot præſens tum diſceſſurus, aut poſteà ex Anglia per literas fecit ſui conſilii participes. Nec plures quàm quatuor menſes ad hoc iter conficiendum à Regina impetraverat: ideò etiam ſolus venerat, relictis in Gallia uxore, & liberis omnibus. Epiſtola ad Frontonem * non ita diu poſtquam hìc fuit, inchoata eſt; etſi propter varias cauſſas tardius illam abſolverit. Poſteà cùm curante Rege ſereniſſimo, facta illi venia eſt diutius hìc manendi, non plenam miſſionem obtinuit; ſed eum revocandi quando vellet integrum ſibi Regina Chriſtianiſſima reliquit. Cogitet jam Lector, utrum fuerit hominis, non dicam prudentis, cujus negant eſſe, Suavia quæ ſunt, prima habere, & non conſulere in longitudinem; ſed omnino non inſani, ea ſcribere brevis commodi gratiâ, quæ ſciebat paulò pòſt ceſſura ſibi perpetuo damno? Certè ſi conſtituerat poſt reditum tranſire ad alia caſtra, nihil potuit à ſuis rationibus magis alienum facere, quàm erant illa, quæ ſcripſerat in Anglia. Denique nimis mirum mihi videtur, illuſtriſſimum Cardinalem †, qui ipſius animum optimè notum habebat, hoc illi crimen diſſimulationis nunquam exprobraſſe. Habeo ipſius literas, quas ad eum miſit in Angliam: de Religione in illis multa, imò pleraque; illa de re ne verbum quidem. Sed iterum inſtant adverſarii, & tela petunt è privatis ipſius Epiſtolis ad Virum clariſſimum, Andræam Schottum. Audiamus igitur quid illa probent: *Juſſus à ſereniſſimo Rege libro Lutetiæ edito à veſtris Societatis hominibus, breviter reſpondere, paucas in eam rem chartas exaravi*, &c. *Quanquam ego ſanctè juro, eo animo ſcripſiſſe me, ut manu meâ deſcriptam Epiſtolam mitterem* ‡. *Aliter placitum ſereniſſimo & optimo Principi, Magnæ Britanniæ Regi, cujus voluntas mihi pro regula eſt, atque eſſe debet.* O gravem plagam! An quia Regis juſſu & ſcripta, & edita eſt illa Epiſtola, ideò non potuit Caſaubonus ex ſententia ſcripſiſſe? An potius illa opponitis, *cujus voluntas mihi pro regula eſt atque eſſe debet?* Sed quis tam iniquus, ut illa ad res fidei referenda dicat? Alioquin quis illa, quibus frequenter utimur, *tibi devotiſſimus, tibi obſequentiſſimus*, &c. neget impietatis plena? Videamus alia *: *Video incidiſſe in manus tuas Epiſtolam ad Frontonem, & genus hoc totum ſcriptionis tibi diſplicere: nec miror; nam & ipſe* ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ *ad tractationem ejuſmodi argumenti animum appuli.* Vereor ne prævaricari quibuſdam videaris, Roſweyde, & tuam cauſſam prodere. Sunt hæc enim ita frivola & inepta, ut meritò quis judicet ab eo eſſe allata, qui velit credi adverſario nihil veri, & ſolidi objici potuiſſe. Nos ſanè didicimus à Philoſophis, actiones quaſdam eſſe mixtas, πράξεις μικτὰς, ut vocat Ariſtoteles, quæ etiamſi ἁπλῶς καὶ καθ' αὑτὰς, aut propter aliquas circumſtantias ſint ἀκούσιαι, ſine tamen, καὶ τὴν ἀρχὴν εἶναι ἐν τῷ πράττοντι ſunt ἑκούσιαι. Affectus τοῦ τοιαῦτα πάσχοντος vulgò jam ſolet exprimi eleganti Homeri hemiſtichio, ut feciſſe aliquid dicatur ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ, quo meritò uſus Pater, qui libens acceſſit ad tractationem illius argumenti propter veritatis defenſionem; & invitus, quia ab ejus generis contentioſis ſcriptis animo abhorrebat, multorumque offenſiones atque odia ſe eo ſcripto incurſurum prævidebat. Hæc ſcripſeram, quum fortè incidi in illam ipſam Epiſtolam, è qua verba hæc deſumpta ſunt: quâ lectâ inſignem ſtatim fraudem ac malitiam Roſweydi deprehendi. Nam cùm illa verba ſola poſita variam admittant conjecturam, ut vel ita ut diximus, vel etiam *invitus*, tanquam coactus ab alio ſcripſiſſe intelligatur, illa addita erant in Epiſtola, quæ nullum relinquebant dubitandi locum: quod ut appareat, plura ex illa Epiſtola † hìc deſcribam.

Video incidiſſe in manus tuas Epiſtolam ad Frontonem, & genus hoc totum ſcriptionis tibi diſplicere: nec miror; nam & ipſe ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ *ad tractationem ejuſmodi argumenti animum appuli. Quis coëgit? inquies. Dicam tibi, mi Schotte, quod res eſt. Illa atra & nefaſta dies, quæ Henricum Magnum terris eripuit, eadem totam meorum ſtudiorum rationem conturbavit. Tantus enim me ſceleris immanis horror invaſit, tantum vitæ hujuſce tædium, ut ex illo tempore, prioribus curis relictis,* id

* Num. 730.

† Perronium.

‡ Vide Epiſtolam 746.

* Epiſtol. 777.

† Hanc alteram auctiorem edidi num. 777.

id ferè unicum agam, ut vel cædi factæ illachrymem, vel faciendæ caussam inquiram. Nemo autem dubitat peritus rerum, parricidium illud ejus doctrinæ fructum esse, quæ statuit Reges ac Principes, si Romano Pontifici cœperint displicere, deponi, tolli, occidi posse impunè. Scio abhorrere tuam pietatem ab illa immanitate. Sed illud non potes nescire, multos hodie libros conscribi asserendæ illi impiæ doctrinæ. Ne alios commemorem, meministi, opinor, eorum, quæ scribit Thomas Bozius lib. XVII. *in signo* LXXVI. *ubi caussas colligit, propter quas jus esse contendit Romanis Pontificibus, Imperatores, Reges, & Principes, soliis avitis deturbandi, & Regna transferendi. Quæ doctrina quàm diu docebitur, & ut Papæ grata defendetur, certum est nunquam defuturos, qui parricidia aggrediantur. Ego igitur, quum ex quo in Angliam veni, plurimos ejus argumenti libros legerim, & magnâ attentione considerarim, ita cœpi horrere & doctrinam Stygiam, & ejus assertores, ut perfidæ ignaviæ reum me futurum crederem, nisi gliscenti malo pro mea virili me opponerem. Adde quòd ejus Epistolæ scribendæ occasio nata est, quam ipse nec quæsivi, nec oblatam potui declinare,* &c. *Vale.* Londini, a. d. x. Kalend. Mart. CIↃ IↃ CXII. Tuam fidem, Rosweyde, tuam fidem! Iterumque (ut tua tibi reponam) tuam fidem, Rosweyde, tuam fidem! Hoc etiam utuntur argumento iidem Patris adversarii, ut eum probent in Regis Angliæ gratiam scripsisse, quia animum ad id genus studii nunquam prius adjecerat, adeòque fuerit omnis Theologiæ expers & ignarus. De hoc, cùm de studiis ejus & eruditione. Nunc quia multi dicunt vitam hominis esse quasi scænam, in qua homines non nisi personati spectantur; solam esse mortem, quæ veros nobis homines exhibeat, consideremus qualis ejus obitus fuerit, quàm scriptis, & anteactæ vitæ responderit. Non omnia fortè proferam, quæ poterant dici; hæc tamen qualiacunque veritati confirmandæ satis erunt. Toto fatalis morbi tempore, non alii ferè fuerunt ejus sermones cum liberis, quàm de pietate, quibus illos hortabatur ad constantem Dei timorem, & piæ Matris obsequium. Dolorem autem suum aliquoties testatus est, quòd confutationem Annalium Baronii, opus ad Dei gloriam, & veritatis defensionem susceptum, imperfectum relinqueret. Eo tempore quum venisset à Legato Regis Galliæ Vir quidem nobilis, qui illum, ut quam fidem & Ecclesiam probaret, palam declararet, & agnosceret hortaretur, *Ergo* (inquit Pater) *putasti, Domine, me in re tanti momenti hactenus dissimulasse?* Deinde rem ipsam vehementer detestatus, & abominatus est. Nocte, quæ ultima, aut penultima ipsius obitum præcessit, quum jam non procul abesse se à meta, ex morbi vehementia conjiceret, vocatis ad se liberis, præsente uxore, singulis ordine, invocato Dei nomine benedixit, atque inter alia sedulo eos ac sollicitè admonuit, caverent sibi à fratris natu maximi exemplo; sed in fide, quâ erant à Parentibus imbuti, firmè ac constanter perseverarent. Toto autem hujus novissimi morbi tempore, frequentes habuit Dei Ministros in Ecclesia Gallicana, quæ est Londini, spontè plerumque, & ex muneris ratione venientes; aliquando tamen, ut subitaneæ tunc occasiones occurrebant, ipso volente ac jubente accitos. Dicat jam, qui volet, quid in his omnibus animum arguat Pontificium, aut à priore ipsius professione alienum? Valeant igitur, & explodantur vanissimi rumusculi, qui de morte ejus dissipati sunt, & eorum pudeat, tam qui temerè assenserunt, quàm qui authores ipsi fuerunt.

MERICI CASAUBONI
PIETAS.
PARS TERTIA.
DE VITA ET MORIBUS ISAACI CASAUBONI.



Uamvis res sunt inter se diversissimæ, Fides & Mores; pravo tamen sæculi more factum est, ut nemini ferè sit de fide sua respondendum, cui non etiam sit necessaria pro vita ac moribus Apologia. Ita enim multi credunt, se maximè illam fidem, & religionem convincere, cùm illorum vitam moresque, qui illi adhærent, in vulgus infamarint, probris ac conviciis omne genus traduxerint. Res notior quam ut exemplis egeat. Nos quidem hanc partem responsionis rectè poteramus, ac sine fraude præterire, qui sciamus notiorem plerisque Isaaci Casauboni innocentiam, & integritatem vitæ, quàm ut possit per ullas sycophantias, & calumnias in dubium vocari. Debet hoc illi patria, neque unquam negabit ut spero; debent omnes loci, in quibuscunque vixit; debent omnes homines, cum quibuscunque conversatus est, ut suo testimonio atque patrocinio ejus innocentiam contra falsa crimina tueantur. Et sanè vix puto quenquam in tota Gallia, modò qui sit ab affectibus liber, & privato odio non agatur, qui non illi boni & probi (de fide jam non quæro) laudem libenter tribuat. Ego quidem, qui multorum adversariorum de eo sermonibus etiam ignotus interfui, nunquam aliter de eo loquentes audii. Ubicunque fuit, optimi cujusque studium ac benevolentiam meruit, non eruditionis duntaxat, sed multò magis probitatis opinione; quo nomine Rex Galliæ eum se diligere, ipsi illi testatus est. Possem magni cujusdam viri, & omnibus Romanorum Pontificum placitis ultra commune Gallorum ingenium addictissimi, de eo verba proferre, quæ procul dubio multi mirarentur. Possem multorum literas in medium afferre, quæ vel solæ sufficerent ad os maledicis & malignis occludendum. Sed in re non necessaria nolo Lectoris patientiâ abuti. Unus mihi erit instar omnium Vir illustrissimus, & propter summam eruditionem merito suo omnibus venerabilis, Marcus Velserus; tum quia nullam puto fieri illi injuriam, si quod ultrò detulit vivo testimonium (ut testatur in literis) mortuo nunc meâ operâ dicat; tum etiam quia ipsum video tanti fieri ab adversariis maledicentissimis, Eudæmone & Scioppio, (quorum hujus *Symmachus* est illi nuncupatus, illius autem *Thomæ Brightmanni Castigatio*) ut ejus authoritatem elevare, aut repudiare nullâ ratione queant. Is igitur hunc in modum ad Patrem scripsit.

Salve, Vir clarissime,

Malè fit, sive tabellariorum tarditati, sive eorum qui literas per tabellarios curant negligentiæ, horum enim potius culpâ fieri suspicor, quòd literis, quas tu Kalend. August. * *in villa ad flumen Eliam dedisti, nunc demum respondeam, cùm me tibi quamprimum quàm diligentissimè purgari permultum interesset, etsi hoc ne nunc quidem curis & occupationibus prorsus obrutus, ut vellem præstare possum. Egone ut quicquam ad Savilium scripserim, quo Casaubonus, qui quo loco apud me sit, non tam ego ipse mihi testis sum, quàm omnes prætereà nôrunt, æqui iniqui; neque enim ad amicos tantum provocare libet, quod eorum suspectum plerunque testimonium meritò offendi debeat? Ego ut eum parum sinceris coloribus pinxerim? Ita me Deus bene amet, ut nullâ hujus criminis conscientiâ tangor, nec omnino in memoriam eorum, quæ scripsi, redire, nec etiam conjectando possum assequi. Nisi quid joco fortè, quod inter amicos tum solet, tum licet, liberius aspersi. Memini Senecam scribere,* quasdam interpretando fieri injurias: *quæso, literas in manus resume, & posito offensi animi præjudicio, vide an malè auspicata illa verba, quæcunque sunt, leniorem interpreta-*

* Ita: *Elaf.*

pretationem admittant; tum enim facilè de æquitate tua mihi polliceor te asperiorem, si maximè quoque locum invenire possit, non prælaturum. Sin contrà perseveres, quid ego possum? Arbitratu tuo jusjurandum dabo, indignum esse te injuriâ hac, me nolle dicta aut scripta, quæ scripsi. Scis, mi Casaubone, quod in te desiderem, unum esse, id neque dissimulavi unquam, neque dissimulaturus sum, neque nisi te tantoperè amarem, valdè desiderarem. De eo autem cur ad Savilium scriberem, facilè intelligis nihil fuisse; de cætero, observantiam, cultum, atque admirationem, quæ virtute & doctrinâ summis nostræ ætatis viris debetur, omnem tibi defero. Si fallo … Sed nolo plura; nam te quantumvis iratum, rectè de candore meo judicare arbitror. Erant prætereà quæ adderem; sed nunc temporis angustiis excludor: ut te placatum sciam, rescribe; literas Savilius facilè curabit, aut tu ad quemcumque amicorum Antverpiam mitte. Vale. XXVI. die Octob. anni CIↃ IↃ CXI.

Tuus,

MARCUS VELSERUS.

Non potui testem, aut laudatorem locupletiorem producere. Qui autem talis ipse fuerit, quam curam domûs habuisse par sit, ut sibi non dedecori, sed quàm similis esset, potest suo Lector animo reputare. Hoc sanè præstitit, ut bonæ illam famæ, nec ullis fabulis obnoxiæ semper habuerit. Nulla, ut opinor, erit invidia, si illum, quem alicubi citat contra Casaubonum Rosweydus, eundem hic pro Patre antester. Cùm igitur hæc Pater scripsisset ad Joannem Wouwerium *; *Quod superest, diuturni silentii mei caussam sic accipe. Cùm in hanc urbem secundùm veni ante annos quatuor, relatum mihi ab amicis familiaribus aliquando tuis, te quamdiu hic versatus es, solitum de me, de uxore, de liberis jocosos sermones cum nequissimo † bipedum, qui Sidonio tuo tantum debet, habere; non sum veritus virtute Dei, ne honestati domûs meæ talibus sermonibus posset noceri. Ipse virtutis & literarum amorem professus semper, cur riderer, materiam, quod sciam, nemini mortalium dedi. Uxor pietate, probitate & aliis virtutibus muliebribus conspicua; pudicitiâ autem adeò insignis, ut ne fabulæ quidem occasio vel minima sit ab illa data. Liberos vel ætas tum adhuc tenera ab eorum urbanis dictis, qui Patrem parum amabant, tutos præstare debuit. Atque hæc eò nunc tibi aperio, non quòd novum aut admodum mihi videatur δεινὸν extitisse, qui me rideret, aut meas; sed ut caussam agnosceres, cur ad varias Epistolas tuas, quas ex Italia & Germania ad me misisti, respondere hactenus supersederim. Vale.* Lutetiæ Parisiorum, a. d. IX. Kalend. Januar. CIↃ IↃ CIII. *anno τοῦ Σωτῆρος Dionysiano.*

* Epist. 314.

† Theodoro Marcilio, cui cum Petri Colvii, tum suas in Sidonium Apollinarem dedicat Notas, anno 1598.

WOUWERIUS hunc in modum paulò post respondit:

Sed prævertere oportet ad horribile illud & ferale carmen, quo literas tuas claudis, tanquam si jocosos sermones de te domoque tua sparsissem. In quo duo mihi gravissima acciderunt; quòd accusari me neglecti fœderis & humanitatis intelligam; tum quòd te offensum videam. Quæ tristem & confusum ita exercuerunt, ut ab eo die nusquam me lætum aspexerim. Jubeo te redire in præterita; complectere, quæso, imaginem rerum mearum, quamdiu domi tuæ vixi; revoca in memoriam adfectum, quo inflammatus insuperhabitis omnibus commodis ad te festinavi. Nec retinuerunt ampla itinerum spatia, nec locus ipse exceptus humaniori commercio, quod in peregrinatione inprimis à nobis spectari solet, impediit, quo minus utiles annos ignobili situ perdere sustinuerim. Haud dicere potes, percontando, & indagando doctrinæ omne genus te molestum sensisse. Intento scilicet ad aliud vitæ genus, sufficere poterat adspectu tuo frui, & arctiori familiaritate consuescere, ut sedaretur adfectus, quem admiratio tuarum virtutum in me incenderat. Cujus nunc dignissimum hoc præmium fero, ut mihi irasci & fortasse amantissimum tui odisse potes. O fatum! nunquamne detumescet implacabilis ista ira, cujus vires toties sentio? Jam enim in consuetudinem nobis vertit, ut ii, quos amicissimos expertus sum, subtractum ex oculis odisse incipiant, ita miseri calumniis opportuni sumus; quæ gravius nocere non poterant, quàm ut te à nobis alienum redderent. Et tamen non video cur ad eas credulas aures deflectere debueris: quin potius iis acquiescendum fuit, quæ coram vidisti & probasti. Quanquam non descendam tecum in hanc litem, quam si meam serio facerem, vel tuo ipsius judicio absolverer. Ego verò de te contemptim loquerer, quem inter omnes mortales per admirabiles ingenii dotes solum suspiciendum elegi? Provoco ad publicum testimonium, quod cùm olim debebam, nunc opportunè exhibui. Uxorem verò tuam ubique gentium verum pudicitiæ, & probitatis exemplar commendavi. De liberis sequiora proferre, par insania erit agere vel credere posse, quorum

Polymathia, pag. 103.

rum scilicet anni tam innocentes, ut nec beneficium, nec injuria in illos caderet. Quod satis erat ad detegenda illorum mendacia, qui mihi amorem tuum inviderunt. Sed utinam authorem calumniæ prodidisses, effecissem profectò intelligeret, me mendacia non minus redarguere quàm ulcisci posse: & spero equidem me ad te aliquando rediturum; ita nunquam mihi bene sit, nisi hoc scelus sanguine mihi expiabit. Interim per omnia sacra, per jus hospitii, per genii tui facilitatem te rogo quæsoque, ne improbissimorum hominum calumniis aures præbeas; sed nôris me innocentissimum & tibi devotissimum ita iis expositum, ut penè cum ipsius lucis tædio mortem pro munere amplecti desiderem. Testor Deum & conscientiam meam, me nihil unquam malè de te tuisque cogitasse, nedum dixisse apud eos, quos ipse meritò odi. Me verò beatum, immò Deum, si intellexero te animo tuo hoc vulnus sine cicatrice delevisse, quod te rogo & obsecro. Literas ad me tuas per Scaligerum rectè curabis. Inclusas hasce cum exemplari Panegyrici & Polymathiæ, Christophoro Puteano tradas velim. Vale, clarissime Domine, & me ama. Hamburg. XIV. Mart. CIↃ IↃ CIV.

His igitur fretus possem sine damno caussæ hanc partem præterire, nec nostrâ refutatione digna putare, quæ vel redempta propudia, aut irati, seu zelotæ adversarii in ipsius mores ac vitam, pari vesaniâ & impudentiâ confixerunt. Solum nomen illius ac fama opposita, quantâvis nostrâ diligentiâ criminationes eorum melius refellent. Prætereà, nolo occasionem dare sceleratis hominibus similis in posterum licentiæ, si putidissimorum suorum figmentorum aliquam à nobis haberi rationem videant. Nunquam enim desinent homines ad hoc unum facti, nova monstra fingere, dum putabunt esse, qui illa debellare, operæ pretium sint existimaturi. Quàm facilis res est, nefandis sceleribus optimi cujusque nomen inscribere, tam detestandi & execrandi sunt illi, qui adeò immanis se facinoris obligant. Quia tamen sunt quædam ex hoc genere, quæ conjuncta sunt cum priori illa calumnia de fide ejus, ne quid desit ad justam responsionem, non visum est illa præterire. Non erat verisimile, hominem bonum, qui veritatis cognitionem haberet, non modò non illi manus dare noluisse, sed ultro etiam & gratis cornua obvertisse. Cudendus igitur fuit illis homo, in quem talis suspicio caderet; qui nempe ambitione malâ laboraret, qui opum cupiditate flagraret, qui ingenio vafer & callidus esset: tales enim plerunque studio rerum mundi acti in transversum, & suis cupiditatibus occæcati, id sequi in Religione solent, quod putant ad suas rationes accommodatissimum. Hæc autem quàm verè possent de Patre affirmari, ut ipsi probare parum pensi habuerunt, ita nobis, ut illum istis criminibus purgemus, non erit multum laborandum. Si roges adversarios, unde sciant Casaubonum, qui veritatem Romanæ Religionis agnoverit, aliam rerum mundanarum amore & studio esse amplexum, nihil habent respondere, quàm quod fuerit ambitiosus, quod φιλάργυρος, quod simulare & dissimulare doctus. Rursus si quæras, quam caussam habeant hæc illi impingendi, nullam aliam possunt afferre, quàm quia cùm veritatem non ignoraverit, eam tamen dissimulaverit, & oppugnaverit. Sed quod hoc, per Aristotelem, disputandi & argumentandi genus? *τὴν ἐξ ἀλλήλων καὶ κύκλῳ ἀπόδειξιν* ut ineptam rejiciunt *οἱ λογικῶν παῖδες*. Sed demus illis has ineptias, & rem ipsam videamus. Illene igitur ambitiosus, qui ne famam quidem, *cui sæpe boni indulgent*, teste Tacito *, ostentandâ virtute, aut per artem quæsivit, procul semper ab æmulatione adversus Symmistas suos, procul à contentione adversus provocantes? Quàm verò ab eo vitio liber ille fuerit, tota vitæ ipsius ratio ac cursus clarissimè demonstrabit. Nunquam ille ad honores eos adspiravit, ad quos non pervenerit: eos plerunque consecutus est, ad quos non adspirarat. Genevæ quum plures annos fuisset tam exiguis stipendiis †, ut ad honestæ familiæ sumptus necessarios vix sufficerent, quàm ægrè, quàm lentè potuit adduci, ut illam relinqueret, & Monspelienses omni studio vocantes ‡ ad lautiorem fortunam, sequeretur? Monspelio Lutetiam Regis ipsius literis accitus est. In Angliam venit ‖, ultrò invitante serenissimo ac benignissimo Rege. Cùm autem summorum semper virorum studia ac voluntates habuerit, duobus maximis Regibus fuerit charissimus, neque ab his quicquam unquam petiit, neque illorum benevolentiâ usus est in suum quæstum: quanquam plura semper & suâ expectatione majora ab his & illis acceperit. Sed vir pudens, & verecundus, si quisquam alius, semper abhorruit à sordido illo verbo (ut ipse loquebatur) *Peto*. Si animus ejus fuisset in auro & divitiis, toties oblatis opibus, tot ingentibus promissis pietatem tam constanter non prætulisset. Bone Deus! quibus illum præmiis, quibus illecebris attra-

* In Vita Agricolæ, cap. 9.

† Epist. 117. 169. 125.

‡ Supra pag. 8.

‖ Anno 1610.

attrahere conati non sunt adversarii? Non morabor hìc Lectorem longis eorum narrationibus, quæ possent hìc dici: sufficiat nunc locus ex quadam ipsius Epistola ad Andræam Schottum Jesuitam:

Epist. 876. *Mutandus, ut video, nobis stylus erit. Non enim veritatem prodemus; & multa, quæ habemus comperta, proferemus, quæ silere fuit animus. Tum autem innocentiam nostram ita, volente Deo, defendemus, ut tu quoque mutaturus sis sententiam; qui persuasus à Græculo Cretensi, scripsisti nuper in scheda, quam vidi, Auri sacra fames non tantum quantum conscientia valeat. Agnoscis tua verba:* ἄττα γέρων ποῖον σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; *Ego ut aliquid contra conscientiam? ego ut pietati aurum anteponam? aut omnino ut aurum sitiam? Non ita est; non ita est: & hoc qui mihi objicit, parricidarum defensor plus quàm Creticè mentitur, & de suis moribus meos sceleratus æstimat. Ego si aurum pluris quàm pietatem fecissem, in Anglia hodie non essem. Scit hoc magnus Galliarum Cancellarius; scit illustrissimus Cardinalis Perronius; scit reverendissimus Episcopus Parisiensis; sciunt Lutetiæ quicunque me nôrunt, & quibuscum familiariter sum versatus, vestræ professionis viri amplissimi, & omni majores exceptione. Possem & Magnum Henricum meæ integritatis, quam ipse notam, & certissimis argumentis compertam habuit, testem excitare; nisi illum dirus Alastor doctrinâ parricidali imbutus terris eripuisset. Itaque, Vir clarissime, si qua veritatis tibi est cura, si qua innotentiæ, recanta opprobrium, & homini Græculo, Cretensi, parricidarum defensori posthàc cave ne fidem habeas. Ego, volente Deo, cùm erit opportunum, faxo ut mendacia perditissimi nebulonis, & omnium, qui cum illo faciunt, in claram lucem proferantur. Interim opus magnum*, &c. Londini, a. d. III. Id. Mart. CIϽ IϽ CXIII.

Hinc patet quàm impudens sit illorum calumnia, qui dicunt eum sui compendii caussâ aliter in Anglia scripsisse quàm sentiret. Illa sanè ratio contra ejus constantiam si valuisset, nunquam ille venisset in Angliam. Quid enim sperare potuit aut optare, quod ipsi in Gallia, si flexibilem se illis præbuisset, qui tantâ contentione atque instantiâ ad se trahere nitebantur, in mundo non erat? In Anglia, etiamsi admirabilis semper fuerit optimi Regis erga ipsum, & tanto Principe digna liberalitas, magis illa tamen apparuit post ejus obitum, quàm vivo ipso; ita, credo, providente Deo, ne ullus assentationis suspicioni locus esset. Si enim opes eas reliquisset Pater, quas honesta & numerosa familia requirebat, nullum quidem fuisset crimen illum suis prospexisse; inde tamen magis probabiliter calumniandi materiam maligni potuissent arripere. Nunc, quum præterquam famâ & gloriâ sui nominis nullâ admodum hæreditate suos juverit, quis ferat importunos homines, avaritiam, lucri studium, & ejus generis alia toties illi exprobrare? Quodnam verò, per Deum immortalem, illud lucrum? ubinam illæ divitiæ? An quia ei fuit, unde honestè viveret? quasi fame fuisset periturus nisi avaritiâ sibi consuluisset. Pudet tædetque his ineptiis tamdiu inhærere: sed multò magis puderet eos, qui hanc calumniam tertio quoque verbo ingerunt, nisi illi jam planè depuduissent. At fuit assentator, inquiunt illi: verè fuit, si cum laudare, qui mereatur, id sit assentari. Sed respondeat Pater ipse, qui adhuc vivus insimulatus hujus criminis, hæc scripsit ad amicum: *Objicit mihi Alastor vitium fœdum adulationis. Fateor laudasse me Regem; sed judicio & affectu syncero: sic mei Deus misereatur. Scelerati homines, si unum è suis, non dicam Regibus, non dicam Principibus, aut etiam Nobilibus, haberent, in quo sic pietas emineret cum doctrina conjuncta, ut eminet in maximo hoc Rege; quomodo illum jactarent? Adulari vitium est Parasitorum Papalium, qui illi persuadent, nec Deum ipsum nec hominem, sed Vice-deum, Omnipotentiæ Pontificiæ Vindicem, & ejusmodi multa, non simpliciter* κολακικὰ, *sed detestandæ blasphemiæ plena. Et quid aliud sunt Baronii Annales, aut farrago Bellarminiana, nisi perpetua mendacia ad extollendum* τὸν υἱὸν τῆς ἀπωλείας ὑπὲρ πᾶν σέβασμα? Sed quid non fingant de Patre, qui cum de Casaubono polypum, versutum quendam & versipellem hominem fecerunt? Meritò sanè illi putandi ex eorum numero, qui candida de nigris, & de candentibus atra sciunt facere. Non dubito quin boni, verique studiosi viri sint hoc illi crimen objectum partim cum risu, partim cum indignatione audituri. Liceat enim mihi de Patre meo dicere, quod olim vir sanctus Gregorius Nazianzenus dicebat de suo: Ὁ κάλλιστον τῶν ἐκείνου καὶ ἰδιώτατον, καὶ οὐδὲ τοῖς πολλοῖς ἀγνοούμενον Η ΑΠΛΟΤΗΣ καὶ ΤΟ ΤΟΥ ΗΘΟΥΣ ΑΔΟΛΟΝ· liceat, inquam, mihi hoc de meo Patre; & licebit, scio, per eos, qui quantulàcunque cum ipso conversatione, & consuetudine, mores ejus planè non incognitos habuerunt. Claudam

dam hæc omnia verissimo ejus elogio, quod ex aliis laudibus, quas in ipsum benignâ & liberali manu confert vir clarissimus, Claudius Expillius, Consilii interioris Consiliarius, & Advocatus Regis Generalis in Senatu Gratianopolitano, ipsius, si reviviscerer, verecundia libenter admitteret.

Ce courage éloigné de fraude & d'artifice,
Qui ne sentit jamais de l'infame avarice
Les assauts violens;
Franc de l'ambition, qui les plus grands accable,
Defioit Nemesis, la Déesse implacable
Aux hommes insolens.

Quæ vir doctus sic Latinè vertit & edidit:

Cui versare dolos, nec mens accommoda fraudi
Ulla fuit, qui nullo avidus contabuit auro;
Cuique nec ambita quæsiti indagine factus,
Immunes torsere animos ultrice flagello,
Despuit infestas Nemesis virtutibus iras,
Quæ face vesanos ulciscitur horrida sontes.

Eant jam quo digni sunt cum suis calumniis adversarii, & videant quam famam, dum alienam tanto furore appetunt, ipsi meruerint. Sunt alia quædam crimina: quòd mendax, quòd calumniator, quòd iracundus fuerit; quæ quatenus ex scriptis ipsis ejus ducta & prompta sunt, accuratius diluemus, cùm loca ipsa examinabimus. Ad mendacium quod attinet, næ ille meruit in omni vita elogium illud Attici, *Mendacium nec dicere solitum, nec pati potuisse.* Calumniandi neque artem unquam didicerat, & ab animo atque voluntate semper abhorruit. Ab omni iræ affectu non fuisse eum immunem fatemur; sed ab illa fatemur, quam cadere in virum bonum prudentes consentiunt; quam Græci θυμὸν vocant, & illâ præditum ὀργίλον. Verum enim est illud Ciceronis, *Bonorum animi sunt irritabiles.* Asperiorem autem in quosdam fecerunt, partim rei, de qua agebat indignitas; ut ubi disputat *de Papæ Omnipotentia*, *de licitis Regum parricidiis*, &c. partim ipsi, qui contumeliis audacissimis capitaliter ipsum primi lacessiverunt. Notum est illud Publii, ut opinor:

Bonus animus læsus, gravius multò irascitur;

ejus præsertim, qui insuetus contumeliæ, insolens infamiæ, semperque in laude versatus sit. Mitissimo alioquin, & candidissimo fuisse ingenio, non vita modò, sed scripta quoque, quæ ejus extant omnia, manifestò fidem faciunt.

MERICI CASAUBONI
P I E T A S.
PARS QUARTA.
DE STUDIIS ET ERUDITIONE ISAACI CASAUBONI.

BEne cessit sua quibusdam Ducibus & Imperatoribus calliditas, qui rem sibi cùm scirent esse cum fortissimis hostibus, & futuris famâ suæ virtutis terrori, pro ignavis & imbellibus eos traduxerunt, quo suis animum adderent, & alacritatem. Habent & suum Rhetores & Sophistæ ἐξευθενισμὸν, quo adductis in contemptum adversariis, sine pulvere, sine sudore, solo vincunt aliorum præjudicio. Utrum id genus artes, & sophismata Christianos deceant in certamine de Religione, unicuique judicandum relinquo. Non eam quidem Catholicæ semper Ecclesiæ fuisse praxin, vel ex iis patet, quæ de præcipuis quibusdam Hæreticis, fidei inimicis, à nonnullis Antiquorum perhonorificè, & plurima cum meritorum in ipsis agnitione sunt scripta.

scripta. Eorum, qui hodie Catholicorum nomen solis sibi vindicant, quæ sit super ea re sententia, quæ consuetudo, nemo, qui vel leviter eorum scripta tractarit, potest ignorare. Quotus enim quisque est eorum, qui quoties meminit alicujus nostrorum Theologorum, aut qui Theologica scripserunt, aut quoquo modo veritatem contra Ecclesiæ Romanæ corruptelas, & errores suâ operâ defenderunt, de ejus laudibus meritisque pro virili non detrahat? Illi verò pauci, qui zelo adhuc illo præclaro non adeò fervent, suamque libertatem placendi studio non authorarunt, quique propter insitam ingenuitatem, quos sciunt laude dignissimos, non possunt sine honorifica mentione, quoties occurrit occasio, præterire; illi, inquam, pauci id pretium suæ virtutis ferunt, ut in ipsorum libros animadvertatur, scripta ad aliorum arbitrium, & censuram exigantur, & quasi recudantur. Vide mihi, Lector, quisquis hæc ut nova miraris, & prius inaudita tibi, *Indices* illos, quos vocant, *Expurgatorios*, & luculentiora exempla non desiderabis. Invenies ibi nullam minimam maximam laudem tributam nostris, quæ ab his egregiis Censoribus non deleatur, & expungatur. Dixerat alicubi Thuanus, Lipsius, Wouwerius, alii, *Vir magnus, Josephus Scaliger; I. S. Vir illustrissimus; Henricus Stephanus, Vir eruditissimus, aut optimus; Franciscus Junius, Vir clarissimus, Vir doctissimus,* &c. Dele, inquiunt illi, *Vir magnus, Vir illustrissimus, Vir eruditissimus, optimus, clarissimus, doctissimus.* Hæc est perpetua, ac constans ratio erga omnes alios. Sed multò est intolerabilius, adeòque ultima ipsa zeli dicam, an malignitatis linea, quòd non tantùm homines ipsos ἁπλῶς, & absolutè laudari prohibent; sed non ulla patiuntur ipsorum scripta commendari, ne in minimis quidem, & levissimis. Unde quoties occurrunt illa, *optimè notat ad hunc locum, benè interpretatur, accuratè* &c. hic nempe, vel ille è castris Protestantium, induci volunt illa verba, *optimè, benè, accuratè*, &c. adeò qualescunque nostræ laudes sunt illis ἀλγήδονες ὀφθαλμῶν. Quid, quod non in scripta tantùm animadvertatur, sed ipsi quoque aliquando homines pœnas cogantur dare sui candoris? Queritur Vir illustrissimus, Jacobus Augustus Thuanus, tantâ se invidiâ flagrasse, quòd Josephum Scaligerum, omni laude majorem virum, & laudare & amare ausus fuerit, ut eam ob rem præter calumnias & contumelias, multa quoque pericula adierit. Cujus rei caussam hanc esse docet Vir ille gravissimus, *Quòd Religio, quæ fide & certâ de bonitate Dei fiduciâ, necnon caritate olim nitebatur, & majora indies incrementa capiebat, hodie factione, & humanæ prudentiæ carnisque consiliis & coitionibus valere & sustentari credatur.* Quando igitur inter istos & pars pietatis habetur de adversariis detrahere, & facinus est expiandum merita ipsorum agnoscere, cur quisquam nostrûm speret, aut optet propriam fortunam, aut communem dolenter ferat? Simul igitur cœpit Casaubonus in iis nomen profiteri suum, qui pro Veritate contra Pontificios pugnant, statim adversarii certatim de ipso detrahere; hic illum *repentinum Theologum* dicere; ille, *Philosophiæ rudem prorsus & ignarum;* alius humaniores ejus literas variè sugillare; alius aliud denique, quod eò tenderet, invenire. Horum omnium Eudæmon-Joannes, quantum ad malum exemplum proprii furoris, atque impudentiæ attulit, tantum reliquos in hoc pietatis (si superis placet) officio superavit. Hic admodum laborat, ut hominibus persuadeat, Casaubonum nullam Historiæ, & Antiquitatis laude dignam cognitionem habuisse, neque Græcè aut Latinè doctum fuisse vel mediocriter, (unde quoties Græci aliquid habet in suis scriptis Pater, Lexica illi exprobrat, quasi ex illis solis saperet) atque in summa, omnium literarum fuisse expertem. Quia tamen negare non potest, eum *docti & eruditi* famam nomenque anteà semper habuisse, hunc nodum sic solvit, ut id dicat *hominum errore* contigisse: quo nomine de levitate judiciorum non uno loco vehementer conqueritur. Haud dubiè rabies quædam agebat hominem, cùm hæc scriberet; qui præsertim se tunc graviter ægrotasse fateatur: eorum autem aliquam habere rationem, quæ miser eo statu animi dixerit, id verò esset non homini, sed morbo irasci. Hunc igitur ægrum Medicis relinquamus, & quid dicant alii videamus. Communis omnium calumnia est, *Casaubonum studiis ætatem Philologicis, & Criticis impendisse; Theologiæ autem & Philosophiæ, hujus eum planè rudem fuisse; illius quicquid in eo fuerit, in Anglia demum didicisse.* Cùm Cicero post bella civilia, qui ad id temporis in foro tantùm spectatus fuerat, philosophica multa brevi tempore scripsisset, multi mirabantur, unde hoc philosophandi studium subitò illi extitisset. His respondet Cicero, * *Se non subitò*

* *Lib. 1. de Natura Deorum, cap. 3.*

subitò cepisse philosophari, sed tum maximè philosophatum, cùm minimè videbatur. Crediderim ego similiter non paucos, qui tot Patris opera philologica legerant, alia non minora ab ipso promissa expectabant, & antè credidisse huic uni studio eum vacasse, & posteà miratos esse, unde id illi Sacrarum Literarum studium subitò extitisset, postquam se totum ad illas contulerat. His nos quoque possimus ita respondere, illum tunc maximè Philosophiæ, Sacrarumque Literarum studiis incubuisse, cùm minimè putaretur. Equidem quamdiu intellexit Pater hanc à Deo datam sibi provinciam, ut excoleret, & pro virili promoveret humaniores literas, id unicè dedit operam, ut studium suum & industriam in ornanda sua Sparta bonis omnibus approbaret. Hæc illius cura fuit, hæc ambitio: gloriolam, plausumque popularem, quod multi faciunt, ostentatione variæ doctrinæ non quæsivit; neque ex illis unquam fuit, quibus scire suum nihil est, nisi hoc illos scire sciant alii. Non adeò tamen obscura fuere ejus studia, ut quibus in rebus operam posuisset, amici familiares ignorarent, aut ex iis percipi non potuerit, quæ variis temporibus ab eo sunt edita. Non puto faciendum ut hîc omittam Gasparis Scioppii elogium de Patre; non quòd is unquam fuerit Scioppius, ut magni faciendum sit ipsius judicium; sed quia non tam ejus quàm aliorum, famæque adeò ipsius testimonium continet, tum etiam ut appareat quâ conscientiâ jam alia omnia de eo loquantur adversarii: *Multi alii etsi nulli alii certæ professioni sese applicuissent, more tamen & modo apicularum nunc hinc, nunc illinc, quæ sibi & aliis plurimis usui esse possent delibarunt; quorum nunc meritò primùm laudem Isaacum Casaubonum, hominem Gallum, qui cùm in Philosophicis & Theologicis ferè sine pari excellere à doctissimis existimetur, ipse interim quamvis modestissimus, re, & opere omnium qui vivunt gloriam obscuraturus, vel omninò extincturus videtur,* &c. Ecce quæ jam tum fuerint (editus est ille Scioppii liber anno Domini CIↃ IↃ IIIC.) doctorum de Casaubono judicia, eum ferè sine pari excelluisse in Philosophicis, & Theologicis. Nimium jam velim videre os illud impudens, quod pro excellenti Philosopho, & Theologo *purum putum Grammaticum* nobis substituit, & *qui nihil ultra Diomedem & Priscianum sapiat.* Sed operæ est hæc aliquantò persequi fusius & accuratius; utique de studiis in Theologia, quò certius hanc quasi calumniarum segetem, aut communem locum malignis adversariis in posterum eripiamus. Si Theologia sit illa scientia nominanda, quæ Sacrorum Bibliorum assiduo usu, piorum & antiquorum Patrum diligenti lectione & Historiæ Ecclesiasticæ studio solet acquiri, Patrem fuisse à primo ætatis tempore Theologiæ studiosissimum & deditissimum asseveranter affirmamus. Anno Domini CIↃ IↃ LXXXIII. ætatis vigesimo quarto cùm Arnaldo Casaubono, Patri suo, Notas in Diogenem Laërtium offerret *, & de suis incœptis ad rem literariam promovendam multa juvenili more narraret; respondit ille, Laudare se quidem propositum ejus, καὶ τὴν πρὸς τὰ μαθήματα ὁρμήν· cæterùm pluris se vel unicam observationem facturum ad Libros Sacros pertinentem, quàm illa omnia, quorum spem fecerat. Hæsit animo penitùs infixa viri optimi vox illa, semperque ex illo tempore τὰ θεῖα μελετᾶν est conatus. Hæc ipsum narrantem sæpe audivi, & posteà in literis ipsius ad amicos reperi. Paucis pòst annis incidit in languorem, de quo ipse sic scribit ad amicum:

Ego parente orbatus, dejectus spe redeundi in Galliam, in languorem incidi; quo ut me liberarem, Juris studia penitùs reliqui, & repentino quodam impetu omnes libros Jurisconsultorum Barbarorum, quibus multum insudaveram, mutavi libris Theologicis. Factum hoc ante annos viginti & octo, quo ex tempore nulla mihi syncera voluptas, nisi in lectione Scripturarum, aut piorum Patrum, quos venerari didici usu ipso, & assiduâ tractatione; quantum quidem alia studia mihi permittebant. Edidit admodum juvenis Notas † in Novi Fœderis priorem partem, quæ etiamsi paucæ sint, probando tamen ejus studio in Theologicis abundè sufficiunt. Scribens ad Virum clarissimum, Jacobum Bongarsium, anno Domini CIↃ IↃ XCVI. post quædam de suis incœptis, hæc addidit: *Institueram diebus hisce librum unum Observationum ‡ nostrarum in Sacros & Ecclesiasticos Scriptores ac Patres edere: posteà continui me; &, opinor, sat citò, si sat benè.* Anno Domini CIↃ IↃ XCVII. ad Pastores Ecclesiarum *Sal.* congregatos hanc misit Epistolam.

Fidelis-

Gaspar Scioppius de Criticis & Philologis veteribus & recentioribus.

* Epist. 950.

† Epist. 104. & 118.

‡ Epist. 413.

Fidelissimis, & summè observandis
PASTORIBUS SYNODI SAL...*
ISAACUS CASAUBONUS
salutem à Deo precatur.

* Salvensis, Sauve in Cevennatibus.

Epist. 136. *SI voluntati meæ valetudo respondisset, Patres observandi, non mihi nunc literis vobiscum agendum foret. Constitueram enim venire isthuc, & vestrum Consessum præsens affari, ac salutare. Nam posteà quàm ita Deo Opt. Max. visum, ut Genevam, patriam dulcissimam, & Genevenses Pastores ac Professores, Collegas mei amantissimos, æternùm mihi colendos, relinquerem, & in hanc Provinciam venirem; in votis hoc mihi semper unicè fuit, ut vestram omnium amicitiam omni ope & operâ mihi conciliarem. Videbar autem commodè id facturus, si hoc tempore isthuc me transferrem. Nunc igitur quando per valetudinem optati adeò voti compos fieri non possum; officii mei esse duxi, has ad vos scribere, meæ adversus universum Ordinem vestrum, & privatim erga unumquemque summæ observantiæ & benevolentiæ testes. Cujus animi cùm mihi conscius ipse sim, facilè venio in eam spem, fore neminem è vobis, qui in suam amicitiam me non recipiat, aut parum illâ dignum judicet. Atque ut sciatis ex animo loqui me, neque ut ait Poëta, ἕτερον μὲν κεύθειν ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δὲ βάζειν, en me totum in vestra potestate. Videte, quæso, & vobiscum considerate, ecqua in re opera mea publicè Ecclesiæ Dei, cujus administratio vobis commissa est, utilis esse poterit; ego me spondeo, sanctèque recipio vestris consiliis obtemperaturum, & pro virili effecturum, ut voluntati vestræ per me satisfiat. Equidem ita sum à natura comparatus, ita ab optimo Parente olim institutus, ut studiorum & vigiliarum mearum nullum unquam alium finem mihi proposuerim, nullam aliam mercedem aut speraverim aut optaverim, quàm ut illorum fructus ad σεβασμιωτάτην Matrem Ecclesiam rediret. Novit ὁ καρδιογνώστης Deus, hac re nihil mihi jucundius, nihil gratius, dum adhuc terras colam, posse contingere. Sed & D. Bernardinus, quicum mihi summa familiaritas intercedit, animum meum penitùs notum perspectumque habet. Is, si operæ est, plura de nobis & egregia nostra voluntate erga Sacræ Theologiæ studiosos commemorabit. Verùm de nobis nimium multa. Simul vereri subit, ne si longiore Epistolâ vos tenuero, in publica commoda peccare videri possim. Unicum est, quod si adjecero, finem faciam. Nam cùm Genevâ nuper discederem, mandatum mihi est à venerandis Pastoribus, & Professoribus, si qua se offerret occasio, vos omnes ipsorum verbis quàm officiosissimè & amantissimè salutarem. Rogabant iidem obnixè, ut in assiduis vestris ad Dominum precibus, Genevensem Ecclesiam, omni nunc cùm maximè ope humanâ nudatam, juvaretis. Accepi etiam posteà non unas à magno & venerando Sene, Theodoro Bezâ literas, quibus omnibus hoc ipsum à cunctis vobis, & suo, & Ecclesiæ nomine petit, & summo contendit opere. Valete, Viri plurimùm colendi, & res Ecclesiæ, σὺν τῷ Θεῷ, feliciter gerite. Scripsi* Mompelii, *languente manu,* pridie Non. Maj. CIↃ IↃ XCVII.

Hoc tempore cùm Monspelio crebrò ad Bezam scriberet, qui Genevæ erat, non aliæ ferè erant literæ, quàm de Rebus Sacris & Theologicis. Nam aut Notas suas in aliquot Sacræ Scripturæ locos illi communicabat, aut super aliis eum consulebat, aut denique ad quæsita Viri venerandi respondebat. Anno CIↃ IↃ CVII. hunc in modum scripsit † ad eum Synodus Nationalis Rupellæ coacta.

† Du style & de la main d'André Rivet.

MONSIEUR,

NOus sommes en un tems, auquel Satan faict ses efforts plus violens pour estançonner son regne de tenebres, & use de ses plus subtils artifices pour empescher le cours de la verité en toutes sortes. Autrefois il a eu beau jeu durant l'obscurité & ignorance des siecles precedens. A ceste heure qu'il voit une lumiere plus grande, il tasche de l'obscurcir par les fumées d'une pretenduë science, laquelle se vendiquent plusieurs de ses suppôts sans aucune conscience, n'espargnans leurs labeurs & leurs peines pour brouiller, s'ils pouvoient, nôtre droit, & persuader au monde que nous sommes mal fondez pour le fait. Plusieurs doctes personnages se sont diligemment employez à convaincre nos contredisans en l'un & en l'autre point. Nous nous persuadons que Dieu vous ayant comblé de rares graces, lesquelles ont desjà paru par tout le monde es œuvres que vous avez publiées, vous n'aurez pas oublié d'employer ces grands dons plus particulierement à la gloire de celui, duquel vous les avez receuës, & tenons pour certain, que vous ne pouvez avoir vu tant de faulsetez parsemées és Annales fabuleuses du Cardinal Baronius, sans avoir tracé bon nombre des moyens de faulx, pour secourir ceux qui n'ont le loisir, le moyen, ou la capacité de se desveloper d'un tel labyrinthe, & reprimer l'insolence & impudence de

ceux, qui ont loüé leurs langues & leurs plumes, & se sont vendus pour faire ce qui est desplaisant à l'Eternel, *& defient les armees d'Israël avec une audace plus grande, que celle de Goliath. Or combien que nous nous persuadions fort de vostre zele, que nous attendions tout des promesses que vous fistes à une telle Assemblée que celle-ci au Synode de Gergeau; toutefois nous avons crû que vous prendrez plaisir d'estre aiguillonné à ce bon œuvre par cette Compagnie, & que le jugement qu'elle fait de vous à bon droit, vous accroistra encore le courage & le vouloir, de produire en peu de temps ce qui est attendu de si long temps; ce que vous devez à Dieu qui vous a donné le pouvoir, ce que ne pouvez desnier à l'Eglise, en laquelle vous estes né, à laquelle vous estes consacré, ce que tous les membres d'icelle desirent de vous; ce que nous, qu'il a pleu à Dieu appeller pour en estre conducteurs, en esperons. Prians l'Auteur de toute bonne donation, qu'il vous accroisse ses graces pour cet effet, & vous doint de faire abondament profiter à son honneur le talent qu'il vous a commis, pour luy en rendre bon compte au jour, auquel il en exigera l'usure. Nous ne doubtons point, que desirant l'approbation de ce Maistre sur toutes choses, vous ne soyes aussi esmeu par l'exhortation qui vous est faitte par nous, & l'obligation que vous acquerez sur toutes les Eglises, & nommement sur*

Du XII. Avril, 1607.

Vos humbles & affectionez Freres à vous faire service, les Pasteurs, & Anciens des Eglises Reformées du Royaume de France, assemblez en Synode National à la Rochelle.

ANDRE' RIVET,
SECRETAIRE.

DOMINE CASAUBONE,

„ERumpunt in hæc nostra tempora „maximi Satanæ conatus ad stabi„liendum regnum suum tenebrarum, & „nunc cùm maximè callidissimas suas „artes adhibet ad vim veritatis inhi„bendam. Quondam perfacilè id illi „fuit propter temporum tenebras & „ignorantiam. Nunc cùm videat ma„jorem lucem, conatur illi tenebras τῆς „ψευδωνύμου γνώσεως obducere, quam „venditant plerique ejus satellites, ho„mines sine conscientia, qui nulli la„bori parcunt aut operæ, quo omni„bus persuadeant nostram caussam ne„que jure niti, nec exemplo. Jam „multi viri docti sedulam navarunt „operam in adversariis ab utraque „parte refutandis. Te verò, in quem „Deus tot dotes universo orbi ex scri„ptis tuis cognitas cumulaverit, earum „omnium usum & fructum ad autho„rem præcipuè referre credimus; nec „dubitamus quin legens tot sparsa in „fabulosis illis Annalibus Cardinalis „Baronii mendacia, magnam partem „illa falsi conviceris, ad eorum opem „& utilitatem, quibus per otium, do„ctrinam, aut ingenium ex illo laby„rintho non patet exitus, & ad repri„mendum illorum fastum pari impu„dentiâ junctum, qui linguam suam & „stylum locarunt, seque adeo ipsos „manciparunt ad id faciendum, *quod „malum esset in conspectu Domini*, & „jam copias Israëlis majori quàm olim „Goliath, audaciâ, ad certamen pro„vocant. Cæterùm quamvis omnia „nobis de tuo zelo promittamus, om„nia nobis de tuis promissis in tali „Consessu apud Gergeavenses editis „spondeamus, te tamen ad opus tam „laudabile stimulari gratum tibi fore „sumus arbitrati, judiciumque hujus „de te Conventus meritis tuis debitum „tibi animum alacritatemque additu„rum, ut id brevi præstes, quod jam „pridem à te expectatur. Id Deo, „qui tibi vires dedit, debes; neque „Ecclesiæ, in qua natus, & cui conse„cratus, negare potes; quod expetunt „singula ejus membra, nosque inpri„mis, quibus à Deo commissa est il„lius administratio, speramus. Deum, „omnis bonæ donationis authorem, „comprecamur, ut ad hunc finem sua „in te dona multiplicet, detque talen„tum, quod tibi commisit, ita mul„tiplicare, ut repetenti usuræ ratio„nem queas reddere. Non dubitamus „quin tu ante omnia cupidus tali Do„mino approbari, magni quoque sis „facturus nostrâ adhortatione te im„pelli, & omnes tibi Ecclesias tuo be„neficio demereri, nominatim verò

Humillimos & tibi devotissimos Fratres, Pastores, & Presbyteros Ecclesiarum Reformatarum in Gallia, in Synodo Nationali congregatos Rupellæ.

Clarum est ex his literis, jam diu antè quàm scriptæ sunt, receptam à Patre Annalium Cardinalis Baronii confutationem. Per eum autem non stetit, quin fidem maturè liberaret. Sed cùm id ut sibi liceret, à Rege non posset impetrare, coactus est à proposito desistere. Hæc sunt ipsius verba ex Epistola ad Virum clarissimum, Joannem Prideaux, data 1613. *Sunt anni decem*

decem cùm ego veniam petii ab Henrico Magno, meo indulgentissimo Mecænate, ut liceret mihi modestè Baronii mendacia refellere. Responsum tuli ab ore sacro illo, Nondum tempus advenisse. Anno 1606. (nisi sit illa prima editio, quæ prodiit Hanoviæ 1607.) primus publicavit, & Latinè vertit, notisque illustravit satis uberibus prolixam *Gregorii Nysseni Epistolam* ad Eustathiam, Ambrosiam & Basilissam. Hac opellâ sic defunctus est, nihil ut in illa queat desiderari, quod ab eo potuit, qui fuerit in Patribus & aliis Ecclesiasticis Scriptoribus versatissimus, expectari. Scripsit & Notas in *Gregorii Thaumaturgi Orationem de Origine* *, quas adhuc nancisci mihi non contigit. Eodem ferè tempore † scripsit librum singularem *de Libertate Ecclesiastica* ‡ contra usurpatam à Papa potestatem, atque Clericorum exemptiones & immunitates. Totus ille liber eam præfert Antiquitatis & Historiæ Ecclesiasticæ peritiam, quam malo ab aliis quàm à me prædicari. Hæc igitur de prima seu specie, seu parte Theologiæ. Quod attinet ad Polemicam Theologiam, eam, quæ de hodiernis modò controversiis agit, totaque Neotericorum sctiptis continetur, fateor ejus illum adeò nunquam cupidum fuisse, ut putaret illi tempus, quod alia studia, quæ profitebatur, sibi vindicabant, impendendum. Quòd illi tamen non parum temporis impenderit, necessitati quàm judicio magis imputandum. Qui enim Lutetiæ creberrimos de Religione congressus ac conflictus fugere non poterat, coactus est iis sese armis instruere, quæ ad hanc pugnam pugnandam erant necessaria. Restat illa διαλεκτική, sive Scholastica, uti vocant, Theologia. Hæc verò qualiscunque sit, si neque Dei Verbo comprehenditur, & à Veteribus omnibus ignorata est, per me fuerit illius ignarus Pater, vosque semel viceritis Adversarii. Quod erat in Religione serium ac solidum, optimè scivit, unde sibi petendum esset: λεπτολογίας, & κενοφωνίας nimiâ plerunque curiositate non minus prophanas impiasque, quàm putidas & ineptas, omnes denique λογομαχίας, quas otium peperit, & meliorum literarum penuria (quæ fuit illorum sæculorum miseria) non minori studio semper aversatus est, quàm alia utilia ac profutura consectatus. Neque tamen universam illam scientiam damnavit, aut rejiciendam putavit ut vanam prorsus, & inutilem; qui aliquot in eam præcipuos non spreverit, Thomam etiam illum Aquinatem in pretio habuerit. Cogit me adversariorum malignitas, ut hæc omnia persequar, qui illi suam in his ignorantiam tam impotenter & insolenter exprobrant. Nam alioquin quod crimen, si unus homo non omnia sit assecutus? hoc est, humanam sortem prætergressus? Quid in aliis literis præstiterit Pater, docti omnes norûnt & agnoscunt æquiores; Theologi verò nomen nunquam sibi arrogavit, Theologiam nullam attigit, (præterquam obiter aliquando) nisi quam ex lectione Patrum & aliorum antiquorum Scriptorum didicerat, quæ sola erat illi necessaria ad opus susceptum contra Baronium; quod, quàm non subito, aut temerario impetu susceperit, constans ac firmus per tot annos animus in illo proposito satis ostendit. Quando autem primùm de illo cogitârit, declarant ea, quæ jam sunt à nobis allata; ex quibus etiam revincitur impudentissimum quorundam mendacium, qui fingunt eum ad Regis serenissimi gratiam scripsisse contra Baronium reluctante conscientiâ, aut etiam invitum ab eo coactum esse. Revincitur & illa calumnia, eum scripsisse mortuo Baronio, quia vivo illo nunquam erat ausus. Quod quidem est putidissimum; non enim privata lis erat; communem autem caussam qui susciperent, haud unquam defuturos non ignorabat: nisi fortè solus Baronius fuerit, qui jure metuendus erat. Sed demus ipsis affabrè confictum mendacium, modò de mendacio constet. Immò verò non cupiit tantùm Pater, & ut esset sibi liberum Regi Christianissimo supplicavit, sed reipsâ scripsit contra Baronium vivo adhuc Baronio. Baronius obiit anno Domini 1607. eodem anno liber Patris edebatur *de Libertate Ecclesiastica*, quo unus omnium creberrimè reprehenditur Baronius, varii Annalium loci castigantur, fraudes deteguntur, atque adeò ex professo toto cap. x. cujus hæc est summa & argumentum, *Cardinalem Baronium studio hujus Libertatis Ecclesiasticæ stabiliendæ multa scripsisse, quæ veritati sint contraria. Ejus Parænesis confutatur; Annales notantur.* Quod autem liber Authorem suum non indicaverit, neque locum ubi sit excusus, non id fallendi desiderio ab eo factum est, sed quia editionis consilium id necessariò postulabat: quæ tamen abrupta est, cùm jam 264. paginæ editæ essent, è XI. nondum III. capitibus absolutis. Urbe enim plenâ τῶν παπμανέντων, tam secretò res agi non potuit, ut ad plurimorum conscientiam non emanaret, à quibus Papa moni-

* Anno 1604. Epistol. 385. & 482.

† Scilicet anno 1607.

‡ Epistol. 550. 555. 593.

monitus, cum Rege Galliarum per ipsius Legatum egit, ut libri illius editionem prohiberet. Quo jam jure adeò acerbè in Patrem inveharis, Heriberte Rosweyde, quòd ejus *in Baronium Exercitationes* prodierint, quum ille non esset, & eo nomine quàm meritò cum Scorpio compares, fero vel te judicem, si judicis æqui personam possis ad aliquod tempus induere. Atque hæc sint dicta ad repellendas illas adversariorum calumnias, *Casaubonum in Anglia primùm Theologiam didicisse; Casaubonum repentè Theologum prodiisse; Theologiam non nisi ex Suetonio, & Athenæo hausisse*, & alia id genus, in quibus ita sibi placuerunt, ut nullo non loco occurrant. Cætera quamvis sint minoris momenti, non tamen omnino contemnemus. Ajunt ipsum *Philosophiæ & Logicæ nunquam studuisse*, &, ut colorem aliquem dicant, torquent interdum aliquot loca ex ipsis ejus scriptis, & strenuè cavillantur. Non est hujus loci, ut in ipsorum locorum examinatione operam ponamus: alioquin nullo alio responso opus esset. Nunc in universum respondemus, germanæ, & incorruptæ Philosophiæ neminem eo fuisse amantiorem; paucos in ea plus olei consumpsisse, qui illam ἀρχιτεκτονικὸν suum τέλος κατ' Ἀριστοτέλην, non fecerint. Tres ipsos annos usus est Præceptore Pacio, Viro clarissimo, in Juris & Philosophiæ studiis, à quo etiam excepit ingentem *in Aristotelis Organon Commentarium*, qui posteà est editus: eum adhuc servo, in Gallia manu Patris scriptum. Posteà versando omne genus antiquorum Philosophorum monumenta, inquirendo in difficilia, excerpendo insigniora, comparando & expendendo diversorum rationes ac sententias, haud paulò plus illis in vera sapientia profecit, qui ætatem impendunt Barbarorum nescio quorum Sophistarum lectioni, & rixis futilissimis, & inanissimis. Est sanè genus hominum, qui inventis frugibus, glandibus vesci malunt; qui in hac luce & felici παλιγγενεσίᾳ literarum spinis & laqueis delectantur ineptissimarum argutiarum, quas tenebrarum & ignorantiæ tempora pepererunt; qui si aliquot annorum studio & labore possint assequi, ut ἀκριβῶς περὶ μικρῶν ἐρίζειν, & subtilibus præstigiis candida de nigris καὶ ψεύδεα ἐτύμοισιν ὁμοῖα valeant efficere, ïo pæan clamant, quantumque fuit unquam, aut est sapientum extra suam sectam, magno fastu contemnunt. Solis cor datum, soli sapiunt, novi in terris Tiresiæ, qualem celebrat Homerus inter mortuos unicum: τοὶ δὲ, σκιαὶ ἀΐσσουσιν. In literis humanioribus, nisi quantum ipsi intelligunt, irrident omnia tanquam vana & inania; & cùm de omnibus universim linguis, & earum studiosis pessimè sentiant, Græcam immortali odio prosequuntur, adeò ut in illa scire aliquid præter cæteros sit ingens crimen, & ipsa quasi confessio stuporis & stultitiæ. At quæ tandem est illorum scientia? An in rerum caussis indagandis, effectibus explicandis, in iis denique, quæ vel ad naturam, vel ad humanas actiones pertinent, occupatur? Minimè gentium. Ars eorum tota versatur in meris notionibus, figmentis, ac chimæris intellectûs; in λέγων σκινδαλμοῖς, & nescio quibus aliis, quorum omnium nullus est usus, nulla ad ullam vitam est utilitas, & quæ, ut Senecæ verbis utar, *nec ignoranti nocent, nec scientem juvant*. Per hos sanè non stabit, quin Barbaries, cui ipsi ortum debent, brevi postliminio redeat. Sapiunt herclè: qui soli tunc regnarent, ad clavum soli Reipublicæ literariæ sederent, quo jure dejectos se vident, postquàm malo fato novus literarum & eruditionis sol orbi affulsit. Horum ut sententiam non probavit Pater, ita nec exemplum est secutus, deditque semper operam quantam maximam potuit, ut *verus & rebus, non artificiis esset Philosophus*, qualem probat summus Philosophus Seneca. Quantum profecerit in hoc studio, ut ipse, quàm multi scirent, non laboravit; ita frustra sperabunt adversarii se posse evincere, illum non multum esse assecutum. Unicum adhuc superest non omittendum, de peritia ejus in lingua Hebraica, de qua sic Bulengerus: *Te verò docti ajunt Hebraica verba scriptis admiscere non debuisse, quorum te planè rudem quotidie clamitant, ostenduntque Judæum illum tibi imposuisse, quem in Anglia Doctorem asciveras.* Laudo modestiam, Bulengere, quòd cæcus nolis de coloribus judicare, exemplo insani illius Cretensis, qui Casaubonum Græcæ linguæ ignarum fuisse demonstraturum se spondet, quam juxta vir doctissimus intelligit cum Persica, aut Hebraica. Sed quinam, quæso, sunt illi docti, quos ais id ferre de Casaubono judicium? Profectò fuerunt illi, aut non idonei judices, aut zelo illo, qui vos omnes agitat, corrupti. Quid enim omnia, quæ edidit annos prius viginti, quàm illas Exercitationes scriberet, nonne palam reclamant? Quid in Hebraica literatura reconditum, quid in Rabbinis abditum, quod non ille in scriptis suis pro re nata promserit, &

feli-

feliciſſimè illuſtrarit? Scito autem, Bulengere, illum maturè ad illas literas animum applicuiſſe, & adhuc juvenem Rabbinorum ſacris initiatum à Petro Cevallerio: à quo tamen non tantum didicit, quantum optabat, propter viri illius optimi & doctiſſimi immaturam mortem. Non contentus autem Hebraicâ, & illius propinquioribus Dialectis Chaldaicâ, & Syriacâ, in Arabicæ etiam ſtudio multum olei & operæ inſumpſit. Ego ea ſervo laboris ejus indefeſſi, & incredibilis induſtriæ in harum linguarum ſtudio monumenta, quæ puto neminem viſurum ſine quodam ex admiratione ſtupore, qui alias ejus occupationes noverit. Habeo quoque plures præſtantiſſimorum ad ipſum virorum, & ipſius ad illos & alios Epiſtolas Hebraicas, quæ quantam ejus linguæ facultatem uſumque habuerit, vel ſolæ queant teſtari. Quæ addit autem Bulengerus de Judæo accito, ſic habent. Octo ab hinc plus minus annis iter ad illuſtrem Academiam Oxonienſem habuit Pater: ibi reperiit quendam Judæum *, hominem in literis Judaicis, & Thalmudicis ſingulari doctrinâ præditum; aliarum etiam linguarum non ignarum. Amplexus raram hanc in illo eruditionem, & ipſi cupiens, Londinum rediens adduxit ſecum, & apud ſe domi menſem & amplius retinuit. Interim Pater eum per occaſiones Proceribus quibuſdam Eccleſiæ, ipſique adeò Regi ſereniſſimo commendavit. Judæus expertus non infelicem, aut irritam profectionem, Oxonium reverſus eſt. Quamdiu unà cum Patre fuit, poſſum ego teſtari rariſſimè eos eſſe collocutos, niſi inter epulas, non quidem quòd non multa Pater ab eo ſe doceri cuperet, ſed quia aliis tum neceſſariis occupationibus diſtinebatur: ſuas autem Exercitationes antequam Oxonium iret, jam penè ad umbilicum perduxerat, & amicis nonnullis legendas dederat: ſtatim autem à reditu Typographo eas tradidit. Hinc tamen illa fabula. Et memini ſanè eo tempore Patrem Jacobo Wedderburno, viro probiſſimo & doctiſſimo, tunc Præceptori meo, nunc Andræapoli Sacræ Theologiæ Profeſſori, dicere, Adverſarios, ſi audirent ſe domi Judæum habere, illos ipſos rumores, quos Bulengerus affert, diſſeminaturos. Quàm fuerit verus vates, exitus nunc oſtendit; ſed commenti vanitas apparet. Hactenus pro Patris eruditione contra fabulas & calumnias, quibus de illa detrahebant Adverſarii; nunc reliquum mihi puto, ut duobus cum purgem criminibus, quæ ad infamandam ejus eruditionem falſò illi impingit Heribertus Roſweydus. Quoniam autem utriuſque teſtimonium affert tantùm pauca quædam exempla, ſunt illa hic neceſſariò nobis expendenda. Primum crimen quod illi impingit, eſt Plagium: id autem ob hanc rationem. Pater hæc ſcripſit in Exercitationibus: *De Antigoni, Regis Judæorum, ſupplicio loquens Baronius, errorem errat multis etiam doctiſſimis viris communem. Putat eſſe diſſenſionem in illa narratione inter Joſephum & Dionem; & durius ſupplicium eſſe, quod Dioni deſcribitur; cui potius ſe aſſentiri Baronius oſtendit. Sed falſa hæc ſententia, nata ex unius voculæ* σταυρὸς *prava interpretatione: author eſt Joſephus è Strabone, cujus locum affert, initio lib. XV. Antonium* πελεκίσαι *Antigonum, Regem Judæorum, captivum, hoc eſt*, ſecuri percuſſiſſe. *Dio, lib. XLIX. ſcenam ejus ſupplicii pluribus explicans:* Ἀντίγονον, ait, ἐμαστίγωσε σταυρῷ προσδήσας, ὃ μηδεὶς ἄλλος βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπεπόνθει, καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ἀπέσφαξε. *Magno errore Interpretes verterunt*, cruci alligatum, *quæ mala verſio Baronio fuit fraudi. Vertendum erat*, palo alligatum; *vel*, ad palum deligatum, *ut ſæpe Livius: nam* σταυρὸς, *ut toties obſervat Euſtathius, eſt* σκόλοψ, ὀρθὸν ξύλον, palus, lignum erectum, *unde* ἀποσταυροῦν *apud Hiſtoricos paſſim*, palis cingere, vallos in circuitu figere, *&c.*

Quid hic, quæſo, (inquit Roſweydus) obſervas, Caſaubone, quod non antè Lipſius doctè & copioſè executus ſit? Omitto de voce σταυρὸς, cujus uſum varium apud Lipſium habes, ex Euſtathio, & Heſychio deductum *lib. I. de Cruce cap. IV.* Tantùm hic dabo Lipſii verba de ſupplicio Antigoni, ut non verbo tantùm Plagii dicaris accuſatus, ſed re ipſâ Plagiarium te eſſe totus orbis agnoſcat. Ita igitur Lipſius, &c. *An ergo huc referas Dionis illud lib. XLIX. de Antonii ſævitia in Judææ Regem Antigonum?* τὸν δὲ Ἀντίγονον, &c. *Antigonum flagellavit, cruci ſive furcæ alligans*, &c. *Verba ita præferre videntur: nec abhorreat ab Antonii impotentia, ut ſerviliter ſæviret in Regem. Tamen verius puto, ut capias vertaſque (Palum) ut palo, inquam, alligatus fuerit ſolenni Romanis more, & tum ſecuri percuſſus. Quod ipſum huic Antigono factum, etſi Dio non expreſſit, notavit Strabo citante Joſepho (nam hodie non exſtat) lib. XVI. Antiquitatum cap. I.* Ἀντώνιος Ἀντ. &c. *Idem Plutarchus in Antonio.* Comparetur jam hæc Lipſiana notatio cum citata Ca-

* Nomin. *Jacobum*, *Epiſt.* 900. 919. 924.

Exerc. 1. c. [illegible] p. 5.

ſauboni

ſauboni Exercitatione, & ſtatim apparebit ex cujus poculo biberit Caſaubonus: ſi quis in eo candor, (quem tamen præ ſe ferre vult) ſi quæ gratitudo fuiſſet, meminiſſet hoſpitis ſui, apud quem non tantùm lautè fuerat epulatus, ſed apophoreta quoque domum retulerat.

En Achilleum argumentum! Quia notat Caſaubonus non laudato Lipſio vertendum Dionis σταυρὸν *Palum*, non *Crucem*, quod olim Lipſius obſervarat, ideò Caſaubonus eſt Plagiarius! Sed per Deum immortalem, quis liber erit ab hoc crimine, ſi ſic ſufficiat accuſaſſe? Sexcenta talia proferrem exempla, ſi auderem tantum mihi de Lectoris patientia promittere. Non verebor dicere, vix ullum mihi poſſe dari librum, cujus Authorem hac ratione non convincam plagii. Rem verò miram, & prodigioſam! ſi duo viri docti in eadem veritate caſu aliquando conſentiant. Annon meritus eſt Caſaubonus, ut unam voculam Græcam credatur potuiſſe ſine ope alterius explicare? Sed jam ut te *totus orbis agnoſcat*, Roſweyde, hominem ad quamvis calumniam impudentiâ projectiſſimâ, adſcribam verba Petri Fabri, Viri clariſſimi, ex *Semeſtrium lib.* x. *cap.* 10. quæ cùm multis annis ante illa Lipſii ſcripſerit eâdem planè mente, & ſententiâ; neceſſe eſt, aut tuum quoque Lipſium plagii poſtules, aut te ſycophantam merum, & Legi Remniæ obnoxium fatearis. Hæc igitur Faber eo, quem dixi, loco, qui eſt editionis Lugdunenſis anni CIↃ IↃ XCII. pag. 107.

„*Dio*, *lib.* 48. Antigonum, Judææ „Regem, cui ſucceſſor Herodes datus „eſt, ab Antonio ita punitum refert, „*ut palo alligatus flagris cæderetur, at*„*que obtruncaretur:* Τὸν δὲ Ἀντίγονον (ait) „ἱμαστίγωσε σταυρῷ προσδήσας, &c. ubi ma„lo σταυρὸν, *palum*, quàm (quod Inter„pres facit) *crucem* exponere: ut ἀπο„σφάξειν, *obtruncare* potius quàm *jugu*„*lare:* quoniam Antigonum ſecuri per„cuſſum fuiſſe, Plutarchus in Antigo„no tradit his verbis, quæ cum illis „omnino congruunt: Πολλοὺς δ' ἀφῃρεῖτο „βασιλείας· ὡς Ἀντίγονον τὸν Ἰουδαίων καὶ προα„γαγὼν ἐπελέκισεν, οὐδενὸς πρότερον ἑτέρου βα„σιλέως οὕτω κολασθέντος. „

Comparetur jam hæc Fabri notatio cum Lipſiana, ſtatimque apparebit in Patrem nihil ab adverſario dictum, quod in Lipſium nequeat pari jure retorqueri. Quod autem dicis, Roſweyde, de Lipſiana querela, ſi tibi nolim credere, mihi, ut ſpero, vitio non vertetur, qui malam tuam fidem jam ſæpe deprehenderim. Teſtes tuos præter unum nullos audio; ille, quem nominas, is eſt, opinor, cujus exſtat de Polymathia tractatio. Audi quid de ea dicat è veſtris caſtris vir eruditiſſimus: *Opus eſſet peculiari tractatione, quam fortè cum diis faventibus volentibuſque, ſi res noſtræ nobis otium fecerint, & Deus vitam dederit, aliquando inſtituturi ſumus, quando vir ille inter eruditos præcipuus, qui eam nobis pollicitus erat, morte præventus perficere non potuit. De Iſaaco Caſaubono loquor, in cujus meſſem falcem injecit Joannes à Wouweren; vir certè ingenii non vulgaris, ſed qui opus imperfectum reliquit, quamvis omne quod edidit, à Caſaubono habuit, dum unà agebat Monſpelii.* Si legiſſes, Roſweyde, pulcherrimam Lipſii cum magno, & amico viro (ſic ipſe loquitur) velitationem, à quo fuerat hujus ipſius criminis inſimulatus, abſtinuiſſes, ni fallor, ab hac inepta & abſurda calumnia. Omnino malè meritus es de tuo amico, & ipſe ſine dubio hanc tecum, ſi jam poſſet, injuriam expoſtularet, qui id illum velis admiſiſſe, cujus alium reum adeo graviter increpavit. Vide, pruritus & libido calumniandi quid faciat! Pari ratione, qui præfatus eſt Cardinalis Perronii libro Gallico *de Euchariſtia*, Patri exprobrat, multa illum, quæ à Cardinali primum didicerat, ſuis Exercitationibus inſeruiſſe. Benè eſt, ſaltem quædam adverſariorum confeſſione in illis Exercitationibus eſſe, Cardinali Perronio non indigna. Sed ad rem ipſam quod attinet, cui non ſtatim paulò intelligentiori de vanitate, ac commento ſuboleat? quod ſi ſemper habenda fides accuſatoribus, ipſe Cardinalis Plagiarius fuerit, aut etiam neſcio quid pejus. Quid enim ſibi volunt illa Bulengeri Annalium, lib. x. pag. 326. *Altero poſt anno in villa Fontis Bellæi, mandato, ne falſa pro veris obtruderentur, celeberrimo doctorum hominum Conventu, lectiſſimis totius Galliæ viris arbitris, inter Perronium, Epiſcopum Ebroicenſem, & Mornæum ſolemnis diſputatio apud Regem inſtituta eſt, ubi verba Patrum, quæ edito libro ſuperiori anno falſi notaveram, libris in conſpectu poſitis & diligenter expenſis, falſi convicta ſunt.* Mox, *Quæ victoria ut fidei Catholicæ in Gallia munimento fuit, ita Perronio tum Epiſcopo Romæ ad purpuram evaluit; mei, à quo ante alios corruptæ indicatæ erant, quia inter literas auditus latebam, nulla ratio habita eſt, quòd lauream Authori debitam, alii, quibus major ambitus fuit, præripuiſſent. Oportuit me ſemel his Annalibus juſtum dolorem exoneraſſe*, &c.

Res

Res esset certè iniquissima, si ab unius alicujus fide bonorum existimatio penderet. Sed non pendet; (Deo laus & gratia) bonos & doctos sua fama, & alia scripta à tali suspicione tutantur. Alii autem vix possunt sua furta tam benè dissimulare, ut ipsi sese non prodant: aliter enim catuli longè olent, aliter sues.

Secundum crimen, seu vitium potius, quod Patri Rosweydus objicit, est inepta quædam ostentatio doctrinæ, quo qui est præditus, dum quærit omnes occasiones effundendi quicquid noverit, & vel obtorto collo trahit ad propositum, in magnas scilicet nugas & ineptias solet delabi, & magis abuti suâ qualicunque eruditione, quàm fructus eâ dignos edere. Rosweydus igitur, ut Patris eruditionem quoquo modo traduceret, & vocaret in invidiam, hoc illum vitio laborasse criminatur, & affert exempla quædam, quæ nunc paucis examinabimus. Pontificii ad asserendam Papæ Monarchiam hoc potissimum utuntur Sacræ Scripturæ loco: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, uti ostenditur, Exercitationum cap. XV. Pater ad demonstrandum contrarium, hæc nempe verba, potentiam illam non statuere aut stabilire, duplicem init viam. Primum probat cap. XII. illa verba à veteribus Patribus variè accepta fuisse, neque ullam priscis temporibus extitisse necessitatem de Petro illa exponendi, potius quàm de Christo, aut de Confessione fidei, aut etiam de unoquoque fidelium. Secundò, etiamsi hæc verba de Petro accipiantur, tamen ad Pontificii hodiernam Monarchiam nihil facere: quod probat, primùm authoritate illorum Patrum, qui de Petro sunt interpretati cap. XIV. secundò, ex usu ipso, & perpetua acceptione ipsarum vocum, è quibus ille sensus, quem volunt, non potest elici, cap. XIII. Cùm igitur constet verbum (*Petra*) esse hîc metaphoricum, docturum se spondet initio capitis: *Quoties metaphoricè usurpatur vel in Scripturis, vel apud Patres, aut alios etiam Authores, referri semper ad aliquam Petræ inhærentem proprietatem, nunquam autem dominationem, aut imperium denotare.* Quis hîc non expectet ut omnes τῦ (Petra) Metaphoras, & proprias vocis illius notiones, è qubus illæ Metaphoræ sunt ductæ, accuratè persequatur? Ille igitur inter alia multa, docet ex Mose ben Maimon, Hebraicum צור *Tzur* (quod sæpe redditur per vocem *Petra*) propriè significare *lapidicinam*, unde *oriuntur venæ lapidum*; Deum autem vocari צור, quia ipse est principium & caussa, per quem facta sunt omnia præter ipsum. Ex hac Metaphora infert, Petri Monarchiam non posse elici: *Nam etiamsi*, inquit Pater, *verum sit Deum rerum omnium creatarum Dominum esse, & absolutissimum Monarcham; hæc tamen Metaphora non adhibetur ad exprimendam dominationem, sed ad indicandam originem rerum, & caussam existentiæ*; veluti sanè aliud est Deum dicere κοσμοποιὸν, aliud κοσμοκράτορα, quamvis Deus, etiam quatenus est mundi Conditor, & Creator unicus, idem quoque sit ejus Dominus, & absolutissimus Monarcha. Docet item ex Eustathio, vocem πέτρα sæpe *antrum* in rupe excavatum significare, atque ex hac vocabuli notione notat ex Procopio, Christum esse dictum Petram, ad denotandum τὸ πάγιον, firmitudinem Ecclesiæ in Christo, velut in antro, & cavata rupe latitantis. Patet igitur neque ex hac Metaphora quicquam posse trahi ad Petri Monarchiam.

Alio loco loquens de principatu Petri, ait posse colligi ex his Sacræ Scripturæ locis, *Et persecutus est eum Simon, & qui cum eo erant; Dixit Petrus, & qui cum illo erant;* Σταθεὶς Πέτρος σὺν τοῖς ἕνδεκα, *Dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos*, fuisse aliquam inter Apostolos honoris diversitatem, quia scilicet ille loquendi modus sit index alicujus ἐξοχῆς, cujus exempla cùm varia sint apud varios Scriptores, unum profert Pater ex Aristophane, Ὦ Ζεῦ καὶ Θεοί.

Jam quæso te, Lector, apud te cogitans exquire & dispice, quid in his à Patre sit peccatum. Si nihil invenis, audi Rosweydum.

Quid, quæso, Casaubono Hebraicæ linguæ cognitio ad illustrandas Sacras Literas, ad Historiam Euangelicam reformandam contulit? Nempe ut intelligeremus, cur Deus in Scripturis vocetur Petra. Ita enim ait: *Deus in Scripturis* Tsur, *hoc est*, rupes, *vel* petra *dicitur*, *authore Mose ben Maimon in More Nebukim, admirandæ doctrinæ scripto, quia ipse est principium & caussa, per quam facta sunt omnia præter ipsum.* Infert Casaubonus: *Non igitur quia dominetur rebus omnibus creatis.* O insulsum hominem! qui ut Hebraicæ lectionis aliquam notitiam ostentaret, Judæorum quoque testimonio voluit Ecclesiam oppugnare, quod nihil est aliud quàm lupi suffragio, ut est in fabulis, agno vitam eripere, se-

que lautè ridendum propinare. Quasi verò non eo ipso, quo Deus rerum omnium caussa & principium est, sit earundem rerum Dominus simul & Monarcha.

Non impari felicitate Græcas quoque literas ad Sacrarum Literarum explicationem adducit. Quis enim hæc loca intellexisset, Marci 1: 36. *Et prosecutus est eum Simon, & qui cum eo erant*; Lucæ VIII. &c. nisi Casaubonus monuisset apud Aristophanem esse, ὦ Ζεῦ καὶ θεοί? Quare aliqua inter Apostolos honoris diversitas est, cùm Petrus seorsim à reliquis nominatur, quia etiam apud Aristophanem Jupiter reliquis Diis non expressis elucet. Mirum profectò non veritum Casaubonum, ne Pontificii ex Aristophanico hoc exemplo Petro imperium arrogarent, cùm Jovi in reliquos Deos potestas & dominatus Poëtis omnibus sit decantatus. Jam verò cui unquam in mentem venisset loci hujus sanè difficillimi, in quo omnes Patres se torquent, explicatio, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, nisi unus Eustathius, Homeri Scholiastes opem tulisset ex Iliados Δ, πέτρης ἐκ. &c. quo silvestris capra è petra prodiens describitur; nisi Eustathius monuisset Petram sæpe Homero antrum in rupe excavatum significare? &c.

Posset hic à nobis de malignitate & iniquitate Rosweydi longa oratio institui singula hæc illius accuratè excutientibus. Sed & nos brevitati studemus, & est illa in his adeò conspicua, ut perspicaci Lectori sit hæc simplex recitatio futura loco refutationis amplissimæ. Quod æquè dici potest de omnibus ferè, quæ hic, & alii Patris adversarii, præcipuè Eudæmon, contra ejus scripta afferunt; quæ si attentius legeris & examinaris contendendo ea cum ipsis verbis Patris, malignitatem, fraudem, & artificium quoddam omnia bona, recta malè narrando depravandi deprehendes, prætereà plerunque nihil.

Unum adhuc superest exemplum petitum è libro Patris *de Satyrica Poesi*, cujus pag. 151. hæc scribit: *Nomen hoc κῶμος dubio procul cum nascente Græcia natum. Est enim purum putum Hebraicum; non, ut placet Grammaticis, Græcum primâ origine.* קום *est* surgere: *inde κῶμος, ut à* מום *μῶμος. Et est κῶμος propriè ἀνάστασις ἀπὸ δείπνου*, eruptio à mensa in publicum. *Tertullianus eleganter vertit*, Eruptiones lasciviarum, *Adversus Gentes: Æquè oratio convivium dirimit: inde disceditur, non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, neque in eruptiones lasciviarum.*

Sic maluit, cùm posset uno verbo, (neque comessatum) πρὸς τὸ κωμάζειν.

Quos hic clamores tollit Rosweydus! quos strepitus excitat! *Ubi tu, Varro? ubi tu, Feste? ubi tu, Eustathi?* Expectabam ut extremum illud adderet, *Viderent ne quid Respublica literaria detrimenti caperet.* Sed videamus an res hâc trepidatione fuerit, & his tantis digna clamoribus adversarii. Primum indignatur verbum, quod Græci quidam & Latini Grammatici aliundè ducunt, Patrem asserere primâ origine esse Hebraicum. Hic, Rosweyde, aut pudendam inscitiam, aut insignem malignitatem prodis. An verò nescis doctiores jam ferè *consentire, pleraque* antiquiora verba Græca & simplicia, primâ origine esse Hebraica? Nondumne vidisti tot præstantissimorum virorum egregios libros, quibus sexcentas & amplius Græcas & Latinas quoque voces ab Hebraica lingua deducunt, & tanquam matrici suæ reddunt? An eorum labores explodendos dices, & irridendos, quia Grammatici Græci & Latini earum vocum origines non petunt ab eadem lingua, cujus illi nullam unquam notitiam habuerunt? An etiam id dices, verbum hoc *Sabbathum* Græcum esse, non Hebraicum, quia id Plutarchus (at qui vir!) non uno loco affirmat, & deducit ἀπὸ τοῦ σεβάζειν? Ut taceam similes alias non paucas puras putas Hebraicas voces, quas Veteres primùm ἐξελληνίσαντες (ut loquitur Gregorius Nazianzenus de voce Πάσχα) pro genuinis Græcis habuerunt. Non meministi, ais, ineptius unquam etymon te legisse, quia nempe non tantùm surgebant comessatores, sed iidem quoque veniebant. Ad hoc sanè exemplum si exigas omnes etymologias, væ tuo Varroni, væ tuo Festo, væ Eustathio, & uno verbo væ antiquis & recentioribus omnibus, qui hoc argumentum tractarunt. *Quis Casaubonum docuit*, inquis, *κῶμον seu* comessationem, *propriè esse ἀνάστασιν ἀπὸ δείπνου*, consurrectionem post cœnam? *Imò Veteribus* comessatio *ipsum potiùs epulum, ipsa cœna lautissima, & petulantissima.* Ut de Tertulliani loco nihil dicam, & alia, quæ ibi affert Pater, omittam; si verum est, justam, & propriè sic dictam *comessationem*, & post cœnam & ἀνάστασιν fuisse, quid tibi mirum videtur, si ipsa *comessatio* dica-

dicatur propriè ἀνάστασις ἀπὸ δείπνου? Quid autem propriè fuerit *comessatio* ut scias, unus, puto, tibi testis erit instar omnium, Andræas Baccius, qui cùm civis Romanus, & Pontificis Medicus familiaris fuerit, putabis scilicet, pro tua pietate, nefas, de ejus ἀναμαρτησία dubitare. Sic igitur ille, libro *de Vinis & Conviviis Antiquorum*, pag. 131. *Sicut jentaculum ante prandium, & merenda ante cœnam, sic nocturna erat post cœnam comessatio.* Comessatio *per simplicem consonantem scribitur, quod post cœnam, & intempestâ nocte vagantes, vel etiam stantes, nequaquam accumbentes comessarentur.* Tu autem quâ fronte dicas *comessationem* ipsam cœnam fuisse contra tot viros doctos, ipse vide. Illorum sanè si scrinia compilare vellem, esset abunde quod tibi responderem; sed ipse te postmodum proprio gladio jugulas.

Hæc tria admodum exempla in magno editorum à Patre librorum numero curiosa Rosweydi malignitas invenit, quæ traducendæ Patris eruditioni sugillaret: sed quibus, aut ego vehementer fallor, præ nimio carpendi studio se probavit ineptissimum.

Jam sigillatim respondimus ad omnia, ut opinor, quæ quoquo modo contra Patris doctrinam adversarii afferebant. Nunc, quia eos video tanto conatu id agere, ut viri eruditi nomen illi demant, ego vicissim aliqua ipsis opponam, quibus efficiam, ut illos insani consilii pœniteat, aut si pergunt insanire, & plura hujus generis afferre, mihi respondendi illis nulla in posterum sit futura necessitas. Primùm igitur quæro de vobis, Adversarii, quid de eo judicandum putetis, quem Rex Christianissimus ad ornandam toto orbe celeberrimam suam Academiam literis honorificentissimis dignatus sit evocare? quem tanto bonorum doctorumque gaudio & gratulatione evocavit, ut hoc inter alias ejus laudes non omittendum putarit Vir illustrissimus & immortali laude dignissimus, Jacobus Augustus Thuanus, cujus hæc verba ex Præfatione ipsius ad Regem: *Sed est quod ante omnia tibi gratulemur ob Musas sedibus suis, unde Martis rabies eas pepulerat, restitutas, & instauratam tuis auspiciis Parisiensem Academiam, cui & insigne ornamentum addidisti, evocato Isaaco Casaubono, altero hujus sæculi lumine, eique commissâ Bibliothecæ verè regiæ custodiâ.* Apponam ipsarum literarum, quas ad Patrem Rex scripsit, exemplum.

MONSIEUR DE CASAUBON,

AYant deliberé de remettre sus l'Université de Paris, & d'y attirer pour cest effet le plus de sçavans personnages qu'il me sera possible. Scachant le bruit que vous avez d'estre aujourd'huy des premiers de ce nombre. Je me suis resolu de me servir de vous pour la profession des Bonnes Lettres en laditte Université, & vous ay à ceste fin ordonné tel appointement, que je m'asseure que vous vous en contenterez. Partant vous ne faudrez incontinent la presente receuë, de vous preparer à vous acheminer par deçà, pour vous y rendre le plustost que le pourrez commodement faire. Et afin que l'obligation que vous avez d'enseigner en ma ville de Montpellier, ne vous puisse retenir ou retarder, j'escris presentement aux Consuls d'icelle, qu'ils ayent à vous en tenir quitte & deschargé, & à vous assister de ce qu'ils pourront en vostre voyage, pour les fraix duquel j'ay donné l'ordre que vous entendrez par les Lettres du Sr. de Calignon, Conseiller en mon Conseil d'Estat; sur lequel me remettant, je ne vous en diray icy d'avantage. Sur ce, je prie Dieu, Monsr. de Casaubon, qu'il vous ait en sa saincte garde. Escrit à Paris, ce III. jour de Janvier, 1599.

HENRY.

FORGET.

DOMINE CASAUBONE,

„ CUm Parisiensem Academiam in-
„ staurare instituam, & in eum
„ finem doctissimos quosque, quantum
„ in me erit, evocare; quia tu inter pri-
„ mos ex illo numero putaris esse, uti
„ tuâ operâ ad professionem melio-
„ rum literarum in illa Academia con-
„ stitui, eâ quidem conditione, quam
„ facilè mihi persuadeo tibi non dis-
„ plicituram. Vide igitur, ut statim
„ atque has acceperis, ad iter te ac-
„ cingas, ut quamprimùm poteris, te
„ hic sistas. Ne autem officii illius
„ ratio, quâ teneris docere in urbe
„ mea Monspeliensi, consilio huic ob-
„ stet, aut tibi moras afferat, scripsi
„ ad Consules illius urbis, ut tibi ejus
„ gratiam faciant, teque rebus, qui-
„ buscumque poterunt, juvent ad hoc
„ iter. De viatico quî tibi prospexe-
„ rim, docebunt te literæ Domini
„ Calignonis, in sacro meo Consisto-
„ rio Consiliarii; ad quas etiam te re-

„ jicio, ut de reliquis intelligas. Vale. „ Datæ *Lutetiæ Parisiorum*, *a. d.* III. „ *Non. Januar.* CIↃ IↃ IC.

HENRICUS.

FORGET.

Illene *Grammaticus*, ut in contemptum vocatis, & *sciolus*, aut etiam ut quibusdam placet, *nullarum literarum homo*, qui in celeberrimo illo & nobilissimo maximorum totius Galliæ ingeniorum congressu, cum quinque aliis sedit Arbiter? de quibus omnibus testatur eos fuisse Bulengerus, *lectissimos totius Galliæ viros*. Ipse Cardinalis Perronius in Actis ejus Colloquii ab ipso editis, & postèa à Jacobo Couthono in linguam Latinam conversis, *doctrinâ singulari & inculpatæ vitæ integritate præstantissimos*: & speciatim Boterejus * de iis tribus, qui delecti fuerant è Protestantium partibus, dicit eos fuisse *insigniter & ad nostri sæculi miraculum eruditos*. Dicite pòrrò quæ caussa fuerit, cur illum plures Principes & Respublicæ habere sibi cupiverint, & propositis honestissimis conditionibus invitaverint? Cur ipse Pontifex Maximus tanti fecerit, ut eum Romæ sibi expeteret? Narrabat hoc Pater ipse ex occasione amico per literas, his verbis: *Maximi in Gallia Proceres sciunt, à Clemente VIII. vocatum me esse Romam, proposito aureorum octingentorum stipendio, ita ut nihilominus fruerer Regis mei liberalitate & stipendio.* Servo omnis conditionis hominum ad ipsum literas; Regum, Ducum, Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum in illustri fastigio virorum; tum doctissimorum quorumque ex Italia, Hispania, Polonia, Ungaria, Moschovia, &c. Ex his omnibus selectas aliquot centurias possem edere, si Patris existimationem periclitari putarem, quæ essent integritatis ejus & eruditionis luculentissima testimonia; & fortasse aliquibus illarum, merito suo luce dignissimis, aliquando, Deo favente, publicam lucem non invidebimus. Nunc quia de ejus eruditione agimus, non possum facere, quin addam partem Epistolæ Viri amplissimi, Jacobi Augusti Thuani, quæ nuper publici juris est facta. Ille igitur post multas Petri Pithœi laudes, magnoque affectu tristissimè deploratam ejus mortem, hæc addit: *Te verò, Casaubone, Vir doctissime, ille summopere inter omnes semper delexit, & unum sæculo hoc esse dicebat, qui literarum per bella civilia exulantium accisam spem excitaret, neque nos de iis plane desperare sineret; ac memini sane, cùm de literis inter nos sermo esset, & ostenderem ei Scaligeri nostri literas, quibus te hodie principem inter literatos locum, vel fatente invidiâ, obtinere scribebat, tanti viri de te præconio illum magnoperè gaudere solitum, ac lætari, quòd te Deus adversus imminentem Barbariem, sic enim loquebatur, opposuisset. Itaque mihi author fuerat, ut te ad profectionem ad nos adornandam invitarem, quod & ipse crebris ad te datis literis, ut puto, fecit*, &c. Anno Salutis CIↃ IↃ XCVI.

* *Commentarior. lib.* 7.

Quia autem voluit, aut non noluit saltem Andræas Schottus privatas Patris ad se literas, quibus cum laudabat, ab Heriberto Rosweydo publicari, nos etiam quasdam Schotti literas ad Patrem proferemus, ex quibus quid de eo senserit apparebit, rogato prius ipso Schotto, si fortè nollet editas, Pythagoræ legis ut meminisse velit, Εἴκε πάθοι τάκ' ἔρεξε δίκη ἰθεῖα γένοιτο.

ANDRÆAS SCHOTTUS ISAACO CASAUBONO

εὖ διάγειν.

QUàm mihi gratæ tuæ sint, dici vix potest, Vir magne; unum vereor, ne fallat nimius erga me amor, qui cæcos reddit, quod ea mihi ad Ciceronem illustrandum adhortans tribuas, quæ in me agnoscere nisi φίλαυτος sim, nec possum, nec debeo. *Quæstiones Tullianæ*, &c. Mox: *Lectiones verò Tullianas, quæ pars altera erit, per Miræum nostrum ad te allegare placuit, ut precibus nobis impetret, ne grave sit recensere paucarum horarum jacturâ, si jactura ea est appellanda cùm amico efflagitanti officium præstes: quando meas esse aliquid putare soles nugas. Quamobrem quò plura, mi Casaubone, obelo fodies, damnabisque re adhuc integrâ, tantò me tibi cariorem, ex animi sententia loquor, existimabo*, &c. Tornaci Nerviorum, Id. Januar. anni incuntis CIↃ IↃ CX.

IDEM EIDEM

Viro clarissimo, χαίρειν.

TUæ me literæ, doctissime Casaubone, mirificè recreant, animumque addunt, ut quàm possim plura coner. Tullianas Quæstiones ad te mitti Antverpiâ curaram. Utinam nugas illas, quas tu esse aliquid putas, legas, ut nos doceat

ceas de erratis! Præter enim bene merendi, rectaque suadendi in honesta caussa, nihil fortasse admodum adferimus. Laudabitur conatus, quo aliis lampada tradere videbor iis, qui ea volent calamistris inurere, ac Tullium exulantem revocare. Certè in Tullianis lectionibus nostris quàm vellem notasses, in quibus dissentires re adhuc integrâ: eo enim consilio miseram potissimùm, ut quod vel ignotis præstas amicè officium, Schotto tuo non negares. Si ibi non vacabit, præsta in Quæstionibus, ut non displicuisse omnia, quia quædam notaris, existimem. Sic bene tibi, bene mihi, &c. Tornaci, Eid. Sextil. cIↄ Iↄ cx.

IDEM
EIDEM
Viro clarissimo, χαίρειν.

Vir clarissime,

T*Uas libenter accipio, doctissime Casaubone, non tam quòd conatus probes meos, in hac ingenii tenuitate, quàm quòd candorem patefaciant, amoremque erga me tuum propè singularem. Certè siquis mortalium te tuaque observat, unum me quoque esse velim existimes. Romanè dico ac verè. Per ego te hanc dexteram rogo quæsoque, ut cùm Bibliothecâ careas tuâ, & quidem, ut scribis, invitus, nec juvare, nec augere Spartam hanc nostram, ut maximè velles, nunc queas; recensere saltem hæc folia ne graveris horis subcisivis, quæ Savilio nostro, Viro clarissimo, usui utriusque misi, dum opere ad exitum adducto integrum cuique submittam. Notes adhæc, doceasque cùm σφάλματα· ἄνθρωπος γὰρ εἰμι· tum si quæ addi jubeas è tua excellenti memoria & doctrina, quæ inter omissa cum amica prædicatione referam. Conati sumus, fatebor, tenues grandia; sed viam utcumque munire, doctoresque excitare placuit. Tu, tu unus hanc ornabis Spartam, si videbitur; potes enim; nos, ut ille de Tiresia ait, velut umbræ per inane volitamus. Certè φιλέλληνες fuisse in tanta doctorum raritate videbimur; lampada melioribus tradam, ut in sacris legendis Proverbiis ex uberrimo illo aurei oris campo, qui nunc in Britannia quoque aperitur. Te id meditari, nuper admodum Petrus Plantinus noster ad me perscripsit. Quod si ita est, sustinebo equidem me in remigio; teque iterum precor, obtestorque ut in his editis docere nos amicè ne detrectes, aut tergiverseris diutius. Ut enim nec è vamentium es numero, ita nec maledicendi vitium probas; qua in re libenter nomen adscribo meum. Si quid vicissim à me officium vel tenue à tenui postulabis, faxo ne apud immemorem positum ipse aliquando sentias. Vale, Vir magne, nosque cum Savilio re consilioque in Græcis utcumque ornandis juva.* Antverpiæ, Id. Septemb. cIↄ Iↄ cxi.

Possem plures ejusdem dare; sed hæ sufficiunt, quibus spero me Rosweydo gratiam non malè retulisse. Quid nunc respondebitis, obtrectatores adversarii, primariò Jesuitæ? quid aliis, de quibus jam diximus, omnibus? An *errorem hominum* cum Cretensi caussabimini, & tot principes viros, quantumque ferè eruditorum fuit hoc sæculo, temeritatis & ἀκρισίας accusabitis potius quàm ut hominis, qui vobis in caussa Religionis adversus fuit, merita velitis agnoscere? Videnturne hæc vobis Patris eruditionem satis testari? Nihil nunc dicam (quod tamen erat hac in re primum) de Regum sapientissimi, & doctissimi judicio de illo, quamve illi charus fuerit; plerisque satis notum, & ipsis in primis adversariis. Jam verò de scriptis ejus quid dicam, & libris editis? Dicam, non quòd meus pudor vellet, sed quòd istorum extorquet malignitas. Convenite omnes Zelotæ, invidi, maligni, malevoli; omnis conveniat calumniatorum, & obtrectatorum cohors; conferte omnia vestra mendacia, convitia, calumnias, atque omnia artificia conferte: vos & vestra dies abolebit, Patris opera cum ipsis literis vigebunt, & erunt in pretio. Neque tamen negaverim ipsum aliquando errasse, aut in quibusdam jure posse meritoque reprehendi: scio illum hominem fuisse; scio præterea multa illum inter varias curas, atque molestias scripsisse, multa quoque festinanter. Si quis velit in eo operam ponere, ut ejus errata corrigat, promitto ipsi ac spondeo rem eum facturum, non modò hæc scribenti filio (quæ nostra φιλαλήθεια est) acceptam, sed & pientissimis τοῦ μακαρίτου Manibus (εἴ τις αἴσθησις, ut ait Gregorius Nazianzenus) longè gratissimam: modò ut illum veritatem quæsivisse, non odio aut partibus inservisse pareat.

Philippus Jacobus Maussacus, ingenio vir & doctrinâ inter paucos admirandus, multa se legisse monet alicubi in Patris Exercitationibus, quæ miram properantiam arguant: ibidem emendat aliquot ejus, ut ipse appellat, παροράματα. Quis non laudet? nempe studio

dio veritatis adductum, non odii actum stimulis, aut malevolentiæ. Sed adscribam hic ejus verba, ut Marrucinis ægrè sit: *Velim autem scias, Lector benevole, me nullo vanæ laudis aures mortalium titillantis desiderio hæc in magnum illum virum pro Cardinali Baronio & Lipsio observasse, sed amore veritatis,* &c. Mox: *Ingenium, mores, & doctrinam illius viri semper magni feci; religionem nunquam gustavi; absit in ejus charissimos manes insultandi mihi fuerit animus; quinimò ut eum vivum tanquam διδάσκαλον colui, ita μακαρίτην amare pergo.*

Non alienum à loco aut proposito, si antequam huic opellæ finem imponamus, & Indicem demus librorum, quos edidit, & de iis, quæ reliquit ἀνέκδοτα καὶ ἀπλῆ, paucis agamus.

Lucubrationes ab
ISAACO CASAUBONO
publicatæ.

I. *NOtæ in Diogenem Laërtium.* Hæ sæpius recusæ sunt multò auctiores & emendatiores.

II. *Theocriticæ Lectiones.* Has etiam secundâ editione multò fecit uberiores, 1596.

III. *Notæ in Evangelia & Acta.*

IV. *Strabo emendatus è MSS. cum Commentariis*, 1587. & 1620.

V. *Animadversiones in Dionysium Halicarnasseum*, 1587.

VI. *Polyænus, Græcè editus cum Notis*, 1588.

VII. *Theophrasti Characteres cum Commentariis*, 1592. Quibus secundæ & tertiæ curæ accesserunt.

VIII. *Apologia Apuleji cum Notis*, 1594.

IX. *Suetonii editio cum Animadversionibus*, 1595. Has secundâ & tertiâ editione admodum auxit.

X. *Notæ in Plinii Epistolas.*

XI. *Athenæus Græce editus, emendatus è MSS. & sexcentis locis suppletus*, 1600.

XII. *Animadversionum in Athenæum, lib.* XV. 1600.

XIII. *Historiæ Augustæ Scriptores: Spartianus*, &c. *cum Animadversionibus*, 1603.

XIV. *In Dionem Chrysostomum Notæ*, 1604.

XV. *Gregorii Nysseni Epistola cum Versione & Notis*, 1606.

XVI. *Persius cum Commentariis*, 1608.

XVII. *De Satyrica Græcorum Poësi, & Romanorum Satyra, libri duo*, 1605.

XVIII. *In Gregorii Thaumaturgi Orationem de Origine Notæ.*

XIX. *De Libertate Ecclesiastica, liber singularis*, 1607. Hujus pars tantùm edita est, ob caussas antè memoratas, pag. 101. & 102.

XX. *Polybius, cum nova Versione editus*, 1609.

XXI. *Æneas, vetus Scriptor, editus & versus cum Notis.*

XXII. *Epistola ad Frontonem Ducæum*, 1611.

XXIII. *Epistola ad Cardinalem Peronium.*

XXIV. *Exercitationes* XVI. *ad primam partem Annalium Baronii*, 1614.

XXV. *Præfationem in Martialem Scaligeri*: item *aliam in Scaligeri Posthuma; Notas in veterem Inscriptionem*, & si quæ alia minuta, non referimus in hunc censum.

Solebat Pater dicere, hæc à se edita non esse multesimam partem ingentium suarum vigiliarum. Meritò certè; tam multa, tam varia erant, quæ meditatus erat, & brevi tempore potuisset absolvere. Nullum ferè librum legebat, saltem accuratius, in quem multa non notaret; Veteres autem plerosque perpetuis Notis illustravit. *Adversariorum* plures confecerat Tomos, è quibus Miscellaneorum, Variorum, & similis argumenti libros nullo negotio depromere poterat, si fuisset animus. Nunc certa quædam nominabimus, *quæ promiserat*, & si Deus vitam suffecisset, erat editurus: non omnia autem nunc nobis occurrunt.

De Venatione Amphitheatrali & Ludis Circensibus ampli Commentarii.

Liber de Magistratibus Romanis. Hujus quantum perfecerat, penes me est.

Commentarii in Ciceronis Epistolas ad Atticum. Hos didici ab aliis eum ad prælum paratos habuisse: ego aliquam partem habeo. *Epistol.* 237.

Liber accuratissimus de Critica: in quo etiam Hebræorum Criticam fusè explicabat.

Ingens Commentarius de Re Vestiaria, cujus pars erat Liber *de Coloribus.* Item alius *de Lectis* & *Veste stragula.* Utrinsque rudem indigestamque molem habeo.

Commentariorum, sive, *Observationum ad Polybium lib.* XVII. item *Notæ ad Legationum Excerpta, & Dissertationes Polybianæ, quibus scientiæ militaris usus explicatur.* De his sic ipse in Præfatione ad Regem: *Prætereà cùm*

in

in ejus libris, Polybii, *& multæ & magnæ difficultates reperirentur, quæ Lectorem in Græcis literis, rebusque antiquis, præsertim bellicis, minus exercitatum remorari, & lectionis fructum omnem poterant impedire, nos studio & diligentiæ contentione effecimus, (efficere certè conati sumus) ut omnes sive rerum, sive & verborum obscuritates tollerentur, omnes remoræ amoverentur, omnia denique plana & facilia redderentur.* Hoc præstabant Commentarii & Notæ: *Quin etiam memores eum Authorem interpretari nos, qui tot locis profitetur, sicut ostendimus, id agere, ut in Historia scribenda artem quasi quandam rerum gerendarum studiosis traderet; ipsi quoque ad istud inceptum hoc proposito atque hoc animo nos accinximus, ut eorum potissimùm adolescentium studiis inserviremus, qui ad negotia sese parant. Itaque in horum spem gratiæ parum adhuc usitatum istiusmodi Scriptoribus explicationis genus (absit verbo invidia) aggressi, rationem iis indicavimus, ac veluti præire viam studuimus, quam si ingredi voluerint, certè ex historicis monumentis fructum, & ad rationes vitæ nequaquam pœnitendas utilitates poterunt referre.* Hæ erant Dissertationes. Erat hoc sine dubio omnium, quæ unquam susceperat, si fortè illud excipias, cui immortuus est, opus multò maximum & laboriosissimum. Omne genus militiæ recentioris & antiquæ, Græcæ, Romanæ, aut aliis gentibus usitatæ, ex Hebraicis, Græcis, Latinis, Gallis, Italisque Scriptoribus ad illustrationem v. libri diligenter erat explicaturus. In Dissertationibus autem, præcepta & observationes militares ex optimis omnium temporum Scriptoribus erat traditurus, tum nobilissima quæque bella ac prælia expensurus, cum rationibus & caussis variorum & improvisorum eventuum, nihil denique toto illo opere omissurus, quod ad usum aut scientiam rei militaris ullo modo pertineret. Additurus erat, atque unà editurus, librum singularem *de Vita Polybii*, & *Diatribam de optimo genere interpretandi* ex una in alteram linguam; quâ prætereà de omnibus Antiquorum ac præcipuis Neotericorum versionibus agebat accuratè, & judicium suum exponebat. Horum omnium nihil reliquit: nihil ego quidem habeo, præter indigestarum Notarum, & Excerptorum ad id propositum ex omni ferè librorum genere immensam sylvam; ex qua tamen parem eum fuisse tantis incœptis facilè, nec sine admiratione cognoscas. Pauca quædam sunt nuper edita è primo *Commentariorum libro*; quibus tamen nondum ultimam manum imposuerat. Nonnulla etiam sunt hic & illic omissa, ut reperi diligenter illa conferendo cum autographo.

Tractatus de Doctrina Hildebrandina.

Confessio Fidei, ex Chrysostomo collecta.

Disputationes duæ: prima de Transsubstantiatione; *secunda*, de Sacrificio Christianæ Ecclesiæ.

De Vita & Obitu Arnaldi Casauboni brevis narratio, opposita mendaciis nebulonis Jesuitæ, Andreæ Eudæmon-Joannis, Græculi Cretensis, Parricidarum patroni.

Vestigia linguæ Hebraicæ in Græca, sive accuratissimam Græcarum vocum ab Hebraica lingua derivatarum collectionem & examinationem, an aliquando promiserit, incertum mihi: fuisse tamen editurus ex eo videtur, quod reliquit ejus operis.

Hæc omnia & alia quoque, mors ejus immatura, & acerba utcumque in ætate provecta nobis invidit. Utinam saltem eorum, quæ reliquit, pars magna non omnino perierit, & in illorum manus venerit, qui aut prement malignè, aut in proprios usus abutentur, atque depravabunt. Ego omnia quæ habeo, curæ diligentiæque optimæ & venerandæ Matris accepta fero, quæ semper cavit sedulò, ne de iis parum sollicita videretur, quæ ad mariti memoriam famamque pertinerent. Mariti, cum quo concordiæ, mutuæque charitatis raro exemplo tamdiu vixit, quem mortuum nondum pia uxor eluxit, &, quantum Christiana pietas patitur, nunquam desiderare desinet. Habeo quoque, ne quid omittam, multas Patris Epistolas, inter illas Græcas quasdam & Hebraicas; quas omnes ut ille non scripsit edendi animo, ita nulla me religio prohibet eas edere, quotiescunque res tulerit, aut occasio aliqua postulaverit. De *Ephemeridibus* etiam, quia earum non semel antè mentionem fecimus, sunt pauca dicenda. Quod illæ genus scripti, nomen ipsum indicio est. Quod egerat, quod legerat toto die, paucis verbis in illas plerunque referebat, & acti temporis rationem à seipso exigebat: quædam quoque prolixiora ex variis occasionibus, quæ meminisse juvaret, inserebat. Ego nihil ex iis protuli, quæ non cuivis sim paratus ostendere, ut alia quoque multa ad illud propositum facientia, quæ studio brevitatis omisi. Cœpit eas scribere anno ætatis trigesimo nono. Cæterùm ea in illis pietas, is veri zeli fervor elucet, quem ego non puto

puto posse pro merito prædicari; cui etiam vitam ipsius & facta concinuisse notum est omnibus, qui ipsum non ignorarunt. Hac enim ille inprimis virtute se censeri voluit; reliqua non tanti faciens, eamque adeò suis liberis, dum vixit, & verbis & exemplo suo commendavit, ut nullâ re magis à Patre degeneres se probaturi sint, quàm si languere in ipsis studia pietatis, & zelum veræ religionis arguantur.

Jamque habes, amice Lector, quibus ego parentare memoriæ μακαρίτȣ Patris mei sum coactus: coactus, inquam, nisi pii filii existimationem decoquere vellem. Quo tamen in negotio moderationem & modestiam adhibui quantam maximam sine caussæ detrimento potui. Quod ipsum melius fortasse scient adversarii, si pertinaci malignitate provocare, neque ipsi, quàm fuere hactenus, modestiores evadant. Habeo enim alia multa, quæ nunc condonabuntur, quæ proferentur pòst, si pergant lædere. Quare eos ego, ut verbis Comici * loqui pergam,

Dehinc ut quiescant porro, moneo, & desinant
Maledicere:

aut si maledicta continere nequeant, saltem ut iis vivos & responsuros petant, cum larvis luctari desinant, suam defunctis pacem, requiemque, divinis & humanis omnibus legibus sancitam, non invideant.

* Terent. in Prolog. Andriæ.



MERICI

MERICI CASAUBONI,
ISAACI FILII,
VINDICATIO PATRIS,
ADVERSUS
IMPOSTORES,
QUI LIBRUM INEPTUM ET IMPIUM,
DE ORIGINE IDOLOLATRIÆ, &c.

nuper sub ISAACI CASAUBONI *nomine publicarunt.*

SERENISSIMO, POTENTISSIMOQUE MONARCHÆ, JACOBO, DEI GRATIA, MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, ET HIBERNIÆ REGI.




Cceptum fero Majestati Tuæ, Rex serenissime, hoc, quicquid est, quod in defensionem Patris paucis diebus expedivi. Nam postquam Majestatem Tuam Casauboni *injuriâ graviter commotam, & in Impostores authoritate Tuâ animadversum esse intellexi, puduit me filium ad Vindictam Patris nihil conferre, & officio tam pio, quantum in me facultatis erat, non impendere. Sed non tàm hominis, quàm Veritatis ipsius hìc res agitur; quam ab inconsiderati zeli Scriptore, quamvis in bona caussa, pessimè acceptam valde indignatus es. Æquiores erunt Tibi posthàc Adversarii, si eorum mendacia detexeris, quibus ad partes suas tuendas uti solent, quum mendaciis ipsos oppugnari nolueris ab iis, qui bonarum partium defensionem suscepisse videbantur. Fruantur illi suo sensu, quibus omnia placent, quæ patrocinium promittunt ejus Religionis, quam ipsi profitentur: at dignum erat eo Principe, in quo cum purioris Religionis zelo summa certat eruditio, specioso titulo tectas falsitates deprehendere, & deprehensas abominari. Felicem caussam nostram, Te Vindice! Quis enim dubitet, eam esse veram doctrinam, pro qua pugnare non licet, nisi Veritatis armis? Offero igitur Tibi, Rex serenissime, hæc à me scripta pro Veritate, non ideò tantùm, quia jam Tua fuerunt, priusquam publici juris essent facta; sed ideò potissimùm, ut authoritatem tùm acerrimi judicii Tui, tùm supremæ potestatis Impostoribus opponam, qui ausi sunt librum pseudepigraphum illustrissimi, & pientissimi Principis patrocinio commendare. Deus Te, Rex maxime, Regnis hisce Tuis, & Ecclesiæ suæ, omni felicitatis genere florentem longùm servet incolumem.*

Serenissimæ Tuæ Majestatis

Servus, & Subditus humillimus

MERICUS CASAUBONUS.

MERICI CASAUBONI VINDICATIO PATRIS, ADVERSUS IMPOSTORES, QUI LIBRUM INEPTUM ET IMPIUM, DE ORIGINE IDOLOLATRIÆ, &c. *nuper sub* ISAACI CASAUBONI *nomine publicarunt.*

Uantis, & quàm variis injuriis sint obnoxia defunctorum non obscura nomina, utinam aliundè potius discere me contigisset, quàm ex exemplo domestico! Probè mihi videbar officio defunctus, qui variis eorum calumniis responderam, qui, militantes sub adversis vexillis, famam Patris hostiliter appetiverant. Sed hi, quia inimicos professi, quia in caussa ipsa palam contrarii, minus periculosi, minusque timendi videbantur. Nunc mihi cum iis hominibus res est, qui nihil minus quàm malevolentiam præferentes, aut odium, ad contumeliam Patris, ipso Patris nomine sunt abusi. Verùm, quò minor est injuriæ suspicio, tantò gravior injuria, (si sit aliqua) tantoque capitalior existimanda est.

Editus est liber paucis abhinc septimanis sub *Isaaci Casauboni* nomine. Argumentum si spectes, non alienum dicas à cæteris ejus tum scriptis editis, tum susceptis operibus, ut posteà videbimus. Si locum, quis expectet, ut *Londino* quicquam prodeat in opprobrium *Casauboni*, ubi quamdiu fuit, Regi maximo, & præcipuis Regni vixit charus, & jam defuncti memoria (liceat mihi dicere) apud bonos omnes pretiosa est? Qui verò libri editionem procuravit, sic in laudes *Casauboni* totus effunditur, ut non parum ad ejus gloriam suo præconio conferre voluisse videri possit. Verùm, si librum legas, ejusmodi facilè deprehendas esse, qui sine summa ejus infamia, atque dedecore, *Casauboni* credi non possit; ut qui crassissimæ ignorantiæ, malignitatis, & insolentissimæ in Religionis negotio * *φιλοκαινίας* notis sit refertus. Schismatici certè nomine, (ne quid dicam gravius) pœnâque dignissimus Author iste, quicunque fuerit; Ecclesiæ *Anglicanæ* non minùs infensus, quàm nomini Patris injurius.

* Cupiditatis innovandi.

Sed quò minùs mireris, Lector, non nova res est, non sanæ doctrinæ libros ab errore liberis, & rectè sentientibus adscribi. Jampridem usus est hac astutiâ de colluvie Hæreticorum pessimus quisque, ad insinuanda rudiorum animis pernitiosa dogmata, & simpliciores à recta via, magni nominis authoritate, seducendos. Inde est, quòd tot libri pestiferam doctrinam complectentes, sanctis & orthodoxis Patribus jam olim attributi, hodiéque sub eorum nomine non pauci circumferantur; multi, genuini illi quidem, primam si spectes originem; verùm ita posteà corrupti, & ab adulteris manibus inquinati, ut ipsis parentibus inficiandi sint meritò. Cujus rei fidem fecerit vel unus *Origenes*, qui cùm maximis Hæresiarchis jampridem accensitus sit, à non paucis tamen, recentioribus pariter & antiquis, pro orthodoxo acriter est defensus; multa, confirmantibus illis, ab Hæreticis ipsi falsò esse adscripta, librosque ejus, sinceros alioquin, & ab hæresi puros, passim incrustatos esse; ut de veteribus ejus Apologistis, *Hieronymus*, *Vincentius Lirinensis*, & alii memoriæ prodiderunt.

Sed ne longum faciam, sive è prioribus sæculis, sive è præsenti tempore petantur hujus generis imposturæ exempla, ausim dicere, nunquam majori fraude, vel insigniori audaciâ esse suppositum

positum cuiquam spurium fœtum, quàm sit liber iste *Casaubono*. Quo consilio id factum sit ab iis, qui authores tantæ fraudis fuerunt, quidve eos præcipuè ad tam indignum facinus impulerit, plura cogitantibus occurrunt. Intentatum hoc Ecclesiæ telum à clandestino aliquo, & subdolo hoste, non immeritò suspicetur aliquis. Fortasse aliquis privatum exercens odium, Patris existimationem lædere sic conatus est. Aut potius, nactus aliquis literarum rudis, * αἰσχροκερδὴς librum jam olim editum, quem magni pretii judicabat, neque facilè reperiri posse compererat; eum librum, pactus cum sordido aliquo Typographo, sub celebris alicujus viri nomine publicari curavit, lucrum sperans è librorum pretio non exiguum. Quod ultimum sanè, (utcunque se cætera habeant; potest enim occultius aliquid hîc subesse) illi, ad quos pertinebat de re tota cognoscere, compererunt esse verissimum.

* *Turpi lucro assuetus.*

Quis interim conditionem horum temporum non deploret, cùm homines, non tantùm † ἄμυσοι καὶ πλέως ἀγράμματοι, sed etiam impuri & infames, de libris, qui publicè prodesse queant, lucemque mereantur, sumunt sibi judicium? Infelicem Theologiam! quæ miserorum portus, & refugium esse cogitur; quæ negotiatorum genus illiberale, inter alumnos, invita licet, habeat; quam illi suo quæstui turpissimè prostituant. Cujus rei culpam apud ipsam plebem quodammodò residere magnoperè dolendum est, quæ postquam semel sibi persuasit, pietatis partem non minimam in sermonibus, & multæ lectionis ostentatione esse sitam, libris novis, non minus quàm Athenienses olim rumoribus, inhiat avida. Ut mirum nemini videri debeat, quotidie tot fœtus ‡ ὑπηνεμίας, & ἠλιτομήνους excudi, ubi tam multi sunt, qui nugas & quisquilias pretio redimere parati sunt. Sed ut mirum non sit, in eam spem falsarios adduci potuisse, ut imperito vulgo se facilè imposituros, fucumque facturos crederent; nonne omnem audaciam superat, quòd quos vindices timere debuerant, eos quoque fallere, testes ac patronos suæ fraudis advocare non sint veriti? O sæculi licentiam! ausum esse tenebrionem, malis duntaxat artibus nobilem, librum, de quo sibi summæ imposturæ, ac admissi stellionatus erat conscius, pientissimo, ac veritatis amantissimo Principi, & de Procerum quàm plurimis, spe mercedis amplæ, nuncupare! Sed misso hoc plano, nugarumque institore nebulone, ut ad librum ipsum veniamus. Equidem puto esse neminem ex eruditioribus tam naris obesæ, cui præsertim *Casaubonus* planè vel è vita, vel è scriptis non ignotus fuerit, qui lecto libro fraudem statim non agnoscat, & falsariorum scelus non execretur. Poteram igitur hoc labore supersedere, si liber in eorum tantùm manus pervenisset, qui de rebus hisce judicare, verisque falsa dignoscere didicerunt. Verùm quia liber linguâ vernaculâ editus, ab imperita turba cupidè arreptus est, jamque teritur in vulgi manibus non sine laude, multorumque temeraria approbatione; ut & ignaros ab errore liberem, Patremque ab iniqua suspicione vindicem, paucis examinandum librum suscepi, ut sub veris eum coloribus, absterso fuco, omnibus spectandum proponam.

† *A Musis, & literis penitus alieni.*

‡ *Evanidos, & abortivos.*

Ac de ipso quidem vero libri parente, quis ille sit, ater an albus; vivat, an secus; Gallus, an Anglus; planè nihil mihi constare, ac ne levissimâ quidem rumoris aurâ subaudisse me, seriò profiteor: ne fortè privatæ alicujus simultatis, aut malevolentiæ suspicioni sit locus, si dum Patrem justis armis defendo, in ignotum Scriptorem quibusdam videar inclementior. Ad religionem ejus quod attinet, non dubito multis facturum satis, si dicatur, eum non fuisse Pontificium; contrà verò, illis partibus infensissimum: illis, inquam, hoc satisfacturum, fortasse & laudes Authoris expressurum, facilè crediderim, qui eum continuò putant Orthodoxum, qui se Papistis profiteatur adversarium, & ex odio cujusque in dissentientes, integritatem fidei solent æstimare. Adeòque nunc vereri subit, ne quia librum contra Missæ sacrificium, ut promittit titulus, neque ipse probo, neque Patris agnosco fœtum, & Pater, & filius tanquam * ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensi, à zelotis nonnullis pro puris putis Papistis habeamur. Etsi autem grave esset, ullius omnino infirmioribus Ecclesiæ membris occasionem scandali præbuisse; plus tamen apud me valere debet amor veritatis ad ejus defensionem suscipiendam, quàm quorundam depravata judicia ad deterrendum ab incepto. Optimè, meo judicio, quisquis ille fuit, primus virtutem qui definivit esse, quod in medio vitiorum ab utrinque reductum esset; quod non de practicis, ac moralibus tantùm, sed mentis quoque quibusdam virtutibus rectè dici potest; cujus est propria veritatis cognitio. Hanc igitur qui sectantur in Religionis negotio, eos duobus extremis esse contrarios, & à duobus extremis pariter oppugnari non est

* *In ipso crimine.*

mirum. Qui sic autem medius est, etsi opinionibus distet fortasse ab utraque crepidine, vinculo tamen charitatis cum extremis utrinque conjungitur. Neque aliam ob caussam magis invisus est turbulentis ab utraque parte, quàm quòd inter dissidentes pacem ac concordiam procurare, ingentis scissuræ partes adducere, iterumque in unum corpus compingere totis viribus adnitatur. Quam jam olim sæculi sui miseriam vetus Pater deplorabat his verbis, quæ mirè temporibus hisce nostris conveniant: * ὅσον δὲ (inquit ille, postquam de partium studiis egisset) εἰρηνικόν τι καὶ μέσον, ὑπ' ἀμφοτέρων πάσχει κακῶς, ἢ καταφρονούμενον, ἢ καὶ πολεμούμενον· ὧν καὶ ἡμεῖς ὄντες σήμερον, &c. *Quicunque, medii inter extrema, pacem sectantur, utrinque incommodantur, dum vel habentur contemptui, vel oppugnantur. E quorum numero cùm nos simus*, &c.

* Nazianzenus. ὕμν. γ.

De Pontificiis jam non est dicendi locus. Cum eo hominum genere mihi res est, qui cùm hoc unum studeant, ab adversariis quàm longissimè recedere, veri quoque limites imprudenti fugâ prætergressi sunt. Hi sunt, qui fastu atque arrogantiâ incredibili omnem Antiquitatem contemnunt; qui veteres sanctosque Patres grandi supercilio despiciunt; omnia veteris Ecclesiæ instituta abrogare, atque antiquare, diligenti operâ studioque satagunt. Ipsi novas leges condendi, ritus prioribus sæculis inauditos instituendi, atque invehendi pro libitu, quasi Reipublicæ Christianæ constituendæ perpetui Dictatores essent creati, jus sibi vindicant. Cùmque nihil omnino velint Ecclesiæ paci atque concordiæ concedere, nullam publicæ tranquillitatis habeant rationem; zelum tamen jactantes, & suæ libidini prætexentes, æstimationi suæ consulere conantur. Ex hoc numero illum fuisse, quisquis est Author hujus libri, quem *Isaaco Casaubono* Impostores adscripserunt, cumque non è gregariis infimum militem, sed primi ordinis antesignanum, nemo, puto, dubitaverit, qui librum percurrerit, atque ex infinitis locis rei fidem manifestam facientibus, ad nonnullos aliquantò sagaciùs adverterit. Adeò vix aliud hujus generis exstare scriptum putem, quod Authoris sui insolentiam, proterviam, pari temeritate junctam, clariùs & evidentiùs arguat. Dicas eum toti Antiquitati bellum indicere, atque immani furore novitatis actum, omnia majorum instituta, priscasque consuetudines abolere voluisse. Et est quidem contra Pontificios liber inscriptus; sed rebus ipsis Ecclesiæ Primitivæ non minùs adversus, & infensus, quàm Pontificiæ. Cùmque Ecclesia Anglicana, rescissis iis, quæ malo exemplo sequioribus sæculis irrepserant, ritus multos veteris Ecclesiæ, & instituta sanctissima retinuerit, hic illa quoque scilicet per Pontificiorum latus, tanquam per cuniculos, invaditur; tantò periculosius, quantò dolosius & occultius. Sit igitur hoc primum, quodque familiam ducat, argumentum, ad ostendendum *Casaubonum* libri istius Authorem non esse, nec esse potuisse. Quis enim unquam majori reverentiâ canos Antiquitatis prosecutus est? Quis antiquos Patres, sine divini & αὐτοπίστου Verbi injuria, majoris fecit? Nam de Ecclesia Anglicana quid attinet dicere, cujus ille doctrinam, cujus disciplinam, ritus ac mores sic probavit, & amplexus est, ut in ea laudanda, ac variè deprædicanda nunquam sibi satisfaceret?

Si nulla superessent ejus monumenta, è quibus hic ejus animus colligi, atque demonstrari certò posset; at supersunt viri graves, & pii quàm plurimi, quorum fidem testarer, quoties illum in hanc mentem atque sententiam loquentem, fuséque disserentem audiverint. Sed non opus est eò confugere, cùm libri sint in promptu, qui confirmandæ veritati sufficiant. Quamvis enim nulla illi obtigerit occasio, cur hoc argumentum προηγουμένως, & ex professo tractaret; cùm tamen libri ejus ad Res Sacras, & Ecclesiasticas pertinentes, non modò nihil contineant alienum ab usu & consuetudine hujus Ecclesiæ, sed cum ejus Decretis, & Constitutionibus ubique congruant, easque pro re nata subinde propugnent; facilè percipiet Lector intelligens, quàm ille in hac Ecclesiæ forma libenter acquieverit. Neque desunt hujus rei certa quoque testimonia, opportunis locis in scriptis ejus occurrentia, os obturare vel impudentissimis idonea; ut cùm Regem serenissimum in Præfatione ad Exercitationes sic alloquitur: *Qui Ecclesiam habeas in tuis Regnis partim jam olim ita institutam, partim magnis tuis laboribus ita instauratam, ut ad florentis quondam Ecclesiæ formam nulla hodie propius accedat, quàm tua, inter vel excessu, vel defectu peccantes mediam viam secuta. Quâ moderatione hoc primum assecuta est Ecclesia Anglicana, ut illi ipsi, qui suam ei felicitatem invident, sæpè tamen ex aliarum comparatione illam cogantur laudare: deinde*, &c. Quibus & illa concinunt, quæ scripsit ad Cardinalem *Perronium*, Regis quidem serenissimi nomine, ut cætera illius Episto-

Epistolæ, sed ex animi quoque sui sensu, atque sententia, *certò, clarè ac liquidò sibi constare, si notæ ἐσώδεις quærantur, & verè necessaria ad salutem spectentur, aut etiam ad decorum Ecclesiæ, nullam in orbe terrarum (Deo uni sit laus, & gloria) inventum iri, quæ propiùs ad fidem, aut speciem antiquæ Catholicæ accedat*, &c. Non pigebit hîc judicium ejus de quibusdam ritibus apponere, quod, prout res tulit, inseruit *Ephemeridi* suæ, unde quid de cæteris senserit ejusdem generis, facilis conjectura.

Anno 1610. Pridie Kalend. Novemb. *Diem sacrum non male posui, Dei beneficio. Sum enim invitatus hodie, ut interessem sacris, quæ facta sunt ad consecrandos Episcopos duos* Scotos, *& Archiepiscopum* Scotiæ. *Vidi illos ritus, & impositionem manuum, & preces in eam rem. O Deus, quanta fuit mea voluptas! Tu, Domine Jesu, serva hanc Ecclesiam, & Catharis, qui ista rident, da bonam mentem.*

Pridie Non. Januar. (anno CIↃ IↃ CXI.) *Gratias tibi, Domine, quòd hodie ad Sacram Mensam sum admissus, & corporis Christi, sanguinisque factus sum particeps in Ecclesia Anglicana, cujus formulam heri diligenter meditatus admodum probavi, & ordinem agendi mirè laudavi præ recepta apud alios consuetudine.*

Sed non ex illis tantùm, quæ sunt Ecclesiæ Anglicanæ contraria, ad tuendum *Casaubonum* argumentum sumi potest, verùm ex iis quoque, quæ solos tangunt adversarios, & totius scriptionis genio, imposturam poterit quivis facili negotio deprehendere. Cui enim ignota est *Casauboni* inter agendum de rebus in Religione controversis summa moderatio, & æquanimitas? ut hanc illi quidam, quos præposteri zeli * θερμότης ἀπαίδευτος transversos agebat, etiam vitio verterent, & iniquæ suspicionis hinc ansam, aliter quàm par erat, arriperent. Verùm Patris hæc erat ratio, sicque in animum suum induxerat, & ad veritatem inveniendam, & revocandos, qui versantur adhuc in errore, viam certiorem, aut tutiorem esse nullam, quàm quæ duce, aut comite saltem moderatione & ἐπιεικείᾳ, positis affectibus, initur: cùm contrà putaret eos, quos diversæ rationes agebant, periculosam viam insistere, & dissentientes in errore magis magisque confirmare. Quod si quis in omnem recentiorum Scriptorum turbam sedulus inquirat, & eorum libros diligenter excutiat, non unum aliquem reperiri posse puto, qui sit efferato in adversarios odio, malignitate, & acerbitate cum hoc *Pseudo-Casaubono* comparandus; qui studio partium, & amori suæ caussæ licentiùs, aut puerilius indulserit. Nam quod, quæ verè reprehendenda erant, ea verbis acerbiùs & maledicentiùs exagitet, quàm decebat hominem moderatum, parum est, & condonari potest. At quod adversarios fictis quoque criminibus, calumniis & mendaciis infinitis obruere conatus est, planè ferendum non est, & indignum Christianæ veritatis assertore. Qui modus agendi cum adversariis, etsi fortasse * διαπύροις quibusdam zelotis, * ἐπιστήμης ἀγεύστοις non displiceat, prudentioribus tamen non potest non vehementer improbari; ut qui bonam caussam perdere magis, quàm juvare vel tueri sit idoneus. Nam si in Prævaricatores severâ lege cautum est, qui litis susceptæ præcipua justa reticentes, falsas tantùm criminationes, aut defensiones adferunt; quid de iis statuendum est, qui rei in Religione controversæ suscepto patrocinio, quæ maximè solida sunt, & præcipui momenti, aut spontè, aut per imperitiam omittunt; illis autem utuntur argumentis, quæ sunt † διεξέλεγκτα & † διανάτρεπτα? Nonne in hos quoque, tanquam bonæ caussæ proditores, animadvertendi jus idem, par caussa? Quid fingi possit aptius ad eorum animos alienandos, qui adhuc in diversis castris versantes, vi veritatis victi ad nostras partes jam propensiores inclinabant? *Caji Fabricii* virtutem Scriptores antiqui posteritati commendarunt, qui in ancipiti bello victoriam, quam ipsi proditoris unius perfidia offerebat, magno animo recusaverit. Non pudeat hodie Christianos cum Christianis de vera fide contendentes pejori fide agere, quàm soliti sint olim Pagani, proprium duntaxat honorem respicientes, & gloriam?

Ecquis erit igitur *Casaubono* tam iniquus, aut ab omni judicio tam derelictus, ut ab eo profecta putet, quæ furiosi Sycophantæ & impudentissimi calumniatoris ingenium sapiant? *Casaubono*, cujus æquitatem in Religionis negotio & ‡ συγκατάβασιν operosè velle probare, quam singula ejus scripta singularem fuisse prædicant, otio suo nimis abutentis esset, lucemque Soli fœnerare cupientis.

Etsi verecundiæ meæ non sit de Patris eruditione contendere, licebit tamen, opinor, salvo pudore dicere, eum non planè stipitem fuisse, & omnis literaturæ melioris expertem. Quod si mihi concedatur, non est quod verear, ne caussam meam difficulter obtineam,

* *Fervor expers doctrinæ.*

* *Ignitis.*
* *& quorum mens doctrinâ non est subacta.*

† *Refutari, & everti facilia.*

‡ *Condescensionem.*

neam, Patrisque nomen & famam è mangonum fraudibus asseram, qui hunc librum sub ejus nomine publicarunt, ubi stupor & ignorantia ita præter omnem modum superant, ut cùm omnia indoctissimum Scriptorem arguant, (si quædam excipias aliundè corrasa) multa sint, quæ miror à sanæ mentis homine proficisci omnino potuisse. Si sanæ mentis est dicendus, cujus mentem insani hujus zeli pestilentia semel afflavit.

Sed puto jam Lectorem expectare, ut earum rerum, quas Authori hujus libri hactenus objecimus, exempla aliquot ex ipso libro ad majorem fidem proferamus. Superest igitur, ut librum breviter percurramus, & loca, non refutandi animo, sed indicandi caussâ proponamus.

* Pag. 2. 3. &c. 8. 9. 21.

Primâ libri parte *, quæcunque sub *Veteri Testamento* vel contigerunt, vel instituta sunt à Deo, mysticam aliquam, typicamve significationem habentia, ea pleraque recenset omnia, & enumerat, ut arbores vitæ, & mortis; scientiæ boni & mali; arcum in nubibus; panes azymos; nubem, quæ Israëlitis luce præibat; flammam, quæ nocte; Maris Rubri divisionem; cœlestem Mannam; aquam ex rupe; Oblationum diversa genera; Templum Hierosolymitanum; Sacerdotum vestes; aquam lustralem, &c. atque hæc omnia, vera & propria *Veteris Testamenti* Sacramenta fuisse, non minus atque Circumcisionem, & Pascha, non uno loco docet: quorum ad instar sint instituta duo illa *Novi Testamenti* Sacramenta, Baptismus, & Eucharistia. Quàm lata sit Sacramenti acceptio, non ignoro. Sed neque hæc omnia promiscuè sunt à Veteribus unquam (quod sciam) in Sacramentorum numerum relata: & dum hujus Authoris verba & orationem diligentius expendo, hunc illius scopum fuisse certissimâ illatione deprehendo, ut dum quævis *signa sacra*, vera fuisse Sacramenta differit, vera *Novi Testamenti* Sacramenta, mera tantùm esse signa persuadeat. Neque sanè aliud colligas ex iis, quæ passim de sancto Eucharistiæ Sacramento dicit.

Quamvis enim nonnunquam longè aliter sentire videatur, verbis his utens, *verè ac realiter*, non tamen aliter ea tribuit Eucharistiæ Symbolis, quàm omnibus illis *Veteris Testamenti* sacris signis sive Sacramentis; neque realiter exhibendi, sed significandi tantùm, ut pag. 36. vel realiter significandi, ut pag. 81. vim in illis agnoscit. Quâ nitens ratione, scilicet nihil amplius esse in Eucharistia, quàm fuerit in illis signis, Transubstantiationis commentum, stolidissimum alioquin & insulsissimum, nervosè putat se refellere, quia nullam fuisse probat * in arbore scientiæ boni, & mali; nullam in Manna, vel rupe salientis aquæ, vel æneo Serpente, &c. transubstantiationem. Quasi facilè non esset adversariis *Augustini* verbis, & verè respondere: † *Prima Sacramenta cùm suo adventu Christus implevisset, ablata sunt, & alia sunt instituta; virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Ut igitur paucis absolvam: Hæc ejus doctrinæ summa videtur esse, Realiter nos, credendo, Corporis & Sanguinis Christi fieri participes, atque cum ipso conjungi: hujus autem nostræ cum Christo conjunctionis, & Communionis signa seu Symbola esse in Eucharistia; quæ nos non tantùm signa, sed instrumenta ipsa, mediaque, per quæ Christo conjungimur, esse credimus. Hæc doctrina veteris Ecclesiæ; hæc Ecclesiæ Anglicanæ doctrina; hæc *Casauboni* denique fides fuit: quem vide in Exercitationibus ‡, & in Epistola ad Cardinalem Perronium. Porrò qui sic abjectè de hoc Sacramento sentiant, eos non mirum nihil in eo reperire, quod mirentur, ut hic Scriptor alicubi innuit, nonnulli autem multò audacius affirmarunt. At pii Patres ⊥ φρικτὸν hoc μυστήριον appellare consueti, nunquam sine sacro horrore de re tanta cogitari voluerunt.

* Pag. 85. 86.

† August. contra Faustum, lib. 19. cap. 13.

‡ Exercit. XVI. num. 47.

⊥ Tremendum.

Capite tertio *, ostensurus quàm fuerint omni tempore sacra signa & sacrificia variis corruptionibus, & depravationibus obnoxia, nullo judicio cumulat diversissimi generis peccata, quæ tamen omnia vult ad Sacramenta propriè pertinere: ut fastidium Mannæ, atque inde secuta populi murmura; *Hacanis* peccatum; filiorum *Eliæ* impietatem; *Uzzæ* temeritatem, & alia id genus, quibus & *Jephtæ* votum, & *Gideonis* amiculum pro Sacramentorum corruptelis annumerantur. Huc etiam refertur ab eo †, quod dicitur 2. *Reg.* 17: 17. Israëlitas filios & filias per ignem transmisisse, quem hic noster, purgatorium ignem vocat, atque hinc hodiernam Alcoranistarum, & Mahumedanorum de Purgatorio opinionem derivatam esse pronunciat. Per Alcoranistas autem, Pontificios intelligit. Nam sic eos alibi ‡ vocat, & Pontificiorum libros rituales, ut *Durandi*, *Titelmanni*, &c. Alcoranos appellare solet. Capite septimo ⊥, citat Author Commentarios suos Ecclesiasticos, ad quos Lectores ablegat; quorum iterum mentio fit pag. 50. Benè est, undique nobis argumenta suppetere, unde Imposto-

* Pag. 10. 11. &c.

† Pag. 15.

‡ Vide pag. 63. 65. 66. 70. &c.

⊥ Pag. 29.

postorum fraudes detegamus. Nam cujuscunque tandem sint illi, *Casauboni* certè nulli extant, nulli unquam extiterunt Ecclesiastici Commentarii. Sed valdè vereor ne gemini sint isti Commentarii alteris illis *Elasopolitani* Commentariis, unde profitetur Author hujus libri in Præfatione ad Lectorem, omnia se habuisse, è quibus hoc quicquid est operis concinnavit nobis, & adornavit; quos, puto, nemo unquam vidit, aut visurus est. Ita saltem ignoti, atque inauditi sunt, ut *Elasopolitani* nomen omnium doctorum auribus, quos percunctari mihi licuit, peregrinum ac planè monstrosum acciderit.

Eodem capite inter superstitiosos Baptismi ritus jam olim admissos, * Inunctionem, Exsufflationem, & Exorcismos enumerat; qui etiamsi, cùm tandem in superstitionem ridiculam degenerassent, ab Ecclesia Anglicana meritò sint abrogati; quia tamen eos constat antiquissimos, non erat hominis modesti tanquam *abominabiles*, ut erant in usu Primitivæ Ecclesiæ tempore, insectari. Nunquam sanè sancti Patres, *Cyrillus*, *Basilius*, *Ambrosius*, *Augustinus*, & alii, non paullò meliores, ni fallor, pietatis magistri, quàm nuperi zelotæ, eos admisissent, aut jam receptos approbassent, si ad adulterandum verum Baptismi usum, primamque institutionem, quod hic Author asserit, primùm fuissent excogitati. *Casaubonus* autem nunquam sic de ritibus hisce pronuntiasset contra Veterum consuetudinem, qui quantum Patribus deferret, majoris in momenti rebus ostendit. Sed hîc prætereundum non est stuporis hujus malè feriati Scriptoris, simul & malignitatis exemplum cum primis insigne: † *Quare*, (inquit) *ô Missalistæ, olea vestra in sacrum Baptismi Sacramentum intrusistis*, Marci & Marcosii *hæresin imitati*, *qui baptizandos prius ungi præceperunt*: in margine nos adire jubet ad *Epiphanium*. Μάρκος δέ τις, ἀφ' οὗπερ Μαρκώσιοι καλούμενοι, ait *Epiphanius*. Marcus *quidam*, *à quo* Marcosii *dicti sunt*. Jam quis prodigiosam hanc hominis hallucinationem non admiretur, qui ex denominativo proprium nomen fecit, haud secus, ac si quis diceret, *Arrium* & *Arrianum* fuisse infames Hæreticos. Quid autem *Marcosiorum* deliria ad Orthodoxorum Veterum consuetudinem? cùm *Marcosii* oleum, non ut indifferentem Baptismi cæremoniam adhiberent; sed ita in ipsa unctione Sacramenti vim ponerent, ut essent ex iis, qui sacris suis initiandos, oleo more suo delibutos, non omnino baptizarent. Τὸ γὰρ ἄγειν ἐπὶ τὸ ὕδωρ ἔνιοι αὐτῶν περισσὸν εἶναι φάσκουσιν, ut ibidem testatur *Epiphanius*: *Ad aquam ducere quidam eorum dicunt esse supervacaneum*. Paucis interjectis, petulanter invehitur * in Antiquos, quasi mulieribus baptizare permisissent: quod est falsum. *Tertullianus* de Veland. Virgin. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui; sed nec docere, nec tingere*, &c. In extremæ necessitatis casu Laicis id licuisse, idem *Tertullianus* author est. Unde Ecclesia Anglicana, Laicorum & mulierum Baptismum, etsi non probat, irritum tamen esse, & nullo loco habendum, cùm urget necessitas, non credit. Impius autem & scelestus est hic *Pseudo-Casaubonus*, qui audet objectâ societate ac imitatione Montanistarum, Marcionistarum, Cataphrygianorum, & similis vesaniæ Hæreticorum, qui mulierculis, iisque scortis suis omnia licere voluerunt, integritatem veteris Ecclesiæ Catholicæ maculare.

Octavo demum capite, quasi pertæsus nimiæ verecundiæ; γυμνῇ, quod ajunt, κεφαλῇ, & projecto pudore in venerandam Antiquitatem incipit irruere; atque egregiâ primùm ratione viam sibi munit ad impudentiam: *Nam quum*, inquit, *jam Apostolorum temporibus errores invaluerint*, *nemo deinceps miretur Apostolorum successores usum ritusque Sacramentorum corrupisse*. Quasi eadem res esset † συγχρόνους Apostolis Hæreticos aliquos extitisse, & ipsos Apostolorum successores Hæreticos fuisse. Hæresis enim jam ab initio, aut non multò pòst cœpisse, nemo negaverit. At si illi, qui immediatè post Apostolos Ecclesiæ præfuerunt, immunes ab hac labe non fuerunt, quid de cætero corpore, & posterioribus sæculis est sperandum? Quare, quod iterum post pauca repetit ‡, varias, vel *infinitas* etiam corruptiones ab ipsis Ecclesiæ primordiis irrepsisse, non gravatè concedimus: at non illæ sunt (quod ipse vult) ab Ecclesia Catholica receptæ, non à sanis ejus membris, sanctisque Præsulibus approbatæ. Profitetur Ecclesia Anglicana, se primorum quatuor sæculorum doctrinæ assentiri, ac firmiter adhærere: quod Patres illorum temporum de communi consensu tradiderunt, & docuerunt, probat atque amplectitur: quod illi non docuerunt, populo proponi vetat, ut credi necessarium: quod patet ex aureo illo Canone (ut *Casaubonus* appellare solitus) anni 1571. cui omnes Regni Episcopi

* Pag. 27. & 28.

† Pag. 28.

* Pag. 29.

† Coætaneos.

‡ Pag. 32.

in legitima Synodo congregati subscripserunt, quo tenentur Concionatores, *Nihil unquam docere pro concione, quod à populo religiosè teneri & credi velint, nisi quod consentaneum sit doctrinæ Veteris & Novi Testamenti; quodque ex illa ipsa doctrina Catholici Patres, & veteres Episcopi collegerint.*

Verùm, quæso, quæ sunt hæ tantæ veteris Ecclesiæ corruptelæ, propter quas hoc Antiquitatis flagellum tantos tumultus excitavit? *Statim*, inquit, *post Apostolorum tempora, de certo tempore, quo celebrandum esset Eucharistiæ Sacramentum, cœperunt inter se contendere: tunc festos dies instituere, & solemnia jejunia indicere.* Constituta celebrandæ Eucharistiæ tempora à Primitiva Ecclesia, aut ex ea re contentiones inter Episcopos exortas esse, nullo idoneo teste probari posse, sed vani hominis esse commentum reor. Nam in tanta primæ illius ætatis innocentia non modò quemvis diem, sed omnem quoque diem sacræ huic functioni fuisse proprium, & quotidianam, ut plurimùm, fuisse Eucharistiæ perceptionem, testes sunt antiqui Patres, & alii Scriptores. Longo pòst tempore, defervescente pietate, contemptui tantæ gratiæ legibus occurrere necessarium fuit. Tunc designata tempora, quæ vel maximè aversos obligarent. Sed hic asinus, inter eos agens fortasse, quibus semel in anno communicasse satis est, quod de Paschali solennitate legerat, de cujus tempore diu variatum est, quasi prorius ille, & unicus Eucharistiæ celebrandæ dies fuisset, ad Sacramenti percipiendi tempus ineptissimè transtulit. *Atqui* (pergit ille) *de statis jejuniis, aut diebus festis nihil nobis Apostoli scripto reliquerunt.* At non ita *Casaubonus* in re, quæ de fide non esset, argumentaturus erat; qui *S. Augustini* regulam sæpè laudavit: * *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolicâ authoritate traditum rectissimè creditur.* Et de magnæ Hebdomadis ante Pascha observatione non veritus est scribere in Exercitationibus †: *Ego sanctissimam illam consuetudinem jam inde ab Apostolorum temporibus initia habuisse, aut non multò pòst, facilè crediderim.*

* Augustin. de Bapt. contra Donat. lib. 4. cap. 24.

† Exercit. pag. 671.

Eodem capite ‡ dicit *Alexandrum*, primum ejus nominis Papam, à *Petro* quintum (ut testatur *Eusebius* Historiæ Ecclesiasticæ lib. 4. cap. 1.) & martyrio coronatum, ut alii scribunt; eum, inquam, *Alexandrum* dicit, ut Christi leges refigeret, primùm in Eucharistia vinum aquâ miscuisse. Ad hanc consuetudinem quod attinet, quæ praxis veteris Ecclesiæ fuerit, quid ea de re *Cyprianus* & *Augustinus* dicant, gnaris Antiquitatis ignotum non est. Porrò autem scribit ex hac consuetudine *abusum* etiam (sic enim vocat) illorum manasse, qui imbutum in tenerorum infantium sanguine panem comedentes, Eucharistiæ sacra peragebant. O detestandam hominis impietatem, qui universæ tunc Ecclesiæ consuetudini nefariorum hominum, nomine quidem apud imperitum vulgus, sed re ipsâ nihil minùs quàm Christianorum, horrendum scelus adjungat, & sceleris caussam innoxiis adscribat! Sic olim Gentiles, quicquid flagitii pessimi mortalium, sed vulgò Christiani crediti admittebant, veris Christianis imputabant; ut toties questi sunt ævi illius Scriptores. Adeò autem verum est, hoc impiorum hominum infanticidium ab ista Ecclesiæ consuetudine fluxisse, ut ejus originem à *Simone Mago* non pauci repetant, qui *Alexandro*, quem primùm aquam vino addidisse Scriptor hic memorat, toto sæculo prior fuit. Ejusdem quoque *Alexandri*, Judaicas cæremonias in Ecclesiam quasi postliminiò revocantis, inventum esse asserit, usum panis azymi in Eucharistia: ut mirum sit, hominem Genevense tribunal non reformidasse, apud quos obtinet adhuc vetus illa consuetudo.

‡ Pag. 33.

Capite nono, ut aditum sibi ad sequentia faciat ‡, προθεωρίας loco de veterum Romanorum religione & cæremoniis agit. Quod argumentum ita tractat, ut eum decuit, qui quantum habet in Antiquitate notitiæ, totum è recentioribus aliquot Scriptoribus, *Blondo*, *Alexandro*, & similibus hausit; quos ille Authores de rebus antiquis, tanquam testes omni exceptione majores passim citat; in hoc uno laudandus, quod per quos profecerit, ingenuè profitetur. At *Casaubono* hæc agendi ratio quàm bene conveniat, à nuperis, inquam, Scriptoribus totum pendère, neglectâ meliorum lectione, dicant harum rerum judices idonei.

‡ Præla consiтеationis.

Omninò autem requirebat ipsius institutum, ut Romanorum ritus sacros, & cæremonias exponeret, è quibus quæcunque fiunt in Missa, deducere, atque Paganismi convincere suscipit. Quod propositum quàm sit laudandum, viros probos, ac moderatos fero judices. Nam alioquin hunc non primum, aut saltem non unicum hoc attentasse, non me latet; qui sciam repertos

pertos esse, qui omnem Pontificiorum religionem in fide & cæremoniis ad Turcas aut Paganos referrent. *Casaubonum* verò ab hoc animo vehementer abhorruisse mihi constat, qui nec tam fuit ineptus, ut hoc ipse crederet; nec tam malignus, ut credi vellet ab aliis. Quæ non eò dicuntur à me, quasi multas ac detestandas Papismi superstitiones excusare vellem; minimè verò. Sed aliud est, errores & corruptelas ad suam originem bonâ fide revocare, quod multi præstantissimi viri feliciter aggressi sunt; aliud ad invidiam conflandam omnia putidissimè detorquere, & amarulenter exaggerare; quod omnium, qui in hoc opere desudârunt, Scriptor hujus libri facit impudentissimè. Cùm autem non pauca Ecclesia Anglicana in sua Liturgia ex Missa retinuerit, non potest illa tota Paganismi insimulari, sine summa hujus Ecclesiæ injuria. Sed in plurimis hoc scriptum Ecclesiæ Anglicanæ adversari jam monuimus, & res ipsa clamat. Quædam breviter indicabimus.

Capite octavo, Observatio Quadragesimæ inter instituta Christi præcepto
* *Pag.41.* contraria numeratur. * Templa, Sanctorum nomina præferentia, tanquam ad hominum cultum, non divini Numinis honorem erecta, sugillantur.
† *Pag.61.* † Preces & templorum situs ad Orientem, tanquam superstitiosè ab Hæreti-
‡ *Pag.51.* cis instituta condemnantur. ‡ Compellationes illæ personis Ecclesiasticis tribui solitæ, *Pater*, *Reverende Pater*, &c. ut è Gentilium consuetudine deri-
⸸ *Pag.41.* vatæ traducuntur. ⸸ Confirmatio parvulorum, ut otiosorum hominum com-
* *Pag.46.* mentum inane, exploditur. * Per latus Pontificis Romani omnis ordinum distinctio, & εὐταξία Ecclesiastica convellitur; æqualitas & ἰσοτιμία ministrorum Euangelii, tanquam divini juris
† *Pag.59.* adstruitur, & asseritur. † Usum vestis candidæ (quam *superpelliceum* vocant) in obeundis sacris, derivat ab
‡ *Pag.73.* Idololatris Egyptiis; & ‡ alibi, consuetudinis hujus authores spiritu *Numæ Pompilii* (quem magnum solet appellare) agitatos fuisse pronunciat.
⸸ *Pag.40.* ⸸ Omnis Templorum supellex, & ornamenta varia, ut argentea vasa, stragulæ vestes, & tapetes, damnantur, &
* *Pag.64.* irridentur. * Usum tàm pneumaticæ, quàm vocalis Musicæ in sacris probrosè vellicat, neque à Romanis Pontificibus, sed *Numâ* Mago primùm af-
† *Pag.68.* firmat introductum. † Jus dispensandi pro pluribus beneficiis Ecclesiasticis non Christianorum inventum esse scribit, sed à Romanis Idololatris repetitam consuetudinem.

Has & ejusmodi alias portentosas falsitates audet non tantùm affirmare, sed dum rationibus quoque confirmare studet, tantam prodit ignorantiam, ut quid in eo primùm mireris, audaciam, an ignorantiam, incertus hæreas. Ut exempli caussâ, illud ultimum de dispensationibus ‡ primùm afferens, & ‡ *Pag.67.* à Romanis promanasse contendens: *In hæc*, inquit, *beneficia jus sibi Pontifex Maximus arrogaverat dispensandi quibus vellet de pluribus simul obtinendis; sicut à* Livio *narratur de* Fabio Maximo, *qui per dispensationem duo beneficia retinendi jus adeptus est, cùm Pontifex Maximus est creatus; ducentis amplius annis ante natum Christum.* Hæc more sæculi nostri ab homine pagano dicta quis non miretur? At in *Livio* nihil horum est. Nam de dispensatione ne verbum quidem. *Fabius* ille *Maximus*, de quo *Livius* hoc in loco, Pontifex nunquam fuit, sed juvenis obiit. Duo sacerdotia toto genere discrepantia *Fabius Maximus* Pater dicitur habuisse; non ejusdem sacerdotii duas Provincias, sive Præfecturas. Augur idem fuit, scilicet, & Pontifex. Ut omittam quod *Plutarchus* scribit, Auguris titulum non Magistratûs, vel dignitatis; sed artis & scientiæ appellationem fuisse. Verba *Livii* sunt: *Eodem anno* Quin. Fabius *moritur*, &c. *Augur in ejus locum inauguratus est* Quin. Fabius Max. *filius; in ejusdem locum Pontifex* (*nam duo sacerdotia habuit*) Sergius Sulpitius Galba. Sed hoc leve est præ iis, quæ peccat in cæteris; quorum ut gustum aliquem demus, quomodo *Missam* à *Numa Pompilio* derivet, audiamus.

Ad ipsum Missæ nomen quod attinet, non probat ⸸ eos qui deducunt ⸸ *Pag.48.*
ex *Danielis* מעזים *maozim.* Multò 49. *&c.*
probabilius derivari posse putat ex Hebræo *Messa*; quæ vox reperitur, inquit, 4. *Regum*, *cap.* 11. & *conculcationem* significat. Reperitur sanè XI. *cap. vers.* 6. vox מסח *massah*, quam LXXII. Interpretes pro proprio nomine acceperunt, & interpretati sunt μισσαὶ, quos secuta Gallica versio, retinuit in ipso contextu *Mese*, notatâ tamen in margine diversâ *vastationis* vel *irruptionis* interpretatione; unde hic asinus desumsit. At si in *irruptionis* significatione, vel *conculcationis*, ut ille loquitur, vox est accipienda, radix erit non מסח *masah*, sed נסח *nasah*; neque *irruptionem*, sed *ab irruptione*, præpositione, Hebræorum

 more,

more, cum nomine coalescente, τὸ *Massah* significabit. Pari insaniâ *Missel* à משאול *Missceol* derivat, quod non *infernum*, sed *ex inferno* significat. Has autem *Missæ* etymologias, probandas alioquin, non admittendas tamen ideò dicit, quia *Numa Pompilius* author *Missæ*, linguæ Hebraicæ imperitus fuerit: Latinum igitur esse vocabulum, & à *Numa* confictum, qui nimirum primus instituit, ut post peracta sacra populo clamaretur *: *Ite, Missa est.* Non putas, Lector, frontem homini, immò conscientiam periisse, qui talia scribere sustinuerit? Saltem unum aliquem Scriptorem è veteribus Paganis produxisset, qui *Missæ* vocabulum pro substantivo nomine, & in sacris usitato usurpasset. Non minus eum depuduisse dicas, dum, ut Turcas *Missam* magnæ venerationi habere probet, voces Arabicas, *Mecca*, nomen oppidi; *Mesulmanos*, id est, *pacificos*, vel *fideles* & *orthodoxos*; *Mesgid*, quasi dicas, *adorationis locum*, id est, templum; corruptas in *Messa*, *Messelman*, *Messites*, omnes à *Missæ* vocabulo deductas esse tradit. Ejusdem notæ est, quod appellationem *Papæ* dicit Veteres ab Idololatris esse mutuatos, qui *Jovem Papam* nuncupare consueverant. Mirum nisi & Sanctos, *Cyprianum* & *Augustinum*, pro idolis habuerit; quos, hunc ab *Hieronymo*, illum à Clero Romano Papas esse nuncupatos reperimus. Sequenti paginâ *Curiones* ἀπὸ τῆς κόυρας, *à tonsura*, appellatos esse nos docet, quos hactenus à Curiis, quæ singulæ singulos Curiones habebant, dictos esse sumus arbitrati. Ibidem quoque Sacerdotibus στεφανοφόροις à circulari tonsura nomen inditum esse, hariolatur, quos tamen *Dionysius Halicarnassæus*, *flamines* interpretatur, & à pileorum forma, vel coronis ipsis, quas gestabant, ita vocatos esse testatur. Vestem candidam, quâ Romani in sacris utebantur, *Albam* † ab iis esse vocatam, pari mentiendi libertate asseverat, & putidissimi commenti absurditatem viro erudito, *Alexandro ab Alexandro* audet adscribere, cujus in libro tale nihil extat. De eadem quoque *Alba* ‡ Pontificia loquentem nobis inter Rituales inducit *Philonem* Judæum. Nam post productas *Titelmanni*, & *Gabrielis Biel* de *Alba* mysticas interpretationes, ait, Philonem *in libro de Somniis subtiliter comminisci*, Albam *significare firmitatem splendidissimi Numinis, quod vocat Ens.* Philo super illa verba, *Gen.* 31: 12. Ἀνάβλεψον τοῖς ὀφθαλμοῖς σου, καὶ ἴδε τοὺς τράγους, καὶ τοὺς κριοὺς ἀναβαίνοντας ἐπὶ τὰ πρόβατα καὶ τὰς αἶγας διαλεύκους, καὶ ποικίλους καὶ σποδοειδεῖς ῥαντούς: *Leva oculos, & vide hircos, arietesque salientes super oves & capras, albos, varios, interspersos cinericii coloris maculis*, (quemadmodum verterunt LXXII. Seniores) more suo ἀλληγορῶν, postquam de duabus prioribus speciebus ποικίλῳ, & ῥαντῷ σποδοειδεῖ, *vario, & cinericii coloris*, jam egit, τὸν τρίτον καὶ τελειότατον, ὃς ὀνομάζεται διάλευκος, αὐτίκα σημανοῦμεν, id est, secundum Interpretem, *Jam tertiam perfectissimamque, quæ* Alba *nominatur, explanabimus.* Quam de veste linea, è bysso purissima confecta, à summo Sacerdote indui solita, allegoricè interpretatur.

* Pag. 49. & 72.

† Ibid.

‡ Pag. 52.

Hæc quoniam *Albæ* Pontificiæ non malè convenire videbantur, priora illa verba Interpretis, *quæ* Alba *nominatur*, tanquam de veste dicta à *Philone*, homo væcors accepit. Sed ne mireris *Philonem* de veste Pontificia locutum esse, eidem *Missalistas* quoque notos fuisse mox audies. Postquam ‡ enim plerasque vestes in sacris apud Pontificios solemnes recensuisset: *His*, inquit, *addit* Philo Judæus *Mytram ad indicandum Missalistarum regium diadema.* In loco citato *Philo* agit de Mytra summi Sacerdotis apud *Judæos.* Huic igitur homini, Sacerdotes *Judæorum*, & Missalistæ, iidem sunt; at alibi semper cùm Missalistas cum Paganorum Sacerdotibus confundat, & utrosque ab eadem deducat origine, sequetur necessariò ex ejus sententia, inter Paganorum & *Judæorum* Sacerdotes à Deo institutos nullum fuisse discrimen.

‡ Pag. 56.

Labarum *, vexilli nomen ante Christi tempora, (quod quidem scire possimus è libris Veterum, qui nunc extant) prorsus inauditum, à Constantino maximè nobilitatum, priscis Romanis eo notum nomine fuisse author est; immò tanquam Romæ natalibus antiquius, ab *Antenore Trojano* reperit.

* Pag. 59.

Pudet me ineptiarum, quarum ipsum Authorem non puduit; qui etsi fuerit indoctissimus, quod Sole meridiano clarius est, nunquam tamen eò insolentissimæ insaniæ devenisset, nisi ita animatus ad scribendum accessisset, ut veritatem non sibi quærendam putaret; sed adversarios undique, veris an falsis criminationibus, opprimendos. Nam cujus unquam venisset in mentem dicere, Missam esse à *Numa Pompilio* septingentos annos ante Christum natum celebratam? quod hic Author singulis ferè paginis ingerit. Unde ubi de

de Sacerdotibus à *Numa* constitutis loquitur, vocat eos *Presbyteros Missæ*, & capite decimotertio *, locum *Blondi* de ritu Paganorum in sacris proferens, quod *Blondus* de Gentilibus dicit, *Diis Superis sacra facturi*; hic vertit, *qui Missam erant celebraturi*. Capite xv. † ait Sacerdotes à *Numa Pompilio* didicisse peccata sua ante *Missæ* solemnia confiteri: nam & idololatris in more positum fuisse, ut rem divinam facturi, se reos inprimis agnoscerent, vultumque submitterent. In hac consuetudine, quam alioquin nemo sanus improbaverit, si quid admittatur à Pontificiis reprehensione dignum, non is ego, qui excusare velim. Sed si id solum crimen est, quòd Ethnici non dissimile quid usurpârint, quid erit vel in purissima & incorruptissima religione tutum à reprehensione? Nam prætereà, solitos quoque Sacerdotes sub veteri Lege, primas pro suis peccatis victimas offerre, non ignoramus: quod puto nemo dicturus est, ab idololatris Israëlitas accepisse. Quod si huic Authori negaveris, esse continuò rejicienda, quæcunque nobis sunt cum Gentibus in religione communia, corruit illicò tota moles hujus libri, & in terram præceps datur. Hoc enim est unicum fundamentum, quo tot insulsæ disputationes, tot ineptæ, & iniquæ criminationes innituntur. Patrum super hac re quæ fuerit sententia, multis eorum testimoniis ostendi posset: *Quoniam idola colebamus, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum Idolis honore venerari*, exclamat *Hieronymus* contra *Vigilantium*. *Augustinus* etiam contra *Faustum Man.* *Sicut*, inquit, *non ideò contemnenda vel detestanda virginitas Sanctimonalium, quia & Vestales Virgines fuerunt*, &c. In eandem sententiam *Tertullianus* de Præscriptionibus adversus Hæreticos prolixè demonstrat, Gentiles habuisse quædam ritibus nostris in præcipuis Religionis nostræ mysteriis affinia. Tantum vero abest, ut omnia Paganorum instituta veteres Christiani repudiaverint, ut etiam sese ad illorum consuetudines, quantùm per pietatem licebat, prudenti συγκαταβάσει accommodaverint; ut eos scilicet majoris in momenti rebus faciliùs allicerent: sicut jam à doctis viris observatum est, & pluribus exemplis confirmari posset. Sed ad hunc Authorem refellendum, immò & manifestæ impietatis convincendum, sufficient ipsius verba.

* Pag. 55.

† Pag. 62.

Nam qui aliàs semper tanta cum acerbitate condemnat quæcunque apud Pontificios cum Paganorum ritibus ullo modo convenire videntur, non aliam ob caussam, nisi quòd cum illis conveniant; scribit tamen ‡ non semel, Christum ad instituenda *Novi Testamenti* Sacramenta, Symbola delegisse, quæ tam Judæis, quàm Gentibus in sacris erant usitata, ut eò faciliùs ritus jam propè sibi familiares nationes omnes admitterent. De Gentibus, an ad eorum cæremonias Christus respexerit, non temerè pronuntiaverim. Eum certè ad Judæos ita sese accommodasse, ut nihil, non jam vulgare apud ipsos, & usitatum, quantum ad ritus ipsos attinet, institueret, viri docti certissimis è Thalmude testimoniis, & aliis Hebræorum scriptis adstruxerunt. An igitur qui Christi exemplum in rebus adiaphoris, & illæsi pietate secuti sunt, impii, prophani judicandi sunt? annon illi potiùs impii, prophanique, qui ut adversarios liberiùs irrideant, sacro Dei Verbo non parcunt, ab horrendis blasphemiis non abstinent? Quod quàm egregiè fecerit hic *Alastor*, unico exemplo indicasse sufficiet.

‡ Pag. 15. & 16.

David his verbis exultat, אבואה אל מזבח אלהים אל אל שמחת גילי: quæ LXXII. Interpretes sic transtulerunt: Εἰσελεύσομαι πρὸς τὸ θυσιαστήριον τοῦ Θεοῦ, πρὸς τὸν Θεὸν, τὸν εὐφραίνοντα τὴν νεότητά μου: quod secutus Latinus Interpres vertit: *Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam.* De his verbis sic ludit ‡ impius morio: Numa *Magus in ejusmodi agitationibus, conversionibus, & inclinationibus sacrificuli multum sanctitatis inesse credidit: unde factum videtur, ut hæc faceta cantiuncula in Introductione Missæ poneretur:* Introibo (*inquit ille*) ad altare Domini, qui lætificat juventutem meam. *Non meritò lætetur, cùm positam mensam videt, & stratam; cùm paratas epulas, Organorum & aliorum musicorum Instrumentorum concentum, suffitus, & odores, calicem vino plenum, collectam paratam, & pecuniarias oblationes jamjam crumenam ipsius impleturas? Nonne hæc omnia Sacerdotis exhilarare juventutem sunt idonea, cùm scandit altare ad saltandum & convertendum se secundùm præscriptam à* Numa *Mago formulam?* De quadam urbe queribundus olim dicebat pius Pater *: Ἡ σπουδάζει τὸ τὰ θεῖα παίζειν ὥσπερ τι ἕτερον, καὶ θᾶττον ἄν τι τῶν ἐπαινουμένων γελάσειεν, ἢ παρίδοι τι τῶν γελοίων ἀγέλαστον: *Quæ studet in divinis rebus ludere, ut in qualibet alia re; citiùsque aliquid honestum irrideat, quàm quòd ridiculum sine risu prætereat.* Hoc est hodie mul-

Psalm. 43: +

‡ Pag. 63.

* Greg. Naz. Orat. III. de Pace.

torum crimen, qui in sacris jocos captant, & in rebus seriis facetorum nomen affectant.

Hic eram desiturus, nisi religio esset injuriam atrocissimam sacris Imperatoribus, & antiquis Episcopis Romanis factam, silentio præterire. Ait enim furiosus iste *, *Romanos Episcopos, qui se dici Christianos, & haberi volebant, per annos à nato Christo trecentos aut quadringentos aliud nihil egisse, aut laborasse, quàm ut usum Sacramentorum depravarent; Judæorum cæremonias, & infandas Paganorum Idololatrias revocarent.* Et de *Gregorio* nominatim scribit †, *eum Magiæ Pythagoricæ callentissimum, & in* Numæ *successoris*, Hostilii *legibus versatissimum, novis & magicis additamentis Missam locupletasse.* Quo vultu credibile est, quibus oculis beatas animas, ‡ εἴτις αἴσθησις, vilissimum tenebrionem de cœlo respicere, fidei, quam plerique ipsorum suo sanguine, gloriosi Martyres, obsignârunt, sibi controversiam moventem; & ejusdem cum iis ipsis, quos crudelissimos persecutores habuerunt, impietatis accusantem? *Casaubono* verò quanta fiat injuria, cui hominis fanatici detestanda deliria tribuantur, etsi paucos ignorare sperem, tamen abs re non erit, in imperitorum gratiam, ipsius verbis exponere. Sic igitur ille in Exercitationibus: ⊥ *Nemo peritus rerum Ecclesiæ ignorat operâ Romanorum Pontificum per multa sæcula Deum esse usum in conservanda sarta tecta rectæ fidei doctrina, &c.* Ibidem, *Ventum est ad* Leonem Magnum, *de quo Pontifice quàm honorifice sentiamus, ipsi jam ostendimus. Non enim ignoramus, quantus hic fuerit synceræ fidei defensor, & pro recta fide quantos labores sustinuerit, quàm Ecclesiæ Dei utiles, &c.* Et in alio loco * de *Gregorio: Fuit* Gregorius *non solùm cognomine, sed rebus ipsis Magnus & Sanctus, ac verè sui sæculi, propè jam ferrei, Phœnix. Nos quidem ita censemus, & cur ita censeamus, caussas parati sumus reddere, &c.* Multò plura, sine dubio, possent afferri in eandem sententiam, si quis libros ejus diligenter evolveret. Sed hæc, quæ nunc occurrebant, Lectori satisfactura non dubito.

* Pag. 40. & 41.

† Pag. 73. & 74.

‡ Si quis sensus illis.

⊥ Pag. 434.

* Pag. 748.

Jam de Romanis Imperatoribus superest ut agamus, quos omnes Christianæ Religioni semper infestissimos, & avitæ superstitionis tenacissimos fuisse confidenter asserit. Nam † *cap.* 10. disertè, ac totidem verbis affirmat, *per spatium quadringentorum annorum Romanos Imperatores, & Senatores Legi Christi semper adversos & inimicos fuisse.* Paginâ verò sequenti, *Spatio septingentorum, aut circiter annorum post Incarnationem Domini, nullum Romæ fuisse Imperatorem, Regem vel Principem, qui Legem Christi vellet amplecti. Erunt* (inquit ‡) *fortasse, qui* Philippum *quendam nobis objicient, quem jactant nonnulli ad fidem Baptismi conversum fuisse, cujus adeò flagitiosa fuit vita, ut illum præcipuæ authoritatis Historici, Christiani nomine indignum judicaverint. Addent &* Constantinum Magnum, *qui Nicænam Synodum convocavit: sed ejus sedes in Græcia fuit, ubi Orientis Imperium; neque is ad Baptismum unquam potuit adduci, ut Christi sanguine regeneraretur, priusquam annum vitæ quintum & septuagesimum, jam morti proximus, ageret; quo tempore ab* Eusebio, *Arriano Episcopo Nicomediæ, baptizatus est. Quare non est, quòd* Sylvester *Episcopus de conversione hujus Imperatoris ad fidem glorietur.*

† Pag. 43.

‡ Pag. 41.

Deus bone! quænam hæc est mentiendi prodigiosa licentia! qui fontes, quæ maria dirissimum hoc impurissimi Calumniatoris virus eluant? Non ergo *Constantinus*, non *Jovinianus*, non *Valentiniani*, *Gratianus*, non ille tot rebus gestis, tot Christianorum præconiis *Magnus Theodosius*, non ille Christianus? Nam quod *Constantinum* Christianum fuisse negat, quia Baptismum distulerit, satis constat id pientissimum Imperatorem fecisse more tum recepto. Plures enim illius ævi, qui Christo bonâ fide nomen dederant, Baptismi tempus diu protraxisse reperimus. Cùm enim omnes prioris vitæ maculas sacro hoc Lavacro expiari crederent, tunc maximè opportunum ejus tempus censebant, (ut *Eusebius* author est de Vita *Constantini*, lib. 4. cap. 61.) cùm vita ad extremum vergeret, ut hoc pacto quàm purgatissima conscientia vicinæ morti traderetur. Cui tamen consuetudini, ut periculosi nimis eventûs & aleæ, Græci & Latini Patres, qui per ea tempora floruerunt, strenuè sese opposuerunt. Sed *Constantino* peculiaris quoque ratio fuit; quòd in Jordane (sicut ipse apud *Eusebium* profitetur) si Deus vitam illi prorogasset, baptizari decrevisset.

Quod si ideò à Christiana fide abhorruisse credendus est, quia serò baptizatus; quid de *Valentiniano* dicemus, quem longiùs Baptismum differentem improvisa mors occupavit? Quem tamen Beatus *Ambrosius* post mortem cœlo receptum indubitanter credidit; ne

dum ut Christianum vixisse & obiisse ambigeret. Sed ipsum juvat audire defuncti sorores consolantem. *Ambrosius* de Obitu *Valentiniani*: *Sed audio vos dolere, quòd non acceperit Sacramentum Baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas? nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc voti habuit, ut cùm in Italiam venisset, initiaretur, & proximè baptizari se à me velle significavit; & ideò præ cæteris caussis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam desideravit? Non habet, quam poposcit? Certè quia poposcit, accepit.* Et mox: *Qui habuit spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? Aut si quia solemniter non sunt celebrata mysteria, hoc movet; ergo neque Martyres, si Catechumeni fuerint, coronentur. Non enim coronatur, si non initiatur. Quod si suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas.*

Constantinum autem ab Arriano Episcopo baptizatum, quamvis habeat hæc sententia *Hieronymum* suffragantem, habet tamen & contraria suos assertores. *Theodosii Magni* tempora, qui proximè secuti sunt Imperatores, sive Romani, sive Barbari, etsi plerique Arrianâ hæresi fuerunt infecti, Christiani tamen fuerunt illi; &, quod huc maximè facit, à Paganismi suspicione procul omnes abfuerunt.

Ad Symmachi *Relationem* quod attinet (quam infrunitus hic zelota *Responsionem* falsò vocat, ne supplicasse pro sua religione fateatur, quos authoritate & numero primas habuisse contendit) diligentiùs animadvertenda res est, cùm in ea causæ suæ præsidium ponat, ut evincat Romanum Senatum, & Senatores, sic enim loquitur, ad fidem Christianam nullos unquam adduci potuisse. Sic autem se res habet. Symmachum legarunt Ethnici ad *Valentinianum* pro ara Victoriæ restituenda, &c. nec impetrarunt. Ergo saltem Imperator Christianus. Sed qui hoc petierunt? *Absit*, inquit *Ambrosius* in libello primo contra Symmachi Relationem, *ut hoc Senatus petiisse dicatur: pauci Gentiles communi utuntur nomine. Nam & ante biennium fermè, cùm hoc petere tentarent, misit ad me S. Damasus, Romanæ Ecclesiæ Sacerdos, judicio Dei electus, libellum; quem Christiani Senatores dederunt, & quidem innumeri, expostulantes nihil se tale mandasse, non congruere Gentilium hujusmodi petitionibus vos præbere consensum. Questi etiam publicè, privatimque se non conventuros ad Curiam, si tale aliquid decerneretur. Dignum est temporibus vestris, hoc est, Christianis temporibus, ut dignitas Christianis Senatoribus abrogetur, quò Gentilibus Senatoribus prophanæ deferatur voluntatis effectus? Hunc libellum ego fratri Clementiæ vestræ direxi. Unde constitit, non Senatum aliquid de superstitionis impensis mandasse Legatis*, &c. Videat jam Lector cui potiùs fides habenda sit, sanctissimo Præsuli, rerum sui temporis oculato testi; an perfrictæ frontis nebuloni, omnis Ecclesiasticæ Antiquitatis imperitissimo.

Supremum nunc hoc restat, ut, quod initio promisimus, de suscepto à Patre similis argumenti libro paucis agamus: quod verbis ipsius expediemus. *Casaubonus* ad Lectorem in Exercitation. ad Baronium: *Quædam breviter attigi; quædam paullò uberius tractavi, ut doctrinam de sacrosancta Eucharistia, de qua, dum vestigia* Baronii *premo, tres scripsi disputationes: unam de variis hujus Sacramenti apud Veteres appellationibus; alteram de Transubstantiatione; tertiam de genere sacrificii Christianorum: conatus primorum sæculorum doctrinam, non minus candidè & ἀφιλῶς, quàm accuratè exponere.* Primam disputationem habes in Exercitationibus editis. De reliquis sic ipse in iisdem Exercitationibus *: *Atque hæc de Appellationibus hujus divini Sacramenti impræsentiarum satis. Restabat ut ad secundam partem* Baronianæ *digressionis de Eucharistia, quæ est de Transubstantiatione, accederemus; & quæ fuit veteris Ecclesiæ fides super eo articulo, accuratè expenderemus. Sed cùm nostra ad eam partem responsio, itemque ad tertiam de sacrificio Christianæ Ecclesiæ in molem multò majorem quàm initio putaremus, excreverit; satis fore visum est, ut illæ disputationes separatim ederentur, neque hujus operis editionem morarentur.* Has verò, cùm Patrem mors immatura prævenisset, nunquam edidit. Affectas autem tantùm, an perfectas, & ad prælum paratas reliquerit, compertum non habeo; cùm nihil ex eis ad manus meas unquam pervenerit. Earum certè in hoc libro præter ipsum *Casauboni* nomen, omnino nihil est. Non hic candorem, non simplicitatem, non accuratam diligentiam invenias. Institutæ à *Casaubono* methodi nulla hîc vestigia. Quod Pater promiserat, ex Patribus, & aliis Scriptoribus antiquis, totum concinnaverat. Nulla hic Patrum mentio, nulla ex ipsis testimonia,

* Pag. 587.

nia, præter tria, aut quatuor, ad summum, sub libri finem obiter allata. Quæ ex ejus Exercitationibus protulimus, scribebat ille anno Domini CIↃ IↃ CXIV. Gallica hujus libri editio, ex qua translata, & recusa est hæc Anglica, anno CIↃ IↃ CVII. (si benè memini: semel enim tantùm inspicere mihi licuit) prodiisse fingitur; quo tempore *Casaubonus* ab *Henrico* IV. Galliarum Rege Christianissimo, ad literarum humaniorum professionem evocatus, Parisiis agebat. Qui tum à Rege Christianissimo cùm petiisset, ut liceret sibi *Baronii* Annales modestè refutare, repulsam tulit. Eodem quoque tempore, anno scilicet CIↃ IↃ CVII. *Isaaci Casauboni De Libertate Ecclesiastica* liber edebatur, sed suppresso Authoris nomine. Quod tamen nihil profuit. Adhuc enim libri pars exigua typis erat expressa, cùm vetita est authoritate Regis editio, & *Casaubonus* institutæ scriptionis filum coactus est abrumpere. An igitur tunc ausus esset ille, librum adeò virulentum, qualis est hic liber, adeò iniquum contra Pontificios edere? an, si ausus, impunè tulisset? Ubi tunc Adversarii, qui se illi, postquam primùm in Anglia de rebus ad Religionem pertinentibus aggressus est scribere, tot & tanta cum acerbitate opposuerunt? Habeo catalogum librorum omnium, quos Pater edidit, manu ipsius scriptum, qui à me in alio opere editus est. Cur hunc omisit? Sed quid opus est in his diutiùs immorari, cùm Impostorum fraus omnis jam detecta sit? qui libro Gallico sine nomine (quales eduntur in Gallia multi, præsertim Theologici) *Isaaci Casauboni* nomen, calliditate typographicâ, præfixerunt: annoso & propè jam exoleto libro, novam juventutis faciem, artificiosè immutatis notis arithmeticis, induxerunt; tutos se fore rati, si suæ imposturæ crimen ad alios transferrent. Posteritatis interest, nullo tempore defuisse, qui perditorum hominum imposturas & deprehendere possent, & ulcisci.



MERICI

MERICI CASAUBONI, ISAACI FILII, DE VERBORUM USU, ET ACCURATÆ EORUM COGNITIONIS UTILITATE, DIATRIBA.

MERICUS CASAUBONUS
JOANNI FILIO,
S. P.




Uanquam nolim ego te, mi Joannes, cùm ævi & judicii maturior eris, libros ullos vel ex mole, (quæ multorum fatuitas est) vel ex modulo æstimare; fateor tamen ex hoc libelli hujus modulo, in quem Typographi pro suo arbitrio illum concinnarunt, in eam primùm cogitationem venisse me, ut tuum nomen hîc inscriberem. *Parvum parva decent*, ait alicubi tuus Horatius. Tibi autem parva adhuc ætas; ut qui vix dum primam annorum ætatis decadem egressus sis; & pro ætate corpus non magnum. Ac memini valde adhuc infantem te nullis adeò muneribus oblectari solitum, quàm vel libris, aut quæ librorum speciem præferrent: quod parentibus tuis jam tum futuræ tuæ indolis lætum fuit augurium. Hactenus certè, quanquam crebra valetudinis infirmitas alacritati tuæ, ac bonitati ingenii non parum obstiterit; de te tamen ipso queri non possumus. Cæterùm, quemadmodum Amilcar olim, pater Annibalis, Annibalem filium, (illustria in Historia Romana nomina) adhuc impuberem, per altarium religionem & solemnia sacra ad odium populi Romani quasi ad paternas artes obstrinxit; ita mihi visum publicâ hac & solemni compellatione ad bonarum artium ac literarum amorem porrò te obtestari. Et hoc quidem tibi opto maximè ob ipsas literas, quæ præmium veris & genuinis cultoribus amplissimum. Tibi tamen peculiaria quædam incitamenta & vincula: non Avi tantùm tui memoria, & exemplum, quod plurimum apud te valere debet; sed etiam quæ suis propria reliquit industriæ suæ, singularis & indefessæ, monumenta; *Adversariorum*, ut vulgò vocant, multiplex supellex: quam certè, cùm judicium & eruditio tibi suppetent, ut suo pretio æstimare valeas, omni aliâ hæreditate (qualem ex me sperare non magnam potes) longè tibi potiorem visum iri non dubito. Ad eruditionem verò non nisi per linguas aditus tibi patebit. Quatuor autem linguarum studium præcipuè tibi commendo: Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, & Saxonicæ; quarum singularum usum & dignitatem quò meliùs intelligeres, tractatum tibi *de Quatuor istis Linguis* adornavi; quem, quia aliis quoque utilis esse potest, publicum propediem, Deo volente, faciam. Interim, si ad avitas laudes, imò si ad veram felicitatem aspiras, fac ut in pueritia tua Creatoris tui sis memor, & à primis, quod ajunt, unguiculis his cogitationibus assuescas, vanum & ineptum esse omnem laborem conatumque, qui non ad Dei Opt. Max. gloriam, & melioris vitæ consequendæ spem refertur. Vale.

SUMMARIUM

ac series eorum, quæ hîc continentur.

MERICI

MERICI CASAUBONI
DE VERBORUM USU,
& accuratæ eorum cognitionis utilitate,
D I A T R I B A.



HAud paucos reperire est, qui cùm de Vocibus & Verbis incidit quæstio, eò statim, tanquam ad Prætoris interdictum aut legitimam obnunciationem confugiant, ut non verba se, sed res curare, ac de illis modò sollicitos esse contendant. Nec is τῶν πολλῶν tantùm sermo est; sed interdum & illorum, qui ab eruditione & humanitate, (quales Seneca, Aulus Gellius, & Medicorum post Hippocratem facilè princeps Galenus, aliique) celebres olim fuere.

Honesta sanè (si commoda adhibeatur interpretatio) oratio, & ingeniis digna liberalibus. Sancto enim, si quis alius, Augustino libenter assentior, *Bonorum ingeniorum insignem esse indolem, in verbis verum* (res ipsas utique) *amare, non verba.* Nec minùs arrident veteris cujusdam apud Aulum Gellium Grammatici verba: *Nulla prorsus bonæ salutis spes reliqua est, cùm vos, Philosophorum illustrissimi, nihil jam aliud quàm verba authoritatesque verborum cordi habeatis.* Quanquam autem alicubi *Cicero* quenquam literis mandare cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare verbis possit, hominis intemperanter abutentis otio & literis esse pronuntiet; & alibi, qui quemadmodum dicant ipsi non laborant, cur legendi sint nisi ipsi inter se, qui idem sentiunt, caussam non videre profitetur: quæ videtur & Dionysii Halicarnassei mens fuisse, ubi οὐδὲν ὄφελος διανοίας εἶναι χρηστῆς, εἰ μή τις αὐτῇ κόσμον ἀποδώσει καλῆς ὀνομασίας, asserit; non ego tamen unquam tam delicati & fastidiosi stomachi, ut Scriptores quoscunque vel impolitissimos, & barbarismis (si qui tales) scatentes non æquo animo legerem, si quod ad rerum cognitionem faciat, non ubivis obvium, ex isto verborum sterquilinio colligere daretur. Sed quoniam plerique, qui de verbis ita vulgò loquuntur, non tam quod rerum studio præter alios addicti verè sint, ita loquuntur, quàm ut suam tegant ἀμαθίαν & ignorantiam, ne dicam (quod de nimium multis verè dici potest) ignaviam; ne juvenes incauti, ex quorum industria ad rem publicam fructus uberes aliquando redire possunt, speciosis his vocibus abrepti decipiantur; operam me navaturum nec inutilem per se, nec his temporibus intempestivam duxi, si quid eis opponi posset, post alios quidem, fateor, multos; sed auspiciis tamen nostris, & propriâ industriâ freti, peculiari hac Diatribâ complecterer.

Atque hoc primùm de illis, qui res, quasi toti in illarum contemplatione defixi, semper habent in ore, libenter requirerem, ecquid unquam in mentem suspicio illa inciderit, ne fortè quod Ixioni, ut nubem pro Junone imprudens amplecteretur, idem & illis accidat? Nos enim sanè Philosophos & ingenio & authoritate præcipuos ita sancire comperimus. Quæ se cunque oculis nostris objiciunt, ea nos, res utique ipsas, cernere vulgò dicimus & credimus; cùm tamen haud ipsas res, sed externas tantùm species (εἴδωλα Græci vocant) & spectra cernamus; aut spectrorum potius colores; immò nec colores, veros & sinceros. Τῶν χρωμάτων οὐδὲν ὁρῶμεν εἰλικρινὲς οἷον ἐστὶν, ἀλλὰ πάντα κεκραμένα ἑτέροις: *Nullum colorem purum spectamus, qualis planè est; sed omnes permistos, atque aliis confusos.* Ita Philosophus in lectissimo *De Coloribus* libello; & rationem suæ sententiæ pluribus ibi prosequitur. Omnem porrò cognitionem mentis à corporis sensibus oriri, (quæ Philosophorum non ignobilium sententia fuit) si non universim verum, in plerisque tamen locum habere, & ea certissima esse κριτήρια, in confesso apud omnes est, qui non sensibus ipsi suis renunciaverint. Verba autem, quæ Aristoteli *symbola* rerum; aliis, *imagines* & *simulachra*; τύποι καὶ μιμήματα· illis utique, qui verba non ex instituto, (de quibus alibi fusè videbimus) sed ab ipsa natura rebus indita docent. Hæc nos in antecessu potiùs ut ἀκριβολογοῦντες & justo certa-

Vide Scalig. *Exercit. de Subtilitate* tum alibi, tum *Exercit.* 307. 21. ubi inter alia, *sicut vulpes elusa à ciconia lambimus vitreum vas; pultem haud attingimus.*

certamini proludentes, quàm quod firmum in iis causæ nostræ præsidium ponamus.

Cæterùm (ut inde initium faciamus) Senecæ, Gellio, Galeno, & si qui sunt alii, qui de verbis idem, quod illi sensisse videantur, promptum esset Platonis, Aristotelis, aliorumque tum ætate, tum authoritate longè istos antecedentium judicia, qui de verborum necessaria ad rerum cognitionem intelligentia plenâ tulere suffragia, illis opponere. Sed illa quia vulgò nota, ut quæ ab omnibus, qui de verbis aliquid, laudari solita, non gravatè prætermittimus. Hoc potius observabimus nos, hos ipsos, qui de verborum cura quasi probrosè videntur interdum loqui, verborum curiosissimos interpretes & rimatores extitisse. Certè si quis ex Aulo Gellio, quæ de verbis in illo sunt, eximat, pauca admodum illi relinquat. Sed & in Galeno quàm multa passim de verborum ortu, usu, abusu, proprietate, genere, & id genus aliis? Ut Glossaria ejus omittam, & Hippocraticarum dictionum, quæ supersunt adhuc, interpretationes; quæque solis nunc superant nominibus & titulis; *De Verbis Atticis*; *De Verbis Eupolidis*; *De Verbis Aristophanis*; *De Verbis Cratini*; *De Comicorum Propriis*; ingentia volumina. In Seneca quoque non pauca super verbis. In uno *De Beneficiis* opere, ad verba verborumque distinctiones confugere non semel cogitur. Sed & ipsa, quam profitetur, Philosophia Stoica, in iis maximè, quibus illi σεμνύνεσθαι soliti, quàm sæpe non tam in rebus, quàm verbis fundata? qualia ista apud Senecam: *Sapiens non miseretur, quia est sine miseria.* Et eodem libro, *Parcit sapiens, consulit, & corrigit.* Optimè! Quid porro? *At idem non ignoscit. Idem tamen facit, ac si ignosceret: quoniam qui ignoscit, fatetur aliquid se quod fieri debuit, omisisse.* Quid hoc, quæso, nisi verba? Non ignoravit hoc Seneca; & verè alicubi ipse sibi objicit: *Hæc sunt, quæ authoritatem præceptis vestris detrahunt: Magna promittitis*, &c. *Ita sublato altè supercilio, in eadem, quæ cæteri descenditis, mutatis rerum nominibus.* Objecta conatur diluere; sed qui accuratiùs expenderit, eum conari tantùm (in multis saltem) intelliget. Sed verior illa responsio, quæ Seneca de verbis objicit, ea pleraque non ad hanc, de qua quærimus hic, verborum curam pertinere; sed ad Dialectorum τερθρείας & argutias; ut cum legenti statim apparebit.

Clementem Alexandrinum fortasse, aut Platonem potius apud Clementem, *Strom.* lib. 1. objiciat aliquis. Ibi enim ex non uno Platonis Dialogo gravissima hæc de verborum cura dicta monitaque: Κὰν φυλάξῃς (φησὶν ὁ Πυθαγόρειος ἐν τῷ Πλάτωνος Πολιτικῷ) τὸ σπουδάζειν μὴ ἐπὶ τοῖς ὀνόμασι, πλουσιώτερος εἰς γῆρας ἀναφανήσῃ φρονήσεως. Καὶ ἔν γε τῷ Θεαιτήτῳ εὕροις ἂν πάλιν, Τὸ δὲ εὐχερὲς τῶν ὀνομάτων τε καὶ ῥημάτων, καὶ μὴ δι' ἀκριβείας ἐξεταζόμενον, τὰ μὲν πολλὰ οὐκ ἀγεννές, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ τούτου ἐναντίον, ἀνελεύθερον· ἔστιν δ' ὅτε ἀναγκαῖον: *Et si caveris, (inquit Pythagoreus in Platonis Politico) ne sis de nominibus nimium sollicitus, prudentiâ locupletior apparebis in senectute. Et rursus invenies in Theæteto: Nominum autem & verborum facilitas, & non nimis accurata examinatio, ut plurimùm non est sordida & illiberalis, sed ejus potius contrarium; est autem nonnunquam etiam necessaria.*

Hæc igitur Platonis siquis hîc objecerit, frustra fuerit: non enim ad hanc, (ne hæc quidem) de qua nos agimus hîc, verborum accuratam cognitionem, quæ ad rerum cognitionem ducit, ista pertinent; sed ad eloquentis & elegantis orationis, quam εὐγλωττίαν Clemens ibi indigitat, studium; ut ex ipsius Clementis lectione cuivis liquere possit: de quo quidem studio multa in utramque partem dici possunt, quibus aliàs fortasse suus erit locus proprius; nunc verò prætermittentur.

Platonis autem famigeratissimum illum *Cratylum*, de quo mirum quàm sibi placeant & plaudant quicunque ferè verborum patrocinium susceperunt, nos hic consulto consilio præterimus; consilii nostri rationem loco magis opportuno aliàs reddituri.

Sancti Augustini de verbis integer extat, qui *De Magistro* liber inscribitur; sed totus de natura sermonis & verborum usu & abusu constat. Quo verò sanctus ille vir consilio id opus aggressus sit, non erit abs re quærere; vel eo certè nomine, quòd in toto Augustino vix aliud extare putem, cujus tanta sit obscuritas & occulta propositi ratio. Ipse quidem in *Retractationibus* Augustinus cum sibi fuisse scriptionis istius scopum profitetur, (ut & extremo libro colligit) ut doceat, *Magistrum non esse, qui docet hominem scientiam, nisi Deum.* Sed neque hoc ipsum quò tendat, quod palam profitetur, satis manifestum; & per quas verborum subtilissimarumque quæstionum ambages & labyrinthos eo perveniatur, legentibus apparebit. Immò verò perplexæ & involutæ scriptionis con-

* Cap. 8. *Sed quonam tantis ambagibus tecum pervenire molior*, &c. Cap. 10. *Quanto tamen circuitu*, &c.

conscientiam parens ipse non uno * loco prodit. Cæterùm quisquis animum in rem intendet ipsam, id Augustino propositum fuisse, facilè perspiciet, ut quæ de sermonis & orationis inter homines usu (qualia in Antiquorum scriptis haud pauca hodieque reperire est) magnificè vulgò jactabantur, ea convelleret & elevaret omnia. Hoc ipse clarè satis agnoscit tum Capite XIII. ubi post iniquiora quædam contra verba, non ex ipsorum natura aut culpa verborum, sed audientium vitio, allegata; ipse se reprimit his verbis: *Sed hæc omittamus, ne calumniam verbis de audiendi negligentia, vel etiam de surditate hominum videamur commovere*; tum verò Cap. XIV. apertiùs; ubi suscepti operis invidiam deprecatur his verbis: *Sed de tota utilitate verborum, quæ si benè consideratur, non parva est, aliàs, si Deus siverit, requiremus. Nunc autem ne plus eis quàm oportet tribueremus*, &c. quæ quorsum, quæso, nisi contra verba hoc quicquid operis ab illo susceptum esset? Cùm autem inter præcipua, quibus hominem benignus Conditor ornavit & instruxit, non postremum locum (ut & Ethnici plures agnoverunt) sibi sermo vindicet; nihil minùs Augustinum, virum sanctum & pium, quàm obtrectare Dei dona voluisse, certissimum est; sed an tam cauto consilio, quàm pio animo sit ea scriptio instituta, non æquè facilè dixerim. Certè, eo maximè tempore, ut & superioribus aliquot sæculis, hominum genus latè per orbem pervasisse, qui inani verborum scientiâ tumentes, alios quoscunque despicerent, & nudæ veritatis simplicitati proterviùs illuderent; ex multis, qui per ea tempora scripsere, licet colligere: de quibus Aulum Gellium, Latinum; & Sextum Empiricum, Græcum Scriptorem, nominasse sufficiat. Et apud illum quidem, crebræ ac festivæ de Grammaticis narrationes, ut in nullo argumento festivior aut acrior Gellius: ex quo prætereà & illud discamus, familiarem *Magistri* compellationem, aut in familiari potius compellatione solennem *Magistri* titulum, si non Grammaticis unis proprium, iisdem tamen præcipuâ quâdam ratione competiisse, & ab iis admissum libentissimè. Sexti autem Empirici verba, quia non adeò notus Author, (quanquam dignus qui nocturnâ diurnâque manu ab antiquæ literaturæ studiosis versetur) & ad rem, quam volumus, appositissima, hîc apponemus. Ait igitur ille: Διὰ πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα δίκαιόν ἐστι μετὰ σπουδῆς ἐξετάζειν τὴν γραμματικὴν τεχνολογίαν· μάλιστα δὲ ἁπάντων διὰ τὸ ἐπ' αὐτῇ κομᾶν καὶ μέγα φρονεῖν τοὺς γραμματικούς· ἀεὶ δὲ τὸν κατὰ τὰ λοιπὰ κοσμηθέντων μαθήματα καταβρέχειν, &c. *Propter multa quidem alia est diligenter examinandum Grammaticæ artificium; maximè autem, quòd de eo sibi placeant & se magnificè jactent Grammatici; eos autem semper insectantur, qui sunt aliis ornati disciplinis*, &c. Quod igitur anteà Platoni in Cratylo (de quo Dialogo quàm longè alia censeamus, quàm vulgò solent plerique, alibi dicturi sumus) propositum, id & Augustino, ni fallor, hîc, ut isti hominum generi occurreret, & insultandi gloriandique materiam detraheret.

Hunc Augustini librum lecturo multum proderit Epilogum sive ἀνακεφαλαίωσιν antedictorum, quæ in Caput septimum ab ipso congesta est, diligenter expendere: quæ tamen & ipsa, quia paulò confusior & obscurior est, præstiterit fortasse ab istis, quæ Cap. 10. occurrunt: *Quanto tandem circuitu res tantilla peracta sit*, &c. ubi paucis verbis summam scopumque libri complectitur, incipere. Nobis sufficiat tantùm hîc de eo dixisse. Si quid enim minùs cautum, aut censoriâ virgulâ dignum; id tanti viri sanctitati pioque proposito condonari æquum est. Erit etiam in altera, *De Ortu & natura Sermonis*, Diatriba, huic argumento, qui tractatur illic ab Augustino, locus opportunior.

His quæ nobis obstare præcipuè, aut ab aliis objici posse videbantur, ita delibatis ac depulsis; nostra de verbis hæc est sententia: Accuratam verborum cognitionem non Philologis solùm & humaniores literas professis esse necessariam; sed in omnibus & singulis scientiis artibusque percipiendis adeò locum habere, ut in singulis ex illorum ignorantia gravissimi interdum & perniciosissimi oriantur errores: in vita verò (quod præcipuum) communi rebusque civilibus & politicis tanti esse momenti, ut maximarum in utramque partem momenta rerum ex illorum pravo rectove pendeant usu & intellectu.

Priusquam autem ad particulares scientias accedimus, aliquid priùs, quod ad omnes æquè scientias pertineat, præmittemus.

Quis ex omnibus ubivis gentium Ethnicis proprii fœtus ingenii, qui alteri sæculo prodessent, chartæ, quasi terræ, διὰ καλάμου, ἐν ὕδατι μέλανι (ut alicubi Plato loquitur) primus mandaverit, sive ille Anaxagoras, sive Pherecydes,

cydes, (nam de Pisistrato qui affirmant ex Aulo Gellio, malè mentem illius ceperunt) sive quis alius, non est hujus loci quærere. Ubi primùm cœpit literarum usus, ibi libros (libros, inquam, συγγράμματα, solutâ scilicet oratione scripta; nam poëmatum alia ratio) scribi cœpisse, rationi maximè consentaneum videtur ut credamus. Literas autem quis Græcos primus docuerit, apud omnes in confesso est. At *literas Assyrias semper fuisse*, non vanis adductus conjecturis etiam Plinius in *Naturali* sua *Historia* author est; quod Josephus in libris contra *Appionem* pluribus adstruit & prosequitur. Sed quicunque primus (non enim id nunc agimus) statuatur; quod ab antiquis non Philosophis tantùm, sed & Historicis aliisque passim inculcatur, ὅτι ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν ἑκάστῳ ἀπάτη καὶ φενακισμὸς παραπέπηγε, *unicuique humanorum bonorum fraudem ac fallaciam in propinquo esse positam*; adeò universim verum, ut hic quoque locum habuerit. Non enim priùs extitere, qui de posteris benè mereri scribendo conati sunt, quàm statim exorti sunt, tum qui ab aliis scripta incrustare & pro suo arbitrio interpolare auderent; tum verò qui à se conficta, captatâ vel Antiquitatis, vel magni alicujus nominis authoritate, aliis inscriberent: quâ fingendi & refingendi licentiâ quantum labis in humanum genus redundarit, vix quisquam cogitando, nisi qui sit in hoc eruditionis genere benè versatus, assequatur. Queritur vir gravissimus, idemque Philosophus inter paucos sapientissimus, in sua *Republica* Plato, fuisse suo tempore genus hominum, (Agyrtas, infami nullo non sæculo nomine, vocat ipse) qui non privatas opulentorum domos tantùm, sed & urbes, hominum frequentiâ celebres, errando obirent, librorum ὁμαδὸν (*fasces* alicubi Gellius interpretatur) circumferentes, qui celeberrima Musæi & Orphei (Σελήνης καὶ Μουσῶν ἐκγόνων) nomina præferebant. Ingens ad legendum illecebra, tam splendida nomina: sed plerisque (τῇ γαστρὶ μετροῦσι καὶ τοῖς αἰσχίστοις τὴν εὐδαιμονίαν) longè major, librorum argumentum. Eò enim spectabant illi libri, ut si quis propudiosæ vitæ sibi conscius, aut aliquo alio qualicunque scelere se impiasset, ultoresque Deos vel vivens, vel certè post mortem perhorresceret, certarum (& quidem, si fides impostoribus, certissimarum) expiationum formulas docerent, quibus offensa Numina placarentur. Artem scilicet (quâ nulla hominum vulgo ars acceptior) impunè peccandi tradebant. Nè longum faciam; ut nulla tempora suppositititiorum id genus scriptorum feraciora fuisse, quàm quæ ortum Evangelii proximè consecuta sunt, vel celebris illa Gelasii Papæ proscriptio (si fas ita loqui) fidem faciat; ita nulla unquam tempora meliùs doceant quàm perniciosa sit ista licentia, si quis hæreses haud paucas inde enatas, offensiones infidelium, dissidia, contentiones, superstitiones, & cætera mala cogitet, quæ ab hoc (non uno quidem, fateor; sed & hoc, inter alios, haud obscuro) fonte promanasse certum est. Hæc autem quorsum? Adulterinos & suppositios utique dignoscendi libros ratio non una: sed istâ (modò qui verè doctus & pari judicio præditus rem aggrediatur) nulla certior, cùm non stylus in genere tantùm, sed verba & voces expenduntur singulæ, quàm tali Scriptori, (si alia ejus opera non suspecta extent) quàm sæculo & loco, quæ titulus profitetur, conveniant. Sunt enim non hominum tantùm, sed temporum locorumque certi quidam idiotismi; sunt verba propria; quæ, qui in legendis Veteribus diligenter observarit, non facilè sibi imponi patietur: ut exempli causâ verbum *ens*, *essentia*, *reatus*, *munerarius*, & id genus haud pauca, qui primi usurparint, notatum Quintiliano aliisque. Multâ quidem cautione contra impostorum in imitando solertiam, multâ circumspectione opus esse non diffiteor; nec facilè illis Veteribus assentior, qui ex uno aliquo (ut olim nescio quis apud Aulum Gellium de Plautinis fabulis; & Galenus alicubi de libro Hippocrati adscripto) verbo, de integro libro pronuntiari certò posse censent. Non eruditione tantùm, quòd modò dicebamus; sed & judicio planè singulari opus est. His instructus qui ad judicandum accesserit, vix dici potest quantum in verbis ad verum tuendum præsidii inventurus sit. Hac præcipuâ ratione, & his potissimùm præsidiis instructus beatæ memoriæ Parens, Isaacus Casaubonus, spurium illum *Mercurium Trismegistum*, qui per tot sæcula orbi illusit, & multorum ingenia futilissimis speculationibus occupavit, nonnullorum etiam depravavit; larvam detraxit, & impostorem certissimis indiciis deprehensum, omnibus, quibus ad claram lucem oculos claudere fixum non est, videndum exposuit.

Hæc de verbis in genere. Ad præcipuas, aut quarum saltem præcipuus nunc est usus, scientias accedamus; summa rerum, quæ nostrâ cum primis animad-

animadversione dignæ mihi visæ sunt, capita delibaturi: plenior earum tractatio justo, si fortè, operi reservabitur; aut aliis certè, ab otio & ingenio paratioribus relinquetur.

A THEOLOGIA (quam Galenus*, Aristotelem † secutus, πολὺ μεῖζον καὶ τιμιώτερον πρᾶγμα, omni humanâ re aut scientiâ, dignitate & sublimitate longè potiorem, meritò sciscit) feliciter auspicabimur. Theologiam autem cùm dicimus, veram intelligimus & solidam, id est, Christianam. Ethnicam enim quod attinet ad Theologiam, sive Mythologiam potius, (quæ tamen eruditionis philologicæ pars jucundissima, sed & utilissima) si id nunc ageremus, nihil factu facilius, quàm totam illam, aut certè maximam illius partem, ex verbis aut non intellectis, aut callidè obtrusis repetere. Observatum non uni, sed uni præ cæteris undiquaque doctissimo & in hoc argumento accuratissimo, D. Seldeno, in laudatissimo *De Diis Syris* Opere; vetera pleraque Gentilium Numina (quorum tamen in cultu, bone Deus! quàm seria, quàm fervida generis humani pars multò maxima!) mera fuisse nomina; ex nominibus, inquam, & verbis, errore aut superstitione colentium, facta Numina. Quò etiam pertinet, quod Dio Chrysostomus, aut apud eum Diogenes, de Dæmonibus & Geniis per rhetoricam συμαπποιίαν effictis, posteà pro veris Numinibus cultis & adoratis. Par & Stoicorum, & ex simili origine stupor, qui virtutes animalia credidere. Nec excusandus, vir alioquin sapientissimus, celeberrimus ille Maimonides, qui in *Doctore perplexorum*, ex illis verbis Davidis, *Cæli enarrant gloriam Dei*, &c. *Non est sermo, neque verba ipsis*, &c. Aristotelis de cœlis animatis opinionem confirmare nititur.

Sed his omissis, nostræ Theologiæ pars jam olim hodieque non pœnitenda, (non minima, volui dicere) rixæ & contentiones. Harum autem, si quis positis affectibus res ipsas attentè consideret, pars haud exigua quid aliud quàm λογομαχίαι? *Sentit idem Aristo quod Xenocrates, quod Aristoteles; loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia controversia nata est* ‡, &c. Ita olim Cicero de quibusdam sui temporis controversiis, quæ magnâ contendentium utrinque animositate agitabantur. Nec multò aliter Seneca: *Primùm depositâ contentione, depositoque odio, quod implacabile diversa sequentibus indiximus, videamus an hæc omnia ad idem sub alio titulo perveniant.* Quod igitur olim Plato: *Verba, res levis; sed ex levi initio non leves inimicitiæ;* (πρῶτον μὲν ἐκ λόγων, χωρὶς πράγματος, ἔργῳ καὶ μῖσος καὶ ἔχθραι βαρύταται γίγνονται) quis non hic agnoscit usu venisse?

Scholastica quæ vocatur Theologia, Grammaticis, ut in verbis occupatis plerumque infestissima, si quis eam propius inspiciat, quàm tota sæpe sit in verbis, nisi qui longâ consuetudine penitus occalluit, agnoscet. Extant in eam rem non nostrorum tantùm, sed & illorum, qui in causa Religionis alia sentiunt, querelæ satis liberæ, & notæ; ut verbo rem tetigisse sufficiat.

Ad ipsos sinceræ omnis Theologiæ fontes nunc veniamus, τὰς θεοπνεύστους γραφάς. Quot verba, ajunt, tot mysteria. Ita passim Veteres: inter alios eleganter Chrysostomus: Καθάπερ ἐπὶ τοῦ αἰσθητοῦ θησαυροῦ ἐὰν μικρόν τι ψῆγμα λαβεῖν τις δυνηθείη, πολὺν ἑαυτῷ τὸν πλοῦτον ἐργάσαιτο· οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς θείας γραφῆς καὶ ἐν βραχείᾳ λέξει πολλήν ἐστιν εὑρεῖν τῶν νοημάτων τὴν δύναμιν καὶ ἄφατον τὸν πλοῦτον. Hoc quidem verissimum agnoscimus nos, & ultrà addimus, utcunque in eruendis his mysteriorum thesauris, tot hominum, imò tot ætatum desudaverit industria; infinita tamen adhuc superesse, quæ doctissimorum exerceant ingenia, & vel avidissimæ vetera fastidientium cupiditati possint abundè satisfacere. Sed, proh dolor! dum verborum ignari, aut certè incuriosi, ostentando ingenio, aut proposito suo inservientes, in singulis Sacræ Scripturæ verbis quærunt mysteria; quàm sæpe accidit, ut doctrina cœlestis in metam vertatur ματαιολογίαν & λεπτολογίαν; & res sacræ, tractantium imperitiâ, peritiorum (ni pietas contineat) ludibrio exponantur; aut ipsi certè vel modestissimis, sive lectoribus, sive auditoribus, ludibrium debeant? Non novum hoc, fateor, malum; sed nunc tamen eò magis pudendum, quò nobis ad verborum cognitionem longè majora in mundo præsidia, quàm Veteribus. Sed vereor ne hic quoque in loco minus jucundo verser.

Jam si quis Hæreticis contrà ire voluerit, quàm necessaria sit accurata verborum cognitio, vel unus Socinus exemplo sit; adeò subtilis verborum rimator, ut frustra sit futurus quisquis ex ejus laqueis expedire se, aut alios irretitos liberare voluerit, nisi pari subtilitate instructus in arenam descenderit. Agnoscent hoc qui scripta ab illo vel per transennam inspexerunt. De verbis ὁμοούσιος, ὁμοιούσιος; de *natura*, *substantia*, *subsistentia*, & similibus, quàm turbatum olim in Ecclesia, quantoque populorum motu, (gravissima quidem in re,

* Galenus *De Usu Part.* lib. ult.

† Arist. *De Partib. Animal.* lib. 1. cap. 5.

‡ Aretius Felinus, aliàs, Martinus Bucerus, Vir doctissimus, in Psalm. 1. vers. 6. *Sui simile verum est, à quocunque dicatur; & latet sæpe sententia eadem sub verbis in speciem diversis. Usu compertum habeo præcipuas tam apud priscos, quàm recentes dissensiones tantùm in verbis, non in re sitas; quibus tamen interim cœlum terra, & terra cœlo miscetur.* Edit. Argentor. anno Domini 1532.

re, ſed interdum tamen non adeò gravi de cauſſa, cùm neque qui eadem ſentirent, eadem ſemper loquerentur; neque qui in verbis conveniebant, in re ſemper conſentirent) teſtes illorum temporum Scriptores, & ex illis recentiores, qui Res tractarunt Eccleſiaſticas.

Sed præſtiterit fortaſſe uno aliquo de multis inſigniori exemplo, quàm neceſſaria ſit accurata verborum cognitio ad Sacræ Scripturæ explicationem, confirmare.

Ad Phil. cap. II. verſ. 6, 7. &c. Sancti Pauli, ad Philippenſes ſcribentis hæc de ſalutis authore Chriſto, verba ſunt: Τοῦτο γὰρ φρονείσθω ἐν ὑμῖν ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβὼν ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος. Vulgatus Interpres ita vertit: *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus.* Recentiores autem aliquantò clarius, ſed in eandem ſententiam: *Itaque is ſit affectus in vobis, qui fuit in Chriſto Jeſu: Qui cùm eſſet in forma Dei, non duxit rapinam parem eſſe cum Deo: Sed ipſe ſe exinanivit, formâ ſervi aſſumptâ, ſimilis hominibus factus.*

Ex obſcuriſſimis Sacræ Scripturæ locis hic meritò locus cenſeatur; quod qui ex ipſo verborum contextu (linguæ fortaſſe Græcæ ignari) minus, certè ex diverſis Interpretum commentationibus facilè intelligant. Vix alius in diſceptationibus cum Photinianis, imò & Lutheranis, nobilior, aut magis decantatus locus. Longum eſſet omnia colligere; & cuivis in promptu libri. Becmannus nuper, vir doctus, in Theologicis Exercitationibus haud pauca congeſſit. Receptiſſima vulgo eſt illorum ſententia, qui verba iſta, in quibus maxima difficultas, ἁρπαγμὸν οὐχ ἡγήσατο, in hunc exponunt ſenſum: *Chriſtus, cùm eſſet in æterna illa* (Bezæ ſunt verba) *Deitatis gloria conſtitutus, non ignoravit ſe in ea re* (*id eſt, quòd Deo Patri coæqualis eſſet*) *nullam injuriam cuiquam facere; ſed ſuo jure uti: nihilo minus tamen quaſi ſuo jure ceſſit, cùm ipſe ſe velut in nihilum redigeret, formâ ſervi acceptâ*, &c. Optima certè, ſi per ſe ſpectetur, ſententia, & veritati tam conſona, quàm quæ maximè: ſed quæ ſyntaxi verborum parum congruat, ne dicam, planè repugnet; ut alia omittam contra hanc interpretationem, quæ apud Eraſmum, magni judicii virum, legant, quibus animus & otium. Nec ſanè Veteres, Græci præcipuè, eò redacti fuiſſent, ut tam mira comminiſcerentur in hunc locum, ſi verba ipſa, verborumque contextus hanc interpretationem ferrent. Qualis hæc Chryſoſtomi interpretatio: * τί ἐστιν, Οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, &c. ὁ ἁρπάσας τι μὴ προσηκόντων, κατέχει τοῦτο διηνεκῶς, καὶ ἀποθέσθαι οὐκ ἂν ἕλοιτο, δεδοικώς, καὶ θαρρεῖν οὐκ ἔχων ὑπὲρ τῆς κτήσεως· ὁ δὲ ἀναφαίρετον ἔχων ἀγαθὸν, κἂν ἀποκρύπτῃ τοῦτο, οὐ δέδοικεν. *Chryſoſt. Tom. VI. λόγῳ ϛ.* Omitto cætera, quæ ab illo tum hîc, tum Commentariis in Epiſtolas benè multa afferuntur, quibus hanc confirmet expoſitionem.

Alii igitur ut contextui melius conſulerent, hanc interpretationem commenti ſunt: *Non rapuit æqualitatem Dei*, id eſt, *non eſt uſus ſuâ potentiâ contra vocationem; non exercuit ſuas vires; ſed ſemet ipſum humiliavit, & exinanivit, formam ſervi accipiens*, &c. Ut τὸ ἁρπαγμὸν οὐχ ἡγήσατο perinde ſit ac ſi dixiſſet Apoſtolus, οὐχ ἡρπάσατο· ut in Epiſtola ad Hebræos, κοινὸν ἡγησάμενος, pro κοινώσας, vel κοινωσάμενος. Et hanc quidem interpretationem verbis ipſis, ſi cohærentia cum ſequentibus ſpectetur, aptiorem, quàm priorem, nemo linguæ Græcæ peritus inficias iverit. Sed interim quo dici poſſit exemplo *rapere*, qui quod ſuum eſt ſibi ſumit, in dubium ſi quis revocet, quid reſponderi poſſit, ego non video. Non nova eſt hæc interpretatio, jam olim notata à Chryſoſtomo, & ab ipſo exploſa. Dices de Chriſto, ut Deo, non iſta voluiſſe Paulum? Hoc equidem velint Arriani, & magno mercentur quicunque ab illis, ut ſibi concederetur. Agnoſcit Eraſmus his verbis Apoſtoli, ut præcipuâ quâdam clavâ, Veteres contra Arrianos pugnaſſe. Quam tamen ipſe repudiat, ne vim Sacræ Scripturæ, quanquam in bona cauſſa, inferre cogatur.

Quid igitur nos? Hoc utique: duarum iſtarum vocularum ἁρπαγμὸς & ἡγεῖσθαι non ſatis animadverſam vim, tantas huic loco tenebras offudiſſe. Ἁρπαγμὸς vel ἁρπαγὴ (nam eadem eſſe nemo dubitat) haud rarò Græcis pro *præda* aut *ſpoliis*, quæ partâ victoriâ aut expugnatâ urbe victoribus cedunt. Vel unicus Polybii locus id abundè doceat. Polybius igitur Hiſtoriæ ſuæ libro x. ubi de direpta Carthagine, & eâ occaſione de more tractat (in quo exponendo multus eſt) in dividendis ſpoliis à Romanis obſervari ſolito, tribus diverſis ad unam eandemque rem, prædam ſcilicet, exprimendam verbis utitur. Verba illa, ὠφέλεια, ἁρπαγὴ, λάφυρον. Exempli cauſâ, cùm paulò antè dixiſſet, μηδὲ πρὸς

τὴς

τῆς ὠφελείας ὁρμᾷν, &c. paucis pòst lineis idem extulit, ὥρμησαν δὲ πρὸς τὰς ἁρπαγὰς, &c. Spoliorum autem vel prædæ commemoratione insolitam quamvis exultationem παροιμιακῶς ab Hebræis exprimi solitam, non pauca Veteris Testamenti loca, quæ dubitanti fidem faciant.

Isaiæ cap. IX. vers. 3. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe; sicut exultant* (victores scilicet) *quando dividunt spolia.*

Ejusdem, cap. LIII. vers. 12. *Idcircò partem dabo ei pro multis*, (vel ut alii melius, *dabo ei partem eximiam*) *ut cum robustis partiatur prædam*, (quod alii, *ubi inter præliatores spolia dividentur*) *pro eo quòd profundit in mortem seipsum*, &c.

Psalmo CXIX. vers. 162. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* Prov. cap. XVI. vers. 19. *Melius est humiliari cum mitibus, quàm dividere spolia cum superbis.*

Huc etiam faciunt haud dubiè & ista, etsi longè aliter à multis exposita, Psalm. 76. vers. 4. נאור אתה אדיר מהררי הרף. *Illustris tu, magnificus, præ montibus prædæ.* Quod optimè Vulgata nostra Anglicana: *Thou art more glorious and excellent than the mountains of prey.*

Eodem quoque Jerem. cap. XLV. vers. 5. & multis aliis locis לשלל נפש pertinere quis dubitet? Ait ibi Propheta, aut per Prophetam Deus potius, ונתתי לך את נפשך לשלל: *Dabo tibi animam tuam pro spolio in omnibus locis, quò abiturus es.* Quorum verborum summa est elegantia, & emphasis mira. Intercedente enim apud Deum pro Barachia suo Propheta Jeremiâ, (quid autem sibi de tam gratioso apud omnipotentem Dominum parario non promitteret ille?) respondet Deus, quanquam temporis universim (ex irrevocabili jam sententia) tristissimi ratio non ferat, ut alia Barachiæ concedat; se tamen vitam illi propriam largiturum, quæ in tantis periculis, in tanta perdentium ac pereuntium undique multitudine, in non minorem cessura sit ipsi lætitiam & exultationem, quàm si de victis hostibus spolia ampla reportasset. Græci Interpretes elegantissimè, εἰς εὕρημα. Ita enim non Xenophon tantùm, sed Thucydides & alii nonnulli τὸ εὕρημα usurpant, pro eo quod magis vulgare, τὸ ἑρμαῖον, aliis.

Ad vocem autem ἡγεῖσθαι quod attinet; ut Apostolus hic, τὸ ἁρπαγμὸν ἡγήσασθαι, planè similiter & Cicero suum illud, *ostentationem putare*; ut cùm dicit: * *Quotus enim quisque Philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vitâ constitutus, ut ratio postulat; qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet; qui obtemperet ipse sibi, & decretis suis pareat?* Verbi autem ἡγήσασθαι cum diversis aliis substantivis eâ notione conjuncti, varia passim apud varios exempla. Dionysius Halicarnasseus, Antiquitatum Romanarum libro III. ubi de Romuli morte disserit, variisque pro cujusque affectu super ea opinionibus: Οἱ δὲ χρηματισμὸν (inquit) ἡγούμενοι τὸν πόλεμον, καὶ μεγάλων ἀποστερεῖσθαι νομίζοντες ὠφελειῶν, εἰς ἐπιβουλὴν καὶ φθόνον ἀνθρώπων τὸ ἔργον μετέφερον, &c. Vertit Interpres: *Alii, qui quæstus gratiâ geri bella judicabant, seque magnis privari commodis existimabant, humanis dolis & invidiæ imputabant totum negotium*, &c. Simplicius erat cum Cicerone dicere: *Qui verò bellum quæstum putabant, & se magnis commodis* (ὠφελειῶν, ex prædatione scilicet & spoliis, ut modò in Polybii loco vidimus) *privari reputabant.*

* Cicero lib. II. Tuscul. haud procul ab initio.

Idem schema loquendi, quamvis non idem verbum, 1. Tim. cap. 1. vers. 6. Παραδιατριβαὶ διεφθαρμένων ἀνθρώπων νομιζόντων πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν· ubi contra proprietatem Græci sermonis ita vertunt quidam, ut τὴν εὐσέβειαν, quod subjectum est, (ut cum Dialecticis loquamur) ipsi prædicatum faciant. Non ovum ovo similius, quàm est ista phrasis Paulina Dionysianæ phrasi; articuli in utroque idem situs, eadem vis. Sunt autem, qui τὸ ποιήσασθαι, pro ἡγήσασθαι eodem sensu usurpent. Ita Gregorius Nyssenus contra Eunomium libro primo: ὁ τὴν προσόδων ἀφορμὴν τὴν τοῦ δόγματος προστασίαν πεποιημένος. Vertit Gretserus: *Qui doctrinæ suæ professionem pro quæstu habuit.*

Porrò quod Cicero, ut modò videbamus, enunciavit, *qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet*, &c. id Cornelius Nepos in *Vita Attici* sic expressit: *Nam & principum Philosophorum ita percepta habuerat præcepta, ut his ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur.*

Hoc igitur dicit Apostolus: Christum hominem verum, cùm verus esset idem Deus, non cum tamen affectibus humanis indulsisse, ut Divinitatem, vel *Deitatem suam spolium*, (id est, ostentationis & exultationis materiam) *putaret*; vel, ut cum Cornelio Nepote loquamur; Christum hominem, cùm in terris ageret, non duxisse sibi faciendum, ut *Numine suo ad ostentationem uteretur*; sed contrà, exinanitionis statum prætulisse, &c. Maluit autem fortasse Apostolus τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, quàm τὸ Θεὸς εἶναι dicere, quia in illis verbis major

jor quædam videtur ostentationis esse significatio.

Non puto cuiquam scrupulum jam superesse ullum de vero & germano sensu horum verborum; cùm præterea liceat observare, ipsum verborum contextum & tenorem tantum per se potuisse, ut hanc interpretationem quibusdam vel invitis, ut ita dicam; nullis alioqui certè, quibus eam tuerentur aut Lectori probarent argumentis suffultis, extorqueret. Cornelius à Lapide, Vir doctissimus & diligentissimus, post commemoratas priores interpretationes, quas tres ille (ego duas tantùm, quæ aliquid differunt, animadverto) numero constituit; hæc addit:

,, Nota. Rapina hæc, est arrogantia,
,, vel arrogantiæ effectus. Rapere enim
,, alterius gloriam, est eam sibi arroga-
,, re. Ita Augustinus ubi suprà. Secun-
,, dò, ut Chrysostomus & Vatablus, per
,, metalepsin rapere significat rem ali-
,, quam perinde ac si rapta esset, stu-
,, diosè & contentiosè retinere: quasi
,, diceret, Christus non rapuit, non
,, ambivit; ut Lucifer, Isaiæ cap. XIV.
,, vers. 13. æqualitatem Dei; nec ut ra-
,, ptores solent, raptum (dum malè sibi
,, conscii metuunt ne illud amittant)
,, studiosè servavit, & ambitiosè defen-
,, dit, sed potius spontè, quasi legiti-
,, mus dominus deposuit, id est, cela-
,, vit, seque exinanivit, &c. Hoc enim
,, exigit particula adversativa, *sed*, quæ
,, sequitur cùm ait, *sed semetipsum exi-*
,, *nanivit.* Alioquin non tam adversa-
,, tiva erit, quàm explicativa, capie-
,, turque impropriè, *sed*, pro, *verun-*
,, *tamen.* Hactenus ille.

Joannes Camero *ὁ μακαρίτης*, Vir cruditissimus, & in solvendis *τοῖς ἀπ⁽ροις* Sacræ Scripturæ, & obscuris elucidandis plerunque solertissimus & acutissimus, hoc ipsum quod nos hìc, dudum vidit, & clarissimè expressit, his verbis:

,, Vers. 6. Ο'υχ' *ἁρπαγμὸν ἡγήσατο*, &c.
,, Phrasis est sumpta ab eo, quod tum
,, fieri solebat: Victores nempe hostium
,, spolia detracta atque erepta in tro-
,, phæum erigebant. Itaque optimè ista
,, sic Gallicè vertas: *Il ne fit point de*
,, *triumphe* (*ou*, *trophée*) *de ce qu'il étoit*
,, *égal à Dieu*; hoc est, non jactavit,
,, non visus est gloriari & insolescere.
,, Hortatur nempe fideles Apostolus ad
,, humilitatem, argumento ab exemplo
,, Christi ducto, qui cùm Deus esset,
,, non ut Deum sese gessit, non id pa-
,, lam patefecit, ab ostentatione & glo-
,, ria alienus; sed servi formam assum-
,, psit.,,

Non igitur nova est hæc interpretatio, nec eam mihi vindico; quanquam qui idoneis aut ullis omnino argumentis eam fulciret & adstrueret, hactenus, quod sciam, nemo fuerit.

Ad Syriacam horum verborum versionem quod attinet, ut planè non ausim præstare verba Apostoli, ut à nobis exposita sunt, ab illo Interprete accepta esse; ita nihil video, cur ita rem habere verisimile non sit. Verba enim חטף & חשב, quibus ille utitur, in hanc sententiam non incommoda; quorum, posterioris præcipuè, in Sacra Scriptura exempla quærentibus erunt obvia. Cæterùm Syriaca hæc, quæ vertens Tremellius, Vir alioqui doctissimus, ad receptam, (more nimis recepto) vulgò sententiam detorserat; Junius in Notis veriùs & simplicius expressit: *Non fuit rapinam æstimans illud, quòd esset æqualis Deo; sed animam suam exinanivit*, &c.

DUDUM est, cùm hæc scripta, & Typographo tradita. Interim dum ego domo absum, & ille reditum meum, quò emendatiora prodirent, quæ tradita fuerunt, expectat; quod alicubi Poëta,

Differ; habent parvæ commoda magna moræ;

id hìc usu mihi (Lectori quoque non incommodè fortasse) venisse spero. Ita enim certè contigit, ut interim Viri summi, Hugonis Grotii, *Annotationum in Novum Testamentum Tomus II.* insperatò se mihi conspiciendum potiendumque præberet. Quanquam erant alia passim, ut in Opere tam eximio, quæ oculos meos volventis allicerent, ad hunc tamen Apostoli ad *Philippenses* locum, qui, ut insignis præter alios & maximi momenti locus, menti meæ præcipuè tum obversabatur, quàm potui, properavi. Quod ipso vivente præ me tuli semper, id jam de vita functo profiteri palam non pigebit, eum esse me, qui scripta Grotii peculiari quâdam, ob admirationem judicii & ingenii, (quæ summa in illo, si quid ego judico; præter inaffectatam purissimi styli simplicitatem, fuerunt) veneratione prosecutus sum. Nutationes ejus & fluctuationes in Religionis negotio non excuso: quanquam illum alioquin de re & Veritate Christiana adeò benè meritum censeam, ut si quid illi secus acciderit aut exciderit, id commodâ potius, quoad ejus fieri possit, interpretatione leniri debeat ab iis, quibus pietas cordi est, quàm summi rigore juris exaggerari. Cæterùm, nullius unquam (qui non afflatus cœlitùs) mortalis hominis authoritas apud me tanti; nullius admiratio tantum potuit, ut ab illo dissen-

ſentire, ſi probabilis ratio ſuaderet, religioni eſſet. Lectis igitur, quæ Vir ſummus & incomparabilis in hunc locum ſcripſit, cùm graves in re graviſſima diſſentiendi cauſſas habere me perſuaſum haberem, eas hîc pro debito promovendæ tuendæque Veritatis ſtudio, exponere, & æquo Lectori perpendendas proponere viſum eſt.

Non jam de ſenſu verborum illorum, ἁρπαγμὸν ἡγήσασθαι, (de quibus hactenus) agemus tantùm, quæ non multò aliter, (quanquam aliis innixus fundamentis) interpretatur & ipſe Grotius, quàm ut nos debuiſſe contendimus; ſed de ſcopo totaque integræ illius pericopæ ſententia, quâ de Chriſti ex alto faſtigio ad poſtremam ferè humilitatem *Exinanitione* tractat Apoſtolus.

Primò igitur, quò Lectori ſit facilius judicium; ſed eo præcipuè, ne fortè aliquam ſummo Viro in ſententia ejus exponenda vel imprudentes injuriam faciamus, integra ipſius verba hîc apponemus; poſteà verò, quæ nos illis opponenda judicavimus.

Hugo Grotius Annotat. in Novum Teſtamentum, Tom. II. *pag.* 606. &c.

Philipp. II. verſ. 6. &c. ὋΣ ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων.] Μορφὴ in noſtris libris non ſignificat internum & occultum aliquid; ſed id quod in oculos incurrit, qualis erat eximia in Chriſto poteſtas ſanandi morbos omnes, ejiciendi dæmonas, excitandi mortuos, mutandi rerum naturas: quæ verè divina ſunt, ita ut Moſes, qui tam magna non fecit, dictus ob id fuerit Deus Pharaonis. Vocem μορφῆς, quo dixi ſenſu habes Marci XVI. verſ. 12. Eſaiæ XLIV. verſ. 13. ubi in Hebræo תבנית. Dan. IV. verſ. 33. cap. V. verſ. 6. 10. VI. verſ. 28. ubi in Chaldæo זיו. Job. IV. verſ. 16. ubi in Hebræo תמונה.

Οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ.] Ἁρπαγμὸν ἡγεῖσθαι, eſt locutio Syriaca. In Liturgia Syriaca Joannes Baptiſta Chriſto baptiſmum ab ipſo expetenti dicit, לא אלבוך נולתא, *non aſſumam rapinam.* Solent qui aliquid virtute bellicâ peperere, id omnibus oſtentare, ut Romani in triumpho facere ſolebant. Non multò aliter Plutarchus in Timoleonte, οὐχ ἁρπαγὴν ἡγήσατο. Senſus eſt: non venditavit Chriſtus, non jactavit iſtam poteſtatem: quin ſæpe etiam imperavit, ne quod fecerat, vulgaretur. Ἴσα hîc eſt adverbium. Sic Odyſſ. O, Τὸν νῦν ἴσα Θεῷ Ἰθακήσιοι εἰσορόωσι. Ἰσόθεα φρονεῖν dixit Scriptor lib. II. Maccab. IX. verſ. 12. Εἶναι ἴσα Θεῷ eſt ſpectari tanquam Deum. Vide hujus loci uſum egregium Euſebii V. verſ. 2.

Ἀλλὰ ἑαυτὸν ἐκένωσε.] הריק. Planè idem ſenſus, qui 2. Cor. VIII. verſ. 9. Ὅτι δι' ὑμᾶς ἐπτώχευσε πλούσιος ὤν. *Nam inopes* dicuntur κενοὶ, Gen. XXXI. verſ. 42. Luc. I. verſ. 53. Jud. XI. verſ. 3 ubi in Hebræo eſt, אנשים ריקים: Græco, ἄνδρες κενοὶ: Latinus vertit, *viri inopes.* Itaque ἑαυτὸν ἐκένωσε eſt, *libenter duxit vitam inopem:* Matth. VIII. verſ. 20.

Μορφὴν δούλου λαβών.] Similis factus eſt ſervis, qui nihil proprium poſſident. Hîc ponenda διαστολή. Incepit enim jam ἀντίθετον aliud.

Ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος.] Cùm ſimilis eſſet hominibus, illis nempe primis, id eſt, peccati expers, 2. Cor. V. verſ. 21.

Καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος.] Σχῆμα hîc eſt ἀξίωμα, dignitas conſpicua, ut apud Græcos ſæpe, quam vocem hîc ſervavit Syrus, & εὑρεθεὶς eſt נמצא *conſpectus eſt*, ὡς ἄνθρωπος, כאדם tanquam Adam, qui ὁ πρῶτος ἄνθρωπος. Dignitate talis apparuit qualis Adam, id eſt, dominio in omnes creaturas, in mare, ventos, panes, aquam: ob quam cauſam id, quod de Adamo dictum fuerat in Pſalmo VIII. Chriſto μυστικῶς applicatur.

Ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν.] Non pro ea dignitate ſe geſſit, ſed humiliter admodum, ita ut & pedes diſcipulis lavaret, Joh. XIII. verſ. 12. 13. Sicut ἐκένωσε, ita ἐταπείνωσεν, formæ ſunt Hiphil, ſed ſignificant, talem ſe exhibere, aut oſtendere. Sic & Latini dicunt, *comem ſe facere.*

Γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου.] Factus eſt obediens, nempe hominibus, tam Judæis, quàm Romanis. Non oppoſuit vim illam divinam capientibus ſe, damnantibus, interficientibus. Tantas injurias libenter pertulit bono humani generis.

Θανάτου δὲ σταυροῦ.] Quod ſupplicium & ſummè atrox (nam & inde cruciare, & cruciatus) & maximè deſpectum. Appianus Civilium II. ἐκρεμάσθησαν ὅσοι θεράποντες ἦσαν. Servus apud Plautum: *Scio ego crucem fore mihi ſepulchrum.*

Hactenus ille. Priuſquam ad ſingulas voces accedimus, hoc in genere de illo, qui maximè controvertitur verborum ſenſu præfari libet, & authoritate Veterum, quorum notatus aliis hac in re conſenſus, (ut recentiores omittam) & ex ipſo verborum tenore perſuaſiſſimum nobis eſſe, tam divinam quàm humanam Chriſti naturam his verbis ab Apoſtolo adſtrui: divinam quidem illis, ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων οὐχ ἁρπ. ἡγησ.

ἡγήσ. τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Humanam autem, aliis quæ ſequuntur haud unis; de quo vix quiſquam dubitat; ſed quibus tamen potiſſimùm, cùm alii μορφὴν δέλυ; alii autem, ἐν ὁμοιώματι τ̃ ἀνθρώπων, &, σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπ☉, in eam rem præcipuè laudent & urgeant, nec in eo primæ noſtræ *Proteſtantibus* inter ſe planè conveniat, nos quoque judicii noſtri libertate, quæ præcipuæ ſententiæ minimè incommodatura eſt, utemur ſcilicet. Ita igitur ſentimus; Apoſtolum ſtupendam illam Chriſti Dei κένωσιν à duobus præcipuè capitibus commendare: primò quidem, quòd homo factus ſit, vel humanam potiùs naturam Deus aſſumpſerit; ſecundò autem, quòd homine aſſumpto, abjectiſſimam conditionem, ſervilem ſcilicet elegerit. Hæc duo, opportunâ, in re tanta & tam incredibili, ἐπιμονῇ, continuis duobus verſiculis repetit. In priore verſiculo, μορφὴν δέλυ λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρ. γενόμεν☉, (niſi ita vertas, *formâ ſervi acceptâ, cùm ſimilis hominibus factus eſſet*) videtur eſſe quoddam ὕϛερον πρότερον, cujus generis plura obſervarunt in his Libris eruditi. Hæc ordinis cauſſâ quamvis ita ſtatuamus, non tamen humanam naturam à μορφῇ δέλυ excludimus: imò ſi ſola hæc eſſent, non alia verba requireremus, quibus illam aſſereremus. Non enim poteſt (præcipuè cùm unum idemque μορφή verbum utrumque ſignificet) à conditione ſervili, humana; ut nec à majeſtate Dei (ut hic rectè non unus diſputat) divina natura ſeparari. Nunc ſingula expendamus.

Ὃς ἐν μορφῇ Θεῦ ὑπάρχων.] Μορφὴ, ait Vir maximus, *in noſtris libris, non ſignificat internum & occultum aliquid*, &c. Rectè, modò nihil obſtet, quò minùs uſitata verbi ſignificatio retineatur. Tum enim certè uſitatam ſignificationem minùs uſitatæ præferre rectum eſt. Nam alioquin nullum non ſcriptorum genus earum vocum exempla ſuppeditat, quæ vel raro, vel fortaſſe apud eundem Scriptorem non omninò niſi ſemel tali notione, quam contextûs ibi ratio manifeſtò requirit, occurrant. Imò non pauca, quæ longè diverſo, vel etiam contrario ſenſu unâ eâdemque paginâ, ne dicam, ſententiâ: quale quod apud Thucydidem, θέσθαι τὰ ὅπλα, pro *arma ſumere*, & *deponere*, intra unius ambitum ſententiæ, à doctis notatum. Ita fert communis loquentium uſus. Ecce, ne longè abeamus, in his Apoſtoli verbis iſta duo, σχῆμα, & ἄνθρωπ☉, novo planè ſenſu, cujus in Sacris Libris nulla alibi ſunt exempla, accipit Vir magnus, ut poſteà videbimus; hoc autem quàm verè, nihil attinet hîc dicere. Certè Joh. XVII. verſ. 17. & 19. in Chriſti prece, τὸ ἁγιάζειν, aliter cùm de Chriſto dicitur, aliter cùm de diſcipulis, non Grotius tantùm; ſed quantùm eſt, opinor, Interpretum, exponunt. Talia non pauca aliis animadverſa, quæ non hîc congeram. Hic autem cur μορφὴ non de exteriore tantum ſpecie ſumendum ſit, vox ὑπάρχων, (ſi propiùs vis illius, non tamen obvia valde, fateor, attendatur) non leve argumentum. Quanquam ſi per μορφὴν, divinæ quidam ſplendor Majeſtatis extra ſeſe quoquo modo manifeſtans, & creaturis quibuſcunque viſendus intelligatur, nihil ultra poſtulamus. Sed in eo præcipuè cauſſa vertitur, utrum hæc Apoſtolus de Chriſto Jeſu ante, vel poſt Incarnationem; ſeu aſſumptam naturam humanam. Si enim de Chriſto nondum nato vel incarnato hæc dici concedantur, μορφῇ Θεῦ ipſam Dei ὀσίαν ſi non exprimi, certè innui & includi nemo dubitaverit. Sed hoc non concedunt qui in hac cauſſa nobis adverſi ſunt, non μορφὴν δέλυ tantùm, ſed & quæ ſequuntur, ἐν ὁμοιώματι τῶν ἀνθρώπων, &c. ad conditionem ſervilem reſtringentes. At Vir magnus illorum exceptiones, in quibus, ut videtur, ſatis ſibi fore præſidii deſperabat, nihil moratus, novam, proprio fiſus ingenio, rem conficiendi rationem excogitavit; nullo Authore veteri, nullâ, quod ſciam, vel vetere, vel nova Verſione ſuffragante. Sed de eo poſteà ſuo loco. Quod autem per μορφὴν Θεῦ Chriſti miracula innui cenſet, non primus hoc ille cenſuit, & miror in re tantâ tam facilè ſibi perſuaderi ſiviſſe. Ego libenter de vetere aliquo Scriptore locum proferri mihi velim, ubi poteſtas eximia talis qualis hîc deſcribitur, μορφὴ Θεῦ nuncupetur. Notiſſimâ ſiquidem & vulgatiſſimâ (quod valde ſolent urgere, qui nobis hunc locum conantur eripere) ſignificatione, μορφὴ eſt exterior forma, ſpecieſve, quæ ex vultu, geſtu, cultuve in oculos incurrit; non quæ ex factis. Imò, μορφὴ, propriè talis *forma*, quæ geſtis admirandis & eximiæ poteſtati non raro apud probatiſſimos Scriptores opponitur. Miranda erant, ſi non miracula, Alexandri Magni geſta, quæ qui videbant, audiebantve, tanquam Numen aliquod ſuſpiciebant. An igitur quiſquam ita locutus, ut hæc Alexandri geſta, hanc virtutem & fortunam, θείαν μορφὴν, aut Θεῦ μορφὴν in Alexandro dicturus fuerit? Certè Alexandri ipſius μορφὴ ſimpliciter longè alia res: de qua ita Quintus Curtius: *Interrito vultu Re-*

gem

gem Thalestris intuebatur, habitum ejus haudquaquam rerum famæ parem oculis perlustrans. Quippe hominibus Barbaris in corporum majestate veneratio est, magnorumque operum non alios capaces putant, quàm quos eximiâ specie donare natura dignata est. En, ut *eximia species*, (θείαν vel θεοπρεπῆ μορφὴν, id est, ὑπερφυῆ non malè vertas) *eximiæ potestati* opponatur. Atque ita in omnibus illis locis, quos indicavit Vir magnus, μορφὴ de forma corporis externa propriè, non de eximia aliqua potestate accipitur. Nec igitur in Christo μορφὴ Θεοῦ, non vulgari saltem notione, de miraculis ejus & eximia potestate exponi debuit; aut eo nomine altera illa μορφῆς, de forma essentiali, significatio quòd minus esset vulgaris & usitata, repudiari. Quod autem præterea Vir magnus de Mose, *Deus Pharaonis* dicto, adfert, quanquam non desunt viri doctissimi, qui aliam nuncupationis ejus rationem reddant; non tamen juvat ipsius caussam, quod sciam, si concedatur illi, qui divina operentur, *Deos* olim apud multos esse nuncupatos, aut habitos; cùm non de voce *Dei*, sed de voce μορφὴ sit omnis controversia. Ecce, Actor. XIV. Paulus & Barnabas divina inter Lycaonas operati, *Dii* nuncupari ab attonito vulgo meruere; qui tamen vulgus non μορφὴν Θεῶν ideò iis tribuit, sed exertè ὁμοίωμα (quod tantundem ac si μορφὴν dixisset) τῶν ἀνθρώπων. Sed pergamus.

Οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο.] In uno illo, quod ex Liturgia Syriaca, à Fabr. Boderiano edita, profert Vir magnus exemplo, nihil admodum video, cur ἁρπαγμὸν ἡγήσασθαι, sensu Apostoli, phrasis dicatur Syriaca: ne id quidem, cur *rapinam assumere*, vel, *per rapinam sumere*, pro, alienum jus, vel contra jus aliquid usurpare, sit Syrorum proprium. Verborum Apostoli longè alia ratio. Ex iis, quæ in priore disputatione attulimus, liquere possit, φράσιν illam partim esse Hebraicam, partim verò Græcam; imò & Latinam. Ad sensum verborum quod attinet, quem probat Vir magnus, Cameronem, de quo nos anteà, videtur expressisse; & de hoc ipsius consensu, quo nostra sententia confirmetur, admodum lætamur. Quanquam jam olim & Theodoretus ita interpretatus, qui τὸ ἁρπαγμὸν οὐχ ἡγήσατο, per, οὐ μέγα τοῦτο ὑπέλαβε, exponit. *Non multò aliter*, ait Vir magnus, *Plutarchus in Timoleonte*, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο. Ego ista verba in Plutarchi Timoleonte quæsivi, nec inveni hactenus. Quæ proximè ad hæc accederent, ista se mihi obtulere: Οὐχ ἥρπασαν οἱ Κορίνθιοι τὴν πλεονεξίαν. Favent hæc verba illorum interpretationi, qui οὐχ ἁρπ. ἡγήσ. idem esse volunt ac si dixisset Apostolus, οὐχ ἥρπασεν, aut ἡρπάσατο· ad hanc, quam tuetur Vir magnus, quomodo pertineant, non satis assequor. Sed potest fieri ut alibi in Plutarcho occurrant, quæ in Timoleonte non invenio. Sin aliter res habet, suspicor Virum magnum ita potiùs scripsisse, *Non multò aliter* Plutarchus *in Timoleonte*. Ἁρπαγ. οὐχ ἡγήσατο, *sensus est*, &c. & loco alieno vel ab Exscriptore, vel à Typotheta distinctiones esse positas. Aliud huic planè geminum παρόραμα paulò pòst notamus.

Ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε.] Cur τὸ κενόω ad paupertatem, quanquam interdum ita usurpatum inveniatur, hìc restringatur, nulla caussa est. Laxior illa vocis *inanitionis* in genere significatio, ad vilitatem & οὐδένειαν humanæ conditionis, si cum divina comparetur, exprimendam ut est magis apposita, ita & Apostoli proposito magis accommoda. Apostolo propositum, incredibilem Christi ταπείνωσιν ob oculos ponere, qui ex μορφῇ Θεοῦ, ad μορφὴν δούλου, suscepto homine, descenderit. Deo, qui τὸ πᾶν ἐν πᾶσι, propriè competit omne πλήρωμα. Homine autem nato quid levius, aut κενότερον? Quod graphicè admodum divinus Psaltes ita expressit: * *Tantummodò vanitas sunt* (utor versione Junii) *nati plebeio homine; mendacium sunt nati præstante viro; lancibus illi simul impositi, ascensuri essent supra vanitatem.* Quod autem notat Vir magnus, eundem esse verborum istorum sensum, qui & illorum 2. Cor. VIII. vers. 9. ὅτι δι' ἡμᾶς ἐπτώχευσε πλούσιος ὤν, eandem sanè argumenti vim esse, à Christi exemplo sumptam, libenter illi concedam; non & eundem planè utrobique scopum. Hic enim propositum Pauli, ad humilitatem; illic, ad beneficentiam cohortari. Ibi igitur Christum proponit πλούσιον, id est, in exuberantissimæ felicitatis possessione, ut Deum, constitutum, paupertatem, ut nos ditaret, non detrectantem: hic autem eundem in æternæ fastigio Majestatis, ad humanæ naturæ conditionem, sortemque ex humanis abjectissimam sese demittentem. At ibi quoque Vir magnus vocem πλούσιος aliò trahit; quasi miraculorum potestas, & divitiæ essent naturâ affinia. At longè aliter exempla in Sacra Scriptura proposita. Quid Eliæ potestate magnificentius? Ejus autem vita quantum à postrema paupertate plerunque aberat? Annon & alii pariter non pauci, qui cum Petro dicere potuerunt: Ἀργύριον καὶ χρυσίον οὐχ ὑπάρχει ἡμῖν, ὃ δὲ ἔχομεν,

* Psalm. LXII. vers. 10.

μειν, τοῦτο δίδωμι, &c. Actor. III. verſ. 6. Inde eſt, quod famoſus ille in Hiſtoria Sacra & Eccleſiaſtica Simon, diræ execrationis carmen audire meruit, quòd donum Spiritûs Sancti, quo miracula (ut ex verſu 13. * colligere eſt) patrarentur, pecuniariâ æſtimatione ſibi comparare voluerit. Chriſtus autem quatenus Deus, optimè πλούσιος indigitetur, ut qui fons omnis boni unicus, verus δοτὴρ ἐάων, ſæculares aliis divitias diſpenſet, 1. Chron. XXIX. verſ. 12. cujus, *terra & plenitudo ejus:* Pſalm. XXIV. verſ. 1. alibique.

* Actor. VIII.

Μορφὴν δούλου λαβών.] Per μορφὴν δ. conditionem hominis abjectiſſimam & infimam, quæ ſupremæ, Deitatis, opponatur, multò probabilius hîc indicari, quàm eò propriè reſpici, quòd ſervi *nihil proprium poſſideant*, ut cenſet Vir magnus. Huc pertinent verba Ciceronis: *Meminerimus autem & adverſus infimos juſtitiam eſſe ſervandam. Eſt autem infima conditio & fortuna ſervorum.* Pergit Vir magnus: *Hîc ponenda*, ait, διαστολή· *incipit enim jam ἀντίθετον alıud.* Imò, hîc incipit novum commentum, cujus alium quemvis potiùs authorem (ſi tamen ille author) fuiſſe optarem, quàm tanti ingenii virum.

Ἐν ὁμοιώματι ἀνθρ. γενόμ.] Notum eſt, & à viris doctis fusè probatum, has voces, ὡς, ὁμοίωμα, & alias ſimiles, apud Hebræos rem ipſam paſſim denotare. Ita interdum & vox *effigies* apud Latinos, ut & *imago*, rem ipſam ſignificant. Quanquam non diſplicet, quod ex Græcis Scholiis à nonnullis hîc affertur: Διὰ τί δὲ εἶπεν, ὁμοίωμα ἀνθρώπων; ἐπεὶ εἶχέ τινα ὑπὲρ ἄνθρωπον· τὸ εἶναι καὶ Θεόν· τὸ ἀνδρὸς συνουσίας παχθῆναι. Eò igitur ſpectant iſtæ exceptiones, ut Chriſtum, qui exteriori ſpecie non alius quàm purus putus homo apparebat, non ψιλὸν ἄνθρ. fuiſſe innuant, nec aliorum hominum lege natum. Huc etiam facit, quod Scriptor Epiſtolæ ad Hebræos carnem Chriſti, *Divinitati ipſius oppanſam*, ut Grotii ipſius verbis utar, καταπέτασμα, & Græci Patres προκάλυμμα nuncupant. Quanquam enim utraque in Chriſto natura pari veritate, ratio tamen & uſus loquendi poſtulat, ut à nobiliore & potiore potiſſimùm cenſeatur & denominetur. Quod autem Vir magnus per ἀνθρώπους, *primos homines*; & per ἄνθρωπον, *Adamum*, à Paulo innui ſciſcit, id, ut liberè dicam quod ſentio, ſive rem ſpectes, ſive verba, nullâ mihi veri ſimilitudine niti videtur. Nam nullibi, quod ſciam, de primis illis hominibus, aut Adamo ſeparatim tam divina & magnifica prædicantur, ut Chriſtus, cui modò μορφὴ Θεοῦ peculiari quâdam ratione tribuebatur, idem nunc Adamo & primis hominibus comparetur. Quæ Pſalm. VIII. glorioſè de homine canuntur, multò plures ſunt, qui de toto genere, quàm qui de Adamo uno exponunt. Adamus ad illam dignitatem, ſi innocens perſtitiſſet; in Adamo autem univerſum genus humanum creatum. Si jus itaque ſpectemus primigenium, eadem omnium hominum ratio eſt. Si poſſeſſionem, ne Adam quidem tam diu fuit in poſſeſſione, ut ei jure quiſquam privatim gratulari debuerit. Quanquam ne nunc quidem adeò penitùs exciderunt eâ dignitate homines, ut non illa tam magnifica hominibus univerſim modo quodam competant. Hinc eſt quod & apud Ethnicos haud minùs magnifica de hominis dignitate & abſoluto quodam in cætera quævis animalia imperio reperire eſt. Legantur, quæ Plutarchus hac de re in tractatu περὶ τύχης, & Plinius *Natural. Hiſtor.* lib. VIII. cap. 4. ut alios omittam. Adami inter priſcos Heroas, quorum laudes proſequitur, non meminit Author *Eccleſiaſtici*. Aliquid Author *Sapientiæ*, ſed parcè. Noſter autem Apoſtolus 1. Cor. XV. Chriſtum cum Adamo ita contendit, ut diſcrimen inter illos immane quantum ſtatuat. Quis verò credat, ſi de Adamo aut primis adeò parentibus cogitaſſet hic Apoſtolus, eum, ἄνθρωπον aut ἀνθρώπους nudè ac ſimpliciter dicturum fuiſſe, cùm illo, quem diximus, loco de Adamo acturus, non contentus dixiſſe, πρῶτος ἄνθρωπος, quod ſufficere poterat; proprium etiam nomen *Adam* addiderit? Tuam fidem libenter, ſi liceret, Vir magne, convenirem, ſerione in animum tuum inducere potueris ita intellecta à primis illis, ad quos ſcribebat, Chriſtianis Apoſtoli verba; vel Apoſtolum in re tanta ita conſulto conſilio locutum, ut à nemine intelligeretur? Certè ſi uſpiam in Novo Teſtamento iſti τοῦ ἀνθρώπου acceptioni locus, ibi maximè, vel Matth. VIII. verſ. 20. Αἱ ἀλώπεκες φωλεοὺς ἔχουσι, &c. ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἔχει ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ· vel certè, Joh. V. verſ. 27. Καὶ ἐξουσίαν ἔδωκεν αὐτῷ καὶ κρίσιν ποιεῖν, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί. At utrobique per vocem ἄνθρωπος abjectæ ſortis hominem Vir magnus intelligit, & exponit. Imò verò, quod meritò mireris, iſtorum, quos indicavimus, locorum poſteriore, hæc ipſa, de quibus agimus nunc, Apoſtoli verba profert Vir magnus, & ut nos exponimus hîc, exponit & ille planè; ut à poſterioribus, quæ non ſemper ſapientiores, ejus cogitationibus, ad prio-

res

res provocare nobis liceat libeatque. Cæterùm, quod in Plutarcho laudato modò suspicabamur, illic in Daniele*, aut Græcis potiùs Interpretibus palam admissum, quibus ista Pauli, σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, perperam à Viro magno tribuuntur.

* Annot. in Evangel. pag. 894. In Græco Danielis est, χήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος.

Καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος.] Σχῆμα simpliciter pro ἀξίωμα, non ignota, fateor, Græcis locutio, observata doctis; inter alios, si benè memini, & beatæ memoriæ Parenti non uno loco: nec ea tamen adeò frequens, ut usurparet hic Apostolus eâ notione, si quidem se volebat (quod, opinor, volebat) intelligi, cùm usitata & magis obvia significatio filo orationis & sententiæ tam benè congrueret. Σχῆμα apud Græcos Interpretes, qui LXX. vulgò dicuntur, semel tantùm, (si fides *Concordantiis* illis, quarum fide passim nituntur & eruditissimi) occurrit, & rem fœdam designat, cujus in publico conspectus & expositio, abjectissimæ in Sacris Libris & deploratissimæ conditionis indicium esse solet. Nempe, quod Esaiæ cap. III. vers. 17. in Hebræo, וארני פתהן יערה, vertunt illi, καὶ κύριος ἀνακαλύψει τὸ σχῆμα αὐτῶν. In Novo quoque Testamento semel occurrit, (1. Cor. VII. vers. 31. παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου) in Pauli nostri verbis: quo ille verbo rerum mundanarum τὸ κενὸν & inane, (ut Græci Patres observant) egregiè perstrinxit. Cùm voce ταπεινὸν, & ταπείνωσις vox σχῆμα conjuncta sæpe apud Græcos Scriptores reperitur: ut apud Plutarchum, σχήματι ἐκταπεινοῦντες ἑαυτοὺς, & σχήματι ἀταπεινωτος, in Vita Coriolani.

Θανάτου δὲ σταυροῦ.] Sunt qui contendant (ut hoc ἐκ τοῦ περιόντος addam) crucem, servile supplicium non rectè dici, cùm neque omnes servi, & qui non servi haud pauci eo supplicio affecti sint; sed argumento, si quid ego judico, levissimo, cùm ita ferat omnium linguarum consuetudo, ut ab eis, quæ ὡς ἐπὶ τὸ πλὺ, non quæ semper ac necessariò nomina rebus indantur, & loquendi modi fluant. Nam crux alioquin non propriè supplicium servorum quatenus servi, sed quatenus λῃσαὶ & κακοῦργοι, sive facinorosi. Propriè igitur locutus est Plutarchus, cùm de tyranno quodam cruci affixo, aut eo certè supplicii genere, quod apud Græcos Romanæ crucis rationem habebat, affecto, ἔτι ζῶν ἀπαχθεὶς ἔτισε οἱ λῃσαὶ δίκην ἔδωκεν· non οἱ δοῦλοι dixit.

Hæc erant, quæ Viri magni commentationi, solo veritatis studio, opponenda credidimus. Quoniam autem memoriam ejus bonis omnibus & doctis pro maximis ejus in Rempublicam literariam meritis optamus esse charam, quæ de tanti viri τοῖς ἐσχάτοις, & vitæ catastrophe amicorum quorundam ope & beneficio ad nos pervenerunt, eorum Lectori candido & ingenuo, prout *Amstelodami* sunt edita, copiam ut facerem, & hic insererem, facilè à me impetravi.

Hugonis Grotii, piæ memoriæ, ultima; quibus Joanni Quistorpio, S. S. Theologiæ D. Professori, Facultatis ejusdem Seniori, & Primarii Templi Rostochiensium Pastori, suum ob peccata dolorem, & spem salutis confessus est.

C*ontendis à me, N. N. ut perscribam, quem, mundo huic valedicturus, Literatorum Phœnix* Hugo Grotius *se gesserit. En, paucis id habe. Conscenderat ille Stockholmiæ navim, quâ Lubecam ferretur, vehementibus per triduum in mari jactatus procellis, naufragium patitur, & æger ad Cassubiæ litora appellit. Inde perquam incommodo curru, pluviâ tempestate, per sexaginta & plura milliaria, tandem Rostochium nostrum devehitur. Divertit ad Balemanniam. D. Stocmannum Medicum advocari curat, qui ætate, naufragio, incommodis itineris fractas vires advertens, vitæ terminum imminere præsagit. Secundo ab ingressu in hanc urbem die (qui Styl. Veter. erat* XVIII. *Augusti) me horâ nonâ vespertinâ ad se vocat. Accessi; propemodum in agone Virum constitutum offendi: compellavi, & me nihil maluisse affirmavi, quàm ut mihi cum ipso incolumi sermones sociare licuisset. Regerit ille:* Ita Deo visum fuit. *Pergo: ut ad beatam emigrationem se componat; peccatorem agnoscat; super commissa doleat, moneo; quumque inter loquendum Publicani peccatorem se fatentis, & ut Deus sui misereretur precantis, meminissem; respondet:* Ego ille sum Publicanus. *Progredior; ad Christum, extra quem nulla est salus, ipsum remitto. Subjicit ille:* In solo Christo omnis spes mea est reposita. *Ego clarâ voce precationem illam Germanicam Germanicè recitabam:* Herr Jesu, wahrer Mensch und Gott, *&c. Ille complicatis manibus, submissâ voce me insequebatur. Quum finivissem, quæsivi an me intellexisset? Respondit:* Probè intellexi. *Pergo illa recitare ex Verbo Dei, quæ jamjam morituris in memoriam revocari solent. Quæro, an me intelligat? respon-*

ſpondet: Vocem tuam audio; ſed quæ ſingula dicas, difficulter intelligo. *Quum hæc dixiſſet, planè conticuit, & brevi poſt, ſpiritum exhalavit, in puncto duodecimæ nocturnæ. Habes Cataſtrophen vitæ, ab Grotio, ſummo Viro, actæ. Cadaver Medicis poſt commiſſum eſt. Inteſtina lebeti aheneo impoſita, ut in Templi apud nos primarii, Mariæ Virgini ſacri, locum honoratiſſimum reponerentur, à Templi Præfectis facilè impetravi. Molliter cineres cubent. Vale. Dabam* Roſtochii, propridie Michaëlis, anno CIↃ IↃ CXLV.

Tuus,

J. QUISTORPIUS.

Amſterodami, anno
CIↃ IↃ CXLV.

Longior fui in his Apoſtoli verbis quà explicandis, quà vindicandis, quàm fore me initio crediderам, aut certè prævidere poteram. Sed cùm quanti res momenti agatur cogito, & quali quantoque cum viro res mihi fuerit, impenſæ operæ minimè pœnitet.

Poterat hoc exemplum ſufficere. Sed quia de *Verbis* hæc opella nobis ſuſcepta eſt, locum de verbis in Evangelio, non ſatis, ut nos quidem putamus, hactenùs explicatum, & ſuper eo loco ſententiam noſtram ſuperpondii quaſi loco adjicere viſum eſt.

Domini noſtri, τȣ̃ Λόγȣ illius æterni & ȣ̓σιώδȣς de verbis in communi vita prolatis, hæc eſt ſententia * :

* *Matth.* XII. *verſ.* 36.

Λέγω ὑμῖν, ὅτι πᾶν ῥῆμα ἀργὸν ὃ ἐὰν λαλήσωσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀποδώσȣσι περὶ αὐτȣ̃ λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως.

Ἀργὸν ῥῆμα de *otioſis verbis*, quatenùs ſeriis opponuntur, accipiunt uno conſenſu Interpretes. Sunt, qui ad falſos ſermones extendunt; ſed extendunt tantùm. Eò enim & ipſi relabuntur, ut de minimis per aggravationem peccatis ad maxima, Chriſti procedat argumentum. Aggravationis autem in his verbis ſtatuendæ hæc illis cauſa, ut ſit aliqua cum præcedentibus verbis cohærentia. Quæ tamen per hanc interpretationem cum præcedentibus, meo judicio, obſcura; cum ſequentibus vero, ſi quis animum diligenter advertat, omninò nulla. Niſi quis id Chriſtum præciſè voluiſſe, (quod alibi non ſemel ab ipſo negatur) crediderit, non tam ex factis unumquemque, quàm ex ſermone ſuo ſerio vel otioſo à Deo judicandum. Doctiſſimus Chemnitius ad hunc locum: *Videtur enim longa illa oratio Chriſti perturbata eſſe, in qua argumenta non ſatis cohæreant; ſed planiſſima erit, ſi obſervetur eam referri ad ſingulorum judicia*, &c. Haud abſimilia & alii nonnulli Interpretes: quà quidem connectendi ratione vel Sibyllæ folia cohærere poſſint. Adde quòd ἀργὸν ῥῆμα vel ἀργὸς λόγος de *otioſo*, ut vulgò capimus, ſermone apud veteres Scriptores Græcos, non adeò vulgare. Ἀργὸς autem ille λόγος, Veterum ſcriptis & diſputationibus in cauſa de arbitrii libertate celeberrimus, alia longè res eſt.

Quid igitur, inquis, ἀργὸς hic? Quod ipſa vis verbi ſuadet, & etymologia; ſermo re caſſus; ἄεργος, *ſine opere:* non ex intimis animi ſenſibus promptus, ſed in ore natus; fictus & ſimulatus: vel, ut vulgò loquuntur, hypocriticus. Ita enim vulgò contingit, ut veros ſermones ex corde promptos opera ſequantur illis conſona; & inde ἀργὸς, pro ficto quoque & ſimulato ſermone ſumi poſſit. Solere autem ἀργίαν opponi τῇ ἐνεργείᾳ, vel ex uno diſcamus Hierocle. Verba ipſius, quia ſunt eximia, & eò quidem libentiùs, ut de præſtantiſſimo opere benè mereamur, adſcribere non pigebit.

Hierocles igitur in *Carmina*, quæ vulgò perhibentur, *Aurea* Pythagoræ, quodam loco ita commentatur: Οὔτε γὰρ μόνον προθυμεῖσθαι δεῖ τὰ καλὰ, ὡς ἐφ' ἑαυτοῖς ὄντα κατορθῶσαι καὶ χωρὶς τȣ̃ Θεȣ̃ συνεργείας· ȣ̓́τε ψιλῆς τῆς Εὐχῆς τοῖς λογισμοῖς ἀρκεῖσθαι, μηδὲν πρὸς τὴν κτῆσιν τῶν αἰτηθέντων προσφέροντας· ȣ̓́τω γὰρ ἢ ἄθεον ἀρετὴν, ἢ οἷόν τι τȣ̃το εἰπεῖν, ἐπιτηδεύσομεν· ἢ ἀνενέργητον Εὐχήν· ὧν τὸ μὲν ἄθεον ὂν, προαναιρεῖ τῆς ἀρετῆς τὴν ȣ̓σίαν· τὸ δὲ ἀργὸν, ἐκλύσει τῆς Εὐχῆς τὸ δραστήριον. Vertit ibi Interpres: *Neque enim, quæ honeſta ſunt ita ſolùm debemus ſuſcipere, tanquam ea ipſi per nos nullâ Dei ope poſſimus gerere: neque rurſum ita nudâ Precum ratione contenti eſſe, ut nihil ad ea paranda, quæ petuntur, adjiciamus. Ita enim aut virtutem, quæ Dei ſit expers, (ſi fas id dicere) amplectemur; aut preces inefficaces, quorum quidem alterum eo ipſo, quod Deo careat, virtutis naturam præfocat: alterum autem, quia iners, precum reſolvit efficaciam.* Decepit Interpretem falſa lectio. Legendum enim, non τῆς Εὐχῆς, ſed τῆς ψυχῆς τὸ δραστήριον, & vertendum, *Alterum autem, animæ reſolvit vigorem*, vel ſi mavis, *efficaciam.* Sed & illud ἀνενέργητον Εὐχὴν, *preces inefficaces*, ambiguum eſt & obſcurum. Verte potius, *preces ignavas & inertes*; ut πολυθρύλλητον illum ἀργὸν λόγον, de quo ſuprà, interpretatur Cicero *ignavam & inertem rationem.*

Idem ibidem alio loco: Διχῶς γὰρ ἁμαρ-

ἁμαρτάνομεν· ἢ τὸ μὴ δέον ποιήσαντες, ὃ διὰ τῆς παραβῆναι δηλοῦται· ἢ τὸ δέον μὴ ποιήσαντες, ὡς ἐπ᾽ αὐτῆς κεῖται λέξεως, ἄλλο γὰρ ἀργία τοῦ καλοῦ, καὶ ἄλλο ἐνέργεια τοῦ αἰσχροῦ: *Peccamus enim duplici ratione: vel cùm facimus, quod non decet; quod transgressionis verbo significatur: vel cùm non facimus, quod decet; sicuti verbis exprimitur. Aliud enim est, ab eo cessare quod honestum est; & aliud, id facere quod turpe.*

In his τὴν ἀργίαν opponi palam τῇ ἐνεργείᾳ, vel τῇ πράξει nemo non videt. Sed & in Novo Testamento tam in Christi verbis, τί ὧδε ἑστήκατε ὅλην τὴν ἡμέραν ἀργοί, Matth. 20. verf. 6. quàm Petri verbis, ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα καὶ πλεονάζοντα, οὐκ ἀργοὺς οὐδὲ ἀκάρπους καθίστησιν εἰς τὴν, &c. 2. Petri 1. verf. 8. vox ἀργοὶ eodem planè sensu occurrit.

Quid multa? Quod Demostheni μάταιος λόγος, id Christo, nisi valde fallor, ἀργὸν hîc ῥῆμα. Demosthenes in Olynthiaca secunda: Ἅπας μὲν λόγος, ἂν ἀπῇ τὰ πράγματα, μάταιόν τι φαίνεται καὶ κενόν. Id est: *Omnis sermo, quem res ipsæ non consequuntur, vanum quid & inane deprehenditur.* Idem in oratione ad Philippi Epistolam, Μάταιος ἅπας ἐστὶ λόγος, πράξεων ἄμοιρος γινόμενος. Id est: *Omnis sermo, factorum expers, vanus & inanis est.* Quæ Demosthenis elegans Scriptor Philo Judæus in Vita Mosis lib. III. ita pluribus expressit: λόγου δ᾽ ἄρα οὐδὲν ὄφελος τοῦ τὰ καλὰ καὶ σπουδαῖα συνηγοροῦντος, ᾧ μὴ πρόσεστιν οἰκείων ἀκολουθία πράξεων.

Hâc expositione, verborum cohærentiæ quàm bene consulatur videamus. Christus igitur postquam quàm grave sit contra conscientiam in rebus maximis, id est, in rebus fidei, quæ ad Deum proximè referuntur, aliquid aut agere aut loqui, docuit; eandem porrò materiam de cordis & oris in vita communi dissidio latius prosequitur. Progenies, inquit ille, viperarum, quomodo potestis (id est, sustinetis; insignes illos hypocritas fuisse satis notum est) benè loqui, cùm vestra vos opera & vita malos esse convincant? * Cur naturæ ordinem pervertitis, cùm ita naturâ comparatum sit, & ideò sit institutus sermo, ut verba cogitationum cordis essent symbola, & quasi vehicula. Ita solent homines vulgò ex penu suo qualicunque non alia depromere, quàm qualia condidere: boni, bona; mali, mala. Vos aliter, quibus alia loqui, alia sentire nulla religio est. Ego verò dico vobis, omnis omnino verbi, quod contra animi vestri sententiam temerè & vafrè profertur à nobis, reddendam vobis olim coram tremendo Dei tribunali rationem. Et hæc ipsa vestra speciosa oratio in certissimam vobis cessura est perniciem. Inde enim palam convincemini, non vos quod rectum esset, (unde enim alioquin speciosa illa oratio?) ignorasse, sed quod faciendum esset, rebus ipsis & opere præstare noluisse.

* *Omnis enim motus animi suum quendam a natura habet vultum, & sonum & gestum, totumque corpus hominis, & ejus omnis vultus omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut à motu animi quæque sunt pulsa.* Cicero De Orat. lib. III.

Conferantur hæc Christi cum iis, quæ S. Jacobus cap. III. à verf. 7. ad 14. Non parum lucis inde fœnerari licet, si quis singula accuratè componat. Non igitur de *minimis*, & ut Tertullianus alicubi, *quotidianæ incursionis peccatis* loquitur Christus; sed, ut ego sentio, de gravissimo eodemque communissimo; hypocrisi nimirum, fucatâque ad decipiendum oratione.

Porrò id genus homines apud omnes cordatos & probos quàm malè semper audierint, liqueat vel ex celebratissimo illo Poëtarum principis disticho:

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσι,
Ὅς χ᾽ ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Homerum imitatus est, qui vulgò Phocylides:

Γλώσσῃ νοῦν ἔχεμεν, κρυπτὸν λόγον ἐν φρεσὶν ἴσχειν:

Linguâ mentem proferto; occultum autem in animo sermonem vitato. Verbi ἴσχειν ambigua significatio decepit Interpretes Phocylidis, ut in contrariam planè sententiam verterent. Idem paulò post:

Μηδ᾽ ἕτερον κεύθῃς κραδίῃ νόον, ἄλλ᾽ ἀγορεύων·
Μηδ᾽ ὡς πετροφυὴς πολύπους κατὰ χῶραν ἀμείβου.

Mirificè huc facit veteris Poëtæ Pacuvii gnome, quam Macedo Philosophus, vir bonus, (ut de eo testatur Aulus Gellius) scribi debere censebat pro foribus omnium templorum: *Ego odi homines ignavâ operâ, & philosophicâ sententiâ. Nihil enim fieri posse indignius*, (ut ibidem Gellius) *neque intolerantius dicebat, quàm quòd homines ignavi ac desides, operti barbâ & pallio, mores ac emolumenta Philosophiæ in linguæ verborumque artes converterent, & vitia facundissimè accusarent, intercutibus ipsi vitiis madentes.* His verbis, pulcherrimè & uberrimè vis vocis ἀργὸς explicatur. Hi sunt, quos Epictetus, vitâ laudatissimus ipse Philosophus, Philosophos ἄνευ τοῦ πράττειν μέχρι τοῦ λέγειν, *factis procul, verbis tenus*, solebat appellare, ut pluribus docet idem Gellius, lib. XVII. cap. 19.

Z 2 Hæc

Hæc nostra super hoc loco sententia; quam quidem non eo animo proponimus, ut pro ratis & fixis habeat quisquam, quæ nobis verisimilia videntur; sed ut accuratius expendendi & amplius de iis cogitandi materia aliis suggeratur; *& refellere* (quod ait ille) *sine pertinacia, & refelli sine iracundia* semper parati.

Claudam hoc de Sacra Scriptura & Theologia caput, Nicephori Gregoræ de Sacræ Scripturæ stylo verbis, & observatione ab hoc loco non aliena; qui Nicephorus in aliorum librorum penuria hæc ipsa scribenti fortè erat ad manum. Ita igitur ille.

† Εὑρίσκομεν πολλαχοῦ τῆς θείας γραφῆς ἐπίκρυψίν τινα τοῖς ὀνόμασιν ὑποκαθημένην ὡς τὸ εἰκός· ὥσπερ γὰρ οἱ τῶν βασιλέων θάλαμοι καὶ ὁπόσα ἀνθρώποις ἱερά τε καὶ τίμια ὑπὸ παραπετάσμασιν ἄλλα ἄλλοις καλύπτονται, ἵνα μήτε δήμοις ἀνοσίοις προκείμενα κιβδηλεύηται, μήτε περιφρονῆται διὰ τὸ τῆς καταλήψεως πρόχειρόν τε καὶ ἄπονον· οὕτω δὴ καὶ τὰ πλεῖστα τῆς θείας γραφῆς καὶ μάλιστα οἷς μυστικοί τινες ὑφεδρεύουσι λόγοι, καθάπερ ὑπὸ παραπετάσμασι καλύπτονται τοῖς τοιούτοις ὀνόμασιν, ὅσα πολὺν τὸν γνόφον ἐπισύρονται, καὶ σκότος ἀποκρυφὴν ἑαυτῶν τίθενται, καὶ κύκλῳ αὐτῶν τὴν σκηνὴν αὐτῶν.

Alludit ad Psal. xvii. v. 12. secundùm versionem Græcorum; quod non advertisse videtur Interpres Nicephori.

Quæ ibidem Latinè ita redduntur: *Sæpe in Sacræ Scripturæ verbis nonnulla involvuntur, uti consentaneum est. Ut enim Regum thalami, aliaque, quæ sancta & magno in pretio habentur, aliis atque aliis velis occultantur, ne à rudi vulgo profanentur, aut quia omnibus absque labore pateant, contemnantur; sic etiam plurimi Sacræ Scripturæ loci, ii præsertim, in quibus arcana quæpiam doctrina continetur, tanquam velis quibusdam, ita verbis talibus absconduntur, quæ multam caliginem secum trahunt, & tenebras Lectorum oculis offundunt.*

A Theologia ad Jurisprudentiam transeamus: quam, si quis in ejus qualis ubique ferè obtinet usum inquirat, fontesque adeò ipsos penitùs introspiciat, in verbis eam plerunque vel ambiguis distinguendis, vel obscuris elucidandis versari intelliget. Ipsas quidem leges, quæ veræ tales, id est, rationi consentaneæ sunt, ab alio longè fonte, naturali æternoque, repetendas, divinis illis suis Cicero, quos *De Legibus* post Platonem conscripsit, libris accuratè probavit. Nos verò cùm Jurisprudentiam dicimus, eam intelligimus artem sive peritiam, quæ legum non conditrix, sed interpres est. Cùm verò in tanta verborum paucitate, rerum (ut non unus queritur Aristoteles) infinitati minimè respondentium, mutatis præsertim moribus, facilè subrepat ambiguitas; atque ipsâ vetustate tanquam sipario quodam veterum legum sermo obductus à paucis intelligatur, latus hinc consultorum Juris industriæ pateat campus necesse est.

In pactis etiam, fœderibusque, quorum vel privatis inter se, vel integris populis & regnis ad tuenda commercia quotidianus usus est, concipiendis & interpretandis, magnæ interdum oriuntur super verbis controversiæ, in quibus ad Jurisconsultos recurrendum est. Quale quod alicubi notatum Ciceroni de vera verbi *comiter* significatione, quod in fœdere quodam Romanorum pro *communiter* esse positum nescio quis, in causa ipsi adversus, contendebat. Nuperque adeò de verbi *Conventus* usu vero legitimoque diu multumque in Synodo Tridentina, pendentibus interim maximi momenti rebus suspensisque ob hanc unam voculam potentissimorum Principum literis & negotiationibus, litigatum est.

Sunt prætereà à Jurisconsultis excogitatæ partim ad pompam, partim ad quæstum formulæ, in quibus non tam rem ipsam, quàm solennia verba spectari, ut à quibus vel in minimo apice discedere sit nefas, res ipsa loquitur. Non immeritò igitur Labeo Antistes, Jurisconsultus antiquus celeberrimus, ab hac verborum peritia ab Aulo Gellio præcipuè celebratur: *In Grammaticam*, inquit, *sese atque Dialecticam literasque antiquiores altioresque penetraverat, Latinarumque vocum origines rationesque percalluerat, eàque præcipuè scientiâ ad enodandos plerosque Juris laqueos utebatur.*

Hinc etiam quod non modò *De Verborum significatione* peculiaris extat & accuratus in *Pandectis* tractatus; sed in reliquis etiam Juris istius libris, ut & Principum *Constitutionibus* de verbis tam multa passim reperiuntur. In Justiniani certè, ut alia omittam, *Novellis* †, περὶ ὀρθότητος ὀνομάτων, item περὶ τῆς τῶν παλαιῶν ὀνομάτων σεμνότητος, insignes aliquot loci: adeò non contemnenda aut otiosa res est, verborum cura; quam ad suam curam pertinere magni Imperatores sibi laudi duxerunt, & adeò publici interesse crediderunt, ut quibus legibus publicæ saluti & securitati providebant, iisdem & verborum proprietati, non minori prope sollicitudine, caverent.

† Auth. 17. Τὸ τῶν λαμπροτάτων, &c. Auth. 18. Εἰ καὶ [illegible] &c. & alibi passim.

Cæterùm locus hic De Verborum minutiis & apicibus ad Juris controversias decidendas, quia à Cicerone in *Ora-*

Oratione pro Cæcina in utramque partem accuratissimè pertractatus est; ista autem *Oratio* quia ob verborum quorundam rituumque veterum ignorantiam multâ caligine obsepta est, nec adhuc à quoquam, quod sciam, satis illustrata; nonnulla, quæ ad ejus intelligentiam beatæ memoriæ Parens sibi commentatus in *Adversaria* sua retulit, hìc in usum Lectoris depromere non pigebit.

Ex jure manu consertum vocare.
In rem præsentem venire.
Interdictum, Unde vi.
Moribus de fundo deduci.

Veteris Juris Romani cùm alia sunt, quæ per fictionem quandam gerebantur; tum inprimis quæ ad bonorum possessionis controversias pertinent. Moris enim fuit quoties de agro quopiam instituebatur controversia, ut litigatores de amicorum sententia diem inter se sumerent, quâ die *in rem præsentem*, hoc est, in agrum illum unà venirent, & in eo agro vim alter alteri faceret, & *de fundo deduceret:* sic enim ait Cicero 2. 228. de Cæcina, eum voluisse, *De fundo moribus deduci* vel *detrudi*, quod fuit olim verbum legitimum. 2. p. 233. Atque hoc vocabant, *Ex jure manu consertum vocare:* vide Gellium lib 20. cap. 10. qui vim hanc non veram & solidam, sed fictam & simulatam, *vim civilem & festucariam* vocat. Notandum verò, quod ille ait, olim Prætorem cum reis in rem præsentem venire solitos; posteà institutum, ut vis festucaria sine eo fieret, & ut inde aliquid, puta glebam, in urbem ad Prætorem deferrent, & in ea gleba tanquam in toto agro vindicarent. Deinde qui detrusus erat à Prætore, ex *edicto* ipsius postulabat, ut *unde vi* dejectus esset, cùm possideret, eo restitueretur. Prætor decernebat, ut in causa Cæcinæ factum: Cæcina verò, qui jussus erat restitui, cùm ab Æbutio peteret, ut se restitueret, respondebat adversarius, se restituisse: Cæcina verò se restitutum negante, sponsio facta est de more. Porro mens Æbutii se restituisse dicentis fuit, se edicto Prætoris paruisse, qui non aliter scilicet restitui juberet, nisi fuisset ejectus: atque ejectum fuisse, aut omnino potuisse ejici ex eo fundo Cæcinam, negabat Æbutius: cùm quidem, inquiebat, fundum illum Cæcina nunquam possederit. Post sponsionem factam Recuperatores sumebantur, apud quos quærebatur restitutusne esset annon, qui fuerat jussus restitui. Hoc autem judicio ita adumbrato reverà nihil aliud quærebatur, quàm uter possideret. Nam si dejector adversarium dejectum non possedisse probare poterat, vincebat, & edicto Prætoris paruisse judicabatur: quippe qui non aliter restituere jussisset, nisi possessor verus fuisset dejectus. Obsecro verò, quantæ hic ambages & circumductiones, ut tandem ad suum jus posset quis pervenire.

Sæpe autem factum, ut pro ficta vi vera fieret, & adhiberentur armati, quod ab Æbutio fuit factum: tum erat locus Prætoris interdicto, DE VI HOMINIBUS *armatis*. Ciceron. 2. 229. At ex ejus pag. 232. apparet solitum fieri cùm ad vim faciendam moribus veniretur, si quos armatos quamvis procul conspexissent, ut statim testificati discederent, optimeque sponsionem facere possent NI ADVERSUS *Prætoris edictum vis facta esset*. Multa ad hanc rem videbis Ciceron. 2. pag. 341. Ubi sanè verissimè mihi videtur Cicero istiusmodi Juris figmenta, *&c.* Hæc ille.

A JURISPRUDENTIA ad MEDICINAM transitum faciemus, illustri elogio in Jure Romano nobilitatam; Hieronymo, severo alioquin censori, *scientiam mortalibus vel utilissimam.* Ut autem nulla omnino est scientia, nulla ars, sive liberalis* sive sellularia, quæ non habeat sua ἔντεχνα vocabula, quorum cognitio ad artis perceptionem planè necessaria; ita nulla, quæ tot ejusmodi verbis & nomenclaturis abundet, quot Ars Medica. Vel sola morborum nomina, quanta turba, quàm densum agmen, cùm unius alicujus particulæ ultra centum vel bis centum varia πάθη proclive sit enumerare. Jam herbæ, jam pharmaca simplicia & composita, jam rei anatomicæ propria; qualis & quantus apparatus, quàm infinita supellex, si quis omnia diligenter percenseat? Horum omnium proprietates & differentias accuratè pernoscere operosum magis sit, an docto Medico necessarium, non facilè dixerim. Quod vulgò perhibetur ad rerum cognitionem verba conducere, de Medicorum verbis id tantò magis dixerim, quòd pleraque cùm Græcæ sint originis, quæ in componendis verbis supra omnes alias linguas audax & felix est; naturam aut proprietatem aliquam rei, cui sunt imposita, magnam partem satis feliciter indicant & exhibent.

* Cic. III. De finib. *Ut omittam has artes elegantes & ingenuas, ne opifices quidem tueri sua artificia possent, nisi vocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis sibi.*

Sed difficultatem non parum auget, quòd verba antiqua cùm remaneant, usus tamen in multis immutatus est, ut idem verbum, (herbæ puta, aut radicis alicujus, vel etiam morbi fortasse) aliud

aliud nunc vulgò significet, quàm olim vel Hippocratis ætate, vel Galeni. Qua de re cùm multa passim notata sint à Medicis, tum verò non contemnenda quædam à doctissimo Bellonio, *Observationum* suarum lib. I. cap. 2. Quàm periculosus autem error in illis sit, in quibus vitæ ac necis res agitur, quis non intelligit? ut si vel herba aliqua, cùm in multis magna sit literarum affinitas, quarum tamen est natura diversissima; vel etiam morbus, in tanta caterva nominum, alius pro alio sumatur.

Imperitiam sui temporis Medicorum notat alicubi Galenus, qui cùm συνυγρὸς * in Hippocrate suo legerent, nec τὸ ὑγρὸς puram putam vocis esse (ut loquuntur Grammatici) terminationem intelligerent, sed ὑγρὸν nescio quid à divino sene quasi compositâ voce innui (quod Galenus allatis ex Poëtis veteribus exemplis refellit) somniarent, homines ridiculi, sed non ridendo ab illis, quorum intererat, errore, ægrotis suis sua somnia propinabant. *Comperi vulgò*, ait Plinius †, *Historiæ Naturalis* Conditor, *pro Cinnaberi Indica in medicamenta minium addi, inscitiâ nominis, quod esse venenum docebimus inter pigmenta.*

* Hæc eadem vox, sed in contraria notione posita, Aristomacho Duci, non intellecta fuit exitio: καὶ γὰρ Ἀριστόμαχος ὁ στρατηγὸς τὴν συνύγρον, τὸν μὲν πόρθμον καὶ τὰς τριήρεις καλέλιπε· διὰ δὲ τοῦ Ἰσθμοῦ προσελάσας, τὸν βίον κατέλυσε. Theodor. Θεραπ. l. x. Vide & Euseb. *Præpar. Evangel.* lib. v.

† *Plin. Nat. Hist. l.* 29. *c.* 1.

Hoc Plinii in mentem mihi reducit quod nuper in Gallico libro, de auripigmento legebam. Solent multi, quibusdam non de plebe Medicis ita jubentibus, ad amoliendum pestis contagium, arsenici sive auripigmenti (quod *orpin* vel *orpiment*, ex *auripigmento* corrupto contractoque vocabulo vulgò vocant) sacculos de collo suspendere. Hunc autem morem celebris libri, qui *Medicus Pius* inscribitur, Author vehementer abominatur, idque planè contrà non paucis cessisse, qui hoc amuletum gestantes, vim ejus non salutarem, sed exitiosam sint experti, ex aliorum fide comprobat. Quia autem nullâ planè ratione niti hunc usum contendit, quis tam fatuo mori invehendo causam error præbuerit, inquirit; & hanc suam (ingeniosam certè, an & veram, aliorum esto, qui profitentur ista, judicium) conjecturam proponit. *Cassiam aromaticam*, ait ille, vocant Arabes *Darseni*; nos, auripigmentum, vulgò (quod nemo nescit) *arsenicum*. An igitur aliquis cùm pulverem *Darseni*, sive Cassiæ aromaticæ ad hunc usum ab Arabe aliquo commendatum legisset; ad notum sibi *arsenicum* (vel ut Galli scribunt, *Darsenic*) in verbo hallucinatus imprudens transtulit? Id autem posteà subtilior aliquis Physiologus (ut in pluribus aliis, quæ ab errore nominum profecta sunt) rationibus adstruere conatus est; quem alii posteà, authoritate ipsius inducti, secuti sint? Cætera apud ipsum legantur. Meum autem non est de istis pronuntiare; nec eo animo refero, ut ipsius litem meam faciam. Sed cùm multa talia, sexcenta ausim dicere, in medicina aliisque artibus, ex errore nominum verborumque nata, contigisse certum sit; & ex recenti lectione docti viri conjectura memoriæ hæreret, & se ultrò offerret, non indigna visa est quam Lectori impertirem.

Quod autem asserit vir doctus, Cassiam ab Arabibus *Darseni* nuncupari; *Cinnamonum* certè دار صيني *Darsini* ab illis dici, docet vir doctissimus, & de linguis Orientalibus meritissimus, Thomas Erpenius, quasi dicas, *Domum Chinensem:* an eò respexerit, incertum mihi. Sed quod à viro docto omissum miror, ut quod ad ejus conjecturæ confirmationem non parum facere mihi videtur, arsenicum vocant Arabes iidem (an ex Græco ἀρσενικὸν, an potius ex illo Græcum) زرنيخ *Zarnich*, quod magnam cum *arsenico* habet affinitatem, ut alterum pro altero ab oscitante Lectore sumi facilè potuerit.

Ad PHILOSOPHIAM transeamus. Atque hic ipso statim vestibulo *Dialectica* occurrit; cujus in verbis aut circa verba præcipuus labor: utinam non & irritus in perquam multis, inanisque! Non id quidem ex ipsius adeò natura, quæ aliud profitetur, quàm ex colentium pravitate: unde Senecæ aliorumque graviorum quorumque Philosophorum crebræ querelæ & justa indignatio. Sed hîc quoque locum habet illud, longam constantemque consuetudinem in naturam vertere. Certè si quis illam, quæ Veteribus in usu maximè, quæque Stoicos Philosophos auctores & propugnatores præcipuos habuit, Dialecticam, cum recentiore, quæ sequioribus sæculis ex Aristotele emersit, & hodie viget, ut plurimùm, conferat; discrimen agnoscet mirum quantum, vix eadem res ut videri possit; id tamen utrique fatale comperiet, ut non tam scientiarum instrumenta, quàm verbalium, si fas ita loqui, præstigiarum & λεπτολογιῶν promptuaria meritò censeantur. Sed hoc præterea peculiari laborat infortunio recentior Dialectica, quòd ex malè intellectis aut versis, ob imperitiam linguæ Græcæ, Aristotelis locis innumeræ quæstiones enatæ sunt, quæ nullum non in rebus modò, sed nec in verbis, veris

&

& rectis, habent fundamentum: ut si quis pravâ illâ verborum, Iliados initio, διαστήτην ἐρίσαντες, lectione de *Steta* muliere, si Diis placet, Homerica, quæ genus, unde loco, & id genus alia prolixè quæreret & commentaretur; cùm nec ulla talis mulier, sed nec ullum tale nomen vel commune, vel proprium, Poëtæ, quod quidem sciamus, vel per somnium in mentem venerit. *Nominalium* prætereà nota secta est, quibus, quæ pro rebus alii seriis & gravibus sectantur & amplectuntur, voces & verba mera sunt. Sed hæc ab aliis observata.

Quid quod in hoc ipso *Dialecticæ*, sive διαλεκτικῆς vocabulo ob ambiguitatem verbi non pauci impingunt? Non enim eo nomine ars illa tantùm, quæ alio nomine vulgò *Logica* nuncupatur, insignita est; sed ipsa scientiarum scientia Metaphysica, aut si quid supra Metaphysicam, quod scientem ac prudentem Universi, quàm làtè patet, (τῶν τε ὄντων καὶ τῶν πραττομένων) ex rationis præscripto, ad usum vitæ, contemplationem complectitur: quo sensu etiam verbum διαλέγεσθαι apud veteres Philosophos non raro occurrit: ut mirum non sit, si maxima quæque huic arti (ita enim vocant) à Veteribus tribuuntur, quæ ad vulgarem Dialecticam ab imperitis, aut minùs attentis quibusdam traducta sunt.

De morali Stoicorum Philosophia, quæ olim florentibus ingeniis & studiis maximarum dissensionum & contentionum materia fuit, jam aliquid anteà, cùm de Seneca loqueremur, attigimus. Sed liber Ciceronis, qui *De Finibus* inscribitur quartus, totus ejus argumenti est, ut probet Stoicos solà verborum pompâ & subtilitate, non rebus ipsis, à reliquis Philosophis dissentiisse. Nempe quod alii *bona*, illi *producta*, vel *præposita*; quæ *mala*, illi *rejectanea* malebant appellare: quæ *expetere* se fatebantur alii; ipsi, non rebus, sed verbis indicto odio, *legere* se profitebantur: quod aliis erat *optare*, ipsis *sumere*; quod *fugere*, illis *secernere*. Hæc quidem argutiæ, quis neget? & præstigiæ verborum. Sint sanè: sed *ex his verborum præstigiis & regna nata sunt vobis, & imperia, & divitiæ*, dicebat ille olim; & dicebat ille quidem, ad decantatissima illa disciplinæ istius *paradoxa*, sive *mirabilia*, præcipuè respiciens. Sed seriò & extra jocum ita sæpe contigisse, ut per has aut similes verborum præstigias ad magnas opes & imperia sive dignitates via pateret, testes illorum temporum Historiæ.

In naturali Philosophia quàm multa peccata sint; quàm multa tradita à Veteribus; à posteris autem ex imperitia verborum non intellecta, contra naturæ leges in censum naturæ vulgo recepta sint, qui de rebus naturæ cum judicio & diligentia scripsere, passim observant. Unum nominare sufficiat nunquam satis laudatum, Julium Scaligerum, qui eo nomine verborum incuriosis non uno loco graviter succenset. Sed quid multa? Quàm rerum maximè sublimium & reconditarum studium à verborum cura separari non possit, haud aliundè meliùs discamus quàm ex incomparabili naturæ Mysta, Aristotele, qui in divino *Metaphysicorum* opere integrum librum *terminorum* explicationi dicavit.

Cæterùm quia ex omnibus Physicorum sive Metaphysicorum *terminis* obscuris nulli sunt, in quibus explicandis vel doctissimis aqua magis hæreat; nulli verò, si res ipsa spectetur, explicatu digniores, quàm sunt isti duo, τὸ τί ἦν εἶναι, & ἐντελέχεια· quæ beatæ memoriæ Parentis, Isaaci Casauboni, super iis sententia fuerit; aut saltem, quod ad illorum explicationem pertineat, ex locupletissimis ejus *Adversariis* in candidi Lectoris, antiquæ Philosophiæ & Aristotelis amantis, gratiam non pigebit hic adscribere: sed hac tamen (ut & alia, si quæ posteà ex illis pariter publicabimus) conditione, ut si quid vel in verbis, vel in rebus ipsis, ipso & cæteris ejus scriptis minùs dignum occurrat, ad me culpa pertineat, qui inconsulto aliis gratificandi studio publicaverim; non ad illum, qui non eo animo, nec eà vel rerum, vel verborum meditatione scripsit, ut publicarentur.

Τὸ τί ἦν εἶναι.

Sic solet Philosophus appellare τὴν οὐσίαν, ut fusè in Metaphysicis explicatur. Sic autem σύνθεμος hæc locutio est accipienda. Aristoteli κύκλος εἶναι & κύκλῳ εἶναι idem significat, ut notat ipse Metaphys. lib. 7. cap. 10. τὸ γὰρ κύκλῳ εἶναι, inquit, καὶ κύκλος, καὶ ψυχῇ εἶναι καὶ ψυχή, τὸ αὐτό. Hoc Latini dicere solent, *Esse circuli*, *& esse hominis*. Ergo τὸ τί ἦν εἶναι, est, *id*, *quod alicui inest*, *& facit ut sit aliquid*; nempe forma, quæ inest materiæ: εἶναι, hoc est, *ut sit aliquid*, puta, homo. Nam forma facit ut res sit quod est. Veruntamen si propiùs attendas, non est idem ψυχῇ εἶναι & ψυχή· nam illud formam significat, hoc τὸ σύνολον. Itaque Themistius in lib. 3. *De Anima* verè: Ἄλλο μὲν ἐστὶ ὕδωρ, ἄλλο δὲ ὕδατι εἶναι· ὕδωρ

μὲν

μὲν γὰρ τὸ ἐξ ὕλης καὶ εἴδους· τὸ δὲ ὕδατι εἶναι, τὸ εἶδος ἐστὶ τοῦ ὕδατος, καὶ καθ' ὅ ἐστιν ὕδωρ. Idem tamen paulò poſt exceptionem adjicit, docens in iis, quæ materiâ penitùs carent, idem eſſe εἶναι τινὶ & τί. Sic ille: Ἀλλ' οὐκ ἐπὶ πάντων ὁμοίως· ἐπεὶ ἐνίων δὲ ταὐτόν ἐστιν, εἴπερ στιγμὴ καὶ στιγμῇ εἶναι, ἢ εἴη ἄϋλον παντελῶς καὶ ἁπλοῦν, ἐφ' ὧν ὁ λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι, καὶ τὸ εἶδος καθ' ὅ ἐστι, ταὐτόν ἐστιν ὅλη τῇ φύσει τοῦ πράγματος. Porrò Ariſtoteles veluti explens hanc phraſin, interdum Dativum, interdum Accuſativum adjicit; ut in Metaphyſ. lib. 5. τὸ δὲ καθ' αὑτὸ ἔνα μὲν τρόπον, τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ, οἷον ὁ Καλλίας, καὶ τὸ τί ἦν εἶναι Καλλίαν· & iterum Ariſtoteles alibi.

Τὸ τί ἦν εἶναι.] Quærunt quid hîc ſignificet τὸ ἦν. Reſpondeo, ita loqui paſſim Ariſtotelem. De Partib. lib. 1. c. 1. ἐπειδὴ τοῦτο ἦν τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι, διὰ τοῦτο ταῦτα ἔχει. De Partib. lib. 2. c. 3. φανερὸν ὅτι τὸ αἷμα, οὐδὲ μὲν ἐστι θερμὸν, οἷόν τι ἦν αὐτῷ τὸ αἵματι εἶναι. Ubi notabis diſtingui τὸ ὑποκείμενον· ſequitur enim τὸ δ' ὑποκείμενον καὶ ὅποτε ὂν αἷμά ἐστι.

Amicus noſter Peroldus exponebat ſervatâ propriâ ſignificatione τοῦ ἦν, *erat*; & rei formam ita appellari dicebat, quia potentia per formam educitur in actum.

Τὸ τί ἦν εἶναι.] Fruſtra ſatagunt docti, ut comminiſcantur acutam aliquam interpretationem hujus phraſeos, qualem probare mihi aliquando volebant magnus B: nam aliud nihil ſignificat niſi, *quid ſit eſſe alicui rei*; id eſt, quid illud ſit, quod ejus ὑπόστασιν conſtituat, aut potius σύστασιν. Vide locum Galeni, Tomo 3. pag. 42. v. 45. ubi pro τῷ εἶναι, τὴν οὐσίαν nullo diſcrimine uſurpat.

Ἐντελέχεια.] *Aub. ſomnium.*

Legebam Præfationem viri magni, Philippi Canaji à Fraxinis, in libros *De Anima*, à ſe verſos Gallicè: ibi inveni hanc obſervationem: Ariſtotelem & Doctrinam de anima, & vocem ἐντελέχεια ab Hebræis accepiſſe; ſed diſſimulandæ origini τ pro δ poſuiſſe; cujus rei probatio affertur è Luciano in Judicio Vocalium. Hæc ille. Obſtupui cùm illa legerem; neque enim putabam fieri poſſe, ut tam elegantis ingenii vir tantas nugas vel audire vellet. Eſt verò A, quem ipſe unicum unicè miratus eſt, vaniſſimum, putidiſſimum, ſtultiſſimum ſomnium. Nam falſiſſimum eſt, Ariſtotelem vel rem, vel vocem ab Hebræis ſumpſiſſe: neque hoc poteſt excogitari aliquid magis ridiculum. Planè id perinde eſt, ut ſi quis cùm pulcherrimam arborem cerneret fructibus onuſtam & gravem, vellet tamen negare in ea arbore fructus illos eſſe natos. Idem enim eſt de ſcriptis Philoſophi.

Cæterùm non explicat Canajus, neque unde derivaret aretalogus ille hanc vocem, neque quam ſignificationem illi daret; ſed non dubito, quia per *d* voluit ſcribi, derivaſſe à דלק *accendit*. Τὸ ν erit formæ niphal: τὸ ι fortaſſe adſcribebatur emphaſi τοῦ ה Hæbræorum. Moriar ſi quid poſſit fingi alienius à vero. Ita ille.

Hactenus de præcipuis ſcientiis aliquid; quæ quidem quia præceptis ſcriptiſque doctorum tam priſcorum quàm recentiorum, ut plurimùm, continentur, minùs mirum fortaſſe videri cuipiam poſſit, ſi verborum cognitionem non perfunctoriam requirunt. Supereſt igitur, ut ad ea nos convertamus, in quibus ſive gerendis, ſive percipiendis naturalis quædam ingenii ſolertia, & experientia, rerum magiſtra, ſola regnare creduntur: à verbis autem, utpote quæ umbram & otium potiùs quàm aliquem vitæ negotioſæ uſum redoleant, remotiſſima vulgò perhibentur. Nos contrà ſentimus, verborum rectè ritéque perceptorum utilitatem ad omnes ſcientias & artes longè latéque pertinere: in politicis autem & vita communi plurimùm illa poſſe; ut ſi alicubi præcipuè ſtatuendum ſit quoddam quaſi regnum verborum, non alibi collocandum cenſeam. Huic rei argumenta quæ mihi ſint, paucis oſtendam.

Hominem à brutis animantibus rationis uſu præcipuè differre, nemo rationis ipſe compos, dubitaverit. Cæterùm qualis & quanta ſit humani intellectûs depravatio, aut id undè contigerit, non eſt hujus loci quærere: obviæ ſunt Philoſophorum ſuper eo tum querelæ graves, tum peracutæ commentationes. Neque hîc de prudentioribus & ſagacioribus agimus, quos vel acrius ingenium, aut multo labore comparata doctrina ſupra ſortem τῶν πολλῶν evexit. His omiſſis, cæteram turbam ſi ſpectemus, quotuſquiſque, qui per ἀχλὺν illam Homericam, intus turbantem; per tam varios extra colores, oculis illudentes; per tot imagines oppoſitas, luminibus obſtruentes; ad ipſam rerum veritatem penetrare poſſit? Nihil autem porrò quod humanæ rationi frequentiùs aut pernicioſiùs imponat, quàm verborum fucus & prætextus.

Nec fortaſſe myſterio vacat, quod in omnibus ferè linguis, in præcipuis certè, moris hujus inter homines receptiſſimi certa quædam quaſi veſtigia, ſive indicia ſunt impreſſa. Unde enim factum dicemus, quod in principe

cipe lingua uno eodemque verbo tum res, tum verba significentur? Quod in eâ, quæ tum dignitate, tum antiquitate illi proxima, ratio oratioque uno eodemque τοῦ λόγου sunt insignita vocabulo? Quod in Latina denique, non tantùm *ratio* & *oratio* adeò sint & literis & pronuntiatione affinia; sed ipsum *res* (ut doctis notatum) à verbo Græco, quod *verbum*, vel *dictionem* significat, oriundum sit?

Hoc igitur Viri politici, quibus cum populo res, cùm pro sua prudentia ritè observassent, quàm id suis rebus peritè accommodaverint, omnium populorum & ætatum testatur experientia. Quod alicubi Plato de Musica, leges musicas mutari sine mutatione legum publicarum non posse pronunciat; nos contrà de verbis, magnas in Rebuspublicis commutationes fieri sine verborum mutatione non posse, potiori fortasse jure contendamus. Neque id omiserunt Historici quicunque de meliori nota.

Thucydides, gravissimus ille & sapientissimus Historicorum, lib. 3. de Corcyreorum seditione loquens: Καὶ τὴν εἰωθυῖαν ἀξίωσιν τῶν ὀνομάτων ἐς τὰ ἔργα ἀντήλλαξαν τῇ δικαιώσει· τόλμα μὲν γὰρ ἀλόγιστος, ἀνδρεία φιλέταιρος ἐνομίσθη, &c. Idem lib. 11. de Pericle: Ἐγίγνετο τῷ λόγῳ μὲν δημοκρατία· ἔργῳ δὲ, ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή.

Salustius *De Bello Catilinæ*, in Catonis Oratione: *Hic mihi quisquam mansuetudinem & misericordiam nominat? Jam pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus: quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur; eò Respublica in extremo sita est.* Idem alibi: *Namque uti paucis verum absolvam, per illa tempora quicunque Rempublicam agitavere, honestis nominibus, alii, sicuti jura populi defenderent; pars, quò Senatûs authoritas maxima foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant.*

Cornelius Tacitus in Cerealis Oratione: *Sed quia apud vos verba plurimùm valent, bonaque ac mala non suâ naturâ, sed vocibus seditiosorum æstimantur*, &c. Et ibidem paulò post: *Cæterùm libertas & speciosa nomina prætexuntur, nec quisquam alienum servitium & dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet.* Idem alibi lib. 1. *Quæ usquam provincia, quæ castra sunt nisi cruenta & maculata? aut ut ipse prædicat, emendata & correcta? Nam quæ alii scelera, hic remedia vocat; dum falsis nominibus severitatem pro sævitia, parsimoniam pro avaritia, supplicia & contumelias vestras, disciplinam appellat.* Idem de Tiberio, callidissimo Principe: *Proprium id Tiberio fuit, scelera nuper reperta priscis verbis obtegere.*

In eandem sententiam plura apud illum prudentissimum Historicum; nec illum tantùm, quæ nos hic omittimus.

Consona sunt his, quæ passim veteres Patres, aliique de ortu hæresêum ex verborum immutatione, (τὴν διὰ ὀνομάτων πανουργίαν solent illi nuncupare) aut in aliam significationem detortione passim observant. Qualia sunt ista Gregorii Nysseni contra Eunomium: Καθάπερ οἱ θηρεύοντες λέγονται βόθροις τισὶν ὑπολαμβάνειν τῶν θηρίων τὴν πάροδον, κρύπτειν δὲ τὴν ἐπιβουλὴν διὰ σαθρῶν τινῶν καὶ ἀνυποστάτων τῷ στόματι τοῦ βόθρου ἐπικαλύπτοντες ὡς ἂν * ὑπόπεδον φαίνεσθαι τῷ παρακειμένῳ τὸ βάθρον· τοιοῦτόν τι μηχανᾶται κατὰ τῶν ἀνθρώπων ἡ αἵρεσις, τὸν βόθρον τῆς ἀσεβείας διὰ τῶν εὐφήμων τούτων καὶ εὐσεβῶν ὀνομάτων οἷόν τινος ἐπιπολαίου στέγης ἐπικαλύπτουσα, ὥστε τοὺς ἀλογωτέρους ταυτὸν εἶναι τῇ ἀληθινῇ πίστει τὸ τούτων κήρυγμα διὰ τῆς τῶν ῥημάτων ὁμολογίας νομίζοντας, πρὸς ψιλὸν τὸ ὄνομα, &c. *Quemadmodum venatores præripere foveis quibusdam ferarum accessum* [potiùs, *Quemadmodum venatores foveis quibusdam prætereuntes feras excipere*, vel, *intercipere*] *dicuntur, insidias autem putridis quibusdam operculis & soliditatem non habentibus orificia fovearum cooperientes occultare, ut planum adjacenti profundum videatur*; [potiùs, *ut quod profundum est, eò quòd adjicitur, vel opponitur, planum videatur*] *tale quiddam adversus homines hæresis machinatur, foveam impietatis per hæc fausta & pia nomina veluti quodam superficiario tecto contegens: ita ut qui minus rationis judicio valent, idem cum vera fide horum præconium per verborum confessionem existiment; ad exile nomen*, &c.

* Γρ. ἰσόπεδον.

Ibidem: Ἕως γὰρ ἂν ἡ συνήθης κρατῇ σημασία τῶν λέξεων καὶ μηδεὶς εὑρίσκηται λόγος ὁ μετασκευάζων εἰς τὸ ἐναντίον τὰς τῶν ῥημάτων ἐμφάσεις, οὐκ ἐνδέχεται, &c. *Donec enim dictionum familiaris significantia prævaluerit, & nulla inveniatur ratio, quæ verborum in contrarium transmutet notas significationes, non fieri potest*, &c.

Ibidem: Καὶ δεῖ πάντως εἴγε μὴ μέλλοιμεν σύγχυσίν τινα τῶν πραγμάτων διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων ὑπαλλαγῆς ἐμποιεῖν, σώζειν ἑκάστῳ τῶν πρός τι λεγομένων τὸ οἰκείως συσσημαινόμενον· φανερᾶς οὖν οὔσης τῆς τῶν λέξεων τούτων ἐννοίας, &c. *Et nisi rerum confusionem quandam per nominum immutationem inducere velimus, omnino oportet cuique relatorum suam & propriam servare significationem. Cùm sit itaque harum dictionum notitia manifesta*, &c.

 Idem

Idem lib. XII. Οἱ δὲ τὴν κατὰ φύσιν τῶν ῥημάτων ἐμφάσεις τὰς φωνὰς ταύτας παρακινήσαντες, ἄλλην αὐτοῖς ἐφαρμόζειν διάνοιαν ἐπὶ καθαιρέσει τῆς εὐσεβείας φιλονεικοῦσιν· ἰσοδυναμούσης γὰρ &c. *Hi verò istas voces ab ea, quæ est secundum naturam, genuinâ significatione dimoventes sive detorquentes, aliam ipsis accommodare intelligentiam ad pietatis eversionem perverse contendunt. Cùm enim*, &c.

Nec aliter in privata consuetudine misceri & inverti vocabula, atque ex ista verborum inversione criminosos haud rarò attolli, immerentes infamari, officia perverti, jura confundi, vitia denique virtutum, virtutes vitiorum elogiis inscribi, proscribi, vulgò videre est. Notatum id multis. Apud Suidam nescio quis in Ἐγκρατ. Καὶ ἡ συνήθεια δὲ πλήρης τῆς τοιαύτης χρήσεως· μεταλαμβάνοντες ἀεὶ τὰ ὀνόματα πρὸς τὰ ἐμφανέστατα· τὸ μειδιᾶν εἰς τὸ γελᾶν· μεταλαμβάνουσι δὲ καὶ τὸ πανοῦργον εἰς τὸ φρόνιμον· τὸ δὲ τολμηρὸν, εἰς τὸ ἀνδρεῖον· τὸ πρᾶον, εἰς τὸ ἀργὸν καὶ ἀκίνητον· τὸ ἐλευθέριον, εἰς τὸ ἄσωτον. τὸ οἰκονομικὸν, εἰς τὸν ἀνελεύθερον· &c. Quintilianus lib. XI. *Verborum etiam moderatione detrahi solet, si qua est rei invidia, si asperum dicas, nimium severum; injustum, persuasione labi; pertinacem, ultra modum tenacem esse propositi*, &c.

Cicero: *Nam & prudentiam malitia; & temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis; & magnitudinem animi superbia in animis extollendis, & despicientia in contemnendis honoribus; & liberalitatem effusio; & fortitudinem audacia imitatur; & patientiam duritia immanis; & justitiam ambitus; & religionem superstitio; & lenitatem mollitia animi; & verecundiam timiditas; & illam disputandi prudentiam concertatio captatioque verborum; & hanc oratoriam vim, inanis quædam profluentia loquendi.*

Planè quod in figuris quibusdam poëticis usu venisse notat idem Quintilianus, quibus, quia plerunque servire metro Poëtæ coguntur, adeò ignoscitur, ut *vitia ipsa aliis in carmine appellationibus nominentur*, (*metaplasmos enim & schematismos & schemata vocamus, & laudem virtutis*, ait ille, *necessitati damus*) id ad mores & vitam quotidianam, sed tantò pejore exemplo, quantò minùs hic necessitati locus, traductum est. Vitia virtutesque prout studia & partes abripiunt, vario verborum colore depingimus: aliis atque aliis nominibus eadem pro variis affectibus aut temporibus appellamus. Ut non immeritò vitæ olim futuræ melioris & beatioris hoc inter alia indicio & charactere usus sit Propheta *: *Neque flagitioso amplius indetur nomen ingenui, & tenax non dicetur liberalis.*

Non igitur audiendus, hic quidem certè, Gregorius Nyssenus, qui μόνον τῶν ἐκ μέθης ἢ φρενίτιδος παραπαιόντων τὸ διαπλανᾶσθαι πρὸς τὰ ὀνόματα καὶ μὴ κατὰ τὸ σημαινόμενον τὴν ἐπὶ τῶν πραγμάτων κεχρῆσθαι φωναῖς esse pronunciat. Sanè qui *canem* pro *homine*, vel *hominem* pro *cane* palam substituat, quibus ibi Nyssenus exemplis utitur, vix effugiat, quin pro cerrito & circumferendo vulgi sermone differatur: qui verò de *sobriis intemperantes*, aut *intemperantibus sobrios*, (quæ itidem exempla ab illo adhibentur) faciant, aut certè facere possunt, tantum abest ut pro insanis vulgo habeantur, ut nullis prudentiæ ac sapientiæ palmam vulgus hominum libentius deferat.

* Es. cap. XXXII. vers. 5.

Ad POLITICA (nisi quis malit ad *Jurisprudentiam*, de qua prius egimus) referri potest, quod interdum ex unius ambiguæ aut obscurioris voculæ varia interpretatione multorum hominum millium salus pendeat. Cujus rei cùm non pauca, si quis oraculorum ancipitia responsa, veteresque diligenter explicet memorias, exempla suppetant; nullum tamen insignius, quàm quod ex lib. I. Samuelis, cap. VIII. vers. 9. & 11. peti potest. Ibi in re tanta, quanta maxima potest in vita communi cogitari, & cujus variis temporibus in diversis locis agitatio strages magnas populorum edidit, verbi unius משפט vera significatio, ex qua tota sententia pendet, post hominum doctissimorum ex omni ferè natione commentationes, nondum extra omnem planè controversiam. Eadem etiam in Homero, ubi de Regibus & ipse loquitur, verbi Græci ambiguitas. Ait ille de Ulysse:

Οὔτε τινὰ ῥέξας ἐξαίσιον, οὔτε τι εἰπὼν
Ἐν δήμῳ, ἥτ' ἐστὶ δίκη θείων βασιλήων.

Quibus in verbis illud δίκη tam à Scholiaste vetere, quàm Eustathio, νόμος ἢ τρόπος, exponitur. Cicero quoque *consuetudinem regiam* in eadem re dixit: in *Oratione* pro Rabirio Posthumo: *Nemo nostrûm ignorat, etiamsi experti non sumus, consuetudinem regiam. Regum autem sunt hæc imperia; Animadverte, & dicto pare*, &c. Sed non id nunc agimus, ut quæ in utramque partem à diversis afferuntur, aut afferri certè possunt, excutiamus.

Ut autem ambigua verbi Græci νόμος significatio, de qua multo plura erunt nobis alibi dicenda: ita & Latini apud Ecclesiasticos Scriptores *Lex* miras peperit doctorum quorundam hallucinationes, de quibus nos aliquid jam olim in *Notis* ad Optatum Milevitanum; nec ea nunc repetemus.

ATQUE hæc hactenus, quæ de verborum cura & accuratæ eorum cognitionis usu multiplici, pro hac otii nostri ratione, præsentique conditione non intempestiva visa sunt. Viros præstantissimos, qui in hoc erudito se pulvere cum Reipublicæ literariæ fructu post renatas literas exercuerunt, nihil attinet hic nominare, cùm & multi sint, & satis noti. Quia tamen ita res tulit, ut cùm in his essem, Joannis Croii, *Sacrarum Observationum* Pars prior ad manus

manus meas perveniret, quarum jam anteà non parva erat apud multos expectatio; non inutilem prorsus aut ingratam Lectori me sumpturum operam credidi, si aliquam temporis, quod in earum lectione insumpsi, rationem hìc redderem. Egregiam certè illius operam paremque in pluribus verbis explicandis industriam; eandemque operam & industriam in veterum Scriptorum locis non paucis à pravis aliorum interpretationibus vindicandis, sed & emendandis εὐστοχίαν, non possum non agnoscere. Quod si qui sint, qui hæc levia putent, iidem optimos quosque Scriptores tam sacros & Ecclesiasticos, quàm prophanos omnino non legendos, aut etiam abolendos arbitrentur. Nam legendos quidem, sed de sensu aut genuinâ lectione non esse laborandum, tam ab omni ratione alienum est, ut vix esse putem quemquam, mentis compotem, qui vel ita palam dicere, vel clam secum statuere sustineat.

Verùm enimverò quàm difficile sit hoc studium, vel inde liqueat, quòd in tanta diligentia non tamen scopum semper assequitur vir doctissimus. Ut exempli causâ, cùm non procul ab initio, θεωρήματα apud Gregorium Nyssenum in istis, quæ profert ex illo verbis: Τούτων δὲ παρ' ἡμῶν ἐπιδρομῇ ῥηθέντων, ὁ φιλόπονος ἀναγνοὺς τῆς θείας γραφῆς τὰ ἐδάφη προσαρμοσάτω τοῖς θεωρήμασι τὰ αἰνίγματα: *Mysticam & spiritualem significationem; vel potius ea, quæ probanda & demonstranda sunt*, interpretatur. *Cicero*, inquit, θεωρήματα *vertit præcepta; præcepta appello, quæ dicuntur Græcè* θεωρήματα. Hoc sanè jejunum nimis, nè dicam temerarium. Ait ibi Cicero: *Etenim si est divinatio, quibusnam à præceptis artis proficiscitur? præcepta appello, quæ dicuntur Græcè* θεωρήματα. Non igitur *præcepta*, simpliciter, τὰ θεωρήματα vertit Cicero; sed *præcepta artis*; nec id leve discrimen est. Præterea, *præcepta*, an *percepta* sit ibi vera lectio, dubitant docti. Doctissimus Turnebus ex veterum Codicum fide, sed & verbi ipsius proprietate adductus, hoc posterius magis probat. Immò *percepta*, longè probabiliorem esse lectionem ausimus ipsi præstare. Θεωρήματα siquidem, & καταλήψεις artium magistris eadem. Hoc tum ex aliis discimus, tum ex Sexto Empirico, *Pyrrhonicarum Quæstionum* lib. III. cap. 29. cujus lemma est, Εἰ ἔστιν ὁ διδάσκων καὶ ὁ μανθάνων. Uno illo capite, ἓν θεώρημα & μίαν κατάληψιν promiscuè sæpius usurpat. Ut cùm dicit, Ἤτοι γὰρ ἓν θεώρημα καὶ μία κατάληψις δύναται ποιῆσαι τὸν ἄτεχνον τεχνίτην, ἢ οὐδαμῶς. Ἀλλ' εἰ μὲν κατάληψις μία τὸν ἄτεχνον τεχνίτην ἀπεργάζεται, πρῶτον μὲν ἔσται λέγειν ὅτι οὐκ ἔστι σύστημα ἐκ καταλήψεων ἡ τέχνη. Ὁ γὰρ μηδὲν ὅλως εἰδὼς, εἰ ἓν θεώρημα διδαχθείη τέχνης, τεχνίτης ἂν οὕτω λέγοιτο εἶναι· & quæ sequuntur ibi in eandem sententiam. Κατάληψιν autem, *perceptionem* Cicero disertis verbis non uno loco reddit; & quæ Sexto Empirico aliisque passim, θεωρήματα τέχνης: Ciceroni, *percepta artis*. Hinc, *catholica* θεωρήματα, in Epistolis ad Atticum, quibusdam, *regulæ generales*; Simeoni autem Bosio, viro doctissimo, *perceptum artis, quod in omnes conveniat*; vel, *regula generalis*. Galenus in Ὅροις: Θεώρημά ἐστι πρᾶγμα καθολικὸν, ἀκολούθως τιθέμενον τῷ τῆς ἰατρικῆς τέλει, ἢ ἀξίωμα καθολικὸν συμπληρωτικὸν τῆς ἰατρικῆς· ἢ, Θεώρημά ἐστιν οὗ τὸ ἐναντίον σπανίως ἐκβαίνει. Sanctus Augustinus in *Soliloquiis*; (illa intelligimus, quæ verè sunt Augustini) τὰ θεωρήματα, alludens ad verbi originem, vertit, *spectamina*; *spectamina disciplinarum*, id est, τὰ θεωρήματα τῶν μαθημάτων· cujus generis, in exemplum eorum, quæ adeò certa & manifesta sunt, ut de iis nemo sanus dubitare possit, adducit hæc: *Lineam in duas lineas per longum scindi non posse; at transversim infinitè secari posse: sphæram pares circulos habere non posse*, &c. Stoicorum decantatissima θεωρήματα, de quibus aliquid nos alibi, prætereo. Fusior τῶν θεωρημάτων, aut vocis potius θεωρήματος explicatio ex Mathematicorum scriptis & Græcis Aristotelis Interpretibus, qui in posteriora ejus Analytica commentati sunt, peti potest. Ad hæc igitur θεωρήματα exigenda docet Nyssenus, quæcunque obscuriora sunt in Sacra Scriptura, quæ *ænigmata* solet, ut & alii passim Patres, appellare. Multa certè in hanc ille, (de obscurioribus per clariora scilicet explicandis) sententiam passim. Ecce statim initio libri secundi: Τὴν ἐκ τῆς ἀρχαιοτέρας γραφῆς, ἐκ νόμου τε καὶ προφητείας καὶ τῆς παροιμιώδους διδασκαλίας γινομένην περὶ τῆς ὑπερεχούσης φύσεως διδασκαλίαν δι' αἰνιγμάτων τινῶν καὶ αἰνιγμάτων εἰς μαρτυρίαν τῆς ἀποκαλυφθείσης ἡμῖν ἀληθείας δεχόμεθα εὐσεβῶς τὴν ἀλήθειαν τῶν ῥητῶν ἐκλαμβάνοντες ὡς συμφωνεῖν τῇ παραδοθείσῃ παρὰ τοῦ δεσπότου τῶν ὅλων ἐκτεθείσῃ πίστει. Posteriora verba sic vertenda: *Ut cùm fidei, quæ ab universi Domino tradita est formula, rectè congruant*: non ut Interpres ibi Latinus, qui τὸ συμφωνεῖν, quasi de personis, non de rebus dictum esset, accipit. Hoc igitur qui faciunt, id est, obscuriùs indicata per notiora exponunt, eos τὸν λόγον ἐπί τινος ἀναντιῤῥήτου βάσεως ἱστᾶν· qui verò non faciunt, ψιλῶς καὶ ἀνερμηνεύτως vel ἀνεξετάστως καὶ ἀθεωρήτως παραδέχεσθαι τὸν λόγον, solet interdum dicere. Erit igitur & in istis, de quibus quærimus hìc, Nysseni verbis, προσαρμόσατε τοῖς θεωρήμασι τὰ αἰνίγματα, *theorematibus* vel *regulis generalibus* (id est, fundamentalibus articulis fidei) *alia, quæ minus*

nus perspicua sunt, aptare, ut nulla sit dissonantia. Hæc mihi veniebant in mentem ex ipsorum, prout illa profert ex Nysseno vir doctissimus, verborum lectione: non enim, fateor, inventa mihi cùm in his essem, in ipso Nysseno verba illa, quæ profert. Et crediderim *primam*, non *tertiam* Orationem illum voluisse, nisi in Gretseri nomine deceptus est. Non enim, nisi fallor, alias ex XII. illis *contra Eunomium* Orationibus Latinas fecit Gretserus, præter primam.

Sed hoc leve est. Illud aliquantò majoris est momenti, quòd nimio carpendi & contradicendi studio vir doctissimus extra veri limites non rarò abripitur. Quale illud est, quòd Ciceroni νεανικῶς insultat, quòd *addendo deducendoque, quæ reliqui summa cognosci* dixerit. *Non video*, inquit, *quomodo aliqua reliqui summa addendo fieri possit. Deducendo quidem*, &c. Et hinc concludit, Ciceronem non solùm *bonum non fuisse ratiocinatorem*, sed & σολοικισμὸν *in verbis*, (ex Aristotelis definitione) commisisse. Ridebunt, puto, qui putandis rationibus assueverunt. An igitur potest, ut acceptorum & expensorum quisquam rationem secum ineat, aut alteri reddat, ut non in computando addat deducatque? Aut quæ ex additis deductisque summa conficitur, aliud quàm *reliquum* (de quo, ut & *reliquari* verbo multa Jurisconsulti) dici debeat? Quod si aliqua in verbis præcisè sumptis ἀκυρολογία aut repugnantia, non alia certè, quàm quæ per figuras haud infrequentes & vulgarem loquendi usum possit excusari. Quàm multa in quotidiana sermonis consuetudine planè usitata & legitima, quæ si quis morosior & rigidior ad leges vel Grammaticas, vel Dialecticas exigat, obnoxia reprehensioni sint? Ecce, *puteum fodere, chlamydem texere, domum ædificare*; quid in ore omnium frequentius? Quid tamen de his loquendi generibus acutiores Philosophi, non ignotum est. Quid quòd Gregorius Nyssenus integro Περὶ κοινῶν ἐννοιῶν libello, *Petrum, Paulum & Barnabam*, quatenus homines sunt, non plures esse, sed unicum κυρίως καὶ κατὰ τὸν ἐπιστημονικὸν λόγον, quanquam καταχρηστικῶς καὶ διὰ συνήθειαν (ut ipse loquitur) tres vulgò reputentur, asserat & pluribus adstruat? Quid autem, si in verbis Ciceronis *addendi deducendique* verba ad solos calculos (quorum jam olim in putandis rationibus usum fuisse qui nunc obtinet vulgò, certum est; & illustris in eam rem Polybii locus) pertineant? Sed non opus est, ut eò confugiamus. Sunt enim *addere & deducere* hîc quasi τεχνικὰ vocabula, quæ etsi per se contraria, unam tamen eandemque rem significant; *computare* scilicet. Geminâ planè phrasi dixit Apostolus (non dicam quod κακοηθέστερος aliquis fortasse diceret, per Ciceronis latus, Apostolum ferire illum voluisse) in Epistola ad Philippenses: Οἴδατε δὲ καὶ ὑμεῖς, Philipp.
Φιλιππήσιοι, ὅτι —— οὐδεμία μοι ἐκκλησία cap. IV.
ἐκοινώνησεν εἰς λόγον δόσεως καὶ λήψεως, εἰ μὴ verf. 15.
ὑμεῖς μόνοι: *Nullam mihi Ecclesiam communicasse in ratione dati & accepti* (ut tum veteres, tum recentiores vertunt Interpretes) *nisi vos solos*. Ubi rectè doctissimus Camerarius: Περίφρασις *est sumptus, qui in tabulas referri solet. Tabulæ autem sunt expensi & accepti. Ut hoc dicat, solos Philippenses tum sibi aliquid contulisse. Quod ipsi nimirum expensum tulerunt Apostolo, Paulus eis retulit acceptum.* Tremellius autem in Notis ad Syriacam versionem: [*Id est, in rebus pecuniariis, in quibus habetur dati & accepti ratio. Quæ phrasis etiam apud Rabbinos est frequens, exprimiturque vocibus* משא ומתן, *quæ significant* acceptionem *&* expositionem, *sive* exhibitionem.]

Sunt etiam non pauca, quæ notat ut nova Vir doctus, & hactenùs observata nemini; quæ tamen alibi reperire est. Ut quæ de verborum *transire*, & διέρχεσθαι non vulgari usu Lectores suos jubet observare, quæ nos pridem ex eruditorum virorum in Suetonium Commentariis didiceramus; ut ea prætercam, quæ de *versibus*, & quæ de *charta*; quæ totidem ferè verbis partim ex Lipsio, partim ex summi viri in Solinum *Prolegomenis* transcripta videri possint. Quæ non eò dicuntur à me, ut candori ejus aliqua labes (facilè enim potest contingere, ut viri docti in eadem interdum imprudentes incurrant) aspergatur; sed ut ipse aliis mitiorem se præbeat. Miratus sum aliquamdiu quâ tandem ratione factum sit, ut *Observationes* suas *Sacras & Historicas*, potius quàm Grammaticas, aut certè Criticas, in quibus de verbis tam multa passim; quæ verò ad Historiam pertinent, nulla, quod sciam, inscriberet; sed desii mirari cùm quodam loco Grammatici & Critici titulum viris de literis melioribus optimè meritis,* magni probri loco, & quidem im- * Pag.
peritissimè & iniquissimè, objici ab ipso 136. Ca-
comperi. *saubono & Heinsio, qui Critici & Grammatici sunt, &c.*

Hæc de viro docto pro meo erga illa studia amore, paulò liberiùs; quæ quidem studia, ut per se sunt ingenua & liberalia, ita si ab eorum Mystis & Professoribus tractarentur, næ haud paulò melius & ipsorum studiorum honori, & tractantium existimationi consuleretur.

De lingua verò *Hellenistica*, de qua multa Crojus in his *Observationibus*, aliquid & nos, Deo juvante, in Diatriba *De Quatuor Linguis*, Hebræa, Græca, Latina, & Saxonica.

DE

DE NUPERA HOMERI

EDITIONE

LUGDUNO-BATAVICA HACKIANA,

cum Latina Versione, & DIDYMI Scholiis; sed & EUSTATHIO, & locis aliquot insignioribus ad *Odysseam* pertinentibus;

ITEM,

SUPER LOCO HOMERICO

dubiæ apud Antiquos interpretationis, quo DEI in hominum tam mentes, quàm fortunas Imperium asseritur,

BINÆ DISSERTATIONES.

AUCTORE

MERICO CASAUBONO,

ISAACI FILIO.

JOANNI GEORGIO GRÆVIO,

Viro doctissimo & humanissimo,

MERICUS CASAUBONUS


S. P.

QUanquam hæc inter nos, (*ut Comici verbis utar*) nupera admodum notitia est, *Vir clarissime, & te publicam hanc meam compellationem miraturum non absimile veri sit; me tamen non una causa impulit, ut ita facerem. Nam primò,* Diatribam *illam, de duabus alteram, quæ hîc publici fiunt juris; tu, cùm periisse eam putabam, restituendam mihi curasti: quæ si digna fuit, quæ non periret; tu dignus, cui vitam & incolumitatem suam acceptam, salvâ illâ publicè profiteretur; & qui jam prodeuntis in vulgus patrocinium susciperes. Sed & altera quoque causa accessit. Anni puto, plus minus duo, cùm tuis primùm humanissimè provocatus, cœpit hoc inter nos mutuarum literarum commercium: quod per aliquot menses utrinque ita excultum est, ut nihil minus quàm quod accidit, verendum videretur. Accidit autem, ut cùm tu libros aliquos, qui gratissimi mihi fuerunt, muneri misisses; & ego vicissim aliquos, quos tibi non ingratos futuros sperabam;* εἰς ἀντίδωρα *mittendos crederem; (quos etiam literæ comitatæ sunt; quibus & alteras, aliâ viâ missas, ne tibi cunctatio mea, siquid prioribus meis accideret, suspecta esset, paulò pòst addidi) accidit, inquam, (quod miratus sæpe sum, nec adhuc cùm venit in mentem, mirari desino) ut ab illo tempore, cùm jam plus anno præterierit; quid libris aut literis factum sit, rescire nullus potuerim. Cùm igitur aliæ viæ non succederent, hac occasione usus sum, ut si adhuc (quod opto & spero) vivis, & vales; & meam fortasse cessationem non minus miraris, aut etiam indignaris; hac publicâ meâ compellatione, in nulla culpa esse me intelligeres. Plura libenter scriberem, de* Philostrato *præcipuè; ad cujus editionem, si in proposito pergis, & vita suppetit, aliquid fortasse conferemus, quod tibi usui esse dicas. Sed hæc aliàs pluribus, cùm de præsenti tuo statu certior ero. Vale, Vir doctissime, & hoc qualecunque est, æqui bonique consule.* Londini, in ædibus Cottonianis, postridie Non. April. partæ Salutis anno CIↃ IↃ CLVIII.

Domino Gronovio, raræ, his præsertim temporibus, eruditionis & diligentiæ viro, plurimam à me, quæso, ut amicissimo, cùm videbis, aut scribes, salutem.

DE

DE NUPERA HOMERI
Editione Lugduno-Batavica Hackiana,
DISSERTATIO.

Riennium, & eo amplius est, cùm Homericæ, quæ tum Lugduni Batavorum, cum Græco Scholiaste, accurabatur, editionis specimen, à *Francisco Hackio*, multorum librorum editione nobili Typographo, dum de nova *Polybii* editione inter nos agimus, ad me missum est; in quo cùm spectabilis esset elegantia characterum, & alia superarent, quæ ad exteriorem librorum commendationem pertinent ornamenta; factum est, ut non parvam ex eo voluptatem caperem. Nam is ego sum, qui *Homero* tantum tribuo, quantum hominem verecundum, & literarum amantem, ei qui tot ætatum præscriptione princeps ingeniorum; bonarum omnium artium & doctrinarum seminarium; humanæ denique sapientiæ apex audiat, tribuere fas est: & ea videbam tempora, quibus nulla bonis ingeniis & literis infestiora, ullam vidisse ætatem, pridem est cùm sentio doleoque. Quid enim mollius dicam, aut censeam, cùm hinc fanaticorum, qui γυμνῇ, quod ajunt, κεφαλῇ quicquid humanæ eruditionis est, à sua, magno clamore, proscribunt Republica; non numerum tantùm, sed & authoritatem per bella civilia paucis annis adeò crevisse videam, ut sint ex eo numero non pauci, qui ***** illinc tam multos esse, qui quamvis verbis, ut suis inventis gratiam & authoritatem concilient, æquiora præ se ferant; nominibus illi tamen, & scriptis Antiquorum, quibus hactenus res stetit omnis literaria, petulanter obtrectare gloriosum sibi ducunt, eaque ex manibus studiosæ juventutis excutere, quantum in ipsis est, scriptis & factis, omni ope & operâ contendunt? Ut eos omittam, qui dum *methodos*, & compendia nescio quæ sua nobis venditant, & breviorem (si Diis placet) ad eruditionem viam promittunt, tanto à vera eruditione, quos suis jactationibus irretierunt, abducunt; quantus qui in ipsorum nugis & ineptiis percipiendis impenditur labor. Hæc cùm certa sint, & omnibus publicè, nisi iis, qui volgivagâ hac dementiâ correpti sunt, nota; in aliquo pretio bonos adhuc libros esse; adhuc superesse, qui veteres probatos Scriptores tanti faciant, ornent, & ornatos gaudeant; sed inprimis, suum adhùc *Homero* (qui vel unus quandiu legetur, amabitur, publicis expetetur votis, non metus est, ne meliores penitùs exulent expirentve literæ) constare honorem, & dignitatem; quis literarum amans non impensè gaudeat?

Delectatus igitur hoc specimine, dum animo meo tantisper hac occasione obversatur *Homerus*, venit interim in mentem locus Homericus, de quo, quia præter alios insignis semper visus est, aliquid olim commentatus eram. Hanc igitur commentationem meam cùm ad *Hackium* eâ lege transmisissem, ut si ad ea, quæ parabat in Homerum, opportunam judicaret, uteretur; sin minus, remitteret: quid ille judicaverit, nescio; nisi quod id certum, Bibliopolam Londinensem, cujus operâ uterque usi eramus in mittendis literis, tanquam sibi (neque de fide ejus dubitandi causa erat) ab ipso responsum renuntiasse, libenter illum, quæ missa erant, accepisse; & quando per me liberum esset, id maluisse, ut edenda retineret, quàm remitteret. Post bene longum tempus, cùm nova illa *Homeri* editio prodiisset in lucem sine ulla Dissertationis istius mentione; sed nec ad nos ne tunc quidem, postquam *Homerus* ille aliquot jam menses vænalis prostiterat, vel ipsa remissa esset, vel verbo saltem, quo mutati consilii ratio nobis aliqua constaret, factum satis esset; apud amicum isthic tunc agentem, pro re nata, mutuoque literarum officio, recens inito, questus hanc injuriam; aut si hoc in re tam parva nimis est, negligentiam; quod ex pacto diu antè fieri debuerat, tandem ipsius operâ præstitum est, ut ad nos

qualis fuerat missa, integra & illibata rediret. Abdideram in scrinia, ubi latere cum non paucis id genus aliis (quod & fortasse præstitisset) tuta diu poterat, nisi inexpectata occasio reduxisset in memoriam, eademque tandem extrudendæ ei foras fuisset; quæ nunc occasio (si Lectore, ut speramus, non nolente fiet) à me proferetur: & hujus etiam, quæ nunc comes illi prodit, ratio reddetur.

Cùm post obitum charissimæ conjugis, sex admodum annis inde jam lapsis, quod id unicum ferè vitæ solatium relictum erat, diuturno ejus desiderio in languorem, posteà & morbum incidissem; qui annum unum & alterum ut de vita sæpe desperarem, gravissimè me exercuit; tandem, ita volente Deo, hactenùs eluctatus sum, ut si porro valere vellem, labori & gravioribus studiis renuntiandum, & illud præcipuè curandum esset. Eò redactus igitur, ut & vita laboriosa, sed & domestica solitudo pari studio vitanda essent; amicorum indicio & procuratione, à viro nobilissimo, & ingenii dotibus, multiplici doctrinâ excultis, ornatissimo, *Joanne Cottono*, *Thomæ filio*, *Roberti* (celeberrimæ illius, quæ *Cottoniana* vulgò audit, Bibliothecæ fundatore) nepote, invitatus sum, ut in studiis ipsi philologicis comes essem, & adjutor. Acceptâ libenter, quantum valetudo pateretur, conditione, quâ nulla temerè potuit alia optabilior aut opportunior contingere; cùm alia erant, à quibus auspicari visum; tum inter alia occurrebat *Homerus*, cui acri vir ingenio, tantùm suâ sponte deferebat, ut unicum illum columen eruditionis sæpe me non dissentiente, prædicaret. Cæterùm, quia *Iliadem* diligenti lectione triverat, ut bona pars memoriæ hæreret; *Odyssea* delecta est, quam junctis operis legeremus. Ego *Homeri* textum, cum *Eustathii* Commentariis; ille nuperam illam Græco-Latinam editionem Lugdunensem cum *Didymi* Scholiis, ante oculos habebat. Præstò erant & aliæ Homeri editiones, ut Giphaniana utraque; Amstelodamensis, anni partæ Salutis 1650. aliæ, quæ Homerum purum putum, sine versione scilicet aut Notis ullis, exhiberent. Cùm autem oculos interdum, ut fit, in adversam versionem Latinam, quam Lugdunensis ista editio *Hackiana* exhibet, conjiceremus; quanquam talis illa plerumque reperta, quâ carere sine damno possemus potius quàm quæ laudari mereretur; primò tamen, non adeò mirari, aut indignari, ut qui dudum experti essemus, quantum vulgatis istis versionibus tribuendum sit. Posteà tamen cùm in non pauca tam portentosa incidissemus, ut exemplo res carere (si fortè librum unum, aut alterum excipias) videretur; & vix oculi, præcipuè qui cæterùm editionis illius apparatum cogitaremus, fidem facerent; seria res animadversione digna tandem visa est. Cùm enim aliorum in quocunque genere Scriptorum Græcorum versiones extent haud paucæ, quas meritò laudamus; etiam illorum, in quibus labor longè major, & difficultas ingenia non vulgaria deterrere poterat; quis non miretur fati Homerici iniquitatem, cui cùm palmam dent omnes ingenii, & in omni laude, longissimo intervallo præcellentem agnoscant; nondum tamen repertum esse, qui tot insulsissimi Interpretis hallucinationibus & barbarismis horrentem & squallidum, & quidvis potius appellandum quàm *Homerum*; meliore cultu ornatum & politum, Latinis auribus proponeret? Nec adeò tamen *Homeri* ipsius injuriâ commovebar, quem nemo, qui sapit, ex versionibus vel accuratissimis, nedum vulgaribus, æstimabit; sed tyronum præcipuè intuitu, quorum teneros animos, cum amore & admiratione Poëtæ incomparabilis imbui, Reipublicæ literariæ & posteritatis adeò interfit; mirum ni tot impactæ cruces, & tenebræ offusæ, ubi Græca plerunque liquidissima sunt & elegantissima; vel de proprio cogant ingenio desperare, vel alieno (Homerum intelligimus) immeritò obtrectare. Cùm igitur hanc meam indignationem apud multos, ut ferebat occasio, liberius expromsissem, ut aliquem, si posset, qui tanto malo mederetur, excitarem; rem tandem longè aliter habere quàm putabam intellexi. Aliquot enim post mensibus cùm virum nobilem, quò mihi jam notiorem, eò magis amabilem & charum, ad paterna prædia non uno loco sita, pro re nata, & anni tempore se conferentem, comitatus essem; opima illa quidem, & iis rebus, quæ ad splendorem faciunt, abundè instructa; sed eò tamen mihi gratiora & jucundiora, quòd ubique libris referta, (ut Romanas Antiquitates, quæ ad rem Britannicam faciunt, undique conquisitas & huc translatas taceam) reperirem; inopino mihi incidit in manus versio Homerica, quæ cùm sine dubio vulgatissima sit, & omnibus (sed & mihi olim fortasse) satis nota; tum certè mira, & penè incredibilis accidit. Portenta enim illa (ad 600. ausim dicere; nec pauciora, quamvis properantes, observasse crediderim) verborum, aut omnia, aut pleraque

 subla-

sublata, non infeliciter, unius hominis aut duorum ad summum, industriâ *Francisci* scilicet, & *Æmilii Porti*, Cretensium, reperi. Sed & *Sebastiani Castalionis* editio posteà oblata est, quæ si non tam pura & defæcata est, quàm *Æmiliana;* at longè tamen purior & defæcatior illa jam tum, anno Domini scilicet 1567. quàm sunt istæ posteriores, quarum anteà meminimus, & quorum copiam nobis fuisse, *Odysseam* aggredientibus, diximus. Giphanianæ, omnium quas hactenus vidimus, impurissimæ. *Amstelodamensis* autem, quamvis multa correcta exhibeat, quæ peccat enormiter *Hackiana;* at illa vicissim plura, aut certè non pauciora admittit, quæ piationis non minus egeant, quæ in *Hackiana* rectè habent: ut de duabus, cùm neutra tolerabilis sit, cùm utraque tanto tempore posteriores sint istis melioribus; quam tamen pejorem statuas, hæreas. Unde autem factum, quòd hæc Lugdunensis editio, quæ tantam præ se fert elegantiam, tot versionis ulceribus, fœda & deformis in lucem exiret, meum non est conjicere; nisi dicemus, illis fortasse commissum negotium, qui cùm harum literarum adeò rudes & ἀμύητοι essent, ut de tot mendis nulla vel minima suspicio ipsis oborta esset; de iis, aut propriâ, aut alienâ operâ tollendis (quod tamen, in plerisque, vel mediocriter docti facilè poterant) curam suscipere, aut solliciti esse non poterant utique. Quidvis certè potius crediderim, quàm illos, quorum præcipuè intererat, tam illiberalis facinoris, & ῥᾳδιουργίας conscios fuisse.

His ita indicatis, quæ non taceri publicæ utilitatis intererat; ad alia libenter pergeremus. Sed ne quis tamen nos (ut sunt ingenia) præter verum & rei meritum παρατραγῳδεῖν suspicetur, aut prudens etiam calumnietur; quanquam putidius, & aliàs injucundum, in his tam minutis, & quæ ad aliorum reprehensionem pertinent, immorari; proferemus tamen aliqua, quæ ad innocentiam nostram tuendam sufficiant. Ac primò, integros aliquot versus, hinc inde, ut se nobis offerunt, adducemus, ex quibus discrimen versionum quivis intelligere possit.

Odyss. δ'. edit. Lugdun. pag. 68. in verbis Menelai, labores Ulyssis in obsidione Trojæ narrantis & exaggerantis: Et hæc, inquit, αὐτὸν (*ipsum*, id est, *in propria persona*) [semel] pati, lex fati fuit: mihi verò ex recordatione ipsius, & eorum, quæ pro nobis passus est, dolor, qui quotidie recurrit, & quem nulla dies (ea enim vis hoc loco istorum verborum, αἰὲν ἄλαστον· & est elegans in verbis antithesis) minuet:

τῷ δ' ἄρ' ἔμελλεν
Αὐτῷ κήδε' ἔσεσθαι, ἐμοὶ δ' ἄχος αἰὲν ἄλαστον
Κείνου.

Portus optimè, verbum verbo reddens:

Huic enim futurum erat
Ipsi, dolores ut essent; mihi verò mæror semper gravissimus, quem nulla oblivio deleret,
Illius causâ.

Versio verò Lugdunensis (si versio dicenda est) pag. 68.

Huic futuri sunt
Ipsi dolores fieri; mihi verò tristitia semper incessabilis,
Ob illum.

In verbis, primùm; quis unquam tam barbarus ita locutus est; aut quis ita loquentem tantus Oedipus ut intelligat, *futuri sunt fieri?* Sed in re tamen majus peccatum, cùm quæ præterita narrat Poëta, (quod & res exigit ipsa, & ratio τῆς ἀντιθέσεως in verbis) tanquam futura (labores Ulyssis scilicet) hîc proponuntur. Hoc saltem Castalio dudum emendaverat, dum vertit, *futuri erant*; non, *sunt*: nam cætera, nihilo melius. Sed ista deinceps omittemus, & Lectori relinquemus; versiones ipsas proposuisse contenti.

Eodem libro, Lugdun. edit. pag. 91. Ulyssis, Regis Ithacæ, innocentia, sive clemens gubernatio his verbis à Poëta proponitur:

Κεῖνος δ' οὔποτε πάμπαν ἀτάσθαλον ἄνδρα ἐώργει.

Castalio:

Ille verò nunquam prorsus improbè cuiquam fecit.

Portus, ut vim verborum Græcorum plenius exprimeret, aliquantò laciniosius:

Ille verò nunquam prorsus [ullum facinus] *impium in quemquam virum fecit.*

Lugdun. edit. pag. 91.

Ille verò nunquam prorsus improbum virum egit.

Homer. lib. θ de Phæacum navibus:

οὐδέ ποτέ σφιν
Οὔτε τι πημανθῆναι ἔπι δέος, οὐδ' ἀπολέσθαι.

Vertit Portus:

Neque unquam ipsis
Aut damni quid patiendi subest periculum, aut pereundi.

Castalio:

Castalio:

Neque enim ipsis
Neque detrimentum patiendi est metus, neque pereundi.

Lugdun. autem:

Neque unquam ipsis
Neque aliquâ parte offendere accidit timore, vel perire.

Lib. λ'. Lugdun. pag. 236.

Ἣ χρυσὸν φίλου ἀνδρὸς ἐδέξατο τιμήεντα.

Poterat aliquis hærere fortasse, nisi Scholiastes Græcus (ut Eustathium omittamus) τιμήεντα exposuisset ἐντιμότερον· sed nec ipsa res aliam expositionem patitur. Bene igitur Portus:

Quæ aurum dilecto viro habuit charius.

Hunc sensum & Euripidis in Medea verba confirmant:

Εἴπερ γὰρ ἡμᾶς ἀξιοῖ λόγου τινὸς
Γυνή, πείσει χρημάτων σάφ' οἶδ' ὅτι.

Lugdun. autem:

Quæ aurum dilecti viri accepit pretiosum.

Eodem libro, Lugdun. edit. pag. 248. verba Poëtæ elegantissima, in commendatione operis exquisitæ & inimitabilis artis:

Μὴ τεχνησάμενος μηδ' ἄλλό τι τεχνήσαιτο,
Ὅς κεῖνον Τελαμῶνα ἑῇ ἐγκάτθετο τέχνῃ.

Portus:

Nec tale antè fecerat, nec aliud facere posset,
Qui illud lorum suâ aptaverat arte.

Castalio:

Nec aliud fabricatus est, nec aliud fabricabitur,
Qui illud lorum suâ elaboravit arte.

Lugdun. autem:

Ut qui illud efficit, aliud quidem efficiat,
Qui illud lorum opposuerit arte.

Lib. κ'. Lugdun. edit. 203.

Ὦ φίλοι, οὐ γάρ πως καταδυσόμεθ' ἀχνύμενοί περ,
Εἰς ἀΐδαο δόμους, πρὶν μόρσιμον ἦμαρ ἐπέλθῃ.

Portus:

O amici, nequaquam porro descendemus, quamvis tristes simus,
In Plutonis ædes, antequam fatalis dies advenerit.

Ita & Castalio, iisdem ferè verbis. Quantum autem in his verbis momenti sit ad compescendum immoderatum luctum, & erigendos vel afflictissimos; quantum venustatis etiam, si cum debita emphasi & energia pronuntientur, Lectori judicandum relinquo.

Lugdun. edit.

O amici, nondum enim descendimus, tametsi tristes,
In Plutonis ædes, antequam fatalis dies adveniret.

Haud adeò magnum discrimen in verbis apparet; sed magnum tamen est sententiæ, mutatis verborum temporibus.

Lib. ξ'. Lugdun. edit. pag. 307. boni famuli character proponitur, absente Domino bona Domini sui non minus curare, & in obeundo munere non minus strenuè se gerere, quàm præsente:

Χαῖρε δ' Ὀδυσσεύς,
Ὅττι ῥά οἱ βιότου περικήδετο νόσφιν ἐόντος.

Portus:

Lætabatur autem Ulysses,
Quòd opum suarum curam gereret, licet longè abesset.

Castalio in eandem sententiam:

Quod ei facultates curabat absentis.

Lugdun. autem:

Quod suæ vitæ curam gereret:

ex quo potius colligamus, cum genio suo indulsisse absente Domino (qualis, in Evangelio, servus malus alicubi proponitur) quàm quod dicit Poëta. Et quamvis βίος utrumque pro re nata complectatur; aliud tamen βίος, aliud βίοτος.

Eodem libro, Lugdun. edit. pag. 289. tria scita prudentissima sapientissimus Poëta complectitur: Frustra esse hominum labores, nisi Deus adsit & adspiret: Non alios, aut illos potissimùm Deum juvare, qui quod in ipsis est, sedulò præstant: Quibus Deus faveat, & eorum opera prosperet; eosdem & hominibus gratiosos evadere, & ab illis æstimari. Quæ singula per se eximia, longè tamen insigniora meritò censeantur, si cum Sacræ Scripturæ locis, quibus idem docemur, componantur. In quibus id quoque notari dignum, Sanctum Paulum eodem quoque verbo, quo hîc Homerus, usum esse, ὁ Θεὸς ηὔξανεν· &, ὁ αὐξάνων Θεὸς, 1. *Cor.* III. *vers.* 6, 7.

Ὅς κεν ἔμ' ἐνδυκέως ἐφίλει, καὶ κτῆσιν ὄπασσεν,
Οἷά τε ᾧ οἰκῆϊ ἄναξ εὔθυμος ἔδωκεν,
Οἶκόν τε, κλῆρόν τε, πολυμνήστην τε γυναῖκα,
Ὅς οἱ πολλὰ κάμῃσι, Θεὸς δ' ἐπὶ ἔργον ἀέξει·
Ὣς καὶ ἐμοὶ τόδε ἔργον ἀέξεται ᾧ ἔπι μίμνω.

 Portus,

Portûs, ut in re tam gravi debuit, pleniſſimè & expreſſiſſimè, ut vel incautus Lector adverteretur:

Qui me valde diligebat, & poſſeſſionem dediſſet,
Quantam ſuo familiari Rex benignus dederit,
Domumque, bonaque, optatiſſimamque uxorem;
[Et, inquam, ſervo] qui operam ſuam Domino diligenter navaverit, cujuſque labori Deus dederit incrementum:
Ut & mihi hoc negotium augetur, in quo occupor.

Lugdunenſes autem:

Qui me accuratè diligebat, & poſſeſſionem præbuit,
Tanquamque ſuo familiari Rex benignus dedit,
Domumque, portionemque, optatiſſimamque uxorem;
Qui ſibi multa laboraverit, Deus autem negotium auxerit:
Sic & mihi hoc negotium augetur, quo detineor.

Quis tam felicis ingenii, ut ex his ſe expediat, & ſenſum aliquem commodum, niſi Græca conſulantur, eruat?

Non tantum ſententiæ damnum, fateor; ſed major in verbis ſingularibus hallucinatio in loco huic propinquo, ubi procorum iniquitatem Eumæus ſubulcus exaggerans, ait eos eſſe pejores piratis hoſtibus, qui factâ in terram aliquam impreſſione, contenti naves ſuas ſpoliis impleviſſe, quaſi divinam ultionem aliquatenus reveriti, aliò ſe conferunt, nec terris, quas ſemel ſpoliaverunt, incubant, & incumbunt: quod contrà fiebat à procis, quotidianis hoſtibus & ſpoliatoribus domûs Ulyſſis:

Καὶ μὴν δυσμενέες καὶ ἀνάρσιοι, οἵτ' ἐπὶ γαίης
Ἀλλοτρίης βῶσιν, καί σφιν Ζεὺς ληΐδα δώῃ,
Πλησάμενοι δέ τε νῆας ἔβαν οἰκόνδε ἕκαστος·
Καὶ μὴν τοῖς ὄπιδος κρατερὸν δέος ἐν φρεσὶ πίπτει.

Portus:

Et quidem hoſtes & iniqui, qui terram
Alienam invaſerint, & quibus Jupiter prædam dederit;
Impletis verò navibus redierunt domum quiſque:
Verùm his ultionis divinæ timor in animos cadit.

Lugdunenſes autem:

Et quidem hoſtes & iniqui, qui in terra
Aliena veſcantur, & ipſis Jupiter prædam dederit;
Impletis verò navibus redierunt domum quiſque:
Et quidem his curæ potens timor in animos cadit.

Quàm fœda & ridicula in duobus illis prægnantiſſimis (hîc quidem certè) verbis (βῶσιν & ὄπις) hallucinatio?

Lib. φ'. Lugdun. edit. pag. 440.

ὅπλον νεὸς ἀμφιελίσσης
Βύβλινον, ᾧ ῥ' ἐπέδησε θύρας.

Portus:

Inſtrumentum navis hinc inde remis impulſæ
Byblinum, [id eſt, funis nauticus] *quo ligavit fores.*

Optimè & ex byblo Ægyptia confecta fuiſſe χοινία, ſive funes nauticos; ſed & vela, docet Theophraſtus *De Hiſtor. Plantarum*, lib. 4. Aldin. edit. pag. 54.

Lugdunenſis autem editio:

Lignum navis circumagitabilis
Byblinum, quo ligavit januas.

Scirpea vincula, aut viminea, aut ex teneris arborum ramis, *lignea* fortaſſe dici poſſint; ſed ex *ligno navis* facta vincula, quis patienter audiat?

Libro λ'. Lugdun. edit. pag. 225. in nobili illo de futuro Ulyſſis ſtatu, tum de morte ipſius & mortis ratione vaticinio, quod & libro penultimo repetitur, tam multa peccata ſunt utroque loco, ut non tam Interpretes egiſſe videantur, quàm homines, qui bonam mentem & ſenſum communem abjuraverint. Quia prolixior eſt locus, inſigniora quædam indicaſſe ſufficiet. Ait Homerus, aut ipſe potius Ulyſſes narrat Homeri verbis, monitum ſe oraculo, ut poſt procorum cædem, ſublato in humeros remo, ſuſceptâ peregrè profectione, non antè gradiendi finem faceret, quàm ad homines perveniret, qui cibum ſine ſale comederent, & rerum maris adeò ignari & expertes eſſent, ut cùm remum illum, quem humeris geſtare juſſus erat Ulyſſes, adſpicerent; qui *remum* ſcilicet nunquam vidiſſent, aut fortaſſe vel fando audiviſſent; mirarentur, & *ventilabri* id genus eſſe crederent, & eo nomine nuncuparent. Tum verò quibuſdam, quæ præcipiuntur, ibi ritè peractis, domum, reducem longâ pace & tranquillitate, ad ſeram uſque mortem fruiturum. Ecce ipſo ſtatim initio, λαβὼν εὐῆρες ἐρετμὸν, *acceptâ fabrefactâ nave:* an non conſulto conſilio factum quis meritò ſuſpicetur, ut Lectoribus illuderent? Quis enim alioquin ἐρετμὸν, & quidem humeris geſtandum

dum, *navem* (ut ἐνῆρες, & ἀραρὸς vel ἀρχρὸς imperitissimè confusa omittam) reddidisset? Sed in istis, φῆη ἀθηρηλοιγὸν ἔχειν, *&c. Dixerit se ventilab. hab.* &c. non minus graviter peccatum, cùm totius vaticinii sententia inde præcipuè pendeat. Ita enim non Ulysses, sed viator, gestans humeris, quod *ventilabrum* hìc appellatur, inducitur. Fateor quidem etiam in Porti editione, quam habeo, ita reperiri: *se*; non, *te*; quod sensus requirit. Sed cùm reliqua non hìc tantùm, sed, ut plurimùm, correctissima sint; probabile est, & æquitatis ratio postulat, ut ita judicemus, *te*, illum; non *se* voluisse; & quod aliter exhibent libri, id vitio Typographi contigisse. Nisi fortasse idem etiam lib. ψ'. repetitus error incogitantiam scribentis potius arguat. Quod ego tamen, cùm tanti momenti sit hæc hoc loco vocula, vix crediderim: ac illud potius; sed Lector, ut volet. Nos ad Lugdunensem redeamus. Dicet aliquis fortasse, quædam à nobis hìc reprehensa, lib. ψ'. correcta reperiri. Rectè: sed idem addat, ibi etiam præter illa, quæ hìc commissa sunt, quædam non minora deprehendi: ut cùm φῆη, quod hìc non malè, *dixerit*; ibi putidissimè, *apparuerit*, redditur. Et quis egregios illos Correctores, quibus harum rerum cura commissa est, non bene provinciâ suâ functos dicat, qui hæc tam contraria, tam stulta (saltem si Latina intellexissent) non adverterunt? aut, qui fuit eorum stupor, advertere non potuerunt? Cæterùm non Lugdunensibus tantùm, sed aliis quoque meritò condonemus, si in prædicenda ratione mortis Ulyssis, ἐξ ἁλὸς illud, in quo ambiguitatem sensus, prout unâ voce, vel divisim duabus scriberetur, aut enuntiaretur, captavit ingeniosissimus Poëta; verbum Latinum, quod illi responderet, & eidem ambiguitati obnoxium esset, non invenerunt. Poterat tamen aliquis fortasse tentasse, ut non omnino conatu suo excideret. Certè apud Persium, *maris expers*, (ut notant doctissimi viri) ambiguum est, & contrarias significationes admittit: quod hìc etiam non malè, si quis id agat, accommodari possit; sed & aliud fortasse reperiri, quod magis etiam conveniat. Nos enim hoc obiter tantùm, ut scribenti se, non quæsitum, obtulit. De eventu autem hujus partis vaticinii, sive ratione mortis Ulyssis, & quam verè non *in mari*, (sive, naviganti) id est, ἔξαλος· sed *ex mari* tamen; id est, ἐξ ἁλὸς· præter ea, quæ afferunt Eustathius, aliique, consulendus etiam (si Lector est tam curiosus) Philostratus in *Vita Apollonii*.

Sed iterum in viam: quanquam putidi laboris nimium quantum jam tædet; ut discant tamen harum rerum minus intelligentes, aliquid in libris præter chartam, & typos æstimare; pergamus. Consultò illa omittimus, in quibus aliqua difficultatis species, aut verò dubitandi causa. Sola notamus pauca de multis, quæ à pueris & tyronibus, his operatis, animadverti, & corrigi poterant. Qualia pag. 69. & 88. κεκράαντο, *immixta erant*: pro, *perfecta erant*. Pag. 77. ὑπέρβιον ὕβριν ἔχοντες, *immensam injuriam habentes*: pro, *insolentissimi*, vel *inusitatâ insolentiâ præditi*. Pag. 104. ἐπεὶ οὐκ ἔτι ἥνδανε νύμφη, *quoniam adhuc placuerat nymphæ*: pro, *quoniam nondum placuerat nymphæ*; [cum admittere scilicet] vel si νύμφη in Nominativo, quod etiam probat Didymus, scribamus: *quoniam non amplius delectabatur nympha*. Si quis hoc ad errata typographica malit referre, de quibus infra dicturi sumus, per me licet. Sed hoc causam Lugdunensis editionis nihil juvat, ut mox apparebit. Pag. 219. Α'ρνειὸν κατέδησεν ὄϊν θήλειάν τε μέλ. *Masculum alligavit arietem* (an sunt & arietes fœminæ in Belgio? sed tum quoque non ἀρνειὸν, sed ἀρνεῖον esse debuit) *fœmellamque n.* pro, *Arietem alligavit, ovemque fœmellam n.* Pag. 173. ἀριδείκετε, *justissime*: (quasi à δίκη) pro, *inclyte*, vel *illustrissime*. Pag. 294. ὅπως ἀπὸ φῦλον ὄληται, *ut à generatione pereat*: pro, *ut genus pereat*. Pag. 316. καὶ ἐτίσατο ἔργον ἀεικές, *& persolvit opus indecorum*: pro, *& ultus est facinus indignum*. Pag. 446. περιῤῥηδὴς δὲ τραπέζῃ Κάππεσε δινηθείς· *Projecta autem mensa, Decidit torquens se*: pro *aspersus autem* [sanguine scilicet; sed & alias interpretationes habet Didymus verbi περιῤῥηδὴς· sed nullam, quæ *ad mensam* referat, quod insanum] *circa mensam Decidit circumactus*. Et mox, εἴδατα, *aquas*: pro, *fercula, cibos*. Paulò pòst, προπελώει τύψας· obscuriora videri possint ad interpretandum; nec expectandum ab ista tot monstrorum fœta versione. Portus tamen non malè, Eustathium secutus. Pag. 454. αἰόλος οἶστρος, *varius impetus*: pro, *exagitator œstrus*, vel *asilus*. Pag. 340. ἰθὺν, *rectitudinem*: pro, *consilium, mentem*: τῆς διανοίας διάθεσιν, ut ibi Scholiastes. Et ibidem mox, νηλέες, *sævæ*: pro, *innocentes*. Et eodem libro, pag. 345. ἐπισταδὸν, (ita enim ibi excusum: neque alia lectio ἐπὶ σταθμὸν, quæ versionem ibi positam peperit, ullibi posita) *in stabulo*. Planè ut pag. 182. cùm duplex lectio in Codicibus Homeri reperiatur, ἰθύσαμεν, & ἱμείραμεν· Lugdunenses priorem repræsentant (ἰθύσαμεν)

μεν) & vertunt, *mansimus*; cùm tamen illam alteram lectionem nullibi exhibeant. Possemus id genus alia plurima (ut pag. 418. ἴδιον, *propriè*: pro, *sudavi*. Pag. 429. ἐχράετε, *utimini*: pro, *infesti ingruitis*, *&c.*) cumulare; sed quis finis? præcipuè, qui actum jam quodammodo agamus: quod à nobis semper quantâ maximâ curâ potuit, vitatum. Sed quid ab illis speremus, aut quid in illis mirum, & portentosum videatur, qui ne errores quidem typographicos priorum editionum, qui suâ monstrositate satis se prodebant, si quis oculis usus esset; & quivis, qui Græca vel à limine delibasset, statim deprehendere, parique facilitate corrigere poterat; in hac tam pulchra editione, tanquam tot ignorantiæ suæ, & asininæ confidentiæ monumenta, reliquerunt? Talia, *veteranus*, pro *veterator*: pag. 105. *Dispicio*, pro *despicio*: pag. 157. *Capros*, pro *captos*: pag. 290. *Ferebat*, pro *serebat*: pag. 291. *Ovibus*, pro *bovibus*: pag. 199. *Annuit*, pro *abnuit*: pag. 431. alibique. *Abstulisti*, pro *abstulit*: pag. 401. & id genus alia. Porro, Correctoribus id Lugdunensibus debeamus; an ab aliis admissum, & pro bona merce receptum, nobis obtruserint nescio: dignum sanè istis hominibus, in quibus ignorantia, an audacia magis superet, incertum est. Nam lib. ή. pag. 136. καὶ τείχεα μακρὰ, ὑψηλὰ, σκολόπεσσιν ἀρηρότα· cùm primò versa essent (ut & Castalionis editio, toto ferè seculo Lugdunensi prior, exhibet) *& muros longos sublimes*, *vallis munitos*: quod, nescio quo casu, in posterioribus aliquot editionibus factum; *murum longum*, *sublimes valles munitas*: (quod in Giphaniana utraque) homines acuti, qui non satis concoquerent illud, *sublimes valles*; Græca autem quid ferrent, non magis ad se pertinere scirent, quàm colorum judicium ad cœcos; dignum se facinus ausi, quod proximum erat, *mœnia longa*, *sublimia*, *vallibus munita*, arripuerunt; & Homeri Lectoribus exhibuerunt. Ita *valli*, murorum munimenta, in *valles* mutati sunt. Ejusdem planè acuminis, & judicii, quod libro 5. extremo, ubi Græca: (quæ sanè sunt pulcherrima) Ὡς δ' ὅτε τις δαλὸν σποδιῇ ἐνέκρυψε μελαίνῃ, *&c.* quæ (ut in Castalionis editione) ita versa, *Ut cùm quispiam torrem cinere abscondit nigro*: posteà, (incuriâ Typographorum) τὸ *cinere* excidisset, & excusum esset, (ut in Giphaniana) *cùm quispiam torrem abscondit nigro*: posteriores Correctores, Lugdunenses, an alii, hactenus eruditi, ut τῷ *nigro* deesse substantivum intelligerent, nec aliud commodius occurreret; *nigrò* in *nigrum* mutato, *torrem* illi substituerunt. Ita planè persuasum habebant, non facilè repertum iri se doctiores, qui Græca consulturi, aut omnino lecturi essent. Sed iidem tamen, quasi totum suum acumen in egregia illa emendatione consumpsissent, & jam re tam bene gestâ securi esse possent; cùm *incedit*, (immani Typographorum priorum oscitantiâ) pro *incendit*, in proximis versibus reperissent; quod repererunt, retinuerunt; & eo quoque nos contentos fore speraverunt. Quod autem (ut hoc obiter moneam) Ἀγρῷ ἐπ' ἐσχατιῆς· etiam docti vertunt ibi, *Agro in extremo*: fortasse præstaret, *In domo*, *in agro extremo*, sive *longo remoto sita*. Assentientur fortasse, qui quæ docti viri (quibus omnia nos secundum Deum debemus) in *Lectionibus Theocriticis*, de voce ἐσχαλιὰ notaverunt, perspecta habent.

Hactenus de Lugdunensi illa editione, quæ speramus *Hackium*, si verè studia literarum libris edendis promovere satagit, æqui bonique consulturum, & in deligendis *Correctoribus* seu *Curatoribus* (ut de quibusdam Latinis ab illo editis nunc taceam) posthàc cautiorem futurum. Objiciat aliquis fortasse, hæc qualiacunque, etiam in *Henrici Stephani* editione reperiri; quod illi melius dixerint, quibus illa visa. Sed utcunque res habeat, cùm tanta *Stephanus* præstiterit in his literis, quantum ab uno aliquo, qui non divini planè ingenii, & plusquam Herculeæ industriæ fuerit, expectare dementia sit; quis, tam iniquus, hoc ab illo exegerit, ut omnes, quas typis suis excudit, cùm meliores non suppeterent, versiones præstaret? Ignorantia autem linguæ Græcæ, talia à Stephano præterita esse, ejus sit dicere, qui athletam leonum & pantherarum victorem, à mure aliquo, seu passerculo, ex virium imbecillitate, prostratum fuisse, credere possit. At virum maximum, cùm ad alia properaret, multa correxisse, in quæ fortefortunâ oculos conjecerat, non parva gratia. *Æmilii Porti*, quam laudamus, editionem non potuit ille vidisse, qui jam anno Domini 1598. fato concesserat.

Cæterùm, cùm ista *Æmilii Porti*, *Francisci filii*, versionem, in qua paternos Commentarios accuratè se sequi profitetur, laudamus; ut reverà laudem non parvam meretur: ne tamen eam tanquam consummatissimam à nobis proponi tyrones (quos hìc potissimùm juvare nobis propositum est) sibi persuadeant, eò nunc nos convertemus,

mus, ut exemplis aliquot insignioribus, aliorum, quibus ista cordi studia, excitemus; ac Homerus tandem, quoad ejus fieri potest, perfectè intelligatur. Hoc autem primùm monebo Lectorem, qui versione illâ usurus est, sicubi hærere eum, aut dubitare contingat, debere illum Græca scholia, aut Eustathii Commentarios antè consulere, quàm pronuntiet. Multorum enim ratio inde petenda est. Cæterùm lib. 2. ἅπερ τελέεσθαι ἔμελλον· cur maluerit, *quæ facturi erant*; quàm, ut in aliis editionibus, *quæ perfici debebant*; vel in Castalionis editione, *quæ perficienda erant*, assequi non possum. Videtur enim hoc sensus requirere. Lib. 3. ἐπαρξάμενοι δεπάεσσιν· dubito an satis rectè, *rem denuò à poculis aggressi*: quod alii, *initium sumentes à poculis*. Sed & in *Martini Crusii*, viri Græcè doctissimi, editione Iliad. ά. reperio, *à poculis iterum exorsi*. Cùm tamen Hesych. ἐπαρξάμενοι exponat σπείσαντες· & Didym. ibid. ἐπαρξάμενοι, τοῦ πίνειν ἀρχὴν ποιήσαντες, καὶ ἀπαρξάμενοι καὶ σπείσαντες. Sed & Virgilius in eadem re, *Laticum libavit honorem*: maluissem *libantes poculis*, saltem *auspicati à poculis*. Paulò pòst: καθαπτόμενος ἐπέεσσι, *incessens verbis*. Sed cur non potius Eustathium sequamur, & Scholiasten, qui φιλοφρονούμενος (quod *demulcens* potius dicendum erat) exponunt? Eodem libro, ἄλοχος δέσποινα, *uxor hera*, reddi debuit, an potius, *uxor domina*; vel, *uxor regina*, ut lib. ή. extremo? Lib. 4. φῶκαι νέποδες, *phocæ natantes pedibus*; vel, ut alii, *carentes pedibus*, quamvis ista authoritate Veterum niti quoque non negemus; cùm tamen agnoscat in vitulis marinis pedes (ut mirer eo nomine ab antiquis Grammaticis, Hesychio & Suida, quasi negasset, eum reprehensum, asseri à Brodæo) Aristoteles non uno loco; & ista alia interpretatio verbi, νέποδες, id est, νηξίποδες, exemplo, quod sciam, certo careat; ego prætulerim, ut νέποδες, hoc loco Homerico, ἀπόγονοι, sive *progenies*, exponatur: & ideò fortassè, quanquam de piscibus in genere verum est, speciatim tamen *phocæ* seu *vituli marini* tantò magis *progenies maris* nuncupentur, ad discrimen terrenorum animalium, sive vitulorum, quorum magna cum marinis est similitudo. De hoc autem vocis νέποδες usu certissimo, & satis communi, (contrà quàm viris optimè de his literis meritis visum est) apud Theocritum, aliosque, dudum viri docti monuere.

Lib. 1. pag. 253. Καί νύ κεν ἀκηδὴς ἱκόμην: *Et illæsus pervenissem*: deest vox *fortassis*, quæ in Lugdun. edit. Typographis aliud agentibus (quid quod & integri versus alicubi transpositi?) propriâ sede deturbata, alienum locum in proximo versu malè occupat.

Lib. δ'. pag. 117. Καὶ μέγ' ἀάσθη· malè *grave facinus patrasset*; pro, *valde læsus est*; ut paulò pòst ibi rectè redditur. Non tamen ignoro ita aliquando contingere, ut eadem verba in vicinis locis dissimiliter accipienda sint; ut eodem libro vox λίκη· sed hìc alia ratio: & Scholiastes ἐβλάβη exponit; ut & Eustathius pariter in eandem sententiam. Lib. λ'. pag. 354. Στεῦτο δὲ διψάων: *Stabat autem sitiens*, non probo: melius, ni fallor, anteà alii: *Cupiebat*. Nos alibi de isto verbo, & propria ejus significatione plura diximus, sed & alii, Viri doctissimi, in Theophrasti Characteres. Fateor istam explanationem Veterum authoritate fultam videri, Scholiastis & Eustathii; qui ἵστατο (ut Eustathius) exponunt. Sed melius & plenius Scholiastes: ἵστατο ἐπὶ τῶν ποδῶν· quod rectè satis hoc loco, vim verbi genuinam exprimit. Est enim in isto verbo (ut alibi pluribus) animi gestientis, & aliquid cupidè molientis per externos gestus indicatio. Nec aliud, opinor, vetus Auctor (cujus hoc σχόλιον, & quem Eustathius hìc allegat) hìc voluit. Hoc igitur vult Poëta his verbis, eam fuisse Tantali, seu in pedes erecti, sive alio quocunque gestu (ut de pugilibus olim loqui soliti) προβολὴν, ut ardentissimam statim præ se ferret. Sed eò libentius hujus loci meminimus, ut tum Scholiastæ, tum qui Scholiastem laudat hìc, Eustathii, verba illustremus. Quis enim ille ὁ διασκευαστὴς, quem volunt? Notum, ita solere Eustathium Veteres indicare: ὁ δειπνοσοφιστὴς· ὁ περιηγητὴς· ὁ ἐξηγητὴς· ὁ τεχνικὸς, *&c.* unde facilè quis in errorem inducatur. Sed non alius tamen hìc ὁ διασκευαστὴς, quàm Poëta ipse, qui quia σχῆμα (quod vocant) διασκευαστικὸν hìc adhibet, & eo valde (ut observat alibi Eustathius) delectatur, ideò hoc nomine hìc insignitur. Quid sit autem σχῆμα διασκευαστικὸν, tum veteres Rhetorici, tum Eustathius ipse, valde ampliter, in Iliadem ά. & β'. docent. Sed minus ferendum quod ibidem paulò pòst, etiam in Porti editione: κονίη δ' ἐκ κρατὸς ὀρώρει, *pulvis autem ex capite oriebatur*. Nunquam auditos puto fuisse, qui pulverem sudarent capite. At sudorem, multo labore comparatum, & omnibus membris, capite præcipuè manantem, *lixivio* comparari, quis non amplectatur? Nec multò melius lib. ψ'. pag. 391. Δῦναι ἐπειγόμενος, *Conscendere navim properans*. Quantò elegantius,

tius, ut δῦναι in propria ſignificatione de occaſu Solis accipiamus? Maxima certè eſt in verbis emphaſis & ἐνέργεια· quam etiam Sanctus Paulus in cauſa ſimili (quod enim ibi Sancto Paulo *dies*, ſeu *Oriens*; id hic Ulyſſi, *Sol occidens*) adhibuit: Actor. XXVII. verſ. 29. ηὔχοντο ἡμέραν γενέσθαι. Homerus autem,

> Πολλὰ πρὸς ἠέλιον κεφαλὴν τρέπε παμφανόωντα,
> Δῦναι ἐπειγόμενος.

Iterum dico; elegantiſſimè.

Lib. ί. pag. 263. Ἔνθα δὲ πῦρ κήαντες ἐθύσαμεν. *Tunc autem igne accenſo [caſeos] mactavimus.* Neſcio quo caſu, *caſeos* illud inſertum ſit. Fortaſſe *oves* ſcriptum fuerat. Lib. τ'. pag. 589. Ἔπλει γὰρ Βορέης, *Flabat enim ventus:* & ibidem mox, Αὐλῷσι διδυμῇσι, *Foraminibus duplicibus:* non puto defendi poſſe. Aliter certè Euſtathius explicat, & Scholiaſtes. Talia in iſta Porti editione non pauca, quæ diligens Lector, his exemplis jam cautior, haud difficulter obſervabit. Nos deinceps, quod initio promiſimus, inſigniora aliquot loca, de multis unum aut alterum, perſequemur.

Lib. χ'. edit. Lugdun. 458. Porti, 686. Euryclea, nutrix Telemachi, quàm domini & alumni ſui amans, tam procorum hoſtis ex animo; cùm accita ab Ulyſſe, procos humi jacentes & mortuos præter expectationem conſpexiſſet;

> Ἴθυσέν ῥ' ὀλολύξαι, ἐπεὶ μέγα εἴσιδεν ἔργον.

Aggreſſa eſt ululare; ita vertunt omnes, quos hactenus vidi; repreſſa eſt autem ab Ulyſſe, his verbis:

> Ἐν θυμῷ γρηῦ χαῖρε, καὶ ἴσχεο, μηδ' ὀλόλυζε·
> Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.

Vertunt:

> *In animo anus gaude, & te cohibe, neque ulula:*
> *Non eſt fas interfectis inſultare viris.*

Portus autem:

> *Non eſt fas ob interfectos viros* [deos averruncos] *precari.*

Euſtathius τὸ εὐχετάασθαι non ſimpliciter exponit εὔχεσθαι, ſed τὸ ἔπος (cum ὀλολυγμῷ ſcilicet) εὔχεσθαι· id autem eò redit, ac ſi Poëta dixiſſet (ut ibi Euſtathius ἐπικαυχᾶσθαι· quod eſt, *inſultare.* Sed quis iſta, quæſo, conciliet; *ululare*, & *inſultare?* Næ mira hæc eſt verbi Græci (ſi tamen Græcum eſt dicendum) ignoratio: in qua tamen ignoratione non Lexicographi tantùm præſtantiſſimi verſati ſunt; ſed poſt illos doctiſſimi quoque viri, qui in vertendis Græcis occupati fuerunt. Atqui Euſtathius optimè hic exponit; & non defuerunt viri docti, qui tum in Notis in Novum Teſtamentum, tum alibi notarunt ſuper eo, ex quibus alii deinceps cautiores debuerant evadere. Eſt autem ὀλολύζειν (ut antiquiſſimi utuntur) ad ſacra propriè pertinens vox; ſed non uno modo Latinè ſemper exprimenda. Ut plurimùm, cum clamore quodam, & inuſitata, niſi in ſacris, vocis intentione Deos comprecari, ſive gratias agentes ob res lætas, ſeu eorum opem in adverſis implorantes. Operæ pretium, opinor, erit, locos aliquot Veterum inſigniores indicaſſe, in quibus hic uſus verbi reperitur; ex quibus non Homero tantùm lux, ſed & ipſis non minus opportuna & neceſſaria. In exultationis & gratiarum actionis ſignificatione, uſurpat vetus Poëta tragicus (cujus præſtantiſſimam editionem Londini curatam, viro clariſſimo, Domino Thomæ Stanleio, debebit aliquando poſteritas) Æſchylus, in Agamemnone; ubi cuſtos, qui noctu obſervabat, proſpecto tandem Trojæ urbis expugnationis indice lumine, ita infit; verſ. 26.

> Ἀγαμέμνονος γυναικὶ σημαίνω τορῶς,
> Εὐνῆς ἐπαντείλασαν ὡς τάχος, δόμοις
> Ὀλολυγμὸν εὐφημοῦντα τῇδε λαμπάδι
> Ἐπορθιάζειν.

Hoc (ut in pauca contrahamus) dicit, ſe ad Clytemneſtram, Agamemnonis uxorem feſtinare, ut illam ex lecto excitet, ad indicendum ὀλολυγμόν. Hic autem ὀλολυγμὸς quo ritu præſtitus, ipſâ indicente, ſit, narrat ipſa poſteà, Ἀνωλόλυξα μὲν πάλαι χαρᾶς ὕπο, &c. Hic certè ὀλολύζειν planè eâdem notione, quâ Homerus hoc loco.

Addamus alterum ejuſdem Æſchyli locum in Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, ubi ὀλολύζω cum χαίρω junctum opponitur τῷ κλαίειν· id eſt, lamentari, & ſolemnibus lachrymis proſequi, verſ. 831.

> Πότερον χαίρω κἀπολολύξω
> Πόλεως ἀσινεῖ σωτῆρι·
> Ἢ τοὺς μογεροὺς καὶ δυσδαίμονας
> Ἀτέκνους κλαύσω πολεμάρχους.

In altera notione Euripides in *Medea*, præſtantiſſimæ iſtius in literis quadratis (quas alii *capitales* vocant) editionis, folio (ut à nobis diſtincta; nam nulli ibi numeri) 22. & 23. Narrat ibi nuntius *Leucam*, Creontis filiam, donis *Medeæ* venenatis infectam, cùm animam ageret, ac miſerè torqueretur; accurriſſe vetulam, & quòd à Deo aliquo, (quia ſubitò correpta erat) agitari illam crederet; ὀλολυγμὸν orſam eſſe,

se, sed cùm mori illam observaret, & longè aliter quàm rata erat, affectam; ex desperatione τ̃ ὀλολυγμὸν (deprecationem scilicet) vertisse in κωκυτὸν, *planctum*, sive *ululatum*. Pessimè ibi in ejus verbi interpretatione defunguntur vulgati Interpretes. Apud Theocritum, in *Idyllio* XVII. vers. 64. quod scriptum est in laudem *Ptolemei*; nutrix statim ut ex utero prodiit, in manus susceptum, ὀλόλυξεν, id est, (non simpliciter *exclamavit*, ut ibi versio; quod tamen tolerabilius, quàm *ululavit*, ut Homeri Interpretes) *sublatâ voce preces concepit*; quæ ibi sequuntur, vers. 67. ὄλβιε κῶρε γένοιο· sed & Homerus jam suprà non uno loco ὀλολυγμὸν cum precibus conjunxerat. Hæc igitur cùm propria & primæva notio verbi fuerit, ut ab Eustathio disertè notatum, qui id etiam docet, posteriores ad significationem luctûs transtulisse; quis dubitat, quin ipsissima vox sit Hebræorum, הללויה *hallelujah*; cujus usus tam frequens in sacris Hebraicis, ut bonam partem cultûs divini complecti nonnunquam videatur? Sed de originationibus Hebraicis, plura paulò pòst erunt dicenda. Jam causam sciti hujus Homerici si quis requirat; hostibus mortuis non insultandum esse, vel ut vertunt alii, ob mortuos inimicos, non *precandos* Deos, sive *preces* Deo non offerendas: Eustathius acutius, opinor, quàm verius hanc reddit: *Preces* (inquit) Dei præsentiam postulant; sed Deum præsentem adesse mortuis nefas olim credebant. Sed hoc nihil ad *insultationem*, quæ sine dubio præcipua est verbi εὐχετάασθαι hoc loco (ut & Eustathius agnoscit) significatio. Aliam igitur habet, quæ ad verba Homerica magis apposita rectè censeatur. Ea autem est, ideò prohiberi insultationem, quod qui occisi erant, non tam ἐξ ἀνδρίας τῶν καταβαλόντων, virtute cædentium; quàm ἐκ θεομηνίας, id est, ultione, & irâ divinâ, ceciderant. Hoc ipsum videtur innuere Poëta versibus proximè sequentibus: Τὲς δὲ μοῖρ' ἐδάμασσε θεῶν, καὶ σχέτλια ἔργα, & quæ sequuntur ibi in eandem sententiam. Sed verissima caussa aliundè, ni fallor, repetenda. Inter *Proverbia* Solomonis hoc quoque non uno nomine semper mihi visum perinsigne, & præcipuâ animadversione dignum: Græca hîc ponemus, & Latina; quia vim verborum originalium satis feliciter exprimunt: Ἐὰν πέσῃ ὁ ἐχθρός σε, μὴ ἐπιχαρῇς αὐτῷ, ἐν δὲ τῷ ὑποσκελίσματι αὐτῦ μὴ ἐπαίρε. Ὅτι ὄψεται Κύριος, καὶ οὐκ ἀρέσει αὐτῷ, καὶ ἀποστρέψει τὸν θυμὸν αὐτῦ ἀπ' αὐτῦ: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas; & in ruina ejus ne exultet cor tuum; ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam*, Prov. cap. 24. vers. 17. Hanc fuisse veterum Ethnicorum multorum mentem, & id diligentissimè ab iis observatum fuisse, fusè alibi probavimus. At nostri Heroës, homines, ut se perhiberi volunt, Christiani, quàm multi aliter? Sed hæc non sunt hujus loci.

Lib. κ'. Lugdun. edit. pag. 204. Porti, pag. 294.

Ὦ φίλοι, οὐ γάρ τ' ἴδμεν ὅπη ζόφος, οὐδ' ὅπη ἠώς,
Οὐδ' ὅπη ἠέλιος φαεσίμβροτος εἶσ' ὑπὸ γαῖαν,
Οὐδ' ὅπη ἀννεῖται.

Vertunt:

O amici, neque enim scimus ubi occasus, neque ubi aurora;
Neque quà Sol hominibus lucem præstans vadit sub terram,
Neque ubi resurgit.

Ita etiam Portus. Mihi autem semper suspecta fuit hæc versio, qui non duas duntaxat mundi plagas his verbis indicari; sed quot omnino sunt, quatuor scilicet comprehendere Poëtam voluisse, multò probabilius judicabam. Movebat tamen me auctoritas Eustathii; veteris itidem *Scholiastis*, qui duas tantùm (ζόφον de occasu interpretantes) ex hac tanta verborum congerie eliciebant. Quò magis mirarer, id erat quoque, quod iidem ζόφον, pro *septentrione* alibi, ut plurimùm, occurrere non diffitebantur. Sed jam omnis scrupulus exemptus est, postquam Strabonem, Geographum accuratissimum, & Homeri studiosissimum, lib. ί. & κ'. Veterum interpretationes laudare, ac tueri, qui ζόφον hic quoque de *septentrione* accipiebant, atque ita de quatuor plagis sententiam amplectebantur, animadverti. Mihi jam Strabo non est ad manum. Sed quò facilius illo (ad hoc quidem quod attinet) careamus, facit Didymus, aut quisquis ille Scholiastes; qui quamvis (ut saltem illum exhibent, qui nunc extant libri; nam ejusdem Authoris tam sibi repugnantia esse, non ego præstem) hoc loco δύσεως & ἀνατολῆς tantum meminerit; idem tamen alibi de vocis ἠὼς variis agens notionibus, & eâ occasione hunc Homeri locum afferens, ex Veterum opinione quatuor mundi plagas, hîc interpretatur. Ita ergo ille in Odyss. β'. ipso statim initio: Καὶ τὴν ἡλίε πάροδον, καὶ τ̃ τόπον ὅθεν ἀνατέλλει ὁ ἥλιος, κατὰ Ἀρίσταρχον. Ὦ φίλοι, ὀ γὰρ τ' ἴδμεν ὅπη ζόφος, &c. Νῦν καθά φησιν ὁ Κράτης, τῶν τεσσάρων τῦ κόσμε μέμνηται

 μερῶν·

μερῶν· ἄρκτου, μεσημβρίας, ἀνατολῆς, δύσεως· ἅπερ ἀλλήλοις ἐξ ἀντιθέτου ἀντίκειται, ἡ μὲν ἄρκτος, τῇ μεσημβρίᾳ· ἡ δὲ ἀνατολὴ, τῇ δύσει. Suspicor in prioribus verbis aliquid desiderari ad explendam sententiam; sed quæ sequuntur, adeò plana sunt, ut interpretatione non indigeant. Quis est autem, modo qui Hebraicæ linguæ non planè sit ignarus, cui, dum hæc legit, non statim in mentem veniat vox Hebraica * צפון, *tsaphon*; vel ut olim scriptum & pronuntiatum, *Saphon*: id est, *Aquilo*, *Septentrio*; à radice ductum, quod *occultare*, *recondere*, *delitescere*, significat: ut mirum non sit, si vox Græca ζόφος etiam tenebras, caliginem, & quæ sunt istis affinia, significet. Ita & κνέφας, verbum Homero usitatissimum, quid aliud quàm Hebraicum (& id quidem nulla mutatione interveniente) עיפה *obscuritas*: *tenebræ*; & (ut apud *Jobum* scribitur, תעפה, ut quidam volunt, *loca septentrionalia*, *ubi sol totis sex mensibus non conspicitur*. Homero certè non *tenebras* tantùm, sed & *occasum* significat. Atque hoc ipsum sacræ linguæ studiosis Homerum non parum commendare debeat, quod ut Scriptorum omnium, qui nunc supersunt Græcorum, antiquissimus est; ita apud illum longè plura reperire est, quæ suas origines referant, quàm apud ullum alium Scriptorem Ethnicum. Exempli caussâ: τηΰσιος vox Homerica, quæ Grammaticis non parum molestiæ creavit. Fuerunt, qui ἀρχαῖον· alii, qui βλαβερὸν, ἢ περιβόητον exponerent. Eustathius propriè ὑγρὸν significare vult. Sed omnes tamen in eo consentiunt, pro μάταιον ab Homero usurpari: ita certè Odyss. γ'. & ό. sed & in *Hymno*, quo Apollinem celebrat, ubi τηΰσιον opponitur τῷ ἔργῳ. Et sanè hæc est vera & genuina verbi significatio, ut patet ex origine Hebraico תהו (*tohu*) *inanitas*, *inanc*, vel *informis*; ut Buxtorfius exponit. Et rectè Esaiæ cap. 49. vers. 4. לתהו redduntur à Græcis Interpretibus, εἰς μάταιον. Frustrà igitur Eustathius, qui aliundè arcessere conatur; qui tamen parum abest, quin barbaram & alienigenam vocem agnoscat, dum φοινικῷ λόγῳ πῶς pronuntiat.

* Erunt fortasse qui malint à שׁוף repetere. Ita certè reperio in Harm. Etym. Ling. Guicchiardini; de quo nos etiam alibi fusè egimus, & Auctoris istius judicio quam parum tribuendum sit, pluribus exemplis ostendimus. Nempe, hoc volunt, τὸ שׁוף etiam tegere, occultare, significare, quia Davidis verba Psalm. 139. vers. 11. id videntur requirere: & ita plerique statuunt, exegraphi. At certum est, quicquid de ipso loco statuatur, eam non esse propriam verbi significationem; sed terere, conterere, &c. unde & in ipsis ... verbis Græc. Interp. καταπατήσει & Latin. conculcabunt, reddiderunt. Sed nec in Rabbin. ulla, quod sciam, alterius istius significationis vestigia. Quare optimo judicio Avenarius, in præstantissimo Lexico, ut Græc. ..., ad שׁוף: ita ζόφος, ad צפון (ut & hic nos) refert.

Jam verò phrases, & dicendi genera elegantissima tam multa sunt in Homero, quæ si quis cum sacris conferat, vix est ut illorum sententiæ (ut illustrissima & sapientissima dicta, sensus & sententias celeberrimas omittamus) non accedat, qui partem aliquam *Veteris Testamenti* notam ipsi lectamque censuerunt. In his est Jacobus Cappellus, vir apprimè doctus, cujus verba non indigna visa, quæ hic apponerentur. Ita igitur ille: *Qui Virgilium cum Homero contulerit, non dubitabit Homerum à Virgilio lectum; sic Homerum cum Sacris Scriptoribus eo vetustioribus cum confero, vix temperare mihi possum, quin credam ab Homero lectos Scriptores illos sacros, si non integros, saltem ἀπὸ μέρους.* Non affirmat ille; nec ego, ut quisquam credat, laboro. Sufficit si id vincimus, tam multa id genus apud Homerum occurrere, ut si talis *comparatio locorum*, pari judicio & diligentiâ instituatur; multum inde fructus & ingenuæ voluptatis ad Lectores, tum Sacrorum Librorum, tum veteris eruditionis, id est, Homeri studiosos, redire possit. Aggressus est Cappellus, & multum præstitit; sic tamen, ut multa reliquerit aliis indaganda. * Et fortasse non unius, aut vix unius fuerit hominis (ut sunt ingenia varia, & alia aliis in hoc genere sagaciora) id opus. Cæterùm (ut hoc obiter moneam) de verbo Homerico ζόφος multa Cappellus quoque in locis indicatis, non quæ sunt à nobis notata; (quod sciam; neque enim aliorum scrinia compilare nostrum est) sed quæ tamen quod in genere volumus, & contendimus, non leviter confirmant.

* Jac. Cappelli Vindiciæ, Cap. xi. Hebraismi Homerici. Cap. xii. Homericarum Elegantiarum origines ad suos fontes, id est, sacros, revocatæ.

Sed quia in hunc sermonem & Cappelli mentionem incidimus, non erit abs re, uno saltem exemplo Cappelli collectionem augere, ut vel hinc tantò magis aliorum provocetur industria.

Odyss. χ'. Lugd. edit. pag. 455. Porti, pag. 685. *Phemius* vates, qui absente Domino, procis convivantibus & bona Ulyssis impune diripientibus, operam suam, invitus ille quidem, (si fides ipsi de se testanti) sed tamen & ipse conviviorum particeps, & procis dilectus, navaverat; cùm jam procorum stragem terribilem vidisset, & suam vitam ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς versari intelligeret; Ulyssi supplex ad genua provolutus, verbis eum placare pro sua virili aggreditur. Inter alia autem, quæ sanè sunt egregia, & personæ convenientia, hoc delinimento utitur: ἔοικα δέ τοι παραείδειν Ὥστε Θεῷ, non vidi versionem, quæ mihi satisfaciat; & absque Eustathio foret, in ambiguo fortasse esset egregia sententia. Sed omnium pessimè Lugdunensis editio, aut quos illa sequitur: *videtur* (pro, *videor*) *autem tibi accinere*, *Tanquam Deo.* Hoc autem voluit Phemius dicere (ut Eustathius exponit, & verba ipsa fidem faciunt) se in hoc suo discrimine Ulyssem spectare, tanquam præsentem Deum. Eustathius autem, quanquam κολακευτικῶς hæc

hæc dici agnoſcat, tantam tamen eſſe ſententiæ δεινότητα, aut ut ipſe loquitur, γοργότητα pronuntiat; tantam ad movendum & flectendum Ulyſſem vim & efficaciam; ut vel iſta verba fidem facere Phemii de ſe jactationi, ſe θεοδίδακτον eſſe, & à Deo inſpirari ſolitum, fuerint idonea. Sed ipſum præſtat audire: Δεῖγμα δὲ τῆς τοῦ ἀοιδοῦ φημίου θεόθεν διδαχῆς, καὶ οἱ νῦν λόγοι. Οὐ γὰρ ἂν οὕτω ῥᾳδίως εὐποιίας σεμνοτέρας τῶν ἐνταῦθα εὑρεθεῖεν ἀκουσθεῖσαι τῷ Ὀδυσσεῖ μετὰ τὴν εἰς Ἰθάκην ἔλευσιν· ἐν αἷς περιλάμπει γοργῶς τὸ [ἔοικα δέ τοι παραείδειν Ὥς τε Θεῷ.] Nihil potuit magnificentius hoc judicio. Quid nos igitur cenſere verum eſt, de verbis *Jacobi Patriarchæ*, fratrem *Eſavum*, à quo ſibi ſuiſque malè metuebat, in improviſo & inexpectato congreſſu alloquentis: *Sic enim vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei: eſto mihi propitius:* (in Homero σὺ δέ μ' αἴδεο, καὶ μ' ἐλέησον) addita quoque Dei Opt. Max. ut ſibi valde propitii & benefici (quo præcipuè Phemii deprecatio nititur) commemoratione; *ſuſcipe benedictionem, quam attuli tibi; & quam donavit mihi Deus, tribuens omnia.* Nec malè Græci: Ἕνεκεν τούτου εἶδον τὸ πρόσωπόν σου, ὡς ἄν τις ἴδοι πρόσωπον Θεοῦ· καὶ εὐδοκήσεις με· (alii per præteritum, εὐδόκησάς με, melius) λάβε τὰς εὐλογίας μου, ἃς ἤνεγκά σοι· ὅτι ἠλέησέ με ὁ Θεὸς, καὶ ἔστι μοι πάντα. Profectò, quicquid de Homeri verbis, aut judicio Euſtathii ſtatuamus; auſim dicere, ſi quis omnia Veterum myrothecia, ſi quis arculas omnes excutiat, non temerè reperturum, quæ cum iſtis *Jacobi*, venuſtate certent & elegantiâ; aut quæ afflatum divinum magis arguant. Sed nec opus hic ullâ θεραπείᾳ, quam Euſtathius, Vatis Homerici verbis, tantâ diligentiâ, ne nimiâ κολακείᾳ, τὸ τῆς φιλοσοφίας ἐλέγχειν, violaſſe videatur, magis curioſè, quàm verè, aut neceſſariè adhibet. Haud dubium enim, quin *Jacobus* vero affectu (quæ ipſius erga fratrem pietas) locutus ſit; & mollia verba, graves utcunque viros, & Deo fretos, inſtante periculo non dedecere, plura in Sacra Hiſtoria exempla, quæ doceant. Porrò Lectores hic quoque monemus, etiam *Cappellum* in opere ſuprà citato hæc ipſa *Jacobi* verba laudare & adferre; ſed quia diverſa eſt applicatio ſive collatio, non credidimus actum nos acturos, ſi novâ, & (ſi rem ſpectemus; nam ſi verba tantùm, nihil ſimilius eſſe poteſt, quàm quod ille adfert) magis appoſitâ collatione, *Euſtathii* judicio maximè moti, eadem proſequeremur.

Poſtremum jam ſupereſt, quod hîc nobis propoſitum fuit, *Didymus*, aut quiſquis eſt Author ſeu Collector *Scholiorum*, ſive breviorum Notarum in Homerum, quæ vulgò *Didymo* tribuuntur. Rectè, an ſecus, non hic quæram. Fuere docti, qui eo nomine nuncuparent; fuere, qui *Scholiaſtem anonymum* maluerunt appellare. Utilem certè, & antiquum eſſe, res ipſa clamat; nec alium voluit *Euſtathius*, opinor, ut plurimùm, cùm τὰ παλαιὰ σχόλια, quod non uno loco facit, laudat; qui etiam ut plurimùm, quantum illius eſt, in ſuos *Commentarios* transfert; interdum tamen, etiam non pauca, quæ notæ melioris, præterit, aut fortaſſe in ſuo Codice non reperit. Cæterùm, quiſquis Author ille fuerit, aut quomodocunque dicendus; recuſa ſunt typis certè perelegantibus, in Lugdunenſi editione illa nupera Hackiana, iſta Scholia, ex *Hervagiana*, ut res ipſa loquitur, editione; quæ quamvis prioribus editionibus multò purior & perfectior; cùm tamen haud paucis & ipſa mendis & ulceribus laborare, à peritis Lectoribus, & harum rerum intelligentibus; facilè deprehendatur; optandum erat, ut qui hæc recudenda tanto poſt tempore ſuſceperunt, exemplo *Hervagii* Typographi, quem eo nomine commendat ibi *Camerarius*; de docto aliquo Curatore operis (quales haud dubium quin plurimos *Belgium* ſuppeditet) ſibi proſpexiſſent; cujus operâ melior, aliquâ parte ſaltem, & emendatior hæc quoque editio prioribus prodiiſſet. Nam quod aliquis objiciat fortaſſe, ſcriptorum manu Codicum nullam fuiſſe copiam; quamvis ea magna calamitas, fateor, ſi quæſiti nulli reperiri potuerunt; non parum tamen etiam ſine ſcriptis Codicibus, ab induſtrio viro, majore fructu quàm labore, præſtari potuiſſe, id jam aggredimur (ut ſaltem futuris Editoribus, & Lectoribus conſulamus) aliquot exemplis, & evidenti ratione perſuadere. Dicebamus anteà pleraque, quæ in his antiquis (ut vulgò vocantur) *Scholiis* reperiuntur, ea *Euſtathium* in ſuos *Commentarios* tranſtuliſſe. An ita res habeat, periculum facienti facilè liquebit. Nos certè experti ſumus, & affirmamus. Nec tamen minus æſtimanda hæc *Scholia*: nam quotuſquiſque eſt, cui aut omninò vacet, aut ſemper vacet, in tanta farragine (non inutili illa quidem, fateor; ſi quis id agat; ſed non omnibus Homerici textûs ſtudioſis pariter neceſſaria; nec ullis fortaſſe ſemper opportuna) tam longis & crebris *digreſſionibus*, quod ad rem præſentem faciat, invenire? Si igitur & *Euſtathius*, eadem pleraque; quantillus

is,

is, quæso, labor, si quis hunc laborem semel, & hoc opus, ut aliis prosit, in se susceperit, ubi aliquis in Scholiaste nævus, aut aliquid mancum, detortum; ad *Eustathium* adire, eum consulere, verba inter se, si non semper eadem, quæ tamen eodem tendant, conferre? Sed exemplis res fiet liquidior.

Lugdun. edit. pag. 147. in ista Poëtæ: Τιτυὸν γαιήιον υἱόν· postquam dixit, Tityum istum, terræ filium, amore *Latonæ*, Apollinis matris arsisse, & ideò ab Apolline sagittis confossum: ἧκε δ' ὁ Ῥαδάμανθυς ἐπὶ θέαν τοῦ Τιτυοῦ, ἢ Διὸς ὤν, ἐσωφρόνισεν αὐτόν. Quid ista sibi volunt, ἢ Διὸς ὤν. Certè non valde difficilis conjectura, si quis sit ἀγχίνοος. Sed inspecto *Eustathio*, cujus hæc in hunc locum inter alia: Ὅθεν καὶ ὁ Ῥαδάμανθυς ἐπὶ θέαν τοῦ Τιτυοῦ ἐλθεῖν πλάττεται, ἢ διὰ θαῦμα τοῦ μεγέθους, ἢ καὶ ἵνα, δίκαιος ὤν, κατὰ τὴν ἱστορίαν, σωφρονίσῃ αὐτόν. Quis amplius de vera lectione dubitet, & non videat, pro * ἢ Διὸς ὤν, scribendum esse, ἢ δίκαιος ὤν. Rhadamanthi autem δικαιότης, sive *justitia*, res adeò decantata, ut mirer vulgatos Euripidis Interpretes, in *Cyclope*, ubi ait,

* Eustath. pag. 287.

Ἔγωγε τοῦ δὲ τοῦ Ῥαδαμάνθυος
Πολλῷ πέποιθα, καὶ δικαιότερον λέγω·

adeò in plana luce cæcutiisse, ut verterent:

Ego enim huic Sileno quàm Rhadamantho
Longè magis fidem habeo, & justius loquor quàm vos:

cùm debuissent: *& justiorem dico.*

Lugdun. edit. pag. 153. Θαυμανίοντες· θεασάμενοι. Corrige ex Eustathio, θεασόμενοι, ut sensus requirit.

Lugdun. edit. pag. 164. Ἀν' ἰθὺν, &c. ἴλλοντε γάρ. Corrige ex Eustathio, ἤλλοντε γάρ.

Lugdun. edit. pag. 180. Κατηρεφὲς, κατεσκιασμένον. Corrige ex Eustathio: ἐσκιασμένον. Verba Eustathii: Σπήλαιον τὸ ἐσκιασμένον οἱονεὶ ἐρέφω, ταῖς δάφναις.

Lugdun. edit. pag. 348. Τηλίκος· τῆς δεῖνος ἡλικίας. Corrige ex Eustathio, τῆς δὲ (vel, τοιᾶσδε) οὔσης ἡλικίας.

Lugdun. edit. pag. 364. Οὐδ' ἄλα δείης —— οὐδ' ἄλλα ἐνδεχόμ. τὰ κόπρ. Corrige ex Eustathio: οὔδαλα ἐνδεχόμ. Sed dicet aliquis fortasse; si hoc voluit Scholiastes, cur igitur totum discrimen in spiritu tantùm constituit? *Aristarchus*, inquit, οὐδ' ἄλα cum spiritu aspero voluit hìc scribi: *Callistratus* autem, οὔδαλα cum leni. Doctè hoc advertit *Eustathius*, & ne Lector hæreret, occurrit tempestivè; cujus tamen verba harum rerum minus intelligentibus haud minus erunt fortasse obscura. Dicit autem Eustathius, ideò ψιλὸς, sive *spiritum lenem*, à Veteribus hìc commemorari, quia tum soliti scribere οὔδαλα cum spiritu leni in penultima, seu medio vocis, ne temerè cum οὐδ' ἄλα, quod duobus verbis scribitur, confunderetur. Certè solitos Veteres, non initio tantùm verborum; sed etiam mediis vocalibus *spiritum* superponere, nôrunt, opinor, quibus hæc studia curæ; sed quam tamen super eo rationem, quos canones (ut vulgò loquimur) observarent, non cujusvis fortasse est dicere. Haud pauca non uno loco *Eustathius*, ex quibus tota hæc res non mediocriter erui & illustrari queat. Sed & *Angelus Caninius*, ex Athenæo & Eustathio, in doctissima sua Grammatica non pauca adfert. Sed non hoc nunc agimus. Certè hujus moris & antiquæ scripturæ ignorantiam huic loco corrumpendo fuisse, certo certius est; cùm tamen sequentia verba non οὐδ' ἄλα· (multò minus οὐδ' ἄλλα, ut hìc editum est) sed οὔδαλα (ab οὐδὸς, *limen*) necessariò requirerent: exponuntur enim, οὔδαλα, τὰ κόπρια, ἃ παρὰ τῷ οὐδῷ κεῖται. Pro ἐκδεχόμενος τὰ κόπρ. (ut hìc Scholiastes) habet Eustathius, ἐκδέχεται ἀντὶ τὰ κόπρ. Sed ferri potest quod hìc habemus.

Lugdun. edit. pag. 476. Κυλλήνιος· ὁ ἐν Κυλληνίῳ ὄρει, &c. ἢ ὁ ὕπνος δωρητικὸς, ὡς τῶν κύλων ἔχων τὰς ἡνίας. κυλλάδες γὰρ συνεσταλμένα τοῦ τὰ ὑπὸ τοὺς ὀφθαλμοὺς μέρη, ἔνθεν ταῦτα οἱ δεινοὶ Ἀττικοὶ κυλλώσια καλοῦσιν. Ita habet etiam & Hervagiana editio, ne quis Lugdunensi immeritò succenseat. Cæterum, nihil corruptius his verbis, nihil, nisi Eustathius succurreret, desperatius; quamvis non unus medicus ad perfectam sanitatem tanto incumbente vitio sufficiat. Sed quod unius ope non possumus, junctâ duorum operâ feliciter nos assecuturos speramus. Primò igitur ex Eustathio ita restituimus —— ὁ τὰς ἡνίας τῶν κύλων ἔχων· κύλα γὰρ, ἢ κυλάδες, τὰ ὑπὸ τοὺς ὀφθαλμοὺς μέρη· ἔνθεν ταῦτα εἰδεῖν (observet Lector, quàm pronus sit in describendo lapsus, ubi etiam eædem literæ, sed & ordo literarum retinetur: οἱ δεινοὶ, pro, οἰδεῖν οἱ) οἱ Ἀττικοὶ κυλοιδιᾶν καλοῦσι. Hactenus, ut speramus, optimè; certè jam nihil obscuritatis in verbis. Non tamen Eustathius hæc eodem ordine, aut totidem syllabis; sed nos ductum literarum secuti, ordinem verborum repræsentavimus, quem Eustathium in Scholiaste reperisse probabile est. Sed quid istis fiet, συνεσταλμένα τοῦ, quorum nulla in Eustathio vestigia? Hìc nobis advocandus Auctor *Etymologici Magni*, quo auctore aut spon-

fore, restituemus in Scholiaste nostro: κύλοι γὰρ, ἢ κυλάδες, συνεσταλμένα τὰ, τὰ ὑπὸ τοὺς ὀφθ. Hoc igitur voluit istis verbis Scholiastes κύλοι, vel κυλάδες, cum simplici λ'. scriptum (nam κύλλοι longè aliud, ut omnes nôrunt, & eâdem ratione κυλλάδες) cavas illas partes, quæ oculis subjacent, significare.

Sed ibidem (in Scholiaste) mox; Ἀκάκητα ἔνιοι μὲν ἀμέτοχος, κακῶς, &c. quamvis nihil hic quidem auxilii ab Eustathio; non dubitamus tamen, quin vera sit lectio; ἀμέτοχος κακῶν· sequitur: ἔστι γὰρ Θεὸς δοτὴρ ἀγαθῶν. Meritò, inquit, Deus ἀκάκητα, (vel ἀκακήτης, seu *malorum expers*) à nobis censeatur & celebretur, ut qui bonorum seu felicitatis aliis auctor. Nec multò aliter Sanctus *Jacobus*, quasi sibi connexa, & ut vulgò loquimur, *reciproca* hæc ponit in Deo: ἀπείραστον eum esse τῶν κακῶν, &, πειράζειν αὐτὸν οὐδένα. Sed nec dissimili ratiocinatione colligit Eustathius, in Iliad. π'. Deum, quia sit ἀκάκητα, ideo bene credi, δώδωρον· προσφυὲς δὲ τῷ μὴ κακοποιοῦντι, τὸ δώδωρον. Dixisset τῷ μὴ κακοπαθοῦντι· idem quod Scholiastes dixisset.

Sunt sanè istiusmodi non pauca, in hoc *Scholiaste*, malè affecta; quæ solâ conjecturâ, ubi desunt alia præsidia, si quis diligentiam intendat, & non ἀφυὴς sit, & ἄπειρος in istud genus periculis, satis feliciter sanari possint: quædam etiam, ubi neque Eustathius, neque Scholiastes fortasse satisfaciunt, in quibus ingenium (si quis tentare velit) non infeliciter cedat.

Lugdun. edit. pag. 373. ad ista Poetæ:

Ἤ τάχα Ἶρος ἄιρος ἐπίσπαστον κακὸν ἕξει.

Scholiastes: Ἄιρος· Ἶρος ἐνεμαθείς. Videtur aliquid deesse, & Henricus Stephanus, à linguæ & eruditionis Græcæ amatoribus nunquam sine honore nominandus, in Indice *Thesauri* sui (verè Thesauri) ita citat: Ἶρος, ἐπὶ κακῷ ὀνομ. ex aliquo MS. ut verisimile. Videtur id velle Scholiastes, *Irum*, malo omine ita nuncupatum; perniciem *suo sibi jumento* (ut loqui amat Plautus) accersere. Sed nec ille, nec Eustathius rationem nominis explicant, ad quam respicere videtur Homerus, cùm addit, ἐπίσπαστον κακὸν ἕξει. Ego suspicor illum significationem verbi αἴρω, vel ἀείρω, alludere voluisse. Certè αἱρετὸν, vel αὐθαίρετον (quod in Eustathio) planè idem quod ἐπίσπαστον in hoc sensu, cum τῷ κακὸν junctum. Neque id remotius, aut longius petitum censeatur, quàm Ἶρος· ἦρα, quod in superioribus versibus. Plena est Historia Sacra istiusmodi allusionum in propriis nominibus; in quibus etiam, quæ multò videantur alieniora, non pauca.

Jam Lugdun. edit. pag. 417. ad ista, ἐπεὶ καὶ πᾶσιν ἑορτή, de *noviluniis* sive *neomeniis*; cur illa Deis in genere; cur Apollini, speciatim consecrata, non pauca doctè & piè tradita. Sed τοῖς ἐμοῖς (non τὰς ἐμοὺς) χρὴ γεγράφειν legendum esse, manifesta suadet ratio; & mox ibidem: τὴν ἡμέραν εἰκὸς, ὡς πρῶτον φῶς, &c. corrigendum, pro τὴν ἡμερ. εἰκότως τὸ πρῶτ. φ.

Ex his non multis exemplis, quàm multa præstanda restent, & præstari poterant in hac *Nova Editione*, si quis id pensi sibi proposuisset, facilè, ni fallor, Lector intelligens percipiet. Quod tantum abest ut præstitum sit; ut metuendi caussa non absit, ne quædam quæ in prioribus editionibus rectè habebant, in hac novissima, Correctorum ignorantiâ, depravata sint. Ecce enim non procul ab initio (*Odysseam* semper intelligimus; præstabunt alii fortasse in *Iliade*, quod nos hic in *Odyssea* præstitimus) Lugdun. edit. pag. 6. ad ista Poëtæ:

Ἀτλαντος θυγάτηρ ὀλοόφρονος ὅστε θαλάσσης
Πάσης βένθεα οἶδεν·

cùm ista in Scholiaste, οἱ δὲ, τὸ ἑξῆς, θαλάσσης ὀλοόφρονος, bene cohærerent, malè in Lugdunensi divulsa sunt: [τὸ ἑξῆς, θαλάσσης. Ὀλοόφρονος.] ex quibus sensus, qui prius satis in propatulo, nullus eruatur. Quatuor enim diversas hujus loci explicationes affert: prima, ut ὀλοόφρων dicatur Atlas, quia θεοῖς πολέμιος, (sed quare Deis πολέμιος Atlas? an ideò quòd Perseum, Jovis filium, ad hortos Hesperidum noluerit admittere, & ideo in saxum seu montem redactus? an quòd Japeto satus, & Promethei frater? Sed Æschylus in *Prometheo*, qui abundè satisfaciet, consulendus) Diis inimicus, aut infestus. Aut si cum aspiratione scribatur, ὁλοόφρονος, tum Atlas ita dictus, quòd Universi (quod humeris sustineat scilicet) curam gerat; quæ secunda expositio, quæ unica de quatuor hîc allatis extat in Eustathio. Tertia, ut ὀλοόφρονος ad θάλατταν, seu mare referatur; quod ὀλέθριον, seu perniciosum nuncupetur, ut ex diris Poëtarum, aliorumque cuivis in promptu intelligere. Nec minus, ὀλοόφρων, quamvis proprietas vocis ad mente præditos tantùm pertineat, de mari efferri potest, quàm λᾶας ἀναιδὴς, lib. λ'. & id genus alia. Quarta expositio, quæ mihi maximè probatur, ut Calypso ipsa intelligatur; ac tum scribendum fuerit, ὀλοόφρων. Conjicit

jicit autem Scholiastes, cùm scriptum reperisset aliquis ὀλοόφρον, more veteri (cujus in veteribus libris & inscriptionibus passim exempla) pro ὀλοόφρων, & ὀ μικρὸν, illud metro (quæ ipsius ignorantia fuit) repugnaret; ut versui consuleret, vocem in ὀλοόφρονος (addito ος) temerè produxisse.


Lugdun. edit. pag. 110. Ἔιπετο δ᾽ ὡς ὅτι ῥῖνον. Ait ibi Scholiastes, traditum à quibusdam esse, Illyricâ dialecto ῥῖνον, τὴν ἀχλὺν, nuncupari, ut disertè apud Eustathium, in hunc locum, legitur: nisi quòd ἀχλὴν, pro ἀχλὺν, ibi (in Basileensi saltem editione) excusum; & in Hervagiana Scholiastis editione, aliquantò pejus, literâ unâ deficiente, ἀχὴν· quod importuni Correctores, quia vox omnibus nota ἀρχὴ se offerebat, omni jam vestigio pristinæ lectionis obliterato, in ἀρχὴν mutasse videntur: (ita certè Lugdunensis editio exhibet) sequentia nihil morati, quibus ineptissimi commenti vanitas apertissimè refellitur. Sequitur enim, ut in aliis editionibus, ibi quoque: ἐφάνη δὲ ὡς ἀχλὺς ἡ γῆ· apud Eustathium: ἐφάνη γὰρ τῷ Ὀδυσσεῖ ὡς ἀχλὺς ἡ γῆ.

Vereor ne plura sint ejus farinæ. Hæc enim non studio quæsita; (bonâ fide dicimus) sed dum oculos huc illuc in tumultuaria lectione circumferimus, oblata nobis. Quod si cùm lectionem Odysseæ primùm cùm viro nobili aggressi sumus, tale quid in animo habuissemus, ut quod etiam in Scholiaste præstitum seu peccatum esset, adverteremus; auctiora, puto, hæc fuissent, aut saltem fuisse potuissent. Aliud enim mallemus, quàm tali provinciâ defungi. Sed cùm ita, ut antè diximus, res tulisset; vicit utilitatis ratio, & de harum literarum studiosis benè merendi constans studium. Si verò, quod nobis propositum fuit, id aliqua ex parte assecuti sumus; illi potissimùm debentur gratiæ, qui non solùm occasionem præbuit, ad studiorum horum societatem perhumaniter invitans; sed & sæpe cunctantem cohortatione suâ erexit; & judicio suo (cui multum, ut meritum ipsius est, tribuo) confirmavit.

SUPER LOCO HOMERICO,

quo Dei in hominum, *&c.*

DISSERTATIUNCULA.



HOMERI laudes non hic instituimus; quem quidem qui, non ut Poëtarum tantùm, sed ingeniorum ab omni memoria principem, non suspiciunt & admirantur, illi pudori suo quàm benè consulant, qui suum judicium (si tamen judicium dicendum est) tot ætatum consensui opponant, ipsi viderint. Cùm tot ætatum consensum dicimus, præstantissima (vel ipsis, qui de Homero aliter sentiunt, judicibus) ætatis cujusque ingenia, Philosophos, Historicos, Poëtas intelligimus; qui Homerum ut hominem suprà quicquid à quoquam de homine dici possit, admirandum; & in quo vires suas natura summas semel experta sit, exquisitissimis verbis, & elogiis, uno ore prædicant. Ac ego quidem ita judico, qui Homerum contemnunt, vix illis pejus optari posse, quàm ut fatuitate suâ fruantur, ac constanter eum contemnant, ex cujus lectione & admiratione tantos alii tum solidæ eruditionis, tum voluptatis honestissimæ fructus percipiant.

Cæterùm, qui de Homero sic censemus, non tamen ignoramus, aut negamus, multa apud illum non impia tantùm, ut ethnicum; sed & ridicula planè, tantâque indigna sapientiâ reperiri; quæ tamen ut excusemus, saltem ne miremur, nihil opus est, ut ad allegoriarum commenta, quod fit à multis, confugiamus; ut in nupero *De Enthusiasmo Tractatu*, paucis, pro re nata, perstrinximus. Sed ista non sunt hujus loci.

Inter alia, quæ profundam Poëtæ incomparabilis sapientiam (qualia passim in utroque Opere plurima) testantur, sunt & ista, mox hic apponenda; de quorum genuina sententia variantes jam olim fuerant opiniones: è variis autem, quæ verissima nobis videatur ut ostenderemus, suscepta à nobis hæc opera est. Omissis autem quæ nihil ad præsentem disquisitionem faciunt; iis, quo-

quorum proprior est cohærentia, & quæ sine sententiæ dispendio separari non possunt, contenti erimus. Ita autem Homerus, Ὀδυσσ. σ'. vers. 129. *&c.* sub persona Ulyssis, qui se alium simulabat:

Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο
Πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἐπιπνείει τε καὶ ἕρπει.
Οὐ μὲν γάρ ποτέ φησι κακὸν πείσεσθαι ὀπίσσω,
Ὄφρ' ἀρετὴν παρέχωσι Θεοὶ καὶ γούνατ' ὀρώρῃ.
Ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ λυγρὰ Θεοὶ μάκαρες τελέσωσι,
Καὶ τὰ φέρει ἀεκαζόμενος τετληότι θυμῷ·
Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι Πατὴρ ἀνδρῶν τε, θεῶν τε.

Nihil imbecillius terra nutrit homine
Omnium, quæcunque super terram spirant & serpunt.
Non quidem unquam dicit malum passurum esse in futurum,
Quousque virtutem præbeant Dei, & genua moventur:
Sed quando jam & mala Dei beati perficiunt,
Et hæc suffert nolens patienti animo.
Talis enim mens est terrestrium hominum,
Qualem quotidie ducit Pater virorumque Deorumque.

Hom. Od. Σ. edit. Ob. Gifan. Argentor. Ann. Dom. 1514. pag. 523.

Dum singula, quo se nobis offerunt ordine, percurrimus, & si quid in verbis obscurum, aut dubium, excutimus; versionem interim Latinam, quam exhibet Gifaniana editio, hic in tyronum gratiam apposuimus.

Hominem natum omnium, quæ terra alit, animalium, animal esse miserrimum; nihil in omni vita, in omni scriptorum genere decantatius. Quod nos quoque, si quibus malis non corpora nostra duntaxat, sed & animi, sorte nascendi sunt obnoxii, spectemus, ita verum esse credimus & concedimus; ut æquè certum sit, nihil eodem homine præstantius, divinius, beatius in terris denique, si animi dotes, & bona, quorum natura sua capax est, quæque multi, tum diligenti cultu, tum quâdam (non omnium sanè, qui homines audiunt) naturæ bonitate; vel, ut more Christiano loquamur, Dei Opt. Max. bonitate & gratiâ in hac vita consequuntur (ut futura taceamus) consideremus. Ex hac autem utriusque conditionis hominum consideratione; hinc, ultra vilissima quæque & abjectissima animalia, miserorum; illinc, divinitatis, meliori suâ parte, participum; bestiarum omnium, domandi, regendi, ad usum suum solertia, dominorum; maximorum Dei operum, in quo sita maxima felicitas, contemplatorum, & quæ his sunt affinia; magnum, inquam, ex hac consideratione, rem rectâ ratione putantibus (ut sacra taceamus) argumentum, aliquid hominum culpâ intervenisse, quod rerum ordinem præter summi Creatoris propositum, & primas mundi leges inverteret, & cujus occasione in omnem posteritatem noxa derivata sit. Sed ista non hic excutimus.

Si ita autem res habet, & ita nati sumus, ut homine nihil sit in terris miserius; homines illos, an portenta, & monstra in ultimas terras deportanda censebimus, qui Deum ipsum de felicitate provocare sunt ausi? Utinam non & in illis Seneca, Scriptor alioquin utilissimus, nisi ubi grandiloquentiam illam Stoicam (putidam magis an impiam?) affectat. Quid verò miramur hominem quondam in plena felicitatis humanæ possessione, sorte suâ non contentum, divina affectasse, qui videmus repertos esse, qui in miserrima hac lapsorum conditione, suam felicitatem divinæ æquarent, immò anteponerent?

Cæterùm quoniam miseriæ humanæ consideratio multis obtrectandi, & de Providentia divina malè sentiendi occasionem præbuit; quamvis plana omnium objectionum solutio ex una conditi, lapsi, & per Christum reparati hominis historia peti possit; non possum tamen quin divinos Euripidis versus, quibus Dei causam agit, & erga hominum genus benignitatem asserit, dignos qui intimo animo recondantur, Lectoribus commendem. Quia autem plures sunt, & nos non hic id agimus, locum indicasse (qui in Ἱκετιδ. ab istis, —— ἔλεξε γάρ τις ὡς τὰ χείρονα Πλείω βροτοῖσίν ἐστι τῶν ἀμεινόνων· ad ista, Δοκοῦμεν εἶναι δαιμόνων σοφώτεροι) sufficiet.

Enimverò, cùm miseriæ humanæ non una sit species; non unum caput, Homerus hic pro oblata occasione, ex contextu orationis petenda, eam potissimùm exagitat, quod eo plerique sint ingenio, ut nec læta moderatè; nec tristia constanter, seu fortiter ferre queant. Nec id immeritò Poëta sapientissimus; cùm secundum Philosophos, & qui à Philosophis hauserunt, Historicos, & Poëtas, sapientiæ humanæ præcipua pars in eo sita sit, ut in utriusque fortunæ periculo modum & æqua-

æquanimitatem præstemus. *Is est sapiens, quem quærimus; hic est beatus, cui nihil humanarum rerum, aut intolerabile ad demittendum animum; aut nimis lætabile, ad efferendum videri possit*, ait Cicero, Tusc. Q. lib. IV. cap. 17. ad Homeri mentem appositissimè. Hujus generis monitis ac præceptis pleni sunt Philosophorum, ut alios Scriptores omittam, libri.

Sed aliud præterea ab Homero his verbis innuitur; quòd plerique scilicet in adversis ferendis tam molles sint & queruli, id eo præcipuè fieri, quòd beati de fortunæ inconstantia minimè cogitarint. Quò pertinet illud sacri Vatis & Philosophi: ביום טובה היה בטוב וביום רעה ראה גם את זה לעכת זה עשה האלהים על דברת שלא ימצא האדם אחריו מאומה: Cujus sapientissimi præcepti sensus & ordo verborum, ob quæsitam paronomasiæ * elegantiam (רעת & ראה, quæ verbis in priore membro non sine venustate repetitis, vim paronomasiæ habentibus, responderet) paulò perplexior & obscurior est, non tamen ita obscurus, ut ad mentem sagacissimus *Junius*, tum in versione, tum in *Notis* (quod nescio an de aliis Interpretibus æquè dici possit) felicissimè non penetraret. Verbum enim ראה ad utrumque membrum, seu colon orationis pertinet, ut tam in prosperis quàm adversis considerare nos jubeat divinus Magister: quasi diceret: Tum in prosperis (in quibus lætari te, modò non ultra modum, minimè prohibeo) tum adversis, meditando & considerando id age, ut in utroque statu æquo te geras animo. Ita enim consultò adversa secundis, & secunda adversis miscet Deus, & eorum momenta, seu præfinita tempora, tibi ignota esse voluit; ut neque in lætis præsumeres, neque tristibus desperares. Planè quod Orator, & Philosophus æquè præstans, Dio Chrysostomus, dilucidioribus aliquantò verbis, Orat. 18. Περὶ λόγου ἀσκήσεως: Τὸ ἔμπειρον εἶναι πράξεων καὶ δυστυχιῶν καὶ εὐτυχιῶν, &c. ὁ γὰρ ἐπιστάμενος, οὔτε εὐπραγῶν, παρὰ μέτρον ἐπαρθήσεται· δυσπραγίαν δὲ πᾶσαν οἴσει γενναίως, διὰ τὸ μηδ᾽ ἐν οἷς εὖ ἔπραττεν ἀνεννόητος εἶναι τῆς εἰς τὸ ἐναντίον μεταβολῆς. Id est: *Experientia rerum, prosperarum scilicet & adversarum*, &c. *Qui enim rectè ista perceperit, neque in rebus secundis ultra modum efferetur; adversos verò casus omnes generosè tolerabit, ut qui in secundis suis, posse omnia in contrarium vertere, probè cogitaverit.* Quò pertinet & illud Ciceronis, Tusc. Q. lib. III. cap. 14. *Et nimirum hæc est illa præstans ac divina sapientia, perceptas penitùs ac pertractatas humanas res habere: nihil admirari cùm acciderit; nihil antequam evenerit, non evenire posse arbitrari.* Junii Versio, quam laudavimus, hæc est: *Tempore boni, versare in bono; tempore autem mali, utere.* (vel *respice*) *Etiam hoc ex adverso illius fecit Deus ipse, eâ ratione, ut non possit assequi homo* [eorum quæ] *instant sibi quicquam.* Idem in Notis: *Utere secundis & adversis rebus*, &c. In verbis Poëtæ, (τί φησι) non *dicit*, sed *cogitat*, aut *reputat* vertendum; cujus exempla tum in Homero ipso, tum aliis passim obvia. Cæterùm, Hesiodi nobile dictum, Κρύψαντες γὰρ ἔχουσι Θεοὶ βίον ἀνθρώποισι, si βίον *vitam*, non *victum*, vertamus, & ad incertos rerum eventus, quod in prolixa super eo disputatione facit vir in his literis inclytus, extendamus, non aliundè clariorem quàm ex his *Solomonis*, lucem accipiat; & ipsum vicissim, quem nos sequimur Sacrorum Verborum sensum, collatis sententiis, non parum confirmet. Sed Hesiodi tamen contextus aliud requirere videtur. Sed hoc obiter.

Ecclesiastis cap. 7. vers. 14.

* *Similium in Sacra Scriptura paronomasiarum plura exempla nos alibi, in Tractatu* De Lingua Hebraica.

In verbis *Homeri* notat *Eustathius*, ἀρετὴν hîc ab eo vocari, quod posteriores Græci verbo εὐδαιμονία expresserunt; cujus significationis alibi quoque in Homero exempla affert: ut & verbi inde formati ἀρετάω, pro εὐδαιμονῶ, seu *feliciter ago*. Quæ quanquam vir doctissimus, & de lingua Græca, si quis alius, meritissimus, in *Thesauro* incomparabili in dubium vocet, dum ἀρετὴν mavult *vigorem* hîc interpretari; sed τὸ ἀρετᾶν, aliter melius exprimi censet; non tamen ab illo quicquam afferri video, cur ab *Eustathii* sententia discedendum nobis sit. Nam quòd ἀρετὴ *vigorem* corporis quoque significet, quæ significatio huic loco bene conveniat; verum id quidem est, si de versus unius ac singularis sententia seorsim pronunciandum nobis est. Sin eorum quæ sequuntur, & in quibus totius loci præcipua sententia versatur, habenda ratio est; multò aptior εὐδαιμονίας quàm *vigoris* significatio huic loco fuerit; quod ex iis, quæ dicenda nobis supersunt, clarius liquebit. Γόνατα porro ὀρώρεσι, ut hîc *Homerus* loquitur, opponuntur apud Auctorem *Epistolæ* † ad *Hebræos*: Γόνατα παραλελυμένα· (Διὸ τὰς παρειμένας χεῖρας, καὶ τὰ παραλελυμένα γόνατα ἀνορθώσατε) quem tamen ad Græcam phrasim sive παροιμίαν (quando vim παροιμίας habent hæc verba, haud secus ac ista Theocriti: ἄς γόνυ χλωρὸν) respexisse, stultum sit credere; cùm ex Hebraicis Esaiæ sumta

† Cap. XII. vers. 12.

ta sint illa; nec mirum cuiquam videre debeat, si in re, quæ in ipsa natura tam manifestum habet fundamentum; plures, quamvis diversis utentes linguis, ejusdem naturæ participes, conveniant. Sed & Homero, γούνατα λύειν, pro *occidere*, alicubi dictum.

Deum, bonorum & malorum, quæcunque homini contingunt, auctorem esse (quod & alibi quoque verbis non minus disertis) asserit hîc Homerus. Quod etsi Sacræ Scripturæ, si rectè intelligatur, valde consentaneum est; cautè tamen, non tam veritatis, quam ab *Homero*, homine Ethnico, *Christiani* non exigimus; quàm Homeri ipsius causâ accipiendum est, ne scelesti dogmatis infamiam ipsi inuri patiamur, quasi Deum auctorem peccati, & insontium calamitatibus delectari eum scisceret. Nam quod quidam nefarii dogmatis invidiam ita conantur amoliri, quasi ipsum *esse*, seu vivere, majus esset bonum, quàm quivis seu corporis, seu animi cruciatus, malum; idque argutiis nescio quibus metaphysicis adstruere conantur; tam putidum & puerile est, ut seriò id quenquam, qui quidem mentis compos, credere; aut verò quo crederetur ab aliis, & non potius ad inanem subtilitatis ostentationem affirmasse, vix mihi credibile sit. His igitur & similibus aliis de absoluto Deorum imperio, & inevitabili fato dictis, opponantur alia, quæ ab eodem, si non saniore judicio, certè cautiore sermone, Sacræ Doctrinæ consona, tradita sunt. Qualia quæ Odysseâ primâ, his verbis:

Ὢ πόποι, οἷον δή νυ Θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται!
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.

Papæ, ut scilicet Deos mortales culpant!
Ex nobis enim, inquiunt, mala esse; qui verò ipsi
Suis stultitiis præter fatum angores patiantur.

Quod autem τετληότι θυμῷ vertunt hîc *patienti animo*, nihil à mente Poëtæ, nisi commodâ expositione leniatur, fingi potest alienius. Est enim *patientia* non virtus tantùm, sed præ virtutibus aliis, generosæ indolis, & consummatæ sapientiæ argumentum; cujus tanta est efficacia, ut maximorum malorum sensum non temperet modò, sed & quodammodo superet. Nemo mala sua patienter ferentem, verè dicat miserum, cùm tanti sit, fuisse miserum, ut patientia disceretur; aut certè, verè mala illa dicat, per quæ ad tantum bonum, quantum est *patientia*, pervenitur. Fateor apud Homerum eam verbi notionem non semel occurrere; sed nihil obstat, quin ut nomen (ut Grammatici loquuntur) *substantivum* τλήμων, aliàs, *patientem*; aliàs, *miserum & ærumnosum* significat; ita & *participium* τετληκώς, requirente id sententiâ, eandem significationis latitudinem admittat. Haud absimilis & verbi Latini *patiens* usus apud Latinos; cùm aliàs pro virtute; ut cùm Cicero dicit *: *Externorum bonorum, & in utendo rationem*; (λόγον, moderationem) *& in carendo patientiam semper expetendam putavi*; aliàs pro mera tolerantia, sive cum patientia, sive secus, conjuncta, ponatur: ut cùm legimus, *patientiam turpitudinis, impudicitiæ*, & id genus alia.

* *Pro domo sua cap.* 58.

Jam pervenimus ad præcipuam verborum Homericorum sententiam, & quam præcipuè tractandam hîc suscepimus, in istis:

Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι Πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Tres autem, si non omnes illas, certè præcipuas verborum istorum interpretationes nobis observatas expendemus.

I. Prima, quam antiquissimam agnoscit *Eustathius*, est eorum, qui cœlo & syderibus omnia humana, ipsas etiam mentes, his verbis ab Homero subjici censebant; quasi hoc voluisset, prout cujusque diei naturalis ex astrorum positura & influxu constitutio est; tales & homines, pro cujusque particulari temperamento, & animo & corpore, quotidie existere. Diversum hoc ab Astrologorum scitis, qui ex cujusque proprio sydere, seu *hora natalitia*, (ut Cicero alicubi † loquitur) de unoquoque pronuntiant; nisi quòd in eo conveniunt, quòd astris & ipsi voluntates humanas subjiciunt, & inevitabile fatum, quod vulgò *mathematicum* vocant, adstruunt; de quo elegans & acuta extat *Quintiliani* Declamatio ‡. At homines callidi cùm viderent suam doctrinam malè vulgo audire, ut quæ non homines tantùm in truncos & stipites, libertate agendi spoliatos, convertat; sed jura divina pariter & humana variè confundat; multa commenti sunt, quibus impia dogmata pro virili mollirent; saltem quibus suæ securitati,

† *De Div. lib.* II. *cap.* 43.

‡ *Num.* IV.

ritati, ut impune sibi id liceret, consulerent. Quanquam de Ptolemæo, tantæ doctrinæ meritique viro, libenter ego crediderim, aut aliis credentibus concesserim, bonâ eum fide agere, cùm causas cœlestes longâ disputatione in *Tetrabiblo* suo (ut & in *Carpo*) certis aphorismis sic temperat, ut multa necessitate liberet, & sapientiæ humanæ relinquat. Firmicus autem, cautus dicam, an ridiculus, qui sic omnes alios fato subjicit, ut *Imperatorem* tamen *Romanum* excipiat: *Solus*, inquit, *Imperator stellarum non subjacet cursibus; & solus est, in cujus fato stellæ decernendi non habent potestatem.* Sed præcipuè quorundam de isto numero, qui *prædictiones* suas veteratoriâ arte extructas, imperitæ plebiculæ magno pretio venditant, stuporem dicam, an impudentiam, miror, qui negant, immò magnis asseverationibus pernegant, illos ullo ævo repertos Astrologos, qui res humanas syderibus absolutè subjicerent, & arbitrii libertatem planè tollerent. En homines dignos, quibus futura credantur; qui de præsentibus ac præteritis, notissimis, certissimis, aut tam impudenter fallant, aut tam turpiter ipsi fallantur.

Sed redeamus in viam. De faustis & infaustis diebus extat *Hesiodi*, Poëtæ post *Homerum* antiquissimi, carmen; & conscripta sunt olim *Diaria*, sive *Ephemerides*, quæ doctrinam illam ex Ægyptiorum Commentariis & observationibus præcipuè petitam, continebant. Sed aliud est tamen, eventus humanarum actionum fato subjicere; aliud, ipsas voluntates & mentes; quod isti modò nobis dicti ex his Homeri verbis adstructum volebant.

Hæc igitur Veterum quorundam fuit expositio, ut *Eustathius* perhibet; ut & *Scholia* Homerica, seorsim ab *Eustathii* Commentariis edita; quæ cur τοῖς φιλοσόφοις hanc interpretationem propriè tribuant, si mendo caret locus, non intelligo. Magis enim secunda, & tertia, de quibus dicturi sumus, Philosophum redolent quàm hæc prima. *Eustathius* certè, qui plenius hæc tradit; qui etiam *Orphei*, & *Hesiodi* meminit, nullos Philosophos commemorat; sed antiquam eam tantùm expositionem esse (παλαιὸν καὶ τοῦτο, ut ipse loquitur) agnoscit. Fallor, aut etiam in istis *Scholiis*, οἱ μὲν παλαιοί, non φιλόσοφοι scriptum fuit; nisi fortasse respexit consarcinator ad illud *Eustathii*, aut quod id *Eustathii* saltem de ista expositione judicium: eam esse παρὰ τὰ δοκοῦντα κοινῶς· id est, præter vulgarem sensum, seu magis receptam opinionem, atque ideò Philosophis adscribendum credidit.

Hoc loco monendus est Lector, verba Homerica, constante syntaxi, sed diverso longè sensu, dupliciter ordinari posse. Primo modo, ut τὸ οἷον ad ἦμαρ referatur, & Præpositio ἐπὶ non ad ἦμαρ, sed ad verbum ἄγῃ pertineat; quasi scripsisset Homerus; Τοῖος νόος τῶν ἀνθρώπων οἷον ἦμαρ ἐπάγῃ Πατὴρ, &c. Hoc modo acceperunt seu verba struxerunt prioris istius interpretationis Auctores. Sed & Cicero quoque, qui etiam ad eorum mentem collimasse videri possit, dum vertit:

> *Tales sunt hominum mentes, qualis* (vel, ut alii, *quali*) *Pater ipse*
> *Jupiter auctiferas lustravit lumine terras.*

Ita vulgò hæc eduntur. Sed melius, ut in quibusdam, *auctiferus*. Et, si verum quod Camerarius exhibet, *lampade*; non dubitarim *auctifera*, vel astrifera, (id est, ἡλιακῇ· unde & ἡλιακαὶ ἡμέραι, in Eustathio, &c.) præferre. Sed ad sensum verborum ut redeamus; Augustinus certè ex hac Ciceronis versione, etiam Homerum *fatum* constituisse, à multis ejusdem assertoribus colligi solitum docet, *De Civit. Dei*, lib. 5. cap. 8. Sed *Stoicum*, non *mathematicum* fatum, sive *astrologicum*; de quo hactenus. Hactenus prima constructio.

II. Aliter ordinari verba possunt, si legamus: Τοῖος νόος ἀνθρώπων οἷον (νόον scilicet) ἐπ' ἦμαρ ἄγησι Π. &c. Hujus constructionis sententiam (quæ secunda verborum Homericorum interpretatio est) sic exequitur Vir non uno nomine mihi venerandus, & de Republica literaria indefesso studio, & labore (ut de ingenio, & cæteris dotibus nihil dicam) adeò meritus, ut de tanto exemplo nunquam cogitem, quin tenuitatis meæ conscientiâ vehementius afficiar; hoc solo me sustentans, quòd alia potius omnia, quàm voluntas defuere. Ita autem ille in Epistola sæpius edita: [*Verè quidem dictum Apostolo, dona Dei esse* ἀμεταμέλητα, *neque Deum unquam pœnitere suæ erga mortales liberalitatis: sed hoc in bene utentibus præcipuè verum apparet. Docet namque usus, eum, qui hodie fortissimè se gesserit, die crastino fieri posse ignavum; & idem est in cæteris Dei* χαρίσμασι. *Homerus igitur naturalis lucis ductum secutus, divinitùs monet, non debere aliquem propter quascunque ingenii, corporis,*

poris, vel fortunæ dotes superbire: hominem enim tantum posse, quantum illi Deus in singulos dies *bonæ mentis & auxilii sui suggerit. Divina prorsus sententia, & tam digna, quam posteri imitarentur, & memoriæ mandarent; quàm indigna, quæ, &c.*] Idem ibidem: [*Tanti Veteres fecerunt hunc locum, ut Archilochus, cujus alias quoque ex Homero* κλοπὰς *notat Clemens in lib.* VI. Miscellaneorum *suorum, pulcherrimè illum sic sit imitatus:*

> Τοῖος γὰρ ἀνθρώποισι θυμὸς, Γλαῦκε Λεπτίνεω παῖ,
> Θνητοῖς, ὁκοίην Ζεὺς ἐφ᾽ ἡμέρην ἄγῃ.]

Hactenus ille. Notabit Lector in Archilochiana imitatione eandem, quæ in Homeri verbis, structionis ambiguitatem; ut quomodo ille legenda censuerit, incertum sit. Diogenes autem Laërtius in *Pyrrhone*, Scepticæ sectæ principe, postquam docuit ideò Homerum à multis Scepticum haberi, quòd eadem de re aliter atque aliter, pro re nata, loquatur, neque sibi in judiciis constet; *Homeri* quidem versus nullos ibi promit *Diogenes*; sed qui ex *Homero* prompti sunt, *Archilochi*, suprà allatos; quos *Diogenem* ex serie disputationis ita legisse, ut ἐφ᾽ ἡμέρην (quæ Homericis, ἐπ᾽ ἦμαρ respondent) conjunctim legeret, maximè probabile sit; quod & *Diogenis* Interpres (sed & reclamante viro doctissimo posteà nominando) secutus est. Aristoteles etiam in lib. III. *De Anima*, profert Homericos versus in eum finem, ut quantum ex contextu ipsius colligere datur, ἐπ᾽ ἦμαρ, & τοῖον νόον conjuncta voluerit; ut & *Pacius*, fidelis ejus Interpres, in Commentariis pluribus exponit. Ita autem *Aristotelem* censuisse, ex eo quoque mihi valde probabile est, quòd alibi in *Metaphysicis*, (ut mox dicturi sumus) ubi sensum seu moralem, seu physicum dicendum, qui ex altera sive priore ista constructione conficitur, pluribus prosequitur; loco tam opportuno, & invitante materiâ; versus tamen istos Homericos non laudat; aliud verò ex Homero profert, quamvis ex aliorum magis quàm propria sententia, quod à proposito magis remotum, & dubiæ non minus interpretationis est.

Eandem constructionem secuti sunt & *Maximus Tyrius* (ut de Plutarcho nihil dicam, quia pars, quâ Homeri vitam complectitur, à Plutarcho, quo solo nunc utor, abest) in prima Διαλέξει· & *Theon* Sophista, in *Progymnasmatibus*, cap. I. saltem si Latinos Interpretes, viros doctissimos, ipsi sequimur. Nam ex ipsis Auctoribus, quid amplexi sint, haud facilè colligas. De Minutio Felice, qui tamen τὸ ἐπ᾽ ἦμαρ, ut minus necessarium omisit, facilius judicium: *Audio Poëtas*, inquit, *unum Patrem divûm atque hominum prædicantes, & talem esse mortalium mentem, qualem Parens omnium Deus induxerit.* An fortasse (si conjecturæ locus) scripserat Minutius *in dies*; & ita plenè Homerum expresserit: quod qui non intelligebant quò pertineret, in *Deus*, quod obvium magis erat, mutaverint? Aut *Deus indies* à Minutio scriptum; & ex similitudine verborum, (quo nihil in omni Manuscriptorum genere frequentius) alterum *indies* exciderit. Propius tamen in Minutii verba intuens, & istud *induxerit* præcipuè advertens, jam incipio dubitare, an ad secundam hanc, quam nunc persequimur, interpretationem & constructionem, Minutii verba pertineant; an potius tertiam, mox tractandam. Attendat Lector, & fortasse non valde refragabitur. Hoc igitur primùm observamus, in Homero, τὸ *Deus* non esse, sed *Pater* tantùm. Quod si pro *Deus* in Minutio scribamus *diem* (& quid proclivius, quàm ista mutasse, qui de Homero, à Minutio expresso, nihil cogitabant?) nervosè & plenè totum Homeri sensum reddiderit: *Talem esse mentem mortalium* (ἐπιχθονίων) *hominum: qualem Parens omnium* (*divûm atque hominum*; ex superioribus verbis) *diem induxerit*. Quod quid est, quàm Homericum purum putum: οἷον ἦμαρ ἐπάγῃ. Nihil video quod possit his objici. Atque hæc sunt, quæ de secunda loci istius Homerici interpretatione se nobis obtulerunt.

III. Ad tertiam jam pervenimus, quæ primâ illâ verborum constructione τοῖος νόος· & ἐπ᾽ ἦμαρ) nititur; atque in eo quidem cum prima seu astrologica interpretatione convenit; sensum autem longè diversum ex verbis sic structis elicit: Qualem scilicet cujusque diem (id est, statum & fortunam) pro diversa temporis ratione Deus esse voluerit; talem & animum ipsius, id est, mores, & opiniones esse solere. Quod utut sæpe ita contingat, & de multis verè dici possit, mutato eorum statu, cum moribus & opiniones mutari: nihil tamen necesse est Homeri verba ad utrumque simul extendere, cùm vox νόος ut utrumque potest comprehendere, ita & utrivis, seu moribus, seu opinionibus, ex usu loquendi, possit esse

propria. Nihil igitur obſtat quin Homeri mentem planè ſimul & eleganter expreſſerit Terentius his verbis in *Hecyra* ſua:

Omnibus nobis ut res dant ſeſe, ita
magni atque humiles ſumus.

Ubi Donatus, vetus Interpres, hos *Homeri* verſus affert; & hoc itidem ex *Apollodoro*: Οὕτως ἕκαστος διὰ τὰ πράγματα σεμνὸς ἦν, καὶ ταπεινός. Alluſere autem hunc verborum Homericorum ſenſum plurimi, inter alios *Menander* Comicus, inſigniter, non uno loco; ut cùm dicit:

Τὸ δὲ κεφάλαιον τῶν λόγων, ἄνθρωπος εἶ,
Οὗ μεταβολὴν θᾶττον πρὸς ὕψος, καὶ πάλιν
Ταπεινότητα, ζῶον οὐδὲν λαμβάνει·
Καὶ μάλα δικαίως· ἀσθενέστατον γὰρ ὂν
Φύσει, μεγίστοις οἰκονομεῖται πράγμασιν.

Namque verbo ut uno finiam, natus es
homo,
Quo nullum animal obnoxium ſorti magis,
Ipſum erigenti, & deprimenti poſtmodum.
Et jure; namque eſt omnium infirmiſſimum;
Tamen implicari maximis rebus ſolet.

Idem alibi:

— ὑπερήφανον γίνεθ' ἡ λίαν τρυφή.
Ὅ, τι πλοῦτος ἐξώκειλε τ' κεκτημένον
Εἰς ἔτερον ἦθος, οὐκ ἐν ᾧ τὸ πρόσθεν ἦν.

Immodicus affert luxus arrogantiam.
Faciuntque opes, ut dominus in mores
novos
Impingat, habeant qui ſimile nil priſtinis.

Extant & apud alios tum Græcos, tum Latinos Scriptores in eandem ſententiam non pauca, quorum collatio, prout ſe legentibus, & Homericorum verborum non immemoribus offerent, haud infructuoſa fuerit. Tale illud apud Quintum Curtium, puriſſimum & prudentiſſimum Scriptorem, *de Geſtis Alexandri* lib. 7. *Cæterùm, etiamſi militis tui vel in agmine deficientis & fatigati — aliqua vox aſperior eſſet accepta, merueramus fortibus factis, ut malles ea tempori noſtro* (id eſt, κακοπραγίᾳ, ſeu calamitati; ut apud Ciceronem ſæpe) *imputare quàm animo. Cùm quid accidit triſtius, omnes rei ſunt. Corporibus noſtris, quæ utique non odimus, infeſtas admovemus manus. Parentes liberis ſi occurrant, & ingrati, & inviſi ſunt. Contrà, cùm donis honoramur, cùm præmiis onuſti revertimur; quis ferre nos poteſt? quis illam animorum alacritatem continere?* Tot verbis non aliud dicit, quàm quod Terentium paucis expreſſiſſe vidimus.

De duplici porro notione vocis νόον antè diximus. Alii igitur τὸ νόον, cùm propriè acciperent pro *mente* & intellectu, humanæ omnis, tum ſcientiæ, tum ſapientiæ, incertitudinem & inconſtantiam, ab *Homero* his verbis innui tradiderunt; ut quæ à Dei voluntate tota penderet; ac prout ille mentibus noſtris influeret, aut res externas, lætas aut contrà, nobis offerret; talem & prudentiam noſtram eſſe, & tales de rebus ipſis opiniones. Sextus Empiricus, adverſus *Mathemat.* libro VII. πρὸς τοὺς λογικοὺς τὸ ἦμαρ, interpretatur, τὸ περιέχον, (aërem ſcilicet) quod λογικὸν καὶ φρενῆρες eſſe (*ratione & prudentiâ præditum*) ex his *Homeri* verſibus colligi docet. Ipſe autem rem pluribus explicat, ex Heracliti Scitis; quæ non ſunt hujus loci. Ibi quoque *Archilochi*, quæ ſuprà adduximus, ad eandem τοῦ περιέχοντος νοεροῦ probationem; ſed contractioribus paulò verbis: Τοὺς ἀνθρώπους τοιαῦτα φρονεῖν, ὁ ποίην Ζεὺς ἐφ' ἡμέρην ἄγει. Ubi Interpres Latinus ἐπ' ἦμαρ in Homero, & ἐφ' ἡμέρην hîc, in *Archilocho*, conjuncta ſimul interpretatur; ſic tamen ut cum illis, qui Præpoſitionem cum Verbo ἄγει conjungunt (non cum illis, qui vertunt, *indies*) in verborum ſententia conſentiat. Vertit enim in utroque: *Ad qualem diem deducit illos Jupiter.* Idem Sextus lib. V. adverſus *Aſtrologos*, poſtquam Chaldæorum doctrinam narravit, συμπαθεῖν ſcilicet τὰ ἐπίγεια τοῖς οὐρανίοις, καὶ κατὰ τὰς ἐκείνων ἀποῤῥοίας ἑκάστοτε πάντα νεοχμοῦσθαι· nullâ aliâ *Homeri* mentione factâ, verſus hos eoſdem Homericos inſerit, ut ejuſdem (quod ex contextu colligendum) doctrinæ, ſi non fundamentum, ſaltem firmamentum. Non ſine cauſâ autem ſuſpicetur aliquis priorem illam ἐπ' ἦμαρ (*indies*) ſyntaxin illum hîc voluiſſe, ex iſto, quod immediatè præceſſit, ἑκάστοτε. Interpres tamen aliter ibi Latinus, neque ego quicquam affirmo.

Plinius *Naturalis Hiſtoriæ* lib. VII. cap. 40. ubi diſputat, non quòd hîc Homerus ſanè, omnium quæ terras colunt animantium hominem eſſe miſerrimum; ſed quod proximè accedit, *mortalium neminem eſſe felicem;* paucis aliis interpoſitis, eo mox argumento utitur, *quòd nemo omnibus horis ſapiat;* & id ipſum ut *Vatis dictum* profert. Verba Plinii: *Quid quòd nemo mortalium omnibus horis ſapit? Utinamque falſum hoc,*

hoc, *& non à Vate dictum quàm plurimi judicent.* Ita Plinii editio, quæ mihi nunc una suppetit; sed nescio quis sensus ex hac lectione tolerabilis exprimi possit. Puto Plinium scripsisse, *indicent* (non *judicent*) id est, indicio sint. Optat Plinius pro sua erga genus hominum benevolentia, ut aliter res haberet, & non tam multi quotidie tristissimis exemplis hanc humani ingenii levitatem comprobarent, adeòque fidem facerent, non ab homine futili, seu vulgari Poëta; sed vero *Vate* ita pronunciatum esse. Huc facit adagium, *Vates es*; & quod Plinius idem alibi de Catone; *Puta Vatem dixisse.* Et iterum: *Vatem prorsus quotidie facit Catonem, & oraculum.* Hic autem Vates, quem vult Plinius, quis alius quàm Homerus; & Homerus, hoc ipso, quem tractamus loco?

Aristoteles in divina *de Veritate, & Scientiæ certitudine* disputatione, contra illos, qui quidvis esse verum, quod cuique tale videretur (quorum principem narrat Anaxagoram) asserebant; addit porro de Homero: φασὶ δὲ καὶ τὸν Ὅμηρον, τοιαύτην ἔχοντα φαίνεσθαι τὴν δόξαν, ὅτι ἐποίησε τὸν Ἕκτορα ὡς ἐξέστη ὑπὸ τῆς πληγῆς, κεῖσθαι ἀλλοφρονέοντα· ὡς φρονοῦντας μὲν καὶ τοὺς παραφρονοῦντας, ἀλλ' οὐ ταὐτά. Latina mox dabimus. Hîc quidem Homerus ipse nominatur; at loci, quem tractamus hîc, nulla mentio. Nos tamen hunc Aristotelis locum, *Joachimi Camerarii*, viri laudatissimi, nec tamen unquam satis laudati, authoritate moti, eò libentius adduximus, quòd is in *Præfatione* ad suum in primam *Iliadem* Commentarium, varias Homeri laudes persequens, & id inter alia, quòd pleraque Philosophorum (quod & Plutarchus, aliique innumeri docuere) ab Homero sint hausta; Anaxagoræ opinionem ab hoc ipso loco, nobis tractato, præcipuè repetit. Ego tamen hoc ex verbis Homericis elici rectè posse, nisi idem sit, nullam esse veritatem, & hominum, qui veritatem sectantur, & profitentur, pro diverso suo statu, inconstantia esse (quod tamen ut verum sit, sufficit si de plerisque verè dici possit) de veritate judicia, non puto. Sed nec ex eo, quem ab aliis proferri loco (quando jam in eo sumus, & *Homeri* causam agimus) modò dicebat Aristoteles; nisi inanibus argutiolis, potius quàm verâ ratione ducimur. Verba Aristotelis Latinè versa hæc sunt: *Dicunt & Homerum ejusdem sententiæ fuisse*, eo videri, (vel, *constare*; φαίνεσθαι) quòd *Hectorem fecerit*, *cùm ex vulnerum dolore mente motus esset*, ἀλλοφρονέοντα (quasi dicas, *aliud sapientem*; vel, *sentientem*) *jacuisse*; *quasi qui desiperent*, *saperent quidem & ipsi*, *sed aliter quàm prius.* Nihil respondet Aristoteles pro Homero; nec, opinor, tam pueriles nugæ seriâ cujusquam responsione dignæ sunt. Quàm multa sunt in omnibus linguis, quæ composita aliud significant, quàm cum simplicia? Sed & simplicia, ut vox ista φρονεῖν, alio atque alio modo, pro re nata usurpari, interdum & contraria significare, quis ignorat? An id potius urgent, quod ἀλλοφρονοῦντα, non παραφρονοῦντα, aut aliquid aliud, quod æquè notum, & legi metricæ congruens, usurparit? Eadem in diverso tantùm verbo futilitas; cùm etiam τὸ ἄλλο, tum in compositione, tum solum, non uno semper accipiatur modo. Qui pleniorem hujus verbi expositionem volet, adeat *Galenum*, qui *Hippocratem* quoque eâdem, quâ Homerus, notione usum docet; adeat & *Eustathium* in Ἰλιάδ. ψ'. qui (quod Aristotelem illustrat) illos etiam notat, qui ex verbo, ut ipsi apud Homerum interpretabantur, νόμῳ, id est, usu & consuetudine, non ipsâ naturâ, prudentiam, seu sapientiam metiebantur. Quanquam autem non ignorem, verbum hoc ἀλλοφρονεῖν apud Homerum non uno loco reperiri; nondum tamen mihi locus ille repertus, quem memorat Aristoteles, confirmante Camerario; ubi scilicet hoc verbum de Hectore κειμένῳ seu *jacente* sit usurpatum. Viderint illi, quibus librorum copia, aut certè majus otium.

Quia autem Plutarchus alicubi proposito hoc Homeri versu:

> Ζεὺς ἀρετὴν ἄνδρεσσιν ὀφέλλει τε, μινύθει τε·

non patitur hic ἀρετὴν de virtute vera exponi, quasi τὴν φρόνησιν αὔξειν ἢ κολύειν ἐπὶ τῇ τύχῃ κεῖσθαι, nullatenus admittendum esset, quæ Stoicorum quoque fuit opinio, quidvis potius à Deo petendum esse, quàm sapientiam & virtutem, ut quæ nostri juris essent, nec aliundè penderent; ut liquidò constet, quàm diversæ fuerit Homerus opinionis, & quàm non aliena sit ab ejus sententia, quam ultimam prosecuti sumus, verborum ipsius interpretatio: age Homerum ipsum hanc litem dirimentem verbis tam claris audiamus, ut nullus sit evadendi locus. Sic autem ille Ὀδύσσ. ψ'. Penelopen, prudentissimam, & castissimam, ut fingit ipse, fœminam, loquentem inducit:

 Μαῖα

Μαῖα φίλη, μαργήν σε θεοὶ θέσαν· οἵτε δύνανται
Ἄφρονα ποιῆσαι, καὶ ἐπίφρονά περ μάλ' ἐόντα·
Καί τε χαλιφρονέοντα σαοφροσύνης ἐπέβησαν.

Nutrix dilecta, insanam te Dei, qui possunt, fecerunt,
Insipientem facere qui vel prudentissimus fuerit;
Et delirum fecerunt, ut prudentiam iniret & assequeretur.

Hoc unum, etsi alia non desunt, sufficere putamus, ut id efficiamus quod volumus. Neque aliud jam superest, quàm ut propositis pluribus interpretationibus; sed & syntaxi non unâ verborum; quid nobis maximè probetur, ut ad Homeri scopum maximè genuinum paucis indicemus. Et de Syntaxi quidem planè ita censemus, quanquam altera magnis auctoritatibus nitatur, eam tamen, quæ τὸ τέων ad ἦμαρ refert, esse verissimam; in quo viros quosdam doctissimos, & nominatim, qui multorum instar esse posit, Henricum Stephanum in Notis ad Pyrrhonis vitam, à Diogene Laërtio conscriptam, consentientes habemus. Sed & Giphanium, virum doctissimum, in Notis ad Homerum; in hunc ipsum locum. Ut ἦμαρ autem seu ἡμέρη pro quocunque vitæ statu, sive meliore, sive deteriore, accipiatur, satis usitatum est. Et Homerus ipse alibi in non dissimili sententia, δούλιον ἦμαρ vocat *servitutem*. Sed præstat ipsius verba ponere, quibus interpretatio quoque, quæ mihi præter alias loco quadrare videtur, quamque Terentius in *Hecyra* (ut anteà vidimus; *Omnibus nobis ut res dant sese*, &c.) paucis expressit, non parum confirmatur. Ita autem habet iste locus:

Ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται Εὐρυόπα Ζεὺς
Ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν.

Dimidium autem virtutis aufert latesonans Jupiter
Viris, quando ipsos servilis dies occupat.

Notus est Hesiodi versus:

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.

Est quandoque dies mater, quandoque noverca.

Cui geminum & illud Theocriti:

Χὼ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.

Et Jupiter interdum serenus est; interdum verò pluit.

Et hæc quidem hactenus.



CLAVIS

CLAVIS EPISTOLARUM
ISAACI CASAUBONI,
SEU
ADDENDA NOTIS MARGINALIBUS.

Numerus paginam, litera *a* 1. columnam, *b* 2. significat.

Pag. *Stephani Tremulei exstat infrà num.* 8. *Epistolarum ad Isaacum Casaubonum, pag.* 643.

62. *b* Audemus Casseronem. *Sitam in Gallia Narbonensi seu Languedocia ad Fluvium Atacem. Distat Mompelio triginta leucis. In Mappis geographicis, ni fallor, vocatur Carcassone.*

65. *b* Monspelii, a. d. VI. Kalend. Mart. CIƆ IƆ XCVII. *Ad hanc & proximè præcedentem Epistolam responsoria exstat infrà num.* 14. *Epistolarum ad Isaacum Casaubonum, pag.* 648.

70. *a* Et Pacii abitu. *Id est, Julii Pacii, summi Juris Antistitis, abitu ad Nemausenses.*

70. *b* Nobilissimam sponsam. *Odettam Spifamam Chalongiam, de qua suprà ad pag.* 38.

71. *b* Frigere magni Interpretis commentum. *Magnus ille Interpres est Joannes Calvinus, cujus vide Commentar. in Harmoniam Euangelicam, pag.* 337. *edit. Amstelædam. anno* 1667.

72. *b* Monspelii, a. d. IV. Eid. April. CIƆ IƆ XCVII. *Ad hanc, & proximè præcedentem Canaii à Fraxinis Epistola responsoria exstat infrà num.* 16. *Epistolarum ad Isaacum Casaubonum, pag.* 649.

73. *a* Præses. *Senatus Tolosani.*

73. *b* SALVENDIS. *Lege* SALVENSIS, *id est, Sauve in Cevennatibus.*

76. *a* Ante sex septem hebdomadas peperit. *Florentia Stephani, uxor Isaaci Casauboni,* XII. *April. peperit filiolam, quæ nominata fuit* Elisabetha; *moritur autem illa* VI. *Kalend. Septemb.* 1597.

77. *a* Magalonensium. *Magalone est urbs Galliæ Narbonensis.*

80. *b* Cabassus. *Is est, ut arbitror, Simon Cabassus, cujus meminit Thuanus, Historiarum lib.* 114. *pag. m.* 703.

ibid. De quorum altero scis nostros cogitare. *Nempe Monspelienses de Jacobo Lectio, ut eum vocent ad Professionem Juris, uti colligas apertè ex Epist.* 138. *&* 146.

82. *a* Nisi quod Postellum. *Videlicet Gulielmum, de quo vide Paulum Colomesium, Gall. Oriental. pag.* 59.

88. *a* Vir clarissimus Jugeus. *Theodorus Jugeus, J. U. D. qui Senecam edidit & Petronium.*

90. *a* Præsidum princeps. *Achilles Harlæus.*

ibid. Alterius magni Præsidis. *Jacobi Augusti Thuani.*

95. *a* Vale, magne Scaliger, &c. *Ad hanc respondet Scaliger Epist.* 50.

101. *b* Hunc ejus Commentarium. *In Phrynichi Epitom. Diction. Atticarum, quem Hœschelius edidit anno* 1601.

Josephi Scaligeri verba. *Fortè sunt hæc:* τὰ πάρεργα ipsius (*scilicet Casauboni*) aliorum ἔργα fuerint: *quæ leguntur in Epistola Scaligeri* 384. *data ad Davidem Hœschelium*, 1599. Pag. 102. *a*

In Notis ad Manilium. *Pag.* 426. *edit.* 1600. 106. *a*

Ecce literas ex aula. *Fortè, à D. de Vicq.* *ibid.*

Mox me dedi in viam. *Pridie Kalend. Mart. Lutetiam autem appulit pridie Non. Mart.* *ibid.*

Crabrones. *Sciolos illos, regios Professores, de quibus suprà Epist.* 204. *in fine.* 106. *b*

Post ἀποστασίαν veteris amici. *Philippi Canaii à Fraxinis.* 113. *a*

Quibus nihil aliud Auctor. *Franciscus Junius, qui Tertullianum edidit. vide pag.* 15. *&* 136. 113. *b*

R. P. *Romanum Pontificem.* 114. *a*

Omnium autem maximè is. *Scilicet Arnaldus Pontacus, Episcopus Vasatensis, qui Eusebium edidit.* 116. *a*

Epistolam tuam IX. Kalend. Maj. scriptam. *Exstat apud Justum Lipsium Miscellanear. Centur.* III. *Epist.* 69. 121. *a*

Ad Episcopum Ebroicensem. *Id est, Jacobum Davidem Perronium.* 124. *b*

A. d. III. Non. Septemb. CIƆ IƆ CI. *Scribe* CIƆ IƆ CV. *vel* CIƆ IƆ CVI. *adeò ut planè alio loco hæc sit inserenda.* 126. *a*

Et τοῦ μακαρίτου Στεφάνου. *Henrici Stephani.* 129. *a*

Munus tuum. *Librum de Sacramentis, edit. Genevæ* 1598. 133. *b*

Super navigationibus Indicis judicium nostrum. *Ad Flavii Vopisci Firmum, cap.* 3. 137. *a*

Ad libellorum editionem. *Scilicet* de Coloribus, *de* Lectis, *de* Venatione Amphitheatrali, *de* Ludis Circensibus, *quos intra manus habuisse sæpenumero profitetur ipse Casaubonus.* 139. *a*

Impurus ludimagister. *Theodorus Marcilius, qui Persium edidit, anno* 1600. 139. *b*

Quid illo Bambalione infelicius. *Id est, Theodoro Marcilio.* 143. *b*

Juvenalem tuum, quem edi à te quàm primùm cupio. *E contrario Josephus Scaliger suadet, ut differat saltem, si nolit abstinere ab editione. Consule Josephi Scaligeri Epist.* 257. *&* 464. 151. *b*

Illud tuum de literis Græcis judicium. *Exstat hoc Epist.* 56. *Centur.* II. *Miscellanear.* 153. *a*

Sed τρισμεγίστῳ Mæcenatem. *Regem Galliæ.* 155. *a*

Illum impurum. *Casparum Scioppium.* 158. *b*

Μαψιλάκας ille. *Theodorus Marcilius.* 161. *a*

Qui olim Epistolâ quâdam à te laudatus. *Exstat illa Miscellanearum Centur.* II. *num.* 29. *ibid.*

Cum

Pag.

171. *a* Cum nequissimo bipedum. *Est is Theodorus Marcilius, cui Joannes à Wouweren dedicat Petri Colvii Notas in Sidonium Apollinarem, edit. Paris.* 1598.

171. *b.* Lutetiæ Paris. a. d. IX. Kalend. Jan. *Ad hanc responsoria Joannis Wouwerii exstat in Merici Casauboni Pietate (pag.* 93. *&* 94. *hujus edit.) quæ inter editas Joan. Wouwerii Epistolas non reperitur.*

172. *a* Per quendam Medicinæ Candidatum. *Joannem Westhovium, uti patet ex Epist.* 315. *&* 319.

175. *b* Cùm ante menses fermè, &c. *Hæc est responsoria ad Josephi Scaligeri Epist.* 77.

176. *b* Cùm urgeat Plumbeus noster. *Jacobus Esprinchardus Rupellensis. Vide suprà Epist.* 216.

186. *b* Narrabat quidam. *Vindicinus. Vide Epist.* 253.

187. *b* βιβλιοτάφου senis. *Joannis Gosselini, Bibliothecarii Regis.*

192. *a* Agnovi Arnoldi ibi nuperi contra Loyolitas libellum. *Fortè intelligit M. Antonii Arnoldi Orationem contra Jesuitas.*

194. *a* Legi etiam Temporarii. *Joannis Temporarii, Jurisconsulti Blesensis, Chronologiam editam Rupellis, in folio, anno* 1600.

196. *a* Subit animo diei illius infausti species. *Scilicet,* XXIV. *Augusti anno* 1572.

197. *b* Epist. CCCLXXII. *Hæc non ad annum* 1603. *sed* 1605. *debet referri, adeoque inseri pag.* 229.

198. *a* De Autore novi operis. *Gulielmo Nautonnerio à Castello-Franco.*

202. *b* Lutetiæ Parisiorum, a. d. XII. Kalend. Februar. *Hæc est responsoria ad Christophori Puteani Epistolam, quæ trigesima est Epistolarum ad Isaacum Casaubonum, pag.* 655.

219. Scito τὸν σφραγιδοφύλακα. *Pomponium Bellevreum, qui fuit Cancellarius.* Jacobus Augustus Thuanus Historiar. lib. 134. pag. 1088.

225. *a* Illius jussu, &c. *Nempe, Regis Galliarum.*

237. *b* Præter illum priorem. *Pomponium Bellevreum.*

ibid. Is est Silerius. *Nicolaus Brulartus Sillerius.* Jac. Aug. Thuanus Historiar. lib. 134.

238. *b* Syntagma tuum. *De Funere & Puerperio.*

241. *a* Un des Loyolites. *A sçavoir Pere Cotton. Vertunien à Monst. de la Scala.* Epitr. Françoif. *pag.* 350. J'ay veu là Messieurs du Plessis Mornay, de la Nouë, de Saint Germain, Deputé de nos Eglises près de Sa Majesté, & d'Aubigny, qui tous m'ont prié vous advertir que Pere Cotton se vante que par promesses & menées il vous arrachera du lieu où vous estes honoré; & où on vous tient promesse, pour vous amener là, où vous ne recevrez ni honneur, ni le vray de ce qu'on vous promettera. *Et pag.* 352. MONSIEUR, ce mot ne sera que pour vous reiterer la jactance que fait le Pere Cotton de vous gagner par vaines promesses, & attirer à Paris, pour vous faire revolter: ainsi m'ont appris Messieurs du Plessis Mornay, de la Nouë, St. Germain, Deputé des Eglises près du Roi, & d'Aubigny; qui me prierent à la mort de Monsieur de la Tremouille, de vous en advertir. Pag.

Cùm in tuum nomen incidi. *Lib.* 3. *cap.* 8. *pag.* 355. *Amphitheatri Honoris Caroli Scribanii.* 242. *a*

Magni Mæcenatis. *Id est, Regis.* 243. *a*

Unicâ re exceptâ. *Nempe, Professione Religionis Protestantium.* *ibid.*

Duobus exceptis viris. *Fortè, Achille Harlæo & J. A. Thuano, seu Paulo Petavio.* 243. *b*

Ex epigrammate in Archidicen. *Vide Isidori Pelusiot. lib.* 3. *Epist.* 224. *edit. Conradi Rittershusii.* 249. *b*

Sed scholium συμποτικόν. *Isidor. Pelusiot. lib.* 2. *Epist.* 146. 250. *a*

Quæ ad παιδείαν Persarum spectant. *Isidor. Pelusiot. lib.* 4. *Epist.* 198. *ibid.*

Ubi legerim, nunc non memini. *Apud Isidorum Pelusiotam, lib.* 4. *Epist.* 175. *ibid.*

Baudium. *Dominici Baudii Epigrammata in obitum Theodori Bezæ exstant Trochaicorum lib.* 4. *pag.* 337. *& Heroicorum lib. Epigr.* 4. *pag.* 527. *edit.* 1616. 256. *a*

In Marcellinum Comitem. *Hujus Chronicon unà cum Eusebio edidit Josephus Scaliger.* 258. *b*

Quod ipse olim in mea. *In negotio videlicet Wottonico, de quo suprà pag.* 10. *ibid.*

Nam ὁ πρὶν σφραγιδοφύλαξ. *Pomponius Bellevræus, Galliæ Cancellarius. Ejus obitum, elogium & Epitaphium vide apud Rodolphum Botereum, Commentariorum lib.* XIV. 259. *b.*

Ille autem alter. *Nicolaus Brulartus Sillerius. Vide suprà Epist.* 444. *ibid.*

Epistolam tuam de Gallia. *Exstat in Opusculis variis Josephi Scaligeri ab Isaaco Casaubono editis, pag.* 69. *edit. Francof.* 1612. 261. *b*

Quas à Conrado Ottone, Viro eruditissimo. *Planè aliter de eo sentit* 263. *a*

Pag. *Joann. Christophorus Wagenselius ad Sotam, pag.* 704. 705.

263. *b* Et pusillum quendam libellum. *Gregorii Nysseni Epistolam.*

264. *b* De Colloquio Gossypieponymi cum τῷ δαίμονι. *De Colloquio Patris Cottonis cum Hadriana Fraxinea dæmoniaca plenius ac verbosius agit J. A. Thuanus Historiarum lib.* 132. *pag. m.* 1053. *Adde Epistolas Gallicas ad Josephum Scaligerum, pag.* 110. *&* 422. *&* 432.

265. *a* In scelestissimum Librum. *Caroli Scribanii Amphitheatrum Honoris.*

ibid. Paratur nunc, ut audimus, Ingolstadii liber in Magnum Scaligerum. *A Casparo Scioppio.*

271. *b* Libellum à me accipies. *Gregorii Nysseni Epistolam.*

272. *b* Ut in Mathematicis disciplinis filium meum instituat. *Joannem Casaubonum, qui posteà ad Pontificios transiit.*

277. *a* Næ multum tibi fungi illi N. & N. *Christophorus Clavius & Thomas Lydiates, uti colligere est ex Epist.* 531.

279. *b* D. Calignonis. *Navarræ Cancellarii, de quo lege Teisserii* Elogia virorum eruditorum, *Gallicè edita, pag.* 374. *&* 432.

280. *b* Magnum Paulum. *Is est Paulus Sarpius.*

287. *a* Ille Apostata. *Casparus Scioppius.*

ibid. Ad αὐτὸ τὸ δηλοι. *Casparum Scioppium.*

ibid. ὁ δεινὸς σοφιστὴς. *Philippus Canajus à Fraxinis.*

288. *a* Quam olim ὁ πάνυ Lipsius. *Miscellanearum Centur. I. Epist.* 4. *& de Milit. Roman. lib.* 1. *Dialog.* 2. *Poliorcetic. lib.* 4. *Dialog.* 6.

298. *a* Apud Legatum Anglicum. *Carew.* Vide *la vie de Monsieur Mornay du Plessis, pag.* 332.

311. *b* De amicis Heidelbergensibus. *Qui Isaacum Casaubonum isthuc vocare volebant.* Lingelshem. Epist. 81. pag. 236.

312. *b* Quæ mihi τῶν N. N. ἡ ϖροδημία. *Putem supplendum* Genevensium. *Vide Epist.* 574. *pag.* 303. *& Epist.* 603. *ubi aperte satis, pag.* 316. *& Epist.* 608. *pag.* 321.

313. *b* Christus Patiens tuus. *Adi Hugonis Grotii Epistolam decimam.*

318. *a* Apud Laurentium. *Casparum Laurentium, Scholæ Genevensis Rectorem. Vide Epist.* 600. *pag.* 315.

318. *b* Et de affine cur querar habeo. *Affinis autem ille erat Paulus Stephanus.*

321. *a* Accipe nunc libellum. *Florilegium Epigrammatum Martialis, à Josepho Scaligero Græcè conscriptorum.* Paris. 1607. Pag.

Nobis esset erepta filia natu maxima. *Philippa.* 322. *b*

Ut filium meum. *Mericum Casaubonum. Vide infrà Epist.* 648. 324. *a*

Est nobis alius minor ætate filius. *Paulus Casaubonus.* *ibid.*

Desiisset esse in vivis. *Consule Epistolam Jani Rutgersii ad G. J. Vossium, num.* 6. 326. *b*

Je vous demeure, &c. *Ad hanc responsoria Mornaji du Plessis exstat infrà ad Isaacum Casaubonum, num.* 36. *pag.* 659. 328. *a*

Me jactura rei familiaris * * accepta. *Fortè, Genevæ.* 335. *a*

Et Cancellarius. *An Nicolaus Brulartius Sillerius, de quo suprà Epist.* 444. 336. *b*

Sed obstat id, quod dixi. *Nempe, Religio.* *ibid.*

Sed nosti quid nos diviserit. *Transitus ad Pontificiam Religionem.* 361. *a*

Et Dominus. *Fortassis, Charier, qui toto itinere ei plurima præstitit officia, teste ipso Casaubono Epist.* 1045. *pag.* 609. 361. *b*

Cùm Legatus Christianissimus Regis. *D. Bauderianus.* 363. *b*

Regni Cancellarium. *Nicolaum Brulartium Sillerium.* 370. *a*

Propter communem amicum. *Puto J. A. Thuanum.* 371. *b*

Opuscula τοῦ μακαρίτου. *Josephi Scaligeri.* *ibid.*

Est in hac urbe nobilis Eques. *Robertus Cotton. Adi Epist.* 724. *pag.* 382. 373. *b*

Dominus Eliensis. *Lancelottus Andrews.* 374. *b*

Famosum libellum Anticottonem. *Hujus Auctorem se ignorare fatetur Placcius de Anonymis, cap.* 2. *num.* 627. *pag.* 72. *edit. nuperrimæ in folio.* 382. *b*

Libellum. *Epistolam ad Frontonem Ducæum.* 428. *b*

Episcopus Eliensis. *Lancelottus Andrews.* *ibid.*

Ut brevi occasione quâdam insigni. *Scilicet Matrimonii. Siquidem Elisabetha, Jacobi I. Magnæ Britanniæ Regis filia, nuptura erat Friderico Electori Palatino, uti constat ex Epistola* 822. *Videsis D. Baudium Cambicor. Funeral. lib. pag.* 324. *edit.* 1616. *& infrà Epist.* 857. 430. *a*

Diatribam illam. *Fortè indicat Petri Bertii Apologeticum ad Fratres Belgas.* 432. *b*

Richerius. *Edmundus Richerius, qui diem obiit supremum* 1633. *De eo vide Continuationem J. A. Thuani lib.* 5. *pag.* 256. 444. *a*

Richco-

Pag. Richeomus. *Ludovicus Richeomus; moritur anno 1625. octogenario major.* 444. b

458. b Virum nobilissimum. *Dom. Plessæum.*

469. a τὸν πάνυ Πλ. *Plessæum.*

478. a Duos libellos. *Epistolam ad Frontonem Ducæum, alteram ad Cardinalem Perronium.*

479. a. Adventus Electoris Palatini. *Appulit 16. Octobris: matrimonium celebratur 14. Februarii* 1613. Camden. Annal. Apparat. pag. 9.

484. a Epistola ad Scaligerum ante annos quinque edita. *Præmissa Florilegio Epigrammatum Martialis, à Scaligero Græcè verso.*

488. b Vidistine Bavari illius novam Chronologiam. *De hac vide Isaacum Casaubonum, Exercit. I. ad Apparatum Baronii, §. 32.*

489. a Regis maximi spei filius. *In Henrici Friderici, natu majoris Regis Jacobi filii, Walliæ Principis, obitum vide Lessum Funebrem Dominici Baudii Jambicor. Funeral. lib. pag. 313. edit.* 1616.

506. b Cum D. Cottonio. *Henrico Cottonio, nobili Anglo, qui Thuano plurima suppeditabat ad Historiam Angliæ pertinentia.*

516. b Dominæ Elisabethæ. *In hujus discessum elegans legitur Carmen Hugonis Grotii Sylvarum lib. 3. pag. 143. edit.* 1639.

ibid. ὁ κλεινὸς Περ. *Cardinalis Perronius.*

520. b Quid exciderit Justo Lipsio. *Miscellanear. Centur. 3. Epist. 61.* JUDAICA (*ait*) Historia vetus est è Libris Sacris, Josepho, & ejus interprete Hegesippo petenda: nostra hæc nova, id est, CHRISTIANA, olim ex Eusebio, Sozomeno, pluribus; nunc ex uno Cæsare Baronio adfatim hauritur: & quid in diligentia viri tanta deest? Imò ut supersit, vereor: iis utique, qui ex professo Theologos non agunt; & sufficit universè initia, progressum, dissidia, capita, & Antistites Religionis nostræ scire.

522. b Faciet hoc alius. *Joannes Prideaux.*

523. a Vir magnus. *Joannes Prideaux.*

ibid. Virum optimum. *Andream Schottum.*

528. b Et alium pusillum (librum.) *Epistolam ad Frontonem Ducæum.*

529. a Pro navata opera in mittendis foliis. *Fortè, Confutationis Anti-Cottonis, quam Andreas Eudæmon Joannes Græculus Moguntiæ edidit*, 1611.

530. a Uxoris meæ frater. *Paulus Stephanus.*

ibid. Latinum fecit. *Notisque pereruditis illustratum edidit typis Commelinianis expressum*, 1604. *in* 8.

Oxonii apud Professorem Hebræum. *Nempe, Kilbium, uti patet ex Epist.* 924. Pag. 537. a

Cùm ego illi Notas in Diogenem offerrem. *Vide Merici Casauboni Piet. pag. 72. hujus edit.* 557. b

Edictum illustrissimorum Ordinum legi. *Exstat hoc inter Epistolas Remonstrant. num.* 224. 561. b

Vidimus hîc librum adversus ampl. Thuanum à Gretsero Jesuita nuper editum. *Titulus libri est:* Joannis Baptistæ Galli Notæ in Thuanum *edit.* 1614. *de hoc libro vide Placcium de Scriptoribus pseudonymis, num.* 1148. *pag.* 302. 303. *edit.* 1608. 565. a

Lipsius doctis nuper commovit. *Centur. 2. Miscellaneor. Epistol.* 14. 566. b

Stephanum. *Henricum, Isaaci Casauboni socerum.* 571. a

Amicissimis sodalibus. *Theodori Canteri filiis.* 575. b

Qui tot elogiis nuper me publicè ornasti. *In Notis ad Nonni Paraphrasin Joannis, pag.* 115. 130. 577. a

Ut ἔκτρωμα illud. *Apuleji Apologiam ab Isaaco Casaubono castigatam.* *ibid.*

Cum Anglo illo. *Henrico Wottonio, de quo vide suprà Epist.* 17. & 18. 578. a

Martialem tuum accepi. *De hoc Martiale scribit ipse Heraldus ad Joseph. Scaligerum lib. 1. Epist. 67. pag. 128. Epistolar. Gallicar. ad Joseph. Scaligerum.* 595. a

Tantis cum difficultatibus Hablonem ibamus. *Hablon est suburbanum mancipium agri Lutetiani, ubi Novatores (id est,* Protestantes seu Calviniani) *sacra sua peragunt.* Rodolph. Boterejus Commentariorum lib. 12. 595. b

Quid tibi de illo viro docto videatur. *Justo Lipsio, cujus consule Epist. 76. Centur. ad Germanos & Gallos.* 599. b

Jubet nos Historiam Ecclesiasticam, *& Epist. 61. Centuriæ 3. Miscellanearum. Verba adscripsimus suprà ad pag.* 520. *ibid.*

Librum, quem ais misisse. *Biblia à Deodato linguâ Italicâ accuratè ac summâ fide reddita, notisque illustrata, de quibus adeundus est Richardus Simon*, Histoire Critique du Vieux Testament, *liv. 2. chap.* 23. 603. a

Filiam habui natu maximam. *Philippam.* 604. b

Ex indignatione adversus N. N. *Fortè, Protestantes, vel Genevenses.* 607. a

A Domino Bathoniensi. *Richardo Montacuto, Episcopo Bathoniensi.* 616. a

Magno sene excepto. *Theodoro Bezâ.* 620. b

Carmen à te super Magni Bezæ obitu scriptum. *Exstat autem hoc* 629. b

Pag. *Farragin. lib. 3. pag. 254. Poëmatum Hugonis Grotii, edit. 1639.*

630. a Monſeigneur l'Ambaſſadeur. *Baudeřian. Vide Epiſt. 720.*

633. b Penes amicum quendam. *Nullus dubito quin velit indicare Chriſtophorum Puteanum, qui Romæ diu fuit commoratus, uti colligere eſt ex Epiſtolis Gallicis ad Joſephum Scaligerum à Revio editis, pag. 162. 163. 166. 167.*

634. a Epiſtolam Pauli Veneti. *Illa exſtat ſuprà num. 811.*

635. a WENCESLAO à ZASTRIZEL. *Hic fuit Baro Moravus, cujus carmina exſtant Tom. VI. Delit. Poëtar. Germanor. pag. 1192. in ejus autem Orationem habes Græcum Epigramma Iſaaci Caſauboni, quod expreſſum eſt pag. 250. Dedication. & Præfation.* Pag.

Epiſtol. 1104. N. N. *Fortè inſcriptio hujus Epiſtolæ fuerit*, A Meſſieurs du Conſiſtoire de l'Egliſe à Geneve : *id enim videor mihi poſſe colligere ex Epiſt. 1039.* 635. b

Et Pindarum. *Non ſcripſit Iſaacus Caſaubonus notas, quod equidem ſciam, in Pindarum; ſed Græcum Carmen adjecit editioni Franciſci Porti, quod habes pag. 241. Dedication. & Præfation.* 640. a

In Poliorceticis ſuis. *Lib. 2. Dialog. 4.* 645. a

Nollem in nuperis tuis illud de Libro adjeciſſes. *Amphitheatro Honoris Caroli Scribanii.* 663. b

INDEX I.

Eorum, quibus ſcriptæ ſunt

EPISTOLÆ.

*Numerus indicat non paginas, ſed Epiſtolas. Aſteriſcus * verò eas, quæ noviſſimè è MS. ſunt editæ.*

INDEX II. EPISTOLARUM AD ISAACUM CASAUBONUM.

Numerus indicat Epistolas, tam in Appendice quàm sparsim inter Epistolas Casauboni.

I N D E X III.

Qui exhibet doctorum & clarissimorum Virorum nomina, quorum in Epistolis ISAACI CASAUBONI fit mentio.

Numerus indicat paginas.

Henricus

ERRATA TYPOGRAPHICA.

PAg. 60. *b.* lege *quæ*. Pag. 62. *b.* lege *erga*. Pag. 102. *a.* lege *deſperaverit*. *Ibid.* lege MERICI. Pag. 105. *a.* lege *gonyobombyx*. Pag. 110. *a.* lege *imperitia*. Pag. 112. *b.* lege *feret*. Pag. 113. *b.* lege *numquam*. Pag. 133. *b.* lege *obſervatur*. Pag. 135. *b.* lege *catharticum*. Pag. 140. *a.* lege *mihi*. Ibid. *b.* lege DANIELI. Pag. 162. *a.* in margine lege, *Leg.* 20. Pag. 180. *a.* lege *purioris*. Pag. 326. *b.* poſt *deſiiſſet* adde *eſſe*. Pag. 490. *a.* in margine dele *Joanni Overallo*. Pag. 508. *b.* in margine lege *indicat*. Pag. 561. *a.* lege CIↃ IↃ CXIV. Pag. 566. *a.* in margine omiſſa eſt nota ✠. Pag. 577. *a.* lege *Nonnus*. Pag. 592. *b.* lege *nova*. Pag. 639. *a.* in margine lege *Epiſt. XV.*





